VILLANOVA COLLEGE LIBRARY
Villanova, Pennsylvania



This book was donated
3-4-49
by
Rev. M. Sullivan, O.S.A.



ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M.DCCC.LXVIII

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO P. M.
JOANNE STILTINGO.

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

AUGUSTI TOMUS SEXTUS

QUO QUINQUE POSTREMI DIES CONTINENTUR CUM EJUSDEM MENSIS SUPPLEMENTO.



PARISIIS ET ROMÆ
APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1868

VILLANOVA COLLEGE LIBRARY

4655
.A2
v.40

SERENISSIMO

JOSEPHO

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

NEC NON

REGIO PRINCIPI REGNORUM HUNGARIÆ

BOHEMIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, DALMATIÆ

MAGNI DUCATUS ETRURIÆ; DUCATUUM BURGUNDIÆ

Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ,
Mediolani etc.; Comitatuum Tyrolis, Flandriæ, etc. etc.

3-4-49 Gift of Tortoise ... ...

Tomus hic, SERENISSIME ARCHIDUX, quem Nomini Tuo venerabundi inscribimus, sicuti memoriam nobis renovat longe jucundissimam magni istius diei, quo feliciter in lucem prodiisti, post Serenissimorum Tuorum Parentum ardentissima vota ac suspiria, directasque ad cælum preces, patrocinante Virgine Matre, a Deo impetratus; sic triennium illud, quo pergis vivere sospes et incolumis, crescisque vegetus robustus, novam Augustissimæ familiæ Tuæ, regnisque ac ditionibus eidem subjectis lætitiæ affert causam, et materiem suggerit amplissimam gratias agendi immortales divino Numini, cujus bo-

nitas conservare Te hactenus, et ad maturiorem paulatim ætatem promovere dignatur. O memorabilem certe, æternisque Annalium fastis signandum diem, quo Augustissimæ Domui Austriaeæ datus es, ut omnia Tecum bona in eamdem inveheres! Etenim dum attenta mente consideramus, quanta post natales Tuos Serenissimæ Matri Tuæ obtigerint bona, quanti quamque perpetui de hostibus potentissimis relati triumphi, quot urbes, quæ recenseri vix possint, quot integræ provinciæ armis gloriosissimis aut receptæ aut occupatæ, in stuporem acti vix nos cohibere possumus, quin de Te, FORTUNATISSIME PRINCEPS, pronuntiemus verba illa, quæ de glorioso Domini Præcursore stupendis prodigiis attoniti usurparunt vicini cognatique ejus : *Quis, putas, puer iste erit?* Et vero, si expendamus, cur de S. Joanne mirabundi exclamarent omnes : *Quis, putas, puer iste erit?* Respondebunt divina Eloquia : *Etenim manus Domini erat cum illo.* Cur igitur, illæso sacris verbis honore debito, et nobis exclamare de Te non liceat : *Quis, putas, erit Serenissimus Josephus Archidux noster?* Nam et Tuos natales mirabilia comitata sunt et secuta; Tecumque manus Domini fuit modo tam singulari et admirabili, ut ætas nostra obstupescat ea, quæ præsens videt et audit, posteritas autem vix creditura sit, quæ de hisce leget litteris consignata. Nonne enim inter mirabilia computandum, Te post votum, ut credimus, Sanctissimæ Dei Genitrici factum, felicissimo partu in lucem esse editum? Nonne miranda in summis temporum angustiis eximia Serenissimæ Matris Tuæ pietas, quæ aureum puerum Tecum appensum mox transmisit Beatæ Virgini Cellensi offerendum, ut Te totum Virgini sacrum regio illo dono sibi redimeret Filium? Nonne mira loquemur, si dixerimus, Materna regna per Te primo jam ætatis anno potenter defensa, pulsos Tua ope procul a ditionibus Maternis hostiles exercitus, amota a Danubio et Moldava trans Rhenum hostilia vexilla, portata Viennam in triumphum instrumenta bellica, apparatumque militarem omnem, quæ ingenti copia ad ejus perniciem fuerant collecta? Nonne paradoxa hæc, aliaque multa hisce similia, quæ commemorari possent, Tibi ipsi videbuntur, nisi clare exposuerimus, quo tandem modo tam grandia facere potueris ætate tam tenera? Dicamus igitur, PRINCEPS DEO DILECTE, quam Tecum fuerit manus Domini exercituum, quam fuerit cum prudentissima Matre Tua, quæ, Te auxiliante, prædicta peregit. Obierat Augustissimus Imperator Carolus VI gloriosæ memoriæ Avus Tuus tempore tam importuno, ut numquam ditiones suas relinquere potuisset majori expositas periculo. Vix hereditatem suam adierat Serenissima Mater Tua, quin et imminentes undique viderit hostiles phalangas, principesque tanto numero experta sit contra se fœderatos, ut mirum sit, de regnis suis defendendis vel solum cogitasse; omnem sine dubio se tuendi animum abjectura, nisi sua se fortitudine, summaque de Deo fiducia in tantis periculis sustentasset. Quid igitur hic agat fortissima Regina Mater Tua? Noverat legiones suas Germanicas, quantumvis fortitudine præstantissimas, bellisque maxime exercitatas, si solæ cum tanto hostilium agminum numero in variis provinciis congredi cogerentur, pares nequaquam fore, sed numero obruendas. Hinc prudenter judicabat excitandam sibi antiquam Hungaricæ gentis virtutem, quæ quasi diuturno somno jacebat sopita. Ipsa igitur, Deo duce, ac singulari prudentia comite, numerosos Hungarorum collectura exercitus, Posonium proficiscitur, Te comitem sibi adoptans, Te adjutorem. Nec vanam de Tuo subsidio spem conceperat sapientissima Regina. Etenim dum illa potenter atque eloquenter coram nobilissimis regni Hungarici Magnatibus perorans, omnes in sui admirationem trahit atque amorem; Tu quoque præsentia Tua auditorum omnium in Te oculos convertisti, potensque vel sine voce Orator suavissima oris gratia tantas excitato amoris incendio faces subjecisti, cordaque Magnatum tanta vi in Tui dilectionem pertraxisti, ut omnes certatim interposita jurisjurandi religione pollicerentur,

cerentur, se viribus omnibus, laboribus, fortunis, ac sanguine demum suo propugnaturos Reginam suam, ac Te, Regium Principem. Jam vero quam egregie promissa impleverit natio Hungarica, quam auxerit potentissimæ Matris Tuæ agmina, quam triumphales simul cum legionibus Germanicis fortitudinis suæ fructus tulerit, novit et obstupescit orbis universus. Quidni ergo, SERENISSIME ARCHIDUX, de Te rogare liceat; *Quis, putas, Puer iste erit?* Cum primos ætatis tuæ annos tot tantisque favoribus cumulaverit Divina benignitas? Quidni ex faustissimis hisce principiis ominemur futuram in ætate maturiore magnitudinem Tuam, præsertim cum et alia multa in Te reperiantur, quæ summam de ea nobis spem ingerunt? Natus es Augustissima illa stirpe Austriaca, quæ pietatem sibi propriam fecit, quæ cum pietate omnes alias virtutes feliciter conjunxit, quæ non modo plures Imperio dedit Cæsares, sed plures etiam edidit heroës, quam ulla domus alia; quæ binis jam seculis communem Christi nominis hostem iisdem fere consistere terminis coegit, progressumque subinde longius repulit, etiamsi et aliis frequenter bellis fuerit lacessita. Hæc vera minimeque exaggerata Majorum Tuorum decora animum Tuum exstimulabunt ad eximiam in Deum pietatem, quæ unica est ad veram magnitudinem via. Hæc ad ardua quælibet audenda pro pretioso fidei ac justitiæ thesauro mentem Tuam erigent. Hæc leni moderatoque imperio subditos regere, ac regia munificentia bene meritos remunerari docebunt. Hæc demum omnia abunde subministrabunt exempla, quorum imitatione inter illustres heroës, inter summos principes locum merearis. Nec timendum est, ne tam eximia Proavorum Tuorum ornamenta ignores : nam præclara principum educatio atque institutio, quæ Domui Austriacæ dos est propria, nihil illorum te nescire patietur. Accedet solicita prudentissimæ Matris Tuæ cura, quæ ipsa supplebit, si quid diligentissimi institutionis Tuæ præfecti docere negligerent. Novit illa experiturque quotidie, quam sibi utilis, quam necessaria fuerit excellens illa institutio, qua cum virili animo conjungeret scientias viris proprias, ut et negotia quælibet gravissima per se expedire, et regna sua recte administrare posset. Illa igitur Tibi a teneris cum verbis tum exemplis instillare non desinet ardentem in Deum, in Sanctissimam Dei Genitricem, atque in Sanctos omnes amorem. Illa Te docebit, non propriis viribus confidere, sed prosperos rerum successus a benigna Dei manu exspectare, ejusque opem sperare, dum tibi ostendet elegantem inscriptionem chronographicam, quam pro anno præterito concinnatam sub imagine Christi e cruce pendentis in regio suo cubiculo posuisse dicitur : CRUCIFIXUs DUx MEUs. Nec monebit dumtaxat, se hoc Duce invictissimam stetisse contra hostium multitudinem, sed narrabit etiam, quantæ, Duce hoc potentissimo, per Carolum VI avum Tuum, ac per Leopoldum proavum, de Ottomannis relatæ fuerint victoriæ. Illa demum virtutes omnes, quibus egregie excellit, Tecum communicare studebit, artemque regendi, quam juvenis didicit usuque perpolivit, in Te totam transfundere conabitur. Ad curam hanc accedet Serenissimus Genitor Tuus, Magnus Etruriæ Dux, qui uti intimo cum Serenissima Matre Tua amore est conjunctus, regnaque Tibi destinata felicissime cum illa moderatur, sic eadem quoque Tibi inculcabit præcepta virtutum, easdem docebit artes. Atque artium quidem militarium summus Tibi erit magister, utpote qui eas puer didicit, exercuit juvenis tam feliciter, ut prope Meadiam intra paucos dies geminam de Turcis retulerit victoriam. Quanta in præsenti bello, quamque prudenter perfecerit, paucis nequit explicari. Stetit ante aciem, quoties major vis belli, quoties manifestius ingruebat periculum. Viribus hostium fractis, Viennam redire maluit, ubi non minus erat necessarius summus imperator, qui diffusis per varias provincias exercitibus necessaria submitteret, sicque Serenissimæ Reginæ Matris Tuæ curas aliquantulum sublevaret. Tanto autem securius sic agebat fortissimus

mus

mus Ductor, quod Serenissimum Fratrem pro se relinqueret agminum præfectum, Carolum, inquam, Lotharingiæ Principem, Patruum Tuum, mox etiam Serenissimæ Mariæ Annæ Austriacæ Materteræ Tuæ Conjugem futurum, cujus gloriosa gesta cumulatique triumphi abunde docent, quam prudenter ipsi creditum fuerit honorificentissimum hoc munus, ac negotium gravissimi momenti. Superest, SERENISSIME ARCHIDUX, ut de natalibus Tuis undequaque faustissimis, ac de mirificis eventibus, qui eosdem comitati et subsecuti sunt, immortales Deo Optimo Maximo gratias agamus, Tibique gratulemur institutionem Regia Sobole dignam sub oculis tantorum Parentum, quos Deus diutissime incolumes servet. Cresce, SUMMÆ EXSPECTATIONIS PRINCEPS, Augustissimæ Domus Austriacæ columen, serenissimorum Parentum Tuorum amor, eosque solatio et gaudio explere perge. Cresce, JOSEPHE, ac nominis Tui etymon meritis Regiis ac virtutibus imple. Posside præclarissima Tua decora, auge, exorna. Hæc enimvero, et plura alia Tibi vovemus affectu quam possumus maximo. Quandoquidem autem a prospera vitæ Tuæ diuturnitate optima quæque speramus, omnium, qui Te antecesserunt, Majorum Tuorum annos supera, et longævus ad Superos migra. Votis nostris adspiret Deus ac omnes Sancti ejus. Subscribimur profundissima cum veneratione

SERENISSIME ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotissimi clientes
JOANNES PINIUS
JOANNES STILTINGUS etc.
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS

TOMI SEXTI

DE ACTIS SANCTORUM

AUGUSTI

AC SUPPLEMENTI AD EUMDEM MENSEM

Proditurus hic in lucem Tomus, Operis quadragesimus, Augusti sextus et ultimus, postremos quinque ejusdem mensis dies. continet, ac Augusti Supplementum : Cœlites vero, de quibus ex professo agitur nominatim, ultra centum et sexaginta, præter anonymos longe plures. Viros de more partiemur in tres ordines seu status, *ecclesiasticum* videlicet, *monasticum*, sub quo Religiosos etiam collocabimus, ac *secularem*, quibus subjungemus *femineum sexum*. Præmittitur hic extra ordinem *Æthiops Eunuchus* reginæ Candacis, a S. Philippo diacono baptizatus: de cujus cultu, historia, Patrum elogiis, loco ac tempore scribimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

In Oriente *Alexander* ep. Constantinopolitanus fortiter se opposuit Arianis, tanti apud Deum meriti, ut Arii ab eo mortem impetrarit. Implacabilis alter ejusdem sectæ hostis fuit *Paulinus* ep. Trevirensis, gloriosus exsul in Phrygia mortuus, ac deinde Treviros translatus. *Philonides*, Curiensis in Cypro præsul ac M. signatur in Fastis Græcis. *Hypatius* ep. et *Andreas* presbyter martyrio coronati Constantinopoli pro cultu sacrarum imaginum.

Africa produxit magnum Ecclesiæ lumen *Augustinum*: cujus Acta illustrantur copioso Commentario et e variis documentis laboriose conquisito. Vita partim datur e libris Confessionum ejus; partim ex S. Possidio ipsius discipulo, ac per annos fere quadraginta contubernali. Porro Indiculus Operum, quem idem scripsit, multis observationibus elucidatur. Pro iis vero, qui Opus nostrum non habent, excusa seorsum sunt exemplaria de rebus ab eodem sancto Patre gestis et scriptis.

Ad Italos transeamus. Romanorum martyrum *Felicis* presbyteri et *Adaucti* cultus antiquissimus est. De Felicibus synonymis disseritur. *Narni* ep. Bergomensis certior veneratio publica, quam gesta. Capuæ atribuitur *Rufus* duplex, quorum alter ibidem antistes, alter diaconus, uterque martyr fuisse memoratur. His adde sequentes episcopos, *Syrum* Patavinum, *Joannem* Ticinensem, *Vicinium* Sassinatensem, *Amatum* Nuscensem, ac *Facundinum* Tadinensem, cujus discipulus dicitur fuisse *Juventinus*, et officio archidiaconus. *Cæsidii* presbyteri ac martyris nec non sociorum Acta Transaquensia sunt apocrypha, nec probatæ fidei Pistoriensia.

In Gallia claruit *Cæsarius*, celeberrimus præsul Arelatensis : cujus Acta partim a Cypriano, Firmino et Viventio episcopis, partim a Messiano presbytero, et Stephano diacono conscripta, ad seriem chronologicam deduximus, ac in variis supplevimus. *Ambrosius* præsul Santonensis ab antiquis scriptoribus merito laudatur. Santonensis alterius ep. *Viviani* seu *Bibiani* Vita profertur ex auctore suppari anonymo. Metensi in Lotharingia cathedræ præfuit *Adelphus*; *Licerius* vel *Glycerius* Consoranensi; *Æonius* Arelatensi; Meldensi *Ebregisilus*, *Optatus* Autissiodorensi. Controversiam de ejus corpore probabilius decidimus pro Virzionensibus. Inter præsules autem Galliæ, qui seculo sexto floruerunt, non infimum sibi locum vendicat *Syagrius* Augustodunensis. Variis conciliis interfuit, magnoque in pretio haberi meruit a S. Gregorio magno, et a regibus Francorum. Nec indictos relinquimus *Ætherium* Lugdunensem, et *Ebbonem* ac *Gericum* Senonenses antistites.

Angliam condecoravit *Aidanus* ep. Lindisfarnensis. Gesta ejus scripsit Venerabilis Beda. Apud Hibernos vero sunt *Patricius II*, præsul Ardmachanus; item *Fedlimidus* et *Fagnanus*, quorum hic colitur tamquam patronus ecclesiæ ac diœceseos Fenaborensis; ille Kilmorensis; Laoniensis vero *Flannanus*, cujus Vita et miracula e fabulis consuta sunt.

Apud Germanos in Suevia eluxit *Gebhardus* Constantiensis antistes. Varia de illo scribimus, Vitamque elucidamus, uti et miracula cum antiquiora tum recentiora : *Theodorus* II, Octodorensis vel Sedunensis præsul, a synonymis diversus. De publica *Ermerii* vel *Ermelii*

melii

melii apud Molhanienses in Leodiensi diœcesi veneratione satis constat, de episcopatu non item. *Werenfridus* presbyter Geldriam prædicatione excoluit. *Burchardi* parochi Beinwilensis memoria in Argoia apud Helvetos in benedictione est.

EX STATU MONASTICO.

In Oriente *Pœmen* anachoreta factis et dictis emicuit. Ibidem mira Dei misericordia eluxit in *Moyse Æthiope*, forte etiam martyre : qui, ex latrone ad monasticam vitam conversus, virtutibus, miroque adversus dæmones imperio Lybiam exornavit. *Fantinus* monachus notus in Fastis Græcis et Martyrologio Romano. A SS. Hieronymo, Paulino ep. Nolano, et Augustino laudatur *Pammachius* senator Romanus, contempta pro Christo nobilitate, quam congenitis sibi proavorum titulis clarior. *Joannes* sacerdos, et *Petrus* laicus, e familia FF. Minorum, Valentiæ in Hispania martyrio coronati. *Benedictus Aretinus*, ex eodem Ordine, floruit in Tuscia. Ibidem *Manettus Antellensis*, et *Bonaiuncta* eluxerunt, duo ex septem Ordinis Servorum B. M. V. fundatoribus, ac Generales. *Agilus* abbas Resbacensis claruit in Gallia, de cujus vita et miraculis satis multa dicimus; *Bononius* autem abbas Lucediensis in Pedemontio, Ordinis S. Benedicti. *Fiacrius* eremita cultu et miraculis apud Gallos celeberrimus. *Antonius Ripolanus*, ex Ord. FF. Prædicatorum, apostasiæ labem generoso martyrio eluit Tuneti in Africa. Acta ejus scripsit Constantius Ord. S. Hieronymi, testis oculatus; mircula vero dantur authentica e Mss. Ripolanis. Cataloniæ debetur *Raymundus Nonnatus* S. R. E. cardinalis, rebus præclare gestis, ac plurimis miraculis, quam primigeniis Actorum scriptoribus celebrior, et insigne Ordinis B. M. V. de Mercede ornamentum. Publica ejus veneratio diversis temporibus ad majorem extensionem et solemnitatem promota. *Medericus* presb. et abbas solenni cultu celebratur Lutetiæ Parisiorum. Translationem et Acta elucidamus. De *Albertini*, Prioris in eremo sanctæ Crucis Fonitis Avellani in Umbria, celebri cultu et fama miraculorum sufficienter lectorem instruimus.

EX STATU SECULARI.

Aristides philosophia sacra et profana Athenis memorabilis. *Hermetis* martyris Romani cultus est antiquissimus. Corpus ejus pluries translatum, Rothnaci in Flandria asservatur, et magna religione colitur. Acta martyrii a nonnullis impugnata defendimus. De *Petro* Trebensi in Latio multa ad nos transmissa sunt documenta, uti et Vita ipsius ac miracula. An *Pelagius* M. apud Constantienses in Suevia, ac synonymus apud Civitanovanos in Istria, sint diversi, disputatur. *Agilus vicecomes* in Gallia floruit, ubi et *Julianus* laureolam martyrii adeptus est, in oppido Brivatensi miraculis spectatissimus. *Sebbi* regis Orientalium Saxonum in Anglia virtutes narramus e Venerabili Beda. *Dominicus Vallius*, puer septennis, vix ad pugnam aptus, et jam tum victoriæ maturus, a perfidis Judæis in odium Christi apud Cæsaraugustam interemptus, ibidem religiose colitur. Acta martyrii brevia, sed sincera.

EX FEMINEO SEXU.

Serapiam V. et M., ac *Sabinam* M. laudamus, Romæ passas, non vero in Umbria, ex Martyrologiis antiquis. Acta proferimus e Mss. cum editis collata. *Candidam* V. et M. Romæ assignamus cum Martyrologio Romano. Eidem urbi adscribimus *Gaudentiam* virginem, cur non etiam martyrem? *Basilla* V. videtur pertinere ad Sirmienses in Pannonia inferiore. Germania habet *Adelindem*, parthenonis Buchoviensis fundatricem in Suevia; Confluentia *Ritzam*, V.; Brabantia *Veronam* in territorio Lovaniensi, quæ Actis fabulosis perperam adornata est; Cantium in Anglia *Eanswidam* V., ac probabiliter abbatissam; Vindogladia ibidem *Cuthburgam* reginam, abbatissam Winburnensem, quæ regales nuptias cum monastica vita feliciter commutavit. *Elisabetha* seu *Isabella* virgo, S. Ludovici Francorum regis germana soror, posthabitis terrenis nuptiis Sponsum cœlestem secuta, virtutibus ac miraculis Galliam illustravit. Vita Gallice scripta ab Agnete de Harcourt, contubernali ejus, et a nobis Latine reddita, variisque documentis elucidata.

Monitum volumus lectorem, huic Tomo præmitti elogium P. Cuperi nostri piæ memoriæ.



FACULTAS

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, et 19 Julii 1694, Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N Præposito Generali Francisco Retz, concedo *Bernardo Alberto vander Plassche* facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum sextum de Actis Sanctorum Augusti, collectis et illustratis per Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum piæ memoriæ, Joanuem Stiltingum, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ v Septembris MDCCXLIII.

CAROLUS VAN DEN ABEELE.

SUMMA

PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Pinii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat; qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die v Octobris anno MDCCXXXV.

Signat P. VAN CUTSHEM.

Et ego Joannes Pinius Societatis Jesu, permitto Bernardo Alberto van der Plassche, ut Tomum sextum de Actis Sanctorum Augusti, meo permissu apud ipsum impressum publicet. Datum Antverpiæ XXVII Septembris MDCCXLIII.

NOTITIA

NOTITIA FIGURARUM

hunc Tomum ornantium.

APPROBATIO ORDINARII

Quam solide ac erudite RR. PP. e Societate Jesu hagiographi Antverpienses usque hodie illustrarint Acta Sanctorum, non est in Orbe literario, qui non agnoscat; hinc Tomus sextus mensis Augusti, quem a RR. PP. Joanne Pinio, Guilielmo Cupero piæ memoriæ, et Joanne Stiltingo, ejusdem Societatis presbyteris, non minori qua soliditate, qua eruditione conscriptum reperi, una cum Elogio R. P. Guilielmi Cuperi piæ memoriæ, typis evulgari, cæterisque Tomis poterit adnumerari. Ita censeo Antverpiæ XXV Septembris anno MDCCXLIII.

G. A. J. DE BEZERRA
ecclesiæ cathed. Antverp. Presbyt. Can. Grad., Scholast., ejusdem diœcesis Officialis, Judex Synodalis, Decanus Christianitatis, Librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ: idem ante hunc sextum Tomúm Augusti denuo protestamur.



P. GUILIELMUS CUPERUS S.I.
OBIIT SECUNDÂ FEBRUARII, ANNO MDCCXLI, ÆTATIS LV.
Arsit apostolicos Cuperus obire labores:
Vota sed ad SANCTOS transtulit illa Deus.

Mart. J. Geeraets Pinx.

Lith du Senat Barousse Par.

A D

ELOGIUM

REVERENDI PATRIS

GUILIELMI CUPERI

HAGIOGRAPHI SOCIETATIS JESU, ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ

Auctore P. Joanne Limpeno ejusdem societatis presbytero.

CAPUT PRIMUM

Cuperi vita usque ad studium hagiographicum.

B *P. Cuperi, qui moriens magnum*

Annus hujus seculi quadragesimus, qui vitæ P. Joannis Baptistæ Sollerii, eruditis etiam P. Guilielmi Cuperi laboribus metam posuit. Illum ex humanis sustulit V Calendas Julii, qui quam bene de nostro opere et re litteraria meritus sit, non ignorat orbis eruditus, docetque elogium tomo V Augusti præfixum, quod egregias ejus lucubrationes summatim recenset. Vix quinque ab ejus funere mensibus evolutis, P. Guilielmum corripuit lethalis morbus, cui tandem post multa et illustria patientiæ aliarumque virtutum data specimina, secunda Februarii anni proxime sequentis, succubuit, incredibili sui relicto desiderio. Ut primum desperata ejus valetudo domus nostræ sociis innotuit, omnes dolere, sibi quod optimo, C jucundissimo, amantissimoque amico et convictore, nobis quod summo in illustrandis Sanctorum Actis subsidio; provinciæ atque adeo Societati universæ quod insigni ornamento privanda esset. Condoluerunt nostri aliis in domiciliis commorantes, dum epistolam ipsius mortis nuntiam acceperunt, communis et nostræ jacturæ gravitatem consentiente omnes voce profitentes: omnibus enim nota erat Viri virtus, singularis verborum morumque gratia et amabilitas, necnon præstans ingenium cum pari doctrina conjunctum. Eruditi etiam, quos inter celebre Cuperi nomen erat, non sine mœroris sensu ipsius mortem intellexerunt. Litteras hujus testes e variis regionibus non paucas excepimus; quas proferre necesse non est, cum eruditionem ejus fama satis pervulgarit, ex eorum orta testimonio, qui ejus scripta pervolverunt, meritisque laudibus cohonestarunt.

2 Quæ acerba omnibus, nobis insuper incommoda E maxime atque importuna mors ejus accidit. Piæ memoriæ P. Sollerius jam ab anno MDCCXXXVII nihil adjumenti nobis afferre potuit ob corporis ingeniique vires, ætate provecta et longa studiorum contentione exhaustas. Biennio post alterius hagiographi valetudo quoque tentata fuit, cui curandæ non breve tempus, scriptioni subtractum, impendendum fuit. Vix tandem suo hic diuturno morbo eluctatus erat, cum P. Guilielmus suprema ægritudine conflictari cœpit, quæ ipsum in virilis ætatis flore, anno vitæ quinquagesimo quinto, et cum ipso ingentes illas spes rapuit, quas collocaveramus in auxiliari ejus opera, quam jam viginti et uno anno plurimam contulerat, felicissimamque. Certe obitus ejus præmaturus museum non leves conjecit in angustias: transtulit hic in duos omne F onus vasti Operis solita celeritate continuandi. Si prelo ferias aliquamdiu indixissent, atque hunc tomum mensis Augusti ultimum anno serius in lucem edidissent, nota omnibus causa legitimam habuisset excusationem. Sed de ingenti, quod moriens P. Cuperus reliquit, sui desiderio satis præfati sumus. Nunc ei justa persolvamus, more in republica eruditorum hodie passim usitato, qui, ut gratam virorum bene de illa meritorum memoriam conservent, summa eorum vitæ capita, et quæ pie egerunt docteque scripserunt, litteris mandare atque ita ab oblivione vindicare consueverunt. In P. Cuperi lucubrationibus enarrandis quem modum et ordinem servaturi simus, indicabimus, cum ad illas perventum fuerit. Quæ ad reliquam ejus vitam virtutesque spectant e fideli eorum, qui Virum ex convictu et consuetudine familiarius nove-

sui desiderium reliquit,

A runt, relatione didicimus : ex his ea solum huic intexemus Elogio, quæ nobis singularia videntur, communia obiter commemoraturi vel silentio præterituri.

notales; corporis animique bona; studia Antverpiæ

3 Antverpia, tot virorum virtute et doctrina illustrium fœcunda parens et nutrix, P. Guilielmo patria fuit : dies natalis prima Maii anni MDCLXXXVI. Parentes nactus est honestos, at pietate magis quam divitiis spectabiles. Egregiis illum dotibus natura ornaverat, memoria felici, ingenio acri, multiplicis scientiæ capaci et ad studia propenso, indole benigna, liberali, sincera, docili, pacifica, verecunda simul ac hilari, ut verbo absolvam, qua melior optari vix potest. Nec minor erat gratia corporis, innatam ingenuitatem, candorem et cetera, quæ memoravi, animi bona oculis, vultu, sermone et omnium membrorum conformatione præ se ferentis. Quod hic disciplina et frequentantium numero floret gymnasium nostrum, virtute et litteratura humaniori decennem informan-
B dum accepit. Septennium in utriusque studio feliciter posuit. Pietate condiscipulorum nemini concedebat. Progressus in litteris cum ætate ita crevit, ut in classe eloquentiæ omnibus longe præcelleret. In codice, cui menstrua rhetorum certamina inscripta leguntur, æmulorum, quos bene multos habebat, semper victor, semel tantum victus notatur e stadio discessisse : adeo ut rarisssimam dictatoris perpetui laudem pene fuerit consecutus.

et Duaci; ingressus in Societatem;

4 Cum in artem rhetoricam tanta ingenii sui commendatione anno MDCCIII incumberet, animum appulit ad Euangelicæ quoque perfectionis scientiam in Societate Jesu perdiscendam. Verum tum temporis provinciæ moderator graves ob rationes decreverat, anno isto e candidatis admittere neminem, nisi unicum, cui illud addixerat, antequam ita statuisset. Duacum igitur septemdecim annorum adolescens contendit philisophiæ placita auditurus. Hic autem noxios huic ætati scopulos, in quos non pauci impin-
C gunt, non modo declinavit; sed majori periculis se subducendi desiderio incensus, instantius in Societatem nostram, ad quam divinitus se impelli sentiebat, recipi expetiit. Voti compos factus est anno MDCCIV statim atque logicæ addiscendæ finem fecisset : nec ita multo post S. Patris nostri Ignatii festo die alacri magnoque animo tirocinium Mechliniæ ingressus est.

probata virtus in tirocinio :

5 In religiosis familiis usuvenit, ut tirones iis potissimum in rebus exerceantur, quæ conducunt ad alta humilitatis, quæ Parens custosque est ceterarum virtutum, fundamenta jacienda. Guilielmus noster, ut ex teste fide digno accepi, in hac palæstra supra modum vulgarem exercitatus fuit cum non vulgari solidæ virtutis laude. Pietatis ardore, rerum humanarum oblivione, exacta regularum observantia, aliisque, quæ in novitio illustria habentur, inter alios eminebat. Visum tamen fuit Patri, qui nostros tum temporis D religiosæ vitæ rudimentis R. P. Rectoris socius imbuebat, levissima in eo observata delicta durius objurgare, imo innocentem ob nonnulla speciem dumtaxat umbramque delicti præferentia severius punire, idque tam crebro ut omnes summopere mirarentur. Eo forte ille consilio id fecit, ut a vana gloria, quæ in perfectionis studio proficientium animis aliquando obrepit, Cuperum præservaret, vel ut bonitatem indolis probitatemque, quæ frons, oculi, vultus, sermo, externa conversatio sæpe mentiuntur, magis explorata haberet. Forte etiam, quia hæc satis perspecta erant, illum ex omnibus elegit, quem statueret exemplar patientiæ, longanimitatis et submissionis animi, in quod ceteri intuentes ad sanctam accenderentur æmulationem. Utut sit, experimenta probarunt, veras et solidas ejus fuisse virtutes, nec melius aliis imitandum proponi potuisse exemplar quam Guilielmum nostrum. Objectos defectus, etsi poterat, numquam excusabat; eos E excipiebat vultu sereno et ad modestiam verecundiamque ita composito, ut ex eo latentem innocentiam legere potuisses; impositis sibi pœnis alacriter defungebatur; numquam apud alios, illarum memoriam forte renovantes, querebatur; contra se humilitatis qualibet exercitatione gaudere et hanc spirituali lucro se apponere dictitabat. Jacto tam solido virtutis hujus fundamento, quam præclaro aliarum præsidio et comitatu septus Mechlinia ad alia domicilia transierit, pronum est intelligere.

reliqua vita usque ad missionem Castlanam;

6 Tirocinii biennio nondum expleto, missus est Antverpiam physicæ, quam nondum didicerat, operam daturus. Cum ibidem Calendis Augusti anno MDCCVI se Deo ac Societati votis obstrinxisset, cursumque philosophicum anno sequente feliciter emensus esset, Bruxellis et alibi per septennium pietatem et litteras studiosam juventutem edocuit, nostris et externis industrium ejus zelum, quo curæ suæ commissorum profectum promovebat, collaudantibus. Eo tempore, F quo hoc munus impigre obibat, magnam in re historica notitiam sibi comparavit : nam cum esset ingenio legendi discendique percupido, subsecivis horis bibliothecas perscrutabatur, libros pervolvebat, ex quibus selecta litteris vel memoriæ mandabat, iisque tempore et loco opportuno utebatur summa cum audientium voluptate. Divinarum rerum scientiam didicit Lovanii, cui cum tribus annis felici successu studuisset, primitias ibidem Deo obtulit, sacerdos Mechliniæ consecratus XVIII Septembris anni MDCCXVII. Elapso Theologiæ quadriennio, humaniora anno uno docuit Casleti, Flandriæ oppido, et simul laboribus apostolicis agrum vicinum magno cum fructu excoluit.

7 Præ manibus habeo pium libellum, quem in usum suum junior conscripserat. Inter gratias, quas in prima oratione

quam dum obit, ad Indos mitti petit; sed R. P. Provincialis

oratione matutina à Domino petit, postrema est, ut tandem *per martyrii palmam* ad illius fruitionem pervenire mereatur. Ex quo colligere licet, cum infidelium terras adeundi et martyrii subeundi cupiditate anto missionem Casletanam flagrasse, sed Superiores ingentis desiderii explendi copiam hacteuus nnn fecisse. Hoc certum est, quod, cum Casleti anno MDCCXIX strenuum missionarium ageret, ardentissime expetierit, ut sibi liceret ultimis in Indiis barbarorum saluti reliquam vitam consecrare. Verum, divina ita disponente providentia, ejusdem anni die ultimo ad dissimiles plane labores pertractus fuit, et ab hominum quasi luce in musei nostri latebras translatus. Casleto sub autumni initium Liram venerat, ubi nostri tertia probatione primos religiosæ vitæ spiritus, si forte docendo discendove deferbuerint, instaurant. Cum hic Deo sibique uuice vacaret, seque illis muniret virtutibus, quibus instructi sint oportet, qui in missionibus trans-
B marinis versantur, mors P. Franciscum Baertium nobis sustulit, hemiplexia P. Conradum Janningum ad studia inutilem reddidit. Patres hagiographi dispicientes, quem in laborum partem præ reliquis vocarent, elegerunt P. Guilielmum nostrum, quem in omni genere humanioris eruditionis apprime versatum, indole commoda, memoria fideliter quævis retinente, judicio maturo, ingenio maximis difficultatibus perrumpendis pari, necnon corpore laboribus diu protrahendis apto donatum esse ex fama perceperant. Hunc ergo a provinciæ moderatore sibi concedi postularunt, atque impetrarunt.

et PP. hagiographorum desiderio obsecutus, ad museum nostrum

8 Cum intelligeret P. Cuperus, desiderium et consilium R. P. Provincialis necnon PP. hagiographorum esse, ut scribendo potius quam agendo Ecclesiæ prodesset, facile obsecutus est. Noverat nimirum, constantiam in proposito, de re utcumque pia concepto, veram virtutem non esse in religiosis hominibus, qui,
C sua abnegata, alienæ voluntati se subdiderunt, nisi conjunctam habeat sanctam illam indifferentiam, qua se non ipsi determinant ad hanc potius vel illam fun- D
ctionem obeundam, sed se determinari sinunt ab iis, quibus subsunt. Vere autem indifferentibus, præcipue in re, quæ imperari non solet, sufficit suasio, consilium, denique omne id, quod Superioris voluntatem, quæ pro divina haberi debet, quocumque modo manifestat. Horum obedientia, quia perfectior, plus certe habet meriti quam aliorum quorumcumque: quo ne fraudaretur P. Guilielmus, non in operosa actione, quod ipsi, sed in quieta scriptione, quod Superioribus præplacebat, vitam exigere elegit. Dona, quibus natura eum dotaverat, in latissimis Indiarum campis magis quidem actuosa exstitissent, quam in musei nostri angustiis, sed nescio an Ecclesiæ magis utilia; quod hæc continuum studium, industria, atque natura ipsa ad eruditum otium magis comparavisset: quam ob rationem et Superiores desiderarunt, ut illi potius se daret.

accedit, ubi primo in usum suum pium libellum conscribit.

9 Patribus hagiographis adjunctus primum tempus et studium impendisse videtur iis conscribendis, quorum observatione ipse sanctitatem consequeretur, qui Sanctorum Vitas erat illustraturus. Hunc in finem ex piis opusculis varia apophthegmata sacra, et leges Instituto nostro et munerisuo congruas scripto excerpsit, ad quæ vitam deinde suam componeret. Ex iisdem quoque selegit orationes et breviores affectuum formulas ad voluntatem accendendam mirifice elaboratas, ac commodatasque iis excercitiis spiritualibus, quæ sacerdotium et religio statis temporibus exigit. Plus hic libellus, in quo multa occurrunt, quæ insignem ejus pietatem plurimum commendent, in fronte scriptus notatur anno MDCCXX, qui primus fuit ejus apud nos commorationis. Quod eumdem dein frequenti et forte quotidiana manu versarit, decolor satis charta manifestum facit. Decima quinta Augusti memorati anni solemnem quatuor votorum professionem edidit. Nunc ad labores ejus litterarios transeamus. F



CAPUT

A D

CAPUT SECUNDUM.

Ejus lucubrationes.

§ I. Acta S. Jacobi majoris apostoli ; Historia chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum ; Commentarius Actis S. Dominici prævius, qui vindicatur.

Commentarius de S. Jacobo majore apostolo, cujus prædicationem

Insignia, quæ reliquit ingenii monimenta, undecim tomi exhibent, e quibus quinque priores ad Julium, reliqui sex ad Augustum spectant. Ex his primo loco B recensebimus, quibus singularem eruditionis laudem promeruit. Hæc imprimis debetur Commentario historico, qui exstat tomo vi Julii, de S. Jacobo majore apostolo. Duas eum in partes divisit, quarum prima multa eruderat, explanat et discutit de Sancti cultu, Actis, martyrio, corpore, reliquiis, gloria posthuma, patrocinio et stupendis miraculis. Palæstra ac tempus martyrii, corporis translatio Compostellam, quod et alia loca nunc sibi vindicant, ejus caput variis ecclesiis attributum, litibus, gravioribus ansam præbuerunt, quas ipse magno judicio componit vel pro alterutra parte dirimit. Secunda pars in octodecim secta paragraphos, tota est de S. Apostoli prædicatione in Hispania, quæ ex SS. Patrum, aliorumque veterum testimoniis, ex antiquis Officiis et Martyrologiis insigniter stabilitur : argumenta vero multa et difficilia, a dissidentibus, objecta, abunde solvuntur. Huic disserta- C tioni subjicitur Appendix de Cæsaraugustana Deiparæ imagine, quæ ab eodem Apostolo erecta traditur.

Hispanicum contra R. P. Michaelem a sancta Maria propugnat :

11 Elapsis aliquot mensibus ab edito tomo vi Julii Cupero in manus venerunt duæ dissertationes R. P. Michaelis a sancta Maria, sacræ theologiæ magistri, ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini, contra Hispanicam S. Jacobi prædicationem, quarum postrema, cui titulis *Vox veritatis*, adversæ parti acriter respondet, suamque in priore assertam opinionem novis argumentis confirmare conatur. P. Guilielmus controversiæ, magna animorum contentione in Lusitania agitatæ, inscius se immiscuerat : nam eam ibi tantopere fervere non audierat, nisi postquam Acta S. Jacobi typis excusa essent, ab excellentissimo domino Didaco Mendoça Corte Real, qui ex Hollandia, ubi cum summa prudentia fama ac laude legationem pro potentissimo Lusitaniæ rege obicrat, Ulyssiponem rediturus museum nostrum præsentia sua honoravit. Itaque contra R. P. Michaelem pro Hispanorum traditione Vindicias fibi scribendas duxit, quas ad calcem ultimi E tomi Julii lector adjectas inveniet. His autem laudato patri tam cumulate satisfecit, ut ei nihil plane debuerit.

honorificum testimonium R. P. de Sousa.

12 R. P. Emmanuel Cajetanus de Sousa, Clericus regularis, regi Lusitaniæ a consiliis etc. grande volumen pro S. Jacobi in Hispaniam expeditione ante Cuperum in lucem emiserat Ulyssipone anno MDCCXXVII. Dein hujus prima lucubratione perlecta, ejusdem argumenti volumen alterum, complectens tres Appendices ad primum, ibidem quinquennio post typis vulgavit, in quo variis locis de P. Guilielmi eruditione honorificam facit mentionem. Numero MMDCXXI hæc habet : *Solutionem* (argumenti à Baluzio lib. IV Marcæ Hispanicæ objecti) *acceptam referimus reverendissimo patri Guilielmo Cupero Societatis Jesu, sapientissima critico, et in re historica versatissimo: unde ei contigit omnium* F *optime et validissime probare expeditionem Hispanicam S. Jacobi, et diligentius profligare argumenta, quæ illi expeditiani oppasuerat Natalis Alexander.* In Propylæo ad tomum II scribit allatas sibi fuisso Cuperi Vindicias contra R. P. Michaelem, cum illius index ultimus jam sub prelo esset. Testatur ibidem magnopere sibi placuisse *aureum illud Opusculum,* quo *invictum se exhibet veritatis vindicem sapientissimus P. Cuperus.* Hujus Vindiciis in synopsim contractis, ita pergit : *Sed post geminam illam nervasissimam lucubratianem R. P. Cuperi pra prædicatione Hispanica sancti Jacobi neque ego, neque Hispani egemus aliis ulterioribus sancti Jacobi vindiciis ; tam fortiter feliciterque defendit castra nostra Ductor ille maxime strenuus, hastilia tela summa retundens dexteritate. Illud tantummodo optandum esset, ut illa duo Opuscula seorsim ederentur*

a

A *a magnis voluminibus separata* (edita seorsum sunt, quæcumque de S. Jacobo scripserat, Vindiciis exceptis) *et in Lusionum Hispanumque sermonem transferrentur, ne vernaculo libello, qui VOX VERITATIS inscribitur, Latinæ linguæ ignari deciperentur.* Alias quas de illo prædicat laudes, non adfero; quia immodicæ sunt. Hoc unum vitio vertimus R. P. Emmanueli, quod sententiæ suæ patronos extollat nimium, ab ea dissentientes nimium deprimat, et æquo durius tractet, Verba tamen ejus alleganda censui, quod Cuperi lucubrationes aliis omnibus, imo et suæ præferre videatur, neque ullis amplius vindiciis immemorabilem Hispanorum traditionem indigere affirmet. Hujusmodi testimonium non tulisset de uno e continuatoribus Bollandiani Operis, quos sibi adversos in tomi II Appendice secunda identidem *morosos criticos* cum contemptu appellat, nisi plane convictus judicasset, P. Guilielmum illo super argumento omnium optime disseruisse. B

Historia chronologica de patriarchis Constantinopolitanis: Operis novitas et utilitas.

13 Frontem tomi primi mensis Augusti occupat Tractatus præliminaris de patriarchis Constantinopolitanis, quem et seorsum edidit ac illustrissimo præsuli Gandavensi Joanni Baptistæ de Smet dedicavit. Opus hoc non tantum numeris omnibus absolutum est, simodum et artem spectes, quibus elaboratum est; sed etiam ob argumenti novitatem summamque utilitatem singularem laudem meretur. De ejus novitate ipse suam Præfationem ad lectorem exorditur. Nominat ibidem aliquos, qui historiam præsulum Constantinopolitanorum edere promiserant, sed cum hactenus nihil præstitissent, se calamum arripuisse scribit. Id autem negotii credidit sibi potissimum dari, ut chronologicam antistitum Constantinopolitanorum seriem ordinaret. Ne tamen tetricum solius chronologiæ examen lectori tædium adferret, plerumque ex scriptoribus synchronis aut saltem ætati rerum gestarum vicinioribus, Chronotaxi historiam breviter immiscuit, et C occurrentes nonnullas quæstiones polemice discussit. Sic sanctitatem Attici patriarchæ ab accusationibus Tillemontii vindicare conatus est. Sic etiam occasione S. Macedonii atque Euphemii præsulum Constantinopolitanorum audax quoddam et Quesnellisticum ejusdem Tillemontii effatum variis argumentis expugnavit. Sic denique propter excommunicationem et absolutionem, quæ in schismatica Græcorum ecclesia etiamnum prodigiosam efficaciam plerumque habere dicuntur, contra Jacobum Goar et Nicolaum Comnenum Papadopolum fusius disputavit. Insuper opportunitate oblata, Operi suo alia inseruit parerga, quibus historiam elucidaret, occurrentia dubia dissolveret, aut adversus hæreticos et schismaticos Ecclesiam catholicam supremamque Pontificum auctoritatem communiret. Quoniam vero objici poterat in Menæis impressis aliisque Græcorum Menologiis D patriarchas aliquot schismaticos honorifice celebrari, in parergo peculiari clarissime demonstravit, ac sæpius per per Operis decursum lectorem monuit, Menæa excusa et similia recentiorum Græcorum monumenta quosdam sanctitatis titulo plane indignos annuntiare. Ex his abunde colligitur summa Operis utilitas. Si lector distinctiorem ideam plenioremque notitiam de tota ejus symmetria rebusque, quas tractat, habere desiderat, ipsam Auctoris Præfationem pervolvat et parergorum indicem, quem loco postremo Historiæ suæ chronologicæ attexuit.

Acta S. Dominici, de cujus nobilitate quia nihil certi statuit,

14 Idem tomus primus Augusti exhibet Acta S. Dominici, RR. PP. Prædicatorum patriarchæ. Hujus admiranda gesta, uti numero, magnitudine, ac varietate excelluerunt, ita operosiore Commentario sibi il- E lustranda esse existimavit. Summa rerum capita, quæ de celeberrimo illo Sancto referuntur examinanturque, non recenseo quoniam numero nimis multa sunt, et magna ex parte eruditis nota. Hoc universim dico, P. Guilielmum nostrum hic (quidquid alii contradicant) omnia præstitisse, quæ a diligente collectore, prudente critico, verique amante historico exspectari possunt. Vix Acta magni hujus Patriarchæ lucem aspexerant, quin in vulgus spargi cœperint epistolæ anonymæ, calamo virulento scriptæ, in quibus quot fere verba, tot dicteria et calumniæ occurrunt contra Cuperum, ejus socios atque ipsam Societatem. Pudet hic ea referre, at proferre magis auctores pudere debuisset, qui ejusmodi scriptis nihil aliud præstant quam sui judicii inopiam, et nulla de causa maledicendi pruritum non sine scandalo orbi palam facere, sibi suorumque nomini magis infesti quam nostro. F

dubium depositurus, si ex antiquis monumentis probetur,

15 Bilem illorum maxime accenderat Commentarii paragraphus IX, ubi inquiritur, an Sanctus ex nobilissima Guzmanorum familia oriundus fuerit. Postquam ostendisset Cuperus neque apud auctores synchronos et suppares, de S. Dominico ex professo scribentes, quorum bene longum texit catalogum, neque in antiquioribus ullum exstare vestigium de illius nobilissima prosapia, tandem ita concludit num. CXLIX: *Cum, teste Echardo* (cujus verba, S. Francisci Borgiæ progenitores ex vili homine natos asserentis, paulo ante dederat) *otiosi vanique hominis sit, falsam Sanctis nobilitatem affingere, et lividi, veram iisdem abrogare, utrumque hoc vitium evitare cupientes, nihil certi de genere S. Dominici statuimus. Quinimo libenter fatemur, argumentum nostrum maximo ex parte esse negativum, quod nihilominus sæpe vim suam habet, ut plures viri eruditi demonstrarunt. Attamen hoc genus argumenti plane corruit, quando aliunde ex genuinis et antiquis monumentis res aliqua probari potest*

A *potest. Propterea omnem lapidem movimus, ut RR. PP. Prædicatores authentica hujus nobilitatus testimonia nobis communicarent : jam enim a tribus annis et eo amplius publica epistola, quæ Memoriis Trivultianis anno 1729 Gallice inserta est, exactam S. Dominici genealogiam expetiimus.* Numero sequente adfert duplicem ejusdem Echardi locum, ubi mentio fit de nobilitate Sancti Guzmanica, probata per Andream Ferrer Valdecebro, sed nondum typis edita. Dein ita pergit : *Sed cum editionis hujus videndæ exigua et remota spes esset, præter alia studia in istum finem collata, statim R. P. Priori Prædicatorem conventus Antverpiensis hos ipsos Echardi textus assignavi, ut jussu reverendissimi Magistri Generalis totius Ordinii ex his Operibus posthumis et anecdotis quædam argumenta pro nobilitate S. Dominici impetrarem; at licet laudatus R. P. Prior paginas assignatorum textuum tunc coram me in pugillares suos referret, et sic non* B *parvam petitionis obtinendæ spem faceret, tamen post moram duorum annorum nihil hactenus accepi.* Paragraphum hæc verba finiunt. *Quod siquis Guzmanicam S. Dominici nobilitatem antiquis ac genuinis instrumentis probaverit, jam inde omne dubium circa illam deponimus, et raram omnium veterum biographorum taciturnitatem deinceps tantummodo mirabimur. Quo autem ea testimonia fuerint plura et certiora ; eo erunt nobis gratiora; maxime tamen placuissent eadem, si tempestive fuissent subministrata, quandoquidem iis instructi claros S. Dominici natales etiam in hoc Commentario intrepide asserere potuissemus.*

anonymis et injuriosis epistolis immerito appetitur, quas contemnit :

16 Cum mihi non liceat hic apologiam scribere, Cuperi verba allegavi, quorum vel sola lectio sufficit, ut quilibet æquus arbiter convincatur, eum nullam dedisse causam, ob quam quis merito ei succenseat. Adversam partem ad rei historicæ et artis criticæ peritos provoco : hi dijudicent, an quidquam temere, imprudenter, C aut minus honorifice de Sancto scripserit, vel alia de causa se dignum reddiderit iis opprobris, quibus a famosarum epistolarum auctoribus tam immisericorditer exceptus fuit. Dum insulsas illorum satyras contemnit Cuperus, et in Acta Sanctorum promovenda incumbit, anonymus quidam non indoctus, qui se Germano-catholicum nominavit, rei indignitate commotus, calamum strinxit, duasque pro Cupero edidit Apologias, acriori quidem stylo quam vellemus, sed eu simul argumentorum pondere, ut ineptis declamatoribus silentium imposuerit.

R. P. Touronum ob moderatum stylum responsione dignum censet : instrumenta Bononiensia fictitia :

17 Prodiit tandem MDCCXXXIX Parisiis pro Guzmanico S. Dominici stemmate Dissertatio critica, auctore R. P. Antonio Touron Dominicano, quem ob moderatum et urbanum stylum Cuperus responsione dignum censuit. Modestam edidit anno proxime sequente, qua illius objectiones omnes tam nervose refelluntur, ut quicumque, omni deposito partium studio, D eamdem pelegerit, fateatur necesse est, P. Guilielmum sufficientes habuisse rationes, cur de S. Dominici nobilitate Guzmanica nihil certi statuerit. Innititur potissimum R. P. Touronus documentis Bononiensibus, quæ Alexander Macchiavellus anno MDCCXXXV vulgaverat. Operæ pretium est legere examen, quod Cuperus de illis instituit : ex illo discet lector, quanta cautela necessaria fit in instrumentis, quæ toti antiquitati ignota fuerunt, pro genuinis admittendis. Hanc si adhibuisset R. P. Touronus, non tam facile deceptus fuisset, neque fictitia monumenta Bononiensia vera et authentica, esse credidisset. In alicujus impostoris cerebro ea fabricata fuisse Cuperus ob rationes, quas adfert, vehementer suspicabatur : at post ejus mortem ex variorum litteris intelleximus, jam non amplius in Italia dubitari, quin revera sint supposititia.

alia typis vulgavit R. P. Bremondus, post Cuperi mortem ad nos perlata,

18 Non modo tribus annis ante editionem Comentarii in Acta S. Dominici, sed et in illius paragrapho IX (Vir veritatis detegendæ et pacis conservandæ studiosissimus expetieret a PP. Prædicatoribus documentorum, siqua haberent, communicationem, ut sublato omni dubio Guzmanicam S. Patriarchæ nobilitatem tamquam certam intrepide asserere posset. Eadem postulatio in qualibet Synopsi, tomum in lucem emittendum prænuntiante, quamdiu vixit, iterata fuit. R. P. Antonius Bremond, sacræ theologiæ magister ejusdem Ordinis, ut illius desiderio plenius satisfaceret, Romæ anno MDCCXI edidit *Historicam demonstrationem de Guzmana stirpe S. Dominici.* Hanc serius ad nos perlatam non vidit P. Cuperus : summopere ei placuisset, si legere potuisset : nam varia monumenta, magno labore collecta et pulcro ordine digesta, suæ lucubrationi inserit, in qua dignam religioso viro moderationem ubique servat. Antequam hanc vulgaret, nondum viderat Cuperi dissertationem, F quam contra R. P. Touronum sub finem vitæ conscripserat. In hac satis ostenditur, instrumenta aliqua quæ allegavit R. P. Bremondus, nihil plane evincere ; sed et hic aliqua etiam produxit, quæ illum latuerant. Quoniam autem prudentes historici non statim acquiescere solent monumentis ab adversa parte prolatis, et sine prævia eorumdem inquisitione definire istius rei certitudinem, de qua antea ob mirabilem scriptorum æqualium vel fere æqualium taciturnitatem non immerito dubitarant; nemo ægre ferre potest, si nos, quos obtrusa monumenta Bononiensia cautiores reddere debent, judicium nostrum suspendamus, donec ea, quæ allegavit R. P. Bremondus, discussa et ad criticæ regulas exacta fuerint. Siquis. hoc negotii opportuno loco et tempore aliquando suscepturus, illa compererit esse convincentia, laudato sacræ theologiæ magistro gratulabimur probatam Sancti nobilitatem, quæ

A quæ hactenus conviciis magis et fictitiis instrumentis, quam solidis rationibus et idoneis testimoniis defensa fuerat.

una cum libello alterius cujusdam, falsum titulum præferente, nempe Cuperum

19 Post Cuperi mortem et alius libellus ad nostras manus pervenit, Venetiis in lucem, quam melius numquam aspexisset, datus anno MDCCXXXVI sub nomine Caroli Antonii Plantamura. Si vera referant litteræ, ex Italia acceptæ, auctor illius fuit R. P. Daniel Concina, Ordinis S. Dominici strictioris observantiæ. Ut hominis ingenium, velut ex ungue leonem, cugnoscas, satis est libelli titulum transcribere : *Commentarius historico-apologeticus in duos dissertationes tributus, quarum altera anticriticis animadversionibus refellit ea, quæ ADVERSUS paupertatis disciplinam a divo patriarcha Dominico in suo Ordine constitutam, INTEMPERANTIORE CRITICE, scriptis prodiderunt continuatores Bollandi, in Commentariis, nuper in Acta ejusdem Patriarchæ editis etc.* Cuperum hæc feriunt

B qui § XXXIV agit de quæstione Minoritas inter et Dominicanos controversa, an scilicet horum Fundator interfuerit Capitulo Storearum, et exemplo S. Francisci arctiorem paupertatem amplexus fuerit. Partis utriusque argumentis expensis, litem indecisam relinquit. Verba accipe: *Cum tamen antiquitas istorum Mss. codicum* (quorum auctoritate Minoritæ maxime nituntur) *nobis hactenus ignota sit, certo decidere non audemus litem illam, inter Prædicatores et Franciscanos agitatam, quæ in Actis S Francisci poterit ad examen revocari. Interea Prædicatoribus incumbit ostendere, Speculum istud Vitæ S. Francisci perperam coævis sodalibus ipsius adscribi, aut saltem memoratam relationem ei, aliisque vetustis scriptoribus postea insertam esse: Franciscanis vero legitime probandum est, illam ipsam narrationem in veteribus Mss. ac fide dignis codicibus inveniri, ut de veritate alterutrius opinionis plane constet. Quod si collegæ aut successores mei tunc certiora*

C *illa documenta pro alterutra parte acceperint, vel alia inter biographos S. Francisci detexerint, illos rogatos volo, ut conjecturas meas confirment, aut liberrime refellant, si a veritate aberrare videantur.*

scripsisse adversus paupertatem, a S. Dominico in suo Ordine constitutam.

20 Nunc æquum lectorem rogo, ut libelli titulum conferat cum Cuperi verbis et toto, si lubeat, paragrapho XXXIV. Controversiam in medio relinquit, ulterius ejus examen differens ad IV Octobris; exigit a Franciscanis ut sententiam suam ex veteribus Mss. ac fide dignis codicibus probent, si velint, ut pro ejus veritate judicium feramus, quando Acta S. Francisci illustrabuntur : nihilominus personatus ille auctor, præoccupatione contra Cuperum vel alia, nescio qua, vehemente animi perturbatione in transversum actus, ipsi Operis sui fronti inscribere non erubuit, quod *ADVERSUS paupertatis disciplinam a divo patriarcha Dominico in suo ordine constitutam, INTEMPERANTIORE CRITICE* scripserit, vel ut in titulis capitis D secundi et tertii habet, quod *Franciscanorum sententiam defendendam susceperit.* Neutri parti addictum Cuperum pro hoste habet. Nec negat nec affirmat Guzmanicam S. Dominici nobilitatem : hostis est, Dominicanorum sententiam oppugnat. Nec negat nec affirmat paupertatem, quam exemplo S. Francisci amplexus fuerit : hostis est, Franciscanorum sententiam defendit. ADVERSUS Dominicanos INTEMPERANTIORE CRITICE utitur. Dixi Satis. Dedi lectori specimen ingenii scriptoris istius, ex quo de toto ejus Opere conjecturam formare possit.

§ II. Ceteri litterarii, aliique museo utiles labores.

Commentarii illustriores quos de Sanctis in tertio,

E In reliquis ejus lucubrationibus referendis hunc modum mihi tenendum duxi. Illos dumtaxat, de quibus mole majores vel exquisitiore eruditione refertos Commentarios scripsit, Sanctos nominabo, breviter addituros ea, in quibus discutiendis et expediendis ejus industria et doctrina magis elucet. S. Joannem Gualbertum, Ordinis Vallumbrosani conditorem, quem XII Julii colit Ecclesia, e Sanctis primum elucidandum accepit. Vel ex hoc ipso, quod de religiosæ familiæ institutore scriptionem exordiri jussus sit, colligere licet, PP. hagiographos de novi Socii eruditione et prudentia in sententiis ferendis opinionem magnam concepisse. Genuinis Sancti hujus Actis, e tenebris nuper protractis, operosum prætexuit Commentarium, qui illis adjunctus CXLVII paginas implet. In hoc gravium auctorum opiniones de serie chronologica Vitæ S. Joannis, necnon de tempore Ordinis ab eo instituti docte refellit, atque alias difficultates non paucas accurate discutit. Ad XIII ejusdem mensis de S. Eugenio F Carthagenensi episcopo, Albigæ in Occitania sepulto, varia examinat, et utrum gentes aliæ aut urbes hunc Sanctum sibi recte vindicent, disquirit. Die sequente Acta dedit S. Phocæ M. et episcopi Sinopensis. Quæstionem, an hic Phocas distinguatur a Sanctis synonymis, P. Sollerius in Observatione ad Martyrologium Usuardinum *silvam spinosam et implexam* vocat. Laboravit in hac expurganda felici conatu : tres hujus nominis martyres verosimilius distinguendos esse ostendit; dein quæ Phocæ Sinopensi episcopo potius conveniant, et multis confusionibus in majorem lucem protulit. Hæ lucubrationes tironis sunt quidem hagiographi, sed veterano scriptore dignæ.

22 Symbolam suam egregie contulit tomo IV Julii typis apparando. Triginta quinque Commentarii, quos ipse de Sanctis elucubravit, plures occupant paginas, quam

A quam reliqui omnes. Ex his imprimis commemorandus venit historico-criticus de Divisione Apostolorum, in quo de modo et anno, quibus hæc facta fuit, et de terris, in quas divisi Apostoli Evangelium prædicaturi migrarunt, erudite disserit. In eo, quem concinnavit de S. Jacobo, episcopo Nisibeno, fuse et solide disputat de Sancti præsentia et gestis in concilio Antiocheno, de scriptis quæ ei attribuuntur, necnon de urbe Nisibena à Persis obsessa et per Sanctum liberata. SS. Ansueri et sociorum, qui Saxoniam illustrarunt, martyrii tempus firmis argumentis contra multos stabilit, atque alia de eisdem curiose indagat. Ad xv Julii quoque spectant SS. Athanasius episcopus Neapolitanus, et Bernardus marchio Badensis : ad xvi SS. Monulphus et Gondulphus episcopi. Trajectenses ad Mosam, de quibus nonnulla traduntur, quæ suspecta esse probat, et B. Ceslaus Odrovantius Ord. Prædicatorum, cujus Actis totius vitæ accuratam chro-
B notaxim præmittit. Nobilem illam Africanorum Martyrum turbam, quos Scillitanos vocant, xvii Julii Ecclesia veneratur. Præclarissimis horum Actis doctam pro more commentationem præfigit. Dissertatio de eorumdem martyrii palæstra et epocha, corporumque translationibus ejus eruditionem præcipue commendant. Religiosi S. Pauli eremitæ, Camaldulenses et Benedictini SS. Zoërardum et Benedictum M., a Polonis et Hungaris cultos, suo quique Ordini adscribunt : re penitius inspecta, postremis favet Cuperus. Dein novum suum systema chronologicum de eorumdem in Hungariam adventu contra omnes egregie defendit. Ad eumdem quoque diem varia observat et explicat de SS. Hyacintho M. in Paphlagonia, Marcellina virgine, magni Ambrosii sorore, Fredegando Antverpiæ incolis et accolis notissimo, et B. Benigno Ordinis
C Vallumbrosani abbate. Die xviii post sanctos Italiæ episcopos Maternum Mediolanensem et Philastrium Brixiensem, S. Arnulphum in Silva Aquilina martyrio coronatum illustrat, quem ab altero ejusdem nominis martyre distinguendum, et ex Turonensium episcoporum catalogo expungendum censet. Causa et executio martyrii S. Frederici episcopi Ultrajectensis ancipitem pridem dedere disputandi materiem, Gallis acerrime contendentibus Juditham reginam non nisi calumniose in invidiam trahi. Partis utriusque argumenta expendit Cuperus, postquam Sancti patriam, vitæ professionem, aliaque sedulo investigasset. Sequuntur magni illius Poloniæ Thaumaturgi B. Simonis de Lipnica, Ordinis Minorum, Vita et miracula numquam antea typis edita. De SS. Justa et Ruffina VV. et MM., quarum corpora variæ urbes in Hispania certatim sibi vindicant, scribit ad diem xix, uti et de septem aliis cælitibus, quos non enumero ; cum proposuerim eos non recensere, quorum res gestæ, monumentorum de- D fectu, brevius sunt examinatæ.

23. Sanctorum, quos complectitur tomus v Julii a *quinto;* P. Guilielmo elucidatos, agmen ducit antiqui Testamenti propheta Elias. De hujus cultu, cui xx Julii consecrata est, non pauca diligenter collegit ; totam vitæ seriem ex textu sacro magna accuratione deduxit ; controversias de Sancti habitu, raptu, loco, in quem translatus est, reditu circa finem mundi, atque alias curiosas quæstiones breviter et dilucide pertractavit. De S. Liberata, alias Wilgeforte V. et M., in variis Europæ partibus culta, tam intricata sunt omnia tamque implexa, ut mirer quomodo exitum ex labyrintheis ambagibus invenire potuerit. Invenit tamen, et hunc in laboriosa sua disquisitione historico-critica aliis primus monstravit. Difficultates, quæ ei superandæ fuerunt, recensere nimis longum foret. Dixisse sufficiat P. Cuperum hic ingenii sui vim in obscuris perspiciendis et confusis discernendis egregio specimine manifestasse. De SS. Euspicio monacho E Miciacensi, ac Vulmaro abbate in Picardia, et B. Bernhardo episc. Hildesiensi non pauca quoque observata sunt. Ad diem xxi Julii de SS. Victoris et sociorum MM. Massiliensium reliquiis et gestis fusius agitur. xxiii celebrem cultum nactus est S. Liborius episc. Cenomanensis et Paderbornensium patronus, cujus Vitæ, a P. Bollando conscriptæ, et variis instrumentis Analecta subjecit Cuperus, queis gloria Sancti posthuma plurimum illustratur. Sequitur lectu digna Sylloge historica de S. Joanne Cassiano abbate. Post Sancti titulum ei assertum, locumque natalem, de quo acriter disceptatur, examinatum, vitam hactenus necdum scriptam ex illius libris operose collegit ; ab hæresi autem, quam nonnulli ipsi perperam impegerunt; ex aliorum Apologiis cum probe vindicavit. Ad xxiv F illius studio elucidatos invenio SS. Wulfhadum ac Ruffinum MM. Anglos, et Segolenam Albigensem, quam a Metensi distinxit. Vita B. Antonii ex Ord. Eremitarum S. Augustini ex verbosa Italica Latine ipsi vertenda fuit atque contrahenda, cum longiori miraculorum serie. Tomum v finiunt Acta prolixa Francisci Solani, Ord. FF. Minorum de Observantia, nuper Sanctis adscripti

24 Tomum vi multum exornant duo insignes Com- *sexto,* mentarii : alter est de S. Jacobo majore apostolo, cujus supra memini ; alter de S. Anna, matre Deiparæ. Quæ de hujus Actis, patria et parentibus traduntur, non satis exacta et sincera esse facile concedit : sed iis, qui negant Sanctam monogamam, et Dei Genitricem filiam ejus unigenitam fuisse, fortiter se opponit. Dein ex variis monumentis demonstratur antiquus ejus in Oriente cultus, qui serius ad nos pervenerit,

A veneril, prodigiosa templi ædificatione in Hispania auctus, inde fortasse ad alias regiones propagatus, innumeris certe stupendisque miraculis quaquaversum diffusus. Inventio corporis S. Annæ in ecclesia Aptensi, atque ejus caput variis locis honoratum, non levi disquisitioni materiem dederunt. Ad XXVII Julii discutiendam suscepit historiam SS. VII Dormientium Ephesinorum, quæ, sive substantiam sive adjuncta, quibus vestitur, spectes, multis tricis implexa est. Die sequente ex variis auctoribus Syllogen texuit historicam de S. Innocentio I, Romano Pontifice, cujus gesta ac doctrinam a multorum calumniis strenue vindicavit. Accedunt ibidem alia, quæ Auctoris ingenium et industriam produnt.

et septimo tomo Julii conscripsit:

25 In tomo VII non exiguo labore ipsi steterunt Acta SS. Lucillæ et sociorum, qui XXIX, et SS. Abdon et Sennen, qui XXX Julii coluntur. De historia illorum martyrii, multis difficultatibus involuta, critici ex pro-
B fesso scribunt, variisque argumentis, ex recondito antiquitatis recessu erutis, eam propugnant vel impugnant. Singula maturo subjicit examini Cuperus, et quid verisimilius sentiendum sit, definit. Lucillæ quoque et sociorum Actis subjunxit Appendicem, in qua obscura non pauca ad posthumam eorumdem gloriam spectantia, majori luce donantur. Ad diem mensis ultimum illustravit S. Neotum, et B. Joannem Columbinum. Præter multa, quæ ad hunc propius spectant, etiam Ordinis Jesuatorum ab ipso fundati primordia, exercitia, habitus, progressus, mutationes, oppugnationes, exstinctio; uti et Jesuatarum monialium institutum adhuc perseverans, origo et leges ordinatæ in prævio Commentario exponuntur.

Sancti

26 Quæ pro tomo I Augusti diligentissimus Cuperus prelo apparavit, circiter DCLX paginas implent: nam præter Tractatum præliminarem de patriarchis Con-
C stantinopolitanis et Commentarium in Acta S. Dominici, de quibus supra actum est, illustriores Sanctos omnes diei III Augusti elucidavit; videlicet Aspreuum, quem quidem, re diligentissime examinata, a S. Petro apostolo Neapolitanis episcopum datum esse concedit, sed non eo tempore, quo illi asserunt, id factum probat; Dalmatium archimandritam et Faustum ejus filium, quorum intricatissimam chronotaxim utcumque explicat; Petrum præsulem Anagnieusem, et Walthenum abbatem in Scotia, temere confusum et multiplicatum, pro cujus gestis ad rectam normam reducendis labori minime parcitum est. Succedit B. Augustinus, Nucerinus episcopus, ex Ord. FF. Prædicatorum. Cœlites præcipui, quibus in tomo II Augusti laborem suum impendit, sunt B. Jordanus Forzate, Ord. S. Benedicti; SS. Cyriacus, Largus et Smaragdus cum sociis MM., quorum annuntiationes in Martyrologiis et Acta non satis cohærentia multis difficultatibus obnoxia sunt; SS. Firmus et Rusticus D
MM.; B. Joannes Firmanus, ex Ord. FF. Minorum; B. Amadeus ex eodem Ordine, pro cujus legitimo cultu et sanctitate contra Bzovium vindicias scripsit; S. Susanna V. et M., de cujus Actorum sinceritate inter magni nominis auctores disceptatur; et S. Clara virgo, prima S. Francisci discipula, quam ut condigne exornaret, nihil prætermisit.

mensis Augusti

27 In tomo III Augusti ejus industria præcipue versata est circa S. Radegundem reginam. Hæc vitam conjugalem cum professione monastica apud Pictavienses in Gallia, vivente marito Clotario rege, commutavit. Perrumpendæ Cupero fuerunt graves circa illud factum difficultates, quæ eruditorum ingenia plurimum hactenus torserunt. Cetera, quæ de S. Regina expedivit, videri possunt in diffuso Commentario, Actis præmisso. Ejus disquisitiones etiam non parum lucis attulere gestis SS. Juniani abbatis, Arnulphi præsulis Suessionensis, Theodori vel Theoduli episc. E
Octodorensis vel Seduneusis, circa cujus ætatem et personam nodus intricatus evolvendus fuit; Hyacinthi Poloni ex Ord. FF. Prædicatorum, innumeris pene prodigiis in vita et post mortem clarissimi; Claræ de Cruce seu de Monte Falcone, quam Ordini Franciscanorum abjudicavit, et Augustinianorum adscripsit; Agapiti M., quem Prænestini colunt, et Rainaldi archiepiscopi Ravennatis. Die XIX Augusti tres SS. Magnos dedit. Multa sane tædia ei devoranda fuere ob implexissimas difficultates circa distinctionem horum Sanctorum.

ab eodem

28 S. Filibertus abbas, B. Bernardus Ptolomæus institutor Congregationis S. Mariæ Montis Oliveti, S. Philippus Benitius Ord. Servorum B. M. Virginis, B. Jacobus Mevanas Ord. FF. Prædicatorum, S. Audoënus episc. Rothomagensis, B. Theodoricus I abbas Andaginensis Acta omnes prolixiora habent, quæ F
Commentationibus præviis et accuratis notis in tomo IV Augusti illustrata invenies. S. Sidonii Apollinaris, celeberrimi Arvernorum præsulis, facta et virtutes ex ipsius fere Sancti scriptis eruta, observationibusque elucidata longo Commentario innexuit. Quæ de SS. Amatore eremita, qui apud Cadurcenses claruit, Privato episc. et M. in Occitania, Hippolyto episc. et M. in portu Romano, et Theona patriarcha Alexandrino tradita accepimus, multis tenebris offusa sunt, quas solita diligentia dissipare conatus est. Præter Sanctos memoratos, in eodem tomo alios XXXVIII numeravi, de quibus Commentarios vel breviores Collectiones scripsit.

illustrati.

29 In tomo V Augusti utriusque Genesii, quorum alter mimus, alter notarius agnominatur, Arcdii abbatis Atanensis et nonnullorum aliorum Cœlitum Actis lucem attulit. Tomum claudit prodigiosa Vita

A S. Rosæ virginis Limanæ, ex tertio Ordine S. Dominici. Pro mensis ultimo, qui nunc prodit, illustria magni Ecclesiæ Doctoris S. Augustini gesta ex purissimis fontibus, ejus scilicet ac S. Possidii coævi scriptis, colligenda ac digerenda susceperat; sed morbo superveniente, Opus perficere non potuit. Huic immortuus est post XXXVII paragraphos elucubratos; in quibus S. Doctoris vitam usque ad episcopatum deduxit: dein gloriosa ejus ad mortem usque certamina contra gentiles et diversi nominis hæreticos conjunxit, atque unum veluti sub aspectum lectori exhibuit. Cetera in episcopatu gesta scriptaque alieno studio prosequenda fuere. Habes, erudite lector, Cuperi lucubrationes, eo modo propositas, qui rudem saltem aliquam notitiam dare possit, quam bene de re litteraria meritus fuerit.

alii labores, quibus museo profuit.

30 Non tantum Sanctorum Actis scribendis Opus sedulo promovit, sed et alios labores suscepit, studiis hagiographicis magno adjumento futuros. Mense Se- B ptembri anni MDCCXXI in Hispaniam profectus est, sacræ antiquitatis monumenta, quæ in regionis bibliothecis vel archivis servantur, lustraturus. Honores peregrino Hospiti delatos, atque alias octo circiter mensium itineris circumstantias hic non attingo. Satis D sit hic obiter indicasse, quod diligens Cuperus in itinere non pauca monumenta manu propria descripserit, quibus hodie cum grata Viri memoria utimur. Ipsius etiam diligentia effectum est, ut librorum musei nostri usus nunc multo sit facilior: etenim non modo operam suam contulit ad supellectilem nostram litterariam in novum et meliorem ordinem redigendam; sed etiam juvandæ memoriæ causa indicem rerum, quas libri bibliothecæ nostræ continent, adeo amplificavit, ut quæ sua ipse manu exarata adjecit, mediam fere illius partem conficiant. Quidquid legebat, cujus notitiam sociis vel successoribus necessariam vel utilem judicabat, accurate annotabat. Cum senilis ætas deficiensque memoria P. Sollerium ad graviores curas minus idoneum reddidissent, in P. Guilielmum translata fuit sumptuum Operi promovendo necessariorum procuratio: quæ quantum laboris et temporis requirat ob annexum onus frequentissimas quaquaversum lit- E teras mittendi, ex decessoris ejus Elogio intelligi potest. Tribus circiter annis et medio provinciam hanc gessit magna diligentia et circumspectione.

CAPUT TERTIUM

Cuperi virtutes et pia mors.

Animi submissio;

Patris Guilielmi virtutes enarraturi, ab humilitate, quæ omnium mater est, initium facimus. In tirocinio, ut num. v dictum est, alta magnæ istius virtutis fundamenta jecerat. Quod hæc numquam defecerint, imo cum annorum numero majus acceperint firmamentum, satis probant frequentia submissi animi indicia, quæ tota vita præbuit, et ab omnibus, qui ei C convixerunt, observata fuere. Tantum aberat, ut ob acquisitam doctrinæ famam animos attolleret, ut potius magis demitteret, lucem splendoremque fugeret, et a laudibus honorumque exhibitionibus abhorreret. Proprii etiam commodi contemptor erat egregius: cubiculi supellex, vestes, ipse totus Cuperus sui ipsius despicientiam spirabat religiosamque, quæ hanc comitatur, paupertatem. Sententiam, cum rogabatur, pronuntiabat quidem, sed modeste, a vincendi et contendendi studio alienus; ea dumtaxat, quæ ad rem quæsitam faciebant, proferens. Ejus quoque humilitatis argumenta sunt æqualis erga omnes affabilitas et obvia benignitas, familiaris conversatio cum infimis quibusque hujus domus, atque alia quæ infra memorabimus. Si ita erga illos comparatus erat, facile est colligere, quo esset animo erga superiores.

32 Virtutes, quarum humilitas parens est, pietatis et orationis studio nutriuntur solidanturque. Fuit hoc in Cupero constans et sedulum. Sic studiis hagiographicis vacabat, ut a consuetis religiosæ vitæ exercitiis nil umquam detraheret. His et illis certum ac definitum tempus impendebat: quod animi bene compositi evidens est argumentum. Meditationem aliaque pietatis exercitia, Societatis nostræ hominibus communia, diligenter obibat horis, per regulas constitutis: Officii ecclesiastici recitationem affixerat medio sextæ F vespertinæ, et medio undecimæ matutinæ: mane circa septimam, et a prandio circa secundam labores litterarios inchoabat, quos protrahebat usque ad tempus, legendis Horis canonicis destinatum. Non ita tamen, (ut id per transennam hoc loco addam) temporis distributioni se adstringebat, quin in gratiam vel obsequium externorum aut domesticorum, vel etiam fessi animi relaxandi causa, studia subinde resumere differret, vel resumpta aliquamdiu intermitteret: nimirum commodabat se studiis non dabat; illa sibi, non se illis submittebat, suimetipsius semper potens ac arbiter. Exercitia S. Patris nostri per octiduum quotannis obiturus, in cubiculum pio apparatu instructum se abdebat; et in sacra solitudine ita perdurabat, ut in Museo numquam nisi raro et brevi tantum tempore conspiceretur. Tenere afficiebatur erga Deiparam Virginem, cujus sertum (Rosarium vocant) paulo ante cœnam sæpe

exercitia spiritualia; pietas in Deiparam.

A sæpe pervolvere visus est: nec est cur dubitemus, quin id quotidie præstiterit.

et S. Dominicum, cujus beneficio gravis morbi evasionem adscripsit;

33 Præter Societatis nostræ Sanctos etiam S. Dominicum impense colebat. Peculiarem hunc sibi in patronum elegerat ab eo, ut credimus, tempore, quo ipsius Acta illustrare aggressus est. Cum hæc inter Cuperi manus versarentur, gravi morbo correptus est, quem herpetem medici appellant. Cum videret in remediis humanis, diu frustra adhibitis, exiguam auxilii spem superesse, ad divina se convertit, et S. Dominici opem cum fiducia imploravit. Non modo varii e nostris illum dicentem audiverunt, quod morbi evasionem, quam illi vix sperare audebant, S. Dominico acceptam referret; sed id etiam Commentario Actis S. Patroni sui prævio inserere non dubitavit: sic enim scribit num. DCCCLXXX: *De memetipso testari cogor, hanc orationem* (a B. Jordano in honorem S. Patris sui compositam) *mihi plurimum profuisse: cum enim in dif-*
B *ficili ac pertinaci morbo, qui me non ita pridem corripuit, eamdem quotidie per duos fere menses magna fiducia recitassem, animum ad tolerandas morbi molestias alacriorem sensi, et paulatim ita vires recuperavi, ut huic Commentario, tunc cœpto, finem imponere potuerim. Etsi in ea re nullum sit miraculum, tamen libens agnosco beneficium etc.*

zelus animarum, studiis hagiographicis impeditus;

34 De divinæ gloriæ propagandæ desiderio, quo incensus missionem Indicam efflagitavit, capite I egimus. Labores hagiographici, apostolicis plane oppositi, illud non exstinxerunt: impediverunt quidem, quo minus exsequeretur ea, ad quæ impellebat animarum zelus; sed non ita, quin hujus aliqua specimina subinde dare potuerit. Quamdiu vivit, Hispanos Italosque, et singulis diebus Dominicis Adventus et Quadragesimæ in variis urbis sacellis pueros puellasve peccata confitentes audivit. Constanter etiam exposititiorum confessiones excepit; quibus et fidei Chris-
C tianæ elementa aliquot annis explicuit. Nec modo primis, quibus ad museum accessit, annis in magno pœnitentium concursu Patribus domesticis præsto adfuit; sed et illorum vices sæpius supplevit, dum excurrit in Cruybeeck Flandriæ pagum, duobus circiter milliaribus nostratibus hinc dissitum, aures præbiturus pœnitentibus, qui ingenti numero ex vicinis locis Dominica III Julii eo confluunt, Communionis generalis, ut vocant, indulgentias lucraturi. Juvandis animabus plures labores impendisset, si eos studia nostra permisissent. Aliquoties dicere auditus est, sibi hæc gratiora fore, si cum illis componi posset. Sed ad ea redeamus, quibus intra domesticos parietes nostris exemplo fuit et admirationi.

virtutes, quibus se omnibus amabilem reddidit; mira sermonis gratia

35 Quæ in communi vita charum quemquam et amabilem reddere possunt, et in aliis divisa cernuntur, in uno omnia Cupero collecta fuerunt. Inimica simulationis fraudisque, et nudæ amica veritatis sinceritas, par erga omnes et minime fucata benignitas, indolis D facilitas, officiosa et prompta de aliis bene merendi voluntas, mentis nulla præpostera solicitudine implicatæ serenitas, festiva hilaritas, quam religiosa gravitas et modestia temperabat, constans et æquabilis vultus animique tranquillitas, mira sermonis gratia, aliaque, quæ hic minutatim enumerare nimis longum foret, omnium amorem illi adeo conciliarunt, ut magis propter illa diligeretur, quam propter eruditionem coleretur. Quamquam omnia, quæ modo memoravi, in Viro fuerint eximia; duo tamen erant; quæ plerique in eo maxime mirabantur. Primum erat singularis verborum gratia. Tenacissimæ memoriæ beneficio in promptu ipsi erant exempla varia et sententiæ diversis materiis accommodata: de quacumque colloquium institueretur, semper e penu suo depromebat aliquid apposite, vel pium quod ædificaret, vel doctum quod erudiret, vel jucundum quod religiose recrearet; idque sermone tam nativo et, nescio quibus, illecebris pleno, ut omnes, eo E capti, a loquentis ore penderent.

et æquabilitas animi; pacis secum et cum sociis acquirendæ studium:

36 Alterum erat, idem semper et æquabilis animus vultusque. Numquam ira adeo commotus, numquam mœrore ita dejectus aut lætitia gestiens visus fuit, ut modum excessisse dici possit: nimirum iracundiam, tristitiam, aliasque animi affectiones, quæ animi tranquillitatem perturbant, rationi subdiderat. Ut Virum ex hoc capite lector penitius cognoscat, nonnullos subjicio versiculos non inconcinnos, quos interius pulpito suo ita affixerat, ut quoties illud aperiret, ejus oculis et menti objicerentur. Has illi leges continent, quas sibi constituerat, ut secum et cum sociis pacem acquireret, vitamque tranquillam in Societate ageret:

Nil aversari; nil exoptare; regentis
Arbitrio sese permittere; munus obire
Impositum; certum tempus dare rebus agendis;
Non hominum dictis turbari; spernere fluxa F
Gaudia; non sese rebus miscere profanis.

Has regulas sibi statuit, ut secum; sequentes, ut cum sociis pacem haberet.

Majorem revereri; æqualem ferre; minori
Parcere; judicium crebro submittere; scire
Plurima; pauca loqui; nullius carpere mores;
Ingenium non ostentare; tacenda tacere;
Non nimis obstringi cuiquam; confidere paucis;
Multa pati, sed pauca queri; facere omnia caute.

Quot præcepta hic numeras, tot me de Cupero virtutes prædicasse existima: ad illa enim vitam suam actionesque ita exegit, ut nullum sit, cujus exsecutio in ipso observata et laudata non fuerit.

invicta patientia in morbis

37 Has virtutes invicta coronavit animi fortitudo in diuturnis duplicis morbi molestiis perferendis. Prior, qui eum invasit anno MDCCXXXI, fuit herpes; cui malo tollendo medicorum industria diu sine fructu insudavit.

A vit. Vehementissima, quæ illi adhibuere ad materiem, morbi causam, corpore expellendam, remedia plurimum exercuere Viri patientiam; sed non vicerunt. Comprimebat hæc familiares ægrotis querelas, gemitusque, atque alias omnes doloris significationes; vultumque ad illam serenitatem componebat, quam in prospera valetudine præ se ferre solebat. Cujus ope ab isto morbo liberatum se crediderit, dictum est num. XXXIII. Patientia æque heroica longa supremi morbi incommoda, mortemque ipsam superavit. Anno MDCCXXXIX altera tibia exonerare cœpit multum humoris per vulnera, quæ hic aperuerat. Graves ea quidem dolores, quæ Virum fortissimum diu torserunt et valde fregerunt; sed mortem attulit ipsa eorumdem ex medicorum nonnullorum consilio tentata sanatio. Causa hæc fuit, quod obstructi humores noxii totum corpus paulatim ita opplerint, ut judicatus fuerit hydrope laborare : qui Virum consuetis morientium præ- B sidiis munitum ad Sanctorum, quos illustraverat, societatem, ut confidimus, transtulit II Februarii anno MDCCXCI, ætatis ejus LV, religionis XXXVII, studii hagiographici XXI completo.

et piissima mors. 38 Quam pius ejus obitus fuerit, ex litteris intellige, quæ eum per provinciam nostris annuntiarunt : *Ut hydropem* (duobus circiter aute obitum mensibus) *expertus est, ad valetudinarium concessit, omnibus prius recte dispositis, et ad mortem religiose obeundam se paravit. Eodem tempore moriturum se dictans, idque certo sibi persuadens, non alio erat vultu, non alio utebatur sermone, animo erat non magis perturbato aut timido,* D *quam esset, qui iter aliquod aggressurus, omnia ad illud necessaria recte disponeret. Cum in valetudinario sederet, (nam lecta decumbere ob gravissimas pectoris angustias non poterat) cum sederet, inquam, acerbissimis pressus doloribus, accedentes excipiebat consueta sibi affabilitate, et verborum gratia : at longioris vitæ spem ingerentes amico refellebat joco, ne quid spe illa detraheret de cura ad mortem se parandi : nam hæc una fere eum habebat sollicitum. Attulerat hunc in finem ad valetudinarium libellos piis precibus refertas, ex quibus sibi varia prælegi curabat per familiarem Patrem. Præceteris ex libello Ms.* (de quo meminimus num. IX) *frequenter repeti volebat orationem ad mortem præparatoriam, qua se ad corporis sui destructionem offerebat tanta verborum energia, mortemque acceptabat tanta affectuum teneritudine, ut oratio illa legi non posset sine lacrymis, licet ipse eamdem et audiret et perderet immota mentis vultusque constantia. Oriebatur eximia hæc animi fortitudo ex insigni de Deo fiducia, quam declaravit toto morbi* E *sui tempore, et vel maxime paucis ante obitum horis. Aliquis ei tunc assidens inter alia pia suspiria dicebat hunc versiculum : IN TE DOMINE SPERAVI, NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM. Cui ille suaviter innuens, repetebat hæc salum verba: NON CONFUNDAR. Tandem, toleratis heroica plane constantia parique patientia morbi doloribus, in festa Purificatæ Virginis, in quam erat piissimus, beatum illorum finem, ut merito confidimus, est consecutus.*

C

F



INDEX

INDEX

SANCTORUM

IN TOMUM VI AUGUSTI

A



INDEX

CHRONOLOGICUS

SECULO I.

SECULO II.

SECULO III.

SECULO IV.

SECULO V.

SECULO VI.

Circa

1637 Solenniter

SECULO XVIII.



A D

AUGUSTI

TOMUS SEXTUS

VIGESIMA SEPTIMA DIES

SANCTI, QUI VI KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Æthiops eunuchus.

S. Narnus ep. conf. Bergomi in Italia.

S Rufus ep. martyr Capuæ in Italia.

S. Euthalia virgo et M. Leontinis in Sicilia.

B S. Marcellus seu Marcellinus tribunus
S. Mammea vel Mamnea, uxor ejus
S. Petrus
S. Chiron
S. Ammon
S. Serapion
S. Joannes
S. Babilas
S. Meletius episcopus
S. Athenogenes
S. Ariston
S. Festus
S. Victor
C S. Susanna
S. Zoilius
S. Domninus
S. Memnon
} Martyres in Ægypto.

S. Rufus M.
S. Carpon, Carponius, vel Carpophorus M.
} Capuæ in Campania Italiæ.

S. Ollius
S. Stephanus diaconus
} MM. Constantinopolitani.

S. Felix M.
S. Arontius M.
S. Sabinianus M.
S. Honoratus M.
} Potentiæ in Lucania Italiæ.

S. Sebastus M.
S. Alexander M. et forte
S. Emerita M.
} Antiochiæ

S. Calixtus M.
S. Cyprianus M.
} in diœc. Rivensi Galliæ

S. Anthusa M.

S. Decumanus eremita M. in Ducatu Sommersetiensi Angliæ. E

S. Pœmen anachoreta in monte Scethi Lybiæ, et in Ægypto. S. Theodorus II, ep. in Vallesia apud Helvetos.

S. Licerius vel Glycerius ep. conf. Consorannis in Novempopulania.

S. Cæsarius ep. conf. Arelate in Gallia.

S. Syagrius ep. Augustoduni in Burgundia.

S. Ætherius ep. Lugduni in Gallia. F

S. Ebbo ep. conf.
B. Gericus, Guericus vel Goëricus
} Senonis in Gallia.

S. Wereufridus presb. conf. in Elst vico Bethuæ in Geldria.

S. Joannes ep. Ticini in Longobardia.

S. Gebhardus vel Gebehardus ep. et conf. Constantiæ in Suevia.

S. Malrubius monachus et mart. in Marnia Scotiæ provincia.

B. Manettus Antellensis conf. in Monte Senario Tusciæ in Italia.

A 1617 *Divione edito, occurrit etiam* Gerardus *sine titulo* sacristæ, *sed* corpore virgo *ibidem vocatus. De illo viro etiam agit Chalemotus.*

Margarita Palatina Rheni, Boiariæ princeps, Roberti Bavari Imp. F., Caroli II Ducis Lotharingiæ conjunx *refertur a Radero in Bavariæ sanctæ volumine tertio pag.* 162 *cum titulo* beatæ, *variarumque ac prorsus illustrium virtutum ejus exposita deinde narratione prolixa, egregiis laudibus prosequitur sanctum lectissimæ hujus Feminæ vivendi modum, ubi et mirabilia inserit, quæ, dum viveret, patrasse narratur.* Obiit XXVII Augusti an. MCDXXXIV, *ex epitaphio, quod ibidem habetur pag.* 170. *Annuntiatur etiam ac laudatur in Gynæceo Arturi: sed cultus publici nullum vestigium invenimus.*

Beatrix de Ribera, tertii Ordinis Minimorum *tamquam* beata *ponitur in Gynæceo Arturi.*

S. Elmerus *(al.* Ermelius *vocatur) a Ferrario Miræo et Castellano annuntiatur hac die: rerum cum publico ac solenni cultu celebretur die proxime sequenti; consulat lector*
B *dicenda ad diem* XXVIII Augusti.

Pelagii Papæ I *sine titulo* sancti, *annuntiatio ponitur a Maurolyco; a Ferrario autem,* Romæ S. Pelagii Papæ primi. *Inter Prætermissos ad diem 2 Martii quæsitum est, cultumne hic habeat, an non; reique decisio remissa ad diem* XXVII *vel* XXVIII *Augusti. Quoniam vero hac die* XXVII *nondum ea reperimus documenta, quibus publica hujus Papæ veneratio, tunc temporis haud satis certa, nunc evadat certior; videbimus die crastina, an alicunde ea se oblatura sint rationum momenta, quæ persuadeant, illum Cœlitibus annumerandum esse,* XXVIII Augusti.

Romæ, natalis sanctorum Hermetis et Basillæ *apud Florentinium scribitur memoria.* Ex aliqua, *prout dicit in notationibus,* dedicatione ecclesiæ, seu cœmeterii eidem communi, hodie venerationem habuisse, ex eo conjectari licet, quod die sequenti Hermes; Basilla vero x Kal. Octobris disjunctim venerentur in antiquissimo fragmento Romani M. apud Bucherium, ut suo loco monstrabitur. *Deinde agit de cœmeterio utrique Martyri communi, eorumque nominibus appellato. Quo-*
C *niam vero in sola conjectura manet Florentinius circa illos Martyres, neque ex sola nominum positione determinari certo potest, an de prædictis, an de aliis synonymis agatur in superiore annuntiatione; mittimus lectorem pro celeberrimo* S. Hermete *ad diem* XXVIII *Augusti; pro* Basilla *autem ad diem* XX *Maii nostri, nec non ad Observationes ad Usuardi nostri Martyrologium isto die. Adde, quod apud Bucherium hoc die* XXVII *Augusti in Indiculo, seu parvo quasi Martyrologio antiquissimo pag.* 268 *sic legatur:* Quinto Kalendas *(Septembris,)* Hermetis in Basillæ, Salaria vetere: *ubi nullam istius Sanctæ festivitatem; sed cœmeterium dumtaxat indicari, extra dubium nobis videtur. Assignamus itaque lectori ad majorem instructionem* XX Maii, XXII Septembris, XXVIII Augusti.

Sanctissimi Juliani martyris exceptio prima reliquiarum Turonis *a die* XXX *Maii inter ibidem Prætermissos in hunc diem dilata est: dictumque tunc ibi fuit, videri hunc esse* Julianum *martyrem Arvernensem, in ejusque festo Acta martyrii in novem lectiones distributa lege in ecclesia et diœcesi Turonensi hac die* XXVII *Augusti. Sed nos eum Martyrologio Romano tractabimus de* S. Juliano *martyre apud Arvernos* XXVIII Aug. D

Æmonæ, sancti Pelagii martyris *sub* Numeriano imperatore.. *annuntiatio exstat apud Galesinium hac die, qua etiam Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum de illo hæc scribit:* Æmoniæ in Istria S. Pelagii diaconi martyris sub Numeriano, ejus diœcesis patroni. *Florarium nostrum Ms. brevissimam* Pelagii martyris *memoriam ponit. Apud Whitfordum vero* S. Pelagius martyr *indicatur in persecutione jam dicti imperatoris; uti et apud Maurolycum, qui* In Acarnania, in civitate Emonia *sub eodem imperatore,* et Euilasio præside *ipsum annuntiat,* quem, *inquit,* Uranius presbyter sepelivit. *Die* XXVIII *Augusti refertur in Martyrologio Romano* S. Pelagius martyr, *(qui Constantiæ ad lacum Acronianum præcipuo quodam cultu honoratur tamquam patronus,) sub eodem imperatore ac judice, qui supra, passus. Ex iis vero, quæ de hoc martyre notata asservamus, orituram videmus controversiam circa locum martyrii; sed illam, ac res alias, quæ ad* S. Pelagium *pertinent, differimus ad diem, quo Constantiensis habetur in Romano,* XXVIII Augusti. E

S. Vicinii episcopi Sarcinæ in Æmilia *memoriam consignat in Catalogo generali Ferrarius ad diem* XXVIII *Augusti, dicens in notis:* Colitur etiam Parmæ die XXVII *hujus. Agemus de illo* XXVIII Augusti.

Vivianus ep. *hac die in nostris ephemeridibus Mss., quas reliquit Bollandus noster, signatur e Kalendariis anonymis. Erit ille, ut suspicor, qui est in Romano* XXVIII Augusti.

Vigilia S. P. Augustini *signatur in Officio Canonicorum Regularium Lateranensium. Colitur* XXVIII Augusti.

S. Gudilæ archidiaconi Toletani *annuntiatio signatur* Toleti in Carpetania *apud Tamayum: qui in notis, sicut alibi assolet, varia de illo refert ex personatis fabulatoribus. Ferrarius ad diem* VIII *Septembris in suo Catalogo generali hæc habet:* In Hispania S. Gutilæ diaconi, *ex Joanne Marieta, quem citat. Videri etiam potest Martyrologium universale Castellani ad eumdem diem. Rogamus, ut ii, quorum interest, suppeditent idonea de publico ejus cultu documenta: quod si fiat, agemus de illo ad diem modo dictum* VIII Septembris. F

In territorio Rivensi in Aquitania S. Vidiani martyris sub Gothis. *Ita hac die Ferrarius, qui in notis locum describens,* Rivi, *ait,* urbs est episcopalis Aquit. inter Tolosam et Convenas 5 L. distans. *Hæc ille. At distincte magis Baudrandus:* Rivi, Rieux, urbs Galliæ satis parva in Occitania superiori, episcopalis sub archiepiscopo Tolosano, ad Garumnam fluvium, ubi Rizam fluviolum recipit, in limite Vasconiæ et Conseranorum *etc. Ferrarius in eisdem notis cultum prædicti Sancti probat* Ex Tab. illius eccles. Locus MARTRES dicitur, ubi in propria eccles. colitur. *Sed Saussayus Martyrem hunc annuntiat die* IX *Septembris. Rogamus igitur eruditos Gallos, ut uberiores de eo notitias submittere non graventur ad nos; quod si fiat, conabimur ipsi locum dare in Opere nostro ad diem modo dictum* IX Septembris.

Sancti Niniani episc. et conf. *meminit nostrum Florarium Ms.: sed habetur in Martyrologio Romano* XVI Septembris.

Translatio sancti Lamberti de crypta in altare sanctæ Crucis *memoratur apud Molanum, anno* 1573 *editum, in Additionibus. At Florarium*

A *rium nostrum Ms.* Apud Leodium, *et* S. Lamberti episcopi et martyris *scribit distinctius. De* S. Lamberti *translatione meminerunt etiam Wionus, ac Menardus : quorum hic non apponit* Leodii; *sed ille : neuter* martyris. *Severtius Chronologiæ antistitum Lugdunensium parte* I *in S. Lamberto, hanc, de qua ex Molano egimus, translationem intelligit de isto præsule Lugdunensi ; non autem de Leodiensi. Sed quandoquidem hujus episcopi Leodiensis ac Martyris natalis inscribitur Martyrologio Romano ad diem* XVII *Septembris, poterit tunc inter alia, quæ ad ipsum spectant, tractari de translatione ejus. De Sancto autem Lantberto, uti apud nos vocatur, archiepiscopo Lugdunensi, egimus tom.* II *Aprilis, die* XIV, *a pag.* 215. *Superest, ut lectorem mittamus ad memoratum modo diem* XVII Septembris.

Sancti ac confessoris Liberii PP. Romani *annua memoria notatur apud Græcos in Menæis magnis typo editis. Illum etiam laudat Synaxarium ex Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, apud nos vulgatum ad calcem tomi* I *Augusti. Latini vero eum memorant die* XXIII *Septembris ; quo et nos eum* B *differimus. Exspectet itaque lector dicenda ad eumdem diem* XXIII Septembris.

SS. Martyrum Crispini et Crispiniani *sacra pignora translata dicuntur in Supplemento apud Saussayum hac die, et apud nos ad diem* V *Aprilis. Coluntur in Romano* D XXV Octobris

Romæ passio Nemesii diaconi et Lucillæ filiæ ejus, qui capitis plexione, jubentibus Valeriano et Galieno consulibus, ob confessionem Christi sine audientia perempti sunt. *Annuntiatio est inter auctaria sub Flori nomine ad Martyrologium Bedæ ; prout apud nos editum est ante tomum* II *Martii. Inter Prætermissos ad diem* XXV *hujus mensis dilati sunt ad* XXXI Octobris.

S. Rufus episcopus Metensis *indicatur in auctariis ad Usuardum nostrum hac die. Est in Romano* VII Novembris.

Apud Nolam, sancti Felicis episcopi, sub Marciano præside, cum aliis triginta martyrizati, *sicut inter auctaria Usuardina dicitur e codice Bruxellensi. Præsulis illius natalis etiam habetur in Appendice ad Martyrologium Adonis, sed absque titulo martyris, ac Sociis. Colitur in martyrologio Romano una cum dictis sociis martyribus* XV Novembris.

In Monte Syna elevatio, sive translatio corporis E sanctissimæ Katherinæ, virginis et martyris *habetur in nostro Florario Ms. Colitur hæc Sancta* XXV Novembris.

Translatio SS. Saviniani et Pontentiani martyrum anno salutis DCCCXLVII *in Ms. nostro Florario signatur. Spectant ad diem, quo in Martyrologio Romano exstant,* XXXI Decembris.

DE S. ÆTHIOPE EUNUCHO PER S. PHILIPPUM

DIACONUM BAPTIZATO

SYLLOGE

J. P.

Cultus apud Græcos ; historia sacra variis observationibus elucidata elogia Patrum; locus ac tempus.

C F

ANNO CHRISTI XXXIV VEL XXXV.

Cultus e Fastis Græcis

De *publica hujus Viri veneratione apud Græcos faciunt nos certiores eorumdem Fasti sacri, qui illum tamquam Sanctum hodierna die annuntiant. Menologium enim ab Henrico Canisio editum ex Latina interpretatione Cardinalis Sirleti, ita eum refert :* Natalis S. Æthiopis Eunuchi a beato Philippo diacono baptizati. *In Menæo Chiffletii sunt ista :* Εὐνούχου βαπτισθ. ἀπὸ Φιλίππου. *Id est :* Eunuchi baptizati a Philippo. *Quibus addi possunt Menæa magna Græcorum impressa, in quibus scribitur* Æthiopis eunuchi baptizatio per S. Philippum, *et additur duplex versiculus Græcus, quem more nostro sic reddimus Latine :*

Ἀνὴρ ἐλέγχει τὴν παροιμίαν σπάδων·
Λευκαίνεται γὰρ καὶ πεφυκὼς Αἰθίοψ.

Parœmiæ dictum arguit vir hic spado :
Hic namque natus Æthiops, fit candidus.

Est in veteri proverbio Æthiopem lavas. Æthiopem dealbas. *Præterea* Æthiops non albescit, Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται. *Id est :* Æthiops non candescit : *ad quod ultimum alluditur hic a poeta : quasi dicat :* Æthiops ; *contra hac dicit parœmia, nativum mutat colorem, et albescit in anima, aqua baptismatis ablutus. De allegatis proverbiis plura scribantur inter Adagia apud Paulum Manutium, anno* 1603 *Ursellis excusa, a pag.* 176, *et a pag.* 992. *Redeamus ad Sancti cultum.*

2 *Apud Ferrarium in Indice, qui post Novum catalogum Sanctorum habetur, sunt ista :* Eunuchus Reg. Candacis x Septembr. in Æthiopia. *Quod ubi invenerit, nos latet : nam in contextu ipsius catalogi ad eumdem diem nihil invenimus de illo memoriæ proditum; nihil item tunc apud Jobum Ludolfum in Fastis sacris ecclesiæ Æthiopicæ pag.* 427. *Sed quandoquidem annua ipsius memoria notatur in Fastis; quos protulimus ; judicamus ei locum deberi hac die in Opere nostro. Papebrochius noster ad diem* VI *Junii, tomo* I *ejusdem mensis, pag.* 618 *et sequentibus tractavit de S. Philippo, uno ex septem primis diaconis, ac de Eunucho per illum baptizato : cui titulum Sancti non tribuit, quia putabat solam ipsius baptismi memoriam haberi in Menæis, uno simplici disticho ibidem expressam hac die. Nam, re necdum tunc matura, ita loquitur :* Atque hæc

et asseritur:

AUCTORE J. P.

hæc eo retuli *(egerat de laudati Eunuchi apostolatu ac martyrio, ex pseudo-Dorotheo, Maffeio, ac Menæis* XI *Octobris)* quod Eunuchi istius baptismus recolatur quidem in Menæis per simplex distichon XXVII Augusti; ipsius autem ut Sancti nulla in totis Græcorum Fastis mentio fiat. *En tibi nunc textum sacrum, in quo ista de eo memorantur in Actibus Apostolorum cap.* 8, ℣. 26 *et sequentibus :*

narratur historia rei gestæ

3 Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge, et vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam : hæc est deserta. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem. Et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo : Accede, et junge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit : Putasne intelligis quæ legis? Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum,
B ut ascenderet, et sederet secum. Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic : Tamquam ovis ad occisionem ductus est : et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus? Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

e sacro textu.

4 Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam : et ait Eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo, Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum : et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. *Hæc textus sacer : cujus pleniore explicatione divinorum eloquiorum interpretibus relicta, nonnulla hic observasse suffecerit pro nostro instituto.*

nonnullis

C 5 *Consideremus itaque primo, quis et qualis fuerit Æthiops iste eunuchus. Augustinus Calmet in Commentario ad Acta Apostolorum cap.* 8, *pag.* 115 *scribit, nomen eunuchi sæpe non significare aliud, quam aulæ principis alicujus administrum; sed phrasim Græcam (quam subdit in notula* Ἀνὴρ Αἰθίοψ εὐνοῦχος δυνάστης Κανδάκης *etc.) potius significare verum eunuchum regni primatum, vel aulæ reginæ Candacis : nos tamen e textu Græco id confici, non satis perspicimus. Et vero apud Cangium in Glossario mediæ latinitatis in voce* eunuchus *sumitur illa vox pro dignitate in palatiis imperatorum, cui erat curæ augustale cubiculum : et pro cubiculario : sed Græce ibidem tales indicantur sub nomine* εὐνοῦχοι, *etiamsi de veris eunuchis seu spadonibus ibi non sit sermo. Cur ergo in textu sacro vox* εὐνοῦχος *verum eunuchum denotat potius, quam eunuchum dignitate, seu principem palatinum? Sunt, qui Æthiopi eunucho nostro, cujus nomen non exprimit textus sacer, perperam applicarunt nomen* Candaces, *quod ipsius erat proprium reginæ. Nam S. Gregorius Nazianzenus tomo* I, *oratione* 40, *quæ est in sanctum Baptisma, pag.* 656 *impressionis Parisiensis anni* 1609 *sic habet :* Philippus sum : esto Candaces. Dic ipse quoque, Ecce aqua, quid me prohibet baptizari. Temporis occasionem arripe *etc. Similis error est in Græcorum Menologio, quod Basilii imperatoris junioris jussu conscriptum prænotatur apud Ughellum tomo* 6 *Italiæ sacræ, ubi col.* 1101 *impressionis prioris dicuntur ista :* Philippus Christi apostolus... obviam factus Candaci eunucho reginæ Æthiopum *etc. Consuli etiam potest tomus noster supra citatus, in quo error idem jam pridem correctus fuit.* D

observationibus.

6 *Consideremus secundo, an et quam professus fuerit religionem Æthiops eunuchus ante felicissimam suam ac mirabilem in Christo regenerationem. Eusebius lib.* 2 *Ecclesiasticæ historiæ cap.* I, *pag.* 40 *editionis atque interpretationis Valesianæ indicat eum fuisse gentilem, sic scribens :* Porro cum salutaris Euangelii prædicatio novis quotidie incrementis augesceret, divina providentia quemdam ex proceribus Æthiopum reginæ in Judæam adduxit.. Qui cum a Philippo cælesti visione admonito primus ex gentibus divini verbi mysteria percepisset, totius orbis fidelium primitiæ factus, inde in patriam reversus. Dei notitiam, et Servatoris nostri salutarem in terras adventum primus prædicasse fertur. *Baronius ad annum Christi* 35 *num.* 27 *hanc opinionem corrigens,* Eusebius.. mea, *inquit,* sententia perspicue errasse videtur, dum hunc fuisse gentilem, et primum ex gentibus baptizatum tradit. Nam (ut ex.. Lucæ Actis apparet) nondum gentibus ad Christi Ecclesiam erat aditus reseratus, qui primo omnium patuit Cornelio Centurioni, ut suo loco dicemus inferius. Porro hunc fuisse proselytum ex gentibus ad religionem Judæorum adductum, cæteri omnes ecclesiastici auctores æque consentiunt. *Multum dicit Baronius, et fortasse nimium, dum dicit* omnes, *ac nullum nominat. Vide Cornelium a Lapide in Acta Apostolorum pag.* 177, *et Tillemontium tom.* 2 *Monumentorum eccles. nota* 3 *in S. Philippum diaconum, pag.* 491. *Quidquid sit, hæc Baronii sententia videtur probabilior, quam Eusebii, Æthiopem hunc fuisse proselytum asserens, non gentilem. Cornelius a Lapide modo citatus eum fuisse asserit Abyssinum :* Unde liquet, *ait,* eum fuisse gentilem genere. E

a nobis

7 *In Vita S. Cypriani per Pontium ejus diaconum conscripta, quæ habetur ante Opera ejusdem sancti Patris, anno* 1648 *Parisiis edita, dicitur pag.* 3 : Ille *(Eunuchus)* et Judæus erat, et de templo Domini veniens prophetam legebat Isaiam, et sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat. *Et vero facile credi potest, quod Judæus fuerit. Nam præterquam quod Judæi tunc temporis ubique dispersi essent; favet huic sententiæ iter ejus ex Æthiopia Jerusalem versus, ut Deum adoraret. Favet item lectio sacra Isaiæ prophetæ; ita ut ex jam dictis concludere nobis liceat, opinionem illam magis accedere ad similitudinem veri, quæ statuit* S. Æthiopem *vel nativitate, vel saltem religione Judæum extitisse, seu proselytum. Cornelius a Lapide hanc vocem exponens in Actorum caput* 2 *vers.* II, Proselyti, *inquit,* est vox Græca προσήλυτοι, *(cujus radix est* προσέρχομαι, advenio;) id est, ADVENÆ vel ADVENTITII, qui scilicet ex gentibus advenientes aggregabant se Judæis, eorumque circumcisionem et sacra capessebant. F

explicato.

8 *Consideremus tertio Æthiopum reginam Candacem, apud quam* S. Æthiops *summa gratia ac dignitate valebat, et de qua textus sacer. Calmetus antea designatus affirmat, Æthiopes, de quibus hic est sermo, esse incolas insulæ vel peninsulæ*

A *Meroës, super et in meridie Ægypti; feminas tunc temporis in illa regione dominatas fuisse; reginas plurimas, quæ Candacis nomen habuerint, ibidem notas; Plinium, et alios varios videri dicere, quod nomen illud ordinarium eis fuerit : hinc creditum fuisse a nonnullis, quod Candacis nomen esset genericum, auctoritatem supremam significans. Strabo lib.* 17, *pag.* 820 *editionis Parisiensis, quæ anno* 1620 *in lucem prodiit,* reginæ Candaces *meminit,* quæ per nostra, *inquit,* tempora Æthiopibus impetravit (*lege* imperavit : *nam in Græco est* ἦρξε) virilis sane mulier, altero oculo capta. *Plinius lib.* 6. *cap* 29 Ædificia oppidi *(Meroës)* pauca esset *refert :* regnare feminam Candaocem, quod nomen multis jam annis ad reginas transiit. *Strabo pag.* 821 Regni, *inquit,* caput est Meroë urbs ejusdem cum insula nominis. *Eusebius supra laudatus suo etiam tempore morem hunc gubernandi obtinuisse sic scribit :* Quippe moris est etiamnum illis gentibus *(Æthiopibus)* muliebri imperio gubernari. *Consonat S. Joannes Chrysostomus homilia* 19 *in Acta Apostolorum tomo* 9 *novissi-*
B *mæ impressionis, pag.* 154; *ubi verbis sacris,* Ecce vir Æthiops eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, *hæc subjungit, non ex more tantum, sed ex lege id factum scribens :* Hinc, *ait,* liquet, illam ipsis imperasse. Nam olim mulieres imperabant, et hæc lex erat apud illos. *Tillemontius, quem supra allegavimus, in nota* 2, *a pag.* 490 *disputat, an Æthiopes semper gubernati fuerint a reginis suis. Quibus referendis supersedemus : cum ea, quæ diximus, abunde sufficiant.*

S. Æthiopem laudant

9 *Consideremus quarto elogia, quibus* S. Eunuchus *laudatur a sanctis Patribus. Prudentiam ejus cum animi demissione conjunctam memorat S. Joannes Chrysostomus loco jam citato ita loquens :* Sed vide quam prudenter se excuset eunuchus : « Et quomodo possim *(in- « telligere)*; nisi quis ostenderit mihi? » Non respexit habitum : num dixit : Tu quis es? Non redarguit, non arroganter loquitur; non se scire dicit, sed ignorare fatetur : ideoque discit. *Et mox discendi cupiditatem ejus commendans, sic pergit idem sanctus Pater :* Monstrat vulnus medico : novit ipsum hæc scire, et velle docere. Vidit illum a fastu esse alienum. Neque
C enim splendidum gestabat vestitum. Ita erat discendi cupidus, et verbis intentus. Illud vero *(Matthæi cap.* 7 ℣ 8) Qui quærit, invenit, in ipso implebatur. « Rogavitque, inquit *(textus sacer)* « Philippum, ut ascenderet, et sederet secum ». Vidistin' studium? Vidistin' desiderium? Rogat, ut ascendat et sedeat secum. Sic nesciebat, quid sibi dicturus esset : sed simpliciter putabat, se prophetiam aliquam auditurum esse. Major autem hic honor est, quod non simpliciter ascendere curet, sed roget.

SS. Joannes Chrysostomus

10 « Accurrens autem Philippus, audivit eum « legentem ». Cursus loquendi cupidum indicat, lectio studii signum est. Illo enim tempore legebat, quo major est solis æstus. Locus autem hic erat : « Sicut ovis ad occisionem ductus est ». Et hoc illius discendi cupiditatis signum est; quod prophetam illum aliis sublimiorem præ manibus habuerit. Ideo non cum vehementia illi narrat, sed mansuete; immo nec prius loquitur, quam interrogatus fuerit, donec ille rogavit. *Quod vero nescierit tarda molimina Spiritus sancti in ipso gratia idem sanctus præsul pag.* 155 *exponit, his sacræ Scripturæ verbis,* Deinde venerunt ad quamdam aquam, et ait : Ecce aqua, *subdens :* Hæc valde ferventis animæ sunt. « Quid prohibet me baptizari »? Videu' ejus desiderium? Non dicit : Baptiza me : neque tacet : sed medium quidpiam inter desiderium et reverentiam loquitur. « Qui prohibet me baptizari »? Vide quomodo absoluta dogmata habuit : nam propheta omnia continebat, incarnationem, passionem, resurrectionem, assumptionem, futurum judicium : quæ ipsi magnum indidere desiderium.

AUCTORE J. P.

et Hieronymus:

11 *S. Hieronymus tomo* 4, *parte* 2 *Operum, quæ anno* 1706 *Parisiis vulgata prænotantur, in lib.* 1 *adversus Jovinianum columna* 156, *masculam ejus fidem laudat :* Spado ille, *ait,* reginæ Candacis in Actis Apostolorum, qui ob robur fidei, viri nomen obtinuit. *In epistola* 50, *secunda ad Paulinum presbyterum loco prædicto a col.* 570 *vitæ ipsius probitatem ac studium religionis indicat :* Ego, *ait,* ut de me E interim loquar, nec sanctior sum hoc Eunocho, nec studiosior : qui de Æthiopia, id est, de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam : et tantus amator legis, divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret. *Et paucis interjectis,* Eadem, *uti addit,* hora credit Eunuchus, baptizatur, fidelis et sanctus est, ac de discipulo magister. *Nec magister dumtaxat paucorum factus est, vel quasi privatus; sed publicus Euangelii præco; qui videlicet, teste eodem S. Hieronymo tomo* 3 *Operum citatorum in Isaiæ caput* 53, *col.* 385, apostolus genti Æthiopum missus est : *idque non sine quodam mysterio : nam, prout scribit idem sanctus pater in epistola* 86 *al.* 27 *ad Eustochium, epitaphio ipsius matris, tomo* 4 *parte* 2 *col.* 675; Cœpit per viam veterem pergere, quæ ducit Gazam.. et tacita secum volvere, quomodo Eunuchus Æthiops gentium populos præfigurans, mutaverit pellem suam. *De ejus prædicatione dedimus superius Eusebium.*

Locus et tempus conversionis ejus.

12 *Consideremus quinto locum et aquam, in quibus S. Æthiops in Christo renatus est, nec non rei gestæ tempus. S. Hieronymus libro de* F *Situ et nominibus locorum Hebraicorum tomo* 2 *Operum col.* 418 *refert ista de loco et aqua :* Bethsur, in tribu Juda, sive Benjamin : et est hodie Berthsorem vicus euntibus nobis ab Elia Chebron. in vicesimo lapide, juxta quem fons ad radices montis ebulliens [ab eadem, in qua gignitur, sorbetur humo.] Et Apostolorum Acta referunt Eunuchum Candacis reginæ in hoc esse a Philippo baptizatum. *In tempore, quo res accidit, fere consentiunt isti auctores. Hanc narrat Baronius ad annum Christi* 35, *cui adde Labbeum in Compendio chronologico : Tillemontius autem in Chronologio ad tomum* 2 *Monumentorum eccles. affigit eam anno Christi* 34. *Eos superius post illos posuimus annum* 34 *vel* 35.

DE

A D

DE S. NARNO EPISCOPO CONF.

J. S

BERGOMI IN ITALIA

SYLLOCE HISTORICA

CIRCA ANNUM LXXV.

Cultus S. Narni certus, gesta fere incerta :

Quemadmodum cultus S. Narni *primi Bergomatium episcopi certus est et indubitatus, ita ejusdem gesta incerta fere sunt, et antiquorum auctoritate destituta. Ejus memoriam annuntiat Martyrologium Romanum ad* XXVII *Augusti his verbis :* Bergomi sancti Narni, qui a beato Barnaba baptizatus, primus ab eo ejusdem civitatis episcopus est ordinatus. *Addit Baronius in notis :* De quo tabulæ ecclesiæ Bergomensis, ex quibus etiam B Galesinius hac die. *Consentit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad eumdem diem; sed longius ei texit elogium, quod ex antiquo Officio deprom̃ptum cum novo etiam Officio concordat. Porro Sanctum coli* XXVII *Augusti ritu duplici, confirmant Officia propria illius ecclesiæ cum antiqua tum nova, ex quibus Officium* S. Narni *infra describemus, quod gesta ejus, ceteris probabiliora, in illo referantur. Verum a quo tempore* S. Narni *festivitas Bergomi cœperit celebrari, non satis constat. Cultum illius non admodum esse antiquum, suspicio esse posset, quia apud præcipuos Martyrologos, quales Ado, Usuardus, ceterique ejusdem fere temporis, nulla de eo habetur memoria. Verumtamen, si corpus ejus anno* 908 *translatum cum S. Alexandri aliorumque Sanctorum corporibus (ut tradunt scriptores Bergomenses, quibus consentit Ughellus in Italia sacra tom.* 4 *editionis postremæ col.* 427, *ubi ait id illatum a B. Alberto episcopo Bergomensi in novam S. Alexandri ecclesiam) necesse est, a seculo saltem* X *reliquiæ ejus in veneratione fuerint apud Bergomates ; indeque verisimile est, festivitatem Sancti jam illo tempore celebratam.*

C

corpus ejus anno 1561 inventum et translatum :

2 *Anno* 1561 *corpus* S. Narni *cum aliis Sanctorum corporibus inventum est in ecclesia S. Alexandri, quæ propter novas urbis munitiones eo tempore destructa est, illatumque in ecclesiam S. Vincentii, cui nomen S. Alexandri deinde datum, ut latius diximus ad* XXVI *Augusti in S. Alexandro num.* 24. *Referuntur hæc in litteris Frederici Cornelii, qui tunc Bergomensi ecclesiæ præsidebat, apud laudatum Ughellum col.* 500 *et seqq. Primum col.* 500 *dicitur sub choro templi locus fuisse subterraneus columnis et fornice suffultus, in quo tria erant sacella totidemque altaria ; in illo autem sacello, quod ad dexteram erat locatum, corpus* S. Narni *servatum fuisse,* irrefragabilibus, *inquit*, memoriis comprobantur. *Deinde inventio corporis sic exprimitur col.* 501 : Altera vero *(ara)* a dextris divo Narno dicata, et arcula pene adhærente in sarcophagi speciem ex lapidibus et cæmento, simili modo sublatis, post perfossum pavimentum, et lapidem, qui subter jacebat, revulsum, solo aliquanto altius excavato, alius lapis detectus, qui, dum levaretur per longum, scissus apparuit. Is contegebat monumentum albo ex marmore longitudinis cubitorum trium, aut eo amplius. In eo erant aquæ limpidæ unciarum trium, et ossa humani corporis, disjuncta quidem inter se, et perfracta calvaria ; cæterum quasi per articulorum ordinem adjacentia aqua circumfusa. Hæc divi Narni reliquiæ antiquis traditionibus perhibentur. *Addit mox col.* 502, *reperta fuisse frusta marmorea, in quorum majori, minusque fracto hæc tantum de* S. Narno *legi potuerint :* Episcopus III Narnus Christi confessor, cujus successor extitit sanctissimus Viator. *Numerus illic positus non significat tertium fuisse episcopum : nam et alii numeri mox sequuntur nihil significantes, nisi forsan linearum distinctionem. Ceterum hæ, aliæque tunc inventæ reliquiæ; honorifice translatæ sunt ad ecclesiam S. Vincentii, hodiedum S.* E *Alexandri dictam, ut pluribus ibi exponitur.*

Vita ejus scripta recentioribus variis.

3 *Vitam* S. Narni *scripserunt recentiores varii Bergomates; at fontes, unde eam hauserint, non assignant. Cœpit Marcus Antonius Benalius Vitam illius Latinam, quam perfecit, ediditque Joannes Antonius Garnerius in Commentariis de Vita et rebus gestis Sanctorum Bergomatium : verum nullus uspiam allegatur auctor antiquus. Eadem fere methodo Italice scripserunt hanc Vitam Marius Mutius in Historia sacra Bergomensi, et Cælestinus ex Ordine Capucinorum in Historia Bergomensi quadripartita tom.* 2, *pag.* 17 *et seqq. Nec desunt alii, qui brevius de* S. Narno *tradunt eadem, quæ ipsi multis verbis et sententiis exornant. Itaque, cum moris nostri non sit recentiorum scripta edere de rebus antiquis, omniaque fere; quæ ipsi scripserunt, legantur in Officio* S. Narni ; *sufficiet ad propositum nostrum hic recitare lectiones secundi nocturni ex Officiis propriis ecclesiæ Bergomensis, impressis anno* 1707. *Hæ autem pag.* 73 *pro festo* S. Narni *ad* XXVII *Augusti hujusmodi occurrunt :*

F

cujus compendium

4 Narnus, opibus, honoribus, et ingenii gloria Bergomi tum floruit, cum sanctus Barnabas apostolus, jactis Mediolani Christianæ fidei fundamentis, ad propagandum religionem Bergomum se contulit. Hujus prædicatione Narnus commotus pervestigandæ Christianæ religionis veritati se dedit. Brevi in ea tantum profecit, ut cum reliquos cives rerum divinarum scientia anteiret, ecclesiæ Bergomatis primus antistes ab eodem Apostolo renuntiatus sit : quod onus etsi subire recusabat, quod se novum in fide humiliter diceret, veritus tamen, ne culpam incurreret, Barnabæ persuasione et hortatu adductus, illud suscepit. *Qua auctoritate nitatur Mediolanensis S. Barnabæ prædicatio, quam incertam aliqui putant, videri potest in ejus Actis tom.* II *Junii pag.* 429 *et seqq.* S. Narnum *primum episcopum Bergomensem fuisse, eumdemque a S. Barnaba constitutum, ex traditione, opinor, credunt Bergomates : at hanc traditionem antiquorum auctoritate nequeo confirmare.*

ex Officio

5 Etsi turbulentis illis temporibus magni erat negotii rudem, et imperitam multitudinem sævientibus maxime persecutionibus, a Gentilium superstitione abducere, paterno tamen Narni studio

A dio omnibus difficultatibus cum apertis, tum clandestinis non solum constanter, sed etiam prudenter occursum est: disparibusque hominum morbis dissimili medicamentorum genere consultum. Itaque cum nascentem ecclesiam Bergomatem, et idcirco infirmam, ac debilem accepisset, fidei disciplina corroboratam reliquit, verique pastoris speciem, quam Apostolus scriptis complexus est, vitæ sanctitate, et doctrina expressit. *Addunt scriptores quidam Bergomales ad gesta* S. Narni, *peregrinatum fuisse in Hispaniam ad sepulcrum S. Jacobi. At illud non modo veterum testimonio destitutum: sed parum quoque verisimile apparet aut credibile.*

recitatur. 6 Cum igitur multos annos magno cum discrimine ecclesiam Bergomatem auctoritate, exemplo, ac pervigili cura sanctissime rexisset: ingravescente ætate Viatorem Brixiensem sibi sufficit: demumque ad Dominum, cui totis viribus inservierat, migravit sexto Kalendas Septembris, ac maximum sui desiderium universæ civitati reliquit. Ac primum in sacello sancti Petri, quod ipse condiderat, sepultus: inde in ecclesiam S. Alexandri, atque ea diruta, in S. Vincentii translatus est. Qua postmodum ex Sedis apostolicæ decreto uni sancto Alexandro dicata, et in antiquæ ejusdem cathedralis locum subrogata, ibi in ara maxima una cum S. Alexandro, et sociis collocatus est. *Sacellum S. Petro structum referunt passim Bergomates scriptores. Vellem addidissent, quo res illa nitatur fundamento. Garnerius in Vita fol.* 10 *mortem Sancti innectit anno Christi* 75: *huic autem alii Bergomates passim, et Ughellus quoque tom.* 4, *col.* 410 *consentiunt. Alii triginta episcopatus annos, alii, iique plures cum Ughelto, viginti tantum attribuunt. Non lubet hisce me immiscere, aut hæc studiosius discutere, cum nulla assignentur monumenta antiqua. Mortem igitur Sancti ex opinione Bergomatium innexui anno* 75.

AUCTORE J. S.

DE S. RUFO EPISCOPO MARTYRE

B E

CAPUÆ IN ITALIA

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

J. S.

Sub finem seculi I. Duo Rufi in ecclesia Capuana hodiedum culti:

Geminum *hac die* XXVII *Augusti* Rufum *Capuæ attribuit Martyrologium Romanum, quorum alter episcopus, alter diaconus fuisse creditur, uterque martyr. Utrumque hodiedum cum titulis memoratis colunt Capuani, diebus tamen diversis, videlicet Episcopum* XXVII, *diaconum cum socio altero* XXX *Augusti. At, cum distinctio duorum* Ruforum *ne ipsis quidem Capuanis semper nota fuerit, atque olim non nisi unus* Rufus *ibidem in veneratione fuerit sine episcopi titulo, non desunt eruditi, qui de illorum distinctione, et de episcopatu* Rufi *Capuani etiamnum dubitent. Horum itaque dubitatio nobis necessitatem imponit disquirendi hoc loco, an revera* Rufus *alter Capuanam rexerit ecclesiam, illeque ab altero* Rufo C *videatur distinctus. Nec modo episcopatus* S. Rufi, *ejusque ab altero distinctio in dubium vocatur: sed alia quoque veniet tractanda controversia, an* Rufus *episcopus diversus sit a* Rufo *patricio, quem S. Apollinaris convertit ad fidem Christianam: namque et hic distinctionem agnoscunt aliqui. Hisce præmonitis, audiamus, quid de* S. Rufo, *episcopo, ut credunt Capuani, et martyre scriptores et martyrologi afferant, ut ex iis utcumque innotescat, quid statuendum videatur de gemina controversia jam memorata.*

unus ex illis in antiquis Martyrologiis notissimus. 2 *Imprimis Martyrologia antiquissima, nomine S. Hieronymi a variis edita, ad* XXVII *Augusti annuntiant* S. Rufum martyrem, *interque ea non pauca reperiuntur exemplaria, quæ* Campaniæ et Capuæ *illum adscribunt. Rhinoviense et Richenoviense, apud nos post tom.* VII *Junii edita, tantum habent:* In Campania Rufi. *Editum ab Acherio tom.* 2 *Spicilegii pag.* 17: In Capua natalis sanctorum Rufi, Magni. *Socius ille* Magnus *in aliis Mss. inventus non est, quam in Corbeiensi, ex quo editio hæc facta. Gellonense ibidem editum pag.* 33 *meminit* Rufi martyris, *et deinde* Rufini *ad eumdem diem, licet* Rufini *cujusdam quoque mentio fiat ad* XXV *Augusti, ut in aliis quoque inveni. Antiquissima etiam Martyrologia, a Martenio vulgata tom.* 3 *Anecdotum* Rufi *meminerunt.* Autissiodorense *col.* 1559: Rufi Martyris. *Morbacense col.* 1579: Rufi. *Turonense col.* 1589: Rufi martyris. *Antiquum Kalendarium Corbeiense col.* 1601: In Capua natalis S. Rufi martyris. *Kalendarium monasterii Lyrensis:* Sancti Rufi mart. *Hieronymiana denique apud Florentinium:* In Capua natalis sancti Rufini, *de quo Florentinius dubitat, utrum legendum sit,* Rufi. *Vides, opinor, lector, ex agglomeratis hisce Martyrologiis, quam varie annuntietur* S. Rufi *memoria: attamen in eo omnes hi Fasti conveniunt, quod nullibi mentio fiat de episcopatu* S. Rufi; *nullibi quoque annuntietur geminus* Rufus, *alter solus, alter cum socio* Carponio, *vel* Carpoforo; *sicut hodiedum memorantur apud varios. Hoc tamen argumentum exigui hactenus momenti est contra Capuanorum sententiam.* F

quem martyrologi varii patricium fuisse docent et conversum a S. Apollinare; 3 *Vetus Martyrologium Romanum, quod Adoni præluxit, propius accedit ad sensum Capuanorum, dum Sancti memoriam ad* XXVII *Augusti sic annuntiat:* Capuæ, Rufi martyris, Appollinaris discipuli. *Plura adjunxit Ado hunc in modum:* Apud Capuam, natalis sancti Rufi martyris, quem docuit et baptizavit beatus Appollinaris, Petri apostoli discipulus, cum esset idem Rufus patriciæ dignitatis. *Adoni fere consonat Usuardus. Sed quædam Usuardi auctaria fusius rem exponunt apud nos ad dictum diem. Accipe pro omnibus verba editionis Lubeco-Coloniensis:* Apud Capuam natale beati Rufi martyris, patricii Romanorum. Hic ducatum tenebat apud Ravennam: cujus filiam defunctam beatus Appollinaris, Petri apostoli discipulus, a mortuis suscitavit: unde et ipse cum uxore sua et filia ac tota familia, numero CCCXXIV in Christo baptizati sunt. Beatus vero Rufus apud Capuam martyrium suum consummavit. *Prætermitto Bedam Plantinianum, Notkerum,*

AUCTORE J. S.

kerum, Wandelbertum, aliosque, hisce quoad rem consentientes: et adjungo verba Florarii nostri Ms., in quo martyrii tempus additur: Apud Capuam natale sancti Rufi martyris, quem docuit Apollinaris, Petri apostoli discipulus. Cum esset idem Rufus patriciæ dignitatis, ejus filia Christo consecrata est, et permansit virgo. Nunciatum est cæsari a paganis, quod quidam vir veniens ab Antiochia magicis incantationibus nomen Jesu Christi induxit in urbem Ravennam, et magna multitudo obedit illi, etiam domus Rufi patricii: cui cæsar mittens successorem, scripsit ad vicarium nomine Messalinum, ut præsumptorem hujuscemodi aut diis inclinaret, aut longe in exilium mitteret. Beatus autem Rufus patricius a sancto Apollinare episcopo et martyre baptizatus est, doctus, et innumeris clarus virtutibus, post multos agones, apud Capuam civitatem illustris martyrii gloria pro Christi confessione coronatus, palmam vitæ immarcescibilis adeptus est anno salutis LXXVIII. *Hæc desumpta videntur ex Actis S. Apollinaris, ubi paullo latius referuntur, ut videri potest in Opere nostro tom.* V *Julii, pag.* 346 *et* 347. *Attamen ibi non refertur martyrium* S. Rufi, *nedum annus illius adjungitur, quæ aliunde ac-*
B *cepta sunt.*

quibus Bacchinius opponit auctoritatem Agnelli,

4 *Subsistere hic tantisper oportet, ad dirimendam, si fieri possit, controversiam supra indicatam, an* Rufus *ille patricius idem sit cum* S. Rufo, *quem episcopum suum credunt Capuani. Videmus consensum præcipuorum martyrologorum, asserentium* Rufum *patricium Capuæ martyrio coronatum. Hisce tamen se opponit Benedictus Bacchinius, qui edidit, notisque illustravit Opus Agnelli de Vitis pontificum Ravennatum. Argumentum Bacchinio præbent hæc Agnelli verba in Vita S. Apollinaris pag.* 125: Filiam quoque Rufi patritii mortuam suscitavit, et illius in Patritii domo episcopium Bononiensis ecclesiæ usque in præsentem cernimus diem: sic autem domum illam integram, et incolumem sic, quomodo antiquitus. Et nunc pene annos quinque Theodoricus Bononiensis antistes saxeam arcam, ubi Rufus patritius sua cum filia positus fuit, abstulit, et ad suam ecclesiam Bononiensem deportavit, ut postquam defunctus, ibidem sepultus fuisset. *Hinc pag.* 131
C *sic infert Bacchinius:* Quod sequitur de Rufo patritio maxime notandum est: constant enim, nunc tandem e tenebris vindicato Agnello, Rufum patritium Ravennæ decessisse, ibidemque sepultum fuisse cum filia, quondam ab Apollinare a mortuis revocata, in arca marmorea, quam, deturbatis Rufo filiaque, Theodoricus episcopus Boniensis, ipso vidente ac vivente Agnello, Bononiam deportavit, ut ea aptata sibi sepulcrum pararet. Consequens igitur fit, Rufum hunc diversum esse a Rufo, qui usque in hanc diem creditus est idem, et quem apostolorum princeps Petrus episcopum Capuanum consecrasse fertur, quique per ea tempora martyrio coronatus Capuæ obiit. *Hæc tota ejus argumenti vis est, licet varia addat de* Rufo *Capuano episcopo, ad rem contra Baronium et Rubeum magis explicandam.*

et illa tamen hic esse non videtur, ut recedendum sit a martyrologiis.

5 *Non video enimvero cur Bacchinium movere tantopere potuerit Agnelli auctoritas, ut illam omnibus aliis prætulerit, putaveritque illa sola satis evinci, contra communem persuasionem,* Rufum *patricium a* Rufo *Capuano esse distinguendum. Etenim, si verba Agnelli expendamus, clare intelligemus, non referri ab illo, nisi traditionem quamdam popularem, qua credidit rem parum verisimilem aut credibilem; videlicet* Rufum *fi-*
D *liamque ejus domi suæ sepultos esse in tumba marmorea: nam constat apud Romanos lege duodecim tabularum vetitum fuisse quemquam in urbe sepelire, ut observat Aringhus in Roma subterranea lib.* I, *cap.* 2, *num.* 9. *Excipiebantur quidem aliqui ob præclara in rempublicam merita, ut idem habet lib.* 5, *cap.* I; *et Cicero lib.* 2 *de Legibus, ubi hanc legem recitat: at inde verisimile non fit,* Rufum *domi suæ sepultum fuisse a filia, aut filiam ab ipso, prout Agnellus credidisse videtur, dum scripsit adducta superius verba. Quapropter miror hunc locum Bacchinio placuisse, idoneumque visum esse, ex quo argumentum desumeret contra martyrium* Rufi *patricii Capuæ obitum, assertumque ab auctoribus, qui Agnello antiquiores sunt et meliores. Certe Agnelli in scribendo crisis tanta non fuit, ut ejus auctoritati multum videatur tribuendum. Audi Muratorium in præfatione ad Opus Agnelli recusum tom.* 2 *Scriptorum Italiæ pag.* 4: Intolerabiles, *inquit,* anachronismi se offerunt in illo Opere, et fabellæ, quas facile ætas illa amplectebatur, nos autem aut ridemus, aut difficile excipimus. *Ex hisce fabellis unam esse suspicor, quam protulit de* Rufo *patricio Ravennæ mortuo, ibidemque, ut* E
ex verbis ejus sequeretur, in domo propria sepulto; adeoque non est, cur credere non liceat auctoribus ante relatis, martyrem Capuanum cum Rufo *patricio eumdem esse.*

Episcopatum S. Rufi, de quo neoterici dubitant,

6 *Verum major est difficultas, utrum* Rufus *ille patricius, quem cum auctore antiqui Martyrologii Romani, cum Adone, Usuardo, aliisque laudatis scriptoribus Capuæ passum credimus, episcopus quoque fuerit Capuanus. Quippe de episcopatu ejus altum silent memorati scriptores cum antiquis omnibus: episcopum tamen fuisse asserunt recentiores plurimi, de eoque non dubitare videntur Capuani. Primus, quantum scio, episcopi titulum* S. Rufo *attribuit Galesinius in Martyrologio suo: quem secutus videtur Baronius in Martyrologio Romano, nisi quod brevius eidem exactiusque texat elogium, hoc modo:* Capuæ in Campania natalis sancti Rufi episcopi et martyris, qui cum esset patriciæ dignitatis, a beato Apollinare, sancti Petri discipulo, cum universa familia baptizatus est. *Bellarminus quoque, dum Capuanæ præsidebat ecclesiæ, illiusque antistites recognoscebat, inter illos numeravit* S. Rufum, *cujus* F
festum XXVII *Augusti celebrari jussit, Rufi et Carponii martyrum festivitate in* XXX *ejusdem mensis dilata. Accedunt Ughellus in Italia sacra tom.* 6, *col.* 297, *recentioresque martyrologi varii, quos prætermitto. Tandem Michael Monachus in Sanctuario Capuano pag.* 133 *non dubitat asserere, episcopatum* S. Rufi *Capuanis esse certissimum. At vellem ea produxisset argumenta, quibus et nos æque certi de illo esse possemus. Sic enim de illo titulo omnis sublata esset dubitatio.*

apparet saltem probabilis:

7 *Quippe de* Rufi *episcopatu dubitarunt postea eruditi non pauci. Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymianum pag.* 781 *dubitanter de eo disserit: Tillemontius tom.* 5 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 128 *affirmat. paucas aut nullas pro illo episcopatu afferri probationes: Sollerius quoque in Usuardo ad* XXVII *Augusti insinuat, argumenta Ughelli non esse ejusmodi, ut adversantes iis convincantur, remque ulterius discutiendam remittit ad hunc locum. Accipe igitur, lector, quid potissimum pro dignitate episcopali* S. Rufo *vindicanda afferri posse videatur. In ecclesia S. Prisci diœcesis Capuanæ inventum est opus antiquum, in quo imagines multorum Sanctorum*

ctorum

A *etorum conspiciuntur : earum aliæ senes, aliæ viros, aliæ juvenes, aliæ repræsentant adolescentes, ut latius explicat laudatus Monachus pag.* 132 *et seqq.. Ex octo, qui exhibentur senes, sex certo fuerunt episcopi : unde admodum fit verisimile, reliquos etiam duos, de quorum dignitate aliunde non satis constat, episcopos fuisse, adeoque* S. Rufum, *qui ibidem depictus est forma senis, et coronam præ manibus gerentis, qua martyrium indicatur, episcopum fuisse et martyrem. Hinc episcopatus* S. Rufi, *non quidem omnino certus, at saltem probabilis apparet. Fortasse alia quoque habuerunt argumenta, qui episcopalem dignitatem* S. Rufo *primi asseruerunt. Neque antiquorum silentium de hac* S. Rufi *dignitate magnopere obesse potest : nam antiqui martyrologi non raro episcopalem dignitatem omiserunt in aliis episcopis martyribus, de quorum episcopatu aliunde satis constat. Titulum itaque episcopi reliqui, ut probabilem, licet fatear non esse mihi omnino certum.*

B *lectio de eo ex Officiis Capuanis :* 8 *Porro ex hac opinione, et Actis S. Apollinaris supra assignatis, in Officiis Capuanæ ecclesiæ propriis, ad* XXVII *Augusti hæc concinnata est lectio :* Rufus patricius exconsul et Ravennatis militiæ dux, hoc miraculo ad fidem conversus est. Cum enim statuisset sanctum Apollinarem a civitate expellere; filia, quam maxime diligebat, ægrotare cœpit : ob quam sanandam cum sanctus episcopus accersitus fuisset; Deo sic disponente, mortua est. Preces autem effundens Apollinaris, defunctam revocavit ad vitam. Quo miraculo Rufus conversus ad Christum, cum tota familia baptizatus est. Hac vero de causa missus in exilium, successu temporis ad Capuanæ civitatis episcopatum promotus est : ubi cum multos ad Christum converteret, a Messalino præside tentus, et eo jubente, securi percussus, martyrium consumavit sexto Cal. Septembris *Hæc Capuani de* S. Rufo. *Quod autem spectat ad consulatum, fasti consulares seculo primo et secundo plurimos numerant Rufos : at nulli tempus magis congruit, quam* Rufo, *qui anno Christi* 67 *cum Capitone consulatum gessit, et* C. Julius Rufus *apud Pagium ad eumdem annum dicitur.*

tempus martyrii incertum. 9 *De tempore martyrii non consonant ipsi Capuani. Monachus in Sanctuario pag.* 50 *scribit, episcopum ordinatum a S. Petro circa annum* 60 ;
C *et pag.* 51 *martyrio coronatum putat sub Nerone : sed rationes non allegat ullius momenti, utpote nixas auctoritate scriptorum, quibus in re tam antiqua non fidimus. Ughellus tom.* 6, *col.* 297 *mortuum ponit circa annum* 80 : *Antonius Caracciolus in Monumentis ecclesiæ Neapolitanæ pag.* 70 *Capuam missum dicit circa annum* 80, *addens hæc verba :* Ut in catalogo Capuanorum episcoporum a doctissimo Cardinale Bellarmino, dum sedem illam tenuit, recognito, signatum est. *Posterior hæc opinio magis mihi probatur, cum* Rufus *inter Capuanos episcopos tertio tantum loco memoretur ab Ughello, ejusque imago post S. Priscum et S. Sinotum, quos antistites suos credunt Capuani, in antiqua S. Prisci ecclesia fuerit collocata : attamen neque hoc omnino certum apparet defectu monumentorum antiquorum. Monachus in Recognitione Sanctuarii Capuani pag.* 82 *de cultu* S. Rufi *addit sequentia :* Qui Capuæ colitur Rufus, colitur etiam in Vallo Dianæ, diœcesis Caputaquensis. Est ibi sub invocatione S. Rufi terra, et in ipsa quoque sub titulo S. Rufi archipresbyteralis ecclesia, et hoc ipso die ibi agitur festum S. Rufi, ut ab archipresbytero Paulo Terno, hac transeunte, non semel accepi. AUCTORE J. S.

Rufus, qui Capuanus dicitur episcopus. 10 *Tandem delabimur ad controversiam primo insinuatam, utrum hic* S. Rufus *alius sit a Rufo martyre, qui cum Carponio aut Carpoforo Capuanis in veneratione est. Non quidem ea de re dubitant Capuani, qui ambos hodiedum seorsum colunt, consentiente illis Martyrologio Romano, in quo a tempore Baronii annuntiatur* Rufus *episcopus martyr, et Rufus diaconus cum socio Carponio, qui passi dicuntur in persecutione Diocletiani. Si ea, quæ de utroque* Rufo *referuntur, indubiam mererentur fidem, indubitata quoque foret utriusque distinctio. Verum de eorum diversitate dubitare cœperunt eruditi quidam, quod animadverterent, fidem Actorum vacillare, et duos* Rufos *ne apud ipsos quidem Capuanos olim notos fuisse. Certe in Breviario Capuanæ ecclesiæ, quod impressum est anno* 1489, *nulla* Rufi *patricii aut episcopi habetur mentio, at solum* XXVII *Augusti Officium recitandum proponitur de* S. Rufo *diacono martyre et Carponio ejus socio. Hinc iidem scriptores, quos dubitare diximus de episcopatu* E Rufi, *dubitant quoque de gemini* Rufi *distinctione. Verumtamen confidimus, nos sufficienter ostensuros, geminum* Rufum *admitti posse, alterumque ab altero esse distinctum.*

distinctus videtur a Rufo Carponii socio. 11 *Primo, quamvis Capuani unum olim coluerint* Rufum, *nec alterum videantur cognovisse; tamen martyrologi antiqui alterum attribuebant* Rufum *Capuanis, puta* Rufum *patricium, quem illi ignorabant, cum de eo nulla in Officio habeatur mentio. Hinc dicendum videtur, alterum* Rufum *cognitum fuisse a Capuanis, alterum a dictis martyrologis, et utrumque postea detectum : præsertim cum martyrologi illi nullum* Rufo *suo assignent socium; socium vero Carponium suo attribuant Capuani. Secundo in codice Usuardi Vaticano, apud Sollerium ad* XXVII *Augusti, præter* Rufum *patricium ab ipso Usuardo annuntiatum, memoratur alter Rufus cum socio hunc in modum :* Capuæ, natalis sanctorum martyrum Rufi et Carponi. *Ergo in illo codice leguntur distincti, ex quo suspicor hausisse Baronium, dum eos in Martyrologio Romano distinxit. Tertia distinctionis ratio petitur ab ecclesiis duabus antiquis, quas memorat Monachus. Harum altera in Vallo Dianæ soli* Rufo *sacra est, ut supra dictum;* F *altera dedicata fuit Rufo et Carponio, quam Monachus in Sanctuario pag.* 538 *sic memorat :* In diœcesi, circa sanctum Tammarum, fuit olim ecclesia SS. Rufi et Carponii, et erat capituli Capuani. *Unde non improbabilis videtur conjectura Monachi, qui pag.* 398 *in Kalendario, quod ibidem exhibet, signari putat* Rufum *patricium, quia* Rufus *memoratur sine Carponio, quem alia ejus Kalendaria adjungunt. Demum præcipua distinctionis ratio hauritur ex antiqua* Rufi *imagine jam commemorata : etenim inter Sanctos, quorum ibi habentur imagines, non reperitur Carponius : ex quo sequi videtur, alium* Rufum, *eumque antiquissimum, cultum fuisse aliquando Capuæ, præter Rufum, qui Carponium habuit martyrii comitem. Hæc mihi persuadent,* Rufos *Capuæ cultos revera distinctos esse : quod ex Actis ipsis clarissime sequitur : et quamvis horum, ut monui, fides vacillat, eatenus tamen fidem utcumque merentur.*

DE

A D

DE S. EUTHALIA VIRG. ET MART.

J. S.

LEONTINIS IN SICILIA

Circa medium seculi III. Cultus Sanctæ apud Latinos

P*apebrochius tom.* II *Maii in Commentario prævio ad Acta SS. martyrum Leontinorum Alphii, Philadelphi, et Cyrini pag.* 503 *docet, qua occasione nomina sanctorum variorum Siculorum Romano Martyrologio sint adscripta, officiaque ecclesiastica de iis composita ac permissa. Inter illos est* S. Euthalia, *cujus memoriam ad* XXVII *Augusti dictum Martyrologium celebrat his verbis :* In Sicilia apud Leontinos sanctæ Euthaliæ virginis, quæ cum esset Christiana, a fratre suo Sermiliano gladio cæsa migravit ad Sponsum.
B *Carolus Antonius Conversanus in Ætherea Leontinorum gloria ad* XXVII *Augusti de cultu Sanctæ addit sequentia :* Hæc apud nostram, et in districtu civitates et oppida Officio proprio colitur, sub ritu duplici. *Plures martyrologos Latinos non recenseo; at solum observo, fratrem Sanctæ, qui* Sermilianus *vocatur in Romano, Græcisque Menæis, a neotericis pasisim nominari* Servilianum, *siculi vocatur in Actis fabulosis SS. Alphii, Philadelphi, et Cyrini.*

et Græcos elogium :

2 *Longius elogium habent impressa Græcorum Menæa ad diem* XXVII *Augusti, quod ad eumdem diem Latine reddidit Cardinalis Sirletus in Menologio Græcorum hoc modo :* Eodem die commemoratio sanctæ martyris Euthaliæ. Hæc fuit in Sicilia, matrem habens gentilem sanguinis fluxu laborantem, quæ curata est a sanctis martyribus Alpheo, Philadelpho, et Quirino. Credens itaque in Christum, baptizata est cum Euthalia filia : cum vero haberet filium, nomine Sermilianum, detenta est ab illo, ut suffigeretur, *(Menæa*, πρὸς τὸ ἀποπνιγῆναι, *id est*, ut suffocaretur) eo quod in Christum credidisset : illa vero, ab ancilla extracta e manibus filii, aufugit. Cujus rei causa commota Euthalia, execrabilem illum pro matre convicians, audivit a fratre ipso : Numquid et tu Christiana es? Maxime, inquit, sancta illa Virgo, et pro Christo ipso libenter moriar. Quod audiens prophanus ille, denudatam vehementer verberavit, (ἐμάστιξε, *id est*, virgis cecidit) et uni famulorum violandam tradidit. Illa vero Deum precata, excæcavit famulum : quod cum vidisset scelestus Sermilianus, caput abscidit. *Hoc elogio comprehunduntur omnia, quæ de Sancta utcumque fide sunt digna,*

Acta fabulosa jam edita : tempus martyrii.

3 *Acta longiora* S. Euthaliæ *dat Octavius Caietanus in Vitis sanctorum Siculorum tom.* I, *pag* 76 *et seqq. Desumpta illa sunt ex quarta parte* E *Actorum SS. Alphii, Philadelphi, et Cyrini, quam Papebrochius in memorato Commentario num.* 16 *recentius scriptam, multisque fabulis inquinatam ostendit. Edidit tamen illam quoque partem a pag.* 537, *ob rationes num.* 17 *indicatas. Itaque necesse non est illa hoc loco repetere, aut pluribus exagitare. Jam vero sub qua persecutione passa sit* S. Euthalia, *certo determinari non potest, nedum quo præcise anno. Alphium et socios sub Decio passos esse, credunt recentiores aliqui : neque multo post tempore* S. Euthaliam *martyrio coronatam, elogium supra datum insinuat. Caietanus in margine notat annum* 257, *cui affigit* S. Euthaliæ *martyrium : sed tota ejus probatio ex fabulosis Actis desumitur. Videri itaque possunt, quæ disputavit Papebrochius de tempore martyrii S. Alphii et sociorum pag.* 505, *ex quibus conjicere licebit, non multo post medium seculi tertii passam esse Sanctam, fortasse imperante Valeriano.*

C F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

MARCELLO SEU MARCELLINO TRIBUNO,

ET UXORE EJUS MAMMEA VEL MAMNEA,

PETRO, CHIRONE, AMMONE, SERAPIONE, JOANNE, BABILA, MELETIO EPISCOPO, ATHEOGENE, ARISTONE FESTO, VICTORE, SUSANNA, ZOILIO, DOMNINO, ET MEMNONE

IN ÆGYPTO

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Circa annum CCCIII. Hi Martyres varie

M*artyres in titulo propositi varie a martyrologis annuntiantur, cum alii plures, alii pauciores recenseant ; neque ullus eorum cum Actis Mss. in omnibus conveniat. Hieronymiana apud Florentinium ad* XXVII *Augusti eorum aliquos non sine mendis sic enumerant :* In Tuma civitate natalis sanctorum Marcellini tribuni, et Maunis uxoris ejus, cum filiis. Johannis, et Serapionis. Clerici, et Petri militis. *Patet ex aliis, luxata esse multa in his nomina, et vocem* clerici *addendam esse Serapioni, quod ex Actis firmabitur. Alia Hieronymiana non adducam ; nihilo enim*

AUCTORE J. S.

A *enim plus lucis afferunt. Romanum velus tantum hæc habet:* Tomis Marcellini et Manneæ. *Auxil numerum Ado hunc in modum :* Tomis, natalis sanctorum martyrum, Marcellini tribuni, et uxoris ejus Manneæ, et filii ipsius Joannis, et Serapionis clerici, et Petri militis. *Ab Adone non multum abludit Usuardus, eosdem his verbis recensens :* Thomis civitate, sanctorum martyrum Marcellini tribuni et uxoris ejus Manneæ, Joannis, Serapionis, et Petri.

in Fastis annuntiantur,

2 *Verum Grevenus in Usuardo nostro citatus sic notot :* Alibi socii Marcellini tribuni leguntur hoc modo : Joannis et Babilæ filiorum ejus, Serapionis, et Hironis * (* al. Chironis), Ammonis clericorum, et Petri militis, qui omnes una cum Marcello et uxore, sub Culciano præside, bestiarum feritate edomita, flammisque superatis, gladio cæsi, martyrium impleverunt. *Tunc subjicit sequentia, acsi alios annuntiaret martyres, licet hi quoque ad præcedentium classem spectent, si Actis credimus :* Milecii episcopi, Theogenis * (* al. Atheogenis), Aristonis, Festi, Victoris, Susannæ, Zoilii, Dommi * (* al. Domnini), et Memmonis * (* al. Memnonis), martyrum *Hos omnes, excepto* Aristone, *qui fortasse vitio transcribentium excidit, enumerat Ms. nostrum Florarium* B *Sanctorum, cujus verba subnecto :* Thomis, civitate Ægypti, sanctorum martyrum, Marcellini tribuni, et uxoris ejus Manneæ, et filiæ ejus Johannæ * (* al. Joannis), et Serapionis clerici, et Petri militis, et aliorum undecim, idem (*lege*, id est) Cyronis * (* al. Chironis), Ammonis, Babilæ, et Melecii episcopi, Athenagis * (* al. Atheogenis) Festi, Victoris, Susannæ virginis, Somi * (* al. Zoilii), et Domniui, et Memmonis

nec sine errore : passi sunt non in Ponto provincia,

3 *Martyrologium Romanum de his Martyribus ita habet :* Tomis in Ponto sanctorum martyrum Marcellini tribuni, et uxoris ejus Manneæ, et filiorum Joannis, Serapionis et Petri. *Hæc sane verba non videntur ab omni errore immunia, nec Actis sunt consona : nam in Actis* Marcelli *solum filii dicuntur* Joannes *et* Babilas; *Actisque consentit Grevenus citatus. Ado* Joannem *solum vocat filium. Hieronymiana* Joannem *et* Serapionem *filios designant, maxime prout illa edidit Acherius tom.* 2 *Spicilegii pag.* 17, *ubi legitur* Cum filiis ejus Joanne et Serapione. *Verumtamen hinc inferre pro certo nolim, plures non fuisse filios* Marcelli *quam* C *duos, cum id Acta non negent; at saltem incertum esse, an plures fuerint, et verisimilius plures non fuisse. Clarior est error in provincia, in qua Martyres passi dicuntur : certum enim apparet ex Actis,* in Ægypto *passos esse, non* in Ponto, *quod per conjecturam civitati Tomis additum fuit ad locum martyrii designandum.*

sed in Ægypto.

4 *Porro Acta non solum clare edicunt num.* I, *Martyres hos* in Ægypto *coronatos esse; verum idem etiam confirmatur ex præside Culciano, sub quo passi leguntur : hic enim tyrannidem contra Christianos exercuit in Ægypto, non in Ponto. Audi de Culciano S. Epiphanium Hæresi* 68, *seu Meletianorum :* Præerat tum Thebaïdi, *seu superiori* Ægypto, Culcianus. *Loquitur de tempore persecutionis Diocletiani et Maximiani, quo schisma Meletii scribit inchoatum. Et licet litteram unam in nomine mutet, eumdem tamen designat, ut confirmatur ex Eusebio lib.* 9 *Historiæ, cap.* XI, *ubi de eodem præside sic habet :* Et Cultianus, omnibus similiter magistratibus et provinciarum administrationibus perfunctus, qui et ipse innumeris Christianorum cædibus apud Ægyptum inclaruerat, *capite plexus est sub Licinio. Idem Culcianus occurrit in Actis authenticis SS. Phileæ et Philoromi martyrum, quos in Ægypto ad necem damnavit, ut videri potest tom.* I *Februarii pag.* 462 *et seqq. Certam itaque existimo provinciam, in qua martyres hi palmam sunt adepti.*

nec in urbe Tomis,

5 *At urbs, quam prædicti Martyres fuso pro Christo sanguine decorarunt majorem patitur difficultatem, quod* Thomi, Tomi, *aut simili nomine a martyrologis passim vocetur, quod unde accipere potuerint, non satis apparet. Certe in Actis legitur, comprehensos esse Oxyrynchi, quæ urbs erat Ægypti in Heptanomide ad Nilum sita, nomi seu præfecturæ synonymæ caput : eademque Acta insinuant, vel in eadem urbe, vel in alia vicina occisos esse sanctos hos Martyres. Cum autem urbem* Tomos *in tota Ægypto non inveniam, et ne nominis quidem similis in vicinia Oxyrynchi; conjicere nequeo, unde illud urbis nomen hauserint martyrologi. Repertæ quidem fuerunt in Ægypto urbes* Thmuis, Thonis, Thanis, This, Toum, *quas Cellarius in Geographia antiqua recenset parte* 2, *lib.* 4. *At longius Oxyryncho distant, quam ut probabile fiat, unam ex iis mendose* Thomos *fuisse nominatam, Martyrumque nostrorum exstitisse palæstram. Existimo igitur illam urbem* Tomos E *ex errore quodam primum natam esse, erroremque deinde invaluisse, atque ab uno ad alium propagatum esse, quod Acta Martyrum præ manibus non haberent martyrologi.*

sed Oxyrynchi aut in urbe vicina.

6 *Accipe, quid de Martyrum palæstra in Actis legamus. Num.* I *sic habent :* Horum accusatio facta est apud præsidem dicentium : Hi soli sunt in Oxyrynchena civitate, qui contradicunt imperiali præcepto... Cumque hæc audisset præses, statim missis apparitoribus præcepit, ut de Oxyryncho civitate ferro vincti ad domum in civitate, ubi supradictus præses regebat, adducerentur. *Hæc ego verba sic explicanda existimo. Jussit præses ex civitate Oxyryncho adduci ad prætorium ejusdem civitatis Martyres nostros. Ita, inquam, explicanda censeo : nam si alia civitas designaretur, illam nominasset auctor. Deinde sub finem Actorum de reliquiis occisorum hæc referuntur :* Asportatæ sunt religiosæ reliquiæ eorum in territorium Oxyrynchenæ civitatis in possessione, vocabulo Stypsoches, *id est, corpora eorum sepulta sunt in prædio quodam prope Oxyrynchum. Unde verisimile est, Oxyrynchi coronatos esse. Hæc ergo probabiliora puto, donec quis doceat certiora. Atque idem existimavit, qui Florum auxit, apud nos ante tomum* 2 *Martii pag.* 31, *dum hos Martyres annuntiat his verbis :* in Ægypto, civitate Oxirenchena, sedecim Martyrum, quorum gesta habentur, qui bestiis et igne superatis, gladio occubuerunt. F

Acta unde accepta, et qualia.

7 *Acta horum Martyrum, ex Græco in Latinum translata sunt, ut notatur in Ms. Cluniacensi, quod ipse transcripsit Papebrochius. Habemus eadem ex Ms. Trevirensi S. Maximini, quod cum alio collatum edemus. Auctor sub finem de se ita loquitur :* Julianus presbyter dedi has reliquias cum his exemplaribus venerandæ diaconissæ Yssiciæ, et scripsi per manum filii mei Stelechi id possessione Rastoces propter infirmitatem oculorum meorum. *Hæc verba subindicant, auctorem hunc SS. Martyribus fuisse synchronum : attamen id clare non edicunt. Verum, quidquid sit de ætate Juliani presbyteri, Acta, ut brevia, ita simplici*

AUCTORE J. S.

plici stylo sunt scripta. Reperiuntur quidem in illis quædam Martyrum responsiones duriusculæ: at frequenter jam diximus, ut inde inferri non posse, Acta esse apocrypha, cum Martyres aliquando tyrannis non pepercerint, aut certe scriptores Actorum verba Martyrum ita exposuerint, ut duriora appareant, quam ab illis fuerant prolata. Hinc itaque facta, quæ in Actis referuntur, fide non carent, etiamsi merito dubitare possimus, an omnia Martyrum dicta recte sint enarrata.

ACTA

Auctore Juliano presbytero

Ex Ms. Trevirensi collato cum Cluniacensi.

SS. Martyres, quorum dantur nomina, accusantur,

In Ægypto coronati sunt Sancti consulatu Diocletiani iterum et Maximiani *a* crudelissimorum persecutorum, mense Augusto, sexto Kalendarum Septembrium sub præside Cultiano. B
Nomina *b* vero martyrum hæc sunt: Petri devotissimi militis, et Chironis, Ammonis, et Serapionis clericorum, et Marcelli *c* tribuni, et conjugis ejus Mammeæ, et filiorum * Joannis et Babilæ: et Miletius * episcopus, et Atheogenes, et Ariston, et Festus, et Victor, et Susanna, et Zoyilus, et Domninus, et Memnon. Horum accusatio facta est apud præsidem ab Herone et Acatio, eo quod essent Christiani, dicentium: Hi soli sunt in Oxirinchena civitate, qui contradicunt imperiali precepto, et impii sunt in religioue deorum *d*, et tribunal tuum contemnunt, non acquiescentes jussioni tuæ.

a b c * *al.* filii eorum * *al.* Miletii *etc.* d

jussuque Cultiani præsidis capiuntur: ad eum adducti, e

2 Cumque hæc audisset præses, statim jussis apparitoribus præcepit, ut de Oxyrynclio civitate ferro vincti, ad domum in civitate, ubi supradictus præses degebat *e*, adducerentur. Cum igitur ante tribunal Cultiani præsidis venissent, ait: Isti sunt impiæ religionis cultores, qui decreta cæsaris contemnunt, et tribunal meæ ditionis despiciunt, et deorum venerationem abdicant, et culturam sperunt. Cum igitur hujusmodi beati Martyres blasphemiarum verba audissent, exclamaverunt unanimiter tamquam ex uno ore, C securi de Christi misericordia, et dixerunt: Tu impie agis, qui tyrannos reges appellas, et lapides et ligna opera manuum hominum, habitacula dæmonum veneraris, et iu Deum summum, qui spiritum in manu tenet, impius existis, qui potens est subvertere consilia vestra, et in momento delere, qui dæmones putatis esse venerandos ad vestram perditionem.

invitatique ad sacrificandum idolis, fortiter respondent:

3 Cum hæc igitur Cultianus auddisset, repletus ira et indignatione dixit: Ne putetis, vos per hæc injuriarum verba velocius esse plectendos; ut ossa vestra balsamo et diversis pigmentis et aromatibus a mulierculis perungantur. Nam et illi, qui ante vos comprehensi sunt, hujusmodi verbis usi sunt, putantes sibi aliquid ex verbositate posse conduci, quos vorans flamma consumpsit. Nunc igitur relinquentes omnem desidiam, et desperationem, accedite ad aram, et immolate diis immortalibus, ut honoribus maximis cumulemini, et regi placere possitis, et in mearum amicitiarum fœdere conjungi. Tunc beatus Marcellus cum sociis dixit: Nos Christiani sumus, et dominatorem nostri habemus Deum, D qui fecit cælum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt; qui potens est liberare nos de insania tua, et malitia patris vestri diaboli: nec enim fas est, ut impiis vestris acquiescamus consiliis, et immolemus dæmouibus ad injuriam creatoris Domini uostri.

ubi erant in carcerem conjecti, et ad bestias damnati:

4 Cultianus dixit: Quia resistunt, et præceptis imperialibus obedire nolunt, ligantes manus et pedes eorum, et in collo boias imponentes, iu interiore parte carceris collocate, et maturius vigilantes, deducite eos in stadio, ut a bestiis consumantur *, quia deos blasphemaverunt, et reges tyrannos dixerunt: et ditionis * meæ tribunal contempserunt. In crastino vero die omnis populus convenit ad stadium, ut triumphantes sauctos Martyres viderent. Et cum vidisset præses Cultianus dixit: Adducite illos detestandos, et contemptores deorum. Ilierius dixit: Præsto suut. Et cum inducti fuissent in stadio; dicit ad eos Cultianus: Quid igitur vobis placuit, Marcelle, ecce uunc subrueudi estis ad bestias, ut devorentur carnes vestræ. Evigilate itaque et acquiescite præceptis imperialibus, ut non pereatis.

* *al.* obruantur * *al.* dicationis

minis rursum falsisque rationibus illos E

5 Per salutem imperatorum, quod si uon acquieveritis immolare diis immortalibus, ossa vestra, quæ a feris derelicta fuerint, igni cremabo. Tunc beatus Marcellus dixit grandi voce, ut etiam omnes audirent: O impie, et infauste, non legisti, aut etiam andisti, quod scriptum est, dicente Domino ad patrem vestrum diabolum: Non tentabis Dominum Deum tuum? Et ego itaque dico tibi: non tentabis Dominum Deum tuum, et famulos ejus. Cultianus præses dixit: Non magnopere miror verbositates vestras, quia parcens vobis parumper differo, exspectans et conversionem vestram et pœnitudinem. Parcite itaque vobis et erubescite, qui hominem crucifixum colitis, aute paucos aunos ad mortem damnatum, mortuum, et sepultum sub Pontio Pilato, cujus et gesta, ubi auditus est, et addictus morti, usque ad præsens manent *f*; et hunc Deum dicitis, et colitis et invocatis, et quomodo vobis potest ferre præsidium, qui sibi auxilium ferre non potuit? f

ad sacrificandum hortatur præses: at illi constantes manent:

6 Cui Petrus dixit: Vade, et mone cæcos similes tui, cum quibus iu perditionem ibis. Sic enim scriptum est: Sic cæcus cæco ducatum præbet, utrique in foveam cadunt. Considera itaque perditionem tuam et temetipsum mone. Nobis F autem præstet Deus, pro nomine illius, quem tu indignus putas hominem purum esse, omnia tormenta perferre. Ipse enim propter nostram salutem in fine sæculi homo dignatus est nasci et formam servi suscipere, ut nos * homines, invidia diaboli in terra jacentes, et variis erroribus obligatos, dextera sua erigeret, et cæcitatem cordis nostri * illuminaret. Cultianus præses dixit: Multiplicationes verborum vestrorum non opus habeo: sed hoc, quod ad rem pertinet, moneo. Immolate diis immortalibus, et abnegate illum, quem Deum putatis. Quod si uolueritis, extorquebo per tormenta animas vestras. Tunc sanctus Milecius episcopus, et innocens Joannes, repleti Spiritu sancto dixerunt: Absit a nobis, ut negemus nomen Domini et Dei nostri Jesu Christi, qui est Verbum Dei vivi ante constitutionem mundi, unius substantiæ cum Patre, qui nostram fragilitatem et ruinam erexit, quæ per patrem tuum diabolum nobis accidit: et gloria sua nos illuminare dignatus est.

* *al.* vos * *al.* vestri

Siquid

A Siquid autem facere disponis, facito; et verbis tuis terrere noli: quia in nulla parte audire te disponimus.

a bestiis illæsi.

7 Tunc repletus est furore, et indignatione Cultianus præses, et dixit, ut bestiæ dimitterentur ad devorandos Sanctos. Quod cum audisset princeps arenæ, volens placere præsidi, divisit quatuor ursas sævas nimis; quæ cum magno impetu venissent, statim corruerunt ad pedes Sanctorum, et lambere cœperunt vestigia eorum tamquam agni mansueti. Cumque vidisset hoc præses, præcepit, ut in igni consumerentur, dicens: Etsi bestiæ magica arte mansuetæ fuerint, ab igne crementur. Cumque allata fuisset ligna, et rogus structus fuisset, impositis Sanctis, ignis suppositus est. Tunc beatus Petrus expandens manus ad cælum (nutu enim Dei solutæ fuerunt manus eorum, quæ funibus erant constrictæ) dixit:

et igne, Deoque gratias agentes.

8 Gratias tibi agimus, Domine Deus, Pater unigeniti Filii tui, qui fecisti cælum et terram, qui nos dignatus es participes esse mystici hujus calicis sanctæ confessionis pro nomine Domini nostri Jesu Christi: ut et in hac hora B inveniamur tamquam holocaustum sacrificii in conspectu tuo. Cumque hæc dixisset, flamma ignis nutu Dei huc illucque diffusa est, tamquam ventus aufugit, fugiens nemine persequente. Tunc pariter levantes manus suas, dixerunt: Benedictus es, Domine Deus, qui fecisti mirabilia magna solus, qui in hac hora ostendisti, quod protector sis servorum tuorum, et timentium nomem tuum, qui sanas contritos corde et alligas contritiones eorum. Respice de excelso habitaculo tuo salvans animas, qui rabiem bestiarum frænasti, qui cælesti rore ignem fugasti et flammas avolare fecisti: protege sperantes in te ad gloriam nominis tui et laudem servorum tuorum, et ad confusionem infidelium, qui mirabilibus tuis credere nolunt. Illumina autem * cæcitatem cordis illorum, ut agnoscant te verum et viventem Deum.

* al. ergo

amputato capite ad palmam martyrii perveniunt

* al. effrenata

9 Tunc effeminata *, insania furibundus Cultianus, dixit: Video hos homines, et bestiarum feritatem circumventionibus quibusdam mutasse, et flammarum globos fugasse: præcipio, ut gladio feriantur, et sic demum corpora eorum igne crementur: videbo, quid illis prosit religio et intentio sua. Quibus jussa complentibus, Sancti C ad optata vota pervenerunt. Consummati sunt igitur beati Martyres, cervices suas gladiis supponentes, sexto Kalendas Septembris: et asportatæ sunt religiosæ * reliquiæ eorum in territorium Oxyrynchenæ civitatis, in possessione vocabulo Stypsoches. Ego Julianus presbyter dedi has reliquias cum his exemplaribus venerandæ diaconissæ *g* Yssiciæ, et scripsi * per manum filii mei Stelechi in possessione Rastoces propter infirmitatem oculorum meorum.

* al. a religiosis

* al. subscripsi

ANNOTATA.

a *Hæc verba non videntur sic intelligenda, ut secundum Diocletiani ac primum Maximiani consulatum designent, licet hic sensus sit magis obvius. Primo enim eruditi passim existimant, non secundum, sed tertium Diocletiani consulatum cum primo Maximiani concurrere. Deinde sub initium imperii horum imperatorum persecutio in Oriente nulla desæviit in Christianos, ut ex Eusebio ostendit Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 5 *art.* 1. *Tertio sub finem imperii Diocletiani et Maximiani, dum sævissima illa persecutio excitata est, hæc gesta esse, suadet Culcianus præses, qui sub Maximino sævire perrexit, et non nisi post mortem Maximini sub Licinio circa annum* 314 *occisus est. Existimo igitur designari consulatum Diocletiani* VIII, *Maximiani* VII, *quem gesserunt anno Christi* 303, *quo persecutio sævissima fuit; ita ut verba significent:* Dum iterum gerebant consulatum Diocletianus et Maximianus, *quem aliquot annis non gesserant. Hac de causa mortem Martyrum notavi circa annum* 303: *nam et anno sequenti, quo iidem fuere consules, res potuit esse peracta.*

A. JULIANO PRESB.

b *Enumerantur hic Martyres septemdecim: attamen alii ab his non sunt, quos Sollerius in Usuardo suo ad* XXVII *Augusti ex matricula Cartusiæ Ultrajectinæ recenset his verbis:* Sanctorum Martyrum sedecim in Ægypto. *Nam sic sedecim tantum numerantur in Florario nostro, et Floro aucto, ut in Commentario dictum est,* B *quod unus e numero exciderit.*

c Marcellum *dictum fuisse, licet martyrologia pleraque* Marcellinum *vocent, existimo: nam* Marcellus *etiam nominatur in antiquissimo Martyrologio, quod ex Ms. monasterii S. Germani Autissiodorensis edidit Edmundus Martene tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1547 *et seqq.; quodque* ab annis circiter mille sub nomine S. Hieronymi compactum *affirmat. De aliorum nominibus varie scriptis jam notata sunt aliqua in Commentario, ubi quoque de filiis Marcelli egimus.*

d Regione deorum *legitur in Ms. Trevirensi, at mendose, opinor: nam in Cluniacensi, quod secutus sum, sensus est clarus.*

e *In Cluniacensi Ms.* Missis apparitoribus Oxyrycho præcepit, ut ferro vincti ad domum *etc. De his in Commentario num.* 4. *Videtur Culcianus eo tempore præfecturam Oxyrynchenam administrasse, deinde Thebaïdi præfectus, ac denum toti Ægypto. Cui conjecturæ favent verba Eusebii num.* 4 *adducta.*

f *De his, opinor, Actis Eusebius lib.* 9 *Historiæ cap.* 5 *sic habet:* Denique cum (*gentiles*) Acta quædam apud Pilatum super Servatore nostro habita composuissent, plena impietatis adversus Christum; ea per omnes provincias imperii Maximini, (*inter quas erat Ægyptus*) ipso jubente, dirigunt; mandantes per litteras, ut ubique locorum tam in agris, quam in civitatibus, publice proponerentur; utque ludimagistri pro dictatis hæc declamanda, et memoriæ commendanda pueris traderent. *Præcessit quidem Martyrium Sanctorum nostrorum aliquot annis imperium Maximini, adeoque et promulgationem horum Actorum: at nihil obstat, quo minus jam ea composita esse, ac in præsidis manibus versari possent.* F

g *Diaconissæ initio Ecclesiæ plures fuerunt, quarum præcipuum munus erat mulieres rudes instruere, et ad baptismum præparare. Verum de diaconissis, variisque earum classibus consuli potest Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part.* 1, *lib.* 3, *cap.* 50 *et* 51.

A D

DE SS. RUFO ET CARPONE, CARPONIO

VEL CARPOPHORO MARTYRIBUS

CAPUÆ IN CAMPANIA ITALIÆ

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sub Diocletiano. Sanctorum cultus in ecclesia Capuana :

Sanctos martyres *Rufum et* Carponium *in ecclesia Capuana dudum cultos esse, atque hunc* Rufum *ab alio synonymo probabilius distingui, diximus in Actis S. Rufi episcopi, ut creditur,* B *et martyris, de quo hoc ipso die disputavimus. Quapropter hoc loco pauca tantum adjungam ibidem prætermissa. Martyrologium Romanum ad* XXVII *Augusti Martyres hosce sic annuntiat :* Ibidem *(Capuæ)* sanctorum martyrum Rufi et Carpophori, qui sub Diocletiano et Maximiano passi sunt. *In tribus Kalendariis Capuanis, quæ Sanctuario suo inseruit Michael Monachus a pag.* 401, *ad eumdem diem habetur memoria* sanctorum martyrum Rufi et Carponii. *Deinde laudatus Monachus pag.* 538 *ad quintum Kalendarium, quod notis illustravit, et in quo rursum ad* XXVII *ponuntur hi Martyres, hæc observat :* A tempore Cardinalis Bellarmini hac die actum est Officium de sancto Rufo episcopo et martyre, et Officium SS. Rufi et Carponii translatum est in diem post decollationem sancti Joannis. In diœcesi circa sanctum Tammarum fuit olim ecclesia SS. Rufi et Carponii, et erat capituli Capuani. *Confirmantur ista ex Breviario Capuano cum antiquo tum novo. Nam in Breviario antiquo Officium horum Martyrum legitur* XXVII *Augusti, in novo autem* XXX *ejusdem mensis, quo hodiedum festivitas celebra-* C *tur.*

eorum corpora servata Capuæ,

2 *In antiqua oratione de Martyribus suis recitarunt Capuani hæc verba :* Qui in præsenti requiescunt ecclesia : *ad quæ Monachus pag.* 55 *notat sequentia :* Docet hæc oratio, corpora sanctorum Rufi et Carponii cathedrali in ecclesia requiescere. Ipse accepi, paucis abhinc annis intermissam consuetudinem, qua in horum festo, cantatis Vesperis, presbyter hebdomadarius accedebat ad altare, quod a Septemtrione est in capite alæ, ibique pluviali indutus, cantabat orationem Propitiare. Itaque traditio est, illo iu altari condita esse sanctorum Rusi et Carponii corpora. Ego superioribus annis accepi, in civitate Rheatina hæc sancta corpora conservari : curavi eo litteras mitti, quibus datis, responsum est, vere ibi aliquando servata fuisse corpora sanctorum Rufi et Carponii martyrum Capuanorum, quorum nomine extat ecclesia : tamen a quibusdam Religiosis, quibus ecclesia concessa fuerat, inde clam sublata fuisse, relicta nimirum ab illis ecclesia. Credendum est, non integra Sanctorum corpora ab hac urbe uostra alio fuisse translata, sed aliquam eorum partem; imo et aliquam partem concessem ecclesiæ parochiali intra nostram urbem ab eorum nominibus appellatæ : cujus cum ipse essem presbyter, sæpius immisso baculo tentans, cognovi sub altari esse ligneam arcam, in qua non aliorum, quam Titularium fuisse reliquias, maxima probabilitate cogitamus : fuisse, non autem adesse, cogitamus propter aliqua signa amotorum lapidum, quæ consideravimus. E

inventaque anno 1712 sub quodam altari in ecclesia metropolitana,

3 *Corpora horum Martyrum, quæ diu laluerant, cum aliis quatuor inventa sunt anno* 1712 in sacra metropolitana ecclesia Capuana, et in sinu cujusdam altaris, *ut Acta inventionis post citanda habent pag.* 17. *Nicolaus Coletus, qui Italiam sacram Ughelli recudit, tom.* 6 *col.* 366 *ea de re sic meminit :* Ignota prius, quia diu abscondita, corpora SS. Prisci primi Capuani episcopi, Quarti et Quinti clericorum, Rufi diaconi et Carponii martyrum nuper inventa, thecis argenteis inclusa, in thesauro reposuit ecclesiæ *illustrissimus Nicolaus Caracciolus archiepiscopus Capuanus. Ipsa hujus inventionis Acta, jussu archiepiscopi composita, ejusque nomine subscripto firmata, quæ anno* 1727 *impressa sunt Neapoli, nobis humanissime transmissit V. C. Dominicus de Georgio frequenter in Opere nostro laudatus. Titulum illa præferunt hujusmodi :* Acta inveutionis corporum SS. MM. Quarti et Quinti, et SS. Prisci et Decorosi, Rufi et Carpouii, Quarti et Quinti episcoporum. *Priora duo inventa sunt anno* 1711, *ut dicitur pag.* 4; *alia sex anno* 1712, *die* XXVII *Junii, quorum inventio refertur facta, cum antistes Capuanus quæreret corpus S. Rufi episcopi, ut exponitur pag.* 6 *et* 7 *hoc modo :* Cum illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus, F D. Nicolaus Caracciolus, Dei et apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Capuanus, ex antiquis suæ metropolitanæ ecclesiæ monumentis accepisset, sacrum corpus S. Rufi episcopi Capuani quiescere in eadem ecclesia, et proprie iu sinu cujusdam altaris prope sacristiæ januam, de illo effodiendo et inveniendo cogitavit : quare hodie XXVII Junii MDCCXII de mane, hora quindecima circiter, associatus a reverendissimis canonicis, nempe Baltassare Stellato decano, Roberto de Azzia thesaurario, Carolo della Ratta, Josepho de Rosa, Andrea Salerno, Matthia Jocia, Dominico Forgillo pœnitentiario, Philippo Rossi, cauonicalibus insigniis indutis, . . ad sacrum depositum sui sancti prædecessoris effodiendum accessit, et ante præfatum altare genuflexus, litaniis beatæ Mariæ Virginis, aliisque precibus prius recitatis, amovere fecit per fabros murarios a summitate præfati altaris mensam lapideam; qua amota, apparuit alia mensa lapidea minoris longitudiuis et latitudinis, firme inhærens fabricæ ipsius altaris; qua elevata repertum

A repertum fuit quoddam vacuum ex crustulis marmoreis in modum arcæ dispositum, et in sex mansiuncnlas divisum : et in unaquaque illarum erat reposita quædam arcula lignea.

cum debitis inscriptionibus : * *l. incisæ*

4 Et ulterius observatum fuit, in plano inferiori præfatæ mensæ lapideæ, quæ ad instar operculi dictum vacuum muniebat, adesse incisæ * charactere semigothico sex inscriptiones, et unamquamque illarum correspondere supra singulas præfatas mansiunculas, in quibus extabant repositæ supradictæ arculæ ligneæ : et supra ipsarum operculum apparebant etiam incisæ aliæ inscriptiones, quæ alta et intelligibili voce fuerunt lectæ a præfato illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo. *Lapidi incisæ erant inscriptiones hæ ad Martyres nostros spectantes :* Hic quiescit corpus sanc i Rufi martyris. Hic jacet corpus S. Carponii M. *Illæ vero supra operculum arcularum :* Rel. S. Rufi martyris. Rel. S. Carponii martyris. *Reliquæ huc non spectant. Subdit deinde instrumenti auctor, arcas diligenter lustratas fuisse, inventasque sigillo munitas, ac demum in sacello Thesauri depositas, donec elevarentur ac* B *honorificentius collocarentur.*

elevata vero anno 1719 per Cardinalem archiepiscopum,

5 *Elevatio facta fuit anno* 1719 *per landatum archiepiscopum, tunc S. R. E. Cardinalem, prout refertur in memorato instrumento pag.* 17 *et* 18 *his verbis :* In nomine Domini, amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat, evidenterque sic notum, quod anno a Nativitate Domini millesimo septingentesimo decimo nono, Indictione XII, die vero XXVI mensis Februarii, Pontificatus autem sanctissimi in Christo patris, et domini nostri Clementis divina providentia Pontificis XI, anno ejus XIX feliciter, amen. Cum in sancta metropolitana ecclesia Capuana, et in sinu cujusdam altaris inventa fuerint sacra ossa sex Sanctorum, uempe S. Prisci M. Primi Capuæ episcopi, SS. MM. Rufi, et Carponii, S. Decorosi, et SS. Quarti et Quinti Capuæ antistitum, quæ eminentissimus et reverendissimus dominus Nicolaus Caracciolo Cardinalis archiepiscopus Capuæ in quadam arca lignea coiro * cooperta, clavi, et sigillis munita in cappella Thesauri per modum provisionis asservari mandavit ad finem illa decentius ac nobilius collocandi, et publicæ fidelium venerationi exponendi, C et cum pari pietate dicti emiuentissimi, reverendissimi domiui Cardinalis archiepiscopi fuerint constructæ duæ urnæ argenteæ distinctæ, crystallis munitæ ad effectum ibi sacra ossa prædicta collocandi SS. Decorosi, Rufi, et Carponii, de scripta, et adnotata in instrumento inventionis manu mei, etc.

* *i. e. corio*

thecisque argenteis imposita.

6 Et volens idem eminentissimus Cardinalis archiepiscopus pro fine prædicto, ossa prædicta in dictis sacris urnis argenteis collocare, hodie prædicto die, advocato ad sacram functionem illustrissimo et reverendissimo domino Josepho Schinosi episcopo Casertano, cum assistentia illustrissimi domini Nicolai Michaëlis abbatis vicarii generalis Capuani, per reverendissimos canonicos hujus metropolitanæ ecclesiæ eorum insignus indutos, præfatam arcam, in qua dicta sacra ossa condebantur et servabantur, asportare fecit a præfata cappella Thesauri ad illam hujus archiepiscopalis palatii, illamque supra mensam positam, præfatus eminentissimus et reverendissimus dominus Cardinalis archiepiscopus ostendit mihi notario, et reverendissimis dominis Josepho de Capua decano, Nicolao de Baucio archidiacono, Philippo Rossi primicerio, Bernardino Cuccaro, Francisco Maria Pratillo, et Sebastiano Boccardi canonicis hujus metropolitanæ ecclesiæ, testibus, qui sigillationi ipsius arcæ interfuerunt, ut recognoscerent sigilla impressa in cera Hispanica, ac vittas lineas, quibus ligata fuit in quatuor partes, an bene se haberent, et facta observatione per dictos testes, et cum omnia bene se habere vidissent, atque observassent, ut dixerunt, per eumdem eminentissimum dominum Cardinalem archiepiscopum jussum fuit amoveri dicta sigilla, et vittas prædictas incidi, prout fuit exequutum per dictum dominum primicerium Rossi.

deposita sunt in sacello Thesauri,

7 Inde idem eminentissimus archiepiscopus accepta clavi arcæ prædictæ, quam penes se habebat, illam aperuit, et cantatis hymnis : CHRISTO PROFUSUM SANGUINEM, ETC. ISTE CONFESSOR, etc. per præfatos reverendissimos dominos canonicos, ac per dictum illustrissimum, et reverendissimum dominum episcopum Casertanum benedictis urnis argenteis, fuit a præfato eminentissimo archiepiscopo extracta ab arca prædicta alia arcula lignea, in qua recondita reperiebantur ossa S. Decorosi Capuæ episcopi, et SS. MM. Rufi, et Carponii, illamque tradidit præfato illustrissimo domino episcopo Casertano, E qui brevi manu ab arcula prædicta sacra ossa extraxit, illaque in tribus vasibus rotundis vitreis cum suis cooperculis apposuit, videlicet in uno ossa S. Decorosi episcopi, in altero ossa S. Rufi martyris, et in tertio ossa sancti Carponii. Vas cum reliquiis sancti Decorosi conditum fuit cum sua epigraphe in una ex prædictis capsulis argenteis; et duo vasa cum reliquiis SS. Rufi et Carponii in alia argentea capsula, crystallis munita, condita et collocata fuerunt : quæ capsulæ bene compositæ, et clausæ clavibus ac seris ferreis, et etiam sigillis munitæ a reverendissimo capitulo et canonicis, solemni pompa, et processionaliter fuerunt asportatæ ad præfatam Thesauri cappellam, super quibus actum ubi supra, etc. præsentibus supradictis enunciatis testibus, mihi bene cognitis, ad prædicta specialiter habitis ac vocatis. Et in fidem hoc præsens instrumentum confeci, et publicavi, meoque, solito signo signavi requisitus, ego D. Alexius de Abusso sacerdos Capuanus, publicus Apostolica authoritate notarius, et curiæ archiepiscopalis cancellarius etc. F

Acta et Officium

8 *Acta* SS. Rufi et Carponii *authentica parum sunt aut sincera, sed variis inquinata mendis, quæ illorum fidem minuunt. Habemus geminum illorum apographum Ms., quorum alterum notatur desumptum ex Ms. Belfortiano, alterum ex codice Ms.* 118 *bibliothecæ Casinensis. Discrepant hæc Mss. locis variis; at non facile dixeris, utrum alteri sit præferendum. Verumtamen, ut lectores eruditi de iis judicare possint, Casinense Ms. prelo subjiciam, castigatis præcipuis erroribus, indicatisque differentiis alterius Ms., et antiqui officii, quod ex his Actis fuerat compositum, ubi videbitur operæ pretium. Michaël Monachus in Sanctuario pag.* 55 *et seqq. Officium antiquum notis illustravit, plurimaque explicare conatus est, quæ alioquin nata sunt eruditum lectorem offendere. Veruntamen ne sic quidem Officium illud ab omni errore vindicare potuit, nedum Acta nostra, in quibus plura occurrunt correctione indigentia, quam in memorato Officio. Menda prioris Officii causam præbuerunt illud abrogandi, novumque concinnandi, in quo illa prætermitterentur. Factum*

AUCTORE J. S.

id anno 1669, probatumque a sacra rituum congregatione ; at cum omnibus ad manum esse possit, necesse non est istud hoc loco recitare.

PASSIO

SS. Rufi et Carponii amicitia; hujus baptismus : a b

Sub Diocletiano imperatore et Maximiano cæsare *a* erat persecutio Christianorum in provincia Campaniæ, in templo Capitolii *b* Capuæ. Erat quidam diaconus Rufus nomine, pulcher aspectu, vir totius sanctitatis, qui propter seditionem paganorum non facile in publico videbatur ; sed cum multis Christianis erat absconditus in cryptis abditissimis : ad quem etiam Carponius nomine, dignitate sanctissimus, qui medicinæ arte imbutus erat, a sancto Spiritu edoctus, cotidianis diebus occurrebat beato Rufo, et se suis vestigiis prosternens osculabatur ; et per gratiam, quam illi Christus adtribuerat, in palatio Constantini imperatoris satis amicissimus erat *c*. Hic homo baptizatus fuerat a S. Sylvestro *d* : qui interrogatus ab eo, quod est nomen tibi ; respondit Calpurnius dicor : cui dixit S. Silvester : Quia gratiam Christi percepisti ; Carponius *e* erit tibi nomen. Tunc in ipsis temporibus Sibylla *f* persecutrix Christianorum dominabatur Romæ : et dum ibi persequeretur Sanctos Dei ; B. Carponius fugiens inde, venit Campaniam in civitate Capua. Hic audiens vitam beatissimi martyris Rufi, inquisivit ab hominibus civitatis de eo, et didicit in quo loco absconditus erat, et sicut superius dictum est a Carponio B. Rufus quotidie vistabatur. Erat autem B. Rufus annorum circiter viginti septem.

capitur S. Rufus, g

2 Quid plura ? Theodosio consule *g* pagano, qui de Græcia advenerat ad interficiendos omnes, qui in nomine Jesu Christi credebant, et hic notissimum habuit beatum Carponium, cum esset in palatio Constantini imperatoris. Beatus autem Rufus una cum Carponio crebris vicibus se occultabant, quibus, sermo unus erat in Christi amore. Et dum Sibyllæ furor exardesceret per universas provincias, et B. Rufus cum turba Christianorum celatus esset in cryptis abditissimis ; tunc facta est seditio paganorum populi de nomine Rufi et abierunt ad proconsulem Campaniæ, nomine Cassellianum, clamantes et dicentes : Ecce sunt hic homines imperialia jussa contemnentes, et nescio quem Christum colunt abscondite : quod si illis concessum fuerit, periit religio nostra, et dii nostri pro nihilo computabuntur. Audiens hæc proconsul, jussit ab officialibus suis eos capi et sibi præsentari. Tunc inquirentes invenerunt eos, et adduxerunt eos ad proconsulem. Tunc jussit eos proconsul in ergastulo mancipari cum summa diligentia et sollicitudine, quousque fieret eorum interrogatio. Cumque hoc comperisset B. Carponius, non differebat eum in carcere cotidie visitare.

cumque visitans S. Carponius : interrogati Christum confitentur :

3 Custodes vero carceris volentes placere proconsuli nunciaverunt ei dicentes : Ecce ad illos, quos jusserat excellentia vestra retrudi in carcere, multitudo Christianorum veniunt cotidianis diebus ad eos. Perquisivimus eos, de quo genere essent, respondentes : Christiani sumus, Filium Dei colentes et adorantes. Tunc jussit Casellianus ad custodes carceris, ut eos comprehenderent, et jussit sibi tribunal præparari : et sedens pro tribunali, jussit B. Rufum cum B. Carponio sibi præsentari : et interrogavit eos, dicens : Cujus religionis estis ? Responderunt : Christiani sumus, et Christum confitemur. Ait judex B. Rufo. Quid militas ? vel quo honore fungeris ? S. Rufus respondit : Diaconus sum. Judex dixit : Cujus civitatis ? S. Rufus respondit : Capuanæ ecclesiæ. Dicit proconsul B. Carponio : Numquid et tu Christianus es ? At ille respondit : Et ego ipsum Christum Filium Dei vivi confiteor, qui fecit cælum et terram ; ego enim paratus sum mori pro Christi amore.

et sacrificare idolis renuunt coram imperatore, h

4 Cumque hæc audisset proconsul, direxit litteras imperatori Diocletiano *h*, quibus indicavit, se homines invenisse Christo credentes : jussit enim illos reduci in carcerem. Tunc imperator Diocletianus, cum audisset, sic mandavit proconsuli : Audio, quia ex magno genere sunt nati, et ideo ad nos eos dirigite, et nos eos diligenter examinabimus. Hoc audiens proconsul, relecta jussione principis, non eos potuit morari, quia B. Rufus nobili genere natus erat, et transmisit eos in urbem Romam. Reliquos vero Sanctos in carcere tenuit ligatos. Dum pervenisset B. Rufus et Carponius Romam, nunciatum est imperatori, jussitque eos in carcerem recipi. Post tertium autem diem jubet imperator sedem sibi præparari in amphitheatro, in jussit eos adduci. Cumque adducti fuissent, et hilari vultu coram imperatore stetissent, dixit eis imperator : Accedite et sacrificate diis nostris secundum decretum jussionis nostræ, et abscedite inlæsi. Tunc B. Rufus una cum Carponio dixerunt : Nos diis tuis numquam obedivimus ; habemus enim Regem cælorum, cui sacrificium laudis nos ipsos offerimus, non diis vestris, vanis surdis et mutis, qui non vident nec gressum movent.

cujus jussu cæduntur, et ad judicem remittuntur : i

5 Hæc audiens imperator, jussit eos plumbatis *i* cædi : cumque cessassent cædentes, ait illis imperator : Quare sic injuriastis deos meos ? B. Rufus una cum Carponio dixerunt : Nos non injuriamus deos tuos, sed illos, qui ipsos colunt. Nam tu, imperator, si cognosceres, quantum potens est Deus noster, nobiscum Christum confiteretis. Tunc imperator audiens hæc, tacuit, jussitque consiliario suo, ut eos transmitteret in Campaniam ad proconsulem dicens : Non possum eos occidere propter Sibyllam, quia Carponius notissimus erat ei, et mandavit judici jussionem, ut eos ipse debeat audire vel occidere, si tamen perseveraverint credere in illum Jesum Christum, qui crucifixus est ab hominibus in Judæa.

torti in equuleo, rursus ad sacrificandum

6 Tunc suscepit eos judex cum magna districtione. Alia vero die jussit adduci B. Rusum et Carponium, dicens eis una cum consiliario suo, nomine Aproniano : Sacrifica diis secundum jussionem Diocletiani imperatoris et Maximiani cæsaris. Et respondentes sancti martyres Rufus et Carponius, dixerunt : Imperator tuus Diocletianus et cæsar tuus Maximianus in suis rebus errant, et ideo illos comtemnimus, et credimus in Christum Filium Dei vivi, qui fecit cælum et terram. Proconsul dixit : Consultum agite nobilitati vestræ, et nolite celerius vitam finire. Tunc responderunt sancti Martyres, atque dixerunt : Semel tibi diximus, quia numquam consentientes sumus diis vestris petrineis. Tunc jussit eos proconsul in eculeo suspendi et torqueri. Cum torquerentur, hilari vultu gratias agebant Domino Deo dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Jesu Christe, quia meruimus

A mus propter nominis tui amorem hæc pati. Dixit vero S. Rufus ad proconsulem : O si scirent Diocletianus et Maximianus imperatores tui, qualis est Christus Filius Dei vivi, derelinquerent idola surda, et cæca et muta, quæ in igne cruciantur cotidianis diebus, et adorarent Dominum creatorem suum vivum, qui fecit cœlos in virtute sua, et tu judex iniquitate plenus ultra jam non præsumeres cruciare eos, qui Christum confitentur, sed per te in perditione erit imperium Diocletiani et Maximiani cæsaris.

frustra invitantur Sancti. 7 Judex dixit : Quid sic injuriastis imperatores nostros? Quare sic superbe locuti estis? B. Rufus una cum Carponio dixerunt : Nos non sumus superbi, sed sumus simplices, sicut columbæ Christi : nos enim non cessamus omnino confiteri atque laudare Dominum nostrum Jesum Christum, et benedicere Salvatorem mundi. Tunc jussit eos proconsul in carcerem recipi, quousque cogitaret, quemadmodum eos perderet. Alia vero die jussit sibi sedem parari in foro, et sedens pro tribunali, jubet beatum Rufum sibi præsentari; sanctum vero Carponium jussit in carcere reservari. Cumque beatus Ru-B fus una cum aliis martyribus adstaret coram præside, dicit judex ad reliquos Sanctos : Obedite jussioni nostræ, et sacrificate diis. Responderunt Martyres, atque dixerunt : Nos ipsos sacrificium laudis offerimus Regi cælorum : nam tibi numquam erimus consentientes. Cumque hæc audisset proconsul, jussit omnes in eodem loco decapitare.

S. Rufus libere judici respondens, 8 Cumque decollarentur, B. Rufus orabat, dicens : Domine Deus omnipotens, suscipe animas servorum tuorum in pace, et me celeriter jube de hoc sæculo accersire, quia tempus est laudare sanctum nomen tuum. Cumque complesset orationem, dicit ei proconsul : Accede et sacrifica diis, Rufe, ne juventutis tuæ vitam celerius finias. Respondit S. Rufus et dixit : Audi, proconsul, numquam consentiens ero sacrificiis tuis vanis, quæ vobis in perditione vestra reservantur, sed confido in Deum omnipotentem, qui deos vestros ad perditionem vestram perducit. Judex dicit : Quiesce jam et sacrifica diis. Respondit S. Rufus, et dixit : Talis est C Diocletianus imperator, quales sunt dii tui miserrimi : ego autem festino adpropinquare ad vitam illam æternam, et accipere a Domino coronam perpetuam. Judex dixit : Consultum da animæ tuæ, et acquiesce. S. Rufus dixit : Quod minaris, in me exerce celerius. Judex dixit : Quamdiu injurias tuas portare possum : per salutem deorum, nisi quia ex nobili genere natus es, jam jusseram te feris tradi. S. Rufus respondit : Fac, quod vis, Casselliane, frigide diabole *k*, quia et tu talis effectus es, quales et dii tui sunt.. k

plumbatis cæditur usque ad mortem, et S. Carponius in catasta moritur: 9 Tunc proconsul furore repletus, jussit B. Rufum plumbatis cædi : et dum diu cæderetur, hilari vultu respiciens in cælum, lacrymabiliter dixit : Ago tibi gratias, Domine Jesu Christe, qui vivis et regnas una cum Patre et Spiritu sancto : rogo ut accelereS animam meam modo, quia tu es Deus meus, et fortitudo mea. Et cum hæc dixisset, emisit spiritum. Corpora Sanctorum, de quibus superius dictum est, rapta sunt a Christianis, et reposita sunt in cryptas, ubi fuerunt prius absconditi. Et dum cognovisset proconsul, iratus est valde, et jussit a militibus custodiri corpus B. Rufi. Jussitque et S. Carponium sibi præsentari, et sedens pro tribunali proconsul, interrogavit S. Carponium, dicens : Vera sunt hæc, quæ audio, quæ adversum te a Probo dicuntur? Quia dum esset in carcere, multas turbas Christianorum docebas, et prædicabas illis nescio quem Christum crucifixum, et deos nostros pro nihilo computabas? At ille tacebat. Tunc judex iratus est, quod ille non responderet, dixitque ei : Dic tu, scelerate homo, quid est hoc, quod audio? Tunc Carponius iterum silentio tacebat, et pectus suum percutiens, oculis ad cælum aspiciebat. Tunc iratus judex jussit maxillas ejus contundi. S. Carponius dixit ei : Iniquitate plene, malefice, quid persequeris Servum Dei? Tunc accensus ira proconsul jussit eum in catasta torqueri. Cumque diutius torqueretur, hilari vultu benedicebat Dominum dicens : Domine Deus omnipotens, libera me de manibus Casselliani proconsulis, qui liberasti ancillam tuam Susannam de falso crimine per servum tuum Danielem, ita digneris suscipere spiritum meum, quia tu es Deus meus, et dum hæc orasset, emisit spiritum. A ANONYMO

corpora a Christianis clanculum sublata et sepulta. 10 Tunc proconsul jussit corpus ejus juxta corpus sancti Rufi poni, et sic eos custodire, dicens : Forsitan qui illos alios sepelierunt, venient, ut etiam et hos sepeliant; et capientes E eos ad me perducite. Tunc, Deo auxiliante, obdormierunt custodes; et audientes Christiani nocte, illis dormientibus, rapuerunt corpora eorum, et condiderunt aromatibus preciosis, et reposuerunt eos cum summo honore et gaudio in cryptas abditissimas, collaudantes Dominum nostrum Jesum Christum. Quæ acta sunt temporibus Diocletiani imperatoris et Maximiani cæsaris et Casselliani proconsulis, qui in capitolio deserviebat diis sordidissimis. Quod capitolium civitate Capua orationibus sanctorum Rufi et Carponii Christus fulmine suo interemit *l*, et ultra non surrexit persecutio paganorum. Depositio enim martyrum Rufi et Carponii, sub die sexto Kalendarum Septembrium; adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen. l

ANNOTATA.

a *Ita quoque antiquum Officium Capuanum, ad quod notat laudatus Monachus, legendum esse,* Maximiano augusto. *Sic legitur in Ms. Belfortiano :* sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus. F

b *Ad hæc Monachus scribit sequentia :* Capitolium dicebatur locus in unaquaque civitate præcipuus, murorum ambitu custoditus, ubi potissimum gentilium superstitio colebatur. Quare non Romæ tantum, sed in aliis etiam urbibus capitolium existebat..... De Capuano meminit Suetonius, scribens illud a Tiberio dedicatum Augusto. Cujus capitolii locus, ut archiepiscopus Costa descripsit, erat non longe a Criptoporticu et theatro : erat ille fere locus, qui nunc dicitur la Torre : est enim ibi turris, antiquum opus ab Aragonensibus restitutum. Templum dicebatur ingens ædium moles, et ampla structura, sive divino, sive alii publico usui dedicata : quare non omne sanum. . . dici templum consueverat. *Addit, templa eo tempore Christianis non fuisse, sed ecclesias tantum : indeque recte deducit,* Rufum *non ministrasse in templo capitolii, ut aliqui locum intellexerunt, sed persecutionem ibi exercitam fuisse, seu Christianos in illo loco ad idolatriam fuisse invitatos minisque*

A. Anonymo. *nisque et suppliciis compulsos.*

c *Hæc de amicitia in palatio Constantini omnino omissa sunt in Officio, et recte. Explicari certe non possunt de Constantino magno imperatore : de patre ejus Constantio Chloro tunc cæsare utcumque intelligi possent, si auctoris fides aliunde esset probata.*

d Intellige, *inquit Monachus*, Carponium baptismate initiatum a sancto Sylvestro, nondum creato Pontifice, sed existente presbytero Cardinali. *Benigna quidem hæc expositio admitti posset, nisi auctor videretur potius magna nomina, quam rei veritatem, secutus. Quidquid sit, Sylvester ad Pontificatum evectus est annis non paucis post imperium Diocletiani.*

e *In alio Ms.* Carpon, *alias* Carpophorus *dicitur.*

f *Sibilla hæc displicet Baronio in notis ad Martyrologium Romanum. Corrigenda hæc verba admittit Monachus, si de Sibilia vatc sint intelligenda; maxime cum pugnantia dicantur de Sibilla : nam hic Sibilla inducitur persequens Christianos : num. 5 imperator non audet Romæ occidere* Carponium, *ne offenderet Sibillam, ut notat.* B *Addit tamen Monachus, intelligendos forte libros Sibillinos : aut Sibillam fuisse feminam primariam, cui, inquit,* Carponius, utpote medicus, poterat esse notus et charus. *Hinc* Carponii *et imperatoris timorem conciliare nititur, quod prior illam timere posset ob fidei odium; imperator vero ob Sibillæ cum* Carponio *amicitiam timeret, ne hujus mors illi displiceret. Attamen hæc subtiliora apparent quam probabiliora et persecutio illa Sibillæ fabulis annumeranda.*

g *Hic consul Theodosius, ut Fastis ignotus, ita plane videtur fictitius : omissus quoque est in Officio Capuano.*

h *Ad hæc Monachus observat sequentia :* Diocletianus hisce temporibus, *id est*, anno supra trecentesimum primo, secundo, tertio, et quarto Nicomediæ commorabatur, *ubi persecutionem, promulgatis atrocissimis edictis, exorsus est anno* 303, *aut certe degebat in Oriente :* quare oportuit a proconsule dari literas ad Maximianum augustum Romæ degentem. Honoris tamen gratia, cum esset Diocletianus imperii caput, et persequutionis auctor, ad illum dicebantur mitti literæ de causis Christianorum. *Sic ille benignius, quam mereantur Acta tot mendis inquinata : neque enim fidem obtinere debent omnia, quæ quovis modo exponi possunt, præsertim si reperiantur in Actis, quorum fides vacillat.* D

i *Plumbatæ sunt lora ex pluribus funibus superius in nodum colligatis. quibus innexi inferius sunt globi plumbei : his collum humerosque percutiebant, ut jam observavi tom.* 5 *Augusti pag.* 118.

k *Hujusmodi responsa, licet fidem Actorum alias probatorum non evertant, displicent tamen eruditis. Neque Officio inserta fuit hæc responsio.*

l *Non leguntur hæc in alio Ms., uti nec sequentia de cessatione persecutionis. Suetonius lib.* 4 *de Cæsaribus num.* 57 *in Caligula scribit :* Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cælo tactum est. *At hoc Diocletiani tempora plusquam duobus seculis præcessit. Nec satis auctoritatis habent hæc Acta, ut credamus idem rursus contigisse Martyrum horum precibus. Quod de persecutionis sine dicitur, exactum non est : nam continuata est persecutio sub Galerio Maximiano, et Maximino; et a Licinio in Oriente restaurata; ut nihil dicam de persecutione Juliani diu post secuta.* E

DE SS. MARTYRIBUS CONSTANTINOPOLITANIS

OLLIO ET STEPHANO DIACONO

J. P.

Ex Florentinio.

C

Die xxvii Augusti.

Martyres hos duos e textu apud Florentinium huc transcripsimus, in quo sic referuntur :* In Constantinopoli natalis sanctorum Ollii et Stephani diaconi. *In notationibus autem pauca hæc de eisdem observat :* S. Willibrordi jam adductum M. Byzantinos hos Martyres omittit, ex aliqua fortasse lacuna, quæ librario imposuit, ut Stephanum inter Hermetem et Basillam Romanos martyres imponeret; qui Byzantinus diaconus est in libris nostris; martyr tantum in Corbeiensi. *In nostro autem Corbeiensi breviore non occurrit hac die. Uterque Constantinopoli etiam signatur, ac titulo* diaconi *donatur* Stephanus *in apographo nostro ex Ms. S. Maximini, quod habetur in involucro* S 19. *Apud Acherium tomo* 4 *Spicilegii, in Martyrologio sub S. Hieronymi nomine ibi edito, pag.* 668 *sic habentur :* Constantinopoli, natalis sanctorum Olii, et Stephani mart. F



DE

A D

DE SS. FELICE, ARONTIO, SABINIANO

HONORATO, MM.

POTENTIÆ IN LUCANIA ITALIÆ

Ex Hieronymianis apographis.

J. P.

Die XXVII Augusti. Martyres hosce seorsum damus.

Quatuor hi Sancti producuntur apud Florentinium in textu Martyrologii Hieronymiani, quod vulgavit; in notationibus autem nominantur ex Martyrologio Corbeiensi, ac vetustissimo Antverpiensi. Inter Prætermissos hesterno die, quo ad hunc fuerunt dilati, eo modo et ordine ponuntur:* Sabinianus Honoratus, Arontius,ac Fortunacianus. *In Martyrologio Reginæ Sueciæ apud Florentinium in notis, et apud nos inter Hieronymiana contracta ac vulgata, solus nominatur* Felix; *tres vero alii absque nomine ipsi adduntur:* In Lucana, natalis sancti Felicis cum aliis tribus. *Castellanus omnes quatuor transcripsit in suo Martyrologio universali; sed Arontium collocat primo loco; passosque eos indicat* sub judice Valeriano. *Martyrii palæstra supra notabatur* Potentia, *quæ fuit* urbs Lucaniæ in Italia Ptolomæo et Antonino, nunc POTENZA, urbs regni Neapolitani in Basilicata provincia.. ad radices Appennini.., 15 milliaribus distans ab Acherontia in occasum hybernum, Marsicum novum versus totidem *etc., ex Baudrando.*

qui alibi

2 *Consuli possunt quæ de illa habet Ughellus tomo 7 Italiæ sacræ, a columna 132 novissimæ editionis; qui eadem occasione hæc scribit:* Potentiæ Arontius, Honoratus, Fortunatus, et Sabinianus VIII Kalend. Septemb. sub Valeriano judice, Maximiano imp. palmam sumpserunt martyrii: horum alii octo germani fratres diversis Apuliæ in locis pari corona fuerunt condecorati: quorum omnium sacra lipsana collegit Arechis princeps, et in templum S. Sophiæ Beneventi transtulit anno DCCLX. Vitam, agonemque ipsorum versu heroico transcripsit Alfanus archiepiscopus Salernitanus ad Rofridum, quæ extant apud Surium to. 7: quorum meminit Martyrologium Romanum Kal. Septemb. *Explanandæ hic sunt difficultates, quoad fieri utcumque poterit, circa quatuor sanctos Pugiles, superius seorsum positos, unaque sub annuntiatione conjunctos; sed apud Alphanum una cum octo aliis eorumdem fratribus nominatos.*

cum aliis octo conjunguntur.

3 *Acta, ab isto archiepiscopo metrico stylo conscripta, exiguæ sunt auctoritatis, tum quia is demum floruit seculo Christi undecimo, atque adeo immensa quodammodo plurimorum seculorum intercapedine remotus a tempore rerum, quas conscripsit; tum quia Acta illa prædictorum duodecim Pugilum vacillant, ipsomet fatente Baronio ad diem* I *Septembris; ubi ad annuntiationem suam,* Beneventi sanctorum Martyrum duodecim fratrum, *monet,* corrigenda *esse,* quæ in eis de S. Cypriano martyre narrantur: longe enim, *prout addit,* ante tempora Maximiani, quibus hi passi dicuntur, vixit sanctissimus Cyprianus: nisi forte in iisdem Actis in nomine imperatoris error irrepsit, et pro Valeriano sit positus Maximianus. *Et hanc quidem correctionem extendit Baronius ibidem ad Acta metrica Alphani, et ad prosaica, quæ charactere Longobardo exarata habere se affirmat. Plenius autem eorumdem examen institui poterit ad diem* I *Septembris, suboritura tunc fortasse alterius inquisitionis materia, an quatuor Martyres hodierni non sint perperam cum aliis octo conjuncti, ac civitati Beneventanæ assignati; an fratres. Nos interim illos dedimus seorsum, prout sunt in dictis Fastis, et apud Acherium in Martyrologio, supra pag. 20 citato.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ANTIOCHENIS

SEBASTO, ALEXANDRO, ET FORTE EMERITA

Ex Hieronymianis exemplaribus.

J. P.

Die XXVII Augusti. Differunt exemplaria

Martyrologium Hieronymianum a Florentinio editum hæc habet:* In Antiochia natalis sanctorum Sebasti, Alexandri abbatis. *In notationibus autem observat, ex Antiochenis martyribus hosce dumtaxat duos in libris suis exhiberi:* Emeritam *vero addi in M. Corbeiensi, hoc modo:* VI Kal. Sept. In Antiochia natalis sanctorum Sebasti, Alexandri abbatum. Emeritæ. *Deinde subnectit ista laudatus Florentinius:* Abbates ambos sanctos Martyres Antiochenos, ex Corbeiensis Martyrol. adducto laterculo videtur educi; sed abbatis titulus Alexandro tantum tribuitur in libris nostris. *Ex annuntiatione vetustissimi Antverpiensis animadvertit, nullum ipsis dari, illud ita recitans:* In Antiochia Sabbati et Alexandri. *Hisce exemplaribus a Florentinio citatis addi potest Corbeiense brevius, quod inter Martyrologia Hieronymiana contracta et a nobis edita habetur, omnique etiam titulo*

AUCTORE J. P.

in annuntiandis hisce Sanctis.

titulo abstinens, hæc refert : In Antiochia, natalis sanctorum Sebasti, Alexandri. *Ibidem in Labbeano solus* Sebastus *ponitur sine* Alexandro, *aliis tamen conjunctus, et sine loco palæstræ.*

2 *Accipe nunc Florentinii conjecturas :* Ex nomine, *inquit,* Sabbatii dubitari subiit, an abbatis superadditus titulus conflatus fuerit. Abbatis quidem dignitas recentiora persecutionum tempora respicere videtur, passim jam conditis asceteriis. Sebastius, Alexander, Sabbatius et Emerita, Antiocheni martyres essent, si alicujus antiqui codicis fides clarior accederet. Sabbatium socium Trophimi, sed ante ipsum coronatum Antiochiæ Pisidiæ, habet Menologium Basilii ad diem XVIII Septembris, et hunc ipsum putarem. *His ita propositis, primo duobus hisce Sanctis dedimus supra titulum Martyrum; quia tametsi de illo non certo* D *constat, passim tamen Martyres solent notari in allegatis modo exemplaribus Hieronymianis. Secundo, appositionem* abbatum *omisimus tanquam dubiam, quia Hieronymiana apographa tam luxata sunt et corrupta. Tertio,* Emeritam *per adverbium* forte *restrinximus; cum in unico dumtaxat, ut vidimus, occurrerit exemplari, et possit esse nomen palæstræ martyrii, spectans ad aliam annuntiationem, et perperam pro nomine Martyris huc intrusum. Titulus tamen* abbatum, *ac nomen* Emeritæ *etiam sunt apud Acherium pag.* 20 *citatum. Quarto, locum* Antiochiæ *reliquimus in sua possessione, in pluribus videlicet exemplaribus signatum. Habes, lector, hæc paucula, de quibus monendum te censui.*

DE SS. CALIXTO ET CYPRIANO MM.

J. P.

IN DIŒCESI RIVENSI GALLIÆ

B

DIE XXVII AUGUSTI.

Saussayus in Supplemento ad suum Martyrologium Gallicanum certiores nos reddit, duos istos Pugiles hac die publicam habere venerationem, etiamsi alibi nihil hactenus de eadem discere nobis licuerit in Fastis sacris. En tibi Saussayi verba: In monasterio Lezatensi diœcesis Rivensis prope Tolosam, natalis sanctorum Calixti et Cypriani martyrum, qui ibidem solemni hodie Officio coluntur. Horum sacra corpora ex duabus capsis perantiquis, in quibus dudum requieverant, anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, v Aprilis, a Priore loci, cœnobitis præsentibus, in E novam thecam ornatioremque fuerunt translata, et intra capellam sancti Antonii honorifice reclusa, *simul cum aliis sanctorum lipsanis, quorum hodie mentionem fecimus inter Prætermissos. Monasterium Lesatense, de quo supra, est Ordinis Benedictini,* ad Lesam fluvium in inferiore comitatu Fuxensi, quinta supra Tolosam leuca, in antiqua diœcesi Tolosana nunc Rivensi *(Rieux vulgo;) ex Sammarthanis tomo* 4 *Galliæ Christianæ, pag.* 564.

J. S.

DE S. ANTHUSA MARTYRE

DIE XXVII AUGUSTI. *Cultus apud Græcos et Latinos,*

Menologium Græcorum, ab eminentissimo Sirleto Latine redditum, ad XXVII *Augusti annuntiat* S. Anthusam, *juniorem dictam, ad distinctionem alterius, quæ tempore præcesse-* C *rat. Verba accipe:* Eodem die natalis beatæ Anthusæ junioris, quæ aspera et lacera veste induta, atque in puteum pro Christi confessione dejecta, consummata est. *Eadem Græce leguntur in Menæis. Hinc Martyrologium Romanum ad dictum diem :* Passio sanctæ Anthusæ junioris, quæ ob Christi fidem in puteum mersa, martyrium sumpsit. *Notat ibidem Baronius, juniorem vocari* respectu senioris, quæ passa est in persecutione Valeriani. *De hac actum est apud nos die* XXII *Augusti: verum, ut ibi pag.* 500 *notatur,* senior *non vocatur, nec martyrio obiisse dicitur in Menæis, ut mihi non liqueat, an hujus respectu hodierna* Anthusa *nominetur junior. Certe* XXII *Februarii, seu tom.* III, *pag.* 287 *de alia* Anthusa *martyre, cum duodecim famulis gladio percussa, breviter actum est. Nec obstat aliquid, quo minus illa possit esse senior hujus respectu. At cum tempus, quo utraque passa est, non exprimatur, res manet incerta.*

et mortis genus.

2 *Subjicio duos versiculos, quos Menæa sic exprimunt.*

Ὁ μανδύας σοι πῖλος ἡ πόρπη πέτρα
Μεθ' ὧν ὑπῆλθες Ἄνθουσα βαθὺ φρέαρ.

Hosce autem Latine reddo hunc in modum.

Est vestis ipsa pileus, est saxum tibi
Fibula, quibuscum, Anthusa, tu puteum subis.

Vox μανδύας, *alias* μανδύη, *proprie significat ge-* F *nus vestimenti militaris apud Persas; at hic sumi videtur pro omni veste. Significat auctor, quantum mihi apparet, sacco impositam fuisse Sanctam, saccumque ei fuisse pro corporis simul et capitis tegumento; alligatum deinde illi saxum, ut citius mergeretur, hocque saxo, sicut fibula, saccum corpori fuisse adstrictum. Hinc ergo clarius exponitur mortis genus, quam id exposueral Sirletus. Hisce autem quod addam, nihil invenio.*



DE

A D

DE S. DECUMANO EREMITA ET M.

IN COMITATU SOMMERSETIENSI ANGLIÆ

Sylloge de loco, et cultu; Vita notationibus exposita.

J. P.

Die xxvii Augusti. Describitur locus, in quo Sanctus obiit:

Inter alios plures Angliæ Comitatus numeratur unus, cognomento Sommersetia, *vulgo Sommerselhs-hire, quem Cambdenus in sua Britannia, anno* 1607 *Londini edita, describit pag.* 161 : Sommersettensis, *inquit,* Comitatus.. ampla sana et opulenta est regio, Sabriniano freto a Septentrione pulsata, ab occasu Devoniæ, ab austra Dorcestriæ, ab ortu Wiltoniæ, et partim Glocestriæ Comitatibus B contermina.. Ad Sabrinianum fretum.. primum occurrunt Porlock.. et Watchet.. His interponitur Dunstor castrum.. Huic castro adjacent duo viculi, duobus Indigetibus sacri : Carantou alter vocatur a Carantoco Britanno; alter S. Docombes a Decumano, qui e Southwallia solvens huc appulit " in vasta (ut *in* antiquo Agonali legitur) " solitudine, " frutetis, et vepribus obsita, densitate sylvarum " in longum et latum spaciose porrecta, montium " eminentia educta, valliumque concavitate mi- " rabiliter interrupta " : ubi mundi vanitati valedicens, a sicario transfossus, divinum honorem apud populum consecutus est. *Ex his Camdeni verbis discimus cum loci situm, cui* S. Decumanus *nomen indidit, et in quo vixit, tum publicam ipsius et antiquam ibidem venerationem, postquam e vita migravit. Verba autem, quæ legi asserebat Cambdenus in antiquo* Agonali, *ut vocabat, seu Passionali vel Legenda, habentur apud Capgravium, sicut postea videbimus.*

probatur ejusdem cultus,

2 *Nullum vidimus hactenus Martyrologium* C *antiquum, quod hujus Sancti meminerit. Aliud est de recentioribus. Wilsonus quippe eum hac die laudat in suo Martyrologio Anglicano utriusque editionis. Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum hæc refert :* In Anglia S. Decumani eremitæ et martyris. *De eo etiam meminit Wion in Appendice ad* 3 *librum Ligni vitæ pag.* 413, *et Castellanus in Indice Sanctorum ad suum Martyrologium universale, illum indicans omissum die* XXVII *Augusti. Alfordus Annalibus ecclesiæ Anglo-Saxonicæ illum etiam inserit ad annum* 706 *num.* 8; *quo* in ejus cultum, *inquit*, erecta ecclesia, *citatque editionem primam Martyrologii Anglicani, in quo ad istum circiter annum id factum refertur :* Cur autem nuper martyrii ejus annus in nova editione ad annum Christi DCCXX retrahatur, *fatetur se nescire. Ratio, quæ nos movet, ut Sanctum hunc aliis hujus diei Cælicolis annumeremus, in eo sita est, quod ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII fuerit in possessione publici cultus, quem habuisse probatur ex Vita ejus apud Capgravium, Joannis Tinmuthensis compilatorem : nam Joannes Tinmuthensis vixit seculo decimo quarto; Capgravius autem decimo quinto : sive autem hanc* S. Decumani *Vitam hic ex illo transcripserit, sive aliunde; verum tamen manet, antiquam ab immemorabili tempore hic obtinere possessionem, de qua dicebam.*

3 *En tibi nunc sequentes in eamdem Vitam observationes. Dicitur primo Sanctus* oriundus in occidentalibus Cambriæ partibus, quæ nunc Wallia nuncupatur. *Baudrandus* Vallia, *inquit,* alias etiam Cambria dicta, pars est occidentalis regni Angliæ.. Divisa fuerat alias in tres partes, *quas ibidem memorat.* Nunc autem distinguitur tota Vallia in Valliam Borealem, North-Walles, et in Valliam Australem, Sout-Walles; *et provincias utriusque parvas, seu Comitatus subdit mox idem geographus. Secundo, quæ in Vita sequuntur de Wallia et Anglia ad Christi fidem conversa, occasionem nobis præbent disserendi de tempore.* E *Litteras de causa a Lucio Britanniæ rege ad Eleutherium PP. missas scribit Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi* 181 *num.* 3 *post Usserium libro de Britannicarum ecclesiarum primordiis, cap.* 4, *ubi fuse ac diligenter disserit de hoc argumento. Sic scribit ejusdem Vitæ auctor :* Natio siquidem illa, priusquam major Britannia, quæ nunc est Anglia, barbarica feritate deposita, et relicto errore gentilitatis.. mox Christo se subdidit, et euangelicis informari meruit institutis. *Famosissima vero est Angliæ conversio, ad quam fortasse idem scriptor hic respexerit, quo S. Augustinus, exeunte seculo sexto a Gregorio magno in Angliam missus est, Christi Euangelium in eamdem illaturus : quod eo fecit successu, ut merito Anglorum apostolus fuerit appellatus Si certo constaret, intelligendum biographum de hac Angliæ conversione, convenienter intelligi posset ratio temporis,* S. Decumani *apud Alfordum, ejus gesta recitantem ad annum* 706. *Sed ad anteriora longe tempora respexit Wilsonus, ut supra indicatum est. Id vero cur fecerit, fatemur cum Alfordo nos nescire, et addimus, non est nobis compertum verum ac justum tempus, quos Sanctus idem floruerit.* F

et variæ præmittuntur ipsius Vitæ

observationes

4 *Tertio*, Castrum Dorostorum, *quod deinde ponitur in Vita,* nunc Dunstor *esse, Alfordus antea citatus indicat num.* 9 *: de cujus situ vide superius num.* 1. *Quarto,* S. Ægidius *abbas spectat ad diem* 1 *Septembris. Quinto* Vanga *est instrumentum quo martyr decollatus est, ignota omnino nobis est, quam ubique nondum invenimus. Sexto, mirabilis illa vecti capitis narratio, quæ deinde in eadem Vita memoratur, deberet aliunde probari testimonio melioris notæ, ut cogitatio suspectæ fidei amoveatur, et historica veritate credatur ita accidisse. Septimo, mentio deinde fit de* S. Dionysio *: qui inscribitur Martyrologio Romano ad diem* IX *Octobris, quo etiam die dabitur ei locus in Opere nostro. Denique, quamquam ex aliis antiquioribus documentis probare non possimus, quod* S. Decumanus *eremicola fuerit et martyr, ita tamen nos illum supra nuncupavimus, alios seculi, qui talem fuisse illum memorant cum Capgravio. Quo autem tempore obierit, quia compertum non habemus, ideo sine notis chronologicis illum antea signavimus, solo die* XXVII *Augusti notatum, quo ab aliis refertur.*

VITA

VITA

Auctore anonymo

Ex Nova legenda Angliæ apud Capgravium, anno 1516 Londini edita, a fol. 85 verso.

Sancti natales, pia educatio.

Beatus Decumanus ex illustri est prosapia oriundus in occidentalibus Cambriæ partibus, quæ nunc Wallia nuncupatur, ex parentibus quidem cultoribus præcipuis Christianæ religionis. Natio siquidem illa, priusquam major Britannia, quæ nunc est Anglia, barbarica feritate deposita, et relicto errore gentilitatis, vivificis initiata sa- B cramentis, mox Christo se subdidit, et Euangelicis informari meruit institutis. In qua quam plures effulsere fide præclari, virtutibus insignes, miraculis coruscantes. Inter quos pudice enutritus, Catholice instructus, velut lucifer inter minores stellas, omnium morum honestate præditus emicuit Decumanus. Hic postquam domi pueritiam transcendit per incrementa innocentis ætatis, cœpit bonæ indolis adolescens esse, et nequaquam, ut moris est, mente evagari; verum disciplinæ regularis studiosius coerceri. Facile quidem præcepta transeunt in effectum, ubi gratia præstat auxilium, et obedientia mollit imperium.

virtutes

2 Erat enim sermo purus, nihil habens lasciviæ, nihil, quoad potuit, otiositatis, sed qui totus esset ad ædificationem. In cibis et potibus temperantiæ medium tenuit, ne prorsus abstinens, superstitionis argueretur, aut immodice sumens, crapula gravaretur. Et cum beati Decumani coætanei aut studio venandi, varie delectati, aut studio aliarum quarumlibet artium occupati tenerentur; ille spreta omni carnali delectatione, spiritui carnem servire cogebat, et ecclesiarum studiosus terens limina; ea, quæ de divinis Scripturis audiebat, ardentius memoriæ commendabat.

C

recensentur:

3 In facultate litterarum parum admodum expeditus, totum se sanctitati dederat, quoad licuit: propter insolentiam curialium contulerat se contemplationi. Melius enim docent opera quam littera: melius comprehendit sanctitas, quam disputatio, et qui plus diligit, plus cognoscit. Sane sanctus Decumanus, Spiritus sancti præventus ardore, jam statim volvebat in animo, quod postea claruit in effectu. Et tunc pio quidem faciem* dedisset desiderio; sed expectavit turbæ tumultuantis defluentiam, et suorum contribulium insolentium, quos summo opere detestabatur. Nemo enim propheta acceptus est in patria sua, et inimici hominis domestici ejus.

** f. facem*

miro modo per aquas transit ad solitudinis locum.

4 Cessit igitur propter scandalum, et se totum soli Deo committens, quod pie præconceperat, distulit imposterum. Tandem tempus observans, et fugæ secretioris opportunitatem inveniens, mare adiit Sabrinum clam suis omnibus, et præcipue familiarioribus, et eis, qui sibi videbantur studio humanitatis conjunctiores, Christum solum conscium et ducem sui itineris habens. Quid plura? Defuit naulum, defuit et navigium, et maturanda erat fuga e vestigio subsequentium: Vir Dei misericordia Dei confidens, et nequaquam hæsitans de potentia, virgas secus mare in D fruteto, quas reperit crescentes, colligavit in fasciculum, et tali utens vehiculo misit se in profundum: et sic, divina gubernante providentia, provectus est ad littus oppositum prope castrum Dorostorum. Tua sunt hæc, Christe, opera, qui Sanctos tuos ita mirificas. Vere in mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis.

qui hic describitur, uti et severissimus ipsius

5 Eo tempore, quo sanctus Decumanus divinitus perductus in Angliam venit, erat in eo territorio, in quo applicuit, vasta eremi solitudo, frutetis et vepribus obsita, et densitate silvarum in longum et latum spaciose porrecta, montium eminentia sursum educta, et concavitate vallium mirabiliter interrupta. Hæc ei sedes complacuit, hæc pio ejus proposito videbatur accommoda, adeo ut re ipsa videbatur dicere: Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Sic igitur Vir sanctus patriam commutans exilio, antra deserti pro fastu palatii, cœpit ibidem commanere, herbis et radicibus victitare, jejuniis et orationibus crebrius insistere, carnem cilicio domans, vigilis pœnaliter affligens, et E quanto rarius intererat hominum consortio, tanto frequentius angelorum mulcebatur et fovebatur eloquio. Tali sub tenore vitam ducens eremiticam, in jam dicta solitudine multis vixerat annis.

in eodem vivendi modus:

6 Fertur etiam vaccam habuisse, cujus lacte pro necessitate corporis saltem præclaris festivitatibus magis sustentaretur, quam aleretur, sicut de beato Ægidio legitur, qui cervam habuit, quæ sibi beneficium lactis ministrabat. Nec defuit Sancto urgens et inspirata persecutio. Omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Hanc enim viam reliquit Christus coheredibus suis, ut in Euangelio legitur: Si me persecuti fuerint, et vos persequentur. Sed et ait Apostolus: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum. Quoniam quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc tribulatio viro justo.

a quodam nefario homine interfectus

7 Cum igitur sanctus Decumanus multimodis signorum floreret virtutibus, quæ per negligentiam scriptorum abierunt in dissuetudinem, et pro magna parte penes nos in oblivionem; alias, Deo dante, reservarentur ad ædificationem; vir quidam, sed et ipse vir Belial, aspide ferior, vipera truculentior, tanti Patris invidens sanctitati, in F odium veræ virtutis, et in detestationem Christiani nominis, furiali mente debacchatus, bestialiter accurrit, et inter verba orationis, et preces sanctæ devotionis, Sanctum Domini capitis obtruncatione ad cælestia regna transmisit. Tali igitur martyrio migravit ad Dominum post tot et tantas, quas corpori suo indixit, molestias, ut evidentius suo monstraret exemplo, quod non est transitus a deliciis ad delicias: sed qui volunt vivere secundum Euangelium, tota vita sua fiat crux et martyrium. Nimis enim delicatus est miles, qui vult hic gaudere cum mundo, et in futurum regnare cum Christo.

rem miram patrasse fertur.

8 Sed et istud sub silentio non est prætereundum, quod, cum decollatus esset cum quadam Vanga, ut fertur, truncus laceri corporis se erexit, et caput proprium cœpit pendulis brachiis vectitare a loco decollationis usque ad fontem limpidissimi liquoris, in quo caput suum propriis manibus abluere pro consuetudine habebat: qui usque hodie ad memoriam et reverentiam ipsius, fons sancti Decumani nuncupatur, dulcis, necessarius et salubris incolis ad potandum: in quo loco caput simul cum corpore postmodum a fidelibus

A libus quæsitum et inventum, sepulturæ honorifice tradebatur. Renovantur antiqua miracula, rediviva repullulant signa, quæ per beatissimi Dionysii Galliarum merita Dominus exercere dignatus est ad laudem et gloriam sanctissimi nominis sui: qui vivit et regnat per immortalia secula seculorum. Amen. A. ANONYMO.

DE S. POEMENE ANACHORETA

IN MONTE SCETHI LYBIÆ, ET IN ÆGYPTO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Locorum notitia; Sancti nomen; diversus ad eo Pambo; an Pœmen duplex? Pimenius cum Posthumio non confundendus.

Anno circiter CDL. Scethen, alibi a nobis descriptam, illustrat hic Sanctus, uti et Ægyptum.

B *Montem hunc, antiquis vitæ solitariæ cultoribus valde memorabilem, descripsimus in S. Arsenio anachoreta tomo* IV *Julii, die* XIX, *pag.* 605; *ut necesse non sit plura hic de eodem præfari; sed unum tamen hoc repetere juvat, montem illum minus proprie Ægypto accenseri. Præter montem hunc* S. Pœmeni *Ægyptum etiam assignabamus modo, tamquam loca duo c præcipuis, in quibus indicatur vixisse (nam ubi obierit, compertum non habemus.) De his meminerunt apophthegmata, e Cotelerio inferius a nobis recudenda,* IV, LXXVI, *et* CLXXX. *De varia Ægypti, regionis Africæ celeberrimæ, et apud Geographos notissimæ, divisione actum est apud nos tomo* 2 *Januarii a pag.* 107. *Inter veteres vero patres, qui in eodem monte vitæ solitariæ cursum consummarunt, vix ullum invenias nominis celebritate spectabiliorem, quam* S. Pœmenem *vel* Pastorem, *qui utpote quasi commune ipsorum fuit oraculum, in dubiis perfugium, vitæque asceticæ norma et exemplar.* Pœmenem *nominabam vel* Pastorem, *aptato eidem personæ utroque nomine. Sive igitur* Pœmenem *voces, sive* Pastorem *(et* B *quippe ni* Pimenem, *vel* Pimenionem?) *idem nobis videtur esse nomen, idem nominis etymon,* Ποιμὴν *Græce, Latine* Pastor; *quod nonnulli sic interpretati fuerint Latine, significationi vocis Grææ magis inhærentes, quam ipsi proprio nomini, atque adeo huic substituentes nomen appellativum tamquam proprium. Huc facit, quod censeamus probabilius, duos admittendos non esse Pœmenes, seniorem videlicet alterum; alterum juniorem, prout infra dicetur.*

perperam geminatus ex nomine Pastoris ac Pœmenis.

2 Ferrarius in Catalogo generali alium a Pœmene Pastorem facit, et consignat XXV Julii, quod prorsus improbabile esse, *jam pridem observatum est apud nos tomo* 2 *Januarii, die* XVII, *pag.* III: *cum perspicuum sit, easdem res, quæ de* Pœmene *referuntur ab aliis, attribui ab aliis* Pastori. *Ferrarium induxit in errorem Petrus de Natalibus, quem male citat lib.* 6, *c.* 112, ubi, *ait Ferrarius,* vitam et res gestas refert admirandas. *Nam Petrus de Natalibus lib.* 6, *cap.* 141 *tractat de* Pastore, *qui hac die apud Græcos et Latinos colitur, uti manifestissime ibidem patet ex compendio apophthegmatum, quod de* Pastore *texit: cum in eo referatur factum, soli* Pœmeni *hodierno proprium, non alteri. Nam ibidem narratur historia de matre ejus, quæ videndi filii sui gratia ad solitudinem accesserat, quamque ipse a suo conspectu arcuit. Factum vero illud pluribus narrabitur inferius. Ad eumdem etiam Sanctum nos referimus alia, quæ habentur loco citato, qui* E *unum dumtaxat* Pœmenem *seu* Pastorem *admittimus. Additur autem in fine :* Quievit.. in Domino VII Calen. Augu., *quod est ire contra torrentem hagiologorum Latinorum ac Græcorum, ut dicetur postea. Eamdem hallucinationem commisit nostrum Ms. Florarium ad diem* XXVI *Julii, dum memorat sequentia :* Item natale beati Pastoris abbatis et conf. Hic multis annis in abstinentia magna se affligens in heremo multa religione pollebat. Vid. ejus gesta alibi. *Hinc sequitur, ut quæ ex eodem Petro ac Florario dicta sunt apud nos tomo* VI *Julii, die* XXVI *ejusdem mensis, a pag.* 307, de S. Pastore abbate in Sceti, *differenda fuerint ad diem* XXVII *Augusti. Nec sola hæc in* S. Pœmene *accidit hallucinatio: aliam quippe, in quam lapsus est Eminentissimus Cardinalis Baronius, jam pridem observavit noster Rosweydus, sicut planum fiet ex sequentibus.*

Hic cum Pambone

3 *Baronius ad annum Christi* 343 Tanti, *inquit,* facere solebat populus illustrium monachorum *(qualis erat S. Antonius, cujus occasione hæc scribit)* de fide Catholica testimonium, ut F Ariani hoc sentientes, mentiri non sint veriti, magnum Antonium eadem de fide secum una sentire; adeo ut eam ob causam ipsi opus fuerit, relicta intima eremi solitudine, Alexandriam usque descendere, et de Catholica fide, quam coleret, publice ne populus laberetur, specimen edere, quam signis quoque sequentibus confirmavit.... Vocatum quoque esse ab eodem S. Athanasio aliquando Alexandriam abbatem Pœmenem, spectatæ sanctitatis virum, habetur in Vitis Patrum. *Hæc Baronius. Sed Rosweydus noster in notationibus ad easdem Vitas libro* I, *cap.* 41, *num.* 85, *pag.* 69 *secundæ editionis, in S. Antonio, Eminentissimum auctorem, ita refellit :* Quod.. de Pœmene ait, vel eum fefellit memoria; vel Pœmenem eumdem putavit cum Pammone. De Pammone hoc habes hic apud Ruffinum libro 2 *(lege libro 3)* num. 164, quem eumdem esse cum Pambone, non cum Pœmene, colliges ex Pelagii libello 3, n. 14, et libello 17, n. XI, ubi eadem apophthegmata narrantur nomine Pambonis, quæ Ruffinus habet nomine Pammonis. Alius ab his Piammon seu Pyaminon, de quo hic apud Ruffinum lib. I, cap. 31 *, qui Palladio cap. 72 est Ammonas.

* *immo lib.* 2, *cap.* 32, *pag.* 484

4 Hæc

AUCTORE J. P. *non confundendus.*

4 Hæc jam olim ad Vitam S. Antonii notaveram, *inquit laudatus Rosweydus in quadam scheda, quam ante me habeo;* Addo nunc, *ait:* Pœmenem distinctum a Pammone seu Pambo, patet ex Ruffino lib. 2 *(in nostro exemplari lib.* XI *de hic sequentibus agitur)* Histor. eccl. cap. 8, ubi Pambus in Cellulis *ponitur*, et Pœmen in monte Pispiri. Item ait : « Macarius de inferiori » eremo, aliusque Macarius de inferiori, Isidorus » in Seithi, Pambus in Cellulis, Moyses et Benjamin » in Nitria, Seyron et Elias et Paulus in Apeliote, » alius Paulus in Focis, Pœmen et Joseph in Pispi- » ri. » *Hæc Rosweydus e Ruffino, de claris viris ac eremitis Ægyptiis agente, commemorans recte quidem probat, Pammonem seu Pambum distinguendum esse a* Pœmene : *non tamen id evincere videtur diversitas loci : quia antiqui isti eremitæ non ita erant adscripti unico soli loco, ut ad alium quandoque non transirent, prout videre licet apud nos in ipso S. Pambone, tom.* I *Julii, die* I, *pag.* 35. *Cum autem unum unicum* Pœmenem *exstitisse, probabilius existimemus, erit hic idem*

B *in nostra sententia* Pœmen, *de quo agebat Rosweydus. Verum intricata se nobis hic offert controversia de uno* Pœmene *seu* Pastore, *an duobus. Tillemontius tomo* 15 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 862 *et sequente, in notatione* I *super* S. Pœmene, *duos id nominis solitarios distinguendos censet, et alterum quidem seniorem, juniorem vero alterum. Argumenta ejus non dissimulabimus. Primo itaque ponantur in medio, quæ faciunt pro* Pœmene *duplice : deinde subdantur ea, quæ pro uno.*

Argumenta

5 *In Vitis Patrum lib.* 3, *num.* 163, *pag.* 524, *ubi de S. Arsenio vita functo agitur, sunt ista :* Cum.. vidisset abbas Pœmen, quia transiit, dixit : Beatus es, abba Arseni, quia te tantum in hoc seculo planxisti. *Notum itaque hinc est,* Pœmenem *supervixisse S. Arsenio : cujus Acta illustravimus tomo* IV *Julii, die* XIX, *a pag.* 604, *mortemque ejus secundum seriem chronologicam, ibidem pag.* 613 *præterpropter ordinatam, affiximus anno* 449 *vel* 450. *Verum Tillemontius non videt, dici posse, quod hic sit Pœmen ille, cui narratur S. Antonius, anno* 356 *die* XVII *Januarii mortuus, enuntiasse egregium hoc effatum in Vitis Patrum lib.* 5, *libello* 15,

C *num.* 2 : Dixit abbas Antonius abbati Pastori : Hoc est magnum opus hominis, ut culpam suam super seipsum unusquisque ponat coram Domino, et exspectet tentationem usque ad ultimum vitæ suæ tempus. *Dictus Monumentorum collector citat etiam Cotelerium in Monumentis ecclesiæ Græcæ tom.* I, *pag.* 341, *ubi scribitur,* Ποιμένι, Pœmeni. *Is, cui dixit S. Antonius tam subtimem veritatem, non erat puer sine dubio : difficile autem creditu est, cum supervixisse etiam tunc, uti pergit, centum post annis, nemine observante,* Pœmenem *ad inusitatam senectutem pervenisse. Pergamus cum Tillemontio : At vero, ait, probatio hæc minoris esset roboris, si esset sola. Si enim legitur duobus locis modo allegatis, insigne illud apophthegma dixisse S. Antonium Pœmeni; duobus aliis locis, illud retulisse Pœmenem ipsum tamquam ab eodem S. Antonio pronuntiatum, legitur. Nam ex editione Coteleriana pag.* 623 *hæc indicat :* Retulit abbas Pœmen, dictum fuisse a beato abbate Antonio, quod magna hominis potestas, sit, ut super se mittat peccatum suum coram Domino, exspectetque tentationem usque ad ultimum halitum. *Designatur apophthegma* CXXV *inter alia, quæ postea dabimus ex eadem editione. Alium locum indicat ex Ephræm. Nos verba ejus demus.* D

pro duplic

6 *S. Ephræm Syrus inter Apophthegmata Patrum, quæ referuntur pag,* 504 *Operum ejus editionis Coloniensis, qua hic utimur, anni* 1603, *et quam Gerardus Vossius præpositus Tungrensis vulgavit et illustravit, sic loquitur :* Dixit abbas Pastor, a beato Antonio abbate solitum dici : In eo magnum hominis opus atque officium situm, ut suum, quo gravatur, errorem coram Deo projiciat; exspectetque semper tentationes, ad extremum usque vitæ spiritum. *Sed Ruffinus, inquit idem collector, historiam ejus citans lib.* 2, *cap.* 8, *pag.* 256, *qui invisebat solitudines Ægypti ab anno* 375, *refert, inter Sanctos solitarios, quos ibi viderat, vitæ simplicitate, cordis sinceritate, magnisque miraculis, quibus Deus virtutem eorum honorabat, felicitatem sibi obtigisse, ut acceperit benedictionem manuum Pœmenis in Pispiri, quod erat monasterium S. Antonii. Nos proferamus Ruffini verba apud Rosweydum supra citatum :* Florebat igitur, *ait Ruffinus,* Ægyptus ea tempestate non solum eruditis in Christiana philosophia viris, verum etiam his, E qui per vastam eremum commanentes, signa et prodigia apostolica simplicitate vitæ, et cordis sinceritate faciebant. Ex quibus interim quos ipsi vidimus, et quorum benedici manibus meruimus, hi sunt : Macarius de superiori eremo *etc.* Pœmen et Joseph in Pispiri, qui appellatur Mons Antonii. *Quod vero rectius hæc intelligantur de priore Pœmene, quam de posteriore synonymo Sancto, diceres non incongrue suaderi cum ex loco, tum ex tempore, si duos cum Tillemontio synonymos admittas.*

Pœmene

7 *Ex loco, inquam : nam* Scethe, Seithi, et Seithium, Ptolomæo Seithiaca regio, Lybiæ pars *est,* ideoque ab Ægypto passim distinguitur in Vitis Patrum, *sicut observatum est tomo* 2 *Januarii, ad diem* XVII *ejusdem mensis in Commentario prævio S. Antonii magni,* § I *num.* 3. *Ibidem tamen dicitur num.* 4, *Ægyptum ab aliis latius aliquanto sumi. De Monte S. Antonii duplici, interiore videlicet et exteriore agitur ibidem* § 2, *ac notatur* Pisper, Pispir, *seu* Pispiri *monasterium appellatum, ac in Monte illo exteriori conditum, ad quem itabat frequens S. Antonius : quæ pluribus legi possunt loco jam indicato. Jam vero hic mons* F *exterior, vel S. Antonii monasterium Pispiri, in quo aiebat Ruffinus, se vidisse Pœmenem, longe distabat a solitudine Scethensi, in qua floruit* S. Pœmen *noster, ut licet videre in chronographia mansionum eremiticarum excusa ante Vitas Patrum apud Rosweydum : ita ut verosimile appareat, spectata locorum distantia, fuisse duos eremicolas diversos, quorum alter Pispiri, alter in Scethi vitam asceticam duxerit.*

proponuntur,

8 *Præter ea, quæ præmissa sunt de tempore, Pœmeni Pispiriensi applicari potest apophthegma illud, quod habetur in Vitis Patrum libro* 5, *libello* 15, *num.* 40, *pag.* 625 : Narravit abbas Joseph : Qui sedentibus nobis aliquando cum abbate Pastore, nominaverit abbatem Agathonem. Et diximus ei : Juvenis est : quare eum appellas abbatem? Et dixit abbas Pastor : Quia os suum fecit eum appellari abbatem. *Hoc apophthegma est numero sexagesimum primum in editione Coteleriana, quod ex eo postmodum daturi sumus, ubi* Pœmen *vocatur. Videtur autem esse senior* S. Pœmene *modo dictus Agatho, quia* Joseph *et* Pastor *seu* Pœmen *hic occurrunt, iidem, ut suspicari licet, quos vidisse se superius affirmabat Ruffinus*

A *finus in Pispiri. Russinum vero invisisse eremos Ægyptiacas jam ab anno Christi* 375, *affirmat Tillemontius in notatione prima super* S. Pœmene, *tomo* 5 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 863 : *(De Ruffini peregrinatione videri possunt, quæ habentur apud Rosweydum pag.* 425 *et sequentibus : et tomo* 7 *in S. Antonio art.* 17, *pag.* 142 *mentionem faciens de Pœmene ac Josepho Pispiriensibus , de quibus ex eodem Russino egimus, censet eum in hisce terrarum tractibus versari potuisse versus eumdem annum* 375.

et difficultates, quæ hinc oriuntur :

9 *Jam vero S. Antonium abbatis Josephi humilitatem approbasse , qui una cum aliis iverat ad ipsum, habemus e Vitis Patrum libro* 5, *libello* 15, *num.* 4, *pag.* 620. *Rem gestam pluribus non refero , ne longior sim. De apophthegmate S. Antonii ad Pœmenem seu Pastorem , actum est supra : e quo, uti et ex Ruffino, si admittatur, esse probabilius, quod Pœmen hic sit diversus a Sancto synonymo, in historia antiquorum eremicolarum celebratissimo, qui vixit adusque seculi circiter quinti medium, alia difficillima oritur quæstio, utri Pœmeni seu Pastori, antiquiori-* B *ne, an juniori Sancto attribui debeant dicta in Vitis Patrum sub isto nomine. Unum a S. Antonio pronuntiatum seniori, jam vidimus in sententia Tillemontii : ad quem etiam aliud , quod de Agathone dabamus supra num.* 8, *referri posse affirmat idem auctor. Reliqua omnia, inquit, conveniunt æque uni vel alteri, aut ad secundum spectant ; de quo Vitæ Patrum magis loquuntur, quam de aliquo alio : quia sine dubio memoria illius erat etiam tunc omnino recens, quando scriptæ fuerunt. Atque hæc quidem sunt argumenta, quæ proponenda censuimus pro duplici Pœmene, quorum alter senior, junior alter fuisse perhibetur.*

sed unus dumtaxat

10 *Sed præplacet nobis* S. Pœmen *unicus. Intellige, lector, rationes. Opinio Tillemontii habet sua incommoda , habet ambages, quia nescitur, utri eremitæ conveniat magna vel pleraque pars apophthegmatum, quæ postea proferemus. Deinde non sunt geminandi homines absque urgenti necessitate : quæ hic non videtur esse, sicut patet e responsis ad superiora argumenta. Ad unum quippe, quod sumebatur ex tempore S. Antonii num.* C 5, *atque adeo e devexissima* S. Pœmenis *senectute, respondemus, nihil obesse , quo minus insigne illud monitum Sanctus abbas iste dixerit* S. Pœmeni *nostro , non quidem tunc temporis puero, sed adolescenti quindecim, puta, circiter annorum vel sedecim : et vero monita, quæ in tali ætate accipiuntur, sicut diu solent inhærere, sic facile imbibuntur. Ætatis autem* S. Pœmenis , *quam creditu difficilem aiebat Tillemontius, summam reducemus in ejusdem chronotaxi ad annos circiter centum ac decem. In qua, quid adeo mirum, quid adeo inusitatum, ut Sanctus propterea geminari debeat ? Ecquis enim nescit, satis fuisse usitatum inter antiquos istiusmodi eremicolas, ut pervenerint ad annosissimam senectutem ?*

a nobis admittitur.

11 *Argumento alteri , a diversitate locorum desumpto, jam itum est obviam num.* 4 *ex tomo apud nos ibidem assignato : in quo inter argumenta, quæ ad geminandum Pambonem excogitavit Tillemontius, unum etiam petitur ex eo capite, quod Sanctus ille collocetur diversis locis. At vero recte ei objicitur, quod in Vita S. Macarii Alexandrini tomo* I *Januarii, pag.* 87 *legatur, eum habuisse* diversas cellas : unam quidem in Scete, quæ est interior in solitudine , et unam in Lybia, et unam in Celliis, et unam in monte Nitriæ. *Cur itaque* Pœmen *unus et idem non fuerit in Scethi, et in Pispiri ? Cur non in Ægypto , vel extra illam , ex apophthegmate* XXVI *apud Coteterium :* Præteriens aliquando abbas Pœmen per Ægyptum *etc. ? Cur non etiam in Thebaïde , secundum dicta de S. Antonio supra in Commentario num.* 7 ? *Hinc colligitur, eum uni loco non semper ita fuisse affixum ut ad alium subinde non transiret.* Transibat *enim* aliquando abbas Pœmen cum abbate Anub in partibus Diolci, *ex apophthegmate* LXXII. *Hæc nobis persuadent, ut de duplicando* Pœmene *non cogitemus. Superest elucidanda quæstio alterius generis.*

S. Pœmen seu Pimenius

12 *In Commentario prævio S. Antonii magni, quem antea citavimus,* § 5, *pag.* III, *ubi agitur de ejus discipulis in Thebaïde inferiore, mentio fit Pœmenis illius , de quo jam diximus ex Ruffino , quique lib.* 7 *de Vitis Patrum Pimenius appellatur, sicut pag. eadem* III *indicatum fuit , quæstione alia ad hanc diem* XXVII *Augusti remissa, an idem ille sit cum Posthumio , de quo inter dictos Antonii discipulos etiam scribitur loco designato. Vitam ejus habes apud Rosweydum de Vitis Patrum lib.* I *a pag.* 233. *In notatione autem prima ad istam Vitam pag.* 238 *affirmat Rosweydus, alias editiones habere* Posthumii, *et addit,* de hoc nihil *sibi* occurrisse vel in tabulis ecclesiasticis , vel apud historicos. Multa hic affinia cum Pachomio , ejusque regula. Et cum Pachomius dicatur quibusdam Pachumius , vereor ne Pasthumius ex Pachomio irrepserit. *Sed hoc nobis non probari, indicavimus in memorato mox Commentario. De vero S. Pachomio tractavimus tomo* III *Maii, die* XIV *ejusdem mensis : contra alterum autem, qui est apud Rosweydum, variæ difficultates objectæ sunt dicto die a pag.* 357, *Vitaque ejus data tamquam apocrypha.* E

a Posthumio diversus.

13 *Quod ad propositam modo quæstionem pertinet, illud est, an* Pimenius *sit idem cum isto* Posthumio. *Respondemus , quod hunc in illo neutiquam invenire possimus. Non in nomine : nam nomen* Pœmen, Pastor, Pimenius *vel* Pimenio , *et nomen* Posthumius, *qualecumque illud sit nomen, sive verum sive apocryphum, nimis multum inter se differunt , quam ut pro eodem accipi posse videantur. Non etiam in rebus gestis ; cujus utpote nulla fit mentio apud Rosweydum in Indice nominum propriorum post Vitas Patrum, nisi unica, qua designatur idem ille Posthumius, cujus Vitam edidit idem Rosweydus , et quidem cum titulo* Beati : *et tamen de morte ipsius nihil ibi legitur : quin immo in variis Fastorum sacrorum indicibus, quos inspeximus, reperire hactenus non potuimus ejus nomen. Hæc abunde sufficere censemus ad propositam quæstionem, quæ olim huc remissa fuit. Revertamur itaque ad* S. Pœmenem *nostrum.* F

§ II. S. Pœmenis fratres ; ejusdem auctoritas et virtutes ; vitæ chronotaxis ; cultus et elogia.

Sanctus habuit fratres sex :

Habebat *Vir sanctus fratrem , nomine Anub, Nuph vel Nub , qui illo erat natu major. Habebat item alios quinque fratres, inter quos erat unus , cui nomen Paysius vel Paësus, ex Vitis Patrum , ubi lib.* 3, *num.* 199 , *pag.* 529 *sunt ista :* Abbas Pœmen cum alio abbate seniore se , nomine Nub , et cum aliis quinque

AUCTORE J. P.

que patribus *etc. Ibidem num.* 154, *pag.* 523 : Abbas Pœmen et abbas Nuph postquam in desertum venerunt, desiderabat mater eorum videre eos. *Libro* 4, *libello* 4, *num.* 33 *appellatur* Anub. *Et ibidem lib.* 5, *libell.* 15, *num.* 11, *pag.* 622 *hic dicit* Pastori *fratri suo :* Nos, qui sumus septem fratres . . efficiamur sicut statua hæc *etc. Quod vero hi septem fratres fuerint uterini, ibi præmissum legitur :* Abbas Anub et abbas Pastor, et residui fratres eorum ex uno utero nati, monachi fuerunt in Scithi. *De* Paysio *fit etiam mentio ibidem libello* 16, *num.* 8, *pag.* 631, *qui et Paësius in apophthegmate secundo editionis Coteleriana. Inter hos singulari quadam auctoritate valuisse* S. Pœmenem, *colligitur e narratione facti, quod subjicimus.*

inter eremitas singulari auctoritate pollet :

15 *Tomo* IV *Julii, die* XIX *ejusdem mensis, pag.* 605 *et sequentibus illustravimus Acta S. Arsenii anachoretæ in monte Scethi, et in Commentario eisdem prævio* § 2 *visum nobis est, secessum ejus in solitudinem innectere anno circiter* 394. *Quo circiter tempore* S. Pœmen *seu* Pastor *correxit aliquem defectum, quem S. Arse-* B *nius e seculo in solitudinem detulerat, quemque ascetæ alii ob viri præstantiam corrigere non audebant, si vera sunt, quæ sub nomine Metaphrastis in dicto Commentario a pag.* 607 *narravimus. Res ibidem relata continet ista :* Arsenius visus est etiam, postquam ad vitam accessisset monasticam, veluti quasdam apud se servare reliquias aulicæ arrogantiæ et superfluitatis : in sedendo enim sublimem unum tenens ex pedibus, imprudens sæpe imponebat alteri . . Hoc visum a patribus . . ; sed magna viri dignitas et reverentia eos abducebat ab eo, quod statuerant. *(Eum itaque partibus de hoc monere non ausis)* postquam . . hoc quoque novit monachus Pastor, qui erat prudentia simul et virtute incomparabilis . . , Cum ego, inquit, ad monachos accessero ad synaxim. et vobiscum considens, sedero in eodem habitu . . , statim procedatis ad me reprehendendum, et ego statim cedam, et, ut qui perperam in hac re me geram, me corrigam. Quod quidem factum cum divinus intellexisset Arsenius . . , demisit pedem, et deinceps omnino abstinuit a turpi hac sessione. *En tibi nunc, lector, virtutes insignes, quibus* C *Vir magnus micuit, ad certa quædam capita reductas.*

egregiæ ipsius virtutes :

16 *Rigidissima Viri, dum erat juvenis asceta, a cibo abstinentia narratur apud Coteterium in apophthegmate* XXXI. *Invitatus ab alio ad sumendum cibum, parebat vel invitus, obsequium illud cum lacrymis implens, ex apopht.* XVII. *Vino abstinet, tamquam omnino ad monachos non pertinente, apophth.* XIX. *Quantopere excelluerit in temperando cibi usu, liquet ex hoc responso in apophth.* CLXVIII : Sedere in cella . . est operari manibus, semel in die comedere *etc. Inter quatuor vitæ solitariæ instrumenta ponit jejunium in apophth.* LX. *Magni faciebat mortificationem affectuum, ex apophth.* CLXXXIV. *Ejus desiderium proficiendi in spiritu, colligitur ex apophth.* I ; *odium familiaritatis particularis indicat apoph.* 2; *lenitatis erga delinquentes exempla præbet apoph.* CLXXIII *et* CLXXX. *Mutua* Pœmenis *erga Anuph tamquam natu majorem, et hujus erga illum, tamquam inordinati nil habentem, observantia refertur apoph.* CVIII. *Amorem erga matrem et consanguineos inordinatum non habebat, ut videre licet in apoph.* V, VII *et* LXXVI. *Ex profundissima utique humilitate, virlutum omnium fun-* D *damento, oriebatur ejus desiderium, quo satagebat cuncta in occulto facere. Adi apophthegma* CXXXVIII. *In Thesauro ascetico, quem edidit Possinus noster, pag.* 230 *inter apophthegmata commendatur ab eo lex charitatis erga proximum, et oratio, his verbis :* Lex, qua vetamur reddere malum pro malo, quatuor modis impletur : corde, visu, lingua, opere. Quod si potueris per orationem bene purgare cor, vicisti omnia, et plene mandatum executus es. *Adde illud dictum perbreve ibidem :* Voluntas propria et remissio dejiciunt hominem. *Denique, divino eum spiritu, consilio, prudentia, rerumque spiritualium peritia in paucis præditum fuisse, recursumque ad illum tamquam ad commune quoddam oraculum, argumento sunt ipsius facta, dicta, responsa, quæ habentur in contextu sæpe memoratorum apophthegmatum ; et ad quæ lectorem mittimus. Nos interim ad contexendam vitæ ac mortis ejus chronotaxin transeamus.*

17 *Cum superius num.* 10 *et* 11 *unum dumtaxat admiserimus* Pœmenem, *conabimur jam sic ordinare tempora, ut ob illa duplicari non debeat. Ponimus itaque sequentia per modum systematis chronologici. Natus fuerit anno circiter* 340 : *solitarius anno* 355, *ætatis* 15, *quo audire potuit effatum S. Antonii, de quo dictum est antea : S. Arsenium monuerit circa annum* 394, *vitæ solitariæ circiter* 40 : *deinde decursis in eadem reliquis vitæ annis, obierit anno circiter* 450 *post S. Arsenium (cui supervixit, secundum apophthegma num.* 5 *citatum) ætatis centesimo decimo, anachoreticæ vitæ nonagesimo quinto. Nec videmus, cur præterpropter cum hisce temporum calculis combinari nequeat apophthegma* S. Pœmenis, *quod tamquam res* nuper *acta, et* temporibus Theodosii imperatoris, *atque adeo post ejus, ut videtur, mortem refertur contigisse.* E

vitæ

18 *Sed in nostro systemate debet intelligi Theodosius senior, non potest junior : quia cum hic obierit anno* 450, *nullam habet probabilitatis speciem, quod* S. Pœmenis *fratres eo usque vixerint, quibus ille scribitur idem apophthegma enuntiasse in Vitis Patrum lib.* 3, *num.* 19, *pag.* 498, *ubi leguntur ista :* Referebat autem beatus senior Pœmen fratribus, dicens : Quoniam fuit nuper quidam monachus in Constantinopoli temporibus Theodosii imperatoris. Habitabat autem parva cella foris civitatem . . Audiens autem imperator, quod ibi esset quidam monachus solitarius . . cœpit deambulando pergere ad eum locum, ubi erat supradictus monachus, præcepitque sequentibus se eunuchis *, ut nullus approximaret ad cellulam monachi illius. Ipse autem solus perrexit, pulsavitque ostium. Surrexit autem monachus, et aperuit ei, et non cognovit eum, quod esset imperator. Tulerat enim sibi coronam de capite suo, ut non cognosceretur. *Et post plura alia, quæ sequuntur, ac ibidem legi possunt, honoris vitandi gratia* eadem nocte fugit inde, et perrexit in Ægyptum. Itaque consideremus, dilectissimi fratres, quanta sollicitudine virtutem humilitatis custodire famulus Dei studuit, ut in cælesti regno æternam gloriam pro labore sanctæ vitæ suæ, quem propter nomen Domini exercuerat, percipere a Christo Domino mereretur. F

chronotaxis.

* *i. e.* cubiculariis *vel* magnalibus aulicis

Memoria in Fastis Græcis :

19 *De publico Sancti cultu hæc nobis memoranda occurrunt. Memoria ejus in sacris Græcorum Fastis occurrit frequens hac die, e quibus hosce nominatim recitasse suffecerit. Typicum quod vocatur S. Sabbæ, illum ita refert :* Sancti patris nostri

A nostri Pœmenis, *ac Officium ipsius designat. Synaxarium e Menologio, jussu Basilii imperaloris colleclo, hæc habet :* Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ποιμένος τοῦ ἀναχωρητοῦ. *Id est :* Memoria sancti patris nostri Pœmenis auachoretæ. *Eadem fere memorat Menologium Sirletianum : quod in elogio ejus hæc addit :* Tam egregie omnem virtutem exercuit, ut omnes in Ægypto et Thebaïde senes Patrem hunc appellarent, et ad recte vivendi formam eruditi componerentur. *Menæa magna typis edita hosce ei accinunt versiculos, qui de more a nobis Laline reddili, sic sonanl :*

Ὡς ἐκ λύκου χαίνοντος ἡρπάγη βίου
Ποιμὴν τὸ θρέμμα τοῦ μεγίστου Ποιμένος.
Ποιμένα εἰς μέγαν ἑβδόμῃ εἰκάδι ᾤχετο Ποιμήν.
Velut inhiante raptus e lupo fuit,
Pastori alumnus maximo, Pœmen migrans.
Pœmena Pœmnarchæ vigesima septima sistit.

Alludit poeta ad nomen proprium Ποιμὴν, *et ad appellativum synonymum, quod Latine pastorem significat. Per* Pœmnarcham *inlellige* pastorem magnum, *uli est in Græco, id est, Christum vel Deum.*

B 20 *Synaxarium modo designatum conlinet Viri laudationem : cujus texlus Græcus legi potest apud nos ad calcem tomi* 1 *mensis Augusti pag.* 668. *Hunc autem Lalina inlerprelalione donamus in hanc sentenliam :* Sanctus pater noster Pœmen e regione Ægypti ortum habuit. Mundo autem relicto ad monasterium abiit una cum fratribus suis, et monachus est factus. Post multos vero annos dum eorum abiisset mater, ut ipsos videret; non potuit : occluserunt quippe ei ostium. Dumque exspectaret flens, dixit ei Pœmen, non videns illam, Quid vis, mater? Hæc autem dicebat : Volo vos videre. Cui Pœmen : In illo *(altero)* mundo nos invicem videbimus. Quo audito illa recessit, Neque hoc dumtaxat egit memoria dignum, sed multa etiam alia. Nam regionis præfectus filium sororis ejus, comprehensum in malitia, volebat punire, et certior factus, quod Sancti sororis esset filius, significavit ipsi : Si obtestatus fueris, ipsum libero. Ille autem contra significavit : Examina ea, quæ ad ipsum spectant; et si morte sit dignus, moriatur : sin minus, facito quod vis. Et miratus præfectus, quod in ipso non esset affectio, liberavit illum. Multis vero patratis miraculis in pace requievit.

elogium :

C 21 *Ex dictis conficitur, Virum hunc tam vivum, quam mortuum magna apud Græcos in veneratione fuisse, quæ ad Galliam usque fuerit propagata eo titulo, quod, teste Castellano ad hunc diem in notula marginali,* corpus *ejus* sit Durvelli *(Gallice scribit* a Durvel) in provincia Cadurcensi, *id est, ut ipse vocat,* en Quercy. *In ista Galliæ Aquitanicæ provincia invenio apud Blavium* Durevel *ad fluvium Oldam (le Lot) occasum versus. At longe major Viro accessit celebritatis splendor in reliquo Occidente, quando annua ejus memoria inscripta est Martyrologio Romano, quod breviter ita illum annuntiat hac die :* In Thebaïde sancti Pœmônis anachoretæ. Ποιμένος *(Latine* Pœmenis) *in casu genilivo scribitur constanter a Græcis ; cur ergo hic Latine ponitur* Pœmônis? *Videtur autem non omnino proprie annuntiari in Thebaïde : nam tametsi eum ab hac regione non excluserim* § 1, *num.* II; *quia tamen Schetin ac Ægyptum ei magis censeo congrua, malui illum ibidem potius, quam alibi annuntiare in titulo, quem huic Commentario prænotavimus. Accipe nunc, lector, nonnulla de hoc magno Viro elogia, e Græcis extracla in hunc modum.*

colitur etiam apud Latinos :

22 *In apophthegmate* 1 *senex anonymus ita eum affatur ac laudat :* Nomen tuum sermone hominum celebrabitur per universam Ægypti regionem. *Græci inter alia, que de ipso recitant in Menæis magnis, honorificentissimis titulis memoriam ejus celebrant, e quibus pauca hæc de multis libasse suffecerit. Ibidem igitur vocatur* civis angelorum, monachorum dux, eremi princeps, luminare splendens miraculis universo orbi, verissimus miraculorum patrator, lucerna discretionis, virtutum hospitium, immaculatum Dei speculum. *Hisce alque aliis Græci magnam, quam de hoc præclarissimo Viro conceperant, æstimationem non obscure expressam voluere, conformiter ad apophthegmata, in quibus cum nominis ejus celebritas, tum virtutum exercitationes, auctoritas apud monachos, vitæque innocentia tamquam in speculo relucent sanctitatis. Virtutes ejus etiam vel in solitudine tironis, narrat Vita num.* 1. *Postremo, de ejus Vita, quam e Græco sermone in Latinum convertimus, nonnulla etiam observemus.*

elogia :

E 23 *Hunc præfert titulum :* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ποιμένος τοῦ ἀναχωρητοῦ. *Id est,* Vita et conversatio sancti Patris nostri Pœmenis anachoretæ, *signato ad marginem Græce,* μηνὶ τῷ αὐτῷ κζ΄, *id est,* eodem mense *(Augusto)* XXVII *dic. Ejusdem Vitæ exemplar Græcum descripsit noster Papebrochius* ex cod., *uti addit,* Ambr. f. N. n. 152. *Et pro majore ejusdem notitia,* Vide, *inquit,* Martyrium S. Maximi : *de quo egimus ad diem* XIII *Augusti ; et ibidem in Commentario ad ejusdem Sancti Acta pag.* 116, *num.* 30 *indicavimus, ea fuisse desumpta* ex codice Ambros. N. 152, continente Vitas mensis Augusti, scripto ante annos CD a monacho quodam Laurentio in monasterio Rutiensi, quod est in Calabria. *Consuli etiam possunt, quæ de hoc Laurentio diximus die* XVII *hujus mensis pag.* 420. *Pauca sunt, quæ biographus ille refert de* S. Pœmene, *quæque pene omnia recurrent in apophthegmatibus postea recudendis : sed quia pauca sunt, Vitam Sancti, quam scripsit, lectoris oculis non subtrahemus, ut aliquam demus. Narratio ejus confirmatur ex eisdem apophthegmatibus. Singularia sunt, quæ de Sancti miraculis refert num.* 1. *Ægyptium illum fuisse affirmat ibidem. Porro Annotata in hanc Vitam dabimus brevia ; longiora sequentur ad apophthegmata Cotelerii, post eam producenda.* F

Vita, quam damus,

24 *Aliud Vitæ Græcæ seu elogii exemplar apud nos est, e codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis transcriptum, de quo per mensis decursum sæpe mentionem fecimus. Sic vero incipit :* Ὁ ὅσιος πατὴρ ἡμῶν Ποιμὴν Αἰγύπτιος ἦν τῷ γένει. *Latine :* Sanctus Pater noster Pœmen Ægyptius erat genere. *Narrat historiam de matre ejus, quæ videndorum filiorum suorum erat cupidissima, ad conspectum eorum admissa non fuit. Subdit deinde factum præfecti regionis circa filium sororis* S. Pœmenis. *De his Laurentius scribit num.* 2 *et* 4. *Ms. Vindobonense jam assignatum habet longum apophthegma, quod est* VIII *apud Cotelerium et inferius legi potest. De his te monitum volui, lector, antequam Vitam promerem. Eam nunc accipe.*

et aliud apographum.

VITA

A D

VITA

Auctore Laurentio monacho Rutiensi in Calabria,

e codice Ambrosiano, interprete Joanne Pinio.

Egregiæ Sancti virtutes,

Multos alios illustres magnosque patres protulit Ægyptus, et cum illis etiam protulit Pœmenem nomine ac re, anachoretam: cujus vitam mirati sunt angeli, obstupuerunt homines; ipsa vero rerum inanimarum natura ex iis, quæ supra naturam, ut ita loquar, humanam pene erant, voluptatem cepit. Hic igitur (ut intermedia transeam: quænam quippe homini laus, qui genus, divitias, gloriam, ut res fluxas despexit; futura vero et immortalia dumtaxat elegit?) Hic igitur, qui ovium rationalium, non irrationalium, vere pastor exstitit, vocem euangelicam recte edoctus, quæ dicit: B Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me; omnia hisce postponens, relictis patria, genere, divitiis, gloria omnibusque vitæ delectamentis, una cum suis fratribus (illos etenim suavis sermonum ipsius traxit vis) in eremum pervenit: ac virorum solitariorum insignium, virtuteque spectabilium contubernio sese adjungens, comam tondetur cum illis, ac monachum induit, humiliatur, et in bonam frugem evadit; jejunium exercet ac humicubationem, orationem amplectitur et vigilias, fundit lacrymas præ gaudio, ac, ut verbo dicam, fit magnus et spectabilis virtute, atque ita quidem, ut dæmones sola oratione ejiceret ex hominibus, omnemque alium eorum morbum curaret, nec non communis miraculorum esset thesaurus laborantibus.

ae varia

2 Quid tum postea? Elapsis plurimis annis solitudinis, matrem, matrem utique, tam insignis prolis, aliorumque filiorum desiderium incessit (fervidus quippe illorum amor urebat viscera ejus, ac ipsius anima videbatur igne consumi,) nec sciebat, quidnam ageret: simulque senectutis ac infirmitatis femineæ oblita, nec non charissimis filiis omnia postponens, C audet contra longitudinem viæ, ejusdemque incommoda, montes, flumina, solitudinem, et hujusmodi alia; spernit egregia illa et venerabilis senectus vitam; et ad filios, quorum ardebat desiderio, se confert. Significatur illis accessus ejus, quodque filiorum amans ad ostium staret, ingressum exspectans: et omnino erat consentaneum, eratque apud alios quasi justa omnino naturæ lex, ut, simul atque hoc audierant, ad genitricem accurrerent, circum ipsam funderentur, amplecterentur illam, introducerent, verba amica ei proloquerentur, mensæ consortem facerent, epulum familiare proponerent, aliaque agerent, quæ filius, a longo tempore matrem senectute curvatam conspicatus, diligenter simul ac fervide præstaret.

de illo

3 Illi vero nihil horum curarunt in animum demittere: nec canos senilis matris, nec ubera, quorum lacte fuerant enutriti, nec quidquam, quo mater in liberorum educatione laborat, reveriti sunt: sed simulatque audierunt illius adventum, recesserunt, et ejus conspectui se subduxerunt; fieri non posse significantes, ut ipsam in vita conspicerent, matris suæ Creatorem, ac salutaria illius mandata majore prorsus in pretio habentes, qui dicit: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Matrem itaque quid passim esse putatis,

Πολλοὺς καὶ ἄλλους ἤνεγκε τῶν ἐπιφανῶν καὶ μεγάλων πατέρων ἡ Αἴγυπτος, ἤνεγκε δὲ σὺν ἐκείνοις καὶ Ποιμένα τὸν ἀναχωρήτην καὶ λεγόμενον καὶ γενόμενον, οὗ τὸν βίον ἐθαύμασαν ἄγγελοι, ἐξεπλάγησαν ἄνθρωποι· ἡδέσθη δὲ καὶ φύσις αὐτὴ τῶν ἀψύχων ὑπὲρ φύσιν, ὡς ἂν εἴποι τις, σχεδὸν ἀνθρωπίνην τυγχάνοντα. Οὗτος τοιγαροῦν (ἵνα τὰ ἐν μέσῳ παρῶ· τίς γαρ ἔπαινος ἀνθρώπῳ, γένος καὶ πλοῦτος, δόξαν καταπτύσαντι μὲν ὡς λυομένων· ἑλομένῳ δὲ μόνον τα μέλλοντα καὶ ἀθάνατα) οὗτος οὖν ὁ τῷ ὄντι ποιμὴν λογικῶν οὐκ ἀλόγων προβάτων καλῶς τὴν εὐαγγελικὴν φωνὴν διδαχθεὶς, τὴν, Ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, λέγουσαν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι, πάντα δεύτερα τούτων θέμενος, καταλιπὼν πατρίδα, γένος, πλοῦτον, E δόξαν, καὶ τ᾽ ἄλλα τὰ τοῦ βίου τερπνὰ, τοὺς ἑαυτοῦ λαβὼν ἀδελφοὺς, (εἷλκε γαρ αὐτυὸς ἡ τῶν ἐκείνου λόγον σειρὴν) τὴν ἔρεμον κατειλήφει· καὶ σεμνῶν ἀνδρῶν μοναστῶν, καὶ τὴν ἀρετὴν περιφήμων μωνῇ προσβαλὼν, κείρεται τὴν κώμην σὺν ἐκείνοις, καὶ τὸν μοναχὸν ὑπερδύεται, ταπεινοῦται, νηστείαν ἀσκεῖ καὶ χαμευνίαν, προσευχὴν ἀσπάζεται καὶ ἀγρυπνιαν, δάκρυα χέει τὰ τῆς χαρᾶς παραιτια, καὶ ἁπλῶς, μέγας γίνεται τὴν ἀρετὴν καὶ περίβλεπτος, καὶ τόσον, ὡς καὶ δαίμονας ἐξ ἀνθρώπων μόνῃ εὐχῇ διώκειν, καὶ πάσην ἄλλην νόσον αὐτῶν θεραπεύειν, καὶ κοινὸν εἶναι θησαυρὸν θαυμάτων τοῖς κάμνουσι.

2 Τί οὖν τὸ ἑξῆς; χρόνοι παρῆλθον συχνοὶ τῆς ἀναχωρήσεως, καὶ μήτηρ, οἷα δὴ μήτηρ, τοῦ καλοῦ παιδὸς, καὶ τῶν ἄλλων τέκνων εἰς ἐπιθυμίαν ἐλθοῦσα (καὶ γὰρ ἔφλεγε ταύτης τὰ σπλάγχνα ὁ θερμὸς ἔρως αὐτῶν, καὶ πυροπολεῖν ἐδόκει τὴν ταύτης ψυχὴν) οὐκ εἶχεν ὅτι καὶ πράξειειν· ὅμως ἐπιλαθομένη καὶ γήρως καὶ γυναικείας, καὶ πάντα δεύτερα τῶν φιλτάτων παίδων θεμένη, κατατολμᾷ μὲν μήκους ὁδοῦ, καὶ τῶν ἐκ ταύτης κακῶν, ὀρῶν, ποταμῶν, ἐρημίας, καὶ τῶν ἄλλων αὐτῶν. Κατατολμᾷ δὲ καὶ ζωῆς τὸ καλὸν F ἐκεῖνο γῆρας καὶ ὅσιον, καὶ πρὸς τοὺς ποθεινοὺς ἔρχεται παῖδας. Μηνύεται τούτοις ἡ ταύτης ἄφιξις, καὶ ὡς παρὰ τῇ θύρᾳ ἕστηκεν ἡ φιλόπαις, τὴν εἴσοδον ἀναμένουσα· καὶ ἦν πάντως ἀκόλουθον, καὶ ἦν πάντως ὅσον πρὸς ἑτέρους καὶ θέσμα φύσεως δικαιον, ἐκδραμεῖν ἅμα τῷ λόγῳ τούτους πρὸς τὴν τεκοῦσαν, περιχυθῆναι ταύτῃ, κατασπάσασθαι ταύτην, εἰσαγαγεῖν, φίλα ταύτῃ προσλαλῆσαι ῥήματα, ἁλῶν αὐτῇ κοινωνῆσαι, κοινὴν ἐσθίαν προθεῖναι, καὶ ἄλλα πράξαι, οἷς ἂν ἐκ μακροῦ χρόνου παῖς, κατιδὼν γήρᾳ καμπτομένην μητέρα, σπουδαίως ἅμα καὶ θερμῶς ἐχρήσατο.

3 Οἱ δὲ οὐδὲν τούτων εἰς νοῦν λαβεῖν ἐμελέτησαν, μὴ τρίχα πολιὰν αἰδεσθέντες μητρὸς γηραιᾶς, μὴ μασθοὺς ὧν ἐτράφησαν γάλακτι, μὴ δ᾽ἄλλο μηδὲν οἷς μήτηρ ὑπ᾽ ἀναγωγῇ παίδων πονεῖ· ἀλλ᾽ ἅμα τε ἤκουσαν ἐκείνης τὴν ἔλευσιν, καὶ ἀπεστράφησαν, καὶ ἀπείπαντο τὴν θέαν, καὶ μὴ ἐγχωροῦν ἐδήλωσαν εἶναι ταύτην ἐν ζωῇ κατιδεῖν, τὸν πλάστην πάντως τῆς τεκούσης αὐτοὺς, καὶ τὰς ἐκείνου σωστικὰς ἐντολὰς προτιμότερα θέμενοι, Ὁ φιλῶν, λέγοντος, πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Τί οὖν οἴεσθε παθεῖν τὴν μητέρα τούτων ἀκούσασαν; ἐκεῖνα δηλαδὴ,

A δὴ, ἃ καὶ πέπραχεν. Ἔκραζε μεγάλα, ἐβόα συνεχῆ, δά- κρυσι τὸ ἔδαφος ἔπλυνεν, εἴ πως κἂν αὐτοῖς ὁ τῶν τέκνων χορὸς μαλαχθῇ, καὶ καμφθῇ πρὸς ἔλεον. Οὐκ ἠνέσχοντο τοιγαροῦν τὴν μητέρα ἰδεῖν, ἧτταν φανερὰν τοῦ πρὸς Χριστὸν αὐτὸ λογισάμενοι πόθου, τῷτοι καὶ πάλιν αὐτοὶ τὰ αὐτὰ μηνύουσιν· Εἴπερ ἡμᾶς, ὦ μῆτερ, ἐθέλοις ἰδεῖν, κατ- ἐκείνην πάντως ὄψει τὴν μεγάλην ἡμέραν, τὰ νῦν δὲ ἀναχώρει τῶν ὧδε. Συνεῖσα τοίνυν ἡ καλλίπαις τὸ μυνυθὲν, ἀπῆρε πρὸς τὴν ἐνεγκαμένην, δοξάζουσα τὸν Θεὸν ἐφ' οἷς ἤκουσέ τε καὶ εἶδε, καὶ ἐφ' οἷς οὗτοι μέγιστοι τὴν ἀρετὴν οἱ παῖδες γεγόνασιν. Καὶ τοῦτο μὲν οὕτως.

4 Ἄλλοτε δὲ τοῦ τῆς χώρας ἄρχοντος ἰδεῖν ἐθέλοντος τὸν ἀββᾶν Ποιμένα, καὶ λόγων τῶν ἐκείνου μεταλαβὼν· καὶ δὲ τὸ παράπαν ἠνέσχετο. Καί ποτε * τὸν ἀδελφιδοῦν αὐτοῦ κακοῦργον ὡς ἅτε κατασχὼν, καὶ τῇ εἱρκτῇ παραδοὺς, οὐδ' οὕτως ὁ γέρων ὑπεῖξε τῷ ἄρχοντι πρὸς ὄψιν ἐλθεῖν. Ἡ τοίνυν ἀδελφὴ, διὰ τὸν ἀδελφὸν τ' ἄλλα δεύτερα θεμένη, τῇ θύρᾳ τῆς αὐτοῦ κέλλης ἐφίσταται, τὸν ἥσυχον ἐν ᾗ διήνυε καὶ ἀναχωρημένον βίον, πολλὰ τοῦτον ἐκλιπαροῦσα κἂν γραφῇ δηλῶσαι τῷ ἄρχοντι τὴν ἀποκρίσεως ἀξιώσαντος, ἐκείνη κατεβόα τούτου, καὶ κατηγόρει, ἀσπλάγχνον, ἀκάρδιον, ἀνελεήμονα λέγουσα, καί τινα
B ἄλλα, ὅσα δὴ καὶ οἷα τὸ τῆς γυναικείας φύσεως ἀσθενὲς οἶδε λέγειν ἀχθόμενον. Πρὸ τούτοις, Ἐλέησόν με, μέγαν ἐβόα, ὅτι μοι μονογενὺς ὁ παῖς ἐστι, καὶ φλέγει μου τὴν ψυχὴν τῇ φρουρᾷ καὶ τοῖς δεσμοῖς ταλαιπορῶν. Φεῦ μοι, Τί γένωμαι; ποῖ τράπωμαι; τίνος ἐξ ἑτέρου τὴν λύσιν εὕροιμι τοῦ κακοῦ; Οὕτω τῆς γυναικὸς σὺν δακρύων πηγαῖς ἀνακλαιομένης, πέμψας ἐκεῖνος τῶν ἀδελφῶν ἕνα, τοῦτο ταύτῃ δηλοῖ· Ἄπελθε, γύναι, τῶν ὧδε· τί μου καταβοᾷς; Ὁ Ποιμὴν τέκνων πατὴρ οὐκ ἐγένετο.

* Coteler. προφάσει δὲ i.e. sumpto autem prætextu

5 Μανθάνει ταῦτα ὁ ἄρχων, καὶ θαυμάσας· Κἂν λόγῳ κελεύσει μόνον, καὶ λύσω τὸν παῖδα τῆς φυλακῆς. Ἀνηγγέλη ταῦτα τῷ γέροντι, καὶ ἀντιλέγει πρὸς τοῦτο μηνύμασιν οὕτως· Ἐξέτασον, ἄρχον, τὸν παῖδα κατὰ τοὺς νόμους, καὶ εἰ ἄξιός ἐστι θανάτου, θανατωθήτω· εἰδ' οὐκ ἀλλ', ὃ βούλει ποίησον ἐπ' αὐτῷ. Ἤκουσεν ὁ ἄρχων ὑπερεθαύμασεν, καὶ τῆς θυλακῆς τὸν παῖδα ἀπέλυσε. Πολλῶν τοίνυν παραβαλλόντων πρὸς τὸν γέροντα ὠφελείας χάριν καὶ εὐχῆς, πάντας ὁ γέρων ὠφελεῖ θεοπνεύστοις διδασκαλίαις. Ἠρώτησεν οὖν τις αὐτῶν ποτε τῶν συνιόν-
C των, εἰ χρὴ τὸ τοῦ ἀδελφοῦ ἁμάρτημα τὸν βλέψαντα συγκαλύψαι. Καὶ ὁ γέρων; Εἰ καλύψομεν, ἔφη, τέκνον, τὰ τῶν ἀδελφῶν ἁμαρτήματα, καλύψει πάντως καὶ Θεὸς τὰ ἡμέτερα· οἵῳ γὰρ μετρήσομεν, ἀντιμετρηθήσεται ἡμῖν. Τούτου τοίνυν μετὰ τοῦ ἀββᾶ Ἀνοὺβ τοῦ ἀδελφοῦ παρερχομένου, ὁροῦσι γυναῖκα κλαίουσαν, καὶ δεινῶς κοπτομένην, καὶ στάντες αὐτὴν κατενόουν· μικρὸν δὲ προβάντες συναντήσαντές τινι, τὴν αἰτίαν ἠρώτων τοῦ πικροῦ ἐκείνου τῆς γυναικὸς ὀδυρμοῦ. Τοῦ δὲ τὸν τοῦ ἀνδρὸς θάνατον, τοῦ υἱοῦ τε καὶ τοῦ ἀδελφοῦ ὀδυνᾶται φαμένου, ἐκεινος, Ἐὰν μὴ, λέγει τῷ ἀδελφῷ Ἀνοὺβ, νεκρώσει ἄνθρωπος τῆς ψυχῆς τὰ θελήπάντα ματα, καὶ κτήσει τὸ πένθος τοῦτο, οὐ δύναται γενέσθαι μοναχός.

6 Καί ποτε πολλοὶ τῶν γερόντων τούτου παραβαλόντες, τῶν συγγενῶν αὐτοῦ τις προσεκομίζετο παιδίον κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ τὸ πρόσωπον ἔχον στρεβλὸν, καὶ ἰδὼν τὸ πλῆθος ἐκεῖνο τῶν πατέρων ἔξω τοῦ μοναστηρίου, μετὰ τοῦ παιδὸς ἐκάθητο κλαίων. Τοῦτον δὲ οὕτως ἔχοντά τις ἰδὼν τῶν γερόντων, ἠρώτα μαθεῖν τὴν αἰτίαν. Ὁ δὲ, Συγγενὴς, εἶπεν, εἰμι τοῦ Ποιμένος, καὶ προσήνεγκα τὸ παιδίον κεκακωμένον οὕτως ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, καὶ ἐφοβήθην, μήπως ἐνταῦθα παραγόνεμενόν με ἀκούσας, ἐκπέψας διώξει με· οὐ θέλει γὰρ ἰδεῖν τινα τῶν αὐτοῦ. Ἀλλὰ σὺ ἐλεήσας με παράλαβε εἴσω τῆς μονῆς τὸ παιδίον, καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ προσεύξασθε. Λαβὼν οὖν αὐτοῦ ὁ γέρων, καί

dum hæc audiret? Videlicet illa, quæ fecit. Multum vociferabatur, assidue clamabat, lacrymis terram lavabat, siquidem his filiorum cœtus mitesceret, et ad misericordiam flecteretur. Non sustinuerunt itaque matris conspectum, manifestam desiderii erga Christum jacturam id reputantes; ac proinde iterum eadem ista significant: Si nos, o mater, cupis videre, in magna illa die omnino videbis: nunc autem recede hinc. Dum igitur hæc intellexisset insignium filiorum parens, in patriam rediit, Deum glorificans in iis, quæ audierat ac viderat *a*, et in quibus hi maximi filii ad virtutem provecti sunt. Et hæc quidem ita.

A. Laurentio monacho. — *a facta,*

4 Dum autem alio tempore præfectus regionis videre vellet abbatem Pœmenem, sermonisque ejus ac precum esse participes; neutiquam ille obsecundavit. Dumque aliquando filium sororis ejus tamquam maleficum comprehendisset, et carceri mancipasset, ne vel sic quidem Senex morem gessit præfecto, ut veniret in conspectum suum. Soror itaque ejus, propter fratrem alia postponens, ostio cellæ ipsius adstitit, in qua quietam et solitariam agebat vitam, obnixe rogans eum, ut vel scripto impetraret a præfecto liberationem filii. Quando itaque eam ne quidem responsione dignatus esset, vocife- E rabatur illa adversus eum, tamquam immitem, excordem, immisericordem accusans, aliaque dictitans, quanta et qualia muliebris naturæ impotentia offensa novit dicere. Ad hæc, magna voce exclamabat; Miserere mei, quia unigenitus meus filius est, animamque meam urit, carcere ac vinculis afflictus. Hei mihi! quid me fiet: quo me vertam: per quemnam alium inveniam liberationem mali? Ad mulierem, fontes lacrymarum ita emittentem, uno e fratribus misso, hæc significat ei: Abi hinc, mulier: quid contra me clamas? Pœmen filiorum pater factus non est.

5 Rescit ista præfectus, ac miratus, Si vel verbo tantum, ait, jusserit, juvenem carcere liberabo. Hæc renuntiantur Seni, et contradicit illis, sic mentem indicans: Examina, præfecte, juvenem secundum leges, et, si reus sit mortis, moriatur; sin minus, fac de illo quod vis. Audiit præfectus, miratus est valde, et juvenem carcere liberavit *b*. Dum ergo multi accederet Senem utilitatis et orationis gratia; doctrinis a Deo inspiratis Senex prodest omnibus. Quidam itaque ex illis, qui eum adibant, aliquando interrogavit, an is, qui viderit peccatum F fratris, contegere illud debeat. Et Senex, Si texerimus, inquit, fili, peccata fratrum, Deus omnino teget nostra: nam qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis *c*. Dum igitur cum abbate Anub fratre transiret, mulierem vident flentem ac vehementer afflictam, et subsistentes eam contemplabantur: paulum vero progressi occurrerunt alicui, et sciscitati sunt causam amari istius luctus mulieris. Qui ubi diceret, eam dolere mortem viri, filiique ac fratris; ille, Nisi, inquit fratri Anub, mortificarit homo omnia animæ placita, atque in isto luctu se possederit, non potest fieri monachus.

seu apophthegmata, — *b* — *c*

6 Multis senibus aliquando ad eum accedentibus, quidam cognatorum ejus attulit puerum, qui a satana possessus contortum habebat vultum: vidensque illam patrum multitudinem extra monasterium, consedit cum puero flens. Hunc autem ita se habentem quidam senum conspicatus, interrogavit, ut causam intelligeret. Cui ille, Cognatus sum, ait, Pœmenis, et puerum attuli a maligno spiritu tam male vexatum, et timui, ne, huc me advenisse audiens, dimissum me pellat: neque enim vult videre quemquam suorum. Sed tu misertus mei accipe puerum intra monasterium, ac pro ipso orate. Senex igitur

a biographo

A. LAURENTIO MONACHO.

igitur ipsum accipiens, et ingrediens, prudenter fecit quæcumque conveniebant: nec statim eum adduxit ad Pœmenem ; sed a minoribus incipiens fratribus, singulos eorum quosque ex ordine rogavit, ut formarent signum Christi, usque ad Pœmenem. Posterius vero postquam illum adduxisset etiam ad ipsum ; petitionem hic repulit, illi orabant dicentes : Sicut omnes, et tu Pater. Surgens autem ac spiritu gemens orabat dicens : O Deus, figmentum tuum sana, ut dæmon in illud non dominetur : et, signo crucis post facto, sanum reddidit cum patri.

meritorum. memorantur :

7 Alius quidam fratrum, in prima hebdomade Quadragesimæ accedens ad Pœmenem, cogitationes suas ei enarravit, et, capta aliquantulum quiete, dicit : Vix ausus sum huc venire hodie. Cui Senex ait : Quare ? Quia, inquit frater, per Quadragesimam mihi neutiquam aperies. Cui Pœmen respondit : Nos non didicimus claudere januam ligneam, sed linguæ potius. Alius vero quidam necessitatis alicujus causa ad ipsum digressus, et conspicatus, quod parum aquæ in pedes suos mitteret, Qua, ait, severitate usi sunt nonnulli ad dure tractanda corpora sua ! Et illi respondit : Nos docti non sumus
B corpus occidere, sed pravas affectiones. Hæc sufficiunt, ut ostendamus Pœmenis magnalia, immo etiam alia ejusdem maxima virtutem officia.

moritur plenus dierum ac meritorum.

8 Nos itaque ad ipsum præsentis vitæ ejus finem convertemus sermonem. Nunc igitur, o beate Pœmen, dierum, qui sunt fluxi, rerumque spiritualium plene, et ornate omni virtute, omniumque, tam qui sunt in Ægypto quam qui in Thebaïde, pater facte in Christo parum ægrotas, et attollens * pedes, nec non spiritum pie commendans, manibus illius, qui hunc dederat, tradidisti. Et nunc cum angelis lætaris, cum justis exultas, qui a seculo sunt, et magis perspicue versaris cum Deitate : qua utinam et nos digni reddamur tuis apud benignum Deum intercessionibus : quem decet gloria, et imperium nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

**f. ἐκτάνας, extendens*

εἰσελθὼν ἐχρήσατο οἷα εἰκὸς συνετῶς, καὶ οὐ προσεγγίκεν D
εὐθέως τῷ Ποιμένι, ἀλλ' ἀπὸ τῶν μικροθέρων ἀρξάμενος ἀδελφῶν παρεκάλει ἕνα ἕκαστον τούτων ἀκολούθως, τὴν τοῦ Χριστοῦ σφραγίδα ποιῆσαι μέχρι καὶ τῷ Ποιμένι. Ὕστερον δὲ προσαγιοχῶς καὶ αὐτῷ, ἐκεῖνος τὴν αὔτησιν. παρεκρούετο, καὶ οἱ μὲν ἐδέοντο· Καθὼς πάντες, καὶ σύ, πάτερ, λέγοντες. Ὁ δὲ ἀναστὰς καὶ στενάξας τῷ πνεύματι προσηύξατο εἰπών· Ὁ Θεὸς, ἴασαι τὸ πλάσμα σου, ἵνα μὴ ὑπὸ τοῦ δαίμονος κατακυριευθῇ, καὶ τὸ σταυρικὸν σημεῖον αὖθις ποιήσας, ὑγιῆ ἀπέδωκε τῷ πατέρι.

7 Ἕτερος δέ τις τῶν ἀδελφῶν κατὰ τὴν τῆς τεσσαρακοστῆς πρώτην ἑβδομάδα προβαλὼν τῷ Ποιμένι ἐξεῖπεν αὐτῷ τοὺς λογισμοὺς, καὶ τυχὼν ἀναπαύσεως παρὰ βραχὺ λέγει· Κατεσχέθην παραγενέσθαι ὧδε σήμερον. Καὶ ὁ γέρων, Διατί λέγει ; Ὅτι, εἶπεν ἀδελφὸς, μήποτε διὰ τὴν τεσσαρακοστὴν οὐκ ἀνοίξῃ μοι. Καὶ ὁ Ποιμὴν πρὸς αὐτόν· Ἡμεις οὐκ ἐμάθομεν τὴν ξυλήνην κλείειν, ἀπεκρίνατο, θύραν, ἀλλὰ μᾶλλον τῆς γλώττης. Καὶ ἄλλος δέ τις εἰς αὐτὸν κατά τινα χρεῖαν παραβαλὼν, καὶ ἰδὼν μικρὸν ὕδωρ εἰς τοὺς πόδας βάλλοντα, Πῶς τινες, ἔφη, ἀποτομίαν ἐχρήσαντο σκληραγωγῆσαι τὰ ἑαυτῶν σώματα· καὶ πρὸς αὐτὸν, Ἡμεῖς οὐκ ἐδιδάχθημεν, ἀντέφησεν, εἶναι σωματοκτόνοι, ἀλλὰ παθοκτόνοι. Ἱκανὰ ταῦτα παραστῆσαι τὴν τοῦ Ποι- E
μένος μεγαλειότητα, ναὶ μὴν καὶ τὰ ἄλλα τούτου μεγιστα κατορθώματα.

8 Ἡμεῖς οὖν πρὸς αὐτὸ τὸ τέλος τῆς παρούσης αὐτοῦ ζωῆς τὸν λόγον τρέψομεν. Ἤδη μὲν οὖν, ὦ μακάριε Ποιμὴν, ἡμερῶν πλήρης γενόμενος τῶντε λυομένων, καὶ τῶν τοῦ πνεύματος, καὶ πάσῃ διαπρέψας ἀρετῇ, καὶ πάντων πατὴρ τῶν τε κατ' Αἴγυπτον καὶ Θηβαΐδα γενόμενος ἐν Χριστῷ, μικρὸν νοσεις, καὶ τοὺς πόδας ἐξάρας, καὶ καλῶς αὐτὸ ἀναθεὶς χερσὶ τοῦ δεδωκότος τὸ πνεῦμα παρέθου, καὶ νῦν ἀγγέλοις συνευφραίνῃ, δικαίοις τοῖς ἀπ' αἰῶνος συναγαλλόμενος, καὶ τρανώτερον συνὼν τῇ θεότητι· ἧς γένοιτο καὶ ἡμᾶς ἀξιωθῆναι ταῖς σαῖς πρὸς τὸν φιλάνθροπον Θεὸν ἱκεσίαις· ᾧ πρέπει ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· Ἀμήν.

A N N O T A T A.

a *Factum hoc narrabitur postea ex apophthegmate* LXXVI.

b *Hæc historia ibidem habetur apophthegmate* V ; *sed diverso ac breviore modo.*

C c *Vide apophthegma* LXIV ; *pro iis vero, quæ hic sequuntur, consule* XXVI, VII, LVIII, *et* CLXXXVIV. *Nec his addimus plura Annotata : cum in brevi nostro Commentario facile possint legi, quæ huic Vitæ elucidandæ subservire possint. Consule etiam Annotata, quibus illustrare conabimur Apophthegmata, quæ nunc subdimus.* F

APOPHTHEGMATA

Ex editione Cotelerii tomo I Monumentorum ecclesiæ Græcæ pag. 585 et sequentibus.

Monitiones quædam præviæ.

Tomum hunc anno 1677 *Lutetiæ Parisiorum vulgavit V. C. Joannes Baptista Cotelerius, ac Græcum textum Latine reddidit. Inter alia vero, in eodem tomo contenta, habentur Apophthegmata Patrum, citato pro illis in principio tomi post Præfationem* Reg. Ms. 2466. *Textum Græcum non dabimus, qui a curioso lectore, quantum* ad S. Pœmenem *spectat, ibidem legi potest. Hunc idem auctor elucidavit Observationibus ad calcem dicti tomi, quæ usui etiam nobis erunt ; non vero notæ, seu variantes lectiones Græcæ marginales, quæ ad versionem Latinam apophthegmatum* S. Pœmenis *apponuntur. Non abs re autem fuerit ex ipso hic recudere citationes marginales, quibus, præter alios scriptores, indicantur Vitæ Patrum, libri, libelli ac numeri, non raro etiam Appendice ad easdem Vitas signata. Porro cum apophthegmata illa sint satis longa ; visum est nobis ea dividere in tres partes, ac numeris arithmeticis, seu eifris, ut vocant, etiam distinguere : ut res concinnior appareret, ac Annotatis aptior ad partes singulas apponendis. Hæc monitum voluimus lectorem. Nunc ipsa exhibemus Apophthegmata, retentis numeris Romanis, quæ eisdem apponuntur in editione Coteleriana ; non tamen citationibus Scripturæ sacræ marginalibus, quas a multo jam tempore non solemus notare, quæque subsidio Concordantiarum, ut vocantur, in Biblia sacra vulgata possunt inveniri hic signo, intercisa.*

PARS

A

PARS PRIMA.

Vitæ Patrum libro v, libello xi, numero 19

2 i. Profectus est aliquando abbas Pœmen, cum esset juvenis, ad senem quemdam, ut interrogaret eum de tribus cogitationibus. Ut ergo pervenit ad senem, oblitus est unam e tribus: et reversus est in cellam suam: sed ubi manum posuit, quo clavis aperiret, recordatus est obliti sermonis. Unde dimissa clave, redit ad senem. Qui ait illi; Properasti ut venires, frater. Ille narravit: Quando posui manum meam ad sumendam clavem, recordatus sum verbi, quod quærebam: nec aperui; ideoque reversus sum. Erat autem spatium viæ plurimum. Dixit ei senex; Gregum Pœmen, id est pastor. Et nomen tuum sermone hominum celebrabitur per universam Ægypti regionem.

Vitæ Patrum libro v. libello xvi. numero 8.

ii. Quodam tempore familiaritas intercessit inter Paësium fratrem abbatis Pœmenis et alium quemdam extra cellam suam: abbas vero Pœmen nolebat. Unde exsurgens fugit ad abbatem Ammonam *a*, dicitque ei: Frater meus Paësius habet eum quodam familiaritatem; quæ me quiete vivere non sinit. Ait illi abbas Ammonas; Pœmen, adhuc vivis *b*? Vade, sede in cella tua; et pone in corde tuo, quasi jam ab anno jaceres in sepulcro

v. x. 38.

iii. Venerunt aliquando regionis presbyteri ad monasteria, ubi erat abbas Pœmen: et ingressus est abbas Anub, dixitque ei: Invitemus hodie hic presbyteros. Cumque diu stetisset, non dedit illi responsum. Quocirca tristis exiit. Aiunt ei, qui juxta sedebant: Abba, cur non respondisti ei? Excepit abbas Pœmen: Ego caussam culpamque non habeo. Mortuus enim sum. Mortuus autem non loquitur.

iii 95. v. xvii. 8.

3 iv. Senex quidam degebat in Ægypto, antequam eo venisset abbas Pœmen cum suis, eratque multum notus atque honoratus. Ut ergo e Sceti ascendit Pœmen cum sociis, homines reliquerunt semen, et veniebant ad abbatem Pœmenem; qui angebatur. Itaque dicit fratribus suis; Quid faciemus magno seni huic; quia nos in molestias miserunt homines, derelinquendo senem, ac nobis, qui nihil sumus, attendendo. Quonam igitur C modo poterimus senis animum curare? Adjecit: Conficite parum edulii, et accipite saltem *c* vini; pergamusque, ac una manducemus: forte per hoc poterimus delinire eum. Portaverunt igitur cibos, et profecti sunt. Ut autem fores pulsaverunt, audiens senis discipulus, interrogavit: Quinam estis? Illi exceperunt: Refer abbati; Pœmen est, qui vult benedici a te. Quod cum discipulus nunciasset, ille significavit his verbis: Abi, non mihi vacat. At illi permanserunt ad æstum solis, aientes: Non secedemus, nisi postquam digni visi fuerimus admitti a sene. Porro senex, cernens humilitatem eorum, necnon patientiam, compunctione ductus, aperuit. Et ingressi, cibum sumpserunt cum eo. Cum autem manducarent, ille dixit: Re vera, non sunt ea sola, quæ de vobis audivi, sed centuplum conspexi in opere vestro. Ex illa ergo die amicus eorum exstitit.

v. viii. 15. Raderi Viridar. iii. vi. 18.

v. Voluit aliquando præses provinciæ illius videre abbatem Pœmenem; nec admittebat senex. Igitur sumpto prætextu, quasi facinorosum comprehensum filium sororis ejus, misit in carcerem, dicens: Si venerit Senex, et oraverit pro eo, ego dimittam. Accessit soror ejus, deflens ad januam. Is vero non dedit responsum. Quare mulier maledictis his appetebat eum: Visceribus æneis prædite, miserere mei, quia hanc unam sobolem habeo. At ille mittens renunciavit: Pœmen liberos non suscepit. Atque recessit in hunc modum. Iis ergo auditis, præses misit, aiens: Saltem verbo jubeat; d mittam illum. Senex vero vicissim significavit: Inquire secundum leges; et morte si dignus est, moriatur; si non est, fac ut placuerit. EX EDITIS.

4 vi. Deliquit aliquando frater in cœnobio: degebat autem iis in locis anachoreta, qui a longo tempore non processerat. Veniens ergo cœnobii abbas ad senem, nunciavit ei de fratre, qui deliquerat. Ait ille: Expellite eum. Egressus vero frater e cœnobio, intravit in speluncam, ibique flebat. Contigit opportune, ut fratres nonnulli, qui ad abbatem Pœmenem proficiscebantur, audirent illum flentem: qui ingressi, invenerunt summo affectum dolore; hortatique sunt, ut ad senem pergeret: sed noluit, dicens: Hic ego morior. Venientes porro ad abbatem Pœmenem, rem ei narraverunt. Ille precibus inductos eo remisit, dicturos fratri: Abbas Pœmen vocat te. Venit frater. Quem senex intuitus afflictum, surrexit, complexus est, et cum eo comiter agens, rogavit, ut cibum sumeret. Misit autem abbas Pœmen aliquem fratrum suorum ad anachoretam, qui nunciaret: A multis annis videre te desidero, postquam de rebus tuis audivi; sed ex amborum pigritia non congressi sumus. Nunc ergo, Deo volente, occasione oblata, laborem itineris suscipe, ac videbimus nos. Non enim egrediebatur e cella sua. Ille audiens, apud se: Nisi Deus seni inspirasset, non misisset ad me. Quocirca surgens, accessit. Cumque se mutuo læti salutassent, sederunt. Tum ad eum abbas Pœmen hunc instituit sermonem: Duo homines in quodam loco degebant, qui ambo mortuos habebant apud se: dimisit unus mortuum suum, atque abiit ad plorandum mortuum alterius. Audiens porro senex, compunctus est ea oratione, recordatusque est rei, quam fecerat, et dixit: Pœmen sursum sursum in cælo; ego vero deorsum deorsum in terra. v. ix. 7. E

5 vii. Adierunt aliquando senes multi abbatem Pœmenem; cum ecce quidam ex affinibus abbatis Pœmenis haberet filium, cujus facies, diabolo efficiente, conversa erat retrorsum. Itaque pater intuitus multitudinem patrum, assumpto filio extra monasterium sedebat plorans. Contigit autem, ut quidam senex exiret. Is cernens eum, ait: Quid ploras, homo? Respondit: Cognatus sum abbatis Pœmenis: atque en puero huic accidit ista tentatio: volentes autem Seni offerre, timuimus. Neque enim vult videre nos. Atque nunc si compererit me adesse, mittet ac expellet me. Ego vero ubi vidi adventum vestrum, ausus sum venire. Quemadmodum ergo libuerit, abba, mei miserere: introducito puerum, et orate pro illo. Senex assumens puerum, intravit. Porro usus est prudentia: nec statim obtulit abbati Pœmeni; sed incipiens a minoribus fratribus, dicebat: Consignate puerum. Cumque fecisset, ut a cunctis ex ordine consignaretur, demum abbati Pœmeni attulit. Is nolebat, ut ad se appropinquaret. At illi rogabant, dicentes: Sicut cæteri, et tu, Pater. Tunc ingemiscens surrexit, atque ita precatus est: Deus, sana creaturam tuam, ne ab hoste in servitutem redigatur. Et cum signasset eum, illico curavit, sanumque patri restituit. vi. ii. 10. vii. xiv. 1. F

viii. Aliquando quidam frater ab oris abbatis Pœmenis discessit in peregrinam terram: illicque venit ad quemdam anachoretam, qui caritate præditus erat, et quem adibant multi. Frater nunciavit ei de abbate Pœmene. Ille, iii 184. v. x. 39.

auditis

EX EDITIS. auditis hominis virtutibus, desiderio tactus est vi-
dendi eum. Reverso igitur fratre in Ægyptum,
paullo post exsurgens anachoreta, e regione extera
perrexit in Ægyptum ad illum fratrem, qui ipsum
convenerat : nam indicaverat ei, ubi maneret. Vi-
dens autem eum ille, demiratus est, et valde est
gavisus. Dixit anachoreta ; Exerce caritatem, duc
me ad abbatem Pœmenem.

6 Itaque assumens eum, pervenit ad Senem.
Cui nunciavit, quæ ad ipsum spectabant, his ver-
bis : Magnus vir est, caritate multa, ingenti ho-
nore apud suos : de te annunciavi ei, et cupiens
videre te, advenit. Suscepit ergo illum cum læ-
titia ; et postquam se mutuo salutassent, conse-
derunt. Tunc peregrinus cœpit loqui ex Scriptu-
ra, de rebus spiritualibus et cœlestibus. At abbas
Pœmen vertit faciem, nec responsum reddidit.
Unde is cernens quod non colloqueretur, tristis
egressus est. Dixitque fratri, qui eum duxerat ;
Frustra hanc omnem peregrinationem suscepi Ve-
ni namque ad Senem : ecce vero neque meeum
colloqui vult. Itaque Frater ingressus ad abbatem
Pœmenem, Abba, inquit, propter te accessit
B magnus iste homo, tanta gloria in loco suo re-
fulgens ; quare non disseruisti cum eo ? Excepit
Senex ; Ille e supernis est, et cælestia loquitur ;
ego vero ex inferioribus sum, et terrena loquor.
Si sermonem ad me habuisset de affectibus animi,
ei respondissem. Quod si agatur de cælestibus,
ego illa nescio. Egressus itaque frater, retulit
peregrino : Senex non facile de Scripturis loqui-
tur : sed si quis rogaverit de animi affectibus, re-
sponsum dat. Ille compunctus, Senem adiit, et
ait ei : Quid faciam, abba, quandoquidem domi-
nantur mihi animi affectus ? Tunc oculis in eum
conjectis, lætus Senex infit : Modo bene venisti :
nunc aperi os tuum de his, et implebo illud
bonis. Ille vero plurimum animæ commodum
cum cepisset, professus est : Plane hæc est vera
via. Gratiisque Deo actis, quod cum ejusmodi San-
cto meruisset convenire, reversus est in regionem
suam.

V. IV. 32. 7 IX. Comprehendit aliquando rector provin-
ciæ quemdam e vico abbatis Pœmenis, et vene-
runt cuncti, Senem rogantes, ut abiret, cum-
que a carcere emitteret. Dixit eis : Sinite me dies
C tres, tuncque proficiscar. Oravit ergo abbas Pœ-
men ad Dominum, his verbis : Domine, ne de-
deris mihi hanc gratiam : alias non permissuri
sunt me sedere in hoc loco. Venit ergo senex,
rogavitque judicem. Qui ad eum infit : Pro la-
trone rogas, Abba ? Senex autem gavisus est,
quod gratiam ab eo non accepisset. X. Narrave-
runt quidam, quod aliquando abbas Pœmen et
d fratres ejus conficerent scolaces *d* : nec procede-
bat, quod non haberent, unde emerent funiculos.
Et aliquis eis carus, rem narravit cuidam merca-
tori, homini pio. Cæterum abbas Pœmen nolebat
quidpiam a quoquam accipere, ad vitandam ni-
mirum turbæ vexationem. Itaque mercator, cu-
piens opus Seni conficere, prætexuit indigere se
scolacibus. Et adduxit camelum, sumpsitque. Ve-
niens autem frater ad abbatem Pœmenem, audi-
to quod fecerat mercator, ut qui vellet laudare
eum, infit : Sane, abba, etsi non indigeret, ac-
cepit tamen, quo nobis opus faceret. Audiens
vero abbas Pœmen, absque indigentia sumpsisse,
dixit fratri : Surge, conduc camelum, et affer
illos. Quod si non attuleris, Pœmen hic non am-
plius residebit vobiscum. Nolo namque cuiquam
injuriam facere, cum non indigeat, ut damnum
patiatur, capiatque lucrum meum. Abiit frater
ejus, et post multum laboris, attulit. Nisi enim D
attulisset, Senex discessisset ab eis. Ut ergo vidit
illos, gavisus est, tamquam si invenisset magnum
thesaurum. XI. Audiit aliquando presbyter Pe-
lusii *e* de quibusdam fratribus, quod assiduo in
urbe versarentur, lavarent, negligerent se : quo-
circa veniens ad collectam, sustulit ab iis habi-
tum monachalem. Sed postea corde se tactum
sensit, ac pœnitentia ductus est. Accessit ergo
ad abbatem Pœmenem, velut cogitationibus
ebrius, portans etiam levitones *f* fratrum ; rem- f
que Seni annunciat. Ait illi Senex, Non habes tu
quidpiam veteris hominis ? exuistine eum ? Re-
spondit presbyter : Particeps adhuc sum veteris
hominis. Senex reposuit : Ecce igitur, etiam tu,
sicut fratres. Etsi enim parum retineas vetu-
statis, attamen peccato subjaces Tunc abiens
presbyter, vocavit fratres, ab ipsis undecim veniam
supplex petiit, induit eos habitu monachi, necnon
dimisit.

8 XII. Frater sic interrogavit abbatem Pœme- V. X. 40.
nem : Commisi grande peccatum, et volo per
triennium agere pœnitentiam. Dicit ei Senex :
Multum temporis est. Ait frater ; Sed ad annum E
usque ? Iterum Senex ; Multum est. Qui autem
aderant, dixerunt : Usque ad quadraginta dies ?
Iterum ait ; Multum est. Addiditque ; Affirmo
ego, quod si hominem ex toto corde pœnituerit,
nec is amplius peccaverit, etiam in tribus pœni-
tentiæ diebus Deus illum suscipiet, XIII. Dixit V. VII. 15
adhuc ; Signum monachi in tentationibus appa- Doroth.
ret. XIV. Iterum dixit : Sicut spatharius *g* impe- Doctr. 15.
ratoris assistit ei, paratus semper : ita oportet v! v. 8. In
animam promptam esse adversus dæmonem forni- Ephræm p.
cationis. XV. Interrogavit abbas Anub abbatem 587. n. 12.
g
Pœmenem de impuris cogitationibus, quas gignit V. V. 41.
cor hominis, et de vanis cupiditatibus. Dicit ei
abbas Pœmen : « Numquid gloriabitur securis sine
« eo, qui cædit in ipsa ? » Tu quoque ne porrigas eis
manum, et otiosæ erunt. XVI. Dixit iterum abbas Append. p.
Pœmen : Nisi Naburzardan coquorum *h* princeps 999. n. 20.
venisset, non concrematum fuisset templum Domini. h
Hoc autem significat, quod nisi venisset in ani-
mam recreatio gulæ, mens corruisset in bello contra
inimicum. XVII. Aiebant de abbate Pœmene, quod V. IV. 50.
invitatus ad comedendum contra voluntatem suam,
proficiscebatur cum lacrymis, ne inobsequens esset F
fratri suo, eumque tristitia afficeret. XVIII. Dixit V. X. 45.
prætere a abbas Pœmen : Noli habitare in loco,
in quo cernis nonnullos tibi invidere. Alioqui
non facies progressum. XIX. Narraverunt quidam V. IV. 51.
abbati Pœmeni de aliquo monacho, quod vinum
non biberet. Et dixit : Vinum omnino ad mona-
chos non pertinet. XX. Abbas Esaias interroga- V. X. 42.
vit abbatem Pœmenem de sordidis cogitationi-
bus. Et respondit ei : Quemadmodum in capsa
plena vestimentis, si quis reliquerit ea, tempore
putrefiunt : ita in cogitationibus ; si eas corpore
non executi fuerimus, per tempus abolentur aut
putrescunt. XXI. Interroganti abbati Josepho de V. X. 43.
eadem quæstione, respondit abbas Pœmen : Quem-
admodum si quis serpentem cum scorpio miserit
in vas, illudque occluserit, omnino post aliquod
tempus morientur : sic et pravæ cogitationes,
quæ ex dæmonum instinctu pullulant, per toleran-
tiam deficiunt.

9 XXII. Frater venit ad abbatem Pœmenem, et V. X. 46.
ait ei : Sero agrum meum, atque ex eo facio
agapen *i*. Respondit illi Senex : Recte facis. Et
abiit cum alacritate, auxitque eleemosynam suam.
Abbas autem Anub, audito sermone, infit ad
abbatem Pœmenem : Non times Deum, qui ita
locutus

A locutus sis fratri? Senex vero tacuit. Post duos
autem dies, arcessivit abbas Pœmen fratrem, ei-
que dicit, audiente abbate Anub: Quid mihi pro-
locutus es alio die? quoniam mens mea alibi erat.
Tum frater: Dixi, a me semiari agrum meum,
ex eoque dari eleemosynam. Excepit abbas Pœ-
men; Putabam te locutum de fratre tuo, qui in
sæculo vivit. Quod si tu es, qui hoc opus facis,
non est hoc monachi. Is vero audiens, coutri-
status est, atque hæc profudit verba: Nullum
aliud opus novi, nisi hoc, nec possum non se-
minare agrum meum. Postquam ergo discessisset,
incurvavit se coram Pœmene Anub, aiens: Igno-
sce mihi. Tum abbas Pœmen, Ego quoque, in-
quit, a principio noveram non esse opus mona-
k chi *k*; sed secundum mentem illius pronunciavi,
dedique ipsi alacritatem, ad caritatis processum.
Nunc vero tristis abiit; atque iterum hoc ipsum
v. x. 48. faciet. xxiii. Dixit abbas Pœmen: Si peccaverit
homo, et negaverit se peccasse, ne redargue-
ris eum; alias exsciudis studium ipsius. Quod si
dixeris ei: Noli animum despondere, Frater,
B sed cave iu posterum, excitas animam illius ad
v. x. 49. pœnitentiam. xxiv. Iterum dixit: Bona res est
experientia: ipsa enim docet hominem probum.
v. x. 50. xxv. Dixit iterum: Homo qui docet, nec, quæ
docet, faciet; similis est fonti: quia cunctis potum
dat, cunctos abluit, seipsum vero non potest
v. iii. 10. muudum præstare. xxvi. Præteriens aliquando ab-
bas Pœmen per Ægyptum, conspexit mulierem
sedentem in sepulcro, et plorantem amare. Unde
dixit; Etsi cuncta mundi hujus oblectamenta adve-
nerint, non deducent ejus animam a luctu. Sic etiam
monachus, luctum debet semper in semetipso ha-
v. x. 51. bere. xxvii. Dixit præterea: Est homo, qui videtur
tacere, et cor ejus condemnat alios: is semper loqui-
tur. Est alius, qui a mane ad vesperam loquitur,
ac silentium tenet; hoc est, extra usum nihil pro-
nunciat.
v. x. 55. 10 xxviii. Frater venit ad abbatem Pœme-
nem, et ait: Abba, variis cogitationibus agita-
tus, ex iis periclitor. Senex educit hominem, et
sub dio collocat; jubetque ut expanso sinu reti-
neat ventos. At ille respondit: Non possum hoc
facere. Tum Senex: Si hoc facere nequis, nec
potes impedire, nec subeant cogitatione: sed of-
v. x. 52, vii. ficium tuum est, illis obsistere. xxix. Dixit ab-
xxxvi. 1. bas Pœmen: Si tres convenerint; quorum unus
C bene vitam quietam ducat, alter ægrotet gratias-
que agat in morbo, tertius ministret cum pura
cogitatione; isti tres paris ac veluti unius sunt
v. xviii. 17. operationis et virtutis. xxx. Iterum dixit: Scri-
ptum est: « Quemadmodum desiderat cervus ad
« fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te,
« Deus ». Quandoquidem cervi in solitudine mul-
tos deglutiunt serpentes; cumque comburit eos
venenum, desiderant ad aquas venire; postquam
vero biberint, frigent a serpentum veneno: ita
et monachi, in eremo sedentes, uruutur a ve-
neno malorum dæmonum, ac desiderant Sabba-
tum atque Dominicam, quo accedant ad fontes
v. x. 44. Re- aquarum, id est, ad corpus et sanguinem Domini,
gula Solit. et purgentur a mali amaritudine. xxxi. Abbas Jo-
cap. 54. seph interrogavit abbatem Pœmenem, quo mo-
do jejunandum esset. Cui respondit sic: Ego vo-
lo, ut quis quotidie comedat, sed parum, ne sa-
turetur. Ait abbas Joseph: Quando eras juvenis,
nonne cibo abstinebas per duos dies, abba?
Excepit Senex: Revera etiam per tres et qua-
tuor, totamque hebdomadem. Atque hæc omnia
probaverunt Patres, ut potentes in virtute homi-
nes: sed invenerunt, præstantius esse quotidie pa-
rum manducare; atque nobis tradiderunt viam, EX EDITIS.
quæ regia est, quia levis. xxxii. Aiebant de ab- v. xi. 22.
bate Pœmene, quod cum ad synaxim venturus App. p. 1004.
esset, sedebat scorsum, discernens cogitationes n. 32.
suas, hora circiter una; atque ita egrediebatur,
xxxiii. Frater interrogans abbatem Pœmenem, v. x. 56.
dixit: Relicta mihi est hæreditas; qui faciam
ex ea? Ait illi Senex: Abi, et post tres dies ve-
ni, responsumque feres. Rediit igitur, sicut de-
finierat Senex. Qui si locutus est ei: Quid tibi
dicturus sum, frater? Si dixero; Affer ad ec-
clesiam; illic prandia faciunt et convivia. Si: Da
cognato tuo; mercedem non recipies. Si autem pro-
nunciavero: Distribue in pauperes; facere negliges.
Quidquid ergo placuerit, facito. Ego culpa affinis
non sum.

ANNOTATA.

a *Varios ejusdem nominis dedimus tomo 2 Januarii, die 26, a pag. 722 in S. Ammona. Fuit autem* Anub, *qui statim hic sequitur,* S. Pœmenis *frater natu major. Vide Com. præv.* § 2.

E b Pœmen *itaque* ab Ammone *diversus. Vide eumdem Comm. num.* 3.

c *Lege* saitem, *vel potius* saïten : *in textu Græco est* σαίτην. *Cotelerius columna* 818 *in notis hic*: Saïtes, *inquit,* quæ mensura sit, explicatur a S. Epiphanio lib de mensuris et ponderibus cap. 24. Sed et Palladius Hist. Laus. cap. 22 ea voce utitur.

d Scolaces sunt funes intorti et cerati ad usum facis et candelæ, seu funalia et cerei funales. Observatum fuit a veteribus et recentioribus, *prout habet Cotelerius pag.* 818 *citata. Consule Glossarium Cangii in voce* scolax.

e *Si hic sit S. Isidorus Pelusiota, monachus et presbyter in Ægypto; de eo tractavimus tomo* I *Februarii, die* 4 *ejusdem mensis, pag.* 468 *et seqq.*

f *In Græco* λεβήτονας : *id est,* colobia linea sine manicis, *ex Cangio in Glossario Græco ad vocem* λεβητών : *ubi inter alia exempla indicat hoc ipsum apophthegma Græcum.*

g Spatharius, imperatorii corporis custos, σωματοφύλαξ. Cedreno: dignitas in imperio Constantinopolitano sat illustris, *ex Cangio : ubi plura ad hanc vocem.* F

h *Lib.* 4 *Regum, cap.* 25. 8, *Septuaginta habent:* Ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος, *uti hic vocatur. At Vulgata :* Nabuzardan princeps exercitus.

i *Vox* ἀγάπη, *præter alia, quæ significat, et de quibus Cangius in Glossario Græco, hic videtur pro eleemosyna sumi, et sic vertitur bis eadem vox Græca, quæ sequitur in hoc apophthegmate : at tertia vice illi substituitur vox* caritatis *eodem sensu : nam facere* eleemosynam, *et facere* caritatem, *idem significant.*

k *Si vera narrat scriptor, quomodo* Pœmen *non mentitus?*

PARS SECUNDA.

11 xxxiv. Interrogavit eum alius frater, quid v. xviii. 18.
sibi vellet illud: « Ne reddas malum pro malo ».
Ait Senex: Hic affectus quatuor habet modos:
primum a corde, secundum ex aspectu, tertium
de lingua, quartum vero est, non facere malum
pro malo. Si potueris mundare cor tuum, non
venit ad aspectum; quod si in conspectum vene-
rit, cave ne loquaris; si vero etiam locutus fue-
ris,

EX EDITIS ris, cito abscinde, ut non facias malum pro ma-
v. i. 12. lo. xxxv. Dixit abbas Pœmen: Custodire, sibi
attendere, et discretio, hæ tres virtutes viæ
v. xv. 34. duces sunt animæ. xxxvi. Dixit iterum: Projice-
re se coram Deo, seipsum non metiri, mittere
retro propriam voluntatem, sunt instrumenta ani-
v. xvi. 9. mæ. xxxvii. Dixit quoque: Omnis laboris, qui-
cumque supervenerit tibi, victoria est, tacere.
xxxviii. Iterum dixit: Abominatio est Domi-
v. iii. 12. no, omnis corporalis requies. xxxix. Dixit ad-
huc: In luctu duo sunt; operatur, et custodit.
v. x. 37. xl. Iterum dixit: Si se subierit cogitatio de re-
bus corpori necessariis, semelque constitueris;
rursusque secundo subierit, ac tu constitueris;
si tertio subierit noli ei attendere: otiosa enim est.
xli. Iterum; frater interrogavit abbatem Alo-
nium: Quid est nihili se facere? Respondit se-
nex: Esse te infra animalia ratione carentia, et
nosse quod illa condemnationi obnoxia non sint.
v. xv. 36 xlii. Item: Si recordatus fuerit homo dicti quod
in Scriptura legitur: Ex verbis tuis justificabe-
B " ris, et ex verbis tuis condemnaberis "; eliget
v. ii. 12. potius, tacere. xliii. Dixit præterea: Initium
v. vii. 14 malorum est, distractio. xliv. Et hoc retulit,
quod abbas Isidorus Scetеos presbyter, ita ali-
quando ad multitudinem verba fecerit: Fratres,
nonne propter laborem in hunc locum venimus?
Nunc vero, non amplius laborem habet. Ego
igitur apparata mea melote abeo ad locum, in quo
v. x. 38 labor est, illicque inveniam requiem. xlv. Fra-
ter dixit abbati Pœmeni: Si videro rem, jubes,
ut eam efferam? Ait illi Senex: Scriptum est;
" Qui responderit verbum, priusquam audiat; stul-
" titia ei est, et opprobrium ". Si ergo interro-
gatus fueris, profer; sin minus, tace. xlvi.
Frater aliquis percontatus est abbatem Pœmenem:
Potestne homo confidere in una actione? Re-
a spondit Senex, abbatis Johannis Curti *a* sermo-
nem exstitisse: Ego cupio ex omnibus virtutibus
nonnihil assumere. xlvii. Etiam narravit Senex,
b quod frater interrogaverit abbatem Pambo *b*,
utrum bonum esset laudare proximum; et ille res-
ponderit, Melius est, tacere.
L. Doroth. 12 xlviii. Dixit iterum abbas Pœmen: Licet
Doctr. 7 et homo produxerit novum cælum et novam ter-
Ep. 8 v. xv. ram, non potest curis carere. xlix. Rursum di-
52. C xit: Homo indiget humilitate ac Dei timore,
v. iii. 13. quemadmodum flatu, qui e naribus ejus prodit. l.
Frater interrogavit abbatem Pœmenem, quid fa-
cere deberet. Ait illi Senex: Quando Abraham
ingressus est in terram promissionis, sibi emit mo-
numentum, ac per sepulcrum terram accepit in
hæreditatem. Rogat frater: Quid est sepulcrum?
v. xiii. 6. Senex respondet: Locus fletus et luctus. li. Fra-
ter dixit abbati Pœmeni: Si dedero fratri meo
parum panis, aut aliud quid, dæmones polluunt
illud, quasi ad placendum hominibus factum fue-
rit. Ait ei Senex: Licet studio hominibus placen-
di fiat, nos tamen fratribus demus, quæ illis ne-
cessaria sunt. Adjecit quoque hanc parabolam:
Duo agricolæ in eadem civitate habitabant:
unus ex iis seminavit, retulitque pauca et impura;
alter cum serere neglexisset, nihil omnino colle-
git. Itaque si contigerit fames, quis ex duobus
inveniet, unde vivat? Respondit frater; Qui pau-
ca illa impura confecit. Tum Senex: Pari igitur
modo et nos, seminemus pauca, quamvis im-
v. x. 39. munda, ne fame pereamus. lii. Etiam retulit ab-
bas Pœmen hunc abbatis Ammonæ sermonem:
Quidam per totum vitæ tempus securim portat,
nec invenit modum dejiciendæ arboris. Est vero
alius secandi peritus, qui paucis ictibus proster-

nit arborem. Aiebat autem, securim esse discre- D
tionem. liii. Frater percontatus est abbatem Pœ- v. i. 13.
menem, dicens: Quem in modum debet homo
vitam instituere? Et ad eum Senex: Cernimus
Danielem; non potuit inveniri contra illum ac-
cusatio, nisi in cultu, quem exhibebat Domino
Deo suo. lix. Dixit abbas Pœmen: Voluntas v. x. 60 Do-
hominis, murus est æneus inter ipsum ac Deum, roth. Doctr. 5.
nec non petra repercutiens. Cum igitur eam ho- S. Ammonis n.
mo dereliquerit, ipse etiam dicet, " In Deo meo 4. apud Cote-
" transgrediar murum ". Itaque si justitia conve- ler. Doroth.
nerit cum voluntate, laborat homo. lv. Relatio Ib. v. xv. 59.
ejusdem: Sedentibus aliquando senibus et man-
ducantibus, stabat ad ministerium abbas Alonius:
quem videntes, laudaverunt. Ille vero nihil pe-
nitus respondit. Igitur nonnullus seorsum dixit ei:
Quare non respondisti senibus, qui te laudabant?
Excepit abbas Alonius: Si eis dedissem respon-
sum, visus essem laudes admittere. lvi. Dixit ite- v. viii. 14.
rum: Homines perfecti sunt in loquela, minimi in
operatione.
13 lvii. Abbas Pœmen dixit: Sicut fumus v. iv. 32.
expellit apes, tuncque opificii earum tollitur dul- E
cedo: ita et corporalis quies timorem Dei ejicit
ex anima, cunctamque ejus operationem dissol-
vit. lviii. Frater convenit abbatem Pœmenem v. xiii. 5.
secunda * Quadragesimæ hebdomada; cumque * * supra in Vi-
detexisset cogitata sua, et requiem invenisset, ait: ta num. 7
Pæne detinui me, ne huc venirem hodie. Dixit ei prima
Senex; Cur? Et frater: Reputavi, num propter
Quadragesimam mihi non aperiretur. Tunc abbas
Pæmen, Nos, inquit, non didicimus ostium li-
gneum claudere, sed potius linguæ januam. lix. v. ii. 12. Mi-
Monuit etiam abbas Pœmen: Fugienda sunt cor- scell. Voss. p.
porea. Quando enim homo prope est corporalem 152.
impugnationem, assimilatur viro juxta lacum pro-
fundissimum stanti, quem inimicus ejus, qua-
cumque hora visum fuerit, facile dejiciet ac
immerget. Quod si a corporeis rebus procul fue-
rit, similis est viro, qui longe abest a lacu;
ut, quamvis traxerit eum hostis ad præcipitium,
dum trahit ac vim infert, Deus mittat ei au-
xilium. lx. Dixit iterum: Paupertas, tribula- v. i. 14.
tio, angustia, jejunium, hæc sunt vitæ solitariæ
instrumenta. Scriptum est enim: " Si fuerint tres
" hi viri Noë, Job, et Daniel, vivo ego, di- F
" cit Dominus ". Noë personam ac figuram ge-
rit voluntariæ paupertatis; Job, laboris; Da-
niel, discretionis. Si ergo hi tres actus in homine
exstiterint, Dominus habitat in eo. lxi. Retulit v. xv. 40.
abbas Joseph: Sedentibus nobis cum abbate Pœ-
mene, nomen abbatis Agathoni dedit. Dicimus
ei: Junior est, quare eum vocas abbatem *c*? *c*
Respondit abbas Pœmen; Quia os ejus fecit eum
abbatem appellari. lxii. Venit aliquando ad ab- v. v. 9.
batem Pœmenem frater, et ait illi: Quid agam,
Pater, quia a fornicatione affligor: et ecce per-
rexi ad abbatem Ibistionem, qui dixit mihi: Non
debes permittere, ut in te moram faciat. Respon-
dit abbas Pœmen: Abbatis Ibistionis actiones sur-
sum sunt cum angelis, latetque eum, quod ego
ac tu in fornicatione sumus. Si tenuerit mona-
chus ventrem et linguam, et peregrini vitam,
confide, non morietur. lxiii. Dictum est ab ab- L. iii. 185 et
bate Pœmene: Edoce os tuum loqui, quæ corde v. viii. 14. L.
geris. lxiv. Interrogavit frater abbatem Pœme- ii. clxiv. v.
nem: Si, inquit, videro delictum fratris mei, ix. 6.
bonumne est, ut obtegam illud? Respondit Se-
nex: Quoties texerimus fratris nostri peccatum,
et Deus teget nostrum: qua vero hora fratris lap-
sum manifestaverimus, Deus nostrum manifestum
faciet.

14 lxv.

v. xi. 25. L. Doroth. Doctr. 4. 14 LXV. Narratio quoque abbatis Pœmenis fuit: Aliquis interrogavit aliquando abbatem Paisium sic: Quid faciam animæ meæ, quod sensu destituta est, nec Deum timet? Respondit: Abi, adhære homini timenti Deum, inter appropinquandum ei, docebit etiam te, ut Deum timeas.

v. i. 45. vii. xxv. 2. LXVI. Dixit iterum: Si res duas monachus devicerit, poterit liber a mundo fieri. Interrogavit frater: Quas illas? Respondit: Carnalem requiem, et inanem gloriam.

v. x. 62. vii. xxv. 3. LXVII. Abraham ille abbatis Agathonis *d*, abbatem Pœmenem interrogavit; Qui fit, ut dæmones impugnent me? Ait illi abbas Pœmen; Te impugnant dæmones? Non decertant nobiscum, quamdiu voluntates nostras facimus. Voluntates enim nostræ, in dæmones evaserunt; et hi sunt, qui nos premunt, ut compleamus eas. Quod si cupis scire, cum quibus præliati fuerint dæmones; cum Moyse, ac ei similibus. LXVIII. Dixit abbas Pœmen: Hanc vivendi formam Israelitis præscripsit Deus, ut abstinerent ab iis, quæ contra naturam sunt; hoc est ab ira, excandescentia, invidia, odio, detractione erga fratrem: et cætera quæ ad vete-

B rem Legem pertinent. LXIX. Rogatus abbas Pœmen a fratre, ut diceret ei verbum, ita locutus est: Principium rei, quod patres posuerunt, est luctus. Iterum frater petiit aliud verbum. Respondit Senex: Pro viribus exerce te in opere manuum, ut ex eo facias misericordiam. Scriptum est enim, quod eleemosyna ei fides purgent peccata. Ait frater: Quid est fides? Tum Senex: Fides est, in humilitate vivere, et facere misericor-

Miscellanea Patrum per Vossium post Gregorium Thaumat. p. 133. diam. LXX. Frater interrogavit abbatem Pœmenem hac oratione: Si videro fratrem, de cujus lapsu audiero, nolo introducere eum in cellam meam: sed si videro bonum fratrem, cum eo lætus ago. Dicit ei Senex: Si bono fratri boni parum feceris, duplum facito alteri: est enim infir-

iii. 140. vii xvi. 4. mus. Scilicet erat quidam in cœnobio nomine Timotheus anachoreta; et audivit cœnobii præpositus famam alicujus fratris de tentatione; ac de eo percontatus est Timotheum; qui consilium dedit, ut expelleret fratrem. Cum ergo ejecisset, tentatio fratris supra Timotheum posita est, adeo ut periclitaretur. Flevit ergo Timotheus coram Deo, dicens; Peccavi, ignosce mihi. Et delata ad eum

C est ejusmodi vox; Timothee, ne existimes me ob aliam caussam ista tibi fecisse, quam quia despexisti fratrem tuum in tempore tentationis suæ.

Miscellan. Voss. p. 134. 15 LXXI Dixit abbas Pœmen: Propterea tot tantisque subjacemus tentationibus, quia nomina nostra et ordinem non servamus: quemadmodum et Scriptura docet. Nonne cernimus mulierem illam Chananæam, quæ admisit nomen suum; et Salvator requie illam donavit? Rursus de Abigæa *e*; quia dixit Davidi: „ In me est peccatum „; exaudivit eam, dilexit eam. Abigæa personam sumit animæ, David Divinitatis. Si ergo anima se accusaverit coram Domino, diligit

v. iii. n. eam Dominus. LXXII. Transibat aliquando abbas Pœmen cum abbate Anub in partibus Diolci *f*; et venientes circa sepulcra, conspiciunt mulierem graviter plangentem, et flentem amare; atque stantes considerabant eam. Paullum vero progressi, cuidam occurrerunt; quem interrogavit abbas Pœmen, quid haberet ea mulier, quod amare ploraret. Respondit ille: Quia mortuus est maritus ejus, et filius, et frater. Tunc excipiens abbas Pœmen dixit abbati Anub; Aio tibi, nisi homo cunctas carnis voluntates mortuas reddiderit, huncque obtinuerit luctum, non potest fieri monachus. Tota enim hujus mulieris vita et mens in luctu est. LXXIII. Dixit abbas Pœmen: Ne metiaris temetipsum, sed adhære homini, cujus conversatio bona est. ex editis v. iv. 38.

LXXIV. Item retulit, quod si quis frater adiisset abbatem Johannem curtum; tradebat ei ille caritatem, de qua apud Apostolum legitur: „ Caritas patiens est, benigna est. „ LXXV. Retulit iterum circa abbatem Pambo, dixisse de eo abbatem Antonium: Per timorem Dei effecit, ut Spiritus Dei in eo habitaret.

LXXVI. Narravit e patribus quidam de abbate Pœmene et fratribus ejus; quod in Ægypto habitabant: et mater eorum desiderans videre illos, nequaquam poterat. Observavit autem cum proficiscerentur ad ecclesiam, et occurit eis. Illi videntes eam, reversi sunt, clauseruntque januam ad os ejus. At ipsa ad ostium clamabat, miserabiliter plorans, ac dicens: Videam vos, filii mei dilecti. Qua audita, intravit abbas Anub ad abbatem Pœmenem, aitque: Quid faciemus anui huic ad fores lacrymanti? Igitur stans intus, audivit eam misere ejulantem: dixitque: Quare ita clamas, mulier? Illa, agnita ipsius voce, multo magis vociferabatur, flens ac inquiens: Volo videre vos, filii mei. Quid enim est si conspe- E xero? Nonne sum mater vestra? Nonne ego lactavi vos? Tota sum cana *g*. Cumque percepi vocem tuam, conturbata sum. Excepit Senex: Hic videre nos vis, an in illo sæculo? Respondit: Si non videro vos hic, aspiciamne in illo sæculo? Ille: Si tibi vim intuleris, ut nos hic non cernas, illic intueberis. Discessit ergo læta, cum his verbis: Si omnino illic conspectura sum, nolo hic videre vos. v. iv. 35.

16 LXXVII. Frater percontatus est abbatem Pœmenem; Per Alta quid intelligitur? Respondit ei Senex; Justitia. Append. p. 1005. n. 20 LXXVIII. Veneruut aliquando hæretici quidam ad abbatem Pœmenem; cœperuntque loqui contra archiepiscopum Alexandriæ, quasi a presbyteris accepisset ordinationem. Senex vero cum ad ista taceret, vocavit fratrem suum, et dixit: Appone mensam, et fac, ut manducent, sicque dimitte illos cum pace. LXXIX. Retulit abbas Pœmen, quod frater cum fratribus habitans, interrogaverit abbatem Besarionem *h*, quid faciendum sibi esset; Senex autem dixerit ei; Tace, ac ne metiaris teipsum. LXXX. Dixit interum: De quo cor tuum plene sibi non persuadet, ne ei attendas corde tuo. LXXXI. Rursus F dixit: Si teipsum vilipenderis, habebis requiem, quocumque in loco sedeas. LXXXII. Retulit adhuc abbatis Sisois dictum hoc: Est pudor, qui habet peccatum illius confidentiæ, qua caremus timore. LXXXIII. Iterum dixit, quod voluntas, et requies, atque in iis consuetudo, dejiciant hominem. LXXXIV. Hanc quoque protulit sententiam: Si tenueris silentium, habebis requiem, quocumque in loco habitaveris. LXXXV. Etiam narravit de abbate Pior *i*, quod ad unumquemque diem poneret principium. LXXXVI. Frater interrogavit abbatem Pœmenem, his verbis: Si homo præoccupatus fuerit in quodam peccato, et converterit se, veniane donabitur a Deo? Ait illi Senex: Enimvero Deus, qui hoc facere præcepit hominibus, nonne magis ipse faciet? Edixit enim Petro: „ Usque septuagies septies „. LXXXVII. Frater sciscitatus est abbatem Pœmenem, dicens: Bonumne est orare? Retulitque ei Senex sententiam istam abbatis Antonii; Hæc vox ex persona Domini prodit: „ Exhortamini „ populum meum, dicit Dominus, Orate „. LXXXVIII. Frater sic interrogavit abbatem Pœmenem: Potestne homo retinere seu custodire universa

EX EDITIS. versa cogitata, nec ullum ex iis tradere inimico? Respondit Senex: Est qui accipiat decem, ac unum det. LXXXIX Idem frater eamdem quæstionem detulit ad abbatem Sisoem. Et ait illi: Certe est, qui nihil hosti præbeat.

III. 85. Viridar. Raderi III. VI. 8. *k*

17 XC. Degebat in monte Athlibeos *k* magnæ virtudis quidam eremita; in quem irruerunt latrones; senex vero clamavit: et audientes vicini ejus, comprehenderunt fures, miseruntque præsidi; qui in carcerem eos conjecit. At fratres tristitia affecti sunt, dixeruntque; Propter nos traditi fuerunt. Surgentes igitur perrexerunt ad abbatem Pœmenem, remque ei nunciarunt. Itaque scripsit ad senem, in hæc verba: Recogita primam proditionem, unde contigerit, tuncque cernes secundam. Nisi enim prius proditus fuisses intra te, non secundam proditionem commisisses. Ille, percepta abbatis Pœmenis epistola, (erat autem in tota regione celebris, nec exibat e cella sua) exsurgens venit in urbem, latrones eduxit e carcere, eosque propalam liberavit. (Append, p. 1005. n. 82.) XCI. Dixit abbas Pœmen: Monachus non est querulus; monachus non facit retributionem in malo; Monachus non est iracundus. B XCII. Senum nonnulli ad abbatem Pœmenem profecti, dixerunt ei: Præcipisne, ut, si viderimus fratres in sacro Officio dormitantes, vellicemus eos, quo excitentur ad vigiliam? Ille vero ait ipsis: Ego profecto cum fratrem dormitantem conspicio, caput ejus pono super genua mea, eique concilio requiem. (III. 57.) XCIII. Narrabant de quodam fratre, quod tentationem blasphemiæ pateretur, ac erubesceret dicere: ubi vero audisset magni meriti senes esse, accederet ad eos, ut manifestaret; sed cum pervenisset, non auderet præ pudore confiteri. Sæpe igitur et abbatem Pœmenem adiit. Senex autem animadvertebat eum cogitationibus vexari, et affligebatur, quod frater nequaquam declararet. Itaque quodam die deducens illum, Ecce, inquit, a tanto tempore huc pergis indicaturus mihi cogitata tua, et cum ades, non vis effari, sed quemadmodum antea recedis cum iis anxius. Eloquere mihi, fili, quidnam tibi sit. Respondit ille: In blasphemiam pravamque de Deo opinionem impellit me dæmon, et rubore suffusus hucusque tacui. Cumque rem ei narrasset, C illico sensit levamentum. Ait illi Senex: Fili, ne te affligas, sed quoties subierit ea cogitatio, dic: Ego in causa sive culpa non sum; blasphemia tua super te sit, satana. Hanc enim rem non vult anima mea. Quidquid porro non vult anima, breve tempus durat. Atque medela animi suscepta frater discessit.

18 XCIV. Interrogavit frater abbatem Pœmenem, oratione hac: Video, quod quocumque perrexero, inveniam subsidium. Ait illi Senex: Qui præ manibus gladium tenent, Deum sentiunt misericorditer adjuvantem eos in præsenti tempore. Si ergo fortes exstiterimus, nobis misericordiam suam exhibebit. (III. 110. VII. XII. 1.) XCV. Dixit abbas Pœmen, quod si homo seipsum culpaverit, ubique perduraturus est. (Doroth. Doctr. 7.) XCVI. Retulit iterum dictum hoc abbatis Ammonæ: Est homo, qui centum annos in cella perseverat, nec discit, quo pacto in cella residendum sit. (III. 131.) XCVII. Dixit abbas Pœmen: Si homo pertigerit ad Apostoli effatum hoc: « Omnia munda « mundis »; deprehendet se omni creatura minorem esse. Ait frater: Quo modo possum me pejorem homicida existimare? Et Senex: Si, inquit, pervenerit homo ad præfatum verbum, et conspexerit hominem cædem facere, dicet: Hoc solum peccatum iste commisit; ego vero quotidie mortem infero. XCVIII. Interrogavit frater ab- D batem Anub de eodem dicto Apostoli, referens quid abbas Pœmen pronunciasset. Is vero, Si attigerit, inquit, homo ad sermonem illum, et viderit culpas fratris sui, ut justitia sua eas devoret. Rogavit frater: Qualis est justitia illius? (Ib. App. p. 1000 n. 5.) Respondit Senex: Ut semper reprehendat se. XCIX. Frater dixit abbati Pœmeni: Si cecidero in miserabile peccatum, me mens remordet, et accusat, quare prolapsus fuerim. Ait illi Senex: Qua hora homo, qui delicto succubuit, pronunciarit, Peccavi, confestim finem habet peccatum C. Frater ex abbate Pœmene percontatus est: Quare dæmones persuadent animæ, ut cum eo, qui me supergreditur, converser, efficiuntque, ut vilipendam eum, qui me est inferior? Respondit Senex; Ideo dixit Apostolus: « In magna domo, « non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et « lignea et fictilia. Si quis ergo emundaverit se ab « omnibus istis, erit vas in honorem, utile Do- « mino, paratum ad omne opus bonum ». CI. Frater percontatus est abbatem Pœmenem hoc modo: Quare non permittor libere loqui cum senibus de cogitationibus meis? (Miscellan. Voss. p. 132. 133.) Et Senex retulit ei E sententiam abbatis Johannis Curti: In nullo ita gaudere inimicum, ac in iis, qui noluut manifestare cogitata sua. (III. 177.)

19 CII. Frater dixit abbati Pœmeni: Cor meum languidum redditur, si mihi contigerit vel parva vexatio. (Miscell. Voss. p. 133.) Ait illi Senex: Non admiramur Josephum, adolescentem annorum decem et septem, quo modo sustinuerit tentationem usque in finem? et Deus gloriosum eum effecit. Nonne videmus et Jobum, quo pacto ad finem usque non succubuerit, retinens patientiam? nec potuerunt tentationes eum dimovere a spe in Deum. CIII. Dixit abbas Pœmen: Ad cœnobium tres Actus requiruntur; unus humilitatis, alter obedientiæ, tertius qui motum ac stimulum contineat, ob cœnobii opus. CIV. Frater interrogavit abbatem Pœmenem, dicens: In tempore necessitatis meæ, nonnihil mutuatus sum a quodam Sanctorum, deditque mihi ex caritate, velut eleemosynam. Si ergo Deus ita mecum dispensaverit, ut habeam, dabone illud et ego aliis in eleemosynam, aut potius ei, qui mihi commodavit? Respondit Senex: Æquum est apud Deum, ut illi reddatur: ad ipsum enim pertinet. Addidit frater: Si igitur F attulero, et noluerit accipere, sed dixerit mihi; Abi, pro libito da illud eleemosynam; quid facere debeo? Excepit Senex: Utique ipsius res est. Si vero quis tibi sponte sua præbuerit, te non postulante, hoc tuum est. Quod si tu petieris sive a monacho sive a sæculari, nec voluerit illud recipere, hoc est temperamentum, ut cum notitia ejus exhibeas pro eo ratione caritatis et eleemosynæ. CV. Memorabant de abbate Pœmene, quod numquam voluerit dare consilium suum post alterius senis responsum; sed magis laudibus illud prorsus extulerit. CVI. Dixit abbas Pœmen: Multi e Patribus nostris fortes extiterunt in vitæ austeritate; at in subtilitate discretionis, unus, (I. XV. 41.) unus. CVII. Sedente aliquando abbate Isaac apud abbatem Pœmenem, audita est galli vox. Dicit ergo ei; Hæccine hic sunt, abba? Respondit: Isaac, quid cogis me loqui? Tu ac tui similes auditis ejusmodi; at homini vigilanti, non est curæ de istis rebus. CVIII. Aiebant, quod, si accessissent nonnulli ad abbatem Pœmenem, prius mittebat eos ad abbatem Anub, quod is major natu esset. Abbas vero Anub dicebat iis: Ite ad fratrem meum Pœmenem; ipse enim habet

A habet sermonis donum. At si illic sedisset abbas Anub juxta abbatem Pœmenem, nullatenus loquebatur Pœmen præsente illo.

20 CIX. Erat sæcularis quidam, homo in vita summe religiosus. Is abbatem Pœmenem invisit; venerant quoque alii fratres, qui a Sene postulabant audire aliquid verbi. Ait Senex fideli sæculari: Profer ad fratres sermonem. Ille vero rogabat, dicens: Ignosce mihi, abba: ego accessi, ut discerem. Verum coactus a Sene, infit: Sæculi homo sum, vendens olera, et negotians: solvo fasciculos, ac minores facio; emo parvi, et multi vendo. Ceterum nescio ex Scriptura loqui; parabolam autem proferam. Homo quidam dixit amico suo: Quandoquidem desiderio flagro videndi imperatorem, veni mecum. Ait illi amicus: Proficiscar tecum usque ad medium iter. Dicit alteri amico suo; Age tu, duc me ad imperatorem. Excipit ille: Duco te usque ad imperatoris palatium. Petiit pariter a tertio, ut secum accederet ad imperatorem. Ille respondit: Ego venio, deduco ad palatium, sto, loquor, introduco te ad imperatorem. Interrogaverunt eum,
B quinam esset parabolæ sensus. Et responsum dedit in hæc verba: Primus amicus, exercitatio est, quæ deducit usque ad viam: secundus, est castitas, quæ ad cælum usque pertingit: tertius
l vero, eleemosyna: nam introducit ad imperatorem Deum cum fiducia *l*. Itaque fratres ædificati ac instructi discesserunt. CX. Frater residebat extra vicum suum, nec per multos annos ad eum profectus est, dicebatque fratribus: Ecce a quot annis hic sum, et non veni in vicum; vos vero toties itis. De eo autem retulerunt abbati Pœmeni. Ait Senex: Ego noctu accessissem, et cir-
VII. XXXIX. 3. cuissem pagum, ne animus meus gloriaretur quod non perrexissem. CXI. Frater rogavit abbatem Pœmenem, ut traderet ei aliquod documentum. Et ait illi: Quamdiu olla igne subjecto calefit, non potest musca, nec ullum aliud reptile, eam tangere: sed cum frigida fuerit, tunc insideut ei. Pari modo monachus; quamdiu in spiritualibus
VI. IV. 14. actionibus permanet, non reperit inimicus, quo eum dejiciat. CXII. Retulit abbas Joseph de abbate Pœmene, dixisse eum: Hæc est seutentia scripta in Euangelio: „ Qui habet tunicam, ven-
C „ dat eam, et emat gladium „. Id est: Qui ha-
VI. IV. 36. bet requiem, dimittat eam, viamque angustam teneat. CXIII. Patrum quidam interrogaverunt abbatem Pœmenem: Si conspexerimus fratrem peccantem, jubes, ut arguamus illum? Respondit Senex: Ego sane si necesse habuero transire per illa loca, et videro eum delinquentem, præteribo, nec redarguam.

ANNOTATA.

a *Vide dicta tomo* III *Martii, die* 27, *pag*, 692.

b *Legi possunt, quæ habet Commentarius prævius* § I, *num.* II *: et num.* 3 *et* 4 *de* Ammona, *quod nomen sequitur in apophth.* LIII.

c *Id est*, patrem? *Nam* ita *quidem* vulgo compellabantur monachi omnes, præsertim *tamen* senio venerandi, , *ait Cangius in Glossario Græco ad nomen* ἀββᾶς. *Et vero juniores non ita vocari vulgo consuevisse, colligitur ex hoc apophthegmate.*

d *Tres synonymos* Abrahamos *invenio apud Tillemontium tomo* 10 *Monum. eccles., quorum unus Agathonis, alter Sisois fuerit discipulus, uti habetur ibidem pag.* 31. *De S. Sisoë magno in Monte S. Antonii in Thebaide seculo* 5, *egimus tomo* 2 *Julii, die* 6, *a pag.* 280 *: ubi pag.* 282 *et* 283 *occurrit* Abraham, discipulus abbatis Sisoïs. EX EDITIS.

e *Id est*, de Abigaële. *Vide lib.* I *Regum, cap.* 25, *vers.* 24.

f Diolcos *ad littus maris Ægyptii inter Alexandriam et Pelusium, versus unum e Nili ostiis, natur in Chorographia particulari mansionum eremiticarum apud Rosweydum post Prolegomena in Vitas Patrum. Urbs porro, ac solitudo multorum et magnorum monachorum fuisse indicatur ex Palladio apud nos tomo* 2 *Januarii, die* 26, *in S. Ammona.*

g *Græce apud Cotelerium :* ὅλη εἰμὶ πολιά. Clare Pelagius, *uti habet Cotelerius in notis columna* 818 *:* Tota sum jam canis plena „. Sed quid sint ista Rufini, „ Jam omni morarum con„ tractione repleta sum „ plane nescio: nisi loco MORARUM permittatur mihi reponere RUGARUM. Quamquam codex Corbeiensis nihil mutat.

h *Consuli possunt, quæ apud nos tomo* III *Junii, die* 17 *ejusdem mensis, a pag.* 299 *dicta sunt de S. Bessarione anachoreta in Ægypto; sed an eodem, de quo hic, an alio?*

i *Sanctum eremitam in Ægypto synonymum* E
dedimus tomo ac die mox citatis a pag. 298.

k *In textu Græco* τῆς Ἀθλίβεος *legitur; sed apud Cellarium Notitiæ orbis antiqui tomo* 2, *lib.* 4, *cap.* 1, *pag.* 33 *in Ægypto, scribitur* Atribis, metropolis ad fluvium ejusdem nominis. *Situm indicat tabula geographica de Ægypti Delta, et Nili ostiis, quæ præmittitur. Apud Ortelium legitur* Athribis, *et* Athlibis. *Videri etiam potest Geographia sacra Caroli a S. Paulo in Notitia patriarchatus Alexandrini pag.* 270. *Tomo* 2 *Conciliorum editionis Harduinianæ concilio Constantinopolitano episcoporum* LXXXI, *columna* 786 *subscribit* Apollonius episcopus Athribeos. *Et tomo* I *in concilio Alexandrino col.* 738 *habetur* Theodorus Athribeos. *In Chorographia apud Rosweydum supra designata scribitur* Atribis, *et ponitur in tractu Cairi. Ex dictis deducimus*, montem Athlibeos *in synonymo tractu urbis vel fluvii situm fuisse : quem montem sub isto nomine frustra quæsivimus. Nec est, quod nos moretur tantilla unius litteræ discrepantia : nam vel scribi potuerit utroque modo, vel ρ in λ mendose mutari.*

l *Apophtegma hoc magna cum diversitate pro-* F
ferri in duobus Mss. optimis bibliothecæ Colbertinæ, observat Cotelerius in notis citatis, dans deinde textum Græcum Latine versum in hunc modum : Erat sæcularis quidam admodum religiosus, qui accessit ad abbatem Pœmenem, ubi aderant alii multi fratres, postulaturi a Sene utilem sermonem. Ait abbas Pœmen seculari: Eloquere fratribus verbum. Dicit homo sæcularis: Ego miser, quid habeo effari? Multum tamen adactus, infit: Ego nihil quidquam scio: verum magni senis audivi parabolam, quod scilicet nonnullus aliquando rogaverit amicum, dicens: Quandoquidem imperatorem videre cupio, duc me ad eum. Respondit ille: Pergam tecum usque ad itineris dimidium. Tum ad alium amicum, Ducito me, inquit, ad imperatorem. Excipit is: venio tecum usque in palatium. Alterum amicum rogat; qui ait: Ego introduco te ad imperatorem, et pro te cum fiducia loquar. Dicunt seculari: Expone nobis hanc parabolam. Ille, Primus amicus est exercitatio, quæ deducit usque ad dimidium regni. Secundus, castitas, quæ ad cælum usque

EX EDITIS. usque attingit. Tertius est obedientia, quæ pertingit et introducit cum fiducia ad imperatorem, sive ad Deum.

PARS TERTIA.

21 cxiv. Dixit abbas Pœmen; Scriptum est: « Quæ viderunt oculi tui, de his testimonium « perhibe ». Ego autem dico vobis; Licet manibus vestris contrectaveritis, nolite attestari. Frater enim quidam illusionem hujusmodi passus est: videre sibi visus est Fratrem cum muliere peccantem: cumque multum tentatione vexatus fuisset, abiens pulsavit pede, existimans eos esse, ac infit: Cessate jam; quousque tandem? Cum ecce reperit esse manipulos frumenti. Propterea edixi vobis, quod quamvis manibus vestris apprehen-
n. 16. In Ephræm p.587. n. 15. deritis, non debetis arguere. cxv. Frater sciscitatus est abbatem Pœmenem, quid faciendum sibi esset, quod tentationibus impelleretur ad fornicationem et iram. Respondit Senex: Eam ob caussam David dixit: « Leonem quidem percu« tiebam, ursum vero præfocabam ». Hoc au-
B tem significat; Iram quidem amputabam, forni-
. xvii, 10. cationem vero per labores opprimebam. cxvi. Dixit iterum: Non licet invenire majorem hac caritate, ut quis ponat animam suam pro proximo suo. Quod si aliquis audierit sermonem malum, hoc est tristificum, cumque possit ipse etiam parem referre, se devicerit, ut non dicat, aut si circumventus fuerit, et toleraverit, nec retribuerit fraudatori; talis homo, ponit animam suam pro
v. x. 47. proximo. cxvii. Frater interrogavit abbatem Pœmenem, dicens: Quid est hypocrita? Ait illi Senex: Hypocrita est, qui docet proximum suum rem, ad quam ipse non pertigit. Scriptum est enim: « Quid vides festucam in oculo fratris tui, « et ecce trabs est in oculo tuo » : et quæ sequuntur. cxviii. Frater interrogavit abbatem Pœmenem, quid esset, irasci temere fratri suo? Et respondit: Quæcumque injuria te affecerit frater tuus, si ira adversus eum commotus fueris, irasceris temere. Licet dextrum tibi oculum effoderit, et dextram manum amputaverit; tamen si ira in eum concitatus fueris, temere irasceris. Sed
C ubi te a Deo separare voluerit, tunc irascere.
Missel. Voss. p. 152. cxix. Frater quæstionem proposuit abbati Pœmeni; quid faceret peccatis suis. Senex ita locutus est ei: Qui vult redimere peccata, fletu redimet; et qui vult acquirere virtutes, fletu acquiret. Nam flere, via est, quam tradidit nobis Scriptura; necnon Patres nostri, dicendo: Flete.
vii. xxii. 1 Miscell. Voss. Ib. Alia quippe via non est, præter istam. cxx. Percontatus est frater ex abbate Pœmene: Quid est pœnitentia de peccato? Senex ait: Non amplius illud perpetrare. Propterea enim qui justi fuerunt, vocati sunt immaculati, quia reliquerunt peccata, justique effecti sunt.

Miscell. Voss. Ib. 22 cxxi. Dixit iterum, hominum malitiam a tergo eorum esse absconditam. cxxii. Frater interrogavit abbatem Pœmenem: Quid faciam perturbationibus his, quæ me vexant? Ait illi Senex: Ploremus coram bonitate Dei in omni labore nostro, donec erga nos ostenderit misericordiam suam. cxxiii. Iterum ab eo percontatus est frater: Quid facturus sum inutilibus desideriis, quibus teneor? Dixit: Est homo, qui rhonchissat ad mortem, attenditque hujus sæculi desideriis. Ne appropinquaveris ad ea, ne tetigeris; et secedent sponte. cxxiv. Frater interrogavit abbatem Pœmenem, hoc sermone: Potestne homo esse mortuus? Ait illi: Si devenerit ad peccatum, D
moritur; si vero pervenerit ad bonum, vivet, illudque operabitur. cxxv. Retulit abbas Pœmen, S. in Anton. n. 4
dictum fuisse a beato abbate Antonio, quod magna hominis potestas sit, ut super se mittat peccatum suum coram Domino, exspectetque tentationem usque ad ultimum halitum. cxxvi. In- vi. iv, 9.
terrogatus est abbas Pœmen; in quem conveniret verbum Scripturæ: « Nolite esse solliciti de Doroth. Epist. i. 7.
« crastino ». Respondit Senex: Competit homini in tentatione posito, ac deficienti, ne sollicitus sit, dicens: Quanto tempore hac tentatione vexandus sum? sed potius existimet, singulisque diebus dicat, hodie. cxxvii. Dixit iterum: Do- L. Dorothei Institut. 17
cere proximum, res est hominis sani ac perturbatione carentis. Alioquin quæ utilitas, si quis ædificet alterius domum, suam vero evertat? cxxviii. Rursus dixit: Quæ utilitas, ire quemdam ad artem, nec eam discere. cxxix. Dixit præterea: Cuncta, quæ modum excedunt, Dæmonum sunt. cxxx. Hoc etiam prolocutus est: Homo domum ædificaturus, multa necessaria colligit, quo possit eam erigere; ac varias rerum species congregat. Ita et nos, parum sumamus e E
cunctis virtutibus. cxxxi. Rogaverunt quidam e patribus abbatem Pœmenem, dicentes: Qua ratione abbas Nisterous adeo toleravit discipulum suum? Respondit eis abbas Pœmen: Si ego fuissem, etiam cervical posuissem sub ejus caput. Ait illi abbas Anub: Et quid dixisses Deo? Excepit abbas Pœmen: Utique dicerem; Tua vox est: « Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc « videbis ejicere festucam de oculo fratris tui ». cxxxii. Dictum fuit ab abbate Pœmene: Esuries et dormitatio non siverunt nos videre minuta hæc. cxxxiii Dixit iterum: Multi potentes fuerunt, pauci vero provocantes. cxxxiv. Rursus dixit, Doroth. Doctr. 7.
editis gemitibus: Universæ virtutes in domum hanc ingressæ sunt, præter unam; sine qua tamen ægre stabit homo. Petierunt igitur ab eo, quænam illa esset. Et infit: Ut homo seipsum reprehendat.

23 cxxxv. Dixit sæpe abbas Pœmen, quod alia re non indigemus, nisi mente vigilanti. cxxxvi. Aliquis e Patribus interrogavit abbatem Pœmenem: Quisnam est qui dicit: « Particeps ego « sum omnium timentium te ». Et respondit Senex, esse Spiritum sanctum. cxxxvii. Abbas Pœ- F
men memoravit, quod frater sic interrogaverit abbatem Simonem; Si e cella mea egressus fuero, ac invenero fratrem meum distractum, ego quoque cum eo distrahor; et ridentem si invenero, etiam cum illo rideo; cumque intravero in cellam meam, non sinor in quiete agere; et dixerit ei Senex: Vis, cum egressus e cella tua repereris ridentes, tu etiam ridere; et loquentes, tu pariter loqui; cumque intraveris in cellam tuam, te talem invenire qualis eras? Ait frater: Sed quid? Respondit Senex: Intus serva custodiam, extra serva custodiam. cxxxviii. Ex ore abbatis Danielis: Venimus aliquando ad abbatem Pœmenem, simulque cibum sumpsimus. Postea ait nobis: Ite Fratres, parum quietis capite. Igitur fratres abierunt cubitum ad modicum tempus; ego autem permansi, ut seorsum colloquerer. Dein exsurgens veni in cellam ejus. Ut ergo animadvertit me ad ipsum accedere, collocavit se quasi dormiret. Hæc enim erat Senis operatio, cuncta in occulto facere. cxxxix. Monitum abbatis Pœmenis: Si videris spectacula, et audieris sermones, noli enarrare proximo tuo. Est enim bellica subversio. cxl. Dixit etiam: Primo fuge App. p. 1004. n. 42.
semel,

A semel, secundo fuge, tertio efficere velut rhomphæa. CXLI. Dixit iterum abbas Pœmen ad abbatem Isaacum: Levem redde justitiæ tuæ partem, et habebis requiem in paucis diebus tuis. CXLII. Frater visitavit abbatem Pœmenem; atque, una sedentibus nonnullis, laudavit quemdam fratrem, quasi qui esset malorum osor. Dicit abbas Pœmen ei, qui id locutus fuerat: Et quid est malorum odium? At frater obstupuit, nec invenit, quid responderet: unde surgens, Seni se inclinavit, petens doceret eum, quid esset odium malorum. Excepit Senex: Hoc est malorum odium, si quis peccata sua oderit, proximumque suum justum putaverit. CXLIII. Frater, qui accesserat ad abbatem Pœmenem, ait illi: Quid faciam? Senex ad eum: Vade, adjunge te homini dicenti, Quid ego volo? Et requiem consequeris.

n. 132.

24 CXLIV. Narravit abbas Joseph, dixisse abbatem Isaac: Sedebam aliquando apud abbatem Pœmenem; et conspexi in ecstasim raptum; quodque multa uterer erga illum loquendi libertate, incurvavi me coram ipso, ac deprecatus sum his verbis: Effare mihi, ubi eras? Ille vero coactus B respondit: Meus mea in eo loco versabatur, in quo sancta Maria Dei genitrix stetit, plorans juxta crucem Salvatoris: atque ego cuperem semper eo modo flere. CXLV. Frater rogavit abbatem Pœmenem: Quid faciam oneri huic, quod me comprimit? Respondit ei Senex; Parvæ naves et magnæ zonis instructæ sunt, ut, si ventus secundus defuerit, nautæ mittant funem cum cingulis in pectora sua, et paulatim navem trahant, donec Deus ventum miserit: quod si compererint exsurrexisse caliginem, tunc appellunt, et paxillum figunt, ne navis vagetur. CXLVI. Frater percontatus est abbatem Pœmenem de cogitationum infestationibus. Ait illi Senex: Hæc res similis est homini, qui habet ignem a sinistris, et craterem aquæ a dextris. Si ergo accensus fuerit ignis, accipiet e cratere aquam, ac exstinguet illum. Ignis est, semeutis inimici; aqua vero, prostrare * se in conspectu Dei. CXLVII. Frater sciscitatus est abbatem Pœmenem, præstaretne loqui, quam tacere. Et senex respondit: Qui propter Deum loquitur, recte facit; pari modo etiam qui tacet propter Deum. CXLVIII. Frater quæsivit ab abbate Pœmene: Quo modo potest homo effugere, ne C male loquatur de proximo? Dicit ei Senex: Nos et fratres nostri, duæ imagines sumus; quacumque vero hora homo sibi attenderit, ac redarguerit se, invenietur apud eum frater ejus honorabilis; at quando sibi videtur præclarus, inveniet fratrem suum pravum in conspectu suo. CXLIX. Frater percontatus est ex abbate Pœmene de segnitie. Et dixit illi Senex: Segnities stat super omni principio, nec pejus illa est vitium: sed si agnoverit eam homo, quod ipsa sit, obtinebit requiem. CL. Dixit abbas Pœmen: Tres corporeas actiones deprehendimus in abbate Pambo; jejunium quotidianum usque ad vesperam, silentium, et magnam manuum operationem. CLI. Etiam retulit sententiam abbatis Theonæ: Licet quis virtutem acquisierit, Deus non ipsi soli præbet gratiam. Novit enim quod non foret fidelis in suo labore. Sed si perrexerit ad sodalem suum; tunc permanet apud eum.

n. 209.

* l. prosternere Miscell. Voss. p. 134.

n. 133. Miscell. Voss. Ib.

25 CLII. Frater interrogavit abbatem Pœmenem sic: Volo intrare in cœnobium, illicque remanere. Dicit ei Senex: Qui desideras vivere in cœnobio; nisi abjeceris curam omnis colloquii, omnisque rei, non poteris, ut cœnobitam decet, operari. Non enim vel unius tantum baucalis do-

minus es. CLIII. Frater sciscitatus ex abbate Pœmene, quid facere deberet. Respondit: Scriptum est: „ Quoniam iniquitatem meam ego annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. „ CLIV. Abbas Pœmen dixit: Quod spectat ad fornicationem et detractionem; non oportet, ut homo ullatenus vel loquatur de duabus istis tentationibus; nec omnino intra se cogitet. Nam si eas voluerit aliquatenus discernere in corde suo, emolumentum non capiet, sed ubi erga illas ferociter se gesserit, habebit requiem. CLV. Abbatis Pœmenis fratres dixerunt ei: Abeamus e loco isto: nos enim interturbant monasteria, quæ hic sunt, et perdimus animas nostras. Ad hæc, ecce infantes vagientes non sinunt nos quiete agere. Reposuit eis abbas Pœmen: Propter voces angelorum vultis hinc recedere. CLVI. Interrogavit abbas Bitimius abbatem Pœmenem hoc dicto: Si quis habuerit adversus me simultatem, et ab eo veniam supplex petiero, ille vero flecti noluerit, quid acturus sum? Respondit Senex: Sume tecum alios duos fratres, ac ei te humiliter submitte. Quod si non fuerit persuasus, assume alios quinque. Si vero sic quoque renuerit, duc presbyterum. Atque si tunc etiam restiterit, tu deinceps secure ora Deum, ut ipsi in E animum inducat, tuque caret sollicitudine. CLVII. Dixit abbas Pœmen: Docere proximum, et arguere, similia sunt. CLVIII. Dixit iterum: Ne ad effectum perduxeris voluntatem tuam: necessarium potius est, ut humilem te exhibeas erga fratrem tuum. CLIX. Frater requisivit ex abbate Pœmene, dicens: Inveni locum omni fratrum quiete prædium; visne ut illic habitem? Et dixit Senex: Ubi non nocueris fratri tuo, ibi mane. CLX. Dixit abbas Pœmen: Tria hæc capita utilia sunt; timere Dominum, precari, benefacere proximo. CLXI. Frater dixit abbati Pœmeni: Corpus meum evasit debile, et affectus mei non debilitantur. Ait illi Senex: Affectus sunt spineæ rugæ.

EX EDITIS. Append. p. 1004. n. 45.

Append. p. 1002. n. 5. In Ephræm p. 387. n. 12.

Miscellan. Voss p. 132. Doroth. Doctr. 18.

26 CLXII. Frater quæsivit de abbate Pœmene: Quid faciam? Ait illi Senex: Cum Deus visitaverit nos, de quonam curæ nobis esse debet? Respondit Frater: De peccatis nostris. Itaque Senex, Ingrediamur, inquit, in cellam nostram, et sedentes meminerimus peccatorum nostrum, tuncque Dominus in cunctis concurret nobiscum. F CLXIII. Frater pergens ad mercatum, interrogavit abbatem Pœmenem, quid ipsi consilii daret. Senex autem respondit ei: Esto amicus illius, qui tibi vim intulerit; et cum quiete vendes vasa tua. CLXIV. Dixit abbas Pœmen: Doce os tuum loqui, quæ sentis in corde tuo. CLXV. Interrogatus de inquinamentis abbas Pœmen, respondit: Si nos activos constituerimus, et diligenter vigilaverimus, non reperiemus inquinamentum in nobis. CLXVI. Dixit abbas Pœmen: A tertia ætate Sceteos *a*, et post abbatem Moysem *b*, non amplius Fratres progressum fecere. CLXVII. Rursus dixit: Si homo ordinem suum custodierit; nequaquam conturbabitur. CLXVIII. Frater sic interrogavit abbatem Pœmenem: Quo modo oportet me sedere in cella? Dicit ei: Sedere in cella, quod spectat ad apparens, hoc est, operari manibus, semel in die comedere *c*, tacere, meditari: at occultus processus in cella, est, extorquere *d* querelam tui in quocumque loco, ad quem perrexeris; non negligere horas Officii, nec quæ abscondita sunt. Quod si cont gerit, ut tempus otiosum habeas ab opere manuum, ingressus in collectam, sine perturbatione perage. Horum autem summa; comitatum

Append. p. 1002. n. 5.

S. n. LXIII. v. XI. 21.

a b v. XV. 58.

v. X. 64 Append. p 1005. n. 21.

c d Doroth. Doctr. 7.

EX EDITIS. III. 170. comitatum fraternitatis bonum obtiueto, abstine vero a malo congressu. CLXIX. Frater quæsivit ex abbate Pœmene : Si frater habuerit parum pecuniæ meæ, visne repetam ? Ait illi Senex ; Pete ab eo semel. Excepit frater : Quid ergo faciam ? Non enim cogitationis meæ dominus sum. Senex respondit : Sine cogitationem tuam stagnare *e* ; tantum fratri tuo ne sis molestus. CLXX. Contigit, ut quidam Patrum, quos inter erat abbas Pœmen, venirent in domum cujusdam religiosi hominis : cumque comederent, appositæ suut carnes; cuncti autem manducabaut, præter abbatem Pœmenem : quem ob abstinentiam admirabantur senes, cognoscentes discretionem ejus. Ut ergo e mensa surrexerunt, aiunt ei : Tu es Pœmen, et sic fecisti ? Respondit illis Senex : Ignoscite mihi, patres ; vos comedistis, et nemo scandalum passus est ; ego vero si edissem, quoniam fratres multi juxta me veniunt, illi damuo fuissent affecti, et dixissent : Pœmen caruem manducavit, nos vero non edimus ? Tunc demirati sunt ejus discretionem.

e Ioh. Geom. Parad. 32.

27 CLXXI. Dixit abbas Pœmen : Ego dico,
B In locum, in quem projicitur satanas, illic projicior. CLXXII. Idem suasit abbati Anub : Averte oculos tuos, ne videaut vanitatem. Nam libertas animas interficit. CLXXIII. Pugnam inierunt aliquando Paisius et frater ejus, usque ad effusionem sanguiuis e capitibus suis, spectante abbate Pœmene ; et nihil omnino eis locutus est Senex. Itaque ingressus abbas Anub ; cernensque illos, dicit abbati Pœmeni : Quare sivisti fratres inter se pugnare, nihil locutus ? Respondit abbas Pœmen ; Fratres sunt, redibuut ad pacem. Tum abbas Anub : Quid hoc est ? vidisti ita agentes, et ais, Redibuut in gratiam ? Excepit abbas Pœmen : Pone in corde tuo, me hic intro non exstitisse.* CLXXIV. Frater sciscitatus est de abbate Pœmene : Habitant mecum Fratres : suadesne, ut iis jubeam ? Ait illi Senex, Non ; sed tu prius facito opus, et, si vivere desideraveriut, ipsi per se videbunt. Subdidit frater : Cupiunt etiam ipsi, Pater, ut eis præcipiam. Respondit Senex : Nequaquam ; sed esto illis exemplar, uon autem legislator. CLXXV. Dixit abbas Pœmen : Cum accesserit ad te frater, et conspexeris te adventu illius non esse adjutum,
C requiere iu mente tua, atque reputa, quam cogitationem volveres animo ante ejus introitum : tuncque cognosces caussam non captæ utilitatis. Quod si hoc cum humilitate et attentione feceris, eris inculpatus cum proximo, portans defectus tuos. Si enim cum cautione fecerit homo sessionem suam, non offeudet. Deus quippe coram illo est. Ut autem ego video, ex hac sede possidet homo timorem Dei. CLXXVI. Dixit iterum : Homo, qui habet puerum contubernalem, a quo inducitur ad quemlibet affectum veteris hominis, nec minus eum retinet secum ; is homo similis est possidenti agrum, quem vermes devorant. CLXXVII. Etiam dixit : Malitia nequaquam mal itiam tollit sed si quis tibi male fecerit, bene facito ei, ut per bouum factum destruas malitiam. CLXXVIII. Dixit adhuc : David quando cum leoue pugnam commisit, ex gutture tenuit eum, statimque occidit. Si ergo nos quoque tenuerimus guttur et ventrem nostrum ; auxiliante Deo, invisibilem leonem vincemus.

Append. p. 1005. n. 19.

Mira hæc nec imitanda.

v. x. 15. Doroth. Doctr. 10.

28 CLXXIX. Frater poposcit ab abbate Pœmene : Quid faciam, quia mihi contiugit molestia, et commoveor ? Respondit Senex : Vis efficit, ut cum parvi tum magni moveantur. CLXXX. Referebant hoc de abbate Pœmene : Residente eo in Sceti cum duobus fratribus suis, juuior affli- D gebat eos. Quocirca Pœmen ita allocutus est alterum fratrem : Enervat avertitque uos iste natu minor ; surge, abeamus hinc. Igitur egressi reliquerunt eum. Ut autem vidit, quod tardarent, conspexitque postea longe dissitos, cœpit currere post illos cum clamore. Dicit abbas Pœmen : Exspectemus fratrem, quia defatigatur. Postquam ergo eos attigit, submisse salutavit, Quo abitis, inquiens, ac me relinquitis solum ? Respondit ei Senex : Quoniam vexas nos, ideo recedimus. Tum ille ad eos : Næ, næ, quocumque volueritis, eamus simul. Et Senex, conspecta ejus simplicitate, fratri suo ait : Revertamur, frater : non enim spoute sua facit hæc, sed diabolus est, qui illi suggerit. Reversi ergo venerunt iu locum suum. CLXXXI. Interrogavit cœnobii præpositus abbatem Pœmenem : Quo modo possum obtinere timorem Dei ? Respondit abbas Pœmen : Qua ratione possumus possidere timorem Dei, qui iutus habemus ventres caseorum, et dolia falsamentorum ? CLXXXII. Frater quæstionem proposuit abbati Pœmeni, dicens : Abba, duo homines erant, unus monachus, alter sæcularis. Mouachus E vespere decrevit, habitum proximo maue abjicere ; sæcularis constituit, fieri mouachus : ambo autem nocte illa mortui sunt. Quid reputabitur eis ? Respondit Senex : Monachus mortuus est monachus, et sæcularis obiit sæcularis. In quo enim inventi sunt, abieruut.

Infra in Sisoë. n. 38.

29 CLXXXIII. Retulit abbas Johannes : Aliquando e Syria perreximus ad abbatem Pœmenem, volentes interrogare eum de duritia cordis : Senex vero Græce nesciebat, nec interpres inventus est. Itaque videns nos afflictos, cœpit lingua Græca loqui, dixitque : Aquæ natura mollis est, lapidis autem dura : verum baucale *f*, quod suspensum est supra lapidem, stillando paullatim eum forat. Ita etiam Dei sermo mollis est, cor vero nostrum durum ; tamen cum homo frequenter audierit sermonem Dei, aperitur cor ejus, ut Deum timeat. CLXXXIV. Abbas Isaac convenit abbatem Pœmenem ; quem cernens parum aquæ mittere in pedes suos ; quod haberet erga cum loquendi libertatem, dixit : Quo modo quidam usi sunt severitate *g*, dure tractantes corpus suum ? Et ait illi abbas Pœmen : Nos non edocti sumus *h* corporis interfectores esse, sed affectuum. F CLXXXV. Dixit iterum : Tria hæc non possum amovere, escam, vestem, somnum : attameu ex parte amovere possumus. CLXXXVI. Frater interrogavit abbatem Pœmenem his verbis : Multa olera manduco. Ait Senex : Non prodest tibi : sed comede panem tuum cum paucis oleribus ; et ne propter necessitates abieris ad paternam domum. CLXXXVII. Referebaut de abbate Pœmene, quod, si sederent senes coram eo, et loquerentur de senibus ; si nominarent abbatem Sisoëm ; dicere soleret : Missa facite quæ ad abbatem Sisoëm spectant : non enim ad mensuram narrationis veuire possunt res ejus.

v. XVIII. 16. VII. XXIX. 1.

f

Vit. Pat. p. 1000. n. 4.

g

h L. Ioh. Geom. Parad. 20.

ANNOTATA.

a *Tillemontius in notatione* 2 *super* S. Pœmene, *satis convenienter rationi significari censet, quod ab annis triginta, ac post mortem abbatis Moysis, a Mazicis interfecti versus annum* 395, *fratres Scethos progressum non fecerint in virtute: si hic vero sensus sit, dari ex eo sibi aliquem judicandi locum, quod* S. Pœmen *etiam tunc habitaverit in Scethi versus annum* 425. *Verumtamen locum hunc*

A *hunc intelligi etiam posse addit de monachis omnibus in genere, ac dici, quod non fecerint progressum ab annis triginta post primam Scetheos desolationem : pro qua etiam indicat illud apophthegma apud Colelerium pag.* 587, *quod est ordine quartum :* Senex quidem degebat in Ægypto, antequam eo venisset abbas Pœmen cum suis, eratque multum notus atque honoratus. Ut ergo e Sceti ascendit Pœmen cum sociis, hominis reliquerunt senem, et veniebant ad abbatem Pœmenem, qui angebatur. Itaque dicit fratribus suis *etc. Igitur tunc temporis* S. Pœmenem *fuisse admodum celebrem affirmat Tillemontius; difficile autem creditu censet, talem fuisse eum ab anno* 395 *vel* 400, *cum supervixerit S. Arsenio, atque adeo mortuus esse non potuerit, quam versus annum* 450. *Nihilominus, uti pergit, rem concludens, sicut non erat inusitatum sanctis istis solitariis vivere integris seculis, potuit habere annos* 45 *jam ab anno* 395, *et mereri jam tum æstimationem omnium ac venerationem. Ita ille in suo systemate de duplici Pœmene, coactus suum juniorem facere circiter centenarium, ut dictam jam celebritatem cum anno ætatis ejus* 45 *conciliet. Ad hoc convenientior videtur annus ætatis circiter* 55 *secundum systema nostrum de unico* Pœmene, *quia sic majorem tunc habuerit auctoritatem et nomen. Ad difficultates de annosa illius senectute respondere conati sumus in Commentario prævio* § I. *De Mazicis actum a nobis est in S. Arsenio tomo* IV *Julii pag.* 610.

B

b S. Moyses Æthiops, qui ex insigni latrone insignis anachoreta *factus est, inscribitur Martyrologio Romano die* XXVIII *Augusti. Hunc opinamur hic intelligi virum celeberrimum. De illo agemus ad dictum diem.*

c *In Græco est* μονοσιτῖσαι. *Cotelerius in notis col.* 818, Malui, *inquit*, cum Pelagio accipere de una per singulos dies comestione, quam eum Martino Dumiensi de solitario sumpto cibo. Germanus CP. in primam jejuniorum Dominicam appellat μονοφαγίαν ἀσπάζεσθαι. In Historia Pachymeris lib. 12, cap. 21 μονοφαγίαν δι' ἔτους ἐξακριβούμενος : et cap. 23 lib. 13, μονοφαγίαν κατ' ἐννάτας δὶ ἔτους ἀσκεῖν. Quamquam μονοσιτειν et μονοφαγεῖν utramque habeat significationem. Sed μονοσιτία præcepta in cella, magis respicit ad primam notionem.

EX EDITIS.

d *In textu Græco* τὸ βασανίζειν. *Ibidem col.* 819 *notat ista Cotelerius :* Ita Martinus Dumiensis : nam vertit ARCTARE. At Pelagius interpretando PORTARE, ostendit se legisse βαστάζειν. Nec ea lectio contemni debet, fulta etiam auctoritate optimi cod. Colbert.

e *Textus Græcus habet* λακκᾶν. *Animadvertit Cotelerius col.* 820 *:* A λάκκος *(Græce fossa vel lacus)* λακκᾶν. Verbum interpretibus non intellectum, ideoque ab uno prætermissum ; ab altero mutatum in λακφεῖν, CREPARE.

f *In Græco scribitur* βαυκάλιον. *Apud Cangium in Glossario Græco-barbaro sumitur pro* patera, *Gallis* bocail *, *appositis variis exemplis. In Glossario autem Latino-barbaro ejusdem auctoris accipitur pro specie vasis ; et hæc ultima significatio videtur magis quadrare sensui hujus apophthegmatis, quam prior. Consuli etiam potest Dictionarium etymologicum Menagii ad vocem* Bocal.

E

* bocal

g *In Græco est* ἐχρήσαντο τῇ ἀποτομίᾳ. *Cotelerius in notis col.* 820, In antiqua, *inquit*, versione, USI SUNT DISCRETIONE ; sed legendum videtur indiscretione, *aut* DISTRICTIONE.

h *Ibidem post* ἐδιδάχθημεν, *quod est in Græco, indicat Cotelerius, regium codicem hic lacerum supplevisse se per Colbertinum.*

DE S. THEODORO II, EPISCOPO

OCTODORENSI VEL SEDUNENSI

IN VALLESIA APUD HELVETOS

C

SYLLOGE HISTORICA

F

J. S.

De cultu, ætate, et gestis.

CIRCA ANNUM DXVI.

Sanctus a synonymis distinctus, et notus in Fastis cum elogio,

Tres *a variis distingui episcopos Octodorenses vel Sedunenses, qui* Theodori *vel* Theoduli *nomine innotescunt, horumque distinctionem ab aliis quibusdam in dubium vocatam esse, fuse expositum est tom.* III *Augusti a pag.* 273, *ubi etiam de episcopatu Octodorensi vel Sedunensi abunde disputatum, ita ut necesse non sit hæc rursum repetere. Iterim ad* XXVI *Augusti cultum probavimus trium illorum ; videlicet Theodori I,* Theodori II, *et Theoduli. Quapropter hic breviter tantum ea colligam, quæ de* S. Theodoro II *supersunt dicenda. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XVI *Augusti, licet* Theodulum *vocet, annuntiat* Theodorum II *hoc elogio :* Eodem die, Seduni inter montes Alpinos ad Rodanum, depositio sancti Theoduli episcopi illius sedis et confessoris : qui post Constantium hoc pontificatu sublimatus, sancto regi Sigismundo charus, eum ad opera pia religiosa instantia instigavit : cui et suasor exstitit construendi celebris cœnobii Agaunensis in honorem sancti Mauritii martyris, illic cum sociis coronati : cujus loci fundationi cum Viventiolo Lugdunensi, Victore Gratiopolitano, Maximoque Genevensi, exploratæ quoque sanctitatis præsulibus subscripsit : basilicamque ipsam pontificali ritu dedicavit. Deinde virtutum incrementis assiduus, clerum populumque suum sic ipsarum coloribus tinxit, ut morum purissimorum imitatores sedulos, piis nisibus superna afflante aura, effecerit. Et ita decursa feliciter Dei mandatorum palæstra, ad supernorum senatorum consessum, perfectæ sanctitatis purpura insignis emigravit.

narratur allaborasse pro constructione

2 *Illustrissimus D. Franciscus Augustinus episcopus Salutiensis in Historia chronologica Pedemontanæ regionis pag.* 331 *inter episcopos Sedunenses memorat eumdem sine titulo Sancti his verbis :* Theodorus secundus, sive Theodolus, qui in

AUCTORE J. S.

in fundatione monasterii S. Mauritii Agaunensis inter sexaginta episcopos secundus numeratur. *Henricus Murerus in Helvetia sancta pag.* 183 *et Sanctum vocat ad* XVI *Augusti, et monasterium Agaunense, eo suadente, conditum affirmat. Confirmatur utcumque horum sententia ex ipso fundationis instrumento, quod Sammarthani in Gallia Christiana tom.* 4, *a pag.* 12 *ediderunt*, ex Agaunensis tabularii originali, *ut asserunt : nam in eo hæc leguntur :* Tunc sanctus Theodorus episcopus Sedunensis ait : Instantia cordis mei est, ut proferam sermonem vestris salubribus consiliis, quid agendum sit de beatorum martyrum Thebæorum corporibus, id est, Mauritii cum suis commilitonibus, qui pro Deo a Maximiano perempti sunt, et inhumati jacent : nescio, qui sit homo, qui prævaleat secundum merita eorum singulis fabricare ecclesias. *Hæc verba Sancti Officio inserta mox videbimus. Totum vero instrumentum legitur quoque apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum a col.* 1557, *ubi monet illius fidem ab aliquibus in dubium vocari. Certe Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 536 *num.* 227
B *et seqq. illud non levibus argumentis oppugnat : et Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* I, *pag.* 28 *de illius defensione desperasse videtur, dum ita scripsit :* At pugnare non vacat pro hujus monumenti auctoritate : quod, ut genuinum non sit, certe antiquissimum est, nec levis momenti ad illustrandam Agauni historiam. *Hoc igitur instrumentum potius adduxi, ut antiquum, quam ut omnino authenticum.*

monasterii Agaunensis,

3 *Officium, quod de* S. Theodoro II *nobis ex Breviario transmissum monui ad* XXVI *Augusti in Theodoro I, hujusmodi habet secundi nocturni lectiones :* Theodorus secundus, episcopus Sedunensis, præfuit ecclesiæ Vallesianæ temporibus Sigismundi regis, cujus jussu interfuit fundationi cœnobii Agaunensis cum reliquis ibidem sanctis patribus convocatis : et ut diœcesanus alloquitur sanctum Sigismundum, reliquosque præsules hisce verbis : Instantia cordis mei est, ut proferam sermonem vestris salubribus conciliis, quid agendum sit de beatorum martyrum Thebæorum corporibus, id est, Mauritii cum suis commilitonibus, qui pro Deo a
C Maximiano perempti sunt, et inhumati jacent. Nescio, qui sit homo, qui prævaleat secundum merita eorum singulis fabricare ecclesias. *Hæc verba non carent difficultate, cum constet ecclesiam sanctis martyribus Thebæis dudum conditam fuisse, uti dictum est in S. Theodoro I ad* XXVI *Augusti. At responderi utcumque potest, ecclesiam illam minori amplitudine fuisse, et eo tempore forsan destructam ; ita ut martyres, super quorum corpora ecclesia fuerat ædificata, rursum jacerent quasi inhumati propter ecclesiæ illius ruinam. Ad Officium igitur redeamus.*

4 Hymnemondo abbate Agaunensi, pro consummanda fabrica cœnobii præsens multoties adfuit : et gregem suum pascere studuit, non ut dominans in clero, sed forma gregis factus ex animo : corpore castus, mente incorruptus, abstinentia non parcus, sibi austerus, aliis benignus, humilis et mansuetus, et super omnia misericors erga pauperes et captivos, et eos, qui aliqua calamitate premerentur : quibus sublevandis cum aliud non haberet, confugiens ad præsidium orationis, miraculose succurrebat. *Non lubet hic inquirere, utrum ante fundationem Sigismundi jam steterit monasterium Agaunense ; de quo consuli potest Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 27 *et seqq. Illud satis certum est*, Hymnemundum, *quem alii* Hymnemodum *vicinisque nominibus appellant, post monasterium a S. Sigismundo seu conditum seu restauratum, primum illius fuisse abbatem, eique successisse Ambrosium, huic autem Achivum, ut docet laudatus Mabillonius pag.* 30 *ex Bollando, qui tom.* 2 *Februarii pag.* 545 *et* 546 *primos illos tres abbates recensuit ex eorum Vita, quam servamus Ms. in scriniis, pluraque disputavit ad monasterium Agaunense spectantia, occasione S. Severini abbatis Agaunensis. Hinc patet, huc revocanda esse, quæ in Officio S. Theodori I reprehendimus ad* XXVI *Augusti :* Ambrosium abbatem Agaunensem ad construendam ecclesiam acclivem sanctis martyribus ex collectis provinciæ insigniter juvit, et prædictorum Sanctorum ossa cum Ambrosio abbate legit. *Hæc enim Sanctus noster cum Ambrosio abbate facere potuit anno* 516 *: nam illo anno Ambrosius Hymnemundo, post præfecturam septem mensium defuncto* III *Nonas Januarii, successisse legitur in Chronologica serie duodecim primorum abbatum Agaunensium, quam ex Ms. codice S. Joannis Bisonticensis nobis olim transmisit Chiffletius.*

D abbatesque Agaunenses in ædificando juvisse,

E

5 *Nunc lectionem sequentem audiamus:* In omnium virtutum palæstra animum sic exercuit, ut sæpius sponsæ suæ jura, libertates ac immunitates, etiam cum bonorum discrimine, adversus seculi principes defenderit, inimicitias, multaque et gravia incommoda hac de re non minus hilari, quam constanti animo perpessus fuerit, beatum se existimans persecutionem pati propter justitiam. Jejuniis et orationibus, aliisque piis operibus indefesse vacans, verbum Dei miro affectu prædicabat. Tandem virtutibus et meritis abunde cumulatus æternam gloriæ coronam adeptus est septimo Kalendas Septembris. *Unde hic mortis dies desumptus sit ignoro. At si ille satis esset certus ; annus mortis probabiliter saltem assignari posset* 516. *Etenim ad annum* 516 *pervenisse, ex dictis verisimile est : certum quoque est, post illum annum non diu superfuisse, cum successor ejus Constantius anno* 517, XVII *Kalendas Octobris interfuerit concilio Epaonensi, cui subscriptus legitur apud Labbeum tom.* 4, *col.* 1581. *At, quia mihi non constat, quam certus sit obitus ille dies, cum aliqua latitudine mortem ejus consignavi circa annum* 516, *ita ut potuerit sequenti etiam obire, aut præcedenti.*

ac obiisse demum circa annum 516.

F



DE

A D

DE S. LICERIO VEL GLYCERIO

EPISCOPO CONFESSORE

CONSORANNIS IN NOVEMPOPULANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

Seculo VI ante medium. Nomen Sancti in Fastis sacris,

Consoranum, *seu* Consorannum, *Novempopulaniæ urbs, quæ hodiedum vulgo dicitur* S. Lizier de Conscrans, *sumpta appellatione a* S. Licerio, *cujus Acta hic dabimus, breviter descripta est in S. Valerio primo ejusdem civitatis episcopo tom.* 2 *Julii pag.* 227, *et latius elucidatur tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 1123 *in præfatione ad episcopos Consoranenses. De cultu* S. Licerii *nullam potest* B *esse dubium, licet memoria ejus in paucis celebretur Martyrologiis, et magna quidem varietate. Romanum ad* XXVII *Augusti de eo sic habet :* Ilerdæ in Hispania Tarraconensi S. Licerii episcopi. *His consonat Castellanus in Martyrologio universali. Veruntamen hic clare non edicitur, episcopum fuisse in Hispania, sed coli ibidem, quod verum esse, deinde patebit. Martyrologium Parisiense memoriam ejus annuntiat ad* XXVI *Augusti his verbis :* Consuarannis, sancti Glycerii seu Licerii episcopi, qui concilio Agathensi subscripit, cujus nomine extat urbs et ecclesia cathedralis. *Hisce similia scripsit Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* VII *Augusti.*

et cultus apud Conseranenses.

2 *Audiamus eumdem Saussayum in Supplemento ad* XXVII *Augusti, ubi stylum mutavit, sanctique memoriam ita celebrat :* In Vasconia oppido Conserano sancti Licerii, episcopi ex discipulo sancti Fausti Tarbiensis antistitis, qui magistri in exilium pro fide et sana doctrina pulsi socius, et in munere pastorali collega, ac in cer- C taminibus adversus impios commilito strenuus, demumque in cælesti gloria consors effectus est. Tanta autem meritorum clarificatione post transitum refulsit, ut ipsi ecclesiæ, cui præfuerat, oppidoque nomen inclytum indiderit; ubi magna celebritate colitur, tamquam præcipuus protector, cum persolutione octavæ. *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ad* XXVII *Augusti, hæc breviter :* Conserannis in Aquitania S. Licerii episcopi. *In notis citat tabulas* Conserannensis ecclesiæ, in qua, *inquit*, magna celebritate cum octava colitur. Hic S. Fausti episcopi Tarbensis discipulus fuit, et S. Quintiani episcopi Ruthenensis nepos. De eo in Breviario antiquo Tolosano, et in Officio proprio dictæ ecclesiæ. *Hæc cultum abunde probant : facta autem hic asserta discutientur latius.*

ac in Hispania locis variis.

3 *Hispani etiam in veneratione habent* S. Licerium, *ut patet ex verbis recitati Martyrologii Romani, et ulterius ostendunt Antonius Dominicus in Historia Sanctorum Cataloniæ ad diem* XXVII *Augusti fol.* 79, *et Vincentius Blascus Lanuza in Historia regni Aragoniæ tom. ultimo lib.* 4, *cap.* 14, *quorum relationem Hispanicam compendio refert Nicolaus Antonius in Opere posthumo Ms., quod anno* 1721 *nobiscum communicavit amplissimus dominus Adrianus Connique, defuncti consanguineus. Verba igitur laudati scriptoris subnecto :* Licerium sub titulo episcopi Carinensis celebrabat olim, ante communem factum ecclesiis omnibus Romanum ritum, Ilerdensis ecclesia in Cataloniæ principatu, et usquedum celebrat ejus festum die XXVII Augusti oppidum Villa-major dictum in diœcesi Barcinonensi, cui et habet dedicatam ecclesiam sub titulo vulgari sancti Lley. Hactenus Antonius Dominicus in Historia Sanctorum Cataloniæ. Quibus adjungit Vincentius Blascus Lanuza eo recentior in Histo- E ria ecclesiastica et seculari Aragoniæ regni, reliquias ejusdem sancti Episcopi in oppido ejusdem Zuera * nuncupato in magna veneratione, et oppidum ipsum sub protectione ejus esse, in cujus ecclesia conservari refert Breviarum ac missale antiqua cum Officio S. Licerii proprio.

* quera

nec ille, quem colunt Hispani alius est a Conseranensi,

4 *Volunt quidem Hispani aliqui ex supposititiis Dexteri et Juliani Operibus,* Licerium *hunc Carinensem, vel Carensem in Hispania fuisse antistitem, et eum sede sua Ilerdam * translatum, adeoque distinctum a* S. Licerio *Conso ranensi antistite. Verum imposturæ pseudo Dexteri ac pseudo Juliani notiores jam sunt eruditis, quam ut his refutandis diutius velim immorari, aut verba Nicolai Antonii, qui illas multis rationibus acriter perstringit, lectorum oculis objicere. Sufficiet itaque ostendere,* S. Licerium, *quem aliquot locis colunt Hispani, eumdem esse cum* Licerio *Consoranensi. Facile id præstari potest ex laudato Lanuza, cujus mentem Nicolaus Antonius, post superiora, sic breviter exprimit : Extare quoque ait in tabulario hujus ecclesiæ (Zueræ)* latina lingua pene barbara scriptam sancti F Viri Historiam. Unde colligas, persuasionem veterum hujus oppidi de suo Licerio hanc esse. Hunc scilicet Gallum fuisse, sive in Gallia episcopum Coseranicum; deinde Tarbensem in Fausti magistri lecum Caroli magni tempore, vixisseque episcopum quatuor supra quadraginta annis, sancteque in Domino obiisse, sequentibus post mortem pluribus signis. *Quamvis non omnia hæc exacte conveniant cum Actis edendis : tam multa tamen congruunt, ut dubitare nequaquam possimus, quin illud Hispanicum Ms. de eodem agat Sancto, de quo Acta nostra. Utrobique enim idem episcopatus locus, eadem duratio, idem Faustus magister : deinde eadem miracula apud Lanuza breviter relata, et fusius in Actis nostris descripta, dubium nullum relinquunt, quin idem sit* S. Licerius, *quem Galli colunt et Hispani.*

* Lerida

cujus reliquiæ in Hispaniam creduntur delatæ.

5 *Jam vero reliquiæ ejusdem Sancti variis modii ex provincia Galliæ Hispanis vicina in Hispaniam deferri potuerunt, licet explicari non possit, quo tempore, quaque occasione translatio illa sit facta. Audi rursus laudatum Nicolaum Antonium :* De translatione ex Galliis in hoc Hispaniæ oppidum Liceriani corporis, aut alicujus ex eo portionis, non nisi traditionem Zueræ oppidi Lanuza

AUCTORE J. S.

nuza affert. Conjectatur tamen ab aliquo ex his adduci potuisse, quorum studium olim fuit e vicina Gallia currere ad Hispana castra Mauris infesta. In more quippe hujus nationis fuisse dicitur ad hoc sacrum bellum non minus armis his spiritualibus quam corporalibus armatos descendere. Hinc plane, aut ex propinquitate et consuetudine Catalanorum et Aragonensium cum Gallis Aquitanis derivare potuit, quam pluribus sacris thesauris suis Gallos ecclesias nostras, et fortasse Hispanos quoque Gallicas ditavisse : cujus rei exempla in laudata Sanctorum Cataloniæ Historia passim offendes. *Hactenus laudatus scriptor : atque hæc sufficere existimamus ad ostendendum, Sanctum nostrum Hispanis in veneratione esse, illumque non* Carineusem *aut* Carensem *ignotæ ipsis Hispanis civitatis, sed Consoranensem in Novempopulania fuisse antistitem. Nunc ad controversiam aliam, inter Gallos ipsos agitatam, accedimus.*

Disputatur utrum Glycerius et Licerius sit idem episcopus,

6 *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 508 *num.* 16 S. Licerium *eumdem esse existimat cum* Glycerio *Consoranensi episcopo, qui anno* 506 *interfuit concilio Agathensi, cui subscriptus legitur apud Labbeum tom.* 4 *col.* 1395. *Cointio consentit Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 281, *et Martyrologium Pa-* B *risiense jam citatum. At dissentit ab his Dionysius Sammarthanus tom.* 1 *Galliæ Christianæ in catalogo episcoporum Consoranensium, in quo utrumque separatim ponit, contenditque* Glycerium *duobus seculis priorem esse* S. Licerio. *Quapropter, cum ætas quoque* S. Licerii *ab hac lite dependeat, operæ pretium erit, si rem discutiamus, prioremque sententiam, quam verum omnino putamus, iis stabiliamus rationibus, quibus veri indagatores possint acquiescere.*

probaturque eumdem esse ex Vita,

7 *In Vita num.* 4 *hæc habemus :* Apud virum apostolicum Quintianum Rutenicæ civitatis episcopum venit, et in ejus servitio ordinatus est subdiaconus, diaconus, et presbyter ; tum episcopus Conseranensi ecclesiæ est directus. *Sola hæc verba sufficiunt ad quæstionem dirimendam: nam S. Quintianus Rutenorum episcopus concilio Agathensi subscripsit cum* Glycerio; *dubitare itaque non possumus, quin* S. Licerius *idem sit cum* Glycerio, *cum ipse Sammarthanus col.* 1125 C *scribat :* Glycerius ad Christum migravit anno circiter DXLVIII ; *ita ut episcopus factus sit circa annum* 504, *id est, biennio circiter ante dictum concilium, modo justa sit mortis epocha, a qua ratiocinium meum non omnino dependet. Non ignoravit laudatus scriptor, hanc necessariam esse consequentiam, sed negat verba superius data de S. Quintiano Rutenorum antistite esse intelligenda, inducitque Quintianum Consoranensem episcopum, de quo hæc dicta intelligi cupit. Unde hæc hauserit Sammarthanus, me latet : certe quæ affert pro conjectura sua stabilienda, non solum inefficacia sunt ad probandum prædicta verba de Quintiano Consoranensi fuisse prolata ;at ne quidem evincunt, Quintianum ullum Consoranensi præfuisse ecclesiæ, ita ut unum Quintianum in duos videatur divisisse, sicut ex uno* Glycerio *vel* Licerio *duos formare conatur.*

solutis argumentis Sammarthani,

8 *Accipe probationes ejus col.* 1125 : Nec conjecturæ nostræ, *inquit*, plurimum obest, quod hic Quintianus dicatur Rutenicæ civitatis episcopus; id enim potuit amanuensis de suo addere, quod S. Quintianus Rutenorum episcopus celebrior et notior foret, quam Consoranensis præsul. Certe non videmus, quo jure S. Quintianus Rutenensis episcopus S. Licerium episcopum ordinasset in ecclesia Consoranensi alterius provinciæ. At nihil vetabat S. Quintianum Consoranensem antistitem sibi assumpsisse S. Licerium ut coadjutorem, et episcopum consecrasse. *Audax sane conjectura, qua dicitur amanuensis addidisse verba,quæ præconceptæ opinioni repugnant : quibus conjecturis si uti liceat sine evidenti ratione, et manifesta necessitate, brevi tempore hujusmodi conjecturis totam corrumpemus historiam. At vero adeo hic nulla est necessitas recurrendi ad conjecturam ejusmodi, ut sensus verborum conjecturam illam aperte renuat : dicit enim Vita :* Tum episcopus Conseranensi ecclesiæ est directus. *Non igitur factus est episcopus in eadem ecclesia, in qua fuerat presbyter, ut vult Sammarthanus; sed* directus *est ad aliam, a Rutenensi videlicet ad Conseranensem. Quod objicitur de ordinatione ejus per Quintianum, nec in Vita dicitur, nec, si ibi diceretur, incredibile aut inusitatum esset, cum id fieri potuisset ex amicitia, consentientibus illis episcopis, quorum erat ordinare Conseranensem.* E

quæ errore nituntur : floruit Sanctus,

9 *Objicit deinde Sammarthanus aliud argumentum, seu errore, seu lapsu memoriæ nixum, adeoque prorsus evanidum, his verbis :* Sed qui S. Licerium a S. Quintiano Rutenorum episcopo fuisse ordinatum volunt, in insignem anachronismum labuntur : nam hic præsul subscripsit consilio Agathensi anno DVI ; a quo tempore multum abest S. Licerius. *Lapsum memoriæ, quo in abrupta hæc deductus est, aperit col* 1125 *in* Glycerio, *ubi sic habet :* Glycerius subscripsit synodo Agathensi anno DVI. Alius videtur fuisse a B. Licerio sequenti, quod edita jam pridem Vita innuit, ubi S. Licerius notatur vixisse tempore Caroli Martelli Franciæ ducis et majoris-domus. *At ne littera quidem ulla habetur in Vita, ex qua colligi possit,* S. Licerium *vixisse tempore Caroli Martelli. Ex hoc memoriæ lapsu factum putem, ut duos episcopos Quintianum et* Licerium *in quatuor distraheret. Data a nobis epocha confirmari potest, quod Faustus Tarbensis,* S. Licerii *magister, fidei causa missus sit in exsilium: nam id fieri debuit per Visigothos Arianos, qui seculo quinto et sexto alios quoque antistites relegarunt. At vero Caroli Martelli tempore, seu seculo octavo, dudum Catholici erant Visigothorum reges in Hispania, nec ulli in Gallia dominabantur hæretici, ita ut exsilium Fausti pro fide iis temporibus nequaquam congruat, at contingere debuerit sub finem seculi quinti aut initium sexti.* F

ante medium seculi 6:

10 *Prætera objicit Sammarthanus col.* 1126 *argumentum negativum his verbis :* Certe in Vita S. Licerii nulla fit mentio itineris suscepti, ut adesset synodo Agathensi : quod minime omisisset, si idem esset cum Glycerio : nam de aliis Licerii peregrinationibus loqui sollicitus est Vitæ hujus scriptor. *Legenda solum Vita, ut pateat, quam infirma sit hæc ratio : sic enim scripta est, ut virtutes in ea referantur et miracula; at gesta quatuor et quadraginta episcopatus annis silentio fere involvantur. Quis igitur mirari potest, nullam in ea de concilio mentionem fieri, cum illud in plerisque SS. episcoporum Vitis contingat. Ex his concludo, sententiam, quæ eumdem statuit* Glycerium *et* Licerium *satis certam videri : nam nec* Licerius Glycerio *potuit succedere, ut quis propter vocis differentiam aliquam posset existimare, cum* Glycerium *inter et successorem ejus Theodorum quadraginta quatuor anni reperi-*

ri

A *ri nequeant, quibus sedit* Licerius. *Hinc ulterius colligo, Sanctum obiisse ante medium seculi sexti: quippe Theodorus ejus successor jam sedit anno* 549, *ut Sammarthanus habet col.* 1125: *quo autem anno sit defunctus, præcise determinari non potest.*

Acta, et eorum auctor. 11 *Acta* S. Licerii *jam edidit Labbeus tom.* 2 *Bibliothecæ Mss. a pag.* 588, *ubi docet, unde ea acceperit, hoc modo*: Descripsimus ex apographo Sanctoralis Bernardi Guidonis episcopi Lodovensis, communicato ab illustrissimo et reverendissimo Francisco Bosqueto, episcopo Monspeliensi. *Porro Bernardus Guidonis non quidem ætate propinquus fuit* S. Licerio, *utpote qui floruit seculo* XIII *et* XIV; *attamen cum vir fuerit doctus, Vitasque Sanctorum cum antiquas tum novas consuluerit, ut monet in præfatione Speculi sui Sanctoralis apud Labbeum pag.* 514, *auctoritate carere non debet; præsertim in hac Vita, in qua nihil occurrit, quod aut rectæ rationi aut veræ historiæ videatur repugnare. Habemus insuper fragmenta quædam ejusdem Vitæ ex Ms. codice* B *Musciacensi, transmissa per dominum Lebeuf canonicum Autissiodorensem, editis Opusculis satis notum. Hæc fragmenta, quæ admodum mendosa sunt, contulimus cum Vita per Labbeum edita, atque in annotatis ad illam observabo, quidquid occurrerit notatu dignum, minora etiam quædam asterisco in margine adjungam; at operæ pretium non putavi minutias quaslibet scrupulosius annotare.*

VITA

Auctore Bernardo Guidonis, episcopo Lodovensi

ex editione Labbei, collata cum Ms. Musciacensi.

C *Sancti patria, pater, et pia institutio;* *a* * *in Ms. Spanus*

Beatissimus itaque Licerius antistes Conseranicæ civitatis, quæ Pyrenæis Alpibus *a* est affinis, quæ ab Iberis terminant Galliam, natione Hispanus * fuit, nobilitatis ornamento coruscante clarissimus, qui a patre rhetoricæ artis pomposa refertus facundia, majus venerandis muneribus de se lumen generis extulit, quam de patre suscepit, et roseis floribus, in speciem meliorem germen parentis ornavit. Qui ætate parvulus, meritis celsus, a patre literis liberalibus est imbutus: sed apud terrenum magistrum cælesti formabatur plenus instrumento *b*. Dehinc ad Abrahæ fidei concordiam festinabat, et mystice ad præceptum illud, tamquam si ad se diceretur: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. Et ideo ad terram pervenit, quam ei pius Præmiator * ostendit; sicque inchoavit ab adolescentia esse maturi principii, ut ageret puerili in tempore, quod implere vix solet processus in sene.

* *in Ms. præ vitor*

desertis parentibus, discipulus fit S. Fausti; 2 Despecta itaque sede patriæ, vitaque parentum, dilexit Dominum, et exclusa claritate mundana, voluntarium elegit exilium. Vultus patris effugit, qui Abrahæ credulitatem implevit: patriarchæ iter arripuit, et sine dubio fecit ejusdem justitiæ se consortem. Hic confugit ad virum beatissimum miraculis præditum, et palma gloriæ, Tarbæ *c* civitatis episcopum Faustum *d*, vere in Domini cultura felicem, cujus lingua per singulas homilias in Ecclesia Dei audiebatur, cui turba triumphalis dicere posset: Pulchra vox tua, cujus magisterio et merito talis populus Dei esse comprobatur. Mox vero ejus obsequio se familiariter tradidit edocendum. Sed sacratissimus Faustus pro causa Christi missus est in exilium in civitate Vico-Julio *e*: deinde eo redeunte, ad propria iste comes accessit.

A. BERNARDO GUIDONIS EPISC. *c d* *e*

crucis signo oculum sanat, 3 Igitur beatus Licerius ab ineunte adolescentia ita fuit divinis armis, gratia Dei prosequente, succinctus, ut, ubi se infelix belligerator ingessit, virtutis gloria non careret. Nam, ut unum pandamus de pluribus exemplum, dum inter pueriles turbas jocculariter ludus ageretur incautus, quod familiare juvenili ætati est, providere ipse nil potuit, præsertim cum adolescentes rapto impetu ludum sine ordine membris mutuis incepissent temere. Accepto igitur amore certandi, percussus quidam oculum, cum gauderet, amisit; et cui luctus insistebat, per quem lacrymas funderet, non habebat. Mox vero sanctissimo faciente signum crucis in oculo, interior splendor reductus est. Ecce quale lumen in Juvene sibi sacrosancta præparabat Ecclesia, qui illuminationis recipit exempla, et quid ei jam poterat esse impossibile, cui oculum sanare fuit tam facile *f*? E

consecratur presbyter, et episcopus: per pluviam incedit non madefactus: *f* *g* *h* 4 Beatissimo igitur Fausto migrante ad Dominum, nolens parentes ejus repetere, apud virum apostolicum Quintianum Rutenicæ *g* civitatis episcopum venit, et in ejus servitio ordinatus est subdiaconus, diaconus, et presbyter; tum episcopus Conseranensi ecclesiæ est directus; qui quamvis alicui non videbatur competere quod sacerdos fuisset ordinatus *h*, tamen a cunctis est libenter exceptus. Quis enim de ejus electione potuit dubitare, cui tanta virtus pontificii ad coronam gloriæ quotidie crescebat? Florebat in eo jugiter religionis processus, sed et recti mysterii copia dispensandi. Et quantum gradus in eo crescebat, tantum ipse divinis assurgebat servitiis. Illo quoque tempore, dum iter ipse cum suis carperet, superna gratia providente, subito serenitatis fides est immutata, terris coruscant fulgura, aër tonitruis permiscetur, cælum tempestate succingitur, imbre nubes armantur, et ex omni parte nimbi descendunt; pluvia, velut flumina, effunditur; non ut justum obrueret, sed probaret. F Nam undique guttis influentibus per loca, per quæ tunc cum suis vir sanctissimus Licerius episcopus incedebat, sicca nubes pependit: et propter honorem Pontificis, illic fremebat divisa tempestas, ut cum crueret potius quam sæviret: quia, quo gressum ille intulit, illum nimbus expavit. Credens * enim eum per qualemcumque tectum decurrisse, quia per medias undas sicca veste processit. Ecce ibi sicut dignitas erat venerabilis, ita merces illustris. Credo si orasset utique ne plueret, Heliæ meritum reformasset; et quod a paucis pro eo repulit Dominus, generalitati non negasset. Habet et ipse a pristino Moyse chirographum, quia quod ille non sensit in pelago, hic vitavit in nimbo.

* *f. crederes*

misericors in pauperes, panem suum invenit multiplicatum; 5 Veniamus tandem ad eleemosynariæ pietatis officium, ascendens in altum, penetrans nubes, pertransiens cælum, stans ante Deum, extinguens peccatum. Quod inter reliqua bona palmæ triumphalis exempla, jactantiæ quoque causa ei non auferet, nec fructu multiplicatæ segetis carebit. Quadam vero die, dum pauper parvam alimoniam posceret, ut beatus Licerius antistes sibi sine

B. Bernardo Guidonis ep.

ne mora præberet, tunc ille, ad quem cura cellarii pertinebat, expensis omnibus, recurrens in cellam, panem dimidium non amplius dimisisse respondit, quod deberet offerri. Sed ut jam esset excusatus a Pontifice, et ut clamante paupere, surda aure ipsum panem dimidium ei denegaret, grave peccatum æstimans, si partem ejus, illo esuriente, episcopalis mensa reservaret, ingressus in locum, antequam offerretur aliquid, per solam voluntatem daturus, in decem tantum munus invenit: nam pro dimidio, quinque panes integros reperit. O mens purissima divinis mandatis intenta! O gula parcissima angelicis epulis enutrita, pauperi larga, sibi restricta! Elegit propter inopem esurire cibum, ut non esuriat cæleste mysterium; sed subito, quod quondam terrenam frugem obtulit, cælestem messem collegit. Ecce solitus est de pabulis et necessitatibus, ut consoletur alienos respectu ejus, qui ait: Spes agri mecum est. Nec istum sine illo distribuere potuit, qui de quinque panibus quinque hominum millia satiavit; ubi frux plus in mensa quam in terra nutritur, et in datis delitiis amplius quam in acceptis. Quanta denique erat in Sacerdote fidu-
B cia, ut non caperet de cespite, quod non caperet de sermone?

equum Sancto auferens se ipse occidit,

6 Illud quoque opportunum existimo patefieri, ne, quod videtur esse relatione terribile, culpa sit silentio prætcrire: sæpe enim hujusmodi relatio ad fructum emendationis proficit. Dum igitur ad quemdam locum Pontifex festinaret, insecutus est eum quidam Beatus nomine, non illi, sed sibi crudelis; qui mox impulsus animi feritate, equum ei magno impetu et violenter abstulit. Tunc ipso orante, et vigilias peragente, cum gladio eadem nocte se perfodit. Tunc scelerosa dextra ad credule ministerium servata, uno momento committens culpam, et exigens pœnam, intulit Sacerdoti injuriam, et repræsentavit vindictam. Nam perditus, ne moram ad divinam faceret ultionem, non expectavit ab altero se feriri. Fortasse ad hoc in sua morte nullus inventus est socius, neque qui ejus fieret sanguine maculatus. Alius enim crimen abstulit, cum se malus author extinxit *i*.

alterius in ipsum injurii familia percutitur febre, sed ejus oratione sanatur:

C 7 Adjiciendum est etiam salutare multis ipsius curationis miraculum: nam quod honori illi erat, et præcipuum, reticeri non debet imminutum. Interea nascente bellorum tumultu de militum discordia procreato, dum adversus regnum collidendum illi consurgerent, et ad ipsum confringendum vires suas exarmarent, fugientem virum venerabilem de loco ad locum judex quærit infestus, equum fræno retinet, verba molesta ingerit, unde venerat, eum redire compellit; Dei tamen judicio procedente, omnes suos laborantes infirmitatis tædio invenit. Nam universæ familiæ ejus febres intulerat pestilentia, nec prius eorum aliquis relaxatus est languore, quam ipsi ad sua vestigia judex provolutus supplicaret. Oratione vero ejus, cujus causa venerunt vulnera, fuit et medicina, et etiam intercessionis suæ imbre febrium vapor abscessit, et igne fidei languores ignis extinxit. Beatissima autem erat ejus voluntas, quam quodammodo sequebatur divina; quia ita mandatis cælestibus obediebat, quod cælos inclinabat ad vota. In tantum enim jam erat Christi familiaritati conjuncta, ut, quod Redemptor per ejus arcana susciperet, per signa monstraret.

8 Nec hoc prætereundum est, quod in villa Arnespenos *k* Vir ille accesserit, ut videretur quantus amor ei esset in eleemosyna largienda. Dum vero ad ipsum locum venisset invitatus ad D eulogias *l*, erogatis omnibus, unus ei panis remanserat, quem postea restituente cellerario, tribus pauperibus impertivit, dicens: Habet unde refectionem mihi Dominus meus dirigat. Tunc in momento quædam femina præter reliqua, quadraginta illi panes direxit, ne præteriretur * quod dixerat, cui fides omnia ministrabat: quia sic tribuit, et non negavit; quod non habebat, accepit. Contigit quoque, quemdam multis sceleribus depravatum, præter alia latrocinia, ovem pauperis violenter occidisse. Qui interrogatus a Pontifice, quare tot assidue crimina perpetraret? respondit: Generatio *m* est, quæ talia admittit. Dicit ei beatissimus Licerius: Ergo oremus, ut ipsa generatio deleatur. Mox vero ultio Dei comitata sermonem ejus, in eadem hora flagitiosum hominem graviori, quam ipse alicui iutulerat, flagello eum percussit. Est enim invasus ardore tali, quod si iu aquam descenderet usque iu aures, non tamen illi requiem vel unda conferret: æstuabat autem in flumine, nec, secreto incendio cruciante, flammas vitabat in gurgite; quia intra se portabat de culpa camini fornacem. Id igitur E actum est, ut usque in finem tali pestilentia laboraret, quod vivens cadaver ejus existeret, cujus ad doloris augmentum caro resolveretur in cinerem. Nam in vorandis visceribus officium tumuli dira febris implevit, nec inventum est in ejus corpore, quod sepulcra consumerent, quia prius flamma per ejus membra defluxit.

liberalitas ejus, et fiducia in Deum remunerata: blasphemus, eo orante punitus:

* in Ms. preteriret

morsum a cane rabido sanat,

9 Confido ergo, devotum populum, etsi pagina prolongetur, per varias miraculorum delicias epulando, non habere fastidium, quia inde sit salutis augmentum, quod tam breviter est explicandum. Quidam itaque laceratus a cane rabido, et ejus veneno potatus occurrit Viro sanctissimo, qui tollens facitergium *n* de capite suo, involvit in eo periclitantem, et tali medicamine ab imminenti pernicie supplicem liberavit.

civitatem oratione sua tuetur ab hostibus:

10 Operæ pretium æstimo etiam istud inferri, qualiter oratio ejus fuit generalitatis ereptio; et quod prius in singulis fecit, postea probavit in cunctis. Igitur veniente ad civitatem deprædandam Ricosyndo *o* duce Gothorum per vulgatum Christi nuntium, perterritis omnibus, afflictaque graviter urbe, ipsa, tamquam quæ futuram timebat, jam emersisse captivitatem deplorabat. Tunc F vero universi cives de se desperantes, solum præsidium ab oratione Pontificis expectantes, occurrunt Sacerdoti, fletu potius quam voce eum rogantes, ut subveniret patriæ intrantibus hostibus perituræ, et ne gregem suum dente lupi raptoris contaminari permitteret, deprecabantur. Tunc universis civibus præsentibus Pastor venerabilis pietate perculsus, ad divinum occurrit auxilium, ubi sine dubio fides obtinuit votum; moxque in oratione ipse prosternitur, nox in vigiliis ducitur, terra lacrymis irrigatur, cælum planctibus aperitur, et angelica arma descendunt, superna mysteria confitentia. Prorsus eadem nocte B. Licerius duci, de quo diximus, per visionem in via occurrit, et magno impetu impellens eum, ne ultra præsumeret accedere obtestabatur, tantum donans spatium, quo locum, unde venerat, velociter appeteret. Tunc ille terribiliter castigatus, vix expectat dici lucem, nec pœnam sustulit, sed reverti ad domum suam sanum licuit ambulare. Ad propria ergo festinavit, nec fuit ulterius, quod exterritus recordaretur, ubi dux in fugam processit. Si una nocte, ipso solo vigilante, populo quiescente, cive defenso, hoste

A hoste repulso, sine ullo cujusquam vulnere meruit triumphare, sola voce vincente. O quam felicissimum patriæ propugnaculum, cujus non vacue missa verbi jacula ceciderunt. O mens sacratissima cælesti dono dotata, in cujus lingua pependit victoria! Hic divina misericordia ultra quam promiserat, pietatis ostendit exempla, ubi unum invenit, et tamen ex cunctis accolas illæsos servavit.

multaque alia ægris præstat beneficia: 11 Sed quis ejus gesta felicia, miraculis crescentibus per singula comprehendat? Quantis ille per eulogias sanitatem pristinam reformavit? Quoties languentibus salutem sanctam transmisit? Sentiebat æger sub dente cibaria, et stupebat pleno gutture dapibus medicinam, quia vix sibi præstari sperabat subsidia languoris. Hispani quoque ad eum currebant, quia toties miseratione sua et vultu salutifero porrigebat medelam. Cum vero ægrotum manu legi tetigit, gravis morbus effugit. Ecce virtutis imperium, cui posse subjacuit de aspectu sanare.

tempus episcopatus, et mors. 12 Quis vero digne illum extollit, cujus spes quidquid voluit, in salutem convertit? Nullis B umquam divitiis, non rebus sæcularibus est occupatus, sed repulsa communi sarcina, Christi crucem gerens, in alta sequutus est nudus, expeditus, et exercitus, vivens Deo, et sanctæ conversationi intentus. Quadraginta et quatuor annos pontificali honore insignitus implevit. Hic ergo Vir Sanctissimus glorioso procedente triumpho per arctum et angustum iter gressu libero ducem sequens Christum, die sexto Kalendarum Septembrium, relictis terris, exceptus est cælo, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, et gloria, virtus, et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Id est,* Pyrenæis montibus: *Pyrenæi autem montes inter Galliam et Hispaniam notiores sunt, quam ut pluribus describi debeant.*

b *In Ms. Musciacensi*: Cæleste formabatur plenius instrumentum.

c *In Ms.* Traviæ, *pro* Tarviæ *opinor: nam vix ulla vox ibidem recte est scripta.* Tarba *autem, vulgo* Tarbes, urbs *est* Galliæ in Aquitania, episcoC palis sub archiepiscopo Auxitano, in Bigerrensi comitatu, *ut habet Baudrandus.*

d *De Fausto agemus, dum eruditus aliquis nos docuerit diem, quo colitur, aut cultus aliquando fuit: nam de cultu dubitare vix possumus. Interim observo, secundum ea, quæ disputavimus in Commentario num.* 6 *et seqq., Faustum floruisse sub finem seculi quinti, atque in serie episcoporum Tarbensium collocandum esse ante Aprum, qui anno* 506 *ad concilium Agathense misit Ingenuum presbyterum: licet in Gallia Christiana tom.* I *col.* 1226 *collocetur multo serius. Lanuza ante laudatus refert, in Ms. Zucrensi dici,* S. Licerium *Fausti successorem fuisse in episcopatu Tarbensi: at hoc non magis verum existimo, quam, quod ibi quoque habetur, vixisse tempore Caroli magni. Utrumque enim huic Vitæ repugnat, et ex errore hauriri potuit: primum,* *A. Bernardo. Guidonis ep.* *quod diceretur episcopus factus post mortem Fausti; unde putare potuerunt ei successisse: secundum, quod forte ejus reliquiæ tempore Caroli magni Zueram sint delatæ. Verum, undecumque error provenerit, erratum in iis fuisse, satis certum apparet ex dictis in Commentario.*

e Vicus-Julius, *vulgo,* Aire, *alias* Vico Julius, *et* Sotia, urbs *est* Galliæ in Vasconia propria, *ait Baudrandus*, episcopalis sub archiepiscopo Auscensi. *Id factum per Evaricum Visi-Gothorum regem Arianum, aut filium et successorem ejus Alaricum. Forte per Evaricum relegatus, rediit sub Alarico: nam hic patre mitior fuit in persequendis Christianis. De utroque hoc rege consuli potest Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 2.

f *Hoc miraculum ex Ms. Zucrensi habet etiam Lanuza, uti et sequens de pluvia.*

g Ruteni *vel* Rutena, *Gallis* Rodez *et* Rodes, *urbs est in Aquitania Rutenorum caput, et episcopalis sub archiepiscopo Bituricensi. De S. Quintiano dicta sunt aliqua in Commentario: Acta ejus dabuntur ad* 13 *Novembris, quo colitur. Quod Ferrarius num.* 2 *in Commentario dicit de consan-* E *guinitate* Licerii *cum Quintiano, velum certius videre probatum.*

h *Hinc quidem verisimile est, a S. Quintiano episcopum ordinatum esse* S. Licerium; *attamen id clare non affirmatur.*

i *Hoc quoque miraculum, quodque num.* 10 *habet de civitate servata, Lanuza attigit.*

k *In Fragmento Musciacensi* in villa Arnespenos Vir *etc., acsi auctor cum eo vixisset. Potuit sane Bernardus Guidonis hujusmodi auctoris contemporanei habere lucubrationem, ejusque verba non mutata relinquere. Verumtamen id asserere non ausim, cum nomen villæ forsan fuerit* Arnespernos.

l *Vox* eulogiæ, *cujus varia est significatio, hic sumi videtur pro panibus benedictione consecratis, uti et infra num.* 11. *Vox* cellerarius, *quæ mox sequitur, alias* cellarius, *eum significat, cui cibi et potus cura incumbit.*

m *Responsio apparet Manichæi vel Priscillianistæ: nam hi ambo et generationem in legitimo etiam conjugio damnant, et liberum tollunt arbitrium. De utrisque agit S. Augustinus lib. de Hæresibus cap.* 46, *et* 70. F

n Facitergium *a facie tergenda vocatur sudarium.*

o *De* Ricosyudo *hæc notat Sammarthanus col.* 1126: Hic Ricosindus forte fuit Recesvindus rex, cujus tempore celebratum est concilium Toletanum VIII. *At id non convenit temporibus Caroli Martelli, quo vixisse vult* S. Licerium; *nec epochæ a nobis confirmatæ. Nam Ricesvindus post medium seculi* VII *regnum tenuit, id est diu post epocham nostram, et diutius ante Caroli Martelli tempora, quam ut epocha Sammarthani cum hac opinione cohærere possit. Malim itaque fateri, me de Ricosindo hoc alibi nihil legisse: at suspicor ducem fuisse Alarici regis Ariani.*



A D

DE S. CÆSARIO EPISC. CONFESS.

ARELATE IN GALLIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Vitæ scriptores : cultus; elogia.

Anno DXLII. Vitam S. Cæsarii, editam a Mabillonio, scripserunt

Mira vitæ sanctitate ac miraculorum gloria seculo v et vi in Gallia coruscavit S. Cæsarius *ex monacho et abbate Arelatensis episcopus. Vitam ejus fideliter a discipulis conscriptam edidit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* I, *ubi pag.* 658 *ita præfatur :* Sancti Cæsarii Arelatensis episcopi Vitam, quæ multis in locis interpolata hactenus prodierat, B sinceram et integram hic exhibemus ex codd. Mss. S. Germani Pratensis, et Montis-majoris Arelatensis, in duos libros distinctam. Priorem scripsit Cyprianus, ut constat ex num. 30 ; posteriorem vero Messianus presbyter et Stephanus diaconus, quod ex fine libri I, et ex libri 2 initio liquet. Cyprianus ille diversus non est a Cypriano Tolonensi antistite, S. Cæsarii discipulo, cui mantum Cæsarius testamento reliquit. *Huic Mabillonii sententiæ adstipulantur novissimi editores Galliæ Christianæ tom* I, *col.* 741, *ubi gesta S. Cypriani Telonensis breviter explicant. Neque de eo dubitandum videtur, cum ex Vita pateat num.* 46 *Cyprianum Telonensem* S. Cæsarii *fuisse discipulum.*

quinque ejus discipuli,

2 Nec refert, *inquit Mabillonius*, quod prioris libri scriptor de seipso modeste ac humiliter, . . . magnifice vero de Cypriano Tolonensi antistite . . . loquitur. Id enim de se non scripsit Cyprianus, sed illi, qui cum eo priorem istius Vitæ partem condiderunt. Quippe licet Cyprianus auctor sit præcipuus, non tamen solus fuit in ea describenda : sed cum eo Firminus et Viventius C operam suam contulerunt. *Probatur hoc ex initio libri* 2, *ubi expressis verbis Firminus et Viventius cum Cypriano auctores dicuntur prioris partis. Addit Mabillonius inscriptionem Vitæ præfixam in codice Ms. Montis majoris, quæ est hujusmodi :* Incipit prologus et Vita Cæsarii, quam domnus Cyprianus et beatissimus Firminus et sanctus Viventius episcopus (legendum episcopi, *ait Mabillonius)* et presbyter Messianus et diaconus Stephanus scripserunt. *Plures prioris libri fuisse auctores, evincunt etiam hæc verba num.* 39, Unus ex nostris, qui hæc scripsimus. *Hinc ita infert laudatus Mabillonius :* Illud igitur elogium, quod de Cypriano Tolonensi legis num. XXXIII *(apud nos num.* 46*)* Firmino et Viventio auctoribus adscribe : sicut dum in libri 2 *(apud nos num.* 7*)* Messianus VIR VENERABILIS dicitur, id a Stephano diacono, non ab ipso Messiano scriptum nemo non concedet.

quorum tres fuere episcopi, obtuleruntque Cæsariæ abbatissæ :

3 *Non est ullum dubium, quin Firminus et Viventius, æque ac Cyprianus, discipuli fuerint* S. Cæsarii, *ac episcopi :* coëpiscopi *enim vocantur initio partis secundæ. Præterea Viventius* episcopus *nominatur in titulo epistolæ a Messiano ad eum datæ, quam infra recitabimus. Verumtamen obscurum hactenus apparet, cui præfuerint ecclesiæ. Mabillonius quidem ait :* Firminus fuit episcopus Ucetiensis, *cui Bailletus assentitur in Vita* S. Cæsarii *ad* XXVII *Augusti et auctores Historiæ litterariæ Franciæ tom.* 3, *pag.* 197 : *at editores novissimi Galliæ Christianæ tom.* 6, *col.* 611 *et* 612, *ubi agunt de S. Firmino Ucetiensi ; sic loquuntur :* In Actis nostri Firmini nulla occurrunt, quæ huic faveant opinioni. *Neque ego in Mss. nostris de S. Firmino Ucetiensi quidquam reperire potui, quo evincam* S. Cæsarii *discipulum fuisse, aut cum aliis Vitæ scriptorem. Quapropter rem incertam relinquere cogor usque ad* E XI *Octobris, ubi de S. Firmino Ucetiensi agetur latius.* Viventius autem quis fuerit, nondum constat, *inquit Mabillonius. Vita a quinque laudatis auctoribus composita Cæsariæ virgini, ad cujus preces erat conscripta, fuit dedicata. Egimus ad* XII *Januarii de S. Cæsaria sorore* Cæsarii, *quæ prima monasterii Arelatensis abbatissa a sancto Fratre fuit constituta : verum hæc mortua est ante* Cæsarium, *sicut liquet ex Vita hujus num.* 44, *adeoque illi dedicata non est hæc Vita, ut per errorem scripserunt aliqui. S. Cæsariæ alteram successisse Cæsariam, testatur Vita eodem loco, atque hæc ipsa est, cui* S. Cæsarii *Vita legitur inscripta. Illam Sanctæ titulo honorant scriptores Galliæ Christianæ tom.* I, *col.* 619 ; *sed de cultu ejus nobis hactenus non constat.*

editiones Vitæ priores : unde a nobis sit edenda.

4 *Laudata* S. Cæsarii *Vita edita fuerat a Surio ad* XXVII *Augusti, et a Vincentio Baralli in Chronologia Sanctorum Lerinensium pag.* 229 *et seqq. : sed præplacet editio Mabillonii, cum stylus in aliis fuerit alteratus, et in Surio non pauca in libro primo sint prætermissa. Habemus in-* F *super primam hujus Vitæ partem Ms., acceptam opera doctissimi Sirmondi* ex vetere Ms. membraneo monasterii S. Martini a Campis Paris., Ordinis Cluniacensis, *ut in apographo nostro notatur. Contuli hoc Ms. cum editione Mabillonii, a qua non nisi in paucis et levioribus quibusdam dissentit. Verumtamen, ut editio fiat exactior, et differentiæ utriusque appareant, partem hanc ex laudato Ms. edam, observaboque in notis, ubi quid occurret in editione memorata diversum. Alteram partem, quam Ms non habemus, subjiciam ex Mabillonio. Præter vulgata hæc* S. Cæsarii *Acta, aliam ejusdem Sancti Vitam nobis transmisit olim Chiffletius noster* ex Ms. perantiquo ecclesiæ S. Joannis Bisontiensis, *præcedenti multo breviorem : sive hæc ex illa fuerit contracta, sive hæc ipsa sit Vita, quam unus ex quinque auctoribus initio composuerat sine aliorum supplemento. Certe nihil addit præcedenti, nullumque continet factum, quod in illa non legatur ; sed facta eadem iisdem fere verbis ibidem partim leguntur, partim omittuntur. Hinc non alteri usui fore hanc Vitam censui, quam ut conferatur cum Vita edenda ; noteturque suis locis, si qua facta clarius in hac enuntientur.*

5 *Porro*

Celebritas Cæsarii probatur ex elogio S. Ennodii,

A 5 *Porro quamvis Acta* S. Cæsarii *ab iis auctoribus, eaque sinceritate sint conscripta, ut confirmatione nulla indigere videantur; taliaque ac tanta doceant, ut ad laudem Sancti vix quidquam addi possit, lubet tamen aliunde adjungere quædam virorum præstantissimorum testimonia, ut ex illis quoque elucescat, quanta de sancto Antiste fuerit existimatio. S. Ennodius Ticinensis episcopus, de quo egimus ad* XVII *Julii, in epistola ad* Cæsarium, *edita apud Sirmondum in Operibus variis tom.* I, *col* 957, *ejus laudes his celebrat verbis:* Te, mi Domine, in orbe jam Christiano diva lex peperit, et apostolici uberis lacte nutrivit: tu cæteros, velut solis magnitudo astris minoribus comparata, transgrederis: te qui interioris hominis oculis inspexit, instructus est. Nam et cum facie ipsa foveas puritatem, delinquentes feriato ore castigas. Boni de conversatione tua, quocumque processeris, imitanda inveniunt: malis fugienda demonstrantur. Beatus tu, cui a Deo tributum est, ut et monitis doceas et exemplis: qui ad pii itineris directum, semper existens prævius, invitasti. Quis non optet, B te loquente, ut sciat plura, non legere? Tu, dum libris genium relatione concilias, et magistros informas. Tibi debet quicumque ille scriptorum maximus, quod cum dote elocutionis amplificas. In te lux convenit sermonis et operis. *Plura ibi videri possunt, vel apud alios, qui eamdem epistolam ediderunt.*

Floriani ejus discipuli, Venantii Fortunati;

6 *Præclarum quoque de* S. Cæsario *testimonium subministrat Florianus monachus, ejusque discipulus, in epistola ad S. Nicetium Trevirensem episcopum, apud Chesnium tom.* I *Scriptorum Franciæ, pag.* 851 *his verbis:* Sed et coronæ vestræ socium beatæ memoriæ dominum Cæsarium Arelatensem episcopum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus, pater orphanorum, pastor egentium, qui tanti census effusione nil perdidit, catholicæ regulam disciplinæ dictis factisque demonstrans. Ipse igitur mihi Latinis elementis imposuit alphabetum; sed et huuc pro famulo discipuloque suo impetrare confido. *Venantius Fortunatus, qui variis locis de* Cæsario *ejusque regula mentionem facit, virtutes ejus lib.* 5, *carmine* 2 *brevi hoc elogio perstringit:*

C Qui fuit antistes Arelas, de forte Lirini,
Et mansit monachus, Pontificale decus,

Monachum mansisse ait, insinuans, fuisse eadem vitæ austeritate, orationis assiduitate, humilitate, aliisque virtutibus, quibus floruerat monachus.

ex accessu virorum ex longinquis partibus, seu pro medela corporis per eum obtinenda,

7 *Apud laudatum Sirmondum tom.* 2, *col.* 29 *recitatur epistola S. Aviti Viennensis episcopi ad* Cæsarium, *qua illi commendat Maximianum episcopum, oculorum infirmitate laborantem. In hac epistola non quidem virtutes Sancti recitantur, excepta misericordia in afflictos, quæ his verbis indicatur:* Cum pietatem vestram, quærentem ubique misericordiæ aditus, non lateat ubi est miseriæ locus: *at fama miraculorum ejus latenter insinuatur. Etenim non alia de causa Maximianus videtur adivisse Sanctum, quam ut cæcitati suæ per eum consequeretur remedium: nam sic intelligenda putem verba Aviti sequentia:* Principalis tamen ei, quantum dignatur asserere, causa veniendi est, ut peritiorem Medicum quocumque perquirat, qui imbecillitati corporeorum luminum cujuscumque remedii arte succurrat. *Hæc, inquam, verba sic putem intelligenda, præsertim quod subjungat exemplum Tobiæ, qui humana arte sanatus non fuit. Audi epistolæ verba:* Spem vero recipiendi obtutus, quantum arbitror, et ab exemplo requirit: quod scilicet Tobiam nostrum.... latens in angelo medicina reduxerit per collyrium fellis ad dulcedinem sanitatis. *Subdit Avitus:* Quocirca suscipite fratrem sinceritate solita, reverentia digna: et, si quid consolationis sancto debetur, impendite. Implebitur autem commune desiderium, si etiam qualiscumque infirmitati medela provenerit. *Quibus* Cæsarium *non obscure hortatur ad visum Maximiano restituendum. Neque mirabitur famam miraculorum ejus adeo sparsam fuisse, ut episcopus ex longinquis regionibus ad ipsum accesserit ad visum recuperandum, qui miracula in Actis relata perlegerit.*

AUCTORE J. S.

seu ad illum de rebus gravissimis consulendum:

8 *Celebritatem quoque* S. Cæsarii *probare possumus accessu virorum illustrium, qui ejus consilia expetebant aut monita. Apud nos tom.* 2 *Martii pag.* 352 *in Actis S. Leobini Carnotensis episcopi hæc leguntur ad propositum nostrum:* Non multo post tempore a beato Ætherio *(Carnotensi)* pontifice ei *(Leobino tunc presbytero)* E injunctum est, ut causa proficiendi in melius S. Cæsarium, Arelatensem episcopum inquirere, et adire deberet intrepidus: ad quem cum pervenisset S. Leobinus, pariterque cum eo B. Albinus, qui comes ejus itineris fuerat; requisitus a B. Cæsario, cur tanti itineris laborem assumpsisset, respondit B. Albinus, se tantummodo sui desiderii causa venisse; beatum vero Leobinum, derelictis fratribus, quibus præpositus fuerat, Lerinum properaturum, ubi omnibus fratribus desiderat esse subjectus. *Porro S. Albinus Andegavensis episcopus de re gravissima consuluit* S. Cæsarium, *ut in Actis illius legitur tom.* I *Martii pag.* 60: *sed incertum est, an id factum sit, dum ad illum profectus est cum S. Leobino, an postea rursum accesserit. Verum ex hisce clarissime patet, nomen* S. Cæsarii *maximum fuisse per totam Galliam, cum viri sancti, tanto terrarum intervallo distantes, ad ipsum, tamquam ad oraculum, consilii et progressus in virtutibus causa proficiscerentur. Ceterum jussit* S. Cæsarius *S. Leobinum redire, ad monachos, quibus præerat, regendos, quod ille præstitit, uti ibidem pluribus refertur. Hæc sufficiant ad ostendendum, quanta* Cæsarius *floruerit nominis fama, quantaque ubique fuerit de sanctitate ac sapientia ejus existimatio.* F

cultus Sancti: errores duo rejecti.

9 *Memoria ejus sacris Fastis adscripta legitur ad* XXVII *Augusti, qua festivitas ipsius in diœcesi Arelatensi celebratur. Audi pro omnibus Adonem:* In Galliis, civitate Arelatensi, sancti Cæsarii episcopi et confessoris, miræ sanctitatis et pietatis et studii viri. *Hisce alii fere consentiunt, quorum verba recitare supervacaneum est. Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 3, *cap.* 84 Cæsarium *monachis Benedictinis adnumerat: at errorem illum abunde refutavit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum* XXVII *Augusti. Error Trithemii ortus erat ex anachronismo, videlicet quod putaret* Cæsarium *floruisse multo serius, quam revera floruit. Hinc in alium errorem lapsus est Andreas Saussayus; qui præter* Cæsarium *nostrum, alterum annuntiat* Cæsarium *Arelatensem episcopum, istius nominis secundum. Videri potest in Appendice Martyrologii Gallicani pag.* 1220, *ubi facta quædam,* S. Cæsario *propria, secundo illi fictitioque Cæsario attribuit. Hic error, ut nulla ratione fultus, longiorem refutationem non meretur; præsertim quod*

AUCTORE J. S.

quod jam rejectus sit ab eruditis passim, ut observatum est in S. Veredemio tom. IV *Augusti, pag.* 638. *Itaque ad texendam Vitæ chronologiam progredior.*

§ II. Præcipua vitæ capita chronologice ordinata usque ad tempus monasterii sacris virginibus conditi, ubi de gemina Regula per Sanctum conscripta.

Variorum errores de ætate Sancti jam refutati sunt.

Circa tempus, quo floruit S. Cæsarius, *longissime erraverunt scriptores aliqui, nimirum Vincentius Bellovacensis, Sigebertus, Trithemius et Petrus Suffridus, quorum verba recitata invenies apud Vincentium Barralim in Chronologia Sanctorum Lerinensis abbatiæ pag.* 259 *et seqq. Hisce refutandis non immoror, quod errores illi jam correcti sint a variis, et sponte sua* B *corruere debeat opinio illorum ex ordine a nobis deducendo. Baronius quoque in ætate* Cæsarii *assignanda multum deflexerat a via tom.* 6 *Annalium ad annum* 453, *num.* 41, *sed errorem illum utcumque correxit in additamentis, tom.* 10 *subjectis, pag.* 959. *Deinceps vero eruditi exactius cognoverunt ætatem Viri celeberrimi, atque in chronologia ipsius fere jam consentiunt, si paucorum annorum excipiamus differentiam circa aliquot vitæ capita, quorum non omnino certa texi potuit chronologia.*

Natus anno 469 vel 470, circa 487 fit clericus, dein monachus, presbyter, et abbas:

11 *Mortuus est Sanctus, ut habet Vita lib.* 2, *num.* 33, *septuagesimo tertio ætatis anno. Mortem autem incidisse in* XXVII *Augusti anni* 542 *plures existimant, et nos deinde probabimus. Hinc nasci debuit circa annum* 470, *videlicet post medium* 469, *si annus Vitæ septuagesimus tertius fere fuerit impletus, alioquin ipso anno* 470. *Anno ætatis decimo octavo, secundum Ms. nostrum Bisonticense et Arelatense Mabillonii, tonsura clericali donatus est, quod factum oportuit circa annum* 487. *Biennio inter clericos transacto, ut habet Vita num.* 4, *Lerinum se contu-* C *lit, ibique vitam monasticam exorsus est circa annum* 489, *ætatis* 20. *Post annos aliquot in monasterio Lerinensi transactos, cum nimia corporis maceratione in morbum incidisset, curandæ valetudinis causa Arelatem missus est, ubi ejus virtutes innotuerunt S. Æonio archiepiscopo Arelatensi, a quo diaconus et presbyter consecratus est sub finem seculi* V. *Circa annum* 499 *abbas factus, non Lerini, ut perperam scripsit Trithemius de Viris illustribus lib.* 2, *cap.* 17, *sed in Insula Rhodani prope Arelatem, monachos ultra triennium rexit, ut legitur in Vita num.* XI.

dissensio eruditorum de initio episcopatus,

12 *Ex abbate ecclesiæ Arelatensi præfectus est episcopus post S. Æonium, qui illum sibi optaverat successorem, teste Vita num.* 12 *et* 13. *Neque huic successioni obstare debent diptycha Arelatensis ecclesiæ, in Analectis Mabillonii edita, cum illorum exigua sit auctoritas, ut jam adverterunt eruditi. Audi editores Galliæ Christianæ recusæ tom.* I, *col.* 534: In diptychis post Æonium legitur Joannes, cujus alibi nulla fit mentio. Multa sunt vero, quæ diptychorum illorum auctoritatem elevent. Aliunde vero legimus Cæsarium Æonio suffectum fuisse in episcopatu. *Baronius quoque in Addendis ad tomum* 6 *Annalium, impressis tom.* 10, *pag.* 960 *aliter ordina-* D *vit successionem episcoporum Arelatensium, dum* Cæsarium *Leontio, et hunc Æonio successisse scripsit. Verum error ille satis refutatur ex successione assignata in laudata Gallia Christiana, quæ nullum relinquit dubium, quin Æonius Leontio sit posterior. De anno inchoati episcopatus scriptores non omnino consentiunt. Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana col.* 535 *annum assignat* 501 *vel* 502. *Norisius Historiæ Pelagianæ lib.* 2, *cap.* 22 *contendit anno* 503 *factum esse episcopum. Fleury vero in Historia ecclesiastica lib.* 31, *cap.* 2 *initium episcopatus affigit anno* 501. *Demum Pagius in Critica ad annum* 502, *num.* 8, *et Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 2, *lib.* 5, *pag.* 267 *Æonio suffectum* Cæsarium *existimant anno* 502. *Horum sententiam, ut ceteris veriorem, breviter confirmabo.*

quod inceptum videtur anno 502.

13 *Obiit Æonius* XVI *Augusti, ut probabimus in ejus Actis ad* XXX *hujus mensis. Hinc certum fit, mortuum non esse ante annum* 502, E *quia Symmachus Papa in epistola ad Avitum Viennensem*, data III Idus Octobris Avieno et Pompeio consulibus, *id est, anno Christi* 501, *de eo ut vivente mentionem facit. Epistola illa videri potest apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col.* 1311 *et* 1312. *Jam vero episcopum factum non esse post annum* 502, *ex tempore episcopatus, cum anno mortis collato, evincitur. Etenim mortuus est* Cæsarius XXVII *Augusti anno* 542, *uti infra ostendam. Morti autem propinquus erat, ut Vita testatur lib.* 2, *num.* 33, cum.... quadragesimum in pontificatu verteret circulus gyrum. *Unde necessario consequitur, episcopum ordinatum esse anno* 502: *nam Vita num.* 12 *innuit, non longo tempore post mortem Æonii eidem suffectum esse. Factum id forsan mense Septembri, ita ut annos quadraginta fere impleverit. Porro laudatus Norisius et Saxius in Pontificio Arelatensi non alia de causa annum* 503 *initio episcopatus attribuunt, quam quod existiment obiisse Cæsarium anno* 543.

Anno 506 celebrat concilium Agathense,

14 *Pleraque præclare in episcopatu gesta recensentur in Vita, at non omnia. Quapropter ordine temporis adjungam, quidquid aliunde se ob-* F *tulerit relatu dignum: illa vero, quæ referuntur in Vita, ad ordinem chronologicum revocare pergam. Anno* 506 Cæsarius *ad concilium convocavit episcopos sub ditione Alarici Visi-Gothorum regis constitutos, accepta ab eodem licentia, ut dicitur in præfatione concilii. Habitum est concilium istud Agathæ (Gallis Agde) in Occitania* sub die III Idus Septembres, Messala V. C. consule, id est anno Christi DVI, Alarici Gothorum in Gallia regis XXII, Symmachi Papæ VIII, cui interfuerunt episcopi triginta quinque. *Sic titulus apud Labbeum tom.* 4, *col.* 1381, *licet subscripti legantur tantum triginta quatuor partim episcopi, partim presbyteri, episcoporum loco missi. Canones apud Labbeum habentur* 71; *at ibidem col.* 1397 *observat Sirmondus, tantum* 47 *inventos esse in variis codicibus Mss, reliquosque ex aliis conciliis videri adjectos. Hi autem omnes conditi sunt ad disciplinam ecclesiasticam in Gallia restituendam. Primo loco subscripsit* Cæsarius *hunc in modum:* Ego Cæsarius in Christi nomine episcopus Arelatensis, juxta id, quod universis sanctis coëpiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, statuta Patrum secutus, his definitionibus subscripsi *etc.*

15 *Invitatus fuerat ad concilium Agathense Ruricius*

moneique Ruricium Lemovicensem de absentia, qui se excusat,

A *Ruricius episcopus Lemovicensis ; sed ille nec venerat ipse, nec alium pro se miserat, scripserat tamen ad* Cæsarium *litteras excusatorias, quæ perlatæ non erant. Quapropter* Cæsarius *litteras ad illum misit per Capillutum presbyterum, quibus partim objurgat, partim excusat Ruricium his verbis :* Sed licet sanctos et desiderabiles vestros apices miseritis, tamen, sicut ipsi optime nostis, dignissimum fuerat, ut personam dirigeretis, quæ ad vicem vestram subscriberet ; et quod sancti fratres vestri statuerunt, in persona vestra firmaretur. Sed quia novi, quam sancto, ac frequenti, et pio desiderio interesse volueritis, omnibus fratribus vestris votum vestrum, et sanctam voluntatem exposui. Pro qua re nihil pietati vestræ vel potuimus vel debuimus imputare. *Epistola tota legitur apud Labbeum tom. 4, col. 1399 : ubi subjecta quoque est responsoria Ruricii, in qua hæc leguntur :* Quod vero scribitis, cur ad synodum... non venerim, fecit hoc infirmitas, non voluntas. *Addit deinde epistolam* Cæsarii *sibi serius allatam fuisse : nec aliam absentiæ* B *suæ causam allegat. Hinc commentitia sunt, quæ de causa hujus absentiæ scripsit Jacobus Basnage in notis ad has litteras, in Thesauro monumentorum Canisii recuso tom.* I, *pag.* 397 ; *acsi venire noluisset Ruricius, quia primatum et auctoritatem convocandi synodos indebite usurpabat* Cæsarius.

pleniorem ex Gallis et Hispanis meditatur synodum : tempus primi exsilii :

16 *Porro ex laudata* Cæsarii *ad Ruricium epistola discimus, Virum, disciplinæ ecclesiasticæ studiosissimum, conatum esse anno sequenti pleniorem ex Gallis et Hispanis congregare synodum. Audi epistolæ verba :* Simulque indico pietati vestræ, et quia filius vester Eudomius, si potuerit hoc elaborare, desiderat, ut superveniente anno Tolosæ synodum, Christo propitio, habeamus, ubi etiam, si potuerit, Hispanos vult episcopos convenire. Et ideo oro te, ut tam sancto desiderio suo Dominus tribuere dignetur affectum. *Suspicor illud concilium cogi non potuisse propter bellum* C *inter Alaricum et Clodoveum Francorum regem, qui anno sequenti Alaricum in prælio propria manu occidit, ut passim tradunt historici Galli. Porro ex tempore mortis Alarici erui utcumque potest annus primi exsilii, per eumdem Alaricum, teste Vita num.* 17, *Sancto inflicti, quod accidisse videtur circa annum* 505. *Atqui quidem illud post concilium Agathense collocarunt ; at mihi vix est dubium, quin concilio sit præponendum, cum inter dictum concilium et mortem Alarici vix tempus sufficiens reperiatur, quo Sanctus primum accusari, deinde Burdegalam deportari, incendium ibidem compescere, ac honorifice ab Alarico revocari potuerit, nisi hæc omnia brevi admodum intervallo invicem successisse singamus, quod parum est verisimile. Malim itaque existimare anno* 505 *exsilio relegatum, revocatumque sub sequentis initium, eaque occasione impetrasse ab Alarico licentiam convocandi synodum.*

monasterium circa 507 ædificari cœptum : carcer Sancti circa 509 :

17 *Circa annum* 507 *ædificare cœpit monasterium sacris virginibus : verum inchoata ædificia dejecta fuerunt in urbis obsidione. Obsidione autem cœptam per Francos et Burgundiones anno* 508, *Pagius ad eumdem annum, num.* 7, *Gallique historici scribunt. Addit Pagius non nisi anno* 510, *cæsis Francis per exercitum, a Theodorico Gothorum in Italia rege submissum, Arelatem periculo exemptam fuisse, mansisseque deinde sub potestate Theodorici. De tempore salutæ obsidionis consentit Cointius ad annum* 510 *num.* 2, *allegans epistolam Theodorici, qua Arelatenses pro tempore immunes a vectigalibus reddebat, quod egregie se defendissent, et multa in diuturna urbis suæ oppugnatione essent passi. Hinc colligimus* S. Cæsarium *circa annum* 509 *in carcerem detrusum ob calumniam, num.* 21 *in Vita relatam, qua a Judæis potissimum tempore obsidionis impetebatur. Altera hæc est proditionis accusatio, quam et tertia deinde secuta est, ut videbimus : verum ex omnibus gloriosior semper evasit Sanctus. Anno* 510 *post solutam obsidionem immensa* Cæsarii *charitas eluxit in redemptione captivorum, teste Vita num.* 23.

tempus perfecti et dedicati monasterii,

18 *Eodem tempore monasterium ante cœptum rursus ædificare aggressus est, quod ad culmen perduxit post biennium. Nam citius absolutum fuisse non est verisimile : Vita quoque innuit num.* 25 *illo anno fuisse perfectum, priusquam in Italiam abduceretur Sanctus, quod contigit anno sequenti. Deinde Vita lib.* 2, *num.* 34 *habet :* Erat constitutio monasterii ipsius eo tempore, *quo obiit Sanctus,* annis plenariis triginta. *Cum ergo mortuus sit Sanctus anno* 542, *monasterium perfectum fuit anno* 512. *Præmittitur ibidem in Vita,* E *obiisse* XXVII *Augusti post diem dedicationis monasterii sui :* Quare, *ait Pagius ad annum* 453 *num.* 17, ea dedicatio peracta VII Kal. Septemb. anni Christi quingentesimi duodecimi, quo dies XXVI mensis Augusti in Dominicam incidebat.

cui Regulam scribit, magna sapientia compositam :

19 *Porro cœnobii istius virgines legibus scriptis informavit, eisque S. Cæsariam sororem suam præfecit, ut habet Vita num.* 25. *De scripta hisce virginibus per* Cæsarium *Regula variis locis meminit Fortunatus. S. Gregorius Turonensis, et apud hunc S Radegundis, quæ Regulam* Cæsarii *secuta est. Illorum verba jam produxit Bollandus tom.* I *Januarii pag.* 729 *et* 730, *ubi quoque de primis hujus monasterii abbatissis disseruit. Ipsam deinde Regulam subjecit in duodecim paragraphos divisam, ita ut necesse non sit eam hic rursus exhibere. In præfatione sic virgines alloquitur :* Sanctis et plurimum in Christo venerandis sororibus, in monasterio, quod Deo spirante et juvante condidimus, constitutis Cæsarius episcopus. Quia nobis Dominus pro sua misericordia inspirare et adjuvare dignatus est, ut vobis monasterium conderemus ; quomodo in ipso monasterio vivere debeatis, secundum instituta antiquorum F Patrum, monita vobis spiritualia ac sancta condidimus : quæ ut, Deo adjuvante, custodire possitis, jugiter in monasterii cellula residentes, visitationem Filii Dei assiduis orationibus implorate, ut postea cum fiducia possitis dicere : Invenimus quem quæsivit anima nostra. *Tum illarum postulat orationes, ac leges suas subnectit. Mira in his legibus elucet* S. Cæsarii *prudentia et sapientia. Illam late explicavit Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 536 *num.* 47 *et sequentibus.*

facta pro monasterio approbat Pontifex.

20 *Nec satis fuit Sancto hasce virginibus præscripsisse constitutiones, sed curavit præterea, ut per summum Pontificem ratum haberetur, quidquid pro virginum commodo egerat, ipsumque monasterium ab episcopi jurisdictione esset exemptum, excepta tantum visitatione. Habemus illa in litteris S. Hormisdæ Pontificis, Regulæ apud nos subjectis, qui, post laudatum insigni elogio* S. Cæsarii *divina promovendi studium, pag* 737 *sic prosequitur :* Hæc ideo, quia in Arelatensi ecclesia, super clericorum et monachorum excubias consuetas, puellarum quoque Dei noviter choros instituisse te, directis litteris indicasti, poscens

AUCTORE J. S.

poscens ut in præfato puellarum monasterio, a te nuper condito, nullam potestatem successores quandoque tui habere penitus permittantur, quatenus sacratæ Deo virgines ab omni inquietudine vel molestia absolutæ, omnipotenti Deo liberis mentibus valeant jugiter famulari.

illudque eximit a potestate episcopi, petente Cæsario :

21 Digna providentia sacerdotalibus institutis ad pudicitiam decantandam Deo corda compungere, et sacro cultui de illis seminibus mysticis fructum virginitatis offerre. Hoc esse summum votum suum in illis voluminibus sacris declaravit Apostolus, dicens: Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Quamobrem petitionibus fraternitatis tuæ libentissime annuentes, Apostolica auctoritate firmamus atque decernimus, ut nullus episcoporum, sucessorum quoque tuorum, in antedicto monasterio audeat sibi potestatem aliquam penitus vindicare, nisi tantum pro Dei intuitu, pastoralem sollicitudinem gerens, familiam Christi Domini ibidem positam congruis quibusque temporibus (juxta quod condecet) sincero animo cum suis clericis studeat visitare. Tum deinde æquum est, ut parili devo- B tione uterque sexus, locis sibi congruis consistens, Dei gloriam concinat, sicut stabili atque plenissima fide uterque spem redemptionis exspectat. *Deinde donationes venditionesque monasterio factas confirmat. De hac Romani Pontificis confirmatione in testamento suo, infra recitando, meminit ipse* Cæsarius. *Abbatissas hujus monasterii, quod primum* S. Joannis, *nunc* S. Cæsarii *nomen gerit, ac Regulam S. Benedicti hodiedum sequitur, recenset Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana tom.* I, *col* 619 *et seqq.*

altera Regula monachis composita.

22 *Non mulieribus modo, sed viris quoque Regulam monasticam composuit* S. Cæsarius, *licet de Regula viris data Vitæ scriptores non meminerint. Audi Cointium in Annalibus Francorum ad annum* 536 *num.* 153: Præter Regulam,... quam Cæsarius episcopus Arelatensis monialibus observandam tradidit, extat et Regula monachorum, cujus auctor idem Cæsarius, ut ex ipso titulo patebit infra. Hæc Regula vigebat apud plerosque monachos in ea Galliæ Narbonensis parte, quam Ostrogothi Francis hoc anno cessernnt. Edita est sæpius in Bibliotheca Patrum, necnon a Prospero Stellartio inter Regulas Ordi- C num monasticorum ac militarium, et a Luca Holstenio in Codice Regularum, quas sancti Patres monachis et virginibus sanctimonialibus servandas præscripserunt. Operi duo præfiguntur tituli. Unus sic: « Incipit Regula, a sancto Tetra- « dio presbytero, nepote beatæ memoriæ S. Cæ- « sarii episcopi Arelatensis, abbati, mea parva « persona rogante, transmissa, quam a suo su- « pra memorato domino Cæsario dixit ipse di- « ctatam, quam, dum esset sacerdos, ipse per « diversa monasteria transmisit ». Alter sic: « In- « cipit in Christi nomine Regula, qualis debeat « sese in monasterio, ubi abbas est, quicumque « fuerit ». Ita editio Holsteniana, omnium ut postrema sic optima. *Regulam ipsam post pauca subjicit Cointius, confertque cum Regula monialium, ac notis illustrat; ita ut necessarium non sit, illam hic rursum recudere aut explicare. In epilogo* S. Cæsarius *verbis efficacissimis hortatur ad virtutes monacho dignas, totumque concludit his verbis:* Vestes enim seculares deponere, et religiosas adsumere, unius horæ momento possumus. Mores vero bonos jugiter retinere, vel contra male dulces voluptates seculi hujus, quamdiu vivimus, Christo adjutore, laborare debemus, quia non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. *Hæc de Regulis per Sanctum scriptis sufficiant.* D

§ III. Chronologia vitæ producta usque ad annum DXIV, ubi varia supplentur in Actis prætermissa.

Sanctus anno 513 Ravennam abductus,

Gemina calumnia jam relata, qua Sancti gloria fuerat aucta, non obstabat, quo minus æmuli Ariani tertiam struerent apud Theodoricum Arianum Italiæ regem, teste Vita num. 26, *in qua leges* Cæsarium *citatum fuisse a Theodorico, Ravennamque abductum; at eo demum exitu, ut nulla in re Viri sanctitas magis enituerit, aut gloria clarius fulserit. Sigonius de Occidentali imperio lib.* 16 *id factum refert ad consulatum Boetii seu annum* 510. *At Pagius ad annum* 508 *num.* 10 *existimat, post annum* 512, *dedicatumque monasterium, exsilium istud Sancti secundum evenisse. Muratorius in notis ad Sigonium recusum, anno* 512 *exsilium istud alligat, et Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 356 *eidem anno innectit. Hisce Vita utcumque favet, quia prius monasterium structum narrat, deinde mox secundum hoc exsilium refert. At rerum gestarum ordo subjiciendus persuadet, non ante annum* 513 *rem contigisse. Existimo igitur Sanctum in Italiam abductum satis diu post dedicationem monasterii, videlicet anno* 513, *cum mense Novembri ejusdem anni egerit Romæ cum summo Pontifice, ut infra videbimus.* E

inde adit Symmachum Pontificem: quocum agit de lite sua cum episcopo Viennensi,

24 *Postquam aliquo tempore Ravennæ fuerat, mortuoque ibidem suscitato dæmoneque expulso inclaruerat, Romam profectus est ad Symmachum Pontificem, a quo honorifice fuit exceptus, ut legitur in Vita num.* 30. *Præcipua ratio, cur Sanctus Romam proficisceretur, erat, ut jura ecclesiæ suæ explicanda curaret et confirmanda. Quippe diuturna vigebat controversia inter Arelatensem antistitem et Viennensem de jure metropolitico, seu primatus in Gallia; prævalueratque nunc Arelatensis nunc Viennensis, ut videre licet apud Thomassinum de Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part.* I, *lib.* I, *cap.* 30. *In concilio Taurinensi, quod anno* 401 *habitum vult Pagius ad eumdem annum num.* 20, *de controversia ita decretum erat can.* 2: Illud deinde inter episcopos urbium Arelatensis et Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat: et ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Certe ad pacis vinculum conservandum, hoc consilio utiliore decretum est, ut, si placeat memoratarum urbium episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinius magis esse constiterit: ita ut memores unanimitatis atque concordiæ, non alter alterum, longius sibi usurpando, quod est alii propius, inquietet. *Sic apud Labbeum tom.* 2, *col.* 1156. F

et impetrat, ut Symmachus confirmet

25 *Cum post hanc ordinationem, qua jura videbantur æquata, rursum nunc Arelatensis nunc Viennensis potiorem obtinuisset auctoritatem S. Leo epist.* 109 *apud Labbeum tom* 3. *col.* 1444 *singulis assignavit ecclesias, in quas jus haberent: Viennensi*

A *Viennensi videlicet Valentinam, Tarantasiensem, Genevensem, et Gratianopolitanam ; reliquas vero omnes subjecit Arelatensi. Attamen* excitata rursus est ea contentio sub Anastasio Papa, et rursus causa melior Viennensis fuit, *inquit laudatus Thomassinus num.* 7. *Verum agente* S. Cæsario *apud Symmachum, hic divisionem Leonis ratam habuit hac epistola, ad episcopos Galliæ data apud Labbeum col.* 1309 : Sedis apostolicæ instituta prædicanda solicitant, ut de concordia universalis Ecclesiæ, quæ toto orbe diffusa est, pervigili cura tractemus. Quæ tunc præcipue efficacius adolescit, si ea, quæ a patribus statuta sunt, ætas subsequens reverenter observet. Cæsarius siquidem frater et coëpiscopus noster, metropolitanæ Arelate civitatis sacerdos, ecclesiæ beati apostoli Petri liminibus præsentatus, ea, quæ pridem de privilegiis ecclesiarum constituta sunt, nostris postulavit innovari sermonibus.

divisionem a S. Leone factam inter Arelatensem et Viennensem ecclesiam :

26 Cuncta igitur inter ecclesias Arelatensem et Viennensem a decessore nostro beatæ recordationis Leone Papa, quæ super hac parte ordinata sunt, Ecclesiæ Romanæ fidelis declarat instructio. Atque ideo, ne ea, quæ semper veB ritatis est æmula, sibi aliquid vendicare queat oblivio, et prioris decreti vigor temporis diuturnitate vergat in senium, necessarium duximus olim promulgata in lucem reddere nostris affatibus. Idcirco quemadmodum decessor noster Leo Papa dudum cognitis allegationibus partium definivit, parochiarum numerum, vel quantitatem Arelatensi et Viennensi sacerdotibus deputandam, et nos præcipimus nullius usurpatione transcendi : sed, ut ante prædiximus, juxta indulgentiam supradicti Pontificis, Valentiam, Tarantasiam, Genevam, atque Gratianopolim opida Viennensis antistes juri suo vindicet; nec quidquam amplius ab his, quæ semel ab apostolica sibi Sede concessa sunt, æstimet præsumendum. Alias vero parochias, vel diœceses cunctas privilegio et honore suo Arelatensis episcopus sub temporum continuatione defendat. Nec enim observatio et vetustatis reverentia custoditur, si amplius de humilitate gloria sacerdotalis attollitur. *Concludit deinde epistolam, post adhortationem ad servanda prædicta, hujusmodi verbis :* Data Idibus Novembris, Probo viro clarissimo consule ;
C *quæ annum* 513 *designant, quo Probus erat consul Occidentalis, non autem* 502, *quo quidem Probus aliquis erat consul, sed Orientalis : nam cum unus tantum consul nominabatur in litteris, scriptis in Occidentis imperio, Occidentalis designabatur, ut recte observat Pagius ad annum* 502 *num.* 10.

pallio aliisque ecclesiæ suæ privilegiis honoratur a Pontifice :

27 *Aliis quoque privilegiis Symmachus decoravit ecclesiam Arelatensem in gratiam* S. Cæsarii, *teste Vita num.* 30, *ubi pallium ei concessum dicitur, diaconisque Arelatensis ecclesiæ indultum, ut dalmaticis uti liceret, sicut fiebat in Romana ecclesia. Thomassinus part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 51, *num.* 1 *observat, primum videri* Cæsarium *in Occidente, cui honor pallii sit concessus. Probat deinde vices Sedes apostolicæ simul demandatas in Gallia, atque utrumque hunc favorem, qui* Cæsario *ob eximia merita collatus dicitur in Vita, ad posteros ejus diu propagatum. Ad privilegium diaconorum Arelatensium utendi dalmaticis observat in notis Mabillonius ex S. Gregorio, usum dalmaticarum ne episcopis quidem eo tempore communem fuisse, cum Aregio Vapincensi episcopo et Vatalonio ejus archidiacono dalmaticæ usum concedat Gregorius epistola* 107 *lib.* 9 *editionis novæ. Plura de dalmaticis, quarum usus deinde factus est diaconis communis, disserit Baronius ad Martyrologium Romanum die* XXXI *Maii, et non pauca observantur in notis ad laudatam Gregorii epistolam, ubi lapsus quidam Baronii a Ferrario dicuntur correcti lib.* 9 *de Re vestiaria cap.* 9.

huic offert Sanctus libellum ad abusus varios abolendos, quorum prohibitionem obtinet :

28 *Studuit eodem tempore* S. Cæsarius, *ut varii abusus auctoritate Romani Pontificis abolerentur, ideoque libellum obtulit Symmacho, quo abusus illos explicat, eorumdemque prohibitionem flagitat. Libellum ipsum, ex quo pateat Viri sancti zelus, subjungo ex Labbeo tom.* 4 *Conciliorum col.* 1294 : Sicut a persona beati Petri apostoli episcopatus sumit initium, ita necesse est; ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat. In Gallia siquidem provincia ab aliquibus personis ecclesiastica prædia diversis titulis alienantur. Ita sit, ut pro suo quis arbitrio devota mente relinquentium et egentium, necessitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc postulamus ut fieri prohibeat apostolicæ Sedis auctoritas, nisi forsitan aliquid pietatis intuitu mo- E nasteriis fuerit largiendum. Illud etiam pari supplicatione deposcimus, ut de laica conversatione, qui in singulis judicum officiis meruerint; aut certe rexerint sub aliqua potestate provincias, nisi multo ante tempore præmissa conversatione legitima, et vita examinata, nullus clericus aut episcopus ordinetur.

29 Viduas etiam jam diu religioso habitu assumpto, et sanctimoniales longo jam tempore in monasteriis consistentes, poscimus ut unicuique conjugii causa, nec volentes sibi jungere, nec invitas rapiendi libera sit facultas. Illud etiam humili prece suggerimus, ut nulli per ambitum ad episcopatum conceditur accedere, nec data pecunia sibi potentes homines suffragatores adhibeant. Et ut hæc facilius possint custodiri, clerici vel cives decretum facere, vel subscribere, sine metropolitani notitia vel consensu penitus non præsumant. Hæc omnia ultione districtionis vestræ fieri prohibete ; quatenus et in ecclesia vestra, et in supradicta provincia, disciplina bonis actibus amica servetur. *Libellum hunc præsens obtulit.* Cæsarius, *uti ex ipsa ejus forma satis colligitur. Porro probavit Symmachus Viri* F *sancti zelum, et omnia, quæ ut vetentur, hoc libello postulat, prohibuit per litteras,* datas VIII Idus Novembris, Probo viro clarissimo consule, *id est, anno* 513. *Videri poterunt hæ litteræ apud Labbeum, ubi post libellum* Cæsarii *sunt impressæ.*

Redux Arelatem, alium per suos offert libellum, ut Aquensis episcopus parere compellatur :

30 Cæsarius *Arelatem reversus, non statim episcopos omnes habuit obsequentes, qui secundum divisionem S Leonis, a Symmacho confirmatam, ei subesse debebant, ut primati. Certe Aquensis antistes minus se exhibebat morigerum. Hinc* S. Cæsarius *anno sequenti Romam misit Ægidium abbatem et Messianum notarium, ut alium Symmacho offerrent libellum supplicem, quem juvabit subjungere ex Labbeo col.* 1310, *ubi sic habet :* Quantum in omnibus ecclesiarum pontificibus, quæ in toto orbe diffusæ sunt, apostolica Sedes sibimet vindicat principatum, et synodalibus decretis firmior ejus præcellit auctoritas ; tantum potestatis suæ provisione dudum a sese concessa debet inconcussa servare, quatenus Arelatensis ecclesia fruatur privilegiis suis. Quæ nunc per antistitem Cæsarium seriem suæ petitionis insinuat, et quam hactenus habuit potestatem,

AUCTORE J. S.

tem, vestra deposcit auctoritate firmari; ut quod veneranda Sedes quondam perenni sanctione custodiri præcepit, et pragmaticis specialiter decreta sunt constitutis, beatitudinis vestræ præceptis suis etiam nunc confirmet auctoritas. Aquensis etiam civitatis episcopum Sanctitatis vestræ moneri præcipite constitutis, ut dum a metropolitano antistite ecclesiæ Arelatensis ad synodale concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio divina necessarium, minime venire frustretur: quatenus ea, quæ longævis sæculis priscorum sanxit auctoritas, vobis præsulibus præsenti futuræque ætati inviolata serventur. Data ab Ægidio abbate et Messiano notario.

quem obedire Cæsario vult Symmachus,

31 *Respondit Symmachus per litteras, hisce apud Labbeum subjectas, hunc in modum:* Qui veneranda Patrum statuta custodit, amicum se absolutæ religionis ostendit; et qui providet, ut locum excessibus non relinquat, demonstrat se de bono gratiæ cogitare. Rationabile est, ut sancta Arelatensis ecclesia propiis privilegiis perfruatur; et quod vetustas præstitit, et Patrum B auctoritas roboravit, nova non debet violare præsumptio. Sic tamen, ut ceterarum ecclesiarum privilegia temporibus acquisita non titubent: quia nec potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit injuriam. Manentibus siquidem his, quæ Patrum constituta singulis ecclesiis concesserunt, decernimus, ut circa ea, quæ tam in Galliæ, quam in Hispaniæ provinciis, de causa religionis emerserint, solertia tuæ fraternitatis invigilet: et si ratio proposcerit præsentiam sacerdotum, servata consuetudine, unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat. Et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin existentis negotii qualitas ad Sedem apostolicam te referente perveniat: ut cunctis ordine suo peractis, unde inimicus bonitatis sibi blandiatur, locum invenire non possit. Igitur, quemadmodum supra diximus, per singulas ecclesias beneficia, quæ sunt diu custodita, serventur. Et si tam ecclesiæ Aquensis antistes, vel alius quilibet, metropolitano pontifici juxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit; noverit subdendum se, quod non optamus, ecclesiasticæ disciplinæ.

eique una vices suas delegat per Galliam et Hispaniam.

C 32 Et in hac parte magnopere te volumus esse solicitum, ut si quis de Gallicana vel Hispana regionibus ecclesiastici ordinis atque officii, ad nos venire compulsus fuerit cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat: ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, et ambiguitate depulsa, a nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data III Idus Junias Flavio Senatore viro clarisssimo consule; *id est, anno* 514. *Ex hisce autem intelligimus, non Aquensem modo episcopum Arelatensi tum temporis subesse compulsum; sed vices Romani Pontificis* Cæsario *demandatas fuisse non in sola Gallia, at per Hispaniam quoque. Porro primatus ille Arelatensis Ecclesiæ per Galliam propagatus est ad plures* Cæsarii *successores, quibus vices suas diu demandarunt Pontifices, palliumque transmiserunt. Verum illa latius prosequi non est hujus loci. Quapropter ad alia Sancti gesta progredior.*

D

§ IV. Prosecutio ejusdem chronologiæ usque ad annum 530, in qua exponuntur concilia varia, et gesta Sancti contra Semi-Pelagianos.

Concilium Arelatense IV, in quo dedicata ecclesia B. Mariæ.

A*nno* 515 *S. Hormisda Pontifex litteras dedit ad* S. Cæsarium *de regressis ad communionem Sedis apostolicæ Dardaniæ et Illyrici episcopis, quos hæresis Eutychiana diviserat. In his zelum Viri sancti pro Ecclesiæ bono Pontifex declarat his verbis:* Pro his nobiscum sæpissime Fraternitas vestra condoluit, Apostolicæ non immemor lectionis, qua monstratur: Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. *Epistolam totam exhibet Labbeus tom.* 4, *col.* 1474 *et seq. Anno* 524, *Opilione consule Occidentali*, S. Cæsarius *occasione dedicationis ecclesiæ S. Mariæ episcopos convocavit ad concilium* IV *Arelatense, quod aliqui* III *nominarunt. Non defuerunt, qui existimarent,* Cæsarii *monasterii ecclesiam tunc fuisse dedicatam, sed manifeste errarunt, cum illa dedicata sit* XXVI *Augusti, concilium vero mense Junio habitum: Rectius ergo Saxius in Pontifico Arelatensi in* Cæsario *sic habet:* In hoc provinciali concilio dedicata est basilica beatæ Mariæ, quam vulgus Virginem de Majori appellat: hodie est collegium canonicorum. *Conditi leguntur in illo concilio canones quinque, qui maxime spectant ad ordinationes clericorum. Præsedit illi* Cæsarius, *et primus subscripsit: post ipsum vero sedecim partim episcopi, partim presbyteri episcoporum legati. Adi Labbeum tom.* 4, *col.* 1622 *et seqq., ubi plura de hoc concilio notata leges. Inter reliqua can.* 2 *decretum erat, ut nulli laicum ad diaconatum, presbyteratum, aut episcopatum promovere liceret,* nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conversio. *Hac de re anno* 528 *scripsit Felix IV Pontifex Romanus ad* Cæsarium, *fortiter inculcans, ut lex illa observaretur, et manus nemini cito imponerentur. Porro epistola illa, ut primum edita est, notabatur* post consulatum Boëtii, *ideoque tribuebatur Felici III, annoque* 488, *quo* Cæsarius *necdum erat episcopus; sed errorem delexit Sirmondus ex codice Arelatensi, in quo* F *recte legebatur* post consulatum Mavortii, *quod congruit anno* 528. *Epistolam cum nota Sirmondi vide apud Labbeum col.* 1657 *et seq.*

E

Concilium Carpentoracense, in quo pœna decernitur episcopo, qui peccarat in canones Arelatenses:

34 *Has Felicis litteras præcessit concilium Carpentoractense sedecim episcoporum anno* 527 *habitum, præsidente rursum* Cæsario. *In hoc non nisi unus canon decretus habetur. At ostendit cum aliis episcopis* Cæsarius, *quam non negligeret statuta Arelatensis concilii. Ordinatum ibidem erat. can.* 3, *ut ei, qui contra decreta in concilio clericum ordinaret,* anno integro Missas facere non liceret. *Agrœcius vero Antipolitanus antistes illicita ordinatione infregerat statuta Arelatensia, quibus ipse per legatum subscripserat. Quapropter* Cæsarius *cum patribus concilii Carpentoractensis memoratam pœnam infligit Agrœcio per litteras, una cum concilio editas apud Labbeum col.* 1663 *et seqq. Hinc patet, Sanctum non modo in decernendis legibus fuisse diligentem, sed in earum observatione urgenda fortem pariter et constantem. Ceterum concilia per* S. Cæsarium *hactenus congregata ad disciplinam ecclesiasticam*

A *ecclesiasticam dumtaxat spectarunt : at nunc examinandum est, quid fecerit idem Sanctus ad reliquias Pelagianæ hæresis in Gallia excidendas.*

agit contra Semi-Pelagianos.

35 *Non est dubium, quin circa hæc tempora scripserit de Gratia et libero arbitrio, erroresque Semi-Pelagianorum refutaverit. Quippe id testatur anonymus, qui interpolavit Catalogum Gennadii de illustribus Ecclesiæ scriptoribus. Verba ipsa accipe ex catalogo memorato cap.* 86, *quæ hujusmodi sunt :* Cæsarius Arelatensis urbis episcopus, vir sanctitate et virtnte celeber, scripsit egregia et grata valde, et monachis necessaria Opuscula. De Gratia quoque et libero arbitrio edidit testimonia, divinarum Scripturarum, et sanctorum Patrum judiciis munita, ubi docet nihil hominem de proprio aliquid agere boni posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam epistolam roboravit, et in latius promulgavit. Floruit hic eo tempore, quo et Faustus, Anastasio rempublicam gubernante. *Putavit*
B *olim Baronius in notis ad Martyrologium, hæc verba esse ipsius Gennadii ; at alii postea satis clare probarunt, alterius esse, qui Catalogum Gennadii interpolavit. Ad id ostendendum ætas utriusque sufficit. Audi ipsum Gennadium cap.* 91 *de Theodulo :* Moritur, *inquit,* hic scriptor ante triennium, regnante Zenone. *Hinc recte infert Pagius ad annum* 490, *scripsisse Gennadium sub initium imperii Anastasii, et non post annum* 494, *cum Zeno anno* 491 *sit defunctus. Jam vero* Cæsarius *vixit usque ad annum* 542, *ut probabimus, de eoque loquitur tamquam de defuncto. Non potuit igitur hæc scribere Gennadius, dum edebat Catalogum suum ; ac ne postea quidem addere, cum nullo modo sit verisimile tam diu vixisse ; et si eo usque Vitam protraxisset, in errores illos incidere non potuerit, quos commisit hujus elogii scriptor. Etenim erravit primo elogii auctor, dum dixit per Felicem Pontificem* Cæsarii *Opus confirmatum, quod factum videbimus per Bonifacium II. Erravit iterum, dum* Cæsarium *Fausto prorsus contemporaneum fingit. Nam, etiamsi annus emortualis Fausti incertus sit, verisimile tamen non est usque ad seculum* VI *vixisse, adeo ut obiisse videatur jure ne, aut forsan adolescente* Cæsario. *Videri*
C *potest Gallia Christiana tom.* I, *col.* 392 *et* 393.

quod ita intellexerunt neoterici, acsi librum pro S. Augustino scripsisset contra Faustum :

36 *Porro scriptores neoterici passim duo hic asserunt, videlicet* Cæsarium *scripsisse librum de Gratia et libero arbitrio, atque hunc* Cæsarii *librum contra Faustum Regensem nominatim fuisse compositum. Dubito sane quam maxime, an ullus umquam producturus sit antiquum et idoneum horum assertorum testem : adeo ut vehementer mirer, hæc tanto consensu scripta fuisse a viris eruditis, tamquam indubia et certa. Fortasse in illam opinionem deducti sunt ex recitato jam elogio. Attamen neutrum inde consequitur, nisi per conjecturam omnino levem et ambiguam, desumptam ex titulo, qui præfixus erat libro cuidam Fausti. Audi Norisium lib.* 2 *Historiæ Pelagianæ cap.* 22 *:* Cæsarius... librum edidit de Gratia et libero arbitrio eodem prorsus titulo, quem suo Operi Faustus inscripserat, ut præsentissimo antidoto Rejensis venena expelleret, in quo volumine S. Augustini doctrinam adversus Fausti insultus solidissime propugnavit. Hinc celeberrimus ille Ennodius Ticinensis in epistola ad Cæsarinm ait : « Tibi debet quicumque ille « scriptorum maximus, quod cum dote elocu« tionis amplificas ». Addit nobile scholion Baronius ad annum DVIII : « Sanctum Augustinum « videlicet, quem adversus Faustum eum impu« gnantem defendit ». *Ita Norisius magnifice magis quam solide.*

sed istud probari non potest antiquorum testimonio :

37 *Nam ut dubitare non possumus, quin* Cæsarius *in scriptis de Gratia et libero arbitrio refutaverit errores Semi-Pelagianorum, inter quos Faustus numeratur, ita neque ex elogio apud Gennadium tituli que similitudine, neque ex Vita* Cæsarii, *in qua de his agitur num.* 40, *neque aliunde probari potest, scriptis illis* Cæsarii *Faustum nominatim fuisse refutatum : cum nullus Fausti meminerit. Deinde, quod cum Baronio huc trahit Norisius ex epistola S. Ennodii, intelligi non potest de his* Cæsarii *scriptis, nisi omnem evertamus ordinem chronologicum : epistola enim Ennodii scripta est circa annum* 513, *cum Ennodius in eadem gratuletur* Cæsario *de iis, quæ illi eum Theodorico Gothorum rege anno* 513 *contigerant. At laudata* Cæsarii *scripta multis annis sunt posteriora, ut patebit. Ennodius igitur de homiliis* Cæsarii *loquitur, non de scriptis de Gratia et libero arbitrio. Nihilo melius est, quod addit Norisius de S. Augustino defenso per* Cæsarium : *nam, licet amator fuerit Augustini ejusque doctrinæ, nullus antiquorum asseruit,* E
calamum sumpsisse in ejus defensionem. An certius sit, quod subdit his verbis de libro deperdito : Verum et hic liber magno cum Augustinianæ scholæ detrimento ad posterorum manus non pervenit : *an id, inquam, certius sit ceteris, infra discutiam, cum examinabo, an hæc* Cæsarii *scripta diversa sint a capitulis Arausicanis.*

habet concilium Arausicanum II,

38 *Vir Sanctus, quo de superiori loco validius Semi-Pelagianos percuteret, ad Romanam Ecclesiam recurrit, acceptisque inde fidei articulis de gratia et libero arbitrio, concilium congregavit Arausione,* in quo Semi-Pelagiani errores condemnati sunt, fidesque Catholica triumphavit. Concilium illud, quod est Arausicanum* II, *habitum est* V Nonas Julias, Decio Juniore V. C. consule, id est, anno Christi DXXIX, Felicis IV Papæ III, Athalarici Italiæ regis III, *ut est in titulo apud Labbeum tom.* 4, *col.* 1666. *Præfuit* Cæsarius *et primus subscripsit, post eum duodecim alii episcopi, ac demum viri illustres octo, inter quos primus præfectus prætorio Galliarum ac patricius Liberius. Itaque celeberrimum fuit non numero personarum, sed contrita penitus hæ-* F
resi Pelagiana et Semi-Pelagiana, secutaque deinde summi Pontificis confirmatione.

* Orange

ibique cum suis variis edit capitula de gratia et libero arbitrio,

39 *Occasionem hujusce concilii exponunt ipsi Patres in præfatione, simulque docent ab apostolica Sede transmissa fuisse doctrinæ capita, quæ ibidem ad credendum fidelibus sunt proposita. Audi igitur præfationem ipsam :* Cum ad dedicationem basilicæ, quam illustrissimus præfectus et patricius filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, et ipso invitante, convenissemus, et de rebus, quæ ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio ; pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia et libero arbitrio per simplicitatem minus caute, et non secundum fidei Catholicæ regulam, sentire velint. Unde id nobis, secundum admonitionem et auctoritatem Sedis apostolicæ, justum ac rationabile visum, ut pauca capitula, ab apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendos eos, qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere

AUCTORE J. S.

bere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat de gratia et libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat. *Hisce subjiciuntur capitula viginti quinque, hæresi Semi-Pelagianæ contraria, quæ una cum subscriptionibus ibidem videri possunt; uti et varia ad illa variorum annotata.*

quæ illa ipsa sunt, quæ Sanctus scripsisse dicitur

40 *Laudati supra Benedictini in Historia litteraria Franciæ tom. 3, pag. 225 existimant, de his capitulis Arausicanis agere intepolatorem Gennadii his verbis jam citatis:* De gratia quoque et libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum et sanctorum Patrum judiciis munita, ubi docet nihil hominem de proprio aliquid agere boni posse, nisi cum divina gratia prævenerit. *Ex quo consequitur, nullum a* Cæsario *librum conscriptum de gratia et libero arbitrio, præter hæc Arausicani concilii capitula, quæ Semi-Pelagianis erroribus, adeoque et Fausti, sunt opposita, et S. Augustini doctrinæ conformia, aut potius ex Augustini libris fere desumpta. Fateor, hæc sententia plerisque scriptoribus neotericis est* B *contraria, qui Baronium Norisiumque secuti asserunt, librum præterea pro Augustini doctrina contra Faustum a* Cæsario *fuisse compositum; attamen dubitare vix possim, quin vera sit, laudataque concilii Arausicani capitula sint illa ipsa scripta* Cæsarii, *de quibus agitur in Catalogo Genadii. Ad verba modo attendat studiosus lector, et id facile mecum deprehendet.*

de gratia et libero arbitrio contra Semi-Pelagianos.

41 *Auctor ille ait:* De gratia et libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum et Sanctorum Patrum judiciis munita *etc. Quid, obsecro, sunt capitula Arausicana, nisi testimonia de gratia et libero arbitrio auctoritate Scripturæ sacræ et Patrum antiquorum roborata? Audi verba postremo capitulo subjecta apud Labbeum col.* 1671: Ac sic secundum suprascriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante et prædicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit. *Itaque sive spectemus rem,* C *de qua actum est in capitulis, sive formam ipsam capitulorum, sive doctrinam iis definitam, omnia persuadent hæc ipsa esse scripta* Cæsarii, *de quibus loquitur interpolator Gennadii. Frustra ergo quæremus aliud* Cæsarii *de gratia et libero arbitrio volumen, cum illud numquam videatur in rerum fuisse natura.*

Concilium Vasense: obmurmurantibus contra Cæsarium Semi-Pelagianis,

42 *Eodem anno* S. Cæsarius *Vasense concilium celebravit, sicut anno præcedente statutum fuerat in concilio Carpentoractensi. Quinque in illo conditi sunt canones; quibus variæ disciplinæ ecclesiasticæ capita decernuntur. Inveniet illa studiosus lector apud Labbeum col.* 1679 *et seqq. Hisce pro temporis ordine breviter dictis de hoc concilio, quod postremum fuit, cui interfuisse legitur Vir sanctus, ad gesta adversum Semi Pelagianos revertamur. Cum damnati essent in concilio Arausicano errores, quibus multi hactenus firmiter adhæserant, non leviter obmurmurarunt contra* S. Cæsarium, *cujus industria et auctoritate concilium illud celebratum, statutaque in eo condita, non ignorabant. Horum testis est Vita num.* 46, *in qua leguntur sequentia:* Multi quidem æmuli surrexerunt, qui ejus resisterent doctrinæ de gratia... Etenim susurris et mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei Hominis frustra sinistra suspicio. D

Valentina synodus congregatur, cui cum aliis intersunt Viennensis provinciæ antistites:

43 Ob hoc antistites Christi ultra Iseram consistentes, caritatis amore collecti, in Valentina civitate conveniunt: ubi etiam beatus Cæsarius infirmitatis solitæ causa, sicut disposuerat, properare non potuit. *Cointius ad annum 536 num. 9 existimavit Vitæ scriptorem hic memoria lapsum, et pro Valentina synodo substituendam esse Arausicanam. At miror viro erudito eam incidere potuisse cogitationem: nam clarum est, aliam ab Arausicana designari synodum. Primo enim Arausicano concilio interfuit* Cæsarius; *huic adesse non potuit morbo impeditus. Deinde episcopi ultra Iseram consistentes episcopi sunt provinciæ Viennensis, qui non interfuere Arausicano, adfuere vero huic Valentino. Itaque, quod objicit Cointius de conciliis Valentinis, quæ diu ante aut post celebrata notat, hisce minime obesse potest, cum alia sint ab hoc concilio, cujus Acta perierunt. Habitum autem videtur illud concilium Valentinum sub finem anni 529, vel initium sequentis: namque medium fuisse inter Arausicanum, cui obstrepebant aliqui,* E *et ejusdem Arausicani confirmationem, innuit Vita his verbis:* Nam et beatæ memoriæ Bonifacius,... calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit. *Apparet quidem ex laudata Vita, episcopos illos provinciæ Viennensis initio non omnes favisse* Cæsario, *statutisque Arausicanis, hancque opinor causam fuisse istius conventus. Prævaluit tamen pars melior; agente præ ceteris pro bona causa Cypriano Telonensi episcopo, ipsiusque* Cæsarii *discipulo.*

recurrit ad Pontificem Cæsarius pro confirmatione concilii Arausicani,

44 *Demum ad plenam victoriam de Semi-Pelagianis obtinendam multum conduxit confirmatio summi Pontificis, per* Cæsarium *petita et impetrata mense Januario anni* 530. *Pro confirmatione hac impetranda scripserat Sanctus ad Bonifacium II, adhuc, ut putabat, Cardinalem, amicumque suum, ut is apud Felicem IV pro confirmatione concilii ageret. At, mortuo interim Felice, Bonifacius ipse ad Pontificatum evectus, concilium Arausicanum confirmavit, datis ad* Cæsarium *litteris, quæ apud Labbeum col.* 1689 *notatæ sunt* VIII Kalendas Februarias, Lampadio et Oreste viris clarissimis consulibus, *id est, anno* 530. F *Initium epistolæ subjungo ad confirmationem dictorum:* Per filium nostrum, *inquit,* Armenium presbyterum et abbatem literas tuæ Fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet, inscius adhuc sacerdotii mihi commissi, sub ea, qua in Deo tenemur, caritate direxeras: quibus credideras postulandum, ut id, quod a beatæ recordationis decessore nostro Papa Felice pro Catholicæ fidei poposceras firmitate, mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, a nobis potius impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fieri solicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum.

ac Bonifacius II definita in Arausicano confirmat.

45 *Hisce subdit, quid peteret* Cæsarius *his verbis:* Indicas enim, quod aliqui episcopi Galliarum, cum cetera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ; et hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri: postulans ut pro ambiguitate tollenda, confessionem

AUCTORE J. S.

A confessionem vestram, qua vos e diverso fidem rectam in Christo totiusque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis apostolicæ firmaremus. *Deinde interjectis paucis ad probandum. fidem nobis esse ex divina gratia, sic prosequitur :* Quod etiam Fraternitatem tuam, habita collatione *(Arausicana)* cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse Catholicam. *Adjectisque aliis contra Semi-Pelagianos argumentis, definitionem concilii Arausicani confirmat hisce verbis :* Quapropter affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus.

quo sit, ut, cedentibus episcopis qui restiterunt, plenam de Semi-Pelagianis consequatur victoriam.

46 *Innuit quoque inferius Pontifex non paucos* Cæsario *restitisse, quos tandem manus veritati daturos ominatur, ita scribens :* His ita breviter assignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam a quodam tibi mandasti sacerdote transmissam, respondendum non duximus : quia B speramus in misericordia divina, quod ita per ministerium tuæ Fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divina credant gratia proficisci, cum se senserint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. *Vera vaticinatus est Pontifex ; nam, ut habet Vita,* donante Christo paulatim ecclesiarum antistites receperunt, quod optaverat diabolus repentina animositate cessare. *Magna sane hæc est* S. Cæsarii *gloria ; ita ut de eo ausim affirmare, alios quidem Patres uberioribus scriptis contra hæreticos dimicasse, nullum majori certasse prudentia, feliciorique exitu, ac demum pleniori victoria, quam ipse certaverit contra Semi-Pelagianos.*

§ V. Chronologiæ pars ultima usque ad mortem Sancti : mortis tempus examinatum.

C

Procedit contra Contumeliosum, quem ex sententia Joannis Papæ episcopatu privat ;

Sanctus, post victoriam de Semi-Pelagianis relatam, cum morum æque ac fidei puritatem cordi haberet, aliam ingressus est dimicationem. Contumeliosus episcopus Regensis, qui plerisque conciliis per Cæsarium *habitis interfuit, sanctitatem professionis suæ variis criminibus deturparat. Contra hunc Vir sanctus cum episcopis Gallis secundum canones processit, processumque misit ad Romanum Pontificem, ut de episcopatu dejiceretur Contumeliosus, tamquam illo gradu indignus. Hinc Joannes II, qui Petri cathedræ tunc præsidebat, anno* 534 *ad* Cæsarium *hujusmodi dedit litteras :* Caritatis tuæ litteras animo libenti suscepimus, in quibus corporeas necessitates allegans, etiam quæ sacrius ille, qui lapsus est, fecerit indicasti. Dolemus de emissione pontificis, rigorem tamen canonum servare necesse est. Atque ideo prædictum ab episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas. Neque enim fas est pollutum criminibus, sacris ministeriis deservire. Sed, te ordinante, in monasterio dirigatur, ubi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo, qui omnibus miseretur, Domino nostro Jesu Christo misericordiam valeat promereri. In cujus locum visitatorum constitute, donec proprium ecclesia, quæ evacuata est ejus sacerdotio, mereri valeat sacerdotem. *Edita est hæc epistola apud Labbeum tom.* 4, *col.* 1756, *et* 1757, *ubi reliqua videri possunt. Præmittuntur duæ aliæ epistolæ ejusdem Pontificis, alteræ ad episcopos Galliæ, alteræ ad presbyteros et diaconos Contumeliosi episcopi, in quibus eadem in Contumeliosum sententia exprimitur : additque in posterioribus Pontifex, curam hujusce rei* Cæsario *commissam.*

at ille appellat ad Pontificem ;

48 *Contumeliosus a prima sententia appellavit ad Agapetum Joannis Papæ successorem. At incertum apparet, an Agapetus ante exsecutionem sententiæ jam esset Pontifex : imo, cum litteræ Joannis datæ sint mense Aprili anno* 534, *id est, plus quam anno integro ante pontificatum Agapeti, parum est verisimile, exsecutionem tam diu fuisse dilatam, ut ante illam Contumeliosus ad Agapetum recurrere potuerit. Hoc observatum oportuit, quia Contumeliosus conquestus est apud Agapetum, appellationi suæ non delatum* Cæsario, *sed, ea non obstante, sententiam exsecutioni mandatam. Audi hæc ex epistola Agapeti mox assignanda :* E Melius autem fecerat Fraternitas tua, *inquit Pontifex,* si posteaquam Sedis apostolicæ appellatione interposita desideravit examen, circa personam ejus a tempore sententiæ nihil permisisset imminui, ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quærer etur. *Ratio, cur nihil ob appellationem de exsecutione prætermiserit* Cæsarius, *ex dictis facile eruitur : videlicet quod ad Joannem appellaret, a quo jam erat damnatus, quique omnem sententiæ exsequendæ curam illi commiserat. Si hanc admittimus conjecturam, uti eam admittendam temporis ordo persuadet, nihil sane erat, quod in facto* Cæsarii *reprehenderet Agapetus, nihil, quod improbaret. At verisimile est, Agapetum ignorasse sententiam ab antecessore suo fuisse seu latam seu confirmatam, indeque factum esse, ut et appellationem admitteret, et scriberet* Cæsario, *melius facturum fuisse, si post appellationem ad exsecutionem non processisset.*

Agapetus autem appellationem admittit

49 *Verum, quidquid causæ fuerit, cur appellationem admitteret Agapetus, certum est admisisse : nam litteras dedit ad* Cæsarium xv *Kalendas Augusti, quas sic exorditur apud* F *Labbeum col.* 1798 *:* Optaveramus, Frater amantissime, ut episcopi Contumeliosi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret necessitas judicii, nec nobis causa censendi... Unde quatenus præsumptione, sicut asserit, innocentiæ ad appellationis voluit auxilium convolare, orationibus assiduis hoc innitamur * ut cum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium restituat absolutum. Delegaturi enim, Deo nostro adjuvante, sumus examen, ut secundum canonum venerabilium constituta, sub consideratione justitiæ, omnia quæ apud Fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta gestave sunt, diligentissima vestigatione flagitentur.

* *forte* enitamur

et judices se daturum scribit : sed non constat, an mutata sit sententia.

50 *Deinde, ubi probare conatus erat æquum esse, ut iterum audiatur reus, addit sequentia :* Episcopum Contumeliosum, reddita sibi modo propria substantia, suspensum interim volumus ab administratione patrimonii ecclesiastici, et celebratione Missarum : quia id. quod sibi viderat judicio fuisse sublatum, gloriosius, si ei veritas suffragatur, judicio receperit, quam usurpationibus occuparit. *Religua ibidem videri poterunt. Porro non constat omnino, an Pontifex judices re*

AUCTORE J. S.

re vera in Galliam miserit; nedum an aliquid fuerit mutatum in sententia contra Contumeliosum lata. Attamen vix dubito, quin Cæsarius *Agapetum de omnibus rectius informaverit, docueritque omnia ex sententia Joannis Papæ a se gesta. Deinde, cum Joannes Papa canones transmisisset ad* Cæsarium, *secundum quos procedere deberet in causa Contumeliosi, ex illis scriptum composuit, gravi verborum et sententiarum pondere instructum, quo probat clericum quemcumque de adulterio convictum in gradum pristinum numquam esse restituendum. Scriptum illud cum dictis canonibus exstat apud Labbeum col.* 1757 *et seqq., et eruditi passim existimant illud esse* Cæsarii, *cujus zelus et stylus in eo relucet. Nullum quoque videtur dubium, quin compositum sit contra Contumeliosum. At non æque certum est, Romamne transmissum sit ad Pontificem, an vero delegatis ab eo judicibus recitatum. Ceterum Bailletus, qui ad* XXVII *Augusti in* Cæsario *col.* 425 *de hoc facto disserit ordine perturbato: nam refert sententiam primam*
B *exsecutioni mandatam post delegatos ab Agapeto judices, ulterius inferre nititur ex hoc facto, episcopos Galliæ exsecutioni mandasse sententias, non obstante appellatione ad Pontificem. At istud non sequitur ex hac historia, prout vere a nobis relata est; et numquam probare potuisset Bailletus, perrexisse* Cæsarium *ad exsecutionem post admissam ab Agapeto appellationem, licet fidenter id narraverit.*

Litteræ Agapeti ad Cæsarium, uti et Vigilii.

51 *Alias eodem die responsorias ab Agapeto accepit* Cæsarius, *ex quibus immensa Sancti in pauperes misericordia rursum innotescit. Non pepercerat hic sacris ecclesiæ suæ ornamentis, ut indigentibus subveniret: nunc vero consuluerat Pontificem, an liceret prædia ecclesiastica distrahere eumdem in finem. At respondit Pontifex id minime licitum esse per canones. Litteræ ejus habentur apud laudatum Labbeum tom.* 4, *col.* 1798, *quarum initium subjungo:* Tanta est, Deo propitio, et ad ea libentissime concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, et circa tuæ Fraternitatis affectum, nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod annui vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus prohibemur, prædia jure Ecclesiæ, cui nos omnipo-
C tens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestræ quoque sapientiæ credimus esse gratissimum, quod in nullo contra priscæ definitionis constituta vel regulas, pro qualibet occasione, vel sub cujuscumque personæ respectu, venire præsumimus. *Exstat præterea apud Labbeum tom.* 5, *col.* 293, *et* 314 *epistola Vigilii ad* Cæsarium, *data* VI *Martii anni* 538, *id est, eo tempore, quo Vigilius legitimus necdum erat Pontifex, qua Sancto cura demandatur pœnitentiam imponendi cuidam incestuosis nuptiis contaminato. At hinc non constat, an Sanctus noster aliquid hac in re egerit, ac ne quidem, an Sedem apostolicam ea de re consuluerit. Fortasse Vigilius hac ratione* Cæsarium *suis partibus conatus est adjungere; illeque cavit, ne susceptione causæ pontificatum ejus agnosceret.*

Refert Messianus Sancti discipulus

52 *Priusquam de tempore felicis obitus disserere aggrediar, juvabit hoc loco interponere apparitionem Sancto oblatam, templumque ea de causa structum et dedicatum S. Hermeti martyri. Narrat hæc omnia Messianus presbyter, unus ex Vitæ scriptoribus, et testis rerum oculatus, in epistola ad Viventium episcopum, quam ex Ms. codice Arelatensi edidit Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 683. *Epistolam ipsam accipe:* Domino meo Viventio
D episcopo Mesianus omnium humillimus, solo nomine, non officio presbyter, in commissis proficere. Lectis, carissime, dilectionis tuæ litteris, quam dulce, quamque suave in cremo sapuerit, rescribendo tibi explicare non valeo. Quomodo, vel quemadmodum, quam vel felix iter nostrum Deo ordinante et prosperum fuit, ipse me melius nosti. Sed quid postquam a nobis secessisti parens dictis Magistri nostri, immo etiam præceptis apostolicis, contigit, nolumus te latere, quam honorificum est laudare magnalia Dei. Nam cum die septimo, postquam a te decessimus, in locum quemdam venissemus, ubi erant prata satis amœna et delectabilia, necnon fontis rivus subterfluens; ibi Missarum sollemnia sollemniter celebravimus, eo scilicet die, quo agebatur festum doctoris egregii beatissimi Augustini, cujus monitis et exemplis salubriter nos pius Magister in scholis rectitudinis instruere solet.

apparitionem Cæsario factam E.

53 Cumque inibi pernoctaremus, circa noctis horam mediæ adest Dominus, ducens secum Petrum piscatorem pium, Paulumque doctorem egregium, Hermen vero martyrem gloriosissimum, et Augustinum prædicatorem eximium: in quorum adventu ego miser et infelix peccator præ odore mirifico et luce incomparabili expergefactus sum, non meis meritis exigentibus, sed ut testis existerem veritatis. Tunc Dominus vocat magistrum nostrum ex nomine, ita dicens: Cæsari, excole vineam tibi commissam, et amputa amputanda, et enutri enutrienda, quia nummus remunerationis tibi debitus non tardat; et age pœnitentiam, quia memoriam martyris Hermetis, quam in præsenti habes, inter sacra Missarum mysteria, cujus festum a fidelibus hodie veneratur et colitur, negligenter oblivioni tradidisti. Et iis dictis, a nobis abscessit, benedictus per omnia. Mane autem facto surreximus, divino insistentes labori. Cumque nondum expleto divino officio, plura et pluriora solito nobis insinuasset; tandem post Euangelicam admonitionem, trahens longa suspiria ab alto pectore, sic exorsus est: Væ mihi misero, quia ex triennio infeliciter oblivioni tradidi memoriam martyris Hermetis, variis et inanibus fabulis occupatus! cujus memoria non derelinquetur in æternum. Sicque verbis finem imponens, F conversus ad altare studet cœpta perficere. Quod ego ferre non valens, libera voce prosecutus omnia per ordinem, sicut videram et audieram, coram cunctis edixi.

templumque S. Hermeti martyri excitatum.

54 Expleto divino officio, erexit nobiscum lapidem in loco illo, ubi Dominus ei apparuerat, et super eum crucis Dominicæ infixit vexillum. Inde ordinatis omnibus et præpositis, nobis abeuntibus, obvius occurrit presbyter Catorroscensis ecclesiæ, Ursus nomine, a quo die illo et nocte benigne recepti sumus: cujus puerum, te presente, per ecclesiæ cancellos elapsum, subitoque a dæmonio arreptum, domnus noster Magister piæ eruditionis liberavit, qui etiam adhuc superstes vobis famulatur. In crastinum Arelato pervenimus, ubi cum magna gloria ab omnibus, tam clero quam a populo, honorifice suscepti sumus, quibus et benedictionem et pacis osculum dedit, et salutationis litteras a Sede apostolica formatas recitavit. Post hæc cum apparatu necessario ad locum supra scriptum rediit, ubi ecclesiam construxit in honore beati Hermetis martyris, quam jure perpetuo Arelatensi

A tensi sedi deputavit : in eujus consecratione octavis Paschæ te adesse volumus et oramus ; et tunc de his atque aliis plenius conloquemur. Ora pro me, pater carissime, ad Dominum. *Mirum quidem apparet, nihil de hac apparitione in Sancti Vita relatum esse, cum Messianus unus sit ex Vitæ scriptoribus. Attamen inde satis argumenti non habemus, ad fidem epistolæ abjudicandam : potuit enim Messianus id de industria omittere ob rationes sibi notas. Fides autem epistolæ confirmatur ex Vita lib.* 2, *num.* 16, *ubi agitur de puero Ursi presbyteri sanato. Ceterum non improbabile est, visionem contigisse, dum Sanctus circa initium anni* 514 *Roma revertebatur Arelatem : nam id innuunt litteræ salutationis a Sede apostolica formatæ, quas Arelatem attulisse dicitur. Fundatio autem templi S Hermetis et dedicatio posterius factæ, sed tempore nobis non satis noto. Itaque ad annum mortis examinandum progredior.*

Duplici ratione ostenditur, mortem Sancti contigisse anno 542.

55 *Non immorabor refutandis erroribus illorum, qui putaverunt* Cæsarium *vixisse* B *seculo* VII, *quod illi sufficienter jam refutati sint ab aliis, eorumque error ex toto hoc Commentario abunde pateat. Quare tantum probabo mortuum esse anno* 542, *et ad opinionem parum hinc distantem breviter respondebo. Mortuus est Sanctus, ut testatur Vita lib.* 2, *num.* 34, XXVII *Augusti, triginta annis plene evolutis post constitutionem monasterii sui, et die uno post dedicationem. Hinc, cum dedicatio illa facta sit* XXVI *Augusti, non alio anno videtur contigisse, quam* 512 : *illo enim anno* XXVI *Augusti incidebat in Dominicam, ut patet ex littera Dominicali, quæ tunc erat* G. *Præterea dedicatio fieri nequiit anno* 513, *quo ex aliorum opinione factam oportuit, cum illo anno mense Augusto in Italia esset* Cæsarius, *quemadmodum facile colliges ex gestis ejus cum Theodorico rege et Symmacho Papa* § 3 *relatis. Rursum contingere non potuit anno* 511 : *nam nullo modo verisimile est, monasterium jam tunc perfectum fuisse, cum anno dumtaxat* 510 *urbs obsidione fuerit liberata, deindeque monasterium reædificari cæptum. Hæc igitur prima sit ratio, quæ Pagio ad annum* 544 *num.* 8 *sola suffecit, ut diceret, hanc epocham esse certissimam.*

C 56 *Altera hujus epochæ ratio producta est a Bollando ad* XII *Januarii in Commentario de* S. Cæsario *num.* 6, *petiturque ex tempore successoris Auxanii. Quippe exstant litteræ Vigilii Papæ ad Auxanium successorem* Cæsarii, *datæ* XV Kalendas Novembres, iterum post consulatum Basilii viri clarissimi, *id est, anno* 543, *quibus scribit, accepisse se litteras de ordinatione Auxanii, palliоque et aliis per eum petitis, pertulasque eas a Joanne presbytero et teredio diacono. Jam vero non est probabile, inter* XXVII *Augusti et* XVIII *Octobris peracta fuisse tam multa diversaque, videlicet electionem et ordinationem episcopi metropolitani, missionem legatorum cum litteris ad Pontificem, eorum iter Arelate Romam et accessum ad Vigilium et hujus responsum, cum hæc omnia tarde et maturo consilio fieri soleant. Negat quidem hanc consequentiam Norisius in Historia Pelagiana lib.* 2, *cap.* 22, *contenditque quinquaginta duorum dierum spatio peracta esse omnia, adeoque* Cæsarium *anno* 543 *tantum esse defunctum: at parum probabiliter, etiamsi omnis alia deesset ratio, ut facile patebit consideranti, quam multa peracta oportuerit intra breve illud temporis intervallum. Annus igitur emortualis* S. Cæsarii *fuit* 542, *in quem hodiedum passim conspirant eruditi. De gestis vero Sancti in morbo supremo, morteque ipsa et sepultura agitur in fine Vitæ.*

§ VI. Testamentum Sancti : scripta posteris relicta : discipuli : epitaphium.

Testamentum Sancti a variis editum,

Testamentum S. Cæsarii *edidit Baronius tom.* 6 *Annalium ad annum* 508, Cujus, *inquit num.* 27, exemplum petitum ex archivo ecclesiæ Arelatensis, exscriptum per Claudium Saxi notarium, accepimus ab Archidiacono Arelatensis ecclesiæ Francisco Clareto, Romæ eum esset. *Notat prætcrea ibidem,* in die saltem et consule, et ipsius Cæsarii atque testium subscriptione esse decurtatum. *Ante num.* 23 *dixerat, illud esse* nonnihil mendosum, et pulvere exesum. *Idem testamentum deinde ediderunt Saxius in Pontificio Arelatensi* in Cæsario, *Vincentius Barralis in Chronologia Lerinensi a pag.* 268, *Holstenius in Codice regularum part.* 3 *a pag.* 52, *et Cointius in Annalibus Fran-* E *corum ad annum* 542 *num.* 23. *Dignum sane est, quod hoc etiam loco legatur. Quapropter illud ex editione Baronii subjungo.*

in quo cum antistite successore suo heredem instituit monasterium,

58 Pax ecclesiæ Arelatensi. Cæsarius episcopus presbyteris et diaconibus, sanctæ ac venerabili Cæsariæ abbatissæ, quam dominus per meam parvitatem in monasterio nostro præposuit, ac universæ congregationi, quam ibi Dominus sua gratia collocaverit, in Domino æternam salutem. Cum ecclesiastica pietas consuetudinis suæ rem faciat ordinabiliter, scilicet quo peregrinis et destitutis opem largitionis impendat: quanto magis cum opportunitas aut necessitas fuerit, ut sanctis quibusque et Deum timentibus aliqua largiatur, amplius debet pia misericordiæ suæ viscera dilatare? Et ideo juxta hanc epistolam, quam manus nostræ subscriptione roboravimus, cuique diem et consulem subtus adjecimus, Deo dispensante, hoc testamentum meum condidi, vel manu propria subscripsi, atque jure prætorio, vel jure civili, et ad vicem illorum codicillo firmavi. Ego Cæsarius peccator, dum debitum F humanæ carnis reddidero, cunctum monasterium Arelatense S. Joannis, quod ego condidi, sub potestate Arelatensis pontificis canonice sit, heredemque meum esse volo ac jubeo. Ceteri, ceteræve exheredes sint. Totum quod cuique aut per hoc testamentum meum dedero, legavero, darive jussero, ut detur fiat. Ceterum autem, Arelatensem episcopum coheredem meo monasterio relinquo : quosque liberos, quasque liberas esse jussero, liberi, liberæve sint omnes.

et vestimenta quædam aliis legat,

59 Ego tamen cum nihil de parentum bonis habuerim, hoc testamentum meum præsumere erubui : illa tamen me sententia compulit, ut plerosque, Salvatoris formidanda, qua iniqui audituri sunt dicentem ; Ite in ignem æternum, pietatis affectu aliquid ecclesiæ meæ contulisse. Et ne forte post obitum meum aliqui de parentibus meis, exceptis iis rebus, quas illis pro elogiis donaro, inquietare præsumant, cui præsum, ecclesiam : ideo hanc voluntatem meam tractare amplius desideravi, qua de parentibus meis, ne apud ipsum monasterium præfatum, vel pontificem Arelatensis ecclesiæ, præter id, quod illis dedero ac dederim, præsumant requirere. Sancto et

AUCTORE J. S.

et domino meo archiepiscopo, qui mihi indigno digne successerit, licet omnia in sua potestate sint, tamen si lubet et dignum ducit, indumenta paschalia, quæ mihi data sunt, omnia illi serviant, simul cum casula villosa et tunica, vel galnape, quod melius dimisero. Reliqua vero vestimenta mea, excepto birro amiculari, mei tam clerici, quam laïci, cum gratia vel ordinatione domini archiepiscopi, sibi, ipso jubente, immo donante, dividant. Ea vero, quæ monasterio ante per donationem contuli, nunc affirmo: et si cui aliquid per epistolam, aut per pitacium, aut verbo, pietatis intuitu contuli, valere volo.

monasterii curam successori suo

60 Hoc etiam assuete precor, quatenus cellam, quam bonæ memoriæ Augustus subdiaconus in atrio S. Stephani euntibus parte dextra habuit, provisoribus monasterii propter custodiam illorum firmam D. archiepiscopus perpetuo dignetur jure concedere: ita ut eam sibi succedendam monasterii provisores habeant. Et hoc specialiter volo, et ita, domine archiepiscope, precor; sive provisorem ad monasterium, sive presbyterum ad basilicam S. Mariæ nullum alium habeat congregatio sancta, nisi quem B ipsa elegerit, vel ordinari petierit. Et licet de tua, D. archiepiscope, pietate præsumam; tamen ne forte contra monasterium nostrum aliquorum suggestiones importunas habeatis, adjuro vos per Patrem et filium et Spiritum sanctum, et per tremendum diem judicii, ne umquam apud vos prævaleat hostis antiquus, aut ancillas vestras contristari acquiescatis; aut aliquid illis auferri de iis, quæ possident, eisque contulimus, permittatis: quia Deo propitio non sine discretione vel justitia quibuscumque sæcularibus jure directo res ecclesiæ vendidimus; nisi hoc tantum, quod ecclesiæ minus utile et infructuosum est. Et quod animabus sanctis et Deo vacantibus cum sanctorum fratrum consensu vel subscriptione tribuimus, perpetuo illis jure permaneat.

enixe commendat.

61 Vos vero, dominæ filiolæ, per S Trinitatem inseparabilem, et per Domini nostri Jesu Christi adventum adjuro, ut pontificem, qui mihi indigno, ordinante Deo, successerit digne, omni affectu ut dominum rogetis, ac pura mente diligatis, et ne per vestram contristetis inobedien- C tiam. Confidimus enim de Dei misericordia, quod ita omnibus sacerdotibus, quibus religionis collatio est, istum amorem inpendat, ut nihil vobis, quod ad sustentandum corpusculum opus est, deesse permittant. Te iterum atque iterum, pontifex optime, rogo gratia divina præfati monasterii ut curam maximam habeas, et famam illarum cum grandi pietate satagas provideri. Quod si alicujus persona injustum tibi dederit consilium, cum auctoritate respondendum deprecor: quia hoc, quod episcopi agitur verbo, non solum auferri non debet, verum etiam nec omnino potest; tum præcipue quia et hoc ipsa S. Papæ Urbicani suasit auctoritas, ut hoc de te sancto et domino meo pontifice credam. Numquam enim apud te prævalebit tam iniqua suggestio, ut contra justam voluntatem qualiscumque antistitis pro meo studio substantia ad te multum profecerit, et prope duplicata sit. Additur ad hoc, quod Deus misericors per parvitatem meam, etiam immunitatem tributorum, tam juxta urbem et infra, quam etiam in suburbanis et villis ex maxima parte concesserit.

62 Agellum igitur Aucharianum, unde parvam particulam monasterio dedimus, multa servamus; nam plus minus centum aripennes vineæ et trecentorum modiorum campos reservavimus: D ita quod supradictum monasterium, tantum modiatas de terra, quam ego plantavi, habeat modiatas quadraginta; et de vetere vinea vix triginta aripennes contulimus: agellum Gallicumanum, Mercloanum, vel agellum Gemellos cum stagnis et paludibus cum omni jure et termino suo, et pascuum in campo Lapideo, vel si qua alia sunt, vel campum in Trifinitio super viam munitam, vel reliqua quæcumque sunt; agellum Orvedum, et agellum Martinatis, et agellum Silvanum, in quo est sita ecclesia S. Mariæ de Ratis, et agellum Missiamanum, cum omnibus sibi pertinentibus pascuis, paludibus, cum omni jure et termino suo, sanctæ tuæ ecclesiæ reservavimus in stipendiis earum. Unde te, S. pontifex, adjuro, ut si Deus omnipotens per manus se timentium sanctæ matri Ecclesiæ monasterium sanctarum virginum aliquod majus bonum dederit, tua sancta dilectio unum ab altero non disjungat. Si vero (quod Deus non patiatur) congregatio ibi aut congregata non fuerit, aut forte postea (quod absit) cum congregata fuerit, esse desierit, ad matrem ecclesiam revertantur. E

ut, quæ illi erant donata, eidem permaneant,

63 Hæc quidem ego, ut timori meo satisfacerem, scripsi. Nam absit, ut de tua, piissime pontifex, inscientia inculperis: quia (ut supra jam dixi) pietas divina concessit, ut per meam humilitatem immunitas ecclesiæ in tot capitibus daretur. Quod monasterio cum fratrum consensu dedimus, per hanc voluntatem meam confirmo. Ancillæ nostræ Cæsariæ abbatissæ, quem ipsa fecit, mantum majorem, quem de cannabe fecit, dari volo. Domino meo Leoni presbytero manutergium dari volo. Domino meo Cypriano episcopo mantum, et cunctorum meliorem, dari volo. Quidquid servo meo Briciano contuli, nunc per hoc testamentum meum confirmo. Agritia puella mea propria libentissime monasterio S. Cæsariæ abbatissæ serviat: et vere gariolas, quas illis vel parentibus eorum dedi, confirmo. Omnes cubicularios meos tibi, domine episcope, coram Deo et angelis ejus commendo.

demum quædam aliis legat.

Voces quædam obscuriores

64 *Cointius ad annum 542 num. 24 suspectam habet vocem* archiepiscopus *in testamento positam, putatque rectius legendum esse* episcopus, *quod non improbabile apparet, cum se ipse sic vocet* Cæsarius. *Confirmat hanc corre-* F *ctionem Dionysius Sammarthanus tom. 2 Galliæ Christianæ in instrumentis col. 501, ubi testatur in exemplari Ms. ad se misso semper legi* episcopus. *Accipe et vocum quarumdam barbararum expositionem. Num. 59 antistiti successuro datur* casula villosa et tunica vel Galnape. *Varie sumitur* casula; *at cum vestem designat, supremam fere significat: et nunc quidem plerumque significat supremam vestem sacerdotis Missam celebrantis; at eo tempore, quo hæc scripta sunt, frequentius designabat vestem talarem, qua episcopi, clerici, monachique utebantur extra Sacrificium, aliave officia sacra. Atque hoc sensu vocem hic intelligendam existimo. Adi Glossarium Cangii ad vocem* casula. *Vox autem* villosa, *quæ additur, significat illam panni serici speciem, quam Galli* velours *nominant.* Tunica, *ait Cangius in Glossario,* vestis sacerdotalis, quam duplicem induunt episcopi subter casulam, ut est apud Amalarium, etc. *Idem auctor ad vocem* Galnape *varia disserit, et* stragulum *fere exponit: at illa significatio huic loco non quadrat: nam videtur ipsam tunicam alio nomine designare. Forte* Galnape *corruptum est ex* galbana, *tunicaque sic vocata a*

A *a colore sublucido, subalbo et pallido, qui color est galbaneus. Certe* galbana *vocatur vestis quædam apud Juvenalem, in hoc versiculo :*

Cærulea indutus scutulata et galbana rasa.

breviter exponuntur. 65 *Obscurum quoque est, quid vestimenti per* birrum amicularem *designet ibidem Sanctus : nam plurimas hæc vox significationes subiit, ut videre est apud Cangium in Glossario. Baronius ad annum* 261 *multa de birro disputat, et num.* 44 *ait eo humeros tantum tectos fuisse et brachia: at eo sensu hic sumi vix potest, cum in Vita lib.* 2, *num.* 10 *narretur, birrum* Cæsarii *arreptum fuisse a Liberio sauciato, vulnerique impositum, quod intelligi non potest de vestimento tam brevi. Malim itaque hic per* birrum *intelligere indumentum lineum, quod vulgo* rochetum *a voce Italica* rocchetto *nominatur. Paullo inferius per* pitacium *charta venit intelligenda aut schedula : nam et sensus id innuit, et vocem frequenter ita sumi, docet Cangius sæpe jam laudatus* Mantus *vero, vel* mantum, *quod num.* 63 *recurrit, pallium significat. Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 273, B
mantos *interpretatur* casulas, *nec male ibidem, opinor. Mantum fuisse præcipuum ornamentum episcoporum observat Cangius ad eamdem vocem.* Manutergium *est linteum ad manus tergendas in sacris officiis. Demum quid infra designetur per* gariolas *non perspicio. Forte vox corrupta est, aut una in duas distracta, ut* veregariolas *legi posset, si illa vox meliorem formaret sensum.*

Scripta Sancti varia, 66 *Scripta* S. Cæsarii *exstant non pauca : at ea omnia enumerare instituti non est mei. De utraque ejus Regula, scriptisque contra Semi-Pelagianos jam disseruimus. Quæ insuper ad nos pervenerunt, homiliæ fere sunt, seu sermones, quibus gregem sibi commissum Pastor sollicitus egregie pavit ac erudivit. Casimirus Oudinus tom.* 1 *de Scriptoribus col.* 1345 *et seqq. sermones seu homilias enumerat* 158, *quibus addit epistolas quatuor. Verum hæc* S. Cæsarii *Opuscula nullibi hactenus unum collecta sunt: at locis dispersa sunt variis. Eruditi Benedictini in Historia litteraria Franciæ tom.* 3, *a pag.* 197 *late disputant de scriptis* S. Cæsarii, *enumerant varios illorum editores, conanturque ostendere, quænam certo sint ejus homiliæ, quæ vero dubiæ aut supposititiæ. Ex iis centum et ultra impressæ leguntur in Appendice ad tom* 5 *Operum S. Augustini postremæ editionis Parisiensis : plurimæ quoque reperiuntur in Bibliotheca Patrum; at non omnes* Cæsarii *sunt, quæ illi ibidem sunt adscriptæ. Quasdam edidit Vincentius Barralis; alias Baluzius aliique. Consule, lector, si lubet, laudatam Historiam litterariam Franciæ.* C

ex quibus monita præclara recitantur, 67 *Præclara in scriptis suis monita nobis reliquit* S. Cæsarius, *ex quibus pro exemplo afferre lubet, quæ scripsit ad Oratoriam abbatissam; præsertim quod in hisce monitis se ipse pulchre depingat. Edidit ea Holstenius in Codice regularum part.* 3, *a pag.* 49 *hunc in modum* Audi ergo me, dulcissima soror et filia: tu quantumcumque semper in studiis spiritualibus occupari desideras, propter sorores tamen aliquando etiam exteriora tibi erunt negotia dirimenda. Curandum ergo tibi summopere est, ut si temporalia quasi pro tempore agas; at semper tenacius in spiritali devotione et amore inhæreas: ut cum temporalia citius dispensaveris, ad orationem illico vel lectionem, quasi ad matris sinum, recurras. Optare quippe debes, ut abjecta sollicitudine mundi, semper cogites de servitio Christi, propter illud quod dicitur : Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ex cætera.

AUCTORE J. S.

data superiori monialium, 68 In omnibus, juxta Apostolum, temetipsam præbe exemplum bonorum operum; vitaque tua velut pennatum animal ad alta semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum. Cum vero ad annuntiandum verbum Dei te sororibus affectaveris, seu pro utilitate animarum, tenoreque Regulæ constituendo, necessitas incubuerit altercandi, prius cauta consideratione pensa, ut quod ore promis, factis impleas; et quod aliis prædicas, operibus præbeas. Scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravibus aut levibus oneribus colla sororum onustes. Verbi gratia, si jejunium super quotidianum, vel abstinentiam extra consuetudinem, nec non, ut assolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Prior in ecclesia inveniaris, postrema exeas. Prima suscipias laborem, posterior solvas, et in quotidiano corporis alimento atque communi cibo par sis his, cum quibus pari in mensa uteris consessu, iisdem denique, quibus sorores, ferculorum saporibus delectare, et æqualia vobis cibaria potionesque communes exhibeant discoferæ vel pincernæ : primatumque tuum, quem prior ad mensam tenes, prima ad virtutem parsimoniæ vindices : ut abstinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces vel vicinus sentiat stomachus : ne forsitan subditæ audientes tacitis cogitationibus dicant : O quam pulchre nobis abstinentiam prædicat plenus venter, et contentas nos jubet esse vilissimis cibis ac poculis, accuratis cibis poculisque refertum guttur, et eructans : illa enim de abstinentia prædicatio acceptabilis est, quam lurida jejuniis ora decantant. E

et omnibus Religiosorum 69 Et in his omnibus hoc noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quæ socias ammones gradiendum, prior ipsa gradiaris, omnia, quæ agenda sunt, ante factis impleas, ut postmodum ductilis tuba ex percussione perducta rectius erumpas in vocem, propter illud Dominicum : Quicumque, inquit, scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, et reliqua. Non sis vestibus ornatior cæteris, sed moribus. Inter cætera cum magna tibi cautela custodiendum est, ut omnes in monasterio, quarum gubernacula tuis æqualiter imposuisti cervicibus, æqualiter diligas; ne unam plus minusve ames : sed cuncta, quæ sunt, in quo possibilitas extat, æquo moderamine disponas, parique moderatione dispenses, ac parem eis caritatem impertias : et non quibuslibet per privatum amorem, sed cunctis secundum merita singularum, quæ sunt necessaria largiaris. F

Religiosarum quæ præfectis 70 Non quæ tibi vultu intuituque placuerit, non quam tibi ad oculum cognoveris, vel cujus blandiori obsequio fueris delinita; sed quam amor Christi, et religiosior demonstraverit vita, præponas. Oportet enim te propter quasdam cultrum nonnumquam habere in gutture, cauterium in lingua gestare, virgam tibi et baculum in manu ferre : ut per cultrum deseces vitia, per cauterium vero ad sanitatem secta reducas, per virgæ disciplinam corrigas, per baculum vero disciplinatam sustentes. Si quando vero cum secularibus ad colloquendum fueris evocata, prius arma frontem trophæo Crucis, vexillo Christi pectus ingemina, ut cum sua virguncula Christus comitari dignetur. Confabulatio vero tua semper sit mixta gravitate atque dulcedine, et tantum loquaris, quantum opportunitas flagitaverit rei ac temporis.

AUCTORE J. S.

temporis. Si quid vero ab eis petitum fuerit, quod præstare deliberas, cum vultu hilari præsta, si quid vero præstare non convenit, petitionem illorum saltem honestate sermonis mollifica.

quam maxime utilia :

71 Nomen tuum plures noverint, beneficia tua, in quantum prævales, plures sentiant, vultum rari cognoscant. Si quando autem tibi pro necessitate monasterii seorsim fuerit conloquendum, cum duabus, vel certe cum tribus electis sororibus facito, quia opinio bonæ famæ, sicut etiam perfectæ vitæ custodia, tibi necessaria est, et tunc primum despicienda humana detractio, cum Christus in caussa est. Omnis quoque actio tua semper sit propter Deum, sermo de Deo, cogitatio in Deum. Et exceptis vitiis, quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus te cupio esse compassibilem, omnibus gratam, omnibus te præfectam piam. Ut videlicet juxta Paulum sis sancta corpore et spiritu, ipso Sponso et Domino tuo mentem tuam regente, et vias tuas sanctas disponente; qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. *Hæc*
B *ex monitis* S. Cæsarii *speciminis gratia attulisse sufficiat.*

epitaphium.

72 *Demum concludere placet hunc Commentarium epitaphio Sancti, de quo Mabillonius in Annalibus tom.* I, *pag.* 99 *docet sequentia :* Ejus epitaphium, post eversum a Saracenis ipsius sepulcrum, scripsit Paulus illustris anno Domini DCCCLXXIII, Indictione XV, Ranigaudo magistro, ut legitur post epitaphium in veteri codice Arelatensi, sub hoc titulo, RESTAURATIO SEPULCRI SANCTI CÆSARII, cui titulo subjicitur epitaphium, longe emendatius quam apud Saxium et alios, in hunc modum.

Cernitur hic vario renovatum marmore tectum
Patri Cæsario, pontificique sacro,
Quod scelerata cohors rabie destruxit acerba.
Hanc virtute Dei sorbuit unda maris.
Præsule Rostagno hac Arelati sede locato,
Cernuus id Paulus strenue compsit opus.
Cui Christus tribuat cælestis præmia vitæ,
Cœtibus angelicis consociavit ovans.
Et nobis, venerande Pater, miserere precando,
Diluat ut noster crimina cuncta Deus.

C

VITA

LIBER PRIMUS

Auctoribus Cypriano, Firmino, et Viventio episcopis.

Ex Ms. Martini a Campis, Ordinis Cluniacensis Parisiis, collato cum editione Mabillonii.

PRÆFATIO.

Præfatio explicat occasionem scribendi. a

Quia, reverenda nobis virgo Cæsaria *a*, cum choro sodalium monacharum tibi commisso, petis a nobis, ut vitam et conversationem beatæ memoriæ sancti Cæsarii institutoris nostri* ab exordio repetentes comprehendere litteris debeamus, per quam illius vita præmio fruitur *b*, cujus beatitudo sermone mortalium non potest explicari : quamvis olim per totum mundum ipso etiam hic vigente fuerit venerabiliter divulgata : nefas tamen esse credimus, si tam sancto desiderio minime pareamus : præsertim cum hoc monasterio vestro, ac magis ipsius, ad vicem possit ejus esse præsentiæ : et nos dum de ipso loquimur, ipsum nos etiam videre quodammodo gratulemur. Deo igitur juvante aggrediemur implere, quod postulatis. Et multa quidem ipsius beatissimi domni * nobis ratione comperta, multa a nobis ipsis visa, nonnulla etiam venerabilium presbyterorum sive diaconorum, discipulorum suorum, relatione prolata didicimus, præcipue tamen * Messiani presbyteri et fidelissimi viri Stephani diaconi, qui ab adolescentia illi servierunt, ea dumtaxat, quæ minus onerent et sint a prolixitate submota.

D

* *Mabillonius* vestri

b

* *Mab. addit,* Cæsarii

* *Mab. addit* venerabilis

et fidem auctorum :

2 Unum tamen hoc in præsentis Opusculi devotione a lectoribus postulamus, ut si casu scholasticorum aures atque judicia nos simplices contigerit relatores attingere, non arguant, quod stilus noster videtur pompa verborum et cautela artis grammaticæ destitutus : quia actus nobis et verba vel merita tanti Viri cum veritate narrantibus lux sufficit ejus operum et ornamenta virtutum. Etenim memoratus domnus Cæsarius, quem habemus in opere, solitus erat dicere : Nonnulli rusticitatem sermonum vitant, et a vitæ vitiis non declinant. Meretur siquidem hoc et Christi virginum pura sinceritas, ut nihil fucatum, nihil mundana arte compositum, aut oculis earum offeratur, aut auribus placiturum : sed de fonte simplicis veritatis manantia purissimæ relationis verba suscipiant. Atque ideo noster iste sermo, integritatis religione contentus, renuit mundanam pompam, respuitque cum suis operibus gloriæ mundanæ jactantiam ; et potius delectatur eloquio Piscatorum *c* concordare, quam rhetorum. Nunc igitur unusquisque vivendo sequi appetat, quod legendo scire festinat

E

c

ANNOTATA.

a *Hæc Cæsaria non est soror* S. Cæsarii, *quæ ante ipsum erat defuncta, ut patet ex num.* 44, *sed abbatissa ejusdem monasterii, quæ illi erat suffecta, ut ibidem dicitur.*

F

b *Multum hic in verbis dissidet Mabillonii editio, quam lector poterit videre.*

c *Id est, Apostolorum.*

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, vita clericalis et religiosa usque ad episcopatum.

Sanctus Cabilloni nobilibus parentibus natus,

Sanctus ac beatissimus Cæsarius Arelatensis episcopus, territorii Cabilonensis *a* fertur indigena : cujus parentes æque prosapies *b* (quod est magnum et præcipuum honoris ac nobilitatis exemplum) supra omnes concives suos, fide potius et moribus floruerunt. Qui venerabilis ac sanctus, cum septimum seu amplius gereret ætatis annum, ex vestimentis, quæ circa se habuisset, absque ulla dubitatione pauperibus tribuebat.

a
b

A buebat. Sæpe domi seminudus revertens Vir beatus, cum visus a parentibus suis fuisset, cum districtione discussus, quid de vestimentis suis fecerit: ipse hoc tantummodo respondebat, a transeuntibus sibi fuisse sublata.

a pueritia elucet misericordia in pauperes: relictis parentibus, clero.

4 Igitur sicut arbusculæ quædam stirpibus nobilibus fructificare solent, antequam crescere, in quibus utique quanto est ætas minor, tanto ubertas est gratiosior: ita in illo Viro sancto inter ipsa infantiæ rudimenta lætum vernantis spei germen adeo erupit, ut priusquam spatio floreret ætatis [fructum exuberaret ingenii. Cum ergo octavum decimum gereret ætatis] annum *c*, ignorante familia vel parentibus incolatum cupiens regni cælestis adipisci, se illius temporis Pontificis sancti Silvestri *d* vestigiis præmissa supplicatione prostraret, petens ut ablatis sibi capillis, mutatoque habitu, divino cum pontifex servitio manciparet, nec pateretur ultra supplicem * a parentibus ad prædium affectusque pristinos revocari. Agente ergo pontifice gratias Christo, nulla exstitit votis optimis mora. Cumque inibi biennio seu amplius sub hac inchoatione servisset, divinæ B gratiæ instigatione succensus, deliberat arctius semetipsum expeditiusque juxta Euangelium divino mancipare servitio, ut pro amore regni cælestis non solum parentibus, sed et patriæ redderetur extraneus.

** Mab. se*

deinde religioni se adjungit; ac in itinere dæmonem expelli:

5 Arrepta itaque salubriter fugiendi de sæculi compedibus libertate, Lirinense *e* monasterium Tiro sanctus expetiit. Cumque iter cum uno tantum famulo socius ageret, coram inquisitoribus missis matris suæ, flumen transiens visus ab eis non est. Diabolus vero in quemdam ingressus miserum, insequens iter ejus, post tergum incessanter clamabat: Cæsari, non vadas. Quem ille bibendi poculo benedicto porrectoque statim curavit: quod a memorato ejus comite referente compertum, ipsamque constitit eum primam fecisse virtutem. Susceptus ergo a sancto Porcario *f* abbate, vel ab omnibus senioribus, cœpit esse in vigiliis promptus, in observatione sollicitus, in obauditione festinus, in labore devotus, in humilitate præcipuus, in mansuetudine singularis, ita ut quem instituendum susceperant in disciplinæ regularis initiis, perfectum se invenisse gauderent in totius C institutionis augmentis.

cellæ præpositus recte munus obiit: deinde ab hoc officio amotus nimia

6 Post parvum igitur tempus in cellario congregationis eligitur. Attente et studiose ergo cœpit his tribuere velle, quibus necessarium erat, vel si* abstinentiæ amore nihil peterent; illis vero, quibus probaverat necesse non esse, nihil tribuebat, quamvis vellent accipere. Unde factum est, ut quibus adversa erat saucta discretio, supplicarent abbati, deberet a cellario removeri: quod et præstitum est. Mox cura postposita *, desiderata se tandem legendi, psallendi, orandique, et vigilandi assiduitate mactavit; ut adolescentiæ corpus invalidum, quod palpare potius quam debilitare decuerat, effecerit crucis nimietate curvatum pariter et confractum: ita ut de exigua oleris seu pulticulæ coctione, quam sibi Dominico die parabat, usque in alia Dominica* victum traheret.

** Mab. etiamsi*

** Addit Mab. ita*

** Mab. alteram Dominicam*

austeritate morbum contrahit: hinc mittitur Arelatem

7 Hæc igitur in exordiis meritorum ejus bona fulserunt: quæ sequenti vita multiplicibus sunt augmentata virtutibus. Robur namque carnis attrivit, ut virtutem spiritus spei ac fidei soliditate firmaret. Et, ut ait Apostolus, triumphans de se sibi, ut coronari mereretur, evincens, interioris hominis exteriora transcripsit, ac præclaræ mentis imperiis rebellis corporis incitamenta abjecit. Post hæc tamen stomacho fatiscente typhum *g* quartanæ febris incurrit. Cumque de infirmitate ipsius abbas sanctus graviter turbaretur; et inter magistrum atque discipulum queamdmodum * esset ægritudo divisa, ut ille animo laboraret, hic corpore; respiceretque sanctus pater in cœnobium nullum eidem remedium posse præstari: ubi etiamsi medicus adesset, fervens ad spiritalia Pueri consuetudo nihil sibi pateretur de abstinentiæ frenis et vigiliarum rigore laxari; jubet eum, immo cogit beatissimus abba ad civitatem Arelatensem causa recuperandæ salutis adduci.

A. Cypriano etc.

g

** i.e. quodammodo*

ad curandam valetudinem: arti Rhetoricæ simul studere incipit,

8 Erat igitur tempore illo Firminus *h* illustris et timens Deum, et proxima ipsius materfamilias Gregoria, illustrissima feminarum in prædicta urbe Arelatensi, quorum studio et vigilantia curaque circa clerum et monachos, circaque cives et pauperes civitatis, prædicta reddebatur illustrior. Uterque enim proprias opes non consumebant mundana luxuria, sed ad paradisum sibi eas deportatione pauperum transmittebant. Qui prædictum S. Cæsarium ad se causa misericordiæ receperunt. Erat autem ipsis personis familiarissimus quidam Pomerius *i* nomine, scientia rhetor, Afer genere, quem ibi singularem et clarum *k* grammaticæ artis doctrina reddebat. Concipiunt igitur animo personæ generosæ, quatinus tanta Dei gratia S. Cæsarius refertus, tantaque memoria dono Christi videretur esse fulcitus, ut sæcularis scientiæ disciplinis monasterialis in eo simplicitas polleret. E

h

i

k

sed divinitus deterretur a scientiæ mundanæ amore.

9 Sed eruditionis humanæ figmenta non recepit, quem instruendum per se sibi divina gratia præparavit. Librum itaque, quem ei legendum doctor tradiderat, casu vigilia lassatus in lectulo sub scapula sua posuit: supra quem cum nihilominus obdormisset, mox divinitus terribili visione percellitur; et in soporem aliquantulum resolutus, videt quasi scapulam, in qua jacebat, brachiumque, quo innixus fuerat codici, dracone colligante corrodi. Excussus ergo e somno, territus ipso visu, terribilius se ex eodem facto cœpit arguere, eo quod lumen regulæ salutaris stultæ mundi sapientiæ voluerit copulare. Igitur contempsit hæc protinus, sciens quia non deesset* illis perfectæ locutionis ornatus, quibus spiritalis eminuisset intellectus. F

** Mab. esset*

Diaconus ordinatur a S. Æonio, et presbyter,

l

10 Post aliquos autem dies suprascriptæ personæ suggesserunt sancto Eonio *l* episcopo civitatis, dicentes esse quemdam penes se venerabilem Monachum et omni laude præcipuum, cujus personam deberet familiari et privata interrogatione cognoscere. Jubet igitur eum ad se perduci. Præsentatum ergo sibi S. Cæsarium venerabilis Eonius episcopus diligentius percunctatur, quis civis esset, quibusve parentibus fuerit procreatus. Cumque incolatum civitatis et parentum publicasset originem, congaudens sancta alacritate episcopus dixit: Meus es, fili, concivis pariter et propinquus: nam et parentes tuos reminiscor optime, et per consanguinitatem parentali recordatione complector. Cœpit ergo juvenem, non ut peregrinum sive extraneum, sed respectu attentiori intimis cordis oculis contemplari. Mox ergo ab abbate suo sancto Porcario eum expetiit. Rogante igitur beato viro Eonio episcopo, licet ab invito conceditur. Ilico diaconus, dehinc presbyter ordinatur.

11 Numquam tamen canonicam modulationem monachi, numquam instituta Lirinensium vel modicum subrelinquens, Ordine et officio clericus, humilitate,

A. Cypriano etc. nihil tamen remittit de instituto vitæ: abbas creatus bene regit.

humilitate, caritate, obsequio, cruce monachus permanebat. Ad ecclesiam vero matutinis aliisque conciliis primus de intrantibus, ultimus de egredientibus aderat. Non visus, non auditus animum beati Viri a cælestium bonorum nectare sequestrabat, ita ut vultus ejus qualitas nescio quid semper videretur renitere cæleste. Posthæc autem defuncto abbati in suburbana insula civitatis, dirigitur a sancto Eonio beatus Cæsarius pater, ut monasterium *m*, quod recentius fuerat destitutum obitu rectoris, ipse in eadem reverentiæ auctoritate succedens, ad disciplinam formaret abbatis. Suscepit ergo vitam in suburbano cœnobio libens, quam etiam intra urbem quotidianis semper excolebat, actibus et votis semper optabat, monasteriumque prædictum taliter quotidiana instantia et divinis informavit officiis, ut inibi hodieque Deo propitiante servetur.

ANNOTATA.

a Cabillonum *urbs est Galliæ in ducatu Burgundiæ ad Ararim sita, episcopalis sub archiepiscopo Lugdunensi, et satis nota, vulgo* Challon *seu* Chalon sur Saône *ad distinctionem alterius.*

b *Sensus hic non omnino perfectus est, at idem in Mss. et editis.*

c *Hic phrasis corrupta est apud Mabillonium, ubi legitur:* Priusquam spatium præteriret unius anni, *quod plane mendosum est. In Ms. nostro prætermissa erant verba uncis inclusa, quod transcriptor a voce* ætatis, *priori loco posita, transiliisset ad illa, quæ sequuntur post eamdem vocem deinde repetitam. Nam omnia, quæ in textu dedi, leguntur in Ms. nostro Bisonticensi, et in Arelatensi apud Mabillonium in notis.*

d *Colitur S. Silvester* xx *Novembris, ut notarunt majores nostri tom.* III *Martii pag.* 516, *ubi inventio corporis narratur occasione aliorum Sanctorum, qui simul inventi. Plura igitur de eo dabimus ad illum diem. Consuli interim potest Gallia Christiana recusa tom.* 4 *col.* 863, *ubi ex Turonensi ecclesiam illam administrasse dicitur annis* 42.

e *Baudrandus in Geographia Lerinensem insulam describit hoc modo:* Lerina, insula Galliæ Narbonensis Plinio, quæ Lerinum, et Lerinus dicitur apud scriptores ecclesiasticos, nunc l'Ille saint Honorat incolis, sant Honorato Italis, insula est parva Galliæ, in ora Provinciæ, in mari Gallico, ubi Lerinense cœnobium præclarissimum, vix 2 leucis ab Antipoli dissita in meridiem, et 5 a Foro-Julio in ortum, ipsa et Lero vulgo les Illes de saint Honorat, et de Lerins dicuntur, sed Lero major, et septentrionalior Lerina, a qua tenui freto separatur. *De viris sanctis, qui magno numero prodierunt ex cœnobio Lerinensi, multa collegit Vincentius Barralis jam ante laudatus.*

f Hic Porcarius abbas diversus est ab alio cognomine, qui octavo seculo martyrium passus est, *inquit in notis Mabillonius. De S. Porcario II, et sociis martyribus actum est tom.* 2 *Augusti, ubi pag.* 734 *utriusque Porcarii distinctio latius probatur.*

g Typus *vel* typhus *pro febris accessione, vel ipsa febri, non raro reperitur, ut videre est in Glossario Cangii.*

h *Apud Sirmondum tom.* I, *col.* 827 *exstat epistola S. Ennodii ad Firminum, quem Sirmondus in notis eumdem putat cum hoc nostro.*

i *Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 20 *de Pomerio ita scripsit:* Pomerius, Rhetor ille Afer, cui apud Arelate erudiendus traditus est Cæsarius, alius videtur a Juliano Pomerio, qui libros scripsit de vita contemplativa: tametsi ambo Afri fuere, atque ambo monachi. Pomerius quippe ille Arelatensis abbatis nomine compellatur in duabus Ruricii Lemovicensis antistitis epistolis *(videlicet lib.* I *epist.* 17, *et lib.* 2 *epist.* 9, *apud Henricum Canisium editis tom.* I *Thesauri monumentorum:)* et Julianus Pomerius, cum episcopus esset, voluit, uti ipse testatur, sarcina episcopatus sui deposita, elongari fugiens, et manere in solitudine: quæ duo, episcopalis nempe dignitas et solitudo, Pomerio Arelatensi non conveniunt. *Attamen hæc opinio difficultate non caret: vix enim credibile apparet duos fuisse Pomerios, qui ambo fuerint Afri, ambo patriam reliquerint, ambo monachi instituto atque arte Rhetores exstiterint. Hinc Benedictini, qui Historiam litterariam Franciæ ediderunt, tom.* 2, *pag.* 669 *Mabillonium recte refutant, et vocem* episcopatus *improprie sumunt pro administratione monasterii, cujus abbas erat Pomerius. Horum sententia præplacet, ut conformior toti antiquitati. Laudati scriptores pag.* 666 *existimant, Pomerium abbatem fuisse in Insula Arelati suburbana, ubi abbas deinde fuit* Cæsarius *Pomerio substitutus. Probabilis apparet hæc sententia, præsertim quod Pomerius a S. Ennodio in epistola ad eum data vocetur* alumnus Rhodani. *Videri potest hæc epistola apud Sirmondum mox laudatum col.* 826. *Plura de Pomerio ejusque scriptis in assignata Historia litteraria Franciæ.*

k *Hic locus diversimode legitur. Sirmondus in notis ad epistolam Ennodii ad Pomerium verba citat hoc modo:* Quem ipsis singulariter carum *etc. Ms. nostrum habet:* Quem sibi singularem ecclesiarum. *Quod apparet mendosum. Hac de causa editionem Mabillonii hic secutus sum.*

l *De S. Æonio agemus ad* 30 *Augusti, quo colitur.*

m Hujus monasterii (quo ab Honorato conditum censet Saxius in Pontif. Arelat.) nullum amplius exstat vestigium. Ex eo prodiit S. Ailbeus sive Alveus Iliberniæ alter Patricius, de quo Colganus in Actis SS. Hiberniæ XII Septembris. *Ita Mabillonius ad hunc locum. An S. Alveus ibi floruerit sub* Cæsario, *ut affirmant aliqui, loco suo discutietur.*

CAPUT II.

Invitus ad episcopatum promovetur: divina Officia disponit, ac ferventer prædicationibus vacat: infirmis, captivis, et pauperibus consulit: falso accusatus relegatur, agnita deinde innocentia, honorifice revocatur: ignem compescit, pluviam obtinet etc.

Dum ergo antelata insula * ultra triennium in abbatis officio conversatur, sanctus Eonius

** Addit. Mab. parum*

Designatur ab Æonio antistes Arelatensis: quo defuncto latet: sed inventus

nius clerum vel cives alloquitur, et ipsos dominos rerum per internuntios, ut, cum ipse, Deo volente, migrasset ad Christum, nullum sibi alterum quam S. Cæsarium eligerent fieri successorem: quatinus ecclesiasticum vigorem, quem querebatur in multis regulis ægritudine sua fuisse mollitum; per servum Christi Cæsarium ad statum suum et vigorem gratularetur revocari fraternitas; essetque subsequentis labor, emolumentum aliquatenus decessoris *a*; ut, eum talem posterum relinqueb it, augmentum æternæ hereditatis etiam in sanctissimi Viri electione perciperet; et non deesset post transitum socius electionis voto, qui etiam supers es auctor exstitit in decreto. Itaque his omnibus divina providentia fideliter ordinatis, securus de successore beatus Eonius migravit ad Dominum. Cum ergo pervenisset ad notitiam, de quo loquimur, Patris nostri, vera opinio quod esset ordinandus episcopus, inter quasdam sepulturas latibulum requisivit. Sed abscondi non potuit, quem detexit non culpa, sed gratia. Itaque de quadam sepultura trahitur vivus, quem B non mortuum, sed absconsum vitæ claritas ostendebat.

ordinatur: Officia divina ordinat, ac vacat prædicationi,

13 Igitur episcopatus sarcinam coactus suscepit, mansuetoque jumento Christi impositum onus modestiæ temperamento portavit. De profectibus itaque cunctorum sollicitus et providus Pastor, statim instituit, ut quotidie Tertiæ, Sextæque, et Nonæ *b* opus in sancti Stephani basilica clerici cum hymnis cantarent, ut siquis forte sæcularium vel pœnitentium sanctum opus exsequi ambiret, absque excusatione aliqua quotidiano interesse possit officio. Ipse vero spreta omni sollicitudine curaque terrestri, ad instar Apostolorum sollertiam culturæ in dispensatione ordinatoribus et diaconibus credidit sub Dei obtestatione committendam, et totum se verbo Dei et lectioni, inquietis etiam prædicationibus mancipavit. Revera ut spiritalis medicus, qui morborum vitia curaret inserta [et prohiberet malis cogitationibus nascitura: tantamque ei Deus gratiam de se dicendi dedit *c*] ut quidquid oculis videre potuisset, ad ædificationem audientium pro similitudinis consolatione proponeret. Tantum volu- C minum sacrorum seriem commendavit, sic semper recentia congregavit, ut de veteribus nihil amitteret, similis templo Dei, quod et novos quotidie hospites suscipit, et fovet antiquos; et ita semper crescit advenientium introitu, ut numquam veterum discessione minuatur. Ita quantalibet, si res poposcit; divinorum voluminum exempla seriemque narravit, quasi de libro cognita recenseret, non quasi de memoriæ thesauro olim lecta proferret, implens illud Euangelii dictum de homine, qui de thesauro suo profert nova et vetera. Advenientes vero pontifices sive presbyteros, cunctosque ordinis divini ministros, sive loci cives, sive etiam extraneos, ut salutavit atque oravit, paullulum de convivium vel suorum affectu saluteque consuluit.

quam uniuscujusque utilitati attemperat.

14 Mox vero armis sanctæ prædicationis arreptis, de umbra præsentium disputans, de perennitate beatitudinis persuadens, alios dulci invitavit alloquio, alios acriori deterruit, alios minando, alios blandiendo correxit, alios per caritatem, alios per districtionem revocavit a vitiis, alios quasi in proverbiis generaliter monens, alios asperius et sub contestatione divina increpans, ut monita sequerentur, æterna cum lacrymis supplicia minabatur, prout singulorum noverat aut virtutes, aut mores, aut vitia. Ita prædicationem proferebat, ut et bonos incitaret ad gloriam, et malos revocaret a pœna. Sicut bonus medicus diversis vulneribus diversa medicamina providebat, offerens non quod unumquemque delectaret, sed potius quod curaret: non inspiciens voluntatem ægroti, sed sanitatem desiderans competentem infirmis, ipsosque pontifices sanctos, et reliquos rectores Ecclesiæ granditer increpabat; ut plebi sibi commissæ indesinenter spiritale pabulum ministrarent, dicens: Uteris in Christi nomine ordinis primi spiritalis militiæ loco, frater; attende pastorali sollertia talenta tibi commissa, quatenus Fœneratori eadem dupla restituas. Audi prophetam: Væ mihi, quia tacui. Audi Apostolum cum metu dicentem: Væ mihi erit, si non euangelizavero. Vide ne te occupante cathedræ locum alius forsitan secludatur et dicatur illud de te Tulerunt clavem scientiæ, nec ipsi intrant, nec sinunt alios intrare, qui forte melius Dominicis profectibus respondere potuerant. Hoc tamen, inspirante Deo, habuit proprium, ut, dum singulis singula proferebat, unicuique vitæ suæ cursum ante oculos præsentaret, ut qui eum E audiebat, non solum scrutatorem cordis eum crederet, sed quemadmodum testem suæ conscientiæ fateretur. Et sicut erat circa se severissimus, ita apparebat circa alios pro emendatione districtus.

A. Cypriano etc.

Sacra cantica laicis præscribit: infirmis, captivis, et pauperibus consulit.

15 Adjecit etiam atque compulit, ut laicorum popularitas psalmos et hymnos pararet, altaque et modulata voce instar clericorum, alii Græce *d*, alii Latine prosas antiphonasque cantarent, ut non haberent spatium in ecclesia fabulis occupari. Prædicationes quoque compunctissimas, tempori vel festivitatibus congruentes, instituit pariter et invexit. Infirmis vero in primis * consuluit, subvenitque eis, et spatiosissimam deputavit domum, in qua sine strepitu aliquo basilicæ opus sanctum possint audire: lectos, lectuaria, sumptos * cum persona, quæ obsequi et mederi posset, instituit; locum libertatemque suggerendi captivis et pauperibus non negavit. Præcipiebat ministro suo semper, dicens: Vide si aliqui pauperum pro foribus adstant, ne pro quiete nostra forsitan trepida et verecunda potestas ad peccatum nostrum præstolans patiatur injuriam. Traheusque longa de profundo cordis suspiria, di- F cebat: Vere factus est Christus præstolator *e*, et garrulus et surdus, et tamen rogat omnes, suadet, admonet, contestatur. Addebat etiam nos nos procul dubio profectibus in præsenti sæculo pauperes impertitos, quibus nunc, fidejussore Christo, commendaremus in terris, quod postea reciperemus in cælis.

* Mab. adprime

* pro sumptus

Proditionis accusatur apud Alaricum,

16 Sed tranquillitatem hujus sancti Viri post paucos dies æmula diaboli perturbavit adversitas: et cui non habebat, quæ opponeret, vitia corporis, crimen objecit traditoris. Etenim post aliquod tempus perditus quidam de notariis beati Viri, Licinianus nomine, adsumpsit gerere in Virum apostolicum, quod discipulus Judas non timuit adversus Salvatorem nostrum Dei Filium perpetrare. Veneno enim sævæ accusationis armatus, suggessit per auricularios Alarico regi, quod beatissimus Cæsarius, qui de Galliis habebat originem, totis viribus affectaret territorium et civitatem Arelatensem Burgundionum ditionibus subjugare: cum utique præstantissimus ille Pastor flexis genibus pacem gentium, quietem urbium, diebus ac noctibus a Domino generaliter postularet. Qua magis causa credendum est instinctu diaboli ad exsilium sancti Viri ferocitatem

A Cypriano etc.

tem fuisse barbaram concitatam. Non enim acceptus aut gratus est inimico is, qui orat, ut ejus contradicatur operibus.

Burdegalam relegatur, ubi incendium compescit :

17 Igitur instigatione præsentium, nec innocentiæ fides attenditur, nec accusationis veritas flagitatur : sed falsis et illicitis accusationibus condemnatus cum ab Arelato fuisset abstractus, in Burdegalensem *f* civitatem est quasi in exsilio relegatus. Sed ut in eo Dei gratia non lateret, casu accidit, ut nocte quadam civitas sævo flagraret incendio, populique velociter concurrentes ad Dei Hominem proclamarunt : Sancte Cæsari, orationibus tuis exstingue ignem sævientem. Quod cum Vir Dei audisset, dolore ac pietate commotus, venienti flammæ obvius in oratione prosternitur, et statim flammarum globos fixit et repulit. Quo viso omnium concurrentium vocibus divinæ per eum laus est celebrata potentiæ. Post hanc virtutem tanta admiratione ab omnibus habitus est, ut in eadem urbe non solum ut Sacerdos, sed ut Apostolus haberetur, et auctor persecutionis, id est diabolus, confunderetur, qui eum, quem nisus fuerat reum asserere, videbat B divini operis miraculis eminere. Quod ita factum fideli relatione comperimus. Instruxit itaque et ibi et ubique semper ecclesiam reddere, quæ sunt cæsaris cæsari, et quæ sunt Dei Deo : Obedire quidem juxta Apostolum regibus et potestatibus, quando justa præcipiunt, et despectui habere in principe Arriani dogmatis pravitatem. Sic, Veritate testante, non potuit lucerna abscondi supra montem posita, sed quocumque accessit, cunctos illuminavit radians super candelabrum suum *.

* *Mab.* Domini

revocatus accusatorem suum periculo liberat, honorificeque exceptus plurimum impetrat :

18 Posthæc comperta innocentia beati Viri, poscit nefarius princeps, quatenus sanctus Antistes ad pristinam reverteretur ecclesiam, seque civitati pariter præsentaret et clero ; accusatorem vero ejus rex præcepit lapidari. Jamque cum lapidibus populi concurrebant, subito ad aures ejus jussio regis pervenit ; statim festinus assurgens intercessione sua Vir sanctus, non tam vindictæ suæ accusatorem dari voluit, quam supplicatione propria maluit pœnitentiæ reservari ; ut animam ejus per pœnitentiam curaret Dominus, quam per falsam proditionem captivam fecerat inimicus : et domestico hosti clementer indulgens, antiquum adversarium in una causa conscientia pura C bis vinceret. Hoc etiam specialius Servus Dei studuit custodire, ut sive de servis, seu de ingenuis obsequentibus sibi, nunquam extra legitimam disciplinam, id est, triginta novem *g* quisquis peccans acciperet. Si vero in gravi fuisset culpa deprehensus, permittebat ut post dies aliquot, paucis iterum cæderetur ; præpositosque Ecclesiæ contestans, quod si quis amplius negligentem cædi præciperet, et pro ipsa disciplina homo mortuus fuerit, reus esset homicidii, cujus imperio factum fuerit. Cumque nuntiatus fuisset Homo Christi reverti atque imminere prope civitati, egreditur in occursum ipsius tota fraternitas, totusque sexus cum cereis et crucibus psallendo, sancti Viri opperiens ingressum. Et quia facit tripudiare suos virtutibus Christus, et perfidos aperta mirabilium luce confundi : in adventu Servi sui Dominus terram arentem longissima siccitate, largissimo imbre perfudit, ut fructum secunditas sequeretur ; quando revertebatur sibi placitus dispensator.

populum retinet in concione

19 Posthæc quadam die prospiciens de altario, vidit aliquos lectis Evangeliis de ecclesia foras exire, qui verbum beati Viri, id est prædicationem dedignabantur in primo cognoscere. Illico occurrens, clamavit ad populum : Quid agitis, o filii? quo ducimini foris mala suasione subversi ? State pro animabus vestris ad verbum admonitionis, et audite solliciti. Hoc vobis in die judicii facere non licebit. Moneo et clamo contestorque : non ergo estote fugitivi vel surdi. Ecce oris mei buccina, quasi anima cujusque vestrum fuerit diaboli mucrone perempta. Non tenebor de taciturnitate culpabilis. Ob hoc sæpissime ostia post evangelia claudi fecit, donec Deo volente gratularentur coercitione et provectu qui fuerant * fugitivi.

D

* *addit. Mab.* ante

ANNOTATA.

a *In Ms. nostro, quod hic deserendum censui, mendose legitur* successoris.

b Omittit Primæ Officium, *ut advertit Mabillonius*, quod die Dominico, Sabbato, et festis solemnibus duntaxat dici voluit, ut constat ex Appendice, quam Regulæ monialium subjecit. *Horæ canonicæ eo tempore necdum ordinatæ erant, prout hodiedum sunt.* E

c *Quæ uncis inclusa vides, aberant a Ms., quod alias sequimur. Verum habentur illa in editione Mabillonii, cui, paucis exceptis verbis, consonat Ms. Bisonticense.*

d *Audi notata Mabillonii ad hunc locum :* S. Hieronymus in Procemio libri secundi in epistolam ad Galatas refert ex Varrone, Massilienses Arelatensium comprovinciales, trilingues fuisse, ac Græce, Latine, Galliceque locutos. Quem linguarum usum per Gallias ex celebri Massiliensium academia diffusum suspicari licet ex libro sexto Julii Cæsaris de Bello Gallico, quo auctore discimus, Gallos in omnibus fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis litteris usos esse. At vero ex hoc loco Vitæ S. Cæsarii colligimus, linguæ Græcæ usum ad sextum usque sæculum apud Arelatenses, etiam penes laicos et plebeios, remansisse, ac in sacris fuisse officiis usurpatum.

e *Mabillonius legit* protelator. *Porro per vocem* Christus *designantur hic pauperes, seu membra Christi, quorum vitia non negat ; illis tamen succurrendum docet.*

f Burdegala, *Gallis* Bourdeaux, *urbs est notissima Galliæ ad Garumnam fluvium, quæ Alarico Visi-Gothorum regi parebat tunc temporis. Totum hoc factum refert Sigonius de Imperio Occidentali lib.* 16, *num.* 504 *editionis novæ, recteque cum Vita consentit, nisi quod notarius, Sancti accusator, qui hic* Licinianus *dicitur, ab eo nominetur* Licumannus. *Laudatus Sigonius rem contigisse ait* sub tempus *consulatus Cethegi, id est, circa annum* 504, *quo is sine collega consulatum gessit. Nos annum* 505 *verisimiliter statuendum diximus in Commentario num.* 16. F

g *Plagarum modus, Judæis præscriptus Deuteronomii cap.* 25 ỳ. 2 *et* 3, *erat, ne quadragenarium numerum excederent. Illi vero ad cautelam unam de numero detrahebant. Hinc Paulus* 2 *Cor. cap.* XI ỳ. 24 : A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi.



A

CAPUT III.

Cœnobium sacris virginibus structum, regulaque eis conscripta : Sanctus calumniis appetitus in carcerem truditur, ac deinde Ravennam ducitur : captivi redempti : miracula.

Incipit monasterium struere sacris virginibus : quod in urbis obsidione destruitur :

Concepit igitur mente Homo Dei, ut semper regnante Domino, divino instinctu, non solum clericorum catervis innumeris, sed etiam virginum choris Arelatensium ornaretur ecclesia, et civitas muniretur : quatenus plenariam segetem non infructuosus agricola cælestibus horreis et superstes conderet, et receptus sequacitate sua doceret inferri. Sed dispositionibus istis B diabolicæ invidiæ obviavit aliquantisper adversitas. Etenim obsidentibus Francis ac Burgundionibus civitatem, jam Alarico rege a victoriosissimo Clodoveo in certamine perempto, Theodoricus *a* Italiæ rex provinciam istam ducibus missis intraverat. In hac ergo obsidione, monasterium, quod sorori seu reliquis virginibus inchoabat fabricari, multa ex parte destruitur, tabulis ad cœnaculis barbarorum ferocitate direptis pariter et eversis. Dumque laborem, quem festinus urgebat, manuque propria et sudore construxerat, everti videret et dextrui; geminato cœpit mœrore consumi.

calumniis appetitus carceri mancipatur,

21 Tunc quidam clericus concivis et consanguineus ipsius, captivitatis timore perterritus, et juvenili levitate permotus, diaboli contra Servum Dei * instinctu *b*, funiculo per murum sese in nocte summittens, ultro offertur in crastino sceleratissimis obsidentibus inimicis. Quod ubi Gothi intrinsecus agnoverunt, irruunt in sanctum Virum, popularium seditione pariter et Judæorum turba immoderatius perstrepente atque clamante, quod in traditionem civitatis, adversariis personam compatrioticam *c* noctu destinasset Antistes. Nihil ergo fidei, nihil probationi ; nihilque puræ conscientiæ reservatur, Judæis præsertim et hæreticis idipsum absque reverentia et moderatione clamantibus : Extrahatur a domo ecclesiæ Antistes, atque in palatio arctissimæ custodiæ mancipetur : quatenus sub nocte aut profundo Rodani mergeretur, aut certe in castro Ugernensi *d* teneretur detrusus, donec exsilio et tribulatione ipsius amplius baccharetur adversitas. Domus igitur ecclesiæ et cubiculum Antistitis Arrianorum mansionibus constipatur. Unus tamen ex ipsis Gothis, qui se in lectulo illius, aliis contradicentibus, collocavit, a Divinitate percussus, alia die mortuus est, ut Servi Dei locum nullus de reliquo auderet polluta conscientia violare. Cum ergo ex utraque ripa drumonem *e*, quo inlectus fuerat, obsidione hostium Gothi Dei nutu subrigere non valerent, revocantes sub nocte in palatio sanctum Virum, personam ipsius texere silentio, ut, utrum viveret, nullus Catholicorum posset agnoscere.

* Addit Mab. armatus

22 Dum ergo, diabolo exsultante, ista geruntur in gaudio Judæorum, qui in nostros ubique sine ullo respectu perfidiæ probra ructabant; nocte quadam unus ex caterva Judaïca de loco, ubi in muro vigilandi curam forte susceperant, ligatam saxo epistolam, quasi inimicos percuteret, adversariis jecit : in qua nomen sectamque designans, ut in loco custodiæ eorum scalas nocte mitterent, invitavit ; dummodo ad vicem impertiti beneficii, nullus Judæorum intrinsecus captivitatem perferret aut prædam. Mane vero, amotis aliquantulum a muro inimicis, egredientes quidam extra antemurale, inter parietinas, ut solet, repertam epistolam deportant intro, et publicant cunctis in foro. Mox persona producitur, convincitur et punitur. Tum vero sæva Judæorum immanitas Deo et hominibus invidiosa tandem aperta luce confunditur. Mox Daniel quoque noster, id est, sanctus Cæsarius, de lacu leonum educitur, et satraparum accusatio publicatur ; et impletum est de auctore eorumdem, Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.

A. Cypriano etc. sed, agnita Judæorum fraude educitur :

23 In Arelato vero Gothis cum captivorum immensitate reversis *f*, replentur basilicæ sacræ, repletur etiam domus ecclesiæ constipatione infidelium *g*, eisque in grandi penuria alimenta pariter et vestitum Homo Dei impertitur affatim, E donec singulos redemptionis munere liberaret, expenso argento, quod venerabilis Eonius *h* antecessor suus ecclesiæ mensæ reliquerat, custodiens illud, quod Dominus in arantino *i* paropside tinxit panem, non in argenteo vase ; et discipulis præcepit non possidere aurum neque argentum. Opus vero sanctum usque ad divini ministerii dispensationem peragitur : etenim * thuribulis, calicibus, patenisque pro eorumdem redemptione datis, sacrata templi redemptione venduntur. Videtur etiam quod securium ictus in podiis et cancellis feriantur *k*, dum inde columnarum ex argento excutiuntur ornamenta. Hoc Vir Dei faciebat, dicens, ne rationabilis homo sanguine Christi redemptus, perdito libertatis statu, pro obnoxietate aut Arrianus efficiatur, aut Judæus, aut ex ingenuo servus, aut ex servo ingenuus.

captivos redimit opibus ecclesiæ suæ,

* Mab. et cum

24 Ornavit enim * et tutavit, non deformavit ecclesiam : aperire fecit filiis matris viscera, non damnari : hoc sæpissime dicens : Velim tamen dicerent darentque mihi rationem aliqui Domini sacerdotes, sive reliquus clerus, qui nescio F quo superfluitatis amore nolunt dare insensibile argentum aut aurum de donariis Christi pro mancipiis Christi. Velim, inquam, dicerent, si sibimet casualiter ista adversa contingerent, utrum se cuperent insensibilibus liberari donariis : aut forsitan sacrilegium computarent, si * aliquis de divinis munusculis subveniret. Non credo, contrarium esse Deo de ministerio suo redemptionem dari, qui se ipsum pro hominis redemptione tradidit *l*. Videmus ex hoc aliquos laudare quidem factum sancti Viri, et tamen nullatenus æmulari. Nonne in vitro Sanguis Christi, et in ligno Corpus pretiosissimum ejus pependit pro nobis et fulsit? Nos tamen credimus et confidimus in Domino Deo per misericordiam et fidem seu orationem beati Cæsarii, quia sic in diebus suis ab hostibus Arelatensis obsessa est civitas, ut nec captivitati meruerit, nec prædæ succumbere. Sic deinde a Wisigothis ad Ostrogothorum *m* devoluta est regnum. Sic hodieque in Christi nomine gloriosissimi Regis Childeberti *n* subditur ditioni, ut (sicut legimus) transierunt de gente in gentem et de regno ad populum alterum, et non permisit Deus sub illo hominem nocere Arelatensibus suis. 25 inter

factumque contra obtrectatores defendit :

* Mab. addit per hoc

* Mab. addit his

A. Cypriano etc. cœnobium virginum perficit, eique sororem dat abbatissam :

25 Inter ista igitur monasterium præcipuum, quod sorori suæ parare cœperat, instar prioris normæ, et singularitate claustri reædificavit. Ipse vero (siquidem nihil obviat mysterio, quod congruit Christiano) quasi recentior temporis nostri Noë, propter turbines et procellas, sodalibus vel sororibus in latere ecclesiæ monasterii fabricat arcam: evocatque e Massiliensi monasterio *o* venerabilem germanam suam Cæsariam, quam inibi ideo direxerat, ut disceret quod doceret, et prius esset discipula quam magistra, et in præparatis habitaculis cum duabus aut tribus interim sodalibus intromittit. Conveniunt inibi virginum multitudines catervatim: facultatibus quoque et parentibus renuntiantes, respuunt mortalium flores fallaces pariter et caducos. Cæsarii patris, Cæsariæ matris expetunt gremium, quatinus cum eodem accensis lampadibus cælestis regni januam præstolentur, et competenter ingressæ, Christi perpetuis mereantur amplexibus inhærere: ita retrusæ, ut usque in diem transitus earum nulli liceat foris januam egredi de B monasterio.

Ravennam abductus, a Theodorico honoratur muneribus,

26 Pro ista denique causa proque hoc studio procul dubio contra Servum Christi diabolus, ut leo rabidus intumescens, iterum accusatione confecta extrahi ab Arelate Antistitem fecit, et in Italiam sub custodia, Ravennamque perduci: ut impleretur in eo, Sicut probatur aurum et argentum in fornace, ita corda electorum apud Deum. Adiit ergo palatium, regem quoque Theodericum Christo duce salutaturus aggreditur. Ut vero rex Dei Hominem intrepidum venerandumque conspexit, ad salutandum reverenter assurgit, ac deposito ornatu de capite clementer resalutavit, primum interrogans de labore ipsius atque itineris, dehinc de Gothis suis, ac de Arelatensibus affectuose requirens. Egresso igitur Viro sancto * a conspectu regis, suos alloquitur rex, dicens: Non parcat illis Deus, qui hujus innocentiæ Virum atque sanctitatis frustra fecerunt itinere tam longo vexari. Qualis sit ille, hinc probatur, quia ingresso eo ad salutandum me totus contremui. Video, inquit, angelicum vultum, video apostolicum Virum: nefas arbitror mali quippiam de tam venerando Viro censere. Post- C hæc recepto in diversorio mittit muneris loco, pransuro argenteum discum, cujus pensum *p* ad sexaginta libras circiter jungebatur, adjectis solidis trecentis, rogante pariter, et dicente: Accipe, sancte Episcope, rogat filius vester rex, ut vasculum istud muneris loco dignanter Beatitudo vestra percipiat, et in usum pro memoria sui habeat.

** Addit Mab. pontifice*

o

p

quæ pauperibus distribuit, rege factum laudante :

** cochlearibus*

27 Ille vero, qui in usum mensæ suæ argentum numquam habuit absque cochlearia *, die tertia per ministros suos adpretiatum discum facit publice venumdari, ejusque pretio captivorum cœpit plurimos liberare. Mox, inquiunt, regi nuntiaverunt famuli sui: Ecce vidimus in proposito venalium dominicum munus venale, cujus pretio S. Cæsarius multitudines liberat captivorum. Etenim tanta enormitas pauperum in meditatu *q* ipsius erat et domus atrio constipata, ut vix ad salutandum eum pro densitate suggerentium miserorum possit accedi. Nam et per plateas, innumeras catervas infelicium vidimus cursitantes, euntes scilicet ac redeuntes ad Virum. Quod ubi factum hujusmodi comperit Theodoricus, tanta laude et admiratione prætulit, ut observantes ejus palatio senatores ac proceres certatim omnes oblationis suæ mercedem per beati Viri dexteram cuperent dispensari, divinitus semet proclamantes esse respectos, quod talem D Pontificem fuissent digni conspicere, qui temporibus illis, dictis et factis, verus Apostolorum successor et apostolicus appareret. Et quia nihil velocius fama percurrit, opere sanctissimo crebrescente, statim sancti Viri sancta pervolavit Romam opinio, cœpitque inibi a senatu et proceribus, a Papa quoque et clericis, simulque et popularibus tanto caritatis desiderari fervore, ut ante singulorum cordis inhæreret amplexu, quam corporalibus oculis videretur. Interea omnes captivos ultra Durentiam *r*, maximeque Arausici *s* oppidi, qui * ex toto fuerat captivitati contraditus, cujus etiam partem Arelatum *t* liberaverat redimendo, mox inventos in Italia redemit, ut potuit. Et ut eis libertas plenior redderetur, imposuit eum sumpto * jumentis et plaustris in via, suorumque solatio et ordinatione fecit ad propria revocare.

r s

** l. quod etc.*

t

** pro sumptu*

mortuum ad vitam revocat,

28 Inter hæc in prædicta Ravenna civitate quædam vidua habebat filium adolescentem præfectoriis efficiis militantem, qui indigentiam ge- E nitricis emolumentis ac propriis stipendiis sustentabat. Hic puer, subita infirmitate faciente, jacebat exanimis. Cui cum humanæ curationis spes omnis et consolatio defecisset, mox mater ejus, relicto et omisso filio, ad Virum Dei festina percurrit: et prostrato corpore oculisque rigantibus, dans insuper ululatus, fide solummodo vigente, beati Viri genua complexa clamavit, dicens: Credo quia miseratio divina ideo huc te, Sancte *, deduxit, ut filium redderes matri. Flebiliter deprecanti mulieri paululum recusavit; et tamen durum credens, si tales non audiret lacrymas, solita miseratione commotus, volens scilicet sic debitum impendere caritatis affectum, et sic in Dei nomine virtutem exercere, ut in omnibus refugeret vanitatem, ad turgurium ejus occulte latenterque pervenit. Fusa itaque prece more solito prostratus, ubi divinam virtutem vocationis suæ per Spiritum sanctum adesse sensit, abscessit. Notario vero suo illo tempore, nunc venerabili Presbytero Messiano, relicto præcepit, ut eum adolescens ad se reverteretur, sibi protitinus nuntiaret. Qui cum ante decumbentis lectu- F lum excubaret, necdum hora completa, puer de mortis est tenebris revocatus, et mox reseratis orbibus oculorum matrem alloquitur, dicens: Vade, mater, ad Servum Dei festinanter et propera, cujus orationibus tibi vitæque sum redditus, et age gratias, quod meritis virtutibusque suis Deus dedit effectum. Illa perniciter advolans accurrit, gratias non tantum verbis, quantum lacrymis et vocibus gaudiisque, persolvens, postulansque, ut quem Deus per illum isti luci reddiderat, ad Gallias rediens de suo non pateretur discedere famulatu. Sed beatus ille Vir altioris ingenii respondit, eam illi potius debere referre gratias, cujus virtus et pietas omnibus mœrentibus et clamantibus adesse consuevit. Hujus igitur miraculi magnitudo non solum civitatem illam, sed provinciam cunctam fidelium devotionibus ac nunciis peragravit.

** Addit Mab. Dei*

domum dæmonum vexatione liberat.

29 Medicus etiam diaconus Elpidius, regia potestate ac sedulo famulatu intimus, diabolica infestatione non solum reliquis diversis insidiis fatigatus, sed et saxorum quoque imbre in domo sua crebrius appetitus, Sanctum Dei exorat, ut a vexatione ipsa ejus mereretur orationibus liberari. Cujus domum sanctificaturus ingrediens, benedictæ.

A benedictæ aquæ infusionem respersit, atque ita consuetæ vexationis discriminibus liberavit, ut ultra ibi nihil tale contigerit.

ANNOTATA.

a *Theodoricus Ostrogothorum in Italia rex notissimus est in historia. Ejus ingressum in Italiam affigit Pagius anno* 489, *mortem anno* 526. *Arianus erat, ut Gothi plerique eo tempore, sed moribus alioquin et regimine commendandus, ac erga Catholicos et viros sanctitate illustres satis benignus, si maculas aliquas non contraxisset. Factum hoc exposuimus in Commentario* § 2, *ubi diximus, Alaricum a Clodoveo cæsum anno* 507, *urbem obsideri cœptam anno* 508, *solutamque obsidionem anno* 510.

b *Id est, diabolo id agente, ut calumniæ occasio daretur adversus Sanctum.*

c *Id est, popularem suum, in Burgundia natum, opinor: nam ibi natus erat* Cæsarius.

d Castrum Ugernense, *inquit hic Mabillonius*, ex Strabone lib. IV constitui debet inter Nemau-
B sum et Tarasconem, eo scilicet in loco, ubi nunc urbs Bellocaria, vulgo Beaucaire, conspicitur, ex Samsonis geographi regii sententia. Joannes Bularensis in Chron. ad annum III Mauritii meminit Ugerni castri, quod in ripa Rhodani fluminis locat. *Longuevallius tom.* 2, *pag.* 299 *observat, inter geographos non convenire de situ illius castri.* Multi, *ait*, existimant, urbem esse hodiedum Belloquadram *(Beaucaire)* dictam: probabilius est, insulam esse Rhodani, quæ GERNICA, LA VERGNE, vocatur, *quia nimirum illud nomen vicinius. Posterior hæc sententia ex Valesio desumpta est, qui in Notitia Galliarum pag.* 601 *de Ugerno castro latius disputat.*

e Drumo, *rectius* dromo, *navim celerem designat* ἀπὸ τοῦ δρόμου, *seu cursu.*

f *Nimirum post cæsos ingenti strage hostes, solutamque obsidionem ope submissi a Theodorico agminis.*

g *Non pauci etiam tum inter Francos ethnici, etiamsi rex eorum Clodoveus ad fidem Christianam cum multis esset conversus.*

h *De S. Æonio pauca in Commentario, plura ad* 30 *Augusti, ut jam diximus.*

i *In Ms. nostro* araantino. *At vox hæc æque*
C *est ignota. Mabillonius vocabulum sic explicare nititur:* Derivatum videtur ab ἀραιός, quod rem fragilem significat, quale est vas figulinum vel vitreum, fortasse ab auctore hic intellectum, ut ex sequentibus colligitur.

k *Hæc phrasis perturbata est apud Mabillonium, atque aliam exhibet sententiam, ut reperiet, qui utramque simul conferre voluerit.*

l *Ex hisce Sancti verbis abunde patet, non defuisse, qui charitatem hanc ejus reprehenderent. Defendere quoque se poterat* Cæsarius *exemplo S. Augustini et S. Ambrosii, quos in hoc facto erat imitatus. Audi ipsum S. Ambrosium lib.* 2 *de Officiis cap.* 28: Hoc maximum, *inquit*, incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus; et plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel invidiam perpeti, quam prætendere inclementiam; ut nos aliquando in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus, quod Arrianis displicere potuerat; nec tam factum displiceret, quam ut esset, quod in nobis reprehenderetur. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur a morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt; adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? *Idem plane dicere poterat* Cæsarius.

A. CYPRIANO ETC.

m *Theodoricus Ostrogothorum rex urbem obsidione liberatam eodem tempore sibi asseruit, ut patet ex tributo per ipsum Arelatensibus remisso. Adi Commentarium num.* 17.

n *Childeberto obtigit civitas Arelatensis anno* 536, *cum Viliges Ostrogothorum rex Francis cessit, quidquid possidebat in Gallia, regesque Francorum, filii et heredes Clodovei, ditionem illam inter se partiti sunt. Plura de his Cointius ad annum* 536 *num* 1, *et seqq.*

o In parthenone, *ait Mabillonius*, a Joanne Cassiano sanctimonialibus erecto in agro Massiliæ suburbano ad Yvelinum amnem, unde nomen cœnobio, quod pridem eversum est, reditibus S. Paulæ parthenoni urbano attributis.

p Pensa *pro pondere, opinor, hic sumitur, licet alia quoque significet apud scriptores medii* E
ævi.

q *Vox obscura est, at sensus ex sequentibus colligitur.*

r Druentia *Gallis* la Durance, *oritur ex monte Genebra, uno ex Alpibus Cottiis in Brigantino tractu Delphinatus, deindeque per Provinciam lapsus. Rhodano excipitur una leuca infra Avenionem.*

s Arausio *vulgo* Orange, *oppidum est Provinciæ trans Druentiam. Illud a Gothis, post cæsos apud Arelatem Francos et Burgundiones, Druentiam transgressis, captum fuisse, hinc satis colligitur.*

t *Mabillonius habet* Arelato.

CAPUT IV.

Romam profectus varia obtinet a Pontifice: deinde domum regressus, variis virtutibus et miraculis fulget.

F

Posthæc Romam veniens, beato Symmacho *a* tunc Papæ, ac deinde senatoribus et senatricibus præsentatur. Omnes Deo gratias et regi retulerunt, quod meruissent corporeis oculis intueri, quem jam dudum oculis cordis aspexerant. Igitur Virum apostolicum non jam fama vulgante, sed corporali præsentia comprobantes, certatim diligere ac venerari cœperunt. Pro qua re etiam Papa Symmachus tanta meritorum ejus dignitate permotus, non solum verissime eum metropolitanæ honore suspexit, sed et concesso specialiter pallii decoravit privilegio. Diaconos ipsius ad Romanæ instar Ecclesiæ Dalmaticarum fecit habitu præeminere.

Romæ varia impetrat a Pontifice: *a*

31 Dehinc ad propria reversus, Arelatensem ingreditur civitatem, psallendo suscipitur, secumque expedita redemptione octo millia solidorum *b*, qui exsiliandus ierat, ab Italia defert. Etenim die, qua civitatem ingressus est, ecclesiam ad vesperam benedictionem daturus intravit:

ad suos reversus, feminam sanat, *b*

A CYPRIANO ETC.

apud Mab. additur in ecclesia

vit : et ecce una ex feminis tremore correpta, cum spumis ejulans, et proclamans, pavefactis * cunctis, erupit : quæ adprehensa hinc atque inde manibus, beato Viro ante altare ilico præsentatur, exorantibus cunctis, ut depulsa peste redintegrari mulierem faceret sospitati. Tunc suo ille more pro eadem in oratione prosternitur, et imponens capiti manum, omnes sensus ac vultum tactu olei sacri perunxit. Quo facto, nequaquam deinceps repetiit mulierem depulsa in nomine Christi calamitas.

captivos magno studio redimit.

32 Interea habebat præcipuam inter reliquas sollicitudinem captivorum : tantusque in hac administratione fuit, tamque præclarus, ut nullius hoc possit explere relatio. Nam quodam die, dum deesset sanctis manibus auri vel argenti species, quod daretur egenis, interpellatus a paupere, ait : Quid tibi faciam, miselle meus? Quod habeo hoc do tibi. Ingrediens ergo cellam suam, casulamque, quam processoriam *c* habebat, albamque *d* pascalem exhibens, dedit ei, dicens : Vade, vende cuicumque clerico, et pretio ipsius redime captivum tuum. Non solum enim, qui
B eum expetierunt captivitatis sunt vinculis absoluti, sed ipse quoque pro redimendis captivis Carcassonam *e* profectus est civitatem. Nam et multis vicibus per loca diversa abbates, diacones et clericos pro redemptione miserorum direxit.

præclaris virtutibus

33 Tot autem divinæ gratiæ virtutes solus habere promeruit, quot vix in plurimis Deo servientibus floruerunt. Ipse tamen sic in se unamquamque personam semper excoluit, tamquam si ipsam solam prorsus haberet : tamdiu ejus præcedentia pulcherrima ac jocundissima videbatur, quamdiu a sequentibus vinceretur. Quis enim ejus patientiam, quis puritatem, quis caritatem, quis fervorem spiritus, quis discretionem, quis benignitatem, quis zelum sanctum, quis jugem meditationem die ac nocte in lege Domini poterit explicare? Assertor fidei, forma sacerdotum, ornatus ecclesiarum, prædicator gratiæ, exstinctor jurgii, seminarium caritatis, norma disciplinæ, morum ponderator, libra consilii, defensio pupillorum, captivorum redemptio. Numquam de ore illius detractio, numquam mendacium, numquam maledictum contra qualemcumque personam processit. Et non solum non
C detraxit cuiquam, sed nec detrahentem patienter audivit.

fulget.

34 Si quis suorum juravit subito, aut forsitan maledixit, prout persona fuit, ita in eo salubriter vindicavit. Illius tamen ista fuit pro maledictione benedictio, si contra aliquem aliquando motus est : Deleat Deus peccatum tuum, auferat Deus peccata tua, castiget Dominus delictum tuum, ut illuc non servetur tibi : corrigat hic Dominus errorem tuum. Ad * interiorem suum prodebat exterior. Nam vultu semper placido et angelico, ita ut secundum Scripturam, corde lætante vultus floreret. Sic * numquam in risu justo remissior, ita numquam mæroris nimietate depressus, nisi forte quando pro alienis peccatis lugebat. Numquam aliquem odio habuit, et non solum pro amicis sed etiam pro inimicis toto affectu cordis orabat. Nec docuit verbis, quod non adimpleret exemplis. Nulla cum hora diei sine divini eloquii meditatione transibat, sed nec dormientem prætcribat. Nam frequenter et dormire visus est et meditari. Et cum a meditatione psalmorum aut prædicatione cessare videretur, lector aut notarius ante eum lege-

* ad *omittit Mab.*

* *Mab.* sicut

re non desistebat : ita ut recte et veraciter diceret : Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. D

mulierem per Eucherium episcopum sanat,

35 Quodam igitur tempore dum iter ageret circa Alpina loca, vir venerabilis sanctus Eucherius *f* episcopus cum ipso erat. Factum est autem, ut in media strata *g*, infelix et infirma mulier occurreret manibus et pedibus contractis, et per terram reptans. Quam cum fuisset intuitus, interrogavit ipsum sanctum Eucherium, quid esset hoc, quod sic per terram se traheret. Ille mulierem interrogavit. Ipsa respondit, jam annis multis paralyticam se, et omnibus membris esse contractam. Tunc beatus Cæsarius dixit sancto Eucherio : Descende et signa eam. Ille quasi trepidare et excusare cœpit : omnino ille non desistere nisi faceret. Descendit itaque et signavit eam et dixit : Ecce feci, quod jussisti. Cui rursus ait : Mitte manum tuam, et apprehende manum illius, et erige eam. Ille respondit : Faciam aliud, quidquid tu Eucherio jusseris, hanc vero rem aggredi non præsumam. Sed istud fac tu, cui dedit Deus et animas et corpora sanare languentium. Respondit ei sanctus Cæsarius : Interim tu fac, quod dico. Cumque E
ille fortiter reniteretur, et humiliter ac lacrymabiliter excusaret, diutiusque contenderet, dixit ad eum : In ignem tu propter obedientiam ingressurus eras, qui nec propter misericordiam es paratus facere, quod caritas jubet? Mitte ergo manum tuam in nomine Domini et erige eam. Tunc jussis obediens, mulierem porrecta manu levavit, pedibus suis atque omnibus membris recuperatis, ad hospitiolum suum incolumis ambulavit.

apros exterminat :

36 Nam quantis virtutibus emicuerit, quis enararre valeat? Factum est, ut in agro monasterii sui suburbano apri frequentarent. Egrediebantur comites civitatis vel reliqui militantes, et non permittebant homines in domibus habitare vel laborare, sed nimia eos cæde mactabant, quare eos prohiberent. Illi vero diutius jam non ferentes injurias et inquietudines, venerunt et interpellaverunt ipsum Dominum, proclamantes et dicentes : Fac de nobis, quod jubes; nam nec servire vobis, nec ibi stare possumus. Sollicite interrogat, quæ essent querelæ eorum. Qui responderunt : Propter apros veniunt comites et Gothi et diversi venatores, et interficiunt nos. At ille publica voce, elevatis oculis et manibus, aspiciens in cælum dixit : Domine Jesu Christe, F
ne in loco ultra apri accessum habeant. Ex eadem hora usque in præsentem diem numquam ibi nutrierunt *h*, sicut consueverant, nec comparuit, quod venari posset. Merito imperavit bestiis, qui a se repulit omne vitium. Potuit ille impetrare a Deo, cujus præceptum numquam præterivit.

oleo ejus sacro dæmon expellitur.

37 Evenit etiam, ut illustrissimi viri Parthenii patricii puer, qui prælatus servis ceteris a domino suo præcipuus habebatur, per quamdam nequissimam tentationem sæpius in terram damnato sensu corruit. Et dum revera hostis ipsius vexatio magis animi quam corporis infirmitas videretur, oleo beatissimi Viri benedictione sacrato perunctus est. Quo facto, ita ab eo tentatio maligna * discessit, ut quem cessante cura terreni medici per Servum suum Christus reddiderat sanitati, domi etiam suæ dominus ipse præponeret pro exemplo terroris. Et quod sub admiratione magis potest esse formidini; ad declarandum meritum Viri sanctissimi, memorabile factum

* *Mab.* maligni

A factum ejus nefas est silentio præterire.

punitur divinitus quidam in Sanctum injurius,

38 Dum Sanctus igitur dioeceses suas circumiens, in villam, quæ Launico dicitur, a dominis propriis fuisset exceptus, in cella, in qua lectum habuit, post discessum illius in stratum ipsius pestifer quidam, Anatolius nomine, medicus, pro tali crimine valde condolendus, scortum expetiit meretricis : ubi mox ab incentore suo diabolo publica vexatione correptus, in conspectu hominum est elisus in terram : et publica voce, pro qua præsumptione correptus fuerat, dum Servi Dei virtutem confiteretur, sceleris sui publicavit admissionem.

miraculo servatur oleum ejus, confracta ampulla. * *Mab.* servi

39 Scimus etiam multas per intercessionem Viri * Dei Dominum fecisse virtutes, quas longum est per ordinem prosequi. Nam cum unus e uostris, qui hæc scripsimus, pro suffragio suo benedictionis ab ipso consecratum oleum postulasset, ampullulam plenam ab ipso acceptam diligenter ad domum referens, tamquam maximas reliquias studuit conservare. Et dum post aliquod tempus tertianæ febris urgeretur ardoribus, ampullulam, in qua erat oleum, maxima
B veneratione grandique præsidio ad caput suum petiit debere suspendi. Quæ dum fuisset mundissimo linteo involuta, ut credimus, negligentia faciente famulorum, confracta est. Sed ita intra ipsam stetit oleum, ut nullus liquor in terra vel iu liuteo descenderet. Quo viso, dum in vase alio cum summa velotate mutaretur cum perevacuata fuisset, statim se ampulla confracta dissolvit : et ab ipso qui hæc veraciter memorat, adjuvante Domino, febris siue ulla dilatione discessit.

ANNOTATA.

a *Symmachus Pontificatum tenuit ab anno* 498 *usque ad* 514, *quo obiit* XIV *Kalendas Augusti, ut ibidem habet Pagius num.* I. *Gesta autem* Cæsarii *cum Symmacho contigerunt anno* 513, *quæ latius exposuimus in Commentario* § 3.

b *Superflua ex eleemosynis acceptis, opinor, ut ea Arelate impenderet redimendis captivis, aut aliis operibus piis.*

c *Id est, quantum conjicio, qua in processionibus, seu supplicantium agmine, utebatur.*

d Planetam Albam *explicat Mabillonius. Malim intelligere vestem lineam talarem, quæ* alba *passim dicitur, quaque sacerdotes induuntur Missam*
C *celebraturi sub casula seu planeta. Paschalem vocat, quia optima erat, et festivitati Paschali deputata.*

e Carcasso, *quæ* Carcassona *frequenter nominatur, Gallis* Carcassone, *urbs est in Occitania inferiori ad Atacem fluvium, quæ satis nota est, et intervallo non exiguo ab urbe Arelatensi dissita. Hinc eximium Sancti studium ad redimendos captivos luculenter innotescit.*

f Eucharius scilicet junior; *inquit Mabillonius* : nam duos hujus uominis sedisse in cathedra Lugdunensi, supra in Actis S. Consortiæ demonstratum est. *Verum de Eucherio II, qui* Cæsario *fuisset contemporaneus, non levis est controversia inter eruditos, ut videre est in nova Gallia Christiana tom.* 4, *col.* 28 *et sequentibus, ubi præcipua utriusque partis argumenta recensentur. Ipsam litem omnino dirimere non est hujus loci, cum id fieri debeat, quando Acta S. Eucharii venient discutienda. Attamen facile ostendam, ex hoc loco imbelle depromi argumentum pro secundo Eucherio. Nam imprimis*

neo in Ms. nostro, nec in editione Mabillonii Eu- A. CYPRIANO *cherius dicitur* episcopus Lugdunensis, *sed episcopus tantum, ita ut vox* Lugdunensis *videatur adjecta a Surio, qui eo modo rem magis explicare voluit. Ex Surio irrepsit vox eadem in editionem Vincentii Barralis, qui Surium in multis secutus est. Jam vero non difficulter ostendi potest, cujus civitatis antistes fuerit Eucherius. In laudata Gallia Christiana tom.* I, *col.* 798 *proferuntur ex* vetustissimo conciliorum codice Ms. *nomina quorumdam episcoporum, qui subscripserunt concilio Arelatensi* IV, *additis urbium nominibus; quæ in concilii editis desiderabantur. Inter hos antistites legitur* Eucherius in Christi uomine Avennicæ *(id est, Avenionis)* ecclesiæ episcopus. *Hinc infero, Eucherium Avenionensem esse, qui quatuor consiliis per* S. Cæsarium, *ut narravimus, intra paucos annos habitis, nempe Arelatensi* IV, *Carpentoractensi, Arausicano* II, *et Vasensi subscriptus legitur* Eucherius, *sine urbis nomine. Hinc ulterius deduco, non alium Eucherium hoc loco fuisse* S. Cæsarii *comitem, quam laudatum Avenionensem, cum id locorum propinquitas omnino suadeat, et argumenta pro Eucherio Lugdunensi II allata nullius sint momenti, ut ostendi poterit suo loco.* E

g Strata *pro via sæpe legitur.*

h *Mabillonius legit,* nec truerunt; *atque ita notat:* Sic legendum videtur, non NUTRIERUNT, ut aliis : TRUO olim dictum pro DESTRUO, quod apris optime convenit. *Præplacet tamen lectio Ms. nostri, in quo habetur* nutrierunt.

CAPUT V.

Fervor in prædicando per se et alios : statuta ejus quædam : doctrina in suspicionem vocata et Romæ probata : hospitalitas.

Variæ virtutes, ardor docendi et prædicandi, * *Mab.* et

In differendis autem Scripturis; et iu elucidandis obscuritatibus, quanta gratia in illo emicuerit, quis poterit narrare? Ita ut hæc ei * summa jocuuditas fuerit, si illum aliquis, ut ob- F scura dissereret, provocaret. Et ipse frequentissime incitabat, dicens nobis : Scio, quod non omnia intelligitis : quare non interrogatis, ut possitis cognoscere? Quia non semper vaccæ ad vitulos currunt, sed nonnunquam vituli ad vaccas, ut de matrum uberibus possint suam esuriem satiare. Hoc et vos omnino debetis facere, ut interrogando etiam nos exerceatis, ut debeamus perquirere, unde vobis possimus spiritalia mella proferre. Resplenduerunt in eum singulæ quæque virtutes, virginitas scilicet cum sinceritate, modestia cum verecundia, sapientia cum simplicitate, sinceritas cum mansuetudine, doctrina cum humilitate : vita denique immaculata, vita irreprehensibilis, vita sibi semper æqualis. Væ mihi misero Cypriano, qui tam tepidus in discendo exstiti, ut modo cognoscam et pœniteam! Quare de tanti fontis fluvio non tantum hausi, quantum mea indigebat ariditas! Caritatis autem ejus ardorem, qua omnes homines dilexit, quis poterit umquam imitari? Ille enim hoc maxime et corde et ore gestabat, et ut inimicos diligere *a* de- a

 beremus,

A. CYPRIANO ETC.

beremus, hortatu blandissimo, sermone et exemplo laudabiliter instruebat. Vix aliquis illo affectu pro caris, quo ille pro inimicis orabat; et licet non essent causæ, quibus illi quisquam inimicus existeret, nisi forte pro invidia aut disciplina æmuli aliqui esse viderentur; ille tamen eos non solum paterno, sed etiam materno diligebat affectu; hoc sæpius nobis insinuans, quia cum dilectio usque ad inimicos extenditur, fieri non potest ut proximus non ametur.

quod præstat etiam per alios,

41 Docuit præterea memoriter quamdiu potuit, altaque voce semper in ecclesia prædicavit. In quo opere tam pia atque salubris ejus provisio fuit, ut cum ipse pro infirmitate jam non posset ad ipsum officium peragendum accedere, presbyteros et diaconos imbuerit atque statuerit in ecclesia prædicare; quo facilius nullus episcoporum se ab hac necessaria cunctis exhortatione cujuscumque impossibilitatis excusatione suspenderet, hæc dicens : Si verba Domini et Prophetarum sive Apostolorum a presbyteris et a diaconibus recitantur; Ambrosii, Augustini, seu parvitatis meæ, aut quorumcumque Sancto-
B rum, a presbyteris et diaconibus quare non recitentur? Non est servus major Domino suo. Quibus data est auctoritas Euangelium legere, credo et licitum est homelias Servorum Dei seu expositiones canonicarum Scripturarum in ecclesia recitare. Ego me exuo hoc instituendo; sancti sacerdotes, qui hoc implere contempserint, causas se in die judicii noverint esse dicturos. Non quidem credo, quod quisquam tam obduratum sensum habeat, ut cui Deus dicit : Clama, ne cesses, nec ipse clamet, nec alios clamare permittat. Timeat illud : Væ tacentibus de te, quoniam loquaces multi * sunt. Et illud Apostoli * : Canes muti, non valentes latrare. Etenim quantæ oves, tacente sacerdote, aberraverunt de tantarum animabus redditurus est rationem.

* *Mal.* muti
* immo Isaiæ 56 v 10

materiam prædicandam aliis quoque mittit.

42 Prædicationes quoque congruas festivitatibus et locis, sed et contra ebrietatis et libidinis malum, contraque discordiam et odium, contra iracundiam atque superbiam, contra sacrilegos et aruspices, contra Kalendarum quoque paganissimos ritus contraque augures, lignicolas, fonticolas, diversorumque vitia fecit, easque ita paravit, ut si quis advenientium peteret, non solum non abnuerit impertire, sed et si, minime
C suggereret, ut deberet accipere, offerret tamen ei, ut importaret, ipseque legeret. Longe tamen positis in Francia, in Gallia *b*, atque in Italia, et Hispania, diversisque provinciis constitutis transmisit per sacerdotes, quid in ecclesiis suis prædicare facerent, ut projectis rebus frivolis et caducis, juxta Apostolum bonorum operum fierent sectatores.

b

Cautela Sancti in ordinandis diaconis : *c* *d*

43 Bonus ergo Christi odor per ipsum longe lateque diffusus est, et flagravit ubique advectus, quorum *c* non est conspectibus præsentatus; tetigit pectora, quorum membra non contigit. Adjecit etiam hoc, ut numquam in ecclesia sua diaconem ordinaret ante tricesimum *d* ætatis ejus annum. Verum etiam et hoc addidit, ut nec in qualibet majore ætate ordinaretur, nisi quatuor vicibus in ordine libros veteris Testamenti legerit ante, et quatuor novi. Sanctæ conscientiæ suæ testis sum ego peccator, quia quidquid aliis præcepit ipse fecit, et propter Deum semper implevit Quidquid autem prohibuit fieri, aut ipse vitavit facere; omnia in zelo Dei.

44 Nihil carnaliter aut egit aut sapuit : et numquam otiosus ab opere Dei voluit esse, sed
D disposuit fabricavitque triplicem in una conclusione basilicam, cujus membrum medium in honore sanctæ Mariæ Virginis cultu eminentiore construxit, ex uno latere domni Johannis, ex alio sancti Martini subjecit. Et ut auferret sacris, quas congregaverat, virginibus curam necessariæ sepulturæ, monobiles * arcas corporibus humandis aptissimas de saxis ingentibus noviter fecit excidi, quas per omne pavimentum basilicæ constipatis sterni fecit ordinibus : ut quæcumque congregationis illius de hac luce migrasset, locum sepulturæ paratissimum et sanctissimum reperiret. Non multo igitur post monasterii matrem germanam suam Cæsariam *e* sanctam, ad præmia Christi migrantem, inter has, quas præmiserat, inibi ad medium throni juxta eam, quam sibi paraverat, condidit sepulturam, succedente eidem, quæ nunc superest, Cæsaria matre, cujus opus cum sodalibus tam præcipuum viget, ut inter psalmos atque jejunia, vigilias quoque et lectiones, libros divinos pulchre scriptitent virgines Christi, ipsam magistram habentes.

ecclesia tripartita monialibus constructa, in eaque sepulcra, ubi sepelit sororem suam :

* *forte* immobiles

e

E
45 Insistebat itaque, ut solutus erat, orationi et lectioni et eleemosynis beatus Homo, prædicationibus incessanter omni Dominica omnibusque diebus festis : frequenter etiam ad matutinos, ad lucernarium *f* propter advenientes homiliæ recitabantur, ut nullus esset, qui se de ignorantia excusaret. Obedientes invitabat, sollicitos instruebat, renitentes vero acriter contestabatur, quia sicut fidelibus in diem judicii digna esset retributio conferenda, ita et hos dignæ indignationis ultio sequeretur. Statuit etiam regulariter, ut nubentes ob reverentiam benedictionis ante triduum conjunctionis eorum eis benedictio in basilica daretur. Tanta denique bona in se, largiente divina gratia, habuit et de audientium profectibus, et de discipulorum sequacitate, et de virginum consecratione, ut non uno tantum sit merito coronatus, sed inter tantas ac multiplices coronas de coruscantibus meritis suis cinctus, totus in coronam Ecclesiæ demutetur.

oratio, lectio eleemosynæ, fervor in prædicando : statuta nubentibus :

f

46 Multi quidem æmuli surrexerunt, qui ejus resisterent doctrinæ de gratia. Sed o felicitas æmulanda! Etenim susurris et mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei Hominis frustra sinistra suspicio. Ob hoc antistites Christi ultra Iseram *g* consistentes, caritatis amore collecti; in Velcutina *h* civitate conveniunt : ubi etiam beatus Cæsarius infirmitatis solitæ causa, sicut disposuerat,
F properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de episcopis cum presbyteris et diaconibus, inter quos etiam sanctus Cyprianus Telonensis *i* magnus et clarus enituit, omnia, quæ dicebat, de divinis utique Scripturis affirmans, et de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia prævenieute vocatus. Sed dum suam justitiam quærebant statuere *k*, justitiæ Dei non erant subjecti, non reminiscentes Deum dixisse : Sine me nihil potestis facere. Et, Ego vos elegi, non vos me *l*. Et, Nemo habet quidquam, nisi illi datum fuerit desuper. Et per apostolum Paulum : Gratia Dei sum id, quod sum. Et per alium : Omne datum optimum desuper est Et Propheta : Gratiam et gloriam dabit Dominus. Et quod tunc vere liberum homo resumat arbitrium, cum fuerit

doctrina Sancti in suspicionem vocata, sed confirmata a Pontifice :

g *h* *i* *l*

A rit Christi liberatione redemptus, sub qua absolutione valeat consequi perfectionis effectum. Quorum intentionibus Homo Christi dedit veram et evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam et beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Papa eamdem conluctationem compertam *m*, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit : donante Christo paulatim ecclesiarum Antistites receperunt, quod optaverat diabolus repentina animositate cessare. m

monita ejus ad dominos pro servis :

47 Hoc frequenter quibuscumque prædicabat dicens : Si amas Dei verbum, impectoratum utique retines, quod ingessi. Amori namque divino congruebat decalogi summa perfectio : ut quod in te sibi caritas Christi devinxit, reddas etiam ipse cum homine participata largitate commune. Sed ne parentum, amicorum, sive clientum de hoc alloquio nostro tantummodo credas animas esse pascendas; testor te coram Deo ejusdem sanctis Angelis, reus eris salutis mancipiorum tuorum quorumlibet in-B firmorum, si non æque illis, ut amicis vel parentibus, cum reversus fueris, quod prædicavimus, ingesseris. Conditione namque tibi corporea in præsenti subditum noveris esse mancipium, non perennitatis vinculo mancipatum. Iterumque ad eos, quos fuerat allocutus, dicebat : Quid diximus, fratres? quid disseruimus filioli? quæso vos, qui fuerint nostri hactenus in collatione sermones? Si diligitis, retinetis : si retinetis, proculdubio dicta cordibus conclusistis. Taliter provocando etiam invitis studium retinendi extorquebat.

lectio perpetua ad mensam, et insignis hospitalitas.

48 Ad prandium vero et ad cœnam mensæ suæ sine cessatione quotidie legebatur, ut uterque interior exteriorque homo satiatus refectione duplici lætaretur. In hac ergo acta constrictaque conclusione audientes cum sudore, fateor, et verecundia grandi multi ante eum mox obliviosi sunt agniti : dum pauci, quod pejus est, commissam narratiunculam potuerant saltuosis compendiis replicare. In domo vero ecclesiæ suæ, sicut ille præsente, ita absente convivium semper præparatum est clericis, sive quibuscumque advenientibus. Nullus illo superstite tamquam ad extraneam civitatem, sed tamquam ad propriam domum Arelato C venit. Et quia de innumerabilibus ejus hæc pauca præsumpsimus attingere : sufficiant manifesta, etiamsi celantur occulta. Rogamus tamen vos, sancti fratres Messiane presbyter et Stephane diacone, quibus de illo multa comperta sunt, pro eo quod ab adolescentia in obsequio ipsius fuistis, ut huic Opusculo vestram collationem jungatis.

ANNOTATA.

a *Dilectionem inimicorum sæpissime inculcat in Homiliis suis, ut patebit illas perlegenti.*

b *Mabillonius* Galliis *legit. Porro Francia tunc distinguebatur a Gallia, et per Franciam designatur vel hodierna Franconia, aut forsan quidquid Franci tunc possidebant etiam in Galliis. Deinde* Francia *dici cœpit, quæ nunc* Insula Franciæ.

c *Ita Ms. nostrum. Mabillonius habet :* Flagravit ubique profectibus, quo non *etc.*

d *Hanc tamen legem aliis non præscripsit : nam in concilio Arelatensi* IV, *cui Sanctus præfuit, car.* I *statuitur*, ut nullus episcoporum diaconum, antequam viginti quinque annos impleat, ordinare præsumat. *Triginta vero anni ibidem requiruntur pro ordinatione presbyteri vel episcopi. Adi Labbeum tom. 4, col.* 1622.

A. Cypriano etc.

e *De S. Cæsaria actum est ad* 12 *Januarii, ubi de secunda Cæsaria, et sequentibus abbatissis etiam dicta sunt aliqua.*

f Id est, Vesperas, *ait in margine Mabillonius.*

g Isera, *seu* Isara, *Gallis* l'Isere, *fluvius* oritur in Centronicis Alpibus sive Darantasiensibus apud Sapaudos, *ait Valesius. Deinde ex Sabaudia in Delphinatum delapsus, eumque secans, Rhodano miscetur paullo supra Valentiam apud Confluentos. Videsis Valesium in Notitia Galliarum pag.* 253. *De consilio Valentino egimus in Commentario num.* 43.

h *Valentia urbs est episcopalis in Delphinatu sub archiepiscopo Viennensi, sita ad Rhodanum una leuca infra confluentes Iseræ, vulgo* Valence *dicta.*

i Telo Martius, *Gallis* Toulon, *urbs episcopalis est sub archiepiscopo Arelatensi in Provincia ad mare Mediterraneum, celeberrimo portu notissima. Cyprianus hic unus est ex Vitæ auctoribus, de quo disserui initio Commentarii.* E

k *Id volebant Semi Pelagiani, qui fidei initium viribus liberi arbitrii attribuebant quibusque subjecti sacræ Scripturæ textus sunt contrarii. Videri possunt capitula Arausicana, et theologi, qui de erroribus Semi-Pelagianorum disputarunt : at inter illos lites non modicæ posterioribus seculis sunt exortæ, quod aliqui non pauca pro erroribus Semi-Pelagianis venditarint, quæ revera erant Catholica, et utrimque admissa.*

l *Hic textus in Ms. nostro desideratur, transcribentium, ut videtur, incuria prætermissus.*

m *Magis Latine diceretur,* eadem colluctatione comperta. *De confirmatione Bonifacii dictum est in Commentario num.* 44 *et seqq.*

VITA

LIBER SECUNDUS

Auctoribus Messiano presbytero, et Stephano diacono, ex editione Mabillonii. F

CAPUT I.

Varia miracula, quibus monita quædam virtutesque interponuntur.

Præfantur auctores, se simplici stylo usuros.

Messianus presbyter et Stephanus dixerunt : De sancti, beatissimique patris et sacerdotis ac magistri nostri domni Cæsarii conversatione atque virtutibus illa dicturi, quæ vel simul vel sigillatim de eo cognovimus, vel cum sanctissimis coepiscopis *a*, id est, domno Cypriano et domno Firmino atque sancto Viventio *b* pariter vidimus; qui et ea, quæ de ipso superius scripta sunt, ab initio referentes usque ad finem articuli concluserunt, et nobis permittere ac jubere dignati sunt, ut unusquisque nostrum, quæ sibi de gestis de ejus essent bene cognita, fideliter a b

A. Messiano etc.

deliter enarraret. Non indigemus, vel si nobis suppeteret eloquentia sæcularis, quia omnem mundanæ facundiæ transcendit ornatum sanctarum veritas actionum: ad quam plenissime demonstrandam, illa nobis puritas simplicitasque sufficiat, qua ipse quoque beatissimus Pater miracula, quæ a nobis sunt referenda, perfecit, maxime cum frequenter hoc et ipse Domnus communi habuerit in sermone, quia quod erudite dicetur, intelligentiam doctis tantummodo ministraret; quod vero simpliciter, et doctos simul et simplices competenter instrueret. Ergo ea, quæ veraciter ab eo facta dictave cognovimus, aggrediemur Deo propitio verbis infucatis et integris, pro parte, qua possumus, fidelibus auditoribus intimare, ut ex ipsis et infirmis compunctionem, et perfectis gaudium, et ad perfectionem tendentibus ministretur exemplum. Incipiemus igitur, quemadmodum recordamur, breviter opera ejus sancta, Deo adjuvante, retexere.

Puellam ægrotam precibus sanitati restituit:

2 Petri diaconi hujus ecclesiæ filia, in qua omnis utilitas domus ipsius consistere videbatur, languore gravi faciente, triduo jam muta jacebat: pro qua re quodam die pedibus se beatis- B simi Viri prostravit dicens: Miserere, Serve Christi, senectuti meæ, ora pro filia mea, quia confido tibi a Domino nihil esse negandum. Pone manum super eam, et salva erit. Jam enim per triduum muta oculis clausis jacet, horisque et momentis singulis exitum ejus exspecto. Quo audito, motus et compulsus lacrymis senis ad domum ejus perrexit: ubi cum ingressus fuisset, et omnes in ipsa domo cum patre fortiter flentes videret, ad orationem prosternitur: ubi velut alter Helias *c* ad caput ejus inter angustias arcæ et lecti se attraxit. Post orationem, quam cum lacrymis fudit, statim reverti ad domum ecclesiæ cœpit.

3 Erat enim consuetudinis ejus, ut cum, spiritu sibi insinuante, preces suas exaudiri pro infirmis agnosceret, statim cum celeritate exinde discederet; ne si illo præsente fieret, quod ipse a Domino precibus impetrasset, aliqua arrogantiæ nasceretur occasio. Quia et revera frequenter et dulciter quasi in figura, ut nemo intelligere posset, dicebat: Cui animarum cura credita est, fortiter debet timere corporum volu- C ptatem exercere. Denique simplicibus magis quam doctis istud divina gratia concessit. Utinam *d* in his, quæ nobis misericors Dominus dedit, discretionem nobis sibi placitam concedat! Istud tamen a nobis indignis minime est præsumendum. Discedente ergo eo *e*, cœpit iterum atque iterum clamare pater post euntem: Novi quia, si Deum tuum precatus esses, filiam meam mihi reddidisset. Tunc ille unum de cubiculariis suis reliquit, dicens: Vade, observa ibi, et post paullulum veni, et dic mihi, quid agitur. Necdum hora completa, et ecce illi nuntiavit: Domine, inquit, reversa ad se est puella, supra quam orastis: quæ hoc dicit: Domnus episcopus hic fuit, cujus orationibus reddita sum et sana facta. Pro qua re venit pater gratias agens, et sibi jam per orationes vestras revocatam a morte filiam protestatur. Nam Domino hodie denique annuente, vivens hujus rei ipsa per se testis existit.

perpetua de Deo cogitatio.

4 Sed licet (ut mox servorum Dei est) semper virtutes faciendas excusent; is præcipue Servus Christi, et quando ad præsens sibi præstari, insinuante Domino, confidebat, nec tunc temere arripere, sed caute subterfugere volebat. Verum sive stetisset, sive fugisset, numquam sibi D postulanti defuit Deus. Quem ille in corde suo non solum in oratione et obsecratione, sed etiam in convivio, in itinere, in collocutione, in consessu, in prosperis, in adversis, etiam in somno semper secum habuit. Denique nos ipsi vel conservi nostri, qui in cella ipsius manseruut, sciunt, quæ dicimus, illum inter pausas somni, quas jam ætas non solum exigebat, sed etiam pro infirmitate aliquoties premebat, spiritu semper vigilante diceret * tamquam admonens, qui psalmum diceret; Age, dic. Nulli dubium est, quod aut spiritualiter cum sanctus psallebat, aut certe illud impleverit propheticum: Ego dormio, et cor meum vigilat. Frequenter etiam in sopore positus de futuro judicio vel de æterno præmio prædicabat. Interea non est meorum meritorum, ut indiguus præclara de Famulo Dei referam *f*.

** sensus est in perfectus.*

etiam in somno:

5 Cum igitur in cella ipsius diaconus in servitio illius ad judicium meum delegatus essem, curam inter reliqua etiam de nocturnis Horis me jusserat habere. Itaque cum de cella inferiore, ubi manebam, foris egressus fuissem, quia in omnibus sanctus Vir modum semper voluisset custodire, præcipue ad nocturnos *g* vigilantissime observabat, ut absque id, quod sibi peculiariter, Deo sole E sibi attestante, dicebat, nullus suorum, qui secum manebant, ante horam legitimam excitaretur. Tunc per somnum lenta voce dicebat: Duo sunt, nihil est medium: duo sunt; aut in cælos ascenditur, aut in infernum descenditur. Deforis ego revertens, ille evigilavit, et ait ad me: Quid, inquit? Jam hora est ad nocturnos. Ego dixi: Non est hora; adhuc sub tempore est. Et ille: Vere hora est. Et revera sic erat. Tunc implevimus nocturnos. Et ait ad me: Cuidam per somnum cum grandi intentione proclamabam: Duo sunt, non est quidquam medium, aut in infernum, aut in cælos itur. Ego respondi: Consuetudinem tuam facis incessanter clamare. Tunc ego peccator arbitratus sum, quod semper ille de Deo et cum Deo loqueretur. Hic enim, ut supra dictum est, sic omnium virtutum amator fuit, ut nullum bonum fuerit, quod vel per se cum alacritate non exercuerit, vel cum fervore spiritus alios habere voluerit et docuerit. F

preces ferventes pro peccatoribus:

6 Inter omnia igitur bona, quæ generaliter, ut fierent, docebat, et mala, quæ nulla omnino fieri pronuntiabat; præcipue (quod benigna et sincera conscientia vestra novit) infidelitatis, mendacii, superbiæ, atque luxuriæ vitia et ebritatis impatientissime omnino abhorrebat. Jesu bone! quibus gemitibus, quibus suspiriis, quo fletu pro peccatoribus supplicabat! ut jam videres Hominem Dei tamquam in præsenti conspicere miserum peccatorem ad gehennæ supplicia destinari. Denique, secundum Apostolum, numquam soli sibi vixit, numquam pro se solo oravit.

cura alendi captivos, quos redemerat.

7 Quodam igitur tempore, cum velut ad cumulum meritorum suorum undique captivi Arelato redimendi non frustra exhiberentur: magna multitudo redemptorum ingenuorum et multorum nobilium Arelato ab ipso Viro sancto quotidie pascebantur. Tunc venit ordinator ipsius, et cœpit ipsum contestari et dicere: Captivi isti vadant, Domne, per plateas, et petant unde comedant: quia si hodie consuetudinarie ab ecclesia pasti fuerint, crastino ad mensam tuam, unde panes fiant, non habebis. Tunc ille fiducialiter

A cialiter in cellam ingrediens, ad orationis consuetudinaria subsidia confugiens (ubi numquam testem hominem habere voluit) petiit a Domino substantiam miseris dari. Namsi quis forte, ubi ille solo stratus orabat, casu supervenisset, fortiter adhorrebat. Itaque tam profuse flevit, ut statim impetraret, quod postularet. Tunc ergo inde exiens cum alacritate et fiducia quodammodo infidelitatem ordinatoris objurgans, venerabili viro Messiano presbytero tunc temporis notario dixit : Vade in horreum et ita scopa, ut nec quidquam granorum, si fieri potest, ibi remaneat, et fiaut panes secundum cousuetudinem, et omnes simul manducemus; et si crastina non fuerit, quod manducetur, omnes jejunemus, dummodo hodie bene nati homines, seu reliqui captivi, nobis sedentibus et bibentibus, uon cant per plateas mendicare. Vocans tamen unum e nobis, iu aure ejus dixit : Cras dabit Deus, quia qui dat pauperibus numquam egebit. Etenim adhuc ipsis captivis nou licebat ad propria remeare.

B 8 Quid multa? Impletur quod jussit. Murmurabatur ab omnibus ecclesiæ convivantibus, *singulari providentia Dei comprobata et adjuta :* unde essent ab hodie comesturi. Sed qui Heliæ providerat mulierem viduam, ad quam veuieudo panxillum sustentaretur, et isti sine ambiguitate, cum oraret, insinuaverat omnia captivis et peregrinis erogando, nihilque omnino sibi reservando, semper uberius ditaretur. Denique alia die, qua pallentes lucescere metuebant, hi qui ope ecclesiæ sustentabautur, et cum non minimis suspiriis expectarent, quid agetur; Gundebaldus
h et Sigismundus *h* reges Burgondionum, scientes quam alacer Servus Domini ad opera misericordiæ festinaret, antequam lux ipsa diei claresceret, tres naves, quas latenas *i* vocant majores, *i*
pleuas cum tritico direxerunt. Et omnes, qui pridie iucredulitate famis periculo metuebant, videntes quod Dominus Servo suo numquam deesset, gratias cum gaudio Deo iu necessitati subvenienti maximas referebant.

Liberius patricius, lethali vulnere saucius, 9 Quodam igitur tempore patricius Liberius *k*, insidiantibus Gothis, quos Wisigothos vocant, lanceæ vulnere usque ad vitalia perforatus est. Et
k quia trans Durentiam periculum ipsum gestum fuerat, turbatis omnibus concurrentibusque post percussorem, ille solus remansit. Periculo vul-
C neris ipsius perterritus, et ipse vitæ suæ desperatus, quantum potest homo, donec fiat exsanguis, prope non minus quingentos aut eo amplius passus in aliam ripam propriis pedibus transfugit.
l Sed cum ad locum Arnaginem *l*, ubi homines vici ipsius occurrere potuerunt, pervenit, omnino sine ulla spe vel respiratione animæ cadeus jacuit. Hæc enim pæne omnis civitas novit. Tamen, quæ dicimus, magnificentissimo viro ipso referente, cum lacrymis et graudi admiratione virtutes Viri sancti cognovimus. Tuuc, inquiuut, vir ille referebat nobis : Nihil mihi in supremum meum halitum aliud in memoriam venit nisi cum lacrymis proclamarem : Omnia remedia cessaverunt, domnum meum Cæsarium rogate, ut mihi subveniat. Quod nos per eum, qui missus fuerat, cum velocitate verum esse cognovimus. Nam dum in agro sancti monasterii sui aliquantum et repausare et ordinare aliqua voluisset, ibidem cœperat paululum remorari : et eece subito, qui missus fuerat, anhelaus venit suppliciter deposcens : Cito propera, inquit, Domne; filius tuus, ut ante obitum suum illum videas, rogat. Et cum nullum sine medicamento pœnitentiæ de hoc mundo Vir Dei voluisset recedere, illum præcipue sine hoc remedio non optabat abire. Statim etenim ad vicum Arnaginensem pervenimus. *A. Messiano etc.* Ergo, sicut supra dixi, ea, quæ vir ipse mihi ex plurimis retulit iudicabo.

10 Nam dum ita examinis jaceret, ut non solum omnes reliquos suos, sed etiam nec conju- *ope Sancti sanatur,* gem nec filiam unicam aguosceret; tunc ipse cum sacramento dicebat, fuisse sibi visum, humanam vocem audisse, quæ illi in aëra * loquens dixerit : ** forte aure* Ecce sanctus Episcopus venit; statim ad ipsam vocem oculos aperui, et ipsum Famulum Dei venientem cognovi. Sed ubi ad me accessit; manus illius, quantum uecesse erat mihi, qui spem vitæ amiseram, osculari fortiter cœpi. Tunc ergo, ut credo, Deo mihi peccatori inspirante, byrrum *m* ipsius Domini mei apprehendi, et vul- *m* neri meo imposui. Sed cum ibidem paullulum partem vestimenti ejus tenuissem, iu eadem hora sanguis, qui penitus non desistebat fluere, ita deinceps cessavit, ut uon solum sanitas, sed etiam virtus maxima mihi redderetur. Et si permissus fuissem, caballo sedens ad civitatem nitebar properare. Quod etiau apud uos, qui præsentes fuimus, verissimum esse constitit. E

11 Igitur inlustrissima femina Agretia *n* matro- *et illius uxor Agretia* na ejusdem viri, cum mulieris illius, quæ extre- *n* mam fimbriam vestimeuti Domiui tetigit, infirmitate laboraret, non dissimilis fide et devotione liberata est. Cum ad occursum ejus venissem, illa familiariter dignabatur meam parvitatem, infirmitatem suam acsi cum verecundia matrouali prodens, cœpit sub obtestatioue Domiui multis precibus exposcere a me, ut unum panuum de tesselis *o* illius, quem a nudo sui corporis habuisset, feminæ deferrem. Cumque ego in cella beati Viri dum essem, facile potuissem facere, quod sperabat, timere tameu cœpi, ne unde illa sibi remedium petebat, ego peccatum ex furto incurrerem. Tuuc cubiculario, ad quem vestimenta sancta pertinebant, id indicavi, quod aliquis pro fide tessellum sibi deportari postulasset. Pro qua re unum vetustum mihi ille dare non distulit. Domine Jesu Christe, gloriosus es in Sanctis tuis, et quis similis tibi? Tu tamen promisisti, quod si quis in te crederet; opera, quæ facis, et ipse faceret. Nam dum apud me jam servatur pannus ipse deportandus; cum sero factum esset, ea consuetudo erat, ut ei, antequam re- F pausaret *, tesselli adhibereutur calefacti ad fo- ** i. e. cubitum iret* cum, et aliis detractis adhiberentur. Exhibiti suut, prout opus existimavit, qui serviebat. Cui ille : Nou istos, inquit, sed alios, atque illum et illum talem volo. Exhibiti sunt alii veteres. Non est hic, inquit, quem quæro, exquirens, quod non consueverat, ut iunotesceret, quod in spiritu prævidebat. Tunc nutibus ego et ille, qui mihi dederat, cœpimus recognoscere, quod Servo Dei furtum nostrum uon potuisset latere : ut perspicuum et evideus esset, quod Famulus tuus; Domiue, nobis indignis de douis illis, quæ ipsi tribueras, potuisset dicere : Tetigit me aliquis.

12 Tunc ego velut pro illa, quam tu, Do- *sanguinis fluxu liberatur.* miue Jesu, per orationes Servi tui sanasti, ego, inquam, timens et tremens, quod factum fuerat, cœpi Servo tuo fateri, dicens : Indulge Domne, egomet panuum, quem quæris, habeo : filia tua. (Usque hic me loqui permisit.) Ille autem cum sibilo silentii, Tace, inquit : et cum grandi pietate apprehendens, adhuc etiam alium tessellum dedit mihi, et dixit : Vade, inquit, et porta ambos ad basilicam domni Stephaui, et mitte illos sub altare, et ibi maneant, et uuum, quem

A. Messiano etc.

quem volueris, porta mane ad eam, quæ te rogavit, et alium mihi revoca. Sicut jussit indigno servo suo, feci : et tamen, cui portaverim, numquam a me requisivit, nec tessellum repetiit. Cumque illa femina assidue exactrix esse non desineret, ut, quod petierat, deportarem, vidensque me eminus venientem, porrectis porro manibus, antequam darem, jamque raptura, quod exhibebam, impetu obviam venit. Quæ antequam de casula *p*, sub qua ipsum pannulum ferebam, erigerem, rapere, quod fidei alacritate poposcerat, festinabat. Ego vero, cum protulissem ipsum tessellum, dedi ei, illaque sibi super vestimenta sua circa se posuit, prius tamen oculis admovens, cum et devotione deosculans, ut dignum erat, honorabat. Nec mora, statim adfuit, Domino tribuente, fidelis petitionis suæ effectus. Et jam per vestimentum Servi Domini habuerunt, quod et post transitum ipsius habere noscuntur. Denique ut solebat ipsa fateri, cum ipsum pannum ad pectus suum potuisset, statim, velut si qui solent aqua frigida respergi, ita omnia membra vel venæ ejus etiam cum parvo dolore in obrepilationem *q* suspensa sunt, ut corpus ipsius aliquan- B tum honore simul et tremore quateretur. Sed illico Domini misericordia adfuit, et fluxus qui erat, discessit, et numquam amplius ad ipsam rediit, impletumque est in ea : Vade, filia, secundum fidem tuam fiat tibi.

ANNOTATA.

a Coëpiscopi nomen non Messianum, qui solum presbyter, nec ad Stephanum, qui diaconus tantum erat; sed ad Cyprianum et alios referendum, *ut observat Mabillonius.*

b Viucentio *legitur in textu Mabillonii, errore, opinor, typographico : nam ipse in Observationibus præviis hæc citans verba, habet* Viventia, *uti et Surius et Barralis.*

c *Apud Surium et Barralim legitur* Eliseus. *nec satis apparet utra lectio sit præferenda. Nam uterque, Elias 3 Reg. cap. 17, et Eliseus 4 Reg. cap. 4, puerum mortuum revocavit ad vitam eodem fere modo.*

d Utinam *legitur apud Barralim,* vitam *apud Mabillonium, errore forsan typographi, certe non* C *satis recte.*

e Eo *desideratur in editione Mabillonii.*

f *Huc usque Messianus presbyter, ita ut reliqua videantur esse Stephani diaconi.*

g *Nocturnus preces designat, jam* Matutinæ *passim vocantur.*

h *Longuevaltius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom. 2, pag. 336 mortem Gondebaldi Burgundionum regis alligat anno 517. Idem pag. 259 ostendit, Gondebaldum veritatem fidei Catholicæ agnovisse ope S. Aviti Viennensis; sed politicis rationibus adhæsisse erroribus Arianorum. Hinc mira videri non debet ejus in Virum sanctum benevolentia. Præterea id reges illi facere potuerunt ob redemptos per* Cæsarium *captivos Burgundiones. De S. Sigismundo Gondebaldi filio et successore, qui ab Arianis erroribus ad fidem Catholicam feliciter conversus est, egimus ad* I *Maii, quo colitur.*

i *Vox est aliunde mihi ignota, et barbara.*

k *Liberius patricius clarissimus erat rebus gestis et virtutibus. Agebat tunc præfectum prætorio pro Ostrogothis in Gallia, quorum ditionem contra Francos egregie defendit. Eamdem prætorii præfecturam Romæ deinde obtinuit, ut refert Baronius in Annalibus ad annum* 530, *num.* 47 D *ubi adducit hæc Cassiodori verba :* Respicite namque patricium Liberium, præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratissimum, meritis clarum, forma conspicuum, sed vulneribus pulchriorem, laborum suorum munera consecutum, ut nec præfecturam, quam bene gessit, amitteret, et eximium virum honor geminatus ornaret. *Hæc et plura* Cassiodorus, Indictione duodecima, *ait Baronius,* quando prætoriam præfecturam *(Romæ)* est consecutus *anno* quingentesimo trigesimo quarto. *Subscripsit concilio Arausicano* II *apud Labbeum tom.* 4, *col.* 1673 *eo modo :* Petrus Marcellinus Felix Liberius V. C. et illustris præfectus prætorio Galliarum atque patricius consentiens subscripsi *Ex his, aliisque catholicum fuisse intelligimus, etiamsi in obsequio esset regis Ariani. Eximias viri laudes celebrat S. Ennodius Ticinensis in tribus ad eum scriptis epistolis, quas vide apud Sirmondum lib.* 7, *epist.* I, *et lib.* 9, *epist.* 23 *et* 29, *ad quas plura de eo notat Sirmondus.*

l *Ad hunc locum sequentia notat Mabillonius :* E In Itinerario Antonini vocatur Ernaginum, duobus circiter milliariis ab Arelate distans Avenionem versus. De loco nunc non constat. *Plura de* Ernagino *ex geographis adducit Valesius in Notitia Galliarum pag.* 189, *ubi etiam vocatur* Mansio Arnagine. *Addit ipse :* Vulgo dicitur ERAGNAC, estque locus inter Cabellionem Cavarum et Tarasconem Salyorum.

m *De* birro *quædam diximus in Commentario num.* 65.

n *Apud Barralim* Agressia.

o Tessellos, *inquit Mabillonius,* interpretamur quadratos panniculos fovendo stomacho appositos. *Vocem alibi non inveni.*

p *Per* casulam *hic designatur vestis clericalis, seu talaris, quantum conjicio. Certe apud Labbeum tom.* 6, *col.* 1535 *in concilio Germanico* I *can.* 7 *statuitur,* ut presbyteri vel diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei. *Vide dicta in Commentario num.* 64.

q Obrepilatio *apud Cangium in auctiore Glossario explicatur* fremitus, tremulus motus, horror.

F

CAPUT II.

Miracula varia per Sanctum patrata.

Factum est ut quodam tempore quatuor *a* ei episcopi ad occursum venirent, cum quibus ad Lucernarium * ad basilicam sancti Stephani descendit. Cumque expleto lucernario benedictionem populo dedisset, egredientibus illis, mulier quædam in salutatorio *b* occurrit : quæ tam horribilem infirmitatem incurrerat, ut die noctuque incessanter manus ei ita inter se colliderentur, quasi aliquid volventes. Quæ lacrymabiliter clamavit : Domne Cæsari, miserere infelicis; ora pro me, ut mihi manus meæ reddantur. Illius ut erat consuetudo, in orationem cum aliis episcopis prosternitur. Cumque uterque surrexisset, inclinato capite uni de sanctis episcopis dixit : Jube, domne, rogo, signa manus mulieris istius. Qui obedientissime paruit, sed nihilominus præfatæ manus

Mulierem tremulam sanat.

* i. e. vesperas

A manus mulieris solito volvebantur. Illa vehementius clamans, dixit : Domne Cæsari, ad te clamo, te rogo, tu signa. Iterum in oratione procubuit, erigensque se, crucem super infirmas manus fecit. Quæ statim steterunt. Mulier vero Deo, et Viro sancto gratias agens, incolumis reversa est.

vasa olei ab ipso benedicti collisa non franguntur.

14 Nam ad oleum benedicendum competentibus diebus in baptisterio *c* aunis singulis veniebat. Et ingrediens cucumula *d*, cum ad consignandos infantes sederet, parvuli illic pueri vel puellæ a parentibus missi certatim currebant exhibentes vascula cum aqua, alii cum oleo, ut eis benediceret. Cumque hi, qui deferebant contra se urceolos et ampullas, præ multitudine populi comploderent, sonus audiebatur percutientibus et videbatur : et tamen vitrum, in quo benedictio Servi Christi effusa fuerat, nunquam confractum est.

oleo benedicto energumenam liberat.

15 Quodam alio tempore, dum dioceses *e* visitaret, et ad castellum quod Luco *f* dicitur, venimus ; erat ibi matrona quædam Eucheria * nomine, quæ ancillam suam offerens ante pedes ejus prostravit : pro qua ut Domino supplicaret, lacrymabiliter exorabat. Ille autem causam perscrutans, ut erat Vir Deo plenus, et in omnibus perscrutantissimus, quid infirmitatis haberet, in-

* al. Euthyria

B terrogavit. Dixerunt : Dæmonium, quod rustici Dianam *g* appellant : quæ sic affligitur, ut pæne omnibus noctibus assidue cædatur, et sæpe etiam in ecclesiam ducitur inter duos viros ut maneat : et sic flagris diabolicis occulte fatigatur, ut vox continua ipsius audiatur, et eis, qui sibi adhærent, respondere penitus non possit. Tunc omnibus, qui cum Servo Christi aderant, poscentibus, ut rei veritas appareret, videre petierunt. Permittente igitur ipso Domno, sanctus Lucius presbyter et Didimus diaconus, qui eo tempore per parrochias ambulabant, ad eam secretius videndam properaverunt, in quorum etiam obsequio perrexi. Si mihi fideles credunt, coram Deo dico, oculis meis vidi plagas, quas ante aliquos dies in dorsum et in scapulas acceperat, in sanitatem venire ; pridianas autem et in ipsa nocte impressas recentes inter illas intextas, quas prius perpessa fuerat. Tunc iterum exhibita ante illum, ita turbatis oculis confusa et aversa ab eo facie

C apparuit, ut omnibus appareret in faciem Servi Dei minime eam posse respicere. Sed ille capiti ejus manum imponens, benedictionem dedit : deinde oleum benedixit, ex quo eam nocturnis horis perungi jussit : statimque ita sana facta est, ut deinceps tentatio dæmonis ad illam non reverteretur.

dæmon expellitur puero ante pedes Sancti projecto.

16 Alio vero tempore cum in dioceses venissemus, infans annorum circiter octo clericali habitu degens in altario venit : ubi post prædicationem (quam non solum in civitate, sed etiam in omnibus parrochiis, cum potuit, per se memoriter facere minime distulit) cum se de cancello ad altare revocasset, Missam jam cœperat celebrare. Homo vero ipse graviter a spiritu nequissimo cœpit vexari ; nam tremore et spumis horribiliter quatiebatur. Tunc omnes terror non modicus invasit. Ille vero oculos in cælum elevans, preces ad Dominum pro recuperatione ejus direxit, et cœpit iterum omisso illo ad Missas faciendas se convertere. Tunc quidam presbyter Cataroscensis ecclesiæ, Ursus nomine, infantulum ipsum ante pedes ejus projecit. Quod ille ægre suscipiens, ait : Parcat tibi, inquit, Deus, benedicte : istud aliorum opus est, non meum. Et licet ille propter humanam arrogantiam denegaret, non tamen Servo suo defuit virtus divina. Statim ergo, ubi ante pedes ejus puer ipse projectus est, sanus surrexit ; nec umquam ad eum spiritus nequam rediit, quem etiam subdiaconem in ipsa ecclesia vidi *h*.

A. Messiano etc

puella quoque dæmonis vexationibus liberatur.

17 Nam cum ad Citaristanam *i* parrochiam venisset visitandi gratia, cujusdam Novati hominis * filia tam nefandum et novi generis dæmonium videbatur incurrisse, ut si quando pedem extra ostium domus suæ misisset, statim multitudo corvorum in faciem ipsius lacerantes irruebant ; et illam tremore quassatam vel cum spumis volutantes, omne illius nudum, quod repperissent, corpus, hoc est faciem, cervicem, vel quidquid aliud invenissent, deturparent. Quæ dum ad sanctum Virum fuisset exhibita, usque ad basilicam, quam ingressa est, ubi Vir Dei erat, supervenientes corvos nos vidimus super eam volitantes. Non tamen jam vel tunc ausi fuerunt importuni irruere. Nam cum ante ipsum venisset, videns faciem ipsius deformiter laceratam, nobis secrete dixit : Numquam isto genere diabolum insidiatum alicui vel legi, vel vidi, vel audivi. Nunc ante sanctum altare super caput ejus E manus imponens, oleum benedixit, eique oculos et aures perunxit, cunctisque videntibus per plateam ad domum suam sana reversa est ; et per biduum, quod ibi fuimus, ad ecclesiam processit, incursusque ille deinceps ad ipsam numquam reversus est.

* al. nominis

baculo ejus fugantur dæmones.

18 Devoluto hinc tempore venit ad agrum ecclesiæ nostræ, ubi et dioceses sunt, quod Succentriones *k* vocatur. Balnearia ibidem grandibus fastigiis constructa sunt : ubi si quis momentis singulis casu transiret, statim per nomen clamabatur : illico sibi ingentia saxa ante pedes, aut post se cadentia, cum metu aspiciebat, caventes universi ne inde umquam præterirent. Unde etiam monebantur omnes nescientes, ne in illud periculum inciderent, unde prætergredi non audebant. Cum ecce Vir Dei ibidem requisita * ad aliam ecclesiam pergeret, clericus, cui cura erat baculum illius portare (quod notariorum officium erat) oblitus est, in quo ministerio inutilis ego serviebam. Tunc loci illius incolæ, cum eum invenissent, gaudentes dicebant sibi a Domino præstitum, ut aliquid illius repperissent : mi- F rantur et agunt Deo gratias, virgamque ipsam de pariete suspendunt ; statimque effugatæ sunt insidiæ diaboli, et ultra nulli in loco nequissimum malum facere usque hodie adversarius ipse præsumpsit.

* Forte requisitus

illudenti bene precatur,

19 Accidit etiam eo tempore, ut unus ex Galliis quidam, Benenatus nomine, non opere, venerit, quique se deploraret cum nepotibus suis captivum esse. Habebat puellam parvulam, quam virili habitu induens, ad ipsum demonstrat, dicens : Hic nepos meus est, et mecum cum sorore sua, quæ post nos huc properat, captivi detinentur. Tunc Vir Dei dolens de captivitate eorum pro affectu, quem ei Dominus ab infantia inspiraverat, illum, qui puellam ipsam exhibuerat, et ipsam velut puerum credens, blande osculatur. Igitur accepta uterque redemptione, ubi applicuerunt, revertuntur. Post biduum iterum puellam ipsam, velut in habitu proprio, ut amplius solidos acciperet, revocat. Hoc vero agebatur per suggestionem sancti Viri Jacobi presbyteri, qui sancta simplicitate sua omnia illum in veritate queri insinuabat. Tunc et hujus puellæ accepit iterum redemptionem. Nam quorum tunc solicitudinis fuit, cognoverunt, quod ipsam post ea

A. Messiano etc. — * Barralis suggerebat

ea exhibuerat, quam prius virili habitu ostentaverat. Quod cum indignatione Sancto Dei non solum ego illi, sed etiam supradictus presbyter simul et cum verecundia suggerebant *. Tunc ille, ut erat circa peregrinos semper mitissimus et benignus, presbytero dixit : Noli, inquit, tu sancte irasci : tu bene fecisti peregrinum commendare : tibi pro bona voluntate tua redditurus est Deus mercedem. Et illi misello parcat Deus peccatum hoc, qui me fecit puellam osculari ; et hoc præmium puella ipsa percipiat, ut, quia etsi indignum Sacerdotem osculari præsumpsit, talem sanctimonialem faciat, ut alium virum numquam osculetur. Sed quia futurorum arbiter Deus scivit illam sine dubio in virginitate perdurare non posse ; ne Servi Dei oratio irrita fieret, alia statim die de hoc mundo discessit. Hæc Arelato ad basilicam Apostolorum, ubi ipse metatum habuerat, celebre acta noscuntur.

pes mulieris luxatus curatur stragulo equi ipsius, l

20 Alio vero tempore matrona quædam in urbe Massiliense *l* casu pedem sibi luxavit, ita ut per tempora multa pedem ipsum in terra ponere non posset ; sed manibus sustentata servulorum suorum, vix ad ecclesiam duci poterat, validissimum sustinens dolorem. Sed quia multæ sunt
B miserationes Domini, quando ipse voluit, causas effecit, ut Vir Dei ad civitatem ipsam ambularet. Audito mulier adventu ipsius, fecit se ad eum salutandum adduci. Quæ accepta ab eo oratione et benedictione, nihil ipsi de causa sua præsumpsit suggerere. Sed regressa ab eo, ad sellarem *m* ipsius appropinquari se permitti rogavit. Quæ de supersellio, qui sellam tegebat, locum debilitatum fideliter tangens, statim pristinam sanitatem recipiens, tamquam si malum non fuisset perpessa, pedibus suis, nullo sustentante, incolumis reversa est, Domino usque in diem præsentem gratias agens.

incendium compescit,

21 Quodam igitur die (quod multi noverunt) hac in civitate cujusdam Johannis domum apprehendit ignis, vicinam virginum monasterio. Adpropinquare igitur cœpit, ut nulli dubium esset, omnia ibidem concremanda. Turbatæ igitur ancillæ Dei, quibus exire foris non licebat, libros vel res, cellas * et seipsas per cisternas jactabant, ubi Deo dispensante tunc aqua decrat, ne illas desperatio perturbaret. Currentesque præpositi monas-
C terii, nuntiaverunt Patri ipsarum, eo quod jam iu proximo esset cellæ suæ. Ille festinanter egressus media nocte per murum ad locum veniens, ubi flamma erat, orationi se prosternens *, ipsisque mandans et de muro clamans, Non timeatis, benedictæ. Mox sæviens flamma virtutis suæ dimisit incendium.

* *forte* sellas — * *pro* prosternebat

tempestates baculo ejus sedatæ, ignisque signo crucis.

22 Nec hoc silebo. Quodam igitur tempore iu Alpinis locis factum esse celeberrimum prædicatur, dum cujusdam fines nobilissimi viri tempestas assidua perniciosa infusione contereret, cunctosque fructus loci illius vis grandinis devoraret, ita ut annis singulis nulla ibidem spes subsidii remanaret ; cessitque iterum ut baculus ejus casu ibidem remaneret, de qua virga possessor ipse crucem fieri jussit, quam eminentiori loco fide armatus infixit, ut, veniente lapide, contrairet virga discipuli, crux Magistri. Tantam ibidem Deus ob honorem Servi sui dignatus est operari virtutem, ut ibi postmodum maximam ubertatem daret, unde repulerat tempestatem.

Item quadam die domum Vincentii cujusdam comprehendit ignis, cujus solarium ex ligno factum flammæ cedebat. Ille videns se nihil valere posse, quanta potuit velocitate ad ipsum Domnum perrexit, genibus advolutus rogat, ut oraret. D
Egressusque foras, crucem contra flammam fecit, quæ continuo rediens, ita sopita est, ut nec signum paruisset in solarii tabulis.

ANNOTATA.

a *Apud Barralim additur*, aut quinque.

b Id est, in sacrario, sic dicto, quod episcopus ante Missarum sollemnia ibi sederet, et salutationes fidelium exciperet, qui se ejus orationibus commendabant, aut ei aliquid negotii communicabant, inquit Menardus noster in Conc. regul. cap. 5 § 25. *Ita Mabillonius.*

c Baptisterium, *licet sumatur pro variis, hic designat locum intra ecclesiam destinatum ad baptizandum.*

d Cucuma, *inquit Mabillonius*, cujus diminutivum est cucumula, designat vas vel etiam tugurium iu formam cucumeris : hic explica de baptisterio camerato. *Barralis legit*, cocinnulam, *quod æque est obscurum.*

e Diœcesis *non raro olim sumebatur pro parochia, cui præerat presbyter, ut probatur in Glos-* E
sario Cangii. Forsan ita sumendum hoc loco vocabulum.

f Luco, le Luc, castrum diœcesis Forojuliensis ad Carauniam fluviolum, *inquit Mabillonius.*

g *Audi Fragmenta Capitularium edita a Baluzio tom. 2 Capitul. regum Franciæ col.* 365 : Illud etiam non omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retro post satanam conversæ, dæmonum illusionibus et phantasmatibus seductæ, credunt se et profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, et multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, et certis noctibus ad ejus servitium evocari. *Hic nomen illud profluxisse crediderim, quod dæmon, quo tyrannus non est crudelior, imperium sævissime exerceret in misellas suo semel servitio mancipatas.*

h *Hoc miraculum narratur etiam in litteris Messiani presbyteri, recitatis in Commentario* § 5.

i Cytharista, Cyreste, in ora Provinciæ inter Te- F
lonem et Massiliam, *ut notat Mabillonius.*

k *Locum non invenio : at constat illum esse in Arelatensi agro.*

l Massilia *urbs est notissima in Provincia ad mare Mediterraneum.*

m Sellaris, *aut* Sellarius *est equus sellam gestans aut gestare solitus, ut variis exemplis ostenditur in Glossario Cangii.* Supersellium *vero est stragulum sellæ equi impositum. Hoc malo suo applicuit mulier. Male apud Surium et Barralim legitur*, cellà.



CAPUT

A

CAPUT III.

Alia miracula : cura instruendi discipulos, et quosvis ad pœnitentiam hortandi : virtutes et visiones.

Energumeni liberati : Retulit etiam nobis nuper quidam presbyter, quod ante aliquot annos, dum adhuc laicus esset, filia sua a dæmonio vexabatur. Qui mœrens et lugens uni ex amicis suis dixit : Quid faciam infelix, quod filia mea a dæmonio vexatur? Melius mihi fuerat ut nec nata, aut certe mortua fuisset. Cui ille respondit : Noli flere, sed vade, duc eam ad domnum Cæsarium, et offer eam illi secrete, ut curet eam. Ille vero nihil dubitans venit Arelato, et vadens occurrit ei, et prostravit se ad pedes ejus cum lacrymis, dicens : Domne, miserere misero mihi ; cura filiam meam. Qui sollicite interrogans, quid haberet, respondit : Dæmonium. Dixit ei : Tace, et revertere ad domum tuam. Mane cum Matutinæ dicuntur, revertere et adduc tecum puellam ipsam, et matrem ejus, et observa * dictis Matutinis in atrio sancti Stephani : et cum secretum videris, veni ad cellam et appella. Ille vero fecit, sicut jusserat. Ipse autem secrete egrediens, et genua in terra figens, cum patre et matre puellæ oravit, erigensque se signavit eam et dimisit sanam.

B

* i. e. exspecta

Iterum ambulans per plateam civitatis, vidit econtra in foro hominem, qui a dæmonio agebatur. Quem cum adtendisset econtra, manum sub casula habens, ut a suis non videretur, crucem contra eum fecit; qui statim a tentatione inimici absolutus est.

Studium ad instruendum 24 Nam illud quam sanctum et dulce erat, cum per dies incessabiliter opportune volentibus, importune nolentibus, verbum Dei ingereret : cum jam sero pausare venisset, ut vel ipsius horæ momento de Scripturis divinis et de instructione sancta non vacaret, aiebat ad nos : Dicite mihi, inquit, quid cœnavimus hodie? qualia fercula habuimus? Nos tacentes suspirabamus. quia illuc intellectus noster ducebatur, quo ille solitus erat nos provocare, quod de cibo spiritali loqui volebat; et ideo nos interrogaret. Dicebat iterum : Scio, inquit, quod si sollicitus fuero quid cœnaverimus, etiam et quid prandidistis * retinetis. Si autem interrogemus, quid ad mensam lectum sit, non recordamur. Unde datur intelligi, quia illud nobis, quod retinemus, dulciter sapuit; illud vero, quod non retinemus, non solum saporem in palato cordis nostri nullum præstitit, sed etiam fastidium forsitan fecit. Et ingemiscens dicebat : O infelix oblivio bonorum, cui * nihil infelicius! Et incipiens ab initio, quod lectum fuerat vel expositum, repetebat; nobisque misellis voce prophetica cum gemitu dicebat : Colligite, colligite triticum Dominicum; quia dico vobis, non diu erit ut colligatis. Videte quod dico. Colligite quia quæsituri estis istud tempus; vere, vere quæsituri estis istos dies et valde desideraturi.

C

* prandistis

* pro qua, alii quia.

discipulos, 25 Quod etsi tunc abusive desidia nostra suscipiebat, jam tamen nunc venisse probamus, quod dixit. Illud Propheticum in nobis impletum est : Mittam vobis famem in terra, famem, inquit, non panis et aquæ, sed audiendi verbum Dei. Licet prædicationes, quas instituit, recitentur, tamen cessavit illa incessabilis vox, quæ implebat illud propheticum : Clama ne cesses, hoc sæpius dicens : Palatus cujuscumque cum verbum Dei fastidit, anima ejus febricitatur : cum ad sanitatem venerit, tunc esurit et sitit, quod, dum infirmatur, repudiat et negligit. Nam illud dulcissimum et sanctissimum recinium *a* quis verbis umquam valeat explicare! Sic, inquit, dicebat ad nos Servus Christi : Cœnam, inquit, jam ut potuimus expedivimus. Ab astantibus vero vel a cubiculariis suggerebatur, (propter lassitudinem suam, quia respirare vix fatigatus valebat) ut se pausaret. Ille respondebat : Bene, inquit, dicitis. Sed expectate modicum. Tunc cubicularii : Domne, quid dicis? Expectat diu mensa, multum dicendo lassasti, et hucusque non tacuisti, jam paullulum refice. Ille cum summa dulcedine iterum respondebat : Bene, inquit, dicitis : sed quia cœnam expedivimus, recinium nullum facturi sumus.

A. Messian. etc.

E

et vitia verbis castiganda : 26 Incognitorum conscius novit, quod dico : quia Spiritus sanctus cum cœpisset per ipsum eructare, omnium vitia ita replicabat, et flagellis eruditionis suæ ita cædebat, et medicamentis divinis liniens, ad sanitatem sine ulla mora revocabat; tamquam spiritualis et sanctus organarius *b* corda tangebat singulorum ; ita ut exeuntes ab ipso, nobismetipsis de eo, quod dictum fuerat, aliquantum resonaremus, dicentes : Hinc tibi, Deus, gratias unusquisque ex nobis referat, quia jam non retineo malefactum, nec furit animus meus contra illum fratrem meum : quia utique vera sunt, quæ Servus tuus prædicat, et malo injuriam pati, quam in die judicii mihi iste Sanctus in testimonio exhibeatur, Ille alius de superbia eadem dicebat, aliusque de invidia, alius, qui de quolibet vitio laboraverat, similiter dicebat; omnesque sani animo et relevati ad cubilia nostra, Deo gratias agentes, revertebamur.

b

sanctitas interna et externa : 27 Nam qualem vultum, Deus bone, plasmator sancte, qualem faciem, qualem personam quis potest umquam exponere? Nos vero desideramus in te, sancte Pater, doctrinam, formam, vultum, personam, scientiam, dulcedinem, quam specialem a Domino inter ceteros homines habuisti. Quam sancta fuit vita tua, quam purus et dulcis affectus! Domine Jesu, quanta ei dederis quis potest vel cogitare, non dicam verbis exponere? Nam cum ad benedicendos fontes procederet, sicut hi, qui viderunt, et quæ dico audiunt, testes ipsi sibi idonei sunt, quia sibi credunt. Quis enim umquam terrenum hominem eum esse in processione illa credidit? Domine Deus cæli, fiducialiter pro veritate dico, quia per istos quadraginta annos, quibus administravit, quicumque cum illa die viderunt procedentem, tamquam si numquam ante vidissent, sic semper in oculis omnium novus apparebat. Resplendebat cum anima vultus ejus, quia revera vita ejus profectibus continuis sic crescebat, ut semper seipso fieret melior. Non immerito extrinsecus apparebat, quod intrinsecus gerebatur.

F

visiones Sanctis exhibitæ. 28 Huic vero visitationes non solum quorumcumque Sanctorum multoties ostensæ; verumetiam (quod est super omnia) Dominicus Jesus cum omnibus discipulis suis se in visione ei revelavit. Quod non passim ille jactavit, aut spiritu exaltatus est *c*, sed uni tantum satis fideli personæ sub sacramento, ut taceret, ita confessus est, qui coram

c

A. MESSIANO ETC.

coram Deo asserit factum fuisse. Verumetiam et ante biennium transitus sui cuncta præparatio, quam percepturus erat pro omnibus operibus suis in cælis, in spiritu ei ostensa est, et dictum est ei: Lætare in Domino, quia ecce, quæ percipies pro servitio tuo. Et quia multa sunt adhuc satis et magna, quæ propter prolixitatem præterimus; plèrique hi, qui nobiscum illa norunt, dolebunt nos proculdubio prætermisisse tam plurima, quæ utique nobiscum sciunt. Quos, ut ignoscant, rogamus, quia satis indecorum est et onerosum aut barbarum eruditis auribus diutius loqui præsumere; aut mutum, cum loqui non possit, velle amplius mussitare. Det Deus, ut prius finem habeamus, quam de amore, de nutrimentis, de caritate, de prædicatione, de omnino sancta recordatione domui nostri sanctique patris nostri Cæsarii finem in animis uostris faciamus. Tamen quæ etiam, antequam ista scriberentur, post transitum ipsius de reliquiis ejus acta sunt, pauca referam.

ANNOTATA.

B

a *Ad hanc vocem Mabillonius notat sequentia:* Vestem seu togam quadratam vocabant antiqui recinium quasi rejicinium quod mediam ejus partem in tergum rejicerent. Hic recinii nomine intellige merendam, hodieque Gallis, le reciner, quod sit dimidiata solum comestio, alia parte in cœnam rejecta. *Apud Surium scribitur,* reticinium; *apud Barralim vero,* recticinium.

b Organarius *illum designat, qui organa pulsat musica. Vide quædam Sancti monita sub finem Commentarii.*

c *Quam modeste de se senserit Sanctus, declarat ipse in Sermone* 9 *apud Barralim pag.* 295, *ubi celebratis monasterii Lerinensis laudibus, aliqua de se subjungit hunc in modum:* Nam omnes, quoscumque fœlix et beata habitatio ista susceperit: charitatis et humilitatis pennis ad excelsa virtutum culmina Christo sublimare cousuevit. Quæ res cum pene in cunctis habitatoribus loci istius fuerit consummata fœliciter: in me tamen, resis-

C

teutibus meis meritis, non probatur impleta. Cum enim parvitatem meam hæc sancta insula, velut præclara mater, et unica ac singularis bonorum omnium nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit, et non parvo spatio educaverit, vel nutrire contenderit: licet reliquos ad virtutum culmen evexerit, a me tamen, quia cordis mei duritia contradixit, omnes negligentias auferre non potuit. Et ideo cum omni humilitate supplico, et tota cordis contritione deposco; ut, quod negatur meis meritis, vestris orationibus suppleatur: et ego peculiaris alumnus vester sic precum vestrarum suffragiis merear adjuvari; ut hoc ipsum, quod in isto sancto loco nutritus sum, non mihi judicium pariat, sed profectum: *Plura ibi prosequitur in eamdem sententiam, et alibi non raro: at hæc in Sancti scriptis legi poterunt.*



D

CAPUT IV.

Miracula quædam post mortem patrata: ætas Sancti et tempus episcopatus: pia ad mortem prævisam præparatio, et beata mors: dolor omnium in ejus obitu, et sepultura.

Chartarius *a* publicus, nomine Desiderius, cum multo tempore quartanis febribus fortiter ita urgeretur, ut etiam prævalida juventute careret: aquam unde corpus illud sanctum lotum est, paullulum hausit, atque etiam ita sanatus est, ut non solum febris ipsa juvenem non repeteret, sed etiam virtus et robur pristinum in ipso, Domino annuente, rediret.

Per aquam, qua corpus aut vestes erant lota,

a

Filius vero inlustris viri Salvi, cum tertianis febribus satis graviter urgeretur, et, ut est studium talis viri, crebris potionibus huic infirmati competentibus illum studeret mederi, nihil prorsus juvari potuit. Tunc ut Christianus: Curre, inquit, fili, et quære aquam, unde domnus Episcopus lotus est, aut certe de vestimento suo reliquias lava, et bibe, et Dominus dabit sanitatem. Statim ut factum est, omnis febris, et quidquid incommodum fuit, ab eo discessit.

E

Filius etiam inlustris viri quondam Martiani graviter febribus incommodis sic angebatur, ut etiam a medicis desperaretur. Ille vero (ut Deus inspirat propitius, quibus vult mederi) fide et alacritate cœpit petere, ut aliquid, quod de vestibus Famuli Domini erat, ipsi lavatum bibendum daretur. Tunc ad me, vel ad reliquos absentes, qui inde sibi aliquid reservavant, curritur: apud quempiam quæsitum, inventum, datumque est de vestimento, quod exhibitum est, aquam ipsam sumpsit, sanusque effectus est, hujusque miraculi testis per seipsum exsistit.

30 Alias vero, eunte me per plateam, Francus quidam, jam totus frigore quartanæ febris incurvus atque tremebundus, ante me ambulabat. Et cum velociter ire disponerem ego, quo cœperam, cœpit post me clamare: Benedicte, si habes, da mihi de drapo *b* sancti Cæsarii propter frigoras *, quia multis valet, volo bibere. Ego, qui velociter properare volebam, quo cœperam, dixi: Si me expectas, crastino do tibi, quod quæris. Ille vero ait: Ego hodie habeo diem, et jam totus tremo; quando te expectare habeo? Tunc ego non otiose mihi illum in platea toties ante positum cogitans, dixi ad eum: Veni juvenis: ego tibi dabo, quod quæris. Statim ambo redivimus: et cum in cella mea ingressi, manus uterque lavassemus *, protuli linteum, ex quo sanctum corpus dulcis Domini * tersum fuerat. Tuli ego parvulam partem, ut darem ei; et ille Francus cum grandi furore * ait ad me: Tolle homo, quid mentiris? Ego audivi, quod ille Benedictus non linteum, sed pannos in usum habuerit, quod ego lavare volo, et de aqua desidero bibere. Tunc ego cum lacrymis dixi: Bene dicis, verum audisti. Sed hinc * corpus ipsius Sancti, quando transiit, detersum est. Et ille: Da ergo, inquit, si sanus sim. Acceptura * itaque statim in eadem hora a Domino sanitatem sensit.

febris variorum pellitur:

F

b

* frigora

* lavissemus

* *al. add.* bon

* *al.* timore

* *i. e.* hoc linteo

* *pro* accepto linteo

31 Sed quia beneficia orationum Servi Domini,

A ui quæ corporibus et animabus Christus per illum præstitit, omnino nulla lingua valet, ut dignum est, expedire; licet rusticitas meæ eloquentiæ quasi fatua resonet, quia nec peritus sermone exsisto; tamen cum sapientibus sermo est, pauca etiam testimonia magna sunt rerum emolumenta; sensus suos pro testimonio habent, qui fideli mente vera dicta suscipiunt. Illud tamen non prætercam quod nuper in cella sua cessit, ubi corpusculum quievit, ex qua ad superna migravit. Dicentibus sanctis fratribus inibi Capitella *c*, ipsis præstantibus *, unus de cubiculariis, quos in obsequio habuit, dum ciciudelem *d* concinnaret, de manibus ei super lapidem lapsus est: qui nec versit *, nec fregit, nec extinctus est.

lampas in ejus cubiculo lapsa nihil damni accipit :

* al. præsentibus

* i. e. versus est

32 Dum ergo hic Euangelista, ut legimus, eximium suumumque verbi opus opportune importune agit, dumque sacrum complet officium, adest Dei nutu, non tradente ipso (ut criminabantur Arriani) sed tamen jugiter exorante pro omnibus, cum tranquillitate et quiete in Arelatensium civitate gloriosissimi Childeberti *e* catholicissimum in Christi nomine regnum, cum virtute mansuetum, cum severitate commune, cum B humilitate conspicuum, sacerdotes Domini non terrore concutiens, sed veneratione constringens: in Galliis eminentius omnibus, in ecclesiis cunctis æquale privilegio, celsitudine, civitatem humanitus recognoscens. De hoc ergo Homo Dei refectus pariter et lætus despexit Arriomanitidas minas et crebras accusationes, falsiloquia, simulationes confictas. Vidit ergo et lætatus est, appositusque ad patres suos in senectute bona in Christi nomine plenus dierum.

Arelas a Childeberti regnum translata :

33 Cum ergo crebro semianimem redderet ipsum conspectibus nostris infirmitas; et inter hæc septuagesimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, e quibus quadragesimum in pontificatu verteret circulus gyrum; animadvertit per spiritum imminere sibi transitus diem, et inter non modicos, quos patiebatur dolores, sciscitatus est, quam in proximo esset beatissimi Augustini depositionis dies. Et cum imminere commemorationem ipsius didicisset; Confido, ait, in Domino, quod meum transitum non longe divisurus est ab ipsius; quia, ut ipsi nostis, quantum dilexi ejus catholicissimum sensum, tantum C me, etsi discrepantem meritis, minime tamen reor distantia longiore depositionis meæ diem ab ejus obitus tempore sequestrari. Interea crescit additurque exitus Israël de terra Ægypti, id est, animæ sanctæ de hoc mundo corporalis vitæ migratio.

ætas Sancti et morbus :

34 Jubet ergo se monasterio virginum, quod ipse fundaverat, sella famulantium manu gestari, quasi consolaturus anxias, quibus suspicio transitus sui abstulerat somnum, et cibum oblivio. Psalmorum quoque sono lacrymis intercluso, mugitum pro cantico, et gemitum pro Alleluia reddebant. Consolatis igitur compellatisque filiabus non alacritatem contulit, sed mœrorem accumulavit. Etenim in promptu erat agnoscere jam migraturum esse ad divinam patriam pium Patrem. Alloquitur itaque primam, quasi more et dulcedine sua ultra ducentarum puellarum venerabilem Cæsariam *f* matrem, et consolatur, atque ad palmam tendere supernæ vocationis hortatur; et ut teneant Regulam, quam ipse ante aliquot annos instituerat, monet: sicque etiam taliter easdem testamento suo *g*, succedentibus etiam sibi episcopis, et reliquo clero præfecturæ, vel comitibus, seu civibus per epistolas suas commendat, quatenus minime perferrent tempore post futuro laborem. Erat constitutio ipsius monasterii eo tempore annis plenariis xxx *h*. Dat ergo eis orationem et benedictionem, vale ultimum dicens, illis rugientibus, ad ecclesiam revertitur. Tertio namque die post sancti Genesii *i* festum, id est VI. Kalendarum Septembrium ante diem depositionis sancti Augustini antistitis, et post diem dedicationis monasterii sui *k*, cum jam vale dixisset pridie cunctis, imminente hora prima, inter manus, qui aderant, pontificum, et presbyterorum, ac diaconorum beatam animam lætus emisit ad Christum.

postrema monita, pia mors,

A. Messiano etc.

35 Sancti etiam corporis vestimenta ita a diversis lamentantibus vel fidelibus populis pia violentia diripiebantur, ut adsistentibus nobis presbyteris ministrisque vix potuerit vel a suscipiendarum reliquiarum patientia revocari. De quibus jugiter, Deo præstante, sicut superius dixi, infirmorum curationes creberrime celebrantur. Admirabile quidem gaudium fecit in cælis, in terris vero intolerabilem luctum reliquit; quem luctum non solum boni, sed et si qui mali viderunt, simul participarunt. E Nam quis in exsequiis illis sanctus vel extraneus propter lacrymas psalmum cecinit? Sed omnes omnino boni malive, justi et injusti, Christiani vel Judæi, antecedentes vel sequentes voces dabant: Væ, væ, et quotidie amplius væ, quia non fuit dignus mundus diutius talem habere præconem seu intercessorem. Sepultus itaque est in basilica sanctæ Mariæ semper Virginis, quam ipse condidit, ubi sacra virginum corpora de monasterio suo conduntur. Nos quoque fideli devotione et sedulitate debita veneremur in terris, cujus anima confidimus, gaudemus, et gloriamur, quod præfulget in cælis, ad laudem et honorem Jesu Christi Domini nostri, qui cum æterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

omniumque de ea mæror corporis sepultura.

ANNOTATA.

a Chartarius *hoc loco designat commentariensem, seu notarium, ut vulgo loquimur.*

b *Id est, panno, Gallis* drap.

c *Barralis legit* capitulum. *Porro vox* capitellum *pro variis sumitur : at hic significare videtur* F *Horas canonicas breviores. Utitur hac voce Turonensis in Historia Francorum lib. 9, cap. 6 in eadem, ut apparet, significatione :* Et ingressus in oratorium, me postposito, ipse capitellum unum atque alterum ac tertium dicit.

d Cicindelis, *aut* cicindilis, *lampadem designat, ut jam alias monui.*

e *Quo tempore, et qua occasione ad Childebertum pervenerit civitas Arelatensis, jam dixi in annotatis ad lib.* I, *cap.* 3, *lit.* n. *Porro Childebertus Catholicus erat, cum Gothis Arianis diu paruissent Arelatenses : erat quoque benignus in personas ecclesiasticas, ut testantur variæ ejus fundationes. Hinc mirum non est laudari ejus regnum ab auctore Vitæ, licet alioquin gesta ejus omnia non sint æque laudanda,*

f *Hæc Cæsaria secunda, quæ sorori* Cæsarii *successerat.*

g *Testamentum dedimus in Commentario* § 6.

h *De monasterio ædificato egimus ibidem* § 2.

i *Acta S. Genesii martyris Arelatensis illustrata sunt ad* 25 *Augusti.*

k *Dedicationem factam* 26 *Augusti anni* 512 *diximus in Commentario num.* 18, *indeque cum Pagio probavimus mortuum esse anno* 542.

DE

A D

DE SANCTO SYAGRIO EPISCOPO

AUGUSTODUNI IN BURGUNDIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti cultus, et Acta : varia de stirpe et cognatione ejus examinata: episcopatus initium, et obsequia variis præstita.

Circa annum DC Cultus Sancti: Acta in Breviario.

Inter præclaros Galliæ antistites, qui seculo VI *doctrina ac sanctitate floruerunt, locum non infimum sibi vendicat* S. Syagrius *Æduensis, seu Augustodunensis in Burgundia episcopus.* B *Annuntiant ejus memoriam Ado, Usuardus, ex iisque Martyrologium Romanum ad* XXVII *Augusti his verbis :* Augustoduni sancti Syagrii episcopi et confessoris . *atque eodem die Augustoduni colitur Officio duplici. Hisce alia Martyrologio alibi reperientur, nec passim consonant. Verum Hieronymiana Florentinii non modo* XXVII *Augusti , etiam 2 Septembris* Syagrium *Augustodunensem celebrant. Notat autem ad 2 Septembris Florentinius , eodem etiam die* S. Syagrium *annuntiari* in Ms. Martyrologio S. Sabini de Levitania, *in cujus elogio quædam corrigit, ab alio Sancto ad* Syagrium *imperite translata, quæ ibidem videri possunt, cum nec alibi reperiantur,nec ulla veritatis specie vestiantur,ut superfluum esset illa rursum confutare. Acta* S. Syagrii *non habemus,nisi in Breviario Æduensi, quod impressum est anno* 1534. *Sex ibidem de Vita ejus habentur lectiones,quas pro Actorum compendio dabimus,licet quædam in illis sint corrigenda, nec magnam ab ætate auctoritatem habere possint. Reliqua vero sancti Antistitis gesta ex variis auctoribus colligemus, quantum fieri poterit pro* C *monumentorum penuria.*

Nec frater reginæ Brunechildis fuisse probatur,

2 *Annus Sancti natalis ignotus est, uti et locus : at natum esse in Gallia seculo* VI *non multum provecto, ex episcopatus loco et tempore conjicere possumus. Stirpe nobili genitum, ex nomine ipso fit verisimile, et passim traditur a scriptoribus : claritatem quoque generis memorat oratio in Breviario Æduensi. Porro in Vita S. Hugonis monachi Æduensis, apud nos tom. 2 Aprilis pag.* 765 *hæc reperio :* Habebat... regina *(Brunichildis)* fratrem... germanum S. Syagrium Augustodunensem episcopum , inter pontifices egregium. *Consonat officium mox dicti Breviarii. Saussayus in Martyrologio, aliique scriptores recentiores opinionem illam sine examine sunt amplexi : verum, ubi examinari cœpta est accuratius, rejecta est passim, ut sine fundamento asserta. Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 560, *num.* 5 *illam refutat ex silentio auctorum coætaneorum, fabulamque vocat, quam ortam existimat ex interpolatione litterarum S. Gregorii Magni, quibus additam vult vocem,* proprium. *At nec ad interpolationem recurrere necesse est, nec illam vel verbo probat Cointius, nec verisimilis est illa interpolatio. Audiamus igitur textum Gregorianæ epistolæ, ex quo nata videtur opinio illa , non ut illam citat Cointius, sed ut novissimi editores Operum S. Gregorii tom.* 2, *col.* 1015 *verba illius expresserunt :* Curam vero et sollicitudinem ejusdem synodi , quam fiendam decrevimus, fratri coepiscopoque nostro Syagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus. *Certe per vocem* pro- E prium *intelligere non debemus* fratrem *Brunichildis, ad quam scribit Gregorius ; sed satis erit, si* amicum, *si* familiarem, *si dilectum interpretemur. Hinc itaque si nata est opinio, ut verisimile est, fundamento caret idoneo. Deinde non apparet credibile, silentibus coævis auctoribus, filium regis Ariani, in Hispania dominantis, episcopum creatum fuisse in Burgundia.*

nec cognatus S. Desiderii: at forsan nobili Syagriorum stirpe natus fuit :

3 *Neque majori nititur ratione, quod in eodem Breviario Desiderius Viennensis antistes* S. Syagrii nepos *vocatur. Idem enim antiquorum silentium contra hanc opinionem militat. Edidit Henschenius tom.* V *Maii, a pag.* 252 *Vitam S. Desiderii, ab auctore coævo scriptam, in qua ab initio sic legitur :* Hic vir sanctus, in Augustudunensi civitate ex nobili prosapia oriundus, *etc. Verum, nec hic, nec alius quispiam contemporaneus quod sciam, de cognatione cum* S. Syagrio *meminit. Fateor tamen hanc opinionem minus a verisimilitudine recedere quam præcedentem, quod uterque Sanctus in eadem urbe fortasse sit natus. Browerus noster in notis ad Venantium Fortunatum pag.* 148 *de stirpe Syagrii* F *sic loquitur :* Nec dubitem ejus prosapiam referre ad stirpem Syagriorum, in qua Sidonius *(Apollinaris)* epist. VIII, lib. VIII ponit " deductum " nomen a trabeis , eboratas curules, et fastos " purpurissatos ", quos et Marcellinus et Cassiodorus agnoscunt. Quin idem diserte repetitis epistolis Syagrium juniorem salutat, et " florem Gallicanæ juventutis, et Affranii Syagrii consulis " virili successione pronepotem ". *Hæc sane conjectura non displicet : verumtamen ne hæc quidem ut certa affirmari possunt.*

episcopus creatus est

4 *Quid egerit Sanctus ante episcopatum, scriptores non memorant : itaque initium episcopatus investigare aggredior. Novissimi editores Galliæ Christianæ tom.* 4, *col.* 344 *de* Syagrio *ita habent :* Episcopus ordinatus est anno , ut vulgo creditur , circiter DLX. *Cointius ad annum* 560, *num.* 5 *circa postrema Clotarii I tempora ad cathedram evectum credit, quod in idem recidit : at nihil probationis adducit. Eruditi Benedictini, qui conscripserunt Historiam litterariam Franciæ, tom.* 3, *pag.*257 *inter antistites, qui interfuerunt concilio II Parisiensi, collocant* Syagrium *Augustodunensem : concilium autem illud habitum volunt ante annum* 555 , *ita ut* Syagrius *diu*

A *diu ante annum* 560 *episcopus fuerit, si isti interfuit concilio. Porro* Syagrius episcopus *concilio subscriptus legitur*, *et* Æduorum *quidem seu* Augustodunensem episcopum *vocarunt antiqua exemplaria Mss. : sed nomen urbis per errorem irrepsisse putat Sirmondus, quod et probare conatur apud Labbeum tom.* 5, *col.* 813 *hæc notans :* Quod vero Syagrium, qui postremo loco subscribit, Æduorum episcopum appellabant (*Mss. exemplaria,*) id tamquam falsum expunximus. Syagrium enim Augustoduuensem Æduorum episcopum longo post intervallo creatum fuisse, cum Germanus Parisiorum esset episcopus, constat ex Fortunato in Vita sancti Germani capite LXV. Quare Syagrius hic Gratianopolitanus potius videtur, qui Lugdunensi II concilio post duodecim annos per vicarium interfuit. *Huic Sirmondi conjecturæ assensi deinde sunt plurimi.*

circa annum 560 :

5 *Posset quidem responderi, Fortunatum non dicere, episcopum fuisse S. Germanum, dum consecrationi* S. Syagrii *interfuit, adeoque adesse potuisse, dum abbas erat S. Symphoriani Æduensis, ut insinuat Bailletus tom.* 2 *ad* XXVII *Augusti in* Syagrio. B *Verum, etiamsi expressis verbis non dicatur tunc temporis episcopus fuisse, aliunde id satis innuitur. Nam Fortunatus, apud nos tom.* VI *Maii pag.* 785, *ita loquitur :* Itaque pergens Augustodunum (*S. Germanus*) pro ordinatione Syagrii episcopi *etc. Si abbas erat Augustoduni, Augustodunum pergere non debebat pro ordinatione : itaque, dum hæc fiebant, jam Parisios translatus erat ad episcopatum. Præterea Fortunatus primo commemorat gesta S. Germani ante episcopatum, deinde vero, quid in episcopatu egerit, exponit; atque inter posteriora ordinationem* S. Syagrii. *Hinc mihi vix dubitandum videtur, quin S. Germanus ; ordinationi adfuerit jam episcopus; atque adeo laudati Benedictini perperam recensuerint* S. Syagrium *inter episcopos, qui in concilio* II *Parisiensi consederant, cum illud certo fuerit habitum ante episcopatum S Germani. Hinc demum probabiliter concludere liceat,* Syagrium *non diu ante annum* 560 *ad episcopatum evectum esse, quod nihil ante illum annum ab eo gestum, nulli eum concilio interfuisse legamus : fuisse vero jam episcopum anno* C 561 *mox videbimus, ita ut initium ejus episcopatus satis probabiliter statuatur circo annum* 560.

curat S. Rusticulam, quæ quinquennis rapta erat, monasterio restituendam :

6 *Magnæ mox auctoritatis in aula regia fuisse* Syagrium *antistitem, colligere possumus ex facto, quod primum ex gestis ipsius venit enarrandum. In Vita S. Rusticulæ, apud nos tom.* 2 *Augusti, pag.* 658 *refertur, eam, dum puella erat quinquennis, raptam fuisse a Cheraonio viro nobili, qui deinde nubilem nuptiis sibi alligare meditabatur. At Liliola abbatissa monasterii S. Tæsarii Arelatensis petiit* a venerabili Syagrio episcopo, qualiter agere deberet apud Gonderanum regem, ut intra septa monasterii faceret cam introire. *Obtinuit abbatissa ope* Syagrii, *quod petebat, jubente Guntramno rege, ut puella illi traderetur, obnitente nequidquam Cheraonio. Factum id sub exitum anni* 561 *et initium* 562 *scribit Cointius ad annum* 561 *num.* 5 *: nec operæ pretium erit, si tempus hujusce rei exactius discutiatur. Sufficiet notasse, famam Sancti jam tunc late vagatam fuisse, quod ejus potissimum opera uti voluerit apud regem abbatissa Arelatensis, longo sane terrarum intervallo ab urbe Æduensi dissita.*

7 *Uti gratia, qua valebat* S. Syagrius *apud Galliæ reges, libenter usus est ad puellam memoratam in libertatem vindicandam, idque tam feliciter exsecutus est, ut illa deinde abbatissa fieret et sancta ; ita pietatem et doctrinam, qua eminebat inter antistites Galliæ, studiose aliis instillare conatus est, ut eos redderet sui similes. Exemplum habemus memorabile in S. Aunario, qui ad cathedram Autissiodorensem hac via ascendit, imo et ad sanctitatem eximiam. Quippe Aunarius, ut refertur in Historia episcoporum Autissiodorensium, apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Mss. librorum pag.* 419, *dum adolescens educabatur in aula Guntramni regis, vitam aulicam pertæsus, clam aufugit Turones, atque* ad sepulcrum S. Martini ductus, amore Dei comam capitis deposuit : exinde sanctum Syagrium Augustodunensem episcopum petiit, qui tunc in Dei rebus præcipuus habebatur : quem ipse nimio cum amore suscipiens, tanta cum eruditione et disciplina instruxit, ut Virum decebat apostolicum. *Eadem narrantur ibidem pag.* 529 *in Vita S. Aunarii, ubi de Sancto nostro hæc memorantur :* Eo tempore, quo hæc gesta sunt, Syagrius episcopus Augustodunensium apostolicæ cathedræ præsidebat. Hic audiens, quæ facta fuerant divinitus erga puerum, velociter misit, qui eum suis aspectibus præsentarent. . Quo adducto, nimio cum amore suscipiens, tanta eum eruditione et displina instruxit, ut usque ad culmen pontificale gradatim educando proveheret. *Consonat hisce Autissiodorensis monachus apud Cointium ad annum* 571, *num.* 6, *ubi* Syagrium *vocat* virum sanctitate et doctrina præclarum. *Facta hæc sunt sub initium episcopatus* S. Syagrii, *quandoquidem S. Aunarius anno* 573 *concilio Parisiensi antistes interfuerit. At initium episcopatus, aliaque hujus Sancti gesta pluribus discuti poterunt ad* XXV *Septembris, quo legitur Martyrologio Romano adscriptus.*

Auctor a S. J. discipulum habet S. Aunarium, quem provehit usque ad episcopatum :

E

scribit ad eum Fortunatus pro liberatione captivi cujusdam.

8 *Auctoritas quoque* S. Syagrii *et charitas elucet ex epistola Venantii Fortunati ad eum data, quam cum aliis Venantii Opusculis edidit Browerus jam memoratus a pag.* 126. *Ratio scribendi erat captivitas cujusdam, cujus pater ad Venantium recurrebat, ut filii sui liberationem commendaret* Syagrio. *Venantius autem, commemorato patris illius dolore de filii captivitate, ita alloquitur Sanctum nostrum pag.* 126 *:* Qui tandem, sedato querelarum strepitu, doloris sui properum * te designat antidotum ; scilicet dum æger mente sibi poscit medelam, si se dignanter impendat, vestra lingua fit malagma. F *Porro Venantius cum epistola mittit versus triginta tres, repræsentantes ætatem Christi, qui nos redemit captivos. Miro sane artificio hi versus vario apicum ductu inter se connexi et interpuncti sunt, ut ibidem videri potest. Difficultatem illius Opusculi describit ipse Venantius, eaque occasione suum in* Syagrium *amorem sic declarat pag.* 127 *:* Loquor pæne, quæ nescio ; et tu me vincis amore, ne vincar ab opere. Ecce exigis a me, et quod in me vix invenis ; violentiam facis ei, qui tuus, non rebellis est : extorques ; nec repelleris. Amor blandus tyrannus est. . . . Quid est, quod non obtineas? sicut amas, sic imperas. *Epistolam totam cum ipso carmine ibi curiosus lector inveniet. Nos ad alia progredimur.*

* alias prosperum

AUCTORE J. S.

§ II. Variis conciliis adest Sanctus; curat S. Virgilium ecclesiæ Arelatensi præficiendum : magna valet gratia apud reges Francorum, qua utitur pro monachis S. Aredii ; varia cum Brunichilde exstruit monasteria.

Interest concilio Lugdunensi II, Parisiensi IV,

Studium tuendi promovendique disciplinam ecclesiasticam, quo flagrabat Syagrius, *colligere possumus ex conciliis. quæ cum aliis Galliæ episcopis celebravit. Coactum fuit anno* 567, *ut notat Sirmondus apud Labbeum tom.* 5, *col.* 850, *concilium Lugdunense* II, *jussu Guntramni regis* pro renovandis sanctorum Patrum institutis, *aliisque ecclesiæ necessitatibus, ut in ejus præfatione dicitur.* B *Conditi ibidem sunt canones sex, quibus* Syagrius . . episcopus ecclesiæ Æduorum *cum aliis nomen suum subscripsit, ut videre est apud Labbeum citatum col.* 849. *Anno* 573 *episcopi ex tota fere Gallia* pro causis publicis, privatorumque querelis *Lutetiam convenerunt ad concilium Parisiense* IV, *ex eoque epistolam dederunt ad Ægidium Remensem antistitem pro Pappolo Castrodunensi episcopo, contra quem Remensis temere ordinarat Promotum. Huic epistolæ nomen suum* Syagrius *noster cum reliquis subjunxit, uti invenies apud Labbeum laudatum col.* 920. *Porro favebat Promoto Sigebertus rex : nam S. Gregorius Turonensis lib.* 7, *cap.* 17 *ita scribit :* Promotus vero, qui in Dunensi castro, ordinante Sigeberto rege, episcopus fuerat institutus *etc. Hinc ad Sigebertum quoque regem iidem scripserunt episcopi, ne Promotum tueretur. Edidit has litteras Cointius ad annum* 573, *num.* 28 : *verum, ut recte ibidem observat*, ex Gregorio Turonensi patet, episcopos hisce litteris parum profecisse ; testatur enim non ante mortem Sigeberti regis amotum fuisse Promotum, contra quem C judicium ita latum fuerat, ut presbyteri tantum officio fungeretur.

Matisconensi I, Lugdunensi III, Matisconensi II, in quibus magna ejus auctoritas :

10 *Anno* 581 *convocatum est concilium Matisconense* I tam pro causis publicis quam pro necessitatibus pauperum, *ut in præfatione illius habetur apud Labbeum tom.* 5, *col.* 967. *Condidit ibidem, subjectoque nomine firmavit cum aliis episcopis* S. Syagrius *canones novemdecim ad disciplinam Ecclesiæ spectantes. Anno* 583 *habitum est Lugdunense* III, *in quo sex canones decreti, quos* Syagrius *noster cum septem aliis episcopis roboravit subscripto nomine, ut apud Labbeum videre licet col.* 975. *Anno* 585 *Matisconense* II *celebrarunt collecti ex tota fere Gallia antistites, canonesque viginti condiderunt, quibus post metropolitanos primus subscripsit* Syagrius, *ut legitur apud Labbeum col.* 987. *Ado in Chronico ad annum* 575 *et sequentes, occasione hujus synodi ita de Sancto nostro loquitur :* Quibus consedit quoque Syagrius Eduenensis episcopus, vir summæ sanctitatis. *Porro non dubitem, quin plures recensere possem synodos, quibus* S. Syagrius *interfuit, si nomina episcoporum omnium Actis legerentur subjecta ; at sufficiant modo relata, ut inde intelligamus, quanto disciplinæ ecclesiasticæ studio flagraverit Sanctus,* D *jus inter episcopos adeo eminebat auctoritas, ut concilium Metense anni* 888, *apud Labbeum tom.* 9 . *col.* 414, *citans canonem* XV *contra Judæos sancitum, solius* S. Syagrii *auctoritatem proferat, acsi ipse caput fuisset concilii, in quo metropolitani non pauci consederant.*

curat S. Virgilium creandum episcopum Arelatensem : turbas monialium studet compescere:

11 *Viduata erat anno* 588 *ecclesia Arelatensis antistite suo Licerio, cujus mortem dicto anno illigant editores novissimi Galliæ Christianæ tom.* I, *col.* 540 : *non obstitit locorum longinquitas, quo minus* S. Syagrius *idoneum pastorem huic gregi curaret præficiendum. Audi Gregorium Turonensem lib.* 9 *Historiæ Francorum cap.* 13 : Obiit autem Licerius Arelatensis episcopus, in cujus ecclesiam Virgilius abbas Augustodunensis, opitulante Syagrio episcopo, substitutus est. *Gesta hujus S. Virgilii traduntur breviter in laudata Gallia Christiana : Vitam edidere majores nostri ad diem* V *Martii, et Mabillonius seculo* 2 *Benedictino. Magnum circa hoc tempus scandalum excitatum erat in monasterio Pictaviensi ex ambitione Chrodieldis, Chariberti quondam regis filiæ, quæ abbatissam suam loco dejicere moliebatur, ut ipsa in illum ascenderet, adhærentibus ei monialibus non paucis. Rem fuse narrat laudatus* E *Turonensis lib.* 9, *cap.* 39 *et seqq. Allaboravit cum aliis episcopis* Syagrius, *ut concordiam reduceret, misitque ad rebelles moniales Desiderium diaconum suum : at cum vi agerent moniales, vibratum in illas anathema ab episcopis illic præsentibus, quod* Syagrius *cum aliis præsulibus apud Guntramnum regem congregatis ratum habuit, ut legitur in eorum epistola apud Turonensem cap* 41 *Plura de his quæri possunt apud laudatum Turonensem, quandoquidem ad* Syagrium *non pertinent.*

adest baptismo Clotarii II: gratia valet apud regem

12 *Anno* 591 *Parisios accessit* Syagrius *cum aliquot episcopis, petente Guntramno rege, ut adesset Clotarii II baptismo, qui Clotario puero collatus in vico agri Parisiensis Nemptodoro, quemadmodum narrat Turonensis lib.* 10, *cap* 28, *ex eoque Cointius ad an* 591 *num, num.* 6. *Porro ex dictis hactenus liquet,* Syagrium *apud Guntramnum, sanctum regem, magno semper in pretio fuisse : idque confirmatur ex Vita S. Aredii abbatis, data apud nos tom.* V *Augusti, in qua pag.* F 192 *hæc leguntur :* Quidam monachorum de viri sacratissimi cellula, *(id est monasterio S. Aredii, cujus mors erat præmissa)* nomine Baudenus, cum instrumentis chartarum, quibus monasterii possessio firmabatur, regionem Burgundiæ adire non distulit ; qui igitur expetens venerabilem et egregium antistitem Syagrium, Æduæ civitatis episcopum, eumque suis precibus imploravit, eo quod honore dignissimus præ omnibus in regis palatio habebatur, ut ejus patrocinio a diversorum æmulorum insidiis cellula tueretur. Qui scilicet petitionibus præfati monachi annuens, quæ petivit, Vir reverentissimus non negavit ; sed etiam auctoritate regali instrumenta munivit, et ad regionem remeandi tribuit libertatem. *Factum id videtur sub finem anni* 591, *quo obiit S. Aredius.*

Guntramnum contra quem non conspiravit :

13 *Ex perpetua hac* Syagrii *apud Guntramnum gratia, ac sanctitate utriusque, mendosum apparet, quod legitur apud Ruinartium in Historia Turonensis epitomata per Fredegarium col.* 582 *de conspiratione* Syagrii *contra Guntramnum in favorem Gundebaldi, qui se Clotarii filium jactitabat. Aut certe, si mendosum non sit, ænigmatis instar haberi potest. Verba tamen accipe :* Cum exinde fuisset reversus *(in Galliam Gundebaldus,*

A *baldus, ut illius partem occuparet, et pro rege se gereret,)* a Mummolo patricio fuit susceptus factione Syagrii et Flavii episcoporum, ut Guntramnum degradarent a regno, et sublimarent Gundoaldum. *Ad hæc autem ita notat editor Ruinartius:* Syagrius erat Augustodunensis, et Flavius Cabillonensis episcopi, quos fideles semper Gumtramno exstitisse existimat Valesius, proditionisque accusatos a Mummolo invidiose, quod eorum potentiam ægre ferret. *Crimine quidem hæc nota absolvit antistites; neque tamen mihi satisfacit. Etenim vix existimare possim, sine mendo hæc legi in epitome Turonensis, quæ in ipsa Turonensis Historia non invenio: neque enim quidquam in Historia Turonensis vel de factione horum episcoporum contra Guntramnum, vel de accusatione eorum per Mummolum reperias. Deinde ne Fredegarius quidem, cujus nomine epitome hæc edita est, in Chronico suo quidquam habet de hac* Syagrii *et Flavii factione, etiamsi Gundobaldi motum, ejusque et Mummoli mortem referat, apud Ruinartium col.* 596 *et* 597. *Porro apud Turonensem* Sagittarius *episcopus, moribus* B *perversus, sæpe inter duces factionis Gundobaldi commemoratur, ita ut suspicio esse possit, pro illius nomine irrepsisse nomen* Syagrii *vitio et ignorantia transcribentium. Quidquit sit, certum videtur,* Syagrium *semper Guntramno fidelem fuisse, cum diu post mortem Gundebaldi apud ipsum in pretio et amore fuerit, nomenque* S. Syagrii *magnum apud posteros, et integrum semper permanserit.*

14 *Guntramnus e vivis excessit anno* 593, *ut ibidem num.* 4 *habet Cointius, heredemque regni sui reliquit Childebertum fratris sui filium, cujus mater Bunichildis adhuc vivebat, apud quam magna fuit* Syagrii *auctoritas, uti fuerat apud S. Guntramnum. Porro fama Brunichildis semper fuit ambigua, aliquibus illam laudantibus, aliis vero multa eidem scelera exprobrantibus; consuli potest ea de re Cointius ad annum* 613, *num.* 6, *et seqq, ubi famam hujus reginæ multis tueri conatur. At, qualiscumque fuerit Brunichildis, constat* S. Syagrium *illi non scelerum, sed bonorum operum auctorem fuisse et adjutorem. Etenim xenodochium Augustoduni ac duo monasteria condidit* Syagrius, *opitulante Brunichilde,* C *ut discimus ex epistolis S. Gregorii. Imprimis epist.* 8 *lib.* 13 *novissimæ editionis mentionem facit de xenodochio his verbis :* Xenodochio, quod in civitate Augustodunensi a Siagro reverendæ memoriæ episcopo, et prædicta excellentissima filia nostra regina *(Brunichilde)* constructum est, hujusmodi privilegia... indulgemus *etc. De hoc xenodochio ita scribit Mabillonius tom.* I *Historiæ Benedictinæ, lib.* 7, *num.* 66: Intra muros urbis situm est sancti Andochii olim xenodochium simul et monasterium virorum, nunc virginum cœnobium ab annis amplius octingentis. Xenodochii curam gerebant monachi ab ipsa institutione sub disciplina Senatoris abbatis, cui Gregorius magnus insigne privilegium concessit. *Privilegium illud ibidem exponit, ac* Syagrium *cum Brunichilde xenodochii conditorem agnoscit.*

item apud Brunechildem reginam, quacum xenodochium,

15 *Laudatus S. Gregorius epist.* 10 *lib.* 13 *eodem prorsus modo loquitur de cœnobio S. Martini per* S. Syagrium *et Brunichildem condito, quo supra de xenodochio; eademque illi quoque indulget privilegia. Hinc Mabillonius sic habet num.* 54: Hunc Antistitem piorum Brunichildis in urbe Æduensi operum adjutorem fuisse, atque adeo condendo S. Martini cœnobio suppetias contulisse, testes sunt Gregorii Magni epistolæ ad Luponem presbyterum et abbatem, quem primum ejus loci rectorem vulgati nobis indices suggeruut. *Idem scribit ibidem,* sancti Martini cœnobium *situm esse* in suburbio Augustodunensi, versus orientem angusta valle et exiguo amne Taraneto * ab urbe disparatum, haud procul a sancti Symphoriani abbatia. *Addit ex aliorum opinione,* S. Martinum eodem in loco ecclesiam sub nomine beatorum apostolorum Petri et Pauli posuisse, quam postmodum in honorem ipsius sancti Martini Syagrius episcopus, volente Bruuichilde dedicaverit. *Hoc itaque monasterium cura* S. Syagrii, *opibusque Brunichildis ibidem fundatum est viris religiosis.*

et monasteria duo, alterum viris,

AUCTORE J. S.

* Tarnet

16 *Alterum vero mulieribus conditum, quod olim* sanctæ Mariæ, *nunc* sancti Joannis *nomen habet. Memorat illud S. Gregorius epist.* 9 *lib.* 13 *ad Thalassiam abbatissam, atque eadem etiam privilegia concedit, quæ xenodochio et S. Martini cœnobio indulserat. Unde Mabillonius eosdem conditores hujus quoque monasterii agnoscit,* Syagrium *scilicet et Brunichildem, expressos in Gregorii epistola.* Conditum est, *inquit num.* 65 *Mabillonius,* ad muros urbis eo in loco, ubi quondam Berecinthiæ fanum erat: et recte quidem, E ut ibi veri Dei mater coleretur, ubi inanium deorum mater profano cultu honorata fuerat. Thalassiæ primæ, ut creditur, ejusdem parthenonis abbatissæ inscripta est Gregorii Magni epistola, continens privilegium eidem loco indultum : in quo monasterium SANCTÆ MARIÆ appellatur, prætermisso nomine sancti Johannis, cujus modo solum nomen retinet, vulgo SANCTI JOHANNIS MAJORIS, ut distinguatur ab alia ejusdem urbis ecclesia, quæ itidem sancto Johanni Baptistæ sacrata est. *Tria hæc monasteria hactenus supersunt sub Regula S. Benedicti, teste Mabillonio num.* 57 *Tempus, quo hæc peracta sunt, neque ex Gregorii epistolis colligi potest, neque aliunde innotescit. Verumtamen illos aberrare existimo, qui circa annum* 589 *facta putarunt cum Mabillonio: neque enim credibile est hæc constructa per Brunichildem ante mortem Guntramni, cui Augustodunum parebat. Itaque intra annum* 593, *quo Guntramnus obiit, et* 600, *quo circiter sublatus e vivis* Syagrius; *pia hæc opera contigisse omnino mihi persuadeo.* F

alterum mulieribus Augustoduni condit;

17 *Præterea cathedralem ecclesiam ornasse videtur et extendisse: nam in Historia episcoporum Autissiodorensium, apud Labbeum in Bibliotheca Mss. pag.* 423, *insinuatur, S. Desiderium idem fecisse Autissiodori, quod* Syagrius *fecit Augustoduni. Verba accipe:* Basilicam sane B. Stephani, cui sedit *Desiderius,* miro decore ampliavit, ingenti testudine a parte Orientis applicita, auroque ac musivo splendidissime decorata, instar ejus, quam Syagrius episcopus Augustoduni fecisse cognoscitur. *Cum opus Desiderii comparetur cum opere* Syagrii, *illeque ecclesiam cathedralem decoraverit, verisimile est* Syagrium *quoque cathedralem ornasse, licet hoc clare non exprimatur. Verum hæc pauca sufficiant de egregiis operibus, quibus Sanctus noster ostendit dilexisse se decorem domus Domini, cum plura nobis inviderit monumentorum penuria. Ad posteriora igitur ejus gesta gradum facimus.*

ecclesiam cathedralem exornat.

§ III.

§ III. Opem fert S. Augustino Anglos convertenti : pallium obtinet a S. Gregorio Romano Pontifice, cum præeminentia ecclesiæ suæ : illum magni facit Gregorius, variaque ei imponit negotia: tempus mortis : reliquiæ.

S. Gregorius Syagrio commendat Augustinum in Angliam missum: cui ille opem fert,

E*gregiæ* S. Syagrii *virtutes, gestaque episcopo digna effecerunt, ut ejus nomen famaque innotesceret Gregorio Magno , qui ad summum Pontificatum anno* 590 *fuit evectus, sæpiusque deinde* Syagrii *opera usus est in negotiis variis. Imprimis anno* 596, *Indictione* 14 *scripsit ad Desiderium archiepiscopum Viennensem et* Syagrium *Augustodunensem episcopum, ut Augustinum, quem in Angliam mittebat Pontifex ad Anglorum conversionem, eis commendaret. Ver-*
B *ba Gregorii epist.* 54 *lib.* 6 *hæc sunt:* De fraternitatis vestræ sincera caritate bene confidimus, quod amore beati Petri Apostolorum principis hominibus nostris vestra devote solatia commodetis... Indicamus itaque sanctitati vestræ, nos Augustinum servum Dei præsentium portitorem, cujus zelus et studium bene nobis est cognitum, cum aliis servis Dei pro animarum illuc causa, disponente Domino, direxisse: cujus relatioue quid sibi injunctum sit, subtiliter agnoscens, fraternitas vestra ei modis omnibus, in quibus causa poposcerit, impendat solatia ; ut boni operis adjutores, sicut decet et convenit, possitis existere. Ita ergo fraterruitas vestra in hac re se devotam studeat demonstrare, ut bona, quæ de vobis, opinione narrante, didicimus, vera esse opere comprobemus. *Addit commendationem Candidi presbyteri, cui cura patrimonii Ecclesiæ in Gallia erat demandata.*

at non comitatur illum in Angliam.

19 *In Officio Æduensi, quod inferius subjiciemus, lect.* 4 Syagrius *a Gregorio in Angliam missus dicitur ad Anglorum conversionem. Illud per errorem ex hac, aliaque epistola mox recitanda, collectum existimo. Certe nec auctores anti-*
C *qui commemorant missionem* Syagrii *in Angliam, neque illa est verisimilis. Petit igitur Gregorius, ut* Syagrius *opem præstet Augustino in Angliam discedenti, illicque commoranti : at non poscit, ut eum illuc comitetur. Porro* Syagrium *cumulate satisfecisse exspectationi desiderioque Gregorii, discimus ex ejusdem Pontificis epistola* 108 *libri* 9, *ubi is* Syagrium *his verbis alloquitur* : Quia igitur in prædicationis opere, quam . . . Anglorum genti per Augustinum... impendere studui, ita sollicitum atque devotum adjutoremque in omnibus te, ut opportuit, fuisse cognovimus, ut magnum me sibi Fraternitas tua hac de re faceret debitorem *etc. Eadem fere ex alia epistola mox adducentur Attamen hæc non significant,* Syagrium *in Anglia prædicasse ; sed prædicanti ibidem Augustino fuisse subsidio, quod solum ab eo petierat Gregorius.*

Brunichildis pallium Syagrio petit ; at S. Gregorius

20 *Post hæc Brunichildis regina pallium* S. Syagrio *postulavit a S. Gregorio Romano Pontifice : verum Pontifex gratas quidem sibi fuisse reginæ preces respondit ; at varias recensuit rationes, cur illud continuo non miserit. Audi partim ejus ad Brunichildem responsoriam, videlicet epist.* D
XI *lib.* 9 : Susceptis itaque epistolis vestris, valde nobis excellentiæ vestræ studium placuisse signamus, atque fratri et coepiscopo nostro Syagrio pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus. Propter quod et serenissimi domni imperatoris, quantum nobis diaconus noster, qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prima voluntas est, et concedi hoc omnino desiderat; atque multa de prædicto Fratre nostro, tam vobis quam etiam aliis testificantibus, ad nos bona perlata sunt, maxime vitam ejus Johaune regionario * ad nos remeante cognovimus. Et quid in fratre nostro Augustino fecerit audientes, Redemptorem nostrum benedicimus, quia eum sacerdotis nomen etiam operibus implere sentimus. Sed res plurimæ restiterunt, quæ nos hoc interim facere minime permiserunt. *Inter causas autem, ob quas pallii missionem dilatam scribit, una erat, quod ipse* Syagrius *pallium non flagitasset* : Maxime, *inquit*, quia et prisca cousuetudo obtinuit, ut honor pallii, nisi exigentibus causarum meritis, et fortiter postulanti dari nou debeat. *Addit tamen, se pallium mittendum curare ad Candidum presbyterum, ut is illud* E
Syagrio *debite flagitanti concederet.*

rem differt, donec id ipse flagitet :

** i. e. diacono regionario*

petitum deinde mittit sub conditione congregandi synodum,

21 *Satisfecit voluntati Pontificis* Syagrius, *ac pallium flagitatum, eo mittente, oblinuit anno* 599 : *verumtamen conditionibus adjectis congregandi synodum, abususque aliquot in ea exstirpandi. Refert id Gregorius ipse in epistola* 107 *lib.* 9 *ad Aregium episcopum Vapincensem, et rursum in epistola ad* Syagrium, *quam mox recitabimus. Quos autem abusus corrigi vellet Gregorius fuse exponit in epistola* 106, *lib.* 9 *ad* Syagrium *Augustodunensem, quem ceteris, iisque metropolitanis præponit, Ætherium Lugdunensem, Virgilium Arelatensem, et Desiderium Viennensem, in cujus fine tres abusus, quos multis perstrinxerat, corrigi jubet his verbis* : De his itaque, quæ superius dicta sunt, fraternitatem vestram, auctore Deo, volumus synodum congregare, atque in ea... omnia, quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districte sub anathematis interpositione damnentur; id est, ut nullus pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere, nec ex laico habitu quisquam F
repente audeat ad locum sacri regiminis pervenire. Neque ut aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ, quæ sacris, ut prædictum est, canonibus sunt permissæ. De quibus cunctis reverendissimus frater noster Syagrius episcopus cum omni synodo, dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate remeante, nobis, quæ acta sunt, studeat renuntiare.

adjecta epistola, in qua Sancti

22 *His subjungo epistolam* 108 *lib.* 9, *qua pallium* Syagrio *mittit Gregorius, ejusque virtutes prædicat et merita* : Gregorius Syagrio episcopo Augustodunensi. Magistra bonorum omnium caritas, quæ nil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, ita exercet corda et corroborat, ut nihil grave, nil difficile, sed fiat totum dulce, quod agitur. Hujus igitur cum sit proprium nutrire concordia, servare composita, dissociata conjungere, prava dirigere, et virtutes ceteras perfectionis suæ munimine solidare : quisquis in ejus radices se inserit, nec a viriditate deficit, nec a fructibus inanescit, quia humorem secunditatis opus efficax non amittit. Atque ideo multum tibi, dilectissime frater, in Domino condelector atque congaudeo, quod sic eadem caritate

te

A te præditum multorum testificatione comperio, ut et ipse, quæ sacerdotis sunt, decenter exhibeas, et aliis te laudabiliter imitandum ostendas.

merita prædicat, pallioque

23 Quia igitur in prædicationis opere, quam diu cogitans Anglorum genti per Augustinum tunc monasterii mei præpositum, nunc fratrem et coepiscopum nostrum, impendere studui, ita sollicitum atque devotum adjutoremque in omnibus te, ut oportuit, fuisse cognovimus, ut magnum me sibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem: tantæ rei consideratione commonitus, ne infructuosus erga te viderer existere, fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione postponere. Proinde secundum postulationis tuæ desiderium pallii te usu, quod intra ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda, Deo auctore, prævidimus honorandum.

præeminentiam sedis Æduensis conjungit,

24 Quod tamen ita tibi dandum esse decrevimus, si prius per synodi definitionem emendare promiseris, quæ corrigenda mandavimus: quia dignum profecto esse credimus, ut cum mentis gravitate, qua Deo te propitio pollere didici- B mus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accresceret, præsertim cum id te non ad superfluæ elationis pompam, sed pro genio et honore tuæ arbitremur ecclesiæ petivisse. Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, ut metropolitæ suo per omnia loco et honore servato, ecclesia civitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum et ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vendicare. Ceteros vero episcopos secundum ordinationis suæ tempus, sive ad consedendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decernimus, et suorum sibi prærogativam ordinum vendicare: quia omnino rationis ordo nos admonet, ut cum usu pallii aliqua simul, sicut diximus, largiri privilegia debeamus.

eumque ad vigilantiam pastoralem hortatur.

25 Sed quoniam cum honoris augmento, cura quoque sollicitudinis debet excrescere, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta conve- C niant: oportet ut cuixius in cunctis se studiis vestra fraternitas exerceat. Circa subjectorum actus sit vigilans, vestrum illis exemplum instructio, et vita magistra sit. Linguæ nostræ exhortatione discant, quod metuant; et doceantur, quod diligant; ut dum talenta credita lucro multiplicato reddideris, in die retributionis audire sis meritus: « Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium « Domini tui ». Curam prætérea congregandæ synodi, quam vobis atque aliis fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam scripsimus, vestræ specialiter sollicitudini noveritis incumbere. Unde quia præcelleutissimos filios nostros Francorum reges magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos studio omnique agere annisu necesse esse, ut, quod de synodo congreganda mandavimus, fraternitatis vestræ vigilantia compleatur, atque omnia illic, quæ pro animarum salute scripsimus, censeantur; quatenus per hoc, et vos zelum vestrum, et qualiter vobis illicita displiceant, ostendatis, et nos utiliter providisse, qui vestram ad hoc præ ceteris personam elegimus, videamur. *Hactenus Gregorius. At de synodo hac per* Syagrium *habita nihil invenio. Credibile est illum more impeditum fuisse, quo minus rem perficere posset: non diu enim post hæc tempora vixisse, infra videbimus.*

AUCTORE J. S.

S. Gregorius varia

26 *Extant inter Gregorii epistolas lib.* 9 *tres aliæ ad* Syagrium *datæ, quibus diversa negotia Sancto nostro curanda Pontifex imponit. Primum epist.* 113 *scribit ad illum Gregorius, ut Menatem et Theodorum episcopos in Italiam compellat redire.* Menas *autem seu* Mennas *a Gregorio missus erat in Galliam: verum accusatus nimiæ levitatis, revocatur Romam, ubi se purgavit, ac in Galliam remissus est, ut intelliges ex epistola Gregorii* 6 *lib.* 13, *in qua* Mennas *vocatur, notante editore ibidem, eumdem hunc esse Telesinum in Campania episcopum. Theodorus vero erat episcopus provinciæ Mediolanensis, declinabatque judicium metropolitani sui, de quo etiam conquerebatur, ut scribit Gregorius epist.* 30 *lib.* 6 *ad Deusdedit Mediolanensem antistitem. Hæc igitur perfecisse videtur* Syagrius, *cum uterque in Italiam ad superiorem suum sit reversus.*

Sancto nostro

27 *Deinde epist.* 114 *Gregorius reprehendit Virgilium Arelatensem et* Syagrium *Augustodunensem, quod Syagria quædam, quæ vitam monasticam amplexa fuerat, gestaveratque vestem religiosam, coacta violenter fuisset matrimonio se copulare, quodque illi sacrilegium hujusmodi non impediissent. Sane non erant inculpabiles episcopi* E *illi, si illud potuissent impedire: at, cum uterque sanctus sit, moresque Gallorum ejusmodi essent eo tempore, ut episcopi varia crimina improbare magis possent quam impedire, crediderim memoratis episcopis rationes non defuisse, quibus se excusarent apud Gregorium. Porro cupiebat etiam tunc Syagria illa piis operibus sua impendere, qua in re ut illi subsidio sint Virgilius et* Syagrius, *hortatur Gregorius.*

commendat negotia,

28 *Demum epist.* 115 *Gregorius* Syagrio *commendat causam episcopi Taurinensis, qui conquerebatur diœcesim suam esse diminutam, erecto novo episcopatu. Erat hic episcopatus Mauriennensis in Sabaudia, ut notat editor, et alii scriptores affirmant: verum, uti non defuerant rationes ad episcopatum illum erigendum tempore Guntrami regis, sic nec deerant hoc tempore ad sedem illam conservandam. De utrisque consuli potest Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3 *pag.* 143, *ubi erectionem refert, et pag.* 346, *ubi ait, Gallos procul dubio rationes suas, utilitatemque novi illius episcopatus Gregorio proposuisse. Certe etiamsi Gregorius* F *ad Theodoricum quoque et Theodebertum Francorum reges eadem de re scripserit epistolam* 116, *Mauriennensis episcopatus hactenus perseveravit. Hæc fere sunt, quæ de egregiis* S. Syagrii *gestis, colligere licuit. Quapropter ad tempus felicis ejus obitus investigandum accedimus.*

cujus mors contigit circa annum 600: corpus, reliquiæ.

29 *Novissimi editores Galliæ Christianæ tom.* 4, *col.* 346 *sic ratiocinantur ad propositum nostrum:* Quo præcise anno ad cælos migrarit, non ita constat. Certe ante secundum supra sexcentesimum, ut evinci videtur ex epistolis, quas hoc ipso anno Senatori et Luppino * archimandritis ac Thessaliæ * abbatissæ scripsit Gregorius, (*lib.* 13, *epist.* 8, 9, *et* 10) in quibus eum REVERENDÆ MEMORIÆ EPISCOPUM vocat. Imo jam anno DC ex hac luce sublatum, inde inferunt viri doctissimi, quod inter litteras, quas anno sequenti DCI sanctus Pontifex diversis Galliarum episcopis ad Simoniacam hæresim exstirpandam direxit, nulla Syagrio reperiatur inscripta, ad quem tamen scribere non omisisset, tum propter vices apostolicæ Sedis ipsi ad hoc demandatas, tum ob gratiam, qua pollebat apud reges Francorum, et Brunechildem præcipue. *Ex his rationibus mi-*

* *al.* Luponi
* *al.* Thalas-

AUCTORE J. S.

hi verisimile non est, Syagrium *vixisse post annum* 600; *at, eum nulla ad eum epistola legatur data post annum* 599, *nec synodus per eum sit celebrata, quam Pontifex tantopere cupiebat, defunctus esse potuit jam ipso anno* 599. *Hac de causa obitum consignavi circa annum* 600, *a quo certo non multum abfuit. Hinc recte concludimus ad annos circiter quadraginta cathedram Augustodunensem occupasse. Corpus servari in cœnobio virginum S. Andochii, per Sanctum, ut diximus, condito, testatur Officium mox dandum. Insignes quoque ejus reliquias haberi Parisiis in abbatia Vallis-gratiæ, quæ mulierum est Ordinis S. Benedicti, affirmat Bailletus in* Syagrio, *seu tom.* 2, *col.* 428.

VITA

Ex Breviario Æduensi.

B Sancti episcopatus, et contemporanei, a b c d e f g h

Lectio i. Beatus Syagrius, Brunechildis reginæ Franciæ, cœnobii sancti Martini *a* ad muros Æduenses fundatricis frater *b*, vetere et antiqua progenie nobilis, sed dotibus animi, et puritate mentis nobilior, divino afflatu insignis, ecclesiæ Æduensis designatus est episcopus *c*. Cujus ætate sanctus Desiderius ejus nepos *d* Viennæ, divus Etherius *e* Lugduni, Autissiodori sanctus Amarius *f*, Aureliæ divus Austerius *g*, sancti Lupus *h* et Columbanus apud Senonas mira sanctitate claruerunt.

virtutes variæ,

Lect. ii. In beato Syagrio charitas admonuit maledicorum sibila contemnere; nec enim usque adeo putabat serviendum improborum linguis, ut necessarium officium hac gratia prætermitteretur. Moderationem obtinuit in castigandis improborum moribus, ut lenitate sanaret potius quam austeritate exasperaret. Mensam habebat perquam frugalem, sed hospitibus expositam, magis frugiferis sermonibus, quam exquisitis eduliis opiparam; ut non minus animi convivarum reficerentur, quam corpora. Bibebat vinum, sed sicut Timotheus Pauli consilio.

C ob quas laudatur a S. Gregorio:

Lect. iii. Amabat perfectam pietatem, sed spontaneam, non extortam. Dixisses illum paterna materna que viscera erga cunctos gerere, malos parturire, ut renascantur in Christo; imbecilles veluti gallinam sub alis fovere, ne pereant; bonos provehere, ut adolescant. Propterea huic congratulabatur beatus Gregorius frequentissimis epistolis in Registro, dicens: Multum tibi condilector atque congaudeo, quod sic eadem charitate præditum multorum testificatione te comperio, ut et ipse, quæ sacerdotis sunt, decenter exhibeas, et aliis te laudabiliter imitandum ostendas.

i promota ab eo fidei prædicatio in Anglia, k

Lect. iv. Cum Anglos *i* a Christianismo ad idola defecisse audivisset beatus Gregorius, misit beatum Syagrium Augustudunensem episcopum in Angliam *k*, qui zelo domus Dei ductus, tam diligenter omnibus in Anglia Jesum Christum nuntiavit, ut, seposito errore et veritate cognita et persuasa, oves perditas in Jesu Christi ovile, tamquam bonus pastor, reduxerit; qui nullum umquam periculum metuit, quoties ecclesiæ commodis serviendum erat.

Lect. v. Tantæ rei (ait Gregorius ad Syagrium) consideratione commoniti, te usu pallii, quod intra ecclesiam tuam habere debeas ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda, Deo authore, prævidimus honorandum: et ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, ut, metropolitæ suo per omnia loco et honore servato, ecclesia civitatis Augustudunæ, cui omnipotens Deus te præesse voluit, post Lugdunensem ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum et ordinem *l* ex nostræ authoritatis indulgentia vendicare. D

hinc pallio ornatus a Gregorio cum præeminentia ejus sedis: l

alix virtutes, mors beata, reliquiæ. m n o

Lect. vi. Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis accrescere debet, ut cultui actionis ornamenta conveniant, authoritate beati Gregorii synodum constituit *m*, cujus definitione simoniaca labe notatos damnavit, et quæ corrigenda mandaverat Gregorius, emendavit. Lingua ejus bonis fomentum erat, pravis aculeus; tumidos retundebat, iratos mitigabat, desides hortatu succendebat, desperatos consolabatur. Tandem Æduæ sexto *n* Kalendas Septembris talenta sibi a Domino credita cum fœnore Jesu Christo dicenti: Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui, tradidit; cujus corpus theca argentea clausum in celeberrimo virginum sancti Andochii cœnobio *o* Augustoduni servatur. E

ANNOTATA.

a *De cœnobio S. Martini per* Syagrium *et Brunichildem condito egimus in Commentario num.* 15.

b *Illud sine fundamento assertum, nec verisimile esse, probavimus ibidem num.* 2.

c *Circa annum* 560. *Adi Commentarium num.* 4 *et* 5.

d *Hæc S. Desiderii cum Sancto nostro consanguinitas idoneo destituitur fundamento, ut dictum est in Commentario num.* 3, *ubi de S. Desiderio actum.*

e *S. Ætherei gesta mox colligere, cultumque probare conabor.*

f *Qui hic* Amarius *scribitur, est S. Aunarius* S. Syagrii *discipulus, de quo aliqua diximus in Commentario num.* 7. *Idem sanctus, teste Cointio ad annum* 571, *num.* 6, *appellatur subinde* Anacharius, Aunacharius, Aunaharius, Aunaarius, Augarius, Anguarius, Autmarius, et Autmacharius. F

g Austerius *apud S. Gregorium Turonensem in Historia Francorum lib.* 9, *cap.* 18 *vocatur* Austrinus Pastoris quondam filius. *Frater S. Aunarii episcopi Autissiodorensis, et S. Austregildis, quæ mater fuit S. Lupi Senonensis, fuisse dicitur ex Actis S. Lupi Senonensis, quæ latius pertractari poterunt ad* 1 *Septembris, cum colitur S. Lupus. Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani pag.* 1234 Austrenum *(sic enim vocat)* Sancti *titulo condecorat:* Quem, *inquit,* mira sanctitate inter alios sua ætate claruisse, diptycha antiquissima perhibent ecclesiæ Æduensis. *Officium, opinor, designat, quod explicamus, ex quo cultus non satis probatur. Gesta Austreni paulo latius prosequitur Carolus Saussayus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis pag.* 141 *et seqq.: at nec cultus ullum profert indicium, et ne* Sanctum *quidem vocat. Quapropter rogatos volumus eruditos Aurelianenses, aliosve Gallos, ut legitimum hujus episcopi cultum nos doceant, si illum noverint.*

h *De S. Lupo Senonensi archiepiscopo mox locuti sumus: verum an fuerit episcopus cum* Syagrio, *an paullo posterius, hic non examinamus.*

S. Columbanus

A *S. Columbanus abbas fuit, non episcopus. Is natus in Hibernia transmisit in Galliam, ubi varia condidit monasteria, ac tandem in Italiam discessit. Plura de eo dicentur ad* 21 *Novembris, quo Romano Martyrologio est adscriptus: videri interim potest Surius ad eumdem diem.*

i *Non defecerant Angli a fide, quam usque ad tempora S. Gregorii non erant amplexi. Britanni quidem, seu incolæ antiqui hodiernæ Angliæ, dudum erant conversi: at populi illi septemtrionales partim Saxones, partim Angli, qui seculo* 5 *Britanniam sunt ingressi, quique demum Angli omnes nominati sunt, Angliæque nomen suum dederunt, gentiles erant, et idola colebant, ut videri potest apud Alfordum in Annalibus ecclesiasticis Britanniæ ad annum Christi* 449, *ubi de eorum ingressu in Angliam, ac superstitionibus disputat.* D

k *Imo potius* Syagrio *commendavit Augustinum, quem mittebat in Angliam, ut ille auctoritate sua et gratia apud Galliæ reges Augustino in Angliam tendenti, ibique laboranti, opem ferret. Consule Commentarium num.* 19.

l *Perseverat hactenus prærogativa illa Augustodunensis ecclesiæ, ut observat Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3, *pag.* 337.

m *Synodum illam non fuisse habitam, morte interveniente* Syagrii, *diximus in Commentario num.* 25.

n *Unde hunc diem emortualem hauserit auctor, quove nitatur fundamento, me latet.*

o *Cœnobium istud, tunc xenodochium, cum Brunichilde erexit Sanctus, ut in Commentario relatum est num.* 14.

DE SANCTO ÆTHERIO EPISCOPO

B LUGDUNI IN GALLIA E

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

De cultu, gestis ante episcopatum et in episcopatu usque ad mortem.

An. DCII. Sancti cultus, et nulli dici affixus,

Quandoquidem S. Ætherius, *vel* Etberius, *cultum non habet certo diei affixum, Actaque ejus connexa sint cum Actis S. Synagrii, de quo jam egimus, judicavimus Acta Ætherii huic loco innectenda, quod optius alibi nequeant collocari. Cultum Sancti immemorabilem probat Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi pag.* 47 *hunc in modum:* S. Etærius, aut,ut alii scribunt, Ætherius, sileutibus licet Martyrologiis omuibus, Sanctus prænominatur in novissima et cœteris accuratiore Lugdunensium præsulum serie, *(apud Claudium Robertum in Gallia Christiana, ut habet in margine.)* In litaniis quoque pe- C culiaribus Lugdunensis ecclesiæ inter alios ejusdem sanctos episcopos invocatur jam olim tamquam Sanctus. Adhæc iu perantiquis Actis S. Austregisili ab Ætherio promoti in abbatem S. Nicetii, idem Ætherins jam vita functus, vocatur BEATISSIMUS, et insigni elogio sanctitatis exornatur. *Ita apud Surium ad* XX *Maii, quem signat in margine. Apud nos vero tom.* V *Maii pag.*230 Ætherius *eodem Actorum illorum loco* Sanctus *nominatur, quæ vox rem probat efficacius.*

asseritur ex variis.

2 Apud Aymonium, et in Breviario Augustodunensi, cum de S. Siagrio, Etærius Lugdunensis numeratur primo loco iuter episcopos, qui divinæ virtutis gratia irradiati, fulserunt ut luminaria Galliæ, temporibus Brunichildis reginæ, et annumeratur sanctissimis ejus ævi præsulibus, Desiderio Vieunensi, Siagrio Augustodunensi, Aunario Antissiodorensi, Austreno Aurelianensi, ac Lupo Senonensi. *Officium Syagrii mox dedimus, ubi hæc habentur num.* I Denique S. Gregorius Magnus, cum commendat ab ecclesiastici ordinis amore, dilectione disciplinæ, studio observantiæ salubrium decretorum, et prompto ac humili ad summi Pontificis monita animo ac zelo. Itaque tanti Viri sanctitas, et debita inter cœlites transcriptio, potest videri explorata. *Facile assentior Raynaudo, præsertim ad invocationem* Ætherei *in litaniis antiquis, quam affirmat quoque Andreas Saussayus in Appendice ad Martyrologium Gallicanum pag.* 1222, *quo item teste,* sanctissimus *et* beatissimus *in priscis codicibus nuncupatur. Itaque ad gesta ejus colligenda et discutienda progredior.*

Vivit in aula S. Guntramno regi familiaris, ab eoque S. Austregisilo obtinet; ut fiat clericus:

3 *Vixit* S. Ætherius *ante episcopatum in aula S. Guntramni regis, ut discimus ex Vita S. Austregisili tom.* V *Maii pag.* 230, *ubi a Guntramno impetrasse dicitur S. Austregisilo licentiam amplectendi vitam clericalem, atque hæc de eo referuntur:* Erat tunc in domo regis, inter ceteros F senatores præstantissimus, Ætherius nomine, vir prudentissimus, et singulari cautela præditus, cui rex omnia tractatus sui arcana præcipue pandebat: qui tunc dignus episcopatu, postea Lugduno Galliæ nobilissimæ civitati episcopus ordinatus est, quique memoratum famulum Dei *(Austregisilum)* singulariter diligebat: quem Austregisilus rogavit, ut regis permissu peteret se ad clericatus ouus venire debere: qui suggessit, et impetravit. *Facta hæc sunt circa annum* 585, *nam paulo ante narratur Austregisilus orasse in S. Martini ecclesia, quæ, ut notat Henschenius lit.* k, *in suburbio Cabillonensi structa erat a Guntromno anno Christi* 584. Ætherius *autem, licet in aula regis habitaret, clericus jam tunc erat: sic enim prædicta narrantur in Bibliotheca Mss. Labbeana tom.* 2, *pag.* 363: Quod ut fieret, cujusdam nobilissimi clerici precibus, Ætherii nomine, cui rex omnia tractatus sui arcana præcipue pandebat, obtinuit *(Austregisilus;)* quique *(Ætherius)* cum misit B. Aunario Autissiodorensi episcopo, ut suis sanctis manibus cæsaries sui capitis deponeretur. Qui et in hoc postulantis Amici explevit votum, ac insuper ad diaconatus eum promovit officium. Effectus ergo clericus continuo remeavit ad regem.

4 *Hæc*

AUCTORE J. S.

colit S. Nicetium, qui ei episcopatum prædicit, ad quem postulatur a Lugdunensibus :

4 *Hæc ante episcopatum peracta : quibus docemur, quanta cum S. Guntramno, S. Aunario, ac S. Austregisilo amicitia fuerit junctus : unde non male quis conjiciat, vita et moribus non fuisse illis absimilem : id tamen certius probatur ex Vita S. Nicetii Lugdunensis episcopi, tom.* I. *Aprilis, pag.* 101, *ubi refertur S. Nicetius non modo probasse vitam et mores* Ætherii, *sed ejus quoque episcopatum prædixisse. At ipsum audiamus Vitæ auctorem, qui scripsit vivente adhuc* Ætherio : Et pro beatissimo antistite Ætherio, *inquit*, suis precibus intercedat *(Nicetius :)* qui sancto laboravit studio, qualiter Vita ejus, quæ etiam post obitum florebat assiduitate operis, panderetur officio lectionis. Sed non immerito ejus memoriam dilectionis studio solenniter excolit, qui illum sibi successorem esse secundo loco prædixit, dum de ejus conversatione gauderet. Quem illico post ejus transitum devotio populi Lugdunensis ad ipsius pontificii gradum ambienter expetiit : sed quod tunc præscia dispositio principis *(Guntramni)* negavit, successore defuncto, indulgere non destitit : ac sic quod sacri an- B tistitis sermo, dum maneret in corpore, prodidit, hoc clementissimi regis cordi Deus auctor infudit : quo etiam obtinente factum est, ut qui fuit hactenus Pater patriæ, nunc esset ecclesiæ. *Videmus hinc insuper et* Patrem patriæ *vocatum fuisse a populo, et magno Lugdunensium studio post mortem S. Nicetii ad episcopatum petitum, quæ non mediocrem de virtutibus ejus existimationem insinuant. Porro non solum pietatem suam in S. Nicetium declaravit* Ætherius, *dum Vitam ejus curavit scribendam : at aliud insuper ejusdem pietatis specimen profert S. Gregorius Turonensis in præcedente apud nos S. Nicetii Vita pag.* 98, *num.* 15 *his verbis :* Lectulus, quo Sanctus quiescere erat solitus, sæpius miraculis adornatur illustribus : qui grandi studio ab Ætherio nunc episcopo fabricatus, devotissime adoratur.

episcopus factus inter annum 585 et 589.

5 *Annus, quo* S. Ætherius *ad metropolim Lugdunensem evectus est, assignari non potuit hactenus. Inter S. Nicetium anno* 573 *defunctum et* Ætherium *sedit S. Priscus. Unde Henschenius ad Vitam S. Austregisili cap.* 2, *lit.* m *notat sequentia de initio episcopatus :* Ætherius factus archiepiscopus inter annum DLXXXV, quo Priscus C decessor adhuc vivebat *(nam eodem anno præfuit concilio Matisconensi* II *)* et annum DLXXXIX, quo subscripsit rescripto episcoporum apud S. Gregorium Turonensem lib. IX Hist. cap. XLI. *Hisce consentiunt editores Galliæ Christianæ recusæ tom.* 4, *col.* 38, *nec annum ipsum assignant propius. Porro rescriptum illud episcoporum apud Turonensem est confirmatio excommunicationis, a quatuor episcopis latæ contra Chrodieldem, eique adhærentes moniales Pictavienses : nam* Ætherius *cum novem episcopis apud Guntramnum regem congregatis excommunicationem illam ratam habuit, rescriptoque primus subscripsit. De his turbis monialium Pictaviensium pauca diximus in Syagrio num.* XI, *at plura videri possunt apud Cointium ad annum* 589, *num.* XI *et seqq.*

S. Austregisilum ordinat presbyterum : adest baptismo Clotarii II :

6 Ætherius *jam episcopus pristinam cum S. Austregisilo amicitiam demonstravit. Quippe in laudato istius Sancti elogio apud Labbeum in Bibliotheca tom.* 2 *pag.* 363, *post recitata superius sic auctor prosequitur :* Quem *(Austregisilum, ad Guntramnum reversum)* videns prædictus Ætherius, illico petivit a rege, ut sibi committeretur. Jam et ipse impetraverat a principe sedem Lugdunensis ecclesiæ : malebat namque secum habere, qui famosissimus noscebatur D ab omni plebe. Quem et ipse præfatus Ætherius mox presbyterum et abbatem ordinavit in sancti basilica Nicetii. *Eadem referuntur in Vita S. Austregisili jam memorata num.* 7 *his verbis :* Regressus inde venit ad memoratum Ætherium : ille, jam episcopatu accepto, benignissime eum cum ineffabili gaudio recepit, presbyterumque et abbatem basilicæ B. Nicetii episcopi et confessoris ordinavit : et ob dilectionem perfectionis, dedit ei de rebus ecclesiæ coloniam Albiacum, usibus suis profuturam. *Familiaritatem inter utrumque Sanctum deinde perseverasse, colligitur ex eadem Vita num.* 9, *ubi refertur miraculum S. Austregisilo contigisse* eo tempore, cum esset memoratus Dei homo cum S. Ætherio episcopo in quadam villa. *Anno* 591 Ætherius *cum Syagrio aliisque episcopis Parisios profectus est, petente Guntramno, et baptismo Clotarii II interfuit Nemptodori, ut de Syagrio in ejus Actis diximus num.* 12. *Id habent quoque laudati Galliæ Christianæ auctores in* Ætherio ; *at male referunt ad annum* 594, *quo mortuus erat Guntramnus, qui puerum* e sacro fonte suscepit, *ipsis* E *fatentibus.*

S. Gregorius illi commendat Augustinum Anglorum apostolum,

7 *Magni fecit* Ætherium *S. Gregorius, ut diximus ex variis hujus ad illum litteris. Primo ad eum scripsisse reperitur anno* 596, *quando Augustinum in Angliam mittebat ad Anglorum conversionem, quem una cum candido presbytero, misso in Galliam ad curandum ibidem Ecclesiæ patrimonium,* Ætherio *commendat, prout eosdem commendavit Syagrio Augustodunensi, aliisque Galliæ episcopis per alias epistolas, quas inter Gregorianas habemus lib.* 6, *epist.* 52, 53, *et* 54. *Non quidem inter epistolas Gregorii reperitur hæc ad* Ætherium *missa; sed illam recitat Beda in Historia ecclesiastica lib.* I, *cap.* 24 *hoc modo :* Reverendissimo et sanctissimo fratri Etherio coepiscopo Gregorius servus servorum Dei. Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam charitatem religiosi viri nullius commendatione indigeant : quia tamen aptum tempus scribendi se ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curavimus, insinuantes latorem præsentium Augustinum servum Dei, de cujus certi sumus studio, cum aliis servis Dei, illuc nos pro utilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse. Quem F necesse est, ut sacerdotali studio sanctitas vestra adjuvet, et sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis injunximus subtiliter indicare : scientes quod, ea cognita, tota vos propter Deum devotione ad solandum, quia res exigit, commodetis. *Addit commendationem Candidi et notas chronologicas, quæ designant* x *Kalendas Augusti anni* 596, *quo erat Indictio* 14. *Porro deceptus est Beda, dum* Ætherium *putavit Arelatensem antistitem : nam Arelatensis præsul eo tempore erat S. Virgilius, ad quem Gregorius eamdem ob causam dedit epistolam* 53 *libri* 6, *quæ verbis non parum ab hac discrepat.*

quem ab Ætherio, non a Virgilio Arelatensi.

8 *Dubitare non possumus, quin* S. Ætherius *Augustinum benignissime exceperit, adeoque S. Gregorii desiderio cumulate satisfecerit. At alia oritur quæstio ex prædicto Bedæ errore, quæ scriptores eruditos in varias distraxit partes : videlicet utrum S. Augustinus Anglorum apostolus fuerit deinde episcopus consecratus ab* Ætherio *Lugdunensi, an a Virgilio Arelatensi. Quippe laudatus Beda cap.* 27 *sic habet :* Interea vir Domini Augustinus venit Arelas, et ab archiepiscopo

A po ejusdem civitatis Etherio, juxta quod jussa sancti patris Gregorii acceperat, archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est. Reversusque Britanniam etc. *Consentiunt nunc scriptores ordinationem illam contigisse anno* 597, *quo* Ætherius *Lugdunensi, Virgilius Arelatensi ecclesiæ præsidebat, indeque simul concludunt, Bedam errasse vel in urbis nomine, vel in antistitis, qui ordinavit. Henschenius in S. Laurentio tom.* I *Februarii pag.* 290 *in urbis nomine erratum esse putavit, adeoque ordinationem* Ætherio *attribuit : idemque repetiit tom.* III *ejusdem mensis pag.* 427 *in S. Ethelberto rege. At Cointius ad annum* 597, *num.* 12 *errorem esse contendit in nomine archiepiscopi, indeque Virgilio tribuit consecrationem : imo ne epistolam quidem commendatitiam pro Augustino ad* Ætherium *missam voluit ad annum* 596 *num.* 14. *Pagius in Critica Baroniana partim adhæret Henschenio, partim Cointio : nam epistolam, quam mox recitavimus ; sine dubio ad* Ætherium *scriptam agnoscit ad annum* 596 *num.* 8 *; sed consecrationem Arelate peractam esse a Virgilio, existimat ad annum* 597
B *num.* 3.

probabilius episcopum esse ordinatum,

9 *Neutram quidem sententiam omnino certam censeo : illa tamen mihi videtur probabilior, quæ* Ætherio *consecrationem adscribit, quod Beda facilius errare potuerit in urbis nomine, quam in nomine archiepiscopi. Rationem hanc paucis elucidabo. Beda in præfatione Historiæ suæ testatur se adjutum ab Albino abbate, qui per Nothelmum Londinensis ecclesiæpresbyterum transmisit,quæ memoria videbantur digna :* Qui videlicet Nothelmus, postea Romam veniens, nonnullas ibi beati Gregorii Papæ, simul et aliorum Pontificum epistolas, perscrutato ejusdem sanctæ Ecclesiæ Romanæ scrinio,... invenit : reversusque nobis nostræ Historiæ inserendas cum consilio præfati Albini reverendissimi patris attulit. *Hinc primo dubium non videtur, quin epistola ad* Ætherium *jam recitata ex illis sit una. Itaque in nomine istius archiepiscopi, quod in ipsa legebat inscriptione, errare non potuit Beda. At errare potuit in urbe, cui præsidebat, cum nomen urbis epistolæ non esset adjectum. Jam vero unde Beda in illum errorem inductus sit, ut putaverit* Ætherium
C *fuisse Arelatensem præsulem, non omnino constat : at certum est in eo errore versatum esse. Fortasse, quod nosset archiepiscopo Arelatensi vices Apostolicas a Gregorio demandatas ; illamque unicam nactus esset commendatitiam pro Augustino, per conjecturam verisimilem existimavit, scriptam fuisse Arelatensi, adeoque* Ætherium *isti ecclesiæ præsedisse. Quidquid fuerit,* Ætherium *Arelatensem putavit et Virgilium ejus in eadem ecclesia successorem : nam cap.* 27 *sic habet de alia Gregorii epistola :* Epistolam vero, quam se Arelatensi episcopo fecisse commemorat (*Gregorius*,) ad Virgilium Etherii successorem dederat.

Variis rationibus probamus.

10 *Porro quod Beda scribit de consecratione Augustini, eruisse videtur ex quadam Gregorii epistola : scribit enim Arelate ordinatu ab* Ætherio juxta quod jussa sancti patris Gregorii acceperat. *Hinc concludo, in illa epistola expressum fuisse vel solum nomen* Ætherii, *vel urbis solum : utrumque enim sine errore exprimi non poterat. At vero, si quis epistolas Gregorii pervolvat, reperiet ab eo frequenter prætermitti nomen urbis episcopalis, non vero ipsius episcopi, dum mentionem facit de episcopo quodam determinato. Sic lib.* 6, *epist.* 55 *ad alios scribens episcopos de Virgilio Arelatensi meminit his verbis :* Virgilio fratri ac coepiscopo nostro dicite *etc. ; sic frequentissime alibi. Ex consuetudine igitur Gregorii verisimile est, Bedam* Ætherii *nomen ex ejus epistola hausisse, cui per errorem Arelatensem urbem apposuerit, ut supra factum vidimus in epistola ad* Ætherium *scripta. Deinde si nomen urbis expressum in Gregorii epistola invenisset Beda, non potuisset* Ætherium *designare sine temeritate, cum etiam Virgilium noverit, quem putabat* Ætherii *successorem : dubitasset igitur Beda in illo casu, an* Ætherio, *an Virgilio ordinatio foret adscribenda ; quod in anterioribus litteris* Ætherium *invenisset, in posterioribus vero Virgilium, quos ambos credebat Arelatenses, et quorum successionem nosse certe non poterat,cum invicem non successerint. Itaque quocumque modo rem consideremus, undique probabilius apparet, Bedam in primo errore, qui certus est, perstitisse ; nominique* Ætherii, *de quo certo erat, Arelatensem urbem adjunxisse ; adeoque Augustinum non per Virgilium Arelatensem, sed per* Ætherium *Lugdunensem ; neque Arelate, sed Lugduni fuisse ordinatum. Hisce rationibus satis quoque refutata sunt ;* E
quæ Cointius et Pagius locis assignatis pro contraria opinione disputarunt. Longuevallius vero in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom. 3, *pag.* 323 *et* 324 *contrariam sententiam probabiliorem putat, quia Virgilius vices gerebat Romani Pontificis. At poterant aliæ esse rationes, cur* Ætherius *videretur præferendus, ut gratia illius et Syagrii Augustodunensis apud principes Gallos ; iter Lugdunum brevius, aliaque hujusmodi.*

S. Gregorius laudatis Ætherii virtutibus, eum hortatur

11 *Anno* 599 *S. Gregorius ad quatuor Galliarum episcopos, inter quos secundus nominatur* Ætherius, *epistolam scripsit ad abusus quosdam abolendos per synodum, ut dictum in Syagrio num.* 21, *ubi quoque notavimus, synodum illam non esse celebratam eo tempore. Hinc Gregorius rursum anno* 601 *de eadem synodo, aliisque negotiis dedit epistolam* 56 *libri* XI, *quæ est hujusmodi :* Gregorius Ætherio episcopo Galliæ. Epistolarum vestrarum plena venerabili gravitate locutio ita sibi cordis nostri fixit affectum, ut mutuum semper libeat miscere sermonem : quatenus etsi corporali vestra præsentia frui non valemus, nil sibi contra nos absentia hoc intercurrente valeat commercio vendicare. Quantus namque in vobis F
Ecclesiastici ordinis amor eniteat, quanta sit dilectio disciplinæ, quantum observantiæ studium salubrium decretorum, ex illo, quod nostram submisse et omnino libenter adhortationem accipitis, et servandam inviolabiliter prædicatis, ostenditis. Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, et vetustatis malum libera, sicut decet, voce damnatis, postquam et aliis fratribus coepiscopisque nostris ipsa voluntas est, oportet ut unanimes contra dominicos hostes insurgere, et avaritiam de domo Dei synodali debeatis definitione projicere.

ad simoniam per synodum abolendam,

12 Nihil in dandis ecclesiasticis ordinibus auri sæva fames inveniat, nil blandimenta surripiant, nil gratia conferat : honoris præmium vita sit, provectus incrementum modestia : ut obtinente hujusmodi observantia, et indignus, qui præmiis quærit ascendere, judicetur, et digne, cui bonum testimonium actio perhibet, honoretur. Hæc vobis, dilectissime Frater, cura sit, hæc animis vestris sollicitudo semper invigilet, ut et zelum, quem litteris ostenditis, cordis vestri testem esse opere demonstretis. Itaque assidue instanterque ad congregandam synodum imminete ; et ita vos enixius

AUCTORE J. S.

xius exhibete, ut nominis dignitatem officii administratione compleatis. *Scripsit eadem de re Gregorius ad reges Francorum reginamque Brunichildem : atque ad varios Galliarum episcopos : at nullum eorum tantis exornat laudibus, quantis* Ætherium. *Quid vero congregandæ synodo obstiterit, non divino. At Pontifex sic prosequitur :*

ac respondet ad alia; deus monachos ad Augustinum missos commendat :

13 Deeo vero quod ecclesiæ vestræ concedendum ex antiqua consuetudine deposcitis, requiri in scrinio fecimus, et nihil inventum est. Unde nobis epistolas, quas vos dicitis habere, transmittite, ut ex eis, quid concedendum est, colligamus. Gesta vero vel scripta beati Irenæi jam diu est quod sollicite quæsivimus : sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit. Præterea Fraternitas vestra monachos, quos ad reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum direximus, habere studeat in omnibus commendatos, suamque illis caritatem propter Deum exhibeat; atque illis ita studio sacerdotali obnixe concurrat, et suo eos solatio ad agendum iter adjuvare festinet; ut dum nulla eis illic res morandi causas intulerit, et hi B celerius pergere, et vos mercedem de præstitis invenire possitis. Datum die x Julii Indict. IV. *Quid vellet ecclesiæ suæ concedi* S. Ætherius, *non satis hinc liquet : fortasse pallium ad se mitteretur, vicesque Romani Pontificis sibi demandarentur, rogavit. Quod vero de scriptis* D *S. Irenæi subjungitur, ita passim intelligunt scriptores neoterici, ut putent Irenæi scripta Lugduni non fuisse, ideoque petita per* Ætherium : *et vero etiam hodie multa ex iis latent, ut videre est in Historia litteraria Franciæ tom.* I, *pag.* 337 *et seqq. Attamen non consequitur ex verbis Gregorii, nulla S. Irenæi scripta fuisse Lugduni.*

postrema Gregorii epistola ad Sanctum, hujusque mors

14 *Præterea S. Gregorius ad* Ætherium *scripsit litteras, quibus docet, qua ratione ecclesiæ providendum sit, cum episcopus præ mentis infirmitate officio suo fungi nequit. Habetur illa quinta libri* 13, *referturque ad Indictionem* VI, *ita ut incertum sit, an scripta sit ante mortem* Ætherii, *cum Indictio* VI *inchoata sit mense Septembri anni* 602, *ac mense Novembri scripta videatur epistola, quod inter duas istius mensis epistolas ponatur media, eodemque demum anno obierit Sanctus, mense ac die incerto. Num Fredegarius in Chronico cap.* 22 *sic habet :* Eo anno, *Theodorici regis septimo, id est, Christi* 602, Ætherius episcopus Lugdunensis obiit. *Consentit Aimoinus lib.* 3, *cap.* 90, *atque ex iis neoterici passim. Hæc sunt, quæ ob penuriam monumentorum* E *istius temporis, de Viro hoc egregio colligere tantum potui.*

DE S. EBBONE ET B. GERICO, GUERICO, VEL GOERICO

EPISCOPIS CONFESS.

SENONIS IN GALLIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus utriusque probatus: initium et finis episcopatus B. Gerici.

C

CIRCA ANNUM DCCXLIII VEL DCCL : ET CIRCA DCCX. *Cultus S. Ebbonis,*

Quamvis memoria S. Ebbonis, *ex monacho et abbate archiepiscopi Senonensis, in antiquis non reperiatur Martyrologiis, ac ne in hodierno quidem Romano, cultus tamen ipsius certus est atque indubitatus. Etenim in Breviario Senonensi, quod habemus impressum anno* 1625, *de eo ad* XXVII *Augusti exstat Officium novem lectionum, quæ ex Vita sunt depromptæ. Annuntiatur eodem die in Martyrologio Gallicano Saussayi, in novo Parisiensi, et in universali Martyrologio Castellani. Menardus in Martyrologio Benedictino Sanctum eumdem memorat ad* XXVI *Augusti, ubi et Florarium nostrum Ms., eumdemque diem pro cultu ejus notat Mabillonius. At nos* S. Ebbonem *variis locis remisimus ad* XXVII, *quo colitur præcipue in ecclesia Senonensi, ut jam probatum est. Translationem ejusdem Sancti memorat Saussayus ad* XV *Februarii his verbis :* Senonis translatio S. Ebbonis episcopi ejusdem metropolis et confessoris, cujus depositio colitur die XXVII Augusti. *Idem in Supplemento ad* XX *Martii hæc scripsit :* Senonis commemoratio sanctorum episcoporum Gerrici et Ebbonis ; *quæ ulteriori de* Gerico *disquisitioni locum præbent.*

F

et B. Gerici probatus

2 *Majores nostri in prætermissis ad* XX *Martii occasione hujus annuntiationis alios recensuerunt martyrologos, qui de* B. Gerico *una cum* S. Ebboue *meminerunt, videlicet Grevenum in auctario Usuardi, Canisium in Martyrologio Germanico, Ferrarium in Catalogo Sanctorum ; et, quem primum merito nominant, utpote ceteris antiquiorem, Florarii nostri Ms. auctorem. Posterioris verba subjungo :* Senonis sanctorum episcoporum et confessorum Ebbonis et Guerici. *Idem ad* XXIX *Martii de solo* Gerico *sic habet :* Item sancti Guerici Senonensis episcopi et confessoris. *Vixit hic auctor seculo* XV, *et Florarium absolvit anno* 1486, *ut ipse in conclusione indicat. Ex quo consequi videtur,* Gericum *plusquam centum annis ante bullam Urbani VIII cultum fuisse, adeoque huic nostro Operi posse inseri cum titulo saltem* beati. *Itaque cum promiserint majores nostri de eo agendum hoc die una cum* S. Ebbone, *in titulo utrumque commemoravi, et quidquid acciderit apud scriptores de* B. Gerico, *elucidare conabor.*

3 *Sammarthani*

B. Gericus in episcopatum successit S. Vulfranno;

A 3 *Sammarthani in Gallia Christiana tom.* I, *pag.* 618 *hæc solum de* Gerico *afferunt:* Gericus, Tornodori nobili stirpe satus, cedente Vulfranno, ab eodem cathedram *(Senonensem)* adipiscitur, quam per aliquot annos cum tenuisset, defunctus humatur in S. Petri. *Claudius Robertus in archiepiscopis Senonensibus pag.* 141 *tempus magis distincte memorat, atque ita habet:* Gericus, ex comite Tornodorensi, et abbate Senonensi, in Chron. Ms. circa annum DCC, per cessionem S. Vulfranni, *fit antistes Senonensis. Addit de sepultura:* jacet ad S. Petrum Vivum. *Quæ de patria Tornodoro dicuntur, verisimilia sunt ex consanguinitate cum* S. Ebbone. *Non æque mihi constat, quo nitatur fundamento, quod dicatur comes fuisse Tornodorensis, et abbas Senonensis: nam hæc magis congruunt* S. Ebboni, *a quo fortasse per errorem translata sunt ad* B. Gericum. *Deinde satis constat S. Vulfranno in episcopatum successisse* Gericum: *nam Acta S. Vulfranni apud Surium* XX *Martii, licet interpolata sint, nec chronologia ex iis firmari possit, in eo saltem fidem obtinent ab eruditis, quod hoc aliunde firmetur.* B *Audi Clarium in Chronico S. Petri Vivi tom.* 2 *Spicilegii Acheriani recusi pag.* 464: Hujus *(Pippini Herstallii)* temporibus sanctus Vulfrannus Senonum archiepiscopus, relicto episcopatu, ordinatoque in ejus loco donno Gerico, viro clarissimo, avunculo beati Ebbonis eximii confessoris, quique ei in episcopatu successit; Fontanellam monasterium petiit, ibique monachus effectus, Frisiam prædicavit. *Hoc itaque in compertis habemus.*

at de tempore hujus successionis multum disputatur:

4 *At multum disputarunt eruditi de tempore, quo S. Vulfrannus episcopatum* B. Gerico *reliquit, vehementerque a se dissident. Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 682 *post longissimam de S. Vulfranno disputationem, num.* 50 *existimat, eumdem circa dictum annum* 682 Fontanellam se contulisse dimisso episcopatu Senonensi, eodemque tempore pontificales infulas delatas esse Gerico. *At hæc opinio longissime a vero aberrare videtur. Mabillonius in Annalibus tom.* I *pag.* 593 *successionem memoratam anno* 690 *adscribit; sed rationes nullas allegat, et in observationibus præviis ad Acta S. Vulfranni seculo* 3. *Benedict., part.* I, *pag.* 356 *ab eodem anno* 690 *episcopatum S. Vulfranni tantum orditur. Henschenius tom.* III *Martii pag.* 144 *in S. Vulfranno,* C *iter ejus in Frisiam circa annum* 700 *contigisse putat: at nec hæc sententia subsistere poterit ex dicendis. Itaque, relictis horum omnium opinionibus, quas ipsi viderunt fundamentis niti non satis firmis, cum auctores, quos allegant, aut in multis erraverint, aut corrupti fuerint et interpolati; quid mihi appareat verisimilius paucis edisseram.*

videtur episcopus factus Gericus non ante annum 695

5 *Mabillonius in Annalibus tom.* I, *pag.* 603 *ita habet:* Anno Childeberti regis primo Ragnacharius, abbas monasterii S. Columbæ et S. Lupi in suburbio Senonensi, privilegium ab Emmone antistite concessum renovari ac confirmari curavit ab episcopis. *Relatis autem aliorum episcoporum nominibus, hæc subdit:* Eidem privilegio etiam Vulframnus Senonicæ ecclesiæ episcopus subscripsisse invenitur: sed incertum quo tempore, ante, an post Childeberti regis annum primum: quo anno Senonensem episcopatum, uti probabilius est, Goërico jam resignaverat. *Posteriora hæc addit Mabillonius, qui videbat hæc contraria esse opinioni suæ supra relatæ. At vero non video, cur dubitandum sit de tempore subscriptionis Vulfranni, quandoquidem* Gericus *non legitur subscriptus: ex quo sequi videtur, Vulfrannum eodem eum aliis tempore subscripsisse. Etenim, cum agatur de privilegio ab antistite Senonensi concesso, præ ceteris illud confirmare debebat Senonensis: si ergo Vulfrannus se eo tempore jam abdicasset episcopatu, si* Gericus *locum ejus obtinuisset, cur idem* Gericus *dictum privilegium non confirmasset? Quapropter omnino mihi persuadeo hæc acta esse ante* Gerici *tempora, sedente adhuc Vulfranno, adeoque* Gericum *non obtinuisse episcopatum ante annum* 695.

AUCTORE J. S.

neque multo post 696: sed circa annum eumdem 696:

6 *Sed neque multo post annum* 696 B. Gericus *ad regimen Senonensis ecclesiæ admotus videtur, ut ex eodem probatur Mabillonio. Anno Childeberti secundo,* VI *die Martii, Agirardus episcopus Carnotensis privilegium indulsit cœnobio beatæ Mariæ, quemadmodum refert laudatus Mabillonius in Annalibus pag.* 605. *Subscripsit cum multis episcopis* Goëricus metropolita Senonensis. *Hinc ita infert Mabillonius, et recte:* Ex quibus patet... Vulframnum Senonicæ ecclesiæ regimen Goërico jam tum reliquisse. *Hisce subscribit Longuevaltius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 4, *pag.* 173. *Privilegium hoc ex ipso, ut asserit, autographo* E *edidit Mabillonius de Re diplomatica lib.* 6, *cap.* 23, *seu pag.* 478. *Ex utroque autem hoc privilegio consequi mihi videtur,* Gericum *ad cathedram evectum anno Childeberti III primo vel secundo. Porro Childebertus regnare cœpit anno* 695 *ante* XXIII *Martii, ut ostendit Pagius in Critica Baroniana ad annum* 692 *num.* 18. *Jam vero cum privilegium confirmatum sit* VI *Martii, incertum manet, utrum confirmatio illa incidat in annum* 696, *an* 697: *si enim Childebertus regnum adeptus sit ante* VI *Martii, privilegium confirmatum est initio anni ipsius secundi, et anno Domini* 696. *Si vero ille regnare cœperit inter diem* VI *Martii et* XXIII *ejusdem mensis, confirmatio privilegii referenda est ad finem anni secundi, et annum Christi* 697. *Hinc de initio episcopatus* B. Gerici *nihil certius determinari potest, quam episcopum factum esse circa annum* 696.

respondetur ad præcipuum adversariorum argumentum.

7 *Huic epochæ nostræ aliqua quidem opponi possunt, sed nihil, quod solidum, nihil quod fractum modo ab aliis, refutatumque non sit. Unum tamen lubet expendere Cointii argumen-* F *tum, quia et Pagio placuit, quamvis ab aliis neglectum sit ac confutatum. Auctor Chronici Fontanellensis cap.* 2 *refert corpora sanctorum Wandregisili, Ansberti, et Vulfranni in ecclesiam S. Petri translata esse anno* 704; *addit, corpus S. Vulfranni undecim annis ante hanc translationem jacuisse in S. Pauli ecclesia, ex quibus Cointius ad annum* 704 *num.* 3 *infert, S. Vulfrannum obiisse anno* 693, *cui consentit Pagius ad annum* 700 *num.* 1. *Quæ autem Henschenius in S. Vulfranno pag.* 144 *et* 145 *ex Clario, ex Odoranno, ex Actis S. Vulfranni, aliisque adduxerat, huic epochæ vehementer repugnantia, erroris insimulant. Verumenimvero non video, cur eadem facilitate Chronicon Fontanellense erroris accusare nequeamus, quam illi auctoritates sibi oppositas rejiciunt. Certe id jam fecit Mabillonius in notis ad Vitam S. Vulfranni pag.* 364, *et rursum in Annalibus tom.* 2, *pag.* XI, *ubi, memorata translatione duorum præcedentium, hæc subdit:* Quod de sancti Vulframni itidem translatione eodem tempore facta legitur in Chronico Fontanellensi, serius factum est, cum nondum mortuus esset Vulframnus hoc anno (704,) Childeberti

AUCTORE J. S.

Childeberti regis decimo, quo anno hæc translatio facta est. *Seorsum factam esse translationem S. Vulfranni confirmant varia Martyrologia ab Henschenio pag.* 144 *citata, uti etiam videri potest in S. Wandregisilo tom.* v *Julii pag.* 202. *Hac igitur auctoritate infirmari non potest epocha nostra.*

Finis episcopatus Gerici, et successio Ebbonis.

8 *Nunc inquirendum restat, quo anno* B. Gericus *episcopatum cum Vita deposuerit. Factum id regnante adhuc Childeberto III, ut habent Acta mox edenda num.* 3. *Confirmatur idem quoque a Mabillonio in Annalibus tom.* 2 *pag.* 5 *ex eo, quod* Ebbo, *successor* Gerici *jam episcopus subscripserit litteris sororis suæ Ingoaræ pro monasterio S. Petri : nam litteræ illæ, quas edidit in Actis sanctorum Benedictinorum tom.* 4 *pag.* 616, *datæ sunt anno primo Dagoberti regis, ipsius Childeberti filii ac proximi successoris. Objici quidem potest eodem forsan anno factum esse episcopum paullo ante donationem : at parum id est verisimile : et saltem necessario consequi-* B *tur, episcopum factum non esse post annum primum Dagoberti. Clarius in Chronico S. Petri Vivi apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii pag.* 464 *de* Ebbone *sic habet :* Temporibus istius Dagoberti *(III)* refulsit sanctus Ebbo archiepiscopus, miraculis et nobilitate clarus. *Hinc Cointius ad annum* 711 *num.* 15 *infert,* Ebbonem *fuisse episcopum sub Dagoberto. Porro non negat quidem Clarius, episcopum factum esse sub Childeberto : attamen, cum scribat floruisse sub Dagoberto, insinuat non diu sub Childeberto episcopatum administrasse. Unde existimo* Ebbonem, Gerico *successisse posterioribus annis regni Childeberti : cumque ille obierit anno* 711, *ut eruditi passim tradunt, mortem* Gerici *et initium episcopatus* Ebbonis *statuo circa annum* 710, *licet non inficiar aliquot annis citius contingere potuisse.*

§ II. Chronologia Vitæ S. Ebbonis: corporis elevatio et reliquiæ : Acta.

C

S. Ebbo fit monachus sub Aigileno abbate.

Præcedentibus de B. Gerico *expeditis, gesta* S. Ebbonis *ordinare utcumque aggredior. Natus fuit haud dubie* S. Ebbo *post medium seculi* VII, *quo anno incertum. Monachus in monasterio S. Petri Vivi factus est tempore* Aigileni *abbatis, cui illum successisse habet Vita num.* 2, *et Clarius tom.* 2 *Spicilegii pag.* 464 *inter* Aigilenum *abbatem et* S. Ebbonem *neminem recenset medium, licet clare non dicat hunc illi successisse. Præerat Aigilenus, vel Aghilenus jam anno* 658, *ut evincitur ex privilegio, in Annalibus Mabillonii memorato tom.* I, *pag.* 450, *quod illo anno concessit monasterio S. Emmo archiepiscopus Senonensis. Attamen non video, cur idem abbas vitam protrahere non potuerit usque ad finem fere seculi* VII, *et tunc successorem habere* S. Ebbonem, *postquam hic aliquot annis egregia virtutum specimina dederat in vita monastica. Mabillonius quidem hisce calculum suum non adjecit : sed auctorem hujus Vitæ, et Clarium ejusdem cœnobii monachum, errasse existimavit. Ratio ipsius petitur ex litteris donationis, quibus soror* S. Ebbonis *Leotheria, alias Mummia, monasterio S. Petri Vivi bona sua largitur. Edidit has litteras in Actis Ordinis S. Benedicti seculo* 2, *part.* 2, *pag.* 615 : *atque ex iisdem in Annalibus tom.* I, *pag.* 602 *sic fere argumentatur. Notantur hæ litteræ anno* 5 *Clodovei regis, id est, Christi* 695 ; *et Viraiboldus tum erat abbas cœnobii S. Petri ;* Ebbo *igitur non successit Aigileno, sed Viraiboldo, et hic Aigileno.* D

cui probabilius succedit abbas ante finem seculi 6 :

10 *Hæc quidem recte deducta non inficior, modo dictæ donationis litteræ omni careant vitio. Examinavit illas Cointius ad annum* 750 *num.* 2, *arguitque imprimis annum quintum Clodovei, quod auctores antiqui annos quinque Clodoveo III non attribuant. Deinde Clarius tom.* 2 *Spicilegii pag* 464 *scribit hic multum repugnantia, quando donationes sororum* S. Ebbonis *commemorat his verbis :* In illis diebus donna Ingoara Deo sacrata, soror sancti Ebbonis, fecit testamentum de hæreditate sua beato Petro, quæ circumjacet in pago Tornodorensi, donno Chrodolino tunc abbate. *Hujus litteras edidit Mabillonius in Actis seculo* 3 *part.* 2, *pag.* 616 ; *notatæque sunt anno* I *Dagoberti, id est, Christi* 711, *ut jam diximus : neque de hac donatione sub Chrodolino abbate,* Ebbonis *successore, ulla est difficultas. At Mabillonio re-* E *pugnant quæ sequuntur :* Defuncto autem Chrodolino, successit ei Viraibodus ; cujus in tempore alia soror beati Ebbonis Leotheria, et Mummia similiter Deo sacrata, dederunt cunctam hereditatem suam beato Petro, vivente adhuc et confirmante beato Ebbone fratre suo. Jacent istæ duæ sorores in cœnobio beati Petri, in oratorio sanctæ Mariæ ; ubi et ipse sanctus Ebbo consepultus, innumerabilibus post mortem claruit virtutibus. *Sane difficulter credi potest, adeo aberrasse Clarium in recensendis abbatibus cœnobii, in quo degebat, cujusque scribebat Chronicon, ut Viraibodum, aut Viraiboldum collocaverit post Chrodolinum* Ebbonis *successorem, si ipsum præcesserit* Ebbonem. *Hac de causa malim existimare mendosas esse Leotheriæ litteras, easque multo serius datas, fortasse anno* 5 *Chilperici III aut Theodorici IV. Jam vero nondum constat, quo anno abbas factus sit* S. Ebbo : *at videtur id contigisse ante finem seculi* VII, *et fortasse annis non paucis : nam ignoramus, quot annis abbas præfuerit.*

factus episcopus circa annum 710, Saracenos ab urbe fugat circa 732 :

11 *Factus episcopus circa annum* 710, *ut diximus, virtutibus magnopere inclaruit : sed gesta ejus pleraque manserunt obscura. Anno Christi* 723 *de eo meminit Chronographus Fontanellensis apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii pag.* 270, *cum refert interfuisse cum aliis episcopis conven-* F *tui congregato in castro Tulpiaco, ubi Benignus abbas coram Carolo Martello villam quamdam evindicavit contra Bertharium comitem. Postea Saracenos ab urbe repulit virtute magis divina quam armorum potentia, sicut Vita refert num.* 5. *Vitæ consentit Clarius apud Acherium pag.* 464 *his verbis :* Hujus in tempore gens Wandalorum Galliam vastare cœpit, ecclesiæ sunt destructæ, monasteria subversa ; captæ urbes, desolatæ domus, diruta castra, strages hominum factæ ; per totam Galliam Wandalis ferro et flamma proterentibus omnia. Pervenientesque Senonas civitatem, cœperunt eam jaculis et machinis infestare. Quod cernens sanctus Ebbo, pro ovibus sibi commissis se dedit periculo, exiensque civitate cum suis, fretus divina virtute fugavit eos ab urbis obsidione. Tantus autem timor illos invasit, ut penitus se de vita vivere desperarent, nisi fugæ præsidium expetissent. Illisque fugientibus, persequutus est eos, usque dum expellerentur de finibus nostris, cæsa multitudine eorum. Namque obcœcati per meritum sancti

sancti Præsulis, conversique in se ipsis maximam partem de suis occiderunt, et qui evaserunt, cum confusione pauci ad sua redierunt. Sicque Deus omnipotens liberavit populum urbis a persequutione Waudalorum per meritum sancti Ebbonis. *Eadem narrat Ordericus Vitalis in Historica ecclesiastica lib. 7 circa initium, ut videri potest in Scriptoribus Normanniæ, quos edidit Andreas du Chesne, pag.* 633. *Non memorant quidem prædicti scriptores annum, quo hæc contigerunt: at Cointius ad annum* 732, *num.* 22 *et seqq. ostendit, Saracenos, qui Wandalorum nomine significantur, per Burgundiam eo tempore venisse Senonas usque; quod Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 88 *magis firmavit. Annum statuit Cointius* 732, *Mabillonius* 731 *vel* 732; *Pagius vero ad annum* 731 *num.* 14 *rem narrat. Et vero illorum probationes dubium non relinquunt, quin anno* 731 *vel* 732 *res contigerit: nec refert scrupulosius investigare, uter ex duobus his annis videatur præferendus.*

deinde in solitudinem recessit,

12 *Clarius post verba superius recitata subjicit sequentia:* Post hæc vir Dei Ebbo soli Deo placere cupiens, eremiticam vitam diligens, cœpit solus habitare in loco, qui appellatur Arcea, ubi sunt duæ ecclesiæ, una in honore sanctæ Mariæ, altera sancti Michaëlis. Ibique diebus ac noctibus Christo serviens, mundo exstitit admirabilis. *Consonat his Vita num.* 6: *sed nullibi explicatur, quo anno ad solitudinem illam recesserit Sanctus. De hoc loco Odorannus Monachus, apud Chesnium tom.* 2 *Scriptorum Franciæ historiæ pag.* 641, *ita scripsit:* Anno MCCXXXII obiit Leothericus archiepiscopus. Hic dedit S. Petro villam, quæ Arcia dicitur, cum duabus ecclesiis S. Michaëlis scilicet, et sanctæ Mariæ sanctique Ebbonis cum appenditiis suis. *Ex quibus verbis discimus,* S. Ebbonem *in illo solitudinis suæ loco cultu antiquissimo honoratum esse, ecclesiamque alteram ipsius quoque nomen habuisse. Addit Mabillonius in notis:* Prope vicum istum, qui vernacule ARCE appellatur, estque de jure archiepiscopi et abbatis S. Petri, hactenus conspicitur in humili colle vestigium speluncæ, in qua S. Ebbo delituisse creditur: ad cujus radicem aquæ vena fluit, a febricitantibus celebrata. Ipsius vici ecclesia parœcialis S. Michaëli dedicata est, ubi etiam cultus S. Ebbo, cujus effigies altari imposita cernitur B. Mariæ oratorium eversum jacet.

non relicta omnino cura gregis: ei successit Artbertus anno 744,

13 *Porro Sanctum eo tempore non omnino reliquisse curam gregis sui, probat Vita, et consentit Clarius sequentibus verbis:* Sæpe autem rediens ad civitatem, illuminabat populum sibi commissum verbo et virtutibus. *Hinc assentiri non possum Cointio, qui ad annum* 750 *num.* I *pro certo affirmat,* S. Ebboni *adhuc viventi alium substitutum esse antistitem. Certe neque ex illis, quæ subdit Clarius, id colligi potest:* Claruit autem idem non solum divina eloquentia, sed etiam miraculis, quæ non sunt per negligentiam scripta. Ea vero, quæ fuerunt scripta, perierunt sub persequutione paganorum. Reddidit enim cæcis visum, surdis auditum, gressum claudis, loquelam mutis, omnibusque ad se venientibus opem levaminis cum alacritate conferre non distulit. *Verumtamen ex epocha mortis, quam tradit idem Clarius, si illa sit justa, necessario sequitur, alium pro* Ebbone *factum esse episcopum Senonensem. Etenim ex epistola gemina Zachariæ Romani Pontificis ad S. Bonifacium, apud Labbeum tom.* 6 *Conciliorum, col.* 1503 *et* 1504 *constat, Artbertum (Ardobertum vocant alii) constitutum esse archiepiscopum Sedonensem circa initium anni* 744: *nam Pontifex epistolis illis electionem approbat, et prior illarum data est* X *Kalendas Julii anni* 744. *Hinc primo discimus, corrigendos esse Sammarthanos in Gallia Christiana tom.* I, *pag.* 618, *ubi Artbertum* Ebboni *præponunt, cum eidem successerit. Secundo inquirendum restat, an illo tempore adhuc vixerit* S. Ebbo.

AUCTORE J. S.

at non constat, an eo tempore defunctus sit S. Ebbo, an vixerit usque ad annum 750.

14 *Clarius pag.* 465 *ad annum* 750: Et obiit S. Ebbo. *Odorannus apud Chesnium tom.* 2, *pag.* 636 *ad eumdem annum* 750 *sic habet:* His temporibus migravit ad Dominum sanctissimus Ebbo Senonum archiepiscopus, et sepultus est in monasterio S. Petri apostoli, ubi usque in præsentem diem gloriosis miraculis fulget. *Accedit Vita* S. Ebbonis, *prout edita est a Mabillonio, in qua hæc leguntur pro mortis epocha:* Anno Domini septingentesimo quinquagesimo. *Verum hæc verba in Mss. nostris non habentur, ita ut suspicio mihi sit, adjecta esse ab aliquo, qui Clarium legerat vel Odorannum. Ex dictis auctoribus refert Cointius ad annum* 750, *num.* I, S. Ebbonem *eodem anno vitam cum morte commutasse, et Artbertum viventi substitutum; licet alioquin iisdem scriptoribus tam parum tribuat, ut in consignanda morte S. Vulfranni annis omnino quadraginta et octo ab illis dissentiat. Mabillonius vero in notis ad hunc locum observat,* S. Ebbonem *obiisse ante annum* 744: *at in Annalibus tom.* 2, *pag.* 127 *annum mortis relinquit incertum, ita ut Chronologiæ Clarii et Odoranni parum detulerit. Sane nec improbabile videtur,* Ebbonem *solitariæ vitæ amantem onus episcopatus deposuisse; nec tamen satis certum ab auctoritate Clarii et Odoranni, qui frequenter cespitant im temporibus ordinandis. Rem igitur in medio relinquendam judico, mortemque* Ebbonis *sub dubio statuendam circa annum* 743, *vel* 750.

Elevatio corporis: reliquiæ alibi servatæ:

15 *Mabillonius in appendice ad Acta ex libello Ms. Gaufridi de Collone de reliquiis S. Petri Vivi affert de* S. Ebbone *sequentia:* VI Kalend. Septemb. migravit a seculo, et in monasterio S. Petri Vivi prope suas sorores in oratorio B. Mariæ Virginis est sepultus. Anno ab Incarnatione Domini MXXXIV corpus ipsius relevatum fuit de loco, in quo jacuerat per CCXXVI annos, tempore Sevini archiepiscopi et Rainardi abbatis. Postea domnus Gaufridus abbas prædictum sanctum corpus in capsam argenteam reposuit. Insula sacerdotalis de serico, cum qua sepultus fuit S. Ebbo, quando corpus relevatum fuit, fere integra inventa est, quæ adhuc decenter servatur, et in festivitatibus ipsius Missa ad majus altare cum eadem infula celebratur. *Tempus elevati primum corporis non recte expressum, observat Mabillonius, dicitque ex Clario, elevationem illam contigisse circa annum* 970, *cum Sevinus erat archiepiscopus Senonensis, et Rainardus ejus nepos abbas S. Petri Vivi. Verum cum Clarius pag.* 472 *episcopatum Sevini tantum ordiatur ab anno* 976, *ex mente ejus potius circa annum* 980 *elevatio collocanda veniet. Verba Clarii accipe ad dictum annum pag.* 473: In diebus illis quiescebat adhuc sanctus Ebbo in priori tumulo, in oratorio B. Mariæ juxta altare ad dexteram, fulgens innumerabilibus signis: quapropter communi consilio prædictus archiepiscopus *Sevinus ordinatus anno* 976, *ut præmiserat,* et abbas *Rainardus* levaverunt eum cum magno honore, convocato populo innumerabili. *Subdit Clarius de Sevino inferius:* Deinde brachium sancti Leonis Papæ cum

AUCTORE J. S.

digitis sancti Ebbonis, ab abbate Rainardo, et a fratribus monasterii sancti Petri multa prece obtinens, auro et gemmis ornavit, et eidem casæ Dei *(id est, monasterio Milidunensi)* obtulit. *Demum Mabillonius appendicem concludit his verbis :* S. Ebbonis reliquiæ præter caput, quod possideut Cælestini Meduntenses, hactenus adservantur iu Senonensi monasterio S. Petri, una cum ipsius insula, seu veste sacerdotali, quam casulam vocant.

Vita, cujus auctor anonymus.

16 *Acta* S. Ebbonis *edidit laudatus sæpe Mabillonius seculo* 3, *part.* I, *pag.* 619 *et seqq. : eadem nos habemus Mss. in gemino ecgrapho. Primum notatur desumptum ex tomo* 5 *Legendarii Senonensis, quod* P. Joannes Nicolaus Domvalle Societatis Jesu *testatus est se contulisse cum ipso Legendario. Alterum nobis transmisit* Fr. Ludovicus Nicque biblioth. Suession. Cælest. *anno* 1666 *: at in eo non additur, unde fuerit descriptum. Hæc Mss. apprime inter se conveniunt, neque dissentiunt, nisi in voculis paucissimis, quæ nihil in sensu mutant. At non æque consonant editæ a Mabillonio Vitæ, in qua integræ reperiuntur sententiæ, quæ absunt a Mss. nostris : contra vero in Mss. leguntur aliqua, quæ desiderantur in editione memorata. Judicare poterit studiosus lector ex collatione editionis nostræ cum Mabilloniana, uter habuerit Mss. puriora et concinniora : mihi certe præplacent nostra. Ex his Senonense prælo subjiciam, notatis, ubi opus erit, editionis Mabillonii differentiis. Porro Vitæ auctorem* S. Ebboni *non fuisse coævum, ex ipsa Vita satis colligitur, qua autem ætate vixerit anonymus ille, exacte determinari non potest. Mabillonius in observationibus præviis num.* I *recte de eo sic habet :* Istius Vitæ scriptorem post Nortmannorum processus vixisse, colligimus ex num. VI *(apud nos 4,)* ubi scripta de S. Ebbonis rebus gestis, grassante paganorum vesania, flammis abolita fuisse queritur : quo paganorum nomine Nortmanni designari videntur. *Huic conjicit vixisse scriptorem illum seculo* X, *quod non omnino certum apparet : nam serius etiam vixisse potuit.*

VITA

AUCTORE ANONYMO

Ex Legendario Senonensi Ms., collato cum Ms. Suessionensi et editione Mabillonii.

Sancti patria, parentes pii, quibus promittitur divinitus, educatio, studia ;

Sanctus igitur Ebbo, ut traditum est a patribus, Ternodorensis castri *a* exstitit oriundus, non minus virtutibus quam parentum nobilitate clarus. Fuit namque pater ejus et pia genitrix ex majoribus jam dicti pagi : qui vitam ducentes in Dei omnipotentis servitio, constituti in laicali proposito, divina dispensatione sanctitatis gratiam suut consecuti merito : quorum non fuit aliud vivere, nisi Christum cum firma dilectionis obsecundatione timere, et cum timore amplecti. Cumque jam his tenerentur radiis virtutum, responsum acceperunt ab Angela sancto divinum, quod in proximo haberent filium, qui pro obtinenda ecclesiasticæ pacis victoria multas et varias toleraret adversariorum atque incredulorum *b* contumelias. Mox denique angelicæ promissionis florentia apparuerunt viscera, et magnificæ sanctitatis fructus, dante Deo, post paucos dies processit continuo ad ortum. Qui cum a prædictis parentibus, ut erat egregiæ indolis, docilis cerneretur, eorum decreto liberalibus studiis Christo sacrandus mancipatur. Ilic itaque cunctis ingenii præstantia sodalibus eminendo, atque litterarum fluenta vivacissimo mentis igne hauriendo, celebritem e merito, non tantum fama, ac rei veritate promeruit.

dominium Turnodorense : vita monastica, et virtutes :

2 Deinde relicto otio, et casu populo principe destituto, ipsius regimen pagi *c* assumpsit, quod jure hereditario sibi competens devitare nequivit. Sicque mundiali gloria sublimatus, atque deceptivis oblectamentis quodammodo insertus, ignem superni amoris non amisit, reminiscens timendo illius Scripturæ dicentis : " Nemo militans Deo " implicat se sæcularibus negotiis, ut ei placeat " cui se probavit ". Hoc nimirum sæpe animo recolens, ne Christi militiam amitteret, tempus deponendi sarcinam digerebat, quam non spontaneus, sed populi coactus acclamatione subierat. Reluctabatur siquidem menti popularis amor domesticorumque desolatio, ne quos fovebat ut liberos, desereret erroneos. Tandem sacro afflamine * tactus, huic liti illud Dominicum attulit, quod legitur : " Qui non renuntiaverit omnibus, " quæ possidet, non potest meus esse discipulus ". Monasterium sancti Petri Senonensis *d* petiit, committens ibi divitiarum copiam suæ hereditatis, et sub abbatis imperio legitime militavit, posthabito mundo cum momentaneis oblectationibus *e*. Sicque mundum evasit nudus Christum eligens *f*, qui numquam ab eo auferetur *g*. Dum vero adhuc novus videbatur, custodiæ (ut moris est) mancipatus, sacro Pneumate inspiratus docebat a quibus doceri putabatur *h*. In eo quippe otiositati non erat fas locum habere, qui si quid a bono cessasset opere, magnum sibi damnum irrogasse arbitraretur.

* *Mabil.* afflamine

abbas electus suos optime verbis et exemplis docet.

3 Sicque factus sociis totius exemplar virtutis, dum ejusdem loci procurator Aygilenus vir Dei abbas obiit ex, igentibus meritis, regiminis arcem licet reclamando suscepit, cujus tempore, multis ut accepimus indiciis, magno sancti Petri ecclesia floruit honore : erat enim eo tempore prænominatum cœnobium beatri Petri de sacra religione et sanctitate in his regionibus pene singulare. Suscepta itaque procuratione, sic studuit vivere, ut subditorum corda non solum doctrina, verum etiam actuum exemplis valeret irrigare. Cujus virtus dum longe lateque percrebuit, lucerna sub modio latere non potuit, quam Deus super candelabrum statuere disposuit, ut luceret manentibus in domo Dei.

deinde episcopus multis claret virtutibus;

4 Temporibus illis siquidem regni Francorum sceptum detinebat rex Childebertus pater Dagoberti junioris. Contigit autem ipso in tempore venerabilem Gericum avunculum beati Ebbonis, qui Senonensis ecclesiæ regimen tunc videbatur tenere, cursu præscutis vitæ peracto, e sæculo migrasse, populumque in suo interitu in mœrore reliquisse. Nec multo post plebs Senonum orbata parente, de episcopi * successione deliberatura, unum est coacta in locum. Sed nimium inter se differunt, dum privato quisque captus amore, postposito merito, juxta suum elegit animum. Tandem cælitus inspirati, una voce Ebbonem, monasterii sancti Petri abbatem, regi supradicto flagitantes requirunt, quem carnis passionibus mortuum, jam spiritaliter vivere norunt. Quod ut ad aures ejus pervenit, omni mentis nisu renuit,

* *apud Mab.* archiepiscopi

A nuit, seseque tauti arce culminis indignum proclamavit. Verum illis in inceepto persistentibus, et se numquam eum relicturos obnixe testantibus, vix * populi pietate desolati, precantiumque lacrymis flexus, spopondit se eorum condescensurum supplicationibus. Qui statuto die est cum tripudis et plebis alacritate assumtus, pontificalique infula sublimatus, et gemmis virtutum decoratus, Deo dilectus, mundo enituit clarus. Erat enim beatus Ebbo mœstorum consolator, pauperum recreator, errantium revocator, et (ut ita dicam) omnibus omnia factus, urbanæ plebis vel rusticæ studiosissimus procurator. Pastor namque in clero constitutus, non dominari quæsivit: sed forma factus gregi, fuit inter eos quasi unus ex illis. Et licet miracula, quæ multa per eum Dominus operatus est stilo digna, partim raritate inscitiaque scriptorum nou scripta, partim pagnis inserta, grassante paganorum *i* vesauia rogi flammis sint abolita; unum quod plurimorum relatione comperimus, ad insinuandam populis ejus virtutem in medium deducere censuimus.

* *apud Mab.* vi

i

B 5 Eo itaque tempore gens Wandalorum *k* suis confinibus egressa, Galliam profligatura prosiliit, quæ per orbem dispersa hostili immanitate strages non modicas dedit. Urbes namque effregit, spolia diripuit, oppida diruit, monasteria subvertit, maximamque Galliæ partem in desolationem redegit. Denique multorum cæde peracta, Seuonas civitatem adiit, mœnia castris obstruxit, portas, ne facilis civibus meatus panderetur, vigilanti cura custodivit. Nec multo post machinas, balistas, tormenta, cunctaque hujus officii instrumenta composuit, atque cum omni infestatione muros appetiit. At coutra cives excidium suæ urbis timentes iufirmiora muniunt, propugnacula conscendunt, missilia jaciunt, hostiumque machiuamenta ignivomis spiculis penetrata dejiciunt. Qua de re barbarica gens, ut est insania, acrius felle commota, se ita repulsam vehementer condoluit. Extemplo circumquaque mittit, et quidquid rogo potest comprehendi, sine cunctatione flammis exuri præcipit. Nec mirum, si cives, sua pessumdari videntes, ægre tulerunt: tristes conveniunt Episcopum, ac ab eo salubre C requirunt consilium, qui illico iu oratione Christum altis gemitibus precatur, ne plebs sibi commissa in direptionem daretur. Oratione autem facta, atque sua gente Dei auxilio sacra benedictione relevata, docens non in copia trophæum divelli, sed Domini esse etiam liberare in paucis, seras patefieri jussit, ceteris in mœrore manentibus, se cum paucis de victoria certus dubiæ sorti opposuit. Respiciente siquidem superna clementia, quæ numquam parta * credeutibus adimit præsidia, fugæ solamina hostium cunei capessunt, seque mutuatim bacchantium more propriis jaculis confodiunt. Taudem Christiani a cæde regressi, spoliis ditati, et de victoria cælitus concessa exhilarati, laudem toto affectu rependunt Salvatori, qui sic per sui Famuli merita dignatus est operari.

Saracenos magna clade ab urbe repellit:

k

* *apud Mab.* parca

6 Qui postmodum, dum multa pace degeret, spleuderet, proposuit auimo solitudinem quærere et civium frequentiam devitare, quo liberius posset orationi vacare. Quod cum nec in urbe quivisset adimplere, et gregem, quem regendum susceperat, noluisset deserere, quia Christi aliquando aspectibus cum lucrato * talento cupiebat apparere; elegit locum tanti spatii ab urbe, quo et animo solitudinem cupienti valeret obedire, et filios, si causa posceret, revisere. Qui locus Arcea *l* ab antiquis cognominatus, sexdecim a sede distans millibus, magnis silvarum densitatibus acciugitur. Ibi vero parva planities duabus illustratur ecclesiis, in honore beatæ Mariæ et sancti Michaelis archangeli consecratis: ubi ejus conversationem fuisse eremiticam et a pluribus cognovimus, et innumera indicia colonis ostensa præstautur *. Quo in loco abstinentiæ et orationi Ebbo deditus ita membra mortificavit *, ac corpori cuncta muudi oblectamenta subtraxit, ut etiam ipsa ejus carnis afflictio in cælis fateretur convivere Christo. Et quamvis sic speculationi deserviret, tamen ne plebs sibi commisso famem verbi sentiret, semper Dominicis diebus sedem * revertebatur, ut et officium altari debitum celebraret, et populum cælesti dogmate illustraret, et sacris benedictionibus confirmaret.

solitudinem petit, non relicta omnino cura ecclesiæ:

* *al.* quam

* *Mab.* luce ac talento

A. ANONYMO.

l

* *Mab.* protestantur

* *Mab.* mirificavit

* *aliud Ms.* ad sedem

7 Ceterum cum jam Dominus ejus labori finem decrevisset imponere, fidelemque suum Servum supra multa constituere, febre nimia correptus ad extrema cæpit anhelare. Fratribus denique in præsentia convocatis, et cælestibus moniE tis roboratis, præcepit ne de sua morte tristarentur, quoniam de calamitate ad gloriam transferebatur. At ipsis in mœrore manentibus et pii Patris desolationem vix humane ferentibus, sexto Kalendarum Septembris solutus a corpore cælestem regiam, quam diu ardenti amore cupierat, accepit pro munere. Aderat clerus et populus *m*, in ejus veneratione coadunatus: in beati Petri basilicam humandum detulerunt corpus cum hymuis et lacrymosis laudibus *n*.

mortuus in S. Petri basilica sepelitur.

m

n

ANNOTATA.

a Ternodorensis castri *habet utrumque Ms.*, *Mabillonius* Tornodorensis. *Utrumque nomen usitatum fuit, ut invenies apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 550. *Nunc vernacule* Tonnerre *dicitur*, *et dudum comitatus titulo gaudet, licet sub regno Caroli Calvi, ut observat Valesius, vicecomitem haberet. Mabillonius in nota marginali* Tornodorum *adscripsit Burgundiæ, Baudrandus tamen in Geographia contendit in* F *Campania situm esse, in tractu Senonensi, et in limite Burgundiæ.*

b *Apud Mabillonium*, injurias et contumelias.

c *Clarius tom.* 2 *Spicilegii*, *pag.* 464: Fuit autem ex castro Tornodorensi natus, et ejusdem pagi comes et dominus. *Id facile admiserim, si ostendi possit titulo comitis eo tempore gavisum esse Tonodori dominum. Certe plus Vita declarat, quam gubernatorem dumtaxat fuisse a populo petitum, sicut Bailletus ad* xxvii *Augusti col.* 428, *de eo scripsit: nam loci dominium ei obvenisse morte principis, qui ejus haud dubie fuit consanguineus, hic clare edicitur.*

d Senonensis *in utroque Ms.*; *at Mabillonii editio habet* Sennensis. *De hoc monasterio agit Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam, et num.* 2 *ita scribit:* Monasterium S. Petri, in quo monachum induit Ebbo, situm in villa seu vivos, qui dicebatur Vivus, in suburbio Senonensi, condidit Theodechildis seu Thechildis regina, locupletarunt Basolus Arvernorum comes, et ipse S. Ebbo cum sororibus duabus. *Quæ pluribus deinde probat et explicat.*

e *Apud Mabillonium hic interponuntur aliqua, in Mss. nostris non reperta, et merito suspecta, quod*

A ANONYMO

quod cum sensu non bene cohærcant, ita ut suspicio esse possit, in margine notata fuisse, ac postea irrepsisse in textum. Verba accipe : Florebat igitur in eodem cœnobio venerabilis Aighilenus abba, in sancta religione multipliciter fervens. *Celerum sub quo abbate monasterium ingressus, ac cui ipse* Ebbo *successerit, disputatum est in Commentario num.* 10.

f Eligens, *ut in utroque Ms., licet Mabillonius ediderit* diligens, *minus recte.*

g *Hic rursum in Mabillonii editione leguntur sequentia, quæ non reperiuntur in Mss. nostris :* Abnegato itaque se ipso tulit crucem suam, et secutus est Dominum; ita ejus minister factus, ut, ubi ille est, hic et esse mereretur. Et beatus Ebbo in monasterio positus obedientiam regulæ magistram cum humilitatis gradibus sibi familiariter adscivit, ne quid, quem Deus vocaverat, pateretur abesse perfectionis. His igitur phaleris redimitus, cetera sancti patris monita perscrutabatur, ut quod veste profitebatur, moribus actuque indifferenter exsequeretur.

h *Ab hac voce usque ad finem hujus numeri* B *multum differunt Ms. nostra, quæ sibi consonant, ab editione Mabillonii, in qua hæc leguntur :* Et ut stellæ stellæ præstat in claritudine, multus supereminens operis exhibitione, quidquid aliis vi- D debatur arduum, quia ex animo agebat omnia, opinabatur facillimum. Aighilenus abba vir Dei mortem obiit : exigentibus meritis regiminis arcem sanctus Ebbo licet reclamando suscepit, cujus virtus longe lateque percrebuit, lucerna sub modio latere non potuit, quam Deus supra candelabrum statuere disposuit, ut luceret omnibus manentibus in domo Dei.

i Nortmannorum scilicet, *ut notat Mabillonius*, nam S. Ebbo supervixit cladibus inflictis per Saracenos, quos Wandalorum nomine impropie designat auctor iste, aliique.

k *Per* Wandalos *Saraceni designantur, ut in Commentario etiam diximus num.* XI, *ubi ostendimus hæc facta esse circa annum* 732.

l *De loco hoc actum est in Commentario.*

m *Editio Mabillonii subdit,* qui in ejus veneratione coadunati.

n *Apud Mabillonium additur hæc mortis epocha :* Anno Domini septingentesimo quinquagesimo, *quam additam deinde existimo. Certe nec ipsi probatur Mabillonio, nec in Mss. nostris reperitur : de mortis autem tempore disputavimus in Commentario.* E

DE S. WERENFRIDO PRESBYTERO CONFESSORE

IN ELST VICO BETUÆ IN GELDRIA,

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Descriptio loci : cultus : reliquiæ : Acta : tempus prædicationis et mortis.

C

ANNO, UT DICITUR, DCCLX. *Descriptio locorum, in quibus prædicavit et obiit Sanctus :*

In *parte Geldriæ ducatus, quæ* Batavorum insula, Betua *vel* Batua *vocatur, vulgo* de Betuwe, *inter Neomagum et Arnhemium situs est vicus* Elst, *qui* S. Werenfridum *viventem diu occupavit, defunctum vero patronum habere meruit et debita prosequi veneratione. Paucis inde leucis in Septemtrionem dissitus est vicus* Westervoert, *cujus populum evangelii prædicatione idem Sanctus illustravit, ubi et demum vitam finivit in præclaro opere, ut ex Vita videbimus. Attamen secundus hic vicus trans Rhenum est prope Isalam in limite comitatus Zutphaniæ, ita ut Rhenus inter utrumque vicum sit medius, licet neuter Rheno adjaceat. De* S. Werenfrido *mentionem fecimus in prætermissis ad* XIV *Augusti, quo signatur in Martyrologiis, quoque olim ejus celebrabatur festivitas : at ejus Acta ibidem remissa sunt ad* XXVII *ejusdem mensis, quod illo die nunc colatur in diœcesi Ultrajectina, qua prædicti vici fuerunt comprehensi.*

nomen ejus in Fastis variis.

2 *In Usuardo nostro ad* XIV *Augusti codex Rosweydinus Sancti memoriam annuntiat his verbis :* Eodem die, in Batuensi insula, vico Elst, sancti Werenfridi presbyteri, qui a beato Willebrordo Trajectensi episcopo eidem genti prædicator transmissus, post beatæ prædicationis cursum, in pace quievit in loco supradicto. *Consentiunt alii ibidem Usuardi codices aucti, et Grevenus, elogium texens paulo prolixius hunc in modum :* F Depositio sancti Werentfridi presbyteri et confessoris : qui cum sancto Willibrordo Trajectensi episcopo de Anglia veniens, Batuam insulam vetustis purgavit erroribus, sollicitequc gubernavit, multis in vita pariter et post mortem clarus miraculis. Sacri etiam corporis ejus gleba, cum de ipsa populi disceptarent, navi sine regimine imposita, angelico ductu ad ulteriorem ripam tetendit. Ubi iterum vaccis plaustro subjunctis superimposita, absque humana directione, in locum Elst dictum, ubi nunc placide quiescit, perducta est. *Florarium Sanctorum Ms. ad* XIV *Augusti de eodem Sancto sic habet :* In Trajecto inferiori beati Werenfridi presbyteri et confessoris, qui a beato Willebrordo illic regiminis curam suscepit; ac virtuosam valde vitam duxit. Qui modica febre correptus in villa, quæ Westervoert dicitur, in Domino quievit, ubi populo Christum prædicavit, et ad fidem convertit. Hujus egrediente anima de carnis mole, tanta circumstantes miri odoris perfudit gratia, ut cunctis manifestissime innotesceret, quod tanti Viri spiritus per manus sanctorum angelorum ad cælestem aulam perduceretur. Cujus corpus statim ad villam, quæ Elst dicitur, in Batua partium Gelriæ miraculose-

A culose deductum fuit, ubi ecclesia et collegium in ejus honore est fundatum. Obiit anno salutis DCCLX. *Hæc omnia in Actis habentur latius præter mortis epocham, quam aliunde conabimur elucidare.*

cultus : 3 *Non desunt alii recentiores martyrologi, qui* S. Werenfridi *memoriam Fastis suis inseruerunt. Inter hos Benedictini Menardus et Wion* monachum *nominant. At mihi ad manum nulla sunt monumenta, quibus eam opinionem confirmem : nec Mabillonius in Actis sanctorum Ordinis sui inter prætermissos seculo 3 parte 2 collocasset* S. Werenfridum, *si existimasset eum fuisse monachum. Hisce igitur missis, audiamus Molanum, qui in Indiculo Sanctorum Belgii, fol. 73 verso aliqua memorat, quæ in Actis non reperiuntur scripta, hoc modo :* Sanctus Werenfridus, sive Verenfredus, presbyter et confessor, cum beato Willibrordo venit Trajectum. Qui primum egregie prædicavit, potissimum apud Medenblic *(in Hollandia Boreali)* et in Ducreustadio *(ditionis Ultrajectinæ.)* Postmodum beatus episcopus in medio insulæ Batuæ, quæ Rheni fluminis alveo B circumcingitur, locum ei Elste commendavit. Sed et ecclesiam in villa Westervoert gubernandam suscepit. Cumque populum his duobus locis ad fidem convertisset, infinitus clarificatus miraculis, tam in vita, quam in morte, apud vicum Westervoert prænominatum, in pace quievit decimo nono Calendas Septembris, sed miraculose in Elst tumulatur, ... ubi de morbi articularis remediis frequentari solet in sui nominis collegiata ecclesia. Habet in usu Trajectensi festum duplex in perviligio Assumptionis beatæ Mariæ. *Adjicit auctor Historiæ episcopaluum fœderati Belgii tom.* I, *pag.* 282 *sequentia de cultu :* Colitur S. Werenfridus per diœcesim Ultrajectinam et suffraganeas ad diem XXVII, antea ad XIV Augusti. *Hæc sane de cultu sufficiunt. Nunc quædam de sacris ejus pignoribus veniunt memoranda.*

corpus in Elst sepultum, deinde elevatum, 4 *Auctor Historiæ episcopaluum fœderati Belgii loco citato de sepultura et elevatione corporis hæc scripsit :* In ecclesia illa a D. Willibrordo S. Salvatori dedicata post obitum fuit tumulatus : . . cujus sacra ossa Baldericus Clivius XV Traj. episcopus solemniter e terra elevavit. Baldericus idem C eadem in ecclesia excitavit collegium canonicalium præbendarum octo, quibus et alias quatuor sub anno MCDLV adjecit Henricus Ingelant armiger. *Subjicit deinde præpositos aliquot ejusdem collegii* S. Werenfridi : *nam ejus nomen collegio æque ac ecclesiæ deinde impositum. Porro non meminit auctor, unde illam corporis elevationem acceperit : at Joannes de Beka in Chronica episcoporum Ultrajectensium pag. 34 et WilhelmusHeda in sua Historia pag. 79 scribunt, corpus* S. Werenfridi *a Balderico inventum, quod factum seculo* X *oportuit, cum Baldricus anno* CMLVII *vita excesserit, ex chronologia ejusdem scriptoris. Addunt, iis reliquiis ornasse ecclesiam suam, quod Rayssius in Gazophylacio Belgico pag. 337 ita intelligit, acsi depositæ essent in ecclesia Ultrajectina S. Martini. Ad id falsum apparebit ex dicendis. De erecto canonicorum* S. Werenfridi *collegio testis accedit Aubertus Miræus in Opusculo de Collegiis canonicorum cap. 119, ex quo prædicta fuere desumpta.*

a demum in Elst ab hæreticis combustum, 5 *Corpus Sancti ibidem permansit, donec, prævalente multis Belgii locis hæresi, impius Calvinistarum furor in illud desæviit anno 1588. Deinde vero exusti ab hæretico popello corporis reliquiæ Embricam (Cliviæ oppidum est ad Rhenum) translatæ sunt, atque in collegio societatis Jesu hactenus servatæ, cultu sancti eadem occasione illuc propagato. Docuit ista majores nostros P. Fredericus Eimeren habitans Embricæ, scriptis anno 1669 litteris ad Henschenium, adjunctoque reliquiarum Embricensium catalogo, ex quo depromam, quæ spectant ad Sanctum nostrum.* S. Werenfridi presbyteri et confessoris, apostoli Gelriæ inferioris, socii S. Willibrordi, cineres exusti in Elst, superioris, ut jam dividitur, Bataviæ municipio, a Geusiis anno MDLXXXVIII corporis, cum bene multis diminutis ossiculis instar articuli digiti ex eodem incendio residuis, collecti a Catholicis, et traditi R. D. Joanni Hollant canonico S. Stephani Neomagi ; qui eos, prout acceperat, dedit anno MDCLX * R. P. Theodoro Ryswick Neomagensi Societatis Jesu presbytero, uni ex primis collegii Embricensis patribus, et postmodum anno MDCXXV in odium religionis carceris squallore Neomagi exstincto. *Quibus hæc subditur notatio :* Ita P. Ryswick manu propria, exceptis ultimis. *Addit epistolæ scriptor P. Fredericus Eimeren, patrem suum D. Theodorum Eimeren* E *collectioni reliquiarum illarum adfuisse, dum erat adolescens, eumdemque anno 1629 in Elst defunctum.*

AUCTORE J. S.

* forte MDC I

cineribus et ossiculis collectis, et Embricam translatis. 6 *In catalogo autem hæc sequuntur :* Anno MDCLXIV, XXV Martii prædicti cineres sacculo serico rubro, cum ossiculis omnibus vitro separatim inclusis, cistæ argenteæ librarum quinque, donatæ a prænobili domino Maria Anna de Hutter vidua de Huisseu, cum testimonio sigillato in pergameno superiora continente, impositi sunt, festumque deinceps celebratum in collegio ritu duplici XXVII Augusti, juxta ordinationem reverendissimi domini Philippi Rovenii, per partes Hollandiæ vicarii apostolici missionariis ibidem in Directorio præscriptam, cum alias XIV ejusdem mensis festum celebraretur. *Confirmantur illa ex litteris annuis collegii Embricensis ad annum 1664, ex quibus sequentia ad majores nostros sunt transmissa :* Supellex templi nostri acta est cista argentea, munificentia prænobilis dominæ Annæ Mariæ de Hutter Dominæ van Huissen, cui promovendæ devotioni publicæ placuit includere sacros cineres et ossicula combusti ab hæretico popello corporis sancti Werenfridi presbyteri et confessoris, socii S. F Willebrordi, et collegiatæ olim ecclesiæ canonicorum in Elst patroni, quem XXVII Augusti populus Catholicus Embricensis publica multorum communione, aliisque devotionis exercitiis pro avertenda peste impense honoravit. *Huc usque de gloria Sancti posthuma.*

Acta jam edita, ac rursum ex Ms. edenda : 7 *Acta habemus edita a Surio ad* XIV *Augusti, eademque anno 1641 huc misit P. Joannes Gamansius transcripta ex Passionali pergameno Ms. Bodecensis cœnobii Ordinis Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, ubi exstant mense Augusto fol. 181, ut notat. Illa quoque Ms. ad nos pervenerunt ex schedis illustrissimi Lindani episcopi Ruræmundensis, sed hinc inde mutila. Contuli utrumque Ms. cum editione Suriana, ex codice Ms. ecclesiæ Trajectensis curata, et recte inter se convenire deprehendi, exceptis voculis quibusdam, quæ sensum non mutant. Auctor hujus Vitæ est anonymus, et non omnino coævus, ut ipse insinuat num. 8, ubi de miraculose virtutibus ait :* Quas prior ætas adhuc fide recens oblivioni tradidit, sed mox fide maturior, vix pauca de multis memoriæ commendare curavit, quæ in sequentibus lectio recitabit. *Verumtamen*

AUCTORE J. S.

tamen nihil in Vita invenio, quod sano repugnet judicio : neque ex verbis allatis inferri potest, biographum multis seculis post S. Werenfridum *vixisse. Hæc igitur Acta edam ex Ms. memorato cœnobii Bodecensis, notatis, ubi operæ prelium fuerit, differentiis Surianæ editionis.*

dubitatur an Sanctus cum S. Willibrordo venerit ex Anglia,

8 *Attamen pauca prius inquirenda veniunt de tempore, quo Sanctus floruit, et defunctus est, aliisque, quæ in Vita clare non exprimuntur. Imprimis dubium videtur, an* S. Werenfridus *cum S. Willibrordo ex Anglia in Frisiam sit profectus, an vero illum deinde sit secutus : nam in Vita num.* 1 *tantum dicitur Sanctum Willibrordum secutus, quod est ambiguum. Mabillonius tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 116 *putat, ab initio S. Willibrordi fuisse in hac peregrinatione socium, cui favent verba Greveni num.* 2 *citata. At Bollandus in S. Suiberto tom.* 1 *Martii pag.* 73 *in contrariam magis propendet sententiam, quia triginta fere et sex annis post primam hanc peregrinationem a S. Willibrordo in Betuam fuit missus. Etenim dicitur S. Willibrordus in Frisiam venisse anno* 690, *ut habet Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 591 : *missus est vero* S. Werenfridus in Elst.. paulo ante a Carolo *Martello* traditum *S. Willibrordo, ut Vita habet num.* 2, ac proinde, *ut recte infert Bollandus,* non ante annum DCCXXVI, si quidem genuinum est traditionis, quod apud Wilhelmum Hedam *pag.* 30 extat diploma, datum „ Tulpiaco castro publico, mense „ Julio, IX die, anno sexto regnante glorioso rege „ Francorum Theodorico, „ quem, *inquit,* alibi diximus, mortuo Chilperico, anno DCCXX a Carolo Martello in sedem regni constitutum. *Hinc merito suspicatur, serius in Frisiam venisse* S. Werenfridum, *nec demum* 36 *peregrinationis anno in Elst fuisse missum.*

et verisimilius est post eum in Frisiam profectum : de tempore prædicationis et mortis.

9 *Sane si epocha mortis, num.* 2 *ex Florario data, vitiosa non est, Bollandi opinio satis certa apparet : nullo enim modo credibile est, anno* 690 *Anglia egressum esse Sanctum, et Vitam produxisse usque ad annum* 760 *ibi signatum, cum de ætate ejus tam longæva, quæ centum fere annorum sic esse debuisset, nullibi fiat mentio. Et, quamvis illa mortis epocha ab auctoritate Florarii non satis videatur certa, aliunde tamen verisimilis est, quia mors Sancti contigit ultra Isalam, ubi fidem non multo citius promulgatam invenio. Itaque libet interim epocham illam, tamquam probabilem amplecti, donec certiora quis inveniat. Hinc autem conjicere licebit,* S. Werenfridum *fuisse natum seculo* VII *ad finem vergente, in Frisiam venisse diu post S. Willibrordum, fortasse circa annum* 720, *aliquot annis in Frisia prædicasse, ac demum in Betuam missum anno* 726, *aut sequenti, insudamque illam ac loca vicina usque ad mortem fide illustrasse. Die* XIV *Augusti mortem obiisse, scribit Joannes Gerbrandus a Leydis in Chronico Belgico lib.* 2 *cap.* 42 *ubi tradit Vitæ compendium ex Actis, quæ subjungemus, depromptum : eumdem obitus diem alii plerique statuunt; an alio fundamento, quam quod illo die olim coleretur, mihi est incompertum.*



VITA

Auctore Anonymo

Ex Ms. Bodecensi, collato cum editione Suriana et schedis Lindani.

Sanctus in Anglia natus, venit in Frisiam,

Cum Dominus et Salvator noster, sol justitiæ, suæ claritatis radios ubique per mundum vellet clarificare, longe lateque stellas per orbem ejusdem claritatis exoriri * fecit innumeras, quæ luce virtutum æternæ noctis effugarent tenebras. Sole eteuim absente, solent stellæ terram irradiare : ita doctores sancti, qui sunt stellæ firmamenti, quasi sole penuni non ubique præsente, genus humanum sanctæ prædicationis perlustrant lumine. Quorum perplurimos Hybernia sive Scotia mundo protulit, nonnullos Britannia eique adjacens Northumbria *a* procreare meruit. Inter quos summus pater Willibrordus *b* et lucifer inter stellas exoritur clarissimus, et meritorum luce clarior cæteris in orbe procreatur, cujus radiis non modica pars mundi perlustratam se esse lætatur, quia gentem Francorum sanctæ eruditionis dono sublimavit : Frisonumque feritatem divino cultu prædicando mancipavit. Ille vero cum postpositis omnibus peregre proficisci sibi proposuit; beatus Werenfridus, qui in eisdem partibus Anglorum oriundus exstitit, non solum sanctum Willibrordum cum exemplis, verumetiam studuit sequi vestigiis. Spernens autem patriam parentesque amore divino, utpote pii patris eruditus exemplo, se prædestinavit in hac peregrinatione peregrinari, qua citius æternæ patriæ particeps postmodum mereretur fieri.

* apud Surium oriri

et a S. Willibrordo in Elst mittitur, ubi fidem,

2 Sanctus autem Willibrordus, Deo prædestinante sedis episcopalis in Trajecto *c* gubernans cathedram, multisque tanti viri sanctitatem prospiciens esse profuturam, quemdam suæ diœcesis locum, Elst vocatum, paulo ante a Carolo sibi traditum, commendavit, eique sanctæ prædicationis cura regendum. Est enim quædam insula valde populosa, Batue *d* nuncupata, quæ Rheni fluminis undique alveo circumcingitur, cujus in medios locus idem supradictus situs esse cognoscitur. Hunc igitur Vir vitæ venerabilis, ut suus pastor decreverat, divina secum comitante gratia, regendum susceperat, nil tamen ambiens terreni honoris, sed potius pii patris obtemperant præceptis. Quid plura? Res inibi, quæ ad Ecclesiam attinet, propere construitur, antiqui erroris cultus omnino dejicitur, locus Sanctorum patrociniis oppido dicatur, plebs sancta prædicatione sanctificatur, sit Deus per tanti Viri meritum populo placabilis, sibique populus esse meretur acceptabilis, juxta illud, quod scriptum est : Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

* Surius Elste

multis virtutibus clarus,

3 Sanctus autem Werenfridus, utpote prudens dispensator, quem constituit Dominus suus super familiam suam, gregi Dominico evangelici dogmatis affatim administrans alimoniam, quod verbis edocuit, operibus adimplevit : quod salutari admonitione præmonuit, moribus et exemplis ostendit. Fuit etenim ultra vires fandi bonorum operum

A operum exhibitione præditus, consolatione providus, humilitate nulli comparandus, susceptione pauperum cunctis imitandus, mitis in animo, dulcis in eloquio, pernox in vigiliis, efficax in jejuniis, solummodo fide vivens, quia justus ex fide vivit: incultus in habitu, placidus in vultu, sedulus in oratione, studiosus in sacra lectione, jugi legis Dei meditatione * deditus, castitate præcipuus, omniumque morum honestate perspicuus, desperantium reformator, dolentium consolator: quia dolentibus condoluit, infirmantibus congemuit, juxta vocem doctoris gentium, dicentis: Quis ex vobis infirmatur, et ego non infirmor? Sic igitur recto calle per hujus mundialis naufragii circulum suæ professionis direxit remigium, ut id deliciis spiritalibus honestatum ad æternæ quietis perduceret feliciter portum. Quid in santis morabor? Sed adhuc vel pauca de multis, causa compendii, memorabor. In hoc enim Viro satis dictum puto, quod mundum cum suis illecebris despectui habuit omnino, non nisi cælestia cogitavit, quæ Deo sunt placita, inhianter perscrutari non cessavit, seculo nudus, fide ditatus, corporaliter tantumdem * constitutus in terris, spiritualiter procul dubio versabatur in cælis, ut ait Apostolus: Nostra autem conversatio in cælis est. Nec satis sancto Viro videbatur, si ibidem dumtaxat illius patriæ plebem Domino lucraretur, sed ecclesiam in villa, Westervoert nominata, constructam, quæ in ipsa Rheni fluminis ripa sita esse cognoscitur, a supradicto summo pontifice sub cura regendi suscepit gubernandam.

* forte meditationi

B

* in Ms. Londoni tantum

egregie prædicat,

4 Beatus enim Vir die noctuque secum tacite revolvens, quid sanctis doctoribus Scriptura veritatis promittat, dicens: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Nec mora, Vir per omnia Deo devotus, cælesti rhomphæa viriliter armatus, ecclesiasticæ rei destructa reædificat, pessundata strenue restaurat, et restaurata deifice gubernat, spirituali vomere corda plebis evidenter exarat, insuper et euangelicæ lucis semina non parce seminat: quia qui parce seminat, parce et metet. Seminavit in benedictione, ut perennis gaudii messem meteret in remuneratione. Seminavit in spiritu, quatenus de spiritu cælestis regni commercium collegisset in futuro. Messem vero Dominici segetis superni roris fluentis incessanter irrigavit irriguis, et exinde fructum modo centesimum, modo sexagesimum, Domini sui transvexit ad horreum. Quidquid terrenæ facultatis vel aliorum largitione, vel propriæ operationis labore susceperat, nil ultra naturalem usum sibi poposcerat, sed per manus pauperum ad superni Regis studiose transvexit * ærarium, ubi fures non effodiunt nec furantur, nec ærugo nec tinea demolitur, illicque cor suum indissociabiliter defixerat, quoniam illo tota mentis intentione tetenderat.

C

* al. transmisit

et moritur in Westervoert.

5 Hæc et his similia dum Vir sanctus per singula plene peregit, utrorumque locorum regimen in Christo firmiter stabilivit, suæ resolutionis imminebat tempus, ut peracto temporalis militiæ congressu, Christi Regis castra mereretur intrare coronandus. Ille autem ad Dominum suum cum duplicato talento jam sibi credito lætus redire non trepidat, cui specialiter Dominica voce dictum fuisse nemo nostrum dubitat: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Vir igitur sanctus in villa Westervoert supradicta, si febrium corporaliter attactus, adoptabili dierum jam numero provectus, cœpit carne languescere, quia tunc se persensit in anima con[...]lescere. Convocatis itaque ad se religiosis viris utriusque videlicet ordinis, eos ut pater egregius in fide confortabat, eisque mox se migraturum esse de carne revelabat. Nec longo post intervallo facto, sanctarum exsequiarum more peracto, totius colluvionis immunis, meritorum trophæo insignis, ex hujus carnis migravit ergastulo, sine fine feliciter gavisurus in Domino. Quis ambigat omnium illorum lamenta graviter ingruere? Quis adstantium gemitum vel fletum potuit sustinere? Erat illis itaque jure lamentandus, qui modo nobis est suppliciter venerandus. Egrediente quidem sancta de mole carnis anima, circumstantes tam miri odoris invaserat fragrantia, ut cunctis manifestissime declararetur, quod tanti Viri spiritus per manus angelorum ad cælestem aulam deduceretur.

A. Anonymo.

Dissensione orta de corpore,

6 Mox ut terram hujuscemodi rumor pertonuit, plebs illuc universa dolens affluxit, totaque Batua gemens atque mœrens per profunda supradicti fluminis stagna ruit, illuc undique confluentes, corpus exanime circumstetere dolentes. Fit ratio de sepultura corporis, quæ populo contulit causam non modicæ dissensionis. Fervet dolor unus adstantium, sed non eadem voluntas omnium. Insulanensis enim multitudo sanctum corpus ad Elst depromit debere deferri, ibique loco proprio terram terræ commendari. Nobis, inquit, vivus exstitit pastor, noster et erit apud Deum perpetuus intercessor. Quod nobiscum carne vivens inchoavit, nunc regnans in Christo adimplere debebit. Ad hæc adversa pars altera populi: Recte etenim, inquit, hic requiescit corpore, ubi ipse spiritum voluit relaxare. Sit vobis satis eum habuisse carne vivum, quem habere gaudemus et modo carne mortuum. Quod vobiscum conversans erudiendo peregit, nobiscum et nunc requiescens regnando cælitus adimplebit.

E

illud navi imponitur, quæ sponte flumen transit,

7 His etenim verbis populo satis diu inter se altercante, quidam presbyterorum consilio meliores, in hanc vocem prorupere: Legimus, inquiunt, de arca testamenti Domini quondam in captivitatem ducta, quod ipsi, qui eam captivaverant, super novum plaustrum eamdem imponerent, binasque vaccas, domi reclusis illarum vitulis, eidem plaustro subjugarent, ut ab eis plaustrum cum arca traheretur, et ad propria nutu divino deduceretur: quod et factum est. Fiat et inde hujuscemodi rei approbatio: factum corpus deferatur ad navem ilico, et si navis ipsa, nullo vestrum remigante, amnem ultro transierit, manifestum erit nobis omnibus, quid ipse voluerit. Nec minus exinde plaustrum novum cum duabus vaccis, quæ domi lactant vitulos, præparetur, ut in eo gleba sancta collocata, quocumque deducenda sit, deducatur. Ad hæc protinus omnes asseusere. Nec mora: navim quantocius præparant, feretrum cum hymnis et psalmodiis ad litus deportant, navim deponunt, in medio neminem intrare permitunt. Res admodum cunctis admiranda, navis eadem tam recto itinere amnem transmeans, se ad litus alterum applicuit, ut ipsam angelico remige ductam esse cunctis patenter innotuit. Mox ut hæc circumstantes adspexere, omnes una voce Dominum collaudavere, qui eis per tale miraculum dignatus est Servi sui meritum ostendere.

F

deinde plaustro, quod vaccæ in Elst perducunt:

8 Tunc procul dubio supradictæ rei exemplum assequitur: plaustrum novum cum vaccis duabus, ut supra dictum est, citus acquiritur, et sanctum corpus

A. Anonymo

corpus in eo reverentur superponitur. Quid multa? Vaccæ quidem, quæ numquam juga sustinuere, tam privatæ vehiculum subiere, quasi semper in eo solitæ essent opere, vitulorum prorsus immemores, per devia nequaquam errantes, per rectam semitam iter tetenderunt, sanctumque corpus usque ad Elst perduxerunt, cum angelorum, ut credendum est, comitatu atque populorum Deum collaudantium concursu. Illuc quoque, ut dignum fuit, cum omni veneratione tantæ preciositatis thesaurus commendatur sepulturæ. Ibi enim per tanti Patris intercessiones multæ miraculorum declarantur a Domino virtutes, quas prior ætas adhuc fide recens oblivioni tradidit, sed mox fide maturior, vix pauca de multis memoriæ commendare curavit, quæ in sequentibus lectio recitabit.

contractus monitus adire sepulcrum, ibi sanatur.

* Surio Ancelinus.

9 Fuit quidam vir in partibus Aquitaniæ, Ancelmus * nomine, qui prorsus omnium membrorum officio destitutus, solo aspiramine vixit anhelus. Ille autem cum quodam vespere miserabiliter, ut contractus, stratu suo collocaretur, ei per nocturnam visionem nominatim dicitur: Ancelme vis sanus effici? Si sanari curabis, ostendam tibi, quo iturus eris. Est locus in longinqua regione, qui appellatur Elst, ubi confessor Christi Werenfridus requiescit corpore: si illo perveneris ejusque suppliciter interventum invocaveris, per ipsius meritum adoptimæ sanitati restitueris. Post hæc expergefactus a somno fit attonitus in animo, nomen loci secum retinuit, sed viam, per quam iturus esset, minime sapuit: fidem adhibuit visioni, quia lætus efficitur ex promissione remedii. Nec moram pergendi diu distulit, quia se in longum morandi pœnituit: sui itineris vehiculum præparavit, Christoque duce, quo sibi cundum erat, citius pervenire non tardavit. Cumque illo pervenit debilis, promissam sibi sanitatem confestim promeruit hilaris.

B

at rediens in patriam rursum ægrotat, rursumque sanatur apud sepulcrum:

10 Post, ubi naturali membrorum sospitate corroboratur, sua sponte jugi servitio beati Werenfridi mancipatur: nam se devovit illuc omni tempore sub ejus famulatu perseverare. Ast non multo post transacto dierum circulo, destinavit ad patriam redire cum gaudio. Cum autem sanus sua subierat, mox ita fit contractus, ut antea fuerat: fit mente perculsus, sui conscius propositi, se pœnitet redeundi, pudet facti. Mœrens ac debilis iterum remeavit, unde gaudens ac incolumis recessit. Divina etenim pietas eum sanitati secundo restituit, quam per tanti Viri meritum incessanter, ut sanaretur, exoravit. Nec opus est morandi: ter remeando ad patriam debilis efficitur, terque pœnitens remeando per sancti Viri clementiam sanitati restituitur. Tandem quoque victus, vult potius exulare quam cum suis domi debilis habitare. Sicque perfruens sospitate, permansit ibidem usque ad finem vitæ suæ.

C

puer Sancto devotus valetudini redditur:

11 Nec hoc silendum est, quod quædam mulier in vico, Leona nuncupato, debilem nervis omnino contractis infantem habuit, quem, si sanaretur, sancti Werenfridi se servitio dare spopondit. Nec mora, surrexit propere, tetendit ad ecclesiam pergere, secum contractum deferens inter brachia filium, ut eum offerret Domino, sicut promiserat offerendum. Cum autem concito cursu properaverat, in medio campi parvulus ab amplexu matris ad terram deciderat, et consolidatis nervorum compagibus, ilico sanatur divinitus, atque post casum excipitur sanus, qui ad terram ruit antea debilis. Mater vero gaudens excipit parvulum, et quem prius gemebunda devoverat infirmum, jam jocunda pergens ad ecclesiam, sancti Patris obtulit famulatui sanum.

D

leprosus, visione præmonitus, tempore Missæ in Elst mundatur.

12 Alio quoque tempore in pago, Veluwa *e* vocabulum continente, quemdam virum tantæ asperitatis lepra discoloravit, ut vix alieni præ scabie nimia, vultus illius appareret: labes insuper ipsam oculorum exæcavit aciem, quod ille nequaquam visu agnoscere potuit aliquem, quia tanta miseria cruciatus solummodo sibi superfuit anhelitus. Contigit autem illum quadam nocte visionem sibi videre, per quam obstupefactus a suo cecedit stramine, seque in modum crucis prostravit, clamans ac vociferans, clamando Kyrie eleison sæpius iteravit. Eo clamore sui parentes expergefacti, cœperunt interrogare, quid evenisset illi, quod plus solito impatiens esset. At ille visionem bene recolens, cuncta, quæ viderat, eis per ordinem retulit, ita dicens: Visum est mihi per quemdam locorum ire debere, quem cœnosa palus circumcinxit undique, ut nullatenus patuit via transeundi, per quam inde abire potuit. Hinc dum admodum anxiarer mentis expers, obviavit mihi sacerdos venerabilis adspectu, sacerdotalique venerabiliter indutus habitu, quasi processurus esset ad Missarum solemnia, præparatoque ponte super paludem ne transduxit incolumem, et ait: Estne tibi cura sanari? Scito me Werenfridum appellari, et per me mereris a lepra curari. Cum autem celebrabitur solemnitas archangeli Michaelis, tu ad Elst pervenire debebis, ibique, dum divina a pontifice *f* Missarum celebrantur solennia, tu mundaberis a labe mortifera. His auditis, parentes sui solito lætiores effecti sunt, et eum, sicut ipse voluerat, ad Elst perduxerunt. Nec diu visio promissionem distulit. Nam ut pontifex, qui tunc temporis illic præfuit, sub eodem die, quem prædixerat, Missarum libamina Domino libaverat, ita evanuit ab illo pestis torrida, ut in eo veneniferi coloris non comparuerit macula. Ipse vero non solum se a lepra mundatum esse persensit, sed etiam amissam oculorum lucem percipe remeruit. Hujus stupendi miraculi declaratio, non unius vel duorum affirmatur testimonio, verum etiam totius populi, qui tunc ad ecclesiam confluxerat, manifestissima declaratio verum esse demonstrat. Hæc et multa alia miracula, quæ perlongum est cuncta narrare per singula, Dominus noster Jesus Christus dignatus est ibidem ostendere, quatenus per hæc miraculorum beneficia, quantæ dignitatis Servus suus apud se haberetur, nobis omnibus aperte monstraretur. Qua de re summopere credendum est, quod possit suis meritis vulnera peccatorum sanare, qui totidem modis corporum languores dignatus est subveniendo medicare: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per immortalia secula seculorum. Amen.

E

F

ANNOTATA.

a Northumbria *hic designat antiquum Northumbriæ regnum, quod complectebatur partem Angliæ bene amplam trans Humbram flumen ad Boream extensam: pars regni illius est hodiernus Northumbriæ.*

b *De S. Willibrordo, ejusque ex Anglia egressu, pauca diximus in Commentario num.* 8, *ubi incertum esse ostendimus, utrum* S. Werenfridus *eum ab initio sit comitatus, an deinde secutus: plura de viro hoc egregio dabuntur ad diem 7 Novembris, quo nomen ejus Martyrologio*

A *gio Romano legitur inscriptum.*

c Trajectum inferius, *seu* Ultrajectum *intelligitur, cujus primus episcopus fuit S. Willibrordus. Urbs ipsa hodieque satis nota est, et caput unius ex Belgii fœderati provinciis.*

d *De* Betua, *seu* Batavorum insula, *quam duo Rheni brachia, Rhenus nimirum, qui circa Durstadium, nunc vulgo* Wyck te Duerstede, Lecca, *nominari incipit, et Vahalis moliuntur, dictum est initio Commentarii.*

e *Surius, cui Ms. Lindani consonat, legit* Felua. *Crediderim designari* Velaviam, *quæ vulgo* de Veluwe, *dicitur. Porro* Velavia, *aut* Veluvia, *pars Geldriæ est satis ampla, quæ Rheno dividitur a Betua, extenditurque in Septemtrionem usque ad mare Austrinum: ab ortu Isala flumine terminatur, ab occasu dominium attinguit Ultrajectinum.* A. Anonymo.

f *Antistes Ultrajectinus procul dubio significatur.*

DE S. JOANNE EPISCOPO

TICINI IN LONGOBARDIA

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

De cultu, tempore episcopatus, et gestis.

B

Anno DCCCXIII. Cultus Sancti, tempus episcopatus

T*icinum, alias Papia, urbs Italiæ non ignobilis ac regia olim Longobardorum, ad amnem Ticinum sita, inter varios ecclesiæ suæ sanctos antistites colit* S. Joannem, *primum istius nominis Ticinensem episcopum, quem perperam* secundum *vocat in notula marginali ad* XXVII *Augusti Castellanus. Illum annuntiat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* XXVII *Augusti, notatque coli eodem die in ecclesia Ticinensi ritu duplici. In Martyrologio Romano ad diem memoratum breviter ejus memoria celebratur his verbis :* Papiæ S. Joannis episcopi. *Acta ejus desiderari, observat laudatus Ferrarius, breve tamen ei texit elogium, in quo asserit, trigesimum fuisse Ticinensem episcopum, ac præfuisse dictæ ecclesiæ post Petrum II ad annos viginti, ac demum obiisse* XXVII *Augusti tempore Caroli magni et Leonis III Romani Pontificis, id est, initio seculi* IX. *Secutus est in hac chronotaxi Antonium Mariam Spelta, qui in Historia de vitis episcoporum Ticinensium pag.* 215 *et seq. in* Joan-
C ne I *eadem affirmat. Viginti quoque episcopatus annos* S. Joanni *attribuit Stephanus Breventanus in Historia urbis Ticinensis fol.* 49. *Consonat Jacobus Gualla in Historia patriæ suæ pag.* 26 *ita scribens :* Sepelitur denique antistes ipse, Vir eximia virtute venerandus, anno sui pontificatus vigesimo, ea in basilica magno honore ab universo Ticinensi populo.

Varie designatum; annus mortis, et elogium.

2 *Quantam huic chronologiæ fidem debeamus, difficile est determinare. Certe Ughellus tom.* I *Italiæ sacræ in catalogo episcoporum Papiensium col.* 1084 S. Joannem *inter eos statuit quadragesimum tertium, atque episcopatus initium et finem memorat hoc modo:* S. Joannes I huuc *(Petrum II)* secutus est anno DCCCI. Decessit autem DCCCXIII, die XXVII mensis Augusti, qua ipsa die ejusdem festum celebratur Papiæ. *Ex quibus necesse est,* Joannem *duodecim tantum annis ecclesiæ præfuisse. Porro ex omnibus his scriptoribus elogium concinnavit Joannes Baptista de Gasparis, quod inseruit Breviario sanctorum episcoporum Ticinensis ecclesiæ. Consentit hic Ughello, quem et nos sequimur, donec certiora innotescant, in anno mortis assignando; at unum agnoscit episcopum, quem ignoravit Ughellus (de hoc videri potest nota editoris, qui Ughelli Opus recudit) adeoque* Joannem *vocat* episcopum quadragesimum quartum. *Cum autem laudatus auctor omnia collegerit, quæ sparsim habent alii, ejus elogium pro Actorum compendio subjungam.* D

quo pauca ejus gesta breviter describuntur,

3 Joannes primus, Ticini claris natalibus ortus, optimis disciplinis apprime eruditus, et præstautis ingenii claritate insignis additum sibi ad episcopalem Ticinensium sedem aperuit. Factus episcopus nihil sine precibus aggredi solitus, facile obtinebat postulata, quibus populi sui saluti consulebat. Disciplinam ecclesiasticam acerrime defendit, depravatos suæ plebis mores instauravit, viduis et orphanis pecunia, consilio et opera, ut optimus pastor et pater, non defuit. Hic cælestibus magis, quam humanis addictus, suorum auribus sempiterna dignam memoria sententiam identidem ingerebat, Episcopum nominis sui officium non persolvere, nisi tum spiritualium tum temporalium curam gereret; non tamen ob spiritualium contemplationem E omitteuda temporalia. Addebat, multum sibi pensandum, quam grave esset onus episcopale, de quo in tremendo Dei judicio ipse districtam esset redditurus rationem.

ac mortis tempus, et sepultura referuntur.

4 Quare ex his dictis patet, S. Episcopum ad munus suum persolvendum aliorum adhortationibus nullum reliquisse locum, sed in aliis erudiendis eum non modo verbis, sed re ipsa egregie optimi pastoris præstitisse partes. Cum vero duodecim annos Ticinensem ecclesiam auctoritate, doctrina, exemplo, ac pervigili cura sanctissime administrasset, gloriosus tandem migravit ad Christum sexto Kalendas Septembris anno octingentesimo decimo tertio, et sepultus fuit in summo templo in ara ad dexteram, ubi crat altare majus. *Sancti reliquias in eadem adhuc æde sacra venerationi esse, testatur ante laudatus Gualla fol.* 22 *verso.*

A

D

DE S. GEBHARDO VEL GEBEHARDO

EPISC. ET CONF.

CONSTANTIÆ IN SUEVIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Illustre Sancti genus, parentes, ac fratres.

AN. CMXCV VEL CMXCVI.

A sorore regis Francorum et imperatoris Romani

Constantia, *vulgo Constantz, urbs Germaniæ in Sueviæ Circulo, atque in ipso Helvetiæ confinio, ad lacum Constantiensem seu Acronium sita, et a celebrato in eadem concilio admodum nota, annua sanctissimi sui Præsulis memoria nobilitatur hodierna die. De illustrissimis Viri natalibus Chronicon Constantiense, de quo infra, hæc scribit, a pag.* 643, *quæ in gratiam lectoris a mendis purgavimus:* Hic generosus et venerabilis Antistes meretur, ut nobilissimam generis sui propaginem edicamus, eam ex Annalibus monasterii Petri domus, quod ipse (ut subjicietur) fundavit et dotavit, excerpere et colligere potui, illam quoque ita scire convenit. In Gallia Togata vir siquidem erat nobilissimus, cui Francorum rex (qui et Romanorum imperator exstitit) sororem matrimonio copulavit. Ex qua duos genuit filios, qui ambo, ut genere, ita et animi virtute facti sunt clarissimi; hique cum adolevissent, et rebus opulenti, viribus atque armis essent acerrimi, contigit, ut inimicitiæ venenum inter regem provinciæ ipsius, et ipsos irreperet, eorumque præcordia in tantum inficeret, ut nullatenus antea cohiberi potuerit, neque * regem manus gladii privaret.

B

* f. donec

C

sancti hujus Præsulis majores originem ducere memorantur:

2 Rege igitur interempto, timentes hi duo comprovincialium suorum conspirationem, ad avunculum suum imperatorem augustum se contulerunt, atque ab eodem gratanter accepti, in Alemannia habitationes acceperunt, loca quam plurima, et sicut multa, ita et optima: dedit quippe eis Potamum et Brigantium, Uberlingen * et Bucchorn *, Achihusen *, Turingen atque Heisteragew, Winterthur, cum omnibus appendiciis eorum: et in Curien. Retia Mesauch, et alia multa, quæ temporis vetustate, memoria deleta sunt. Talibus ergo ab imperatore donis ditati, cum ea adiissent, et suo juri mancipassent, viris suis nobilibus, qui secum venerant, ex eis dona largiti sunt. Et alii quidem dederunt Turingen, alteri Uberlingen, alii vero Buechorn, qui et postea cum eis affinitate conjuncti sunt. Posteaquam igitur Gallorum furor, qui contra hos duos germanos ob regis sui necem exarserat, sopitus esset, propinqui et amici eorum mittentes, ut ad patriam suam redirent rogaverunt. Quorum unus magnis devictus precibus, in patriam rediit. Alter vero Udalricus nomine in Alemannia remansit. Et omnia, quæ ab imperatore data erant, retinuit per se * et posteris ejus.

* in Suevia
* ibidem. Al. Buchorn
* f. Alschausen : ibidem.

* l. pro se

laudatur ejus pater a pietate:

3 Ex hujus itaque semine genitus est Utzo pius et venerabilis comes, qui apud Brigantium habitabat loco, qui adhuc ruinas ostendit habitationis antiquæ. Hic Utzo (ut incidens non omittamus) tantæ factus fuit pietatis et meriti, ut et aures * ejus sanctitatem sentirent, ac de ejus manu cibum caperent, et cum satietate abirent: aliæ denuo saturatæ venirent. Item uno die diluculo, ad ostium ejus cubilis cerva e sylva veniens pede pulsavit: cumque ostiarius aperiret, et videret bestiam astare, ostiumque pulsasse renuntiaret; Eia, inquit, ad servum, sequere eam, et vide, si quid forte velit. Ille nil moratus, secutus est præcedentem. Quæ in sylvam eum duxit, et ei partum suum ostendit in compede hærentem pede, et stans capite demisso, aurium motu quasi rogare cœpit. Ille confestim, dum pedem hinnulo de compede solvit, illa cum catalo læta in sylvam abiit, servusque ad Dominum rediit, atque ei, quæ gesta sunt, nuntiavit. Talibus et his similibus cum hoc venerabili viro Deus quasi jocuIabatur: quia, Jocundus homo, qui miseretur in Domino, non commovebitur in æternum.

* l. aves

E

4 *Ex his perspicuum est, a dicti Chronici auctore illustrissimam* S. Gebehardi *nobilitatem referri ad sororem augustissimi in occidente imperatoris. Minus scivit, vel minus credidit Felix Manilius (e quo ejusdem Sancti Vitam dabimus) uti suspicor; quia generis ipsius claritudinem paucis dumtaxat perstringens,* nobilissima, *inquit,* Alamannorum stirpe, patre videlicet Uzone vel Huozone nomine, Rhetianorum comite exstitit oriundus. *Chronicon itaque Constantiense egregie meruit de præclarissimo Viri stemmate, modo tam vera sint, quam splendida, quæ refert. Sed primo, ætas istius auctoris tam recens in comparatione tam antiqui stemmatis, quod refert, parum habet auctoritatis: nam finit suum Chronicon Manilius, seu alter potius, qui illud postea auxit, ad annum* 1607, *ut videre est in titulo eidem præfixo. Secundo, nec imperatoris, nec sororis ejus, nec regis interempti nomen exprimit. Si tamen ad tempus attendas, videtur respicere ad familiam Caroli magni, vel aliorum, qui e natione Francorum seculo nono imperium Occidentis tenuerunt. Jacobus Basnage heterodoxus in Thesauro monumentorum, sive lectionibus antiquis Henrici Canisii, quas recudit, tom.* 4, *pag.* 820 *observat ista in rem nostram:* Habetur genealogia Gebhardi in Constantiensi Chronico a magno quodam nobilissimoque Gallo, qui filiam regis Francorum, cujus tamen nomen non legitur, duxerat, deducta.

nonnullæ

F

super Sancti genealogia notationes.

5 *Nos itaque genealogiam istam tam obscure positam ad sua principia revocare supersedemus, cum id propius ad genealogos quam ad hagiographos spectet: sed referimus quæ de illa sunt dicta; non vero, an et quomodo dici debuerint, discutimus. Tertio, quæ hujus genealogiæ sinceritati derogant,*

AUCTORE J. P.

A *rogant, vide inferius num.* 9. *Nec vero etiam videtur operæ pretium, locorum omnium, quæ superius nominabantur, situm distincte enucleare. Sufficiant ista:* Gallia Togata, pars Galliæ Cisalpinæ Cæsari et Plinio, a Placentia Anconam usque protensa (licet alii alios terminos faciant) in qua Æmilia, et pars Umbriæ, in ora Senonum, Adriatico mari exposita *etc.* Potamum, Bodmen, castrum Germaniæ in Suevia, ad lacum Potamicum ab eo dictum . . , 4 milliaribus Germanicis a Constantia in Arctos. *Est autem* Brigantium, oppidum Rhætiæ Ptolomæo, Brigantia Antonino, hodie Bregentz, oppidum Germaniæ in Suevia, comitatus cognominis caput, ad lacum etiam Brigantinum, ubi recipit fluvium parvum Bregentz. *Has locorum descriptiones accepimus e Baudrando. Mirabilia vero prorsus sunt, et majoris auctoritatis indiga, quæ narrat prædictum Chronicon de Uzonis sanctitate ab animalibus percepta, eorumque testimonio quasi comprobata. Veniamus jam ad ea, quæ inter* S. Gebehardum *ac fratres ejus transacta memorantur.*

B 6 *Prædictus biographus apud nos infra cap.* 8, *libri* I *scribit de divisa inter Sanctum ac fratrem ejus hereditate paterna, occasionem nobis suggerens agendi de tribus ipsius fratribus, hereditateque divisa, quæ in citato Chronico Constantiensi pag.* 644 *alio modo narratur accidisse, quam Vitæ auctor referat:* Ergo Utzo comes quatuor genuit filios, unum Ulricum nomine, alterum Marquardum, Lutfridum tertium, quartum vero totius generis decus Gebehardum. Defunctis deinde parentibus cum fratres quatuor inter se hereditatem dividere vellent, unus eorum, Lutfridus nomine, cum deses esset et imbellis, cæterisque despicabilior, verens, ne forte propter ignaviam suam a fratribus in divisione contemneretur, secum tractare cœpit, qua arte eos circumveniret, ut sibi hereditatis partem non negarent. Multa igitur secum volvens, et ad ultimum sibi, suisque posteris consilium expériens, sic unum e fratribus suis, aliis ignorantibus, affatus est: Scis, inquiens, frater, scis, quod ego fratribus meis impar, nequaquam sæculi negotiis idoneus appareo; sed si meis consensum præbueris consiliis, non modicum commodum tibi tuisque posteris præstabis. Te nempe præ fratribus cæteris diligo meis, tecumque habitare desidero; et ideo, cum ad divisiones bonorum deventum fuerit, omni nisu satage, ut in meam partem cadat Winterthura cum appendiciis suis: sciasque procul dubio quin, si hæc in meam devenerit proprietatem, quod tibi eam sum traditurus, et ipse tecum deinceps, quemadmodum jusseris, ero permansurus.

Quæ spectant ad ejus fratres,

C

7 In hoc ergo, tuæ consule utilitati: obtemperare stude voluntati, pariterque fratri secundo. Sic clam locutus est et tertio, singulis credentibus, quod hæc sui amore loqueretur, omnesque hac spe promptos ad suæ voluntatis reddidit effectum. Itaque cum ad divisionem ventum esset, [et] unicuique sua sors caderet, festinabant singuli Lutfridi adimplere petitionem, ignorantes singuli, quod unicuique eorum æqualia promisisset: et quia omnium par erat voluntas, facile est ad effectum perductum, quod omnes uno animo voluerunt. Et Lutfrido Winterthura, cum omnibus suis confirmaverunt. At ille merito lætabundus sibi tradita adiens egregia prædia, juri suo mancipavit universa, talique fratres fefellit astutia, atque agriculturæ operam dedit, et multa peculia congregavit, acceptaque uxore, ex ea filium genuit Adelbertum nomine, qui cum beato Leone Papa in Apuliam transiit, ibique pro causa S. Petri contra Nortmannos, qui Apuliam invaserant, pugnans occubuit: ejusque filia erat Adelhaidis, quam comes Hartmannus senior de Dilinga in matrimonium accepit, quæ ei Hartmannum peperit juniorem, et Adelbertum, et Udalricum, qui apud Constan. episcopus factus est, filiasque tres, quarum una in sactimoniali habitu commorata est; alia vero Udalricum comitem in Gamertiugen genuit, et Adelbertum comitem in Achalm. *Hæc ibi; quibus nonnullas subjicimus observationes.*

ac divisam hereditatem.

8 *De* Winterthura *consuli potest Thesaurus geographicus Ortelii ad vocem* Vitodorum. *Ad quam etiam vocem Baudrandus* Vitodurum, *inquit,* oppidum Galliæ Lugdunensis in Helvetiis, et in Tigurino pago Antonino, nunc Widterthur, oppidum Helvetiæ, in Tigurino pago etiamnum, ad amnem Eulach, teste Scudo, prope Kiburgum castrum, 3 milliaribus Germanicis a Tiguro distans in ortum, Constantiam versus 6. *De* B. Leone, *quem Adelbertus, Lutfridi filius, sanctique Præsulis nostri ex fratre nepos, comitatus in Apuliam dicebatur in causa S. Petri, vide dicta apud nos in S. Leone IX Romano Pontifice ad diem* IX *Aprilis, ubi res ejus gestas illustravimus pag.* 642 *et sequentibus. Conveniunt tempora et nam natus ibidem affirmatur S. Leo anno* 1002, *mortuus anno* 1054. *Pagius in Critica Baroniana ad annum* 1041 *num.* 4 *scribit de Normannis Apulia potitis; ad annum vero* 1053 *num.* 5 *de bello Normannico, quod S. Leoni infaustum fuit.*

hic etiam

E

9 *De Udalrico vel Ulrico, episcopo Constantiensi, in superiore genealogica serie nominato, tractat Chonicon Constantiense pag.* 567, *inter alia de illo indicans, quod* de S. Udalrici, episcopi Augustani, *cujus Acta illustravimus ad diem* IV *Julii,* sanguine *fuerit, et* sepultus *apud Constantienses* anno Domini MCXXVII. *De aliis personis in dicta modo serie genealogica expressis consule idem Chronicum in tabula* utcumque collecta *familiæ* S. Gebhardi *pag.* 647; *et in alia de parte veteris Kyburgensium familiæ pag.* 664: *in hac autem tabula, quæ, uti ad eamdem notatur,* multis locis correctionem postulat, *ponitur S. Ulricus episcopus Constantiensis non Hartmanni II seu senioris et Adelheidæ, filiæ Adelberti, neptis Lipfridi vel Luthfridi, prout ibidem additur, filius, sed Hugwaldi comitis in Dittingen. Verum hæc et alia, ad genealogicam seriem, quam ex Chronico Constantiensi retulimus, attinentia, ad curiosos genealogiarum rerum investigatores amandamus, ad alia, quæ fori nostri sunt, progressuri.*

explicantur.

F

§ II. Pia Sancti educatio; an fuerit monachus; episcopatus; monasterium Petershusianum ab eo conditum; miracula.

De miro, quo Sanctus in lucem prodiit, modo, ejusdemque pueritia, ac pia educatione *scribit Felix Manilius lib.* I, *cap.* I, *num.* 4 *et* 5 *nostræ divisionis, quam posthac citabimus. In compendio Vitæ ac miraculorum, anno* 1730 *Brigantii*

Mores ejus

AUCTORE J. P.

gantii Germanice exeuso, ac deinde in usum nostrum latinitate donato, indicatur in lucem prodiise in loco, cui nomen Pfannenberg, prope Brigantium sito, anno Christi Servatoris CMXLIX, die VII Augusti. *Ibidem de ipsius juventute fructuose transacta traduntur sequentia:* Junior Gebhardus, grandiusculus factus, a domino parente suo Constantiam missus, dominis Canonicis cathedralibus istius civitatis tum in literarum, tum in virtutum studio instituendus tradebatur. Nec sine fructu. Cum in prima sua ætate non obscura futuræ doctrinæ, et sanctitatis suæ indicia præberet. Erat enim studiorum amans, humilis, morigerus, et jam tum ob morum suavitatem carus omnibus: unde factum est, ut juvenilis ejus, sed moribus virilis ætas, omnes in admirationem et amorem raperet: ita ut, laude juventutis ipsius longe lateque diffusa, ipse magno in honore ac veneratione habitus fuerit, et in numerum Canonicorum cathedralium adscitus. *Hoc ultimum videtur confirmari ex donatione ejus inferius producenda, in qua dicit:* Ego Gebhart S. Constan. ecclesiæ frater.

B

ad pietatem informati sub S. Conrado ep. Constantiensi:

11 *Plurimum enimvero ad formandam piissimi Juvenis in virtute vitæque integritate institutionem contulit S. Conradus episcopus Constantiensis, teste Manilio num. 5 citato:* Cum autem, *inquit,* puerilia transcendisset jura, et juvenilem vitam attigisset, Dei cœpit frequentare contubernia, et præcipue beati ac Deo digni sacerdotis Conradi Constantiensis episcopi, cujus etiam familiarissimus pedissequus extitit; ut videlicet in ejus probitate disceret, quid adhuc in ejus moribus emendandum foret. *Quantam vero jam tum sanctissimus Juvenis apud laudatum præsulem de se concitarit exspectationem, conficitur e vaticinio S. Conradi, quo eum ad infulas Constantienses admovendum post alium prænuntiavit. Factum narrat Manilius num. 6; et confirmatur ex Vita S. Conradi apud Surium vulgata ad diem* XXVI *Novembris, quo nobis agendum de illo erit cum Martyrologio Romano. In collectaneis Mss., quæ de isto Sancto pro dicto mox die asservamus, vaticinium illud etiam extenditur ad duos, quibus idem antistes dictas infulas prædixerit, nimirum ad Gaminolphum, qui proxime ipsi in episcopatu successit, et ad*

C

Gebehardum, *qui mediate. Textum non transcribimus, cum quia nos latet, qua, fide nitatur illa extensio, tum quia parum facit in rem nostram, magis utique pertinens ad S. Conradum.*

an vitæ monasticæ institutum professus.

12 *Quæres, an sanctus Episcopus noster professus fuerit vitæ monasticæ institutum. Affirmat Bucelinus in Menologio Benedictino ad diem* XXVII *Augusti:* Eo, *inquit,* magistro *(S. Conrado)* tantum profecit, ut sacro in monachorum collegio facile princeps pietate haberetur. *Menardus in Martyrologio Benedictino ad eumdem diem in notula marginali dubitare se indicat de illa re, dicens:* Non tamen est adeo certum, an fuerit monachus. *Apud Wionem in notis citatur* Belforestius in sua Cosmographia in civitatis Constantiensis descriptione, qui ex monacho S. Galli *(apud Helvetos)* ad eam sedem assumptum narrat. *Sed Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti tomo 5, pag. 840, facta mentione de abbatia, quæ Petri domus dicitur, a* S. Gebehardo *constructa, monachatum ipsius rejicit his verbis:* Et hanc quidem causam esse puto, quod Gebehardus in Fastos nostros relatus sit, nempe ob constructionem abbatiæ Ordinis nostri. Nam in tota ejus Vita nihil de monastica ipsius professione legitur, neque apud alios idoneos auctores.

13 *Bucelinus miro modo ad Constantiensem cathedram electum refert, ipsa Virgine Deipara dignitati eidem suffragante:* Fuit, *inquit,* Gebhardus admirabili Matri, virginum Virgini, præcipua devotione addictissimus: quæ ipsum mox a morte Gaminolphi episcopi, suæ ecclesiæ ipsa pontificem elegerit, visa ipsi in soporem resoluto lignea sua in choro imagine lituum pontificalem porrigere cum hoc mandato: Dominicum gregem pasceret, eique pascua vitæ æternæ demonstraret. *Pro cujus facti veritate desideraremus melioris antiquiorisque notæ testimonium; nisi exstaret apud Manilium num. 7, et aliunde nobis illud non redderetur suspectum; atque adeo rem relinquimus in sua possessione. Interea ecce tibi, lector, alia, quæ ad elucidandum Veri sanctissimi episcopatum faciunt.* D

Episcopatui ejus favet Deipara:

14 *De anno inchoatæ istius dignitatis non convenit inter auctores. Manilius num. 6 nullum signat. In Compendio Vitæ recentioris Germanicæ dicitur electus Sanctus anno Christi 980. Hepidannus, cœnobita S. Galli, in Annalibus brevibus rerum in Alamannia gestarum sic scribit ad annum 985:* Kebehardus episcopus efficitur. *At præferenda videtur sententia Hermanni contracti, qui* S. Gebehardi *pontificatum sex annis prævertit, hæc scribens apud Henricum Canisium tomo* I *Antiquarum lectionum pag. 573:* CMLXXIX Constantiæ Germeuolfus episcopus obiit; eique Gebehardus nobilis et venerabilis præsul succedens, 16 annis ecclesiam rexit, qui basilicam sancti Gregorii in ripa Rheni, abbatiamque suis ex prædiis construxit: jam dicitur Petri domus. *Hæc temporis notatio confirmari poterit ex iis, quæ inferius referemus de annis sedis ipsius ac mortis. Ex his sequitur, ut* Gebehardus *noster cum duobus aliis synonymis ejusdem sedis episcopis confundi non possit: non cum primo, qui uno seculo illum præcessit, et de quo Chronicon Constantiense pag. 634 hæc scribit:* Gebhardus hujus nominis primus..., viguit.. circa annos Domini DCCCLXXXV: *non cum tertio, qui Sancto nostro posterior fuit uno fere integro seculo: nam, sicut ibidem pag. 666 dicitur,* anno Domini MLXXXV episcopus creatur. *Præsul itaque noster inter duos hosce synonymos fuit medius, et hujus nominis secundus, qualis nuncupatur in privilegio Joannis Papæ apud Manilium in Vita num. 12: in citato autem mox Chronico pag. 643 ponitur* XXVI episcopus Constan. E

hunc quando inceperit Sanctus,

F

cum synonymo non confundendus:

15 *Basnagius itaque antea memoratus recentioris scriptoris mendum merito castigat pag. 821 hisce verbis:* Cave ne in in errorem impingas, dum Morerium pervolvens occurrit tibi Gebhardus primus Constantiensis episcopus. Typographi incuria cubat hic locus in mendo: quippe plurimi jam fuerant episcopi Constantienses ante Gebhardum: sed procul dubio dicitur primus, ut a Gebhardo secundo distingueretur. *Cujus autem Gebhardi occasione hæc scribat, aperte colligitur ex his, quæ ibidem præmittit:* Fuit alius Gebhardus Constantiensis præsul, toto seculo recentior: legitur ejus electio in fine Chronici Constantiensis. Iudicatur ille etiam in narratione Udaschalci* tanquam Pontificis legatus, adfuitque concilio Wastallensi, ibique Hermannum Augustensem episcopum, imperatoris partes tuentem, arte prudentique consilio liberavit. *Meminit de hoc episcopo Udalscalci Naratio apud Henricum Canisium tomo 2 Antiquarum lectionum pag. 208, et in recenti earumdem editione, quam Basnagius vulgavit, tomo 3 parte 2, pag. 7. Observa primo,*

* l. Udalscalci

A *mo, et collige e supra dictis, hic agi de Gebhardo, quem tertium dicebamus. Secundo, ante hunc non inventos a nobis esse* plurimos *Constantiensis cathedræ præsules; sed duos dumtaxat, ut modo præmisimus. Tertio, inepte prorsus mihi videtur Basnagius pronuntiare, dum vult, Gebhardum hujus nominis tertium (de hoc enim agit) dici* primum, ut a Gebhardo secundo *distingueretur : nam primo suum antea locum jam dedimus.*

Otto imperator favet Sancto, qui divisionem hereditatis urget.

16 *Non mediocrem vero approbationis ac gratulationis in* S. Gebhardi *electione partem habuit Otto II imperator, quando* ei baculum cum pontificali annulo direxit, præcipiens, ut eum ovium subjectione Gebhardo omnes obedirent, eumque sibi datum a Domino pontificem gauderent, *teste Manilio biographo num. 7; qui num. 8 eumdem laudat a virtutibus vero pastoris dignis, adjungens illis piam vim, qua fratres suos coegit vel invitos ad dividendam æqua lance parentum hereditatem, cujus partem munifice impendit in condendo Petershusiano monasterio admodum insigni : de quo tractat idem Manilius a num. 9,* B *quodque nos variis documentis illustrare conabimur, acturi etiam de reditibus ac fundis, quibus ecclesiæ cathedrali egregie prospexit. Porro pluribus jam narrata sunt* § I *ex Chronographo Constantiensi, quæ in bonorum paternorum divisione contigerunt. Hanc non recte arrodit Basnagius, ut dicetur in Annotatis ad caput* I *Vitæ lib* f. *Nunc accipe, lector, observationes quasdam de memorati monasterii ædificatione.*

Monasterii Petershusiani conditi tempus ac situs :

17 Anno, *inquit Manilius num.* 9, Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo tertio, episcopatus autem tui quarto, undecimo verò imperatoris Ottonis secundi, *prædicti monasterii* domum.. construere cœpit, *non post diem utique* VII *Decembris ejusdem anni : nam, uti habet Labbeus in Compendio Chronologico, tunc obiit Otto post annos decem, menses septem, ac dies duos imperii a morte patris ejus. Pagius ad istum annum num.* 5 *auctores in die mortis conciliet, obiisse illum ponit* nocte inter VI et VII Idus Decembris, *id est, inter diem* VII *et* VIII *ejusdem mensis. Sed tantillæ minutiæ nos morari non debent. Ampliores de hoc cœnobio notitias in-* C *tellige ex Bruschio de Monasteriis Germaniæ a fol.* 98 *verso centuriæ primæ :* Petri domus, vel Petershusium cœnobium Benedictini instituti monachorum amplissimum, e regione Constantiensis urbis in Suevis cis Rhenanum pontem, in dextra videlicet Rheni e lacu Acronio prodeuntis situm. Fundatum et dotatum est munificentissime anno Christi CMLXXX pro monachis e Cella Menradi accitis a S. Gebhardo episcopo Constantiensi, comite Brigantino et Zæringensi, qui templum hujus cœnobii incœpit construere anno CMLXXXIII, positis ad quatuor templi angulos in fundamenta quatuor aureis Rhenensibus. Absolutum est templum illud, et ab ipso fundatore Episcopo, beato Gregorio Papæ dedicatum et consecratum anno Domini CMXCII, quinta Calendarum Novembrium.. Fuit hoc monasterium olim adeo opulentum, ut octoginta aleret monachos una cum abbate. *Hæc ille, subdens deinde hujus monasterii abbates. Etymon autem ejusdem templi refert Manilius num.* II.

Prodigia

18 *Quam vero grata esset Deo illius structura, patuit e miraculo, quod ab eodem biographo narratur num.* 10. *Compendium Vitæ novæ Germanice excusum refert aliud miraculum, seu triplex potius, quia ex totidem rebus mirabilibus constat. Illud itaque hac occasione narrandum etiam hic censuimus, relicta tamen rei fide penes auctorem. Factum Audi :* Cum jam ædificatum templum variis picturis ornandum esset, quo tempore sanctus Gebhardus ob negotia episcopalia domo aberat, infidi pictores optimos, pretiosissimosque colores furati sunt, eosque in proxima sylva defossos absconderunt. Domum autem reverso sancto Episcopo conquerebantur pictores, se ob defectum colorum opus suum perficere non posse, indeque laborem suum plurimum pati. Hæc audiens Vir sanctus tantisper silebat, pauloque post aiebat : Si quid vobis desit, opus est, ut illud vobis procurem. Me itaque comitamini : forte Deus bonitate sua solita providebit nobis de iis, quæ desideratis, ut opus inceptum perfici possit. *Eos* sine alio quoquam duce ad illum locum perducit, in quo furto ablatos colores sub terram absconderant.

AUCTORE J. P.

in ejusdem

19 Ibi pedum suum terræ infigit, dicens : His terram effodite, et videte, an aliquid reperiatis. Illi vero male sibi conscii, ac perterriti terram fodiebant, sed inviti, absconditosque a se colores reperiebant. Hic Sanctus blando vultu E ad eos : Abite modo, filii mei dilecti, et coloribus istis, quos ostendit nobis Dominus, inceptum opus diligentius perficite. Illi autem hoc facto perterriti, ac pudore suffusi ad opus suum redibant : quodque mirandum magis, mox eodem loco exortus est fons usque in hodiernum diem limpidissimam aquam subministrans. Quod secundum erat prodigium. Sed necdum hic finis prodigiosæ hujus rei exitus : tertium etiam accessit miraculum. Postridie itaque, cum sanctus Præsul mensæ accumberet, et pictores operi suo vacarent, simul omnes corruebant, examinesque jacebant instar mortuorum, vel tactorum apoplexia. Id sancto Gebhardo etiamnum prandenti magno tumultu nuntiabatur.

ædificatione patrata :

20 Ipse vero imperterrito ac sereno animo respondebat : Sinite eos : oportet, ut aliquantum luant, quod in rebus ad Sanctos spectantibus peccarunt. Ipse autem sine ulteriori animi motu manebat ad mensam, donec prandium finitum esset. Deinde lætus surgebat a mensa, et ascendens pegma, in quo pictores quasi mortui jacebant, baculo suo, quem manibus gestabat, F illos tangebat, dicens : Quod porstrati, et otiosi hic jacetis, ob hoc nullum vobis solvam salarium : surgite, et laborate. Ad hanc vocem mox capita sua erigebant, sani, vegetique surgebant, et laborare incipiebant, acsi nihil quidquam ipsis accidisset mali. *Habes, lector, miracula hic tria qualiacumque, majoris certe apud nos splendoris, quam auctoritatis, quia idonei ad faciendam debitam fidem auctoris testificatione destituta.*

reliquiæ Romæ eo delatæ :

21 *At de monasterio Petershusiano alia nobis dicenda supersunt. Quippe Præsul sanctus Romam profectus, ejusdemque cœnobii bono atque incolumitati pro futuris temporibus sedulo intentus, privilegium libertatis a Joanne PP. XV impetravit, quod datum notatur* auno IV *ejusdem Summi Pontificis, incidente in annum Christi* 989. *Profertur a Manilio num.* 12 *et sequentibus. Biographus idem num.* II *egerat de* multiplicibus et magnificis Sanctorum reliquiis, *quibus sæpe dictam ecclesiam* cumulavit *Vir sanctus.* Inter quas etiam brachium, *prout addit,* sancti Philippi Apostoli ab Ottone III imperatore sibi cum aliis plurimis condonatum, summo studio ibidem collocavit. *Ad diem* I *Maii pag.* II *de brachiis istius Apostoli, quæ alibi locorum esse scribuntur ibidem; actum est :*

AUCTORE J. P.

est : quæ conciliari simul possunt cum brachio Petershusiensi, si dicamus, quod vel intelligenda sit pars brachii pro toto, vel alterius Sancti synonymi, sub nomine S. Philippi Apostoli asservata apud dictos Petershusienses.

primi monachi unde illuc acciti.

22 *Ad illud, quod dicebat Bruschius paullo ante de* monachis e Cella Meuardi, *uti eum vocat*, accitis *ad incollendum sæpe dictum Petershusianum monasterium; addere brevem juvat notitiam istius Cellæ ex eodem auctore fol.* 74 *verso* : Cœnobium Ordinis divi Benedicti celeberrimum, et opulentissimum . . , in quod antiquitus principes tantum, comites ac barones summo loco nati accipi solebant : non procul a Tiguro *(Helvetiæ urbe, incolis* Zurich) in Sylii fluvioli vicinia situm. Anno Christi DCCCLX cœpit, temporibus Ludovici secundi, Rom. imp., ædificante sibi illic sacellum et cellulam S. Meginrado, Bertholdi illustris comitis a Sulgow ad Danubium habitantis imprimis religioso filio, qui monachus antea, et monachorum pædagogus, amplissimo cœnobii divitis Augiæ relicto monasterio, in hujus loci tenebrosissimam cre-
B mum religionis ergo concessit *etc. De S. Meinrado, sive Meginrado eremita et martyre actum est apud nos die* XXI *Januarii, pag.* 381 *et sequentibus, dictumque est, monasterium illud etiam appellari* Eremum Deiparæ, vulgo Einsidlen, *quod ultimum vocabulum lingua Germanica etiam indicatur apud Bruschium citatum. De hoc cœnobio meminerunt variis locis Annales Benedictini a Mabillonio editi tomo* 3, *e quo evocati sunt a* S. Gebehardo *monachi, qui prima novi cœnobii Petershusiani exordia formarent. Verum non parva hic se offert difficultas de capite S. Gregorii Magni, ut Petershusiani volunt, quod idem Sanctus Roma ad illos detulerit. Rem examinabimus paragrapho proximo.*

§ III. An caput S. Gregorii Magni ad Petershusienses a S. Gebehardo delatum ; ornamenta eorum ecclesiæ; alia Sancti pia donatio.

C

Caput istius Pontificis

M*anilius num.* 15 *narrat*, S. Gebehardum *inter alias, quas a Joanne PP. (hujus videlicet nominis XV) accepit* Sanctorum reliquias, caput quoque sanctissimi Papæ *obtinuisse* Gregorii, *insigni miraculo eadem occasione patrato in fluvio Pado, quem sicco corpore, locum pervium facientibus ipsius aquis, pertransiisse. ibidem scribitur, ut Romanos, propter ablatum hunc pretiosum thesaurum se insequentes evaderet, sacrumque istud pignus ad suum terminum promoveret, ut pluribus perhibetur loco citato. Quamvis autem non diserte addat idem biographus, caput illud fuisse Gregorii Magni seu primi, constans tamen apud ascetas Petershusianos traditio est, hujus illud Pontificis caput fuisse, teste Murero in Helvetia sancta, pag.* 274 : Asserunt, *ait*, in hunc usque diem constanter Petridomus Religiosi, præfatum S. Gebhardum a Joanne Pontifice Romano, hujus nominis VI *(immo, ut jam dixi,* XV) caput S. Gregorii Magni impetrasse, atque inter alias reliquias Sanctorum, monasterio in honorem a se S. Gregorii prædicti constructo obtulisse. *Verum uno ante seculo Ansegisus, Senonensis archiepiscopus, caput illud acceperat a Joanne PP. VIII, sicut testatur Clarius in Chronico sancti Petri Vivi, tom.* 2 *Spicilegii Acheriani pag.* 716 *prioris editionis, ubi sunt ista* : Postulavit autem idem Ansegisus a Joanne Papa dari sibi reliquias Pontificum atque Doctorum Gregorii atque Leonis, quod et impetravit... Dedit autem ei Joannes PP. caput beati Gregorii Papæ universalis, filii Gordiani, plumbo inclusum, et brachium sancti Leonis Papæ et Doctoris. D

se possidere censent Petershusiani: sed magna et solvenda difficultas:

24 Suscipiens autem hoc munus idem Ansegisus detulit Senones in basilicam sancti Petri, quod usque in hodiernum diem illic cum magno honore servatur. *Quid, quod hoc idem caput annis centum post obitum* S. Gebehardi *in monasterio S. Petri Vivi ad solennem honorem fuerit evectum, sicut memoriæ prodidit laudatus Clarius chronographus ad annum* 1095, *scribens ista* : Item hac anno, jubente donno Richerio archiepiscopo, in monasterio sancti Petri Vivi factus est conventus solemnis, et sacratissimum caput beatissimi Gregorii Doctoris, quod erat repositum in quodam scriniolo, una cum osse de corpore E sancti patris nostri Benedicti abbatis, palam omnibus ostensum, et exinde in VI Kal. Maii, ut solemniter hæc dies in monasterio agatur, stabilitum. *Quid plura? Vide, quæ de hoc capite jam pridem apud nos dicta sunt ad diem* XII *Martii pag.* 128 *et* 129, *ubi leges, ejusdem capitis visitationem anno* 1333 *et anno* 1439; *et* 1459 *in nova capsa depositionem. Petershusianis itaque incumbit probare, quod caput asservent S. Gregorii Magni, vel admittere propositionem disjunctivam supra datam de brachio S. Philippi Apostoli. An vero caput totum sibi vindicent, et an illud integrum habeant prædicti monachi S. Petri Vivi, nos latet, qui neutrum vidimus. Jam vero cum nec Manilius, ut jam notavimus, nec Chronicon Constantiense, uti mox videbimus, dicant, cujus Pontificis Gregorii caput ad Petershusianos delatum sit; cur ad eos non fuerit delatum caput S. Gregorii PP. II, qui floruit seculo* 8, *et cujus Acta illustravimus die* XIII *Februarii, tomo* 2 *ejusdem mensis pag.* 692 *et sequentibus? Cur non B. Gregorii PP. III, istius synonymi successor, qui dicto seculo vixit, et de quo agendum nobis erit cum Martyrologio Romano ad diem* XXIII *Novembris? De hujus ta-* F *men ultimi reliquiis an et quid dicendum tunc sit, nescimus.*

Quomodo caput S. Gregorii PP. acceperit Romæ S. Gebehardus,

25 *Antequam ad alia pergamus, non piget hisce attexere modum, quo S. Gebehardus reliquias Romæ adeptus est, recitando sequentia ex Chronico Constantiensi pag.* 646 : Ex gratia Pontificis ei permissum est, ut manum mitteret ad corpus beati Gregorii Papæ, hac conditione, ut quidquid uno tactu de sacris ossibus manu levaret, hoc secum deferat. Itaque Dei gratia caput ejus, cum aliis magnificis de corpore ejus reliquiis, sustulit . . Hoc siquidem sanctum caput, pluribus postea temporibus lapsis, inventum est in capsa, firmiter olim solidata, scilicet præ antiquitate et incautela prorsus resoluta, quæ pristinis temporibus, ut dicebatur, in altari S. Petri in plaga meridiana recondita erat. Aperta autem causa, in ipsa altera capsa rubricata inventa fuit, Sanctorum reliquiis plena, inter quas dilectissimus thesaurus capitis sanctissimi Papæ Gregorii comminuti repertus fuit. *Obiter hic adverte, caput illud integrum non asservari apud cœnobitas Petershusianos. At hisce diutius fortassequam par est immorati, pergimus ad* S. Gebehardi *donationem,*

A *nationem, quam apud Manilium non legimus. Habetur in Chronico Constantiensis pag.* 645 :

donatio a Sancto ecclesiæ Constantiensi facta,

26 Noverint omnes tam præsentes quam futuri, quod ego Gebhart S. Constan. ecclesiæ frater indignus, cogitans pro remedio animæ meæ, necnon Euangelica et Apostolica secutus præcepta, cum consensu fratrum meorum, et advocati mei Udalrici, juris mei proprietatem, quam parentum successione in locis Oberndorff *, Hutzlinbach, Philophinga, Lutheresdorff, cum omnibus appendiciis, ad eadem loca pertinentibus, ædificiis, mancipiis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus, et immobilibus, et cunctis ad eadem loca pertinentibus, dignoscor habere; trado ad S. prædictæ Constan. ecclesiæ cœnobium * fratribus Deo ibidem assidue famulantibus: cui Vir summæ religionis et doctrinæ Conradus episcopus regimine speciali præfectus esse videtur; ea tamen conditione, ut ego eamdem ad me recipiens proprietatem, vel alius ejusdem fraternitatis, quemcumque voluere, censum inde persolvat singulis quibusque adhuc in posterum annis, festivitate S. Patris nostri ac venerabilis Papæ Gregorii

** in silva Nigra prope Friburgum Brisigaviæ.*

** i. e. collegium canonicorum, vel forte locum eorum in communi habitantium*

B prædictis fratribus, sicut canonica moustrabit regula, sumat. Acta Coustantiæ quarto Idus Martii, præsente et confovente prædicto advocato meo Udalrico, necnon et aliis testibus, quorum subscripta sunt nomina, Eberhart, Lutfrid, Eleibolt, Conpret, Adelbert, Merebot, Lutpret, Sigipret, Hadepret, Dietger, Wern, Adilgon. *Mabillonius supra indicatus*, Sic, *inquit*, iu ejusmodi donationibus Alemanuicis iuterveniebat advocati facultas.

ejusdemque conditiones:

27 *Huic autem donationi quasnam Sanctus adjecerit conditiones, observasse juvat ex eodem Chronographo, qui sic pergit*: Sed nota, quod, licet S. Gebhardus, autequam fieret episcopus, hanc donationem ecclesiæ Constan. fecerit; ipsa præfata loca in beneficium recepit, ea conditione, ut ipse jam dictæ ecclesiæ fratribus in festivitate sancti Gregorii ministraret. Postea tamen, dum episcopus factus esset, et monasterium in Petridomo fundavit, jam dicta prædia præfata conditione illuc concessit, et versa vice eisdem fratribus Constantien. ecclesiæ constituit, ut ter in anno cum solenni processione ipsum monasterium adeant, singulisque vicibus, pro ejus anima Missam cantent: et insuper in festo S. Gre-
C gorii publicam de eo festo Missam decantent, monachique chorum regant, et ad altare ministrent, atque a clericis ea die de supradictis prædiis duo talenta et quinque solidi ad servitium dentur. *Liquet ex jam dictis, donationem hanc a Viro sancto factam fuisse ante episcopatum, et ante initia cœnobii Petershusiani, nec non tempore S. Conradi episcopi Constantiensis, atque adeo non post annum* 976, *secundum tabulam Chronologicam familiæ ipsius, quæ apud eumdem chronographum exstat pag.* 637 : *quia tamen connexionem habet cum isto monasterio, nihil vetat, quo minus hanc donationem huic loco inseruerimus, daturi etiam ex eodem Chronographo, quæ ad illud, ejusque ornamenta attinent, et apud ipsum leguntur a pag.* 645.

ornamenta varia

28 Anno Domini IX C. (*id est, nongentesimo*) LXXXIII basilicæ jecit fundamenta, obtulitque aureos 4, quos sub singulis ecclesiæ 4 angulis posuit: et cryptam fecit ab occidentali parte, in qua aquæ puteum fodit, et altare S. Martini in ea collocavit, quod postea Geb. III destruxit. Super cryptam sanctuarium fecit, ubi altare principale in S. Gregorii honore constituit: super quod ciborium * nimis speciosum fabricavit. Cum igitur columnas quatuor de ligno ilicis fec..-et et figuram vitis iu eis fabricari disposuisset, urbanos Constan. in unum congregavit, eosque sic affatus, ait: Habeo quatuor filias, quas me nuptui tradere oportet: at sine adjutorio vestro eas nequeo ornare: ea de causa vos convenio, et ut aliquod solatium pro acquirendis ornamentis pro posse et velle vestris habeatis, peto. Cumque omnes, se id quam libenter facturos, respondissent, columnas perferri jussit, dixitque, se has argento vestiri velle, et, ut sibi ad hoc auxilium ferrent, cœpit precari: quod et omnes animo prompto fecerunt: uam eorum solatio columnas argento vestivit, easque super bases lapideas decentissime sculptas constituit, super ipsasque columnas arcus quatuor posuit, quas a parte una exaurato argento, ex altera autem deaurato cupro vestivit.

AUCTORE J. P.

** i. e. tabernaculum altaris*

ecclesiæ Petershusianæ a Sancto adjecta:

E

29 Super arcus autem et columnas tabulam posuit magnitudinis tantæ, ut totum operiret ciborium, iu medio fenestram habens rotundam, et ipsam in circuitu intrinsecus aurato cupro opertam. Inferius autem marginem habebat prominentem, quam argento vestivit. Ipsa autem tabula erat per totum ex inferiori parte aurato cupro decenter operta, habens quatuor Euangelistarum imagines, clato opere in trausversum, quod ejus per quatuor partes erant laminæ affixæ argenteæ, et in unoquoque latere conscriptus erat versus unus aureis descriptus, qui sequitur:

Hoc opus exiguum diversis artibus actum,
Fert tibi, Gregori, supplex devotio servi,
Præsulis indigni, quem tu cum plebe fideli
Conjungas turmis, precibus, Pater alme, supernis.

Ædificia quoque plurima fecit hic venerandus Antistes admodum pretiosa, tam in choro, quam in ecclesia, et circa altare: quæ per quosdam abbates postea immutata sunt: quædam etiam vetustas auferebat: præsertim enim muri basilicæ erant ex omni parte pulcherrime depicti, ex sinistra veteris Testamenti materias habentes. Venetiarum namque episcopus modium plenum * Graïci coloris *, qui Lazurius * dicitur, quam picturam Conradus abbas ex toto deleverat, quouiam antiquitas ei jam abstulerat decorem.

** adde subministraverat, vel quid simile*
** i. e. cærulei*
** i. e lapis Lazuli*

alia Sancti fundatio.

F

30 Venetiarum episcopus, *qui non nominatur, est, ut suspicamur*, Ursus Venetus *apud Ughellum tomo* 5 *Italiæ sacræ columna* 1271, qui successit Petro anno CMLXXXI: decessit anno CMXCII, *sicut ibidem dicitur*. Conradus *vero* abbas *quando vixerit, et quis sit, non habemus exploratum. Tres quidem synonymi signantur apud Crusium mox citandum, pag.* 145 : *sed sine distincta temporis notatione. Omnes tamen ponuntur post annum* 1087, *quo, ut ibidem scribitur*, spoliatum et vastatum est cœnobium ab Henrico comite Sacri montis. *Aliam a* S. Gebehardo *institutam esse fundationem testatur idem Crusius Annalium Suevicorum libro* 5 *partis secundæ pag.* 144, *de qua breviter hæc memorat*: Idem fundavit collegium Canouicorum Zurzachæ, de sua pecunia, quod certis etiam proventibus annuis dotavit. *Situm indicat Baudrandus tomo* 2 *in fine*: Zurzach, *ait*, Aquæ duræ, Ganodurum, Certiacum, oppidulum Helvetiæ. *Idem Geographus de duobus ultimis nominibus incerta refert; certiora autem de ipso loco* Zurbach. *Quippe ad vocem* Ganodurum *scribit ista*: Ganodurum, oppidum Helvetiorum in Gallia Celtica...

AUCTORE J. P.

Celtica... ubi fuerit, non constat inter autores. Rhenanus enim et Althamerus credunt esse Zurzach, aut Lauffenbergam ad Rhenum sita oppida inter Constantiam et Basileam: Scudus vero, Cognatus et Cœnalis existimant fuisse Constantiam ad lacum Brigantinum in Suevia. *Ad vocem vero* Certiacum *præmiserat ista* : Certiacum, urbs Helvetiorum excisa, quibusdam est Reckingen vicus in Badensi præfectura, aliis autem est Zurzach, vicus peramplus ad Rhenum fluvium, 5 mill. pass. a Foro Tiberii seu Keisersthul distans.

§ IV. Annus emortualis; sepultura; annuntiationes in Fastis sacris; an canonizatus; publica veneratio; reliquiæ; Officium proprium.

Obiit anno 995 vel 996:

Exiguum unius duntaxat anni discrimen est inter auctores in determinando obitu sancti Antistitis nostri, ita tamen ut illud non videatur B *sine examine transeundum. Ponamus itaque in medio eorum sententias. Chronographus Constantiensis pag.* 646 : Obiit, *inquit*, VI Kal. Sept. anno CMXCVI : *quem etiam notant Crusius pag.* 144, *ac Vita nova Germanica. Adde citatum Bruschium fol.* 99. *qui tunc eum sepultum affirmat. Sed Hermannus Contractus annum proxime antecedentem signat, ad eumdem sic scribens:* Constantiæ Gebehardus episcopus venerabilis obiit. *Ex Manilio autem hæc eruo, num.* 9. *Connectit ibi annum Domini* 983 *cum anno quarto episcopatus ejus, cujus initium combinari potest cum anno* 979, *secundum præmissa* § 2. *Idem vero biographus num.* 19 *obiisse illum refert* sexto decimo episcopatus sui anno : *cujus si principium connectas cum fine, pervenies ad annum* 995. *Ex prædicto autem Chronographo annus unus mortis præ altero definiri certo non potest : nam etiamsi e vita illum excessisse memoret anno* 996, *ut modo vidimus, addatque,* eum regnasset annis 16 ; *initium tamen aditæ ab eo dignitatis* C *episcopalis ponit sub particula disjunctiva, dicens :* Episcopus anno CMLXXIX vel CMLXXX. *Sed tantilla temporis discrepantia forte componi potest, auctoresque in ea variantes conciliari inter se, si aliis sumantur anni non compleli, ab aliis vero completi, prout non raro contingit ; quo supputandi modo, uti alias, sic in hoc nostro casu apparens inter illos discordia componi poterit. Nos tamen superius Sancti obitum intexuimus anno* 995 *vel* 996.

ubi sepultus:

32 *Quæ Manilius scribit de ejus sepultura in ecclesia S. Gregorii, seu cœnobii Petershusiani, a se conditi, confirmantur ex Hermanno Contracto pag.* 576 *citata :* In basilica, *ait*, *sancti* Gregorii Papæ a se constructa sepultus quiescit. *Consonat Chronographus Constantiensis pag.* 646 : Sepultus in basilica S. Gregorii a se constructa. *Crusius pag.* 144 *locum sepulturæ magis determinat, quando addit, hoc ibidem accidisse* sub ara ante chorum maxima. *De rebus miris, occasione sæpe dictæ sepulturæ peractis, consule biographum a num.* 20 ; *ubi et Viri epitaphium ; de quo et apud Bruschium fol.* 99 : *adde etiam Crusium pag.* 145 ; *ubi hæc subjungit :* Distribuebantur in memoriam ejus quotannis panes, in die Gebhardi, advenientibus omnibus, qui appellabantur GEBHARDI PANES, **Gebharts Brötlin.** *Nunc proferamus Fastos sacros, in quibus annua sancti hujus Præsulis memoria signatur.* D

annuntiationes in Fastis sacris: an canonizatus:

33 *Nomen ejus apud antiquissimos Martyrologos non reperiri, mirum non est, cum hi diu ante illum floruerint. Ad recentiores itaque confugiendum nobis est. Habetur in Martyrologio Germanico, quod vulgo vocatur Casianum, et in additionibus ad Molani Usuardum, hisce vocibus :* Civitate Constantia, natalis sancti Gebehardi, episcopi et confessoris. *Quibus adjungi potest Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, nec non hagiologi monastici : Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus : quorum duo primi cum titulo* miraculis clari *illum annuntiant. Porro non est a præsenti proposito alienum, inquirere, an sanctus noster Antistes Cælitum catalogo adscriptus fuerit, sicut nonnulli volunt. Murerus in Helvetia sancta, quam Germanice edidit, eum ab Innocentio PP. II, die* XVII *Augusti, anno* 1134, *in Pisano concilio canonizatum, et Sanctorum catalogo adscriptum memorat anno pontificatus* E *ejus quinto. Nunc auctorem, vel alium forte, nescio quem, secutus scriptor Compendii Vitæ novæ Germanicæ, ista narrat :* Hic sanctus episcopus Gebhardus postea ab Innocentio II anno MCXXXIV, die VII Augusti, centesimo trigesimo nono post mortem ipsius anno, Pisis in œcumenico concilio canonizatus, et Sanctorum numero adscriptus est. *Concilium hoc inter œcumenica seu generalia non numeratur, quamquam non ignoremus, quod* aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ synodus *nuncupetur a scriptore Vitæ S. Bernardi apud Labbeum tomo* 10 *Conciliorum columna* 989. *Verum de hac canonizatione nihil memoriæ proditum invenio apud Labbeum et Harduinum, qui pauca memorant de isto concilio. Viderint itaque assertores hujus canonizationis, qua auctoritate nixi illam retulerint ; pro cujus veritate requirimus alia testimonia.*

veneratio; miracula; reliquiæ; datur

34 *Sacrum Viri corpus* peculiari in honore ac veneratione habetur, *sicut memorat Compendium Germanicum, apud Petershusianos ; additque,* singularem ipsi delatum honorem in loco ejus natali, qui fertur esse Pfannenburgum prope Brigantium, ob divina beneficia ibidem per ipsum præstita, *de quibus infra agetur. De reliquiis Sancti atio detatis vix quidquam novimus. Thomas Joannes Pessina de Czechorod in sua Metropolitana ecclesia Pragensi scribens de reliquiis, ex maxima parte a Carolo IV imperatore collectis, et ibidem asservatis, hæc refert pag.* 516 : S. Gebhardi ep. pars ins. allata per Carol. ex monast. Petershausen, quod est in civit. Constant. MCCCLIII. F *Cultum porro ejus apud Constantienses magis viguisse olim, quam seculo* 17, *conficitur ex eo, quod in breviario Constantiensi anni* 1609 *ne quidem ipsius nomen inveniam. In duobus autem aliis, quorum unum Lugduni excusum prænotatur anno* 1561 ; *alterum Ditingæ anno* 1575 ; *habetur proprium de ipso Officium, quod e priore editione producam ; sed e posteriore in nonnullis correctum. In primo et secundo nocturno ponuntur lectiones propriæ ex Vita, quas omittam, cum consuli possit Vita, quam dabo. Nec proferam, quæ in eodem Officio dicuntur de S. Rufo. Datur autem sub hoc titulo :* Gebehardi episcopi Constantiensis. AD VESPERAS SUPER OMNIA laudate. ANTIPH.

Officium

35 Beatus Gebehardus ab infantia spiritum sortitus

A sortitus est bonum : per quem erat puer docilis et amabilis valde. Capitulum. Ecce Sacerdos magnus. ℟. Sancte Dei præsul, memorum non immemor esto in tam solenni, quod nunc agimus, tibi festo : ut tua sint nobis semper suffragia præsto. ℣. Securi nullo nos impediente molesto. Ut tua sint. Hymnus. Plebs rumpe cordis nubila, et voce clara jubila, et cole jam insignia Gebehardi solennia. Quem Deus ab infantia sua perfudit gratia : de qua plura remedia confert suis immania. Qui fabricam Constantiæ recusavit mirifice, et in columbæ specie dignatus est ostendere locum ejus sepulturæ, ubi fulget clarissime, velut fulgur Galaxiæ *, in loca ejus fabricæ. Tu præsul Regis superni, et splendor aulæ olympi, ne demergamur, subveni a procella hujus mundi. Qui caput beatissimi Pontificis Gregorii agiliter deduxisti, scindensque flumina Padi. Præsul, summus Opilio de carnis jam ergastulo te eduxit cum jubilo, te laudamus cum cantico, ut mereamur cum Christo, cujus regnum principio caret, omni exilio, regnare sine termino.

* i. e. Viæ lacteæ, seu cæli

B 36 Athleta, ab hostis morsu defende nos et a lapsu, ne nos pro nostro reatu, deducat secum cum luctu Sed nos in mortis procinctu defende ab hostis metu, et tecum læto vultu deduc in polum cum plausu. Præsta Pater ingenite, Jesu cum sacro Flamine, ut Gebehardi precibus jungamur in cælestibus. Amen. Evangelica l. ant. Ave præclare confessor Christi Gebeharde, ave flos paradisi pretiose : qui tuo suavi cuncta respergis odore, nos emundatos ab omni vitiorum squalore, atque, te gubernante, transvectos per hoc spatiosum mare, tuo patrocinio fac quandoque cælestem patriam feliciter introire. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Gebehardum episcopum ministrum concessisti; præsta, quæsumus, ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem semper apud te habere mereamur in cælis. Per. Ad matut. invitatorium. In confessione laudis adoremus Dominum, qui stola gloriæ confessorem suum decoravit Gebehardum. Ps. Venite exultemus.

Sancti

37 In primo nocturno ant. Generosus ortus C majoribus, sed fide Christi multo clarioribus, beatus Gebehardus lucescit, ut gemma ex auro fulgescit. Ps. Beatus vir. ant. Non consuete enixum, sed vulva matris constat hunc excisum, Domino præmonstrante, qui ipsum scivit et ante. Ps. Quare fremuerunt. ant. Ad lucem prolatus et nutrici commendatus, ut Isaac patri de suo profectu gaudium conferebat : quod Dominus cum plus Salomone diligebat. Ps. Domine quid. ℣. Ecce sacerdos. *Sequuntur tres lectiones propriæ ex Vita cum tribus his responsoriis :* ℟. Nobilissima stirpe progenitus sanctus præsul Gebehardus, clarum sanguinem, quo fulgebat, probis moribus exornabat : ut virens palma florebat, et ut cedrus ramis virtutum se protendebat. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Ut virens palma.

proprium

38 ℟. Flore primæ ætatis jam vernante, spiritu scientiæ sibi inspirante, Gebehardus illustris cellaria Regis introductus, mero divini verbi ita est inebriatus, ut postea ructaret, unde late flumen se daret. ℣. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. Ut postea ructaret. ℟. Egregius vir Gebehardus dilectus Deo et hominibus, amabilis Pontificibus, venerandus principibus. Effulsit decus mundi, flos paradisi, gemma cæli. ℣. Familiæ Domini prudens et fidelis dispensator prædestinatus in cælis. Effulsit decus. In secundo nocturno ant. Hic spiritu revocatus, et inter filios adoptatus, septenis columnis sustentatur, ut domus supernæ sapientiæ efficiatur. Ps. Cum invocarem. ant. Infantiam domi transegit : ubi lacte teneri adolevit : quo sensim proficeret, ut solidum ecclesiæ cibum post perciperet. Ps. Verba. ant. Puerile accingens decus Gebehardus Deo electus mundo confestim alienatur, et literali disciplinæ mancipatur. Ps. Domine, Dominus noster. ℣. Justum deduxit. ℟. Optimæ indolis adolescens virtutibus in dies pollens, læva quæque devia linquebat, et dextera itinera toto nisu tendebat. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Læva. Lectio v. ℟. Verus Israhelita Gebehardus, parentum hæreditate locupletatus, terrenas opes pro supernis refutavit, ut Deus per prophetam demandavit. ℣. Divitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere. Ut. Lectio vi. ℟. Electus Christi discipulus Gebehardus euangelica verba mente revolvens, et hæc operibus complens, ex omnibus, quæ possedit, Ægypto liberatus, mansionem effecit. ℣ Quia dilexit man- E data tua, Domine, super aurum et topazion. Ex omnibus.

et Breviarium

39 In tertio nocturno ant. In tabernaculo, quod fixit Deus, et non homo, cum Samuele innocenter ministraute Gebehardo, merito complacebat tam Deo, quam sancto præsuli Conrado. Ps. Domine quis hab. ant. Hic velut alter manu fortis patrimonium extorsit a cohæredibus suis, ut decorem exaltaret tuæ dulcedinis juxta sui Domini desiderium cordis. Ps. Domine in virtute tua. ant. Mirabile commercium, placatum posse habere Dominum, oblata sibi parvissima gleba, cujus est omnis terra. Ps. Domini est terra. ℣. Amavit eum Dominus. Euangelium. Vigilate. ℟. Beatus præsul Gebehardus Christi amore provocatus, et hic et in cælestibus sanctam construxit ædem. Quia Christum sibi fecit hæredem. ℣. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Quia.

Constantiensi

40 ℟. Post sedecim regiminis sui annos meritis felicibus plenus, liberatur civis iste Hierosolymita captivitate de Babylonica : redditurque patriæ supernæ : ubi celebrat pascha perenne. ℣. In pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion : ubi. ℟. O præcelsi meriti Gebeharde, sa- F cerdos Christi, qui mandata Dei sequutus, tua omnia dedisti pauperibus, adesto nobis famulis tuis, vitiorum pondere prægravatis : ut tuis patrociniis adjuti, æterno Christi convivio quandoque mereamur perfrui. ℣. Qui jam triumphas in cælis, nostris miseratus ærumnis, appare vultui Dei pro nobis : ut. [ad] Laud. ant. In Domino laudabuntur opera hujus, qui seminavit in benedictionibus, cui nihil defuit, cum sua omnia pauperibus erogavit.

hic

41 ant. Hic stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos, quam te Domine decet hymnus in Sion. ant. Justus iste venit saliens inter montes, transiens * colles, Soli justitiæ assistens, pulcher, et decorus, et ut palma cunctis virtutibus floribus. ant. Beatus Gebehardus inventus est sine macula : quia non speravit in pecunia : ideo in Domino stabilita sunt illius bona, et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia. ant. Hodie posito corpore Præsul sanctus dives meritis penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Euangel. ant. Benedictus Dominus Deus patris nostri, qui ejus doctrina

recusum

* f. transiliens

AUCTORE J. P.

ctrina et exemplo ædificavit ecclesiam suam, ejus felici assumptione supernam lætificavit civitatem suam: ejus solenni recordatione præsentem hodie consolatur familiam suam. AD MISSAM: Sacerdotes tui. LECTIO: Ecce sacerdos. GRADUALE. Ecce sacerdos magnus alleluia. Juravit Dominus. OFFERTORIUM: Inveni David. EVANGELIUM: Vigilate. COMMUNIO: Beatus servus.

§ V. Notitiæ de Chronographo Constantiensi; scriptor Vitæ ac miraculorum, Sancti vaticinia.

Quando scripserit illeChronographus, ac Vitæ auctor:

De *Chronographo Constantiensi, quo multum usi sumus in hoc Commentario, danda lectori aliqua notitia est. Vossius de Historicis Latinis lib.* 3, *cap.* 10, *pag.* 651, Tempore, *inquit*, Maximiliani imp. etiam claruit Jacobus B Manilius, Brigantinus doctor; qui nomen sibi peperit Chronico episcopatus Constantiensis. Absolvit illud Brigantiæ anno MDXIX, die XIX Augusti: quo ipso anno Maximilianus imp. e terris excessit. Chronicon hoc, cum appendice usque ad annum MDCVII, cumque illustribus episcoporum familiis, in lucem primus edidit Joannes Pistorius: *apud quem* Jacobo Manlio *ei nomen datur, et pag.* 722 *dicitur* author Brigantiæ absolvisse *suum librum anno mox signato; sed* XVII die Augusti, *majorem habiturus auctoritatem, si majorem haberet ætatem. Idem hoc obtinet in Felice Manilio biographo, qui eodem tempore scripsisse affirmatur a Vossio citato pag.* 650, *ubi hæc refert:* Felix Manilius anno Dom. MDXI libris duobus tradidit Vitam S. Gebharti, secundi Constantiensis episcopi.. Primus ex chartis Mss. edidit Henr. Canisius T. VI Antiquæ lect. *Ex hoc recusa legitur apud Surium hac die, ac denique apud Jacobum Basnagium, de quo supra num.* 4 *iteratis typis edita anno* 1725.

annum e dantibus Sancti vaticinia

43 *Novissimus hic Vitæ editor in suis ad illam Observationibus pag.* 821 *arrodit* S. Gebehardi *vaticinium, quod sic narrat, et apud nos habetur in ejus Vita num.* 23: Scias pro certo, me apud omnipotentem impetravisse Deum, ut nulC lus fratrum, modo in hoc monasterio (Petershusiensi) Christo deservientium, a morte lædatur secunda, sed omnes mortem subeuntes temporalem, vitam cum Christo possidebunt æternam. *Quibus a se citatis subdit ista:* Siccine Deus indiscriminatum salvat monachos omnes, qualitercumque viventes? *Insulsa et inepta interrogatio: qua heterodoxus ille perperam interpretatur Sancti vaticinium, et conatur venenum exsurgere ex verbis ejus, quæ in sensum pravum detorquet. Quid enim? Beriggero seu Beringero, primo Petershusiani cœnobii abbati apparens, tamquam rem certam indicat, se* apud omnipotentem impetravisse Deum, ut nullus fratrum *ibidem tunc* Christo deservientium *pereat*, sed omnes *post mortem salvi fiant. Indicat itaque sanctus Præsul, (prout nos quidem hunc Manilii locum interpretamur) impetravisse se apud Deum gratias ad æternam operandam salutem singulares, et donum perseverantiæ finalis, iis omnibus monachis, qui tunc temporis ibidem Christo serviebant.*

explicatur:

44 *Quidnam hic inconcinni, quid ferula censoria Basnagiana digni? Apage ergo:* Siccine D Deus indiscriminatim salvat monachos omnes, qualitercumque viventes? *An ipsum ad hanc falsam et crassam digressionem induxerit auxilium Sancti pro eorum salute apud Deum, non inquirimus. Hoc constat, illum a Sanctorum pro clientibus suis apud Deum intercedentium patrocinio alienum fuisse, cum* Reformatæ, *ut vocant*, religioni *fuerit* addictissimus, *sicut dicitur in ejus elogio tomo seu volumine* I, *post Præfationem generalem Operis supra citati, ab eoque recusi. Alia* S. Gebehardi *prophetia, quæ narratur apud nos num.* 33, *nullam habet difficultatem, quia sub hac annuntiatur conditione:* Quicumque in hoc monasterio VOLUNTARIE CUM BONO PROPOSITO DESERVIENS inventus fuerit *etc.*, *quæ ibidem legi possunt. Reliquum est, ut de Manilii sinceritate agamus.*

45 *In præfatione sic loquitur num.* 3: Nos omnia *Sancti* gesta non didicimus, sed pauca seniorum relatione ad nostras pervenerunt aures, quæ etiam, prout possumus, ad posteros transmittere curamus. *Deinde de inculto sese stylo excusans, fidem eorum, a quibus Sancti ejusdem historiam didicit, ita commendat:* Quamquam hi, quorum relatu nos hæc percepimus, tales ac tanti extiterint, ut eorum verbis melius, quam proprii possemus credere oculorum obtutibus. *Denique seniorum*, qui viderunt, et interfuerunt his, quæ per illum Deus operatus est, *silentium merito incusat. Ast etiamsi hæc eo faciunt, ut amoveatur suspicio, quod seniores mendacia obtruserint Manilio; hoc tamen manet, in hujusmodi traditionibus non raro immisceri res falsas vel saltem non satis in antiquitate fundatas: quæ bona quidem fide narrantur, et ad posteros transmittuntur, sed vim non habent genuinæ historiæ. Post miracula autem idem biographus num.* 38 *ita loquitur:* Ecce, Pater, ut potui, tua jussa libens peregi, nec manibus conscripsi, nisi quod auribus audivi a viris veracissimis, probatis etiam senioribus. *Ex his conficitur, majore eum cum sinceritate scripsisse, quam auctoritate. Displicent inter alia variæ ejus hyperbolæ: item ortus Sancti vix credibilis cap.* 1 *num.* 4: *juramentum cap.* 2, *num.* 24.

Vita scripta majore sinceritate, quam auctoritate:

E

miracula

46 *Ad miracula quod spectat; antiquis, quæ narrat Manilius, addi debent recentia, publica auctoritate approbata, atque ad sancti ejusdem* F *Præsulis gloriam et venerationem apud mortales propagandam admodum idonea. Daturi ea sumus post Vitam ex impressione Germanica Latine reddita. Ponimus tamen hic aliud antiquum: Compendio Germanico:* Adhuc magis notatu dignum est, quod contigit anno MXCIV, juveni cuidam Religioso in Petershusen. Hic cum eo tempore, quo in choro matutinum decantabatur, magna premeretur siti, exibat choro ad puteum quemdam ad hauriendam aquam, qua sitim restingueret: cumque vas hauriendæ aquæ destinatum imprudens vellet demittere, ipsemet in puteum præaltum, et angustum capite pronus, pedibus in altum erectis, lapsus est.

plurima

47 Nullum medium ad manum erat, quo se aquis posset extrahere: non vox, qua opem imploraret; non manus auxiliatrix, quæ ipsum juvaret: uno verbo, spes omnis vitæ perdita erat. Spes unica supererat cogitatione pia fixa in S. Thaumaturgo Gebhardo illius cœnobii patrono, et fundatore, cujus invocati auxiliatricem manum statim etiam expertus est, quæ ipsum pedibus prehensum e puteo illæsum extraxit. Adhuc aqua diffluens ad chorum revertebatur. Magister ipsius

A ipsius admirans interrogabat eum, quid hoc sibi vellet; unde totus madidus rediret. Ille vero narrabat, quidquid contigerat; nempe quomodo memorato modo in puteum lapsus esset, indeque per sanctum Gebhardum miraculose iterum extractus, et a morte præservatus. Quod miraculum postea plurimos ad majorem venerationem, amorem, et devotionem erga sanctum Gebhardum prædicti cœnobii patronum, et fundatorem excitavit.

Vir sanctus

48 *Deinde narrata apparitione, de qua agit Manilius num. 27, sic pergit auctor Compendii et affirmat ista :* Sed quia iste Religiosus, *de quo agitur numero mox citato*, apparitionem illam paucis manifestabat, divi Gebhardi sanctitas, merita, et præpotens apud Deum patrocinium innumeris aliis miraculis toti mundo perspicua reddebantur. Nam multi cum fiducia sanctum Gebhardum episcopum invocantes a malignis spiritibus liberati sunt : multi claudi et enerves gressum, cæci visum, et variis morbis oppressi sanitatem recuperarunt : præsertim mulieres prægnantes, et parturientes in extrema sua necessitate B opem ejus, et patrocinium expertæ sunt. Quod innumeris pene miraculis (quæ in hoc compendio brevitatis studio non adduco) ad longum testantur annales cœnobii [in] Petershanssen, qui talibus prodigiosis casibus, et fide dignis testimoniis repleti sunt.

coruscasse memoratur.

49 Similia prodigia fiunt etiam hodiedum vix non quotidie non solum in Petershanssen, ubi sacrum ejus corpus sepultum est, et peculiari in honore ac veneratione habetur, verum etiam in patria ipsius, in qua mundo natus est : prout plurimæ prægnantes, et parturientes mulieres in necessitate sua, etiam calamitatibus variis oppressi pueri, multique alii hujus sancti Patroni concivis sui patrocinium, potentemque opem non a multo tempore experti sunt; prout ex subjuncta appendice novorum miraculorum sub juramento examinatorum, et approbatorum satis patet.

VITA

C

Auctore Felice Manilio,

Ex documentis Mss. monasterii Petershusiensis edita apud Henricum Canisium Antiquarum lectionum tomo 6, pag. 475 et sequentibus.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Auctor, memorata Dei misericordia in redimendo homine,

Cum rerum Conditor protoplastum in paradiso mandatis instituceret salutaribus, eidemque eum præficeret loco, ut spiritalem ibidem gigneret prolem, donec prædestinatorum numero completo, sine ullo mortis interventu, simul cum corpore et anima ad illum scanderet locum, de quo malignus cum suis sequacibus ceciderat spiritus : livore invidiæ stimulatus diabolus, quod caro possessura esset gloriam, quam ipse spiritus perdiderat, fallaci persuasione seduxit hominem, et promittendo divinitatem, quam non habuerat, etiam immortalitatem simul cum gloria *, quam jam habebat, nudavit. Deus autem plus malitiam hostis, quam casum hominis detestatus, hominem quidem ad pœnitentiam revocavit; deceptorem vero æterna pœna mulctavit; dedit vero homini rectores atque magistros, quibus per Spiritum inspiravit suum, sive quid faciendum, quidve vitandum foret; ut cæteros regerent atque docerent per semitas justitiæ incedere, pravaque itinera devitare. Ad hoc promisit eis suam adventum in mundum, ut sua carne nostram liberaret carnem, et sua luce nostram illustraret cæcitatem, qui sedebamus in tenebris, et in regione umbræ mortis. Hoc autem primo per patriarchas, deinde per legem; postremo vero per multiformia prophetarum prædixit oracula; hi enim omnes misi sunt, prænuntiare adventum Salvatoris in carne, parareque Domino plebem perfectam.

** immo cum gratia*

A. Felice Manilio.

2 Ubi vero venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, non solum autem eos, qui sine jugo erant, vocavit, dicens eis : « Tollite jugum meum super vos, et E « discite a me, quia mitis sum et humilis corde, « et invenietis requiem animabus vestris ». Expleta ergo dispensatione, pro qua carnem assumpserat, cum reverteretur ad Patrem, a quo numquam per divinæ majestatis unitatem recesserat, non reliquit suos servos orphanos, sed consolatione sui Spiritus eos confirmavit atque solidavit, et jussit eos prædicare et testificari per omnes gentes pœnitentiam, et remissionem peccatorum accipere per lavacrum regenerationis, et fidem Christi Domini, introitumque regni cælestis, et gloriam permansuram. Hujus autem primi seminatores verbi fuerint Apostoli, deinde eorum successores, videlicet sacerdotes Domini, quorum plurimi etiam usque ad sanguinem pro eodem verbo certaverunt, et mortem libenter pro Domino pertulerunt, ut vitæ æternæ participes fieri mererentur. Alii vero jejuniis, vigiliis, et orationibus semetipsos in ara cordis, Domino hostiam vivam immolantes, et aliis verbum vitæ aununtiantes, talentum sibi creditum cum lucro reportaverunt. F

inter alios Sanctos

3 Inter quos beatissimus Gebhardus velut splendidissimum sydus, Alamannicis rutilabat in partibus, qui omni virtutum jubare ornatus, morum probitate et testimonio vitæ pollebat, adeo ut Deus omnipotens per ejus merita crebro faceret mirabilia, cujus nos omnia gesta non didicimus, sed pauca seniorum relatione ad nostras pervenerunt aures, quæ etiam, prout possumus, ad posteros transmittere curamus. Neminem ergo levitas remordeat verborum, nulli incultus sermo fastidium injiciat legendi, nec attendat auditor, quis, quomodo, sed quid, vel de quo loquatur, nec hoc quemquam movere debet, quod non visa, sed audita scribere præsumimus : cum etiam Lucas et Marcus *a*, Evangelium suum, et plerique sanctorum Patrum conscripserint, quæ utique non visu, sed solo auditu veraciter perceperunt. Quamquam et hi, quorum relatu nos hæc percepimus, tales ac tanti extiterint, ut eorum verbis melius quam propriis possemus credere oculorum obtutibus, sed in hoc anteriores videlicet non mediocriter culpandi sunt, qui viderunt et interfuerunt his, quæ per illum Deus operatus est, quod hæc litteris tradere ad laudem Christi minime curavere, sed his intermissis, nos, Deo adjuvante, ad narrandi ordinem veniamus.

emicuisse S. Gebhardum scribit, et addit, unde hauserit, quæ de eo refert.

ANNOTATIO

A Felice Manilio.

ANNOTATIO.

a *Insulsa comparatio ; quia sancti Euangelistæ, Deo inspirante, scripserunt.*

PARTITIO CAPITUM IN EDITIONE HENRICI CANISII.

SECUNDUS LIBER DE MIRACULIS.

D

CAPUT I.

Illustre Sancti genus ; mirus, quo lucem vidit, modus ; educatio ; episcopatus ; monasterii Petershusiani fundatio.

Liber I. Cap. I. *Nobilis ac mirus Sancti ortus :*

Beatus Gebhardus nobilissima *a* Alamannorum stirpe, patre videlicet Uzone vel Iluozone nomine, Rhetianorum *b* Comite extitit oriundus. Quem mater dum gestaret in utero, morte debitum exigente, languore correpta est : in extremis vero posita suis indicavit hominibus, vivum scilicet in utero gestare infantem, rogatque, ut anima exhalata ventrem sibi incidant, infantulum tollant, calido arvinæ globo involvant, Deique providentiæ cautissime custodiant. E Quæ omnia, ut ipsa rogaverat, completa sunt. Hora autem adveniente, qua infans nasci debuisset, si materno utero foveri licuisset, vocem emisit infantulus, indeque cognitum est revolvendum, lucique reddendum fore. O mira omnipotentis Dei opera! qui, ut ait beatus Joannes Præcursor Domini : Potens de lapidibus suscitare filios Abrahæ, pene sine fotu muliebris uteri columnam suæ procreavit Ecclesiæ. Huic certe accommodari potest illud, quod Dominus ad Hieremiam Prophetam dixit : „ Priusquam te formarem „ in utero, novi te, et antequam exires de vulva, „ sanctificavi te. „

II. *educatio,*

5 Tulerunt ergo infantulum et nutriri commendaverunt, adultumque litteris tradiderunt. Tunc puer cœpit bonæ indolis esse, et ceu prudentissima apis per multigenos flores mella, ita ille per diversas sacræ Scripturæ paginas in alveario cordis dulcisonas congerebat sententias, quibus postmodum populorum dulcificaret fauces. III. Cum autem puerilia transcendisset jura, et juvenilem vitam attigisset, Dei cœpit frequentare contubernia et præcipue beati ac Deo digni sacerdotis Conradi Constantiensis episcopi, cujus etiam familiarissimus pedissequus extitit, ut videlicet in ejus F probitate disceret quidquid adhuc in ejus moribus emendandum foret. Sciebat enim scriptum esse : „ Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente „ innocens eris, et cum perverso perversus eris „ ; ideo et pravorum fugiebat consortia dicens cum Propheta : „ Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeam „ cum eis, et ambulanti in via immaculata huic mi„ nistrabam „.

IV. *episcopatum S. Conrado prædictum.*

6 Unde et Spiritus sanctus dignatus est suis de eo prænuntiare fidelibus, quod jugum portaturus Domini, et pater familias in domo Domini futurus esset. Denique cum beatæ memoriæ Conradus, cujus superius mentionem fecimus, die quodam cum suis resideret, et causa existente domum ad horam fuisset excessus *; vir Domini Gebehardus, jocandi gratia, ut fieri solet, venit et sedit in loco, de quo episcopus fuerat digressus. Ingrediens autem inopinate episcopus, et videns Gebehardum suum occupantem locum, subridendo, ut fertur, ad eum locutus est : Eia, inquit, Gebeharde, quam cito meum anticipare voluisti locum : sed non ita erit; non enim tibi post me, sed alteri debetur. Illo vero assumpto, te Dominus suarum avium rectorem prædestinavit

* egressus.

A vit atque pastorem. Hanc autem prophetiam *c* veracem esse, rei exitus approbavit. Nam beatissimo
v. Conrado ad Dominum translato Bamenoldus * ei in episcopatum successit, qui plus minus quatuor præfuit annis, quo defuncto, clerus, senatus, populusque Constantiensis Gebehardum sibi pastorem unanimiter delegerunt, ipsam vero electionem summo Pastori acceptabilem, atque suis ovibus Pastorem hunc etiam ab ipso Domino prædestinatum fuisse, evidenti signo monstratum est.

** alii Gamnolphus.*

vi. 7 Erat namque in eadem ecclesia imago sanctæ Dei genitricis Mariæ ligneæ insculpta tabulæ, quæ beato Viro in somnis visa est virgam præbuisse pastoralem, eique præcepisse, ut Dominicum
vii. gregem pasceret, eique pascua vitæ monstraret æternæ. Otto etiam ejusdem nominis secundus *d* imperator, audiens obitum Constantiensis episcopi, consensumque populi in electione venerandi viri Gebehardi, gratulabundus ei baculum cum pontificali annulo direxit, præcipiens, ut cum ovium subjectione Gebehardo omnes B obedirent, cumque sibi datum a Domino pontificem gauderent. Erat enim idem Vir domino imperatori familiarissimus, eo quod compater *e* ejus esset, ideoque gaudebat, quod occasionem invenisset ad hoc eum promovendi, quod jam dudum concupierat, et ad quod eum dignissimum omni vitæ sanctimonia decernebat.

a Deipara virgine, et Ottone imp. confirmatum.

viii. 8 Canonica electione peracta, unctusque unguento sanctificationis, quod « de capite descen« dit in barbam Aaron » cœpit Vir Domini, boni pastoris imitari exemplum, mercenarii devitare perfidiam; talentum sibi creditum cum lucro reportare, omni mentis annisu satagere, omni virtuti operam dare, sicut decebat Domini dispensatorem: bonus, pius, pudicus, sobrius, castus, et, ut breviter dicam, omni bonitate conspicuus, universo morum decore ornatus. « Ibat « enim de virtute in virtutem, ut videret Domi« ni decorem in Sion. Omni custodia servabat « cor suum », illud attendens quod Dominus in Euangelio ait: « Beati mundo corde quoniam « ipsi Deum videbunt: omnibus omnia factus « est » ut omnes salvos faceret: omnia autem faC ciebat propter Deum, ut hæres ejus fieret, co-
ix. hæres autem Christi. Sed quia de nobilissimis et ditissimis fuerat parentibus, qui sibi fratribusque suis multitudinem copiosam prædiorum reliquerant (sicut est humana avaritia, quæ divitiis non impletur) fratres ejus sibi vendicabant universa, nec fratri quidquam dederant de sibi relicta substantia: Vir autem Dei non cupiditate prædiorum, sed Dei, cui ea tradere cupiebat, amore succensus, suam partem possessionum *f* a fratribus sibi dari postulabat. Illis autem negantibus, vi extorsit ab eis, ut omnia æqua lance dividerent, nec quicquam eorum, quod suæ contigerat forti, permisit habere. Hæc vero non malitia sed divino zelo, animo inardescente peragebat; ne forte fratres periculum suæ incurrerent animæ, si aliquid sibi injuste usurpatum possiderent.

exornat meritis, et bona cum fratribus dividit.

x. 9 Peracta autem hac hæreditaria divisione, vir Domini Gebehardus, animo revolvens illam sententiam, qua Salvator in Euangelio ait: « Vade, « vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, « et habebis thesaurum in cœlo: et, Nisi quis « renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non po« test meus esse discipulus »; suis ex prædiis monasterium sancti Gregorii Papæ in ripa Rheni fluminis juxta Constantiam civitatem construxit, deputatis illic duodenis fratribus, qui die noctuque divinis ibidem insisterent officiis, quibus sufficienter victum vestitumque suis ex facultatibus ministrari constituit. De terrena ergo substantia sibi nihil reservavit, sed cuncta Christi pauperibus fideliter erogavit, sicut scriptum est: « Dispersit, de« dit pauperibus, justitia ejus manet in æternum », thesaurizare sibi noluit in terra, ubi nesciret, cui congregaret, sed thesaurizabat sibi thesauros in cælo, ubi nec « Ærugo, nec tinea demolitur, ubi fu« res non effodiunt, nec furantur ». Anno autem Do- xi.
minicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo tertio, episcopatus autem sui quarto, undecimo vero imperii Ottonis secundi, hanc eamdem manufactam domum ex materialibus lapidibus Domino construere cœpit, ipse vivus lapis ponendus in non manufacta domo æterna in cælestibus, dicens cum Apostolo: « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed « futuram inquirimus »; thesaurizabat sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehenderet veram vitam, quæ est in Christo Jesu.

Construit monasterium Petershusianum.

A. Felice Manilio.

ANNOTATA. E

a *De illustri nobilitate Sancti plura vide in Commentario* § I.

b *Rhætia triplex; altera recens, altera late, altera proprie sumpta. Hæc regionem illam totam inter Alpes Rhæticas, et Tridentum, quam hodie incolunt populi Grisones, complexa; seu Rhætia, Comitatus Tirolensis, et Vallis Tellina, ubi populi fuere Brigantini etc. Rhætia late sumpta, post divisionem imperii Romani, continebat Rhætiam propriam ad meridiem extensam, seu Rhætiam primam, et Vindeliciam: ea vero, qua septemtrionem versus protendebatur, Rhætiæ secundæ nomen accepit. Duabus hisce Rhætiis adde recentem, quæ angustioribus terminis coarctata, partem occidentalem Rhætiæ propriæ tantum continet, seu populos Grisones vulgo nuncupatos. Plura de præsenti argumento suppeditat Baudrandus, e quo præcedentia contraximus. Quod autem Manilius scribit de Uzone* S. Gebehardi *patre* Rhætianorum comite, *videtur probabilius intelligendum de Suevia, qua tractum Constantiensem seu Brigantinum continet, notante Baudrando ad nomen* Suevia, *quod* olim duces habuerit proprios magni nominis. *Vide loca superius memorata in Commentario* § I. *Fieri tamen potuit, ut ditiones Uzonis ad alias etiam Sueviæ partes se extenderint.* F

c *De hac prophetia diximus in Commentario* § 2.

d *Otto II, Ottonis imperatoris I filius, coronatus imperator anno Christi* 967 *ponitur apud Baronium, et apud Labbeum in Compendio chronologico ad eumdem annum: mortuus* 983, *relicto filio Ottone III quadrienni, sicut apud Labbeum ibidem invenies.*

e Compater, *id est, quasi ejusdem filii pater dicitur is respectu illius, cujus filium baptizat, vel tamquam patrinus in baptismo aut confirmatione suscipit. Consule Cangium in Glossario. Compatris igitur officio functum fuisse Sanctum in Ottone imperatore III suspicor ex eo, quod præter hunc non inveniam alios Ottonis II liberos. Hinc confirmari possunt, quæ in Commentario præmisi de illustrissimo genere* S. Gebehardi.

f *Nodum hic in scirpo quærit Basnagius sæpe jam citatus, dum pag.* 825 *ponit sequentem notulam marginalem:* Viderint canonici juris doctores,

A. Felice Manilio. ctores, an vis illata fratribus sit laudanda. *Quidnam hic videndum? Quid Sanctus hic egit, quod non sit laude dignum: actum quippe justitiæ exercuit, quando parentum bona, jure naturæ sibi debita, et a fratribus injuste occupata, vi justa extorsit, ut de iis disponeret in causas pias, dum bona gratia impetrare illa non posset.*

CAPUT II.

Miraculum; privilegium et sacra lipsana Romæ impetrata; alia miracula; curæ pro monasterio Petershusiensi susceptæ; obitus, sepultura, apparitio.

B Cum autem, Deo prosperante, jecisset fundamenta ecclesiæ, toto nisu cœpto operi cœpit

xii. *Hominem e lapsu quasi exanimem sanat:* cottidie insistere, et Deo incrementum dante, ventum est ad hoc, ut parietibus in altum excrescentibus, necessario etiam lignorum instrumenta subrigerentur, per quæ onera portantes ascenderent et descenderent super, quæ etiam opera facientes constare possent. Et ecce, quadam die subito ex improviso accidit, quod omnes assistentes valde contristavit. Nam cum omnes certatim operi instarent, contigit, ut fractis sustentaculis, in quibus stabant operarii, caderent in terram; ita ut opifex, qui præerat operi, toto conquassato corpore, quasi exanimis inveniretur. Cumque ex eo, quod acciderat, magna afficerentur tristitia, vir Domini Gebehardus confisus in eo, qui dixit: « Quæcumque petieritis Patrem » in nomine meo, dabit vobis »; jussit eum levari, et in oratorium sancti Michaëlis, quod ibi erat, deportare, et ejectis omnibus, ipse clausit ostium, seseque in orationem dedit. Quo orante elisus sanus surrexit, eumque ad opus redire jussit, atque ait: Vere nullus deinceps ex hoc cadendo suæ periculum patietur animæ.

C 11 Jussitque omnes parietes certo tramite sur-

templum Petershusianum ornat, ac dedicat: sum sine vestibulis, sicut hactenus cernuntur, construi, ita ut laquearia ejusdem templi in modum crucis suspensa esse videantur. Quæ laquearia deauratis baculis in modum stellati cæli undique decoravit: muros vero per circuitum varia pictura perornavit, non tali, qualem propheta Ezechiel perfosso pariete conspexit *a*, sed tali, quæ opera Salva-

a toris, quæ vel in veteri vel in novo Testamento operatus est, ad ædificationem intuentium repræsentaret. Situs autem ejusdem templi ad occidentalem

xiii. plagam versus est: secundum formam basilicæ principis Apostolorum Romæ constructam, formatum est, propter quod eumdem locum Petri domum appellavit: per circuitum vero congrua monachis construxit habitacula, perfectisque omnibus decimo anno ecclesiam in honore sancti Gregorii Papæ de-

b dicavit *b*, camque multiplicibus et magnificis sanctorum reliquiis cumulavit: inter quas etiam bra-

c chium sancti Philippi apostoli *c* ab Ottone tertio imperatore sibi cum aliis plurimis condonatum, summo studio ibidem collocavit.

xiv. *Romam profectus,* 12 Cumque summo studio sanctorum reliquias et cætera quæque ad divinum cultum pertinentia undique ex diversis locis congregaret, ejusdem rei gratia etiam Romam properavit, ut ei de Apostolorum liminibus, Sanctorum exuvias, privilegiumque liberatis perciperet, quod et magnifice impetravit. Nam cum jam sæpe dictum locum principi Apostolorum proprietatis jure contradidisset, ab ejus vicario Joanne tale privilegium accipere promeruit. Joannes episcopus, D

servus servorum Dei, in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus xv.

sancti. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, qualiter Gebehardus secundus amabilis episcopus sanctæ Constantiensis ecclesiæ, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina Apostolorum Principum Petri et Pauli, et ante nostram præsentiam, retulitque nobis, quatenus ipse Dei nutu compulsus, ecclesiam cænobitarum construxisset super ripam fluminis, quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorii confessoris Christi, in quo loco regulam sancti Benedicti abbatis, et monachorum fratrum luculentissime ordinaret: ubi devotissime de suis propriis prædiis, quæ a suis parentibus illi evenerunt, et partem de rebus S. suæ ecclesiæ devotissime obtulit, ad sustentationem et stipendium illorum videlicet monachorum, qui in ipso sancto monasterio sedulo Christi laudes persolvere die noctuque non cessant. E

13 De quibus nostræ humilitatis supplicans clementiam, ut prædictus locus ipse sub tuitione et *impetrat* defensione sancti Petri nostra nostrorumque successorum Pontificum in perpetuum maneat: ita tamen, ut nullus rex, aut dux, neque marchio, nec etiam episcopus, qui per tempora in ipso episcopio fuerit, aut ulla persona audeant de omnibus, quæ ibidem ab ipso jam dicto Gebehardo episcopo concessa sunt, alienare, aut quoquo modo de ipso sancto monasterio extrahere; sed tuta et stabilita atque firma usque in futura tempora concedimus permanenda; sed et hoc apostolica præceptione, rogante supradicto Confratre nostro, interdicimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, ne aliquis eidem monasterio præficiatur, nisi quem communi consensu fratres ibidem Christo sedulo servientes elegerint, electumque episcopus benedictionis titulo confirmare procuret. Et hoc ipsum de advocati *d* electione decerni d

placuit. F

14 Si vero, quod absit, aliquando contigerit, ut episcopus ejusdem sanctæ ecclesiæ hæreticus vel schismaticus existat, fratres supra dicti *privilegium.* monasterii ex auctoritate Sedis Apostolicæ habeant potestatem ecclesiasticos ordines requirendi ubicumque Catholicum noverint esse episcopum, nec ille iniquus, de hoc aliquam eis injuriam inferre præsumat: nam si quis aliquis homo, cujuscumque sit ordinis vel potestatis, quod non credimus, in aliquo disrumpere tentaverit ea, quæ ab ipso jam dicto Confratre nostro in prædicto monasterio concessa sunt, et a jure et ditione ipsius monasterii auferre voluerit, nisi resipiscat, excommunicatus a Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi consistat, et anathematizatus a sancti patribus omnibus, et a nobis, nec in exitu vitæ communicet, sed etiam mortuo, nomen ejus inter Missarum solennia nullo modo recitetur. Qui vero pio intuitu custos et procurator hujus nostri præcepti extiterit, benedictionis gratiam, vitamque ab ipso Domino Deo et Salvatore Jesu Christo mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Scriptum per manus Johannis notarii, et regionarii *e* et scrinarii sacri Lateranensis e palatii in mense Aprilis et Indictione secunda: datum

A tum vero septimo Kalendas Maias, per manus Gregorii episcopi sacræ Portuensis ecclesiæ, et bibliothecarii Sedis Apostolicæ, anno Pontificatus Domini uostri Joannis sanctissimi Papæ quarto.

XVI. *reliquias eripiant Romani eum insequentes,*

15 Inter cæteras vero, quas idem Pontifex beato Viro Sauctorum dederat reliquias, caput quoque sanctissimi Papæ sibi condonavit Gregorii *f*: sed hoc pancis et sibi familiarissimis cognoscentibus. Vir autem Dei, tanto munere accepto, maximo delibutus gaudio, festinus Urbem egreditur, verens hoc, quod etiam contigisset, nisi divina ministratione profectus fuisset. Romani enim cognoscentes se tanto pignore privatos, se quasi orbatos, gementes civitatem egressi, Virum Dei unanimiter prosequuntur *. Quod ille sentiens, fugam inivit, fugiendoque Placentia *g* ad Padum fluvium usque pervenit, quem in immensum excrevisse invenit, navemque altera in parte fluminis consistere doluit; cumque nullum adesse conspiceret, qni navim advehere potuisset, jam jamque insequentes se advenire formidaret, quod tunc solum subsidii noverat, ad arma orationum confugit, seseque in ripa fluminis B Deo supplicem dedit, quem mox se invocantem Christus in tribulatione dilatavit: quia « Oculi « Domini super justos, et aures ejus in preces « eorum, » et adhuc eo clamante dixit: Ecce adsum: illo namque orante et omnipotentis Dei misericordiam implorante, ut, si voluntatis ipsius esset, quatenus iste Sanctorum exuviæ ad locum destinatum perveuirent, sibi in hoc necessitatis articulo subveniret. Mirum dictu, Padus se submisit, et per medium suimet sanctissimo Viro modum optimum patefecit, et sicut de Israëlitico populo Psalmista canit: « Mare vidit et fugit, « Jordanis conversus est retrorsum: » et iterum: « Deduxisti sicut oves populum tuum in mauu « Moisi et Aaron, » ita et nos de isto proclamare possumus: quia Padus illum vidit et fugit, et de cursu suo conversus est retrorsum, et fideles suos deduxit Dominus per aquas multas, in manu servi sui Gebhardi.

* *f. persequuntur.*

XVII.

sicco vestigio Padum transit.

16 Ipse autem Vir Dei, statim ut sibi viam a Domino prospexit patefactam, cum suis omnibus ingressus, omni cum alacritate pertransivit. Unus autem nequam ex obsequio ipsius Sancti postre- C mus pertransenntium factus, cunctis aliis egressis, in alveo fluminis solus inventus, concurrentibusque aquis præventus, atque suffocatus est, secundum illud quo scriptum est, « Væ soli, quia « si ceciderit, non habet qui eum adjuvet, ut « surgat. » Quod cum Viro Dei nuntiatum fuisset, ait: Ex hoc nolite contristari; nanlum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum a Domino sublatum credamus; et cum lætitia Christo gratias agentes iter nostrum peragamus. Illi vero, qui Virum Dei illo persequuti fuerant, videntes, quæ facta sunt, ad propria revertuntur. Quis vero hæc audiens non obstupescat, quisve obstupescens credat de sterili Alemannorum terra tantum emicuisse Virum, per quem Deus his temporibus antiqua renovare dignatus est mirabilia? Sicut enim Moises cum Israëlitico populo, per mare rubrum; et Josue, Helias, et Heliseus, per Jordanica fluentia sicco pertrausierunt vestigio: ita iste Domini dilectus præpetes fluctus Padi alveo fidei concludens per semitam humanis pedibus hactenus inconcessam securis gressibus commeavit.

XVIII.

17 Dominum autem cum pervenisset, collocatis cum omni diligentia reliquiis, ordinatisque duodenis, ut supra dictum est, ad locum fratribus, Periggerum *h* tertium decimum *i* vicem Christi inter eos agere constituit. Post hæc, convocatis servis suis, elegit ex eis optimos q...sque, et constituit ex eis cocos et pistores, caupones et fullones, sutores et hortulanos, carpentarios *k*, et singularum artium magistros, et constituit eis, ut eo die, quo fratribus deservirent, de cibo et pane fratrum cibarentur, quia dignus est operarius cibo suo. Ut autem bono animo suis ministrarent dominis, hujusmodi donario ipsos cumulavit: scilicet ut cum quis præsentium, vel eorum successorum, qui de progenie illorum esset, moreretur, exuviæ *l* de eis non sumerentur, sed hæredes relictam hæreditatem indivisam possiderent: si vero de alia progenie aliquis successisset; ab hoc donativo alienus extitisset. Constituit etiam alios clientes, qui equitando deservirent, scilicet ut semper parati essent ad equitandum, quocumque uecessitas exegisset, et ad commodandum fratribus caballos suos quocumque poposcissent. Hæc autem Vir Domini, quasi pennatum « animal plenum oculis ante et retro, » paravit, ut videlicet fratres ibidem Christo famulantes, spiritalibus atque carnalibus necessariis sufficienter instructi, expediti contemplativæ cum Maria ad pedes Domini vacarent vitæ, nec eos sollicitudo Marthæ in activa aliquoties perturbaret, et esset, sicut scriptum est: « Nihil deest « timentibus eum: » sciebat enim scriptum: « Propter inopiam deliquerunt multi: » et ideo providebat illis interius exteriusque, quæque erant necessaria, ne inopia urgente cum periculo animæ subsidium quærerent hujus vitæ, et ipse pro hoc non beneficium, sed a districto judice Deo gehennæ tulisset supplicium.

A. FELICE MANILIO.

XIX. *Cura singulari prospicit Petershusiensibus:*

h *i* *k* *l*

XX.

E

XXI. *claudum sanat:*

18 Cum ergo quodam die in sæpe dicto deambularet loco, obvium habuit quemdam claudum ejusdem loci incolam, qui curvatis ad terram genibus et scabellulis, quæ manibus gestabat, caput a terra sustentabat, in modumque quadrupedis omni corpore curvus deambulabat. Is autem peritissimus erat in omni sculptura lignorum, sicuti etiam in ejusdem basilicæ valvis melius addisci poterit. Hunc ergo eum venerabilis vidisset Pontifex, ait ad eum: Homo cur manibus genibusque tellurem premis, nec rectis graderis plantis? Scitis, ait, scitis dudum, Domine, quod Dei debilitatus judicio erectus quoquam gressum movere nequeo. At ille, baculum, quem manu gestabat, claudo porrexit: Sume, inquit, et in hoc te sustenta, rectoque cursu deinceps ambula. Ille autem sumens baculum super eo se erexit, novisque gaudendo, Dominumque laudando gressibus currere cœpit. O Virum ineffabilem et principibus Apostolorum, Petro videlicet atque Paulo, comparandum! quorum unus claudum ad Speciosam portam templi jacentem et mendicantem erexit *m*; alter vero dormitantem Eutychum et de tertio cœnaculo in inferiora cadentem, virum reddidit atque salvum *n*: sic iste Domini dilectus claudum non jacentem, sed manibus genibusque reptentem propriis gradi fecit plantis, hominemque de altitudine murorum cadentem, vivum reddidit et incolumen; qua in re considerandum est, qua sanctus, quantique apud Deum meriti fuerit, per quem Christus non minora, quam etiam per suos Apostolos monstrare dignatus est. In modernis enim adhuc temporibus refrigescente etiam charitate multorum, in suo Fideli Veritas complere dignata est, quod suis promisit discipulis, dicens: « Si quid « petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. »

F

m *n*

19 Cum

A FELICE MANILIO. XXII. *moritur,*

19 Cum autem bonorum remunerator operum, Famulum suum de turbulento hujus mundi salo ad portum perpetuæ quietis educere decrevisset, molestia corporali pulsatus, dormitans non est inventus, sed succensa lampade venienti Domino atque pulsanti obvians, ovando ei aperuit, dicens cum Apostolo: " Cupio dissolvi, " et esse cum Christo; " cumque languor corporis ingravesceret, et se de hoc sæculo citius migraturum præsensisset, rogavit, se in templo, quod ipse fabricarat, sepeliri: nam tunc temporis in Constantiensi morabatur civitate, in qua etiam hæc eadem eum infirmitas occupaverat. Languore autem ad vitalia veniente, sexto decimo episcopatus sui anno, sexto Calendas Septembris viam universæ carnis ingressus est: angelicisque, ut vere credendum est, manibus evectus, talentum sibi creditum Domino duplicatum repræsentavit, et ab ipso auctore audire promeruit: " Euge serve bone et fidelis, quia in modico fi- " delis fuisti: super multa te constituam, intra " in gaudium Domini tui. " Cum ergo lotus ac sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus et B feretro impositus ad ecclesiam fuisset deportatus; dissensio exorta est, utrum in ipsa ecclesia, sponsa videlicet sua, an, uti ipse rogaverat, in ea, quæ ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari. Illis vero ita inter se altercantibus, aliis quidem ejus petitionem implere cupientibus, aliis vero tanti pastoris exuviis carere dolentibus; tandem major minorem vicit partem, quæ se sui patris reliquiis exorbitare nollè clamabat. Et decreverunt eum in eodem loco sepeliri.

XXIII. *ac sepelitur*

20 Accedentes autem hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum levare atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur: cumque brachia tenderent ad feretrum, cœperunt toto corpore tremere, ac immenso pavore concuti, ita ut etiam pene humano amisso sensu, amentes efficerentur: tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, ut humanis viribus moveri nequivisset. Tunc omnes, qui aderant, hoc miraculo perterriti, cœperunt dicere, illum sepulchri locum a Deo sibi prædestinatum non fuisse. Tandemque divino correcti judicio, decreverunt, eum, ubi ipse C rogaverat, sepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes cum omni velocitate loculum levaverunt, atque omnis illi pristina gravitudo ita ex toto immutata est, ut pene nil ponderis se portare præsensissent.

non sine miraculis

21 Cum autem januam ejusdem egrederentur ecclesiæ, aliud non minus miraculum divina monstrare dignata est misericordia. Nam illis, ut dictum est, ecclesiæ limen egredientibus, columba, cunctis, cernentibus advolavit, et supra jam sæpe dictum beati Viri, nullo ambigente, consedit feretrum, indeque non recessit, donec transnavigato flumine, ecclesiam sancti Gregorii ingressi fuissent. Quam mox, ut intraverunt, columba, quæ videbatur, disparuit, eamque nullus deinceps videre prævaluit, tantique odoris fragrantia eos illic excepit, ut omnes se quasi renovatos crederent, nullusque se umquam aliquid, quod tanti esset odoris, præsensisse memorarit. Quæ etiam fragrantia tamdiu super sanctum corpus permansit, quousque cum maximo in honore in meridiana parte ejusdem templi sepulturæ tradidissent: quia enim columbinæ fuerat simplicitatis, recte in ejus funere columba apparuit, per quam mentis illius sinceritas vitæque monstraretur innocentia: recte in exequiis pii Pastoris nova odoris fragrantia bonarum refertæ sunt nares ovium, quæ videlicet prius in anima ejus prædicatione semper reficiebantur simul D et oratione.

ea occasione patratis: epitaphium:

22 Utrum autem in ipsa columba sancta ejus anima, sicuti et de aliis Sanctis legitur, quorum animæ sæpius in columbæ specie, cælum visæ sunt penetrare: an quis alius apparuerit spiritus, nobis quidem incognitum; Deo autem, cui omnia nuda et aperta sunt, est cognitum: qui etiam hoc ipso miraculo suum in cælis dignatus est Famulum hominibus monstrare clarificatum. Igitur beati Pontificis anima cælo recepta, carne vero terræ honorifice commendata, tale epitaphium ejus tumbæ aureis subscripserunt characteribus:

Debita pars terræ fallentia tempora sperne,
Et memorare viæ, quam testatur cinis iste.
Gentis honor nostræ jacet hic, genis dolor atque.
Præfuit huic urbi, cuncto sed profuit orbi.
Hancque Deo sedem templi fundavit et ædem.
Parti terrenæ Deus ignoscens miserere.
Redde vicem juste, quia te dilexerat iste.

apparitio ac vaticinium:

23 Post hæc quadam nocte ejusdem monasterii abbas Periggerus nomine, cujus superius mentionem fecimus, oratorium, causa orandi ingressus est: cumque attentius in ipso noctis silentio orationi incumberet, ei beatus apparuit Gebehardus, et hilari vultu ad eum loquutus est: Scias E pro certo, me apud omnipotentem impetrasse Deum, ut nullus fratrum modo in hoc monasterio Christo deservientium a morte lædatur secunda; sed omnes mortem subeuntes temporalem vitam cum Christo possidebunt sempiternam *o*. Hoc o dicto, ab oculis ejus evanuit, nec eum ulterius cernere quivit. Ipse enim Beatus jam de hoc sæculo victoriam nactus, suorum adhuc in mundo laborantium ærumnis non est oblitus; sed ut quidam ait: " Verus amor Christi vera est custodia legis. Et man- " data Dei complet amans homines, " prioris recordatus amoris, sibi famulantibus et adhuc in via laborantibus, apud Deum est auxiliatus, eosque de prosperitate consummandi itineris est consolatus; ut videlicet eo ardentiores viam rectitudinis properarent, quo se ad patriam perventuros minus dubitarent. Quapropter et nos assidue ejus implorare condecet auxilium, ut ejus meritis adjuti de periculis hujus evadamus exilii et patriam mereamur paradisi. F

tempus sedis et mortis.

24 Erat etiam idem venerabilis Heros capite calvus omnino: sermonem autem suum hoc juramento solebat firmare, quasi diceret: Per meum caput non natum: quia videlicet non natus, sed de utero matris excisus, calido arvinæ globo est involutus, propter quod et dicebant, eum latum habere calvitium. Sedit autem in episcopatu annis sedecim: sexto decimo *p* defunctus est, die sexto Calendarum p Septembrium, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo sexto: tertio decimo vero anno *q* Ottonis Augusti ejusdem nominis q tertii, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui una cum Patre, et Spiritu sancto unus est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ezechielis cap. 8, ŷ. 7 et 8 leguntur ista:* Introduxit me ad ostium atrii: et vidi, et ecce foramen unum in pariete. Et dixit ad me: Fili hominis fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. *Deinde agit textus sacer de abominationibus, quas vidit Ezechiel:* et

A et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.

b *Crusius supra citatus de hoc templo scribens pag.* 145, *dicit,* v Calend. Novemb. a Gregorio V, qui CMXCV Papa factus est, consecratum *fuisse. Sed initium Pontificatus ipsius ab aliis auctoribus passim innectitur anno* 996. *Verdensem episcopum fuisse, affirmat Ciaconius in Vitis Romanorum Pontificum tomo* I, *columna* 745 : *ubi de illo plura.*

c *Consuli potest Commentarius prævius* § 2.

d *Ibidem* § 3 *diximus occasione donationis a* S. Gebehardo *factæ, advocati in donationibus ejusmodi Alemannicis facultatem intervenisse. Hoc autem loco Manilius indicat, gravis fuisse momenti electionem advocati. Cangius in Glossario multa collegit de advocatis.*

e *De regionariis agit idem Cangius, et Macri fratres in Hierolexico pag.* 518.

f *An S. Gregorii magni, ut volunt Petershusiensis, an alterius PP. Synonymi? Difficultates in hac re moventur et expenduntur in Commen-*
B *tario* § 3.

g *Urbs est notissima Italiæ in Longobardia,* fere uno milliari a Pado fluvio distans, *ut observat Baudrandus.*

h *Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo* 4, *ad annum* 983, *pag.* 15, De primo, *ait,* ejus loci abbate Beringero, ejusque successoribus a Bucelino recensitis, nihil fere comperti præter nomina habemus.

i *Non erant igitur tunc temporis nisi ascetæ tredecim, teste Manilio. Bucelinus in Menologio Benedictino ad diem* XXVII *Augusti varia memorat, quæ non probamus, nisi melior accedat auctoritas. Sic enim scribit :* Ipse *(sanctus Præsul noster)* aliquamdiu... præfuit *lectioribus monachis ad Petershusianum monasterium accitis,* episcopus simul et abbas lectissimus, hoc tamen muneris eo solum usque in se suscipiens, dum confirmata cœnobii initia, et auctas rationes perspiceret, simul cum redituum incrementis, de augendo servorum Dei numero admodum solicitus, cum (sacris virginibus exceptis, quas separatis bene reclusas ædibus, veterum nostrorum more, iisdem vivere reditibus ordinaverat) primo statim
C tempore monachos octuaginta numeraret : quorum dimidium e fratribus, quos vocamus conversos, constaret.

k *Etiamsi hæc vox proprie significet eum, qui facit carpenta ; postmodum tamen adhibita est pro artificibus omnibus lignariis, ac tignariis (prout etiam hic sumitur) ex Cangii Glossario.*

l In margine exempl. manuscripti. Legendum puto : EXUVIÆ EXINDE NON SUMERENTUR. *Hæc notantur in editione Canisiana ad marginem.*

m *Insigne illud miraculum pluribus narrant Acta Apostolorum cap.* 3.

n *Vide ibidem cap.* 20, *ac diem* 24 *Augusti pag.* 753.

o *Adi Commentarium prævium* § 5.

p *Consule, quæ ibidem* § 4 *de anno emortuali præmissa sunt.*

q *Ottoni II mortuo successit filius ejus Otto III in regno Germaniæ anno* 983 ; *non autem in imperio, quod adeptus est anno* 996 ; *mortuus anno* 1002. *Vide Baronium, Pagium, et compendium chronologicum Labbei. Manilius itaque ponit annos regni, non imperii Ottonis III.*

A Fratre Manilio.

MIRACULA

Apparitiones, ac vaticinia.

Liber II de mirac. Inter alia, quæ biographus præterit, miracula,

Igitur postquam Redemptor humani generis famulum suum Gebhardum de voragine hujus sæculi ad supernam patriam transduxit, referuntur multæ virtutes, quas per eum nobis Dominus ostendere dignatus est, dum sancti ejus anima absolvebatur a vinculis carnis, et rediit ad Dominum ; qui dedit illam et quantam potentiam ejus misericordia cunctis auxilium et gratiam ad ejus tumbam devote precantibus Dominus fecerit ; non est nostræ scientiæ, ut dignum est, vobis intimare quædam tamen ad notitiam posteriorum, prout Dominus donare dignatus fuerit, litteris commendare ; quædam vero silentio prætcrire curamus ; ne tædioso lectori fastidium incutiamus, et tantum studioso satisfacere valeamus. E
Nomina vero eorum a quibus nobis tradita sunt, supprimimus, sicut fecimus, ne ipsa barbaries vocabulorum offendat, et Latinus sermo suum decorem non amittat. Vir itaque angelicæ in carne vitæ, Deo devotione contriti cordis militavit, dum vixit, et penitus se in hac carne crucifixit, ideo et Dominus, quia socius fuit passionum, consortem fecit eum et consolationum, non tantum in supernis sedibus remunerando ; verum etiam in terris coram humanis obtutibus, signis et virtutibus illustrando, sicut in sequentibus luce clarius patebit relationibus.

Cap. I manifestatur ejus gloria in nube.

26 Frater quidam jam sæpe dicti monasterii ad tumbam sancti viri Gebehardi se orationi accommodavit : dumque se attentius Deo precibus commendaret, vidit nebulam totum sepulchri ambitum contegentem, et suavissimum odorem ex ipsa nebula naribus præsensit redolentem : quæ aliquantisper morata, ab oculis cernentis atque stupentis paulatim subtracta est. Qua in re considerandum, quanta claritate quantoque odore sancta ejus anima in superna civitate perfruatur, cujus etiam corporea putredo in terris tanta odoris fragrantia illustrata est. Quia enim de illis fuerat F
quos Esaïas propheta prævidens admiratur dicens : " Qui sunt isti, qui ut nubes volant "? recte ab odorifera nube ejus visitatum est mausoleum, cujus conversatio semper in cælis fuerat, et qui die noctuque suas ad cælum cumodoramentis bonorum operum direxerat orationes, quasi incensum sacrificii vespertini ; et ut per hæc apertius monstraretur, æternæ lucis hunc inhabitare valde gloriosam mansionem.

apparitione, ac dæmoniaco,

27 Sic enim istis etiam temporibus, rudibus fratribus ejus merita ignorantibus, ejusque sanctitati detrahentibus, cuidam eorum in visione apparuit, in lucidissima sedens mansione, sacerdotalibus indutus vestimentis, mitra capiti superposita cum ineffabili claritate excelso sedens in throno ; dicens ad eum : Ecce, frater, oculis approbare poteris tuis, quod conspectui omnipotentis Dei non ita despicabilis assisto ; quomodo quorumdam fratrum tuorum existimationi appareo. In omnibus enim utilitati suorum consulens, ne fortasse sibi detrahendo peccarent, suam, Deo opitulante, dignatus est eis præmonstrare claritatem, ut videlicet scirent, quanto honore dignus, qualive reverentia ab hominibus in terris esset excolendus. Sed quia frater ille, cui visus est,

A. FELICE MANLIO.

est, præ humilitate ipsam visionem pene nulli innotescere voluerat hominum, divina clementia aliud apud sepulchrum illius cunctis astantibus atque cernentibus dæmoniaco homine ostendere dignata est miraculum, sicut postea plenius scriptum invenitur. Ex quo omnes correcti Sanctum Dei digna deinceps cum veneratione excoluerunt, eique se suis in orationibus studiosissime commendaverunt.

II. *nec non cæco illuminato, atque energumenis* a

28 Alio quoque tempore cæcus quidam de pago Turgau *a* advenit, et apud sepulchrum sancti Confessoris ad orationem constitit. Quem Deus secundum quod per Prophetam suum pollicitus est dicens : « Invoca me in die tribulationis, et » eruam te, et honorificabis me »; sua miseratione se invocantem respexit, cumque per merita, sui famuli Gebehardi de tenebris excitatis erutum lumen solis videre donavit. Ille autem admirans quis esset, quis fuerit, orbes oculorum circumducere cœpit, explorare cupiens, ubi esset, vel qualiter circa se actum fuisset. Tandem se soli redditum recognoscens, magno cum clamore Christo ejusque Confessori gratias egit, cunctisque se oculorum officia recepisse ingenti cum gaudio intimavit. At hi, qui eum cæcum advenisse, viderant, videntem tardius credere poterant : sed postquam veritatem experti sunt, maximo cum tripudio misericordi Deo gratias retuleruut, qui in suis Sanctis semper est mirabilis, et quoniam in sæculum misericordia ejus super omnes, qui ex toto corde quærunt illum. Præterea dæmoniaci multi per eum sunt liberati : quorum quidam, dum ad spelæum ducerentur, dixerunt, se ibidem esse exituros *, sed apud sanctum Conradum se ejiciendos esse proclamabant. Cumque illo adducti fuissent, similia fatebantur, et reducendi plerumque in medio fluminis *b* liberabantur, ut per hæc manifeste daretur intelligi, utrorumque interventu eos a calumniatore esse liberatos.

B

III.

* non esse exituros

b

IV. *a maligno spiritu liberatis.*

29 Quidam autem colonus ejusdem loci, paralysi dissolutus, per multa tempora lecto decubabat languidus : qui die quadam solus cum sola conjuge domi remanens, subito arreptus a dæmonio de lecto prosilivit, fustem arripuit, mulierem petiit, fustemque ad percutiendum eam libravit. Ita autem exiliens in mansiunculam aufugit magnisque clamoribus cives advenire fecit. Audientes enim clamorem mulieris accurrerunt, hominemque, quem jam dudum paralyticum noverant, insanissimum repererunt, quem vix maximo cum labore tenuerunt, nec ulla ratione ejus rabiem domare potueruut; donec multorum viribus hominum collectis, sellæ illigatum ad ecclesiam, deportarunt, et tumbæ sancti Confessoris superposuerunt, qui statim secundum illud Apostolicum : « Fidelis Deus, qui non patitur » vos tentari super quam potestis portare; sed » faciet cum tentatione etiam proventum, ut pos» sitis sustinere » meritis beati pontificis Gebehardi liberatus, nec multo post etiam ex hac vita subtractus est.

C

V. *Mulier dæmoniaca* c

30 Muliercula de villa Schwindorf *c* dicta, de infestissimo dæmonio per multorum temporum curricula crudelissime vexata, per plurima Sanctorum loca est deducta, nec mundata. Tandem ab beatum Gebehardum amici ejus illam se perducere velle dixerunt. Hoc audiens dæmon, contristatus est valde et dixit : Et quid prodest, si me ad illum perduxeritis Virum, in quo nil sanctitatis constat haberi? Ego cuim nulla ratione per eum de hoc vase expelli potero. Nam in vita sua simulator atque seductor extitit : et hic talis quomodo in me aliquam exercere poterit virtutem? Hæc et hic pejora illo memorante, inventori falsitatis nequaquam fidem accommodantes, invadunt iter, quod ducit ad locum Petri domum dictum. Quod cum dæmon præsensisset, cœpit perturbari et constristari, et diras voces ad cælum dare, et multo plus solito hominem discerpere atque vexare. Ad locum autem cum pervenissent, magno cum labore ad ecclesiam pertracta est. Statim dæmon per os mulieris Sanctum Dei maledicere cœpit, vociferando sæpius, quam replicando atque dicendo : Væ tibi, male Gebeharde, ut quid me incendis? Tunc ad sepulchrum ducta, ibique miserabiliter ab hoste discerpta est, post paululum reducta est. Item post Missas, Sanctorum allatis reliquiis, multorum hominum viribus, aliis trahentibus, aliis vero compellentibus adducta, magnis clamoribus vociferando, Sanctumque Dei per nomen maledicendo, et, quod se incenderet, importunis vocibus conquerendo, tandemque, quamvis laboriose, tumbæ sancti Confessoris superposita, atque a presbytero exorcismus, cunctis fratribus cum aliis multis astantibus, super eam recitatus est.

D

E *sospitata*

31 Quæ statim a maligno spiritu liberata conticuit, nec ultra vocem clamoris emisit. Antiquo ergo hoste recedente, mulier, cui paulo ante pene nemo appropinquare ausus fuit, jam quasi exanimis jacuit, nec ullum corporis membrum movere quivit. Tandem resumptis viribus surrexit, discoopertumque pectus velavit, et lachrimabiliter Deum ac Salvatorem, ejusque confessorem Gebehardum quantis potuit verbis magnificavit. Quanta illic gaudia lachrimarum plena, qui memorare, quisve effari poterit? Ibi enim resonabant voces diversæ, monachorum, populorum, diversi sexus et ætatis, cum sono campanarum, omnes hymnum Deo concrepantes, qui per suum Servum facturam manuum suarum de manu superbi calumniatoris eripuit, et vas sacro fonte baptismatis ablutum, ab immundissimo autem invasore coinquinatum, emundavit, ad laudem et gloriam nominis sui sancti, et confessoris atque pontificis sui Gebehardi. Deinde vero cum vexillo sanctæ crucis, et populorum favore transmissa venit Constantiam, ut mater ecclesia mortuæ filiæ a resuscitatæ congauderet, congaudensque spirituale convivium præpararet, ad quod amicos atque vicinos convocaret, dicens eis : « Congratulamini mihi, quia inveni » ovem meam, quæ perierat, et iterum; Epu» lari et gaudere oportet, quia hæc filia mea » mortua fuerat, et revixit, perierat, et inven» ta est ».

F

tentatur

32 Nocte autem subsecuta malignus iterum advenit habitator, et mulierem jam pridie dimissam suscitavit, ejusque auribus talia infudit venena dicens : O dilectum vas, quare tam nequiter contra me fecisti, quod me tui antiquum inhabitatorem respuisti, et fidelitatem mecum jam dudum conservatam abnegasti propter seductorem illum Gebehardum, qui me expulit a te? Nam hunc ipsum scias tibi nullo modo profuturum fore. Sed redi quæso, redi ad me, non enim dignum est ut alterum pro me tuum in vas recipias, sed rogo mihi non deneges jam tamdiu multum amabilem mei tecum cohabitationem. His et hujuscemodi sermonibus antiquo serpente auribus mulieris insibilante, illa religiosas fæminas, inter quas illa nocte manebat, excitavit, eisque, quas pateretur ab adversario, molestias aperuit, et,

A et, ut Domino pro se supplicarent, postulavit. Quo facto, et die crastino imagine Crucifixi et Evangelio, quod beatus Joannes de verbo, quod in principio erat apud Deum, conscripserat, donata atque consignata, omnis illa infestatio immundi spiritus ita ex toto discessit, ut ulterius numquam eam molestaverit: sed sanissima cum omni gaudio ad propria commeavit, laudans et glorificans eum, qui fecit misericordiam cum illa, cujus gloriosum nomen erit benedictum ex hoc nunc et usque in sæculum. Amen.

VI. *Apparitio sancti et vaticinium, nec non pœna cuidam inflicta:*

33 In eodem monasterio erat quidam monachus psalmodiæ nimium deditus, cui per somnum visum est, quasi coram tumba sanctissimi confessoris episcopi Gebehardi constitisset: cui sic stanti sanctus Pontifex, quasi de tumulo progrediens apparuit, et salutationis verba ad eum protulit, eique pavitanti sic ait: Noli timere, frater. Ego enim sum Gebehardus ille, qui hanc ædem Christo, ejusque confessori Gregorio fabricavi: vade ergo et dic fratribus meis, ut bono animo sint, et voluntarie Christo sanctoque Papæ Gregorio in hoc meo monasterio deservi- B ant. Atque his addidit: Sciatis pro certo, quod omnes *, quicumque in hoc monasterio voluntarie cum bono proposito deserviens inventus fuerit, in omni tentatione atque tribulatione me sanctumque Gregorium fortes auxiliatores apud Deum habebit, et in extremo judicii examine ante thronum justi Judicis æterna vita coronandum ipsum perducturi sumus. His dictis ab oculis cernentis elapsus est. Neque hoc prætereundum puto, quod quidam e custodibus ejusdem ecclesiæ, dum lumen lucernæ ad sepulchrum ejus ardens, ante lucem diei extinguere solitus esset, quadam nocte ei sanctus in somno apparuit Gebehardus, eique digito oculum tetigit. Quem statim morbus invasit, et in brevi luscum reddidit: et merito, ut qui Sanctum Dei, æterna luce in cælis clarificatum, in terris materiali lumine ex parte privavit, ipse quoque lumine, quo semitam regeret ex parte privaretur.

* omnes

VII.

VIII *crura et brachia*

34 Alius etiam in eodem jam sæpe dicto cœnobio juvenis fuit, cujus brachia, tibiasque tumor et scabies valde gravis invaserat, nec ullis medicaminibus illi subveniri poterat. Cumque C jam de humano desperaret auxilio, ad illius se contulit præsidium, qui dixit: " Ego occidam, " et vivere faciam, percutiam et ego sanabo ": sed quia semet nequaquam idoneum conspexit ad ejus adjutorium implorandum, fidejussorem quæsivit, per cujus auxilium etiam, quod voluerat, impetravit. Nam cum ad Missas, quæ apud sepulchrum sanctissimi pontificis celebrantur Gebehardi, subdiaconi sæpius fungeretur officio, devoti cordis supplicatione flagitabat, ut, quoniam humano sibi non potuisset subveniri medicamento, divino per intercessionem ipsius Sancti sanaretur juvamento: ad hæc se in eadem congregatione, si sibi sanitas concederetur, voluntarie usque ad finem vitæ suæ permansurum, Deo et Sanctis ejus devotissime spopondit.

sanantur.

35 Quadam vero die post gemitus et suspiria orationum, caput super tumulum fessus reclinavit. Cumque surripiente somno obdormisset, vidit beatum Gebehardum quasi de crypta, quæ juxta est, pontificalibus amictum ornamentis procedentem, et ferula, quam manu gestabat, se tangentem, sibique audivit dicentem: Sanus sis in brachiis et tibiis. Hæc dixit et exparuit, et videns evigilavit, et illa hora levius habere se sensit, juxta illud, quod Psalmista de Domino loquitur dicens: " Voluntatem timentium se faciet, " et deprecationem eorum exaudiet, et salvos " faciet eos ". Ergo ex illa hora, sicut ipse postea referebat, brachia, cruraque ipsius sanitate temperari cœperunt, donec in brevi adinstar pueri nuper nati omne corpus ejus integerrimæ sanitati restitueretur.

A. Felice Mansilio.

IX. *puer paralyticus*

36 Quia vero regis secretum bonum scimus esse celatum, Dei autem mirabilia, quæ sunt nimis inenarrabilia, optimum esse palam narrare, Christicolisque studiosius prædicare; nos quoque nequaquam silebimus, quod divina pietas nuper apud sepulchrum jam sæpe dieti Confessoris Christi operari dignata est. In Constantia namque civitate erat muliercula divitiis valde paupercula, sed fide Christi, ut post patuit, plena, habens parvulum filium ab ineunte ætate paralyticum. Hic namque numquam erectus sederat, numquam pedibus ambulaverat; sed semper æger lateri incubabat, et jam fere per quinquennium matrem sic debilis vexabat: quem mater ipsa miserabilis secum detulit in ulnis, cum plebs undique conflueret, ut festivitatem concelebraret beati Papæ Gregorii in loco piissimi præsulis Gebehardi.

E *pristinæ valetudini restituitur.*

37 Ergo jam dicta matercula flebilis venit ad tumbam beati Antistitis, parvulum juxta antrum Sancti projecit, et ipsa secus illum orans constitit. Cum subito se puerulus erexit et per semetipsum tunc primum assedit: quod cernens muliercula, lætabunda nimis est facta de sibi præstita Omnipotentis gratia, festinaque accurrit, filium in brachia sustulit, ad altare sancti Gregorii ipsum deportavit, et lætissimis vocibus Domini misericordiam collaudavit, et sic ad propria gaudens repedavit. Ex hoc cœpit puer in dies viribus confortari, et post paucos dies, a matre duos baculos postulare: quos cum accepisset, se super hos utraque manu sustentavit, et aliquantis diebus huc atque illuc per semetipsum in laribus deambulavit. Post hæc, calceamenta sibi comparari, et ad medicum iterum se reduci cœpit postulare. Mater vero libens nuntia peregit, quæ parvulus ejus postulans exegit. Porro calceamentis datis mulier filium tulit ad Sanctum, perrexit, et coram lecto se in oratione prostravit. Tunc post paululum puer baculos projecit, et per se- F metipsum firmis gressibus domum lætus cum matre remeavit.

Auctoris ad Sanctum apostrophe.

38 Ecce, Pater, ut potui, tua jussa libens peregi, nec manibus conscripsi, nisi quod auribus audivi a viris veracissimis, probatis etiam senioribus, nec me culpare potest lector, quod mea conscientia veritatum sim in aliquo transgressor: si quid tamen mea imperitia culpatur, tua Pater, authoritate defendatur, erroremque benigne corrigat, si quis lector eum in hoc deprehendat. Ad extremum vero pie supplicamus Christo, ut, intercedente beato Gebehardo, veniam delictis tribuat, cælesteque regnum nos intrare faciat: ubi ipse cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Per* pagum Turgau *videtur auctor designare tractum Turgoviensem in Helvetia versus lacum Constantiensem ad ortum; de quo plura Baudrandus ad nomen* Turgea. *Et vero pagum pro territorio, agro ac comitatu accipi, sicut a Gallis dicitur* pays, *observat Cangius in Glossario ad vocem* pagus.

b In

A. Felici Manlio.

b In medio fluminis, *Rheni videlicet, qui monasterium Petershusianum dividit ab urbe Constantiensi, in qua S. Conradi corpus quiescebat. Uterque autem locus ponte jungitur. Crusius, de quo supra, pag.* 144 *scribit,* Petershusam, monasterium trans pontem civitatis Constantiæ ædificatum esse ab episcopo Gebhardo; sed, *uti subdit,* pontem antea cir. CMXXXVI a comite Elberhardo Rhordorffensi.

c *Locum hunc quæsivi, sed non inveni.*

MIRACULA

RECENTIA

Ex impressione Germanica Latine reddita.

Notitiæ de sequenti instrumento.

Compendio Vitæ, anno 1730 *Brigantii excuso, ut diximus in Commentario prævio, annectitur* breve Compendium peculiarium quorumdam B miraculorum, et notatu dignæ opis, quam illi, qui veram habuerunt fiduciam, per patrocinium sancti Constantiensis episcopi Gebhardi, in Pfannenberg prope Brigantium, ubi hic magnus Sanctus illustribus parentibus comitibus natus est, vel potius ex utero materno exsectus, et educatus: qui nunc vero magno populi concursu inter quotidiana Missarum sacrificia, aliaque divina Officia ibidem colitur, recenter experti sunt, et etiamnum experiuntur. Quæ miracula a commissariis episcopalibus, specialiter ad hoc statutis, sub jurejurando examinata, et approbata, et descripta sunt juxta tenorem hic typis expressi episcopalis decreti commissionis, *quod mox dabitur. Utriusque vero Compendii prædicti libellum Germanicum huc misit R. P. Mauritius Chardon e Societate Jesu, reverendissimi ac celsissimi principis et episcopi Constantiensis et Augustani, piæ memoriæ, infra laudandi, quondam a sacris confessionibus, ac præstitis humanissime Operi nostro aliis officiis bene de nobis meritus:* C *interpretationem vero Latinam procuravit P. Alexander de Cock, ejusdem Societatis Jesu in provincia nostra Flandrobelgica sacerdos. Miraculis, seu cælestibus favoribus, Sancto patrocinante obtentis, præmittuntur Latine decretum sequens celsissimi episcopi laudati, et approbatio Ordinarii, in hæc verba:*

Profertur decretum commissionis

2 Commissionis decretum celsissimi, et reverendissimi in Christo patris, ac domini, domini Joannis Francisci, Dei, et Apostolicæ Sedis gratia episcopi Constan., S. R. I. principis, domini Augiæ Majoris, et Oeningæ etc., nec non coadjutoris diœces. August. etc. etc. vicarius in pontificalibus, et spiritualibus generalis etc. Dilecto nobis in Christo R. D. Laurentio Hofflin, ex-decano et beneficiato in Bregenz, salutem in Domino, et in commissis diligentiam adhibere fidelem. Cum nobis a Fratre Gebhardo eremita ad capellam S. Gebhardi in monte Pfannenberg prope Brigantium humiliter fuerit expositum, quod plures variis languoribus, et morbis periculosissimis imo et incurabilibus vexati, per intercessionem S. Gebhardi episcopi, cujus patrocinium humilibus precibus imploraverint, miraculoso Dei auxilio receperint sanitatem etc. Nos Dei, et Sanctorum cultui propagando intenti, nolentes tamen, ut ficta quædam miracula ad D hæreticorum ludibrium spargantur in populum, tibi per præsentes committimus et mandamus, ut illos, qui se ita miraculose a suis morbis liberatos asserunt, præstito juramento, si per ætatem eorumdem liceat, audias, et diligenter examines. 1°. De ipso statu morbi. 2°. De adhibitis medicinis, et earumdem effectu. 3°. Quo impulsu ad intercessionem S. Gebhardi episcopi invocandam se contulerunt. 4°. An nullis mediis naturalibus ulterius adhibitis receperint sanitatem. 5°. Quomodo fuerint restituti, an per intervalla temporis, an in uno statim momento: pluraque alia ex ipsis facti circumstantiis eruenda interrogatoria superaddes.

3 Supra eodem facto testes ad minimum duos juramento præstito audias, et sedulo examines, quid ipsis de statu morbi, de adhibitis medicinis, et recepta sanitate constet, et an asserto miraculo fuerint præsentes: an non via naturali potuerit recipi sanitas, et ita naturaliter receptam esse judicari; aliaque omnia solerter discuties, quæ ad rei veritatem eruendam tibi videbuntur proficere. Examen partium et testium, ita, ut præmittitur, E rite peractum in scripta redigas, et ad nos semittas, supra quibus omnibus tuam conscientiam oneramus. In quorum fidem istas subscripsimus, sigillo officii nostri vicariatus communitas. Datum Constantiæ die XXIV mens. Martii MDCCXXVII. Indict. V. Franc. Joann. Ant. ep. Ulthin. suffrag. et V. Glis. (L. S.)

super hisce miraculis:

4 *Post hoc decretum sequitur* approbatio Ordinarii *his verbis expressa:* Hæc miracula secundum tenorem datæ commissionis rite examinata et probata ad majorem divini nominis gloriam, et cultum S. Gebhardi episc. adaugendum, typis tuto evulganda censeo. Constantiæ XXX Junii MDCCXXX. Fran. Ant. Rettich. Th. Dr. Conf. eccles., et librorum censor ordinarius. *Hisce duobus instrumentis subditur narratio miraculorum, quam ex Germanico in Latinum conversam exhibeo; sed a me distributam in partes quatuor, ac totidem titulos, additis etiam Annotatis.*

approbatio Ordinarii.

PARS PRIMA.

F

Sanctus in male affectis pedibus, naufragii periculis, ac febri vehementi sospitator.

Usus pedum

Anno MDCCXXVIII, XXI Julii comparet coram commissaria episcopali magister Franciscus Fischer victor, et civis Brigantinus, præstitoque jurejurando, se rem non aliter, quam re vera contigerit, narraturum, affirmat, propriam suam filiolam, Helenam nomine, ante tres annos, quamvis jam tum quatuor esset annorum, usque ad illud tempus numquam pedibus insistere potuisse; sed, quotiescumque illam in pedes erigere tentassent, semper eam incepisse tremere, et miserandum in modum lacrymari: ita ut ipse, et mater merito timerent, ne filiola toto vitæ suæ tempore pedum usu privata maneret. Cumque diu, multumque inter se deliberassent, quid agendum, quæ remedia huic malo adhibenda essent, statuerunt cum omni fiducia post Deum, ad sanctum Gebhardum, regionis illius patronum, confugere, eodemque adhuc die, nullo alio adhibito remedio, puellam suam tradiderunt Ursulæ

A læ Badstuberin ancillæ suæ, et Waldburgæ Muxlin vicinæ, mandantes, ut eam ferrent ad sacellum S. Gebhardo dicatum in Pfannenberg *a*, ibidemque preces funderent.

puellæ datus,

6 Inveniebant autem clausum sacellum, et absentem, qui sacelli curam gerebat, eremicolam: quare puerum apertæ juxta sacelli ostium fenestellæ imponebant, protensis per cancellos pedibus, et psalterio cum litaniis *b* de S. Gebhardo pie recitato, puerum secum domum retulerunt, et in medio cubiculi in pedes erectum statuerunt. Qui nullo adminiculo adjutus, erectus constitit, et mox subridens ad patrem accurrit, mirantibus, et gaudio repletis parentibus, ceterisque omnibus, qui aderant. Ex illo etiam tempore puellula ista semper sine ullo incommodo incedere, et currere potuit, ut alii. Solatio pleni parentes mox in gratiarum actionem tanti beneficii, peregrinationem instituerunt ad S. Gebhardum, in ejus sacello anathema obtulerunt, et duo Sacra legi curarunt. Hæc omnia ita, ut narrata sunt, contigisse, juramento testatæ sunt prædictæ Ursula Badstuberin, et Waldburga Muxlin, quæ puellam B istam, ut superius dictum est, ad Sancti sacellum, et inde rursus domum portarunt, hæcque omnia propriis viderunt oculis.

ac puero.

7 Huic non absimile est, quod sub eodem dato jurejurando affirmavit dominus Carolus Andreas Mattburger, mercaturæ institor, uti etiam Michaël Berchmann civis, et offector Brigantii, nempe quomodo probi conjuges Jacob Nagel civis, et cæmentarius Brigantii, et Anna Maria Dissortin, ambo nunc defuncti, filiolum habuerint, Benedictum nomine, qui usque ad quintum ætatis suæ annum numquam pedibus insistere potuit, sed qui crura semper in modum crucis cancellata tenebat plane enervia, ita ut humi sedens, huc atque illuc manibus reptare deberet. Quod triste erat visu. Anxii illi, et de sanitate filioli sui soliciti parentes, neglectis aliis omnibus remediis, miserum suum puerum deferri jusserunt in Pfannenberg ad sacellum S. Gebhardi, et ex voto illuc peregrinationem institui, et sacrificium Missæ ibidem offerri curarunt. Vix dies aliquot effluxerant, quin puer visus sit sanus, et incolumis cum aliis per plateas circumcursare, admirantibus pluribus, qui id videbant. In gratiarum C actionem hi nunc in Domino mortui parentes ante obitum suum tabulam votivam depingi, et in S. Gebhardi sacello appendi jusserunt: quæ hodiedum adhuc ibi visitur.

uti et nautæ restitutus gressus,

8 Joannes Georgius Brun nauta in Hard territorii et dominii Brigantini, pedibus et cruribus usque ad superiorem corporis partem per tres septimanas captus jacuerat, ita ut nec pedibus insistere, nec incedere posset, sed manibus per terram repere cogeretur. Præterea acutissimis cruciabatur doloribus. Is Chirurgum quidem accersierat, sed qui malo exterius non apparenti nullum remedium noverat applicare; adeoque nullo medio usus fuerat, præterquam quod æger membra sua vino adusto unxisset; ex quo tamen nihil quidquam emolumenti percipiebat. Post dies aliquot ægrum illum forte invisebat frater Gebhardus eremita *c* ad divi Gebhardi in Psannenberg, qui, cum morbum ipsius intellexisset, ægro suadebat, ut certa cum fiducia ad S. episcopum Gebhardum confugeret: cujus consilio ut obsequeretur prædictus Brun, voti religione interposita, promittebat, se uxorem suam cum duobus liberis novem diebus consequentibus missurum ad S. Gebhardum in Pfannenberg, ut sic nonici piam peregrinationem instituerunt, imperabatque, ut in sacro ibidem sacello duo Sacra dicerentur.

EX IMPRESSIS.

S. Gebhardo

9 Cum jam quintam peregrinationem, ut dictum, uxor ejus, et liberi instituissent, antequam domum reversi essent, æger subito sentiebat, vires suos aliquantulum restitui, tentabatque, num pedibus insistere posset: quod tam feliciter succedebat, ut uxori, et liberis adventantibus magno cum gaudio obviam procedens domus januam reserare posset: eoque ex tempore vires ejus ita augebantur, ut nono die ipsemet sanus, et incolumis cum uxore et liberis nonam peregrinationem instituere posset in Pfannenberg, locum una leuca inde dissitum; nec posthac vel minimum quidem dolorem senserit.

invocato, ac etiam propitio in periculis naufragii.

10 Hæc omnia prædictus Joannes Georgius Brun sub juramento testatus est, et confirmavit die XXII Aprilis MDCCXXVIII. Id pariter cum omnibus circumstantiis jurejurando testantur probus Joannes Greyszing ex Hard, Joannes Brun, et E admodum reverendus et clarissimus dominus Joannes Petrus Reich SS. theol. doctor, et zelosissimus parochus ibidem scriptotenus. Præterea adjungit sæpius nominatus Joannes Georgius Brun, se aliquoties in Lacu Bodamico in apertissimum naufragii periculum incidisse; sed singulis vicibus se ad patronum suum S. Gebhardum confugisse cum voto unius Sacri in sacello ipsius in Pfannenberg dicendi, sicque feliciter semper periculo ereptum esse.

Febri vehemente

11 Eodem tempore, nempe XXII Aprilis MDCCXXVIII magister Martinus Steur, civis et sutor Brigantii, dominis commissariis sub juramento narravit, quomodo ipse quadragesima proxime elapsa non minus vehementi, quam dolorifera febri correptus fuerit, et posteaquam eadem quatuordecim diebus laborasset, quomodo juvenis quidam, qui in sacello S. Gebhardi in Pfannenberg ferme quotidie sacerdoti saeris operanti ministrare solebat, casu ad ipsum venerit, ut calcei ipsius reficerentur: qui ipsum, sutorem nempe, ægrotare videns, narravit fratrem Gebhardum eremitam habitantem in Pfannenberg habere parvos quosdam panes in honorem S. Gebhardi benedictos, quos populo distribuebat, quibusque plurimi usi, opem in necessitatibus suis F experti sunt.

laborans sanatur.

12 Hoc audiens, mox juvenem remittebat ad eremitam, rogans, ut aliquot e panibus illis ad se mitteret: quos etiam accepit eodem vespere, sumptoque ex illis uno cum fiducia, promisit, se in S. Gebhardi honorem peregrinationem instituturum ad sacellum ipsius, curaturumque, ut ibidem diceretur Sacrum. Post hæc in somnum incidit usque ad secundam nocturnam, quo tempore, juxta ipsius calculum, eum febris invasura erat; eum votum suum S. Gebhardo factum cum fiducia renovavit, et rursus indormiit: nulloque alio remedio usus numquam exinde febrim sensit. Hæc omnia jurejurando testati etiam sunt Barbara Brustlin uxor ipsius, et Michaël Steur famulus viginti duorum annorum adolescens.

ANNOTATA.

a *Locus est prope Brigantium, ut mox dicebatur num.* I. *De Brigantio autem actum est supra in Commentario prævio num.* 5.

b *Litanias de* S. Gebhardo, *et alias quasdam preces continet hic libellus Germanicus, vitæ compendium*

EX IMPRESSIS *pendium ac miraculorum ejusdem Sancti describens.*

c *Dedicationi modo dicti libelli subscribitur* Gebhardus eremita : *ad finem autem horum miraculorum dicitur* Ordinis S. Francisci. *De illo etiam actum est supra in commissione episcopali num.* 2.

PARS SECUNDA.

Periculosa in somno ambulatio, hernia, hemiplexia, tubera, cruciatus in partu curantur.

In somno periculose ambulans Magister Martinus Kientz sutor in Schwartzach parochiæ Wohlfurth testatur, filium suum Joannem Conradum Kientz sedecim annorum ab aliquot annis vix non singulis noctibus in somno e strato surgere solitum, et huc illuc extra cubiculum ambulasse, non sine manifesto casus, vel alterius infortunii periculo. Præterea miserandum in modum vociferari solebat in somno, putans, se aquis submergi, vel a latronibus trucidari, vel aliud quidpiam terribile, dum dormiret, sibi repræsentans. Unde parentes multum anxii sæpius preces pro ipso fundebant, filiumque hac de re admonebant : sed frustra.

patrocinio Sancti sospitatur, 14 Donec intelligentes, plurimos homines per intercessionem S. Gebhardi in Pfannenberg Brigantii in variis casibus, et necessitatibus juvari, se etiam illuc peregrinaturos promiserunt : quod mater cum quatuor liberis suis etiam statim fecit. Cumque in S. Gebhardi sacello Sacris aliquot pie interfuisseut, et præmissa sacramentali peccatorum confessione communicassent, summa cum fiducia, et fervore Sanctum invocarunt, tam prospero successu, ut prædictus ipsius filius ex illo tempore numquam amplius in somno surrexerit, illoque tam periculoso malo usque in hunc diem plane liberatus sit. Id prædictus pater cum uxore Agatha Wurthin, præstito coram Dominis commissariis juramento, die XIII Maii MDCCXXVIII testatus est.

nec non puer 15 Dominus Franciscus Josephus Kayser consiliarius, et mercator Brigantii, et uxor ipsius Maria Clara Mattin sub fide jurisjurandi narrarunt anno MDCCXXVIII, XXVIII Julii, quomodo filiolus ipsorum Josephus Andreas nunc septem annorum, primo, quo mundo natus erat, anno periculosa hernia laboraverit, ita ut non solum parentes ipsius multum angerentur, et timerent vitæ pueri, sed etiam omnes, qui puerulum viderant, commiseratione tangerentur. Cum jam parentes in sectionem, ultimum et periculosum huic malo remedium, consentire nolentes, fasciam sibi comparare vellent, qua ruptum pueruli corpusculum ligarent; ecce, matri filio suo compatienti in mentem venit, melius fore, si infantulum suum hoc dolorifero medio non torqueret, sed si cum firma fiducia confugeret ad sanctum episcopum Gebhardum, de cujus ope necessitate aliqua oppressis sæpius præstita, et prodigiis jam antea multum inaudierat.

hernia laborans. 16 Placebat etiam domino parenti hoc consilium. Ambo igitur, facto voto, promittebant peregrinationem ad sacrum sacellum divi Gebhardi in Pfannenberg, et Sacrum ibidem dicendum, uti et tabulam votivam, et donum illic offerendum : quæ omnia sine ulteriori mora executioni mandarunt quam devotissime, simulque puerulum per ancillam suam eo deferri jusserunt, tam optato successu, ut ex illo die hernia omnino evanuerit, et dilectus puerulus numquam amplius fascia indiguerit, licet nec antea, nec postea ullam aliam medicinam huic malo adhibuissent. Prænobilis, et strenua domina Maria Helena de Aach, nata Prechtin de Hochenwarth testatur, se prædicti pueri herniam vidisse.

Vir nobilis 17 A sancto patrono nostro Gebhardo miraculose acceptam opem agnoscit etiam, et primo confitetur scripto, manu et sigillo proprio subnotato, et postea etiam coram dominis commissariis oretenus, fide illustris suæ personæ interposita, prænobilis, ac strenuus dominus Joannes Antonius Yelin ex Crouhalden, Romanæ cæsareæ ac regiæ majestatis capitaneus, habitans Brigantii, dicens, se die XXV Martii anno MDCCXX periculosissima hemiplexia ita correptum fuisse, ut dexterum latus prorsus esset enerve, nec cochlear manu tenere posset, imo per octo etiam dies verbum nullum proferre. In tam miserabili statu nulla medicina usus est præter pillulas aliquas, a medico ipsi præscriptas, quas semel tantum sumpsit, sed sine effectu.

in periculosissima hemiplexia 18 Postea cum illo præsertim tempore multus in populo esset sermo de pia peregrinatione ad sanctum Gebhardum, quam plurimi non sine præsenti in necessitatibus suis auxilio instituebant, spem firmam in sancti hujus Patroni ope collocans, promisit primo, si pristinæ restitueretur sanitati, se jussurum confici tabulam votivam in sacello in honorem ipsius consecrato appendendam : secundo, nonies se eo peregrinaturum : tertio, toto vitæ suæ tempore se hujus Sancti festum, incidens in vigesimam septimam Augusti, peculiari cultu et devotione celebraturum.

Sancti opem expertus : 19 Hoc voto emisso, eodem adhuc die enerve antea brachium non solum movere, sed omnino in altum tollere potuit, et sensim ita imminutum est malum, ut intra quinque dies loquelam una cum deperdita antea memoria receperit, ac paulatim iterum incedere disceret. Primum quatuordecim diebus post hæc elapsis, cum jam satis bene pedum usum recuperasset, aliquorum consilio usus est liquore ex cerasis nigris, ut eo membra lavando confortaretur. Supra dicta omnia asseruit uxor ipsius Maria Magdalena Yelinin, et sub juramento testata est Anna Maria Haiteringin ancilla ipsius XXVI Augusti MDCCXXVIII.

duo alii 20 Duobus filiis Annæ Sohmin parochiæ, Hard dictæ Joanni, et Josepho Hermann primis suis annis ad collum tuber excrevit, quod indies ita augebatur, ut trium annorum spatio duorum pugnorum magnitudinem adæquaret. Tam matri, quam filiis idcirco mire anxiis nullum huic malo remedium incidebat. Cum tamen eo tempore plurimi necessitate aliqua pressi ad S. Gebhardum confugerent, opem ejus implorantes, mater ipsorum pariter spem suam collocavit in hujus Sancti patrocinio anno MDCCXXII, cum filius natu major quatuordecim, alter undecim esset annorum, et simul cum filiis profecta est ad S. Gebhardi sacellum in Pfannenberg; tribus ibi interfuit sacris, et cum prædictis filiis ter psalterium B. Mariæ virginis cum litaniis de S. Gebhardo per viam recitavit.

magno ad collum tubere liberati, 21 Cum domum reversi essent, ex utriusque antea tam magno tubere nihil quidquam amplius apparebat, nec per sex annos usque modo quidquam apparuit, nullo huic malo adhibito remedio. Quæ omnia ipsa mater juramento confirmavit

A vit III Septembris anni MDCCXXVIII, uti et prædictus filius ejus natu major Joannes, qui III Decembris etiam sub juramento hac de re interrogatus fuit, addens, quomodo postridie peractæ peregrinationis populus admiratione plenus sciscitatus fuerit, quis ipsos sanasset. Anna Moklin ibidem a Parocho suo domino Joanne Petro Reich SS. theol. doctore interrogata, testatur, verum esse, quod superius nominati duo filii magnum habuerint tuber ad collum, et se illud vidisse: 2° verum esse, eos illo liberatos esse, ut patet ad oculum: 3° totam communitatem sibi firmiter persuasum habere, et credere, illos patrocinio, et ope S. Gebhardi sanatos esse.

ac mulier partus cruciatibus. 22 Hæc eadem Anna Sohmin superius nominato die sub juramento testata est, se ante sex annos per quinque omnino dies summis partus doloribus cruciatam fuisse; cum pueros suos, duos nempe filios, et filiolam unam ad S. Gebhardi iu Pfannenberg misit, quibus dedit sex batzios *a*, ut ibidem Sacrum diceretur, et tres candelulæ accenderentur, admonens, illos, ut ferventer orarent cum firma in sancto Patrono fiducia: et ecce, eo tempore, quo B hæc peragerentur, antequam pueri e sacello domum reversi essent, feliciter enixa est filiolum. Ob quod beneficium se numquam toto vitæ suæ tempore satis [esse] posse gratam, dicebat. Quæ omnia Anna Mockin obstetrix, quæ, dum hæc fierent, præsens fuit, coram domino parocho suo Joanne Petro Reich SS. theol. doctore etiam testata est.

ANNOTATIO.

a Monetæ genus, simul 2 solidos nostrates, salvo justo, conficiens, vel aliquid ultra, *secundum ea, quæ ad marginem hujus Latinæ interpretationis notantur.*

PARS TERTIA.

Distortus, hydropicus, mulieres in partu liberantur.

C

*Sanatur puer distortus: *f Titiæ* Quam stupendum, et tripliciter miraculosum beneficium (Tit. *) dominæ conjugi, et filiolo perillustris domini liberi barouis Ludovici Ignatii Vou Bodmann etc. etc., sereniss. principis San-Gallensis consiliarii, et territorii Neo-Raveuspurgici supremi præfecti, per intercessionem S. Gebhardi collatum sit, patet ex subjuncto hic attestato, propria ipsius manu, et sigillo munito: cujus tenorem prædictus perillustris dominus etiam oretentis coram domino commissario sub fide perillustris viri *a* confirmavit. Prtæterea a D. commissario interrogatus, an medicinam aliquam huic malo adhibuissent, respondit, filiolo suo antea medicamenta quæpiam applicata esse, sed sine ullo effectu: (Tit. vero) dominam conjugem suam in necessitatibus suis, iu attestato expressis, nullo alio remedio usam esse præter magnam in S. Gebhardo fiduciam; adjungens, primum suum infantem, cum hora partus instaret, in utero materna membris in transversum complicatis fuisse, sicque iu lucem editum esse, et verum fuisse miraculum, quod tam feliciter partum suum enixa sit uxor. Præterea filiolum suum Autonium etiamnum sanum esse, et incolumem, constantemque sanitatem suam ipso vultu, totiusque corporis sui constitutione præ se ferre: sanctum episcopum Gebhardum puero adfuisse, ipsiusque ægra membra oblinisse, ac sanitati restituisse. EX IMPRESSIS.

item hydropicus 24 Ego Joannes Ludovicus Ignatius liber Baro de Bodmauu, dominus in Möcklingen, et Liggeringen etc., principis San-Gallensis consiliarius, supremus præfectus dominii Neo-Ravenspurgici, hisce attestor, et publice confiteor vi hujus attestati, quod filiolus meus natu maximus Joannes Leodegarius Antonius septimo ætatis suæ anno legens vitam S. Gebhardi, peculiari zelo, ac devotione erga magnum illum Sanctum fuerit accensus, et in ea constanti cum fiducia perseveraverit. Paucis post septimanis, et quidem anno MDCCXXIV, die XV Junii in circa accidit, ut filiolus hic periculoso hydrope laboraret, ita ut totum corpus intumuisset, et tumor indies cresceret; nec non medicus, et chirurgus ægrum invisentes de recuperanda sanitate desperarent, ac tristes, consternatique domum se reciperent.

a S. Gebhardo sibi apparente: 25 Postero autem, die, cum medicus, et chirurgus cum utroque parente lacrymante ægrum accederent, Noli, o mater, aiebat æger decumbens puerulus, noli flere propter me, non moriar. E Hac nocte vidi S. Gebhardum in habitu episcopali, manu tenentem pedum et librum, cui impositum erat cranium: in corpus meum oblinivit: simulque ægrotus enixe rogavit pareutes, ut et ipsi S. Gebhardum patronum sibi eligerent, ac pollicereutur, tabulam votivam se oblaturos, et peregrinaturos in Pfannenberg. Quod et factum est. Cumque medicus, et chirurgus ægri malum inspicere vellent, compererunt, tuber media parte imminutum esse, ita ut brevi tempore totum evanuerit, atque æger pristinæ restitutus fuerit sanitati. Oblata deinde tabula votiva et in debitam gratiarum actionem SS. Trinitati, immaculatæ Virgiui Mariæ cælorum reginæ, et in honorem S. Gebhardi instituta peregrinatio. Instabat denuo filiolus, et enixe obsecrabat matrem, ut et ipsa divum Gebhardum patronum sibi eligeret: quod se facturam promisit.

mulier in diverso partu 26 Cumque paucis post septimanis uxor mea partui esset propinqua, et gravissimis partus doloribus quadraginta et aliquot horis conflictaretur, ac S. Gebhardi patrocinio plena cum fiducia se commendaret, recens in lucem editus puerulus manifesta vitæ dedit signa, et sacro baptismatis fonte F ablutus est. Anno proxime sequente, dum rursus conjugi meæ pariendi tempus iustaret, invocato S. Gebhardo, donoque in ipsius honorem promisso, eadem præter omnium spem feliciter enixa est filiolum, cui, sacrosanctum baptismi Sacramentum recipienti, in perpetuam collati beneficii memoriam, et gratiarum actionem Gebhardi nomen impositum est.

ab eodem adjuta: 27 Post partum vero gravissimis juxta ac periculosissimis angebatur doloribus ultra viginti horas durantibus, ita ut omnes de vita ipsius desperarent. Cum vero filiolus ejus natu maximus una cum matre fiduciam omnem in præpotenti divi Gebhardi patrocinio collocasset, invocata ejus ope, mater doloribus illis liberata, una cum puerulo recens nato periculum omne evasit. In quarum rerum fidem ad majorem SS. Trinitatis, et semper immaculatæ cælorum reginæ virginis Mariæ gloriam, nec non S. Gebhardi cultus, ac venerationis incrementum, ac debitam gratiarum actionem, hoc triplex attestatum majori liberi nostri baronatus sigillo, et manu propria facta subscriptione confirmare, et corroborare voluimus. Datum in arce Neo-Ravenspurgica

EX IMPRESSIS. giea XIV Junii MDCCXXVI (L. S.) Joannes Ludovicus Ignatius L. baro de Bodmann.

alia post varios 28 Quamquam divi Gebhardi patrocinium in omni necessitate sit præpotens, tamen cum ipse e materuo utero excisus fuerit, maxime stupendum est, quod præstare solet parturientibus: quod, præterquam plures alios, præeipue experti sunt Matthias Müller sub-pistor, seu famulus pistoris in celeberrimo cœnobio vulgo Weingarten *b*, et Catharina Rundlerin conjuges. Hi viginti annis honestissime iu matrimonio convixere, et initio septem pueros feliciter mundo natos educarunt. Postea vero in quinque sequentium puerorum partubus tam infelices fuerunt, ut tres ex iis, aliqua tantum corporis [parte] e vulva prominentes, ab obstetrice baptizati fuerint, ac deinde, ut vita matri servaretur, ab expertissimo quodam chirurgo frustatim ex materno utero exsecti; alii autem duo mortui ab obstetrice vi e matris corpore extracti.

infelices partus, 29 Post hæc cum prædicta femina hoc currente anno MDCCXXVIII se rursus impræguatam sentiret, ideoque non immerito maximis curis angeretur, ecce, speciali Dei providentia factum est, ut alia quædam mulier Maria Francisca Locherin, habitans in Bayfurt, loco nou procul a Weingarten distante, cum ipsa colloquens narraret, se etiam aliquorum puerorum partu tam infelicem fuisse; sed hoc anno valde feliciter peperisse: quod post Deum S. Gebhardo in acceptis referebat. Addebat præterea, quo modo patrocinium, et opem S. Gebhardi experta esset (de quo infra fiet mentio.) Solicitudine et anxietate ob appropinquantem partum plena Rundlerin narrationem hanc negligente primum aure excipiebat, persuadens sibi, cum anno proxime elapso plures ex devotione peregrinatione instituisset etiam ad thaumaturgam Virginem Einsidlensem *c*, sacrum sanguinem *d* in Weingarten visitasset sæpius, Sacra plurima dici curasset, sacro divæ Walburgæ oleo *e*, aliisque mediis omnibus, quæ hunc in finem videbantur excogitari posse, fuisset usa; hisque non obstautibus æque infelix in pariendo mansisset, actum esse de se, ceteraque omnia frustranea fore.

implorato 30 Audita tamen ex prædicta muliere Locheriu paulatim attentius perpendere incipiebat, præsertim qui audierat, Sanctum hunc e matris utero exsectum esse: eaque cogitatione permota sacrum sanguinem in Weingarteu rursus invisere statuebat, non exigua etiam concepta fiducia in patrocinio S. Gebhardi; quam non mediocriter adhortatione sua maritus ipsius augere studebat. Proinde etiam ante partum Fratri eremicolæ habitanti in Pfauneuberg misit duos florenos, cum duobus cereis in altari S. Episcopi accendendis, enixe eumdem obsecrans, ut preces ad intentionem suam funderet in sacello S. Gebhardi, rogans itidem dominam Priorissam monasterii Hirschthal *f*, Ordinis S. Dominici, vix leuca una inde dissiti, in quo habitat reverenda sanctimonialis soror ipsius mariti, ut duas istius cœnobii sacras virgines cum aliquot alumnis mitteret ad S. Gebhardum in Pfannenberg, ad eamdem intentionem ibidem oraturas Deum: quod et factum est.

Sancti auxilio, 31 Præterea ipsa, et maritus ipsius spoponderunt, se, si felix sequeretur partus, ex Weingarten decem leucarum peregrinationem instituturos Brégantium ad S. Gebhardi sacellum, et puerum ipsum cum dono aliquo votivo in accepti beneficii gratiarum actionem in prædicti sacelli altari oblaturos. Interim frater Gebhardus eremita mittebat ipsi parvos aliquot panes in S. Gebhardi honorem benedictos; ex quibus prægnans mulier diebus singulis firma cum fiducia genibus flexis frustulum aliquod sumebat mane. Cumque pariendi tempus appropinquaret, iterum rogavit eremicolam, ut publicam in S. Gebhardi sacello comprecationem fieri curaret. Proxima jam partui, noctu solitos quidem parturientium dolores sensit; sed mater, posteaquam fœtum Sancti tutelæ iterato commendasset, placide indormivit, nec ullum deinde dolorem experta est usque ad sequentem meridiem, quando modicos iterum partus dolores sensit.

32 Accersita proinde obstetrix Theresia Keglin *miro modo* animadvertebat fœtum æque infeliciter ac præcedentes, præpostero ordine prodire velle, pede uno e matris utero protenso. Quare mirum in modum consternata e cubiculo abscurrit, aquam, et testes quæsitura, ut, antequam moriatur infans, baptizari possit: sed ecce rem stupendam, ad parturientem reversa reperit matrem sine humana ope unico vix non momento, et absque omni ferme dolore puerum feliciter enixam esse, ipsumque infantulum juxta matris latus jacentem. Quotquot ibidem præsentes aderant, et puerperam invisebant, hunc tam felicem, et inopinatum partum ut specialem favorem, et manifestum miraculum a Deo per intercessionem S. Gebhardi obtentum deprædicabant.

33 Quapropter omnes, marte id flagitante, in *fœtum peperit sospitem.* genua provoluti, iu gratiarum actionem, et honorem divi Gebhardi quinies Pater, et Ave recitarunt. Infantulus consuetis omnibus cæremoniis in templo baptizatus, novemdecim adhuc dies supervixit, post quos in cælum, Deum laudaturus, assumptus est. Hæc omnia prædicti conjuges III Novembris MDCCXXVIII, cum ex voto promissam peregrinationem ad divi Gebhardi iu Pfanneuberg instituissent, sub jurejurando testati sunt coram Dominis commissariis, dicentes, non solum prædictam juratam obstetricem, sed totam etiam viciniam hoc testari posse: sicut etiam Theresia Keglin jurata obstetrix, quæ rei illi interfuit, ab adm. revereudo patre Longiuo Fessler, celeberrimi imperialis monasterii Weingartensis capitulari, ob distantiam loci subdelegato, hac super 're interrogata, eadem jurejurando confirmavit.

34 Simile quid, vel etiam majus est, quod *Mulier alia post sex infausta puerperia* superius nominata mulier Francisca Locherin nata Nusserin, habitans in Bayfurt prope Weingarten, XXVII Augusti MDCXXIX *, sub fide jurisjurandi narravit, et coram commissione testata est: nempe, initio matrimonii cum marito suo tres pueros educavit, quos læta peperit. Quartus vero infantulus transverso corpusculo e matris utero infeliciter prodiit, nec sacro fonte potuit ablui: et sic sex pueros consequenter infeliciter enixa est, quorum nullus baptizari potuit. Hoc infortunio mirandum in modum afflicta, cum se iterum gravidam sentiret, ab honorato domino Josepho Locher socero, venerando septuagenario sene, jussa est bono animo esse, qui eam adhortatus est, ut in necessitate hac extrema imploraret opem sancti episcopi Gebhardi, cum devote coleret, et voto sanciret, se peregre profecturam in patriam ipsius ad sacellum in Pfannenberg in ipsius honorem consecratum, ut illius intercessione felicem posthac a Deo partum impetraret.

* *l.* MDCCXXIX

35 Illa sine mora secuta est consilium optimi sui

A sui soceri, qui jam bis præfatum sacellum inviserat, et mire erga hunc Sanctum afficiebatur, statimque promisit, sc, si per intercessionem sancti hujus antistitis Gebhardi læto partu a Deo bearetur, cum puerulo suo, et tribus aliis personis devotionis gratia Brigantium ad Sancti hujus sacellum profecturam, ibique oblato anathemate curaturam dici tria Sacra. Brevi post, cum pariendi tempus advenisset, sine magno dolore, et ope humana omnino feliciter, ac læta protulit fœtum masculum, qui etiamnum sanus, et incolumis vivit.

voto se obstringens Sancto, donatur læto partu,

36 Anno proxime sequente, dum iterum impræguata esset, rursus ad divi Gebhardi patrocinium confugiens, piam ut aute peregrinationem, et tria Sacra cum donario in sancti Thaumaturgi sacello offerendo promisit, ac lætum ac felicem pariter partum impetravit, ita ut, sicut præcedente vice, intra unum horæ quadrantem sine obstetrice læta pepererit puerum, qui pariter etiamnum vivit. Quod ipsa, et maritus ejus dominus Antonius Locher, sicut et alii omnes, ut specialem gratiam ope S. Gebhardi miraculose B impetratam agnoscunt, et, dum vivent, grati agnoscent. Addit superius dicta domina Locherin, se antea, dum tam infeliciter peperit, in Sacra, peregrinationes, aliaque media ultra centum florenos expendisse, et tamen frustra omnia et infeliciter. In ultimo tamen felici partu etiam bibit e sacro sanguine *g* asservato in celeberrimo monasterio Weingartensi.

ac deinde alio non minus felici.

ANNOTATA.

a *In impressione Germanica*, bey cavaliers parollen.

b *Mabillonius tomo* 5 *Annalium Ordinis S. Benedicti ad annum* 1094 *num.* CVII, *agens de isto monasterio, hæc memorat :* S. Martini monasterium, diœcesis Constantiensis, in Suevia positum, et a Vineis Weingartense appellatum, cujus originem in tomo secundo paucis perstriuximus *etc. Bruschius de monasteriis Germaniæ centuria prima, fol.* 158 Vinearum, *inquit*, potentissimum amplissimumque instituti Benedictini cœnobitarum C in Constantiensi diœcesi domicilium, non procul a Ravensburgo, imperiali in Suevis civitate, in perveteri pago Altorff ad Schussium amnem. *De hoc monasterio etiam tractat Bucelinus in ea suæ Germaniæ parte, quæ agit de monasteriis, a pag.* 92.

c *Consuli possunt, quæ notata sunt in Commentario prævio num.* 21 *de monasterio, cui nomen* Eremus Deiparæ, *vulgo* Einsidlen. *De Deipara virgine ibidem thaumaturga hæc repetiisse sufficiat, quæ apud nos dicta sunt ad diem* 21 *Januarii, pag.* 83, *ex Artmanno, ejusdem loci asceta et Annalium scriptore, ubi ex ejus proloquio sunt ista :* Etenim aut me suscepti operis amor et professio transversum agit, aut nullus uspiam Christiano in orbe alius locus neque Reginæ cælorum præsentia religiosior. . aut postremo omnium prope nationum peregrinationibus frequentior, atque miraculis est insignior. Adeo alias aliis in locis sacras ædes videtur summus ille architectus rerum omnium ab reliquis constitutas accepisse et probasse; hanc tamquam perpetuum sui honoris et amoris erga Matrem monumentum, et simul in genus humanum refugium, solatiumque sua veluti manu posuisse, stupendis signis, et incrementis insolitis fovisse et ditavisse, omniumque pene provinciarum et gentium cultu et religione et concursu celebrari voluisse.

EX IMPRESSIS.

d *Mabillonius, quem modo allegabam lit.* b, *indicat, datum ecclesiæ Weingartensi* pretiosissimum thesaurum, id est, sanguinem Domini. *Hisce addo sequentia ex Bucelino mox citato lit.* a, *qui pag.* 93 Asservatur, *inquit*, in eodem cœnobio insignis omnino SS. reliquiarum thesaurus, e quo incomparabilis ille sacrosanctus lateris Dominici exceptus a Longino centurione sanguis summa historiæ celebritate, testium sanctitate, Pontificum Rom. auctoritate, miraculorum perpetuitate comprobatissimus. Sed et plures aliæ SS. sanguinis commixti cum terra portiones, minus tamen certa historiæ fide, collectæ sub cruce : quia * et alius sacramentalis e sacra profluens hostia ibidem ostenditur.

* f. quin

e *Est in Germania* virginum Benedictinarum florentissimum felicissimumque *sub hujus Sanctæ nomine* cœnobium, Aichstadii conditum, *sicut scribit Bucelinus, quem supra assignavi, pag.* 92, *ubi de ejusdem fundatione etiam agit ;* in quo usque hodie, *inquit*, servatur magnus ille sacratissimi corporis B. Walpurgæ thesaurus, ex E quo tot seculis ab obitu ejusdem prodigiosissimum emanat oleum variis ægritudinibus mirifice salutare. *Tomo* III *Februarii, ad diem* 26 *ejusdem mensis, Acta S. Walburgis virginis apud nos illustrata sunt, ubi pag.* 562 *de miraculoso olei fluxu ex ipsius corpore plura legi possunt.*

f *De hoc monasterio varia collegit Franciscus Petrus in sua Suevia ecclesiastica a pag.* 440.

g *De hoc sacro sanguine jam egimus lit.* d : *illud vero, quod hic dicitur*, bibit e sacro sanguine, *cogito sic intelligendum, ut hierotheca, in qua ille clauditur, immergatur vino, quod bibendum præbeatur male habentibus, et magna cum fiducia ad salutare hoc remedium confugientibus.*

PARS QUARTA.

Infirmitas, pedis contractio, dolores cruris ac brachii, vehemens vomitus sospitata.

F

Supra citatus dominus Josephus Locher hæc omnia, quæ superius de filii sui conjuge Francisca Locherin, nata Nusserin, relata sunt, non solum confirmat, sed etiam per adm. reverendum religiosissimum patrem Longinum Fessler ad Vineas capitularem, testatum facit, quatuor annorum filiolum in lethalem morbum incidisse, in quo periculoso casu suasit ipsius parentibus, nempe prædicto filio suo Antonio Locher, et Franciscæ Locherin, natæ Nusserin, ut piam peregrinationem Brigantium ad divi Gebhardi cum certa quadam devotione promitterent, ad obtinendam pueri incolumitatem : quo voto facto, mox admirantibus omnibus, puer melius cœpit habere, ac pristinæ etiam sanitati est restitutus. Cum vero parentes promissam peregrinationem nimis diu distulissent, infantulus in priorem morbum reincidit. Quod ubi ad avi aures pervenisset, mox iterum ægroti pueri parentes adiit, dicens, hunc pueri morbum aliud nihil esse, quam seriam Dei admonitionem, ut promissam in honorem S. Gebhardi peregrinationem, et devotionem

Puer ægrotus sanitati restitutus.

EX IMPRESSIS.

nem sine mora perficerent. Quam primum autem anxii parentes hoc executioni mandaverant, puer pristinæ restitutus fuit sanitati, ac etiamnum sanus et incolumis vivit.

uti et pes contractus puellæ.

38 Probus dominus Gallus Ignatius Keller bibliopegus, et civis Brigantinus, præstito juramento de dicenda veritate, coram dominis commissariis testatus est sequentia : nempe filiolam suam Annam Mariam ante quatuor annos tum temporis quinque annorum ex variolis, quibus laboraverat, ita contractum unum retinuisse pedem, ut crus illud numquam in rectum extendi posset, nec ab ullo vel leviter tangi, quin miserandum in modum præ dolore exclamaret. Quod malum cum per octo dies durasset, pater simul cum matre (quia multus tum temporis in populo sermo erat de piis peregrinationibus in sancti episcopi Gebhardi honorem institutis) spem suam in ipsius patrocinio collocavit, et similem peregrinationem ad Sancti sacellum in Pfannenberg, pedes ex cera, et Sacrum in honorem ipsius dicendum promisit : et, ecce, postridie mane filiola, nulla medicina, nullisque aliis mediis adhibitis, erecta in pedes constitit sana, ita ut eodem die una cum parentibus perrexerit in Pfannenberg, donumque promissum ipsa altari imposuerit, ac Sacro ibidem interfuerit, nec ab illo tempore quidquam in pede mali vel impedimenti senserit. Quæ omnia mater ejus Anna Catharina Hartmannin juramenti fide interposita testata est IV Septembris anno MDCCXXVIII.

B

Vir, varia S. Gebhardo pollicitus,

39 Magister Ferdinandus Barnath, cæmentarius in Lochen parochiæ Brigantinæ, præterito mense Septembri per quatuor septimanas tantis in crure uno sponte exortis doloribus cruciatus fuerat, ut baculo se sustentans non sine maximo dolore pedi illi vel leviter tantum inniti posset. Vino adusto, aliisque variis unguentis cruri applicitis dolorem quidem lenire conatus fuerat, sed frustra, malo indies augescente. Tandem frustranea videns esse omnia, et malum suum veneficio adscribens, spiritualia media adhibere statuit. Cumque intellexisset, plurimos in necessitatibus suis exoptatam divi Gebhardi opem esse expertos, nulla alia adhibens remedia, ad Sancti istius patrocinium et ipse confugit, primo piam in Pfannenberg peregrinationem promittens, 2°. cereum in Sancti altari accendendum, 3°. Sacrum ibidem audiendum.

C

doloribus cruris liberatur :

40 Postero die prædictam instituit peregrinationem, sano tantum pede et baculo utens. Post tres tandem horas ad Sancti sacellum non nisi una parva leuca a pago ipsius distans pervenit, votum exolvit, et dum Sacris aliquot interesset, devotioni sedulo vacavit, magna cum fiducia sancti Patroni sui opem implorans. Volens e sacello discedere, vix quidquam amplius doloris sentiebat, ita ut baculo sustentando corpori vix indigeret in utrumque tandem pedem erectus, et sanus domum revertens, uxorem inclamans ait : Sint Deo, et sancto Gebhardo gratiæ, sanus sum, et incolumis : nunc iterum labori aptus sum, quo victum nobis comparem. Ad quem laborem tertio post die reversus est, et solito labori sine ullo dolore vel impedimento, ut ante, vacavit. Quæ omnia ipse juramento testatur ita esse III Februarii MDCCXXIX, dicens, se Deo, et S. Gebhardo, dum vivet, de tanto beneficio gratias acturum.

D

monialis a doloribus in brachio et manu,

41 Brigantii in celebri monasterio sanctæ Annæ, Ordinis S. Francisci, habitat sanctimonialis dicta Bernardina Schmidin, quæ ex rheumatismo magnis in dextro brachio et manu doloribus vexabatur, ac dissolutis quasi nervis per quinque menses jacebat, ita ut nihil manu illa tenere posset. Initio quidem mediis quibusdam, et medicinis ad medendum malo utebatur; cum vero illis nihil proficeret, tandem (inspirante haud dubie angelo tutelari) ad sanctum episcopum Gebhardum statuit confugere. Cum venia igitur superiorum, novem consequentibus diebus in Sancti sacello in Pfannenberg novem Sacra dici jussit, et per aliquot ad id selectos pueros novem dierum devotionem et comprecationem institui : primo etiam die de peccatis confessa, sacra Eucharistia refecta est.

E

peractis variis in Sancti honorem pietatis exercitiis, convalescit :

42 Duobus primis diebus hujus devotionis magnos adhuc sentiebat dolores. His tamen non solum non perterrebatur; sed in concepta de sancti Patroni ope fiducia magis confirmabatur. Quarto die multo melius se habere incipiebat. Octavo die non tantum omnis dolor abscesserat, sed eas etiam brachium antea enerve vires recuperabat, ut res valde ponderosas tollere posset, attonitis idcirco consororibus, et miraculum inclamantibus. Nono die in gratiarum actionem rursus sacra communione reficiebatur, decrevitque, patronum suum S. Gebhardum, quoad vixerit, pie colere, exoptans, ut ejus cultum quaquaversum propagare posset. Hæc omnia superiorum jussu, a commissario interrogata, et examinata affirmavit ipsa; sicut et ipsa R. D. mater superior hujus celebris monasterii cum aliis quinque sanctimonialibus idem testata est VII Martii anno MCCCXXIX.

alius a vehemente vomitu

43 Superius recensitis adjungi debet, quod illustr. liber dominus Victor von Thurn in honorem et laudem Sancti nostri Gebhardi palam fecit in sequenti attestato, manu propria, et sigillo munito : Ego Joannes Victor liber dominus de Thurn hisce fateor, me ante tres circiter annos ex febri acutissima semper ante paroxysmum tam vehementem vomitum passum fuisse, ut singulis vicibus timuerim, ne præ nimia vehementia vena mihi rumperetur. Quamvis multas huic malo medicinas adhibuerim, iisdem tamen nihil quidquam profeci.

F

sanatur.

44 Cum autem insperato mihi narraretur, panes sancti Gebhardi in his et similibus casibus plures sæpius adjuvisse, aliquot ex iis panibus a fratre Gebhardo, Ordinis S. Francisci, mihi comparavi, eosque ante paroxysmum sumpsi, dicto singulis vicibus septies Pater, et Ave. Cumque tertio iis usus essem, solito more evomens, salva venia, quasi sacculum, ovum magnitudine æquantem, ejeci; quo facto, pristinam sanitatem valde facili modo consecutus sum. Quod hisce in honorem omnipotentis Dei, ac sancti Gebhardi manu propria, adjuncto liberi mei dominii sigillo, testor in Rorschach die XXIV Junii anni MDCCXXX.
L. S.

DE

A D

DE S. MALRUBIO MONACHO

ET MARTYRE

IN MARNIA SCOTIÆ PROVINCIA

Cultus, observationes, lectiones propriæ.

J. P.

ANNO MXXIV. *Signatur ab hagiologis,*

Marnia, *quæ et quibusdam* Mernia *(Mernis) Scotiæ borealis provincia, in Germanici maris ora jacens inter Marriam ad septemtrionem, et Angusiam ad occasum, hujus Sancti cultui locum dedisse memoratur non vulgarem, a die* XXVII *Julii ad hunc remissi.* B *Camerarius scribit ista :* Sanctus Malrubius martyr a Norvegis. Celebris habetur in Mernia. *In Ms. nostro catalogo Sanctorum Scotiæ ita annuntiatur :* S. Malrubbus heremita et martyr in Mernia Scotiæ regione, *addito anno* MXXIV. *A Greveno autem :* In Scotia Malkubii *(ita eum nominat)* abbatis. *In alio Ms. catalogo* S. Malrubi mart. *lego. Patricius Ninianus Wemyss, eruditus Societatis nostræ sacerdos, natione Scotus, inter collectanea Mss. de indubitatis Scotiæ Sanctis, quæ adinstar Martyrologii concinnavit et illustravit, ac cum museo nostro benigne communicavit, Martyrem hunc illis merito accenset ad præsentem diem :* S. Malrubius eremita et martyr sub Malcolmo II, anno Christi MXXIV.

et in breviario Aberdonensi ;

2 *Etenim in collectione Ms., quam asservamus sub involucro* † Ms. 167, *Sanctorum Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ, habentur* Sanctorum Scotorum Vitæ ex Breviario in usum insignis ecclesiæ cathedralis Aberdonensis, adeoque totius ecclesiæ Scoticanæ, impensis Valteri Chepman Edinburgensis mercatoris typis mandati Kal. Februariis anno a Christo nato MDIX.... parte *etc.* excerptæ : *in hac, inquam, collectione pag.* 129 *in Ms. nostro, post hunc titulum* Vita S. Maldrubii abbatis, a Danis martyrio coronati, heremitæ (Marne) in Scotia sub rege Malcolmo II, anno MXXIV, Augusti XXVII, *ponitur Officium ejus proprium his verbis :* Ad Vesp. p. feriales : C Ant. et Cap. de communi unius Martyris. ℟. Beatus vir, qui suffert. ANT. S. Malrubie, martyr Christi gloriose, adesto nostris precibus pius et propitius, ut tecum in gloria lætemur in cælestibus. PSAL. MAGNIFICAT. *Sequitur mox hæc* ORATIO : Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus, ut quos pondus propriæ gravat actionis, B. Malrubii martyris tui gloriosa nos protegat intercessio. Per Dominum etc. *Lectiones propriæ ad Matutinum his subjiciuntur, quas nos inferius exhibebimus, postquam aliquot præmiserimus observationes.*

e quo, nonnullis

3 *Martyrio coronatus dicitur* S. Malrubius *anno Christi* 1024, *tempore Malcolmi II Scotorum regis. Apud illustrissimum Rossensem episcopum Joannem Leslæum lib.* 5 *de Rebus gestis Scotorum pag.* 202, *Grimo, anno* 1010 *in prælio occiso, suffectus ponitur iste Malcolmus : de cujus morte hæc subduntur ibidem pag.* 204 : Cum bonam ætatis suæ partem multa cum laude et gloria transegisset, senex ita avaritia et tyrannide in multos desæviit, ut a quibusdam, quorum amicos multis injuriis immaniter affecerat, insidiis petitus noctu ad arcem Glamuensem in Angusia occideretur anno sui imperii primo supra XXX. *Alterum est, quod notari volumus, Sanctum nostrum alibi nuncupari abbatem, alibi eremitam, ubique, ut jam vidimus supra, martyrem, ac visuri sumus in lectionibus ipsius propriis : quarum exemplar nos secuti, hunc titulum ei modo dedimus. Prælerea* sub regula et habitu monachali longos vitæ suæ in calamitate et miseria trivisse dies *memoratur in lectione prima ; quo videtur indicari institutum religiosum : sed ubi, et cujus regulæ,* E *in obscuro relinquitur : nec mirum ; nam præter incredulos ad fidem Christi ab eo conversos, nihil de Viri vita vel scivit, vel posuit harum lectionum conditor. Quidquid sit, monachum nos supra eum nuncupavimus. Quarto,* Rossia *occurrit in lectione secunda, quæ est* provincia ampla Scotiæ Borealis.... Terminatur a septemtrione Navernia et Sutherlandia provinciis ; a meridie Abria et Moravia ; ab oriente mari Germanico, et ab occidente Hibernico, *ex Baudrando. Plura habet Camdenus in sua Britannia a pag.* 716.

in proprias Sancti

4 *Quinto, paucula his addimus ad eamdem lectionem* 2 *circa Sancti martyrium. Ibidem indicatur a Norvegis interemptus :* a Danis *autem in titulo Officii proprii, antea prolato. Laudatus vero supra Wemyssius* a Danis, *inquit,* aut Norvegis penes Nairnum, *locum martyrii indicans* non procul ab Innernesso interfectus. *De Norvagis seu Norvegis, qui in eadem lectione nominantur, obiter indico, res eorum gestas non segniter illustratas esse tomo* VII *mensis Julii, die* XXIX, *occasione S. Olavi, Norvegiæ regis ac martyris anno* 1030. *Sexto* basilicam Appilcroce, *quæ occurrit in lectione* 3, *frustra quæsivi.* Hurguard, *quod* F *ibidem occurrit, ac dicitur e sacello in honorem Martyris constructo in parochialem ecclesiam erectum ; referri posse ad locum* Urchart *in provincia Rossiæ versus mare Germanicum, ubi et* Contan, *de quo in lectione octava, etiamsi non certo constat ; videtur tamen verosimile. Consuli potest de duobus hisce locis mappa geographica regni Scotiæ apud Blavium volumine sexto ante paginam* 14. *Hinc videtur etiam colligi posse, quod ecclesia dicta* Appilcroce *in designato statim Rossiæ territorio alicubi ponenda sit. Ad illud* Dani adversus Scotos bella moventes, *quod dicitur in lectione septima, notare juvat, Danos invasisse Scotiam ac tribus in Moravia arcibus occupatis Malcolmum II primo prælio vicisse ; secundo autem ab ipso victos tanta clade, ut Scotia passim diceretur Danorum sepulcrum, teste Leslæo citato. Legi etiam potest Hector Boëthius lib.* XI *Historiæ Scotorum.*

lectiones observatis,

5 *Martyrium S. Malrubii a variis, ut supra dictum est, affigitur anno Christi* 1024, *quos et nos supra secuti sumus, quia nec alium habemus*

AUCTORE J. P.

bemus nobis magis compertum; nec ullum diserte ac presse definiunt sæpe memoratæ lectiones, in quarum contextu ne vel invenio quidem, quod sub Malcolmi II regno illud contigerit. In iisdem vero lectionibus illud occurrit singulare, quod præscribantur post lectionem tertiam aliæ tres inserendæ de S. Rufo martyre. Unde censemus, non satis cum vero consentire, quæ scribit Wemyssius antea allegatus : Suspicor, hunc Malrubium eumdem esse cum famoso illo Rossensium eremita, de quo mira narrantur, quem illi Melrigam vocant : quia narravit mihi P. Macra noster, eis in oris missionarius, et amicus meus, Rossos suum eremitam latine Rufum dicere : jam Malrubius et Rufus non multum discrepant. *Superest, ut subjiciantur.*

LECTIONES PROPRIÆ

Ex Breviario ecclesiæ Aberdonensis.

Easdem

Lectio i. Malrubii martyris Christi transitum de mundo celebraturi dignis cum laudibus ejus commemorationem in hymnis psallendo et
B canticis transigemus, et ob Dei reverentiam diem præsentem diligenter decorare studebimus. Nec vestras subterfugiat sanctitates, hunc, quem colimus, Virum sub regula et habitu monachali longos vitæ suæ in calamitate et miseria trivisse dies, fidei incredulos ac gentilium paganos suis doctrina et prædicatione ad religionem, quam profitemur, Christianam convertendo.

lectoris

7 Lectio ii. Sed ne dies præclara illa, de qua locuti fuimus, absque miraculorum per Dei Virum gestorum narratione transeat, ea paucis taxando, ubi plurima temporis non patitur angustia, declarabimus. Nam cum nonnulli malarum cogitationem viri de Norvagii regniculo navigio Rossiæ confinibus applicarent; beatum audientes Malrubium alienam ab eorum gentilitate fidem prædicantem, sanguinolentas in Dei vinctum intulerunt manus, ac gladios de vaginis extrahentes funestos, beatum Dei Virum tamquam agnum mansuetum et pium pro Christi nomine patientem, crudelius, quam enarrari posset, percusse-
C runt, et vulneraverunt, et tamquam mortuum in campis sylvestribus canibus et avibus devorandum reliquerunt.

oculis

8 Lectio iii. Beatum itaque corpusculum per triduum semivivum incognitum populo jacebat. Attamen per angelos Dei continua consolatione et visitatione a multis visum est associatum. Locus tamen, ubi corpus exanime incubuit, fulgore nimio coruscare pluribus apparuit : qui illuc venientes, B. Malrubium in agone laborantem repererunt. Sed eo, Sanguine et Corpore Jesu Christi immaculati agni participato, Dominum laudando, cum sancta patientia et senectute bona in fata decessit : corpusque ad basilicam, quæ a vulgo dicitur Appilcroce, transferri, et ibidem tradi sepulturæ mandavit. At ne sanguis beati Martyris pretiosus in terram effusus absque veneratione relinqueretur; illo in loco in honore Martyris nostri sacratissimi ex inciso robore satis reverenter exstructa est capella, quæ postea in parochialem erigitur ecclesiam, quæ in præsens Hurquhard ab illius terræ incolis vocitatur. *In Ms. nostro indicantur hic interponendæ* D
dæ tres mediæ lectiones de S. Rufo martyre, *qui Capuanus fortasse est, apud Martyrotogos celeberrimus, ut videre licet hoc die, quo illum dedimus.*

9 Lectio vii. Interim populo alia quam plurima contingebant fieri miracula. Dani adversus Insulanos * bella moventes, ad præfatam ecclesiam de Appilcroce navigio terram illam vi et armis expugnandam et deprædaudam arripuerunt. Verum quia terræ circumvicinæ per sena a dicta ecclesia miliaria immunitatis beati Viri meritis gaudent privilegio, easdem a quibuscumque minus juste deprædari minime permittit. Dum vero de præmissis certiorati, Dei vindictam non formidantes, in B. Malrubii contemptum sacerdotibus et aliis ecclesiæ ministris in opprobrium datis, victualia et animalia, cum quibus sese sustentare deberent, vi et palam abstulerunt et rapuerunt : atque licet ciborum inedia astricti fuerant, (justo Dei judicio) suis cum rapinis navibus festinarunt. Nam cum tanta prohibuit mora, quod illo in territorio manducare nec bibere potuerant; velisque extensis, mari minime agitato ventis, sed tranquillo, prospero, ut apparuit, cursu navigantes, videntibus cunctis, mare eosdem omnes simul consumpsit et ab- E
sorpsit.

hoc loco

* *i. e. Scotos vel insulæ Britanniæ incolas*

10 Lectio viii. Dehinc dum præfati Insulani contra Rossenses quosdam veteres excitarent inimicitias, cogitaverunt, qualiter in eos vindicarent, inito eorum consilio in magna virorum copia congregati, ignorantibus Rossiis, qui cum in ecclesiam B. Malrubii de Contan annuam sancti Viri celebrarent solennitatem; Insulani clam noctis sub silentio eosdem insidiarunt, atque igne præfatam ecclesiam incenderunt, in qua plus quam centeni Christiani viri et mulieres ferro et igne extincti sunt : quod facinus Deus ipse gloriosus, qui sanguinis innocentium aspersionis est ultor, impunitum non permisit. Nam cum quibusdam illorum occisorum parentibus beatus Vir apparuisset in somnis, Rossii in brevi aggregati sunt numero, verum quamquam Insulani illis fortiores et potiores fuerint; nihilominus Dei et beati Viri freti auxilio Rossii Insulanos illos ita compescerunt, et gladio perdomuerunt, quod de quingentis armatis, triginta vix viri evaserant, qui etiam servi hostium et dedititii effecti. Immo F
omnes tamquam non videntes stupore formidinis perculsi sunt, et pluribus adversariis beatus Vir baculum gestans manu visus est.

subjectas

producimus.

11 Lectio ix. Sacerdos quidam parochialis inter divina celebranda solemnitatem B. martyris Malrubii suis parochianis a servilibus observandam servitiis præcepit. Parochiani autem illi quia autumnus instabat, grana * usque ad vesperam non obstante metebant, pauloque ante singulæ domus metentium sponte igne accensæ sunt. Verum quidam devotus diem Martyris solenniter celebrabat in divinis. Ita contigit, quod singulæ domus incendio consumptæ sunt, illius devoti viri domo, quæ aliis domibus contigua erat, tantum excepta. Et cum isti messores domesticas suas res de iisdem domibus adversus ventum extraherent, sicut fecerat iste devotus, ventus vero in aliam versus est regionem; et res illæ, quæ primitus a vento salvæ fuerant, igne adversante similiter exhaustæ sunt, rebus illius viri, aliis in medio admixtis, integris permanentibus.

* *i. e. frumentum vel triticum*

DE

A D

DE B. MANETTO ANTELLENSI CONF.

UNO EX SEPTEM FUNDATORIBUS ORDINIS SERVORUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

IN MONTE SENARIO TUSCIÆ IN ITALIA,

COMMENTARIUS HISTORICUS

J. P.

§ I. Locus; Beati nomen; genus; vita secularis, gesta usque ad supremam in ordine præfecturam.

B *Anno MCCLXVIII. Montis Senarii descriptio:*

Eminentissimus Dominus Cardinalis Prosper de Lambertinis, qui anno 1740 ad Petri cathedram, plaudente Christiano orbe, evectus est, in laudatissimo Opere suo De Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione, *lib.* 2 § 42, *sive tomo* 2, *cap.* 24, *pag.* 286 *et seqq. agens* de sex ex septem Fundatoribus Religiosi Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, *locum, in quo* B. Manettus *ex hac vita migravit, hisce conspiciendum exhibet verbis* : Mons quidam insignis altitudinis adest in Thusciæ provincia, qui e parte meridionali spectat civitatem Florentiæ; e boreali contra respicit agrum Mucellanum, a continuata montium Apennini ferie circumvallatum. Mons hic dicitur Sanarius, quem aliqui ex antiquioribus scriptoribus Asinarium; alii vero Sanarium ab aeris sanitate appellaruut. In ejus nempe fastigio ædificata est ecclesia cum sacra eremo, in quam fere quinque retro seculis, approbante Ardingo tunc episcopo Florentino, sese receperunt septem viri nobiles, qui, abjectis divitiis et seculi pompis, asperum vivendi genus amplexi sunt, et Ordinem Servorum Beatissimæ C Virginis Mariæ fundarunt. In hoc sacro loco omnes pie mortui sunt, excepto Alexio, qui pretiosa occubuit morte in conventu sanctæ Mariæ de Caphagio, hodie sanctissimæ Annuntiationis de Florentia : etsi ejus cadaver fuit subinde ad ipsum Montem asportatum, et una cum cadaveribus aliorum sex sociorum sub ara majori reconditum: *In dicto itaque Monte, dum viverent, positi, in novo sese vitæ instituto confirmarunt, in eoque Monte mortem obierunt laudati isti Fundatores, excepto uno. Montem hunc pluribus describit Archangelus Gianius mox citandus, lib.* I, *centuria* I, *cap.* 9.

Nomen Beati duplex, vitæ institutum:

2 *Eorum autem nomina apud laudatum Eminentissimum D. Cardinalem ita notantur :* Bonfilius Monaldinus, Joannes Manettus, Benedictus Antellensis, Bartholomæus de Amideis, Ricoverus Lippius, Gerardinus Sostenus, Alexius Falconerius. *Eodem fere modo nominat eos Gianius in Annalibus Ordinis centuria* I, *lib.* I, *cap.* 3. *Ordo autem Generalium non ab omnibus ponitur idem; sicut observatum est in Annotatis ad caput* 4 *Vitæ S. Philippi Benitii tomo* IV *Augusti apud nos*, *pag.* 674, *lit.* e. *Nos*, *Gianium secuti, generalem primum statuimus Bonfilium, (olim* N. de Monaldis) *ex Annalibus citatis lib.* I, *cap.* 18, *et lib.* 2, *cap.* 11 : *secundum Bonaiunctam* (de Manettis, *ut additur in indice eo-* E *rumdem Annalium*) *ibidem lib.* 2, *cap.* 20 : *tertium Jacobum Senensem*, *lib.* 3, *cap.* 1 : *quartum* Manettum *nostrum* Antellensem, *lib.* 3, *cap.* 10, *qui, sicut habetur in indice,* prius dictus Benedictus. *Habemus itaque duplex ejus nomen, cujus postmodum meminisse juvabit. Audiamus Gianium centuria* I, *lib.* 1, *cap.* 15, *fol.* 11, *de nominum mutatione hæc observantem:* Bonfilius et Alexius idem seculi nomen retinuerunt : alii vero mutatum receperunt. Unde Gerardinus postea dictus fuit Frater Sosteneus; Benedictus F. Manettus; Ricoverus F. Uguccius seu Uguccionius; Joannes F. Bonaiuncta, Bartholomeus F. Amideus. Quæ nominum mutatio ab authoribus fortasse parum observata, occasionem multis errandi in his septem enumerandis frequenter præbuisse videtur. *Hæc distincte exponenda duxi propter ea, quæ* § 3 *narrabo de nostro* Manetto *sub nomine* Benedicti. *Cujusmodi autem instituti cum* Manettus *noster*, *tum alii ipsius socii in seculo fuerint, tradit Gianius centuria* I, *lib.* I, *cap.* 3, *fol.* 3 : Hi primo, *inquit*, rerum humanarum negotiatores..., mo- F rum gravitate, et vitæ innocentia reformati, mercatores cum essent.., animarum postea negotiatores feliciter evaserunt. *Erant item Florentini cives, ut refert idem Gianius cap.* 5. *fol.* 4 : Talibus igitur cum pastorali benedictione ab episcopo dimissi Florentini cives., omnes simul mane diluculo conveniunt in nomine Domini.

Nobilitas, ætas, status in seculo:

3 *Nec generis nobilitas ipsis defuit, teste Gianio fol.* 3 : *nam cap.* 4, *fol.* 3 Septem quoque Viri illi *dicuntur* sanguinis nobilitate pares. *Idem indicat cap.* 5, *fol.* 4 : Convenientes boni ominatores, deposita primum senatoria veste.., pro militari cingulo ferreas catenas, pro purpurea chlamyde detritas cillici seu cinericii coloris tunicas induunt. *Ex* familia Antella *eum prodiisse, indicat Ferrarius hac die in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, in notis. Hoc confirmatur infra num.* 11 : Cui.. non deest clara Antellensium propago. *Ad septem horum Fundatorum ætatem quod attinent*; Omnes, *ut scribit Gianius centuria* I, *lib.* I, *cap.* 3, florentis *fuere* ætatis infra vigesimum ad trigesimum quintum annum : inter quos planum est, Bonfilium alios ætate præstasse * : Alexium vero tertium

* *l.* præstitisse

AUCTORE J. P.

tertium supra trigesimum annum attigisse. *Eorum ibidem statu, dum in seculo degerunt, ita commemorato*, Horum septem, alios ferunt perpetuo virgines, alios conjugatos, alios vero defuncta uxore solutos; *sententiam illam refutat inter Annotationes ad dictum caput* : De illorum, *ait*, statu virginali, conjugali et viduali refert Petrus de Tuderto in Chron. Ms., et Thadæus Ademarius in Chron. Ms. cap. 2, et omnium communis sententia, quidquid Chron. Bon. Ms., in quo ejus auctor incaute scripsit, omnes illos virgines fuisse : quod gratis dixisse videtur, cum omnium adversetur sententiæ et veritati. *Ceterum, quando cœperit Ordo Servorum B. V. M., quo loco, et quam miro modo, nec non alia, quæ huc pertinent, inveniet lector apud Gianium. De eodem Ordine actum etiam est apud nos tomo* IV *mensis Augusti, die* XXIII, *a pag.* 664, *in Vita S. Philippi Benitii, ejusdem Ordinis propagatoris. Hinc gradum faciamus ad singularia Beati nostri gesta.*

B

sacerdotium: mittitur ad concilium Lugdunense

4 *De sacerdotio ejus agit Gianius lib.* 2, *cap.* 2, *fol.* 14 : Florentiam igitur e Sanario descendentes patres, Ardingum adeunt : a quo libenter excepti, et sacris initiati, munus sacerdotale suscipiunt *anno videlicet Christi* 1241, *qui ibidem prænotatur.* Deinde, *uti pergit*, Sanarium repetunt, et prima ibi Sacra solemni ritu celebrant. *Hoc unde colligat auctor, in annotationibus ad prædictum caput significat. De illustrissimo Hardingo episcopo Florentino vide Annotata ad Vitæ S. Philippi Benitii caput* 2, *pag.* 666 *lit.* a. *Jam vero ad laudem* B. Manetti *non mediocriter conducit, quod communi patrum consensu missus fuerit ad concilium primum Lugdunense, novum Ordinem in Gallia propagaturus. Œcumenicum illud concilium anno Christi* 1245 *celebratum est. Audiamus Gianium centuria* 1, *lib.* 2, *cap.* 6, *fol.* 16 *verso*, *impositum* Manetto *munus exponentem* : P. Bonfilius *(erat is tunc temporis primus Ordinis Generalis)* novi concilii publicitus audita fama, plurimum suæ Religioni conducere existimans, si quempiam virum gravem ex sociis illuc mittat, inito prius consilio cum patribus, fratrem Manettum, virum prudentem, ac integerrimæ vitæ, nec non in divinis Scripturis satis eruditum, mittere constituit : qui suo exemplo,

C

sanctissimisque concionibus in regno Gallorum sui Ordinis fundamenta jaceret.

ad novum Servitarum Ordinem

5 Hunc igitur de episcopi Ardingi consilio in Gallias cum facultate destinant, acsi sui Ordinis procurator ad utriusque curiam et regis et Pontificis primus omnium hujus Ordinis mitteretur. Nam ex altera parte cupiebant patres (quamvis exigui tunc et pusilli gregis) more cæterorum mendicantium (quantum potuissent) S. R. E. summoque Pontifici præcipua exhibere obsequia : ex altera vero magni sui Ordinis incrementum ex hujuscemodi muneribus erga Apostolicam Sedem se posse in dies sperare arbitrabantur ; quod viderent talibus officiis alios Ordines Religiosorum vehementer excrescere. Mentem quoque summorum Pontificum Gregorii et Innocentii intellexerant, qui optimos concionatores, selectosque Religiosos ad conservandam, propagandamque Christianæ reip. fidem, ad Tartaros mitterent, et quomodo omnem suam diligentiam, et curam intenderent pro sacro ineundo bello ad recuperandum Hierosolymitanum regnum, quod non ita facile sperarent assequi summi Pontifices sine hujusmodi Religiosorum ministerio, qui passim et ubique crucis signo in suis concionibus principes, resp., et populos (id nimirum cœnobitarum munus censetur, ut ii non minus alienæ quam propriæ saluti invigilare teneantur) ad sacrosanctum illud facinus excitarent. D

6 Hujuscemodi igitur consiliis pater Manettus, magni animi vir, benedictione accepta a suo prælato, Lugduunm cum socio pergit, cujus prudentia, et innocentissimæ vitæ exemplo prima Ordinis Servorum apud Gallos semina jaciuntur, quibus postea, tempore incunte, haud difficile fuit B. Philippo Sosteneo, et aliis hanc Religionem longe lateque ibidem propagare, et administrare. *De Tartaris multa narrantur in Commentario prævio ad Acta S. Ludovici Francorum regis, die* XXV *Augusti* § 47, *a pag.* 407. *Raynaldus Annalium ecclesiasticorum tomo* 13, *ad annum* 1241, *sedente Gregorio PP. IX, varia de Tartaris refert num.* 13 *et sequentibus : ad annum vero* 1245 *a num.* 15 *memorat, quæ ab Innocentio PP. IV sunt præstita, ut ad fidem Catholicam eos aggregaret :* Ad quod, *inquit*, Euangelii luce collustrandos, nonnullos Minoritas, in subeundis hujusmodi pro Christo laboribus ac periculis fortissimos misit. *Apostolicis etiam litteris eosdem ad Christi fidem invitavit, quæ ibidem dantur a num.* 16. *Gregorii laudati querelæ de infelici statu Terræ sanctæ legi possunt apud Raynaldum ad annum* 1227 *a num.* 35 : *qui de decreta pro Terra sancta ab Innocentio jam memorato sacra expeditione scribit ad annum* 1245, *num.* 51. *Redeamus ad priora.*

in Gallia propagandum.

E

Tusciæ provinciæ præest :

7 Manettus *impensis in Gallia ad propagationem Ordinis laboribus non contentus, novos in ejusdem favorem adhibuit in Italia. Quippe* post fructuosas, *ut memorant Ordinis Annales citati centuria* 1, *cap.* 14 *ad annum* 1252, per Gallias conciones, populorumque conversionem, nonnullis ibidem locis pro Ordine fundatis, Italiam reversus, Bononiæ pro novo ædificando cœnobio agebat. *De Ordine autem in provincias distributo iidem Annales agunt ibidem lib.* 3, *cap.* 5, *signato anno* 1260, *ac Tusciæ regimen* Manetto *commissum referunt his verbis :* Cumque jam late videretur Ordo, non passi sunt patres ulterius differre, quin Religio in provincias distingui inciperet. Quamobrem in his comitiis Florentiæ apud Caphagium censuerunt primum de Ordine in provincias distinguendo, mox de legibus pro tota administranda repub. ferendis. Primum igitur statuerunt duos præficere viros longe probatissimos ex iis, qui huic Ordini fundamenta jecerant, quorum auctoritate et consilio duæ regerentur provinciæ, Tuscia, quam patri Manetto; Umbria, quam patri Sosteneo, vigilantissimis præfectis commendarunt. *De hospitio Caphagii, extra urbis Florentinæ mœnia ædificato, pluribus scribitur in sæpe repetitis Annalibus centuria* 1, *lib.* 1, *cap.* 11.

F

et ad ecclesiam exstruendam

8 *Ad hunc vero locum ecclesia instruendum operam contulit* B. Manettus *apud Clementem IV, anno* 1265 *ad summi Pontificatus culmen evectum, veterique usus necessitudine quæ sibi in Gallia cum illo fuerat, sicut latius memorant iidem Annales centuria* 1, *lib.* 3, *cap.* 10, *rogavit, ut concessis indulgentiis novam hanc ædificationem promoveret. Accipe pauca e multis Annalium verbis :* Novam igitur veteris amici occasionem nactus P. Manettus Perusium pervenit, adoratoque summa cum gratulatione Pontifice, sui Ordinis necessitatem, et præcipue Florentini cœnobii, exstruendæque ecclesiæ paupertatem exposuit, et, quale præ manibus haberet sumptuosum

A sumptuosum opus Annuntiatæ, narravit; quod vix sperare posset perficere absque ejus ope. Pontifex autem veteris amici, et optimi Religiosi non immemor, quamvis non ita facilis hujusmodi indulgentias concedendas; tamen ad honorem Beatæ Virginis, pro ejus delubro non semel, sed bis indulgentiarum thesaurum (quamvis parce) dispensare constituit per apostolicas literas sequentis exempli : *quas et nos hic damus, quia perbreves, et ad majorem rei gestæ notitiam conducentes. Sic ergo sonant :*

obtinet a Clemente PP. quarto

9 Clemens episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Florentinam, Fesulanam, et Pistoriensem civitatem et diœcesim constitutis salutem, et apostolicam benedictionem. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod, reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis, B firmam spem, fiduciamque tenentes; quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam. Cum itaque, sicut dilecti filii Manettus prior, et fratres domus Servorum de Caphagio juxta Florentiam, Ordinis sancti Augustini, nobis insinuare curarunt, iidem in domo ipsa quamdam ecclesiam ædificare de novo inceperint opere sumptuoso, nec ad hujusmodi, consummationem operis eis propriæ suppetant facultates; universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis, vobis a Deo collatis, eis pias ad hoc eleemosynas, et grata charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram idem opus valeat consummari, et vos per hæc et alia bona quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis felicitatis gaudia pervenire.

indulgentias.

10 Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui eis ad id manum porrexerint adjutricem, viginti dies de injuncta sibi pœnitentia C misericorditer relaxamus, præsentibus post triennium minime valituris, quas mitti per quæstuarios firmiter inhibemus; eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Dat. Perusii XIII Kal. Junii Pontificatus nostri anno primo. *Addunt Annales, quod* consimilem aliam bullam Indulgentiarum sub eisdem fere verbis die IV sequentis Decembris idem P. Manettus jam Generalis ab eodem Pontifice pro eadem fabrica ecclesiæ de Caphagio impetrarit : *et indicatur in notis ad dictum caput* 10, *utramque bullam haberi in archivio ecclesiæ Annuntiatæ : de qua diffuse agunt iidem Annales in Tractatu de cœnobiis et sacris ædibus Servitarum ad primam et secundam centuriam a fol.* 152. *De summa Ordinis præfectura, ad quam beatus Vir evectus est, modo fiebat mentio : nos itaque ordine temporis nonnulla de ea subjungamus.*



AUCTORE J. P.

§ II. Beatus ad Ordinis regimen promotus, rem approbante Clemente PP. IV; magistratus abdicatio; obitus; elogium.

Beatus a P. Jacobo Generali in comitiis Ordinis

Gianius ad annum 1265 *centuria* 1, *lib.* 3, *cap.* 10 *narrat ista :* Interea tempus instabat, quo generalia comitia (P. Jacobo mandante) Senis celebrarentur, quibus cum P. Manettus interesse deberet, Pontificis benedictione Perusii obtenta, recta Senas pervenit. Congregato igitur patrum senatu die Pentecostes vigesima quarta Maii in ecclesia S. Clementis, post salutatam Beatam Virginem, cæterisque de more peractis, P. Jacobus Generalis cupiens magistram illum deponere, sic exorsus est. *Sequitur ibidem ipsius ad patres congregatos oratio; in qua præter alia, quibus eos affatur,* Manetti *laudes prædicat, illumque* E *sibi ut successorum eligant, obnixe hortatur. Sic itaque locutus ibidem fertur :* Opportunitas vero nunc unumquemque vestrum novere debet, quæ, nuper oblata, nullo modo prætermittenda est; uno potius desideranda, si non adesset, et omnibus modo suffragiis amplexanda. Vestris nimirum votis (si recte sapiatis) arridens est, quod cum summum Pontificem modo habeamus illum, qui olim magno amoris vinculo patris nostri prudentissimi Manetti, dum ambo essent in curia Ludovici regis, tenebatur obstrictus quique illum nuper tam blande Petrusii ad pedes excepit, tam amice prosecutus est; quænam erit occasio huic similis, illum in priorem generalem eligendi, cui adeo pateant non modo fores, non modo aures; sed gratia, sed benignitas, sed amor Romani Pontificis?

laudatur ob dotes egregias, ejusque successor eligitur :

11 Ordo noster (fidem, quæso, mihi adhibeatis patres) Ordo noster veluti novella planta in agro Dominico, ut altas radices agat ut feliciora germina producat, iisdem sustentari fulcimentis debet, quibus ad initio plantatus fuit. En P. Manettus unus ex septem, cui (si sanguini* respiciamus) non deest clara Antellensium propago : si prudentiam cum bonitate conjunctam F inspicimus, hanc quoque maximam indicant loco per ipsum in utraque Cisalpina et Transalpina Gallia recepta; et (quod omnium maximum est) si sapientiam cum vitæ innocentia copulatam in eo quæramus, id summi Pontificis Clementis IV testimonium et benevolentia declarabunt, cujus auspiciis et felicia omnia et fausta huic Ordini eventura prævideo. Adhuc finem dicendi fecerat P. Jacobus, cum una omnium vox erupit : P. Manettus Generalis, P. Manettus Generalis. Qui licet coactus, supremum tamen illud onus ea intentione suscepit, ut quam cito deponeret.

* ad sanguinem

S. Philippum Benitium socium sibi adsciscit.

12 Absolutis vero comitiis, postquam citeriorem Galliam pro quarta Ordinis provincia declarasset, eique fratrem Jacobum Rotam Florentinum præfecisset, assumpto iterum sibi in socium quamvis denuo renuente, P. Philippo, suffectoque F. Restauro priore Caphagii, Perusium ad curiam reversus est. *Hactenus Gianius eodem capite* 10 *antea citato.* Jacobus *supra laudatus, cui nomen* Podio Bonzio. *Servitarum sacellanus, director spiritualis, ac deinde ejusdem Ordinis factus Religiosus, tertius eidem præfectus creatus*

AUCTORE J. P.

creatus Generalis, occurrit variis locis in eorum Annalibus. De ecclesia, S. Clementis Senensi, eisdem PP. Servitis tradita, consuli possunt Annales in Tractatu de cœnobiis et sacris ædibus, quem supra indicavimus, fol. 153. Ludovicus, *de quo fuit sermo, est hujus nominis nonus et sanctus: cujus gesta illustravimus ad diem* XXV *Augusti.* Clemens *vero PP. IV, antea vocatus Guido Grossus, primo archidiaconus, deinde episcopus Aniciensis, ac denique Narbonensis metropolita creatus, ac Cardinalis, maximis effertur laudibus ob jurisprudentiam singularem, ut vide tomo* 2 *Galliæ Christianæ novis curis recusæ columna* 717 : *ubi dicitur* ob doctrinæ et virtutis famam allectus . . a Ludovico in secretius consilium; sub quo rege legitur quoque gessisse præfecturam senescalliæ Bellicadri. *Socius vero ille, a* B Manetto *in supremo Ordinis regimine hic assumptus, est S. Philippus Benitius. Hic ad idem munus a dicto Jacobo antea fuerat adlectus, ut videre est apud Gianium centuria* 1, *lib.* 3, *cap.* 8, *ac postea* Manetto *Generali suffectus: electione ejus cœlitus confirmata, ibidem cap.* 13. B *Quomodo autem Clemens PP. IV supremum* Manetti *magistratum vivæ vocis oraculo confirmarit, referamus ex Annalibus loco mox citato cap.* XI.

Beati electio

13 Ut Urbani quarti decretum de Generali nuper ab Ordine electo, et per Apostolicam Sedem confirmando P. Manettus exequeretur, atque hujus occasione rursus benevolum sibi Pontificem inviseret, statim Perusium adventavit, et Clementis pedibus osculatis maxima Octoboni protectoris gratulatione exceptus, die Veneris vigesima nona Maii, primus omnium hujus Ordinis Generalis Apostolica vivæ vocis auctoritate per Rodulphum episc. card. Albanensem in eodem supremo magistratu fuit expresse confirmatus per infrascriptas litteras, *quæ afferuntur eodem cap.* 10, *atque his constant verbis:* Rodulphus, miseratione divina episcopus Albanensis, religiosis viris universis fratribus Ordinis Servorum S. Mariæ salutem in Domino. Fratre Jacobo de Senis priore olim vestri Ordinis Generale, prioratus ipsius regimini et administrationi sponte cedente, vos postmodum fratrem Manettum vestri Ordinis in vestrum, et totius ipsius Ordinis priorem Generalem concorditer elegistis, et electionem hujusmodi de ipso fratre C Manetto factam præsentastis. Sed Apostolicæ confirmandam.

jussu Pontificis confirmatur

14 Cum autem Dominus Papa examinationem electionis ejusdem nobis vivæ vocis oraculo duxerit committendam, nos processum ipsius, et merita examinavimus diligenter. Quia igitur electionem ipsam invenimus canonice secundum formam generalis concilii celebratam, eam authoritate Domini Papæ et de speciali mandato ipsius tenore præsentium confirmamus: eidem administrationem prioratus ipsius juxta dicti vestri Ordinis instituta in spiritualibus committentes. Quocirca universitati vestræ mandamus, quatenus et tamquam rectori vestro generali, pastori animarum vestrarum, intendatis humiliter, et devote ipsi obedientiam, et reverentiam debitam exhibentes. In cujus rei testimonium præsentes sibi concessimus litteras nostri sigilli munimine roboratas. Dat. Perusii quarto Kal. Junii Pontificatus D. Clementis Papæ anno primo, die vigesima nona Maii.

per Cardinalem Rodulphum:

15 *Deinde subdit Gianius sequentes de memorato Rodulpho notitias:* Magnus plane vir, et optimus Rodulphus Cardinalis iste, cui Clemens talia commiserat: is enim natione Gallus ab Urbano IV episcopus Card. Albanensis creatus Viterbii MCCLXI in quatuor temporibus Decembris, D fuit unus ex illis quatuor Cardinalibus, qui Romæ Carolum fratrem S. Ludovici regem Siciliæ coronarunt, quem etiam legatione Sicula comitatus a Clemente quarto transmarinam Africæ legationem cum S. Ludovico Francorum rege obtinuit, apud Tunetum in sævissima illa pestilentia mortuus. *Plura de Viro isto inveniet lector apud Ciaconium in Vitis Pontificum et Cardinalium, tomo* 2, *a columna* 157. Octobonus *vero, uti cum appellat Gianius* (*al.* Othobonus) *fuit secundus Ordinis Servitarum protector: de quo idem Annalista centuria* I, *lib.* 2, *cap.* 20, Supererat, *inquit,* adhuc alter Innocentii IV ex Theodosio fratre nepos Octobonus de Flisco, quem patruus Pontifex . . MCCLI ex archidiacono Rhemensi . . Cardinalem creaverat . . Hunc ergo Summus Pontifex in demortui Guilielmi ex eadem Familia Flisco, Ordinis protectorem precibus Bonaiunctæ Generalis, secundo loco destinavit: qui *eumdem* Ordinem. . diligenter protexit, et quantum fieri potuit, auxit, valideque tutatus fuit. *Fuit is postea Romanus Pontifex Adrianus V. Consuli potest Ciaconius, quem citabam, a col.* E 129, *et* 207.

officio illo

16 B. Manettus *publico ac privato Ordinis sui bono intentus, litteras Apostolicas a Clemente PP. IV obtinet adversus apostatas, quæ cap.* 12, *libri* 3 *apud Gianium ad annum* 1266 *recitantur ex archivio conventus Florentini, atque his verbis expressæ sunt:* Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Manetto Generali ministro, et fratribus Servis sanctæ Mariæ Matris Christi, Ordinis sancti Augustini, salutem et Apostolicam benedictionem. Vestræ devotionis precibus benignum impertientes assensum capiendi apostatas vestri Ordinis, si sub habitu inventi fuerint seculari, et eos alia subdendi disciplinæ religiosiori; sic etiam alios (si secesse fuerit) postquam excommunicationem ob hoc in se latam pertinaciter contemneutes, redire recusaverint (diœcesani episcopi ad hoc accedente censensu) plenam vobis concedimus authoritate præsentium facultatem, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis. Nulli ergo omnino, etc. si quis attemptaverit etc. Dat. Perusii Kal. Januarii Pont. F nostri anno primo.

se abdicat:

17 *Annales Ordinis identidem memorati referunt ad annum Christi* 1267 *beatum Virum suprema ejusdem præfectura se abdicasse:* Comitiis, *inquit Gianius cap.* 13, Florentiæ Nonis Junii per Generalem edictis, factoque fratrum conventu ad statutam diem Pentecostes, litteræ Apostolicæ primum in apostatas cum maximo P. Manetti zelo pro reducendorum salute promulgantur, et passim pervulgari imperantur. Quibus peractis, P. Præsul, cum prospiceret, se ex ingravescente ætate; diutinoque languore minus posse generalatus officio satisfacere, patrum omnium venia ab eodem magistratu sponte se abdicat, qui et publicæ utilitati, et privatæ quieti simul consuleret: in cujus locum plausibili omnium acclamatione, et præcipue seniorum patrum consilio F. Philippus Benitius, cum a conventu Cæsenæ ad comitia pervenisset, ex collega Generalis summus pastor eligitur. *De hac re pluribus agitur apud nos in ejus Vita superius designata: quem lege cap.* 7, *pag.* 677. *Atque hæc quidem hactenus de rebus a* B. Manetto *gestis: de cujus pretiosa morte in conspectu Domini agendum jam est.*

18 *Gianius*

AUCTORE J. P.

A 18 *Gianius ad annum* 1268 *cap.* 14 *hane ita describit:* Ineffabilis.. Vir, servus Dei Manettus.., quartus inter primos institutores hujus Ordinis Prior Generalis, tot quotidianis infirmitatibus attritus, in quas inciderat propter diversas itinerum ac laborem fatigationes pro Religione susceptas, tandem hoc anno (ut majorum tradunt historiæ) gloriose evolat ad Christum. *Obiit in Monte Senario, ut colligitur ex his, quæ ibidem scribuntur de S. Philippo Benitio:* Ei nuntius e Sanario accurrens imminentem P. Manetti obitum retulit: cujus jacturam., ægre accipiens, continuo illuc, saltem ægrotanti solamen laturus, perrexit. *Diem mortis incidisse in* XXVII *Augusti, ibidem non satis clare videtur indicari: locus autem sepulturæ clarius exprimitur. Sic enim illa duo exponuntur:* Tanto igitur Patre orbatus vir Dei Philippus, graviter tulit, se optimo consultore caruisse: cui tandem cum extrema in VI Kal. Septembris persolvisset, ejusque venerandum cadaver apud alios prædecessores sub eadem ara majore apponi jussisset, Viterbium tandem ad curiam *(summi videlicet Pontificis Clementis IV)* B iter aggressus fuit.

ejus mors:

cui videtur interfuisse S. Philippus Benitius:

19 *Vivumne, an jam mortuum* Manettum *in Monte Senario invenerit S. Philippus, quando* saltem ægrotanti solamen laturus *eo se contulit, si quæsierit quispiam; respondemus, quod eum hoc modo loquendi, tum illo,* extrema persolvisset, *videatur indicari, vivum fuisse inventum Beatum a S. Philippo: cujus Vitæ auctor apud nos pag.* 682 *de re gesta hæc ponit, vel componit:* Igitur quod retro itineris ad montem Senarium fuit celeriter remeusus, postquam adventu suo et conveniente tempori oratione Manettum est cousolatus, variisque pro utriusque sapientia sermonibus de rerum præsentium fugacitate, et contra de æternitate futurarum, ultro citroque disseruissent, beatus Senex, postquam quarto loco Prior Generalis Ordinem suum singulari industria per Gallias præsertim propagasset, supremum diem obiit anno Christiano MCCLXVIII, non sine singularis sanctitatis fama.

elogium

20 *At quid de aliis Viri elogiis? Virtutes ejus hisce singillatim exornat laudibus Gianius dicto cap.* 14: Is profecto Pater tantus extitit mansuetudinis, pacis, humilitatis et obedientiæ, ac C cæterarum virtutum æmulator, ut jure ab omnibus ipsius vita irreprehensibilis censeretur; in gubernando adeo prudens, ut a singulis optima regendi norma appellaretur. Si quis tum ex fratribus, tum ex civibus Florentinis (quibus erat charissimus,) ut afflictus auxilium, ut mœstus solatium, ut æger medelam, ut denique pauper subsidium expostulabat, statim remedium portabat. Sed ut singula uuicum colligat verbum, ejus lingua spirituales et corporales curabat morbos. Quod etiam Dialogus M. Pauli confirmat, in quo habetur, quod, cum Sacrificium celebraret, claudum, mutum ac surdum liberavit. *At nos ipsiusmet Pauli textum proferemus paragrapho proximo, ut ea, quæ narrabat Gianius, ex antiquiore hoc scriptore magis confirmentur ac illustrentur.*



§ III. Aliud elogium; miracula; austeritas vitæ, reliquiæ, cultus publicus Romæ confirmatus, et in Martyrologio Romano apponi jussus.

Paulus Florentinus Beatum laudat

In *Pauli Florentini Dialogo apud Martenium in Veterum scriptorum et Monumentorum amplissima collectione tomo* 6, *a columna* 567, *de Origine Ordinis Servitarum conscripto, et ad Petrum Mediceum, Cosmæ senioris filium, directo ad medium circiter seculi decimi quinti, sequentia memorantur de* Manetto *sub nomine* Benedicti *(hoc autem etiam nomine eum vocatum fuisse, indicavimus supra* § 1*) interlocutoribus Petro ipso, atque Mariano, qui ex præfecto cœnobii Annuntiatæ apud Florentinos, ut præmonet Mabillonius ante dictum Dialogum, ad infulas Cortonenses evectus est ab anno* 1455. *Per litteras itaque* M *et* P *intellige personas loquentes:* M. E Nec aliter, o Petre, duplici Benedictus merito inter hos viros aggregatur: nam litteris floruit, et sanctimonia claruit, qui unus ex septem hunc Ordinem inchoantium existit, qui semel immortalitatem animæ, æternamque mundi famam consecutus est. Dignum, o Petre, censeas tanti Viri memoriam agere, quod mortalibus gratus, ordini gratior, et Deo gratissimus fuerit. P. Equidem, o Mariane, iuquit Petrus, quamvis non ea facundia sim, vellem tamen ab immortali Deo mihi datum, ut tecum tantorum virorum gesta divina cognitione consequi quirem. Verum cum sanctitati condigna merita reddere haud valeam, uberrimam saltem, ac maximam præsto voluntatem.

a virtutibus et miraculis:

22 M. Hic vir clarissimus, inquit Marianus, cælestis patriæ desiderio raptus, hominum confusionem horrens, Senarii montis accola effectus est, atque illic apostolorum morem tenens, manus imponens, ægrotos quamvis arduos liberabat. P. In montene, o Mariane, ista fieri consueverunt? M. Et illic, o Petre, omnem serpentium ferocitatem crucis signo adhibito perimere consuevit. F Homo quidem miræ simplicitatis, clarus mortalibus emicuit signis, qui totus Dei deditus obsequio, herbis plerumque sustentabatur, cui merito dici potest: Jacta cor tuum in Domino, et ipse te enutriet. Ad huuc magno fletu affines nepotem claudum permutum afferunt, si ejus virtute, et sanctitate illum reddere posset incolumem postulantes. Nunc Deus, inquit, carissimi, votum vestrum absolvet, ex quo cuncta quævis bona procedunt. Tunc paratus ad Missam, sacrificium Deo offerens, et ea absoluta manibus infirmum adducens, recte pedibus sustulit liberatum. Ac perinde corpus Domini ori infundens, exacta communione, loquendi tribuit facultatem. Quamobrem nimia admiratione, gaudio, et timore repletus populus exultavit. P. Mira sane, o Mariane, narras. Tanta enim in Benedicti laudem dixisti, ut nil majus, vel excellentius in ceteris superesse credam. *Ita Paulus Florentinus. De miraculis hujus Beati meminit etiam Ferrarius in notis hac die, ista scribens:* Aliquot claruit miraculis, quæ in præclaro illius sacello, ex marmore vario et pretioso constructo in basilica D. Annuntiatæ depicta conspiciuntur.

 22 23 *Singulare*

AUCTORE J. P. vitæ severitas mitigata, quia modum excedebat :

23 *Singulare etiam elogium meretur Vir beatus ex asperrima vivendi severitate, quam Eminentissimus Cardinalis de Lambertinis* § 42 *supra designato laudat in septem Ordinis Fundatoribus, atque adeo* Manetto, *his verbis:* Tam pie, et sancte, et tanta sensuum mortificatione septem ipsi Fundatores in eremo vixerunt, ut Gaufridus Cardinalis legatus eos serio admonuerit de nimia in se ipsos crudelitate, utpote quod in tanta vitæ asperitate viderentur sibi velle mortem consciscere; quare ejus authoritate permoti pristinum rigorem remittere coacti sunt; quemadmodum legere licet apud Archangelum Gianium in Annalibus sacri Ordinis Servorum additis a patre Aloysio Garbio lib. I, cap. XII. *Hactenus Eminentissimus Cardinalis. Porro* Gaufridus *ille erat* Mediolanensis ex nobilissima Castulonea familia.., qui in Etruria et Longobardia pro Gregorio IX legatione fugebetur.., vir nedum prudentia et eruditione, sed summa pietate et religione consultissimus, *uti refert Gianius, pluribus etiam narrans, quam singularem septem Viri isti tenerent vivendi modum in affligendo corpore, ut carnem spiritui* B *subjicerent. De sacris eorumdem lipsanis accipe sequentia.*

capita seorsum locatum :

24 *Corpora prædictorum Fundatorum in Monte Senario sub ara majore fuisse recondita, diximus alia occasione superius* § I : Ad præsens autem, *teste Eminentissimo Domino de Lambertinis*, in sacello post chorum sito, quod reliquiarum sacellum communiter vocatur, adest altare ornatum, in cujus icone depicta apparet beatissima Virgo, quæ angelis comitata porrigit habitum nigrum septem Fundatoribus ante eam orantibus, et sub eodem altari, si pallium removeatur, licet confectum ex materia solida et opere vario, comparent septem capita separatim locata cum corona florum super unumquodque eorum, et cum quadam inscriptione litteris aureis sculpta, quæ ita se habet: SEPTEM BEATORUM ORDINIS SERVORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS FUNDATORUM CAPITA, uti colligitur ex accessu episcopi Florentini eo loci facto de anno MDCCXIX, postea relato in processu confecto super cultu immemorabili horum sex ex septem Fundatoribus, in quo quidem processu innumeræ probaC tiones publici antiquissimi cultus continentur. *His subdimus nonnulla circa publicam eorum venerationem.*

decretum sacræ Congregationis

25 *Idem Eminentissimus loco citato profert publicam de legitimo eorum cultu Romæ approbato declarationem his verbis expressam :* Decretum. Florentina canonizationis sex ex septem Fundatoribus Religioni Servorum B. M. V. Beatis nuncupat. Discusso in sacra Rituum congregatione ad instantiam postulatorum hujusmodi causæ dubio, an constet de cultu ab immemorabili tempore eisdem Beatis exhibito, et casu excepto a decretis sanctæ memoriæ Urbani Papæ VIII, ita ut sententia reverendissimi Ordinarii Florentini sit confirmanda in casu etc.; sacra eadem Rituum congregatio ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi domini Cardinalis Zondadarii, Reverendissimo Domino Prospero de Lambertinis archiepiscopo Theodosiæ, fidei promotore in scriptis, et in voce prius audito, rescribendum censuit, constare de cultu immemorabili sex ex septem Fundatoribus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die VII Julii MDCCXXV. Factaque deinde per me secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua (Benedictus videlicet XIII) benigne annuit, die D XXX ejusdem mensis, et anni MDCCXXV.

de publico ipsius, et aliorum fundatorum cultu :

26 *Ne autem aliquis existimet, unum ex his viris excludi a publico aliorum cultu ; audiat hanc sapientissimi Cardinalis observationem :* Septimus porro, hoc est, Alexius Falconerius, in superioribus *(Vide lib. 2, cap. 24, § 37)* memoratus est; quia cum causa beatificationis et canonizationis ejusdem, cura studio atque impensa suæ nobilissimæ domus initium habuerit et progressum (quod etiam factum est in causa beatæ Julianæ ex eadem familia) ubi causa aliorum sex Fundatorum promota fuit, et promovetur a religioso Ordine Servorum Mariæ, hinc unius causæ ab alia segregatio provenit, licet tum quo ad sanctitatem, tum quo ad cultum iisdem omnino fundamentis utraque insisteret, *sicut nonnullis, quæ ibidem subjicit idem Cardinalis, declaratur. B. Juliana Falconeria habetur apud nos tomo* III *Junii, die* XIX, *pag.* 917; *quæ cum postea Sanctorum catalogo adscripta sit, plura erunt dicenda in Operis nostri supplemento de Sancta ista ad eumdem diem, quo ab Ecclesia colitur. Postremum est ut, antequam Commentario huic fi-* E *nis imponatur, lectorem moneam primo, quod, tametsi supra dictum decretum, et alia ex Eminentissimo D. de Lambertinis per decursum transcripta, habeantur in fine Commentarii prævii ad Vitam S. Philippi Benitii per modum epimetri; ea tamen visum mihi fuerit hoc loco repetere, quia sunt valde propria in rem præsentem, nec nimis prolixa. Secundo, cum nec apud nos repererim, nec norim hactenus, Beati nostri Vitam seorsim fuisse conscriptam, usus sum Annalibus Ordinis a Gianio vulgatis, apud quem consuli etiam possunt auctores alii, quos assignat post capita.*

annuntiatio inscribi jussa

27 *Postquam hæc scripseram, incidi in* Decretum Urbis et orbis, *titulo* Descriptionis in Martyrologio Romano beatorum confessorum Bonfilii Monaldii, Amidei de Amideis, Sostenei de Sostenels, Uguccionis de Uguccioniis, Manetti Antellensis, et Bonajunctæ Manetti, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis. *In hoc decreto annuntiari jubetur primus* die I Januarii; *secundus* XVIII Aprilis; *tertius et quartus* III Maii; *quintus* die XX Augusti; *sextus* die XXXI Augusti; *omnes cum elogio :* Sanctissimus Dominus noster Bene- F dictus XIII ad humillimas preces P. Fratris Petri Mariæ Pieri Generalis *(qui deinde sacro Cardinalium collegio adscriptus est)* et P. Fratris Josephi Mariæ Curti, procuratoris Generalis, Ordinis B. M. V., suprascripta elogia pro sex beatis Fundatoribus ejusdem Ordinis approbavit, eaque respective in eorum festivitatibus ubique recitari, et cani, ac in Martyrologio Romano diebus assignatis apponi mandavit. Die VII Septembris MDCCXXVIII.

Martyrologio Romano.

28 *Hactenus decretum : quod cum serius pervenerit ad meam notitiam, quam ut Ma*nettus Antellensis *poni posset die* XX *Augusti cum Martyrologio Romano, cui tunc inscribi jubetur; damus eum hac die* XXVII *ejusdem mensis cum Ferrario in Catalogo antea citato, qui annuam Viri memoriam ita signat:* Florentiæ B. Manetti IV Servorum Generalis. *Annuntiatio autem, quæ inseri mandatur in Martyrologio Romano, hæc de illo memorat:* In sacra eremo Senarii montis Florentinæ diœcesis beati Manetti confessoris, qui cum unus fuerit e septem Beatis, qui Servorum sanctissimæ Virginis Ordinem instituerunt, præstantissimeque splenduerit virtutibus, præcipue vero

vero prudentia, pietateque exquisita in Deiparam, huic dicens in obitu hymnos, in Domino sancte obdormivit. *Decretum hoc præcesseral aliud, datum* VII *Augusti* 1728, *quo laudalus Pontifex eidem Martyrologio apponi mandavil elogia B. Alexii Falconerii. El B. Julianæ Falconeriæ.*

AUCTORE J. P.

DIES VIGESIMA OCTAVA AUGUSTI

SANCTI, QUI V KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Hermes M. Romæ.

S. Pelagius M. Constantiæ in Suevia.

S. Pelagius M. in Civitate nova in Istria.

S. Fortunatus M., **S. Caius M.**, **S. Anthes M.** } **Salerni apud Picentinos in Italia.**

S. Julianus M. Brivate in Arvernia.

S. Polienus M., **S. Serapion M.**, **S. Justilla M.** et forte **S. Hermes M.** } **Alexandriæ.**

S. Helias., **S. Stephanus diac. M.**, **S. Pollion M.** } **Romæ.**

S. Vicinius ep. conf. Sassinæ in Umbria.

S. Alexander ep. conf. Constantinopoli.

S. Moyses Æthiops eremita in monte Scheti Lybiæ.

S. Ambrosius ep. conf. Santonis in Gallia.

S. Augustinus ep. et doctor Ecclesiæ, Hippone-regio in Africa.

S. Bibianus vel Vivianus ep. Santonis in Gallia.

S. Facundinus ep. conf. Tadini in Umbria.

S. Juventinus archidiac. conf. apud Tadinates in Umbria.

S. Elmerus vel Ermelius episc. confess. Molhanii in diœcesi Leodiensi.

S. Flannanus ep. conf. Laoniæ in Momonia Hiberniæ.

B. Adelindis abbatissa in Suevia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI

Johannis abbatis et confessoris *meminit Grevenus. Florarium nostrum Ms.* Apud Lingones Johannis abbatis et confessoris. *Consule quæ de S. Joanne abbate Reomaensi dicta sunt apud nos ad diem* XXVIII Januarii.

S. Julianus Hospitator *colitur ac die in vico* del Fou *diœcesis Barcinonensis, uti ex Domenecco diximus ad diem, quo actum de illo est,* XXIX Januarii.

In Luca Valerii martyris *memoriam faciunt Additiones Bruxellenses Mss. ad Usuardum Greveni. De synonymo episcopo martyre, qui Lucæ in Etruria colitur, actum est* XXIX *Januarii : quem si velint dictæ Additiones, legi possunt pauca de illo scripta ibidem* XXIX Januarii.

Sanctus Tolmannus martyr in Germania post varios ibidem in prædicando Christi Euangelio labores, *sicut habet Camerarius ad hunc diem, citans Leslæum lib.* 4 *Historiæ, Democharem de Missæ Sacrificio, et alios; sed eos non nominat. Qualis a Camerario nobis hic obtrudatur* Tolmannus, *et* sanctus *quidem, prorsus non intelligimus. An voluit scribere* Colmannus? *Ita enimvero vocatur a Leslæo lib.* 4, *pag.* 160; *ubi vult, eum fuisse Lindisfarnensem episcopum, martyrio in Austria functum, et alia quæ perperam ipsi a Leslæo adscripta fuisse, diximus die* XVIII Februarii.

Næti *(in Sicilia)* translatio B. Conradi confessoris *annuntiatur ab Octavio Caiētano in Idea Operis de Vitis Siculorum Sanctorum. Illustravimus ejus Acta* XIX Februarii.

Sacrosancti martyris et Thaumaturgi Damæ *memoriam hac die annotari in Ms. Synaxario Parisiensis collegii Claromontani, indicavimus in S. Eupsychio martyre ad diem* IX *Aprilis, eumdemque hunc nobis* Damam *videri diximus, de quo magnus Basilius in epistola* 291 *ibidem citata loquitur. Ponit eum Castellanus* XXVIII *Augusti. Quoniam vero alia a nobis de illo comperta*

A *comperta non sunt, quam quæ alias diximus, lectorem mittimus ad diem* IX Martii.

Memoria S. Anastasiæ patriciæ *est in nostro Græco Ms. Supplemento ex synaxario Sirmondi ac Ms. Chiffletii. Patriciam synonymam, sub monachi habitu reclusam, habes apud nos die* X *Martii. Si hæc sit eadem cum illa, videatur dies* X Martii.

Gerundæ in Catalonia martyrium S. Narcissi, *inquit Castellanus ad hunc diem. Illum tamquam episcopum et martyrem etiam ponit Ferrarius, at die* XXIX *Octobris. Habetur in Martyrologio Romano, et apud nos* XVIII Martii.

S. Contardus Peregrinus *a Castellano refertur* Blandenonæ ad Padum in diœcesi Placentina in Lombardia. *Acta ejus illustrata sunt die* XVI Aprilis.

Leocatæ in Sicilia, translatio corporis sancti Angeli martyris, Ordinis Fratrum beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo : quando ejus venerabiles reliquiæ anno MDCLXII, numeroso comitante populo, gran-
B dique cum pietate ac lætitia, ex antiqua ecclesia ad novam, civium Leocatensium eleemosynis erectam, translatæ fuerunt, *sicut refert Acies bene ordinata Philippi a Visitatione, anno* 1670 *edita, ad hunc diem. De hoc Sancto tractavimus tomo* 2 *Maii die* V, *in ejusque appendice ad diem eumdem* V Maii.

B. Rainaldi eremitæ *memoriam consignat Hieronymus Nicolynus in Historia urbis Teatinæ pag.* 120, *ejusque corpus decenter ac devote conservari indicat Fallascosi in diœcesi Teatina, addens, illustrem illum esse præcipue in liberandis energumenis, festumque ipsius ibidem coli* XXVIII *Augusti multa cum solemnitate. De hoc Beato etiam agit Ferrarius in Catalogo generali. Lege apud nos dicta in* SS. Reginaldo et Franco *ad diem* VII Maii.

Corpora SS. Petri et Marcellini *sepulta hac die memorari apud Adonem et alibi, indicatur ad diem, quo de illis tractavimus* II Junii.

Sanctarum virginum Cunegundis, Mechtundis et Wibrandis *annuntiatio* Eischelli in Helvetia, *consignatur apud Ferrarium. Datæ sunt die* XVI Junii.

Danielis prophetæ *meminerunt hac die Withfordus, Maurolycus, Canisius, et Ferrarius.*
C *Actum de illo apud nos* XXI Julii.

Sancti patris nostri Acacii junioris (τοῦ νέου) *meminerunt Menæa magna Græca excusa, appositis duobus versiculis, qui indicant, collum, ei abscissum gladio fuisse, et lac effudisse, candorem animæ significans. Die* XXVIII *Julii dedimus synonymum Martyrem Mileti passum, cui aptantur iidem omnino versiculi Græci, qui hodierno, atque adeo idem mortis genus, miraculum idem profusi lactis pro sanguine : ex Synaxario autem Basiliano* capite minutus *dicitur ibidem,* sectione reddente sanguinem et lac. *Hic tamen videtur diversus ab hodierno, quia titulus ei tribuitur* Sancti patris nostri, *et* junioris *nomine nuncupatur : nisi forte ex uno conflati sint duo. Quidquid sit, nodum hunc aliis extricandum relinquimus. Quæ autem retulimus alibi a nobis dicta, legi possunt ad diem* XXVIII Julii

Civitate ostia Aureæ virginis depositio *ex sæpe dicto Florario Ms. Vide diem* XXIV Augusti.

Natalis Ezechiæ regis in pace quiescentis *refertur et* sancti *titulo donatur idem rex in Menologio Sirletiano ; de quo etiam agunt Menæa magna Græca typis edita, et Castellanus. Spectat* D *ad vetus Testamentum, in Opere nostro non ponendus, quia non habetur in Martyrologio Romano.*

Susanna in veteri Testamento *castitate notissima laudatur in Martyrologio Canisiano. Nos illam prætermittimus, dare consueti illas personas, que in Romano Martyrologio ex eodem Testamento notantur.*

In Africa depositio Faustini episcopi *annuntiatur apud Florentinium in notis : de quo plura cupimus doceri.*

Pelagius PP I *hesterno die inter Prætermissos ad hunc dilatus est, ut examinaretur publicus ejus cultus. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 7, *cap.* 121 *de hoc Pontifice scribit, et Sancti titulum ipsi tribuit, quod et facit Ferrarius, sicut heri dictum est. Idem Ferrarius in notis ad* XXVII *Augusti hæc scribit :* Illum Canonici Reg. Officio ecclesiastico colunt. *Sed nihil addit, quod id probet : nec ego in Officiis Canonicorum Regularium, et variarum quidem congregationum, illud inveni.* E *Causa autem, cur ab aliquibus Sanctus vocetur, creditur esse illa, in Conatu chronico-historico ad Catalogum Pontificum Romanorum a nobis edito, pag.* 86 *sic expressa :* Porro ingentia Pelagii elogia continet ejus epitaphium, cujus intuitu ab aliquibus credo SANCTUM vocari, etsi nullum cultus ecclesiastici ei aliquando exhibiti reperiatur vestigium. Verosimilius ex illo epitaphio inferas, posteriori aliquo seculo, puta XI, sub Sergio Papa III, hujus et aliorum variorum Pontificum in Vaticano tumulatorum sepulcra marmoribus et titulis ornata fuisse. SERGII certe istius ætatem ac stylum referunt versus, ut patebit eos cum aliis istius Pontificis conferenti. *Deinde subditur dictum epitaphium, illudque etiam edidit Baronius ad annum Christi* 559 *sub initium, ubi nullum publici ipsius post obitum cultus indicium reperio.*

In Scandinavia, S. Formanus ; qui ex monacho Hirsaugiensi factus est episcopus Slesvicensis. *Hæc e Castellano ; apud quem ad marginem hujus annuntiationis vocatur* Egoardus, *ubi et apponitur annus* 965. *Locus Gallice ab ipso scribitur* en Scandinavie ; *in Tabula vero nominum locorum pag.* 1057 *Latine ab eo vocatur* Scania. *A Trithemio in Annalibus Hirsaugiensibus, typis monasterii S. Galli anno* 1690 *excusis, tomo* I *ad annum* 965, *pag.* 109 *appellatur* Egwardus, *et laudatur a doctrina, prædicatione, vitæ merito, ac Scripturarum eruditione* : qui sanctitatis suæ manifestum omnibus præbuit signum. Nam hominem in mari submersum suis precibus coram multitudine hominum ad vitam revocavit. Unde in stuporem conversi Sleswicenses, nomen illi dederunt Viri Dei, appellantes eum Gottmannum causa reverentiæ et honoris, utpote quem tanto miraculo Dei cognoverunt esse amicum. *Hinc colligo primo, nomen ejus non recte scribi supra : secundo, non satis nobis constare e dicto elogio, quod post mortem habuerit publicum ac stricti nominis cultum, qui aliunde probari deberet.*

Certamen triginta trium Martyrum Nicomediæ consummatorum *habetur in nostro Supplemento Ms. ad Menæa Græca excusa. Martyres varios ibidem passos dedimus alias in Opere nostro : de his nihil occurrit, quod dicam.*

Cantuariæ

A Cantuariæ in Anglia, beati Alfrici episcopi miraculis clari, *uti habet Menardus. In elogio, quod de illo habet lib.* 2 *Observationum pag.* 677, Fuit, *inquit*, abbas Abingdoniensis in Anglia, et Wiltoniensis episcopus : postea archiepiscopus Cantuariensis. Successit Ethelgaro. Fuit a puero miraculis clarus. Obiit ad annum millesimum sextum. Post mortem claruit miraculis. Sepultum est ejus corpus Abingdoniæ, quod postea relatum est Cantuariam. Ejus sanctimoniam testantur litteræ cleri Cantuariensis ad monachos Abingdonienses de ejus electione, ut refert Nic. Harpesfel. sec. x, cap. 7 Hist. Angl. *Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti ad annum Christi* 1006 *de illo agit tamquam Sancto, ubi litem indicat esse inter auctores, cui in sede Cantuariensi successerit. Verum hæc res levioris est momenti : majoris est, quod non videatur nobis sufficienter probari publicus ejus cultus. Non ex dictis litteris, quia ille tunc vivebat : non etiam ex miraculis, quæ sola cultum non faciunt : non denique ex illis, quæ de eo habentur tomo* I *Angliæ sacræ, anno* 1691 *Londini edita, parte* I, *pag.* 54 *:* XVI Cal. Decembr. Cantuariæ depositio BEATÆ MEMORIÆ Alfrici, ejusdem civitatis archiepiscopi, et confessoris. *Ibidem pag.* 166 *in Historia cœnobii Abendoniensis dicitur :* Alfricus Dorobernensis archiepiscopus obiit, *sine titulo* sancti : *quem ille etiam non dat Harpesfeldius. Si plura viderint eruditi Benedictini, dignentur nos certiores facere, ut huic venerando Præsuli detur locus in nostri Operis supplemento.*

Sanctorum martyrum Diomedis et Laurentii *mentionem faciunt Menæa magna typis edita, cum versiculo duplici, e quo colligimus platano alligatos, facta etiam mentione de arcubus tensis, atque adeo sagittis impetitos fuisse. Eorum quoque nomina sunt in Menæo Chiffletii. Quinam hi sint, quando, vel ubi passi, nos latet.*

S. Magder abbas *signatur apud Castellanum* in Æthiopia. *In Fastis sacris ecclesiæ Æthiopicæ, qui apud Jobum Ludolfum Historiæ istius gentis intexti sunt, pag.* 427 *notatur :* Abba Magder. *Nos cultum publicum ei non asserimus, nisi magis de illo constet.*

C S. Clarus confessor, honoratus tamquam martyr, *apud Castellanum annuntiatur* Losduni, *quod est in Pictaviensi Galliæ provincia. Certiora de publico cultu ac rebus ejus gestis desideramus.*

In catalogo Sanctorum, quem Bollandus nobis reliquit sua manu scriptum, notantur isti Sancti, non satis noti, quia vago modo signati :

Balbina *ex Rabano Ms. Treviris.*

Secundus M. *ex eodem Ms.*

Quiraci M. translatio *ex Usuardo monasterii S. Martini Tornaci.*

In Scotia Euchini episcopi cognomento Dei timentis. *Ita Dempsterus, citans aliorum collectanea, et Hectorem Boëthium. Hac etiam die illum refert Ferrarius, floruisse memorans in notis* circa an. DXXXIV, ex lib. 5 de Script. Scot. *Apud nos die* IV *Februarii in S. Modano nominatur* Euchinus *episcopus ex dicto Hectore. Probari ejus cultum, si habeat, cupimus, ac plura de gestis, sicubi forte lateant, subministrari.*

Munyo magister VII Ordinis Prædicatorum *tamquam* beatus *annuntiatur in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum Greveni. Bernardus Guido in Libello seu Tractatu Magistrorum Ordinis Prædicatorum, apud Martenium tomo* 6 *Amplissimæ collectionis veterum scriptorum edito, hæc refert columna* 409 : Septimus Magister Ordinis., fuit frater munio Hispanus, electus, anno Domini MCCLXXXV . . Hic fuit persona venerabilis *etc. De ipsius autem morte ibidem etiam agitur, sed sine ullo indicio publici cultus.* D

Joannes Præcursor, *Vilarii in Brabantia*
Walterus abbas Dunensis, *in territorio Furnensi*
Depositio Malachiæ, episcopi Jancensis, *in Hispania*
} *titulo* beati *donatur a Chrysostomo Henriquez in Menol. Cisterc.*

Primus etiam laudatur apud Raissium in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, sed absque titulo beati : *quo etiam abstinet in sequenti nomine.*

Joannis de Wistrezees *(de quo inter Prætermissos ad diem* XX *Februarii) in eodem Villariensi monasterio* Conversi, *quem laudat modo dictus Raissius.*

Thieszelmus monac. in Clara-valle *memoratur in Kalendario Ordinis Cisterciensis, quod anno* 1617 *impressum est Divione. Illustrissimus Angelus Manrique Annalium Cisterciensium tomo* 2 *ad annum* 1155, *cap* 2, *num.* 7, Tiezcelmum alias Tescelinum *appellat, et num.* 8 *narrat visionem Gaufridi in ipsius morte.* E

Joannes Elvasius, et Sixtus, *occisi in India Orientali pro Christo*
Tres confessores, *in Monte Casali in Umbria*
Sabbatinus conf., *apud Montem Ferrandum in territorio Claromontensi*
Ventura conf., *Perusiæ*
Angeli a Speculo conf., *Luceriæ Sarracenorum*
Jacobus Melphictanus conf., *Messapiæ in Calabria*
Alphonsus a Palentia conf., *Abulæ in Hispania*
Isabella a S. Francisco, *Belvisii in territorio Placentino Hispanico*
} *apud Arturum notantur tamquam* beati, *duo primi etiam tamquam martyres, in Martyrologio Franciscano.*

Superioribus addi possunt alii ex Menol. Franciscano Hueberi. F

Petrus confessor Ordinis Minorum *signatur et titulo* beati *honoratur in Additionibus Bruxellensibus Mss. ad Usuardum Greveni. Arturus plurimos ejusdem Ordinis confessores synonymos intexit suo Martyrologio ; sed nullum ibidem lego hac die. An vero confessor iste in dictis Additionibus notatus, sit unus ex illis, qui memorantur apud Arturum, quis edisserat, cum ponatur absque alio cognomento seu signo characteristico ? Sed, qualiscumque sit, antequam locum ei damus in hoc Opere, requiritur legitima probatio de publico ipsius cultu.*

Girtareus Cardinalis *cum titulo* beati *est in Additionibus Bruxellensibus Mss. ad Usuardum Greveni. Quisnam hic sit, non est nobis exploratum.*

Eodem die (XXVIII *Augusti*) festum recollectionis omnium festorum beatæ Mariæ semper virginis. Istud tenent quidam in Octava Assumptionis. *In ecclesia cathedrali Antverpiensi festum recollectionis festivitatum B.M.V. celebratur Officio proprio Dominica prima post Octavam Assumptionis, ac ritu duplici 2 classis. Præcedens autem annuntiatio desumpta est ex Additionibus Mss., de quibus supra.*

Natalis

A Natalis sanctæ Annæ filiæ Phanuelis *annuntiatur in Menologio ac Menæis modo designatis. Apud Latinos autem colitur, ac Martyrologio Romano inscribitur* I Septembris.

Abundi et Abundantii *meminit Grevenus. Sunt in Martyrologio Romano* XVI Septembris.

Thaysis peccatricis conversio *signatur in Florario nostro Ms. In Martyrologio quod sub nomine Canisii Germanice editum est, scribitur* Taidis *et laudatur breviter, uti et apud Grevenum Latine his verbis :* Taysis quondam peccatricis, quam sanctus Pasnutius abbas convertit, et in cella arta inclusit. Ubi in maxima pœnitentia exactis annis tribus, postea quievit in pace. *Notatur apud Græcos* VIII Octobris.

Consecratio altaris sancti Dyonisii *occurrit in nostro Ms. Florario. Natalis SS. Dionysii ep. et martyris, ac sociorum inscribitur Martyrologio Romano* IX Octobris.

Teclæ sanctimonialis et abbatissæ Wyzzengensis monasterii *mensio fit in apographo nostro e Ms. S. Salvatoris Antverpiæ. Locus vocatur* Eizzingen *apud Trithemium lib.* 3, *cap.* 172 *de Viris* B *illustribus.* S. Theclam *annuntiat in* Germania *Martyrologium Romanum* XV Octobris.

In Scotia commemoratio S. Reguli confessoris, *qui dum esset abbas Patræ in Achaia, cœlitus fuit monitus, ut quasdem e reliquiis S. Andreæ deferret in Scotiam etc., ex Martyrologio Anglicano Wilsoni anno* 1640 *excuso. Agit de illo Alfordus variis locis Annalium suorum,* quem, *inquit ad annum* 395, *num.* 6, pie mortuum Anglicani Fasti inter Sanctos numerant ad XXVIII Augusti. *Sed inter Prætermissos et alio dilatos apud nos ad diem* XXX *Martii significatum est, eum apud Camerarium et Demsterum referri aliunde ad* XVII *Octobris. Agi autem de illo poterit ad diem, quo habetur in Breviario Aberdonensi,* XV Octobris.

Coloniæ Agnetis virginis et martyris *cum titulo* sanctæ *annutiatio habetur apud Ferrarium,* ex Tab. ecclesiæ Colonien., *sicut scribit in notis, addens ista :* Passa est in Anglia circa an. CCCLXXXIII, ex Martyrol. Angl., et Troph. eccl. Angl. *Apud Wilsonum dicitur esse una ex undecim millibus Ursulanis. Gelenius in sua* C *Colonia Agrippina lib.* 4 *in sacris et piis Fastis pag.* 717 *hæc memorat :* Item Coloniæ S. D Agnetis Anglicæ virginis et mart. *Saussayus in Supplemento pag.* 1162 *vult, ejus exuvias Coloniam ex Anglia advectas. Alfordus ad annum* 453, *num.* 35 *de illa etiam meminit. Qualiscumque autem fuerit hæc virgo et martyr sub nomine Agnetis nuncupata, satis et abunde est, notasse superiora. De sancto vero Ursula, et sociabus ejus agendum erit ad diem, quo referuntur in Martyrologio Romano* XXI Octobris.

In Africa sanctorum martyrum Septimi, Januarii, Felicis, Cagi, et Anthios ac aliorum, *annuntiatio est in nostris Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum.* De Caio, Anthe, *una cum* Fortunato, *martyribus Salernitanis, agemus hac die ; ubi legi possunt, quæ de his et aliis indicabimus. Videri etiam possunt auctaria ad Usuardum nostrum hac die* XXVIII *Augusti, nec non Martyrologium Romanum ad diem, quo et dicenda apud nos exspecta,* XXIV Octobris.

Rhumbaldi confessoris *cum titulo* sancti *annun-* E *tiationem ponit Ferrarius hoc die, quo etiam refertur in Martyrologio Anglicano Wilsoni prioris editionis ; sed in secunda signatur ad diem* 2 *Novembris. Alfordus in Annalibus ecclesiæ Anglo Saxonicæ ad annum Christi* 696, *num.* 27, Constat, *inquit,* Rumwoldum puerum, sanctum coli, et olim cultum esse in Buckinghamiensi ecclesia. *Agitur de illo apud Capgravium in Legenda Angliæ, et ibidem folio* CCLXXVI *narratur obiisse* tertio Nonas Novembris. *Nos, quæ ad illum spectant, differimus ad eumdem diem* III Novembris.

Sanctæ memoriæ Agnetis virg. sororis sanctæ Claræ etc. *annuntiatio habetur apud Grevenum : de qua et Martyrologium, quod dicitur Canisii, et uterque Ferrarii Catalogus. Arturus eam ponit et laudat in suo Gynæceo ad diem* XVI *Novembris, quo eam obiisse affirmat Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1253, *num.* 23, *ubi de virtutibus et miraculis ipsius scribit. Si publicus hujus virginis cultus legitime probatus fuerit, poterit inseri Operi nostro ad diem, quo eam differimus,* XVI Novembris.

F

DE S. HERMETE MARTYRE

ROMÆ

J. S

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

§ I. Judicium de antiquitate et fide Actorum S. Alexandri, e quibus gesta S. Hermetis petenda : eorumque vindiciæ contra Tillemontium et alios.

An. CXVI. Gesta S. Hermetis relata sunt in Actis S. Alexandri, de quorum fide disceptatur,

Quandoquidem *gesta* S. Hermetis *illustrissimi martyris petenda sunt ex Actis S. Alexandri Romani Pontificis, variaque de Actis illis eruditi judicarunt, ante omnia inquirendum est, quid de antiquitate et fide Actorum illorum sit statuendum. Baronius ad annum* 132 *num.* I *vocat Acta S. Alexandri* nimia antiquitate mendosa. *Henschenius, qui illa edidit tom.* I *Maii a pag.* 371 sincerissima *putavit, et ut talia defendere conatus est in Commentario prævio, nixus auctoritate antiquorum martyrologorum, quibus eadem Acta placuerant, cum sua ex iis hauserint elogia. Alii demum Acta memorata non modo* mendosa, *sed ei* mendacia, *iisque relata* falsa et ficta omnia *voluerunt.*

A *voluerunt. Horum agmen duxit Joannes Pearsonius heterodoxus Anglus in Chronologia priorum Romæ episcoporum pag.* 227, *quem secutus est Tillemontius in Monumentis historiæ ecclesiasticæ tom.* 2, *pag.* 590 *et* 591, *ac demum Bailletus in Vitis Sanctorum tom.* 2, *col.* 7 *et* 8. *At pro Actorum fide stetit rursum Schelstratius in Antiquitate Ecclesiæ dissert.* 3, *cap.* 2. *Huic accessit Blanchinus in notis ad Anastasium Bibliothecarium in Alexandro. De ætate Actorum non minus dissentiunt prædicti scriptores : nam Henschenius suspicatus est scripta esse seculo* III *ante persecutionem Decii ; alii non nisi seculo* VII *procusa esse contendunt. Primo itaque investigabo. quo seculo Acta videantur conscripta, quia inde quoque eluceset, quanta eisdem fides debeatur.*

Acta illa scripta videntur

2 *Licet tempus, quo scripta fuerunt hæc Acta, non possit accurate ostendi, existimo tamen scripta non fuisse post seculum* IV, *seu pacem Ecclesiæ restitutam a Constantino. Serius scripta non esse, suadet imprimis stylus ipse, qui satis Latinus est et simplex, longeque purior, quam ut seculo* VII *congruat.* B *Deinde antiquitatem horum Actorum insinuat silentium auctoris de cultu* S. Hermetis : *nam cultus is antiquissimus fuit, lateque propagatus, ut infra videbimus. Quin imo ex modo diverso, quo num.* 14 *refertur sepultura S. Quirini et* S. Hermetis *argumentum suppetit pro Actorum antiquitate longe melius, quam sit, quod ex eodem loco contra Henschenium intorsit Pearsonius. Quirini* corpus, *aiunt Acta,* Christiani in via Appia sepelierunt, in cœmiterio Prætextati. *Hinc sic ratiocinatur Pearsonius pag.* 228 : At hæc Actorum auctor scribere non potuit ante obitum Prætextati. Ille autem non ante Diocletianeam persecutionem, sed in ipsa sub Maximiano passus est. *At ex eo certe deduci nequit, seculo* VII *scripta esse, aut post Constantini tempora. Imo probare debuerat Pearsonius, ab hoc Prætextato nomen cœmeterio inditum, ut quidquam contra Henschenii conjecturam evinceret. Aringhus in Roma subterranea lib.* 3, *cap.* 16 *fuse disputat de cœmeterio Prætextati ; at incertum relinquit, a quo denominatum fuerit. Audi ejus verba num.* 4 : Quoniam igitur cœmeterium, de quo mentio est, a præclaro ejusdem nominis viro ex- C tructum est, vel certe eam ob causam, quod martyr quispiam, qui hoc potissimum nomine nuncuparetur, eodem loco conditus fuerit, inde PRÆTEXTATI titulum, ut nobis conjicere fas est, obtinuit. *Itaque argumentum Pearsonii non probat, Acta hæc scribi non potuisse ante persecutionem Decii; nedum priora non esse seculo* VII.

[...]tinio seculi IV, *aut citius :*

3 *Nunc audiamus, quomodo ibidem referatur* S. Hermetis *sepultura :* Corpus soror ejus Theodora collegit, et in Salaria veteri sepelivit, non longe ab urbe Roma, sub die quinto Kalend. Septembris. *Cur auctor hic cœmeterium tacuit, quod in Quirino expressit ? Nam locus ille via Salaria veteri, ubi sepultus est* S. Hermes, *jam seculo* IV *vocabatur* cœmeterium Basillæ. *Docet id Kalendarium seculo* IV *conscriptum, quod edidit Bucherius in Commentario suo ad Canonem Paschalem a pag.* 267 : *Sic enim ibidem legitur :* Quinto Kalendas *(Septembris)* Hermetis in Basillæ *(cœmeterio)* Salaria vetere. *Deinde*, Tertio Idus *(Septembris)* Proti et Hyacinthi in Basillæ. *Et infra :* Decimo Kalendas Octobris, Basillæ Salaria vetere, Diocletiano IX et Maximiano VIII Coss. *Ad Basillam, opinor, nomen cœmeterii non additur, quia ab illa ipsa denominabatur. Cum ergo seculo* IV *locus sepulturæ* S. Hermetis *notus fuerit sub nomine cœmeterii Basillæ, numquid auctor videtur id indicaturus fuisse, si scripsisset post nomen Basillæ cœmeterio inditum, quemadmodum paulo ante fecerat referens sepulturam S. Quirini ? Hinc igitur probabili saltem conjectura colligimus, non scripsisse post medium seculi* IV, *et fortasse multo citius, puta tempore per Henschenium ex conjectura designato.*

AUCTORE J. S.

neque huic antiquitati officit

4 *Attamen contra tantam horum Actorum antiquitatem aliud argumentum protulit Pearsonius, quod Tillemontio etiam placuit:* Nominant, *inquit,* Acta Aurelianum COMITEM UTRIUSQUE MILITIÆ ; quisquis autem ille fuit, eo titulo describi non potuit, antequam talis titulus inventus est, hoc est, antequam magna formæ reipublicæ Romanæ mutatio per Constantinum facta est, post quem tandem comitatus rei militaris mentio sæpe sit. *At nec Pearsonius nec Tillemontius probaverunt, comites rei militaris a Constantino primum institutos. Inferre igitur solide nequibant illos ante Constantinum non exstitisse. Æque quibusdam ignoti erant* comites domestici *primi et secundi ordinis, illos tamen exstitisse diu ante Constantini tempora, ostendit Valesius in Annotationibus ad Eusebium de Vita Constantini lib.* 4, *cap.* I *ex inscriptionibus antiquis, ex quibus sic concludit :* B Unde colligitur, hanc COMITIVAM dignitatem ordinis primi ac secundi, non a Constantino primum institutam fuisse, ut censuit Cujacius in notis ad Codicem Justiniani ; sed diu ante Constantini tempora usurpatam. *Idem fuse ostendit Salmasius in notis ad Spartianum pag.* 47, *et ad Trebellium Pollionem pag.* 307.

titulus comitis utriusque militiæ.

5 *Garsias Loaisa in Collectione conciliorum Hispaniæ pag.* 456, *explicans concilium Toletanum* VIII, *aliter de comitum origine loquitur. Verba ejus accipe :* Comes, ut Spartianus est auctor in Adriano, inde fluxit Cum enim Adrianus senatum in aulam suam transtulisset, receptis senatorum optimatibus in amicorum cohortem, . . inde domesticum quemdam senatum penes se habere cœpit : qui, quoniam is continuatis pene delectaretur peregrinationibus, comitatus cæsaris dici cœptus est ; et ipsi amici, comites : eorum consiliis et ope in bello et pace usus. *Eodem fere modo de comitum initio loquitur Salmasius in notis ad Spartianum pag.* 47. *At juvabit hæc confirmare ex ipsis auctoribus antiquis. Spartianus* F *in Adriano pag.* 4 *sic habet :* Optimos quosque de senatu in contubernium imperatoriæ majestatis adscivit. *Hos comites imperatoris vocatos fuisse, colligimus ex ejusdem verbis pag.* 9. *ubi de Adriano hæc scripsit :* Quum judicaret, in consilio habuit non amicos suos aut COMITES solum, sed jurisconsultos, aliosque. *Hic sane* comites *non alii debent intelligi, quam illi, quod in contubernium suum adsciverat Adrianus. Porro hosce comites non modo ad exercenda judicia aderant imperatori, sed comitabantur etiam in expeditionibus militaribus. Audi Julium Capitolinum in Vero pag.* 37 : Ad Euphratem tamen *(in bello Parthico)* impulsu comitum suorum *(qui cum eo erant in Syria,)* secundo profectus est *Lucius Verus imperator. Idem, ut mox subditur pag.* 18, confecto . . bello, regna regibus, provincias vero comitibus suis regendas dedit. *Sane non video, cur* comites rei militaris, *vel* utriusque militiæ *dici non possent, qui provinciis præficiebantur, adeoque bella gerere debebant. Nihil itaque est causæ, cur hæ voces in usu esse non potuerint ante Constantini, vel etiam Decii tempora, cum Lucius Verus Decium plus quam octoginta annis*

AUCTORE J. S.

annis præcesserit. Ceterum comitum origo altius quoque repeti poterit: nam laudatus ante Blanchinus jam sub Claudio imperatore comitem *vocari Titum Plautium Silvanum, ex antiqua inscriptione ostendit. Sed hæc nobis sufficiunt, ad argumentum adversariorum solvendum, quod, si legitimum est, solum probaret, Acta Constantino non esse antiquiora.*

nec obstant alia adversariorum argumenta.

6 *Displicet etiam Tillemontio hæc phrasis* vice sacra judicans, *quam vult inusitatam fuisse tempore Trajani, et diu postea. At inanis hic est scrupulus, neque enim phrasis illa postmodum fuit usitatior. Si igitur sic ratiocinarer:* Phrasis illa non reperitur post Decium, quantum scio; Acta ergo scripta sunt ante Decium: *non placeret, opinor, collectio ex ratione tam levi deducta. Nihilo magis placere potest Tillemontii argutatio, cum innumeræ phrases reperiantur apud auctores Latinos, quas non nisi uno loco invenias. Nihilo firmius est, quod ex S. Gregorio uterque objicit; nimirum illum Romæ non invenisse Acta martyrum* nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta; *ex quo inferre nituntur, post tempora S.*

B

Gregorii hæc fuisse exarata. Etenim, etiamsi pauca martyrum Acta Romæ invenerit Gregorius, inde non consequitur, Acta S. Alexandri inter illa non fuisse; nedum illo tempore non fuisse conscripta. Nam et hodiedum dicere possumus pauca exstare Acta martyrum, si eum ingenti illorum numero comparentur. Deinde nec omnia, quæ tunc exstabant, Romæ erant; nec illa, quæ ibidem servabantur, omnia nota erant Gregorio, cum in eadem epistola 29 *libri* 8, *ubi hæc habet, affirmet se adhuc illa quærere, quæ petierat Eulogius Alexandrinus, et transmissurum,* si potuerint inveniri. *Ex dictis itaque concludo, nihil obstare, quo minus Acta illa scripta esse potuerint vigentibus adhuc persecutionibus, atque etiam ante Decii tempora, ut suspicatus est Henschenius, licet alioquin probabilius existimen, scripta esse circa Constantini tempora ex monumentis antiquioribus, aut forsan ex traditione, quod antiquiora horum martyrum Acta in persecutione Diocletiani essent deperdita, et fidelium memoria necdum excidissent.*

C

In Actis quædam supra verum sunt exaggerata.

7 *Hisce de ætate Actorum disputatis, restat ut examinemus, quanta illorum debeat esse auctoritas. Porro, cum rationes pro sinceritate Actorum, et contra eorumdem fidem utrimque allatas, veri investigandi studio diligenter perpenderim, plusculum auctoritatis, quam mereantur, Actis illis tribuisse Henschenium existimo, sed adversarios ejus Pearsonium et Tillemontium longius a via declinasse, quando contenderunt, nihil Actis illis fidei tribuendum, nihil in illis veri, nihil sinceri occurrere. Primum facile probatur ex ætate auctoris, styloque Actorum: nam cum auctor scripserit seculo* III *aut* IV *de rebus, quæ contigerunt seculo* 2 *non multum provecto, Actisque immiscuerit crebra colloquia, quæ non videtur descripta reperisse, omnino hinc colligitur, illum indulsisse plusculum ingenio suo, ut lucubratiunculam hanc exornaret. Idem probatur ex aliquibus, quæ nimium sunt exaggerata, et supra verum amplificata, qualia mox videbimus. Hinc in hisce Actis non omnia adjuncta pro certis aut veris habenda, uti fit in profanis plerisque historicis, qui amore ducti aut odio, principum aliorumve res gestas nimium exaggerarunt: at, sicut ea de causa non omnem abrogamus fidem historiographis hujusmodi, dum facta referunt, quibus aliunde nihil potest opponi, ita nec hisce aliisque hujusmodi Actis omnem fidem detrahendam puto, quod aliquæ in iis reperiantur exaggerationes aut errores. At nunc videamus, quid Pearsonio Tillemontioque tantopere displicuerit, ut, non reveriti auctoritatem Bedæ, Adonis, Rabani, Notkeri, quos fatentur ex his Actis sua hausisse elogia, omnino nobis persuadere voluerint, nihil ex his Actis historiæ inserendum.*

D

ut ostenditur: at idcirco non debent omni auctoritate carere:

8 *Habentur in Actis num.* 1 *sequentia:* Totius autem populi verum affectum gratia ei divina contulerat; ut et senatorum maximam partem converteret ad Dominum, et præfectum urbis quoque Hermen cum uxore et sorore et filiis baptizaret, cum mille quingentis quinquaginta servis suis, uxoribus quoque et filiis eorum, quos omnes in die sancto Paschæ prius fecit fieri ingenuos, et ita baptizari. *Exclamat hic Pearsonius:* Nonne hoc tam aperte falsum est, ut qui hoc asserit, fidem mereri in aliis non potuerit? *Tillemontius vero ait, maximam senatorum partem ne anno quidem* 395 *conversam fuisse, auctoremque sibi contradixisse ostendit, dum num.* 2 *scripsit;* Omnem senatum famulatum esse *Aureliano, ad Christianos persequendos misso. Respondeo auctorem exaggeratione nimia usum utroque loco. Forsan ex antiquis monumentis, aut ex traditione didicerat, varios senatores per S. Alexandrum conversos: mox, re supra modum amplificata,* maximam partem *effinxit. Forsan acceperat, mille ducentos quinquaginta homines cum* S. Hermete *baptizatos, interque eos aliquot servos, qui libertate donati sint, hinc ille conjectura non probabili fingere potuit, tot* S. Hermetis *servos libertate donatos, sacroque lavacro mundatos. Lubens igitur admitto, hæc supra verum exaggerata, nec historiæ iisdem verbis inserenda: at vero si omnem idcirco fidem auctori detrahere oporteat, abjicere quoque oportebit historiographos antiquos, qui res Græcas Romanasque memoriæ prodiderunt: nam nullus, opinor, inter illos est, qui non frequenter res varias extulerunt supra verum, verique etiam similitudinem.*

E

persecutionem Trajani, qualem Acta describunt, admittit Tillemontius sibi contrarius:

9 *Vehementer etiam carpunt scriptores memorarit, quod de Trajano dicitur num.* 2: Misit Aurelianum comitem utriusque militiæ de Seleucia Isauriæ ad interfectionem omnium Christianorum. *Tillemontius exaggerat clementiam Trajani eo usque, ut dicat parum historiæ Romanæ peritum esse illum, qui credere potuerit, Trajanum misisse, ut Romæ occiderentur omnes Christiani. Perpende mecum, lector, an hic Tillemontius in idem vitium non inciderit, quod mox in auctore horum Actorum admisimus, an, inquam, nimia Trajani clementiæ exaggeratione in contradictionem non inciderit. Certe agens de persecutione Trajani tom. eodem art.* 2, *pag.* 169 *adeo non extollit clementiam istius imperatoris, ut refutet Eusebium, qui persecutionem sub Trajano ortam popularibus motibus attribuerat, addatque Gallice hæc verba:* Trajanus, cujus mansuetudinem tantopere extollit historia, multum tamen contulit ad crudelitatem in illis tunc exercitam. Gloriæ sibi ducebat, religiosiorem esse principibus aliis, vigoremque legum Romanarum se tueri. Inflatus victoriis, quas de Dacis retulerat, . . . existimabat non posse se melius firmare imperium suum, quam COGENDO OMNES CHRISTIANOS amplecti cultum dæmonum, quibus acceptas referebat victorias triumphosque, quos soli debebat Deo vero. *Plura ibidem prosequitur in eamdem sententiam. At sane non video, quo hæc nexu recte combinari valeant cum iis, quæ protulit.*

F

AUCTORE J. S.

A *protulit, ad Acta S. Alexandri oppugnanda.*

eademque asseritur in Actis S. Ignatii ipsi probatis :

10 *Quin et alio loco eidem censuræ scripsit contraria. In Actis S. Ignatii apud Ruinartium pag. 8 hæc leguntur de Trajano :* Omnes ipsos Dei cultores existentes vel sacrificare, vel mori cogebat. *Hæc verba plus etiam significant, quam superiora ex Actis Alexandri sumpta, cum referantur ad omnes omnino Christianos. Attamen verba eadem in textu mox recitato adduxit Tillemontius; et Acta S. Ignatii, unde deprompta sunt, tanti facit, ut art. 2 de Ignatio, pag. 195 dicat :* Non possumus hæc Acta nimis venerari, *et nota in Ignatium 4, pag. 578 affirmet, nihil in illis occurrere,* quod non optime congruat cum Eusebio, cum S. Chrysostomo, et cum historia Trajani. *Hinc aliud concludere nequeo, quam Tillemontium, dum de persecutione Trajani, et de S. Ignatio agebat, agnovisse omnes Christianos, saltem qui ad judices delati essent, et nollent sacrificare, morti destinatos a Trajano: posteaque, dum Acta S. Alexandri oppugnabat, immemorem eorum, quæ ante scripserat, temere adoptasse* B *objectionem Pearsonii, suis jam ante verbis abunde refutatam. Porro, ut ne vel minimus hic maneat scrupulus, observo in Actis non dici, Aureliano comiti investigandos fuisse omnes Christianos, sed omnes, qui nimirum dilati erant, occidendos; prout antea ad Plinium juniorem rescripserat Trajanus. Demum si Acta revera assererent, Trajanum sub vitæ finem magis persequi voluisse Christianos, quam ante fecerat; nihil ille fecisset, quam quod factum constat a Diocletiano.*

aliæ quædam objectiunculæ refutantur :

11 *Scrupulus quoque est Tillemontio, quod Aurelianus missus dicatur de* Seleucia Isauriæ, *primo, quia Trajanus mortuus est Silinunte, non Seleuciæ; deinde Seleuciam credit Ciliciæ tunc annumeratam fuisse, non Isauriæ. Scrupulum hunc satis excutiet Eusebius, qui in Chronico de morte Trajani sic habet:* Trajanus morbo in Selinunte perit, sive, ut alibi scriptum reperimus, apud Seleuciam Isauriæ profluvio ventris exstinctus est. *Si Seleuciam Isauriæ adscribat Eusebius, cur id facere non liceat auctori horum Actorum, qui si dixisset Trajanum Seleuciæ obiisse, socium erroris habuis-* C *set Eusebio antiquiorem; at ne id quidem asseruit. Porro alium hinc scrupulum injicit Pagius in Criticis ad annum 67 num. 15, quod Trajanus tunc non videatur fuisse Seleuciæ, unde misisse dicitur Aurelianum. At satis esset, si ibidem erat, aut residere solebat Aurelianus, qui inde Romam missus dicitur. Verum Schelstratius pag. 157 ex Dione lib 68 ostendit, Trajanum anno 115 Seleuciæ fuisse. eodemque illo anno Romam missum existimat Aurelianum, qui eo pervenerit anno 116. Audi quo ille modo rem ordinaverit :* Ante hiemem itaque anni cxv Trajanus Seleuciam venit, indeque ad relationem de Hermetis ejusque familiæ conversione Aurelianum utriusque militiæ comitem Romam misit, qui ad urbem anno cxvi pervenit, ac v Kalend. Septemb. Hermetem urbis præfectum decolari præcepit: anno vero sequente cxvii, quinto Nonas Maias, S. Alexandrum punctis creberrimis perforari jussit, quo eodem anno Trajanus nutu divino interiit. *Placent hæ conjecturæ ex re natæ, quibus fides Actorum firmatur. Quod præterea hic objicit Tillemontius, non fuisse munus præfecti militiæ persequi Christianos, frivolum est; cum ipsi quoque imperatores id subinde fecerint, multique provinciarum præsides Christianorum cædibus famosi evaserint. Æque inane est, quod ait, Aurelianum hunc scriptoribus esse inco-gnitum: nam dubium non est, quin multo plures fuerint præfecti apud Romanos eo tempore, quam quorum notitia ad nos pervenit.*

objectiones ex ætate Alexandri et Eventii sumptæ

12 *In Actis num. 17 Aurelianus dixisse asseritur Alexandro :* Considera, quia triginta annorum ætas tibi est. *At hinc non magis inferri potest, Alexandrum eo tempore tantum triginta annorum fuisse, quam inferri possit Christum fere quinquagenarium fuisse, dum ei dicebant Judæi Joan. 8 ỷ. 57 :* Quinquaginta annos nondum habes; *ut satis observaverat Henschenius. Attamen vehementer hic contra Acta exclamat Pearsonius, illisque verba tyranni fide non bona attribuit. Poterat sane eadem fide affirmare, in Psalmis Deum negari, quia ibidem legitur :* Dixit impius in corde suo: Non est Deus. *Hæc itaque difficultatem non patiuntur, eum tyrannus ex vultu judicare potuerit Alexandrum multo juniorem esse, quam revera erat, ætatemque ejus de industria quoque extenuare. Verum quod ipse Eventius num. 18 de se dicit :* Cum.. essem viginti annorum, presbyter ordinatus sum, *difficultate aliqua non* E *caret. Attamen, licet hæc ætas incredibilis videatur* ipsis Apostolicis temporibus *Pearsonio; et Tillemontius nodum putet indissolubilem, non video. cur Acta hinc reprobari debeant. Imprimis enim mendum irrepserit vitio transcribentium, vel auctor ipse hallucinatus fuerit in tempore, quo Eventius presbyter erat ordinatus, id non obstabit, quominus Acta haberi possint sincera.*

non officiunt fidei Actorum,

13 *Attamen non adeo videri debet mirabile, quod vir aliquis sanctus presbyter dicatur ordinatus, dum viginti agebat annos, ut id certo falsum credamus. Nec Apostolica tempora difficultatem hanc augent, sed minuunt potius. Novimus S. Joannem a Christo Domino apostolum electum, dum juvenis erat. Scimus Timotheum ab Apostolo ordinatum episcopum ætate parum matura. Certe multis annis post ordinationem ipsi scribit Apostolus :* Adolescentiam tuam nemo contemnat. *Quin imo, si Chrysostomo credimus in præfationem ad* I *Epistolam ad Timotheum, Paulus, dum eum circumcidit,* illi totum ministerium tradidit, *addens hanc inferius rationem :* Tanta enim erat Timotheus virtute præditus, ut nihil juventus impediret. *Similia de S. Joanne habet Tille-* F *montius in Joanne art.* I, *seu tom.* I, *pag.* 331, *ubi anno ætatis 25 aut 26 ad apostolatum credit vocatum. Si igitur virtus et morum gravitas supplere potuit in Joanne, et Timotheo ad majora vocatis, quod illorum ætati deerat; cur id fieri non potuit in S. Eventio ? Præsertim cum eo tempore messis multa esset, operarii vero pauci, ætasque necdum fortasse determinata esset, qua sacros ordines suscipere oporteret. Hæc itaque difficultas tanta non est, ut Acta reddat suspecta.*

non probatur, urbis præfectum non fuisse Hermetem;

14 *Objicit insuper quædam Tillemontius, quæ propius spectant ad* S. Hermetem, *quem urbis præfectum fuisse vix credere potest. Secundum Acta, ut ratiocinatur,* Hermes *adhuc urbis præfectus erat anno uno ante mortem Trajani. Attamen, moriente Trajano, ubis præfectus erat Bæbius Macer, neque, ut apparet, a paucis mensibus, inquit Tillemontius, cum satis potens crederetur ad contendendum de imperio cum Adriano. Sic ille ratiocinatur, quia apud Spartianum pag. 3 Tatianus per epistolas monuisse Adrianum dicitur,* ut et Bæbius Macer præfectus urbis, si reniteretur ejus imperio, necaretur, et Laberius Maximus, qui suspectus imperio in insula exulabat, et Frigi Crassus. *Quam inanesit hoc argumentum contra*

AUCTORE J. P.

contra præfecturam S. Hermetis, *ex ipso Tillemontio intellige. Tomo 2 Imperatorum pag.* 229 *in Adriano art.* 5 *hæc citans verba, observat Bæbium Macrum anno* 101 *fuisse consulem, suffectum videlicet. An ergo Bæbius, qui consul fuerat a tot annis, timore esse non poterat, nisi diuturnam gessisset urbis præfecturam, cum exsules quoque timerentur? Aliquid deinde scrupuli injicit, quod nomen* Hermes, *sit Græcum,* rarum, *inquit,* inter eos, qui prima imperii munia obibant. *At imperabat Trajanus, origine Hispanus; cur ergo Græci origine imperii munia obire non potuissent? Deinde Blanchinus in notis ad S. Pium ex variis inscriptionibus ostendit, nomen* Hermetis *in urbe tunc satis fuisse commune. Nihil igitur est, cur negemus urbis præfectum fuisse.*

respondetur aliis scrupulis, et ostenditur,

15 *Vehementius impugnat Acta num.* 3, *quod ibidem urbis præfectura captivo* Hermeti *continuanda promittatur, si idolis sacrificare voluerit : id enim se credere non posse affirmat. At ego omnino mihi persuadeo, id facile crediturum fuisse Tillemontium, si hæc Acta*
B *defendenda suscepisset, non oppugnanda. Certe tom.* 5 *Monumentorum nota* I *in S. Theodotum, cujus Acta ibi defendit, pag.* 661 *credere potuit* sacerdotium Appollinis, *aliaque maxima Theodoto a tyrannis promissa, addens plura eos promittere solitos, quam præstare post labefactatam Christianorum fidem. Jam vero si hæc illi promittere potuerunt homini, qui cauponem agebat, ut videri potest in Actis S. Theodoti tom.* IV *Maii a pag.* 149; *idque credere potuit Tillemontius; cur credere recusavit Viro illustrissimo promissum fuisse, continuandam ipsi præfecturam, quam ante gesserat? Mihi sane hoc magis apparet credibile quam illud; nec aliter apparebit rem recte consideranti.*

Tillemontium alibi ob similes difficultates Acta non reprobasse.

16 *Displicuit Tillemontio in Actis num.* 2, *quod* templorum pontifices *dicantur accessisse Aurelianum, dum Romam venerat, ut accusarent Christianos : quod necessarium non fuisse contendit, cum missus esset Aurelianus ad Christianos occidendos. Inanis rursum scrupulus. Quis enim mirabitur, idololatras illos, qui rem ad imperatorem videntur detulisse, mox ad Aurelianum venisse, ut eum ma-*
C *gis incenderent, ac de omnibus magis informarent? Tandem huic disputationi adjungere lubet verba Tillemontii, quæ habet tom.* 5 *pag.* 660, *nota* I *in S. Theodotum :* Pauca sunt monumenta, *inquit,* quantumcumque sint authentica, in quibus non reperiuntur difficultates, et quandoque multum negotii facessentes, quas non tollas facile. Quapropter mirandum non est, si etiam occurrant in Actis sancti Theodoti, *imo et Alexandri. Addo, difficultates, quibus ibidem respondere conatur, mihi non minores videri, quam illæ sint, quas modo pertractavimus. Attamen Acta illa suscepit defendenda Tillemontius, nec reprobanda censuit; ita ut non satis perspiciam, quam consequenter hæc tantopere oderit, ut nihil prorsus ex illis Actis assumere sustinuerit, ipsumque S. Alexandri martyrium variis locis negaverit.*

Martyrium S. Alexandri sine ratione negatum :

17 *At quanam ratione martyrium Alexandri negat Tillemontius? Irenæus, inquit, lib.* 3 *contra Hæreses, cap.* 3 *enumerans Pontifices usque ad Eleutherium, de nullius martyrio mentionem facit, excepto Telesphoro: difficulter ergo credi potest, ullum illorum post Petrum fuisse martyrem præter Telesphorum. Enimvero tam futilis hæc est ratio, viroque erudito indigna, ut crederem Tillemontio*

inadvertenter excidisse, nisi eamdem variis D
locis repeteret, et ad alia quoque martyrum Acta impugnanda adhiberet. Quippe Irenæus brevissime ibidem commemorat successionem primorum Pontificum, sicut cap. I *breviter enumeraverat cum Petro et Paulo Evangelistas quatuor. Deinde ut cap.* 3 *silet martyrium Alexandri, sic cap.* I *non meminit de martyrio Petri aut Pauli; licet horum mortem attingat, ac ne obitum quidem Alexandri memoret. Verba accipe de morte Petri et Pauli prolata cap.* I : Post vero horum excessum, Marcus etc. *De Alexandro autem, ejus antecessoribus et successore, sic habet :* Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus. *Quis hinc inferat nullum inter primos Pontifices martyrem fuisse, nisi Telesphorum quia de solius Telesphori martyrio fit mentio? Quis, inquam, hoc inde deducat, qui non eodem modo inferre posset, ne Petrum quidem aut Paulum fuisse martyres? Quin imo eadem consequentia, id est nulla, contendere poterit, nullum e quatuor Euangelistis, antequam Irenæus hæc scriberet, mortem obiisse, quia videlicet mors Petri et Pauli commemoratur,* E
Euangelistarum prætermittitur.

quantum fidei Actis ejus tribuendum.

18 *Vides hinc, lector studiose, eo usque omnem fidem Actis S. Alexandri detrahere studuisse Tillemontium, ut ne martyrium quidem S. Alexandri admiserit, ut omnia ad* S. Hermetem, *aliosque martyres spectantia, quæ in iisdem Actis memorantur, tamquam nullius fidei haberi voluerit. Hunc ducem intrepide secutus est Bailletus ad* III *Maii in Alexandro, et in* Hermete *ad* XXVIII *Augusti. Nec alii defuere, qui speciosis Tillemontii ratiociniis manus dedere. Ne Sollerius quidem noster in Martyrologio Usuardi, in Observationibus ad* III *Maii satis a Tillemontio recessit, cujus objectionibus acquievit contra Henschenium. Hinc ego ipse initio hæsi dubius, et, nisi rei gravitas me impulisset ad argumenta Tillemontii impigno labore excutienda, ne variorum martyrum Acta, quæ ab uno hoc monumento petuntur, prorsus abjicerentur, facile tanto jam contra Acta judicio adhæsissem. At, cum singulas objectiones examinando, vanitatem illarum deprehendissem, mentem mutavi; et Acta defendenda censui, non quidem ut primigenia et sincerissima, et certa quoad omnes circumstantias, sed ut probabilia cer-* F
te, et credibilia in factis præcipuis, imo in iis omnibus, quibus certiora monumenta non repugnant.

§ II. Elogium ex Adone; cultus antiquissimus; cœmeterium cum ecclesia, aliaque loca ipsius nomini dicata.

Elogium, in quo pauca corriguntur,

Quidquid *in Actis S. Alexandri refertur de* S. Hermete, *Ado satis fideliter intexuit elogio, quod ad* XXVIII *Augusti de* S. Hermete *recitat. In illo pro Aureliano imperatore substitue Aurelianum comitem sub Trajano imperatore, ut ipse Aurelianum vocat ad* III *Maii in Alexandro. Et numerum servorum, qui cum* Hermete *dicuntur conversi, mendosum aut nimis exaggeratum existima :* Romæ, *inquit,* natale beatissimi Hermetis martyris. Hunc illustrissimum virum B. Alexander Pontifex et martyr,

A martyr, cum esset præfectus urbis Romæ, baptizavit cum uxore, et filiis ac sorore Theodora, cumque eo pariter mille ducentos quinquaginta servos ejus, uxores quoque et filios eorum, prius ingenuitate illis concessa. Et non multo post ab Aureliano imperatore trusus in carcerem, beato etiam Alexandro in custodia posito, tribuno Quirino commendatur. Qui dixit ad beatum Hermem: Quæ ratio est, vir illustris, ut vice sacra judicans, non solum ad istam injuriam te redigi velis, verum etiam præfecturæ honore expoliatum, in vinculis te tamquam privatum trudi æquanimiter feras? Sanctus Hermes ait: Ego præfecturam non perdidi, sed mutavi. Nam dignitas terrena a terris tollitur, ac mutatur; dignitas vero cælestis æterna sublimitate subsistit. Dicit ei Quirinus: Miror te prudentem virum ad tantam stultitiam devenisse, ut credas extra istam vitam te aliquid habiturum, postquam cineres humani corporis ita ad nihilum redigantur, ut nec ossa ipsa subsistant. Cui beatus Hermes: Et ego ante hos B annos illam deridebam, et istam carnalem vitam utilem esse dicebam.

recitatur

20 Et Quirinus: Fac et me probare, ut si ita est, sicut tu credidisti, et ego credam. Beatus Hermes dixit: Sanctus Alexander, qui habetur in vinculis, hæc me docuit. Audiens hæc Quirinus, cœpit maledicere Alexandro, et dixit ad Hermem: Ego te rogavi dicens, fac me probare juste te credidisse, et tu mihi nominasti hominem magum, quem in vinculis habeo, et in carceris ima conclusum. Si verum est ergo, quod dicis, vado ad eum ipse, et triplicabo illi vincula et custodes, si potuerit hora cœnandi ad te venire, credam quæ docuerit. Ivit, triplicavit vincula, custodes apposuit. Primo igitur noctis initio, venit puer, qui videbatur esse non amplius quam quinque annorum, ferens faculam ardentem in carcere, et flectens genua sua cum beato Alexandro oravit, dicens orationem Dominicam, et apprehendens manum ejus eduxit per fenestram, et perduxit eum ad beatum Hermem in domum Quirini. Quirinus factum hoc ut vidit, exterritus est. Cui post alia beatus Hermes dixit: Ecce nos vides in unum, quos custodiis mancipasti.

ex Martyrologio S. Adonis.

C 21 Causa, cur ego sancto Alexandro crediderim, ista est. Unicus cum mihi esset filius in ultimo languore positus, qui adhuc ambulabat ad litterarum studia, hicque in capitolium cum esset ductus a me et matre sua, et sacrificassemus diis, et pontificibus præmia dedissemus, mortuus est. Tunc increpare me cœpit nutrix ejus, dicens: Si cum ad limina sancti Petri duxisses, et credidisses Christo, filium tuum incolumem haberes. Cui ego respondi: Dum tu ipsa cæca sis facta, et non sis curata, quomodo filium meum reddet incolumem? Si ante istos, inquit, quinque annos credidissem Christo, redditi mihi essent oculi. Cui dixi: Vade, et crede: et si tibi oculos aperuerit Alexander, credam, quod et mihi reddat filium meum. Abiit ad ipsum cæca, et ecce reversa est ad me sana, imponensque humeris suis filium meum mortuum, cucurrit, et jactavit eum ante pedes beati Alexandri. At ille oratione facta resuscitavit eum. Ego confestim misi me ad pedes ejus, et rogavi me fieri Christianum.

22 Patrimonium vero matris ejus ipsi contuli: aliquanta etiam de meo addidi. Cetera vero aut pauperibus erogavi, aut servis meis, qui mecum facti sunt Christiani, dedi. Hæc et his similia cum egisset circa Quirinum beatus Hermes, credidit Quirinus cum omni domo sua, et baptizatus est. Aurelianus cuncta hæc audiens, dictavit in ultimo sententiam, ut beatus Hermes gladio puniretur. Qui decollatus, a beata sorore sua Theodora collectus, in Salaria vetere non longe ab urbe Roma, sub die quinto, mense Septembrio sepultus est. *Hactenus Ado. At in fine pro die quinto Septembris, legendum* quinto Kalendas Septembris, *ut in Actis habetur, et Ado procul dubio scripsit, cum illo die ejus annuntiet memoriam.*

Passus est probabilius Sanctus anno 116.

23 *Porro dubium apparet, utrum* Hermes *passus sit sub Trajano, an vero sub Adriano diebus octodecim post obitum Trajani. Quippe, uti scriptores jam consentiunt, defunctus est Trajanus circa* x *Augusti anno* 117, *Silinunte, dein Trajanopoli, in Cilicia. Hinc pati eodem anno potuit* Hermes xxviii *ejusdem mensis, priusquam mors Trajani Romæ esset cognita. Ado, cui alii quidam consentiunt, Alexandrum Papam, quem præcessit* Hermes, *sub Trajano passum affirmat. At Usuardus ad* iii *Maii Alexandri martyrium sub Adriani imperio collocat: illi cum aliis adhæret Martyrologium Romanum. Dissensio hæc orta* E *est ex Actis S. Alexandri diverso sensu intellectis. Etenim illa sic habent num.* 2: Unde nutu Dei eodem anno defunctus est Trajanus. *Si ille defunctus est eodem anno, quo movit hanc persecutionem, necessum est,* S. Hermes *anno* 117 *passus sit, imperante jam Adriano. Sin vero Trajanus sit defunctus eodem anno, quo coronatus est Alexander cum sociis* iii *Maii, ut auctor verisimiliter insinuare voluit, cum nullibi loquatur de Adriano, passus est* S. Hermes *anno* 116, *imperante adhuc Trajano. Atque hoc mihi probabilius apparet, quia Aurelianus comes omnia exsecutus videtur ex mandato Trajani, et rectius sic intelligitur, quo modo Seleucia sit Romam missus. Hisce expeditis, ad antiquissimum* Hermetis *cultum ostendendum progredior.*

Antiquissimus Sancti cultus ex cœmeterio,

24 *Jam num.* 3 *ostendimus memoriam* S. Hermetis *celebrari in vetustissimo Kalendario per Bucherium edito. Scriptum illud est circa medium seculi* iv, *eosque dumtaxat annuntiat Sanctos, quorum festivitates habebantur in cœmeteriis sub terra, ut observavit* F *Papebrochius tom.* 2 *Junii, pag.* 464. *Porro cœmeterium* Basillæ, *in quo memoratur ibidem* S. Hermetis *festivitas, ab ipso* Hermete, *uti etiam a Proto et Hyacintho, nomen habuit; quemadmodum probat Aringhus in Roma subterranea lib.* 4, *cap.* 34, *ubi cœmeterium istud* SS. Hermetis, Basillæ, Proti et Hyacinthi *cum adjuncta basilica late describit. Laudatus Papebrochius existimat, loco* S. Hermetis *nomen primo fuisse; deinde Proti et Hyacinthi nomina accessisse, ac demum a Basillæ corpore ibidem deposito* Basillæ cœmeterium *frequentius appellatum. Idem suspicatur, ecclesiam in honorem istorum martyrum conditam fuisse Constantini tempore. Anastasius Bibliothecarius in Pelagio II ait:* Hic fecit cœmeterium beati Hermetis martyris. *Verum id fortasse de restauratione intelligi debet, cum cœmeterium sit antiquius, certe sub nomine Basillæ.*

adjunctaque ecclesia ei sacra,

25 *Adrianus I, teste eodem Anastasio in Adriano,* basilicam cœmeterii sanctorum martyrum Hermetis, Prothi et Hiacinthi, atque basilicam (Basillæ) miræ magnitudinis innovavit. *Legendum* Basillæ, *non* Basilicam, *censet et probat Aringhus in Roma subterranea tom.* 2, *pag.* 234. *Idem pag.* 320 *ex inventa inscriptione antiqua docet, cœmeterium istud cum ecclesia*

AUCTORE J. S.

ecclesia subterranea adhuc exstare in villa Societatis Jesu. Addit pag. 321 : Ejusdem quoque Petrus Manlius disertis apertisque verbis meminit ; singula enim Urbis cœmeteria, quæ Pincianam extra portam sita sunt, enumerans, hæc habet : " Cœmeterium S. Hermetis et Basillæ est foris portam Pincianam, ubi est ecclesia S. Hermetis martyris. " Quod plane ex marmoreo quodam peristylii fragmento comprobatur, ut in ipso præmemoratæ domus liminari adhuc cernitur : quo, dum illuc post Bosii obitum, ad delineandam cœmeterii ichnographiam ventitatum esset, ejuscemodi fragmenta studiosis oculis exquirendo ac perlustrando, ipsummet sancti Hermetis nomen, his quidem notis exaratum perlegi contigit...HERME...Quod utique peristylium portæ ejusdem ecclesiæ sancti Hermetis, tituli instar, præfixum quondam fuisse, probabiles ultro nobis conjecturæ suadent.

quæ describitur, prout nunc exstat:

26 Ut ipsam autem ecclesiam perlustremus ; hæc quidem ambitu satis ampla est ; longitudinis nempe palmorum XC circiter, latitudinis XXX cum dimidio, altitudinis L. Apsidem insuper satis amplam præsefert, quam picturis quo-
B que affabre olim excultam, concinnatamque fuisse ipsemet adspectus edocet. Hic vero venerandas Christi Domini Servatoris, ac beatorum angelorum imagines primum extitisse, seniores Societatis ejusdem Patres affirmant. Quoniam vero subterraneo loco ecclesia sita est, e foramine quodam, quadratam præferente formam, quod super apsidem aptatum cernitur, demissum ab alto lumen hæc recipit. In imis autem ejusdem parietibus, qui pavimento adhærent, haud pauci ad cœmeterium aditus, etsi humo obducti, a perscrutantibus deprehenduntur. Altero igitur eorumdem referato, obvius ad cœmeterium illico ingressus patuit, is tamen eum in modum depressus, atque angustus, ut demisso prostratoque corpore humi aliquamdiu repere opus fuerit, ad alteriores quousque semitas, non absque ingenti incommodo ac labore deveniretur.

antiqua veneratio Antii, et Panormi.

27 *Porro* S. Hermetem *aliis etiam locis antiquo admodum cultu gaudere, probabiliter ex variis colligimus. Anastasius Bibliothecarius in Bonifacio I meminit de ecclesia quadam tunc Antii Sancto huic sacra.* Eulalius,
C *inquit, antipapa habitavit* in civitate Antii ad S. Hermem. *At cum urbs dudum eversa sit, ecclesia illa eamdem haud dubie sortem subierit. Fuit et Panormi in Sicilia monasterium* S. Hermetis, *sub finem seculi* VI, *ut videtur, fundatum a S. Gregorio Magno. De illo meminit ipse Gregorius lib.* 6, *epist.* 42 *(alias* 41*) his verbis :* Urbicus abbas monasterii S. Hermæ, quod Panormi situm est, a nobis cum congregatione sua magnopere postulavit, in eodem monasterio presbyterum, qui sacra Missarum solemnia celebrari debeat, ordinari. *Huic postulationi ibidem annuit Gregorius. Jam vero monasterium istud a Gregorio fundatum existimant, quia lib.* 5, *epist.* 6 *(ante lib.* 4, *epist.* 4*) ait :* Urbicus monasterii mei præpositus, *quod de eodem intelligendum, cum scribat ad episcopum Panormitanum. Rocchus Pirrus in Notitiis Siciliensium ecclesiarum tom.* I, *pag.* 63 *probat celebre fuisse illud monasterium, subjungitque sequentia :* Hoc tandem monasterium Rogerius rex sive collapsum reparavit, sive dirutum construxit, ac D. Joanni dedicavit ; atque inde factum est, ut etiam nunc id monasterium dicatur, S. JOANNIS DE HEREMITIS : corrupta enim Hermetis vox in vocem Heremitis transiit : quamquam aliqui ex
D majori vocabuli similitudine decepti crediderint, Heremitarum hominum cœnobium fuisse; atque inde eam appellationem exortam esse. Ad hoc monasterium crediderim pertinuisse proximum S. Mercurii templum, Hermes enim Latine Mercurius est. *Ita ille. At fatemur non omnino certum esse, hæc spectare ad* Hermetem *nostrum, cum nomen* Hermes *et Hermas, pluribus sit commune : nullus tamen inter illos est, cujus nomen tam est illustre.*

in Gallia, ubi restituitur per S. Cæsarium divinitus monitum:

28 *In Gallia quoque certa occurrunt indicia antiqui cultus* S. Hermetis. *Ad* XXVII *Augusti in S. Cæsario num.* 53 *recitavi epistolam Messiani presbyteri, qua testatur, Dominum cum SS. Petro, Paulo, Augustino, ipsoque* Hermete *apparuisse his verbis :* Age pœnitentiam, quia memoriam martyris Hermetis, quem in præsenti habes, inter sacra Missarum mysteria, cujus festum a fidelibus hodie veneratur et colitur, negligenter oblivioni tradidisti. *Cæsarius autem, eodem teste aurito, mane suis post solitam exhortationem dicebat :* Væ mihi misero, quia ex triennio infeliciter oblivioni tradidi memoriam martyris Hermetis, . . . cujus memoria
E non derelinquetur in æternum. *Addit messianus :* Post hæc cum apparatu necessario ad locum *(visionis)* rediit, ubi ecclesiam construxit in honore beati Hermetis martyris, quam jure perpetuo Arelatensi sedi deputavit. *Facta hæc ante medium seculi* VI, *quo floruit Cæsarius ; spectantque haud dubie ad* Hermetem *nostrum, cum is solus colatur* XXVIII *Augusti, quo oblata est visio.*

nomen Sancti in Fastis antiquissimis.

29 *Ex his mirum non est, memoriam Sancti annuntiari in Fastis quibuslibet antiquissimis ; quales sunt, præter Bucherianum jam dictum, Kalendarium a Frontone editum, Martyrologia S. Hieronymi nomen præferentia, Martyrologium vetus Romanum, Sacramentarium Gelasii Papæ per Thomasium luci datum, in quibus omnibus reperitur ad* XXVII *Augusti. Accedit Sacramentarium Gregorii apud Menardum, in quo habet præfationem specialem. Tandem, ne singula enumerando sim longior,* Hermetem clarissimum martyrem, vetustissimo et perenni cultu celebratum, ostendunt antiqua Kalendaria apud Florentinium, et Martyrologia nostra omnia, in quibus (si Rabanum excipias, in quo transpo-
F nitur) primum locum obtinet, *ut observat Sollerius noster in Usuardo suo ad* XXVIII *Augusti. Missa ergo facio Martyrologia reliqua, et ad varias corporis translationes illustrandas progredior.*

§ III. Diversæ sacri corporis translationes, et reliquiæ variis locis sparsæ.

Corpus Sancti elevatum a Gregorio IV:

Sacrum S. Hermetis *corpus ex cœmeterio jam dicto elevatum fuit seculo* IX, *et translatum ad ecclesiam S. Marci per Gregorium IV summum Pontificem, qui ecclesiam S. Marci Romani Pontificis, cujus fuerat Cardinalis, a fundamentis reædificavit, teste Anastasio Bibliothecario in Gregorio IV. Non meminit quidem Anastasius de translato illuc* S. Hermetis *corpore, sed Eginhardus, tunc abbas Selingenstadiensis, in Historia translationis SS. Marcellini et Petri, apud nos tom.* I *Junii, pag.* 204 *id factum per Gregorium IV eodem tempore, quo ecclesiam* S. Marci, *non* Euangelistæ, *ut per errorem scripsit, sed Romani*

A *Romani Pontificis, ædificabat. Imo Aringhus lib. 4, cap. 34, relata hac translatione, adjungit:* Porro Hermetis martyris corpus in divi Marci ecclesia, in quam translatum fuerat, condigno adhuc honore asservatur. *Ad id verisimile non est, primo quia nec Piazza in Hemerologio sacro, etiamsi alias assignet reliquias in variis ecclesiis, de corpore ibidem adhuc servato meminit, nec istud combinare possumus cum translatione corporis inferius referenda. Quin imo Pancirolus in Thesauris Urbis, seu indice reliquiarum in fine subjecta, ingenue fatetur, se nescire, ubi sit corpus* S. Hermetis.

quo tempore reliquiæ quædam Selingenstadium delatæ,

31 *Porro laudatus mox Eginhardus refert, quo modo partem reliquiarum* S. Hermetis *acceperit in Mulinheim, seu Selingenstadii, ut locus in Franconia ad Mœnum deinde dictus, vulgo* Selingstat. Casu igitur factum est, *inquit*, ut eo tempore, quo sepulcrum beatissimi Hermetis erat aperturus, et sacrum illius corpus inde fuerat sublaturus; unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratia, ut moris est pœnitentibus, Romam venerat, congregatæ ab basilicam B Martyris multitudini cum ceteris peregrinis interesset: Is negotio, quod agebatur, diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati Martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit: et Deusdonam diaconum, cujus in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens, obnixe rogavit, ut ex his quantulumcumque a custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi præstaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur: datoque custodibus pretio, non solum S. Hermetis, sed etiam sanctorum Proti atque Hyacinthi, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit. Et illas quidem per quemdam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simulque et nostrum, qui ei, ut hoc faceret, persuasit, mittere curavit: quod autem de corpore B. Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens, pro ingenti munere detulit.

miraculoque nobilitatæ:

32 *Non diu post hæc ipso die festo* S. Hermetis *insigne accidit miraculum, quod Eginhardus ibidem refert. Mulier quædam Coloniensis, misere contracta, usuque membrorum destituta,* C *eo venerat ob famam miraculorum SS. Petri et Marcellini, jussaque divinitus fuerat,* adventum Medici præstolaretur, qui eam esset procul dubio sanaturis.. Cum interim, *inquit*, circa medium fere mensem Augustum Deusdona diaconus, cujus in primo Operis hujus libro crebram fecimus mentionem, Roma veniens, unum articulum digiti B. Hermetis martyris pro magno nobis munere detulit. Quem accipientes, capsula reconditum, in superiori parte basilicæ, supra ipsum occidentalem ecclesiæ introitum collocavimus. At femina, quæ, ut dixi, visione divinitus admonita illuc venerat, et duobus jam exactis mensibus, nihil promissæ opis sibi advenisse cernebat, delusam se vano somnio existimans, reditum in patriam meditari cœpit. Statuitque cum negotiatoribus, qui se reducerent, ut proxima Dominica, quæ quinto Kalendarum Septembrium die simul cum anniversaria S. Hermetis solemnitate erat futura, navem eorum in regionem suam reversura conscenderet. Jamque instante nocte, quæ diem profectioni condictum erat sine dubio præcessura, cum nos secundum consuetudinem, completo nocturnali officio, ad quiescendum fuissemus egressi; ceteris exeuntibus, femina illa introire volens, in ipso limine consedit: ibique coram omnibus stupore quodam oppressa, parumper obticuit: ac deinde erumpente ex omnibus pedum unguibus aliquanto sanguine, ad se reversa, manum circumstantibus porrexit, erectaque in pedes, ad sepulcrum martyrum ambulare cœpit. Quo cum pervenisset, ad orationem coram altari prosternitur, ibique tamdiu jacuit, quoadusque hymnus, quem exultantium simul atque mirantium multitudo Deum laudans devotissime cantabat, compleretur. Quo finito, sana surrexit, sed in patriam ulterius redire noluit. Merito igitur miraculum istud B. Hermeti adscribitur, cujus die natalitio, et sub cujus reliquiis gestum esse constat. *Facta hæc esse anno* 830, *colligitur ex Dominica, in quam festum* S. Hermetis, *seu* XXVIII *Augusti, incidebat: nam id fiebat anno* 830, *quo littera Dominicalis erat* B. *Baronius itaque, hæc referens ad annum* 829 *num.* 1, *uno anno aberravit.*

corpus Indam prope Aquisgranum,

33 *Sigebertus in Chronico ad annum* 851 *translationem corporis refert his verbis:* Reliquiæ sancti Hermetis martyris per Lotharium imperatorem in Gallias mittuntur, et apud Indam monasterium honorifice conduntur. *Idem in Chronico suo Albericus habet iisdem fere* E *verbis, sed anno præcedenti. At potior fides est Sigeberto; ut antiquiori, quem etiam sequuntur Baronius ad eumdem annum, citandique postea Molanus, Miræus, et alii. Advenisse eo corpus* X *Januarii existimant Majores nostri in Prætermissis ad illum diem, quia in excuso æque ac Ms. Martyrologio Adonis* X *Januarii notatur,* Adventio sancti martyris Hermetis. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* XXVIII *Augusti sic habet:* In vetusto quodam Martyrologio annotatum observavi quarto Idus Januarii adventionem S. Hermetis martyris apud Indam. Quod an de primo, an de secundo adventu accipiendum sit, ignoro: *At dubitandum non videtur, quin de primo adventu locus sit intelligendus: nam, si ipsa sint Adonis verba, res certa est, cum Ado defunctus sit, antequam corpus* S. Hermetis *secunda vice Indam deferretur. Deinde, si quis putaret hæc Adoni postmodum adjecta, quod qua ratione dici possit, non video: ne sic quidem recte intelligeretur locus de secundo adventu; cum tunc* F *corpus tantum depositum sit metu Nortmannorum, ut restitueretur postea. Certe Rosweydus in Notationibus ad hunc locum Martyrologii Adonis primam translationem intelligit, et locum, quo reliquiæ tunc translatæ, explicat hoc modo:* Inda locus est juxta Aquisgranum, ubi S. Cornelii monasterium, in quod hæ reliquiæ primo fuere illatæ. *Porro monasterium Indense, seu S. Cornelii, Ordinis est S. Benedicti, ac vulgo* Cornelis-munster *dicitur.*

atque istinc Rothnacum translatum:

34 *Addit Rosweydus:* Inde Rothnacum, quæ villa Brabantiæ est *(imo Flandriæ nunc, ut videbimus)* anno DCCCLX deductæ VI Julii, ut habetur in Martyrologio propriæ ecclesiæ: " Ipso " die, translatio corporis S. Hermetis martyris " in Rothnaco ". Hinc Danis Belgicam vastantibus, Othone imperatore, rursus Indam relatæ. Post rebus pacatis, ad Rothnacenses rediere. *Sic ille breviter, quæ paullo latius exponam. Aubertus Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis pag.* 494 *sic habet:* Anno DCCCLX, die VI Julii S. Hermetis corpus Inda Rotnacum, ad basilicam canonicorum, a S. Amando Trajectensi episcopo fundatam, est translatum, per Ludovicum imperatorem, Lotharii imperatoris jam nominati filium. *Idem paullo brevius habet Meyerus in Annalibus Flandriæ ad eumdem*

AUCTORE J. S

dem annum. Lotharius jam statuerat illuc sacrum corpus deferre ; sed, eo morte prævento, filius patris voluntatem implevit. Audi Molanum loco ante assignato : Hujus (S. Hermetis) corpus Lotharius imperator Roma attulit, et ad tempus collocavit apud Aquisgranum in sancti Cornelii monasterio villæ Indensis, alium locum honorificum præparans : qui opere imperfecto Prumiæ monachus est effectus, et paulo post obiit. Filius autem Ludovicus, patris voluntatem adimplere volens, asportari fecit ad monasterium canonicorum de Rothnake anno octogentesimo sexagesimo. Habeturque ejus loci fundator secundarius, primarius enim jam ante fuerat sanctus Amandus. *Hisce consentiunt monumenta varia partim impressa partim Mss., Rothnaco nobis transmissa, quæ secutus est Molanus.*

rursus Indam Coloniamque delatum metu Danorum,

35 *Subdit ille, qua occasione corpus Indam rursus delatum, relatumque Rothnacum. Factum id circa annum* 910 *affirmat Miræus, addens Coloniam usque translatum esse metu Danorum. Hisce multo antiquior, utpote qui initio seculi* XII *floruit, Balderieus Noviomensis et Tornacensis episcopus, rem totam narrat in Chronico Cameracensi, edito per Colvenerium, lib.* I, *cap.* 75 *hunc in modum:* Danis quoque circa istam provinciam non minus furentibus, et, ut liquet ipsas historias legentibus, sanctas Dei casas incendentibus, beatus Hermes martyr Christi, quem Papa Alexander Romæ baptizavit de Rotnasce villa Brabatense, de monasterio videlicet, quod beatus Amandus construxit, ad monasterium villæ Ende, quæ juxta Aquisgranum sita est, primo asportatur ; deinde vero Coloniam usque translatus, non pauco ibidem tempore demoratur. Unde intercedentibus aliquot annorum curriculis, inter utrumque clerum, id est, inter Rotnascenses atque Endenses, magna exorta est disceptatio. Danis enim remotis, rebusque sanctæ Dei Ecclesiæ in prosperitate restitutis, Rotnascenses suum moliuntur referre Patronum : Endenses vero unanimiter refragati, retinere contendunt, utpote videlicet preciosum thesaurum.

deinde Rothnacensibus restituitur.

36 Hæc igitur altercatio inter se aliquandiu processit. Rotnascenses autem consilio saniore præventi, dominum Fulbertum pontificem suppliciter adierunt, suæque deplorationis seriem inculcantes, obnixe implorarunt, ut quia de parochia ejus translatus fuerat, ibi etiam a violentis extortum sanctum Martyrem reportari cum omni labore contenderet. Horum itaque causam competentem prævidens episcopus, omni modo laboravit, quoad usque beati Martyris glebam ad proprium locum referri coegit. Pro tanti ergo beneficii recompensatione prædicti fratres, villam, quæ ab incolis Neuvehova nuncupatur, sanctæ matri ecclesiæ Cameracensium libenter contulerunt. *Villa illa* Neuvehova, *vulgo* Niewen-hove, *notatur in tabulis Flandriæ non procul a Ninovia et Gerardi-Monte in confinio Hannoniæ, et Brabantiæ.*

Templum Sancti votivis peregrinationibus celebre :

37 Rothnacum *vero, ubi hodiedum adhuc quiescit sacrum corpus, quodque alliis* Rotornacum *dicitur et* Rothnasce, *Flandris* Rouse, *situm est inter Aldenardam et Tornacum, sed Aldenarnæ vicinius, a qua distat duabus leucis. Fuit olim juris Brabantini oppidum ; at anno* 1280 *Guidoni Flandriæ comiti venditum, ad Flandriam accessit : similiter in erectione episcopatuum Belgii seculo* XVI *a diœcesi Cameracensi transiit ad Mechliniensem. Illud pluribus describit Sanderus in Flandria illustrata tom.* 2, *pag.* 535 *et* 536, *quem studiosus lector poterit consulere. De ecclesia Sancti nostri sic memorat :* Fuit autem hæc D. Hermetis apud Rotornacum ecclesia fundata primum a S. Amando, et a Ludovico Lotharii imperatoris filio, aliisque principibus dotata postmodum, et possessionibus aucta, habetque in hodiernum diem sub titulo ecclesiæ collegiatæ canonicos sub uno præposito constitutos. *Canonici hi, præter natalem Sancti, quem colit totum territorium Rotnacense* XXVIII *Augusti, translationem celebrant* VI *Julii, teste Molano, qui de loco in rem nostram adjungit sequentia :* Locus autem est celeberrimus, eo quod multi peregrini male affecti ad S. Hermetis memoriam adventent, et frequenter restituti ac sani discedant. *Miræus in Fastis laudatis pag.* 496 : Anno MCCCXCII Carolus VI Galliæ rex æger statuam suam, ex cera confectam, dono misit Rotnacum ad S. Hermetem, et sanitatem recuperavit ; ut Meierus in Annalibus narrat. *Addit tamen restrictionem Meyerus addictum annum, hisce usus verbis :* Et recuperavit rex sanitatem ; quamquam per crebras vices et intervalla maneret phreneticus, adeoque laboraret, ut neminem agnosceret.

geminæ corporis in novas thecas translatio :

38 *Reliquas sacri corporis transpositiones memorat laudatas Miræus. Pag.* 495 *sic habet :* Anno MLXXXIX S. Hermetis reliquiæ sunt collocatæ in novo feretro argenteo per Gerardum II Cameracensem episcopum, additis his versibus :

Papa, puer, nutrix, orat, vitæ datur, affert,
Hæc videt, hic vivit, stupet Hermes, fonte novatur.
Fax Hermem Papæ sociat, Christoque Quirinum,
Facta reis pœna salvat, sanatque catena.
Hic trahit, iile necat, vivit Hermes, Angelus adstat :

Confortata Deo pars redditur, altera terræ. Quibus versibus, pro sæculi barbarie rudioribus, vita et martyrium Hermetis breviter exprimitur. *Testimonium hujus translationis in feretro positum est, quod inventum anno* 1526 *his verbis scriptum :* Anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo nono, Indictione duodecima, V Kal. Novembris, translatæ sunt in hoc vase reliquiæ gloriosi Hermetis martyris a D. Gerardo II Cameracensi episcopo, episcopatus anno tertio, sub præsentia et testimonio dominorum Oiguardi abbatis, et D. Sigeri Blandiniensis abbatis, et Petri archidiaconi, et Tibaldi Rotnacensis præpositi, et Tibaldi decani, et domini Theoderici de Aldenarda, et ... advocati ; adstante etiam honestarum personarum, clericorum et laicorum, non modica multitudine. *De Gerardo II Cameracensi episcopo agitur in Gallia Christiana recusa tom.* 3, *col.* 21 *et seqq. Verum, quod ibidem assignatur episcopatus initium anno* 1076, *non convenit cum* anno tertio *hic relato, sed cum anno* decimo tertio, *ita ut verisimiliter pro* tertio *legendum sit* decimo tertio. *Testimonium enim vix legi potuit ob vetustatem, ut testantur Rothnacenses, qui illud Ms. ad nos transmiserunt. Demum, ut subdit Miræus pag.* 496, anno MCXXVI Robertus Crojus episcopus Cameracensis *(de quo in Gallia Christiana col.* 52) per Godefridum Einhamensem abbatem, S. Hermetis reliquias ex veteri feretro, in quo Gerardi episcopi scriptum testimoniale est repertum, *(ut mox recitavimus)* in novum transferri mandavit.

supplicatio quotannis fieri solita, in qua Sancti corpus circumfertur

39 *Porro Rothnacenses annis singulis in festo SS. Trinitatis corpus Patroni sui supplicantes circumferunt. Præcipui magistratus nomine universi*

A *universi populi die Veneris ante festum prædictum corpus sibi eoncedi postulant ad supplicationem more solito instituendam, præstitoque ab ipsis juramento restituendi fideliter corporis, canonici de more annuunt, ut nobis Rothnaco perscriptum. Supplicatio autem in Ordinario Rothnacensi sic describitur :* Facta magna Missa, ordinatur solemnis processio cum cappis sericis, cum feretro sancti Hermetis martyris, et egreditur per occidentalem januam ecclesiæ : ad egressum cœmeterii dominus villæ cum populo suo recipit feretrum ; sub cautione antedicta, ad portandum circa villam, ut supra dictum est, et processio regreditur ad ecclesiam per aquilonarem januam claustri. *Eadem fere deinde leguntur hoc modo :* Hodie ad requestam * populi Rothnacensis, præpositus, decanus et capitulum concedunt, per bonam cautionem præhabitam, feretrum illustrissimi martyris Hermetis patroni nostri ferre circa villam, ob defensionem patriæ. Post Vesperas ad reditum feretri illustrissimi martyris Hermetis, totus chorus noster exit processionaliter obviam B feretro, et recipit illud per duos canonicos, indutos cappis sericis, ferentes ad ecclesiam solemniter, cum cantico lætitiæ sui triumphi : O CHRISTI MARTYR. *Hactenus de corpore ; aut eerle corporis parte præcipua. Nunc quasdam illius partes minores investigabimus.*

* i. e. postulationem

reliquiæ variis locis conservatæ.

40 *Piazza in Hemerologio sacro urbis Romæ ad* XXVIII *Augusti sic habet :* Festum (S. Hermetis) celebratur ad S. Mariam Majorem, ubi unum ejus brachium exponitur : atque in ecclesia S. Alexii, ubi pars bona est capitis ejus : alia pars est in S. Clementis, et in S. Annæ ad funarios. *Bucelinus in Sacrario Benedictino ad* XXVIII *Augusti :* Insignis, *inquit*, portio reliquiarum ejus *(Hermetis)* in Hersfeldensi monasterio. *Gelenius in Coloniæ Magnitudine pag.* 263 *et* 266 *reliquias* S. Hermetis *annumerat thesauro ecclesiæ S Gereonis Coloniæ. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 314 *scribit, asservari in templo cathedrali Tornacensi* costam integram gloriosi et illustris martyris Hermetis ; *et pag.* 161 os parvum S. Hermetis martyris *assignat collegio Anglorum Audomarensi. Idem pag.* 45 *inter sacras exuvias ecclesiæ S. Amati collegiatæ Duaci numerat* S. Hermetis *reliquias. Papebrochius in Itinere Romano Ms. pag.* 295 *narrat, Aquisgrani in ecclesia collegiata S. Alberti ostensas sibi omnes reliquias,* in quibus, *inquit*, S. Hermetis martyris caput. *Masinus in Bononia perlustrata part.* 1, *pag.* 433 *asserit, caput* S. Hermetis *martyris Servitis Bononiensibus datum anno* 1663 *ab Alexandro summo Pontifice : at, cum adjungat acceptum esse ex cœmeterio S. Cyriacæ, ubi* S. Hermes *noster non fuit sepultus, de alio id intelligi debet ; nec desunt plurimi ejusdem nominis martyres, uti* E *videre est in Opere nostro locis variis. Demum Thomas Pessina a Czechorod in Diario reliquiarum metropolis Pragensis ad* XXVIII *Augusti hæc habet :* S. Hermetis M. brachium, quod obtinuit Carolus *(IV imperator)* Aquisgrani apud S. Adalbertum anno MCCCLVII. Item pars capitis, et duo frustula, quodlibet eorum digito majus.

AUCTORE J. S.

DE DUOBUS SS. PELAGIIS MART.

ALTERO CONSTANTIÆ IN SUEVIA ; ALTERO IN CIVITATE NOVA ISTRIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

C § *I.* Constantiensis Martyris memoria in Fastis sacris, dissertatio de loco martyrii ; corpus Constantiam translatum. F

Sub Numeriano imperatore, ut fertur, Annuntiatur S. Pelagius Constantiensis

Constantiensis *urbis situm indicavimus in hoc tomo ad diem* XXVII *Augusti, occasione S. Gebhardi vel Gebehardi, ejusdem urbis episcopi : in qua hodiernum etiam martyrem* S. Pelagium *annuntiamus, singulares ibidem publicæ venerationis honores adeptum, cum Fastis sacris, eidem loco ipsum attribuentibus ad hunc diem. Wandelbertus duobus hisce versiculis eum memorat :*

* *l.* Alamanorum

Urbs Allamannorum * recolit Constantia sanctum

Hac quoque Pelagium, fuso pro sanguine clarum.

Molanus : Apud Constantiam Galliæ urbem natalis S. Pelagii martyris. *Galesinius :* Constantiæ, sancti Pelagii martyris. *Martyrologium Romanum :* Constantiæ in Gallia S. Pelagii martyris, qui sub Numeriano imperatore, et Euilasio judice martyrii coronam accepit.

in Fastis sacris, sed modo

2 *Alia Martyrologia* Pelagium *annuntiant sine notatione loci. Nam Beda Plantinianus sic habet :* Item natale sancti Pelagii martyris. *Richenoviense, quod exstat inter Martyrologia Hieronymiana contracta apud nos post tomum* VII *mensis Junii fere ei consonat :* Et alibi, sancti Pelagii mart. *Longe alius annuntiandi modus legitur apud Notkerum :* Eodem die (XXVIII *Augusti*) Emmoniæ, quæ est civitas provinciæ Carniæ, passio sancti Pelagii martyris. *Et subditur hoc martyrii compendium :* Qui tempore Numeriani imperatoris, agente Velasio * judice, pro fide Christi primo ferri pondere collo manibusque gravatus in carcerem truditur : eductus virgis verberatur, dein fustibus cæditur : postea equuleo suspensus, ungulis laceratur, oleo bulliente ventrem infunditur, super fragmenta testarum, ligatis manibus ac pedibus, protrahitur, postremo capite truncatur. *Grevenus, omisso primo loco, ponit eum* in provincia Acarnaniæ. *Martyrologium Germanicum, sub Canisii nomine citari solitum, locum palæstræ*

* Euilasio

AUCTORE J. P.

* in Germanico textu in Franckreich, diverse.

stræ ejus in Acarnania *etiam signat; cultus autem* Constantiæ in Gallia, *vel* Francia *.

3 *Verum tam hæc, quam aliæ superius annuntiationes vago et improprio modo loquendi,* Constantiam *collocant* in Gallia, *uti jam pridem recte observavit Sollerius noster in Auctariis ad Usuardum hac die, ubi post annuntiationem Molani ita monet:* Supra tribuebatur Pelagius Constantiæ Galliæ, quæ a Rheno longe dissita est; nisi Gallia, vel potius Francorum imperium in latissima significatione, quam olim habuisse constat, accipiatur. *Hæc lata et impropria significatio in errorem duxerit Saussayum, qui die* IX *Septembris scribit ista:* Apud Constantiam in secunda Lugdunensi *provincia,* S. Pelagii martyris, ibi sub Numeriano imperatore, sæviente Evilasio præside, necati in confessione pietatis. *Inepte hic respexit Saussayus ad* Constantiam *synonymam in Normannia Galliæ, vulgo* Coutance *vel* Coutances *(de qua agit Baudrandus.)* Ibi *itaque eum passum esse, errone asserit. Quod vero prædictus*

B *Martyrologus signet diem* IX *Septembris pro* XXVIII *Augusti, accidisse suspicor, quia* V *Kalendas Septembris confuderit cum* V *Idus ejusdem mensis. His ita expositis et animadversis, opportunus se offert locus inquirendi, ubinam gentium sanctus noster Athleta coronam martyrii consecutus sit.*

Dicitur passus Emonæ in provincia Carniæ:

4 *Hoc accidisse* in civitate Emmona, quæ est in provincia Carnia, *indicat Passio, quam dabimus, eidem adstipulante alio ejusdem exemplari. Petrus de Natalibus episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.* 7, *cap.* 120 *nomina aliter scribit:* Pelagius, *inquit,* martyr passus est in civitate Emonia provinciæ Acarnanniæ. *Martyrologium Notkeri et Canisii supra citavimus pro istis locis. De* provincia Carnia, et civitate Emmone *etiam agitur in breviariis Constantiensibus, quorum alterum anno* 1561, *alterum anno* 1575 *impressum notatur, ut in lectionibus propriis* S. Pelagii M. *ibidem licet videre. Consentiens itaque et pervulgata sententia est, ipsius martyrium in dictis locis consummatum fuisse: ad quorum situm definiendum opus est ulteriore indagatione. Quærenda itaque nobis est civitas* Emona in provincia Carniæ.

duo hæc loca

5 *Cellarius Notitiæ orbis Antiqui libro* 2,

C *cap.* 8, *pag.* 353 *hanc civitatem ponit in Pannonia superiore, pluribusque de illa disserit, e quibus ea depromam, quæ magis in rem nostram conducere videantur. Omissis itaque illis, quæ habet super diversa nominis efformatione, de situ ipsum audiamus:* Herodianus, *inquit,* ad Italiam refert, *ut* πρώτην Ἰταλίας πόλιν, primam et limitaneam urbem post Alpes constituens. Sed non intellexit Herodianum *(interpres) cui* ἱδρυμένη πρὸ τῆς υπωρείας τῶν Ἄλπεων, sita est ante radices Alpium, *id est,* Pannonicas: nam sequenti die ἐπι τὰς Ἄλπεις ἐπείγοντο, ad Alpes accesserunt. Male vero Herodianus Italiæ fines, contra consensum omnium, trans Alpes removit. *(Auctorem hunc lib.* 8, *cap.* 1 *citaverat ibidem Cellarius.)* Cum Plinio ergo *(lib.* 3, *cap.* 25*)* Pannoniæ adscribamus.

varii

6 *Loco citato Plinius hæc de illa scribit:* Ad Septemtriones Pannonia vergit... In ea coloniæ Æmona, Sciscia. *Plinio Ptolemæum addit Cellarius, qui locum istum* Pannoniæ superiori adjunxit ita, ut sit μεταξὺ Ἰταλίας ὑπὸ τὸν Νωρικὸν Παννονίας, inter Italiam sub Norico Pannoniæ, id est, in harum regionum confinio, quemadmodum etiam Zozimus *(lib.* 5, *cap.* 29 *ibidem citatus)* posuit, μεταξὺ Παιονίας τῆς ἀνωτάτω καὶ Νωρικοῦ. inter Pannoniam primam et Noricum. D *Et vero* vir peritissimus, *sicut pergit Cellarius,* harum regionum Jo. Lud. Schönleben multis argumentis contendit, Æmonam Labacum Carniolæ esse, vulgo Laubach dictum, quod etiam iter Antonini ab Æmona Sirmium confirmat. Sita est Æmona ad fluvium Nauportum, qui nunc Labacus est, milliario Germanico a confluentibus. Sed superius ad idem flumen est oppidum Nauportum, perperam a Strabone dictum Ναύποντον, Naupontum. Nomen enim a fluvio habet: cujus etymon Plinius lib. 3, cap. 18 revelavit disputans contra Nepotem, aliosque, qui ex Istro alveum in Adriaticum mare effluere crediderunt.. Flumen ex Alpibus oritur prope Longaticam, mansionem, quæ in Tabula *(paullo ante a Cellario indicata erat* Peutingerorum Tabula Emona) est VI millibus ab oppido Nauporto: hoc XII ab Emona. Ex quo conjicitur, probaturque a laudato viro I. L. Schönleben, Nauportum oppidum fuisse in loco Super-Labaci, vulgo Ober Laubach... De situ universo inspice tabulam nostram Norici *(ad pag.* 326*)* qua hæc plenius, quam Pannoniæ tabula, *(ad pag.* 346*)* E exponuntur.

observationibus

7 *Ceterum, si quis plura de loco, quem hic elucidare conamur, desiderat, copiosissimas ei notitias suggeret admodum reverendus et eximius Dominus Joannis Ludovicus Schönlebius, sacræ theologiæ doctor, protonotarius apostolicus, et archidiaconus Carnioliæ inferioris, jam memoratus, in libro, qui anno* 1674 *Salisburgi excusus est hoc titulo:* Æmona vindicata, sive Labaco metropoli Carnioliæ vetus Æmonæ nomen jure assertum. *Idem auctor condidit Annales Carnioliæ, quorum prænotatur tomus esse primus, et anno* 1681 *Labaci editus, et in quo de Carnioliæ locis, atque aliis rebus ad illam spectantibus diffuse tractatur. Jam vero dispiciendum est, an et quo pacto relata hactenus de* Æmona, *quam alibi paullo aliter scribi vidimus, conciliari possint cum* provincia Carniæ, *in qua hæc ponebatur.*

elucidare

8 Acarnannia *apud Petrum de Natalibus, vel, ut rectius scribitur in Martyrologio Canisiano,* Acarnania, *huc non spectat, sed ad Græciam, ut videre datur apud Cellarium lib.* 2, *cap.* 13, *pag.* 705. Acarnauniam *vero* F *suspicor apud Petrum de Natalibus mendose intrusam esse pro* Carnia. *Hanc vero componere cum civitate* Æmona *provinciam, difficile quidem est, sed conatu non indignum. Cogito itaque primo, fieri potuisse, ut in antiquo aliquo codice per abbreviationem litterarum exaratum fuerit* Carnia *pro* Carniolia. *Id si factum hic esse constaret, quod alibi sæpe fit, nihil esset ulterius inquirendum. Sed conjectura est. Secundo, quoniam Pannonia et Carnia, vel, ut nunc vocatur, Carniolia, contiguæ fuerunt regiones apud antiquos, non videri improbabile, quod vel Actorum* S. Pelagii *scriptor ambas ex aliqua saltem parte confuderit; vel antiqua Pannoniæ vel Carniæ divisio latius patuerit, itaque fuerit utraque vel alterutra extensa, ut aliquam altera alterius partem complecteretur Ad majorem cogitationis meæ dilucidationem, mitto lectorem ad mappas geographicas. Et primo quidem in ea, quæ est apud Cellarium lib.* 2, *cap* 9 *ad paginam* 406, *notantur* Emona, Alpes Carnicæ, Julium Carnicum, *item* Carni, *ita posita, ut facti m fuisse, quod jam dixi, non improbabile videatur. Secundo, consuli potest mappa ante Annales Schönlebianos, quæ exhibet Carnioliam antiquam, sive partem Norici, et Carniæ etc.*

cenamur et aliorum

A 9 *Quoniam vero, quæ disputavi supra, magis mihi videntur ad verum accedere, et probabiliora ad palæstram martyrii* S. Pelagii *hodierni* Emonæ in provincia Carniæ *designandam cum Actis, quæ dabimus, et Notkero; sequitur, ut alius martyrii locus non videatur inquirendus, donec meliorem edoceamur. Proinde rejicimus ista, quæ habentur in Appendice 4 ad Chronicon Constantiense apud Pistorium, pag.* 719 : S. Pelagius Emons * natus, passus martyrium in civitate, quæ postea cognominari Constantia cœpit ad Rhenum, quo propter persecutionem secesserat tempore Numeriani imperatoris : cujus pater Pelosius, et mater Claria, nobiles ac ditissimi Christiani. *Eamdem ob causam displicent ea, quæ in Annalibus Carnioliæ Schönlebius allegat parte* 3 *ad annum Christi* 284, *pag.* 202, *ex Bucelini Constantia, quam citat, ad eumdem annum :* Fuit Ungarus natione, nobilibus et opulentis parentibus Pelusio et Hilaria Christianis Emmonæ editus.., fugiens in patria persecutionem, hic sponte se offerens, juvenis xxv annorum. *Hæc merito paucis castigans Schönlebius,* Ungarum, *inquit,* posuit B pro Pannone : nondum enim tunc Ungarorum nomen auditum, nec umquam Æmona Hungaris paruit.

** f. Emone*

opiniones non admittimus.

10 *Bucelinus itaque Sancti patriam a loco passionis perperam distinguit, et, prout narratur in dictis Annalibus, præsidem Rhætiæ ponit Evilasium,* qui in urbe nostra *(Constantiensi videlicet)* et castello ejusdem inferiori (Niderburg deinceps dicto) . . residens . . *post tentatam frustra Sancti constantiam, atque inflicta tormenta,* extra castellum gladio *eum* decollari præcepit. *Hæc retuli e Schönlebii Annalibus, quia Bucelini Constantiam non reperi apud nos. Prætermitto ea, quæ habet Murerus in Helvetia sancta pag.* 153. *His subdere placet notitias, quæ ad corporis translationem pertinent, in cujus narratione inveniuntur nonnulla, quæ a scriptoribus diverso modo referuntur.*

Corpus S. Pelagii Constantiam translatum

11 *Chronicon Constantiense supra allegatum, et apud Pistorium in tomo, in quo dantur scriptores sex, vulgatum, pag.* 634 *inter episcopos* C *Constantienses refert ista :* Salomon hujus nominis secundus, vicesimus primus electus fuit anno Domini DCCCLXXXV, et iste sarcophagum sancti Pelagii martyris fieri fecit preciosis gemmis adornando. . Obiit hic Salomon anno DCCCXCI. *Vide, quam ista prorsus non cohæreant cum Appendice. quam ante citabam, ad istud Chronicon, ubi scribitur, ejus* corpus integrum per Salomonem hujus nominis tertium, ad majorem ecclesiam Constantiensem translatum. *Idem Salomon (II) occurrit alibi : nam apud Crusium Suevicorum Annalium dodecade* 1, *lib.* 10, *partis* 1, *pag.* 284 *hæc sunt :* Salomon DCCCXC, nobilis Ramschwagius. Hic S. Pelagii corpus Roma. . Constantiam attulit. *Hartmannus in Annalibus eremi Deiparæ Matris, monasterii in Helvetia, ad annum* 918 *rem sic narrat :* Anni nongentesimi decimi octavi initio, quia ex principum ante dicto supplicio dolor perpetuus Salomonem excruciabat, veluti eorum exitii caussam ferret, tamquam expiaturus Romam abiit, multaque animi demissione ab Joanne Pontifice culpæ, si quam ea nece haberet, gratiam oravit. Pontifex non solum humaniter accepit, sed S. Pelagii martyris insuper sacris reliquiis, quia eo die custodia Dietboldi burgi egressus erat, victoriamque de hostibus tamtam reportarat, honoravit, quas summa veneratione Constantiam detulit, et inter episcopatus Divos tutelares S. Pelagium inseri voluit. *Inter rerum Alamannicarum scriptores apud Goldastum, anno* 1661 *recusos, in libro* de casibus monasterii S. Galli in Allamannia, *qui* Ekkehardi Junioris, *ejusdem monasterii* cœnobitæ *nomine prænotatur, capite* 1, *quod est de Salomone III, et abbate S. Galli, pag.* 19 *translationi prædictæ adjunguntur* de S. Pelagio *sequentia :* Cui cum multorum miraculorum virtutibus in signis esset, cottidie rumor ejus non solum proximas, sed et exteras Constantiam fecit orandi causa turmatim confluere regiones. *Plura de sancti Martyris corpore impetratio, ac deinde magnifice condecorato, ibidem etiam legi possunt. Superius præmissa in signando Salomone non conveniunt; proinde dispiciamus, quisnam ex tribus hanc translationem fecerit.*

AUCTORE J. P

a Salomone episcopo, hujus nominis tertio :

12 *In Chronico Constantiensi pag.* 634 *dicitur obiisse anno* 873 *Salomon I ; secundus anno* 891 ; *tertius, de quo ibidem pag* 635, *anno* 919. *Primum non lego accepisse dictas reliquias. Secundo id attribuit Chronicon, ut vidimus, Constantiense; sed Appendix ad illud, tertio. Secundum indicabat Crusius per nomen* Ramschwagius. *Ter-* E *tium Hartmannus, addens sacrum hoc pignus obtentum a Joanne Papa, quocum Salomonis III tempora conveniunt : sedisse enim ponitur Joannes X anno* 912, *obiisse anno* 928. *Magis itaque mihi arridet sententia, quæ hanc rem gestam Salomoni III attribuit. Hæc dicta sint de sacri corporis ad Constantienses delatione, seu antiquo ejusdem statu : de præsenti autem nihil certi didici Liceat autem suspicari, insigniores plerasque ejusdem corporis partes a longo jam tempore ibidem non exstitisse ; ad quod me movet epistola celsissimi domini Jacobi episcopi Constantiensis scripta ad Rotwilenses anno* 1609, *in qua non ita videtur fuisse locuturus, nec gratias tantas acturus Rotwilensibus pro accepto ab eis sacro osse, si corpus* S. Pelagii *apud Constantienses tali modo tunc temporis exstitisset. Dicta epistola dabitur inferius. Adde, quod P. Janningus noster in suo Itinere Ms. Belgico-Viennensi, solitus notare si quid in locis, per quæ transibat, notatu dignum de Sanctis reperiret, aliud nihil observet fol.* 16 *verso de hoc Sancto, quam illud :* S. Palagius mart. Constantiæ colitur XXVIII Augusti cum octava, tamquam patronus civitatis. F

non probatur, cujus Pelagii corpus fuerit;

13 *Quæres, unde probetur, quod pignus sacrum* S. Pelagii M., *a Romano Pontifice datum Salomoni III, et ab hoc Constantiam delatum, sit Pelagii martyris illius, qui passus scribitur Emonæ in provincia Carniæ? Eumdem hunc esse, non dicebat supra Notkerus, non Wandelbertus, non Acta apud Petrum de Natalibus, non nostra ex apographo bibliothecæ S. Galli postea excudenda, non denique auctores modo citati, qui scribunt de translatione pignoris istius sacri, sub nomine dumtaxat* S. Pelagii martyris *(apud Crusium sine titulo* martyris) *nulla addita alia nota characteristica, vi cujus discerni possit, an sit Emonensis, an alius synonymus. An igitur a Martyrologis num.* 2 *citatis,* S. Pelagio M., *qui Constantiæ colitur, Acta synonymi Emonensis sunt applicata ? Ad objectam difficultatem respondeo, eam me eruditis Constantiensibus vel aliis expendendam relinquere, cum ex antiquis documentis has tricas dissolvi satis apte a me non posse, candide profitear, nec sciam, cujus Pelagii corpus hic intelligendum sit.*

nec qualis ibidem antea cultus.

14 *Nec prætereiro aliud punctum. quod aliam molestiam creat, in eo situm, quod apud Wandelbertum*

AUCTORE J. P.

delbertum superius num. 1 *memoratum* S. Pelagio *assignetur* urbs Allamannorum . . Constantia. *Ibidem ergo, cum addat* recolit, *non obscure indicat, sanctum aliquem* Pelagium fuso pro sanguine clarum, *id est, martyrem, in veneratione fuisse ibidem: atque adeo ante Salomonem III prædictum. Nam quod Wandelbertus, monachus Prumiensis in diœcesi Trevirensi, suum Martyrologium scripserit anno* 842, *indicatum est in Præfatione ad Usuardum a Sollerio editum ac illustratum, articulo* 3, *pag.* XVI. *Salomon vero sancti alicujus* Pelagii *corpus accepit Romæ anno demum* 918, *ex dictis.* Alicujus, *inquam: nam cujus martyris determinate illud fuerit, superius non dicitur. Si autem Appendix ad Chronicon Constantiense modo citata verum referat, dicens,* corpus *illud* integrum *(sed alii supra citati dicunt simpliciter* corpus, *quod potest accipi pro notabili* corporis *parte)* per *hunc* Salomonem ad majorem ecclesiam Constantiensem translatum; *tunc corpus illud distinguendum esset a corpore, quod sub nomine* S. Pelagii M. *conditum legitur in Civitate nova apud Istrienses (de quo tractabitur paragrapho proxime sequenti.) Hoc tamen ab illo*
B *videtur distinguendum propter aliam rationem, quæ modo dabitur.*

§ II. S. Pelagius, qui colitur in Civitate nova, a superiore distinctus videtur.

S. Pelagius synonymus

Hunc S. Pelagium *subdo synonymo Martyri, qui apud Constantienses colitur, et de quo jam egi. Hic autem sicut non paucis, ut vidimus, tricis involutus est, ita etiam ille, de quo nunc agetur. Apud Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad diem* XXVII *fere diceres annuntiari Constantiensem: sic enim scribit:* Æmoniæ in Istria S. Pelagii Diaconi martyris sub Numeriano, ejus diœcesis patroni. *In notis vero citat Maurolycum et Felicium, nec non Petrum de Natalibus hac die in Catalogo lib.* 7, *cap.* 120. At, *uti subdit,*
C in Tab. ecclesiæ Aquileien. die XXIX hujus. Corpus in Civitate nova in ecclesia cathedrali una cum corpore S. Maximi episcopi asservatur. Uterque est urbis tutelaris. *Die autem* XXIX *sic eum signat:* Emoniæ in Istria S. Pelagii Diac. et martyris, patroni ejusdem civitatis, *et addit in notis:* Ex Tab. ecclesiæ Aquileien. hac die. Ejus memoria celebris est in tota diœces. Æmiuien. *, prout Nicolaus Manzol. I. C. Justinopolit. in Descriptione Istriæ testatur. Apud alios die XXVII hujus adnotatur. Videtur diversus ab eo, qui Constantiæ passus est hac die *(immo qui colitur ibi* XXVIII *Augusti)* sub Numeriano, uti in Martyrologio Romano: illius enim corpus ibi asservatur; hujus vero in Civitate nova. *Hæc ille. Varia porro hic sunt inquirenda.*

* f. Æmoniensi

colitur in Civitate nova:

16 *Ughellus tomo* 5 *Italiæ sacræ columna* 219 *de utriusque cultu hæc memorat:* Cathedralis basilica in ipsa Æmonensi *(ut vocat)* civitate sita est titulo Deiparæ Virginis, et SS. Maximi et Pelagii, structura insigni, cujus dedicatio celebratur die XXVIII Aug. Hic asservantur corpora eorumdem SS. Maximi et Pelagii. *Et columna* 220 *scribens de illorum corporibus ibidem conditis, hanc profert inscriptionem in sepulcro, sicut addit, exaratam:* Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVI, VI Id. Octob. recondita sunt hæc Sanctorum D corpora Pelagii et Maximi tempore domini Adami episcopi. *Ex his constat de* S. Pelagii *publico cultu. Optandum prorsus esset, ut, sicut de cultu ejus abunde instructi sumus, ita etiam de Actis apte ratiocinari possemus. Sed aliter in hoc argumento res se habet, prout patebit ex his, quæ lectori consideranda propono, antiquas de eisdem Actis apud nos querelas renovando.*

sed ejus Acta

17 *Papebrochius tomo* VII *Maii, die* XXIX, *pag.* 14 *in S. Maximo, relata superiore inscriptione,* Alius, *ait,* nullus titulus nominibus additur, neque verosimiliter plus de iis tunc sciebatur. MARTYRES tamen paulatim credi cœperunt, et quidem sic, ut MAXIMUS episcopus, Pelagius diaconus dictus fuerit. Hujus opinionis si non auctor, promotor certe primarius fuit Nicolaus Mansolus in Descriptione Istriæ, cum Vitis sanctorum provinciæ illius edita Venetiis: de quibus vir eruditissimus, multisque libris scriptis etiam a morte clarus, Joannes Ludovicus Schonlebius, sacræ theologiæ doctor, et inferioris Carnioliæ archidiaconus Labaci residens, mihi antehac scripsit, " Vitas istas ex vulgaribus opina- E " tionibus undecumque consarcinatas, sibique " valde suspectas esse, ne vel ex toto confictæ " sint pleræque, vel plurimum saltem admixtum " habeant fictionis. " *Pergens papebrochius* Luculento exemplo *id ostensum esse refert apud nos in* S. Nicephoro, Petinensis civitatis in eadem Istria patrono *etc. Consuli de hac re possunt dicta ad diem* XXVIII *Maii, pag.* 807.

involuta sunt tricis,

18 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXIX *Augusti de* S. Pelagio martyre, et patrono Æmoniensi *scribens, profert Passionis compendium, quod continet in substantia illam, quam occasione S. Pelagii M., Roma Constantiam delati, ac ibidem patroni, huic Commentario subjungemus. Compendium illud apud Ferrarium sic incipit:* Pelagius Æmoniæ in Histria nobilibus et copiosis parentibus ortus *etc. Suspicor* Istriam *hic intrusam esse pro* Carnia, *propter dicta superius in Commentario prævio* § I, *ubi de loco martyrii pluribus dissertum est. Ecce autem hic redeunt tricæ, an, et qua ratione compendium illud conveniat* Pelagio *Civitanovano, et cujus Pelagii demum sit, an alterutrius ex illis, an alicujus ter-* F *tii synonymi: tanta hic est, tamque confusa incertitudo. Ferrarius in Annotatione ad allegatum compendium observat ista:* Acta hujus cum Actis Pelagii, qui Constantiæ in Germania passus est, confunduntur: ex quo quis hunc eumdem cum illo esse suspicari possit: cujus corpus Constantia Æmoniam delatum; sicque Pelagius Æmoniæ tutelaris effectus: nisi Constantienses sui Martyris corpus haberent. *Hæc, quæ asserit Ferrarius, quod* Constantiæ in Germania passus, *et,* corpus Constantia Æmoniam delatum: *item* nisi Constantienses ejus corpus haberent, *mecum non conveniunt in Commentario prævio, quem modo citabam.*

et non satis nota:

19 *Idem hagiologus in appendice ad dictum Catalogum, sive ad Vitas, quas ad se tardius transmissas scribit, pag.* 821 *alia habet de suo* S. Pelagio, ex monum. ejusd. Æmonien. eccles.. et Hist. Istriæ a Nicol. Manzolo I. C. Justinopolitano recens edita, *his verbis:* Pelagius Æmoniensis diaconus furentibus in persecutione adversus Christianos gentilibus tentus, ac in fidei confessione persistens palmam martyrii gloriosam consecutus est. Corpus a Christianis apud Æmoniam humatum, in magna semper fuit apud Æmonienses veneratione: qui illum uti patronum præcipuum

AUCTORE J. P.

A puum coluerunt, et colunt. Nam non solum Civitatis novæ, quo Æmonia eversa corpus illius translatum est, sed et totius diœcesis patronus habetur, et maxime colitur. Ejus quoque memoria per universam Aquileiæ diœcesim celebratur. *Hæc dicere, tantumdem fere est ac nihil dicere de martyrii historia: nam de imperatore vel judice, sub quo illud acciderit; de loco item, de tempore, de cruciatuum circumstantiis, quidnam inde discas? Deinde, vocatur* Æmoniensis, *id est, Civitanovanus secundum Ferrarium, ac* diaconus, *nec non* palmam martyrii *dicitur* consecutus, *sed nihil ex his probatur, immo vero videntur vacillare propter præmissa num.* 17. *Ego enimvero nihil video satis firmi quod asseram de hoc Martyre, præter ea, quæ de ejus cultu relata sunt.*

disseritur an idem sit cum Constantiensi,

20 *Operæ tamen pretium est inquirere, an prædicti Martyres* Pelagii *sint distincti, an unus in duos confusus. Distinctio placet Ferrario; ut jam vidimus, ex eo petita, quod diversus sit locus asservati eorum corporis. Sed hoc argumentum mihi non facit satis. Cur enim unus et idem Sanctus non possit coli diversis locis etiam remote inter* B *se distantibus ob asservatum utrobique corpus idem, notabilem corporis partem sumendo pro toto corpore? Hoc autem modo apud nos itum esse obviam difficultatibus in hac materia occurrentibus, satis norunt, qui Opus nostrum pervolvunt. Locus itaque, qua spectat Sanctorum pignora asservata, diversus, non videtur satis solvere præsentem difficultatem.*

an ab eodem

21 *Nec sæpe jam dictam distinctionem mihi suadet titulus* diaconi, *qui, præeunte Manzolo, quo se usum indicabat Ferrarius, sancto Martyri Civitanovano dabatur supra ab eodem Ferrario, quique non datur ab auctoribus Constantiensi: quia titulus ille sufficienti auctoritate non probatur, prout antea indicatum est. Sed quandoquidem corpus* S. Pelagii *Constantiensis asservatum fuit Romæ, ibidem utique per Salomonem III, præsulem Constantiensem, a Joanne PP. X impetratum, et inde ab eodem Salomone Constantiam deportatum,* S. Pelagio *ejusdem urbis patronis tutetaribus eadem occasione per illum adscripto, ex supra dictis quandoquidem, inquam, Romæ debetur hoc sancti Martyris pignus sacrum, nec* C *scitur, corpus synonymi Civitanovani umquam Romæ exstitisse; ideo propendeo in illam opinionem tamquam probabiliorem, quod alter ab altero sit diversus.*

diversus.

22 *Atque hæc opinio conformis etiam est qualiquali Civitanovanorum traditioni, seu Æmoniensium, ut volebat Ferarius supra:* Corpus a Christianis apud Æmoniam humatum, in magna semper fuit apud Æmonienses veneratione *etc. Ex hac vero regione ullam istius corporis partem migrasse ad Constantienses, non novimus. Utrumque hunc Martyrem conjungere visum mihi est hac die, etiamsi Civitanovanus signetur a Ferrario die* XXIX *hujus mensis, eum in finem, ut, dum Sanctus uterque sub uno quasi conspectu hic exhiberetur, magis lucerent, et commodius expendi possent difficultates, quas solvere conatus sum. Ad Constantiensem vero referuntur, quæ de ipsius cultu ex Officio proprio, sacris lipsanis, atque ædibus, sub ejus nomine Deo dicatis, jam expediam.*

§ III. S. Pelagii Constantiensis Officium proprium; reliquiæ Pragenses; Rotwilanæ juridicis instrumentis probatæ.

Datur notitia Officii proprii,

Præter ea, quæ protulimus e Fastis sacris de publica S. Pelagii *Constantiensis veneratione, alia dicenda supersunt ad majorem ejusdem confirmationem atque honorificam, quæ ad posteros propagata est, commendandam Martyris memoriam. Apud Constantienses insignem adeptus merito fuit cultum, uti patet e breviariis istius ecclesiæ, anno* 1565 *et* 1575 *typo editis, in quibus hac die habet Officium proprium. Antiphonas non do, nec lectiones proprias, quæ ex Actis sunt desumptæ. Hymnus sic incipit:* Felix mater Constantia devote Christo jubila festum sancti Pelagii, tui patroni optimi. *Oratio propria:* Deus, qui beatum Pelagium martyrem tuum inter vincula liberum, inter tormenta securum gratiæ tuæ ubertate fecisti: quæsumus clementiam tuam, ut in nobis flammas corporalium passionum misericordiæ imbre restinguas, et ignem beatæ charitatis clementer infundas. Per Dominum. E

et reliquiarum quæ Pragam, et Constantiam delatæ sunt,

24 *Publica veneratio hujus Sancti sumpsit etiam incrementum e lipsanis ejus sacris ad varia loca delatis. Thomas Joannes Pessina de Czechorod in sua Metropolitana Pragensi pag.* 516, *ad diem* XXVIII *Augusti hæc memorat:* S. Pelagii M. scapula, et alia ossium frustra, Constantia allata per Carolum *(IV imperatorem)* MCCCLIII. *R.P. Maurilius Chardon Societatis Jesu, celsissimo ac reverendissimo sacri Romani imperii principi Joanni Francisco, episcopo Constantiensi et Augustano a sacris quondam confessionibus, huc misit anno* 1740 *sequentia documenta de inventione reliquiarum in Rotwil seu Rotweil, quæ, uti habet Baudrandus ad nomen* Rotevilla, *est* urbs parva Germaniæ in Suevia, imperialis et libera, ad Nicrum fluvium sub montibus Abnobæ... Distat, *inquit,* 10 milliaribus Germanicis a Bristico * in ortum, et 6 a Schafhusia in Septemtrionem. Ibi Camera seu juridica sedes totius Sueviæ instituta anno MCXLVII a Conrado III Duce Sueviæ. *Quomodo igitur insignes* S. Pelagii *reliquiæ ibidem sint repertæ, et os inde Constantiam delatum, perhibent documenta authentica jam dicta, quæ, etiamsi valde prolixa sint, lectoris tamen oculis subtrahenda non censui. Pleraque omnia ex iis, quæ occurrunt historicæ narrationi inventionis inserta idiomate vernaculo, seu Germanico, ponam inter uncinos [] ex iis, quæ Latine reddita aliunde pervenerunt ad nostras manus. Suspicamur, reliquias has esse* S. Pelagii *Constantiensis, cum ex loco, in quo repertæ sint, tum quia eo fortasse delatæ fuerint Constantia, quando altare Rotwilanum vel potius ecclesia consecrata est. En tibi nunc ipsum instrumentum e nostro apographo:* F

* *l.* Brisaco

Veritas sacri pignoris Rotwilensis probatur

25 Honorabili domino vicario curiæ Constantiensis humiles vestri magister Joannes Vallinger, et Joannes Biehter socius individuus in Rotwil, reverentiam in omnibus tam debitam, quam condignam. Venerabilis domine, virtute vestræ commissionis nobis injunctæ, ratione quarumdam reliquiarum veterum in quodam altari, prout præsumitur, inventarum in ecclesia parochiali in veteri

AUCTORE J. P.

teri villa Rotwil, juxta tenorem, et formam commissionis vestræ, diligentia, qua potuimus, testes super isto vocatos et citatos, et in hoc compræsentes examinavimus divisim, et juramenta eorum recepimus de veritate dicenda, et calumnia vitanda, proxima feria tertia post festum S. Marci Evangelistæ, hora octava diei ejusdem, quorum testium depositiones nostris sigillis clausas fideliter scripsimus, et vobis remittimus per prudentem et circumspectum virum Joannem Bok, civem et schultetum oppidi in Rotwil. Domine vicarie venerande, nos prænominati examinatores, et commissarii in facto præsenti, in ecclesia parochiali S. Pelagii in veteri villa Rotwil, in choro et sacristia ejusdem ecclesiæ testes infra scriptos juratos, omni diligentia, qua potuimus, ratione quarumdam reliquiarum veterum ibidem inventarum, ut præsumitur, prout sequitur, juratos examinavimus.

ex jurata

26 Primus. Benzo de Tieringer annorum quinquaginta, civis Rotwilensis, vir bonæ famæ, murator juratus etc., et primo examinatus de dispositione altaris veteris jam destructi, in eccle-
B sia ac choro prædictis, dicit, quod altare vetus ab intus non fuit concavum, sed repletum lapidibus, cymento * et gypso, in cujus summitate lapis tabularum fuit protensus, secundum longum a parte meridionali, sive dextera versus Aquilonem sive sinistram habens quinque palmas longitudinis, et secundum latitudinem duas, post quod versus Orientem sunt alii tres lapides cymento et gypso conjuncti, et contignati, et a duabus partibus altaris a dextris, et a sinistris murus cum gypso conglutinatus propter latitudinem, et complementum altaris ejusdem, quæ pars gypsi propter vetustatem fuit disjuncta a lapide, et minabatur casum altaris, sicque dicit, quod ipse Bercholdus Cunradus Zepf, et Ulricus Sporer, sui consocii in eodem artificio et opere, et alii famuli ibidem compræsentes, primo levabant de veteri altari tres lapides posteriores, et postea lapidem tabularem et principalem, quibus remotis ipse Benzo deponens solus partem altaris, quæ remansit ex lapidibus parvis, et gypso superius polito malleo ferreo, vulgariter [malleo murario] percussit destruendo residuum altaris, et
C dum sic percussionibus partem a parte separaret, percussit super quoddam lignum, et tunc ex sonitu et repercussione, et unius ligni motione consideravit, et vidit aliquid esse inclusum, et melius perspiciens vidit cassam * ligneam, et aliquid intus jacens: quo viso statim cessavit ab ulteriori fractura.

* cæmento

* i. e. capsam

testis

27 Idem dicit, quod Hainricus Giering, procurator luminum ejusdem ecclesiæ, stetit in præsentia in facie altaris: qui idem videns dixit: [Audi, volo currere ad dominum] denotando plebanum ejusdem ecclesiæ: credit reponens, quod Hainricus Gieri personaliter iverit pro plebano: qui plebanus statim veniens recepit de cassa lignea id, quod inclusum fuerat, velatum et involutum in quodam panno serico; super cujus medium fuit plumbum jacens quantitatis unius manus: et dicit, illud deportasse plebanum in sacristiam, et potuisse super altare ibidem, et plebanum legisse in vulgari [Hoc est sancti Pelagii martyris.] Ipse autem deponens non legit, quia litteras nescit, sed plumbum vidit. Idem dicit, se vidisse pedem sinistrum a genu usque deorsum cum aliquibus pedicis. Idem dicit, retro stetisse pixidem * ligneam parvam, et clausam, quam vidit, et clamando dixit: [Domine, adhuc plus hic est] quam plebanus recepit, et aperuit in sacristia, et a plebano audivit, quod in D
eadem pixide parva esset bursa serica, in qua essent aliquæ partes reliquiarum inclusæ, et aliquæ cedulæ *, sed ista dicit se non vidisse: quia prout diligens fuit ad ulterius quærendum in muro altaris.

* pyxidem

* schedulæ

primi

28 Insuper requisitus de cassa, dicit, quod in cymento et gypso fuerunt quatuor ligna contigua ejusdem longitudinis, et fere æqualis latitudinis, et duo ligna brevia capitalia, vulgariter [lignea capsula in modum sarcophagi alicujus pueri:] sine clavis ligneis, et ferreis, et, superiore amoto, pes inventus, et panno involutus jacebat, acsi esset puer mortuus, prout sibi apparuit in primo aspectu: nullum sigillum vidit, sed plumbum prænotatum. Item dicit, quod secundum dispositionem lapidum, tabularum, et principalis altaris destructi fuit cassa lignea desubtus in muro latens, ita quod una pars pedis inclusi fuit versus meridiem, et alia versus Aquilonem, puta pedica, et genu. Item requisitus an immediate sine intervallo ipse reponens secutus fuerit presbyterum in sacristiam cum illo, quod importavit, dicit quod sic, et non solum ipse, E
sed et omnes alii testes infrascripti hoc viderint oculata experientia, scilicet, ubi esse pedem sinistrum.

depositione :

29 Item de tempore, die, et hora hujus inventionis requisitus, dicit certitudinaliter, quod fuit in Quadragesima, una feria quinta, hora nona, vel decima diei. et credit quod feria quinta post medium Quadragesimæ. Item, ut de facto magis certe examen constaret, illud, quod inventum est, quod præsumitur esse pes sinister Pelagii martyris, in sacristia coram eo denudavimus, et plumbum, et parvam pixidem apposuimus, et aliqua ligna cassæ: et per juramentum requisitus, an id foret, quod esset inventum, respondit: Per juramentum meum, aliud non video, scio, non credo. Demum requisitus, an crederet, et præsumeret, quod essent veræ reliquiæ, respondit: Nisi forent reliquiæ, in altari non fuissent inclusæ, dicens: [Quid aliud in sacro altari reconderemus, nisi reliquias?] Et dicit, quod apud omnes audientes sit fama, et credulitas, quod ibi veræ reliquiæ S. Pelagii sint inventæ etc. *Ne lectori moram injiciat vox* pedica, *quæ occurrit supra, significat ea digitum pedis, sicut probant exempla apud Cangium in Glossario novæ et auctioris editionis.* F

testis secundi

30 Depositio secundi testis. Cunradus Zepf annorum sexaginta, murator, bonæ famæ vir, dicit, se scire, quod feria quinta, et credit, quod feria quinta ante Dominicam Passionis, postquam in ecclesia parochiali, de qua supra, in altari summo... lapis tabularum fuit amotus, ipse repouens cum Ulrico Sporer lapicida laborabat in inferiori parte chori in lapide novo, postquam Benzo Tieringer prænominatus, et primus deponens percussit super lignum, quod motum fuit ex percussione, acclamavit eos vocando, dicens in vulgari: [Domini, venite huc] qui statim accurrentes, et videntes cassam ligneam, et intus quid pannis involutum, dicebat deponens: [Unus est ex puerulis Herodis] motus ex forma, et dispositione lignorum, quia dicit: [Fuit capsula ossium mortuorum instar sarcophagi alicujus pueri] et stupefactus, et attonitus dixit: Non videamus, nec tangamus, sed mittamus **nach Pass-frayen**, qua indigui sumus tangere, et videre, eo quod reliquiæ sunt.

31 Qui

A *depositio etiam jurata:* 31 Qui plebanus vocatus, statim veniens, lignum supremum amovit, et tunc ipse, et adstantes melius videntes, vidit, quid in panno involutum: super cujus medium jacuit plumbum, et plebanus recipiens extra cassam, portavit id, quod fuit in cassa, et plumbum in sacristiam: qui deponens cum aliis accurrens, et sequens plebanum vidit, postquam pannus fuit amotus, ibi pedem esse sinistrum cum quatuor pedicis a genu usque deorsum. Item requisitus de scriptura, et de pixide parva, et omnibus aliis superius expressis, omnino concordat cum primo deponente, addens, quod etiam viderit parvam bursam in pixide inclusam, quæ recens fuit, de quo et multum mirabitur. Demum respondit, et ad id, quod inventum est, ductus, dixit per juramentum, illud esse, quod inventum fuit, et se firmiter credere esse pedem S. Pelagii martyris.

qualis etiam est testis tertii, 32 Depositio tertii testis. Ulricus de Kayssen, alias Sporer, lapicida, annorum quadraginta, juratus dicit, quod dominus Nicolaus Fry plebanus ibidem vocatus, et videns, quod ibi inclusum fuit, recepit stolam, et levavit reliquias de loco, et detulit ad sacristiam, cui ipse deponens B dixit: [Domine, iterum quære, plus adhuc ibi est] denotando pixidem parvam clausam: qui recipiens eam aperuit pixidem, in qua fuit bursula parva inclusa, quam deponens dicit se vidisse, et de reliquis intus inclusis non multum curasse; sed oculos ad id, quod primo inventum est, habuisse propter magnitudinem, et quantitatem pedis inventi. Requisitus de tempore, dicit, certitudinaliter fuisse feria quinta proxima post medium Quadragesimæ. De dispositione altaris veteris, de cassa, et de lignis, et de modo inveniendi nullatenus discrepat, sed omnino concordat cum testibus supra examinatis, et per juramentum requisitus, jam videns quod pro tunc inventum fuerat, dicit illud esse idem in numero, et se credere, esse reliquias S. Pelagii martyris.

ac testis 33 Depositio quarti testis. Hainricus Giering, procurator luminum ecclesiæ ibidem, annorum sexaginta, juratus etiam dicit, quod ipse et alii procuratores ejusdem ecclesiæ, moti zelo charitatis ad honorem Dei, et reverentiam S. Pelagii C martyris, qui patronus est ecclesiæ ejusdem, vetus altare, quod ex vetustate, et casura partium minabatur destructionem, convenerunt ædificare novum altare, et perfecerunt sumptibus et expensis fabricæ ecclesiæ: qui ulterius dicit, quod feria quinta post medium Quadragesimæ anni præsentis, post remotionem omnium lapidum superiorum altaris veteris, Benzo de Tieringer volens amovere cymentum, gypsum, parvos lapillos, percutiens cum malleo supra lignum, et perveniens super cassam ligneam, et audiens sonum, et videns lignum ex motione, dixit murario: [Audi, ne percute amplius, volo currere ad dominum meum] et velociter currens præ gaudio clamabat alta voce: [Domine, veni cito, aliquid inveniemus in altari.]

quarti, 34 Qui descendens, et ambo intra ecclesiam currentes, plebanus asserem superiorem amovit, et intus respiciens dixit: [Reliquiæ hic sunt] et plebano recipiente quod fuit in cassa lignea cum plumbo, volens portare in sacristiam acclamavit post plebanum: [Domine, quære adhuc, hic est adhuc frustulum.] Qui veniens, et recipiens intravit sacristiam, et deponens cum eo dicit, quod plebanus pannum, quo id, quod fuit inventum, erat involutum, amovit, et invento denudato, vidit pedem sinistrum a genu usque deorsum, cum quatuor pedicis, minima pedica amota, et ibi non existente. Et requisitus de cassa, sigillo, plumbo, et aliis concordat per omnia cum prædictis. Et demum per juramentum respondit, et adductus ad id, quod inventum est, et ad plebanum, ad pixidem, et ad asseres, dicit, se scire, et non dubitare, id esse, quod inventum fuit, et se, et alios multum mirari, quud tandum tardamus in facto: etiam adjunxit bonum esse, quod superiores faciunt, volentes informari de veritate facti. *AUCTORE J. P.*

nec non trium 35 Responsio quinti testis. Cunradus de Lippdingen, mercenarius et laborator, qui ad laborem altaris fuit conductus, ista die, tamquam famulus magistrorum, annorum quadraginta; juratus etiam dicit, quod, postquam altare fuit denudatum pannis, pallis, et aliis ornamentis, et prima fractura et percussura fuit facta, plebanum * feria quinta de mane post medium Quadragesimæ, ipsum pro procuratore deposuit tres lapides a posteriore parte altaris veteris. Et postea Benzo Tieringer, et ipse, et alii coadjuvantes amoverunt lapidem principalem, qui fuit in anteriori parte altaris, et illis lapidibus omnibus E amotis, dicit, quod Benzo Tieringer solus cum malleo ferreo, vulgariter, [malleo murario] percussit super gypsum in medio altaris, et percutiens super lignum, quod movebatur ex percussione, dixit procurator Hainricus Giering [Audisne? Volo currere ad dominum] Qui deponens interim amovit particulas gypsi, ne intro caderent in cassam ligneam, et plebano veniente, et lignum supremum movente, deponens introspiciens dixit: [Certo est unus ex puerulis Herodis:] quia vidit formam lignorum, [instar sarcophagi alicujus mortui] et quid intus inclusum, et in pannum involutum, et de importatione plebani in sacristiam, et de plumbo, et de lignis, et de pixide communiter concordat cum prædictis.

* *f. plebanus*

aliorum testium: 36 Responsio sexti testis. Cunradus Karrer custos campi, vulgariter bauwart, oppidi in Rotwil, annorum xxx, juratus etiam dicit, quod feria v post medium Quadragesimæ, ex jussione civium in Rotwil missus fuit tamquam famulus operariorum pro lapidibus amovendis, et deportandis juxta modum et formam vocationis plebani, et motionem F superiorum asserum intra respiciens, præ gaudio tremebat, et credebat, quod puer occisus per Herodem ibi foret sepultus, propter formam, et dispositionem lignorum, in quibus jacebat id, quod involutum fuit: et de aliis requisitus narrat per omnia, ut præcedentes, et per juramentum respondit, quod modo vidit, dicit id esse, quod inventum est, et firmiter credit, esse reliquias S. Pelagii martyris. Responsio septimi testis. Joannes Benzinger etiam custos agrorum, annorum viginti sex, juratus dicit, quod a civibus Rotwilensibus missus fuit feria quinta post medium Quadragesimæ etc., et omnia vidit, et narravit, ut Cunradus Karrer suus consocius in custodia campi, et in labore altaris prænotati, et iste, et omnes supradicti de panno serico, quo istud inventum circumdatum fuit, dicunt, quod fuit pannus albus aliqualiter, et aliquibus filis flavis per texturam permixtus, sicut et hodie cernitur, et per juramentum dicit, quod id, quod hodie vidit, sit illud, quod inventum fuit, et firmiter credit esse reliquias sancti Pelagii martyris.

plebani juratum testimonium 37 Depositio Plebani. Dominus Nicolaus Fry perpetuus vicarius ecclesiæ parochialis S. Pelagii, in

AUCTORE J. P.

in veteri villa in Rotwil juratus deponit, quod, feria quinta proxima post medium Quadragesimæ, ipso existente in domo habitationis suæ prope ecclesiam parochialem, et eo Horas canonicas psallente, Hainricus Giering procurator fabricæ ecclesiæ ejusdem, cum vocavit dicens: [Domine, descende cito: magnum thesaurum invenimus in altari:] qui descendens, et accurrens vidit lignum superpositum aliis lignis, et partim motum, ut introspicere posset: perterritus et stupefactus, æstimans ibi fore reliquias inclusas, assumpsit stolam, ut magis honorifice tractare et videre posset, et lignum amovens, in aliis lignis ad modum loculi in altari videns in panno serico quid inclusum satis magnum et longum, de loculo et cassa extraxit cum plumbo superposito in parte plicato, et prospiciens vidit PELAGII MARTYRIS in plumbo scriptum, sive sculptum: ipse præ gaudio attonitus, et nesciens, quid faceret, cum illo invento iter accepit versus sacristiam, aliquibus clamantibus post eum: [Domine, adhuc plus hic est.]

B

de sacri ejusdem lipsani inventione.

38 Primo invento in sacristiam deportato, et in altari collocato, statim exiit, et ibidem in altari reperit pixidem parvam, et clausam, quam etiam importavit, et multis cum sequentibus, in sacristia iterum in plumbo legit PELAGII MARTYRIS, et aperiens pannum, invenit pedem sinistrum a genu usque ad pedicas inclusive, quarum in numero sunt quatuor, et in pixide lignea reperit sex particulas reliquiarum cum cedulis earum, quæ notabiliter legi poterant, et aliis duabus præ vetustate corruptis, quas et ad majorem rei certitudinem in pixide Væ Pii remitti humiliter supplicavit una cum plumbo super pede reperto. In una cedularum continetur de pulvere Stephani Papæ et martyris, in alia Donati episcopi et martyris, in tertia Cyriaci martyris, et in quarta Adelberthi episcopi. Aliæ legi non possunt. Per juramentum ad sancta Dei Euangelia dicit, nihil mutatum, nec ablatum, nec additum fore, sed clavem in custodia consulum, et procuratorum fuisse. In omnibus aliis concordat cum testibus supra dictis. Datum feria tertia post Marci Euangelistæ, anno Domini MCDXII, Indictione quinta.

C

Quibus subscribunt notarii publici.

39 Ego Bernhardus Rasllerus Mörsburgeu. diœces. Constan. publicus, et in curia Rom. immatriculatus notarius, fateor, supra positas attestationes de reliquiis sancti Pelagii ex quodam pervetusto longo, in modum Rotuli complicato, papyreo exemplari (quod pro authentico apud ecclesiam Rottweilensem asservatur) descriptas, cum eodem exemplari in omnibus et per omnia de verbo ad verbum concordare. In cujus rei fidem, nomen, notariatusque mei signum, una cum sigilli mei impresssione apposui. Actum Mörsburgi die vigesima septima Februarii, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo. Idem qui supra notarius. Præsentem copiam cum alia copia authentica, et vidimata *, de qua desumpta est fideliter, de verbo ad verbum concordare, testor manu propria, et de sigilli mei appressione. Marispurgi XXVI Februarii MDCCXL, celsissimi ac reverendissimi S. R. I. principis, et episcopi Constantiensis, et Augustani etc. etc. archivista juratus Joan. Casimirus Blaicher.

* *i. e. ad originale collata, vel recognita, a Gallico vidimer*

D

§ IV. Sacrum lipsanum a Rotwilanis obtentum, et Constantiam delatum; ejusdem urbis episcopi pro hoc sacro pignore gratiarum actio: reliquiæ, ut fertur, Lorbanenses.

Os sacrum S. Pelagii suffraganeus

Inventioni reliquiarum S. Pelagii M. *modo narratæ addo hic, earumdem partem a Rotwilanis impetratam fuisse, et ad Constantienses delatam, os videlicet sacrum, quod inferius in documento mox proferendo vocatur* fibula. *Gorræus in Definitionibus medicis pag.* 370, Περόνη, sura, *inquit,* fibula a quibusdam. Est alterum os tibiæ exterius et tenuius. Alterum enim, quod crassissimum est, et interiori in parte situm, κνήμη Græcis, eodem cum tota parte nomine, Latinis tibia appellatur. Est autem ἡ περόνη supra brevior paulo, ut quæ genu ipsum non contingat; infra vero longior multo quam tibia .. Scribit autem Galenus ἐν ταῖς γλώσσαις apud Hippocrat., τὴν περόνην diversa significare: aliquando quidem os totum membri, aliquando vero ipsius epiphysim *; interdum autem ejus protuberantiam, quæ nihil aliud est, quam malleolus. *Quod refertur in dicto documento,* Habuit populus Rottwilanus ex antiquissima majorum suorum traditione . . , gloriosi Martyris pedem angelorum ministerio ad sese delatum esse, *non tam probatur, quam pie creditur. En tibi ipsum impetrati hujus ossis sacri testimonium, anno* 1740 *huc transmissum a supra laudato R. P. Chardono, cui etiam debemus epistolam post hoc dandam episcopi Constantiensis.*

E

* *i. e. unitionem ossis cum altero osse*

Constantiensis

41 Ego Joannes Jacobus Mirgel, episcopus Sebastensis, suffraganeus, canonicus et custos cathedralis ecclesiæ Constantiensis etc. fidem facio ad majorem Dei gloriam, ejusque Sanctorum cum ipso in cælis triumphantium honorem, publico hoc litterarum testimonio, manus meæ subscriptione, sigillique proprii ad calcem appressione munito, quod anno nostræ salutis supra millesimum sexcentesimo octavo, die vero mensis Septembris undecimo, cum valetudinis recuperandæ gratia me ad imperialem civitatem Rottwilanam forte contulissem, receptisque nonnihil viribus, religionis studio parochialem ædem oppidi antiqui, vulgo Altstatt dicti, illustrissimo martyri Pelagio dicatam et consecratam, adiissem, inibi pedem sinistrum ejusdem sancti Martyris, adhuc ab ipso genu inclusive, ad plantam usque (solo minori digito desiderato) cum adnata, ac etiamnum tenaciter adhærescente carne, integrum reperirem *, meisque manibus ea, qua par fuit, animi submissione ac reverentia contrectaverim ac sustulerim, sepositaque sacra fibula, reliquum pedem mundo ac decenti linteo denuo involutum in veterem arcam, ex qua illum exemeram, reposuerim, et occluserim.

F

* *l. reperirem*

a Rotwilanis petit.

42 Interea dum sacræ hujus fibulæ obtinendæ desiderio magis magisque inardescit animus, nullum non moveo lapidem, ut optatissimum hoc juxta sacratissimumque pignus mecum Constantiam abducam. Ac primum quidem eos, qui ex amplissimi senatus decreto mihi adjungebantur, adoriebar,

A adoriebar, enixe rogans, ut sacri hujus ossis participem me facerent, illudque liberaliter vel reverendissimo et illustrissimo principi nostri Jacobo, episcopo Constantiensi, vel certe ædi primariæ ejusdem urbis, per me dono mitterent. Erant adjuncti isti RR. DD. Nicolaus Spreter, Rottwilæ ad divæ Virginis parochus, et Christianus Spreter, oppidi antiqui curatus: e senatorio autem ordine M. Joannes Schwarz Burstvogt appellatus, Georgius Kollin tribunus plebis, et Thomas Linch, qui quidem omnes et singuli negarunt in sua esse potestate, postulato huic meo in re tanta annuere.

ac tandem impetrat

43 Ego vero ex hac repulsa nihilo factus segnior, non desii eosdem omnibus rationibus ac viis sollicitare, ac pertentare. Qua quidem indefessa mea sollicitudine ac instantia illud demum effectum est, ut, re ad universum senatum delata, ipse tandem, auditis diligenterque examinatis, quas ipsis ultro citroque suggesseram, rationibus, consentientibus votis ac vivæ vocis suffragiis ipso decimo tertio Decembris die sacras B reliquias mihi decreverint, ac reverendissimo illustrissimoque principi, ipsorum nomine offerendas tradiderint. Cæterum habuit populus Rottwilanus ex antiquissima majorum suorum traditione, memoratum gloriosi Martyris pedem, angelorum ministerio ad sese delatum esse. Et vero hujusmodi translationis vestigium et argumentum minime obscurum videtur esse totius historiæ series, in arca cuprea auro inducta affabre sculpta, in qua ejusdem gloriosi Martyris pes, una cum cista lignea diligenter hactenus et honorifice fuit asservatus.

pro episcopo Constantiensi.

44 Duobus pæne retro sæculis, hoc est circa annum Domini quadringentesimum duodecimum, idem pes, denuo in ejusdem ecclesiæ altari repertus est. Inventionis ejus indubitatam fidem facit tum vetustissimus rotulus, tum accuratum examen super hoc ipso ab illius temporis vicario Constantiensi institutum. Quæ omnia ista ita se habere, ut jam narratum est, testor bona fide, et ad actorum majorem firmioremque fidem ac robur, volui publicum hoc testimonium, modo supra dicto munitum, expedire, et ad omnipotentis C Dei, ejusque sacratissimæ Virginis gloriam, et hujus potissimum Sancti honorem, illustrissimæ suæ celsitudini offerre. Actum Constantiæ in meis ædibus, anno servatoris nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo octavo, mensis vero Septembris die vicesimo quarto. Joan. Jacobus episc. Sebasten. L. S.

Præsentem copiam cum suo originali, de quo fideliter desumpta est, de verbo ad verbum concordare, testor manu propria, et sigilli mei appressione. Marispurgi XXVI Januarii MDCCXL, celsissimi et reverendissimi S. R. I. principis, et episcopi Constantien. et Augustani etc. archivista juratus L. S. Joan. Casimirus Blaicher.

qui gratias agit Rottwilensibus

45 *Aliud documentum Ms., quod e lingua Germanica Latine redditum est, hunc præferens titulum*, Copia epistolæ celsissimi domini Jacobi episcopi Constantiensis piæ memoriæ, ad civitatem Rottwilensem scriptæ Marispurgo die XX Januarii MDCIX, *continet humanissimam gratiarum actionem pro laudato sacro pignore, quod acceperat. Ante epistolam ponitur tamquam titulus* P. P., *id est, prout ego quidem id interpretor*, Patres patriæ. *Illa autem sic sonat :* Reverendus in Christo Joannes Jacobus episcopus Sebastenus, suffraganeus noster, nobis antehac vestro nomine donavit et misit reliquias sancti Pelagii, patroni summi templi nostri; quem sacrum thesaurum debita cum reverentia, et maximo gaudio accepimus. Et hoc tam præclarum sacrum donum jubet nos vobis debitas gratias agere, et mirum in modum nobis placet. Quod donum ad majorem gratiarum actionem eo loco reponemus, ut thesaurus a vobis donatus in perpetuam memoriam in templo nostro cathedrali permaneat.

AUCTORE J. P.

pro hoc sacro munere.

46 Et dum occasio sese offeret, ut in similibus, et aliis rebus spiritualibus, vobis et toti civitati gratificari possimus, opere ipso ostendemus, quam gratum nobis fuerit hoc sacrum donum. Recepimus etiam antiqua descripta testimonia de prædictis reliquiis, accurate servanda, et manemus vobis, totique vestræ civitati ex toto corde addictissimi. Datum Marispurgi etc.

Præsentem copiam concordare de verbo ad verbum cum suo originali testor manu propria, et sigilli mei appressione Marispurgi XXVI Februarii MDCCXL, celsissimi ac reverendissimi S. R. I. principis, et episcopi Constantiensis, et Augustani etc. archivista juratus L. S. Joannes Casimirus Blaicher. E

De reliquiis, ut fertur, monasterii Lorbanensis,

47 *His de reliquiis* S. Pelagii *hactenus memoratis addere liceat sequentia. Georgius Cardoso in Hagiologio Lusitano ad diem* XXIX *Maii scribens (post Britum in Opere Lusitano, quod inscribitur* pars I Chronici Cisterciensis, *lib.* 6, *cap.* 29, *fol.* 417*) de dedicatione antiquæ ecclesiæ cœnobii Lorbanensis in episcopatu Conimbricensi, sub patrocinio sanctorum martyrum Mametis et Pelagii, vult, eorum reliquias eo fuisse adductas a primis ejusdem domicilii monachis ante obitum S. Benedicti : et in suo ad eumdem diem Commentario pag.* 449 *applicat ista* S. Pelagio *Constantiensi, qui colitur hac die; sed qua veritatis specie? Nam qualequale documentum, quod affert e Brito citato, narrat ista :* Domus nostra Lorbani constructa fuit vivente P. N. Benedicto, et dedicata sanctis martyribus Mameti et Pelagio: illi enim, qui venerunt, deferebant reliquias istorum, propter quod assumpserunt illos in patronos, et fuit dedicata ista ecclesia illis IV Kal. Junii. *Qua, inquam, veritatis specie Cardosus hinc extudit* S. Pelagium *Constantiensem? Ad hæc, tanta istius monasterii antiquitas valde mihi suspecta est. Consulat lector, quæ dixi in Commentario prævio S. Mamantis vel Mammetis martyris ad diem* XVII *Augusti, pag.* 431. *Ægidius Gonsalvus d'Avila in Theatro ecclesiastico civitatis et ecclesiæ Asturicensis lib.* 2. *cap.* 4, *pag.* 236 *scribit, translatum esse corpus S. Pelagii martyris (nescio cujus) ad ecclesiam Ovetensem S. Mariæ, et in altari S. Joannis Baptistæ collocatum indicat, re peracta seculo* 10, *uti colligo ex antecedentibus et consequentibus. Hæc in fide istius auctoris,* F

§ V. Brachium in Augia divite; ædes variis in locis sacræ; Acta.

Honor isti brachio exhibitus :

Augia dives, vulgo Reichenau, *celeberrimum Ordinis S. Benedicti monasterium, et insula prope Constantiam sita, possidet brachium* S. Pelagii M., *prout fidem faciunt documenta Mss., die* IX *Novembris anno* 1739 *ibidem data, ac deinde huc missa a R. P. Mauritio Chardono : in quibus legunt sequentia :* Cæterum inter alias Sanctorum

AUCTORE J. P.

Sanctorum reliquias plurimas, etiam ecclesia nostra Augiensis asservat, et publicæ venerationi exponit os sanctum ex brachio. . S. Pelagii M., adhuc cute visibiliter vestitum, et non multo post corporis ejus translationem ad nos allatum; hujusque in honorem Sancti ecclesia vetusta in Augia ædificata hodiedum cernitur, in qua vi beneficii, injuria temporum in redditibus nimium quantum coarctati, singulis hebdomadibus unum Sacrum legi assolet. *At quoniam mentio hic incidit de* S. Pelagii *ecclesia, aliarum quoque memoriam hoc loco non negligamus. Documenta Augiensia modo indicata pergunt in hæc verba, et memorant, ea esse extracta ex ejusdem cœnobii Actis :*

ecclesiæ

49 Ut ad cæteras quoque in sacra insula constructas sacras ædes enarrandas pergamus; sciendum, S. Pelagii martyris ecclesiam prope domum regiam, hoc est, abbatis palatium, sitam, admodum esse vetustam, quam etiam primam in Augia extitisse parochialem ecclesiam referunt Annales Augienses. Quo autem tempore primitus ea exstructa fuerit, et a quo, hæc conjectura B consequi possumus. Hatto XVII Augiensis abbas, et archiepiscopus Moguntinus, magnam habens cum Salomone, claris ac illustribus orto natalibus, monacho S. Galli, propter ejus singulare et excellens ingenii acumen, familiaritatem et amicitiam : quem sua authoritate et promotione ad S. Galli abbatiam anno DCCCXCI, et non longe post etiam ad Constantiensem episcopatum, accedente regis Arnulphi, apud quem plurimum valuit, consensu evexit.

sub nomine S. Pelagii M.

50 Contigit autem interim, ut alter alteri in suæ familiaritatis necessitudine modo in hoc, modo in alio gratificaretur, et Hatto quædam secreta atque pretiosa, tamquam probato ac fideli suo ad tempus credens, proficisceretur Romam ad gravia quædam apud Romanum Pontificem expedienda negotia, et rediens inveniret credita a suo dilecto ac familiari in pios usus conversa : quod áliquo modo ægre tulit, præsertim cum absque suo consensu id factum fuisset. Sed Salomone, quod in itinere infirmatus diem egerit extremum, sibi relatum id fecisse C referente, Hatto, accepto ab eo S. Pelagii brachio, quievit, ac id in Augiam suam deferens, in ejusdem sancti Martyris honorem prædictam ecclesiam, in quam sancti Martyris etiam brachium in argento inclusum cum aliis nonnullis sacris reliquiis pie ac religiose collocavit. Eamdem postmodum ecclesiam paululum augustam, longe latiorem et magnificentiorem XXIV Augiensis abbas post annos fermc centum Wittegovo ædificavit, præposituram sex canonicorum ex ea constituens.

conditæ.

51 De ea Burchardus præpositus Augiensis, ac non longo post Ratisbonæ ad S. Emmerammum abbas, in Wittigovone sic :

Martyris ecclesiæ Christi sub honore dicatæ
Est, qui Pelagius, canit ut scriptura, vocatus.
Ædes inclusas, ac arto limite septas,
Quas structura prius non congrua sustulit intus,
Lumine quam nemo sapientum viderat æquo,
Dicens hanc studiis fultam nimis * esse peritis,
Hanc sic informem pater instauraverat idem,
Æquans pulvereæ glomeratum pondus arenæ,
Fecit honorificum spatioso margine templum.

* l. minus

De parœciali ecclesia Rotwilana, in honorem Dei sub nomine S. Pelagii *dicata, egi* § 3. *Nunc accedamus ad historiam martyrii.*

52 *Habemus exemplaria Mss. duo Actorum* S. Pelagii, *quorum unum prænotatur desumptum* ex bibliotheca S. Galli *(celeberrimam hic intelligo abbatum Ordinis S. Benedicti in Helvetia :)* D *alterum* ex vetusto pergam. Lectionario SS. Germani et Mauritii Spiræ insigni Ms., *prout apponit P. Gamans S. I., alibi sæpe a nobis laudatus, a quo illud accepimus. Utrumque exemplar continet idem Passionis argumentum. Contulimus unum cum alio, variantesque lectiones aliquas posuimus ad marginem nostri apographi e bibliotheca S. Galli, quod daturi sumus; eidem etiam inseruimus voces nonnullas uncinulis inclusas : utrumque fit e Ms. Spirensi. Locus porro hic, qui occurrit apud nos num.* 2, Facta est acerrima persecutio Christianorum sub imperio Numeriani imperatoris, *movet aliquam difficultatem, jam pridem observatam a Baronio ad annum Christi* 284 *num.* 5 : Cum, *inquit*, Carus *(imperator)* ex his, *quæ ibidem erant narrata*, de Christianis benemeritus videatur, et filius ejus Numerianus paulo post patrem interfectus sit : unde, quæso, quod nonnulli martyres sub Numeriano passi legantur in cunctis Martyrologiis? Haud res est facilis demonstratu.

Acta S. Pelagii,

E

53 *Nam, sicut observat Tillemontius tomo* 4 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 565 *in S. Caio Papa, Numerianus parum habuit auctoritatis sub suo patre, cum juvenis admodum esset, et tantum Cæsar. Ex quo autem fuit Augustus, vix habuit otium cogitandi de alia re, quam de exercitu e Persia removendo, et reducendo Chalcedonem versus, ubi interemptum illum affirmat ante* XVII *Septembris anno* 284, *atque adeo fere non regnasse in Oriente; in Occidente autem regnasse nequaquam: hoc præbere magnum timendi locum, ne attribuatur isti principi id, quod factum fuerit sub aliis imperatoribus per administrum aliquem, cui etiam Numeriani datum fuerit nomen, vel nomen ad illud accedens. Sed huic, quam dicebam, difficultati obviam in posse censeo alio modo, videlicet, si dicatur, aliud esse, martyrium conficere Sanctos sub aliquo imperatore, vel tempore alicujus imperatoris; aliud, jussu alicujus imperatoris, id est, vi edicti publici, seu motæ ab eo vel continuatæ in Christianos persecutionis. In nostro autem Sancto, qui secundum Acta in Occidente martyrio coronatus scribitur, cur locum non habeat brevis illa Baronii citati* F *natatio?* Accidisse, *inquit*, interdum, ut, invito ipso imperatore, Christianorum complures necarentur, quæ dicta sunt superius in Severo demonstrant. *Si* invito, *quid obstat, quo minus Numeriano imperatore alibi degente, in Oriente videlicet, et non sæviente, occisus in Occidente fuerit ab Evilasio judice, uti habent eadem Acta*, S. Pelagius, *Notkero eumdem imperatorem ac judicem signante, quod etiam facit Martyrologium Romanum? Et vero poni quidem aliquam persecutionem sub Numeriano, sed sine fundamento, dicitur apud Tillemontium in indice chronologico ad tomum* 4 *memoratum pag.* 788.

quæ e nostris Mss. damus.

54 *Hisce tamen non consentiunt Acta loco citato, dum scribunt; quod* judex Evilasius *fuerit* directus a Numeriano imperatore in supra memoratam civitatem Emmonam. *Quæ non videntur verisimilia ob statum istius imperatoris antea expositum. Alia etiam occurrit in Actis difficultas, e qua exitum haud invenio. Quippe num.* 1 *dicuntur pater et mater* S. Pelagii *fuisse* temporibus Numeriani imperatoris. *Deinde num.* 2 : Cum autem factus fuisset annorum duodecim S. Pelagius, pater ejus Pelusius migravit ad Dominum. *Et sequuntur ista* : Cum esset infans adultus

non magnæ sunt auctoritatis.

A tus usque in annos decem et octo.., mater ejus de hoc recessit seculo... Cum autem esset annorum viginti et quinque, facta est acerrima persecutio Christianorum sub imperio Numeriani imperatoris. *Quomodo igitur parte, et mater ejus vixerunt* temporibus Numeriani imperatoris, *qui perbrevi tempore, vel, ut ita dicam, vix imperavit? Ex dictis facile conficitur, Passionem* S. Pelagii *ab auctore incerti nominis atque ætatis exaratam, non esse genuinam, nec magnæ auctoritatis. Ad tempus quod attinet martyrii, posui illud, seu potius reliqui, sicut erat positum ab aliis, cum nihil in promptu habeam, quo fundate illos corrigam, ac meliorem temporis notam substituam. Ad hæc, novi equidem, incertum omnino esse, quisnam sit iste martyr* Pelagius, *qui apud Constantienses colitur, Emoniensisne, an alius nescio quis, atque adeo, an Passio ejusdem Æmoniensis non sit applicata Constantiensi, sicut indicavi antea* § I, *num.* 13: *verumtamen quia Passionis historia, et lectiones propriæ breviarii Constantiensis supra num.* 4 *citati, similia referunt in substantia, historiam illam qualemqualem el nos dabimus, nos quia dari debet, sed quia datur ibi* B *tamquam Athletæ Constantiensi propria, el fortasse eidem dumtaxat applicata.*

Auctor recens 55 *Marcus Hansizius noster tomo* I *Germaniæ sacræ, cap.* 5, *pag.* 30 *et sequentibus tractat de S. Maximiliano, episcopo Laureacensi ac martyre, et eadem occasione ibidem pag,* 36 *num.* 13 *de* S. Pelagio M. *varia refert:* Sed quoniam, *inquit,* de gloria ecclesiæ Laureacensis, quæ de vita et morte pretiosa sanctissimi martyris Maximiliani extitit, sermo est, condiscipulum ejus, et martyrii consortem omittere nefas puto. Fiat id bona ecclesiæ Constantiensis venia, quæ pignus hodieque retinet ex Norico acquisitum. Pelagius est martyr... Passus est sub Numeriano, ab Evilasio itidem judice. Corpus ejus sanctus presbyter Uranius, qui eum sacris litteris imbuerat, sepelivit: ad hæc, patria illi Noricum: nam Emonensis erat. Hæc omnia componenti facile apparet, nuspiam ejus locum martyrii, quam in Norico quærendum. Hic Evilasius judex; hic Oranius presbyter; hic Æmona Celeiæ propinqua: neque ista distrahi in tempora diversa possunt: brevissimum namque fuit Numeriani imperium, C quo fieri non potuit, ut Evilasius jam Constantiæ, jam Celeiæ, alio atque alio tempore quæstiones exerceret; quid statuam, nisi consortem Maximiliano Pelagium in martyrio fuisse? Ecclesia Laureacensis cum ossa non habeat (nam Romam ablata sunt, indeque a Salomone Constantiensi episcopo anno CMXVIII impetrata) decus tamen habet et specimen admirandæ fortitudinis, qua virgas, fustes, equuleum, ungulas, oleum fervens superasse scribitur, ac demesso demum capite coronam tulisse. *Hactenus Hansizius, citans ad marginem Martyrologium Greveni, et Manlii (al. Manilii) Chronicon Constantiense; sed Acta nulla, nulla documenta, quæ aliquam habeant proportionem ad faciendam fidem rerum gestarum* S. Pelagii M. *Emonensis, seculo tertio, ut fertur, passi.*

a nobis convellitur. 56 *Quod* condiscipulus, *ut volebat prædictus auctor, S. Maximiliani fuerit, non memini me uspiam legere. Ad alia, quæ in allata jam historia mihi non placent, singillatim non respondeo; sed lectorem mitto ad varios hujus Commentarii locos. De Norico, in quo Sancti natales ac martyrii palæstram ponebat Hansizius, consule præmissa num.* 4 *et sequentibus: de* S. Pelagii *corpore, e Norico Romam, et inde Constantiam delato, ut volebat idem historicus, vide dicta num.* 13: *de Numeriano, Evilasio, Uranio, nec non de Actis ejusdem Martyris num.* 54, *ubi dixi, ea non esse magnæ auctoritatis, atque adeo Grevenum, qui ab eodem auctore citatur. Quid, quod Acta S. Maximiliani Laureacensis in iis, quæ narrant de illo ante episcopatum ejus, tam multa referant similia vitæ, quam duxit* S. Pelagius *ante martyrium, ut suspicer quod vel confusio hic facta sit, vel mala applicatio.*

AUCTORE J. P.

et Acta S. Pelagii conseruntur cum S. Maximiliano. 57 *Nam Passio S. Maximiliani, quam habemus* ex Ms. Rubræ vallis, *indicat, ejus parentes* unicum tantummodo *habuisse* filium ... Cum autem factus esset annorum septem, commendabatur a parentibus cuidam presbytero, nomine Oranio... Cum ergo attigisset tertium decimum ætatis suæ annum, pater ipsius... fine felici migravit ad Dominum... *Deinde* post sex annos *mater ejus,* maritum secuta, feliciter diem clausit extremum. Post obitum vero amborum beatus Maximilianus omnem familiam suam liberaliter manumisit, de prædiis suis distribuens cuique secundum suam conditionem. Residuum vero... in sinum paupe- E rum et Deo servientium abscondit. *Conferat hæc lector cum Actis* S. Pelagii *num.* 1 *et* 2, *et fallor multum, si mecum non suspicetur, quod verisimile non videatur, tot rerum adjuncta, tamque similia convenire duabus diversis personis. Verum hæc ad meum propositum satis. Plura enim de sancto Maximiliano, ejusque Actis dicenda erunt ad* XII *Octobris, quo habetur in Martyrologio Romano.*

PASSIO

auctore anonymo

Ex apographo nostro e bibliotheca S. Galli, ad aliud collato.

S. Martyris parentes, et educatio, a

Temporibus itaque Numeriani imperatoris, erat quidam vir habitans in civitate Emmona, quæ est in provincia Carnia *a*, nomine Pelusius *, cum conjuge sua, nomine Hilaria, multum dives et timens Dominum Jesum Christum, habentes unicum filium, nomine Pelagium *b*: et erant ambo obedientes præceptis Domini Jesu Christi, secundum Euangelium in humanitate F et mansuetudine perseverantes, et facientes eleemosynas viduis et egenis; et si quos videbant viros et mulieres, cives vel advenas Christianos; universa juxta præceptum Domini Salvatoris, dicentis: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, expendebant. Quotidie autem deprecabantur Deum * omnipotentem, ut unicum filium, quem habebant, sua magna clementia, a diversis * hujus vitæ * periculis et supplantationibus antiqui liberaret hostis. Unde et docuerant eum omnem subtilitatem fidei Christianæ. Cum ergo esset infans annorum fere septem, consilio salubriter peracto, commendaverunt eum cuidam presbytero, nomine Uranio *, qui erat occultus propter metum persecutionis paganorum; qui et docuit eum libros ad fidem Catholicam pertinentes.

* al. Pelagius

b

* Dominum

* al. ab adversis

* seculi

* al. Iranio

eleemosynæ,

2 Cum autem factus fuisset annorum duodecim

A. Anonymo.

decim S. Pelagius, pater ejus Pelusius migravit ad Dominum, reliuquens pecunias multas supra memorato Uranio presbytero ad miuisterium pauperum. Et cum esset infaus adultus usque in annos decem et octo, similiter et Hilaria mater ejus de hoc recessit seculo. Beatissimus autem Pelagius accepta potestate, omuem famuliam suam, ob amorem Dei liberam dimisit, distribuens eis pecuniam cum uuiversis possessionibus cæteris, quas ei reliquerunt parentes ejus. Et cœpit cum commemorato presbytero commorari, faciens eleemosynas multas in pauperes. Cum autem esset anuorum viginti et quinque, facta est acerrima persecutio Christianorum sub imperio Numeriaui imperatoris. Et veniens *c* quidam iniquissimus judex, Evelasins nomine, directus *d* a Numeriano imperatore in supra memoratam civitatem Emmonem.

Evilasii judicis furor contra Christianos:

3 Hic judex multum impiissimus et sævus fuit in Christianos, qui per multas civitates pergyrans, multos Christi servos per bonam confessionem transmisit cum victoria et palma Dominnm. Qui cum noctis hora tertia sub silentio ci-
B vitatem fuisset ingressus, illucescente vero die populum congregavit, et cœpit per prœconia clamare, dicens: Secundum imperiale præceptum, sacrificate diis immortalibus. Si quos autem invenero non obedientes præceptis domini nostri invictissimi principis, et fuerint contemptores, et uon immolaverint diis, diversis pœnis punita corpora eorum canibus derelinquam. Quo audito universi viri et mulieres derelinquebant Deum, et sacrificabant diis. Erant enim immensa persecutio *e* adversus Christianos.

S. Pelagius Deum precatus se offert judici

4 Quo audito, beatissimus Dei famulus Pelagius flectens genua sua in oratione, lacrymas effudit coram Domino, dicens: Vide, Domine Jesu Christe, quoniam appropinquaverunt persequentes nos, qui quærunt velut aquam absorbere nos. Sed tu, Domine, præsto esto cum servis tuis, ut non dicat inimicus: Prævalui adversus eos. Eadem vero hora, cum orationem faceret ad Dominum, facta est ad eum vox de cælo, dicens: Surge, Pelagi; exaudita est oratio tua. Ego enim tecum sum, et uon te deseram: descende et confunde audaciam tyranni
C istius. Sequenti vero die, dum descenderet Uranius presbyter in locum quemdam ad visitandum infirmum, virum Christianissimum; beatissimus autem Pelagius descendens ad civitatem, et se iu faciem judicis obtulit, dixitque ad eum: Impiissime, et a Deo alienate, quid tibi cum servis Christi, quibus prævalere non poteris: quia cor tuum alienatum est a Deo patre Domiui nostri Jesu Christi.

vinculis constringitur, orat, illustratur carcer. * *al.* immitti

5 Audiens hæc Evelasius judex, jussit ei ferri pondera collo et manibus mitti *, et sic in carcerem protrahi, dicens: Crastina enim die de te examen perpetrabo: faciam te ludibrium universorum Christianorum, qui a te mala eloquia didicerunt. Cum autem protraheretur in carcerem, ingresso eo in interiorem custodiam, in loco obscurissimo reliquerunt eum quæstionarii. Ipse quoque flexis genibus orationem ad Dominum effudit, dicens: Domine Deus omnipotens, Patre Domini nostri Jesu Christi, da perseverantiam servo tuo, et confunde ruinas istius impiissimi judicis; quoniam in tuo nomiue cursum agonis mei percurrere paratus sum. Statimque refulsit lumen in carcere clarius sole, et non recessit usque in mane.

6 Tertio igitur die diluculo, Evelasius judex præcepit eum in conspectu suo adduci. Cumque D
fuisset introductus, et videns S. Pelagius tanta tormenta, et, eculeo erecto, signum crucis faciens, dixit judici: Iniquissime judex perditionis, ecce video omnia præparata tua tormenta, et tortores præsto sunt: ut quid moras facis? Paratus est Christi famulus ad omnia tormenta, ut multiplicetur mei capitis corona. Evelasius judex dixit: Extendite eum fortiter, et virgis cædite, dicentes ei: In injuriam judicis noli contumaeiter respondere. S. Pelagius dixit: Iniquissime, non de isto modico poteris constantiam meam superare, qui, quantum sævis, tanto magis me confortat Dominus meus Jesus Christus, ut vincam malam astutiam tuam. Evelasius judex dixit: Infelix, nescis, quia meus imperator mihi jussit potestatem habere mortificandi et vivificandi? Tibi autem, quæ est tua audacia, ut cum injuriis talia contra me loquaris verba? Beatissimus Pelagius dixit: Scio enim et cognosco, quia tuus imperator te fecit ministrum sathauæ, quem ambo colitis. Nam sicut tibi antea dixi, et iterum dico, quia non poteris Christianis facere quidquam.

Spernit minas judicis.

E

et varia

7 Evelasius judex dixit: Fustes nodosos et contortos adferte; et, illo extenso, cædite donec deficiat. Cumque hoc factum fuisset, ex Dei nutu ita emollierunt fustes, ut quasi de papyro cæderetur. Universus autem populus ex circumstantibus, videntes talem * mirabilem visionem, admiratione repleti sunt, dicentes ad invicem: Magnus Deus hujus juvenis, qui talia ei præstitit. Ecce enim tot horis cæsus, stat illæsus, et nullam maculam videmus in corpore ejus. Tunc exclamaverunt in conspectu judicis, dicentes ei: Magnus est Deus Christiauorum, et nos pro eo pati parati sumus, sicut et hic Vir Dei. Audiens hæc Evelasius, jussit Sanctum Dei in eculeo suspenso uugulis radi. Cumque hoc factum fuisset, nullum dolorem sentiebat, sed magis fides accrescebat populo circumstanti. Sanctus autem Pelagius dicebat uuiversis: Videtis, quanta sint præstita beneficia Domini mei Jesu Christi: judice sæviente, et Domino meo me confortante, nihil sentio.

* *al.* tam

ejusdem jussu

8 Tunc ira magna commotus Evelasius judex jussit oleo valde calente ejus ventrem perfundi. F
Cumque hoc factum fuisset, mauus quæstionariorum succeudebantur, sancto autem Martyri erat frigidum, quasi frigida aqua iu hyemis temporibus esset perfusus. Videntes autem hæc omnes populi, exclamaveruut dicentes judici: Sufficiunt jam tanta mala sævitiæ tuæ. Ecce tanta perpessus est; tu defecisti sæviendo, et hic manet illæsus. Audiens autem hæc S. Pelagius dixit universo populo: Sinite eum, si quid adhuc potuerit exercere in me servum Domini, et me Dominus confortaverit, in omnibus se victum fateatur.

perpessus tormenta.

9 Audiens hæc iniquitatis judex, jussit ministris [supra] fragmenta testarum in pavimentum effusa, ligatis manibus ac pedibus eum protrahere, ut sic possit spiritum exhalare. Cumque factum fuisset, sanctus Dei Pelagius exclamavit ad Dominum, dicens: Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, qui me dignum fecisti, cursum agonis mei percurrere. Domine Jesu Christe, gratias tibi ago, qui me secundum dictum * tuum non deseruisti. Et dixit judici: Jam erubesce cum patre tuo diabolo, qui habitat in simulachris vestris, quæ colitis: qui et cor vestrum et principis vestri possidet.

* *al.* qui me servum

10 Hæc cum dixisset, statim commotus Evelasius,

A lasius, jussit ei capitalem dictare sententiam. Educentes ergo eum ministri foris muros non longe, amputaverunt caput ejus, et relinquentes corpus ejus abierunt. Veniens autem mediæ noctis tempore Uranius presbyter, colligensque corpus ejus una cum fidelibus, sepelierunt eum [in] linteaminibus dignissimis, una cum populis, qui per ejus passionem crediderunt, abrenuntiantes omnia seculi hujus. Passus [est] autem B. Pelagius sub Numeriano imperatore et Evelasio judice, die v Kal. Septembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas, in secula seculorum. Amen.

capite plectitur a Christianis.

A. Anonymo.

ANNOTATA.

a *De loco martyrii dissertum est in Commentario prævio* § I.

b *Cum Sanctus infra referatur martyrium consummasse sub Numeriano imperatore; sub eodem non vixerunt ejusdem Sancti pater et mater. Vide Commentarium* § 5, *num.* 54.

c *Ponitur hic participium verbi pro ipso verbo.*

d *Consule Commentarium* § 5 *num.* 52 *et* 53.

e *Persecutio nulla scitur fuisse sub Numeriano. Vide ibidem dicta.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS SALERNITANIS

FORTUNATO, CAIO, ET ANTHE

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

B

§ I. Locus; corpora ibidem deposita; cultus solennis; translationes.

E

Sub Diocletiano. In martyrologio Romano sunt isti Martyres, et Salerni

Martyrologium Romanum annuam horum trium Christi Pugilum memoriam signat hac die: Salerni, sanctorum martyrum Fortunati, Caii, et Anthes, sub Diocletiano imperatore, et Leontio proconsule decollatorum. *Publica eorum veneratio sic probatur in notationibus:* De his tabulæ ecclesiæ Salernitanæ, Breviarium, et alia ejusdem ecclesiæ antiqua monumenta. Horum translatio celebratur Idibus Maii. Ipsorum corpora asservantur in ecclesia cathedrali in inferiori crypta: in superiori autem sub altari majori positum est corpus S. Felicis presbyteri et martyris: cujus anniversaria celebritas illic agitur XXI Februarii. *Sed hæc pluribus a nobis confirmanda et declaranda sunt. Primo itaque loci, in quo Sancti isti* C *summa cum veneratione honorantur, conspectum exhibemus. Ferdinandus Ughellus tomo 7 Italiæ sacræ a columna* 473 *prioris editionis, Salernitanam metropolim ita describit:* Inter Minervæ promontorium, ac Salarim amnem ad montis Boni radices sita est nobilis ac pervetusta Salerni civitas, Picentinorum metropolis et caput, in Citeriori, ut vocant, Principatu, a Neapoli in Eurum 30. m. p., quot a Benevento in Austrum, et Caput Aquarum; ab Amalphi in Ortum 15, a Nola in Meridiem 22 recedens... Ejus vero antiquitas et fama ex eo colligi potest, quod Cicero, Livius, Lucanus, Strabo, Silius Italicus, Plinius et Appianus de illo mentionem faciunt.. Sed schola medicinæ, et academia Salernitana in primis, illustris adeoque ut inde hæc ipsa civitas fons medicinæ diceretur. *Consule Criticam Pagii ad an.* 1087, *num.* 13. *De propriis principibus, quos per multa secula habuit, aliisque ornamentis eam condecorantibus scribit laudatus Ughellus.*

corum corpora asservantur;

Ibidem inter alia, quibus metropolitana basilica laudatur, exstant ista: Sunt etiam quindecim Sanctorum corpora, quorum in ecclesia ipsa celebrantur Officia pro tempore, ac præsertim sunt Fortunati, Gaii et Authis, urbis tutelarium Sanctorum, corpora tumulata: quorum altare, quod perantiquum, et summæ venerationis erat, nos ipsi (scilicet Marsilius, *e quo Ughellus refert elogium seu descriptionem dictæ basilicæ)* Columna, *archiepiscopus Salernitanus,* Gregorii XIII Summi Pontificis auctoritate, privilegio donari curavimus pro animabus defunctorum a purgatorio liberandis, instar altaris Gregoriani, quod est in Urbe. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ agit de hisce Martyribus ad* XXVIII *Augusti tamquam* patronis Salerni. *Festum celebratur cum Octava* XXVIII *Augusti; uti patet ex Officiis propriis festorum Salernitanæ ecclesiæ, ab illustrissimo Mario Bolognino, archiepiscopo Salernitano, reformatis, et anno* 1594 *Neapoli editis. Lectiones proprias dabo post hunc Commentarium: sequentia e mox allegatis Officiis delibo hic.*

honorificus ibidem illorum cultus

3 In primis Vesperis... Hymnus: Sanctis Martyribus laus, honor, et decus, qui cæli Domino sanguine proprio, sacrati superæ militiæ vice, invictam retinent fidem. Conflictus validos F ferre viriliter, hostiles cuneos frangere fortiter, certavere sui corporis obice, ut post funera viverent. In regis positi nunc diademate, stellarum potius lumine prænitent; donativa suis militibus dedit Christus Filius hæc Dei. Ex quorum numero sunt, quibus optime gaudet plebs hodie cantica promere laudis nostra piæ, tanta velut decet hujus lumina patriæ. Fortunate, tuis utere prosperis rebus cum meritis, cui nota nominis concordat pariter: nosque tua prece da gaudere perenniter. Et tu, Cai, bonis moribus annue, nobis assidue corda retundere, et, quod nunc petimus, sumere postea nos feliciter adjuva. Anthe, perpetuo lumine splendide, his et par merito, jure nec ultime, communem Dominum fac toties roges pro nobis, quoties potes. Hæc nobis Deitas, Rex, tua conferat, discordem numeris congeriem ligans, ut secum stabili pace per omnia vivamus tibi secula. Amen.

4 Ad Magn. antiphona. Intercessio nobis sanctorum Fortunati, Caii, et Anthæ martyrum tuorum, Domine, succurrat, atque nos ubique protegat, ac defendat, ut eorum precibus ab omnibus malis liberemur. Oratio: Beatorum martyrum

Officio.

AUCTORE J. P.

martyrum Fortunati, Caii et Anthæ uatalitia veneranda, quæsumus Domine, ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ devotionis amore devotior. Per Dominum nostrum. Et nulla fit commemoratio. AD LAUDES ET PER HORAS. ANTIPHONA: O beate martyr, egregie Fortuuate, custos et pastor patriæ, funde pro populo preces ad Domiuum, qui devote celebrant tuum martyrium. ANTIPH. Iste est martyr Christi verissimus, Fortuuatus Dei electus, qui, calcato seculo, gloriosus hodie meruit cælestia regua conscendere. ANTIPH. Hodie sanctus Fortunatus martyr cælum lætus iugressus est, cujus nos oratio commendet Domino. ANTIPH. Præclara lumina militiæ Christi hodie sauguinem suum pro eo fuderunt, Leontio proconsule interempti, cives cælestes effecti sunt. ANTIPH. Isti suut Saucti gloriosi, martyres inclyti: quorum patrocinio Salerui cives lætautur, et exultant in Domino.

proprio

5 HYMNUS: Salve dies Tutoribus nostris dicata, laudibus insiguis, et virtutibus summis decora Martyrum: qui rite temporalibus dum sempiterna præferunt, mucronis ictu concite Christi probantur milites. Sunt mira, quæ post transitum hic contigisse creditur; aves eorum corpora custodiebant spleudida: obsessa dire patria, et pene morti tradita, mansit repeute libera horum quidem victoria. Secura jam concivibus Sanctis, Salerne, dulcibus, præbe tuis victoribus laudis novæ præconium. Hi sunt, quibus sæpissime te gratulari condecet: quorum videris munere, metu represso, vivere. Hi mentis adversarios pellant, ut olim barbaros, augmeuta pacis præbeant, summæque vitæ præmia. Summo Parenti gloria, Natoque sit victoria, et Flamiui laus debita per seculorum secula. Ameu. B

celebratur.

6 AD BENEDICTUS ANTIPH. Cum ab iniquo proconsule Leontio occisi sunt, corpora eorum suut sanctorum angelorum custodia muuita, donec a fidelibus collecta, debito sunt honore sepulta. ORATIO: Majestatem tuam, Domiue, suppliciter exoramus, ut, sicut uos jugiter sanctorum Martyrum tuorum Fortuuati, Caii, et Anthæ solemnitate lætificas, semper supplicatioue defendas. Per Dominum. *Magna porro in veneratione apud Salernitanos fuere isti Pugiles ab antiquis etiam temporibus: nam hymnus uterque, a nobis antea productus, habetur in Versibus Alphani, archiepiscopi Salernitani, qui vixit seculo* XI, *apud Ughellum tomo* 2 *Italiæ sacræ in Appendice col.* 1091 *et* 1092. C

Corpora Martyrum translata

7 *Sed antiqua illa sanctorum Martyrum veneratio apud Salernitanos ad novum antea evecta fuerat splendorem, quando corpora eorum solenni ritu translata sunt die* XV *Maii (de qua re tunc mentionem fecimus inter Prætermissos) seculo* 10. *Gaspar Musca in Catalogo episcoporum et archiepiscoporum ecclesiæ Salernitanæ pag.* 21 *agens de Bernardo hujus nominis primo,* Auuo, *inquit,* CMXL, imminente Agarenorum incursione, metueus ne propriis fraudaretur patronis, sauctis quippe Martyribus Fortunato, Caio, et Anthe, sacra eorum corpora ex propria ecclesia, ubi per louga temporum spatia requieverant, juxta flumen, qui Lirnus appellatur, idem egregius præsul ad ecclesiam jam dicti S. Joannis, *(ab eodem præsule, sicut præmiserat, ædificatam)* intra mœuia civitatis debito cum honore deportavit, et ea ibidem perhonorifice collocavit, extructo in honorem ipsorum sanctorum Martyrum Fortunati, Caii et Authæ, beatorumque omnium Apostolorum, altari. *Princeps Salernitanus tunc temporis erat Gisulphus, prout tradit Ughellus tomo* 7 *allegato, col.* 475, *ubi hæc narrat:* Gisulphus I, Guaimarii filius, ætate triennis, X salutatus est princeps anno CMXXXIII. Varia fortuna principatum gessit ad annum usque CMLXXXIII. D

in urbem Salernitanam;

8 *Quæ de imminenti Agarenorum incursione indicabat Musca, breviter expono. Inter Rerum Italicarum scriptores tomi secundi parte altera, anno* 1726 *Mediolani edita, habentur Paralipomena anonymi Salernitani seu reliqua pars Historiæ ab eo conscriptæ,* nondum, *ut additur,* edita, *ab anno circiter* 760 *usque ad annum circiter* 960, *et cap.* 94, *columna* 280 *hæc scribuntur de principe Gisulpho:* Regnum Græcorum, Agarenorum, Francorum, Saxonumque uimirum ei obediebant, atque suum principatum illæsum obtinebat. *Ad quem locum, quia videbatur anonymus nimium tribuere Gisulphi auctoritati, notantur sequentia:* Aut vitiata vox, aut mitius exponenda. Scilicet cum eo amicitiam servarunt, aut ei munera conferebaut, ut sibi amicum, sive minime adversantem haberent. *Hæc vero non videntur obstare, quo minus sanctorum Martyrum nostrorum translatio acciderit ex metu* imminentis Agarenorum incursiouis, *distinguendo tempora: nam* varia fortuna principatum gessit, *ut dicebat Ughellus. Quam vero Agareni seu Saraceni Salernitanis fuerint infesti, refert idem anonymus. Vide indicem ad jam dictum tomum in voce* Saraceni. E

qua deinde

9 *Nec abs re fuerit nonnulla notare ex Officiis propriis festorum ecclesiæ Salernitanæ supra indicatis, ut pateat, quanto in honore ibidem sint Pugiles nostri, quoniam Officio proprio ac solenni eorum translationem recolunt die* XV *Maii. Antiphonas, hymnos, Invitatorium non transcribo: sed do solam orationem, quæ talis est:* Veneranda nobis, Domine, tuorum martyrum Fortunati, Caii, et Anthæ translationis festivitas tuum imploret auxilium, ut, quos eorum lætificasti præseutia, humanis uon siuas subjacere periculis. Per Domiuum nostrum. *Tres autem lectiones, huic Officio insertæ, continent historiam translationis. Aliud ejusdem rei gestæ exemplar Ms. habemus, cujus narratio notatur* exscripta ex vetusto Ms. lectionario basilicæ S. Matthæi Apostoli, *et pro ut additur,* ex collect. P. Antonii Caraccioli tomo Vitæ SS. Martyrum; *illius, ut suspicor, Antonii Caraccioli, qui Clericorum Regularium institutum professus, reipublicæ litterariæ jam diu innotuit scriptis suis. Ex hoc apographo nostro translationem jam dictam proferemus; cum ejusdem lectiones typis vulgatæ inter memorata Officia propria legi possint. Verum antequam instrumentum ipsum Ms. exhibeamus, hæc de illo consideranda proponimus.* F

in ejusdem urbis

10 *Primo, Sancti habuerunt propriam ecclesiam extra civitatem Salernitanam; in quam ex illa translati sunt a Bernardo episcopo, et in ecclesia S. Joannis depositi, teste Musca superius citato. Deinde vero in basilica metropolitana S. Matthæi Apostoli fuere collocati, sicut ex Ughello jam diximus. Musca a pag.* 23 *alteram hujus sancti Apostoli translationem refert ad annum* 954 *sub Bernardo II episcopo Salernitano, et Gisulpho principe,* ex Pæstana civitate Salernum, in majorem ecclesiam. S. Mariæ: *alteram* sub Gregorio VII factam, ex dicta majori ecclesia ad novum templum, ære Ducis Roberti Guiscardi, tunc principis Salerni ædificatum, et beato Apostolo et Euangelista Matthæo dicatum: *quod pluribus*

A *ribus describitur apud Ughellum, sicut num. 2 indicavimus. De inventione ac translatione ejusdem sacri corporis scribit anonymus Salernitanus, de quo ante, cap. 143; ad quod in notis dicitur,* fortasse anticipandum tempus. *Verum, ne quid in hac re, quæ proprie huc non spectat, præpropere statuamus, eam differimus ad* XXI *Septembris, quo de hoc sancto Apostolo erit agendum eum Martyrologio Romano. Porro de Roberto Guiscardo plura dabit Baronius ad annum Christi* 1059, 1061, 1074 *et sequentibus.*

Basilica metropolitana collocantur.

11 *Secundo, Martyres nostri, prout refertur in translationis instrumento, quod mox daturi sumus,* Salernitanam urbem, duris jam oppressam a barbaris, militari habitu de partibus Africæ venientes, divina præcincti potentia liberarunt. *Hujus liberationis circumstantiæ, ut ex antiquis probentur, documenta in promptu non habemus. Rei tamen substantiam confirmat Alphanus supra, dum hæc canit :* Obsessa dire patria, et pene morti tradita, mansit repente libera horum quidem victoria. *Et mox :* Hi mentis adversarios pellant, ut olim barbaros. *Tertio, de Priapo, cujus in*
B *modo dicto instrumento fit mentio, quemque hortorum præsidem ac deum superstitiosa legitur credidisse antiquitas, varia spurca fabulantur poetæ. His prænotatis, translationis instrumentum exhibemus.*

§ II. Sanctorum Martyrum translationis historia.

Martyrum corpora prope Salernum necisa.

Deus omnipotens, qui in Sanctis suis gloriosus ostenditur, totius humani generis zelans salutem, Salernitanorum civium ita redemptionem sitiit, ut eorum mens idololatriæ caligine hactenus obumbrata, trium siderum, ab ipso vero sole justitiæ prodeuntium expurgaretur calore, et luce circumflua illustraretur. Placuit itaque divinæ providentiæ pretiosos martyres Fortunatum, Caium, et Anthem, passionum et gloriæ socios, non alibi, quam juxta præclaræ civitatis Salerni mœnia, et prope fluvium, qui Lernus dicitur, sub Leutio *, qui Diocletiano et Maximiano imperatoribus in partibus Apuliæ
C proconsulatum tenebat, post atrocia tormenta, vitam cum morte commutare.

* *l.* Leontio

et bestiarum morsibus frustra exposita

13 Horum pretiosissima corpora jussu prædicti iniquissimi proconsulis bestiis avibusque exposita, ut veridica refert historia, nutu Deifico, nullius avis bestiæve contactu diminuta, vel aliqualiter læsa, sed a tribus angelis, ad similitudinem trium aquilarum comparentibus, custodita, a fidelibus sunt inventa : qui cum hymnis, et spiritualibus canticis sancta corpora abstulere, et cum debito honore, juxta prædictum fluvium, terræ, ut jus humanitatis expostulat, commendarunt. Ubi crescentibus in Christum fidelibus, prædictorum Martyrum crebris pullulantibus miraculis, ad honorem eorum et gloriam, ecclesia cum eorum vocabulis est extructa : quæ illustrium militum corpora dudum extra muros civitatis recondita, qualiter intra civitatis mœnia translata sint, illo præstante, qui suos Martyres in ejus confessore effecit gloriosos, texere procurabo.

in eamdem civitatem transferuntur,
* *al.* Gisulphus

14 Tempore, quo Salerni Inolphus * vir illustris, devotus, et providus per deificam gratiam principatus Salerni feliciter moderabatur habenas, et Bernardi piissimi præsulis, a quo tunc temporis Salernitanus nobilis episcopatus felici tramite regebatur, Deo Salernitanis civibus beatum Matthæum Apostolum et Euangelistam providente pastorem, cujus corpus, thesaurus inæstimabilis margaritæ, tempore Gisulphi principis filii Guismarii *, illo procurante, qui est omnibus ovibus Pastor unus, inventum extitit in Lucanis finibus, et in Salernitanæ urbis partibus est locatum.

AUCTORE J. P.

* *al.* Guaimarii

et ibidem in ecclesia S. Matthæi Apostoli

15 Cujus prædicatæ civitatis in medio ecclesia miræ magnitudinis, et non minoris pulchritudinis ad honorem jam dicti Apostoli cum ejus vocabulo per Robertum Guiscardum ducem constituta est : nec immerito, quia sicut cor inter membra corporis nobilissimum est in medio animalis reconditum, ut omnibus partibus suo modo influat sui virtutem, sic et coruscans berillus in medio civitatis locatus undique cives suos respiciens gubernaret. Sed quia indignum videbatur et erat, ut talium Martyrum sacratissimos artus locus incultus contegeret, quorum merita proprii cum effusione cruoris signis evidentissimis Salernitanam provinciam illustrarunt, fidelium dignum duxit devotio, eorum glebas, non minus E odoratissimis floribus præstantes odorem, humili prius loco repositas, debito cum honore transferre.

collocantur :

16 Nec ratione hoc caruit : nam qui Salernitanam urbem, duris jam oppressam a barbaris, militari habitu de partibus Africæ venientes, divina præcincti potentia liberarunt; sic infra muros custodes fuere impositi, ut supravenientium hostium tam mentis, quam corporum, velut invictissimi pugiles adversa fugarunt. Statuto igitur die ad exequendum translationis negotium procedit episcopus habitu pontificali, et clericali comitiva stipatus, cum vexillis, et thymiamatibus, candelabris, et signis crucis præcedentibus : currit et populus, pusilli cum majoribus, cum innumerabili dominorum caterva; sed non minus corporalibus incessibus, quam mens eorum currebat, et ad primum locum, ubi implicatus thesaurus erat absconditus, advenerunt.

aperto monumento

17 Erat autem locus, ubi collecta a fidelibus corpora humata jam fuerant, prope satis constructam artificiose lapidum fabricam, ubi pridem idolorum cultores deum Priapum siquidem nominatum subdola ejus responsione decepti, ob dominarum intuitum, quæ defectu naturæ vel F morbi concipere non valebant, (pro dolor!) sceleratissimis victimis excolebatur. Nec immerito hunc locum primitus beatissimi Martyres elegerunt, ut in testimonium victoriæ, ac fidei incrementum, ubi hostem Leontium ejusdem Priapi ac aliorum sculptilium culturam sectantem, in gestis ab eo suppliciis expugnarunt; ibidem quousque fidelium turba cresceret, locum sibi fieri voluerunt.

odor suavissimus

18 Fracto igitur monumento, ubi fulgentissimæ margaritæ, velut tres siderum radii coruscabant, tanta subito ex ipsis prodiit suavissimi odoris fragrantia, ut non sepulcrum, sed cella videretur aromatum patuisse. Decebat namque, et hic odor tantus erat, tamque mirabilis, ut cuncta manifeste superaret aromata, et inter suaves odores suavior, eorum odorem transcendens, quasi nulli naturali odori similis videretur : ut recte secundum Scripturam in ipsorum quasi unguentorum odorem populi currerent, et verificaretur in eis verbum, et illa benedictio Patriarchæ : Ecce odor filii mei, quasi odor agri pleni, cui Dominus benedixit.

19 O stupendum, et omni plenum gaudio miraculum!

AUCTORE J. P.

recreat præsentes et absentes :

raculum! quia non solum sacris Martyrum artubus talis odor inerat; sed etiam terræ circumquaque congestæ, ac pulveri locelli ipsius firmiter inhærebat : ita ut, postmodum de eo ad longinquas partes delato, multi vehementissime mirarentur. Sancta autem erat circa eos utriusque sexus devotio, ut se beatissimum quisque putaret, qui vel minimam partem corporum, vel saltem pulverem tetigisse gauderet. Credebant siquidem; nec mirum, quia omnia possibilia sunt credenti, ut variis detenti languoribus liberati, et a futuris incommodis servarentur : itaque factum est, ut multi sanitatum beneficia a quacumque oppressi valetudine repararentur.

solenni ritu translatio peracta :

20 Sed o! quam laude dignissimum, salutem hanc corporum, salutem esse secutam animarum, ut tantorum miraculorum beneficiis sublevati, se Christo protinus conformarent! Jussu denique prædicti pontificis cum omni reverentia, gaudio, et devotione corporibus de prædictis locellis sublevatis, et in theca, pannis aureis circumtecta, repositis, humerisque sacrarum personarum reverenter imposita cum laudum præconiis : et sic processionaliter, sicut ante venerant, feliciori tamen mora, ad prædictæ urbis mœnia, ad majorem videlicet ecclesiam traduxerunt : nec passa est eos in morte divina providentia separari, quos in vita fieri socios passionum voluit. Quis autem modicæ fidei dubitare valeat, quod in eorum adventu immundi spiritus, quos in tyrannis deviceerant, fugarentur?

fugati dæmones :

21 Namque qui ejulatum magnum facientes, currentes per aerem dæmones, dum sacratissima corpora ferebantur, dolebant siquidem de possessione amissa, ignitam populi devotionem cernentes, se, quos diu subdolis suggestionibus invaserant, amisisse. Nec mirum : nulla enim participatio lucis ad tenebras, et Christi ad Belial. Integri igitur artus, quos divina virtus ab avium bestiarumque morsibus, quondam expositos servavit illæsos, per jam dictos duces translati ad prædictum locum advenerunt.

Salernum quasi tribus hisce stellis illustratum.

22 Tres igitur stellæ, videlicet Fortunatus, Caius, et Anthe, majori conjunctæ sunt sideri, ut unitus jam multis splendoribus fulgor magis micans appareret, et Salernitana civitas tantis fulgoribus adornata, et multiplicatis irradiata luminaribus, totius noctis se sentiret caliginem amisisse. Exulta igitur urbs fidelis et nobilis tribus custodibus, et uno principe gubernata, agnosce penitus a prædictis incommodis te per eos fuisse defensam, et spera te a futuris adversitatibus liberari, illo præstante, qui est gloriosus in secula. Amen. *Hactenus narratio translationis : cui nihil addimus, quia varias de eadem animadversiones præmisimus in fine paragraphi præcedentis.*

§ III. Actis alii Sancti immixti; miraculum, quod in eisdem narratur, aliunde confirmatum; illorum characteres.

Damus Acta e lectionibus propriis Salernitanis :

Quandoquidem nullum in nostris collectaneis Actorum exemplar Ms. invenio, dabuntur illa, quæ in Officiis propriis ecclesiæ Salernitanæ excusa sunt, et leguntur per Octavam sanctorum Martyrum in varias lectiones dispertita; exceptis diebus tribus : nam XXIX *Augusti fit Officium de decollatione S. Joannis Baptistæ,* XXX *de SS. Felice et Adaucto Martyribus,* XXXI *de S. Augustino. Lectionibus vero jam dictis immixti sunt martyres alii, nimirum* Felix Buzocensis episcopus, et cum eo Donatus et Adauctus presbyteri. *Sed ab his diversi* Felix *et* Adauctus, *qui* via Ostiensi, secundo ab Urbe lapide, ducti, securi percussi sunt. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem habet martyrium* Fortunati, Caii, et Anthes *in compendio; in quo etiam agit de* Felice, Donato et Adaucto in Apulia coronatis : *difficultatem vero in hac re aliquam videns, ita occurrere eidem conatur in annotatione :* Acta horum sanctorum Martyrum cum Actis SS. Felicis, Januarii, Adaucti, Fortunati, ac Septimi, qui Venusiæ passi sunt confundi videntur. Nisi dicamus duos fuisse Fortunatos, hosque illorum socios esse. *Rem, quantum pro præsenti instituto sit satis, breviter proponamus.*

varii Sancti * *Tubzocensis.*

24 *Non satis perspicimus, quam apte immisceantur lectionibus propriis* Felix Buzocensis *, *ut in eisdem lectionibus vocatur,* episcopus, et cum eo Donatus et Adauctus, *quorum primus ac tertius (de secundi morte ibi est silentium)* in via Ostiensi *prope Romam* ducti *martyrium subierint, postquam antea una cum Martyribus nostris fuissent* comprehensi, *et* ad proconsulis Amagleniani prætorium adducti. *Nec cum his ullo modo cohærent* Felix, Donatus, et Adauctus *apud Ferrarium, cum dicantur* in Apulia coronati. *Tillemontius tomo 5 Monumentorum ecclesiasticorum in notis pag. 665 et sequentibus, in S. Felice Thibarensi in Africa (alias Tubzocensi) varias congerit difficultate de episcopatus ejus loco, quem ignorari affirmat: de Actis ipsius diversis; de iis, qui cum illo comprehensi sint; de martyrii sociis; de sententia denique in eum lata. Verum hasce tricas dissolvere, non est hujus loci : poterit esse alibi, vel ad diem videlicet* XXIV *Octobris, quo signatur in Martyrologio Romano* Venusiæ in Apulia natalis sanctorum martyrum Felicis episcopi Africani, Audacti et Januarii presbyterorum, Fortunati et septimi lectorum : qui tempore Diocletiani a Magdelliano procuratore *etc. vel ad diem* XXX *Augusti, quo in eodem Martyrologio annuntiantur* Felix *et* Adauctus, *martyres Ostienses. Consuli interim possunt observationes ad Usuardum nostrum diebus modo assignatis.*

eisdem immixti :

25 *Inter auctaria ad eumdem Usuardum hac die* XXVIII *Augusti diximus in Vaticano codice num. 5949 adjici ista :* Apud Salernum, sanctorum martyrum Fortunati, Gagi, et Anthes. Et sanctorum martyrum Septimini, Januarii, et Felicis. *Hos autem posteriores cum prioribus vel annecti eidem loco, vel in eo saltem coli, colligitur ex eo, quod mox ibidem subdatur :* Et dedicatio trium altarium hujus ecclesiæ. *In apographo autem nostro ecclesiæ Bovinensis (in Apulia Capitanata) etiam ponuntur tres illi posteriores, quos dicebam;* qui post interrogationem Valeriani Christum confitentes, jussi sunt decollari in civitate Venusia quinto Kalendarum Septembriarum. *Ubi vides pro* Magdelliano *poni* Valerianum. *Atque superiores quidem difficultates hoc dic quasi digito indicasse sufficiat, materiem præbitura suo tempore ulterioris inquisitionis non exiguam. Satis quippe nobis et abunde est, quod habeamus* Fortunatum, Caium, et Anthem, *qui hodierna die apud Salernitanos coluntur : de quorum lectionibus hæc observanda supersunt.*

26 *Quæ*

A

mors impio regi Saraceno

26 *Quæ lectiones ecclesiæ Salernitanæ infra num. 7 narrant de sanctorum Martyrum nostrorum ecclesia e rege Saracenorum profanata, ac morte eidem inflicta, pluribus exponit anonymus Salernitanus, sæpe jam allegatus, e quo, ut hoc factum magis confirmetur, recitare visum est sequentia cap.* 113 : Ille Agarenorum tyrannus *(Abdila)* in sanctissima æde beatorum Fortunati, et Gaii, et Anthes, cum suis satellitibus degebat, atque in luxuriis, et variis inquinamentis fervebat in tantum, ut ille Abdila thorum sibi parari jusserit super sacratissimum altare : ibique puellas, quas nequiter deprædaverat, deludebat. Sed non diu perstitit tam immane contagium, immo et præsumptio, annuente Divinitate. Nam cum ei fuisset oblata quædam Christiana, nec non et speciosissima puella, continuo ad thorum suum illam deportari jussit. Sed dum eam stuprare satageret, et illa omni nisu resisteret ei, immo et ei propria lingua diceret : Ante morti incumbo, quam sacratissimum altare nimirum pollnam, qui multa sacrificia super illud oblata sunt; tyrannus rex B verba illius deludens, vi eam opprimere tentabat : cum repente per angelorum manus trabs ex alto diruptus * est, et super Abdilam regem decidit, et sine mora extinxit. Et mira Dei potentia puella illa minime est ab ipso trabo contacta, et illæsa permansit.

* diruptа

divinitus illata

27 Et ne forte Agareni fingerent, quod non fuisset gestum per Dei clementiam, sed casu accidit, quomodo creberrime conspiciuntur per vetustatem plurimæ ecclesiæ dirutæ, et non solum trabes, sed et parietes usque ad solum prostratæ * ; haud procul * ab ipso altari sectum * nimirum fuit, et ubi contumax ille, Deoque odibilis super sacratissimum altare Dei ludebat, trabem projecit, eumque mortuum stravit. Et hactenus a parte australi in testimonium reliquit Redemptor suis fidelibus caput de ipsa trabe. Et non solum tyrannum illum, sed etiam plures illorum subitaneo contagio perdidit, et extemplo de hac luce abstraxit.

* *l.* prostrati
* *f.* procul *sine* haud
* *f.* tectum, *seu pars illa tecti, unde trabs illa cecidit.*

confirmatur e Chronico Salernitano.

28 Ab illo namque die, quamvis gentiles minime jam dictam ecclesiam eo ordine intraverunt, Christiani indesinenter Redemptorem omnium collaudabant. Agareni econtra minime obstupescebant. C Extincto, quemadmodum diximus, rege illo tyranno, Agareni illico regem prcereaverunt nomine Abemelec, licet fuisset eunuchus. Erga res humanas audax fuit, et sagax. *Referunt lectiones Salernitanæ, simul eum rege interiisse filium ejus : sed hic nulla de illo fit mentio. Baronius ad an.* 874, Ad miraculi, *ait*, evidentiam declarandam accessit, quod trabs illo procul ab altaris perpendiculo distans, non nisi divina potentia potuit in sacrilegum Sarracenum, altare prophanantem immitti.

Acta.

29 *Ceterum, quod attinet ad martyrium in eisdem narratum ; non video equidem genuinos in eo characteres, quibus magnopere commendari possit tamquam primigenium et sincerum. Miracula autem damus in fide auctoris : quia apud anonymum Salernitanum non invenio ullum, excepto illo, de quo modo fuit sermo. Idque mirum utcumque nobis apparet, cum indicet, Salernitanos divino auxilio fretos fuisse, ejusque opem implorasse adversus Agarenos. Cap.* 93 *hæc sunt :* Salernitani, freti de Dei potentia, illico audaci animo super Agarenos irruunt, eosque undique comminuunt, multos ex eis interimunt, ita ut cruore illorum litora maris replerent. *Cap.* 94 : Petrus ille jam dictus . . continuo Dominum invocans, et suos Martyres, ante quorum ecclesiam certamen iniebat *, scilicet sanctos Cosmam et Damianum, hastam, quam manu gestabat, in illum *(Agarenum)* protinus misit . . . , et sine mora extinctus est Christiani una omnes Dominum collaudabant.

AUCTORE J. P.

* *l.* inibat

ACTA

E lectionibus propriis ecclesiæ Salernitanæ.

Sancti comprehensi,

LECTIO I. Diocletiano et Maximiano imperatoribus, decima *a* post Neronem persecutio excitata fuit, quæ omnibus ante actis ita fuit crudelior, ut per decem annos, ecclesiarum incendia, innocentum proscriptiones, martyrum cædes incessanter agerentur. Illorum metu Felix Buzoceusis episcopus et cum eo Donatus, et Adauctus E *b* presbyteri, Fortunatus, Gaius et Anthes, quum essent in unum congregati, in orationibus perseverantes, Deoque gratias agentes, a militibus comprehensi, ad proconsulis Amagleniani prætorium adducuntur.

ac nullis minis

2 LECTIO II. Quos cum proconsul vidisset, minacibus verbis terruit, et vinculis, carcere, aliisque pœnis affici jussit, mortemque demum minatur, nisi diis libamina adhiberent. Idque audacter detestati, Felix, et Adauctus via Ostiensi, secundo ab Urbe lapide ducti, securi percussi sunt *c*. Fortunatum vero, Caium, et Anthen Leonius Apuliæ proconsul Salernum secum adduxit, blandisque verbis, pro tribunali sedens, compellavit, dicens : Supplicibus votis vos oramus, ut hac deposita pertinacia, et Christicolarum superstitione, diis omnipotentibus cervices vestras flectatis, ac nobiscum eorum beneficiis perfruamini.

a veri Dei cultu

3 LECTIO III. Tunc Christi athleta Fortunatus respondit : Cum felle doloque tumens proconsul, innocentium animas perdere cupis, et ad injuriam summi Creatoris, corruptoribus atque adulteris hominibus, quos nunc tartara tenent, Dei famulos F colla flectere cogis. Cui proconsul iratus dixit : Quomodo dii non sunt, qui super æthera tonant, mundumque perpetua ratione gubernant? Adversanter beatus Fortunatus, Vestri poetæ, inquit, Diogenes carmen illud retulit : Jure igitur contemno Jovem, cui mater avara est. Cumque vocem faucibus hærere sensisset proconsul, sanctos Martyres ad Priapi *d* templum afferri, eique sacrificare præcepit.

absterriti.

4 LECTIO IV. Sancti vero Martyres nec verborum lenitate, decepti, neque tormentorum acerbitate victi, dixerunt : Notum sit tibi proconsul, quod numquam dæmonibus thura offerimus nec genua inclinamus ; sed soli Deo omnipotenti sacrificium nosmetipsos offerimus, qui est sator rerum, et mundanæ lucis origo ; qui cælum, terramque regit moderamine summo, ipsum omnipotentem adoramus, ipsum veneramur, ipsumque labiis, et corde confitemur : ipsum totis visceribus concupiscimus, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum.

capite truncantur :

5 LECTIO V. Mox autem sanctus Fortunatus subjunxit : O spectaculum nobilissimæ civitatis, o generosa caterva, attendite id, ad quod vos impulit impius error. Quosnam deos esse putatis? Hisce

A Hisce monitis, et alacrioribus verbis e vestigio indignatus proconsul, spiculatoribus jussit, ut gladio eorum capita minuerent, eorumque corpora avibus, beluisque inhumata relinquerent. Qui denique nec mortis pœna territi, fortiter dato capite, ad cæleste regnum migrarunt quinto Kalendas Septembris.

eorum corpora divinitus servantur illæsa: 6 Lectio vi. Sanctorum corpora beluis exposita, trium angelorum, trium aquilarum visu, custodia illæsa sunt inventa, et a fidelibus, hymnis, canticisque spiritualibus humata juxta fluvium, qui Lirnus *e* dicitur, prope quem passi sunt. Christi denique fidelium crescente numero, basilica ad sanctorum Martyrum honorem erecta est; ibique sepulta requieverunt, donec intra urbis mœnia ad cathedralem ecclesiam translata *f* fuere. Ubique tamen miraculis non paucis claruerunt.

profanatores puniti: 7 Die 1 Septembris de Octava.. Lectio iv. Non post multa annorum curricula dignatus est omnipotens Deus per illos multa miracula demonstrare: nam dum Saraceni ab Africa venientes, et magna ex parte Italiam vastantes, agmi- B na sua adversus Salernum dirigerent, ambitumque illius obsidione constringerent; audacter et impudenter eorum rex cum filio suo in ecclesiam beatorum martyrum Fortunati, Caii, et Anthæ ingressi, super eorum altare, lectum sibi sterni mandarunt; ibique dormientes (mirabile dictu) statim trabs ecclesiæ illius de parietibus egressa, super eos ruit, et unico ictu ambo demortui sunt *g*. Lectio v. Alius autem in facti contemptum et Sanctorum, idem altare secessu fœdare tentans, statim a dæmone correptus, in terram corruens expiravit. Lectio vi. Inde Saraceni perterriti recedentes, propius ad urbis mœnia accesserunt. Ubi etiam beatorum Martyrum intercessionibus pro Salernitanorum tutela, justum Dei judicium si expectassent, illius utique ultricem manum sensissent.

S. Fortunatus apparens opem suam Salernitanis addicit: 8 Die ii Septembris. Lectio iv. Aliud etiam miraculum operatus est misericors Deus per martyrem suum Fortunatum: is enim speciosus, et ætate floreus, Græcorum habitu indutus apparuit cuidam homini, in densam sylvam venationis causa ingresso: a quo de nomine rogatus, respondit, se Christi famulum esse, se ad Saler- C nitanam urbem tuendam accedere. Lectio v. Ego sum, inquit, Fortunatus Christi famulus; meque ire Dominus Salernum voluit, et defensorem constituit, et illuc me confero, ut Saracenos, qui suis illam obsidionibus affligunt, funditus amoveam ac repellam, eorumque spolia Salernitanis dividenda tradam, ipsosque Saracenos Francorum *h* et Salernitanorum gladiis subjiciam. Quod ita factum est, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui glorificavit Sanctos suos in secula seculorum. Amen.

partæ 9 Lectio vi. Sub silentio insuper prætereundum non est, qualiter Deus, qui in Sanctis suis mirabilis prædicatur, propter præclara merita suorum beatorum martyrum Fortunati, Caii, et Anthæ, hoste prostrato, Salernum ab iniquorum manibus liberaverit. Tempore namque Guayferii Salerni principis, rex quidam Agarenorum Abdila nomine, de partibus Africæ cum ingenti Agarenorum multitudine veniens, Salernum pervenit. Ac eum civitatem ipsam Salerni mœnibus, strenuisque militibus munitam invenisset, haud potuit ad eam introire. Cujus obsidionem a parte meridiei circa mœnia præparavit, et ad littora præfatæ civitati adjacentia castrametati sunt.

10 Die iii Septembris. Lectio iv. Cum igitur D die quadam præfatus rex cum exercitu suo juxta mare ambulasset, prope civitatis prædicta mœnia; custodes murorum in silentio exercitum observantes, quum lapidibus eum offendere potuissent, ne lapillum quidem in eos ausus est quisquam jactare. Unde Agareni ad castra incolumes sunt reversi. Assumpta ergo audacia creberrime talia faciebant, cum nemo illis resisteret. Lectio v. Itaque factum est, ut timidissimos Agareni Salernitanos putarent, injuriis, et conviciis, magnisque opprobriis eos afficiendo; etiam excidium haud modicum minabantur, in tantum, ut, nisi divina pietas, quæ suos nequaquam usque ad finem deserit, affuisset, ab iniquis civitas ipsa utique capta fuisset. *Martyrum meritis*

11 Lectio vi. Attamen Agareni, pravitatis *contra Agarenos* satellites, quia bis cum Salernitanis pugnantes, victores ad castra redierant, eorum plurimis vulneratis, paucis interemptis, omnibus tamen non mediocri timore perculsis, audaciores effecti, igne, ferro, et artibus omnia perdere volentes, statuta die ad certamen cunctos provocarunt.

Die iv Septembris. Lectio iv. Sed valde iniqua E industria usi sunt, in pugnando: quum mane ab ortu solis, vespere autem ab occasu contra Salernitanos inirent certamen, quatenus solis splendore oculorum aciem vincente, suas illi vires adversus iniquos deperderent, vel saltem ictus frustra in eos jactarent. Ex quo factum est, ut Salernitanos omnes non solum in personis molestaverint, sed eorum etiam bona diripuerint. Quapropter Agarenorum rex in tantam elatus est superbiam, ut sacras Dei ædes profanare non timeret.

12 Lectio v. Salernitani tamen Dei Sanctorumque ejus injuriam ferre non valentes sæpius quoque ad pugnandum lacessiti, Dei omnipotentis auxilio freti, qui salvos facit sperantes in se, ac protectione, intercessioneque sanctorum martyrum Fortunati, Caii, et Anthæ; die jam dicta, forti animo et armis muniti, de civitate exeuntes in Agarenorum gentes irruerunt, eosque undique comminuerunt, atque trucidarunt, quum tantummodo ex ingenti Salernitanorum multitudine septuaginta interierint. Unde victores inimicorum spoliis onusti, exultantes civitatem ingressi; Deo, et beato Fortunato gratias agentes, præda inter se divisa, quilibet ad propria F remeavit. *a Salernitanis victoria.*

Lectio vi. Rubent ergo littora infidelium Sanguine, et tamquam Ægyptiorum ad mare rubrum, eorum apparent corpora crudeli nece prostrata. Visa igitur rex et Agareni suorum strage, fistula, sambuca, et universis bellicorum generibus, tubisque clangentibus ac perstrepentibus, paucos, qui remanserant, militum advocarunt, et civitatem atque obsidionem reliquerunt *i*.

ANNOTATA.

a *Decimæ adversus Ecclesiam persecutionis sub Diocletiano inchoatæ, ac sub ejus successoribus continuatæ per annos decem, primum famosum edictum prodiit anno æræ vulgaris* 303.

b *De Martyribus, qui hisce lectionibus immixti sunt, egimus in Commentario prævio* § 3.

c *De illis agit Martyrologium Romanum, sicut ibidem monuimus, ad diem* 30 *Augusti.*

d *Mentionem de illo fecimus in Commentario* § i *in fine.*

e *Ulteriorem hujus fluvii notitiam non habeo compertam, atque adeo Salernitanis eum describendum*

A *bendum relinquo. Supra num.* 12 *vocatur* Lernus.
f Consule ibidem dicta num. 10.
g Vide, quæ ex anonymi Salernitani Chronico præmissa sunt in Commentario § 3.
h *Breve est illud Baronii ad annum Christi* 874 : Salernitani tandem Dei beneficio ab ea longa obsidione sunt liberati a Ludovici imperatoris exercitu, D eisdem Saracenis iterum profligatis. *Legi etiam potest anonymi Salernitani Chronicum columna* 240, *et* 243.
i *De bello, Saracenos inter et Salernitanos gesto, legi potest idem anonymus a cap.* CXI.

DE S. JULIANO MARTYRE

BRIVATE IN ARVERNIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Locus et tempus martyrii : Acta gemina, et liber Miraculorum.

Circa annum CCCIV. Sanctus Brivate sepultus :

B Celeberrimus *in Gallia fuit* S. Julianus *martyr, Brivate in Arvernia coronam adeptus, ibique sepultus et coli cœptus, ut consentiunt eruditi. Attamen nec sic satis constat de loco martyrii. Audi Ruinartium in notis ad Turonensem de Gloria martyrum lib.* 2, *cap.* I : Julianum martyrem Brivate passum fuisse et sepultum, nemo est qui infitiatur. Sed cum duplex ejus nominis vicus sit, vetus scilicet et nova Brivas, lis est, quo in loco primitus sanctus Martyr sit depositus. Savaro, Sirmondus, etc. censent, illum in veteri Brivate sepultum fuisse, hodieque Vieille-Brioude appellata : de quo Gregorium, Fortunatum, Apollinarem Sidonium in Propemptico seu carm. XXIV, aliosque veteres locutos fuisse voluut ; alii vero hæc de nova Brivate intelligunt, ubi etiam nunc S. Juliani corpus asservatur in percelebri basilica, quæ nobili canonicorum, qui comites nuncupantur, collegio illustratur. *Posterioribus hisce omnino adhærendum existimo, cum constet in oppido Brivatensi, quod* nova Brivas, *aut rectius* Brivas ad ecclesiam, *vulgo* Brioude glise *dicitur, hodiedum sacrum* C *Martyris corpus servari, nec quidpiam rationis adferri possit, cur suspicemur illud ex vico Brivatensi, qui* antiqua Brivas *nunc nominatur, illuc delatum fuisse.*

quod intelligendum non esse de antiqua Brivate,

2 *Valesius in Notitia Galliarum pag.* 101 *in hanc quoque propendet sententiam, et de loco utroque aliqua memorat ad propositum nostrum:* Brivas, *inquit*, vicus fuit Arvernorum, tumulo ac basilica Juliani Arverni martyris nobilis... Eo delatus est Avitus augustus, ad pedes B. Juliani sepultus anno CDLXI, *teste Gregorio Turonensi in Historia Francorum lib.* 3, *cap.* XI, *ubi sic habet :* Avitus... basilicam sancti Juliani Arverni martyris cum multis muneribus expetivit : sed impleto in itinere vitæ cursu, obiit, delatusque ad Brivatensem vicum, ad pedes antedicti Martyris est sepultus. *Itaque sancti* Juliani *ecclesia jam structa erat ante Avitum, quod aliunde confirmabitur. Audiamus rursus Valesium :* Nunc oppidum est, *ait*, non longe a flumine, quod dicitur Elaver (*Gallis* l'Allier) BRIOUDE GLISE, ab ecclesia S. Juliani sæpe cognominatum : cui proximus vicus, impositus ei flumini, ubi et pontem fert, nuncupatur Vetus Brivas, Vieille Brioude. *Addit Valesius, et exemplis probat, ex nomine illo* Vetus Brivas *consequens non esse, vicum illum altero, nunc oppido, antiquiorem esse.*

sed de Brivatensi oppido, manifeste probatur :

3 *Verum, quidquid fuerit de loci utriusque* E *antiquitate, mihi dubitandum non videtur, quin primus sepulturæ locus fuerit, ubi hodiedum exstat Brivatensis* S. Juliani *ecclesia. Etenim in Actis antiquioribus num.* 5 *refertur, super sepulcrum Sancti* cellulam, *id est sacellum, constructam fuisse a matrona Hispana ; quod et Turonensis habet num.* 9. *Postea, eadem Vita testante,* ædificata est ibi basilica in honorem ipsius, quæ celsum protulit ædificata fastigium. *De hac ecclesia, votivisque ad eam peregrinationibus sæpissime meminit Turonensis. Porro hanc ecclesiam non aliam esse ab illa, quæ hodie est canonicorum in oppido Brivatensi, facile ostendi potest. Berengarius comes Brivatensis, imperante Ludovico Pio,* ecclesiam, ubi sanctus Julianus martyr corpore requiescit, quæ est constructa in vico Brivatensi, ... quæ a Saracenis destructa et igne combusta erat, ad pristinum statum reduxit, et in eadem ecclesia constituit triginta quatuor canonicos, *ut habent litteræ Ludovici Pii, datæ anno* 825, *quæ videri latius possunt apud Cointium ad dictum annum num.* 37. *Non negabunt, opinor, adversarii ecclesiam* S. Juliani, *in qua tempore Ludovici Pii imperatoris instituti sunt canonici, eam-* F *dem esse cum illa, quæ nunc superest in oppido Brivatensi, et Sancti corpus conservat. Nulla quoque est ratio, cur inficientur, ecclesiam illam, quæ exstabat tempore Gregorii Turonensis, restauratam fuisse prædicto tempore. Hinc manifeste consequi existimo, ecclesiam* S. Juliani *Brivatensem eodem nunc esse loco, in quo primum super Sancti corpus fuerat conditum sacellum, adeoque Sanctum sepultum fuisse, ubi nunc est oppidum Brivatense.*

locus ille Sancti miraculis olim celeberrimus.

4 *An Brivas illa jam oppidum esse, dum ibidem sepultus est Sanctus, non inquiro. Facile suspicarer, frequentis populi concursu ad sepulcrum Sancti factum esse, ut vicus paulatim in oppidum excresceret. Quippe huic suspicioni favet nomen addititium, quod dicatur* Brivas ad ecclesiam. *Verum, ut hæc non omnino sunt manifesta, ita certissimum est, locum gloria miraculorum et votivis peregrinationibus celebrem fuisse, ut patebit ex Turonensi inferius. Apollinaris Sidonius in Propemptico ad libellum, seu carmine* 24, *ad propositum nostrum hos habet versiculos :*

Hinc te suscipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet ossa Juliani :

AUCTORE J. S

Quæ dum mortua morti putantur,
Vivens e tumulo micat potestas.

Tempus martyrii non potest

5 *Tempus, quo coronatus est* S. Julianus, *antiqui non assignant ; nec illud ex eorum scriptis certo deduci potest. Recentiores quidam non pauci asserunt , in persecutione Diocletiani passum esse* Julianum, *at nec veterum auctoritatem, nec idoneas rationes allegant pro opinione sua. Tillemontius tom.* 5 *Monumentorum nota* 3 *in* Julianum, *pag.* 700 *adducit rationes aliquot ad opinionem illam utcumque probandam ; sed fatetur, illas minus esse efficaces, quam ut rem satis reddant certam. Prima est, quod senes duo, qui Sancti corpus sepelierant, in Actis prioribus num.* 4 *dicantur vixisse, dum illac transibat matrona Hispana ad* imperatorem *Treviri habitantem, seu* Trevericum, *ut eum vocat Turonensis. Hoc argumentum, si quid probet, evinceret potius sub Juliano apostata passum esse* S. Julianum. *Quippe, cum per imperatorem Trevericum non alium intelligere debeamus, quam Maximum tyrannum, qui nomen imperatoris assumpsit anno* 383, *ut probabo inferius num.*14, *poterant senes illi, quo-* B *rum vires miraculo auctæ erant, facile in vivis esse tempore Maximi, si sub Juliano passus erat Sanctus noster, cum inter Julianum et Maximum viginti solum anni et menses aliquot intercedant. At vero si* Julianum *dicamus occisum sub Diocletiano circa annum* 304, *jam senes illi post corpus Sancti sepultum superfuissent annis fere* 80; *quod nullo modo fit verisimile. Itaque hæc ratio sub Juliano passum suaderet, si satis esset certo. At verosimilius est, senes illos prædicto tempore non vixisse, ut habet Turonensis num.* 8.

manifeste assignari :

6 *Altera Tillemontii ratio est, quod Crispinus Viennæ residens jurisdictionem non habuisset in Arvernia, ubi occisus est* Julianus, *nisi fuisset aut præfectus prætorio aut vicarius : vicarios autem primum institutos sub Diocletiano advertit, licet admittat aliquos fuisse sub imperatoribus præcedentibus. Fatetur merito, hanc quoque rationem exigui esse valoris. Certe non militat contra tempora Juliani apostatæ, sub quo præfecti prætorio et vicarii in provinciis magis erant constituti, quam sub Diocletiano. Magis quoque Juliani temporibus favent verba Actorum antiquio-* C *rum num.* 1 : Quoniam passionis ejus necdum intercepit oblivio. *Nam, cum Acta hæc scripta sint seculo* v, *quo serius fuerit passus, eo facilius memoria gestorum ejus tamdiu conservari potuit. Itaque, si solis hisce rationibus standum esset, non video, cur non potius ad Juliani apostatæ, quam ad Diocletiani tempora esset respiciendum. Hæ tamen rationes utcumque probant,* S. Juliani *martyrium ad anteriores persecutiones non esse referendum : nec aliud, opinor, intendit Tillemontius. At nunc restat probandum, cur potius videatur sub Diocletiano passus quam sub Juliano.*

at probabiliter passus creditur in persecutione Diocletiani.

7 *Acta S. Ferreoli data a Ruinartio in Actis martyrum sinceris a pag.* 462 *magis insinuant, Ferreolum æque ac* Julianum, *qui amicum suum Ferreolum non diu præcessit, in generali persecutione passum esse sub Diocletiano et Maximiano, non autem sub Juliano.* Cum per universas provincias, *inquit Actorum scriptor,* genus Christianorum , Deo carum, invisum diabolo , deservire sacrilegis ritibus cogeretur, Crispinus quidam, temporis illius præses, in Viennensi civitate juxta imperatorum præceptum cœpit ad sacrificandum cogere Christianos. *Hæc verba tempus innuunt, quo et plures erant imperatores, et persecutio* per universas provincias *grassabatur. Acta quoque priora* Juliani *num.* 3 *plurium principum meminerunt, et posteriora num.* 1 *persecutionem insi-* D *nuant late diffusam. Porro et plures erant principes, et latissime grassabatur persecutio imperantibus Diocletiano et Maximiano Herculio circa annum* 304 ; *neutrum contigit Juliano imperium administrante : nam hic solus imperabat, nec ubique sæviisse videtur persecutio, eo imperante. Itaque, cum vel sub Juliano vel sub Diocletiano hos Martyres passos esse, probabiliter eruatur ex Actis* Juliani, *si utrisque simul Actis inniti velimus, martyrium* S. Juliani *sub Diocletiano statuendum est circa annum* 304, *quo vehementissime sæviit persecutio.*

8 *Acta* S. Juliani *exstant duplicia, altera Gregorio Turonensi antiquiora, et scripta, ut appa-* *Acta duplicia priora scripta seculo* 5, *ret, seculo* v; *altera Gregorio Turonensi ab aliquibus attributa, sed male, ut existimamus. Priora jam edidit Franciscus Bosquet Monspeliensis deinde episcopus part.* 2 *Historiarum ecclesiæ Gallicanæ a pag.* 176. *Eadem ex aliis Mss., et nonnihil hinc inde immutata dedit Labbeus in Bibliotheca nova Mss. tom.* 2, *a pag.* 567. *Illa quo-* E *que habemus in codice Ms. antiquo, qui apud nos notatur* P. Ms. 20, *et accepimus ex alio Ms. vetustissimo; sed utrobique variis mendis conspersa sunt. Quapropter recudere malui editionem Labbeanam, eamque illustrare, notatis iis, quæ in alia editione aut Mss. nostris diversa sunt, notatuque digna. Porro hæc Acta non esse seculo* v *antiquiora, colligitur ex die obitus noto, dum illa scribebantur : cum ille primum innotuerit per S. Germanum Autissiodorensem circa annum* 431, *ut referemus infra. Eodem forsan tempore, quo facta est revelatio natalis, Acta fuere scripta ; certe non diu post medium seculi* v. *Nam caput Sancti cum corpore S. Ferreoli inventum est circa annum* 474 : *de qua inventione siluisset auctor, si post illud tempus scripsisset. Acta* S. Juliani *in ecclesia Brivatensi olim prælecta fuisse, habemus ex Turonensi infra edendo num* 22 : *quod forsan de his Actis intelligendum. Hinc tamen non sequitur, tantum horum Actorum esse auctoritatem, ut omnia in iis relata pro certis sint habenda. Etenim, cum auctor nec coævus sit, nec notus, potior fides est S. Gregorii Turonensis, ubi ille auctor ab hoc dissentit, quod in paucis articulis* F *observabimus.*

9 *S. Gregorius Turonensis totum librum se-* *altera, inserta miraculis per Turonensem scriptis,* *cundum de Gloria martyrum de miraculis* S. Juliani *contexit, et cap.* 1 *martyrium ipsius compendio narravit. Nec dubium mihi videtur, quin illa omnia scripserit Gregorius eo ordine, quo leguntur in omnibus Operum ejus editionibus et in plerisque codicibus Mss. Verum inventa deinde fuit in Mss. alia relatio martyrii* S. Juliani, *in qua omnia, quæ Gregorius primis quatuor capitulis narrat, paullo uberius et mutato ordine exponuntur. Primam hujusce opusculi mentionem fecit Tillemontius tom.* 5 *Monumentorum, nota* 1 *in* Julianum, *pag.* 696, *aliisque investigandum reliquit, an illud potius exhibeat textum S. Gregorii, an liber secundus de Gloria martyrum, qualis est editus. Ruinartius in postrema editione Operum S. Gregorii a col.* 1265 *eamdem lucubratiunculam separatam a miraculis edidit ex codicibus Mss. præfixo nomine S. Gregorii Turonensis. Habemus et nos istius Opusculi exemplar, acceptum olim ex Legendario Ms. Prumiensi. At in illo apographo nostro auctoris nomen non reperitur præfixum, nulla addita est præfatio, miraculaque non leguntur subjuncta. Eamdem Passionem*

A *nem nobis transmisit Petrus Franciscus Chiffletius ex Legendario S. Theoderici, et Ms. codice Vallis-lucentis inter se collatis.*

ut Gregorius illa non scripsit ante Miracula,

10 *Ruinartius in præfatione sua num.* 78 *dubitat, an illius auctor sit ipse Gregorius, dum scribit sequentia:* Haud plura dicam de passione sancti Juliani, quam in nonnullis codicibus scriptis invenimus, libro, qui de ejusdem sancti miraculis a nostro Gregorio scriptus est, insertam, ab ipso Gregorio; an ab alio quovis, divinare non licet. Erunt fortasse, qui ipsammet passionem Gregorii fœtum esse putent. At nemo sibi facile persuaserit hanc primum a Gregorio scriptam, et ab illo ipso miraculorum narrationi præmissam, a posteris vero detractam fuisse; cum e contrario multo verisimilius sit, eam miraculorum libro adjunctam fuisse, ut simul utrumque in sancti Martyris festivitate legi posset. Si quis tamen id ab ipso Gregorio factum fuisse dicat, non multum refragrabor. Præfaciuncula quippe ipse præfixa Gregorii stylum sapit. Quare librum absque illa passione suo loco exhibere visum est, B uti in plerisque scriptis, et in omnibus editis habetur. Passionem autem ipsam cum ejusdem libri initio, prout alii codices scripti habent, post cetera Gregorii opera proferemus. *Hactenus Ruinartius, cui omnino assentior, Passionem illam libro Miraculorum post adjunctam fuisse. Nam id satis patet ex clausula:* Regnante Domino nostro Jesu Christo *etc., quæ apud Tillemontium quoque reperitur adjecta Passioni, quæque ostendit, Opusculum ibidem finitum esse.*

ac ne posterius quidem: sed incerti sunt auctoris.

11 *At ne existimare quidem possum, Passionem illam genuinum esse Gregorii fœtum. Etenim in Miraculis num.* 2 *asserit Gregorius,* Julianum *delituisse apud* viduam *quamdam: in Passione vero dicitur in* quorumdam senum *se occultasse tugurio. Quæ, etiamsi fortasse conciliari utcumque valeant, si credamus in eadem domo et viduam fuisse et senes, eumdem et tamen auctorem non insinuant. Laudatus Chiffletius transmisso apographo hanc adjecit notam:* Hæc narratio in codice Ms. Vallis-lucentis tribuitur Gregorio Turonensi, sed falso; stylus enim iste nihil sapit Gregorii: et videtur esse Eucherii potius Lugdunensis. *At neque* C *hæc conjectura satis videtur certa. Probabilius igitur putem, Passionem illam partim ex Gregorio, partim ex antiquioribus Actis compositam fuisse, deindeque aliquibus Mss. Gregorianis infartam, quod Gregorii crederetur lucubratio. Quapropter post Acta antiquiora, hanc Passionem etiam incerti auctoris nomine, ac demum totum librum secundum S. Gregorii Turonensis subjiciam, ut studiosus lector omnia ad* S. Julianum *spectantia hic habeat conjuncta.*

§ II. Cultus Sancti, et quo modo hic cœptus sit atque auctus, varisque locis propagatus.

Nomen Sancti in Fastis antiquis:

Memoriam S. Juliani *annuntiant Martyrologia pleraque antiquissima ad* XXVIII *Augusti. Hieronymiana apud Florentinium:* In territorio Arvernis urbi Brivatinse natalis sancti Juliani martyris. *Ado exactius et prolixius his verbis:* Brivate, natale sancti Juliani martyris. Qui tempore persecutionis hortatu beati Ferreoli, cujus in militia comes erat, ex Viennensi urbe clandestino discessu ad præfatum Arvernæ urbis territorium commigravit: ubi ab insequentibus persecutoribus tentus, desecto gutture; morte horribili necatus est. *Sic fere Usuardus, aliique deinde secuti martyrologi, quorum verba adducere supersedeo. Longius elogium texuit Andreas Saussayus, quod in plerisque cum Actis consonat; at aberrat a vero; dum caput Sancti Viennam delatum asserit a S. Ferreolo: cum Ferreolus cædi non adfuerit, sed caput Sancti Viennæ acceperit. In Romano Martyrologio additur, passum esse* Julianum *in persecutione Diocletiani, de qua temporis epocha jam egimus.*

AUCTORE J. S.

sacellum supra ejus sepulcrum structum

13 *Cultus porro inchoatus videtur per constructum supra sepulcrum Sancti sacellum, quod contigisse existimamus seculo* IV *ad finem vergente. Res narratur a Turonensi in Miraculis infra num.* 8, *quam compendio accipe. Hispanus quidam in carcere erat* apud imperatorem Trevericum. *Illius uxor ex Hispania Treverim proficiscens, apud sepulcrum Sancti Brivate pro incolumitate mariti sui vovet, se Martyris sepulcrum sacello inclusuram, si vir evaderet* E *incolumis. Liberato autem viro,* pollicitationem, quam promiserat, cum immensis muneribus adimplevit, *ait Turonensis. Jam vero, ut tempus ædificati sacelli innotescat, inquirendum est, quem designet Turonensis per* imperatorem Trevericum. *Ruinartius in notis ad hunc locum existimat Maximum tyrannum designari. Idem suspicatur Tillemontius nota* 3 *in* Julianum. *At Dionysius Sammarthanus tom.* 5 *Galliæ Christianæ col.* 468 *conjicit, fundamenta sacellis jacta esse sub Constantio Chloro aut Constantino Magno, quod fieri non potuit, si Maximum pro imperatori Treverico accipiamus. Quapropter breviter ostendam, non alium designari hoc nomine quam Maximum.*

circa finem seculi 4:

14 *Turonensis ipse Historiæ Francorum lib.* 1, *cap.* 38 *mentem suam exponit, dum de Maximo sic habet:* Maximus vero, cum per tyrannidem, oppressis Britannis, sumsisset victoriam; a militibus imperator creatus est. In urbe Treverica sedem instituens, Gratianum imperatorem circumventum dolis interfecit. *De nullo alio imperatore refert Turonensis, in urbe Trevirensi habitationem fixisse, licet aliunde sciamus, aliquot imperatores ibidem ad tempus substitisse. Quem igitur per* F *imperatorem Trevericum intelligere potuit, nisi illum, quem ibidem refert regiam habuisse, et collocasse? Hinc mox cap.* 40, *narrans filiam Maximi a S. Hillidio sanatam, vocat* imperatoris Treverici filiam, *idemque nomen Maximo tribuit in Vita S. Hillidii apud Ruinartium col.* 1153. *Nullum igitur videtur esse dubium, quin Maximum tyrannum ubique intelligat Turonensis nomine imperatoris Treverici. Porro, cum mors Gratiani, qua Maximus dominationem suam in Gallia stabilivit, passim affigatur anno* 383, *illeque Hispanus, qui forsan pro Gratiano steterat contra Maximum; verosimiliter eodem vel sequenti anno mancipatus sit carceri, constructio sacelli accidisse potest anno* 384 *vel* 385, *aut certe non multo serius.*

ampla deinde ibidem ædificata ecclesia:

15 *Cum autem post hæc sepulcrum Martyris crebris miraculis inclaresceret, Brivatensesque ad fidem essent conversi,* magna ibi basilica fabricata a fidelibus, *teste Turonensi num.* 14. *Tempus conditæ hujus ecclesiæ nullibi exprimitur. Ait quidem Dionysius Sammarthanus col* 468: Jam quinto ineunte seculo inter Galliæ nostræ basilicas locum tenebat non infimum; *at id ipse non probat, nec ego probare possum. Quin magis mihi*

SECTORL. 1 S.

hi verisimile apparet, seculo v *conditam fuisse, sub initium tamen istius seculi, cum Acta satis insinuent, inter sacelli et ecclesiæ ædificationem annos non paucos intercessisse. In apographis quibusdam Martyrologii Hieronymiani* xv *Aprilis inserta legitur* S. Juliani martyris, Brivate apud Arvernos, dedicatio altaris, *ut notarunt Majores nostri in prætermissis ad illum diem. Incertum est, utrum hæc dedicatio ad primi sacelli, an ad ecclesiæ altare spectet: nec constet, quo facta sit anno: at suspicari quis posset, festivitatem Sancti illo dedicationis die celebratam fuisse, donec natalis* Juliani *innotesceret. Certe dies obitus diu latuit, nec nisi divina relatione tandem innotuit, ut jam explicabo.*

dies obitus revelatur precibus S. Germani Autissiodorensis:

16 *Constantius presbyter in Vita S. Germani Autissiodorensis apud nos tom.* vii *Julii pag.* 215 *scribit sequentia:* Deinque cum multa peragraret loca,... pervenit quodam tempore ad Brivatensem vicum, ubi sanctissimi Juliani martyris corpus honorabiliter habebatur humatum. Ibi namque plebs vicina mœsta pendebat, eo quod ignoraret diem, in qua beatissimus Martyr deberet
B pro virtutis ac passionis gloria honorari. Factum est autem, dum ibidem adventaret, ut siscitaretur ab incolis, quo tempore hujus sacra solemnia celebrarentur. At illi se nescire fatentur. Tunc ille: Oremus, inquit, et fortassis nobis hæc Domini potentia revelare dignabitur. Adveniente autem noctis tempore, redierunt quique ad sua. Tunc idem sanctissimus pontifex more solito in oratione pernoctavit. Redeunte vero matutino tempore, ac sole orto, convocatis senioribus loci, si cui forte Dominus aliquid depalaverit, inquirit. At illi; Minime, inquiunt, domine. Et ille: Quinto Calendarum mensis septimi celebrandam esse scitote festivitatem. Nam, ut mihi divinitus est ostensum, hac die hic ab infidelibus exstinctus, sanctorum martyrum est societati conjunctus. Tunc devotus, qui aderat, populus, vota præsuli reddens, optatam refert corporis et animæ medicinam. *Mensis septimus est September, initio sumpto a Martio; ita ut indicaverit* xxviii *Augusti, qua festivitas deinde celebrata. Factum id videtur circa annum* 431: *nam, ut ibidem probatur in Commentario prævio num.* 63,
C *rediit S. Germanus e Britannia circa Maium anni* 430: *nec multo post profectus est Arelatem, teste Vita cap.* 7: *inde vero dum redibat, hæc contigisse narrantur. Idem brevius refert Turonensis num.* 36.

celebris S. Juliani ecclesia Brivatensis seculo 5 et 6:

17 *Ab eo tempore usque ad finem saltem seculi* vi *templum Sancti Brivatense multum inclaruit. Patet id abunde ex Turonensis Opusculo, quod edemus. Pauca tamen adjungere lubet ex aliis ejus Operibus. Avitus imperator, ut habet in Historia Francorum lib.* 2, *cap.* xi, comperto.... quod adhuc indignans senatus vita cum privare vellet, basilicam sancti Juliani Arverni martyris cum multis muneribus expetivit: sed impleto in itinere vitæ cursu, obiit, delatusque ad Brivatensem vicum, ad pedes antedicti Martyris est sepultus. *S. Gallus Arvernensis, seu Claromontensis episcopus, postquam precibus suis lue inguinaria urbem Arvernensem liberaverat,* rogationes illas instituit, ut media Quadragesima psallendo ad basilicam beati Juliani martyris itinere pedestri venirent. Sunt autem in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta, *inquit laudatus Gregorius lib.* 4, *cap.* 5. *Eginus de S. Gallo tom.* i *Julii, in cujus Vita pag.* 107 *idem refert Gregorius. Cautinus Galli successor eamdem supplicationem obivit, teste Gregorio lib.* 4, *cap.* 13; D
et quidem asylum ibidem cum aliis quæsivit contra persecutoris sui Chramni vexationis. Plura ad hanc ecclesiam spectantia dabit Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana tom. 2 *a col.* 467, *docens illam fuisse olim diœcesis Arvernensis, at nunc spectare ad diœcesim S. Flori, illiusque abbates, præpositos, et decanos recensens.*

quando Sanctus ipse jam erat Arvernorum patronus:

18 *Porro* S. Julianus *non solum colebatur Brivate, sed jam seculo* v *diœcesis Arvernensis erat patronus. Hinc Venantius Fortunatus illum variis locis cum Sanctis celeberrimis recenset, atque Arvernis attribuit. Carminum lib.* 10, *carm.* 10 *sic de eo canit:*

Est Julianus item gladio jugulatus amico,
Plebs quem Arverna colens, arma salutis habet.

Et lib. 8, *carm.* 4.

Privatum Gabalus, Julianum Arvernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

Idem lib. 5, *carm.* 3 *de Gregorio Turonensi ad episcopatum Turonensem promoto, sic populum Turonensem alloquitur:*

Martino proprium mittit Julianus alumnum, E
Et fratri præbet, quod sibi dulce fuit.

Innuit hic Fortunatus, talem Arvernis Julianum *esse, qualis Turonensibus est Martinus, Gregoriumque patria Arvernum, qui* Julianum *hactenus patronum habuerat, habiturum pro patrono S. Martinum. Sidonius Apollinaris, qui seculo* v *ad finem vergente Arvernensem regebat ecclesiam, lib.* 7, *epist.* i *scribens ad S. Mamertum Viennensem, simul memorat inventionem capitis* S. Juliani *cum S. Ferreoli corpore, ac simul ostendit illum esse Arvernorum patronum, dum Mamertum sic alloquitur:* Et quia tibi soli concessa est... martyris Ferreoli solida translatio, adjecto nostri capite Juliani, quod istinc turbulento quondam persecutori manus retulit cruenta carnificis: non injurium est, quod pro compensatione deposcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc rediit pars Patroni. *Memorat hæc Turonensis infra num.* 5.

cultus quoque Viennæ, ubi caput erat inventum,

19 *Ab inventione ista capitis* S. Juliani *Viennæ coli cœptum suspicamur, nisi ibidem jam antea coleretur. In Breviario Viennensi, impresso anno* 1522, *ad* xxviii *Augusti festivitas ejus celebranda præscribebatur cum festivitate S. Hermetis martyris et S. Augustini Ecclesiæ doctoris.* F *Inventio autem* S. Juliani *et S. Ferreoli in Martyrologiis quibusdam notata fuit ad* xv *Februarii, ut isto loco in prætermissis observarunt Majores nostri. In Hieronymianis quoque apud Florentinium ad* xix *Septembris notatur* Translatio *capitis* S. Juliani. *At non satis liquet, quænam translatio designetur. Quippe et seculo* viii, *dum principatum in Gallia obtinebat Carolus Martellus, Witicarius Viennensis antistes* ossa beati Ferreoli cum capite Juliani martyris intra urbem transtulit, eisque accelerato opere, non magno precio ecclesiam construxit, *inquit Ado in Chronico, asserens id factum, quod eorum ecclesia* citra Rhodanum *a Saracenis esset incensa.*

multisque insuper locis.

20 *Multis prælerea locis a seculo* vi *cultum fuisse* Julianum, *abunde patebit ex Turonensis Opusculo infra edendo, in quo variæ commemorantur ecclesiæ* Juliano *Brivatensi dedicatæ, quas hic non recensebo. At præter memoratas ibidem, meminit idem in Historia Francorum lib.* 6, *cap.* 17, *et lib.* 9, *cap.* 6 *ecclesiæ* S. Juliani *Parisiis. Cum autem gemina sit Parisiis* S. Juliani *ecclesia, dubitarunt*

dubitarunt aliqui, utra hic designetur. At Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis lib. 9, *cap.* 5, *num.* 7 *ostendit, illam designari, quæ hodie vocatur* S. Juliani pauperis; *multaque de illa collegit, quæ ibidem videri possunt. Acherius in Spicilegio tom.* XI *a pag.* 283 *ex chartulario Brivatensi edidit fundationem capellæ in comitatu Talamitensi* S. Juliano *dicatæ, ejusque reliquiis illustratæ anno* 924, *et pag.* 292 *instrumentum recitat, quo multa donantur* S. Juliani *ecclesiæ. Nec deerunt loca alia Sancto dicata, ejusve cultu insignita. At illa omnia scrupulosius enumerare non lubet. Hisce itaque prætermissis, Acta Sancti subjungo antiquiora primum, deinde posteriora, Turonensi ab aliquibus attributa, ac demum miracula.*

PASSIO

auctore anonymo

Ex editione Labbei collata cum editione Bosqueti et codice nostro Ms.

S. Julianus Arvernorum patronus.

Sublimem atque venerabilem passionem Arvernæ urbis *a* patroni B. Juliani martyris, quem patronum plebs hæc sibi venisse gaudet, scribimus. Non ille martyrium fugiens in hanc urbem advenit, sed Christus pro delictis nostris eum intercessorem tribuit, ut urbs vel plebs hæc tanta Martyris tutela muniretur. Quoniam necdum passionem ejus intercepit oblivio, vel nunc oportet eamdem fidelibus scriptis in tempora sequutura transmitti, quoniam in universo orbe illustrissimum est Martyres venerari, convenit et huic plebeculæ Julianum martyrem intercessorem præferre *b*.

suadente S. Ferreolo.

2 Igitur in illo tempore in Viennensi *c* urbe accidit persecutio Christianis sub Crispino *d* quodam præside. Sanctus autem Ferreolus *e* et ipse a Domino martyr probatus tunc in supradicta urbe Tribunitiam regebat potentiam. Sic tamen regebat militiæ officium ut sacræ religionis impleret propositum. Beatum autem Julianum, quia esset fidelissimus Christianus, in suo solatio *f* detinebat. Cumque sanctus Ferreolus comperisset de Christianorum persecutione, ait ad sanctum Julianum: Cognovi persecutionem Christianorum ad hanc urbem esse venturam, et ideo obsecro, ut te ab isto loco amoveas, quousque desinat persecutio Christianis.

Vienna fugit in Arverniam, ubi martyrio coronatur:

3 Ubi hanc relationem audivit B. Julianus, in territorio Arvernæ urbis se contulit; ingressusque est tugurium cujusdam veteranæ *g*, et ab ea se occultari deprecatus. Quod *h* hospitium non longe aberat, ubi tunc a gentilibus vana simulacra celebrabantur. Ad hujus autem latebram persecutores protinus affuerunt, mulierem sciscitantes, ubinam esset ille, qui ante paululum in suo hospitio confugisset. Illaque negante *i*, sanctus Vir nolens sibi coronam fraudari, persecutoribus se ultro offerens, ait: Hic est quem quæritis, facite quod vobis a principibus vestris præceptum est. Cumque aliquantulum incubuisset orationi, cervices suas persecutoribus obtulit. At illi nihil morati, extracto gladio caput ejus amputantes, atque ad exemplum cæterorum, qui in Viennensi civitate commorabantur, caput S. Martyris recidentes, secum detulerunt. Sicque ille sacri sanguinis sui unda perfusus est.

A. Anonymo.

sepelitur a senibus, quorum instaurantur vires:

4 Illis autem temporibus a Gentilibus vana superstitio in his locis celebrabatur. Duo senes *k* tamen compuncti divina virtute corpus Sancti de loco, ubi decollatus est, ad vicum, cui Brivate nomen est, transtulerunt, quod venerabiliter sepulturæ tradiderunt. Unde redeuntes pro beneficio sepulturæ senserunt eam se a Deo, quam in juventute habuerant, pristinam recepisse virtutem. In illis diebus quidam dives opibus in Hispania imperatori *l* cuidam Treveris civitatis culpabilis extitit. Quem accersitum et carceri mancipatum pro suo crimine jussit post comperendinatis diebus capitalem subire sententiam. Cum hæc comperisset uxor ejus anxia atque mœsta ad cadaver mariti sui colligendum celeriter properabat. Cumque præfatum vicum matrona ipsa præteriret; prædicti senes, quo tenderet *m*, vel quare tam tristis esset, diligentius inquirebant. At illa necessitate vel causam exposuit eis.

damnatus ad mortem, facto ab ejus uxore voto liberatur:

5 Tunc dixerunt senes matri-familias: Ante paululum decollatus est a persecutoribus quidam Christianus, cujus corpus cum summo honore sepelientes, indeque redeuntes, eam, quam in juventute habuimus, sensimus nos pristinam recepisse virtutem. Cum hæc audisset fidelissima mulier, statim ad sepulchrum sancti Martyris incubuit, ac spopondit, ut si virum suum videret incolumem, et ad domum suam * superstites, in illius honore cellulam super sepulcrum sancti Martyris ædificarent. Cumque diutissime orasset, proficiscens via, qua pergebat, venit ad civitatem. Ingressaque illam, vidit virum suum regis indulgentia solutum: et non solum absolutionem meruit, verumetiam honorem recepit. Quibus remeantibus ad beati viri Juliani sepulcrum vota implentes, cellulam, sicut promiserant, construxerunt, et deinceps per universos vitæ ipsorum annos ingentia munera pro tanto beneficio reportantes ad venerabile ipsius sepulcrum deferebant.

* *adde* redirent

ecclesia Sancto structa, in qua multa fiunt miracula.

6 Postea vero opinio B. Martyris vel fama ubique declarata omni populo concelebranda innotuit, nunc vero huic talis testis adsistit, ut hujus tanti Martyris patrocinium non recedat. Inde per multa tempora a fidelissimis Christianis ædificata est basilica in honore illius, quæ celsum protulit ædificata fastigium, et fulget non uno muneris sui ornata privilegio, peculiaris Patroni nostri referta virtutibus. Nec silebo miraculum, quod Dominus ad laudem nominis sui facit, ut in die natalis illius *n* multa divina beneficia orationibus vel intercessionibus peculiaris patroni nostri Juliani martyris operetur. Nam *o* dæmones effugantur et omnes infirmi salvantur: et est laus Domini cum omni pace, et benedicitur ibi Christus Deus, Dei Filius, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ipsam Arvernorum metropolim, quæ nunc* Claromontium *dicitur, auctor designat, non quia ibidem passus* Julianus, *sed quia ibidem æque ac Brivate erat patronus. Editio Bosqueti et codex noster Ms. verbis dissonat, non sensu. Et operæ pretium non puto, omnes vocum differentias notare.*

b *Editio Bosqueti, cui codex noster hic consonat, hæc posteriora verba sic exprimit:* Ita et huic

A Anonymo huic plebeculæ sanctum Julianum martyrem intercessorem vel suffragatorem præstare dignatus est Dominus.

c *Vienna caput olim Allobrogum, nunc urbs archiepiscopalis et primaria in Delphinatu, satis nota est.*

d *Hunc Crispinum præsidem Viennensem, quem Turonensis vocat* consularem, *non invenio nisi in Actis* S. Juliani *et S. Ferreoli.*

e *De S. Ferreolo agemus ad* 18 *Septembris, quo colitur. Acta ejus jam edidit Ruinartius in Actis Martyrum sinceris a pag.* 462 *editionis secundæ.*

f *In editione quidem Labbeana, quam præcipue sequimur, legitur* solario: *at istud ut omnibus aliis contrarium et mendosum correxi. Porro in codice nostro adjunguntur sequentia:* Quem etiam devinctissime ac singulariter diligebat. Nam sicut erant militiæ officio conjuncti, ita etiam sunt honore martyrii copulati.

g *Consonant omnia exemplaria, uti et Turonensis in Miraculis num.* 3, *dissonat tamen Passio* B *altera num.* 3, *quæ mulieri viduæ seu veteranæ senes substituit. At major est hujusce simul et Turonensis auctoritas, quam illius, scriptoris incerti, ut vel hinc evincitur.*

h *Bosquetus,* eo quod hospitium ejus non longe haberet a loco *etc.* : *sed minus recte, quantum apparet. Labbeo consentit codex noster.*

i *Hanc mulieris negationem prætermittit Turonensis, uti et alia multa.*

k *Jacobus Branche in Sanctis Arvernis ad* 18 *Junii scribit Vitam sanctorum Elpidii et Areontii, quos putat fuisse hos senes. Primum martyrem facit, alterum confessorem. At Papebrochius tom.* 3 *Junii pag.* 574 *et* 575, *ubi de Elpidio et Arcontio agit, merito dubitat, an hi iidem sit cum senibus hic memoratis: nam Branche nullum affert argumentum, quo id satis probatur.*

l *Imperator ille est Maximus tyrannus, ut probavimus in Commentario num.* 14. *Hispanum vero illum certo assignare nequimus. At verisimile est fuisse aliquem, qui Gratiani imperatoris partes fecerat contra Maximum.*

C m *Refert idem factum Turonensis num.* 8 *et* 9, *sed modo magis verisimili. Hic senes illi inducuntur, tamquam viventes eo tempore, quod credibile non est, cum imperium Maximi nimis distet a persecutione Diocletiani. Deinde quis credat senes illos sciscitatos fuisse ex matrona peregrina, quo tenderet? et cur tristis esset? illamque tristitiæ suæ causam ipsis tam facile indicasse? Probabilius igitur est, senes eo tempore fuisse mortuos, remque totam contigisse, prout refertur a Turonensi.*

n *Additur in codice nostro Ms.,* quinto Kal. Sept.

o *Editio Bosqueti cum codice nostro:* Cæci namque illic illuminantur, dæmones effugantur *etc.*

D

PASSIO II

auctore incerto

Ex tribus Mss., collatis cum editione Ruinartii.

Cum persecutio nuntiaretur Viennæ mox futura. a

Sanctus *a* igitur Julianus Viennensi ortus urbe, Arvernis datus est martyr, prosapia quidem illustris, ac morum probitate non mediocriter ornatus: sed, quod majus est, igne superni amoris vehementer succensus. Beatus vero Ferreolus tempore Crispini consularis jam Christi miles, at necdum proditus, officio tribuniciæ potestatis, habitu non corde, specie non affectu, apud præfatam urbem fungebatur. Cui videlicet S. Julianus, ætate jam adultus, collega mox futurus in cælo, providentia divina solatium præ- E bebat in seculo. Se enim invicem, in contubernio militiæ temporalis constituti, plus fidei studio, quam militari diligebant affectu *, et inter labores publicos Sanctorum societatem fidelibus vinculis sacra dilectio innexuerat. Cum præterea assiduis persequutionibus se gentilium furor contra Christianorum genus Deo carum armasset et immortali agricolæ renitens, pullulantem novellæ plantationis vineam radicitus evellere manu inimica contenderet: sicut impiorum rabies per diversas mundi partes callido, et inexsaturabilis sævitiæ gladio discurrebat, urbi nihilominus Viennensi proximare fama vulgante nuntiatur.

* al. amplexu

suadente Ferreolo, Julianus fugit in Arverniam:

2 Itaque cum dubium non haberetur, quin eximius Christicola Julianus, martyrii amore flagrans, nullatenus occultare se pateretur; cœpit S. Ferreolus omnimodis agere, quatenus, antequam rabies persequutorum illo pertenderet, prædictus Vir Dei occulte discederet, et ad superstitum Christianorum solamen ipse superstes, vesani furoris impetum paulisper evitaret. Hoc ergo consiliis suadet, hoc precibus exorat. Ille vero, quia virtute temperantiæ præditus erat, quamvis F certamen martyrii toto cordis affectu jam dudum sitiret, tamen amicabilibus monitis parere non distulit. Videbat enim, quia nec hæc fine divino mandato peregisset, quandoquidem tunc persequutio in Viennensi urbe ferveret: legerat enim Dominum percepisse: Si vos persequuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam. Metuebat enim, ne ejus parentes essent obvii, si inter eos hoc certamen inisset, et perderet Christi miles coronam gloriæ, si legitime non certasset. His vero omnibus apud se collatis, propria quæque relinquens, et carnales affectus solius Christi succensus amore parvipendens, juxta B. Ferreoli consilium clam discessit, et in Arvernæ urbis territorium divertens, non alibi, nisi ad Brivatensem vicum, in quo fanatici erroris næniæ colebantur, latere disposuit. Unde manifestum est, quia non metu mortis ab urbe Viennensium subterfugerat: sed ob hoc potius, ut Christi præceptum de civitate in civitatem fugiendo complesset; et suis nihilominus vel rebus vel parentibus spretis, optati stadium certaminis liberius encurrisset.

latitans et ad mortem quæsitus.

3 Porro Crispinus consularis, comperto quod Vir sanctus clandestino discessu fugiens, in Arvernæ urbis territorio latitaret, ad hoc statim exitiale dedit præceptum, ut ubicumque * reperiret

* al. ubi

A riret eum, insequens eum persequutor extingueret. Et quidem ille juxta sui furoris insaniam, qua totus in Sanctorum sanguinem præceps invehebatur, de B. Juliani nece dictabat : sed occulta dispensatione agebatur, quod et ille damnationis cumulum sibi exaggeraret, et gloriosus Martyr ad Christum, sicut jam dudum desiderabat, celeriter perveniret. Festinus itaque lictor, cum in loco, qui Vinicella *b* vocatur, S. Julianum consequenti aspectu imprimens contemplaretur, ille quorumdam senum *c* quasi occultandus ingreditur tugurium. Sed quia nutu Dei adversarios insequi se sentibat, nec jam, qui, evocante Deo, ad cælum paratum habebat ascensum, immorari per divortium amplius licebat, illico se detegi poposcit : cum videlicet eum senes certatim occultare vellent.

Ipse se offert, et capite truncatur.

4 Quibus nutantibus ac remorantibus, cum quidem ille minaci irrumpentium terrore peteretur, ne quid periculi excusantibus immineret, continuo foras prosiliens, inquit, Quem poscitis, quem quæritis, en coram adsum : in me convertite ferrum, optatas pœnas jam mihi date, imperata supplicia de me sumite, reatum apostasiæ vestræ nullatenus adscribi patientiæ innocentis sanguinis sinat effusio. At illi, cum ad tantam constantiam beati Martyris obstupescentes hæsitassent, ille constantior subinde adjecit : Nolo ultra commorari in hoc sæculo, quia Christum tota animi aviditate sitio. Ecce occurro obvius, caput subdo intrepidus : habetis quod tota mente petistis; ictus tantum exerite, et vestram devotionem meumque desiderium implete. Et cum hujusmodi devotione beatissimus Vir animam suam studeret consecrare martyrio, subjuncta nihilominus religiosa oratione commendavit eam Christo. Barbaram vero immanitatem cruentosque insanientium animos non constantia pii propositi, non tam mira in sui oblatione fiducia ab effusione innocui sanguinis reflexit, sed eductam vibranti dextera frameam in cervicem ejus vibrant.

Caput Sancti Viennam delatum,

5 Sanctum vero caput, dissecto gutture abscissum, in fontem, qui forte prope locum effusi sanguinis emanat, carnifices abluunt : et quia nec patrata nece persequutorum animus, utpote insatiabiliter æstuans, parcere novit; corpus truncum relinquentes, ad S. Ferreolum *d* illud, quod C parricidales manus abluerant, deferunt caput : quatenus non dubitaret cæsum, quem esse, veritate attestante, videbat defectum; et agnosceret hoc se excepturum sua in morte, quod per passionem ejus cernebat in corpore. Quod totum juxta divinam voluntatem carnifices nesciendo fecerunt, ut videlicet fons sacro sanguine irroratus futura salus multis fieret, et pretiosius Sanctos Dei, quos conjunxerat militare collegium, pariter etiam ibi retineret sepulturæ *e* consortium. Nam sicut nulla discretione minor est in cælo, ita maxima et præcipua parte corporis sociatur in tumulo. O quam feliciter sanctus Vir, quamque concito gradu ad summum meruit pervenire fastigium! quam subito profectu pro Christo alacriter dimicans tyro rudis, factus est militiæ emeritæ veteranus! quod strenui commilitones vix longo tempore multoque labore percipiunt propositum victoribus præmium, brevi conflictu fortis bellator obtinuit : immortalitatis stipendia percepturus, inexercitata principia victrici auctoritate inclytis Sanctorum finibus exæquavit.

6 Quibus itaque, sicut prædicanda Martyris patientia consecratis, ita profana persequutorum atrocitate peractis, in tribus, ut ita dicam, partibus gloriosus dividitur Miles : nam caput Viennæ defertur, corpus a loco, in quo percussus est, Brivatum *f* delatum est; felix anima a Christo conditore suscipitur. Beatissimi vero senes, qui succensi spirituali gratia, sacrosanctum corpus sepulturæ mancipaverant, ita redintegrati sunt, ut in summa senectute positi, ætatis juvenilis vigore firmati, tamquam juvenes haberentur. Hic igitur Christi Confessor * et testis ibidem studiose reconditur, læta quotidie fidelium devotione veneratur : ubi tanta beneficia virtutesque patrantur assidue, ut eas humana lingua nullatenus sufficiat enarrare.

A. INCERTO. corpus Brivate sepultum, ubi multa patrata miracula :

* Ruinart. Martyr

fons item ; in quo caput lotum, miraculis clarus.

7 In illo autem loco, quo beatus Martyr percussus est, fons *g* habetur splendidus, lenis, dulcibus aquis uberrimus, in quo a persequutoribus caput amputatum ablutum est. De quibus aquis multæ sanitates tribuuntur infirmis : nam sæpe cæcorum oculi ab his tacti, illuminati sunt, tertianarum quartanarumque febrium ignibus accensi, ut potati fuerunt, qui patiuntur, conquiescunt. Nam et si quis gravi laborans incommodo, inspirante Martyre, desiderium habuit hauriendi; protinus, ut hauserit, convalescit, et ita velociter vis extinguitur febrium; seu si videas, super immensum rogum projectis undis, incendia universa restingui. Semper enim de tanto Patrono et ejus gratia indulto supplicationis affectu populus gaudet, et quos locus ille merentes excipit, lætos remittit, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Præfatio fere tota desumpta est ex Turonensi infra edendo, adeoque hoc prætermittitur.*

b Vinicella *habent duo Mss. cum Ruinartio; in Ms. Prumiensi* Vincella.

c *Imo in tugurium* veteranæ, *secundum Acta priora, seu* viduæ, *ut habet Turonensis.*

d *Existimo caput primo delatum ad Crispinum præsidem, ejusque jussu ad Ferreolum, cujus religio forte jam innotuerat. Certe Sidonius, citatus in Commentario num. 18, clare dicit caput ad persecutorem a carnifice delatum.*

e *Nempe quia caput* S. Juliani *cum corpore S. Ferreoli sepultum.*

f *Ruinartius* Brivatim, *aliud Ms.* Briviate.

g *Eadem de hoc fonte habet Turonensis num. 6, ad quem locum Ruinartius notat sequentia :* Locus autem, in quo B. Martyr occubuit, olim Vincella dictus, ab utraque Brivate haud multum dissitus, nunc S. Ferreoli appellatur; ubi hodieque visitur fons ille miraculis clarus, in quo S. Juliani caput lotum fuisse dicitur, priusquam deferretur Viennam. *Ceterum videbit lector, editionem nostram satis consonare cum editione Ruinartiana, sicut Mss. nostra invicem consonant. Vocularum quidem paucarum est differentia, sed quæ sensum non mutat.*

MIRACULA

A

MIRACULA

Auctore S. Gregorio Turonensi

Ex editione Ruinartii

ANTIQUÆ DIVISIONIS CAPITA.

PRÆFATIO.

Celebrat auctor Dei in Sanctos misericordiam.

Maguum in nobis quodammodo igniculum ad justitiæ suæ adipiscendum semitam pietas divina succendit, cum dicit : Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum, E ostendens quod qui justitiam ex toto corde dilexerit, cum deprecatus fuerit, audiatur a Domino. Utinam quisque nostrum cum hæc cantare * (* al. tentare) cœperit, statim spretis mundi scandalis, ueglectis coucupiscentiis vanis, derelictisque semitis pravis, justitiæ viam expeditus, et sine impedimento secularium actionum conaretur inrepere. Per hanc enim viam Abel justus suscipitur, Enoch beatus adsumitur, Noë reservatur, Abraham eligitur, Isaac benedicitur, Jacob dilatatur, Joseph custoditur, Moyses sanctificatur, David prædestinatur, Salomon ditatur : tres pueri inter incendia rorulenta vaticiuantur, Daniel inter nocuas * (* al. innocuas) bestias pascitur. Per hanc viam Apostoli diriguntur, Martyres beati glorificantur. Et qualiter iniquis? Scilicet dum infirma curant, mortuos * (* al. mortua) suscitant præsentia contemnunt, futura desideraut, tortores despiciunt, pœnas non sentiunt, ad cælestia regna contendunt *. (* al. conscendunt) Quod proculdubio virtute propria uon obtinerent, nisi per viam justitiæ rectissime iucedentes a Domino audirentur.

F

CAPUT I.

Martyrium Sancti : capitis inventio : fons miraculis clarus; quidam mortis periculo et carcere liberatus.

Caput I. S. Julianus Vienna fugit in territorium Arvernense. a

Sic et inclytus Martyr Julianus, qui Viennensi ortus urbe, Arvernis datus est martyr, ab hoc igne succensus, hæc concupivit ac mente toto desideravit. Quia cum esset apud beatissimum Ferreolum jam tuuc martyrii *a* odore flagrabat, qui relictis divitiis ac propinquis, tantum ob solius amorem martyrii Arvernum advenit. Sed nec hoc sine divino mandato peregit, cum tunc persecutio in Viennensi urbe ferveret. Legerat enim Dominum prædixisse : Si vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam. Contulit ergo se hic in Arvernum territorium, non metu mortis, sed ut relinquens propria, facilius perveniret ad palmam : metuebat enim ne ei

A ei parentes essent obvii, si inter eos hoc certamen iniisset : et perderet Miles Christi coronam gloriæ, si legitime non certasset. Igitur instante persecutione ad Brivatensem vicum, in quo fanatici erroris næniæ colebantur, advenit. Et cum insequi adversarios nutu Dei sensisset, a vidua quadam se oculi deprecabatur. Quem illa tegens, illico Martyre poscente, detexit, qui suis insecutoribus ita infit : Nolo, inquit, diutius commorari in hoc seculo, quia sitio tota animi aviditate jam Christum.

ubi a persecutoribus occisus, Brivate sepelitur a duobus senibus, quorum vires instaurantur.

3 At illi, eductam vibranti dextera frameam, deciso capite, in tres, ut ita dicam, partes gloriosus dividitur Martyr. Nam caput Viennam defertur, artus Brivate reconduntur, felix anima a Christo conditore suscipitur. Senes quoque, qui sacrosanctum corpus mancipaverant sepulturæ, ita redintegrati sunt, ut in senectute summa positi tamquam juvenes haberentur. Caput quoque ejus Ferreolus martyr accepit, completoque certamine tam illius membra quam istius caput in unius tumuli receptaculo conlocautur. Quod ne cuiquam fortassis B videatur incredibilis esse narratio, quæ audivi gesta, fideliter prodam *.

* *al.* pandam

II. *Sancti caput cum corpore S. Ferreoli a S. Mamerto* b

4 Quodam autem tempore, dum ad occursum beati Nicetii *b* antistitis usque Lugdunum processissem, libuit animo, non aliter nisi orationis causa, Viennam adire, et præcipue sepulchrum visitare Ferreoli martyris gloriosi : insederat enim menti propter antiquam dilectionem eorum, me sic esse ejus alumnum ut Juliani. Denique oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal *c*, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos.

Heroas Christi geminos hæc continet aula :
Julianum capite, corpore Ferreolum.

Cumque hæc legens, æditunm consulerem, cur hæc scripta sic fuerint, respondit : Basilica sancti martyris Ferreoli, super ipsum Rhodani littus ab antiquis fuerat collocata : denique cum, impulsante violentia amnis, porticus, quæ ab ea parte erat locata, conrueret, providus * sacerdos Mamertus *d* nomine, qui tunc Viennensem regebat ecclesiam, ruinam futuram præveniens, aliam basilicam eleganti opere, et in ipsa mensura sagaci intentione construxit, illuc sancti * martyris transferre cupiens C corpus. Advenit autem ad hoc opus abbatum atque monachorum magnus numerus, vigilataque nocte accepto sarculo fodere cœperunt. Cumque in profundum descenderent, tria sepulchra reperiunt, ac confestim stupor mentes spectantium invadit : nec quisnam erat certus, quisnam esset beati martyris tumulus.

* *al.* providens

* *al.* sanctum

Viennæ inventum :

* *al* hebitate seu hebetate

5 Igitur cum starent omnes in hebetitate * mentis attoniti, inspirante, ut credo, Divinitate, unus ex circumstantibus exclamat, dicens : Antiquitus referri solitum erat, et celebri per populos sermone vulgatum, caput Juliani martyris *e* in sepulchro retineri martyris Ferreoli. Si opertorio amoto unusquisque consideretur, * potest quæ sint membra Ferreoli martyris protinus inveniri. Hæc audiens sacerdos, cunctos jubet in oratione prosterni : qua impleta, procedit ad tumulos, detectosque duos singulos in iis quiescentes invenit viros. Cumque aperuisset et tertium, invenit in eo virum jacentem inlæso corpore, integro vestimento, qui deciso capite, caput amplexus aliud brachio retinebat. Erat enim acsi nuper sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque ulla putredine resolutus, sed ita integer inlæsus, ut putares eum adhuc sopore corporeo detineri. Tunc antistes gaudio magno repletus, ait : Hoc esse cadaver Ferreoli, hoc esse caput Juliani martyris, dubium non habetur. Tunc cum magno psallentio plaudente populo, in loco, ubi nunc adoratur, Domino annuente perducitur. Hæc autem ut ad sepulchrum martyris ab ipso æditituo cognovi, fideliter retuli. Præbet tamen huic operi testimonium Sollius *f* noster, ipsi Mamerto scribens his verbis : „ Tibi soli concessa est in „ partibus orbis Occidui, Martyris Ferreoli so- „ lida translatio, adjecto nostri capite Juliani : „ unde pro compensatione deposcimus, ut nobis „ inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc re- „ diit pars Patroni. „

* *al.* additur. et sic

A S. Gregorio Turonensi.

III. *fons, in quo caput ablutum, miraculis clarus :*

6 In loco autem illo, quo beatus Martyr percussus est, fons habetur splendidus, lenis, dulcibus aquis uberrimus, in quo et a persecutoribus caput amputatum ablutum est, de quibus aquis multæ sanitates tribuuntur infirmis. Nam sæpe cæcorum oculi ab his tacti illuminati sunt : tertianarum quartanarumque febrium ardore accensi, ut potati qui patiuntur fuerint, conquiescunt. Nam et si quis gravi laborans incommodo, inspirante Martyre, desiderium habuerit hauriendi, E protinus, ut hauserit, convalescit : et ita velociter extinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogum projectis undis incendia universa restingui.

IV. *quidam vinctus et ad mortem damnatus,*

7 Post passionem vero beati Martyris, ac fama præeunte de senibus, qui dum sanctos artus sepulturæ mandarent, fortitudini pristinæ fuerint restituti, multa ibi beneficia expetentes credentesque indulgente Martyre consequuntur. De quibus pauca perstringenti deprecor veniam condonari, quod me minus vel idoneum, vel peritum ad hæc narranda cognosco, nec imbutum grammaticis artibus, nec literis liberalibus eruditum : sed quid facio, quod impellit me amor Patroni, ut nequeam hæc silere? Vinctus quidam ab Hispaniis *, et carceri deditus apud Imperatorem Trevericum *g*, capitali dijudicatus sententia detinebatur.

* *al.* Hispanis *g*

voto ab ejus uxore facto, in gratiam recipitur : hinc sacellum Sancto structum.

8 Quo conjux illius cognito, dum tumulare viri membra festinat, ad Brivatensem vicum pervenit, repertosque viros, dum diversa studio intento rimaretur, cognoscit, quid ita eo loco vel de Martyre, vel de senibus fuerit gestum, fidelique insinuationi credens, ad sepulchrum beati Martyris deliberat properare, ut causas sugge- F rat, casus reseret, vel cunctum laborem sui doloris exponat. Adserentibus tum præterea hominibus, absque dubio pollicemur, domina, tibi a Martyre reddi lætitiam, qui senum quondam decrepitæ ætatis membra rigentia antiquo vigori restituit : impletaque hac * oratione promittit, ut si sospitem reciperet conjugem, Martyris sepulchrum, in quo possit spatio, cæmento contegeret, fide plena, et de Martyris pietate secura, Treviris * est ingressa, iuventumque virum gratia imperiali receptum, læta regreditur, inquisitumque tempus, quo vir relaxatus esset e carcere, hæc fuit absolutionis hora, qua illa Martyris est auxilium precata : dehinc pollicitationem, quam promiserat, cum immensis muneribus adimplevit.

* *al.* hæc

* *al.* Treviram

ANNOTATA.

a *In editionibus variis, ut et in Breviario Turonensi, legitur,* ob solius amorem Martini. *At natus necdum erat S. Martinus, cum passus est* S. Julianus. *Id ergo certo mendosum.*

b *De*

A S. Gregorio Turonensi.

b *De S. Nicetio Lugdunensi episcopo actum est tom.* I *Aprilis a pag.* 95.

c Sic appellat Cyprianus pulpitum, in quo diaconus legebat Euangelium in ecclesia. Hodie jubeum appellamus, *ait Ruinartius ad hunc locum.*

d *Gesta S. Mamerti apud nos illustrata sunt tom.* 2 *Maii a pag.* 629.

e *In editis et Mss. quibusdam legitur* confessoris, *quod in idem recidit : nam* martyr *Græce idem est quod Latine* confessor, *et apud antiquos non raro* confessores *dicebantur, qui nunc vocantur* martyres, *licet hodie alius sit usus vocis* confessor.

f *S. Sidonium intelligit, cujus nomen* Caius Sollius Apollinarius Sidonius. *De eo egimus tom.* 4 *Augusti a pag.* 597. *Verba hic citata recitavimus in Commentario num.* 18. *Porro Wilicarius episcopus Viennensis hasce reliquias deinde in urbem transtulit, ut in Commentario diximus num.* 19 : Qua occasione, *inquit Ruinartius ad hunc locum,* Brivatenses dicunt, se caput S. Juliani cum B. Ferreoli brachio recepisse.

g *Trevericum hunc imperatorem esse Maxi-*
B *mum, probavimus in Commentario num.* 13 *et* 14, *et factum hoc ibidem illustravimus.*

CAPUT II.

Prodigia apud sepulchrum patrata, quibus conversi gentiles : sanationes variæ.

V *Gentilis in sacellum Sancti fugiens, divinitus evadit manus percussoris :* * *al.* enim

Erat autem * haud procul a cellula, quam supra sepulchrum Martyris hæc matrona construxerat, grande delubrum, ubi in columnam altissimam simulachrum Martis Mercuriique colebatur. Cumque delubri illius festa a gentilibus agerentur, ac mortui mortuis thura deferrent, medio e vulgo commoventur pueri duo in scandalum, nudatoque unus gladio alterum appetit trucidandum. At ille cernens nihil veniæ reservari, cum a diis suis non defensaretur, nostræ religionis custodiam, nostræ confessionis veniam,
C nostræ contagionis medelam, cellulam expetiit Martyris gloriosi. Tunc ille, qui sequebatur, cum in adsultu gladii eum non potuisset adtingere, et hic super se ostium reserasset, atque ille adreptum utrumque postem, ostium conarctur infringere, illico adhærentes manus tabulis dolore maximo quatiuntur, et tanta afflictione miser torquetur, ut ubertim fluentes lachrymæ, qualis esset dolor intrinsecus, extrinsecus nuutiarent : interea stupente vulgo, inclusus qui fuerat, progreditur liber : parentes quoque illius, qui virtute Sancti retinebatur, cognoscentes Martyris sepulturam, devotis multis muneribus pro filio exorabant.

VI. *quo prodigio, aliisque ibidem factis,*

10 Factum est autem, dum hæc agerentur, ut presbyter quidam via illa descenderet. Qui cum didicisset quæ acta fuerant, pollicetur parentibus, ut si a gentilitate discederent, filium reciperent sanum. Ipse quoque sacerdos sequenti nocte videt per somnium simulachra illa, quæ a gentilibus colebantur, Numine divino comminui, atque in pulverem redacta solo prosterni. Quarta autem die, cum gentilitas vellet iterum diis exhibere libamina, mœstus presbyter ad sepulchrum Sancti prosternitur : et cum lachrymis exorat, ut tandem gentilitatem hanc, quæ jacebat in tenebris, splendor divinæ potentiæ visitaret, nec sineret ultra Martyr beatus alumnos proprios ista D caligine detineri, cum ille perennis claritatis gaudia possideret.

regionis incolæ ad fidem convertuntur : * *al.* renident

11 Confestim ad ejus orationem commoventur tonitrua, renident * fulgura, descendit imber igne mixtus, et grandine turbantur omnia : concurrit vulgus ad cellulam, prosternitur coram sacerdote omnis caterva gentilium, et mixto cum lachrymis ululatu cuncti Domini misericordiam deprecantur, pollicenturque sacerdoti, si grando recederet, et Martyrem patronum expeterent, et ad Deum ejus, relictis simulachrorum cultibus, integro de corde transirent. Porro ille fusa oratione, cuncta, quæ petiit, meruit obtinere. Recedente autem tempestate, puer cum parentibus credens, ipsa die a doloribus liberatur : gentiles in Trinitatis nomine baptizati, statuas, quas coluerant, confriugentes, in lacum vico amnique proximum projecerunt. Ab eo enim tempore in loco illo et fides Catholica, et Martyris virtus est amplius declarata. E

VII. *Burgundiones prædatores cæsi favore Sancti.* * *al.* Illidius a

12 Post hæc venientes quidam de Burgundionibus ad Brivatensem vicum, eum cum armorum multitudine copiosa circumdant, captoque populo, direpto ministerio sacrosancto, ultra amnem transeunt, et viros gladio interficere, reliquum vulgus sorte dividere parant. Tunc Hillidius * quidam a Vellavo *a* veniens, et ut aiunt, commonitione columbæ alitis incitatus, super eos inruit. Hortatusque socios, ita hostes ad internecionem cecidit, ut captivis laxatis triumphans in laudem Martyris, amne transmisso, ad beatam cellulam tamquam novus Moyses cum omni populo canendo revertitur : nec minor, ut arbitror, exultatio fuit ereptis, quam quondam Israëlitis demersis fuit Ægyptiis : quod ne quis dubitet hanc beati Martyris fuisse victoriam, sed insinuatio columbæ aliquod mysterium fuisse creditur virtutis divinæ. Nam veniente Hillidio, hæc ei obviam venit : cum ille, ut adsolet, aliquid demoraretur, hæc in circuitu illius volitabat : illoque progrediente, ista præcedebat, et revertebatur ei obviam, quasi accelerare deprecans iter. Dum hæc agerentur, adveniens puer captivitatem adnuntiat, et sic iste viam acceleravit. Sed et, ipso pugnante, columba semper circa eum visa est decurrere. Quod ne quis invideat confictum de columba, et homini præstitum F Christiano, cum Orosius *b* consulem Romanum, id est, Marcum Valerium, a corvo alite scribat adjutum. b

VIII *raptaque ab iis reginæ pietate ecclesiæ restituta :* c d e

13 Prostratis ergo ab Hillidio hostibus, quatuor ex his per fugam lapsi patenam et urceum, qui anax *c* dicitur, in patriam deferunt, et divisam in tantis, ut erant, partibus patenam, urceum regi Gundobado *d* ob gratiam exhibent conquirendam. Reliquum vero argentum reginæ *e* sagacitas reperit, cui additis multis muneribus, loco illi sancto restituit, fideliter insinuans regi, non oportere eum, ut gratiam Martyris sancti propter argenti parvitatem amitteret.

IX. *paralytica apud sepulcrum, prævia visione, sanatur :*

14 Pro quibus ac talibus virtutum ornamentis magna ibi basilica fabricata a fidelibus, virtutibus, ut præfati sumus, Martyris beati refulget, in qua paralyticorum, claudorum, cæcorum, et aliorum quoque morborum sæpius petita remedia conquiruntur. Fedamia quædam mulier paralysis humore constricta, cui nullum corporis membrum sine dolore vigebat, exhibita est, deferentibus propinquis ad beatam basilicam, ut vel stipem a largientibus mereretur. Quæ dum in porticu illa, quæ sanctæ basilicæ conjungitur, decubaret, noctem

A noctem Dominicam dum sacrosanctis vigiliis populi fides devota concelebrat, et illa quiescens lectulo paululum obdormisset, a viro quodam per visum correpta atque increpata est, dicente sibi : Cur, reliquis excubias nocturnas Deo exhibentibus, illa deesset ? Respondit se ab omni membrorum parte debilem, nec penitus gressum agere posse. Tunc quasi sustentata a viro, qui loquebatur ei, et ad sepulchrum usque deducta, dum in sopore fundit orationem, visum est ei quasi multitudo catenarum ab ejus membris solo decidere, a quo etiam sonitu expergefacta, sensit omnium artuum recepisse plenissimam sanitatem. Protinus surrexit a lectulo, et stupentibus cunctis, cum gratiarum actione vociferans, sanctam est ingressa basilicam. Ferunt etiam quidam, solitam fuisse eam referre habitum viri, qui eam fuerat adlocutus : dicebat eum statura esse procerum, veste nitidum, elegantia eximium, vultu hilarem, flava cæsarie immixtis canis, incessu expeditum, voce liberum, adlocutione blandissimum, candoremque cutis illius ultra lilii nitorem fulgere, ita ut de multis millibus hominum, quæ B sæpe vidisset, nullum similem conspicasset : unde multis non absurde videtur ei beatum Martyrem adparuisse : quæ mulier post decem et octo annos sanata est.

x. quidam ecclesiæ injurius primum excæcatus, deinde pœnitens facti sanatus :

15 Quidam dum in seditione, quam commoverat, oculum amisisset, hominem, qui ictum intulerat, de basilica conabatur extrahere : quod dum agit, non modo amissi oculi non recipit lumen, verum etiam sentit alium, quem sanum habuerat, obcæcari. Porro cum peccata sua confiteretur, dicens : Merito mihi evenit judicium sine misericordia, qui non feci misericordiam, prostratus coram sancto sepulchro cum populo, qui tunc ad festivitatem advenerat, indulgens lædenti, et visum recepit et gratiam : sicque factum est, ut is, qui Sancti auxilium expetierat, tutaretur : ille vero, qui non credebat, argueretur, et sic uterque lætus emendatusque discessit.

xi. ausus operari die Dominica ac punitus, favore Sancti evadit incolumis :

16 Alius quoque ausu temerario die Dominica jungens boves agrum sulcare cœpit, adprehensaque securi, ut aliquid emendaret in vomere, protinus contractis digitis manubrium in dextera ejus adhæsit. Cumque præ dolore nimio cruciaretur, post duos annos veniens ad beati Martyris basilicam, vigilias fideliter celebravit : C statim in ipsa die Dominica, reserata manus lignum, quod invitus tenebat, amisit, magnam inferens populo disciplinam, ut quod die Dominica fuerat perpetratum, ipsa quoque die Dominica purgaretur. At ille magnificans gloriam Martyris, recessit incolumis, nec ultra die resurrectionis Dominicæ *f* quidquam ausus est operari.

xii. surdus, mutus, ac paralyticus sanatur.

17 Sic et Anagildus * quidam mutus et surdus et cæcus, vel omnium membrorum compage debilitatus, ad limina sacrosancta projectus est, scilicet ut vel ab stipe pasceretur devotorum, qui victus alimoniam propriis manibus laborare non poterat. Igitur cum per annum integrum ante sanctam ædem decubasset, tandem visitatus a virtute beati Martyris, ab omni infirmitate sanatus est.

* al. Anagilus

ANNOTATA.

a *In aliis legitur* Velauno. *Hoc* nomine, *ut notat Ruinartius*, Vellavorum regio intelligenda, *vulgo* le Velay. *Velaunia autem Arverniæ superiori est contigua.*

b *Verba Orosii lib.* 3, *cap.* 6 *hæc sunt :* Confecit hanc pugnam (*contra Gallos*) M. Valerius, auxiliante corvo alite, unde postea Corvinus est dictus. *At tribunus militum tunc erat Valerius, et sequenti anno consul creatus est, ut videre est apud Livium lib.* 3, *aliosque, qui rem narrant exactius.*

A. S GREGORIO TURONENSI.

c *Per vocem* anax *designari vas sacrum, ex textu patet. Cangius in Glossario putat* materiam *vasis significari hac voce : at qui Glossarium ejus auxerunt, contendunt* formam *potius vel* usum *designatum. Verumtamen non exponunt, quale vas sic fuerit nominatum, neque id ego invenire potui.*

d *Alias* Gundebaldo. *Gundebaldus autem Burgundionum rex Arianus obiit anno* 517, *ut habet Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 336.

e Hæc fuit Caretene, quæ anno DVI obiit, conditaque est Lugduni in basilica S. Michaëlis, quam exstruxerat, *ut observat Ruinartius. Consentit laudatus Longuevallius pag.* 262, *docens catholicam fuisse et maxime piam. Miris laudibus ornatur in epitaphio suo apud Chesnium tom.* 1, *pag.* 514. E

f Hic et passim manifeste dies quælibet Dominica, resurrectionis Dominicæ dies appellatur, *ait Ruinartius.*

CAPUT III.

Pœnæ variorum, qui Saneto ejusve ecelesiæ injuriam intulerant.

xiii. *Pœna illorum, qui Sancti ecclesiam spoliaverant.*

Videtur mihi, ut sicut Sancti virtute curata morbida retexuntur, ita et infidelium pravitates oratione illius confutatæ ad emendationem aliorum, ne similia appetant, declarentur, quia utraque Sancti gloria præstat, ut et hos sanitati reddat, ne amplius crucientur, et illos arguat, ne in futuro judicio condemnentur. Et quia nullum latere credo aliquid de hostilitate Theoderici *a* regis, ac infirmitatibus Sigivaldi, quæ ei in Arverno posito contigerunt, propter virtutem tamen beati Martyris, est diligentius exponendum, quo facilius fides dictis adhibeatur. F Igitur cum ad direptionem Arvernorum rex antedictus festinaret, et ingrediens terminum vastationi cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata ad Brivatensem vicum infesta prorupit, fama vulgante, quod in basilica essent incolæ cum multis thesauris adunati. Cumque pervenissent ad locum, inveniunt multitudinem promiscui sexus, obseratis ostiis in templo ipso cum propriis facultatibus residere. Cumque intrare non posseut, unus effractam ceu fur, in altario * sancto fenestram vitream ingreditur, quia qui non intrat per januam hic latro est : dehinc reseratis ædis illius valvis, exercitum intromittit. At illi direptam cunctam pauperum suppellectilem *b* cum ministris *c* ipsius basilicæ, reliquum quoque populum, qui infra erat, eductum, foris diviserunt haud procul a vico. Quæ cum ad regem delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diversis mortibus condemnavit. Fugiens vero ille, qui inrupta æde caput fuit hujus sceleris, igne de cælo delapso consumptus interiit : super quem cum multi acervum lapidum congregassent, a tonitruis et coruscationibus detectus, terrena caruit sepultura. Qui vero

* al. altari

A. S. GREGORIO TURONENSI.

d

ro de consentaneis *d* latentes regem in patria sunt regressi, correpti a dæmone, diversis exitibus hanc vitam crudeliter finierunt. Hæc audiens rex, omnia, quæ exinde sunt ablata, reddidit. Præceperat enim ne in septimo a basilica milliario quis vim inferret.

XIV. *uti et Sigivaldi ob villam ablatam; at hic deinde restitutus duplum reddit:* e f

19 Tunc Sigivaldus *e* cum rege præpotens cum omni familia sua in Arvernam regionem ex regis jussu migravit: ubi dum multorum res injuste competeret, villam quandam, quam gloriosæ memoriæ Tetradius *f* episcopus Biturigensis *, basilicæ sancti Juliani, reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis avidus pervasit: sed mense tertio postquam adgressus est, correptus a febre et sine sensu effectus, declinavit caput ad lectulum. Cujus uxor, dum de hoc exitu mœsta penderet, a quodam sacerdote commonita est, ut cum si videre vellet incolumem, auferret a villa. At illa hæc audiens, præparatis carrucis, compositoque plaustro, quo eum eveheret, mox ut prædium sunt egressi, protinus divina sunt pariter gratia muuerati: uam iste sospitate, illa meruit ex hujus incolumitate lætitiam. Ferunt etiam
B in oratorium prædii illius sanctum Julianum martyrem cum Tetradio episcopo couloquentem, cuidam religioso revelatum fuisse, promittentem se episcopo villam, quam pro animæ suæ remedio sibi reliquerat, recepturum. Sed et habitum beati Martyris in eodem modo esse, ut quondam paralytica exposuerat, referebat.

* al. Bituricensis

XV. *fulmine ictus, qui bona Sancti ecclesiæ invaserat:* g h

20 Pastor vero quidam uou streuuitate, sed nomiue Ingeuuus *g*, dum iu multis rebus coutra basilicam saucti Martyris injuste ageret, ad hoc levitas ejus iuimico ingrassante convaluit, ut colonias *h* basilicæ concupiscens, quæ agro ejus eraut proximæ, pervadere non timeret. Ad quem sacerdos loci, cum aliquos de clericis quasi legatos mitteret, ut accepta ratione, quod male pervaserat, relaxaret, ille quasi contra iniquum hostem telis correptis prosiluit, fugatisque sagittis clericis, res Sancti in sua dominatione retinuit. Factum est autem ut in proximo adveniret dies passiouis Martyris gloriosi: ad quam ille immemor pervasiouis suæ atque injuriæ, quam intulerat clericis, ante quiuque dies solemnitatis ad
C vicum Brivatensem advenit, qui eum in domo hospitalitatis suæ convivio cum lætitia et exultatione fungeretur, subito coruscatione facta touitruum souuit. Rursumque iterato jaculo igneo de cælis clapso percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte. Deinde ad exemplum omnium, tamquam rogus flammeus ardens, paulatim cousumebatur. Ad quod miraculum populus, qui ad Beati festa couvenerat, hæc cernens cum admiratione, metuebat, satisque illi fuit, ne de rebus Sancti aliquid ultra contingeret. Quod ne fortuito actum quis putet, cernant inter multos iunoxios unum interiisse sacrilegum.

XVI. *alius ministrum ejusdem ecclesiæ calumniatus,* i k

21 Quid etiam ad Becconis *i* comitis coufutaudam superbiam beatus Martyr sit operatus, evolvam. Hic eum actiones *k* ageret publicas, et elatus jactantia multos contra justitiam adgravaret, casu contigit, ut dimissum accipitrem diu per diversa vagantem perderet. Similiter ut unus de servientientibus basilicæ sancti Juliani, accipitrem alium, dum per viam ambularet, quasi vaguin invenit: erat enim puer ille pincerna iu domo basilicæ. Quod cum ad Becconem pervenisset, quod scilicet puer repertum teneret accipitrem, calumniari cœpit ac dicere, Meus ille erat, inquit, et hic furto eum sustulit. Deinde succendente avaritia, misit illum vinetum in carcere, deliberans eum in sequenti, patibulo condemnare. D Tunc sacerdos mœstus valde ad sepulchrum Sancti properat, reseratisque eum gemitu capsis, adpreheusis decem aureis, per fideles amicos Becconi obtulit. Quod ille pro nihilo respuens, cum juramento adseruit, numquam se puerum dimissurum, nisi exinde aureos triginta aeciperet. Quod presbyter desuper sepulchro Saneti accipiens, Beccoui trausmisit, quos acceptos satiata avari * cupiditate, puerum restauravit incolumem.

* al. auri, vel auro

gravi morbo percutitur:

22 Sed Deus omnipoteus, qui permanet ante solem, secundum bonitatis suæ divitias, humiliavit calumniatorem. Nam ipsius anni trausacto eurriculo veniens ad Saneti festivitatem eum caterva satellitum, ingressus est limen sauctum. Procedente vero lectore, qui beatæ passionis recenseret historiam, ut revolvit librum, et in priucipio lectiouis, sancti Juliaui protulit nomen, confestim Becco voce ueseio qua teterrima, ad terram corruit, cruenteque spumans dare voces diversas cœpit: inde inter suorum manus sublatus a basilica, domum reducitur. Nec fuit dubium pueris ejus hæc ob injuriam basilicaris famuli evenisse: omuem quoque ornatum, quod super se tunc habuit, tam in auro quam in vestimentis, basilicæ contulit, et multa deinceps munera misit: sed usque ad diem obitus sui sine sensu duravit. E

XVII. *alius, qui oves ecclesiæ rapuerat,* l

23 Fuit etiam quidam diaconus, qui relietam ecclesiam * fisco se publico *l* junxit, acceptaque a patronis potestate, tanta perpetrabat scelera, ut vix posset a vicinis circumpositis sustineri. Accidit autem quadam vice, ut saltus montenses, ubi ad æstivaudum oves abierant, circumiret, atque pascuaria *m*, quæ fisco debebantur, inquireret. Cumque diversos spoliaret injuste, conspicit eminus greges, qui tunc sub nomiue Martyris tuebautur: ad quos levi cursu evolans, tamquam lupus rapax diripit arietes. Couturbati atque exterriti pastores ovium, dicuut ei: Ne, quæsumus, coutingas hos arietes, quia beati martyris Juliani dominio subjugati sunt. Quibus ille, hæc irrideus, respondisse fertur: Putasne quia Juliauus comedit arietes? Debiue ipsis verberibus affectis, quæ voluit abstulit iguorans miser, quod qui de domibus Sanctorum aliquid aufert, ipsis F Sanctis injuriam facit, ipso sic Domino protestante: Qui vos spernit me spernit, et qui recipit justum, mercedem justi accipict.

* al. relicta ecclesia

m

morte punitus:

24 Contigit autem, ut post dies multos, non religione, sed casu conferente, ad vicum Brivatensem properaret, projectusque humo ante sepulchrum, mox a febre corripitur, et tanti vi caloris opprimitur, ut ueque consurgere, neque puerum evocare posset: famuli vero, cum vidissent eum extra solitum plus occumbere, accedentes: Quid tu, inquiuut, in tanta diuturnitate deprimeris? non enim tibi tam longus mos erat orandi, aut devotio *n*. Ferebant autem de eo, quod quandoquidem in ecclesia fuisset ingressus, parumper immurmurans, nec * capite iucliuato, regrediebatur. Tunc interpellantibus pueris, cum responsum reddere nou valeret, ablatus manibus e loco, in cellam, quæ erat proxima, lectulo collocatur. Igitur invalescente febre, proclamat se miser * incendi per Martyrem. Et quod primo siluerat, admotis animæ judicii facibus, crimina confitetur, jactarique super se aquam voce, qua poterat, deprecabatur. Delatis quoque cum vasculo lymphis, et in eum sæpe dejectis, tamquam de fornace ita fumus egrediebatur

n

* al. ac

* al. miserum

A batur e corpore. Interea miseri artus, ceu combusti, in nigredinem convertuntur. Unde tantus procedebat fœtor, ut vix de adstantibus possent aliqui tolerare. Innuens enim dehinc manu, indicat se esse leviorem : mox illis recedentibus, hic spiritum exhalavit : de quo haud dubium est qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali discessit judicio.

XVIII. *fur equum nequit tota nocte abducere :*

25 Alius autem per vigiliam festivitatis, equum alicujus, qui tunc forte ad eamdem solemnitatem venerat, furto comprehendit, ascensoque velociter properat, scilicet ut qui lumen perdiderat veritatis, non inveniretur a luce : et cujus pectus cupiditatis tenebræ obsederant, ejus et furtivam fraudulentiam nox celaret. De talibus enim Dominus dicebat in Euangelio : Omnis qui male agit, odit lucem. Albescente igitur cælo dicebat : Jam securus sum, uam trigiuta leucas a Sancti basilica elongatus sum : jam secus propriam domum esse me credo. Dum hæc tacitus revolveret intra se, demotis ex axe * tenebris, cognoscit se ipsi vico propinquum inter populos divagari : timensque ne scelus suum pateficeret publico, cum cautela grandi caballum in loco, unde digressus fuerat, reformavit : sic miser virtute Martyris tota nocte detentus in circuitu vici, et, ut ego credo, ab auctore, qui eum obsederat, est delusus, ut viam, quam adprehendere voluit, non valeret. O scelerata cupiditas, quid agis? Semper amatores tuos in confusionem præcipitas.

* *id est*, orbe

B

XIX. *volens pejerare in Sancti ecclesia mutus hæret et immotus :* o

26 Quidam alteri triantem *o* præstiterat, quem interpositis paucis diebus recepit. Post annum vero in atrio Sancti conventu homine, rem suam quasi non recipisset, sibi reddi deposcebat. At ille detestans, adserebat se reddidisse susceptum. Cumque diutissime altercarentur, ille, qui reddiderat, ait ad socium : Usque quo uterque contendimus : sub judicio hoc omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum Martyris, et quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus sancta Patroni. At ille nec dubitans, ingressusque sepulcrum dum audacter elevat manus, ut pejeraret *, infeliciter miser inriguit. Hæret vox in gutture, lingua coarctatur in fauce, vibrat labia vacua a sermone : ipsa quoque brachia, quæ ad adjutorium frustrati sacramenti erexerat, prorsus retrahere non valebat. Ad hæc vulgo admirante, publicato scelere, multitudo cuncta populi una voce prorumpens, Domini misericordiam, ac beati Martyris auxilium deprecatur. Post quatuor vero, aut eo amplius horas, ad sensum regressus, quod injuste repetebat, publica confessione patefecit, et sic sanus abscessit.

* *al.* perjuret

C

XX. *fur ecclesiæ egressum nequiens invenire, obdormit et deprehenditur.*

27 Sæpe hæc ille audierat, qui basilicæ sanctæ violentiam intulit, sed iniquam mentem semel obsessam vitio, bonitas mollire non potuit, Salomone obtestante : In malevola anima * non ingreditur sapientia. Advenerat festivitas Sancti, et ecce quidam e populo conspicatur ornamentis immensis beatam basilicam effulgere. Concupiscit iniqua mente, quod adipiscens non poterat occultare. Igitur discedente populo a basilica, post gratiam vespertinam, hic se in angulo basilicæ reprimens, latitavit : ac dato cunctis nocturna quiete silentio, vel operiente umbrosa caligine mundi, consurgit ab angulo, et nihil dubitans, utique quia * satellite sauata impellebatur, super cancellum beati sepulchri cursu prosiliit rapido, detractamque a summo unam gemmis coruscantibus crucem ad terram dejecit; collectisque velulis oc palliolis de circuitu parietum pendentibus, unum voluclum * facit, imposuitque humeris, ac elevata cruce manu, locum, unde discesserat, repetit, ac posita capiti sarcina, peccati sopore compressus, obdormivit. Media vero nocte circumeuntes custodes sanctam basilicam, aspiciunt in angulo unam gemmam crucis, tamquam jubar cæleste refulgere : obstupefacti, accedunt cominus cum timore, admotoque cereo inveniunt personam cum rebus furatis, quas auferre non potuerat, inibi decubare. Denique sub custodia eum illa nocte detentum, mane facto cuncta, quæ fecerat, patefecit, adserens se lassum obdormisse, eo quod diutissime circumiens cum fasce basilicam, ostium unde egrederetur, reperire non potuit.

* *al.* in malevolam animam

* *al.* qui a

A. S. Gregorio Turonensi.

* *al.* voluculum, *id est*, fasciculum

ANNOTATA.

a Theodorieus, *vel* Theodericus, *Turonensi etiam* Theudericus, *filius erat Clodovei I, ejusque successor in Austrasia. Expeditionem ejus contra Arvernos refert Turonensis in Historia Francorum lib.* 3, *cap.* 12, *ubi et breviter narrat direptionem ecclesiæ* S. Juliani *et pœnam sacrilegorum, addens hæc verba :* Sicut in libro Virtutum ejus conscripsimus. *Longuevallius jam laudatus tom.* 2, *pag.* 378 *expeditionem Theodorici innectit anno* 532. E

b *In editis ante legebatur*, direpta cuncta pauperum supellectilia.

c *Ruinartius legendum putat*, cum ministeriis.

d *Id est, de iis, qui consenserant in direptionem.*

e *In Historia Francorum lib.* 3, *cap.* 13 : Theudericus autem ab Arverno discedens Sigivaldum parentem suum, in ea quasi pro custodia dereliquit. *Et cap.* 16 villam Bulgiateusem *vocat, quam abstulerat Sigivaldus : additque ibidem de illo jam sanato :* Vota beato Martyri vovens, ea, quæ simplum abstulerat, duplicata restituit. Meminimus et hujus virtutis in libro Miraculorum S. Juliani.

f *De S. Tetradio breviter actum est tom.* 2 *Februarii pag.* 887.

g *In codice Vallis-Lucentis, teste Chiffletio, qui nobis varias illius codicis lectiones transmisit, legitur hoc modo :* Pastor vero quidam, non strenuitate, sed nomine, ingenuus genere, dum *etc.* F

h Colonia *alias* colonica *medii ævi scriptoribus est prædium rusticum, seu domus coloni cum agris adjunctis.*

i *In codice mox dicto* Becgonis.

k *Id est, officium publicum, ut probat Ruinartius.*

l *Seu munus suscepit colligendi vectigalia regia, quod non erat diaconi.*

m Pascuarium, *inquit Ruinartius*, dicitur vectigal ex animalium pastione, ut agrarium illud, quod agris imponitur.

n *Plerique Mss., ait Ruinartius*, tam longa mos erat orandi devotio.

o *Alias in editis legebatur*, trientem, *et forsan rectius. At obscurum est quid rei significetur.* Trieus *quidem tertiam assis Romani partem significat ; at agi non videtur de pecunia, saltem tam modica. Calepinus ad vocem* Trieus *ait :* Item sumitur pro calice quatuor continente cyathos. *Hinc Propertius lib.* 3 : Cum fuerit multis exacta trieutibus hora. *Poculum igitur forsan designaverit Gregorius.*

CAPUT

A. S. GREGORIO TURONENSI.

CAPUT IV.

Beneficia varia variis Sancti favore præstita.

XXI. *Equus amissus, Sancto invocato, reperitur;* * al. sunt * al. quod

Multa quidem et alia in prævaricatoribus ostendit, sed satis sint * ista ad coërcendam desidiam eorum : nunc vero ad gaudia prosperitatum, quæ larga pietate præstat populis revertamur. Sed prius illud non arbitror postponendum, quod expertum valde cognovimus, quid * in rebus perditis apud hunc Patronum fidelis deprecatio consequatur : ex quibus unum tantum commemorare studui. Ad festivitatem beati Martyris devotus pauper advenerat, laxatoque equite *a* sacram ingressus est ædem, ac vigiliis immobilis iustans, noctem cum cæteris orando deduxit : inlucescente vero cælo, ad metatum regressus, caballum, quem reliquerat, non invenit : quæsitumque diutissime, nec signa quidem in quam partem discessisset, agnovit. Transacto igitur biduo recurrit iterum per saltus, perscrutans locorum incolas, si forte aliquis aut teneret captum, aut capi vidisset ab aliquo. Nullum dehinc indicii genus reperiens, anxius atque mœstus ad sepulchrum Sancti regreditur, ibique causas doloris ac mœroris exponens, aiebat : Ad tua, Sancte, limina veni, nihil aliud quam parvitatis meæ vota deferre : nihil injuste abstuli, nihil gessi indignum tua solemnitate, cur, inquam, perdidi rem meam? rogo ut restituas amissum, ut necessarium reddas. Hæc fletu addito aieus, ut egressus est templum, conspicit eminus a quodam viro suum equitem * retineri. Ad quem accedens, dum discutit, unde sit, aut unde venerit, aut ex quo tempore huuc habeat equum, didicit ipsa hora cum fuisse repertum, qua ille beati Martyris imploravit auxilium.

a

B

* al. equum

XXII. *cæcus apud sepulcrum illuminatus;*

29. Cum autem quidam ab eo loco per incursum diabolicum, oculum perdidisset et ad hospitiolum suum viduatus lumine infeliciter resideret, ac manibus propriis nihil laborare prævalens, spem ullam alimonii non haberet, apparuit ei vir in visu * noctis commonens, ut ad Beati basilicam ambularet : ibique si devote suggerat *, promittit auxilium iuveniri. At ille nihil moratus, adrepto baculo, adminiculante puero, sanctum ingressus est locum : qui post completam orationem archipresbyterum, qui tunc locum ipsum regebat, nomine Publianum, adivit, supplicans ut oculis cœcis Christi crucem imponeret, erat enim valde religiosus. Quod ille, dum jactantiam evadere cupit, evitans, tenetur a cœco, nec omnino dimittitur, nisi quæ petebat adimpleret. Tunc ille prostratus ante sepulchrum diutissime Martyris est suffragium deprecatus. Deinde admotam oculis cœcis manum, protinus ut signum crucis imposuit, visum iste recepit. Admiramini quæso virtutem Martyris, cui cum parum sit per se exercere miracula, nunc etiam per manus discipulorum, adstipulante virtutis suæ favore, publice operatur : sed nec meritum discipuli fuit exiguum, cui hæc præstita esse cernuntur.

C

* al. visione * al. se gerat

XXIII. *pes S. Galli sanatus;* b c

30 Erat etiam tunc temporis apud urbem Arvernam patruus meus Gallus *b* episcopus, de quo non videtur omitti, qualiter in adolescentia sua fuerit a Sancti virtute juvatus. Et quia sæpius commemoravi *c*, quale excidium Arvernæ regioni Rex Theodericus intulerit, cum neque majoribus, neque minoribus uatu aliquid de rebus propriis est relictum, præter terram vacuam, quam secum barbari ferre non poterant. His ergo temporibus gloriosæ memoriæ patruus meus, qui postea, ut dixi, sacerdotali fasce Arvernam rexit ecclesiam, pupillus erat, cujus facultates ita direptæ sunt ab exercitu, ut nihil prorsus remaneret. In promptu ipse quoque cum uno tantum puerulo, usque ad Brivatensem vicum plerumque itinere pedestri discurrebat. Accidit autem quodam tempore, dum hoc iter tereret *, ut laxatis præ calore solis calceamentis, nuda incedens planta, sudem calcaret spineum : qui *d* tunc fortassis incisus adhuc terræ hærens erecto acumine inter herbas virides latitabat. Qui defixus plantæ et supergressus effractusque deorsum extrahi nequibat. Igitur defluente sanguinis rivo, cum gressum facere non valeret, beati Martyris implorat auxilium, paululumque dolore compresso, licet claudicando, iter, quod cœperat, expedivit. Tertia vero nocte computrescente vulnere, dolor maximus incitatur. Ille vero ad experta dudum præsidia confugiens, sepulchro glorioso prosternitur, expletisque vigiliis regressus ad lectulum, dum virtutem Martyris præstolatur, somno iucumbente deprimitur. Deinde consurgens, nullam doloris sentit injuriam, aspectaque planta, pars sudis, quæ ingressa fuerat, non videtur : evulsam tamen sentiebat a pede, quod lignum diligenter inquirens iu stratu suo, reperit admirans qualiter fuisset egressum : solitus namque erat in episcopatu suo locum vulneris ostendere, in quo magna adhuc fossa cousp iciebatur, obtestans in hoc beati Martyris fuisse virtutem.

D

* al. teneret

d

E

XXIV. *frater Gregorii febri liberatus apud sepulcrum,* e

31 Post multum vero tempus advenerat festivitas beati Martyris, et pater meus cum omni domo sua ad hujus solemnitatis gaudia properabat. Nobis vero iter agentibus, Petrus *e* frater meus senior, ab ardore febrium occupatur, et tam graviter agit * ut neque vigere *, ueque cibum sumere posset, totumque illud iter cum grandi agitur mœrore, et in discrimen res vertitur, utrum convalescat aut * pereat. Denique cum isto labore pervenitur ad locum : ingredimur basilicam, adoramus sacrosancti Martyris sepulturam : posternitur et ægrotus in pavimentum, deprecans medelam a Martyre glorioso. Post completam vero orationem, ad metatum *f* regressus, febris paululum conquievit : veniente autem uocte, nobis ad vigilias properantibus, rogat se et ille deferri : incumbensque ante sepulchrum tota nocte, Martyris suffragium deprecatur. Exactis deinde nocturnis excubiis, rogat ut de pulvere, qui circa beatum erat tumulum, collecto vel potui darent, vel collo suspenderent. Quo facto, ita omnis ardor febrium conquievit, ut ipsa die et cibum caperet iucolumis, et ubi delectatio vertisset animum, ambularet.

* al. agitur vel angitur * al. bibere * al. an

F

f

XXV. *Gregorius ipse capitis dolore apud fontem.*

32 Sequenti vero festivitate, dum iterum cum magno gaudio ad sanctam properaremus basilicam, mihi caput a sole percussum graviter dolere cœpit : qui dolor adcrescens, febrem intriusecus generabat, ita ut nec cibum me capere, nec loqui permitteret : cumque per duos dies ab hoc dolore consumerer, die tertia ad basilicam sancti Ferreoli, cui fons ille, de quo superius meminimus, est contiguus, advenimus. Distat autem basilica a Brivatensi vico quasi stadiis decem. Cumque in locum illum veuissemus, libuit animo ad fontem usque procedere, confidens de virtute Martyris, quod si me exinde levis uuda penfunderet,

A perfunderet, mox sanarer. Adveniens vero, orationem fundo, aquam haurio, os refrigero, caput infundo, statimque decidentibus lymphis, fugato dolore sanus abscedo, et usque ad sepulchrum Martyris gloriosi lætus ingredior, admiraus et gratias agens Martyri, quod prius me virtute sua dignatus fuerit visitare, quam ipsius mererer cernere sepulchrum.

xxvi. *ubi et alius ex febri convalescit :*

33 Est enim * ad hunc fontem *g*, quia ibidem Martyr percussus est, virtus eximia. Quidam a febre correptus, dum in extremis ageret, desiderium habuit de aqua fontis haurire, ad quam etiam se deportari fideliter exoravit : qui a suis inter manus adprehensus, et in loco depositus, protinus ut aquæ haustum accepit, et faciem caputque perfudit, recipere meruit sanitatem : et aliorum manibus inlatus, propriis gressibus est regressus : fuit autem incola hujus vici, sed excidit nomen ejus.

* al. etiam

xxvii. *ecclesia Sancti fulmine percussa, illæso populo.*

34 Quadam autem die orta tempestas cum magno venti impetu super vicum Brivatensem rapide descendebat : micabant enim de nubibus fulgura ac tonitrua terribilia, voces dabant, quatitur terra fragore, et exuri a coruscatione B pene omnia putabantur : sola erat expectatio in virtute Martyris gloriosi. Nec mora, dato cum fulgore gravi sono tonitrui, jaculum igneum per aditum, quo funis ille signi dependet, ingreditur : percussisque duabus columnis, frustra excussit : inde repercutiens per fenestram, quæ super sanctum habetur tumulum, est egressum : nullum tamen per beati custodiam de populo læsit. O quam magnus circa alumnos proprios beati Martyris amor, columnas sustinuit *h* percuti, non sinit phalangas : confringi passus est vitream, non cavervam : permisit super sepulchrum proprium præterire coruscum, ne fieret multitudinis totius interitus. Igitur expulsum a basilica sancti Martyris jaculum, acervos fœni combussit, interfecit pecora, jumenta delevit. Quod si hæc fortuita quis putat, admiretur magis et stupeat inclyti potentiam Martyris, quod prætereiens ignis per medium populi, neminem nocuit, sed ibi tantum explevit vota, ubi se cognovit habere licentiam.

ANNOTATA.

C a Eques *pro equo non raro invenitur apud scriptores medii ævi. In editione priore legebatur* equo.

b *De S. Gallo Arvenensi episcopo, et patruo Gregorii actum est tom.* 1 *Julii a pag.* 103, *Vitaque ejus ibidem data ex Gregorio.*

c *Maxime in Historia Francorum lib.* 3. *cap.* 15 *et sequentibus illam Arvernorum vastationem retulit : de illa meminit supra num.* 18.

d *Editio est Ruinartii, quam damus ubique. Affirmat ille in scriptis codicibus omnibus sic legi, quibus codex noster consentit. Alii tamen ediderunt,* sudem spineam, quæ *etc. in feminino genere.*

e *Diaconus erat, cum ab inimicis occisus est, ut refert Gregorius in Historia lib.* 5, *cap.* 5.

f Metatus, *quæ vox familiaris est Gregorio, designat hospitium, vel etiam domum propriam.*

g *Editiones aliquæ mendose habent* Huuoronem.

h *In aliis,* columnas sustulit, percuti non siuit phalangas.

CAPUT V.

Alia mirabilia : obitus dies revelata : reliquiæ in Campaniam, et in Orientem portatæ, ædificatæque illic ecclesiæ, et facta miracula.

xxviii. *Monacho divinitus patet ingressus in ecclesiam :*

Clericus autem quidam Aridii *a* Lemovicini abbatis ad festivitatem veniens, præ multitudine populi non modo ad sanctum tumulum accedere, verum etiam nec in ipsam basilicam potuit introire. Cumque mœstus metatui se reddidisset, recubans in lectulo obdormivit. Protinus adstitit ei vir in visu, dicens : Quid tu, inquit, sopore deprimeris? vade celerius ad templum Martyris, et omnia invenies reserata. At ille metu territus exsurgens, credulus dictioni, properat velociter experiri, si vera essent quæ sibi fuerant indicata. Cumque venisset ad ostium, reperit, remotis E undique populis *, usque ad sanctum altare, vel ipsum tumulum viam factam nullo obsistente : et sic sine ulla impressione accedens, fusa oratione cum gaudio est regressus. Quod ne quis dubitet, testor omnipotentem Deum, quia ab ipsius abbatis hæc ore cognovi, apud cujus monachum gesta sunt.

* al. remotos populos

xxix. *dies martyrii revelata :*

36 Hujus festivitatis temporis ignara plebs, mœsta pendebat, nesciens diem, in quo Martyr beatus deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari : et hæc ignorantia usque ad beatum Germanum. Autisiodorensem antistitem est protracta. Factum est autem ut antedictus pontifex Brivatem adveniret, sciscitatusque ab incolis, quo tempore hujus sacra celebrarentur, se nescire respondent. Tunc ille : Oremus, inquit, et fortassis nobis hæc Domini potentia revelabit. Quod cum fecissent, mane orto, convocatis senioribus loci ait, quinto Kalendarum mensis Septimi * celebrandam esse festivitatem *b*. Ex hoc nunc devotus adveniens populus, vota præsuli reddens, refert et animæ et corporis medicinam.

* id est Septembris

xxx. *energumeni apud sepulcrum sæpe liberati :*

37 Energumeni vero, cum advenerint, plerumque evomunt in Sanctum Dei convitia, cur Sanctos alios ad sua convocet festa, ipsosque nominatim confitentes, eorum fatentur virtutes et merita. Aiunt enim : Sufficiat tibi, Juliane, nos F propria virtute torquere, ut quid reliquos provocas? quid invitas extraneos? Ecce Martinum Pannonicum *c*, inimicum jugiter nostrum, qui tres a nostris cavernis repulit mortuos. Adest Privatus ex Gabalis *d*, qui oves suas barbaris nostra instigatione commotis, tradere noluit. Advenit Ferreolus collega tuus ex Viennensibus, qui nobis in te supplicium, incolis præsidium misit. Quid Symphorianum Æduum *e*, quid Saturninum *f* vocas Tolosanum? Aggregasti concilium, ut nobis ingeras infernale tormentum. Hæc et his similia dicentibus, ita Sanctos Dei humanis mentibus repræsentant, ut nulli sit dubium eos inibi commorari : multi tamen ab his infirmi curantur, et sani recedunt.

xxxi. *pecora mansuescunt in Sancti ecclesia :*

38 Sed et illud est memoratu dignissimum, quæ sit mansuetudo pecorum in hac basilica votivorum : qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes suillæ *, cum limen sanctum ingressi fuerint, conquiescunt. Nam vidimus sæpe

* id est, sues

A. S. Gregorio Turonensi.

pe cothurnosos tauros, qui a quindecim aut eo amplius viris alligati, funibus ducebantur, talem in hominibus impetum dare, ut putares eos ipsos quoque disrumpere funes : sed cum ædem sanctam ingressi sunt, ita quieverunt, ut arbitreris eos tamquam agnos mansuetos haberi. Vidimus etiam per medias turmas multos ingredi, inclinato capite populos amoventes rostro, non cornibus, et tamquam tribunal adirent judicis, aliquem sensum habere timoris : non calcem mittere, non aliquem cornu petere, non oculis torvis aspicere, sed in omni mansuetudine usque ad sanctum properantes altare, osculantesque rursus in ipsa, qua ingressi fuerant patientia repedare. Sic et reliquorum jumentorum petulantia cum illuc accesserit, deposito cuncto furore, mitescit, ut ea in mansuetudine columbarum cum grandi admiratione conspicias. De his vero, quæ votiva sunt, nulli penitus quippiam subtrahere licet : nullus priusquam ad basilicam veniat, aut commutare præsumit, aut emere. Nam qui fecerit, sæpius ultione divina graviter quatiuntur, nam aut febris immiuet, aut malum aliquod obrepit, aut B damnum grave succedit, aut hoc, quod abstulit, morbus aufert. Difficile tamen sine præsenti ultione res præterit.

XXXII. *reliquiæ ad structam Remis ecclesiam portatæ, dæmon in via expulsus :* * al. ejus

39 De illis dixisse virtutibus sufficiat, quæ circa sanctum basilicam aut * gesta sunt aut geruntur : nunc pauca de locis illis, in quibus ejus habentur reliquiæ, disserentes, finem hujus libelli facere placet, devotione commonentes. Quidam apud Belgicæ secundæ provinciam, id est suburbano Remensis *g* urbis, basilicam in honore re beati Martyris studiose construxit, cujus reliquias post perfectam fabricam expetiit fideliter ac devote, quas acceptas, dum viatim psallendo regreditur, Remensem est ingressus Campaniam. Erat enim haud procul a via ager cujusdam divitis Campaneusis, ad quem scindendum magna multitudo convenerat. Igitur adpropinquante viatore cum his pignoribus, cœpit quidam de aratoribus male torqueri, et quasi in excessu mentis dicere : En, inquit, beatissimum Julianum adpropinquantem, ecce virtutem ejus, ecce gloriam ejus : currite viri, relinquite boves, dimittite aratra, caterva omnis eat ei obviam. Stupentes illi, et quid narraret ignoti *, dum hebetati ad- (* al. ignari) C mirantur tam voces quam dicta personæ, protinus miser relicto in arvis vomere, elidens se in terram, verberansque palmas, in parte, quæ vir ille beati Martyris veniebat, cursu celeri rapitur, clamans : Ut quid me, Sancte, sic crucias ? ut quid me, gloriose Martyr, incendis? cur regionem tibi non debitam aggrederis? cur habitacula nostro perlustras? Talia eo dicente, ad locum, ubi jam sacerdos tabernaculum erexerat, turbulentus advenit, prostratusque coram Sancti reliquiis, diutissime humo * incubuit, tunc presbyter capsulam illam sanctam super eum ut (* al. homo) posuit, illico crumpente ex ore ejus sanguine, ab incursione diabolici erroris mundatus est, ac deinceps virtutem Sancti prædicans, comes fuit hujus itineris.

XXXIII. *in Oriente, quo pulvis sepulcri perlatus dæmon pulsus, structaque ecclesia :*

40 Quid de ejus reliquiis in Oriente fidelium fratrum relatio signat, edicam. In quadam Orientis civitate, dum in ecclesia a dæmonio quidam torqueretur, in navi beati Martyris prædixit esse reliquias. Cumque navis portum fuisset adepta, hic ad eam saltuatim prosiliit, ac provolutus solo coram uavi, erumpente ab ore et naribus tabe, persona purgata est. Quæ cum episcopo nuntiata fuissent, commovet * populum, cum accensis cereis ad portum usque procedere. Igitur nauclerus D audiens, flensque præ gaudio, in occursum episcopi properat, nihil se aliud adserens de Beati sustulisse basilica, nisi parumper pulveris, qui circa sanctum jacebat tumulum : sed Deus omnipotens comprobans fidem viri, occuli virtutem Martyris non permisit. Dehinc episcopus sublatis reliquias, usque ad sanctam ecclesiam cum magno honore deportat. Negotiator vero tanta cernens mirabilia, basilicam in honore Martyris ædificavit, in qua beatas reliquias conlocans, multa deinceps ibi miracula vidit operari.

* al. commonet vel commonuit

ANNOTATA.

a *De S. Aridio vel Aredio egimus tom.* 5 *Augusti a pag.* 171 *: plura quoque de eo inferius num.* 57.

b *Hoc factum exposui in Commentario num.* 16.

c *Colitur S. Martinus, ex Pannonia oriundus et præsul Turonensis,* XI *Novembris, quo ampla dabitur de eo agendi materia.*

d *De S. Privato Gabalitano episcopo et martyre, disputatum est tom.* 4 *Augusti a pag.* 433. E

e *Ibidem quoque de S. Symphoriano martyre Augustodunensi pag.* 491.

f *Saturninus episcopus Tolosanus et martyr Fastis Romanis insertus est ad* 29 *Novembris.*

g *Remi urbs est notissima in Campania Gallicæ et Belgicæ secundæ olim metropolis, de qua ejusque antiquis nominibus fuse agit Valesius pag.* 180 *et seqq.* Basilica S. Juliani Remis etiam nunc superest archimonasterio Remigiano subjecta, cum parochiali titulo, *ait Ruinartius.*

CAPUT VI.

Reliquiæ Turones translatæ conditaque ibidem ecclesia et facta miracula : perjuri puniti.

XXXIV. *Monasterium cum ecclesia apud Turonenses Sancto dicata, illatisque in eam reliquiis energumenus liberatus :* a b c

Hæc ego dudum expertus sum *a*. Contigit F ut post ordinationem meam Arvernos accederem : profectusque Beati basilicam adivi, expletaque festivitate, disruptis a palla *b*, quæ sanctum tegit tumulum, fimbriis, in his mihi præsidium ferre credens, impleta oratione discessi. Apud Turonicam vero urbem monachi in honore ipsius Martyris basilicam *c*, qualem possibilitas eorum habuit, ædificaverunt, cupientes eam ejus virtutibus consecrari. Audientes autem hæc pignora a me fuisse delata, rogabant ut dedicata ædes iisdem augeretur exuviis. At ego adprehensam secretius capsam, ad basilicam beati Martini, incipiente nocte, propero. Referebat autem mihi vir fidelis, qui tunc eminus adstabat, cum nos basilicam sumus ingressi, vidisse se pharum immensi luminis e cælo delapsam, super beatam basilicam descendisse, et deinceps quasi intro ingressa fuisset. Cum enim nobis hæc in crastinum a fidelibus relata fuissent, conjicimus eam a virtute beati Martyris processisse. Depositis ergo super altare * sacrosanctis reliquiis, vigilata nocte cum grandi psallentio *, ad antedictam deferebantur basilicam : et ecce unus ex energumenis, manibus in se coulisis, ore patulo, cruenta projiciens

* al. altarium
* id est cantu

A jiciens sputa *, aiebat: Ut quid te, Martine, Juliano junxisti? Quid eum in his provocas locis? satis nobis erat præsentia tua supplicium: similem tui ad augenda tormenta vocasti? cur hæc agis? Quare nos eum Juliano sic crucias? Hæc et alia misero declamante, expletis Missarum solennitatibus, dum se ante sanctum altare diutissime conlidit, profluente sanie ex ore ejus, ab infestatione furoris diabolici liberatus est.

* *al.* cruentos . . sputos

XXXV. *eadem nocte vinum multiplicatum*

* *al.* silendum . . . quod, *aut* sileri

51 Sed nec hoc silere * puto, quid in nocte illa priusquam sanctæ reliquiæ ibidem conlocarentur, sit gestum. Monachus ipsius loci, dum de adventu solemnitatis gauderet, et singulos quosque ad cellariolum *d* basilicæ promptissimus invitaret, hortans ut omnes in basilica fideliter vigilarent, extracto a vase vino, cœpit eis causa devotionis cum gaudio propinare, dicens: Magnum uobis patrocinium in beatum Martyrem pietas divina largitur; idcirco rogo charitatem vestram, ut unanimiter vigiletis mecum: cras enim sanctæ ejus reliquiæ in hoc loco sunt conlocandæ. Exacta quoque cum sacris hymnis modulisque cælestibus nocte, celebratis etiam Missarum solemniis, festivitate ovans clericus *, cœpit eos iterum, quos prius invitaverat, rogare ad refectio-
B nem, dicens: Gratias vobis ago, quod sic ad vigilandum immobiles perstitistis: sed nec Martyr diu distulit bonam voluntatem virtutis suæ gratia munerare. Nam ingressus promptuarium clericus reperit cupellam *, quam pene mediam reliquerat, per superiorem aditum redundare, in tantum ut copia defluentis vini rivum per terram ad ostium usque duceret. Quod ille admirans, posito deorsum vase, sæpius extulit plenum, sed et de ipso cum satis abundeque fuisset expensum, nihil prorsus defuit, sed usque in crastinum, mirantibus cunctis, semper stetit plenum.

* *al.* monachus

* *ad al.* cupam minorem

in vase: *e*

52 Erat autem III Kalend. mensis quinti *e*. O admirabilis virtus Martyris, cum produxit de vase sine flore vindemiam, cum sit solitum ut collecta vina condantur in vascula, protulit dolium musta, in quo non uva *, sed virtus sola defluxit: turgescit vasculum a liquore, fructus non inlatus est, sed creatus. Agit hoc ille Dominus ad glorificandum Martyrem, qui impleus uterum Virginis sine semine, permanere præsti-
C tit Matrem in castitate: sed tamen hic novo magis exuberat fructu, cum sine codicibus falerna porrigit ab bibendum. In aliis vineis vix adhuc erumpunt gemmæ: in hoc vero vase vinum defluit a virtute, æquatur Maius Octobri, cum nova porrigit pocula: et plus habet quam ille, cum in promptu non ostenditur vinea, et in domo gignuntur falerna. Rudis etenim venit sine torculari vindemia, quæ non in palmitibus, sed in occultis martyriis est reperta: acervus acinorum non premitur ab arbore, et vini defluunt undæ: hauriuntur falerna, cum in torculari non cernuntur impressa; vitis ecce non aspicitur, et pocula large complentur. Sed quid inquam? Non enim deest fidelibus virtus illa cælestis. Nam qui quondam nuptiis de aquis præstitit vina, nunc suis eadem large porrigit sine ullius clementi uatura: et qui geminis piscibus quinque millia hominum satiavit, nunc bonæ voluntati multiplicata restituit. In ipsius enim ortus tempore angelica vox testata est, dicens: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed jam ad sequentia virtutum opera veniamus.

* *al.* vina

XXXVI. *contractus ibidem sanatus:*

53 Serviens * hujus monasterii diu contractus, infeliciter trahebatur. Adveniens autem ad ipsam Sancti basilicam, vigilias * celebrat: quibus expletis, mane dum ad stratum suum regreditur, inter portantium manus resolutis sanatus est nervis.

A. S. GREGORIO TURONENSI.

* *al.* servus

* *al.* vigiliam

XXXVII. *puella ex lippitudine restituta:*

54 Puella quædam lippis erat oculis et nimio imbre lachrymarum profluente pene cæcata: cujus pater, audita virtute Martyris gloriosi, eum ea ad basilicam sanctam properat, celebratisque vigiliis, mane pauperibus, qui ad matriculam illam erant, cibum potumque protulit: epulantibus vero illis, subito puella capitis dolore se torqueri proclamat, et ut modico sopori indulgeatur, implorat: qua quiescente, cum convivæ epulum explicarent *, illa surrexit, et ad sanctum se altare duci deposcit, antequam * solo prostrata fuisset, et adtente Domini misericordiam deprecaretur, restrictis lachrymis, purgatis lippitudine oculis, læta surrexit: tunc patre gaudente domi redditur * sana.

* *al.* adplicarent

* ante quod cum solo

* *al.* reducitur et redit

XXXVIII. *puer contractus malo suo liberatus:*

55 Alius quidam puerulus parvulus, cujus parentes haud procul ab ipsa basilica commanebant, in secundo ortus sui anno membris totis contractus, sine spe alicujus boni nutriebatur, qui ita contractus erat, ut genua ab ejus ore penitus separari non possent. Cujus parentes, cum ad sanctam basilicam vigilassent, et projectum infantulum coram sacrosanctis reliquiis dimisissent, post E paululum reperiunt eum sedentem, membris omnibus esse directum. Dehinc fusa oratione, gaudentes ad domum suam regressi sunt.

XXXIX. *perjuri puniti.* *f*

56 Est etiam in Turonico vicus, cui Gaudiaco *f* nomen est, in quo beati Martyris reliquiæ continentur, qui cum magnis virtutibus crebro inlustretur, in perjuris tamen plerumque agitat ultionem. Nam cum ibidem quis inimico humani generis suadente perjuraverit, ita ultio divina prosequitur, ut protinus aut in successione damni aut in amissione proximi, aut in consumptione morbi manifesta patescat: non tamen causam remanere inultam, Martyr prorsus indulget: sed nec inibi tam * ausu temerario perjurat barbarorum cruda rusticitas, de quo negotio ista sufficiant, quia longum est singula, quæ de his acta sunt, per ordinem memorare.

* *al.* jam

ANNOTATA.

a *In codicibus quibusdam Ruinartii, uti et in nostro legitur:* Hæc ego dudum experta, *nimirum* F *pro*, his expertis. *Alii:* Hæc habens experta.

b Pallæ sepulcrales *sunt aulæa seu velamina, quibus olim Sanctorum aliorumve honoratorum sepulcra tegebantur, ut multis exemplis probatur in auctiore Cangii Glossario.*

c Monasterium S. Juliani Turon., olim de Scalariis dictum, a Normannis dirutum, restauratum fuit anno circiter CMXXXVIII a Tetolone archiepiscopo, qui ipsum S. Odoni abbati Cluniacensi reformandum commisit..... Hodieque subsistit Regulæ Benedictinæ addictum sub Congregatione S. Mauri. *Hæc Ruinartius. Porro cultus Sancti videtur cœptus apud Turonenses a translatis eo reliquiis. At festivitas ejus notatur in Breviario Turonensi anni* 1635 *ad* 27 *Augusti, verosimiliter quia festum S. Augustini occurrit* 28.

d Cellariolum *diminutivum est a* cella *vel* cellario, *designatque locum hospitibus reficiendis designatum.*

e Hic, *ut notat Ruinartius*, contra suum morem Gregorius mensem quintum videtur Maium appellare; proindeque inchoare annum a Januario: *nam infra dicit:* Æquatur Maius Octobri. *Certe num.* 36 *annum a Martio inchoavit, uti eum aliis locis fecisse ostendit Ruinartius.*

f *Alias* Gaudiacum. *De loco Ruinartius notat sequentia :* Habetur apud Turones ad Carim fluvium locus Joyacum dictus, vulgo Joué, aut Jouay, qui forte hic designatur. In libro autem v Historiæ cap. XIV memoratur domus Jocundiacensis, *(diciturque* civitati *Turonensi proxima,)* quam nonnulli putaut esse huuc ipsum locum Jouay, alias Gaudiacum, aut Joyacum, appellatum. Ursinus in Vita S. Leodegarii Gaudiacum memorat cap. XXII, sed in parochia Carnotensi.

CAPUT VII.

Ecclesia a S. Aredio ædificata, Sanctique reliquiis ditata, in qua miracula varia patrata : reliquiæ aliis locis servatæ, et miraculis claræ.

B

XL. *Condita a S. Aredio ecclesia, in qua balsamum, ex aqua Sancti fontis factum, servatur :*

Cum autem ad me Aridius presbyter ex Lemovicino *a* venisset, vir valde religiosus, cujus etiam iu secundo virtutum beati Martini libro *b* memini, dum sollicite vitam ejus perscrutarer et actionem, inquirere cœpi, quæ ibidem beatissimus Julianus in miraculis prodidisset. In honore enim beati Martyris basilicam ædificavit, quam et ejus reliquiis inlustravit. Sicut ergo est verecundissimus, diu cunctatus, tandem hæc et valde invitus exposuit. Quando, inquit, primum beati Juliani adivi basilicam, parumper ceræ a sepulchro sustuli: iude veuiens ad foutem, in quo beati Martyris sanguis effusus est, abluta aquis facie, parvam ab his pro benedictione complevi ampullam. Testor omnipotentem Deum, quia antequam ad domum accederem, colore, spissitudine atque odore in balsamum commutata est. Veniens vero sacerdos ad dedicandam ædem, cum hæc exposuissem, nihil aliud pro reliquiis in santum altare condere voluit, nisi vasculum, cujus aqua in balsamum commutata fuerat, dicens : Hæ C sunt certæ reliquiæ, quas Martyr paradisiacis virtutibus inlustravit.

XLI *paralyticus sanatus ;*

58 Multa quidem et alia sunt, de quibus plurima prætermittens, aliqua pando. Infirmus quidam, omnibus membris debilis, plaustro impositus, ad ejus monasterium est adductus. Qui cum ante ipsam basilicam iu hoc vehiculo nocte jaceret, videt eam subito magno splendore fulgentem, vocesque in ea psallentium tamquam multorum hominum audiebat. Dum hæc agerentur, et ille orationem funderet, quasi stupeus factus* nec memor dolorum, eo adpropinquante spleudor, quem viderat, præteriit ante oculos ejus. At ille fulgore demoto, in se reversus, sensit se pristinæ saluti recuperatum.

* *al.* stupefactus

XLII *cæco visus restitutus :*

59 Cæcus quoque, adminiculo deducente, ad sacrosanctum altare ejus accedens, dum de opertorio sanctarum reliquiarum oculos adtigit, lumeu recepit : sed et energumeni ab hac palla cooperti, sæpe mundati sunt, et potestas judicum, quotiescumque in eo loco superflue egit, confusa discessit.

XLIII. *c*

60 Pendebat autem super ipsum altare crux holocrysa *c*, eleganti opere facta : et erat tam præclara visu, ut eam putares ex auro esse mundissimo. Advenientibus vero barbaris, a quodam D esse aurea æstimata, direpta est et sinu recondita. At is, qui eam sustulerat, tanto subito poudere prægravatur, ut eam penitus sustinere nou posset, statimque compunctus virtute Martyris, ac pœnitentia motus, de itinere transmissam loco sancto restituit.

crux furto altari ablata nimio pondere furem gravat ;

XLIV. *pulvis ex sepulcro Sancti petitus pro reliquiis.*

61 Quæ postquam gesta sunt, misit *d* clericum suum, dicens : Vade, inquit, ad beati Juliani basilicam, et fundens orationem, supplica, ut tibi aliquid ceræ vel pulveris, de sepulchro jacentis, largiri dignentur æditui, ut delatum a me cum benedictione suscipiatur. Ille vero venicus, quæ sibi fuerant imperata, flagitat ac suscipit. Et cum suscepta ferre vellet, tanto gravatur poudere, ut vix cervicem posset erigere : unde tremore magno coucussus, pavimento prosteruitur, et iterum cum lachrymis orationem fundens, surrexit incolumis, et acceptam sensit abeundi habere se libertatem. Igitur arrepto itinere, incalescente nimium sole, siti corripitur.

XLV. *coque dæmon ejectus :*

62 Veniens autem ad villam viæ proximam, unam casulam adit, aquam deposcens : de qua egrediens juvenis dare responsum, ut eum vidit, E in terram corruit, factusque est sicut mortuus. Concurrentes autem parentes ejus calumniabantur hominibus *, adserentes pareutem suum eorum magicis artibus fuisse peremptum, et adprehensum puerum elevaverunt eum semivivum. At ille de manibus eorum elapsus, percussis palmis cœpit debacchaudo clamare vel dicere, quod martyris Juliani virtute exureretur. Clericus vero hæc audiens, posita super caput ejus capsula cum pignoribus sanctis, fide plenus orare cœpit attentius : ipse quoque cum vomitu sanguinem dæmoniumque projiciens, purgatus abscessit. Dehinc firmatus in fide portitor, iter totum cum psalmis et gratiarum actionibus carpens, ad locum præoptatum, Martyre ducente, pervenit. Jam exinde tempore procedente quanti ibi euergumeni, frigoritici *e*, vel diversis morbis oppressi, Martyris virtute sanati sunt, nec uomina retiueri, nec numerus potuit colligi.

* *al.* hominem

puer æger, ad quem vocati arioli, ex morbo occumbit ;

63 Inter reliqua vero insignia suscipiendorum miraculorum, ponimus et istud, quod insipientes corrigat et roboret sapientes. Igitur Cautini *f* episcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi Arverna regio ab excidio luis, quam inguinariam vocant, devastabatur, ego Brivatensem vicum F expetii, scilicet ut qui meritis tutari uequibam, beati martyris Juliani salvarer præsidio : in quo dum commorarer vico, unus puer ex nostris ab hoc morbo corripitur, reclinatoque ad lectulum capite, graviter ægrotare cœpit. Erat autem febris assidua cum stomachi pituita, ita ut, si aliquid acciperet, confestim rejiceret. Nec erat ei cibus confortatio, sed magis exitus putabatur. Denique mei cum viderent eum in extrema vexari, ariolum quemdam invocant. Ille vero venire non differens, accessit ad ægrotum et artem suam exercere conatur. Incantationes immurmurat, sortes jactat; ligaturas collo suspendit, promittit vivere, quem ipse mancipaverat morti. Hæc autem me nescio agebantur : quæ cum mihi delata fuissent, amarissimus reddor, et cum gravi suspirio illud commemoro, quod Dominus per Heliam prophetam Oziæ *g* regi pronuntiat, diceus : Quia dereliquisti Dominum Deum Israël et consuluisti Deum Acharou, ideo de lectulo, in quo ascendisti, non consurges, sed morte morieris. Nam iste post adventum arioli validius febre succensus, spiritum exhalavit.

64 Cujus

A *alter, hausto cum aqua sepulcri pulvere, sanatur :*

64 Cujus post obitum interpositis paucis diebus, puer alius simili laborare cœpit incommodo : tunc ego eis inquio : Accedite ad Martyris tumulum, et aliquid exinde ad ægrotum deportate, et videbitis magnalia Dei, atque cognoscetis, quid sit inter justum et injustum, et inter timentem Deum et non servientem illi. Accedentes autem parumper pulveris circa sepulchrum jacentis sustulerunt. De quo ut hausit infirmus cum aqua, protinus adsecutus est medicinam, recuperatisque viribus ac restincta febre, convaluit. Intelligite ergo nunc, o omnes, qui insipientes estis in populo, et postquam ista discusseritis, scitote quia nihil sunt, quæ ad seducendum humanum genus diabolus operatur. Ideo moneo, ut si quis vexillo crucis signatus, si quis baptismi ablutione mundatus, si quis vetustate deposita in novo nunc homine viget, talia postponat ac negligat : quærat autem patrocinia Martyrum, per quos sanitatum miracula celebrantur : postulet adjutoria Confessorum, qui merito amici sunt Dominici * nuncupati, et quæ voluerit, obtinebit.

* *al.* Domini

XLVI. *rosæ ad sepulcrum divinitus ortæ, quibus energumenus liberatus :* *h*

65 Eo tempore, cum post obitum Proserii martyrarii *h*, Urbanus diaconus, hujus basilicæ ordinatur æedituus, mira res ad sepulchrum Sancti adparuit. Nam vigilante diacono in lectulo suo auditus est sonitus, quasi ostium basilicæ panderetur. Post multarum vero horarum spatium audivit ipsum iterum claudi. Post hac surgens de strato, præcedente lumine accedit ad tumulum Sancti : mirum dictu, vidit pavimentum rosis rutilantibus esse respersum. Erant autem magnæ valde, cum fragrantia odoris immensi. In ipsas quoque cancelli celaturas, mirabatur rosas intus : nonus enim erat mensis *i* : et hæ ita erant virides, acsi easdem ipsius putares horæ momento *k* ramis virentibus esse decerptas. Tunc cum grandi reverentia collectas secretius posuit : multis exinde infirmis medicamenta distribuens. Nam energumenus quidam ex Turonico veniens, ut exinde delibutum potum sumpsit, ejecto dæmone purgatus abscessit.

B

XLVII. *cæca S. Martino supplicans, monetur adire ecclesiam S. Juliani,*

66 Mulier erat a nativitate cæca, quæ se exhiberi a parentibus ad B. Martini tumulum deprecata est : ubi * cum venisset, prostrata per triduum ad cancellos, qui ante sepulchrum sancti antistitis habentur, extrinsecus responsum accepit per somnium, dicente sibi sancto viro : Si lumen recipere desideras, require basilicam sancti Juliani, in qua dum præsidium Martyris expetes *, ille conjunctus Martino visum tibi necessarium simul orationum suarum suffragiis revocabunt. Exurgens autem mulier et ignorans, quod in Turonico hujus Martyris reliquiæ tenerentur, ad Sanctonicam *l* urbem dirigit.

* *al.* quo

* *al.* expeteris

C

additque eam in agro Santonico structam, et sanatur : *m*

67 Victorina *m* etenim materfamilias ex nobili stirpe progenita in villæ suæ territorio basilicam construxerat, reliquiasque beati Martyris condiderat. Ad hanc ergo ædem mulier accedens, orat per triduum. Die autem tertia advenit natalis Baptistæ Dominici : stante autem populo, et lectionum dogmata ausculante, subito murmur magnum oritur. Presbyter vero, qui solemnia celebrabat, comprimere voces cupiens, interrogat quid hoc esset. Cui unus ex adstantibus ait : Murmur mitescere non potest, quia virtus Domini miraculum prodidit. Ecce enim mulier illa, quæ se cæcam testabatur ortam, erumpente ab oculis sanguine, visum recepit. Tunc omnes benedixerunt Deum, cognoscentes pariter, quæ fuerant gesta.

A S. GREGORIO TURONENSI.

XLVIII. *reliquiæ quædam translatæ, et energumeni liberati,* *n* *o* *p* *q*

68 Nanninus *n* igitur presbyter domus Vibriacensis *o*, Martyris hujus gloriosi reliquias expetivit, quas ex jussu beati Aviti *p* pontificis, adsumptas, cum psallentio tulit usque ad basilicam sancti Ferreoli, quæ *q* procul ab ipso vico sita est, et cum ad eam pervenisset, unus ex energumenis est mundatus. Procedens autem psallendo, cum ad medianam * pervenisset horam, hoste *r* improbo virtute Sancti depulso, puella alia purgata discessit.

* *al.* meridianam

r

XLIX. *multique infirmi sanati :* *s*

69 Accedens autem ad locum, ubi oratorium, quod in honorem Sancti construxerat, posuit hæc pignora in altari sancto. Accedens autem ad eum unus cum amissis oculis *s*, alius manu debilis, impleta oratione, hic lucem recipit post tenebras, manus ille usum post otia diuturna. Mulier etiam nomine Æterna * cum filia ab hoste iniquo vexata, ad hoc altare curata, cum prole sospes abscessit. Frigoritici etiam in illo loco nonnulli salvati * sunt.

* *al.* Acerna

* *al.* sanati

L. *cæcus illuminatus in ecclesia territorii Turonici.* *t*

70 Sed quoniam non est absurdum, si beatus Julianus cum Johanne aut Martino dona sanitatum impertiat, cum quibus victor seculi in cælo tripudiat, referam adhuc qualiter cum Nicetio Lugdunensi *t* simili virtute floruerit. Igitur infra terminum territorii Turonici, Litomeris quidam in honore sancti Martyris basilicam ædificavit : in qua nos ex more ad benedicendum evocati, sancti Juliani martyris cum Nicetii Lugdunensis reliquias conlocavimus. Sed non multo post tempore cæcus adveniens, dum fideliter orationem fudit, visum recipere meruit. Memini hujus cæci in libro vitæ sancti Nicetii, quia dignum est, ut communis virtus utriusque Sancti scripta * connectat. Ergo his miraculis lector intendens intelligat, non aliter nisi Martyrum reliquorumque amicorum Dei adjutoriis se posse salvari. Ego autem Domini misericordiam per beati martyris Juliani patrocinia deprecor, ut advocatus in causis alumni proprii coram Domino adsistens obtineat, ut absque impedimento maculæ ullius, hujus vitæ cursum peragam, atque illa, quæ confessus sum in baptismo, inreprehensibiliter teneam, fideliter exerceam, ac viriliter usque ad consummationem hujus vitæ custodiam. Amen.

E

* *al.* scriptura

ANNOTATA.

F

a *In Actis S. Aredii tom.* v. *Augusti pag.* 173 *agitur de cœnobio Atanensi, quod nunc est collegium Canonicorum et S. Arudii nomen habet, situmque est in* finibus pagi Lemovicini versus Petrocorios.

b *Nimirum cap.* 39.

c *Id est, tota inaurata, quantum existimo. Vox quidem* holochrysum, *si Græcam originem intueamur, significat* totum ex auro, *ut Macri in Hierolexico illam exponunt : at clarum est, crucem illam auream non fuisse.*

d *Tres Ruinartii codices habent,* misit supra dictus Aredius clericum.

e Frigoritici, *vel* frigoretici *vocantur febribus laborantes, sicut febris ipsa quandoque* frigus.

f *Cautinus Arvernensis seu Claromontensis episcopus obiit tempore luis inguinariæ hic memoratæ* anno DLXXII, *inquit Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 241, *ubi de eo plura videri possunt. Agit de hisce Gregorius in Historia lib.* 4, *cap.* 31.

g *Imo Ochoziæ* 4 *Reg.* 1, ỷ. 16, *ubi hæc leguntur Eliæ verba :* Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem,

A. S. Gregorio Turonensi.

monem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. *Sensum verborum dedit, et verisimiliter transcribentium vitio* Ozias *irrepsit pro* Ochozia.

h Martyrarius *idem est ac æditutus, aut custos ecclesiæ.*

i *Novembrem verosimiliter designat.*

k *In aliis editionibus*, acsi eadem ipsius putares hora et momento *etc.*

l Urbs Sanctonica *haud dubie est metropolis Santonum, vulgo* Saintes *dicta.*

m *Nomen hoc in alio Ruinartii codice* Victuriana, *in alio*, Victurina, *ut et in nostro.*

n *In codice nostro* Nannius, *in aliis apud Ruinartium* Manninus, *aut* Naninus.

o *Audi observationes Ruinartii*: Nomine Vibriaci Veterem-Brivatem, vulgo Vieille-Brioude, hic designari censet Savaro in Originibus Clarom., et quidem basilica exstat in honore S. Ferreoli haud procul a Veteri-Brivate sita. Verum Nanninus reliquias S. Juliani e nova ad veterem Brivatem deferens, S. Ferreoli ecclesiam habere obviam non potuit: siquidem Brivas nova inter veterem sita est et ecclesiam S. Ferreoli. Forte Vibriacensis domus hic appellatur Vibrac seu Vibrat, vicus diœcesis Claromontensis, aut certe Vibret in eadem diœcesi.

p *S. Avitus episcopus Arvernensis successit Cautino ante memorato. De eo egimus tom. 4 Augusti a pag.* 444.

q *Addendum hoc loco non monet Ruinartius.*

r *In editis et Mss. quibusdam*, coram hoste *etc.*

s *In codice Gemeticensi*, veniensque ad eum unus, amisso oculorum usu.

t *Pro S. Nicetio jam assignavi tom.* 1 *Aprilis pag.* 95.

DE SS. POLIENO, SERAPIONE, JUSTILLA

AC FORTE HERMETE MM.

ALEXANDRIÆ

ITEM DE SS. HELIA, STEPHANO DIACONO, POLLIONE MM.

ROMÆ

Ex Hieronymianis.

XXVIII Augusti.

Martyrologium, *quod tamquam* vetustissimum, *et* S. Hieronymi nomine insignitum *vulgavit Acherius tomo* 4 *pag.* 669 *hanc trium Martyrum classem refert.* In Alexandria, natalis sanctorum Polieni, Serapionis, Justillæ. *Pro hac ponitur apud Florentinium* Hermetis. *Ibidem in notis scribuntur tantum isti duo*: In Alexandria Polici, Serapionis. *Ex Martyrologio autem Corbeiensi mox subduntur ibidem tres isti, quos ex Acherio recitavimus. Classis altera apud Acherium est a priore diversa, et sic annuntiatur*: Romæ, via Salaria vetere, in cimiterio, natalis sanctorum Hermetis, Basillei, Heliæ, Stephani diaconi, Pollionis. *Martyrologium Augustanum inter Hieronymiana contracta apud nos excusum ab Acheriano dissonat*: Romæ, Hermetis, Stephani, Polieni. *In Augustano eodem post annuntiationem S. Viviani Sanctonensis, de quo agimus hac die, mentio fit* Perasii, et Abundii MM. *Hic ultimus forte est idem, quem ex Greveno sub nomine* Abundi *referimus in his Prætermissis, ac simul cum* Abundantio *differimus ad* XVI *Septembris. De* S. Hermete M. *Romano tractamus hac die*: *nomen* Basillei *suspectum nobis est, quod non sit Sancti, sed cœmeterii, ut pluribus dicitur in eodem* S. Hermete § 2 *num.* 24. *Porro Sanctos sub titulo Martyrum annuntiavimus superius, quia in exemplaribus Hieronymianis tales notari solent. His non addidimus* Perasium, *qui notabatur in uno exemplari, et sine clara et distincta notitia loci.* S. Hermetem *sub dubio posuimus, qui forte Romanus est, et perperam Alexandriæ applicatus.*



A D

DE S. VICINIO CONFESSORE

EPISCOPO SASSINATENSI IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Locus, cultus, miracula, tempus, Vitæ exemplaria.

POST PERSECUTIONES, UT CREDITUR, IMPERATORUM GENTILIUM. *Varia de loco,* * *f. addendum* finio

Ughellus *tomo* 2 *Italiæ sacræ columna* 702 *editionis prioris hanc dictæ jam cathedræ præsulibus præmittit notitiam topographicam :* Sassinam, quam hodie Sarsinam vulgus appellat, collocat Strabo in Togatæ Galliæ * ad dexteram fluminis Sapis, ad extremum Umbriæ : Plinius autem in Italiæ regione. Flaminiæ antiquissima civitas est, Plauti patria, comici theatri principis..., sed ita hoc tempore magna ex parte excisa, ut vix 400 mortales alere dicatur. *Sequuntur plura alia, quæ idem scriptor collegit de isto loco. Adde Leandrum Albertum in* B *descriptione Italiæ, anno* 1566 *Latine excusa Coloniæ Agrippinæ, pag.* 461, *et Cluverium in Italia antiqua pag.* 622. *Primum hujus sedis episcopum fuisse* S. Vicinium *memorat Ughellus columna* 704 : *quanto vero cum laude, vitæ integritate, ac secuta deinde miraculorum celebritate eidem præfuerit et profuerit, docebunt sequentia.*

publica Sancti

2 *Breve est illud Leandri Alberti pag.* 462 : Sarsinæ quondam episcopus fuit Vicinus, Ligur, vir sanctissimus, et miraculis clarus. *Laudatur etiam a Ferrario in utroque Catalogo ad hunc diem* XXVIII *Augusti, quo illum suo Martyrologio universali inscribit Castellanus.* Sassinæ protector *vocatur ab Ughello. Varia de ejus cultu succincte tradit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ in annotatione ;* Memoria, *inquit,* S. Vicinii etiam ab ecclesiis Cæsenate et Parmen. celebratur, ut in tabulis earumdem ecclesiarum vidimus : licet Parmæ de eo XXVII agi consueverit. C Postremo die Dominico mensis Maii apud M. Musellam festivitas illius magno accolarum concursu celebratur, vel quod ille translationis dies sit, quando ex eo M. corpus Sarsinam translatum est, vel ordinationis. In Vita memorata *(de qua agetur inferius num.* 5) S. Vicinii, illum Bleræ apud Viterbium coli, quod ibi caput ejus habeatur, inter alia continetur. Sed Bleræ S. Viventius, non Vicinius colitur. *Postquam Ughellus col.* 705 *retulisset ex Ferrario de* S. Vicinii *cultu Parmæ ;* inque arce, *inquit,* sub ejus effigie hæc de eodem carmina extant :

« Dum sacros artus, jejunia, templa, catenæ,
« Dum sylvæ macerant, hunc regis atque gregem,
« Dum cælum scandis, quatuor * æstas septima vertit,
« Nos voti damnas, numina tetra fugas *.

* *f.* quater

* *i. e.* malignos spiritus

veneratione ex variis hic colliguntur,

3 *In litteris Italicis, Sassinæ scriptis, quas ante me habeo, narratur, Sanctum nostrum ecclesiæ titularem ac civitatis protectorem esse ; populo eum annuntiari secundum usum basilicarum Romæ ; corpus ejus conservari sub altari cujusdam sacelli honorifici, quod ipsi dedicatum est : præterea existere ibi catenam, a Sancto pœnitentiæ causa gestari ad collum consuetam, eamdemque festo ipsius die* XXVIII *Augusti magno cum decore ac concursu deferri in supplicatione propter pium admodum erga illam affectum in diœcesi et in circumvicinis locis, et perquam prodigiosam esse præsertim in energumenis. De hac catena agetur pluribus in Vita* S. Vicinii *inter miracula. Ex his abunde constat de ejus cultu. Superest, ut ad alia progrediamur.*

Tempus sedis ac mortis incertum ;

4 *Nescimus, quo anno sedere cœperit in sua cathedra, et quo obierit. Ughellus columna* 705, vixisse, *ait*, creditur post diram Diocletiani, et Maximiani imperatorum persecutionem, Silvestri Pontificis temporibus. *Sedit hic ab anno æræ vulgaris* 314, *usque ad* 335. *Indeterminata illa temporis positio conformis est auctori Vitæ, quam sumus daturi. Nam in ea proxime post* E *Prologum dicuntur ista :* Beatus vero Vicinius, ut fertur, ex Liguriæ partibus imminentis persecutionis tempore veniens, urbem Saxenatem... petiit : ibique verbum Dei populo prædicans... divina providentia est episcopus ordinatus. *Non dicitur hic, quænam persecutio ista fuerit, an Diocletiani, an alterius imperatoris ; sed forte respexit auctor ad Diocletianeam celeberrimam, eamque antonomastice indicare voluit. Nos, Ughellum secuti, qui referebat credi, quod vixerit sanctus Præsul post dictam persecutionem, indicavimus supra, cum etiam vita functum post illam, quia omnino ignoramus, quamdiu eidem supervixerit. Si tamen verum dicat biographus apud nos num.* 5 *indicans eum vixisse* in episcopatu per viginti septem annos, et tres *(Ughellus ponit 7)* menses... a Domino... evocatus; *tunc vivere potuit ad annum circiter Christi* 330; *si imminente Diocletiani persecutione prædicarit Sassinatibus, et eodem circiter tempore ad episcopatum apud illos promotus sit. Sed in tanta rei chronologicæ obscuritate fiximus ejus obitum* F *post persecutiones imperatorum gentilium, saltem per modum systematis chronologici, donec exploratiora quis doceat.*

exemplaria Vitæ,

5 *De Vitæ exemplaribus observamus ista. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hasce in rem nostram suggerit notitias, perbrevem, quam de sancto Præsule habet, collectionem asserens desumptam* ex monum. eccles. Sarsinatis, quæ inde, *ait*, accepimus : in quibus aliqua corrigenda sunt; et ex ejus Vita typis excusa an. D. MDCIX ex antiquiss. cod. Ariminen. eccles., ante DC annos scripto. *Nos neutrum illud exemplar vidimus. Ughellus de exemplari, quo utitur, sic scribit :* Ejus gesta ex antiquo membranaceo codice exscripsit Jo. Petrus Ferrettus Ravennas episcopus Milensis, quæ extant inter ejusdem eruditissimi præsulis monumenta in Vaticana bibliotheca volu. 5834, in hunc, qui sequitur, modum : « Beatus vero Vicinius, ut fertur, ex Li« guriæ partibus imminenti persecutionis tempore « veniens ad urbem Sassinatem *etc.* » *Finiunt autem his verbis :* Quia sua carne solutus, non mortem passus est, sed evasit : non vivere desistit *, sed incepit vitam, quam moriturus poscebat,

* *f.* destitit

AUCTORE J. P.

bat, invenit mortem victurus. *Quæ ibidem memorantur de* S. Vicinio *conveniunt in substantia cum alio nostro apographo, quod habet prologum, et varia refert miracula.*

uti et illud, quod daturi sumus.

6 *Prænotatur hoc titulo :* Incipit narratio vitæ et miraculorum S. Vicinii Saxenatis episcopi perpetuo recolenda, ut habetur in libro, qui est apud ill. societatem S. Hieronymi de Arimin. a fol. 145 usque ad fol. 154. *Auctor est incerti temporis ac nominis, atque adeo non probatæ auctoritatis. Plus æquo verbosus est num.* 8 *et* 9. *Scripsit diu post* S. Vicinium *ex num.* 10 *in fine, et ex num.* 31, *ubi* Saxenatis ecclesiæ præsul nomine Ubertus *ab eo signatur : vixit autem ille seculo* XI, *sicut dicemus ibidem in Annotatione. Ms. a nobis vulgandum Bollandus noster accepit Roma a P. Guilielmo du Loroy S. J., quod a variis mendis expurgare conati sumus, editione Ughelli non omnino neglecta. Denique textum biographi nostri divisimus in capita, titulos ac numeros more nobis consueto, quibus subjungimus Annotata.*

B

VITA

ET MIRACULA

Auctore anonymo

Ex libro Hieronymianorum Ariminensium.

PROLOGUS.

Sanctorum gesta

Ecclesiasticæ religionis [ad] cultum non est ambiguum pertinere, quotiescumque aliquis peritorum aliqua divina miracula mundo patentia, non ut nequam servus domini sui pecuniam abscondens, terræ latibulis occultari permittit, sed ad imitationem præcedentium doctorum, ut Domino lucrando multiplicet, humanæ prosperitatis memoriæ retinenda coaptat : præsertim cum de beatorum virorum meritis ea procedere dignoscuntur, quorum corpora ex antiquæ venerationis studio in terris debita religione recoluntur. C

ad posteros transmittenda.

2 Hinc est, quod David inquit : [In memoria] æterna erit justus. Memoria enim justi æterna apud mortales esse non potest, nisi litteratorio stilo in perpetuam succedendi seriem commodetur : cum ipsa mortalis conditio cogat humanum genus, etiam pleraque ex his, quæ sibi sunt modo notissima, repente penitus ignorare. Oportet igitur mirabilium operum efficaciam, quæ ex beatorum virorum meritis prodeunt, litteris adnotari, ut in æterna memoria apud homines valeant perdurare. Quæ licet per quadripartiti mundi climata esse innumera prædicentur, hic tamen ex multis pauca, quæ de beati Vicinii Saxenatis episcopi meritis et precibus salubria certum est pervenisse, ut possumus, referamus.



D

CAPUT I.

Sancti patria ; prædicatio apud Sassinates ; episcopatus ; mors, sepultura ; auctoris de posthuma Sancti gloria parergon.

Beatus vero Vicinius, ut fertur, ex Liguriæ *a* partibus imminentis persecutionis tempore veniens, urbem Saxenatam, vulgo Bobium *b* vocatam, quæ in Appenninis Montibus sita est, petiit; ibique verbum fidei populo prædicans, pro bonorum operum studiis, quibus omnipotenti Domino inhærebat, omnique populo complacebat, divina providentia est episcopus ordinatus. In quo tandem spiritualis montis vertice constitutus, inexplicabilibus cœpit ad cælestis fastigii culmina desideriis anhelare. Agebat enim ipse in monte verbis sublevatus, quæcumque in valle lacrimabilis corruptionis positos sibi subditos edocebat. Omni clero magister amabilis, populo venerabilis, pauperibus mitis ut Pater, viduis locuples, sibi pauper, orfanis tutor, patientibus compatiens existebat, vigiliis pernoctans, orationibus insistens, jejuniis voluptatem domans, abstinentiis se cælibem exhibebat. E

Insignes a

4 Charitatis vero cæterarumque virtutum ascensus quid in eo opus est favorum gradibus cumulare? cum constet, eum nullis rectitudinis actibus caruisse, nullis hujus mundi vanis deditum studiis tepuisse : sed omnibus, quibus Deus omnipotens delectatur, virtutum odoribus efflagrasse. Ipse nimirum se non solum sacrificium Domino, verum etiam holocaustum interius et exterius incendebat. Præcipuus vero doctor Vicinius subditis suis diversas ammonitionis species, prout expediebat, singulis exhibebat. Eos quidem, quos arrogantia tumidos sentiebat, ad humilitatem ferventis rigore disciplinæ revocare studebat : quos vero callidi serpentis astutia hujus mundi vanis illecebris deditos providebat, omnipotentis Dei jussionibus parere, importune opportune ammonendo, insistendo cogebat. F

ac vero præsule

5 Talibus igitur exercitiis indesinenter insistens, ad admirabilium operum efficaciam beatus Vicinius meruit pervenire, adeo ut illius præsentia, cujus voluntas semper Domino inhærebat, omnes languorum accessus suis precibus effugaret, dæmoniacis spiritibus comminando solveret occupatos : et quidquid salubritatis populo expetebat, evidenter obtinens a Domino precibus impetrabat. Præcipue tamen inter cætera, sicut hactenus, in expellendis dæmoniis ab infectis humanis cordibus prævalebat. Hic vero dum in episcopatu per viginti septem annos, et tres menses corporeis pro Deo laboribus insudaret, et nunquam ab his, quæ noverat Deo amabilia, vacaret, a Domino, quem dilexerat, evocatus, somnum, quem Deus omnipotens dilectis suis in introitum veræ hæreditatis tribuit, accepit.

dignissimæ

6 In qua nimirum non ulterius eam excolendo laboravit, sed peracti laboris præmia perhenniter manenda * exultando suscepit : in qua videlicet dum multiplices manipulos, quos Christo seminans messuit, intuetur, de acceptis lucris multipliciter in Domino gloriatur. O quam beata

virtutes

* mansura

A beata hæreditas, quam nullus filius potest succedendo, nisi patre vivendo * sortiri, quam nulla proles, nisi prius pro genitore moriatur, possidere c. Mirabilis est nimirum illa æterni Patris hæreditas, quam ibi pro ea natus, moriens accipit d, hic sine illo vivus amittit: cujus possessor illam nemini derelinquit, nisi ad hanc, qui cum eo superstite participari cupit, anhelet e.

* Ughell. patri vivendi

7 Sed quia vir Deo amabilis Vicinius post metam corporeæ vitæ, anima in cælestibus exultante, terrenæ quoque laudis munere inter homines carere non debuit, ubi videlicet laborum carnalium certaminibus contra invisibilem hostem spiritualiter insudavit, ac post illius triumphales exequias, quibus fuit ab ecclesiasticis viris honorificis excubiis pertractatus, ac fragrantium thymiamatum odoribus, celeberrimoque vigiliarum funere decoratus, et sepultus in marmoreo sarcophago requievit, non modo solita eum miraculorum potentia non reliquit; verum etiam potiora et famosiora in Christo mortuus exercuit, quam ab eo superstite facta claruissent: et juste quidem Creator omnium rerum illum non mortuum, sed migratum majori in populo prærogativa, quam viventem corpore sublimavit: B quia tunc carne solutus, non mortem passus est, sed evasit; non vivere desiit, sed incepit: vitam, quam moriturus poscebat, invenit, mortem, quam victurus f in solo corpore metuebat, exemit.

narrantur: mors, sepultura:

8 Non enim justus anima valet vivere, nisi corpore moriatur. Opportunius igitur eum viventem vitalia miracula comitari debuere, quæ cum ipso semper subsistente vivere non desisterent; quam moriturum, quæ, eo deficienti indeficientia nescirentur. Sæpe namque meminimus in libris ecclesiasticis atque sæcularibus reperiri quosdam magicis artibus eruditos nefariæ disciplinæ potentia extra naturam humanam [patrasse] effectus, viventes quædam mirabiliter operatos, mortuos vero cum ipsis famosis efficaciis ingloriosos defecisse. Quod idcirco fieri credimus, quia talia sectantes interius mortui, opus a mortuis accipiunt, quod exercent: dum vero utraque morte depereunt, ea etiam, in quibus male viventes jactanter valuerunt, infeliciter amittunt.

ejus gloria jure merito

C 9 Liquet igitur, quia hi per beatam vitam, quæ post mortem carnis incipit, imitantur ex meritis deficientis vitæ, in qua innocentes existunt, vitalia miracula defuncto corpore exaggerant, non extinguunt. Post depositionem ergo beati Vicinii, ecclesiastici vigoris cultus, quem prædicationis ejus exarante vomere arva Christianæ devotionis fructificantia susceperunt, gratiæ cælestis imbre complutus, ad eximia sanctæ fidei piæque operationis fastigia, prostrato humani generis hoste, succrevit.

ad posterorum notitiam

10 Sed quia, ut manifestum cernimus, cum plantata arbuscula crebris irrigationibus circumfusa, fervorem torrentis æstatis evaserit, atque annuatim humanis adjuta subsidiis, ad aera fructuosos ramos extenderit, operosus cultor, securus ab irrigatione quiescens, in carpendis ejus fructibus et metendis exultat; sic quoque beati Vicinii crebra miracula, quia his sua ecclesia sanctæ fidei, sanctæque operationis studiis erecta minus indigebat, per aliquot prolixi temporis spatia apparere cessaverunt. Post hæc vero tepescentibus circa priora bonorum actuum studia fidelium cordibus, rursus Deus omnipotens priora miraculorum beneficia beati Vicinii meritis excitavit, quæ seniorum virorum memoria nostris junioribus intimavit, quæ, ut valemus, obnixius exequamur.

propugnata.

A. Anonymo.

ANNOTATA.

a *Liguria, Italiæ regio in Gallia Cispadana, olim duplex fuit, littorea videlicet et mediterranea. Vide geographos.*

b *Ughellus antea citatus tradit ista, columna 703 de Sassina agens:* Interdum autem Saxina; recentioribus vero temporibus etiam Bobium, forte a Boiis, qui illic antiquitus habitasse feruntur. Quidquid autem præsulum jurisdictionem attingit, ita Bobium appellatur, ut episcopus ipse Bobii aliquando sit dictus, tametsi hodie Sassinæ, comes autem Bobii, ad quorumdam oppidorum retinendam jurisdictionem, denominetur. Non defuere, qui suspicati sunt, Bobium haud procul a Sassina alteram civitatem extitisse, ubi modo Galeata, abbatiæ S. Hilarii jurisdictio spectatur: qua eversa, cum Sassina excisæ civitatis coivisse episcopatum; sed profecto falluntur, ut modo diximus: siquidem Sassina ipsa, ejusdemque territorium Bobii nomine censeutur, ut E prolixe admodum refert Philippus Antonius in libro de Antiquitate Sassinæ.

c *Ugellus col. 705 habet:* Quam nulla proles, nisi prius a genitore mereatur possidere.

d *Non recte apud Ughellum;* Quam ibi pro eis natus mori accepit.

e Hinc sine illo vivus, *et reliqua usque ad* anhelet *inclusive non sunt apud Ughellum.*

f *Ibidem narratio sic finitur:* Sed incepit vitam, quam moriturus poscebat, invenit mortem victurus.

CAPUT III.

Dæmoniaci liberati; bona suo domino restituta; Sancti catena prodigiosa.

Quidam Aretinæ patriæ colonus, Bonizo nomine, dæmonio arreptus; ab eo, utpote humani generis semper inimico, miserabiliter vexabatur: quem cum illius affines lacrimosis suspiriis afflicti, per plurima Sanctorum loca, Domini pro eo F clementiam flagitantes circumquaque deferrent, nequicquam circa illius præsidia laborabant. Cumque ab obsequentibus propinquis jam pene diffidentibus casso fatigio a linqueretur, ad beati Donati martyris b sepulchrum Aretium est deductus: cujus antiqua prodigia cum magno crescentis Ecclesiæ decore patuerunt. Ibi quippe dum beati Donati meritis cuncti eum salutem ex moribus accepturum in proximo confidissent, vox dæmonis ore vexati hominis exclamavit: Quid miserrime per innumera Martyrum loca labore ambiguo circumfertis? Nulli Martyrum, nemini Confessorum cedere jubeor, nisi beato Vicino Saxonati episcopo, qui mihi meisque sodalibus semper etiam dum corpore viveret, obviavit.

Energumenus, frustra alio rum Sanctorum ope implorata,

12 Quo audito, virum miserum diligentes, quis esset, vel ubi consisteret beatus Vicinius, inquirere studuerunt. Comperto denique loco Saxenatis ecclesiæ, cui corpus venerabile beati Vicinii præsidebat, ad eum celeriter properare cœperunt. Dæmon vero miserum obsessum hominem

ad S. Vicinii sepulcrum ducitur,

A. Anonymo.

minem interioribus ligaminibus innectens, nefandis impediens viribus, incessabiliter luctabatur: nimirum ne sancti Vicinii præsentaretur vicinitatibus metuebat. Hic tandem quia Dei imperio reniti penitus non valebat, coactus usque ad præfati episcopii loca proxima est deductus. Cumque eum ad beati Viri sepulchrum perducere niterentur, tanta fortitudine nequam spiritus resistebat, ut vix eum magna hominum multitudo loculo admovere potuisset; sed caninos latratus, porcorumque rugitus edebat, dentium morsibus, et manuum ictibus circumstantes clamando terrebat, humoque prostratus marmorei ponderis a trahentibus putabatur

et per ejusdem catenam

** f. adden. ope*

13 His igitur tumultibus sacerdotes prædictæ ecclesiæ concitati, occurrerunt misero domuica * præmuniti. Cumque illum cernerent insuperabili commotione furentem, accersitam in nomine Domini sanctique Vicinii catenam, quæ propter effugandos dæmones antiquitus fuerat fabricata, collo illius circumponentes, ex parte omnipotentis Dei, sanctique Vicinii præcepere, ut ad illius sepulchrum minus properare differret. Quo audito, velut est servus iniquus, quamvis invitus
B ad Domini sui præsentiam sine trahentium difficultate pervenit.

liberatur.

14 Celebrantibus ergo pro ejus absolutione sacerdotibus Missam, devoteque Domino supplicantibus, vir ille miserabilis in terram procidens, ore cœpit spumas evomere, caput huc et illuc vertendo quassare: sic paulatim dormitando quievit. Transacto denique vix unius horæ spatio a sacerdotibus suberectus, se incolumem factum, Christo Domino sanctoque Vicinio gratias agens, benignis vocibus exclamavit: qui postea sanus plurimis annis vixit, multoque tempore in obsequio sancti Vicinii processionalem crucem, ubicumque expediebat, per loca plurima deferebat: post hæc domum rediens deinceps beato Vicinio gloriosa præconia perhibendo annuatim et sæpissime se in suis obsequiis frequentavit.

Diaconus bonis suis privatus

15 Apud urbem Regium, quæ in Liguriæ provincia sita est, erat quidam vir nobilis, et terrenis facultatibus locuples, qui, sicut humana cupiditas exigit, in exaggerandis rebus avidus, cuidam suo diacono, qui mediocris generis erat
C et simplicis puritatis, cœpit infensus existere, adeo ut, direptis cunctis suppellectilibus, molendinum, cujus ope suam suorumque vitam excolendo fovebat, eriperet. Hunc vero diaconus cum nec piis supplicationibus mitigando inflexibilem posset inclinare, nec ad juris censuram sua cæterorumque comparium procerum protectione sublimem, cogere valuisset, mœrensque suam inopiam deflens, elegit Regi regum suisque Sanctis sua incommoda, cui nota fuerant, intimare, debitisque precibus supplicare.

post varios Sanctos invocatos, S. Vicinii

16 Reperit itaque consilium salutis: ad beati Petri apostolorum principis limina, illius suffragia postulando, processit, atque iteratim singulas Sanctorum, quas poterat, basilicas visitabat. Redeunti denique ab urbe revelatum est ei in somnis, quod, si beati Vicinii Saxenatis episcopi solatia postularet, qui scilicet omnibus petentibus subvenire consuescit, accipere meruisset. Dum ergo quis esset Vicinius, sollicitus trepidusque nutaret, a quam plurimis sollertius inquirendo cognovit. Tandem per devia locorum, per abrupta Alpium anxius incedendo, ad exoptatæ partis ignota loca pervenit.

17 Introgressus igitur ecclesiam, interioris secreti sacellum, quo beati Vicinii corpus quiescit, D
appetiit, terræque provolutus his est eum lascessendo verbis aggressus: Huc ad te, o beate Vicini Deo amabilis, ego omnium miserrimus accessi, hic te devotus exoro, ut mihi tuos mores pristinos imitatus occurras, mihique inopi præter solitum non desinas subvenire. Non enim a te mihi concedi injusta deposco: ut mea mihi sublata restituantur exoro. Novi quidem te posse a Deo, etiamsi majora poposceris, impetrare. Quod si, meis * exigentibus, aures tuas ad præsens meis precibus renueris inclinare, hinc numquam exeam: hic tuam faciem obnixis supplicationibus occupabo, donec aut infeliciter spiritum exhalando deficiam, aut experiar, si tu miserorum infelicitatibus commoveris.

corpus invisit.

** f. adden. peccatis*

et illa, eodem Sancto apparente, recuperat:

18 Dum hæc igitur et quam plura alia multis diebus exaggerando indeficiens postularet, beatus Vicinius solita miseratione coactu, apparuit [in] noctis somno Regiensi nobili viro, imperans ut diacono moleudinum cum cæteris abreptis restituere non differret: qui eum cum quis esset inquireret, Sanctus, inquit, Vicinius Saxenatis ecclesiæ sum episcopus, ipsius quidem diaconi assiduis lamentationibus excitatus. Quod E
quidem cum prædictus vir negligens præteriret, secunda nocte beatus Vicinius eadem denuo repetens acrius imperavit. Tertia vero nocte suis imperiis resistentem non solum increpativis verbis, verum etiam verberibus laceravit. Protinus homo inter crebra verbera, sub jurejurando polliceri cœpit, se, quæcumque jubebat, sine aliquo obstaculo perfecturum, id etiam postulans, ut ad se prædictum diaconum dirigere dignaretur. Præcepit itaque beatus Vicinius prædicto diacono in somno, ut securus ad suam patriam remearet. Quod cum fecisset, restitutus est in pristinas facultates, et, quoad vixit, cum prædicto nobili viro immensas beato Vicinio retulit grates, ejusque ecclesiam deinceps crebrius visitavit.

mirabilia quædam

19 In præfati episcopii ecclesia ex antiquo more catena, quæ dicebatur sancti Vicinii, consistebat. Cujus scilicet catenæ usibus in solis propellendis dæmoniacis spiritibus, quoties expedierat, sacerdotes ex sancti Vicinii meritis fungebantur. Hanc quidam deunittonibus c, qui medicando * terram circumeunt, dum tanti sacramenti eam ignoraret, furatus est, cœpitque principio cum ea fugere. Cumque usque ad fluvium Sapium *, qui proximus est eidem urbi, celeriter cucurrisset, effecit F
in illum Deus omnipotens quod per Prophetam reprobis comminatus est dicens. Immittam in eos spiritum vertiginis, et errare faciem ut cæcos, per noctis totius circulum juxta utraque prædicti fluvii littora per culta et devia, per incommoda vallium, spinis ac rupibus offendens incessit, sperans se persequentes magno spatio itineris evasisse.

** f. mendicando*

** al. Sapis vocatur.*

referuntur

20 Lucescente vero aurora infelix vir utraque cæcitate percussus, juxta fluvium in eodem loco se, quo vespere fuerat, reperit. Ammirans igitur, stupens, hæsitans, ne ab insequentibus caperetur, violabiliter formidabat. Iterum fugam moliens nequidquam, impeditus præcipitationibus, laborabat. Cumque adesse * sibi omne fugæ auxilium cerneret, catenam in gurgitis medium projecit, et continuo reversus ad ecclesiam se recepit: ibique triduo permanens medicando * frontem innocentiæ præferebat. Inter hæc quidam dæmonio arreptus ad beati Vicinii tumulum est allatus: confestim sacerdotes catenam

** f. abesse*

** f. mendicando*

A catenam, qua ex more collum illius necterent, inquirere sategerunt, comprehensumque ex opinione spiritus hominem terroribus impulsum, facinus prodere coëgerunt.

de Sancti catena.

21 Feci, inquit homo, ut latro, et, quod deterius et irrevocabile puto, catenam in profundum immani gurgitis projecisti *. Continuo ad fluvium cum homine concurrentes viderunt catenam prope litus in aquæ superficie enatantem. Laudantes igitur omnipotentem Deum beatique Vicinii merita, proferentes catenam facili conamine protraxerunt: hac vero prædictus dæmon obstrictus celeriter obsessum hominem dereliquit, et sic ex uno bina miracula claruerunt.

* l. projeci

ANNOTATA.

a *Vox* fatigium, *vel* fatigiæ *(Gallice* fatigues) *significat hic molestias vel labores. Consule Cangium in Glossario.*

b *De S. Donato Aretino in Tuscia egimus ad diem 7 Augusti.*

c *Non intelligo, quid velit dicere biographus.*
B *Forte legendum* de viatoribus *in apographo admodum mendoso.*

CAPUT III.

Mulier in Sanctum irreverens punita, ac deinde sanata; equus, quia non servatum pro eo votum, mortuus; depulsa falsa accusatio.

Mulier sancti Episcopi festum profanans

Circa hæc tempora dum beati Vicinii natalitius dies, qui in eadem patria ab universis annuatim excolitur, immineret, quædam mulier ejusdem patriæ diem felicissimum parvipendens, spreto venerabilis solemnitatis officio, molam, qua frumentum frangeret, apprehendit. Cumque eam multiplici rotatu et exertis brachiis regyraret, hanc altera mulier, quæ mentis intellectu
C sanior esse videbatur, verbis arguens increpavit, quia scilicet in tanta solennitate beati Vicinii ab his operibus non vacasset: cui quidem mulier insultans sic dicitur respondisse: Qui bonum vicinum habet, eum illo gaudeat sero atque mane. Mox vero vocem hujus insultationis obstinatæque mulieris impudentiam divina est ultio subsecuta.

punitur, ac deinde sospitatur:

23 Manus quippe illius et brachium, quibus opus tunc illicitum exercebat, sic sub mamilla repente pectori cohæserunt, ut nec ab illa, nec a quibuslibet nitentibus aliis velut simul nativa separari valuissent; sed more sicci stipitis insensibilibus digitorum nervis exanguis dextera in pectore languebat. Protinus mulier lacrymabili voce vicinos evocans accersivit, et portentum indicans, affectum animi, quem tegere nequibat, indicavit. Cognita igitur prodigii causa, quia ex sancti Vicinii meritis procedebat, mulieres affines, atque vicini eam mœrentem octavo natalitii die ad sepulchrum beati Vicinii produxerunt: ibi enim biduo permanens, poscentibus clementiam Domini sacerdotibus, ac populis beati Vicinii suffragia postulantibus, sanitatem accepit, et ita deinceps beati Vicinii nativitas annua et potiori fuit veneratione celebrata.

A. Anonymo.

equus claudus

24 Eodem quoque tempore quidam Ravennatis ecclesiæ nobilis diaconus, nomine Honestus, dum causa orationis Romam peteret, hospitium sibi in loco prædicti Saxenatis episcopii proximo pie paravit. Cujus quidem equus uno pede adeo claudicabat, ut nec jam passum unum verberibus compulsus ulterius pergere valuisset. Hoc vero modo ille suusque comitatus immaniter præpeditus in cordis mœstitia dilapsus, circa equi medicinam inaniter insudabat. Tunc prædictus diaconus devotæ mentis affectu beati Vicinii auxilium poposcit: O, inquit, sancte Vicini, nunc mihi in tua patria præpedito miseratus occurre: equo meo restitue sanitatem.

sospes redditur; sed, voto non servato, deinde moritur.

25 Quod si feceris, devoveo tibi, me candelam corporis mei altitudinem habentem, quotannis, donec ego, et ipse equus vixerit, oblaturum. Quo vix expleto sermone, tanta cœpit equus valetudine congredi, ut cæteros præcedendo, nullam claudicationis maculam habuisse videretur. Ita demum diaconus cœptum iter peragens, domum alacriter est reversus. Biennium quidem votum, quod sancto Vicinio voverat, exolvit: tertio vero anno, eo die, quo votum fregit, equus inter manus habenas illius tenentium est defunctus: et sic E
patuit, quod vir ille, quod in voto sollicitus a beato Vicinio poposcit, accepit: quia post hoc solvere neglexit, amisit.

Presbyter ope sancti Vicinii a

26 Præfatæ Saxenatis urbis episcopus vocabulo Benno *a* delatorum suasoriis accusationibus concitatus, presbyterum ecclesiæ suæ nomine Pertarum, dum sibi insonti delaturi crimen opponerent, occupavit. Qui cum per XX dies jejuniis et vigiliis maceratus, catena sancti Vicinii nomine dedicata vinctus continuo atque inevasibilis custodiæ laqueo se affici quereretur, una die, ut liceret sibi ecclesiam ingredi, et saltem aliquo spatiolo beati Vicinii sepulchro præsenter assistere, [a] custodibus postulavit. Custodes quidem, quia sine permissione episcopi hoc agere non audebant, accepta ipsius licentia eodem vinculo catenatum ante beati Vicinii tumulum deduxere.

mirifice calumnia liberatur.

27 Qui vero flexis poplitibus terram osculans, opem sibi a Domino concedi deposcens, modico spatio prostratus, quia diutius non permittebatur insistere, seipsum inter lacrimas suberexit. Continuo, miserante Deo, beatoque Vicinio depo- F
scente, catena, qua collum illius adstringebatur, clapsa est, et presbyter, circumspicientibus custodum oculis, apparuit dissolutus: veloci cursu episcopo nuntiare studuere. Quo audito episcopus ad eum magna festinatione cucurrit, cernensque presbyterum dissolutum, eum insontem illico proclamavit, et sic demum ad pedes illius provolutus, ut sibi ignosceret flebiliter postulavit. Presbyter vero Deum laudans, sanctumque Vicinium magnis vocibus exaltans, episcopo suo indulgens, dehinc sibi præ cæteris extitit magna familiaritate copulatus.

ANNOTATIO.

a *Ughellus col. 706 scribit Stephanum inter Sassinates episcopos floruisse anno* 680, *post quem proxime sic pergit:* Beno *(ita ejus nomen ibi scribitur)* ad eamdem sedem subvectus est, tametsi, quo floruerit, tempus ignoretur: post Stephanum tamen reperitur cum subsequenti elogio:

Credulus insontem torquet, vincitque catena
Presbyterum, Divi jussibus illa cadit.

A. ANONYMO.

Solemni festo Vicini oblata ministris
Munera tollit, equi crimina pune luunt.

Insigne scilicet elogium, uti Ughellus vocabat. De pecunia seu muneribus oblatis, et equis agitur infra in principio capitis 4.

CAPUT IV.

Avaritia punita; diffracta e lapsu membra sanata; mira de amisso lipsano Sancti historia; innumerabilis in miseros beneficentia ejus.

Episcopi, oblatam in Missa pecuniam sibi avare vindicantis, punitio :

Per idem quoque tempus dum sancti Vicinii dies ab universo populo natalitius ageretur, prænominatus Benno episcopus Missam solenniter celebravit. In qua cum ex more cunctus utriusque sexus populus diversa munera suis manibus obtulisset, quidam dives solidos sibi aureos im- B pendit. Quos episcopus cupiditate ductus sacerdotibus, quorum usibus ex more oblationes cunctæ impertiebantur, auferens, suis privatis commodis reservavit. Sacerdotes vero pro sublatis aureis vehementius condolentes, cæteras videlicet panum oblationes minime susceperunt. Quos quidem panes post aliquot dies episcopus cernens in pavimento ecclesiæ vetustate putrescentes abstulit : et quia humanis comestionibus deprehendit ineptos, ira commotus equis suis edendos apponi præcepit. Consumptis igitur ab equis sacris panibus, cuncti, qui ex eis partem aliquam gustaverunt equi, velociter sunt defuncti : et sic episcopus tali prodigio correptus ad oblationum violentiam ulterius non accessit.

Quidam e turri lapsus, et per septennium

29 Post hæc quidam rusticæ plebis Aretinus patria oriundus, de arduo turris fastigio, cui ex senioris sui præceptis diligenter custodiam sæpius exhibebat, corruit, in quo fractis brachiis, genibus, cruribusque diruptis, pusillum vitalis flatus anhelo pectore remansit. Transmissis itaque diebus aliquot vitam ei divina miseratio non nega- C vit; sed membrorum status pristinos non concessit : erat quippe illi renum curvitas sinuosa, crurium et coxarum connexio glomerata, brachiorum et manuum imbecillitas, adeo ut nisi rependo velut quidam enervis quadrupes incedere nullatenus valuisset. Talibus igitur per septennium miseriis occupatus, cum jam mortem quam vitam potius expetisset, apud prædictæ ecclesiæ canonicos, quorum alimoniis vitam miseram educabat, assiduo hospitio fungebatur.

miserrime affectus sanatur :

30 Inter hæc vero spes salutis, quæ semper infelicibus animus solatium aliquod administrat, mentem illius subiit titubantem, ut, si sancti Vicinii præsidia quæreret, forsitan miserante Deo impetrare valuisset. Accedens itaque genibus, manibusque rependo ad sacratissimum beati Vicinii tumulum, lacrymabilibus querelis ingentibusque fletibus sospitatis remedia postulavit. Cumque Dominicæ curationis accessum differri sibi patientissime suspiraret, verba divinæ admonitionis, quam Dominus noster Jesus Christus, amicum nocte cum pueris recubantem petenti amico panes improbe porrigentem, sub exemplo conclusit, attendit; cunctis dierum ac noctium horis marmoreum sancti Vicinii tumulum amplectens, pectus pugnis invalidis obtundens quærebat, petebat, januam pietatis divinæ pulsabat, D ut ex Domini promisso munus salutis inveniret. Flexit igitur Deus omnipotens sancti Vicinii precibus accessibilem suæ clementiam pietatis. Cum jam infelix vir inter miseros ploratus, crebrosque gemitus quadam die arcam manu gemina apprehendere niteretur, ut erat integerrimus, usque ad superiorem se marmoris altitudinem erexit, intellexit illico, quod præter solitum artus totius corporis jam in staturæ amissum ordinem undique concordarent, tentare cœpit si recte incedere potuisset. Directis igitur gressibus expertus diu optatissimam sanitatem, Dei omnipotentis clementiam sanctique Vicinii merita tunc et deinceps collaudavit. Quem noti et proximi in proceræ staturæ valetudine contuentes, nimia admiratione commoti, divinitatis potentiam favorabiliter narraverunt.

mira

31 Sed quid mirum si ex totius corporis beati Vicinii præsentia mirabilia prodierunt, cum noscamus etiam ex modica ossium ejus particula magnum aliquod claruisse. Supradictæ namque Saxenatis ecclesiæ præsul nomine Ubertus *a* causa devotæ orationis ad oratorium sancti archangeli E Michaelis, quod est in monte Garganico *b* situm, cujus memoria ex vetusti temporis more per orbem celeberrima veneratur, disposuit proficisci. In quo tamen itinere ut ab adversitatum incursibus tueretur, pusillum os corporis beati Vicinii decenti pyxide conclusum, in pera sua positum asportavit. Cumque, opitulante Deo, in eundo dextris successibus uteretur, quodam die in loco est, qui dicitur * hospitatus. Peractis igitur vespere his, quæ sibi suoque comitatui expedierant, mulier, quæ eum hospitio susceperat, suum sibi lectulum impendit : in quo tandem fessus episcopus recumbens, peram cum præfati sancti Vicinii reliquiis sub pulvinar, quod capiti inhæserat occultavit.

** f. omissum loci nomen*

osse perdito

32 Huic quidem nocte, dum gravi sopore premeretur, sanctus Vicinius apparens, Fatue, inquit episcopo, fecisti, quia me in muliebri lectulo posuisti. Quo dicto abiit. Post hæc episcopus a conviatorum vociferante multitudine excitatus, adhuc sopitis palpebris pene venerabilis atque nocturnæ visionis oblitus, cum sodalibus est profectus, tantoque munimine destitutus usque ad horam tertiam perrexit. F Interim cum adhuc nox esset, prædicta mulier, relicti thesauri nescia, [lectum] episcopi, quem vacuum arbitrabatur, accessit : continuo tantus eam internorum viscerum dolor occupavit, ut parturienti assimilata intolerabili doloris cruciatu torqueri videretur.

narratur

33 Inter ipsos tandem languores debili conamine de lectulo surgens exiit, ut forte ex levi motu levius torqueretur. Mox (mirabile relatu) illam egressam pristina et salubritas subsecuta. Post hæc parvo interjecto spatio, quidam familiaris ejusdem domus nocturno itinere fessus veniens, imminenti sopore coactus in eumdem lectulum se projecit : quem repente mulieris languor invasit, mœstisque vocibus se cœpit miserum clamare. His auditis mulier exterrita, mœrentis viri propriosque repentinos dolores anxia interius mente volutabat, magnumque aliquid ex episcopi meritis fluxisse suspicata, virum, ut de strato surgeret, adorsa est ammonere.

historia :

34 Qui ut stratum deseruit, subito mulieris adinstar sanissimus est effectus. Ammirantes igitur et stupentes utrique a lectulo cessaverunt, nec stratum contingere, nec quid hoc esset, ausi sunt experiri. Inter hæc episcopus [sese peram] jam

A jam reliquisse deprehendens, dolens et tristis effectus uni de pedissequis suis pro ea celeriter repedare præcepit : qui vero eursu reciproco præfati hospitii domum revertens; peram ibidem intactam reperit, atque geminos dolores eisdem, qui passi sunt, referentibus agnovit. Hoc quidem episcopus audiens, terrore correptus, majori deinceps venerationis studio saucti Vicinii reliquias custodivit.

beneficia miseris a Sancto collata

35 Jam vero quantum in expellendis dæmonibus aliisque hominum remediis sanctus Vicinius apud Deum impetrando valuerit, non est per singula nostræ facultatis enarrare, cum constet ab innumera testium multitudine cognosci, omnes malignorum spirituum vexatione furentes illius sepulchri præsentia liberatos, cunctos languorum accessus ipsius ope fugatos : nullum cujuslibet pressuræ mœrore subactum, opitulationis illius accessibilem clementiam exorantem, sine ejus præsidio recessisse. Præstat nimirum hactenus indigentibus corporeas valetudines, et, quod est præstantius, concedit petentibus vigorem spiritus, quo animi divini amoris flamma succensi, eaque, B quæ Deo sunt placita, peragendo, in supernæ Hierusalem mœnibus componuntur, et quæcumque adhuc mundo superstes fidelibus viva voce prædicabat, eadem corpore defunctus, in supernis vivens, orationum præsidiis prosequitur postulantibus impendenda. *A. Anonymo.*

sunt innumera

36 Quæ nimirum quia sunt multiplicia, et nullo valent numero comprehendi, nunc tandem de immani gurgite paucas guttulas fidelibus potandas nobis hausisse sufficiat. Hæc enim de ejus vita atque miraculis. . . . retulimus, ne vel nimis compendioso silentio ignavi, vel immoderato eloquio fastidiosi in scribendo fuisse videremur. Sit igitur æterno omnipotenti Deo, qui hæc beato Vicinio episcopo concedit, laudis honor incomparabilis, decoris favor interminabilis, virtutis gloria indeficiens nunc et deinceps ab omnibus creaturis, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Vixit ille præsul seculo* XI *secundum Ughellum col.* 707.

b *Mons est Apuliæ in provincia Capitanata, apparitione S. archangeli Michaëlis celeberrimus. Celebratur ea Officio ecclesiastico ad diem* 8 *Maii, quo apud nos inter Prætermissos dilata est ad diem* E 29 *Septembris, dedicatæ ibidem ipsi ecclesiæ sacrum.*

DE S. ALEXANDRO EPISC. CONF.

CONSTANTINOPOLI

COMMENTARIUS HISTORICUS

J. S.

§ I Sancti cultus apud Græcos et Latinos; gesta ejus in concilio Nicæno, contraque philosophos ethnicos, et Arianam hæresim.

An. CCCXL. Nomen Sancti in Fastis Græcis ac Latinis

C *Inter antistites, qui seculo* IV *contra Arium ejusque asseclas decertarunt, illustris habetur* S. Alexander *Byzantinus seu Constantinopolitanus episcopus. Hujus memoria Fastis sacris adscripta est apud Græcos æque ac Latinos, at diebus diversis. Græci festivitatem ejus annuntiant* XXX *Augusti, quemadmodum videri potest in Menologio Sirleti, et Menæis. Latini vero, ut Ado, Usuardus, aliique posteriores, ad* XXXVIII *ejusdem mensis eumdem inseruerunt Martyrologiis suis, eademque die nomen ejus reperitur in antiquissimo Martyrologio nomine S. Hieronymi insignito. Nolim hic multorum verba accumulare, cum unum pro omnibus sufficiat Martyrologium Romanum, in quo hæc leguntur :* Constantinopoli sancti Alexandri episcopi, gloriosi senis, cujus orationis virtute Arius divino judicio damnatus crepuit medius, et effusa sunt viscera ejus. *Idem fere habent Usuardus et Ado, sed hic addit :* Dormivit vero idem beatus Pontifex vitæ suæ anno nonagesimo octavo, episcopatus trigesimo tertio. *Verum tempus illud episcopatus certo erroneum est, ut patebit ex dicendis. Brevius ejusdem memoria habetur in Romano antiquo seu parvo.*

Acta de eo nulla exstant.

2 *Acta* S. Alexandri *nulla exstant, quæ quidem nomen Actorum merentur : nomine enim Actorum* S. Alexandri *digna non est Oratio nescio cujus de gestis in concilio Nicæno, etiamsi titulus istius Orationis apud Photium Vitam* S. Alexan- F *dri æque ac Metrophanis et Constantini magni promittat, cum nihil fere de* Alexandro *contineat quam quædam occasione concilii relata. De hac autem Oratione historica, fideque ejus in multis vacillante, abunde disseruit Janningus noster in S. Metrophane tom* 1 *Junii pag.* 385. *Quapropter nequidem commemorare lubet, quæ ibi leguntur de prædicto a Metrophane* Alexandri *episcopatu, utpote fide parum digna. Itaque Actorum vices utcumque supplere debebunt antiqui Patres, historicique, qui meminerunt de* S. Alexandro, *ejusque laudes celebrarunt. Ex his ea colligam, quibus pateat quantus fuerit* Alexander ; *et gesta quæ innotuerunt, ordine discutiam.*

Multa de S. Alexandro hinc inde disputata,

3 *Ut certa separemus ab incertis, breve gestorum accipe compendium. Constat* Alexandrum *in cathedra Constantinopolitana sedisse post S. Metrophanem : at dissentiunt scriptores, non recentiores modo, sed antiqui etiam, utrum ei successerit ante Nicænam synodum, an postea. Interfuit* Alexander *synodo memoratæ, sed incertum rursus, an adfuerit episcopus, an presbyter tantum. Hinc æque disputatur de episcopatus duratione, cum alii attribuant annos* 23, *alii* 13 *aut* 14, *nonnulli*

AUCTORE J. S.

nonnulli pauciores, aut multo plures : at posteriores illi jam satis convicti sunt erroris, ita ut dubitatio tantum superesse videatur de annis 13 aut paullo pluribus, et 23. Demum, ut constat Sanctum Ario fortiter obstitisse, ne ecclesiam ingrederetur, ejusque mortem precibus a Deo obtinuisse, ita acriter disceptatum est de anno Sancti ipsius emortuali : nam quidam annum 331 morti ejus assignarunt, quorum sententia abunde est refutata : alii prætulerunt annum 336 aut 338, alii demum 340 omnino statuendum existimarunt. Posteriorem hanc sententiam præcipue stabilire conatus est Janningus noster tom. VI *Junii a pag. 71, cujus rationibus ut probabilioribus malim hic consentire, quam tempus Sancti emortuale ad novum examen revocare. Adire lector poterit dissertationem Janningi assignatam.*

quæ certo definiri nequeunt.

4 *Sicut sententiam Janningi aliorumque de anno emortuali non omnino certam existimo, ita certa esse non video, quæ disputavit in Metrophane* § 2, *seu tom.* 1 *Junii a pag.* 386, *ubi probare conatur,* Alexandrum *tempore Nicæni concilii presbyterum solum fuisse, concilioque interfuisse, ut legatum Metrophanis. At cum con-*
B *trariæ opinionis multæ etiam sint difficultates, ac neutra certis rationibus demonstrari valeat, licet multa hinc inde sint disputata, rem in medio relinquere malim, quam longam instituere discussionem, posteaque nihil certi statuere. Pro chronologia igitur Vitæ* S. Alexandri *lectorem remittere placet ad Historiam chronologicam patriarcharum Alexandrinorum ante tom.* 1 *Augusti pag.* 13 *et* 14. *Porro apud Theodoretum Historiæ ecclesiasticæ lib.* 1, *cap.* 4 *exstat epistola S. Alexandri episcopi Alexandrini ad* Alexandrum *nostrum de hæresi Ariana, molitionibus Arii, ac ejus sequacium. Scripta fuit hæc epistola ante Nicænam synodum, ex eaque præcipuum argumentum desumitur pro episcopatu* Alexandri *ante dictam synodum, quod scripta videatur ad ipsum jam episcopum : at videri possunt, quæ respondet Janingus pag.* 387 *et* 388.

Egregie se gerit in synodo Nicæna contra Arianos, synodique decreta promulgat ;

5 *Habita fuit Nicæna synodus anno* 325. *Adfuit pro episcopo suo* Alexander *presbyter, si Historiæ concilii credimus, in qua id variis locis habet Gelasius Cyzicenus apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum. Egregie ibidem decertasse contra*
C *Arianos idem refert Gelasius col.* 166 *hisce verbis :* Cum his (*Arianorum antesignanis, quos enumeraverat,*) generose decertabant sancti patres nostri, Alexander tunc presbyter Constantinopolitanus, et Athanasius archidiaconus ecclesiæ Alexandrinorum. *Absoluto autem concilio, cum mitterentur episcopi, ut decreta concilii toto orbe promulgarent, inter illos electus est* Alexander, *qui illa in Cycladibus insulis annuntiaret : nam in catalogo episcoporum, quos ad id munus electos narrat Gelasius,* Alexandrum *memorat hoc modo col.* 267 : Alexander Constantinopolis tunc solum presbyter, postea vero ecclesiæ illius episcopatum sortitus, cum Paulo tunc lectore, atque ipsius notario, ecclesiis omnium Cycladum insularum. *Hæc de gestis* Alexandri *ad concilium Nicænum spectantibus.*

philosophum ethnicum solo imperio mutum facit :

6 *Jam vero si* Alexander *episcopus revera non erat concilii tempore, dubitare vix possumus, quin paullo post ecclesiæ Constantinopolitanæ sit præfectus. Nec multis post annis contigisse videtur egregium sancti Viri facinus contra philosophos quosdam ethnicos, quod aliqui perperam retulerunt ad concilium Nicænum, cum accideril Byzantii, quæ anno* 330 Constantinopolis *vocari cœpta. Sozomenus lib.* 1 *Historiæ cap.* 18 *rem* D *narrat hunc in modum :* Quo tempore Constantinus Byzantium venit, adeuntes eum quidam philosophi, conquesti sunt, quod non recte Deum coleret, et sacrorum ritus innovaret, novum cultum in rempublicam introducens, contra morem institutumque majorum suorum, et omnium retro principum, qui vel apud Græcos vel apud Romanos umquam fuisse memorantur : petebantque ut de hac doctrina cum Alexandro episcopo disputarent. Ille vero, licet in hujusmodi certaminibus parum alioqui exercitatus, vitæ tamen integritate fretus, (erat enim vir bonus atque honestus) certamen subiit, imperatore ita præcipiente. Itaque cum philosophi convenissent, ac simul omnes disputare vellent, postulavit Alexander, ut unum, quem vellent, eligerent, reliqui vero sedentes silentium servarent. Cumque unus ex illis disputandi partes suscepisset, In nomine Jesu Christi, inquit illi Alexander, præcipio tibi ne loquaris. Quo dicto, protinus vir ille, frænata lingua, obmutuit. *Ex hoc facto non recte concludes,* Alexandrum *indoctum fuisse. Nam ex eo solum consequitur, Sanctum tricis dialecticis minus assuetum, virtute divina eos capere ma-* E *luisse, qui subtili ratiocinio vix aut ne vix quidem capi potuissent.*

fidem catholicam strenue defendit contra Arianos.

7 *Porro fidem Catholicam a* S. Alexandro *egregie fuisse defensam contra impietatem Arianam, probant illustria Sanctorum Patrum de eo elogia. Audi S. Gregorium Nazianzenum de eo loquentem ad cives Constantinopolitanos Orat.* 27 *sub initium :* Neque vero fidei rectæ doctrinam, quam arctissimo complexu tenetis, vobis primus prædicavi, sed aliena dumtaxat vestigia secutus sum, et quidem vestra; (dicam enim quod res est) siquidem eximii illius Alexandri discipuli estis, magni Trinitatis propugnatoris et præconis, qui et sermone et rebus ipsis impietatem exturbavit, ac de medio sustulit. Neque enim memoria vobis excidit apostolica illa precatio, quæ impietatis ducem (*Arium*) in locis impurissima lingua dignis oppressit. *Theodoretus brevius* Alexandri *dotes memorat lib.* 1. *Historiæ cap.* 3, *ita scribens :* Constantinopoli per idem tempus Alexander pontificalem sedem tenebat, vir donis apostolicis ornatus. *Photius apud Labbeum tom.* 2 *Concilio-* F *rum, col.* 101 *hoc* Alexandrum *commendat elogio :* Alexander, qui sedem Constantinopolitanam obtinebat, vir cum senectute, tum prudentia gravis, vitæque splendore, ac summo pietatis fideique studio, et magna divinis in rebus loquendi libertate insignis. *Sed nimis impudenter fallere conatur Photius schismaticus, cum* Alexandrum *præfuisse scribit Nicæno concilio.*

§ II. Resistit Arianis, ne in ecclesiam inducatur Arius, cujus mortem precibus impetrat : gesta in fine vitæ.

Mors Arii obtenta precibus Alexandri hac occasione :

Nomen Alexandri *præ ceteris illustre reddidit mors Arii, ejus precibus obtenta. Factum istud breviter refert S. Epiphanius Hær.* 69, *cap.* 10, *seu tom.* 1, *pag.* 734 : Post hæc, *inquit,* cum Arius Constantinopoli Catholicæ Ecclesiæ communionem affectaret, instante vehementer Eusebio (*Nicomediensi*,) qui apud imperatorem plurimum poterat, et Constantinopolitanum

A litanum episcopum molestius urgente: qui communionem illi dare nolens, et per vim oppressus ingemiscebat. Cumque Eusebius jactaret: Nisi sponte velis admittere, crastina luce, quæ Dominica erit, mecum in ecclesiam intrabit. Quid autem contra nos efficies? Tum demum religiosissimus episcopus ac Deum timens Alexander, ecclesiæ illi præfectus, . . . ubi hæc audiit, tota die ac nocte cum gemitu ac mœrore in oratione perseveravit, supplex a Deo petens, ut vel animam suam reciperet, ne se Arii communione pollueret; aut stupendum quiddam et inusitatum faceret. Quod quidem posterius obtinuit. Nam Arius noctu ventris levandi gratia progredi coactus, et in secessum abiens, in ipsa cella desideus crepuit, ac mortuus est inventus. Ita fœtidissimo in loco repertus est, cum intestina omnia perinde ejecisset, atque impurissimum dogma vomuerat. *Sic Epiphanius. At factum hoc paullo exactius expendamus.*

cum Arius vocatus esset Constantinopolim ab imperatore per Arianos circumvento.

9 *Anno* 336, *ut passim eruditi admittunt, evocatus erat Arius Constantinopolim a Constantino magno, agentibus id Eusebianis ejus fautoribus, et repugnante nequidquam* S. Alexandro, *uti docent verba S. Athanasii post recitanda. Convenerant eo factionis Arianæ duces, ut synodum* B *celebrarent, quod frustra quoque impedire conabatur* Alexander. *Qua de re Sozomenus lib.* 2, *cap.* 29 *sic habet:* Arius, . . . cum Alexandrina ecclesia communicare ei renuisset, denuo venit Constantinopolim. Cum vero qui idem cum eo sentiebant, et quotquot Eusebio Nicomediensi episcopo adhærebant, separatim de industria eo convenissent, et ad celebrandam synodum se pararent, Alexander, qui tunc temporis Constantinopolitanam sedem regebat, intellecto eorum consilio, synodum dissolvere conatus est. Sed cum id perficere minime valuisset, societati et communioni cum Ario jungendæ palam contradixit; nefas esse dicens, et ab Ecclesia prorsus alienum, et suam ipsorum sententiam, et eorum, qui ex universo prope terrarum orbe Nicæam convenissent, irritam facere. Qui vero cum Eusebio erant, cum primo quidem verbis Alexandrum flectere minime valuisset, contumeliis eum afficientes, cum sacramento interminati sunt, nisi Arium intra certum diem suscepis- C set, ipsum quidem expulsum ecclesia, in exsilium abiturum, successorem vero ipsius cum Ario communicaturum esse. *Easdem Eusebii minas refert Socrates lib.* 2, *cap.* 37, *ubi addit:* Verum Alexander, non tam sollicitus erat de abdicatione sua, quam de doctrina fidei, quam illi subvertere omni studio conabantur. Nam cum Nicænæ synodi decretorum custodem se ac patronum esse duceret, totus in id incumbebat, ne res in illa synodo judicatæ ullatenus labefactarentur.

isque juberet illum ad communionem admitti.

10 *Metus* Alexandro *præcipuus erat ab imperatore, quem Ariani partim artibus suis, partim ipsius Arii perjurio, sibi faventem reddiderant. Perjurium Arii refert S. Athanasius in epistola ad Serapionem hoc modo:* Ab imperatore Constantino Eusebianorum opera acceitus Arius fuerat: ingressum autem Arium imperator interrogavit, num Ecclesiæ Catholicæ fidem servaret: is vero se recte credere jurejurando affirmavit, ac rescriptum fidei suæ tradidit, quo iis occultatis, quorum causa ab Alexandro episcopo Ecclesia pulsus fuerat, Scripturarum verba dolose proferebat. Cum jurasset itaque, se non eam tenuisse sententiam, cujus causa ab Alexandro exactus fuerat; illum imperator dimittens, Si recta, ait, est fides tua, bene jurasti; sin impia, et tamen jurasti, Deus ex juramento causam tuam judicet. *Hoc perjurio, et Arianorum precibus deceptus Constantinus, Arium admitti jussit, teste Theodoreto lib.* 4 *Hæreticarum fabularum cap.* 1, *ubi sic habet:* Imperator autem, suscepta supplicatione, jussit regiæ urbis Episcopum ei, salutem desideranti, manum porrigere. Divinus autem Alexander, is enim illius civitatis clavum tenebat, primum quidem conatus est persuadere imperatori, ne fictis Arii verbis seduceretur. Postquam autem vidit eum ægre ferre, tacitus exiit: *Mandatum illud Constantini confirmant Marcellinus et Faustinus in Libello precum pag.* 18 *his verbis:* Denique ipse Constantinus jusserat, ut ei sanctus ac beatæ memoriæ episcopus Alexander communicaret.

AUCTORE J. S.

11 *Hoc imperatoris favore inflati Eusebiani, minati sunt, se Arium vi in ecclesiam inducturos sequenti die Dominica. Audi S. Athanasium loco mox citato:* Illum igitur ab imperatore ita digressum Eusebiani, solita usi violentia, in ecclesiam introducere voluerunt. Obsistebat Constantinopolitanus episcopus beatæ vir memoriæ Alexander, non debere, aiens, hæresis autorem in ecclesiam recipi. At Eusebiani, minis adhibitis, dicebant: Ut, repugnantibus licet vobis, obtinuimus ut illum imperator accerseret; sic die crastina, etiamsi id non e sententia sit tua, Arius in hac ecclesia nobiscum synaxi aderit. Sabbatum autem erat, cum hæc illi effutirent. *Non poterat non timere* Alexander, *ne ad effectum perducerent Ariani, quæ minabantur. Quare, relictis humanis præsidiis, ad solam Dei opem confugit, præsente Macario, a quo S Athanasius se comperisse testatur, quæ de his scribit.*

et Ariani minarentur se vi illum in ecclesiam inducturos;

E

12 *Pergit autem ille hunc in modum:* Quibus auditis, episcopus Alexander, magno mœrore perfusus, in ecclesiam ingressus est, extensisque ad Deum manibus, collacrymans in vultum procidit in sacrario: humique jacens orabat. Aderat Macarius, qui et ipse orabat, orantisque vocem audivit. Alterutrum autem his verbis enixe rogabat episcopus: Si Arius crastina die ad conventum accedet, me servum tuum ex hac vita dimitte, et ne pium cum impio perdideris: sin Ecclesiæ tuæ miserearis, misereberis autem, hoc bene novi, respice in Eusebianorum verba, et F ne dederis in exitium et in opprobrium hæreditatem tuam; ac tolle Arium, ne ingrediente illo in ecclesiam, hæresis cum illo introire videatur: neve deinceps impietas pro pietate habeatur. Hæc precatus Episcopus, multum anxius recessit: et res mirabilis incredibilisque contigit. Eusebianis quippe minitantibus, episcopus orabat, Arius vero Eusebianis fretus, ac multa nugatus, ingressus in latrinas, quasi alvi exonerandæ causa, derepente, uti scriptum est, pronus factus crepuit medius, prolapsusque statim exspiravit, utroque simul, vita scilicet et communione privatus. *Theodoretus, Sozomenus, Marcellinus et Faustinus hisce de* Alexandri *oratione satis consentiunt, at Socrates et solum orasse multis diebus et noctibus scribit, et orationem ipsam perperam exposuit.*

Alexander Deum orat, ut vel sibi mori liceat, vel Arium tollat.

13 *Quod attinet ad mortem Arii, breviter ab Athanasio relatam, non omnes consentiunt in adjunctis quibusdam. Marcellinus et Faustinus pag.* 18 *sic habent:* Cujus oratio quam constans fuerit, quam fidelis, hinc probatum est, quod idem Arrius, antequam intraret ecclesiam, dedit pœnas

hinc Arius subito, effusis visceribus.

AUCTORE J. S.

nas novas et gravissimas usque ad turpem interitum. Nam cum pridie quam se putavit sanctam ecclesiam imperatoris auxilio homo impius intraturum, cum nihil languoris, nihil doloris in corpore pateretur, sed, quod gravius est, solo animi morbo insanabiliter ægrotaret, humana consuetudine secessum petiit, atque illic cum sederet, gravissimo repente dolore cruciatus, omnia sua viscera, et ipsum cor, quod erat thesaurus impietatis, effudit in stercora, atque ita, mirabile dictu, internis omnibus evacuatis, attenuatus est, et ad momentum sicut luridati corporis tabe resolutus est, ut per angustias foraminis et sedilis totus ipse laberetur. *Postremum hoc, uti apud alios non invenitur, sic parum est verisimile, imo contrarium dictis aliorum, qui asseruerunt Arium in latrina mortuum inventum, sepultumque ab Eusebianis.*

in latrina moritur,

14 *Socrates lib.* 1, *cap.* 38 *mortem Arii sic refert :* Perditis Arii conatibus divina ultio jam instabat. Egressus enim ex imperiali palatio, Eusebianis satellitum instar eum stipantibus, per mediam civitatem magnifice incedebat, omnium B oculos in se convertens. Cumque venisset juxta forum, quod dicitur Constantini, quo in loco statua porphyretica posita est, terror quidam ex conscientia scelerum ei subortus est; et cum tremore simul alvus relaxata. Percontatusque num in proximo essent latrinæ, eum post Constantini forum esse didicisset, illuc perrexit. Mox animo deficere cœpit, et una cum excrementis anus ipsi delabitur; et id quod medici vocant ἀπέψθισμα, protinus per annum decidit. Subsecuta est sanguinis copia; ac postremo tenuia intestina simul cum splene ac jecore effusa sunt. Et ille quidem continuo animam exhalavit. Latrinæ autem illæ Constantinopoli post forum Constantini, sicut antea dixi, et post macellum, quod est in porticu, etiamnum monstrantur; et, cunctis prætereuntibus digitum ad eas intendentibus, genus mortis Arii perpetuo memorabile posteris reddunt. *Rem contigisse vesperi, cum* nondum, sol occiderat, *testatur S. Athanasius in epistola ad episcopos Ægypti et Lybiæ, in qua etiam totum narra-* C *vit factum.*

ac sepelitur a suis, Deum laudantibus Catholicis.

15 *Quid post mortem Arii sit actum, refert partim Theodoretus lib.* 4 *Hæret. fabul. cap.* 1 *hoc modo :* Cum autem plaga divinitus immissa universæ populosissimæ civitati significata esset, in templum omnes simul accurrerunt. Postquam autem et imperatoris promissum, et Pontificis preces cognoverunt, ecclesiarum Præsidem collaudarunt, et impietatis hæresim abominati sunt. *S. Athanasius in epistola ad Serapionem ante laudata quædam addit his verbis :* Ejusmodi fuit Arii exitus: Eusebianique ingenti pudore suffusi, conjurationis suæ socium sepelicre. Beatæ vero vir memoriæ Alexander, gaudente Ecclesia, synaxin cum pietate et sana fide celebravit, precesque fudit pro fratribus omnibus, ac Deum magnopere glorificavit: non quo gauderet de illius interitu, absit: nam statutum est omnibus hominibus semel mori; sed quod ea res humana judicia visa fuerit superare. Ipse namque Dominus inter Eusebianorum minas et Alexandri preces judicem sese constituens, hæresim damnavit Arianam, declaravitque esse illam Ecclesiæ communione indignam.

16 *Supervixisse deinde* S. Alexandrum *usque ad annum* 340, *probabilius esse jam diximus. At de gestis ejus posterioribus pauca innotuerunt. Magna semper auctoritate Arianis restitisse, testatur Sozomenus lib.* 3, *cap.* 4, *sic scribens :* Quamdiu superstes fuit Alexander, Ariani quidem parum fiduciæ ac libertatis habuere: populus vero defixis in illum oculis, nutum ejus sequebatur, Deoque laudes dicebat, maxime post insperatam Arii calamitatem, quem per divinam ultionem eo, quem diximus, modo imprecationibus Alexandri exstinctum fuisse credebant. *Vixisse* Alexandrum *annos nonaginta et octo Socrates et Sozomenus tradunt, qui adjungunt episcopatum gessisse annis viginti tribus, quod incertum esse jam diximus, cum sic episcopus esse debuerit ante Nicænum concilium.*

D *Alexander usque ad mortem fortiter restitit Arianis :*

17 *Addunt iidem auctores, interrogatum fuisse de successore; videnturque dicere, propositum ab eo fuisse S. Paulum, una cum Macedonio, ita tamen ut Paulum prætulerit. Audi Sozomenum loco assignato :* Nam Alexander annos jam natus octo et nonaginta, ex quibus tres ac viginti in episcopatu fortissime transegerat, eum ex hac vita migraturus esset, interrogantibus eum clericis, cuinam post ipsum committenda esset E ecclesia: Si virum, inquit, pietate præditum, simulque idoneum ad docendum quæritis, habetis Paulum: sin hominem ad res sæculares et ad colloquendum cum judicibus aptum mavultis, potior est Macedonius. *Ab his non multum abludit Socrates lib.* 2, *cap.* 6, *rem ita exponens :* Alexander ecclesiæ illius urbis episcopus, qui contra Arium strenue dimicaverat, cum tres quidem ac viginti annos in episcopatu egisset; octo vero ac nonaginta vixisset, ex hac luce migravit, nemine in suum locum subrogato. Mandavit tamen iis, penes quos jus eligendi erat, ut alterum ex duobus, quos ipse nominaret, eligerent. Ac si quidem eum vellent, qui et ad docendum idoneus, et vitæ ac morum integritate conspicuus esset, Paulum, quem presbyterum ordinarat, assumerent, ætate quidem adhuc juvenem, sed prudentia senem. Sin eum sibi mallent, qui externa tantum specie gravitatis commendaretur, Macedonium eligerent, qui ecclesiæ illius jam pridem erat diaconus, et ad senilem jam vergebat F ætatem.

interrogatus de successore S. Paulum commendat; ut Macedonium

18 *Eminentissimus Baronius ad annum* 340, *postquam hæc retulerat, num.* 16 *sic loquitur :* Sed cum Alexandri episcopi integritatem animi considero, adduci non possum, ut credam ab eo Macedonium quoque una cum Paulo ad electionem faciendam episcopi Constantinopolis tum nominatum fuisse. *Ratio illius est, quod Macedonius, qui demum hæresiarcha evasit, jam tum Arianorum partes fuisset secutus. Assentior omnino viro doctissimo, credibile non esse, locutum fuisse* Alexandrum *de Macedonio, ut is eligeretur. At commode forsan exponi poterunt Socrates et Sozomenus, si existimemus hæc de Macedonio dicta fuisse ab* Alexandro, *quod de eo consultus esset, studiaque aliquorum in ipsum inclinare cerneret, non ut ipse eligeretur, sed potius ut ab ejus electione deterreret, commemoratis Macedonii qualitatibus episcopo minime congruis. Certe Socrates, relata Pauli electione, addit hæc verba :* In quo sane videbatur mortui Alexandri valuisse suffragium. *Et Sozomenus ait :* Verum, ut reliqui fere omnes affirmant, ob testimonium Alexandri, cujus in locum successit,... ordinatus est Paulus.

cum eo non comparavit, ut is eligeretur; sed potius ut rejiceretur.

DE

DE S. MOYSE ÆTHIOPE

EREMITA, ABBATE, ET FORTASSIS MART.

IN MONTE SCETHI LYBIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Sanctus e latrone ad pœnitentiam conversus, et per ipsum alii.

Seculo circiter IV exeunte. Prosopographia ejus, ac vita in seculo

Die XXVII *hujus mensis in S. Pæmene anachoreta mentionem feci de hoc monte, quem idem Sanctus dictis præclaris ac virtutibus egregie illustravit. En tibi nunc, lector, alterum istius montis sidus* S. Moyses Æthiops, *singulari prorsus miserentis Dei bonitate a perditissimis* B *in seculo moribus ad perfectissimam in solitudine vitæ sanctitatem vocatus, ita ut vere de illo dici possit, quod fuerit prodigium divinæ gratiæ admirandum, ac fortissimum magnorum peccatorum, ut corde contrito ad Deum revertantur, incitamentum. In Lausiaca Palladii historia, anno* 1570 *Parisiis Latine edita, qua utor, cap.* 22, *pag.* 62 *sunt ista* : Fuit quidam Moses nomine, Æthiops genere, niger. *Erat etiam procero corpore : nam in Vitis Patrum apud Rosweydum libro* 5, *libello* 8, *num.* 10, *pag.* 593 *secundæ editionis, quam posthac citabo, dicitur* longus. *Vite exercuit vivendi genus ac facinorosum, teste Sozomeno ex interpretatione Valesii anno* 1668 *Parisiis edita, Ecclesiasticæ historiæ lib.* 6, *cap.* 29, *pag.* 682 : Moses, *inquit*, cum esset servus, propter improbitatem ex ædibus domini sui ejectus, et ad latrocinandum conversus, agmini latronum ducem se præbuit. *Palladius citatus scribit, quod fuerit* servus cujusdam, qui gerebat rempublicam.

C 2 *Idem vero scriptor paullo aliter exprimit crimina ejus ;* quem, *inquiens*, propter morum improbitatem, et latrocinii crimen projecit ejus dominus. Dicebatur enim etiam usque ad cædes progredi : cogor enim dicere facta ejus improbitatis, ut postea ostendam virtutem ejus pœnitentiæ. Narrarunt ergo aliqui, eum fuisse præfectum magnæ catervæ latronum. *Et mox ad singularia perveniens, de effrenata ipsius barbarie memorat sequentia :* Cujus inter cætera latrocinandi opera, hoc quoque fertur, quod infesto et vindictæ cupido animo erat in pastorem, qui, ne rem aliquam effectam redderet, ei fuerat impedimento, dum cum canibus gregis noctu abiret. Quem cum vellet occidere, obibat locum, in quo ejus oves habebant stationem. Ei autem significatum est, ipsum esse trans Nilum : et cum fluvius illo tempore inundaret, et plus quam mille passus pateret latitudine, ensem tenens mordicus, et tunicam, qua erat indutus, imponens suo capiti, natando sic transmisit fluvium.

perditissimis moribus

3 Dum autem tranataret, potuit pastor se abscondere alicubi infodiens. Cum ergo Mosi cœptum non successisset, occisis quatuor egregiis arietibus, et catena alligatis, Nilum rursus tranavit : et cum in parvam quamdam villam venisset, excoriavit arietes : et cum quæ erant carnis optima comedisset, et pelles pro vino venum dedisset, cum saïtia octodecim ebibisset, illinc ad quinquaginta lapides est profectus, ubi habebat collegium. E

inquinata.

4 *Ex his intelligitur, qualis fuerit ipsius vita ante conversionem. Hæc vero tanto exstitit mirabilior, quanto magis ista perditissimis erat sceleribus inquinata, per veram utique pœnitentiam, ac cor contritum atque humiliatum, quod divina misericordia non despicit, ad insignem deinde sanctimoniam deducta. Rem explico. Palladius pag.* 63, Hic princeps, *ait*, latronum sero tandem casu aliquo, qui ei acciderat, compunctus, tradidit se ipsum monasterio. *Casus ille, quem singillatim non explicant Palladius atque Sozomenus, videtur diversus esse ab eo, qui sic legitur in Appendice ad Vitas Patrum cap.* 14, *pag.* 995, *seu aliquid a duobus modo dictis auctoribus diversum significare : nam textus citatus hæc narrat :* Quodam tempore a quodam viro religioso audiens verbum Dei, et in die judicii futuram examinationem inter justos et peccatores, inter criminosos et Sanctos, ac etiam inter amaras gehennæ et ignis æterni pœnas, et cruciatus sine fine in tenebris exterioribus, quæ præparata sunt iniquis et peccatoribus : item audiens æternam gloriam, et æternos honores, et requiem in regno cælorum inter angelos sanctos, quæ præparavit F Deus Sanctis et justis servientibus sibi, compunctus corde cœpit amarissime flere cum gemitu et ejulatu. Ingressusque monasterium, dedit se in pœnitentiam, et cruciabat semetipsum in multis lacrymis, indulgentiam et veniam peccatorum suorum de pietate et misericordia a Domino postulando, et ita permansit in monasterio.

mira

5 *Hic, inquam, conversionis modus non probatur intentus a Palladio ac Sozomeno per τὸ* casu quodam. *At vero Cassianus collatione* 3, *cap.* 5, *pag.* 221 *editionis Lugdunensis anni* 1606 *memorat illam modo diverso a priore, hisce verbis :* Nec enim abbati Mosi, qui habitavit in loco istius eremi, qui Calamus nuncupatur, quidquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quod metu mortis, quæ ei propter homicidii crimen intentabatur, impulsus ad monasterium decucurrit, quia ita necessitatem conversionis arripuit, ut eam in voluntatem prompta animi virtute convertens, ad perfectionis fastigia summa pervenerit. *Nominatus autem modo* Moyses *creditur apud Tillemontium infra identidem memorandum, pag.* 64, *idem esse, de quo hic agimus.*

cum ipsius

6 *Videndum est etiam, quam dignos pœnitentiæ*

AUCTORE J. P.

tum aliorum per illum conversio.

tiæ bonorumque operum fructus protulerit Viri sancti conversio. Palladius pag. 63 *narrat hoc factum singulare, quo alios ad vitæ pessima mutationem miro modo induxit. Textus sic habet :* Inter cætera autem dicitur, quod, cum quatuor latrones in eum in cella sedentem irruissent, ignorantes eum esse Mosem, beatus Moses eos tamquam saccum paleæ ligatos et humeris imposuit, et ad fratrum portavit ecclesiam, dicens : Quoniam non licet mihi alicui facere injuriam, inveni autem eos me aggressos, quid de iis jubetis fieri ? Hoc modo autem comprehensi a sancto Mose, Deo confessi sunt. Et cum cognovissent eum esse Mosem, qui fuit aliquando insignis princeps latronum, Christum eo nomine glorificantes, illi quoque mundo renuntiarunt propter ejus pœnitentiam, et evaserunt monachi probatissimi, sic cogitantes : Si hic, qui tantum valebat viribus, latrocinia parvi faciens, sic Deum timet : quid nos adhuc nostram salutem differimus ?

B

§ II. Vita solitaria; vehemens et longa carnis lucta ; adhibita contra eam remedia ; dæmonis in Sanctum crudelitas ; mira hujus in illum potestas.

Amat Sanctus silentium :

Sequimur *Virum sanctum in solitudinem Scheteos, egregiorum solitariorum altricem. Apud Cotelerium in Ecclesiæ Græcæ monumentis, quæ e Græco vertit Latine, ac notis illustravit, inter Apophthegmata Patrum pag.* 538 *referuntur ista:* Dixit abbas Moyses abbati Macario in Sceti : Volo cum quiete ac silentio vivere, nec sinunt me fratres. Ait illi abbas Macarius : Video te indolis molioris esse, nec posse fratrem a te avertere : sed si desideras quietam vitam, proficiscere ad eremum intro in Petra, et illic quiete deges. Atque hoc fecit, et conquievit. *Ibidem pag.* 554 *sic narratur :* Aiebant de abbate Moyse in Sceti, quod Petram *(rupem esse lego in solitudine Schetensi)* venturus, defatigatus est in itinere ;
C
dixitque apud semetipsum ; qua ratione potero hic congregare aquam meam ? Tunc descendit ad illum vox hujusmodi : Intra, nec quidquam curaveris. Itaque introivit. Accesserunt cum patrum nonnulli ; nec habuit nisi unicam lagenam aquæ : quæ, ubi parum lenticularum coxisset, consumpta est. Unde senex angebatur. Ergo ingrediens ac egrediens orabat Deum. Cum ecce nubes imbris venit super Petram, atque e pluvia omnia vasa sua implevit. Post hæc senem compellant, Edissere nobis, quare ingrediebaris et egrediebaris. Respondit eis ; Caussam cum Deo disceptabam ; adduxisti me huc, atque en aqua careo, quam bibant servi tui. Propterea, intrabam et exibam rogans Deum, usque quo nobis miserit.

gravissima

8 *Dubitare vix possum, quin vehemens illa dæmonis impugnatio, quam jam narraturus sum, primis Sancti vitæ solitariæ annis acciderit ; et ante fortassis, quam habitarit in Petra. Heroïcam Viri pugnam intellige ex Palladio pag.* 63 *et* 64 : Beatum autem Mosem (sic enim oportet eum vocare) deinceps adorti sunt dæmones, ad fornicatoriæ intemperantiæ impellentes eum consuetudinem. Qui usque adeo ab ipsis fuit tentatus, sicut ipse narravit, ut parum abfuerit, quin eum ab instituto dimoverent. Cum autem accessisset ad magnum Isidorum, qui sedebat in Scete, tertio ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit Sanctus : Ne conturberis, o frater, sunt principia : et ideo te vehementius invaserunt, priorem requirentes consuetudinem. Sicut enim canis cum assueverit in macello ossa rodere, non recedit a consuetudine ; sed si fuerit clausum macellum, et nemo ei dederit, fame enectus non amplius accedit : sic tu quoque, si permanseris in tuæ continentiæ exercitatione, mortificans membra tua quæ sunt supra terram, et excludens ab ingressu ingluviem, quæ parit intemperantiam, ægre ferens dæmon, ut qui cibos non habeat, qui accendant, a te recedet. D

carnis lucta,

9 Cum ergo secessisset Christi servus Moses, et ab illa hora seipsum inclusisset in cella, maxima in omnibus exercebatur tolerantia, maxime autem in abstinentia a cibis, ut qui nihil aliud sumeret præter panis sicci uncias XII, plurimum operans, et quinquaginta orationes quotidie peragens. Porro autem quamvis suum liquefecisset corpusculum, permansit tamen inflammatus, et præcipue in somnis. *Nec hisce remediis cessavit gravissima sancti solitarii cum spiritu tenebrarum, præsertim in somniis, colluctatio, sed ulterius summa cum pertinacia perduravit, prout discimus e Palladio, qui ita pergit :* Cum autem surrexisset, convenit quemdam alium monachum sanctum probatissimum, et ei dicit : Quid faciam, abba ? Rationi meæ tenebras offunduut somnia animi, ut qui eis ex veteri consuetudine delecter *(id est, delectationem patiar vel invitus, ut colligitur e statu* Moysis, *nihil facere ac pati recusantis, ut eamdem a se amoliretur.)* Dicit ei ille Sanctus : Non cohibuisti mentem tuam a visis, quæ in eis versantur : ea de causa hæc sustines. E

et singularia

10 Fac ergo quod dico. Dede te paulatim vigiliæ, et ora sobrius : et ab his cito liberaberis. Cum hoc autem monitum audiisset Vir præclarus, tamquam ab eo, qui erat artifex experientia, in cellam reversus, dixit se, quod quidem sua sciat conscientia, tota nocte non dormiisse : non orationis prætextu genu flexisse, ut somni fugeret tyrannidem. Cum annis ergo sex mansisset in cella, totas noctes stans in medio cellæ, F
et Deum orans assidue, et non claudens oculos, non potuit intemperantem vincere cupiditatem. Re vera enim non potest vere castigari cupiditas. Cum enim seipsum liquefecisset laboribus, turpem illam affectionem non potuit subigere. *In Vitis Patrum libro* 3, *num.* 10, *a pag.* 494, *vehemens adeo Virum pugilem vexavit pugna in hac materia, ut eum e dilectissima sibi cella expulerit. Res sic describitur ibidem :*

contra eam

11 Beato abbati Moysi, qui habitabat in loco, qui appellabatur Petra, quodam tempore in tantum imposuit durissimam impugnationem dæmon fornicationis, ut non prævaleret sedere in cellula sua, sed abiit ad sanctum abbatem Isidorum, et retulit ei violentiam impugnationis suæ. Cumque de Scripturis sanctis abbas Isidorus proferens testimonia, consolaretur eum, et, ut ad cellulam suam reverteretur, rogaret eum, noluit abbas Moyses pergere ad cellulam suam. Tunc abbas Isidorus pariter cum abbate Moyse ascenderunt in superiora cellulæ suæ. Et dixit ei Isidorus : Respice ad Occidentem, et vide. Cumque respiceret, vidit multitudinem dæmonum vehementer eum furore perturbari, et quasi ad prælium

A lium præparatos, festinantesque pugnare. Dixit autem ei abbas Isidorus : Respice iterum ad Orientem, et vide. Cumque respiceret, vidit innumerabilem multitudinem sanctorum angelorum, gloriosum et splendentem super lumen solis cælestium virtutum exercitum. Ait autem ei abbas Isidorus : Ecce quos in Occidente vidisti, ipsi sunt, qui etiam impugnant Sanctos Dei.

adhibita

12 Nam quos ad Orientem conspexisti, ipsi sunt, quos ad adjutorium Sanctis suis mittit Deus. Cognosce ergo, quia plures sunt nobiscum, sicut dicit Elisæus propheta. Verum etiam sanctus Joannes dixit : Quia major est, qui in nobis est, quam qui in hoc mundo. Et his auditis confortatus in Domino sanctus abbas Moyses, reversus est in cellulam suam, gratias agens, et glorificans Domini nostri Jesu Christi bonitatis patientiam. *Nec vero congrua luctæ suæ neglexit remedia sanctus Athleta ; sed alias atque alias vitæ austeritates huic medicandæ adhibuit.* Nam, *ut ait Sozomenus pag.* 682, quoniam bona corporis habitudine, quam ex priore victu contraxerat, adhuc fervens, ad cogitationes fœdæ libidinis incitabatur, omni philosophicæ exercitationis genere B corpus suum maceravit, nunc exiguo pane victitans sine obsonio, nunc plurimum operis faciens, oransque quinquagies. Interdum etiam singulis noctibus stans, per sex continuos annos orabat, nec genua flectens, nec oculos claudens ad somnum capiendum.

a Sancto remedia :

13 Nonnumquam monachorum cellas noctu circumiens, hydrias singulorum clam aqua implebat. Quod quidem laboriosum erat imprimis. Ab aliis enim decem ; ab aliis viginti ; a quibusdam vero triginta et amplius stadiis aberat locus ille, unde aquam hauriebant. Diu tamen pristinum robur retiuuit, licet plurimis exercitationibus illud frangere studuisset, et assiduis vexationibus corpus attereret. *Juverit hæc magis declarare, ac confirmare ex Palladio, qui pag.* 65 *et* 66 *ita loquitur :* Post hæc aliam sibi suggessit rationem asperæ vitæ agendæ. Egrediens hic Pugil satanæ (varie enim eum eo decertavit) noctibus abibat ad cellas monachorum, qui se exercendo consenuerant in laboribus, et per se aquam non poterant C amplius importare, et accipiens hydrias eis nescientibus, illas aqua implebat. Habent enim in illis locis aquam certa distantem longitudine. Alii quidem ad duos lapides ; alii vero ad quinque ; alii vero ad dimidium.

a diabolo cæditur usque ad mortem, et lucta

14 Una ergo nocte, qua hoc faciebat, dæmon, qui eum observaverat, non amplius ferens Athletæ fortitudinem, eum ipse se inclinasset in puteum, ut unius monachi impleret hydriam, clavam quamdam ei impegit, in lumbos, et eum in eo loco reliquit jacentem mortuum, nihil omnino sentientem, neque quid, neque a quo id passus sit. Cum ergo alio die venisset quidam monachus ad aquam hauriendam, cum illic invenit jacentem linqui animo. Is autem id renuntiavit magno Isidoro presbytero Scetæ. Qui abiens cum aliquot aliis, eum accepit, et tulit in ecclesiam. Ille vero anno toto ægrotavit, ut vix corpus ejus et anima convaluerit. Tunc dicit illi magnus Christi sacerdos Isidorus : Cessa deinceps, frater Moses, contendere cum dæmonibus, et ne sic eis insultaveris. Est enim modus quoque fortitudinis in exercitatione. Is autem illi dicit : Non cessabo eum eis pugnare, donec mihi cessaverit phantasia somniorum. Tunc ei dicit sanctus Isidorus presbyter : In nomine Domini nostri Jesu Christi, ab hoc temporis articulo cessarunt turpia tua somnia. Bono deinceps et fidenti animo communica Sacramentis. Ne enim gloriareris, ut qui tua exercitatione vicisses affectionem, ideo vehementer in te suam exercuit potestatem, ad tuam utilitatem, ne incideres in animi elationem. His auditis reversus est in cellam, quiete deinceps attendens moderato instituto exercitationis. Post duos autem vel tres menses rogatus a beato Isidoro presbytero exercitator Moses, numquid amplius ei molestiam exhibuisset spiritus, respondit : Ab illa hora, qua mihi precatus est Christi servus, nihil mihi accidit ejusmodi.

AUCTORE J. P.

diuturna liberatur :

15 *Ex his*, Bono deinceps et fidenti animo communica Sacramentis, *diceres confici*, *Sanctum in ardentissimo illo tentationum æstu vel non communicasse Sacramentis, vel saltem hoc non fecisse* μετὰ παῤῥησίας, *sicut lego in textu Græco Palladii, id est*, cum libertate *vel* cum audacia, *dicamus non* libere et audacter. *Huc pertinet alius Palladii textus in Vita abbatis Dioscuri presbyteri, in qua interprete Herveto, quo utimur, cap.* 68, *pag.* 164 *narrat ista :* Vidimus autem alium quoque presbyterum in Thebaïde, nomine Dioscurum, patrem centum monachorum : E qui cum ad Dei gratiam esset accessurus, dicebat eis : Videte, ne quis, qui noctu phantasiam habuit mulieris, audeat accedere ad sancta Sacramenta. Ne quis ex vobis, visis et phantasiis pulsus somniet. Nam qui absque plantasiis fiunt fluxus seminis, casu fiunt, nec ex uniuscujusque libero animi arbitrio insunt, sed absque voluntate. Procedunt enim ex natura, et ex redundanti materia excernuntur. Quocirca nec sunt peccato obnoxii. Visa autem hac phantasiæ *(accedente ad illa hominis consensu)* procedunt ex libera eligendi voluntate, et sunt argumentum mali animi. *Ad sanctum nostrum redeamus. Verba Isidori apud Palladium,* Bono deinceps animo *etc. ita expono. Primo, non est credibile, Sanctum nostrum per annos omnino sex, quibus duravit iste carnis conflictus, a Sacramentis abstinuisse. Secundo, videtur verosimile, quod rarius tamen eisdem communicarit quam alii monachi, ex sacro quodam horrore ac magna reverentia indignum se reputans, ut creberrime illa frequentaret.*

alia vehemens ejus tentatio :

16 *Quid dicam de alia lucta non quidem tam diuturna, quam erat prior, sed admodum tamen periculosa ac difficili, prout licet colligere ex singulari modo, quem Deus adhibuit ad medelam,* F *rem narrante Cassiano in Collatione* 7, *cap.* 27, *pag.* 312, *in hæc verba :* Secundus vero, quem diximus in hac eremo (*nimirum in loco*, qui Calamus nuncupatur, *ibidem ex cap.* 26, *pag.* 311, *in Scheti, ut alibi lego, situs*) commoratum, cum ipse quoque singularis et incomparabilis vir esset, ob reprehensionem unius sermonis, quem contra abbatem Macarium disputans paulo durius protulit, quadam scilicet opinione præventus, tam diro confestim est traditus dæmoni, ut humanas egestiones ori suo* suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis ejus atque auctore remedii demonstravit. Nam continuo abbate Macario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.

** editio Gazæi addit ab eo*

mirum in dæmones imperium : elogium

17 *Atque hæc quidem certamina sustinuit invictus noster Athleta, cui tot et tam atræ carnis tempestates non obfuere, quo minus anima ejus magna cœlestium radiorum abundantia illustraretur, ac in dæmonia potens ac mirum exerceret imperium, teste Palladio pag.* 66 *:* Dignatus est,

AUCTORE J. P.

inquit, hic Sanctus gratia adversus dæmones: adeo ut, sicut nos muscas hyeme contemnimus, ita, atque adeo amplius, hic magnus Moses contemneret dæmones. *Locum alium, in quo narratur Vir sanctus maximum dæmonibus terrorem ineussisse, dabimus inferius num.* 38, *ubi de ipsius elogiis erit sermo.*

§ III. Sancti virtutes; apophthegmata et instructiones.

Profundissima

In *Vitis Patrum libro* 5, *libello* 15, *num.* 29, *pag.* 624 *agitur de* S. Moysis *sacerdotio, profundissima Viri in tenues modestiæ atque abjectionis umbras se colligentis humilitate probato. Rem audi :* Dicebant de abbate Moyse, quia factus esset clericus, et posuerunt ei superhumerale. Et dixit ei archiepiscopus : Ecce factus eo candidatus, abba Moyses. Et ille respondit : Putas a foris, domne papa, aut deintus? Volens autem episcopus probare eum, dixit clericis : Quando intrat abbas Moyses ad altare, expellite eum, et
B sequimini, ut audiatis quid dicat. Dum autem cœpissent eum mittere foras, dicebant ei : Exi foras, Æthiops. Ille vero egrediens dicebat : Bene tibi fecerunt, cinerente et caccabate. Qui cum homo non sis, quare te in medio hominum dare præsumpsisti? *De voce* cinerente *atque* caccabate *observat hæc in notatione ad librum citatum Rosweydus pag.* 643, *num.* 43 : Ita manuscripti Vedastinus et Audomarensis. Variant editi. Quidam, CINEROSE ET CACCABATE ; quidam, CINERATE ET CACCABATE ; Existimo cinerentum dictum ea forma, qua PULVERULENTUS, et similia. Vide Onomasticon.

humilitate

19 *Eamdem profundissimæ humilitatis virtutem in multis aliis occasionibus ostendit. Nam in Vitis Patrum libro* 5, *libello* 16, *num.* 7. *pag.* 631, Facta aliquando congregatione fratrum in Scithi, eum voluissent senes probare abbatem Moysen, contempserunt eum, dicentes : Ut quid iste Æthiops venit in medio nostrum? Ille autem audiens, tacuit. Cum vero dimissus fuisset conventus, dixerunt ei hi, qui eum injuriose tracta-
C verant : Nec modo non est turbatus? Est ille respondit : Turbatus sum, et non sum locutus. *Et ibidem libello* 8, *num.* 10, *pag.* 593 *aliud edidit exemplum, quo ostendit, quam parvus et abjectus esset in oculis suis :* Audivit *enim* aliquando judex provinciæ de abbate Moyse, et perrexit in Scithi,ut videret eum ; et nuntiaverunt quidam seni de adventu ejus, et surrexit, ut fugeret in paludem ; et occurrit ei ille judex cum suis, et interrogavit eum, dicens : Dic nobis, senex, ubi est cella abbatis Moysi? Et dicit eis : Quid vultis eum inquirere? Homo fatuus est et hæreticus.

excelluit :

20 Et veniens judex ad ecclesiam, dixit clericis : Ego audiens de abbate Moyse, veni ut viderem eum ; et ecce occurrit nobis senex pergens in Ægyptum, et interrogavimus eum, ubi esset cella abbatis Moysi, et dixit nobis : Quid cum quæritis? Fatuus est, et hæreticus. Audientes autem clerici, contristati sunt, dicentes : Qualis est senex ille, qui hæc de sancto homine locutus est ad vos? Et illi dixerunt : Senex vetustissimo vestimento utens. longus et niger. Et illi dixerunt : Ipse est abbas Moyses ; et quia noluit videri a vobis, ideo hæc vobis ipse de se dixit. Et multum ædificatus judex discessit. *Quid, quod eadem virtus, ac virtutum omnium regina, sanctum nostrum Confessorem terribilem faceret superbis dæmonibus, viamque præcluderet accessui eorum, ne illum tentare auderent. Factum accipe e Vitis Patrum libro* 3, *num.* 102, *pag.* 516 : Abbati quoque Moysi frequenter apparuerunt dæmones maledicentes ei, ac dicentes : Prævaluisti nobis, Moyses, et nihil tibi possumus facere : quoniam quoties te in desperationem humiliare volumus, exaltaris; quoties autem exaltaris, ita te humilias, ut nullus de nobis accedat ad te D

cui charitatem

21 *Huic virtuti, quam in eximio gradu habebat* S. Moyses, *adjunge singularem charitatem, in qua egregie etiam excelluit. Libro eodem septimo, cap.* 18, *num.* 2, *pag.* 673 *scribuntur ista :* Quidam frater veniens in Schiti, ut videret abbatem Arsenium postulabat. Cumque alii fratres ei, ut paululum requiesceret, suaderent, respondit : Non manduco panem, nisi illum videre meruero. Tunc unus ex fratribus ipsum duxit ad abbatem Arsenium, pulsatoque ostio cellulæ introduxit eum. Deinde suscepti, et oratione facta, consederunt. Cum autem beatus taceret Arsenius, ille, qui fratrem adduxerat, ait : Ego discedo. Sed et is, qui ex magno desiderio E
venerat, videns quia nihil ei locutus fuisset abbas Arsenius, præ verecundia tacitus sedens, dixit : Et ego quoque tecum, frater, abscedo. Ac sic uterque discesserunt. Postulabat autem, ut etiam ad abbatem Moysen, qui ex latronibus conversus fuerat, deduceretur. A quo susceptus, facta charitate dimissus est. Frater autem, qui ad utrosque ipsum duxerat, dixit illi : Ecce, utrosque, quos postulabas, vidisti : quis tibi plus ex ambobus placet? At ille ait : Mihi interea hic melior videtur, qui nos utrosque et bene suscepit, et bene pavit. Quo sermone comperto, unus ex patribus ad Dominum oravit, dicens : Domine, hanc mihi rem precor ostende, quia unus propter nomen tuum omnes homines videre aut appellare refugit ; alter vero omnibus propter nomen tuum communis est. Et ecce in extasi duæ illi naves per fluvium ostensæ sunt; et in una quidem vidit Spiritum sanctum cum silentio et requie una cum abbate Arsenio navigantem ; in altera vero navi vidit abbatem Moysen et angelos Dei, mel et favum in os et in dentes ejus inserentes. F

adjunxit.

22 *Ex hac etiam virtute profluxit factum sancti Patris nostri, dum maluit videri minus rigidus in quadam, ut credo, consuetudine jejunii, quam parum hospitalis in quorumdam solitariorum adventu. Res gesta in Vitis Patrum libro* 5, *libello* 13, *num.* 4, *pag.* 615 *scribitur ita accidisse :* Factum est aliquando in Scithi mandatum, ut jejunarent illa hebdomada, et facerent Pascha. Contigit autem, ut in ipsa hebdomada venirent ad abbatem Moysem fratres quidam ab Ægypto ; et fecit eis modicum pulmentum : et cum vidissent vicini fumum, dixerunt clericis ecclesiæ, quæ illic est : Ecce Moyses solvit mandatum, et coxit apud se pulmentum. Illi autem dixerunt : Quando venerit, loquemur ei nos. Facto autem sabbato, videntes clerici magnam conversationem abbatis Moysis, dicunt ei coram omni plebe : O abbas Moyses, mandatum quidem hominum solvisti, sed Dei mandata fortiter alligasti.

et misericordiam erga delinquentes.

23 *Cum virtute charitatis non parvam habet affinitatem misericordia erga delinquentes. Hanc demonstravit Vir sanctus in se reperiri præ aliis fratribus eremicolis : nam hi punitum volebant alium, defectus nescio cujus reum ; ille vero ei parcitum.*

AUCTORE J. P.

A *parcitum. Historiam intellige e Vitis Patrum libro* 5, *libello* 9, *num.* 4, *pag.* 594 : Frater aliquando in Scithi inventus est culpabilis, et fecerunt seniores conventum, et miserunt ad abbatem Moysem, dicentes, ut veniret : ille autem venire noluit. Misit autem ad eum presbyter, dicens : Veni, quia plebs fratrum te exspectat. Et ille surgens venit. Tollens autem secum sportam vetustissimam, implevit eam arena, et post se portavit. Illi vero exierunt ei obviam, dicentes : Quid hoc est, pater ? Dixit autem eis senex : Peccata mea sunt post me currentia, et non video ea, et veni ego hodie judicare aliena peccata. Illi autem audientes, nihil locuti sunt fratri, sed ignoverunt ei. *Aliæ plurimæ Sancti virtutes variis hujus Commentarii inspersæ sunt.*

apophthegmata

24 *Varia etiam abbatis* Moysis *in Vitis Patrum referuntur apophthegmata, quæ declarant pia ejus sensa. Libro* 3, *num.* 58, *pag.* 510 *sunt ista :* Dixit abbas Moyses : Per has quatuor res passio gignitur : per abundantiam escæ et potus, et per satietatem somni, et per otium et jocum, et ornatis vestibus incedendo. *Ibidem lib.* 7, *cap.* I, *num.* 7,
B *pag.* 665 : Ibidem dixit : Corporeæ multæ sunt passiones. Et dicit ei frater : Et quæ sunt, Abba ? At ille respondit : Quia Paulus Apostolus dicit : Fornicatio et immunditia, vel omnis cupiditas nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : visus quoque et fiducia frequenter ad prælium veniunt. *Libro* 3, *num.* 196, *pag.* 529 : Abbas Moyses commonebat fratres, dicens : Quatuor sunt monacho principalia observanda ; id est, tacendi, servandi mandata Dei, humiliandi semetipsum, et angustia paupertatis. Oportet ergo monachum, ut semper lugeat, semper suorum sit memor peccatorum, et omni hora ponat sibi mortem ante oculos suos. *Quatuor hisce jam prolatis fere consonant ea, quæ habentur in Vitis Patrum libro* 7, *cap.* 35, *num.* I, *pag.* 680. *Cellæ amorem æstimabat admodum, uti patet ex brevi hoc, sed ad persuadendum efficaci apophthegmate, quod in dictis Vitis legitur lib.* 3, *num.* 109 *pag.* 516 : Quidam frater cum expetisset sermonem ab abbate Moyse, dicit ei Senex : Vade, et sede in cella tua. Cella autem tua omnia te potest instruere, si ibi permanseris. Sicut enim piscis ex aqua edu-
C ctus statim moritur ; ita et monachus perit, si foris cellam suam voluerit tardare. *Alia super eodem argumento utitur similitudine in libro* 5, *libello* 2. *num.* 10, *pag.* 564 : Dixit abbas Moyses : Homo fugiens hominem, similis est uvæ maturæ : qui autem cum hominibus conversatur, sicut uva acerba est.

alia proferuntur,

25 *Apud Colelerium citatum datur pag.* 553 *hoc apophthegma :* Frater sic interrogavit abbatem Moysem : Rem video coram me, nec possum eam occupare. Dicit ei Senex : Nisi factus fueris mortuus instar eorum, qui sepulcro obteguntur, non poteris illam apprehendere. *In Vitis Patrum libro* 5, *libello* 10, *num.* 63, *pag.* 602 : Dixit abbas Pastor, quia frater quidam interrogaverit abbatem Moysem, dicens : Qualis homo mortificat se ? homo a proximo suo ? Et respondit ei : Nisi posuerit homo in corde suo, quia triennium habet in sepultura, non attingit ad hoc verbum. *Videri etiam potest caput* 26 *libri* 7, *num.* I, *pag.* 678. *Ibidem libro* 6, *libello* 4, *pag.* 657 *habentur instructiones variæ hoc titulo :* Septem capitula verborum, quæ misit abbas Moyses abbati Pœmenio *etc. Longa est narratio, et jam pridem apud nos transcripta die* VII *Februarii pag.* 47 : *quæ ibidem attribuitur Moysi Lybico. De* S. Pœmene, *celeberrimo in Scheti et in Ægypto anachoreta, actum est in hoc tomo ad diem* XXVII *Augusti. Non videmus, cur* Pœmenius, *qui supra vocabatur, sit ab eo diversus, nec cur* Moyses, *qui inter ipsius apophthegmata nominatur pag.* 41, *num.* 26, *debeat statui alius ab eo, de quo hic agimus. Inter sententias Ægyptiorum Patrum apud Rosweydum num.* 109, *pag.* 1007, *monita superiora aliter ac breviter ponuntur hoc titulo :* Hæ sunt sententiæ septem ; quas locutus est abbas Moyses ad abbatem Pœmenionem *etc., quæ ibi legi possunt, uti et apophthegmata apud Colelerium pag.* 555, 557, *et ejusdem notæ pag.* 816, *et Vitæ Patrum libro* 5, *libello* 10, *num.* 63, *pag.* 602. *Tillemontius tomo* 10 *Monumentorum ecclesiasticorum in* S. Moyse *applicat ipsi varias instructiones, quæ sunt apud Cassianum.*

et instructiones quas fructuose dabat :

26 *Non proferebat promiscue et sine fructu suas de perfectione institutiones, sed volebat ejusdem avidos, ac corde contrito et humiliato illam quærentes, ne, si non essent tales, sibi noceret. Audi Cassianum collatione* I, *cap.* I, *pag.* 174 *de abbate* Moys*e ita loquentem :* Cum in eremo Scithi *(anno circiter* 390, *uti vult Tillemontius* E *pag.* 72*)* ubi monachorum probatissimi patres, et omnis commorabatur perfectio, abbatem Mosen, *(eumdem sine dubio, de quo hic loquimur, sicut censet mox nominatus auctor)* qui suavius inter illos egregios flores, non solum actuali, verumetiam theoretica vita flagrabat, institutione ejus fundari cupiens expetissem una cum sancto abbate Germano . . . , pariterque ab eodem abbate ædificationis sermonem fusis lacrimis ambiremus ; quippe cujus hunc animi rigorem manifestissime noveramus, ut nisi fideliter desiderantibus, et cum omni cordis contritione quærentibus, nequaquam penitus acquiesceret perfectionis aperire doctrinam, ne scilicet si passim vel nolentibus eam vel tepide sitientibus exhiberet, res necessarias, et quæ solis perfectionem cupientibus debent esse compertæ, indignis et fastidiose suscipientibus pandens, aut jactantiæ vitium, aut proditionis crimen videretur incurrere *ete.*

remedium contra acediam :

27 *Cassianus de Institutis renuntiantium lib.* 10, *cap.* 25, *pag.* 142 *narrat, hoc se remedium contra acediam a* Moyse *abbate accepisse :* Cum F incipiens, *ait,* in eremo commorari, abbati Moysi, omnium sanctorum *in ea habitantium* summo dixissem, me ægritudine acediæ hesterno die gravissime fuisse confectum, nec ab ea potuisse alias liberari, nisi ad abbatem Paulum protinus cucurrissem ; ille : Non te, ait, ab ea liberasti, sed magis ei te addictum ac subditum præbuisti. Gravius enim te ut desertorem ac fugitivum deinceps adversarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus aufugisse conspexit : nisi de cetero commissa congressione, non desertione cellæ, vel somni torpore ingruentes æstus ejus ad horam evaporare malueris, sed tolerentia potius et conflictu didiceris triumphare. Unde experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

victus frugalitas,

28 *Cassianus idem (prout pergit Tillemontius) duas primas collationes suas* abbatis Mosi Schetensis *nomine inscribit, et in earumdem secunda, cap.* 21, *pag.* 214 *sic eum loquentem inducit :* Si vultis experiri vim statuti hujus *(egerat cap.* 19 de optimo cibi quotidiani modo*)* modum istum jugiter retinete, nullum extrinsecus coctionis

AUCTORE J. P.

nis pulmentum die Dominico vel Sabbati, neque sub aliqua advenientium fratrum occasione sumentes: nam his refecta caro non solum minore quantitate diebus residuis poterit sustentari; verum etiam totam refectionem sine labore differre, illorum scilicet ciborum, quos extrinsecus sumpserit, adjectione suffulta. Quod nullo modo facere, nec refectionem panis differre in diem posterum prævalebit, quisquis fuerit semper prædictæ mensuræ quantitate contentus. Etenim memini seniores nostros (quod nos quoque retineo frequenter fuisse perpessos) cum tanto labore ac difficultate hanc parsimoniam sustentasse, tantaque vi atque inedia prædictam custodisse mensuram, ut inviti quodammodo nec sine gemitu atque tristitia hunc finem sibi refectionis imponerent. *Porro ista* supradictæ mensuræ quantitas *cap.* 19 in duobus paxamaciis *statuitur*, quos parvulos panes vix unius libræ pondus habere certissimum est. *Hæc* paxamacia, *ut ibi scribitur, alias paximalia, sunt panes sicci, ex historia Lausiaca cap.* 22, *pag.* 64, *ubi in Vita* Mosis, *qui fuit e latronibus, narrantur ista, et superiora confirmantur:* Cum ergo secessisset Christi servus Moyses..., maxima in omnibus exercebatur B tolerantia, maxime autem in abstinentia a cibis; ut qui nihil aliud sumeret præter panis sicci uncias XII.

et tenendus in eo modus:

29 *Apud Cassianum collatione* 2, *cap.* 17, *pag.* 213, *quod est* de immoderatis jejuniis et vigiliis, *narrat quousque progressus fuerit in abstinentia a cibis, et quod modus in ea tenendus sit, docet.* Etenim memini, *inquit,* me frequenter ita appetitum cibi penitus respuisse, ut duobus diebus ac tribus refectione dilata, ne memoria quidem ullius edulii meam interpellaverit mentem, et rursum ab oculis meis ita somnum diaboli impugnatione subtractum, ut plures noctes ac dies paululum quid somni meis oculis a Domino precarer infundi, graviusque me periclitatum somni cibique fastidio, quam soporis et gastrimargiæ colluctatione persensi.

vita sociabilis monasticæ conjuncta.

30 *Verosimile videtur, in* S. Moysen *nostrum cadere illud insigne elogium, quod habetur in collatione* 19, *cap.* 9, *a pag.* 536, *et in quo* Moyses, *Paphnutius, ac duo Macarii laudantur a rerum secularium contemptu, et a vita contemplativa:* Qui ita erant in utraque *ista* professione perfecti, ut, cum ultra omnes eremi accolas secedentes, insa- C tiabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantumque in ipsis erat, nequaquam inquirerent humana consortia, tamen ita frequentiam ac fragilitates ad se concurrentium sustinebant, ut, cum ad eos visitationis vel profectus gratia innumera fratrum multitudo conflueret, tam jugem pene susceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud vel didicisse vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quam ut communibus tantum advenientium officiis deservirent, ita ut apud cunctos esset ambiguum, in qua potissimum professione eorumdem major esset industria: id est, utrum in illa eremitica puritate, an in ista conversatione communi, magnanimitas eorum mirabilius aptaretur.



D

§ IV. Donum prophetiæ; mors; cultus apud Græcos et Latinos; elogia; chronotaxis.

Prædicit carnis lapsum

Præter alia plurima dona, quæ Deus in sanctum Eremitam nostrum benignissime congessit, spiritum etiam prophetiæ ipsi contulit. Id probatur e Vitis Patrum libro 5, *libello* 5, *num.* 35, *pag.* 578, *ubi leguntur ista memoriæ prodita, quæ cui aptius applicentur, quam abbati* Moysi *Æthiopi, qui adeo in Scheti claruit, non video:* Senex quidam erat in Scithi: qui cum incurrisset in ægritudine magna, serviebant ei fratres. Et videns senex, quia laborarent, dixit: Vado in Ægyptum, et non solvam fratres istos. Et dicit ei abbas Moyses: Non vadas, quoniam in fornicationem incursurus es. Ille autem contristatus dicebat: Mortuum est corpus meum, et tu mihi ista dicis? Surgens ergo abiit in Ægyptum. Quod cum audiissent homines circumquaque habitantes, offerebant ei multa. Venit etiam ad eum quædam virgo fidelis, volens obsequium suum seni infirmanti deferre. Et post aliquantum temporis, cum paululum de ægri- E tudine, qua tenebatur, melius habuisset, incurrit in eam, et illa concepit. Interrogata autem a vicinis loci, unde conceperit; illa respondit: De sene hoc.

cujusdam solitarii,

32 Illi autem non credebant ei. Senex vero dicebat: Ego hoc feci; sed custodite mihi infantem, quem peperit. Quæ cum genuisset puerum, et ablactatus fuisset, tulit senex infantem in humeris suis, et die, qua erat festivitas in Scithi, occurrit ibi, et intravit in ecclesiam coram multitudine fratrum. Illi autem videntes eum, fleverunt: Qui dixit fratribus: Videtis infantem hunc? filius est inobedientiæ meæ. Cavete ergo vos, fratres, quia in senectute hoc feci, et orate pro me. Et pergens ad cellam suam, ad initium primæ conversationis suæ reversus est.

et barbarorum irruptionem in Schetim, a quibus occisus

33 *Aliud vaticinium sanctus Abbas noster edidisse dicitur in eodem monte Scheti, et imminentem Mazicorum grassationem prænuntiavisse. Tomo* IV *Julii, die* XIX *ejusdem mensis, pag.* 610 *in S. Arsenio anachoreta, dixi de illorum barbara crudelitate, duplici irruptione, ejusdemque tempore, quæ hic non repeto. Quoniam vero solitudo Schetica erat satis propinqua barbaræ isti* F *genti (vide Historiam Lausiacam cap.* 7*) non mirum est, solitarios istos grassationibus Mazicorum expositos fuisse. Sancti porro vaticinium super eorum adventu in Schetim, ita narratur, in Vitis Patrum libro* 5, *libello* 18, *num.* 13 *et* 14, *pag.* 638*:* Dicebat abbas Moyses in Scithi: Si custodimus mandata patrum nostrorum, ego præsumens de Deo spondeo vobis, quia huc barbari non venient: si autem non custodierimus, desolandus est locus iste. Sedentibus aliquando fratribus apud eumdem abbatem Moysem, dicit eis: Ecce barbari hodie in Scithi veniunt, sed surgite et fugite. Dicunt ei illi: Et tu non fugies, abba? Ille autem dicit eis: Ego per tot annos exspecto diem istum, ut impleatur sermo Domini mei Jesu Christi dicentis: Omnes qui accipiunt gladium, gladio peribunt. At illi dixerunt ei: Neque nos fugiemus, sed tecum moriemur. Et ille dixit eis: Ego causam non habeo: unusquisque vestrum videat quomodo sedeat. Erant autem septem fratres cum eo, et dicunt

A cunt ei : Ecce barbari appropinquarunt januæ, et statim intrantes barbari occiderunt eos. Unus autem ex eis timore carnali perterritus fugit, et abscondit se post plectas de palmis; et vidit septem coronas descendentes, et coronantes abbatem Moysem et sex fratres, qui cum eo fuerant interfecti.

tamquam martyr dicitur,

34 *Porro coronæ illæ, sicut observat Tillemontius tomo* 10 *Monumentorum ecclesiasticorum in* S. Moyse *pag.* 75, *non tantum designabant gloriam, quam Sancti isti per suam in pœnitentia ac bonis operibus perseverantiam adepti erant : verum etiam martyrii honorem, quem morte sua meruerant, Ecclesia catalogo Martyrum consueta illos adscribere. qui post sanctam vitam occisi fuere a barbaris infidelibus, sicut sancti Paulus, Isaïas, et alii in solitudine, cui nomen Rhaïtum, et in Sinaï (loca sunt in Arabia ad Mare rubrum) ad annum circiter* 373 *perempti (de quibus agit tomo* 7, *a pag.* 573.) *Hisce addit, quos eodem etiam die et in eadem solitudine Sinaï occisos refert circa initium seculi* 5, *mittens lectorem ad ea, quæ* C *collegit de S. Nilo, videlicet S. Sarmatam, discipulum S. Antonii, cujus memoria agitur die* XI *Octobris. Id causæ est, prout observat idem auctor, quod creditum sit die* VII *Februarii nostri pag.* 46, *titulum hunc deberi S. Moysi ac sociis ejus (eisdemne, an diversis ab iis, de quibus modo dixi postea discutiam.) Hæc est Tillemontii ratiocinatio ulterioris nobis infra præbitura materiem examinis.*

refragante Palladii silentio :

35 *Vide interim, quantopere ab isto martyrio* S. Moysis *Æthiopis discrepet Palladius, auctor gravissimus ac fide dignissimus, qui de ipsius quidem morte, ætate, presbyteratu, ac discipulis diserte meminit, sed de genere mortis nihil dicit, et non aliter de ea loquitur, quam si contigisset sine violentia et in pace :* Obit, *ait pag.* 66, ante septuaginta quinque annos natus in Scete, cum factus esset presbyter, relictis septuaginta quinque* discipulis. *Si Sanctus fuit martyr, quomodo Palladius hoc ignorare potuit? Si non ignoravit, quomodo potuit sic scribere? Hic Rhodus, hic saltus. Atque hæc quidem sunt semina controversiæ admodum intricatæ, de qua pluribus infra. Subjicio interea temporis cultum* S. Moysis *hodierni, et elogia.*

** in Græco textu apud Meursium lego* ἑβδομήκοντα, *id est*, septuaginta

C

cultus apud Græcos

36 *Annua* S. Moysis *memoria inscribitur Typico S. Sabbæ nuncupato, ac Synaxario, quod ex Menologio, jussu Basilii imperatoris Porphyrogeniti edito, exstat apud nos ad calcem tomi* I *Augusti. Annuntiatur etiam Sanctus noster et laudatur in Menologio Sirletiano. Nostra apographa Græca Mss. singillatim his attexere prætermitto. In Officio sacro, quod hac die habetur in Menæis magnis Græcis typo editis, compellatur egregiis elogiis, et sequentibus duobus versiculis honoratur ; et quoniam Menæa illa, quibus utor, valde mendosa sunt, adhibui eis manum, prout judicavi sensum exigere, qui sic sonat :*

Φησὶ τὸ ῥητόν· Καὶ θανὼν Μωσῆς μέλας,
Ἄνθρωπος ὄψιν, καὶ θεὸς τὴν καρδίαν.

Dictum refert: Vel mortuus Moyses niger :
Homo facie, sed corde qui deus fuit.

Additur hoc hexametrum de ejus sepultura :

Τάψαν ἐν εἰκάδι Μωσῆν ὀγδόῃ Αἰθιοπῆα.
Æthiopem sepelit vicena octava Moysem.

Fortasse respicit ad parœmiam Græcam poëta in primo versu, Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται. *de qua dixi in S. Æthiope Eunucho per S. Philippum diaconum baptizato pag.* 5 *hujus tomi. Qua vero metaphorica similitudine deus vocetur, non habeo exploratum ex ejus dictis et gestis.*

AUCTORE J. P.

et Latinos

37 *Gloria vero posthuma* S. Moysis *singulare incrementum accepit, quando ab ecclesia Græca ad Latinam propagata est, quæ in suo Martyrologio hac die illum ita annuntiat :* Item sancti Moysis Æthiopis, qui ex insigni latrones insignis anachoreta, multos latrones convertit, et secum duxit ad monasterium. *Singulare etiam est, quod annua S. Moysis memoria fuerit peculiari titulo propagata ad ecclesiam S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis Antverpiæ. Nam in libello ibidem impresso, qui continet festa particularia ejusdem ecclesiæ propter notabiles Sanctorum et Sanctarum reliquias, notantur ista:* XXVIII Augusti S. Moysis eremitæ et confess. M. et com. in utrisque vesp. et laud., collecta : Deus qui nos.

elogia

38 *Accipe Viri sanctissimi elogia. Palladius pag.* 66 *in editione Herveti,* Hæc est vita, quam egit Moyses Æthiops, qui ipse quoque numerabatur inter magnos. *Græca vero Meursii sic habet :* Αὕτη ἡ ἔνθεος τῆς ἀσκήσεως πολιτεία τοῦ ἀκαταγωνίστου ἀθλητοῦ Μωϋσέως τοῦ τῷ γένει Αἰθίοπος, τὴν E δὲ ψυχὴν ἐξισάντος θεία χάριτι· ὃς καὶ αὐτὸς τὴν ἐν τοῖς μεγάλοις τῶν πατέρων κατορθώμασιν ἀριθμούμενος. *Quæ ita interpretor :* Hæc (*est*) divina exercitationis conversatio invicti pugilis Moysis, genere Æthiopis, anima vero se assuefacientis divinæ gratiæ, qui etiam ipse inter magnos patres recte factis numerabatur. *Sozomenus pag.* 683 *his eum laudibus extollit :* Aiunt.., nemini umquam talem ac tantam mutationem ex vitio ad virtutem contigisse, quantam isti : quippe qui ad culmen monasticæ philosophiæ pervenerit, et dæmonibus maximum terrorem incusserit, et Schetiensium monachorum presbyter factus sit. *En tibi nunc, lector, elogium, ex dicto mox Synaxario Græco, quod habetur ad calcem tomi* I *mensis Augusti, Latine redditum de more, etiamsi aliunde satis nota sint, quæ in eodem narrantur :* Mense eodem (*Augusto*) XXVIII (*die*) memoria sancti patris nostri Moysis Æthiopis. Hic Beatus genere quidem erat Æthiops, colore autem admodum niger, cujusdam administri reipublicæ famulus, quem dominus ejus expulit propter multam morum perversitatem, et latrocinandi institutum. Hic aliquando infesto in pastorem quemdam fuit animo, memor, quod in re aliqua impedimentum sibi interposuisset : quem etiam occidere voluit. F

ejus :

39 Gnarus igitur, quod trans Nilum esset aquis inundantem, oris morsu tenens machæram, et vestimentum capiti imponens, notando transmisit. Pastor vero præsentiens adventum ejus, fuga se subduxit. Hic autem, arietibus quatuor egregiis mactatis et vinculo ligatis, Nilum natando iterum trajecit. Dum vero comedisset eorum carnes, et pelles pro vino vendidisset, ad socios suos discessit. Hæc autem narravi, ut ostendam, salvari posse [peccatores] per pœnitentiam, si velint. Hic tandem aliquando compunctus ex occasione aliqua, monasterio se tradidit, et eousque pœnitentiæ processit, ut socios suos ad Christum adduxerit. Dum sederet aliquando in cella sua, latrones quidam accesserunt ad illum, ignorantes quod ipse esset Moyses : quos Beatus tunc ligatos adinstar sacci palearum, humeris suis imposuit, atque ad ecclesiam * se contulit; et ad fratres dicit: Quoniam sane non licet mihi injuriam facere, et hos inveni accedentes ad me, quidnam de his vultis? Illi autem cognoscentes, quod

** in Græco est* κυριακόν

AUCTORE J. P.

quod Moyses esset famosus ille atque insuperabilis latronum princeps, postquam Deum glorificassent, etiam ipsi mundo renuntiarunt, et probatissimi monachi facti sunt. Sanctus itaque Senex exacta vita secundum Dei placitum, ac dæmonis libidine superata, moritur annorum septuaginta quinque, presbyter etiam factus, et discipulos relinquens septuaginta. *De voce* κυριακὸν, *(id est ad litteram* Dominicum) *quam Latine vocavi* ecclesiam, *consuli potest Cangius in utroque Glossario.*

chronotaxis vitæ

40 *Ætas porro ista* annorum septuaginta quinque *occasionem nobis præbet tentandi, an ex his atque aliis contexi possit chronotaxis vitæ, quam dabimus per modum conatus vel systematis chronologici, cum difficile sit, eam exacte definire, et suis illam annis aptare. Ætas vero Sancti jam dicta confirmatur ex Historia Lausiaca superius num.* 35, *de qua etiam apographum Vitæ, quam habemus e bibliotheca Cæsarea Vidobonensi; etiamsi Nicephorus Callistus tomo* 2 *Ecclesiasticæ historiæ lib.* XI, *cap.* 36 *asserat,* vitam circiter annum octogesimum quintum finivisse. *Si vitam* B *clauserit* S. Moyses *seculo circiter quarto exeunte, ponamus vivere eum cœpisse anno circiter* 325. *Tillemontius tomo* 10 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 64 *conversionem ejus accidere potuisse indicat anno ætatis* 25 *vel* 30, *qui poterit concurrere secundum jam dicta cum anno seculi istius* 50 *vel* 55. *In monasterio quodam Schetensi dirigendis solitariis præfuit anno circiter* 375 *vel* 380, *si Bailleto credimus in ejus Vita.*

ac mortis

41 *Difficilioris prorsus indaginis negotium est definire annum ejus emortualem. Prædictus Monumentorum collector pag.* 75 *hanc difficultatem vidit, certumque esse affirmat, quod obierit ante annum* 420, *cum Palladius de ipsius morte loquatur. Sed ista temporis notatio nimis vaga est. Addit, judicium ferri posse, quod acciderit illud inter annum* 391 *vel* 392, *quo auctor iste videtur cum eo locutus, et annum* 400, *quo Cassianus potuit discessisse ex Ægypto. Sed idem collector præsens argumentum pluribus curis discutere conatur in notatione* 5 *super* S. Moyse *latrone, pag.* 728 *et* 729, *quæ est de tempore mortis ejus.* C *Si Moyses, inquit, a Mazicis occisus, sit Lybicus aut alius quispiam a latrone diversus, nihil videmus dicendum de tempore mortis ejus, quam quod contigerit in fine seculi* 4, *vel in exordio seculi* 5. *Deinde significat, haberi ex epistola Synesii, quod Ausuriani vel Austoriani, barbari illarum regionum populi, universam depopulati fuerint Lybiam anno* 412, *immo vero minati fuerint Ægypto. Floruit scriptor ille imperantibus Arcadio et Theodosio juniore, fuitque archiepiscopus Ptolemaïdis in Lybia, ejusque gesta in historicam narrationem redegit Tillemontius tomo* 12 *pag.* 499 *et sequentibus, ubi articulo* 24, *a pag.* 550 *ex eodem Synesio depopulationem jam dictam pluribus exponit. Et nonnullis interjectis in notatione* 5 *modo indicata, redit ad tempus mortis* S. Moysis, *quod inquirimus.*

utcumque

42 *Quod si Moyses, ait, martyr sit idem, qui latro, et idem, qui habitabat in Calamis, mortuus sit oportet ante annum* 400: *Serenus quippe et Paphnutius cum Cassiano loquuntur de eo tamquam de homine jam mortuo,* qui habitavit *etc. Vide Collationis tertiæ caput* 5, *et Collationis septimæ caput* 26. *Jam vero Cassiano S. Chrysostomi discipulo facto postquam profectus esset in Schetim, vix hoc accidere potuit post annum* 400; *atque adeo mortuus fuerit eo tem-* D *pore, quo Cassianus erat in Ægypto, id est, ut nos, inquit, credimus, inter annum* 390 *et* 400: *cum mortuus esse non potuerit ante annum* 390, *idque non ideo tantum, quia hunc eumdem esse credimus, quocum Cassianus sermones contulit in Scheti; verum etiam quia S. Arsenius, qui ad solitudinem se non contulit ante annum* 385, *solitarius erat jam tum, quin immo in pietate multum provectus, quando* S. Moyses *tunc etiam vivebat, ex Cotelerio pag.* 368 *et* 369.

43 *Palladius, qui in Cellulas pervenit anno* 391, *videtur dicere, quod sibi retulerit historiam suarum tentationum: idque colligit Tillemontius e textu Græco* ὡς αὐτὸς διηγήσατο, *id est,* sicut ipse narravit. *His, quæ proposui hactenus e dicto collectore, obiter addo, illud,* sicut ipse narravit, *haberi in Latina versione Gentiani Herveti, qua utor, pag.* 63; *sed non inveniri a me in textu Græco, quem edidit Joannes Meursius. Longa quidem et varia est superior Tillemontii ratiocinatio, in omnem se operose versantis partem, ut ad exactam veri temporis, quo obiit* S. Moyses *noster, cognitionem perveniret; sed omnia et singula non revoco ad novum examen;* E *præsenti controversia eo redeunte, ut videatur non improbabile, quod Sanctus e vita excesserit anno circiter Christi* 400, *sicut eum ponit Castellanus, et, ut huic alium etiam annumeremus, Bailletus. Nos initio hujus Commentarii signavimus eum obiisse seculo circiter quarto exeunte, quod fere in idem redit.*

ordinatur.

§ V. Solitarii Sancto nostro synonymi; hujus discipuli, dignitas abbatialis, sacerdotium et fortasse martyrium.

S. Moyses ep. ab hodierno distinctus: an etiam

Sanctus Moyses, episcopus Saracenorum in Arabia, diversus est ab hodierno, quem cum isto confusum fuisse diximus tomo II *Februarii, die* VII, *quo de illo actum est, pag.* 45. *Ibidem* F *pag.* 46 *dati sunt apud nos SS. Moyses abbas et sex monachi martyres, et ponuntur* in Ægypto: *Moyses vero ille* Lybicus dictus *refertur. At primo, non satis intelligo, cur annuntientur* in Ægypto; *et non potius* in Scheti; *cum in prædictione ac narratione eorum martyrii, quæ ibidem producitur ex Vitis Patrum, et quam superius* § 4 *post initium retuli, legantur ista:* Dicebat abbas Moyses in Scithi *etc.* Sedentibus aliquando fratribus apud eumdem abbatem Moysem, dicit eis: Ecce barbari hodie in Scithi venient.., et barbari occiderunt eos. *Palæstra itaque eorum martyrii non fuit proprie in Ægypto, sed in Scheti Lybiæ. Secundo, non satis video, quod Moyses ille* Lybicus dictus *intelligi hic debeat, nec satis capio, quo fundamento varia ei applicentur apophthegmata ad eumdem diem* VII *Februarii. Ex Palladio certe id conficere nequeo, neque ex Sozomeno, quia paucula dumtaxat de illo habent.*

synonymus.

45 *Nam Palladius signate de isto Moyse tractans cap.* 88, *pag.* 184 *sub hoc titulo,* Vita abbatis Mosis Lybici, *hæc memorat:* Moyses Lybicus fuit vir mitissimus, et maxima charitate præditus. Is dignus est habitus dono curationum. Is hoc narravit, *aquæ videlicet venam mirabili modo*

A *modo in puteo a Piore elicitam in usum monachorum. Alia vero de isto Moyse ibidem non lego, præter hæc paucula. Sozomenus Historiæ ecclesiasticæ lib. 6, cap. 29, pag. 684 de illo hæc scribit :* Moyses.. mansuetudine et caritate, et languorum curationibus, quos oratione sola pellebat, præ cæteris inclaruisse memoratur. *Tertio , probare neutiquam possum, quod Moyses* Lybicus *sit ille, qui cum sex monachis occisus fuerit in Scheti : nam quoniam ibidem interemptus Moyses dixit :* Ego per tot annos exspecto diem istum, ut impleatur sermo Domini mei Jesu Christi dicentis : Omnes, qui accipiunt gladium, gladio peribunt, *ut videre datur supra § 4, seipsum fortasse hic designat ille* Moyses, *qui in vita seculari latrociniis assuetus, e latrone ad optimam frugem ac eximiam sanctitatem conversus est. Et vero mors ejus, quæ ponitur inter apophthegmata apud Cotelerium pag.* 552, *his ibidem pag.* 519 *et sequentibus depingitur characteribus, qui soli et uni* Moysi *hodierno videntur esse proprii : dicitur enim* vehementissime.. tentatus ad fornicationem.. Æthiops.. longus et niger.. in Sceti.

Lybicus appellatus, inquiritur.

B 46 *Validum tamen contra hanc sententiam est argumentum, quod Palladius, qui multis scribit de abbate* Moyse, *qui fuit ex latronibus, quique vel ipsum mortis ejus locum, annos ætatis, ac numerum discipulorum indicat, nihil dicat de genere mortis ipsius. Hic nodus est difficultatis, quam tangebam num.* 35. *At respondeo, auctorem eumdem etiam scribere de Moyse Lybico, ac nihil dicere de illius morte. Neque reponas, eum obiter dumtaxat scripsisse de Moyse Lybico, atque accidere potuisse, ut ignoraverit mortem ejus, si inciderit in tempus illud, quo Palladius discesserat e solitudine. Nam respondeo, hæc in meris posita esse conjecturis : neque enim Palladius scripto plus de eo tradidit, quam supra diximus. An, et quid de illo postmodum didicerit extra solitudinem, quisnam divinet? Respondeo denique ad objectum e Palladio silentium de genere mortis* S. Moysis *e latrone conversi, auctores historicos omnes non scribere omnia semper, sed varia omittere non raro, quæ alii supplent historiæ collectores. Quod quam sæpe fiat in Opere nostro, quis ignorat? Non sequitur ergo : Palladius hoc non refert, ergo falsum est. Nec objicias Græcos in*
C *Menæis magnis excusis, nec in elogio Synaxarii Græci, supra a num. 38 a me Latine reddito, quia vel secuti sunt, vel transcripserunt Palladium, aliumve scriptorem, qui hausit ex isto fonte. Si tamen Palladii silentium alicui appareat tanti ponderis argumentum, ut eidem refragandum non censeat; quærere ipsi licet Moysen alium, cui aptius conveniant congruentiæ, quas de hodierno præmisi : hæc tamen quoniam rem non evincunt, controversiam præsentem non decido, sed in medio eam relinquens eruditorum judicio permitto. Jam vero alia se offert controversia, quisnam sit ille Moyses, qui in Collationibus Cassiani nominatur.*

An S. Moyses hodiernus sit idem,

47 *Tillemontius in notatione tertia super* S. Moyse *latrone pag.* 728 *conatur probare, quod hic Moyses verosimiliter sit* Moyses *Schetensis, de quo loquitur Cassianus. Gazæus, inquit, Cassiani commentator (quem citat in notis pag.* 218, *designata in indice citationum collatione prima Cassiani, anno* 1642 *Parisiis edita) credit,* Moysen *Schetensem, qui loquitur in duabus primis Collationibus istius auctoris, esse haud posse eum, qui fuerat latro, propterea quod hic multo fuerit antiquior quam Cassianus. Sed respondet supra dictus Monumentorum ecclesiasticorum collector, se nescire, quidnam habeat fundamenti, ut hoc dicat. Deinde appellat ad textum Cassiani, et ex eo affirmat, necesse esse, ut* Moyses *latro vixerit usque ad annum* 390, *quo Cassianum in Schetim venisse memorat, et etiam ulterius : cum Cassianus apprime norit virtutem* Moysis, *qui propter latrocinium a se commissum in solitudinem secesserat, quique ibidem vixerat in quodam eremi Schetensis loco, cui nomen Calamus. (Vide textum Cassiani a nobis allegatum* § 1, *num.* 5.*)*

AUCTORE J. P.

qui loquitur apud Cassianum :

48 *Hic autem intelligi* Moysem *latronem secundum Gazæum pag.* 336, *asserit idem collector. Et vero cum Moyses in Calamis, uti addit, Gazæo pag.* 218 *idem etiam sit, qui loquitur in Collationibus Cassiani, probabile admodum est,* Moysen *istum esse latronem, in Vitis Patrum et in Palladio adeo celebrem : id saltem a Gazæo negari non potuisse, nisi contrarius sibi fuerit. Ludovicus Bulteau in Historia Ordinis monastici lib.* 1, *cap.* 10, *pag.* 154 *affirmat, Moysen illum, qui loquitur apud Cassianum ab Æthiope nostro distinguendum, propterea quod hic a juventute sua fuerit apud S. Antonium. Hoc si probaret, non me-* E *dioere tribueret pondus sententiæ Gazæi. Verum cum non designet locum, in quo hoc dicatur, addatque collector supra memoratus, se non potuisse illud reperire, non meretur audiri. Ratio itaque temporis non videtur excludere* Moysen *hodiernum e Collationibus Cassiani : an tamen hic fuerit, non mihi certo constat.*

de Moyse in Nitria :

49 *Quod Moyses synonymus in Nitria, quem ex Ruffino nominavimus in hoc tomo in S. Pœmene anachoreta pag.* 26 *aliquid habeat præsenti vel superiori controversiæ consentaneum, non habemus compertum, neque meminimus, eas ad notitiam nostram pervenisse hactenus vitæ ejus circumstantias, quæ hoc probent : non ideo tamen certo remoreri hinc deberet, si alia adjuncta id suaderent, quia, ut diximus, in Nitria memoratur (monte ad confina Schetios :) solitarios quippe istos antiquos non ita uni semper affixos fuisse loco, ut subinde ad alium non transirent, in laudato jam Pœmene pag.* XI *ostendimus contra Tillemontium, qui eidem insistens errori in notatione tertia super* S. Moyse *hodierno ante citata, præter alia, quæ dixisse se significat de Moyse Lybico, cui martyrium abjudicat, illud adjungit,* F *quod in Nitria potius, quam in Scheti habitasse videatur.*

item de synonymo cum septem aliis.

50 *At quid dicemus de S. Moyse Æthiope, et Sanctis VII anachoretis martyribus, ex Hagiologio metrico Habessinorum breviter apud nos datis tomo* III *Junii, die* XVIII *ejusdem mensis pag.* 586*? Dum ea, quæ de hisce Martyribus narrantur, confero cum morte synonymi, sociisque septem, de quibus antea disserui, dubitare vix possum quin sint iisdem, mihi, ut credo, suffragaturo curioso lectore, qui alteram historiam conferre cum altera, et utramque expendere voluerit. In Fastis sacris ecclesiæ Æthiopicæ apud Jobum Ludolfum pag.* 419 *ad diem* XVIII *Junii annuntiantur* Abba Moyses niger. VII Fratres Moysis nigri : *et observatur ibidem in notis littera* I : Moyses Æthiops in Menologiis Græcorum et Latinorum die XXVIII Augusti appellatur; ex insigni latrone insignis anachoretas factus.

An dicta et facta, quæ ante relata sunt, ad Moysen hodiernum spectent :

51 *Paragraphis superioribus deprompsi apophthegmata, et facta historica, quæ Tillemontius adoptavit et posuit sub titulo* S. Moysis *hodierni, ac proinde quæ visa ipsi sunt convenire eidem* Moysi. *Sed ego me eadem ponere nolim, quod omnia*

Auctor J. P.

nia ad unum referenda sint. Certiora interim in hoc genere sunt, quæ habent Palladius et Sozomenus : quibus adde Vitas Patrum, quando congruentia concurrit, in qua hic potius, quam alius videbitur relucere. Quamquam non refragabor, si quis dicat, quod præsumi utcumque posse videatur, quædam in dictis Vitis solo Moysis nomine notata, hodierno forte Moysi *tacite attribui per antonomasiam, cum propter magnam inter antiquos eremicolas nominis celebritatem, tum propter septuaginta discipulos, quos habuit. At de hic aliqua etiam animadvertenda sunt.*

ejusdem discipuli:

52 *Monumentorum ecclesiasticorum sæpe nominatus collector suæ de* S. Moyse *hodierno lucubrationi subjungit duos e pluribus ejusdem, uti vult,* Moysis *discipulos, Zachariam videlicet et Carionem, pag.* 76 *et sequentibus varia de iis memorans e Vitis Patrum atque Apophthegmatibus apud Cotelerium. Hæc legi possunt pag.* 443 *et* 444, *item pag.* 516 *et sequentibus : illæ vero libro* 3, *num.* 86, *pag.* 513, *et lib.* 5 *libello* 15, *num.* 17, *pag.* 623. *Invenio apud Cotelerium nomen Moy-*
B *sis, ac duos istos, de quibus agebam, in Scheti resedisse, ac mentionem fieri de Isidoro ejusdem loci presbytero, eodem forte, de quo Palladius, et quocum egit* S. Moyses *Æthiops e latrone conversus : rei gestæ textum citavi* § 2. *Sed idem auctor* magnum Isidorum *illum ibidem vocat. Verum cum dubitari non possit, quin hic* Moyses *in tanto discipulorum numero omnes vel plerosque saltem habuerit virtutum suarum testes atque heredes, parum nostra et Sancti interest, an Zacharias et Carion sub ejusdem fuerint disciplina, an sub alterius synonymi.*

fuit abbas presbyter, ac forte martyr.

53 *Ex tam multis ejus discipulis videtur confici veri nominis abbatem exstitisse. Abbas vocatur apud Palladium in titulo Vitæ prævio, qui in eodem non est in Græco exemplari, quod vulgavit Meursius.* Factus *fuit* presbyter, *teste Palladio. Potest etiam appellari martyr ab iis, qui eum non distinguendum a synonymo, qui a barbaris occisus est, censebunt cum Tillemontio. Titulos hosce illi dedi ante exordium hujus Commentarii prævii, ita tamen, ut martyrium restrinxerim per adverbium* fortassis, *si alteri synonymo conveniat.*

C

§ VI. Vitæ Græcæ exemplaria; nostræ observationes.

Duplex Vita Græca

Præcipuus Vitarum fons est Palladius, antea a nobis laudatus. Ad hunc referenda sunt, quæ de Sancto commemorant duo biographi Græci, quorum narrationis exemplaria Mss. sunt apud nos. Unum acceptum e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quo sæpe facta jam fuit mentio per decursum hujus mensis Augusti. Nullum præfert auctorem; sed hoc prænotatur titulo : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μωσέως τοῦ Αἰθιοπος ΚΗ'. *Hoc est :* Sancti patris nostri Moysis Æthiopis *(Vita)* XXVIII *(Augusti.) Incipit :* Οὗτος ὁ μακάριος Μωσῆς τῷ μὲν γένει ἦν Αἰθίοψ, τῇ χροίᾳ μέλας ἀκριβῶς. Hic beatus Moyses genere quidem erat Æthiops, colore *(autem)* niger admodum. *Finis est :* Τελευτᾷ δὲ ἐτῶν ἑβδομήκοντα πέντε ἐν τῇ Σκήτῃ, γεγονὼς καὶ πρεσβύτερος, καταλιπὼν ἑβδομήκοντα μαθητάς. Ταῖς πρεσβείαις αὐτοῦ, Κύριε, σῶσον πάντας ἡμᾶς *etc.* Obit autem annorum septuaginta quinque in Scheti, factus etiam presbyter, relinquens septuaginta discipulos. Intercessionibus ejus, Domine, salva nos omnes *etc.* D

exemplar : notationes nonnullæ

55 *Aliud Vitæ exemplar reliquit nobis Papebrochius noster a se scriptum* ex cod., *prout addit,* Ambros. f. N. n. 152. Vide Mart. Maximi. *Majorem de hoc codice notitiam suggessi in hoc tomo pag.* 29, *ubi etiam agitur de ejusdem scriptore* monacho quodam Laurentio in monasterio Rutiensi, quod est in Calabria. *In hoc Ms. aliquanto longior est narratio, quam in superiore. Vitam porro istam typis committam, e Græco in Latinum sermonem a me conversam, et Annotatis instructam. In eadem apud nos num.* 9 *occurrit* σαλός ἐστι, *quæ expressio aliquantulum exercuit Tillemontium in notatione* 2 *super* S. Moyse *latrone. Dicit enim, se non invenire vocem* σαλὸς *nec in Constantino, nec in Meursio : voci autem* σάλος *non dari ab illis significationes, nisi quæ huic loco non conveniunt. Sed Palladius, inquit, quem allegat cap.* 41, *pag.* 958 *et sequentibus, adhibet eamdem vocem respectu filiæ, quæ fatuam sese et possessam fingebat, addens, se idcirco credidisse, quod vox ista deberet hic sumi in eodem sensu, pro quo insuper affert versionem Cotelerii. (Consuli hæc potest pag.* 552.*)* E

in illud,

56 *Ibidem etiam observat ex Vitis Patrum, quod* stultus *sit in versione Pelagii Diaconi, et alterius, quem volunt esse Rufinum; sed utrumque ibidem addere* et hæreticus, *quod non est in textu Græco, et vix umquam passos esse Sanctos, ut appellarentur hæretici, longe minus, ut ipsimet hoc se onerarent opprobrio. Quod hic proferebat Tillemontius e duobus istis scriptoribus, habetur in Vitis Patrum lib.* 5, *libello* 8, *num.* 10, *pag.* 593, *et lib.* 3, *num.* 119, *pag.* 517. *Et vero nomen adjectivum, de quo hic agebatur, adeo apud antiquos fuit notum ac pervulgatum, ut in nomen proprium fuerit commutatum, illisque datum Sanctis, qui, ut mundi desipientis vanitati ac fatuitati ludos facerent, sub simulato atque affectato stultitiæ velo cœlestem suam sapientiam occultarunt, facti* stulti propter Christum. *Consule, quæ jam pridem scripsi tomo* I *Julii, die* I *ejusdem mensis, pag.* 129 *in S. Symeone Salo, ubi obiter indicavi, hujusmodi Sanctis id cognominis* Σαλὸς *inditum a voce Syriaca.*

quod a nobis

57 *Haud equidem miror, nihil memorari in Vita prædicta, quam Laurentius Rutiensis monachus scripsit, de quodam* dæmone *ad meliorem frugem converso per* S. Moysen *nostrum; hoc videtur utcumque mirum, quod res illa breviter memorata in textu Græco Palladii, quem edidit Meursius, et in quo narrantur gesta* Moysis *Æthiopis, sit omissa in Latina Herveti versione, quin immo, sicut lego apud scriptorem neotericum, in versionibus diversis. Textus Græcus Palladii sic habet :* Καὶ οὕτω προσῆλθεν τῷ πράγματι τῆς μετανοίας, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν συμπρώκτην αὐτοῦ ἐκ νεότητος δαίμονα, τὸν εἰς πάντα αὐτοῦ συναμαρτῶντα, ἄντικρυς εἰς ἐπίγνωσιν ἀγαγεῖν τοῦ Χριστοῦ. *Quæ in Appendice ad Vitas Patrum cap.* 7, *pag.* 954 *in Heraclidis eremitæ Paradiso, eadem cum Palladio tractantis,* incerto sed veteri interprete, *sic redduntur Latine :* Suæque pœnitentiæ vitam sic vehementer arripuit, ut etiam Clemonem malorum consortem suorum, qui a prima cum eo ætate peccaverat, ad cognoscendam virtutem Christi eminus collocaret.

Græce redditum

58 *Cur autem in Latina Palladii Historia hæc prætermissa? Suspicor, id accidisse, quia per* dæmonem *intellexerint interpretes* diabolum. *Verum hæc significatio tam esset ridicula, et Palladio indigna,*

A *digna, ut potius sit fatendum, vel corruptum esse locum, vel dæmonem hic nomen proprium hominis esse. Rosweydus in notatione ad locum supra productum pag.* 1008, In Græco, *inquit*, Paladio Parisiensi συμπαίκτην αὐτοῦ, COLLUSOREM SUUM. In Palatino erat συμπρώκτης. Utrobique autem in Græco erat δαίμονα pro Κλήμονα. Sed ex Heraclide Palladius emendandus.

prælo 59 *Quidnam igitur tantopere commeruit ista historia, quid peccavit, ut nonnulli interpretes eam omiserint, tamquam luce publica indignam? Si vero cuiquam non faciat satis observatio Rosweydi, quæ apparet mihi admodum bona, consideret is, quod dicebam de nomine proprio* dæmonis, *quod vel ex patre homo ille traxerit, vel aliunde ei datum fuerit propter singularem crudelitatem ac profligatum vitæ modum. Sed hoc cum plus habeat conjecturæ, quam facti, magis mihi arridet sententia Rosweydi.* AUCTORE J. P.

60 *Quod tamen attinet ad vocem* συμπρώκτην, *cui Rosweydus substituebat* συμπαικτην; *videtur mihi in hac aliquid esse contorti, adeo ut incidat mihi suspicio, legendum fortassis esse* συμπράκτωρα, *id est*, socium *vel* consortem. *Sic autem, ni fallor, legerit vetus Heraclidis interpres, de quo dicebam, ponendo* malorum consortem, *non vero* collusorem. *Sic etiam legitur in codice Cæsareo Vindobonensi* συμπράκτωρας *plurali numero: cujus fragmentum producemus in Annotatis ad Vitam littera* a. *Accipe nunc, lector, Vitam, quæ licet res Sancti gestas referat ab antiquis antea ad posteros transmissas, ejusdem tamen exemplar supprimendum non judicavi, quod non novi umquam hactenus vulgatum prælo fuisse.* subjicitur.

VITA

A Laurentio monacho Rutiensi descripta,

B E

E codice Ambrosiano, interprete Joanne Pinio.

Οὐδὲ δούλοις, οὐδὲ κακούργοις ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀποκέκλειται, ἀλλ' ἐντός εἰσι ταύτης οἱ τῇ μετανοίᾳ, καθὰ δεῖ, κεχρημένοι, καὶ τὸ βιοῦν ὀρθῶς αἱρούμενοι, καὶ κατὰ Θεόν· οὐδὲ Σκύθαις πάντως, οὐδὲ Αἰθίοψι. πάντες γαρ χωρητοὶ σῇ ἀγήνῃ* Χριστοῦ, καὶ πάντας ἕλκει πρὸς τὴν μάνδραν τῆς ἐπιγνώσεως ὁ Ποιμὴν ὁ καλὸς, ὁ τιθεὶς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων, Χριστός. Καὶ τοῦτο καὶ ἐξ ἄλλων μὲν πλείστων ἔνεστι κατιδεῖν, ἀλλὰ δὴ καὶ ἀπ' αὐτοῦ, τοῦ προσκειμένου νῦν ἡμῖν εἰς διήγησιν, Μώσεώς, φημι, τοῦ Αἰθίοπος. Ὅσῳ γὰρ καὶ δύστροπος ἦν ὁ ἀνὴρ, τοσούτῳ καὶ τὴν ἀρετὴν γέγονε μέγας καὶ περιβόητος.

* l. ἀπέλῃ

Nec servis, nec maleficis regnum Dei occlusum est (sed intra illud sunt, qui, ut oportet, pœnitentiam exercent, atque ad recte vivendum, et secundum Deum, appellunt animum) nec Schytis, nec Æthiopibus: omnes enim sunt capaces gregis Christi, bonusque Pastor omnes trahit ad cognitionis stabulum, qui animam posuit pro eis, Christus. Atque hoc quidem licet videre cum ex aliis plurimis, tum vero etiam ex ipso, cujus nobis nunc præ manibus est narratio, Moyse, inquam, Æthiope. Quanto enim vir moribus erat perversior, tanto etiam virtute major ac famosior evasit. *Post præfatiunculam*

2 Οὗτος οὖν ὁ μεμελασμένον ἔχων μὲν τὸ σῶμα, λαμπροτέραν δὲ τὴν ψυχὴν τῶν ἡλιακῶν κτησάμενος μαρμαρυγῶν, οἰκέτης γέγονε πολιτευοένου τινὸς, οἰκέτης οὐκ εὔνους, οὐδὲ φίλα δεσπότῃ φρονῶν, ἐναντία δὲ καὶ τῶν καλῶν τρόπων ὄντα μακρόν. Πᾶν γὰρ ἔι τι συρφετῶδες καὶ φαῦλον, πᾶν ἔι τι δύστροπον ναὶ ἀπειρημένον, εἰργάζετό-

C τε, καὶ ἐμελέτα, καὶ καθ' ἑκάστην, ὡς εἰπεῖν, τὴν ἡμέραν ἐν χερσὶν εἶχε καὶ λογισμῷ, μὴ μεταβαλλόμενος τὸ σύνολον τὸν σκοπὸν μὴ ὀργῇ δεσπότου, μὴ παιδείᾳ, μὴ κακώσεσιν ἄλλαις. Ἔνθεν τοι καὶ τὴν διόρθωσιν ἀπαγορεύσας ὁ τούτου δεσπότης πόῤῥω τοῦτον βάλλει τοῦ αὐτοῦ ὁ καλῶς ποιῶν ὀφθαλμῶν· καὶ ὃς λῃστείαις καὶ κλοπαῖς ἐνεφιλοχώρει καὶ φόνοις καὶ λοιπαῖς ἄλλαις κακουργίαις παντοίαις, ὧν μιᾶς ἐπιμνησθῆναι καλὸν.

2 Hic igitur denigratum quidem habens corpus, anima vero solaribus fulgoribus splendidiore præditus, cujusdam præfecti reipublicæ erat famulus, non benevolus, neque intendens animum servus ad ea, quæ domino erant chara; sed ad contraria, quæque a bonis moribus longe distabant. Quidquid enim erat abjectum et vile, quidquid improbum ac nefandum, operabaturque et meditabatur, ac per dies singulos, ut ita dicam, habebat in manibus ac cogitatione, nec domini ira, nec castigatione, aliisque inflictis malis vel tantillum a proposito absterritus. Unde dominus ejus, desperata illius emendatione, et conspectu eum suo amovit, recte faciens. Ille autem latrociniis, furtis, cædibus, reliquisque aliis maleficiis multimodis operam dabat, quorum unum meminisse juverit. *narrat scriptor* F

3 Τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ πεποιθὼς ὁ Μωσῆς ἔξεισι μόνος εἰς λῃστείαν ποτὲ. Ποιμένος οὖν τινος παρεμποδήσαντος καὶ κωλύσαντος αὐτὸν τῆς ὁρμῆς, εἴτε μηνύμασιν εἴτε τρόποις ἄλλοις τισὶν οὐκ ἔχω λέγειν, ἐκεῖνος ὅλος ἐκμανὴς γεγονὼς, ἐπιτίθεται τούτῳ τὸν Νεῖλον νύκτωρ πλημμυροῦντα διανηξάμενος. Τούτου προαισθομένου τὴν ἔφοδον καὶ πρὸς φυγὴν τραπομένου, ὁ Μωσῆς ἀποτυχὼν τοῦ σκοποῦ, κριοὺς τέσσαρας ἐπιλέκτους ἐν θυμῷ σφαγιάσας, καὶ σχοίνῳ συνδήσας, τὸν ποταμὸν δι' αὐτῶν νηχόμενος ἀντεπέρασε. Τῶν κρεῶν τοίνυν αὐτῶν μετασχὼν, καὶ τὰ κώδια τούτων οἴνου διαπωλήσας, τοὺς ἑταίρους κατέλαβε πεντήκοντά που τοῦ ποταμοῦ τὴν οἴκησιν σταδίους ἀπέχοντας. Ταῦτα τοῦ Μωσέως τὰ δεινὰ νεανιεύματα καὶ τεκνάσματα καὶ τοιαῦτα καὶ μείζονα.

3 Corporis robore confisus Moyses exit solus aliquaudo ad latrocinium. Dum igitur pastor quidam impetum ejus impediret ac inhiberet, (an signis, an aliis modis quibusdam, non habeo dicere;) ille totus in furias raptus, ad eum se agit, Nilum inundantem noctu transnatans. Illo autem accessus præscio, atque in fugam verso, Moyses fine suo frustratus, quatuor arietibus egregiis in furore mactatis, et fune ligatis, fluvium cum ipsis natando transmisit. Eorum igitur carnibus potius, pellibusque eorum pro vino venditis, pervenit ad socios, quorum habitatio quinquaginta stadia a fluvio aberat. Hæc Moysis est horribilis strenuitas, ad machinamenta hujusmodi ac majora. Hæc vero cursim retuli, Dei erga suum figmentum commiserationem et *profligatam Moysis vitam,*

A. LAURENTIO MONACHO.

et patientiam obstupescens : quomodo per pœnitentiam trahat omnes ad salutem, nihilque sit iniquitatum, quod vincat magnam ipsius ac ineffabilem misericordiam.

et conversionem :

4 Talis quippe ac tantus dux latronum, cujus vel dictum solummodo nomen incutiebat multis metum ; famosus hic in malitia, et crudelitate nulli secundus, divina gratia animam ejus tangente per causam aliquam non prorsus exiguam, in quam incidit, Dei mortisque ac judicii memor, omnem illum diuturnum et multis peccatis fœdum vivendi modum reliquit, omnemque manipulum clandestinum, ac insidias omnes commilitonum : de improviso venerabile monasterium adit, habitu miserabilis, modo humilis, spiritu contritus, totus contractus, totus animi motu plenus, lacrymis ac gemitibus refertus. Ac primo quidem monachis, qui ibidem erant, metum incutit, deinde accidit ad pedes præfecti, veniamque commissorum fervide petit, singillatim ea annuntiat, cogitationes, actiones, inventiones, mentem, opera ; nihil eorum, quæ fecerat, ipsum celavit ; quia nihil horum quidquam, quod condonatum non esset, volebat subtractum.
B

petit et obtinet habitum monasticum :

5 Petit apud hos, rebus omnibus mundanis abdicatis, suscipere salutis pignus, monasticum, inquam, habitum, uberes etiam tunc effundit lacrymas, utque non frustretur desiderio, supplex foris obtestans. Præfectus itaque incredibili hac mutatione perculsus (audierat enim hujus viri gesta) benigne illum admittit, osculatur illum, ambabus manibus amplectitur, et tamquam aliquem e magnis viris illum videt propheta omnino, vel etiam internorum perspicax : tondet illum, monastico habitu dignatur, catalogo fratrum accenset ; docet, instruit, hortatur, convenientes ei dat præceptiones : eratque Moyses ad monastici instituti leges non tamquam nuper conflatus, sed quasi a multis annis ea cum laude exercens, omnia fratrum implens ministeria, et omnia alacriter : nec a conventu aberat, jejuniis et orationibus vacabat, et post tres quatuorve dies sumebat panem et aquam Vir mirabilis. Sublimem humilitatem possidebat, lacrymam continuam, gemitus inenarrabiles, vigilias per totam noctem *a*.
a

eximiæ virtutes :

C 6 Et quid opus est multa dicere? Magnus Moyses in operibus, in miraculis fit spectantibus compunctionis argumentum, dæmonum persecutor, morborum curator, et, ne singula memorem, omnibus omnia factus est, postquam divina illum gratia honoravit, ut omnes lucrifaceret, optimus pater, doctor diligentissimus, regula, exemplar, et amussis monasticæ conversationis. Moysen omnes monachi habebant patrem, pastorem, ductorem, sicut optimo Spiritu fuit placitum : et quid opus est multis? quam memorabilis est factus in malitia, tam apparuit ad virtutem ambidexter : eratque Moyses magnus, et in ore omnium versabantur. Moysen resonabat *b* eremus, Moysen montes, Moysen vicina omnis civitas. Moyses solus mihi videtur hic mutare parœmiam, quod Æthiops omnino non lavetur *c*. Etenim, etiamsi non corpus, animam tamen hic abluit hyssopo pœnitentiæ, illamque solaribus fulgoribus splendidiorem reddidit. Atque hæc quidem pauca e multis.
b
c

latrones conversi : certamina cum dæmone :

7 At dignum est, nonnulla ipsius post conversionem contra homines pessimos, et contra dæmonum insultus memorare certamina. Latrones aliqui occurrerunt ei iter agenti *d*, eumque invaserunt : qui illos vinculis constrictos adducit ad Patres, bo-
d

Διεξῆλθον δὲ ταῦτα, τοῦ Θεοῦ τὴν τὸ οἰκεῖον πλάσμα συμπάθειαν, καὶ τὴν ἀνοχὴν ἐκπληττόμενος, πῶς διὰ τῆς μετανοίας ἕλκει πάντας εἰς σωτηρίαν, καὶ οὐδὲν ἐστι τῶν ἀδικημάτων, ὃ νικᾷ τὴν αὐτοῦ μεγάλην καὶ ἄφατον εὐσπλαγχνίαν. D

4 Ὁ γὰρ τοιοῦτος καὶ τοσοῦτος λῄσταρχος, οὗ καὶ τὸ ὄνομα λεγόμενον μόνον φόβον τοῖς πολλοῖς ἐνεποίει· ὁ περιβόητος οὗτος ἐν κακίᾳ, καὶ τὴν ἀπήνειαν ἀπαράμιλλος, τῆς θείας χάριτος αὐτοῦ τῆς ψυχῆς ἀψαμένης διά τινα πάντως οὐ μικρὰν αἰτίαν, ᾗ περιπεσὼν ἐμνήσθη Θεοῦ, καὶ θανάτου, καὶ κρίσεως, πᾶσαν ἐκείνην τὴν πολυχρόνιον καὶ πολυαμάρτητον διαγωγὴν καταλιπὼν, καὶ πάντα λόχον ἐρημικὸν, καὶ πᾶσαν ἐνέδραν· ἀσκητων ἐξ ἀπροόπτου σεβασμίᾳ πρόσεισι μονῇ τὸ σχῆμα ἐλεεινὸς, τὸν τρόπον ταπεινὸς, τὸ πνεῦμα συντετρομμένος*, ὅλος κατηφὴς, ὅλος πάθους μεστὸς, δακρύων πλήρης καὶ στεναγμῶν. Καὶ φόβον μὲν πρῶτα τοῖς ἐν αὐτῇ προσεμποιεῖ μοναχοῖς, εἶτα προσπίπτει τοῖς τοῦ προεστῶτος ποσὶ, καὶ θερμῶς αἰτεῖται τὴν συγγνώμην τῶν ἐσφαλμένων, ἀπαγγέλλει ταῦτα κατὰ λεπτὸν, ἐξαγορεύει τοὺς λογισμοὺς, τὰς πράξεις, τὰς ἐνθυμήσεις, τὰς διανοίας, τὰ ἔργα, οὐδὲν τῶν εἰργασμένων αὐτῷ παρενέλιπεν, ὅτι μὴ διασυγχώρητον ἠβούλετό τι E
τούτων ὑποληφθῆναι.

*συντετριμμένος

5 Πρὸς τούτους αἰτεῖ καὶ τοῖς κατὰ κόσμον πᾶσιν ἀποταξάμενον δέξασθαι τὸ τῆς σωτηρίας ἐχέγγυον, τὸ μοναχικὸν ἔνδυμα λέγω, δάκρυα κἀν τούτῳ συχνὰ καταχέει μὴ παροφθῆναι τῆς ἐπιθυμίας ἐκτὸς λιπαρῶν. Ὁ τοίνυν κατηγούμενος τὸ παράδοξον ἐκπλαγεὶς τῆς μεταποιήσεως (οὐδὲ γὰρ ἀνήκοος τῶν τοῦ ἀνδρὸς ἐτύγχανε πράξεων) δέχεται τοῦτον εὐμενῶς, ἀσπάζεται τοῦτον, χερσὶν ἀμφοτέραις περιπλέκεται, καὶ ὥς τινα τῶν μεγάλων τοῦτον ὁρᾷ προφητικῶς πάντως, ἢ καὶ διορατικῶς, κείρει τοῦτον, ἀξιοῖ τοῦ μοναχικοῦ σχήματος, καὶ ἕνα τοῦ καταλόγου τῆς ἀδελφότητος τίθησι· διδάσκει, νουθετεῖ, παρακαλεῖ, ἐντολὰς αὐτῷ δίδωσι τὰς πρέπουσας· καὶ ἦν Μωσῆς πρὸς τὰ τῆς μοναχικῆς πολιτείας θεσμὰ οὐχ᾽ ὡς ἀρτιπαγὴς, ἀλλ᾽ ὡς χρόνων ἐκ πλείστων ταῦτα κατορθωκὼς, πᾶσαν ὑπηρεσίαν ἐπλήρου τῶν ἀδελφῶν, καὶ πᾶσαν προθύμως, καὶ τῆς συνάξεως οὐκ ἀπελιμπάνετο, νηστείαις καὶ προσευχαῖς ἐσχόλαζε, καὶ διὰ τριῶν ἢ τεττάρων ἡμερῶν τοῦ ἄρτου μετεῖχε καὶ τοῦ ὕδατος ὁ θαυμάσιος. Ταπείνωσιν ἄκραν ἐκτήσατο, δάκρυον ἄπαυστον, στεναγμοὺς ἀλαλήτους, ἀγρυπνίαν πάννυχον.

F

6 Καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν; μέγας ὁ Μωσῆς ἐν ἔργοις, ἐν θαύμασι γίγνεται, κατανύξεως τοῖς ὁρῶσιν ὑπόθεσις δαιμόνων διώκτης, νόσων θεραπευτὴς, καὶ, ἵνα καθ᾽ ἕκαστον λέγω, πᾶσι πάντα γέγονε, τῆς θείας χάριτος δοξασάσης αὐτὸν, ἵνα πάντας κερδήσῃ, πατὴρ ἄριστος, παιδευτὴς ἀκριβέστατος, κανὼν καὶ τύπος καὶ στάθμη τῆς μοναδικῆς πολιτείας. Πατέρα πάντες τὸν Μωσῆν εἶχον οἱ μοναχοὶ, ποιμένα, κατηγητὴν, οὕτω τοῦ παναγάθου πνεύματος εὐδοκήσαντος· καὶ τί χρὴ τὰ πολλὰ λέγειν ; ὅσον γέγονεν εἰς κακίαν περίφημος, τοσοῦτον ἐφάνη πρὸς ἀρετὴν περιδέξιος· καὶ ἦν μέγας ὁ Μωσῆς, καὶ τοῖς ἁπάντων ἔκειτο στόμασι. Μωσῆν χενὴ ἔρημος, Μωσῆν τὰ ὄρη, Μωσῆν ἡ πόλις ἡ περίχωρος πᾶσα. Μωσῆν κἀνταῦθά μοι μόνον τὸ τῆς παροιμίας δοκεῖ παρηλλαχθῆναι, τὸ μὴ σμήχεσθαι πάντως Αἰθίοπα. Καὶ γὰρ εἰ καὶ μὴ τὸ σῶμα οὗτος, ἀλλὰ τὴν ψυχὴν ἀπέσμηξε τῷ τῆς μετανοίας ὑσσώπῳ, καὶ λαμπροτέραν αὐτὴν ἡλιακῶν μαρμαρυγῶν ἀπετέλεσε. Καὶ ταῦτα μὲν ἐκ πολλῶν ὀλίγα.

7 Πλὴν ἄξιόν ἐστι καὶ τῶν ἐκείνου μετὰ τὴν μετάνοιαν ἀγώνων πρόστε τοὺς τῶν ἀνθρώπων πονηροτάτους, καὶ πρὸς τὰς τῶν δαιμόνων ἐπεμβολὰς ἀπομνημονεῦσαί τινα. Λῃσταὶ ποτε προσυπήντησαν ὁδεύοντι τούτῳ, καὶ δὴ καὶ ἐπέθεντο· καὶ ὃς αὐτοὺς δεσμοῖς περιβα-

A περιβαλὼν πρὸς τοὺς πατέρας ἀπάγει, καὶ σώζει ταῖς παραινέσεσιν, καὶ τῆς κακῆς ὁρμῆς αὐτοὺς ἀφεστᾶ. Ἐπέθεντο τούτῳ καὶ δαίμονες, ταῖς κέλλαις νυκτὸς ἀπιόντος, τῶν μὴ δυναμένων τὴν χρείαν τοῦ ὕδατος κομίζειν γερόντων, καὶ λαμβάνων αὐτῶν, αὐτῶν τὰς ὑδρίας ἐπλήρου ταύτας ὕδατος, ἀγνοούντων ἐκείνων· ἀπὸ μήκους γὰρ ἔχουσιν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις τὸ ὕδωρ. Μιᾶς οὖν τῶν νυκτῶν ἐπιτηρήσας ὁ δαίμων, μηκέτι φέρων τὴν τοῦ ἀθλητοῦ καρτερίαν, ἐγκύψαντι αὐτῷ εἰς τὸ φρέαρ ἐπὶ τὸ τὴν ὑδρίαν πληρῶσαι, παίει τοῦτον κατὰ τῶν ψυῶν, καὶ ἀφῆκε τῷ τόπῳ κεῖσθαι ὡσεὶ νεκρὸν, μὴ εἰδὼς παρά τινος πέπονθε τοῦτο. Τῇ οὖν ἐπιούσῃ ἐλθόντων τινῶν ὕδωρ ἀντλῆσαι, εὗρον κείμενον καὶ ψυχοῤῥαγοῦντα, καὶ ἀπαγαγόντες τῇ ἐκκλησίᾳ, μόλις ἐπὶ ἐνιαυτὸν ὅλον ἐδυνήθη ἐν ἰσχύει γενέσθαι, πολλὰ παρ' αὐτῶν παραινεθεὶς παῦσαι τοῖς δαίμοσιν φιλονικεῖν· μέτρα γὰρ τῆς πρὸς αὐτοὺς ἀνδρίας εἰσὶ· ἀλλὰ καὶ εὐχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ ποιήσαντες τῶν ἀκαθάρτων ἐνυπνίων αὖθις ἀπήλλαξαν, καὶ τοῖς θείοις προσελθεῖν παρεσκεύασαν μυστηρίοις· ἵνα γάρ, φησι, μὴ καυχήσῃ ὡς τῇ σῇ περιεγένου ἀσκήσει τούτῳ τῷ πάθει, καὶ καταχθεὶς ὑπὸ οἰήσεως, καταδυναστευθῆναι ὑπ' αὐτοῦ παρεχωρήθης, καὶ οὕτως αὐτοὺς καταπαλαίσας ἀσθενεῖς ἀπήλεγξε καὶ B ἀπράκτους.

8 Ἀδελφοῦ δὲ τινος ἁλόντος ἐπὶ τινι σφάλματι ἐν Σκήτει ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν ἐν τῇ συνάξει παραγενέσθαι· ὁ δὲ παρῃτησάμενος, δεύτερον ἀπέστειλαν, καὶ ἀναστὰς λαβὼν σπυρίδα τετριμμένην, καὶ ταύτην ἄμμου πλήσας ἦκε βαστάζων. Οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ, καὶ ἐπυνθάνοντο, τί δοκεῖ εἶναι τὸ πεπραγμένον. Ὁ δὲ, αἱ ἁμαρτίαι μου, ἔφησεν, ὀπίσω μου καταῤῥέουσαι, οὐ βλέπω αὐτάς, καὶ ἦλθον ἐγὼ σήμερον ἀλλότριον κρῖναι ἁμάρτημα. Οἱ δὲ ἀκούσαντες συνεχώρησαν τῷ ἀδελφῷ, καὶ ἀπέλυσαν. Καὶ ἄρχων δέ τις ἀκούσας περὶ αὐτοῦ, ἀπῆλθεν εἰς τὴν Σκῆτιν ἰδεῖν αὐτόν. Καὶ ὁ γέρων γνοὺς ἀνέστη φυγεῖν. Κατὰ συγκυρίαν δὲ ἀπαντήσας τῷ ἄρχοντι, ἠρωτατο, που εἶναι τὴν κέλλαν Μωσέως. Καὶ αὐτὸς Σαλὸς ἐστι, τί θέλετε ἀπ' αὐτοῦ, ἔφησε. Καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν σύναξιν ὁ ἄρχων ἐξηγεῖτο τοῖς ἀδελφοῖς ἅπερ ἠκηκόει, παρὰ τοῦ ἀπαντήσαντος. Ἐκεῖνοι δὲ λυπηθέντες, ποταπὸν εἶναι τὸν εἰπόντα διεπυνθάνοντο. Ὁ δὲ, γέροντα, μακρὸν, παλαιὰ φορῶν, καὶ μέλανον. Οἱ δὲ αὐτόν εἶναι τὸν Μωσέα, καὶ διὰ τὸ μὴ θέλειν ἀπαντῆσαι, εἶπεν ὑμῖν ταῦτα. Καὶ ὁ ἄρχων ὠφεληθεὶς ἀνεχώρησεν.

C

9 Οὕτω τοιγαροῦν βιοὺς, ὦ πανάριστε πάτερ, καὶ πλήρης γενόμενος ἡμερῶν τῶντε λυομένων καὶ τῶν τοῦ πνεύματος, ἐνδόξως καταλύεις τὸν βίον ἐν τέλει καλῷ· καὶ νῦν ταῖς οὐρανίαις σκηναῖς ἐμφιλοχωρεῖς· ὧν γένοιτο καὶ ὑμᾶς πάντας ἀξιωθῆναι ταῖς πρὸς Χριστὸν ἱκεσίαις σου, ᾧ πρέπει δόξα, κράτος καὶ τιμὴ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

nisque monitis servat, et a malo instituto ipsos avocat. Illum etiam dæmones invaserunt, dum noctu a cellis aberat, senibus aquam, qua utebantur, portare non valentibus : ille autem capiens eorum hydrias, aqua illas implebat clam ipsis : nam in illis locis longe distantem habent aquam. Quadam igitur nocte observans dæmon, Athletæ laboris non ferens tolerantiam, cum incurvatus esset ad puteum, ut hydriam impleret, ad lumbos eum cecidit, et reliquit in loco jacentem veluti mortuum : nec sciebat, a quo id passus fuisset. Postero die dum venirent aliqui ad hauriendam aquam, et invenirent eum jacentem, et præ frigore deficientem, in ecclesiam eum duxerunt : anno vix integro fuit restitutus viribus, multis monitus ab eisdem, ut cum dæmonibus sic certare desineret : magni enim contra eos animi esse mensuras : quin immo, facta pro eo oratione, ab impuris somniis illum liberarunt, et ad divina adeunda mysteria, compararunt; Ut non glorieris, inquiunt, quasi tua exercitatione hanc superaveris passionem, et, ne in elationem animi incideres, concessum, ut tyrannide ejusdem E vexareris *e*. Et sic luctatus, dæmones infirmos esse et impotentes comprobavit *f*.

A. Laurentio monacho.

8 Dum vero frater aliquis in defectu quodam esset deprehensus in Sceti, miserunt ad illum, ut ad congregationem veniret : qui ubi se excusaret, miserunt ad eum secundo ; surgensque accepit sportam detritam, eamque implens arena, venit illam portans. Ipsi vero hoc audientes exierunt illi obviam, et sciscitabantur, quid de facto hoc censeret. Hic autem, Peccata, inquit, mea post me defluunt, non video illa : et ego veni hodie, ut judicem alienum peccatum. Quo audito, veniam dederunt fratri, et dimiserunt eum *g*. Et vero quidam præfectus, postquam audisset de eo, discessit in Sceten, ut videret eum. Senex vero, re cognita, surrexit, ut fugeret. Casu autem occurrens præfecto interrogabatur, ubinam esset cella Moysis : qui dixit : Fatuus *h* est : quid vultis ab ipso? Et præfectus ad congregationem veniens, fratribus exposuit, quæ audierat ex eo, qui sibi occurrerat. Illi vero tristitia affecti interrogabant, qualis esset, qui hoc ei dixerat. Senex, inquit, longus, detrita amictus veste, et niger. Cui illi : Hic ipse est Moyses, et quia non vult occurrere, hæc vobis dixit. Et præfectus cum animæ pro- F gressu discessit *i*.

recusat condemnare fratris defectum, ac videri a quodam præfecto :

9 Postquam igitur sic vixisses, o ter optime Pater, ac plenus esses dierum, tam qui sunt fluxi, quam qui sunt spiritus, gloriose solvis naturæ debitum in fine bono, et nunc cælestia lubens inhabitas tabernacula : quorum nos omnes consequi dignitatem contingat tuis apud Christum supplicationibus, quem decet gloria, potestas et honor nunc et in secula seculorum. Amen.

scriptoris ad Sanctum apostrophe.

ANNOTATA.

a *Exemplar Vindobonense multum differt ad hoc, brevissime referens :* Ἐπιδέδωκεν ἑαυτὸν μοναστηρίῳ : Tradidit se monasterio ; *et addit :* Καὶ οὕτως προσῆλθε τῇ μετανοίᾳ, ὡς καὶ τούς συμπράκτωρας αὐτῷ ἐκ νεότητος ἐν τοις λῃστρικοῖς, ἐὶς ἐπίγνωσιν ἀγαγειν τοῦ Χριστοῦ. Et sic profecit in pœnitentia, ut etiam eos, qui a juventute erant socii ejus in latrociniis, ad Christi agnitionem adduxerit. *De uno factum hoc narravimus in Commentario prævio num.* 57 ; *ad quod videtur hic respexisse dictum exemplar.*

b *Lege quæ designavi in Commentario prævio num.* 36.

c *Pro* εἶχεν, *quod erat in Græco, posui* ἦχει, resonabat, *ut requirit sensus.*

d *Codex Vindobonensis :* Τούτῳ ἐπερρίψαν τέσσαρες λῃσταὶ καθεζομένῳ ἐν τῷ κελλίῳ. *Id est :* Id eum in cella sedentem insilierunt quatuor latrones *etc. De latronibus quatuor a Sancto conversis egi in Commentario num.* 6 *ex Palladio.*

e *Pluribus exposita ibidem sunt num.* 8 *et seqq. Viri sancti adversus carnem certamina, et adhibita remedia.*

f *Mirum*

A. LAURENTIO MONACHO.

f *Mirum ejus in dæmones imperium confirmatur ibidem num.* 17 *ex Palladio, et ex Sozomeno num.* 38. D

g *Factum hoc narratur e Vitis patrum in Commentario nostro prævio num.* 23.

h *Vide, quæ de voce* σαλὸς *huic significationi Latinæ respondente præmisimus ibidem num.* 55 *et* 56.

i *Ibidem num.* 19 *et* 20 *refertur hæc historia e Vitis patrum.*

DE S. AMBROSIO EPISCOPO CONF.

SANTONIS IN GALLIA.

J. S.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

SUB INITIUM SECULI V. *S. Ambrosius Santonensis episcopus fuit ante S. Bibianum.*

Dionysius *Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ in episcopis Santonensibus col.* 1056 S. Ambrosium *postponit S. Bibiano, de eoque hæc scribit :* Solum S. Ambrosii Santonum pontificis nomen nobis notum. In Breviario Santonensi legitur S. Bibianum S. Ambrosio successisse ; sed B hoc Breviarium non est majoris auctoritatis quam vulgati catalogi. *Nititur ergo sola auctoritate vulgatorum catalogorum Sammarthanus, dum* Ambrosium *Bibiano postponit. Attamen ne catalogi quidem omnes huic favent opinioni. Certe Demochares de Missæ Sacrificio pag.* 45, *recensens episcopos Santonenses ex catalogo a canonicis Santonensibus anno* 1560, *ut testatur, accepto,* S. Ambrosium *præponit S.Bibiano. Verum, etiamsi repugnarent catalogi magna ex parte vitiosi, vel sola Acta S. Bibiani, ad hunc diem edenda, satis evincunt*, Ambrosium *præfuisse ecclesiæ Santonensi ante Bibianum, ut mox patebit. Porro annum* S. Ambrosii *emortualem exacte determinare non possumus ; at ex successore Bibiano, cujus mortem notabimus circa medium seculi* v, *mortem* S. Ambrosii *statuere oportet sub initium ejusdem seculi.*

qui ejus discipulus fuit, ab eoque sacris Ordinibus initiatus :

2 *In laudatis S. Bibiani Actis num.* 2 *hæc leguntur ad* S. Ambrosium *spectantia :* Cum *(Bibianus)* ad annos sedecim pervenisset, primam ætatem suam divinis erudiri cupiens disciplinis, sancti Ambrosii Sanctonicæ civitatis episcopi devoto se mancipavit obsequio. Quem ille paterna C pietate suscipiens, dum sacris litteris erudiret, in Ordine lectorum conversationis ejus initiavit studium. *Addit ab eodem subdiaconum, diaconum, et anno ætatis trigesimo presbyterum consecratum. Deinde mortem Sancti subjungit his verbis :* Itaque divina providente gratia, ut sanctissimus Institutor dignum sibi relinqueret successorem,.. beatissimus Ambrosius sancta emigratione de hac hospitali vita decedens dormivit in Domino. *In alia S. Bibiani Vita apud Martenium tom.* 6 *Collectionis amplissimæ col.*762 *hæc referuntur:* Sanctissimus igitur Ambrosius dignum suis meritis cupiens relinquere successorem, in omni regulari disciplina atque pontificali magnificentia eum constituit, sibique vicarium post ejus discessum præelegit. *Alia rursum ejusdem Bibiani Vita apud nos Ms., ubi narrarat Bibianum S. Ambrosii discipulum factum, hæc subnectit :* Diligens insuper virtutum inspector Præsul pro unico illum amplectitur, dum ipse quoque sancta conversatione polleret, tanti de viri contubernio sibi maxime complacebat, et tanto vehementius se in ejus transfundebat dilectionem, quanto quotidianam virtutum ejus videbat augmentationem. Unde factum est, ut sibi illum successorem exoptarit et sperarit. Et Dominus quidem Sanctum suum voluntate labiorum suorum non fraudavit : non longo enim post tempore vitæ præsentis metam excedens, æternæ beatitudinis muneratus est bravio *etc.* E

titulus sancti Ambrosio passim tributus, nomenque inscriptum Fastis :

3 *Vides, opinor, studiose lector, quam honorificam de* S. Ambrosio *mentionem faciant scriptores illi, qui certe antiqui sunt, etiamsi non æqualis omnes auctoritatis. Hinc mirum videri potest, nomen* S. Ambrosii *nostri antiquis Martyrologiis non legi adscriptum. Quippe in aliis Fastis illum non reperi, præterquam in Florario nostro Ms., quod seculo* XV *exaratum est. Ibidem ad* XXVIII *Augusti annuntiatur his verbis :* Apud Sanctonas sancti Ambrosii episcopi et confessoris. *Verumtamen titulo Sancti passim decoratur. An etiam ecclesiastico Officio cultus fuerit, mihi est incompertum. Inter epistolas S. Sidonii Apollinaris sexta libri* 9 *data legitur ad Ambrosium episcopum, quem hunc ipsum esse putavit eminentissimus Baronius in Observationibus ad diem* XXVIII *Augusti Martyrologii Romani. At longe antiquior est* Ambrosius *noster, quam ut Sidonius ad illum scribere potuerit, ut jam observavit Savaro in notis ad laudatam epistolam.*

aliqui existimant huic Ambrosio attribuendam visionem.

4 *Claudius Robertus in Gallia Christiana pag.* 467 *aliam de Sancto nostro conjecturam refert his verbis :* Hunc nonnulli suspicantur esse eum, qui interfuerit in spiritu exequiis S. Martini Turonensis. *Factum narratur a S. Gregorio Turonensi lib.* I *de Miraculis S. Martini cap.* 5, *et S. Ambrosio Mediolanensi attribuitur. Verum eruditi passim contendunt, illud cum tempore obitus S. Ambrosii Mediolanensis conciliari non posse, factumque ut fabulosum rejiciunt non pauci. Hinc aliqui existimarunt attribuendum esse* S. Ambrosio *Santonensi, cujus ætas non repugnat. Ratio illorum est, teste laudato Roberto, quod* urbs Santonum olim Mediolanum diceretur. *Errasset igitur Turonensis, et quod relatum invenerat vel audierat de* Ambrosio *Mediolanensi Santonum episcopo, attribuisset perperam celeberrimo Ecclesiæ doctori ac præsuli Mediolanensi in Liguria. Hæc quorumdam conjectura probabilior quidem apparet, quam eorum censura, qui Turonensis relationem prorsus fabulosam existimant. At, cum Henschenius noster ante tom.* I *Aprilis pag.* XXXIX *non levibus argumentis totam Turonensis relationem cum morte S. Ambrosii conciliare conatus sit, rem ulterius discutiendam remitto ad Acta laudati Ecclesiæ doctoris, aut ipsius S. Martini.* F

5 *Rem interim audi ex laudato Gregorio Turonensi :*

AUCTORE J. S.

quam de Ambrosio Mediolanensi narrat Turonensis.

A *nensi*: Eo namque tempore beatus Ambrosius, cujus hodie flores eloquii per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi civitati præerat episcopus. Cui celebrandi festa Dominicæ diei ista erat consuetudo, ut veniens lector cum libro suo non antea legere præsumeret, quam Sanctus nutu jussisset. Factum est autem, ut illa die Dominica, prophetica lectione recitata, jam lectore ante altare stante, qui lectionem beati Pauli proferret, beatissimus antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret. Quod videntes multi, cum nullus eum penitus excitare præsumeret, transactis fere duarum aut trium horarum spatiis, excitaverunt eum, dicentes: Jam hora præterit. Jubeat domnus lectori lectionem legere; exspectat enim populus valde jam lassus. Respondens autem beatus Ambrosius: Nolite, inquit, turbari. Multum enim mihi valet sic obdormisse, cui tale miraculum Dominus ostendere dignatus est. Nam noveritis fratrem meum Martinum sacerdotem egressum fuisse de corpore, me autem ejus funeri obsequium præbuisse, peractoque ex more servitio, capitellum tantum, vobis exspectantibus, non explevi. Tunc illi stupefacti pariterque admirantes, diem et tempus notant, sollicite requirentes. Qui ipsam diem tempusque transitus Sancti repererunt, quod beatus Confessor dixerat, se ejus exsequiis deservisse.

DE S. AURELIO AUGUSTINO

ILLUSTRI ECCLESIÆ DOCTORE

B ET HIPPONENSI EPISCOPO E

HIPPONE-REGIO IN AFRICA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Notitia prævia monumentorum, ex quibus Vita hujus sancti Præsulis illustrabitur.

Anno CDXXX. Modus in scribendo servandus:

Postquam inclyta S. Augustini *gesta et posthumam ejusdem præclari Doctoris gloriam attentius examinare cœpi, mox in ipso disquisitionis initio paulatim expertus sum, mihi tantam tamque variam rerum pertractandarum materiam offerri, ut inopem me copia faciat: si enim omnia, ad hunc sanctum Virum utcumque spectan-* C *tia, singillatim commemorare diffusius exponere voluero, consuetos Commentariorum nostrorum limites prætergrediar, et hac sola lucubratione mea haud difficulter integrum Operis nostri tomum implebo, cum tamen in eodem volumine plures Sanctos illustrare conveniat. Si vero nimium brevis esse velim, jure merito vereor, ne obscurus fiam. Quapropter eligenda erit via media, quam tenere conabor, ut præcipua sancti hujus Episcopi gloria breviter et clare proponatur. Unde chronologicas minoris momenti quæstiones, ab aliis operose agitatas, obiter dumtaxat assignabo, ne Commentarius meus in nimiam molem excrescat. Insuper omittam odiosas quasdam controversias, quæ prolixam dissertationem requirerent, et suo loco justam istius omissionis causam indicabo. Utrum promissis steterim, postea judicabit eruditus lector, cui claritatis gratia hic prius ostendam supellectilem litterariam, quam ad Acta* S. Augustini *dilucidanda præ manibus habeo.*

pars gestorum suorum ab ipso Augustino scripta, et ea que edenda:

2 *Primus inter biographos occurrit ipse sanctus Doctor, qui in diversis scriptis Acta quædam sua posteritati reliquit: nam in libris Confessionum distincte narrat ea, quæ ab exordio vitæ usque ad annum trigesimum tertium ætatis suæ gessit. Hanc primam Actorum partem, ex novem prioribus Confessionum libris exceptam; post Commentarium prævium primo loco recudemus. Cum autem* S. Augustinus *illam Vitæ suæ partem ibi satis copiose descripserit, nos eam leviter attingemus in Commentario nostro, ne cum tædio lectoris bis eadem repetantur. Si tamen ex aliis eximii Doctoris Operibus aliqua suppleri, vel hæc ipsa clarius explicari possint, illa Sancti testimonia sedulo colligemus. Quod si biographi quidam recentiores ab hoc authentico Vitæ fragmento recesserint, aut alibi a veritate aberraverint; eos emendare ac in viam reducere conabimur.* F

altera pars scripta a S. Possidio,

3 *Alter Actorum scriptor est sanctus Possidius, Calamensis in Africa episcopus, qui per annos fere quadraginta cum* S. Augustino *familiariter vixit, et insignia illius gesta sincero calamo expressit, ut ex prologo et epilogo ipsius infra constabit. Unde satis mirari nequeo temerariam censuram Joannis Clerici, qui sub Græco cognomine* Phereponi, *id est* Laboriosi, *fidem huic sancto biographo abrogare nititur in heterodoxis Animadversionibus suis ad omnia* S. Augustini *Opera, ubi etiam sanctissimos Ecclesiæ doctores, et testes oculatos omni exceptione majores, impudenter mendacii arguit. At R. D. Joannes Salinas Neapolitanus ex Ordine Canonicorum Regularium in præfatione ad eamdem S. Possidii lucubrationem, quam Romæ anno Christi* 1731 *vulgavit, pro meritis excepit hæreticum istum censorem, quem nos etiam inferius alia occasione conveniemus. Interim sciat lector, hunc S. Possidium in Opere nostro ad diem* XVII *Maii locum habere, et Vitam ejusdem biographi coævi et testis oculati distinctius a laudato Joanne Salinas anno* 1731 *Romæ recusam, notisque copiosis illustratam fuisse.*

4 *Porro*

AUCTORE G. C.

post priorem edenda :

4 *Porro sanctus ille præsul Calamensis potissimum narrat ea, quæ* S. Augustinus *post conversionem suam egit, ut liquet ex præfatione, in qua sic scribit :* Nec attingam ea omnia insinuare, quæ idem beatissimus Augustinus in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque jam sumpta viveret, designavit. *Cum ergo sanctus Doctor ipse primam vitæ suæ partem litteris mandaverit, eamque sanctus Possidius usque ab obitum venerandi Præsulis prosecutus fuerit, inferius hanc secundam Actorum partem priori subnectemus. Ceterum illa sancti Possidii lucubratio jam sæpius impressa est, et passim Operibus* S. Augustini *annexa reperitur, eamque laudatus Joannes Salinas non ita pridem cum aliis Mss. codicibus contulit, et anno* 1731 *Romæ recudi jussit, ut jam monuimus. Sequemur hanc novissimam editionem Romanam, quam tamen conferemus cum vetusto manuscripto Musei nostri codice, qui* P. Ms. 5 *signatur. Si quoddam notatu dignum discrimen inter editionem et codicem nostrum occurrat, illud in*
B *margine vel Annotatis observari curabimus. Si vero sanctus Possidius aliqua præclari Doctoris gesta prætermiserit, aut brevius obscuriusve indicaverit, ea ex ipsis* S. Augustini *scriptis in Commentario prævio supplebimus, vel dilucidius exponemus.*

tres nobis editiones Operum S. Augustini.

5 *Sed lectorem præmonitum volo, tantum tres editiones Operis Augustiniani nobis ad manum esse. Prima est Basileensis anni* 1556, *quæ ex prælo Frobeniano prodiit, et cui Erasmi Roterodamensis epistola dedicatoria, ad illustrissimum Alfonsum Fonsecam archiepiscopum Toletanum data, a typographo præfigitur. Altera est Antverpiensis, quam jam a sesquiseculo Lovanienses aliquot theologi correxerunt notisque illustrarunt, et quam Christophorus Plantinus celeberrimus istius temporis architypographus regius Antverpiæ tunc eleganter impressit. Tertia denique, quam dono datam accepimus, et quæ Parisiensem monachorum Benedictinorum editionem imitari voluit, ineunte hoc seculo recusa est typis Hollandicis, etsi* Antwerpiæ sumptibus societatis cum privilegio *impressa subdole fingatur, ut omnes eruditi hujus urbis incolæ, et plerique Belgæ jam no-*
C *runt.*

inter quos Amstelodamensis, quæ falso inscribitur Antverpiæ facta,

6 *Ipse Casimirus Oudinus apostata, ex cœnobio suo in Hollandiam profugus, etiam exteris nationibus hanc crassam bibliopolarum Batavorum fraudem publice detexit; dum in Commentario suo de scriptoribus ecclesiasticis tomo* I *col.* 986 *et sequente scribit in hunc modum :* Joannes Clericus, qui damnat alios novis sanctorum Patrum editionibus incumbentes,... in illud, cujus alios arguit, ipse omnium primus impegit, in editione Operum sancti Augustini omnium anni MDCC Amstelodamensi, quam tomis seu voluminibus quatuordecim in folio distinctam vendi vidimus hic Lugduni Batavorum enormi auctione pretii, inutili tot voluminum partitione et compactione, ac meditata a bibliopolis deceptione eorum, qui minus sibi suisque pecuniis non disperdendis attendunt. His non contentus, ut obtemperaret typographis, mercenarium ipsum conducentibus, anno MDCCIII Appendicem Augustinianam sub ficto Joannis Phereponi nomine, ac tomi duodecimi titulo, edere contra principia a se adversus alios stabilita aggressus est. Unde Augustinianorum Operum pretium auctum, ex exemplaria novæ editionis, quæ non vendebantur, difficiliora adhuc venditu facta sunt... Opus istud falso inscriptum est, IMPRESSUM ANNO MDCCIII ANT- D
VERPIÆ SUMPTIBUS SOCIETATIS, cum constat, editum fuisse Amstelodami apud fratres Huguetanos et Petrum Mortier, apud quos venditur. *Nos huic editioni Batavæ non fidimus, et jam simul rationem diffidentiæ nostræ reddimus.*

quæque multis modis est corrupta ;

7 *Lipsienses in Actis eruditorum ad annum Christi* 1707 *pag.* 94 *et sequentibus recitant schedulam monitoriam Joannis Baptistæ Clarelli bibliopolæ Veneti, qui novam Operum Augustinianorum impressionem promittit, et jam memoratam editionem Hollandicam accusat his verbis :* Quoad Amstelodamensem vero editionem, Antwerpiæ nomine pervulgatam, undequaque reprobatur, non tantum propter duodecimum tomum, multum non sanæ doctrinæ copiam continentem, verum etiam propter transcriptionis infidelitatem ipsius divi Patris textus, quem non solum adulterati sunt, multa verba demendo, sed etiam mutilum reddiderunt, integras periodos auferendo, præter innumeros errores passim insertos. *Certe apud eruditos Catholicos constat, hunc tomum duodecimum hæ-* E
reticis Clerici notis contaminatum esse, quemadmodum evidentibus argumentis probare possem, si theologum polemicum agere vellem, quod hic ab instituto meo alienum est.

nec illius errores recte

8 *Etiamsi Casimirus Oudinus loco supra citato non approbet iteratam illam Batavorum editionem, tamen a Clarello objectam prædictæ editionis Hollandicæ corruptionem sic frigide excusat:* Imprudens hic bibliopola fallitur; quamvis enim Joannis Clerici tomum duodecimum non approbem ob tumorem, quo plenus est, et Operis inutilitatem, falsum tamen est, quod multam doctrinæ non sanæ copiam contineat; itemque, quod multa verba decerpta sint, et integræ etiam periodi ablatæ: si quæ talia contigerunt, vitia et errores sunt correctorum parum accuratorum, non eorum, qui editionem illam reiterandam voluerunt. *Facilis enimvero et nova methodus excusandi omnes non tantummodo sanctorum Patrum sed etiam sacræ Scripturæ corruptores: sic enim Lutherus oscitantem correctorem poterat accusare, dum perperam ex Apostolo asseruit, hominem* sola *fide justificari, quamvis ipse hanc vocem* F
hæresi suæ faventem fraudulenter addiderit. Sic Calvinus et Beza aliique hæretici varias sacrorum Codicum corruptiones, quarum convicti sunt, imperitis aut parum accuratis correctoribus imputare potuissent.

excusat Oudinus,

9 *Interea Oudinus ibidem sine testibus aut tabulis affirmat, Opera sanctorum Patrum potius a Pontificiis aut Papicolis (sic ei Catholicos hic appellare placuit) quam a Lutheranis vel Calvinistis corrumpi, ac deinde Clarellum refutare pergit his verbis :* Nec, opinor, editio Veneta correctior erit Amstelodamensi, quæ quamvis male correcta sit, a nemine tamen Pontificiorum adulterationis de industria factæ hucusque accusata fuit. Imo venditur publice ut authentica, tum Antverpiæ, tum in Belgicis partibus Pontificiis, nemine contradicente; quod Belgæ non passi fuissent, si adulterata de industria hæc editio fuisset. *At quis hac in re statim credat homini apostatæ, qui Deo et religiosæ suæ professioni infidus fuit? Unde primo scire vellem, ubi, et a quibus in Belgio Catholico nunc editio illa Amstelodamensis, ut authentica, publice vendatur. Imo nihil evinceret Oudinus, etiamsi gratis ei concederem, initio seculi labentis aliquos Belgas imperitos, aut falso loci titulo deceptos, eam editionem vel emisse vel vendidisse: nam quotidiana experientia discimus,*

A *scimus, fictis librorum editionibus exteros Catholicos ab astutis bibliopolis Batavis non raro decipi. Cur autem finxerunt, hæc omnia* S. Augustini *Opera in urbe Catholica Belgii edita esse, nisi ut incautos emptores fallerent? At sive isti errores ex negligentia irrepserint, sive de industria congesti fuerint in editionem Amstelodamensem, nobis non vacat hanc conferre cum novissima Parisiensi (inter illas duas haud dubie Clarellus magnam discrepantiam reperit) et ideo collationem istam relinquimus iis, quibus plus otii est.*

sed verius agnoscit Joannem Clericum,

10 *Verosimiliter Oudinus hæc effugia quæsivit, ut placeret hominibus novæ sectæ, ad quam transfugerat, et ut serio videretur odisse Catholicos, a quibus discesserat. Unde facilius ei fidem adhibeo, dum Joanni Clerico gregali suo superbiam, quæ in oculos uniuscujusque lectoris ultro incurrit, ibidem col.* 988 *exprobrat his verbis:* Incipit Joannes Phereponus præfatione, quam tomo huic duodecimo præmittit, ut rationem Appendicis hujus adjectæ reddat, et quæ in ea continentur, B recenseat. Quantum autem de se Joannes Clericus præsumat, quanto fastu turgeat, abunde ex præfatione ista liquet, ubi Augustinum sibi longe inferiorem facit. *Deinde refert ipsa Clerici verba, et ex iis ita concludit:* Nihil umquam istis verbis insolentius dici potest, quibus eruditionem suam Joannes Clericus orbi literario commendatam esse cupit.

editionis auctorem, virum esse arrogantiæ inauditæ.

11 *Denique Oudinus post enumeratas aliorum lucubrationes, quæ in hac Appendice continentur, ibi col.* 990 *exiguum Joannis Laboriosi sive Phereponi laborem sic explodit:* In hoc tomo duodecimo a pag. I ad 470 nihil omnino est, quod ad laborem Joannis Clerici spectet, excepta præfatione, quæ superbiam ejus orbi literario detegit. A pag. 471 ad 622, qua tomus concluditur; vix columnæ viginti ex labore Clericali procedunt, aliis omnibus ad Desiderium Erasmum, Henricum de Noris, vel ad alios pertinentibus. Unde mirum est, tanto fastu nomen suum tomo huic præfixisse, in quo tam modica laboris pars ad ipsum spectat. *Ad hanc ridiculam eruditionis ostentationem accedit impudentia, qua Clericus sanctissimos Ecclesiæ Patres de mendacio accusare non erubescit, ut forsan alia occasione obiter* C *indicabo. Verum nunc oportet ab hæc digressione in viam redire, et alios S. Augustini biographos recensere.*

Vitam S. Augustini recentius scripserunt Philippus ab Eleemosyna,

12 *Seculo* XII *Philippus ab Eleemosyna Præmonstratensis in Hannonia abbas Vitam* S. Augustini *exaravit, ut Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, et alii bibliographi passim testantur. Habemus hanc Vitam, quam R. D. Nicolaus Chamart ejusdem cœnobii abbas anno* 1620 *vel* 1621 *Duaci cum aliis abbatis Philippi opusculis edi curavit. Videtur autem Philippus illa sancti Doctoris Acta ex libris Confessionum et S. Possidio contraxisse, quemadmodum in prologo innuit his verbis:* Ea ergo, quæ vel ipse de seipso humiliter dixit, vel alius de ipso veraciter scripsit, præsenti opusculo inserui, prout ipso juvante et gratiam impetrante, legendo colligere potui: quæ enim hic de eo dicta sunt, alibi, etsi non eisdem verbis, eodem tamen sensu scripta sunt, et ibi forte melius, sed brevius hic, ut, qui illic non vacat legendo colligere, hic, si placet, possit colleta legere. *Non indigemus illo Vitæ compendio, nec opus est rivulos sequi, quando fontes ipsos adire possumus. Cum tamen Philippus abbas habeat nonnulla ad posthumam sancti Doctoris gloriam spectantia, illis postmodum utemur.*

AUCTORES G. C. Jacobus de Voragine,

13 *Jacobus de Voragine, ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Genuensem assumptus, Acta* S. Augustini *seculo* XIII *collegit. Sed iis immiscuit nonnulla, quæ alibi non invenimus, et quæ postea discutiemus. Interim audi Echardum, qui inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tomo* I *pag.* 456 *de fide scriptoris istius ita disserit:* Fatendum tamen, in hoc Opere non pauca esse, quæ viris eruditis merito displicuerunt, neque solum Ludovico Vives aut Melchiori Cano seculi decimi sexti scriptoribus, sed longe antea Magistro Ordinis XIII Berengario de Landora, archiepiscopo postea Compostellano; qui propterea Bernardo Guidonis jussit, ut Legendam alteram ex sincerioribus Actis colligeret ac ederet; quod et fecit, ut dicetur postea, ubi de eo: quod tamen non impedivit, ne Legenda Jacobi de Voragine sua brevitate commoda passim ab omnibus conquireretur, et avide legeretur. Justa porro Jacobi defensio est, quam ipse innuit, Vitas has Sanctorum non a se compositas; sed, ut ipse ait, compilatas tantum, id est jam diu antea a variis scriptas, sed et apud varios dispersas a se collectas, in ordinem digestas, et ex historicis E sacris, qui sua ætate in pretio erant, locupletatas in lucem prodiisse, additis passim suis annotationibus. *Nos tantum discere cuperemus; ex quibus auctoribus Jacobus de Voragine acceperit illas historias, quas inter gesta sancti Doctoris refert, ut ex infra dicendis apparebit.*

Jordanus de Saxonia,

14 *Præterea seculo* XIV *Jordanus de Saxonia ex Ordine Eremitarum Augustianorum contexuit eamdem* S. Augustini *Vitam ex ipso sancto Doctore et S. Possidio, quemadmodum manifeste declarat in suo prologo, qui apud Jacobum Hommey Augustinianum Gallum in Supplemento Patrum pag.* 569 *sic incipit:* Divi Patris ac Doctoris eximii, Hipponensis Episcopi ortum percursumque ac finem vitæ, auxiliante eo, qui laudatur in Sanctis suis, fideliter descripturus, nihil huic Operi inserendum censui, quod non in suis propriis dictis, aut aliorum authenticis scripturis continetur; secutus præcipue vestigium illius venerandi viri sancti Possidonii Calamensis episcopi, ejusdem sancti Patris discipuli, et in suo monasterio olim Canonici, qui ejus gesta, prout viderat, et per experientiam didicerat, diffuse conscripsit; ad ea maxime se referens tempora, quibus ipse cum eo præsentialiter fuerat conversatus. F *Etiam non indigemus illa Jordani collectione, cum post hunc Commentarium prævium edituri simus ipsos primigenios auctores, ex quibus ille narrationem suam hausit. Attamen ibi leguntur quædam de chronotaxi Actorum et duabus sacri corporis traslationibus, quæ inferius examinanda erunt.*

anonymus Cartusianus.

15 *Denique seculo* XV *Religiosus quidam Cartusianus, cujus apographum in Museo nostro servamus, Acta* S. Augustini *ex Operibus ejus copiose collegit, et in duas partes divisit, ut patet ex fine istius lucubrationis, ubi legimus sequentia:* Expliciunt duo libelli in Vita beatissimi Augustini compilati anno MCDLXXXIV, et finiti octavo die Novembris in domo Vallis Regalis Ordinis Cartusiensis juxta Gaudavum, per Fratrem quemdam ejusdem Ordinis. *Verum anonymus iste Cartusianus hæc Acta supposititiis quibusdam sancti Doctoris opusculis implevit, et ea moralibus instructionibus aliisque superfluis digressionibus amplificavit. Hinc etiam prolixa et interpolata illa collectio nulli usui nobis esse poterit, cum ipsa genuino et emendatiora* S. Augustini *scripta* *præ*

AUCTORE G. C.

præ oculis habeamus. Omittimus hic alia recentioris aut incertæ ætatis apographa, quæ Vitam ejusdem Sancti continent, et in Museo nostro conservantur.

et multi alii.

16 *Nolumus etiam hoc loco singillatim recensere Gerardum Moringum, Prosperum Stellartium, Cornelium Lancilottum; Joannem Nævium, Joannem Rivium, Sebastianum Tillemontium, Benedictinos Gallos e congregatione sancti Mauri, et plurimos alios scriptores, qui Vitam* S. Augustini *prælo subjecerunt. Attamen spondemus, hos auctores a nobis examinandos esse, ut vestigiis eorum inhæreamus, aut illos errantes refutemus: sicut enim proxime laudati Benedictini Galli Vitam sancti Doctoris, quam Latine vulgarunt, magna ex parte monumentis Tillemontianis acceptam referunt; ita libenter alieno labore utemur, si hæc via ad inveniendam veritatem, et illustrandam Sancti gloriam, brevior apparuerit. Nihilominus ubique testimonia* S. Augustini *in ipso fonte consulemus, eaque propter rationem superius allegatam citabimus ex editione Plantiniana, quod hic semel monuisse sufficiat. His ad* B *clariorem rerum dicendarum intelligentiam præmissis, ipsa sancti Doctoris Acta ab exordio nativitatis illustrare incipiamus.*

§ II. Sancti patria, tempus nativitatis, nomen, parentes et consanguinei.

Patria Sancti

Sanctus noster hodiernus, sicuti splendida totius Ecclesiæ lux, obscurum Africæ municipium, quod Thagaste *vel* Tagasta *dicebatur, et inter Hipponem-regium ac Medauros in mediterranea Numidiæ parte situm erat, ortu suo illustravit. Ipse jam Præsul Hipponensis hanc patriam suam agnoscit in epistola 227, quam scripsit ad hospites Romanos, qui ipsius desiderio in Africam venerant, et Tagastæ commorabantur. In hac epistola se excusat, quod propter necessitatem præsentiæ suæ in ecclesia Hipponensi non potuerit eos invisere et Tagastam excurrere:* Si C enim id mihi licuisset, *inquit*, simul etiam fruerer carnalis patriæ meæ tam spirituali felicitate, quæ vos etiam præsentes habere meruit. *Deinde epistolam illam sic concludit:* Huic meæ solicitudini procul dubio libenter ignoscitis; præsertim quoniam si succenseretis et velletis ulcisci, nihil fortasse gravius inveniretis, quam id quod patior, cum vos Tagastæ non video. Spero autem vestris adjutus orationibus, quod mihi ad vos, ubicumque in Africa fueritis, venire quantocyus concedetur, cum hoc, quo nunc detentus sum, præterierit; si hæc civitas, in qua laboramus, digna non est (quia nec ego audeo dignam putare) quæ uobiscum de vestra præsentia collætetur. *Insuper epistola 225, quam ad Albinam piam mulierem dedit, Tagasta ab ipso* carnalis patria mea *vocatur.*

Tagasta.

18 *Denique præclarus Ecclesiæ Doctor in epistola 48, ad Vincentium Rogatistam data, priorem quamdam opinionem suam mutat, et hac occasione rursus de patria sua sic meminit:* Mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur. *Hæc est civitas Tagastensis, quæ circa annum Christi 349 sub imperatore Constante schisma Donatistarum deserere coacta est, et postmodum unitati Catholicæ firmiter adhæsit, ut Alypius* S. Augustini *discipulus et popularis in prima Collatione Carthaginensi § 136 testatur, ubi apud Labbeum nostrum tomo 2 Conciliorum col. 1391 hic civis et episcopus Tagastensis ita loquens inducitur:* Alypius episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit; Tagastenus Carthagini constitutus, præsente V. C. tribuno et notario Marcellino, hoc mandatum suscepi et subscripsi. Quare idem dixi: Utinam, quemadmodum Tagastis antiqua unitate gaudet, ita etiam de ceteris locis gaudeamus.

non Carthagini, ut perperam

19 *Ex his omnibus evidenter patet,* S. Augustinum *in oppido Tagastensi natum esse. Quare Jacobus de Voragine errat, dum in editione Parisiensi anni* 1475 *cap.* 119 *Vitam Sancti nostri sic* E *exorditur:* Augustinus doctor egregius in provincia Africana, civitate CARTHAGINENSI ortus est. *Nescimus, ubi Carthaginensem illam* S. Augustini *patriam repererit Vir iste simplex, qui bona fide, sed sine severo examine, plurimas historias fabulosas in chartam conjecit. Forte deceptus fuit ab illo impostore, qui sub ficto S. Ambrosii nomine sermonem nonagesimum secundum composuit. Illud sane eo seculo, artis criticæ passim ignaro; quo Jacobus de Voragine vixit, non est magnopere mirandum. Sed magis miramur, quod Prosper Stellartius eremita Augustinianus hac de re in Augustino-machia sua lib.* I *Dissert.* I *cavilletur, et inutilibus ratiunculis adversus eminentissimum Baronium contendat, hunc sanctum Doctorem recte* Carthaginensem *nominari posse. Sed vir ille, litterarum humaniorum quam artis criticæ peritior, ad hanc exoticam sententiam arripiendam inductus est auctoritate Sermonis nonagesimi secundi* de baptismo sancti Augustini, *qui in quibusdam editionibus inter Opera S. Ambrosii legitur, et in quo editio Basileensis eorumdem* F *Operum tomo 3 pag. 397 habent sequentia:* Divinæ clementiæ innumeras gratias agere debemus, quod Augustinus Afer CARTHAGINENSIS, philosophus acutissimus, contempto gentilium cultu, ad veram Christianam religionem divino nutu tandem pervenit.

putarunt aliqui:

20 *Stellartius itaque perperam existimat, hunc genuinum S. Ambrosii sermonem esse, et in ea hypothesi contra eminentissimum Baronium argumentatur. At prius hæc hypothesis solide probanda erat, cum sermonem illum sancto Ambrosio indignum censeant eruditissimi viri, inter quos eminentissimus Bellarminus in Opere de scriptoribus ecclesiasticis apud nos pag.* 142 *et sequente spurium istum fœtum rejicit his verbis:* Sermo quoque nonagesimus secundus de baptismo sancti Augustini longissime distat a stylo et gravitate Ambrosii; neque ullo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium sæpe Deum orasse, ut cum a captionibus Augustini liberaret: Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed cum concionantem audiendo ad fidem Catholicam conversus est, ut ipse idem testatur libro v Confessionum cap. XIII et libro VI cap. I. *Cardinalis Baronius in Vita S. Ambrosii, Operibus ejus*

A *ejus præfixa, de eodem supposititio sermone simile fert judicium, quod exactiores bibliographi passim censura sua confirmant. Nemo igitur imposterum propter hanc falsam Stellartii hypothesim dubitet, quin* S. Augustinus *in oppido Tagastensi primam lucem aspexerit.*

natus est Idibus Novembris anno 354:

21 *Sanctus autem ibi natus est Idibus Novembris anni* 354, *cum ad Superos migraverit anno* 430, *die* XXVIII *Augusti, quando septuagesimum sextum ætatis suæ annum ferme compleverat, ut in ejus obitu postmodum ex lucubratione Possidii, et Chronico Prosperi colligemus. Hinc corrigendi sunt eminentissimus Baronius, Joannes Nævius eremita Augustinianus, et alii scriptores, qui nativitatem ejus anno Christi* 355 *affixerunt. Longius ab hac vera chronotaxi nostra aberravit Jordanus de Saxonia, dum apud Hommeyum in Supplemento Patrum pag.* 633 *tempus nativitatis et mortis ejus assignat his verbis :* Natus est præclarissimus doctor Augustinus, quantum colligitur ex Chronica Eusebii, anno Domini CCCLX, Pontificatus B Liberii Papæ anno quinto; imperii vero Constantii quondam Constantini Magni filii anno decimo nono... Obiit autem idem sanctissimus Pater anno Domini CDXXXVI, Pontificatus Sixti Papæ tertii anno secundo; imperii vero Theodosii junioris anno decimo nono. *Tota hæc Jordani chronologia corruit, et cum assignatis Pontificum ac imperatorum annis non cohæret, ut cuilibet accuratiores chronologos consulere volenti manifestum fiet. Porro sanctus Doctor in libro de Beata vita apud nos tomo* I *Operum pag.* 213 *diem nativitatis suæ sic aperte et breviter indicat :* Idibus Novembris mihi natalis dies erat.

non solum habuit Augustini nomen, cujus ridiculas etymologias finxerunt aliqui,

22 *Forsan ex animi demissione factum est, ut ipse sanctus Doctor in scriptis suis sese tantummodo appellaverit* Augustinum, *quamvis etiam aliud prænomen habuerit, ut mox ostendemus. Jacobus de Voragine futilem nominis ab ipso Sancto usurpati etymologiam excogitavit, eamque posteris explicuit in hunc modum :* Augustinus hoc nomen sortitus est propter excellentiam dignitatis, vel servorem dilectionis, vel propter etymologiam nominis. Propter excellentiam dignitatis; quoniam sicut imperator Augustus præcellebat omnes reges, sic et iste excellit omnes doctores... Secundo propter fervorem dilectionis; quoniam si- C cut mensis Augustus valde fervet æstu caloris, sic et ipse valde incaluit igne divini amoris... Tertio propter etymologiam nominis; dicitur enim Augustinus ab AUGEO, et ASTIN; quod est civitas, et ANA, quod est sursum; inde Augustinus, quasi augens supernam civitatem. *Simplex ille vir eruditis risum movet, dum postremam illam nominis etymologiam ex verbo Latino* augeo, *et duabus vocibus Græcis miscet et inepte coagmentat. Attamen Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum recensitis tomo* I *pag.* 456 *similes Jacobi Genuensis ineptias excusare conatur his verbis :* Præfationes cuilibet Vitæ a Jacobo additæ, quæ fere in nomine Sancti lusus sunt, palato hujus seculi saniori non placent; sed is erat seculi XIII et sequentium gustus; et quid patribus nostris non condonandum, ubi de fide non agitur? *Licet Echardus id suo sodali ejusque seculo condonandum existimet, tamen non parum dubitamus, an adeo benignus futurus sit erga Cornelium Lancitottum Augustinianum, qui seculo præterito floruit, et in Vita* S. Augustini *typis Plantinianis Antverpiæ edita lib.* 1, *cap.* 1 *ad nomen ejusdem sancti Doctoris alludit hoc modo :* Nomen ipsum, quod ominis boni quiddam videtur, ad laudem ejus accomodationem habet; ut enim Octaviano Augusti nomen est inditum, quod ipse amplissimæ dignitatis, quæ tum in terris erat, honore sit auctus, vel quod domi militiæque sopito belli furore dilapsæ reipublicæ dignitatem ad pristinæ felicitatis splendorem adauxerit, sic et Augustinus, velut per vitæ præsagium, ab augendo dictus videatur, quia ejus invicto labore longe lateque refutatis hæreticorum erroribus, doctrinaque præstanti contra sectarios Ecclesia Catholica defendenda et augenda foret. *Omissis aliis etymologiis, quas ad utrumque Sancti nomen explicandum Lancitottus ibidem profert, jam potius ex antiquis et fide dignis monumentis probemus, olim quoque prænomen* Aurelii *huic eximio Doctori datum fuisse.*

sed vocatus est Aurelius Augustinus:

23 *Primo Paulus Orosius presbyter Hispanus, et sancto Doctori nostro synchronus, septem libros suos Historiarum, quos adversus paganos scripserat,* ad Aurelium Augustinum *anno* 417 *direxit, ut legitur in titulo præfationis, de quo Ludovicus Lautius in notis præviis ad editionem Moguntinam anni* 1615 *monet sequentia :* Hanc esse veram inscriptionem, et finis harum Historiarum imprimis declarat, et bibliothecæ metro- E politanæ Coloniensis vetustissimi codicis confirmat auctoritas. *Secundo Claudianus Mamertus, Orosio suppar, in Opere suo de Statu animæ lib.* 2, *cap.* 10 *impense laudat eumdem sanctum Doctorem, qui ibidem ab eo discrete* Aurelius Augustinus *nominatur. Tertio venerabilis Beda in Vita S. Cuthberti episcopi Lindisfarnensis, quam nostri Majores ad diem* XX *Martii diligenter illustrarunt, tomo tertio istius mensis pag.* 113 *propter similitudinem miraculi ; quo uterque sanctus antistes jam morti proximus ægrum sanavit, ad propositum nostrum hæc scribit :* In qua profecto curatione sequebatur exemplum sanctissimi et reverendissimi patris Aurelii Augustini episcopi. *Denique Benedictini Galli, qui non ita pridem Opera* S. Augustini *recuderunt, in Vita istius sancti Doctoris num.* 3 *testantur, sese prænomen istud* Aurelii *diversis et antiquioribus opusculorum ipsius voluminibus præfixum reperisse. Nunc ad parentes et alios Sancti nostri consanguineos progredimur.*

pater Sancti Patricius gentilis primum,

24 *Præclarus hic Ecclesiæ Doctor in* civitate Tagastensi, de numero curialium parentibus honestis et Christianis progenitus erat, *ut ex his* F *ipsis S. Possidii verbis infra repetendis apparebit. Joannes Rivius Augustinianus in Vita* S. Augustini *lib.* 1, *cap.* 1 § 2 *aliique recentiores biographi per nomen* curialium *hic intelligunt eos, qui curiæ officium administrabant, et procurabant munia civilia, ita ut in municipiis illi vocarentur curiales, qui Romæ et in coloniis senatores appellabantur. Explicatio illa nobis non improbabilis videtur. At primo intuitu non tam facile videmus, quomodo S. Possidius affirmet, eumdem Sanctum* parentibus Christianis *progenitum fuisse, cum* S. Augustinus *lib.* 2 *Confessionum cap.* 3 *de patre suo Patricio asserat, quod* ille adhuc catechumenus et hoc recens esset, *quando ipse jam decimum sextum suæ ætatis annum agebat, ut post hunc Commentarium in prima Actorum parte num.* 30 *rursus audiemus. Hæc tamen inter se conciliari possunt, si dicatur S. Possidius prolepsi usus esse, et patrem Sancti nostri per anticipationem temporis nominasse Christianum, quid postea Christianam fidem amplexus fuit.*

deinde conversus:

25 *Illustrissimus Josephus Pamphilus non satis feliciter hanc dubiam S. Possidii phrasim correxit,*

AUCTORE G. C.

rexit, dum Chronicon Ordinis Eremitarum Augustinianorum exorsus est his verbis : Anno a partu Virginis CCCLIV, Idibus Novembris, sanctus pater Augustinus natus est Tagastæ in Africa, haud longe a Carthagine, ex patre catechumeno, nomine Patrico Carthaginiensi, et matre recente Christiana, nomine Monycha. *Quomodo* S. Augustinus *ex patre jam catechumeno nasci potuit, cum Patricius anno hujus Filii sui decimo sexto* catechumenus et hoc recens *esset, ut supra probavimus? Præterea sanctus Doctor innuit, patrem suum postremis vitæ annis ad fidem conversum fuisse, dum lib.* 9 *Confessionum cap.* 9 *post alia matrem suam Monicam ita laudat :* Denique etiam virum, jam in extrema vita temporali ejus, lucrata est tibi *(Deum hic alloquitur)* nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat. *Non videmus igitur, illam Josephi Pamphili assertionem veritati consentaneam esse, nisi hic etiam dicatur proleptice loqui, quod potius antiquo scriptori Possidio, quam huic recentiori condonamus.*

B

mater Monica Christiana et parentibus Christianis nata;

26 *At multo minus intelligimus, quomodo idem Pamphilus asserere potuerit, sanctum Doctorem ex* matre recente Christiana *natum fuisse, quandoquidem ipse* S. Augustinus *indicavit, eam ex parentibus Christianis ortam, ab ipsa pueritia fidem ac timorem Domini didicisse, quemadmodum facile colligitur ex lib.* 9 *Confessionum cap.* 8, *ubi de matre sua sic scribit :* Erudivit eam in timore tuo virga Christi tui, regimen unici Filii tui, in domo fideli, bono membro Ecclesiæ tuæ. Nec tantam erga suam disciplinam diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cujusdam decrepitæ, quæ patrem ejus infantem portaverat, sicut dorso grandiuscularum puellarum parvuli portari solent. Cujus rei gratia et propter senectam ac mores optimos, in domo Christiana satis a dominis honorabatur. *Qua igitur specie verisimilitudinis Monica dici potest recens Christiana, quam sedula ancilla in domo fideli et bono membro Ecclesiæ diligenter educavit ac optimis moribus imbuit? Ista hoc loco referre voluimus ex libris Confessionum, quia post hunc Commentarium in prima Actorum parte prætermittemus Vitam S. Monicæ, quæ in Opere nostro ad diem* IV *Maii satis illustrata est. His circa fidem parentum examinatis, de conditione vel statu eorumdem breviter agamus.*

C

illorum nobilitas non satis probata,

27 *Joannes Baptista Melgarus, Canonicus Regularis, in Vita* S. Augustini, *quæ Venetiis anno* 1648 *edita est, patrem sancti Doctoris illustri nobilitate donat, et ibidem pag.* 194 *de parentibus ipsius hæc tradit :* Matrem habuit vitæ integritate inclytam Monicam, patremque adeo nobilem, ut ex equestri esset ordine, et patricius et curialis. *Joannes Nævius eremita Augustinianus in Vita ejusdem Sancti cap.* 1 *patrem ipsius* domo nobilem *appellat. Alii etiam plures sine ullo veterum scriptorum testimonio nobilem Patritii stirpem admittunt. Imo non defuerunt, qui parentibus hujus Sancti magnas opes affingerent, ut Prosper Stellartius in Augustino-machia sua testatur, ubi dissertatione secunda de avita Patritii nobilitate dubitat, et alios temerarios divitiarum assertores ita refellit :* Nunc de fortuna, quæ non lata et lauta adeo, ut ferunt nescio qui, clarissimos et nobilissimos, ditissimosque acclamantes. Dixerint illi et conceptissima affirmatione probent. Ego avitam et generosam stirpem suspicari tantum possum, donec certius aliquid ad aures vel oculos mihi devenerit : nam ne opibus et divitiis abundantes dicam, vetat ipsa, quam scio, rei veritas.

D

divitiæ ex ipso Augustino refutatæ :

28 *Deinde Stellartius hanc veritatem probat ipsis* S. Augustini *verbis, quæ ex libris Confessionum excerpsit, et quæ post Commentarium prævium apud nos infra legentur. His addimus unicum et evidens ejusdem sancti Doctoris testimonium ex Sermone* 50 *de Diversis, ubi tomo* 10 *editionis Antverpiensis pag.* 523 *publice coram populo Hipponensi pronuntiavit sequentia :* Offeratur mihi, verbi gratia, byrrhum pretiosum ; forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum. *Probe scimus, paupertatem vel tenuem rei domesticæ facultatem avito nobilium stemmati non repugnare. Sed cum Stellartio candide fatemur, illam Patritii nobilitatem nobis hactenus incertam esse, et eam libenter agnoscemus, ubi veteribus ac fide dignis instrumentis comprobata fuerit. Ea vero, quæ de amplis parentum ejus opibus aut fortunis circumferri dicuntur, adeo manifeste falsa sunt, ut ulteriori refutatione non indigeant.*

E

consanguinei S. Augustini,

29 *Porro* S. Augustinus *sub initium libri de Beata vita quosdam consanguineos suos nominat; videlicet S. Monicam matrem, Adeodatum filium, Navigium fratrem, Lastidianum et Rusticum consobrinos, aliosque discipulos ac amicos, qui cum illo ex urbe Mediolanensi ad prædium rusticum Verecundi migrarunt, ut tranquillius ibi Christianæ philosophiæ vacarent, quemadmodum inferius alia occasione ex ipso referemus. Insuper in Epistola* 109 *sanctus Præsul etiam meminit de sorore sua,* quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit, *ut S. Possidius apud nos infra num.* 54 *testabitur, ubi etiam de neptibus ejusdem Sancti mentionem facit. Sermone autem* 50 *proxime citato de Diversis* S. Augustinus *inter alios nepotem suum laudat his verbis :* Omnes fratres et clericos meos, qui mecum habitant, presbyteros, diaconos, subdiaconos, et Patricium nepotem meum tales inveni, quales desideravi. *Patricius ille erat* subdiaconus, *ut ibidem paulo inferius expresse nominatur.*

ex quibus unum a Donatistis avellere nititur.

30 *Denique sanctus Doctor habuit consanguineum, nomine Severinum, quem a schismate Donatistarum retrahere conatur Epistola* 170, *quam sic exorditur :* Litteras fraternitatis tuæ etsi valde sero, etsi præter quod speraveram, tamen lætus accepi, maximeque ampliori gaudio perfusus sum, cum cognovissem, hominem vestrum hac ipsa sola causa venisse Hipponem, ut ad me litteras tuæ fraternitatis afferret : cogitavi enim hoc exortum esse in animo tuo, ut recoleres consanguinitatem nostram, nisi quia fortasse perspicis, sicut novi non leve pondus prudentiæ tuæ, quam sit dolendum, ut qui secundum carnem fratres sumus, in Christi corpore non una societate vivamus. *Circa finem vero epistolæ istius hunc consanguineum suum ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ sequendam exhortatur his verbis :* Sed nescio quæ carnalis consuetudo, frater Severine, ibi vos tenet ; et olim doleo, olim gemo, maxime prudentiam tuam cogitans, et olim te videre desidero, ut de hac re tecum loquerer. Quid enim prodest vel salus vel consanguinitas temporalis, si æternam Christi hæreditatem salutemque perpetuam in nostra cognatione contemnimus? *Si quos alios ejusdem Sancti consanguineos, aut insignes discipulos vel amicos invenerimus, eos alia occasione memorabimus. Interim pergimus ad gesta pueritiæ*

F

A *pueritiæ et adolescentiæ ejus, quæ cum Sanctus ipse singillatim conscripserit, relictas spicas tantummodo colligemus, et aliqua cum illis connexa vel ad hanc Vitæ partem spectantia clarius explicabimus.*

§ III. Gesta studiaque ipsius in pueritia et adolescentia.

Ab ineunte ætate imbuitur religione Catholica :

Sancta Monica filiolum suum Augustinum *ab infantia inter catechumenos Ecclesiæ Catholicæ referri curavit, eumque a teneris annis fidem Christianam sedulo docuit. Id ipse sanctus Antistes indicat, dum postea sæpius deploravit, sese per novem fere annos erroribus Manichæorum adhæsisse,* spreta religione, quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, *ut scribit in libro de Utilitate credendi cap.* 1, *quem ad Honoratum direxit. Hoc etiam liquet ex Libro de duabus animabus contra Manichæos, quem Sanctus inchoavit his verbis :* Opitulante Dei misericordia, diruptis et derelictis Manichæorum laqueis, tandem Catholicæ gremio constituto *, libet considerare nunc saltem ac deplorare illam meam miseriam : B multa enim erant quæ facere debui, ne tam facile ac diebus paucis religionis verissimæ semina, mihi a pueritia salubriter insita, errore et fraude falsorum fallaciumve hominum effossa, ex animo pellerentur. *Ex his facile quilibet intelligit*, S. Augustinum *fide Catholica ab ineunte ætate imbutum fuisse, quod tamen in Libro primo Confessionum inferius edendo fusius ac distinctius explicabitur.*

* *al.* restitutum

litteris erudiendus puer, ludo magis est intentus,

32 *Cum Puer valeret ingenio et memoria, parentes eum magistro mature tradiderunt, ut artibus liberalibus imbueretur. At* Augustinus *ad lusum quam ad studia litterarum propensior, ut ea fert ætas, exercitiis ac nugis puerilibus indulgebat. Etiam videtur aucupio deditus fuisse, quemadmodum colligimus ex Libro de quantitate animæ, ubi cap.* 21 *Sanctus de seipso sic loquitur :* Puer multo amplius itineris conficiebam sine defectu, cum aucupandi studio in ambulando exercerer, quam adolescens, cum me ad alia studia, quibus sedere magis cogebar, contulissem. *Propterea tunc fallebat* innumerabilibus mendaciis et pædagogum et magistros et parentes amore ludendi, studio spectandi nugatoria, *sicut ipse inferius in prima Actorum parte num.* 23 *totidem verbis in*- C *genue confitebitur. Itaque nihil minus curabat, quam studia litterarum, ita ut minis et verberibus ad ea compelli debuerit.*

et a Græcis abhorret ; quas tamen didicit,

33 *Maxime autem abhorrebat a litteris Græcis, quas tamen invitus discere cogebatur. Unde tunc temporis in doctrina linguæ Græcæ non multum profecit, ut plerumque contingit in iis studiis, quæ reluctanti animo, vel invita minerva, ut vulgo aiunt, arripere compellimur. Sed forte postmodum* S. Augustinus *ætate major, utilitate istius linguæ perspecta, rudimenta grammaticæ Græcæ, quæ puer audierat, studio maturiore repetiit, et privata lectione saltem aliquanto clarius percepit : quamvis enim Sanctus in libro* 2 *contra litteras Petiliani Donatistæ cap.* 38 *pro solita animi sui submissione concedat, se vix, aut ne vix quidem, linguæ Græcæ peritum esse, tamen eodem loco hunc adversarium, qui vocem Græcam quamdam fraudulenter interpretatus fuerat, refellit his verbis :* Et ego quidem Græcæ linguæ perparum assecutus sum et prope nihil. Non tamen impudenter me dico nosse ὅλον non esse UNUM, sed TOTUM, et καθόλου SECUNDUM TOTUM ; unde Catholica nomen accepit.

Auctore G. C.

et scivit, usu scientia Græca

34 *Sæpius alibi sanctus Doctor eruditione sua Græca refutavit hæreticos, ut inter alia exempla patet ex libro* 1 *contra Julianum Pelagianum, cui Basilium magnum objicienti Sanctus cap.* 5 *citati libri primi respondet in hunc modum :* Sed audi, quod ad rem præsentem spectat, quid de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat iste sanctus sine ulla ambiguitate Basilius ; quod etsi reperi interpretatum, tamen propter diligentiorem veri fidem, verbum e verbo malui transferre de Græco. *Insuper ibidem alias Græcorum Patrum sententias accurate in linguam Latinam transtulit. Quinimo legit et intellexit libros S. Epiphanii nondum Latine redditos, ut eruimus ex epistola ad Quodvultdeum data, quæ tomo* 6 *Operum apud nos pag.* 3 *libro de Hæresibus præfixa est, et ubi ad rem nostram occurrunt sequentia :* Scripsit etiam Græce episcopus Cyprius Epiphanius, in doctrina Catholicæ fidei laudabiliter diffamatus ; sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, octoginta complexus est. . . . Vide ergo, ne forte librum sancti Epiphanii tibi mittere debeam (ipsum enim arbitror Philastrio E doctius hinc locutum) qui possit apud Carthaginem in Latinam linguam verti facilius atque commodius, ut tu potius præstes nobis, quod quæris a nobis.

in variis

35 *Denique Scripturam sacram frequenter ex Græcis codicibus interpretatus est, ut discimus ex Epistola* 59 *de novem quæstionibus, quas episcopus Paulinus ei proposuerat, et quarum primam sanctus Doctor ita explicuit :* Iste autem sensus, quo ita exponitur quod scriptum est, SATURATI SUNT FILIIS, non mihi occurrerat, cum ante rescriberem ; sed recensui brevissimam quamdam ejusdem psalmi expositionem, quam jam olim dictaveram, et hoc satis breviter a me positum reperi. Inspexi etiam codices Græcos, utrum dativus casus esset, quod dictum est FILIIS, an genitivus, quo lingua illa utitur pro ablativo, et inveni genitivum. Quod si ad verbum interpretaretur, scriptum esset, SATURATI SUNT FILIORUM ; sed recte interpres sententiam secutus est, et Latino more dixit : SATURATI SUNT FILIIS. *Ibidem, et in septem libris de locutionibus divinarum Scripturarum* S. Augustinus *passim Græcos codices cum Latinis confert, et occurrentes quæstiones ex codicibus Græcis illustrat aut dissolvit. Hæc aliaque satis probant,* S. Augustinum *peritiorem fuisse linguæ Græcæ, quam nonnulli communiter existimant.* F

occasionibus :

36 *Propterea libenter subscribimus opinioni Benedictinorum Gallorum, qui in Vita hujus sancti Doctoris non ita pridem Latine edita lib.* 1 *cap.* 2 *num.* 5 *de Græca ipsius scientia sic disserunt :* Tametsi vero Græci texendarum fabularum peritissimi sint, ab iis tamen linguæ ipsius peregrinitate longissime abalienabatur, et Homerum quoque, lepidis licet deliriis animos oblectantem, prorsus respuebat. Sævis terroribus ac pœnis urgebatur Puer, ut Græcas litteras condisceret ; sed cum in ea re, quam quis invitus agit, parum proficiat, hisce litteris leviter imbutum se fuisse fatetur Augustinus. Hujus quoque linguæ inopia, se suosque populares Africanos legendis libris de divina Trinitate Græce scriptis impares fuisse non dissimulat. Ea tamen quantulacumque Græci sermonis notitia, quam sibi comparaverat, usque adeo feliciter usus est, ut nisi ipse pro innata modestia ejus se rudem professus esset, litteris

AUCTORE G. C.

litteris Græcis apprime eruditus videri potuisset : nam legit Epiphanii commentarium de hæresibus, aut certe breviarium ejus, nondum Latinitate donatum. Deinde aliorum Patrum Græcorum libros pervolvit, e quibus testimonia non pauca deprompsit adversus hæreticos. Denique crebra Græcarum vocum interpretatio, quæ passim in ejus Opusculis occurrit, ac complurium Scripturæ locorum ex collatione codicum Græcorum cum Latinis restitutio, documento esse possunt, Augustinum haud ita mediocriter Græce scivisse.

linguam Hebraicam ignoravit,

37 *Hac occasione quæri posset, an* S. Augustinus *etiam simili modo linguam Hebræam sciverit. Joannes Rivius in Vita Sancti lib.* 1 *cap.* 2 § 8 *videtur affirmativæ sententiæ patrocinari, et illius assertioni favet Epistola* 120, *quam de quinque quæstionibus ab Honorato propositis exaravit, et ubi cap.* 3 *significationem vocis Hebraicæ confidenter exponit his verbis :* Cum autem venit plenitudo temporis, ut gratia, quæ occultabatur in veteri Testamento, jam revelaretur in novo, misit Deus Filium suum factum ex muliere, quo nomine

B proprietate Hebraicæ linguæ omnis femina nuncupatur, sive viro intacta, sive jam mixta. *Sed ipse sanctus Doctor in Epistola* 131 *circa finem fatetur, se linguam Hebræam ignorare, et libro* XI *Confessionum cap.* 3 *de Moyse sic scribit :* Si Hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meum ; nec inde mentem meam quidquam tangeret ; si autem Latine, scirem, quid diceret.

licet voces quasdam Hebraicas intelligeret :

38 *Quamvis hoc loco* S. Augustinus *dicat, quod Moysen Hebraice loquentem non esset intellecturus, tamen inde non sequitur, omnes voces Hebraicas ei ignotas fuisse. Sic verbi gratia Germanus aut Belga vel Gallus Anglum patria lingua loquentem non intelliget, etiamsi tres illæ nationes ex vernaculo suo idiomate plurimas Anglicas voces, paululum pronuntiatione vel inflexione mutatas, propter affinitatem eum suis linguis agnoscant. Quapropter existimamus,* S. Augustino *notas fuisse multas voces Hebræas, idiomati Punico præsertim affines, de qua linguarum affinitate sanctus ipse Doctor lib.* 2 *contra litteras Petiliani Donatistæ cap.* 104 *agens de Christo tradit sequentia :* Hunc Hebræi dicunt Messiam, quod verbum Punicæ linguæ consonum est, sicut alia Hebræa permulta et pene omnia. *Ex hac utriusque linguæ cognatione sequetur,* S. Augustinum *lin-*

C *guæ Hebraicæ non prorsus imperitum fuisse, si noverit idioma Punicum, cujus aliqualem peritiam nunc ei vindicare conabimur.*

sermonem Punicum puer

39 *Non omnino temere conjectamus, hunc Sanctum in pueritia vel adolescentia didicisse linguam Punicam, quæ tunc temporis adhuc utebantur Afri præsertim illi, qui ruri degebant, vel in exiguis et mediterraneis oppidis commorabantur : nam sæpius in scriptis suis aliquam linguæ hujus notitiam prodit. Unde sanctus Doctor Maximo Madaurensi grammatico, qui Punica quædam Sanctorum nomina riserat, in Epistola* 44 *sic post alia respondet :* Neque enim usque adeo te ipsum oblivisci potuisses, ut homo Afer scribens Afris, cum simus utrique in Africa constituti, Punica nomina exagitanda existimares. Nam si ea vocabula interpretemur, Namphanio quid aliud significat, quam boni pedis hominem, id est, cujus adventus afferat aliquid felicitatis ; sicut solemus dicere, secundo pede introisse, cujus introitum prosperitas aliqua consecuta sit ? Quæ lingua si improbatur abs te, nega Punicis libris, ut a viris doctissimis proditur, multa sapienter esse mandata

D memoriæ. Pœniteat te certe ibi natum, ubi hujusmodi linguæ cunabula recalent. *Deinde Sanctus ibidem argumento ad hominem paganum probat ex Virgilio, se recte explicasse nomen S. Namphanionis, de quo in Opere nostro Sollerius ad diem* IV *Julii obiter egit.*

didicisse videtur.

40 *Sic etiam Sermone* 35 *de verbis Domini cap.* 2 *vocem Hebræam* mammona *ex idiomate Punico interpretatur his verbis :* Primum quid est mammona ? Verbum est enim, quod Latinum non est. Hebræum verbum est, cognatum linguæ Punicæ ; istæ enim linguæ sibi significationis quadam vicinitate sociantur. Quod Punici dicunt mammon, Latine lucrum vocatur. Quod Hebræi dicunt mammona, Latine divitiæ vocantur. *Etiam aliis Operum suorum locis* S. Augustinus *non raro voces et phrases Hebraicas ex Punico loquendi modo exponit, et his explicationibus ostendit, linguam Punicam satis sibi notam fuisse. Non improbabiliter itaque superius conjecimus, illum in pueritia vel adolescentia linguam Punicam didicisse. Confirmationis gratia tamen addimus unicum hujus rei argumentum, quod ipse Sanctus in Sermone* 24 *de verbis Apostoli cap.* 3 *sug-* E *gerit his verbis :* Proverbium notum est Punicum, quod quidem Latine vobis dicam, quia Punice non omnes nostis. Punicum enim proverbium est antiquum : Nummum quærit pestilentia ; duos illi da, et ducat se. Numquid non hoc proverbium de Euangelio videtur natum ?

qui apud Afros fere exoleverat usu linguæ Latinæ :

41 *Ex hoc ultimo sermone discimus, linguam Latinam in Populosis Africæ civitatibus adeo vulgarem fuisse, ut multi Afri vetus idioma suum Punicum non amplius intelligerent. Neque id magnopere mirandum est, cum Romani victores semper operam dederint,* ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret, *quemadmodum sanctus Doctor in Opere suo de Civitate Dei lib.* 19 *cap.* 7 *scribit. Hinc etiam clarius intelligimus, quomodo* S. Augustinus *puer linguam Latinam inter blandimenta nutricum discere cœperit, sicut in parte prima Actorum num.* 15 *post hunc Commentarium prævium ipse testabitur. Sed postmodum hæc prima Latinitatis rudimenta tam scrupulose ad præscriptas Grammaticæ leges exegit, ut magis barbarismum contra præcepta Grammaticæ, quam peccatum contra mandata Dei formidaret, ut infra ex Confessionibus ejus audiemus.*

F

Carthaginem abit ad discendam Rhetoricam : ibi lectione poetarum.

42 *Postquam tetricas Grammaticæ difficultates superaverat, animum ad legendos poetas appulit, et eorum fabulis potissimum delectabatur. At inde cœpit animus ejus inflammari ad libidinem, quæ postea magis crevit, et quam Sanctus, ad frugem reductus, publice deploravit. Cum vero jam in patria et in oppido Madaurensi litteris humanioribus operam dedisset, eloquentiæ discendæ causa Carthaginem missus est, propter tenuem parentum ejus fortunam sumptus in iter et studia partim faciente Romaniano, primario cive Tagastensi ac viro divite, quem Sanctus hujus beneficii memor in Opere suo contra Academicos lib.* 2 *cap.* 2 *sic alloquitur :* Ergone tibi gratiam non repensabo ? An fortasse paululum debeo ? Tu me adolescentulum pauperem ad peregrina studia pergentem et domo et sumptu et (quod plus est) animo excepisti. Tu patre orbatum amicitia consolatus es, hortatione animasti, ope adjuvisti. Tu in nostro ipso municipio, favore, familiaritate, communicatione domus tuæ pene tecum clarum primatemque me fecisti.

AUCTORE G. C.

A cisti. *Deinde commemorat alia Mæcenatis hujus beneficia, de quibus forsan infra mentionem faciemus.*

et spectaculis obscœnis, quæ frequentabat,

43 *Quando in urbe Carthaginensi commorabatur, cum* circumstrepebat undique sartago flagitiosorum amorum, *quos obscœnis spectaculis ac ludis theatralibus, aliisque lasciviæ fomitibus nutriebat, ut ipse Sanctus pœnitens in prima Actorum parte post hunc Commentarium num. 62 et sequentibus humiliter et ingenue declarabit. Hæc et hujusmodi perniciosa spectacula, ni fallor, ipse Sanctus in Opere suo de Civitate Dei lib. 2 cap. 4 describit ac damnat his verbis* : Veniebamus nos etiam aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegiorum. Spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos ; ludis turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur. Cælesti virgini et Berecynthiæ matri deorum omnium, ante ejus lecticam die solenni lavationis ejus, talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis, qualia non dico matrem deorum, sed matrem qualiumcumque senatorum vel quorumlibet honestorum virorum ; imo vero qualia nec matrem ipsorum scenicorum B deceret audire. *Dein eodem lib. 2 cap. 26 similia sanctus Doctor hoc modo repetit* : ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, universi undique confluentes, et ubi quisque poterat stantes, ludos, qui agebantur, intentissimi spectabamus, intuentes alternante conspectu, hinc meretriciam pompam, illinc virginem deam ; illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari. Non ibi pudibundos mimos, nullam verecundiorem scenicam vidimus ; cuncta obscœnitatis implebantur officia.

in luxuriam incidit, et filium ex concubina concipit.

44 *His itaque libidinum stimulis agitatus* Augustinus *adolescens incidit in luxuriam, ita ut anno ætatis suæ decimo octavo filium susceperit ex concubina, quam multis annis secum retinuit, ut postea videbimus. Porro facili ac perspicaci ingenio præditus erat, et in eloquentia aliisque scientiis ita excellebat, ut postmodum magno cum plausu rhetoricam Carthagine docuerit. Ac hisce Dei donis abutebatur, cum propter istud ingenii acumen superbiret, et ambitione, vana gloria, aliisque peccatis animam suam coinquinaret, ut in libris Confessionum candide fatetur. Eo tempore tamen curabat, ut interiora mentis suæ vulnera tegeret, et exterius in publico consortio quem-* C *dam decorem servaret : cum enim esset* fœdus atque inhonestus, *ut in libris Confessionum proxime citatis ipse loquitur*, elegans et urbanus abundanti vanitate *videri volebat. Unde Vincentius Rogatista, qui Sanctum adhuc adolescentem Carthagine noverat, ut ipse sanctus Doctor Epistola 48 circa finem testatur, post annos multos ei scripsit in hunc modum* : Cum optime noverim, te longe adhuc a fide Christiana sepositum, et studiis olim deditum litterarum, quietis et honestatis fuisse cultorem *etc.*

quæ peccata sua ipse agnovit :

45 *Tamen ipse* S. Augustinus *sibi magis delictorum suorum conscius, ingenue et ultro confitetur, se in urbe Carthaginensi turpiter vixisse. Propterea in Concione 3 ad Psalmum 36, quam publice coram Carthaginensibus instituit, tomo 8 Operum pag. 125 peccata sua ibi perpetrata agnoscit, et hæreticis Donatistis ei præterita vitia objicientibus ita respondet* : Vident enim in causa se nihil habere, et linguas convertunt in nos, et incipiunt de nobis dicere mala, multa quæ sciunt, multa quæ nesciunt. Quæ sciunt, præterita nostra sunt : fuimus enim aliquando, sicut dicit Apostolus, stulti et increduli, et ad omne opus bonum reprobi. In errore perverso desipientes et insanientes fuimus ; non negamus, et quantum præteritum nostrum non negamus, tanto magis Deum, qui nobis ignovit, laudamus.

et deflevit.

46 Quid ergo, hæretice, dimittis causam, et is ad hominem ? Quid enim ego sum ? Quis sum ? Numquid Catholica ego sum ? Numquid hæreditas Christi diffusa per gentes ego sum ? Sufficit mihi, ut in ea sim. Vituperas mala mea præterita. Quid magnum facis ? Severior sum ego in mala mea, quam tu : quod tu vituperasti, ego damnavi. Utinam velles imitari, ut error tuus fieret aliquando præteritus ! Ista sunt mala præterita, quæ noverunt, maxime in ista civitate : hic enim male viximus, quod ego confiteor ; et quantum gaudeo de gratia Dei, tantum de meis præteritis timeo. Quid dicam ? Doleo ? Dolerem, si adhuc sic essem. Quid dicam ? Gaudeo ? Nec hoc possum dicere : utinam enim numquam fuissem ! Quidquid tamen fui, in nomine Christi præteritum est. Quod autem modo reprehendunt, non norunt. *Etiamsi sanctus Doctor in libris Confessionum satis fuse narret, quomodo in hæresim Manichæorum inciderit, eamque postea suspectam habere* E *cœperit, tamen hæc narratio ex aliis ipsius Opusculis jam confirmabitur, et ex paragrapho sequente lucem quamdam accipiet.*

§ IV. Causa vel occasio, qua sectam Manichæorum amplexus est, aliosque ad eamdem pertraxit; nonnullæ rationes, ob quas hanc hæresim suspectam habere cœpit, et prima ejus lucubratio.

Augustinus ex superbia,

Deus occulto, sed justo judicio, nonnumquam permittit, ut homines ingeniosi et scientia tumidi propter superbiam in propudiosa crimina et infames ridiculosque errores prolabantur, quemadmodum sanctus apostolus Paulus in Epistola ad Romanos cap. 1 indicat his verbis : Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim, se esse sapientes, stulti F facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis, et volucrum et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. *Hic Apostoli textus fere convenit adolescenti* Augustino, *qui fama doctrinæ suæ inflatus et fastu turgidus, in absurdam Manichæorum hæresim incidit, ut ex sequentibus apparebit.*

contemptu

48 *Cum ageret annum decimum nonum ætatis, lecto Ciceronis Hortensio, exarsit ad amorem sapientiæ et veritatis, ut ipse initio libri de Beata vita testatur* : Ego ab usque undevicesimo anno ætatis meæ, *inquit*, postquam in schola rhetorum librum illum Ciceronis, qui HORTENSIUS vocatur, accepi, tanto amore philosophiæ succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer. Sed neque mihi nebulæ defuerunt, quibus confunderetur cursus meus, et diu fateor, quibus in errorem ducebar, labentia in Oceanum

AUCTORE G. C.

num astra suspexi. *At frustra quærebat apud ethnicos philosophos et vanos astrologos veritatem, cum interim sacras Litteras, in quibus hæc invenienda erat, ob humilem stylum superbe contemneret.*

sacræ Scripturæ,

49 *Hæc impia sacræ Scripturæ vituperatio, et ambitiosa veritatis inquirendæ temeritas, aliaque similia vitia probroso lapsui, ac diuturno superbi Adolescentis errori præcipuam causam dederunt, sicut ipse postmodum Sermone* 65 *de diversis cap.* 5 *publice coram populo fassus est in hunc modum :* Loquor vobis aliquando deceptus, cum primo puer ad divinas Scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi, quam pietatem quærendi. Ego ipse contra me perversis moribus claudebam januam Domini mei. Cum pulsare deberem, ut aperiretur, addebam, ut clauderetur : superbus enim audebam quærere, quod nisi humilis non potest invenire. Quanto vos beatiores estis modo, quam securi discitis, quam utiliter quicumque adhuc parvuli estis in nido fidei, et spiritalem escam accipitis. Ego autem miser, cum me ad volandum idoneum putarem,
B reliqui nidum et prius cecidi quam volarem. Sed Dominus misericors me, a transeuntibus ne conculcarer et morerer, levavit, et in nido reposuit. *Nunc audiamus alias causas, quibus inductus est, ut hanc turpem Manichæorum sectam per novem fere annos incaute defenderet et sequeretur.*

et fraudibus hæreticorum

50 *Ipse Sanctus cuidam Honorato, quem nondum Christianum ad hæresim illam amplectendam impulerat, in libro de Utilitate credendi cap.* 1 *præcipuam lapsus et erroris sui causam exponit his verbis :* Est igitur mihi propositum, ut probem tibi, si possim, quod Manichæi sacrilege ac temere invehantur in eos, qui Catholicæ fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, et illuminaturo præparantur Deo : nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mira et simplici ratione eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem, spreta religione, quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione ter-
C reri, et fidem nobis ante rationem imperari dicerent : se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus et garrulus; qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, et ab eis promissum, apertum et sincerum verum tenere atque haurire cupientem?

in Manichæorum hæresim labitur,

51 *Insuper in libro de Duabus animabus cap.* 9 *duas alias ejusdem cæcitatis et pertinaciæ suæ causas ita profert :* Sed me duo quædam maxime, quæ incautam illam ætatem facile capiunt, per admirabiles attrivere circuitus, quorum est unum familiaritas, nescio quomodo repens quadam imagine bonitatis, tamquam sinuosum aliquod vinculum multipliciter collo involutum. Alterum, quod quædam noxia victoria pene mihi semper in disputationibus proveniebat disserenti cum Christianis imperitis, sed tamen fidem suam certatim, ut quisque posset, defendere molientibus. Quo successu creberrimo gliscebat Adolescentis animositas et impetu suo in pervicaciæ magnum malum D
imprudenter vergebat. Quod altercandi genus quia post eorum auditionem aggressus eram, quidquid meo vel qualicumque ingenio vel aliis lectionibus poteram, solis illis libentissime tribuebam. Ita ex illorum sermonibus ardor in certaminum proventu, amor in illos quotidie movebatur *. Ex quo accidebat, ut quidquid dicerent, miris quibusdam modis, non quia sciebam, sed quia optabam verum esse, pro vero approbarem.

* *al.* novabatur

et alios in eam inducit;

52 *Propter hos crebros disputationum successus et damnosas victorias arrogantia elatus* Augustinus *fœdam illam hæresim juvenili impetu tuebatur, et fidem Catholicam* miserrima et furiosissima loquacitate vastabat, *ut iisdem verbis utar, quibus ille lib.* 2 *de Dono perseverantiæ cap.* 20 *cæcam suam istius temporis obstinationem expressit. Non contentus erroribus Manichæorum propugnandis, etiam amicos quosdam suos induxit, ut eamdem sectam amplecterentur. Inter hos novimus Alypium, Romanianum ejus mæcenatem, et quemdam Honoratum, qui postremus adhuc hæreticis illis adhærebat, quando* S. E
Augustinus *jam sacerdotio initiatus erat, ut infra videbimus. Propterea Sanctus misit ipsi librum de Utilitate credendi, ubi cap.* 1 *sic eum alloquitur :* Tu nondum Christianus, qui hortatu meo, cum eos vehementer execrareris, vix adductus es, ut audiendi tibi atque explorandi videreutur, qua quæso alia re delectatus es (recordare, obsecro te) nisi magna quadam præsumptione et pollicitatione rationum? *Deinde variis argumentis hunc virum, quem olim incautum seduxerat, ad fidem Ecclesiæ Catholicæ profitendam movere nititur.*

numquam tamen in gradu

53 *Quamvis autem* Augustinus *eo tempore tam ferventer hæresim Manichæorum defenderet ac propagaret, tamen inter eos ad gradum Electorum, qui majoris æstimabatur, ascendere noluit :* nam duabus professionibus, hoc est, Electorum et Auditorum ecclesiam suam constare voluerunt, *ut ipse in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum hæresi* 46 *loquitur. Itaque se continuit in gradu Auditorum, qui arcana sectæ istius mysteria et occulta flagitia ignorabant. Unde in Disputatione prima contra Fortunatum Manichæum, sive tomo* 6 *Operum pag.* 66, *huic Manichæorum presbytero sic respondet :* De moribus autem vestris plene scire possunt, qui Ele- F
cti vestri sunt. Nostis autem, me non Electum vestrum, sed auditorem fuisse. Itaque quamvis et orationi vestræ interfuerim, ut interrogasti, utrum separatim vobiscum habeatis aliquam orationem, Deus solus potest nosse et vos. Ego tamen in oratione, in qua interfui, nihil turpe geri vidi, sed solum contra fidem animadverti, quam postea didici et probavi, quod contra solem faciatis orationem. Præter hoc in illa oratione vestra nihil novi comperi. Quisquis autem vobis opponit quæstionem aliquam de moribus, Electis vestris opponat. Quid autem inter vos agatis, qui Electi estis, ego scire non possum : nam et Eucharistiam audivi a vobis sæpe quod accipiatis; tempus autem accipiendi cum me lateret, quid accipiatis, unde nosse potui? Itaque serva, si placet, quæstionem de moribus, ut inter Electos vestros discutiatur, si discuti potest. Mihi fides data est a vobis, quam hodie improbo. *Sanctus Doctor hic de sola fide contra Fortunatum disputare voluit, etiamsi corruptos Manichæorum mores abunde nosset, ut ex postea dicendis patebit.*

54 *Ex his*

A *Electorum fuit.* 54 *Ex his evidenter apparet,* Augustinum *inter Manichæos numquam fuisse in numero Electorum vel presbyterorum, quamvis Petilianus Donatista hanc calumniam ei impingere voluerit. Quapropter ipse lib.* 3 *contra litteras Petiliani cap.* 17 *manifestum istud accusatoris sui mendacium leviter explodit his verbis :* Pergat etiam sermone multiloquo, sed plane vaniloquo in ea, quæ prorsus ignorat, vel in quibus potius abutitur ignorantia plurimorum, et ex confessione cujusdam feminæ, quod catechumenam se dixerit Manichæorum, quæ sanctimonialis et Catholica fuerat, quod ei placet, de illorum baptismo dicat; et scribat nesciens, aut nescire se fingens, non illicite appellari catechumenos, tamquam ejus baptismus quandoque debeatur, sed eos hoc vocari, qui etiam Auditores vocantur, quod videlicet tamquam meliora et majora præcepta observare non possint, quæ observantur ab eis, quos Electorum nomine discernendos et honorandos putant. Me etiam presbyterum fuisse Manichæorum vel falsus vel fallens mirabili temeritate contendat. *Jam referamus ex ipsis Sancti scriptis (semper hoc loco excipimus libros Confessionum, qui post hunc Commentarium maxima ex parte* B *recudentur) quas ob causas seductus Adolescens in secta Manichæorum vacillare cœperit.*

Causæ, quæ Manichæorum 55 *Sanctus Doctor unam ex istis causis assignat in libro de Utilitate credendi, dum ibi cap.* 1 *ad Honoratum inter alia sic scribit :* Quæ rursum ratio revocabat, ne apud eos penitus hærerem, ut me in illo gradu, quem vocant Auditorum, tenerem, ut hujus mundi spem atque negotia non dimitterem; nisi quod ipsos quoque animadvertebam plus in refellendis aliis disertos et copiosos esse, quam in suis probandis firmos et certos manere ?... Sed quia diu multumque de imperitorum erroribus latissime ac vehementissime disputabant, quod cuivis mediocriter erudito esset facillimum, sero didici. Si quid etiam suorum nobis inserebant, necessitate retinendum, cum alia non occurrerent, in quibus acquiesceremus, arbitramur. Itaque nobis faciebant, quod insidiosi aucupes solent, qui viscatos surculos prope aquam defigunt, ut sitientes aves decipiant : obruunt enim et quodammodo cooperiunt alias, quæ circa sunt, aquas, vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos non electione, sed inopia C decidatur.

hæresim 56 *Etiam vehementer* Augustino *displicebat illa sectæ suæ consuetudo, qua Manichæi fere prorsus negligebant annuum Paschalis festum, quod ab omnibus Christianis solenniter celebrari noverat. Quapropter in libro contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, cap.* 8 *de causa istius negligentiæ suspicionem suam sic indicat :* Quid ergo aliud suspicer nescio, nisi quia iste Manichæus, qui per Christi nomen ad imperitorum animos aditum quærit, pro Christo isto ipso se coli coluit? Hoc unde conjiciam, breviter dicam. Cum sæpe a vobis quærerem illo tempore, quo vos audiebam, quæ causa esset, quod Pascha Domini plerumque nulla, interdum a paucis tepidissima celebritate frequentaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio indicto Auditoribus vestris, nullo denique festiviore apparatu, cum vestrum bema *(Græca vox βῆμα significat gradum vel tribunal, ex qua significatione verosimiliter illa Manichæorum festivitas nomen suum traxit)* id est diem, quo Manichæus occisus est, quinque gradibus instructo tribunali et pretiosis linteis adornato, ac in promptu posito et objecto adorantibus, magnis honoribus prosequamini. *doctore G. C.*

57 Hoc ergo cum quærerem, respondebatur, ejus diem passionis celebrandum esse, qui vere passus est; Christum autem, qui natus non esset, neque veram sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse sed finxisse passionem. Quis non ingemiscat, homines, qui se Christianos dici volunt, timere, ne polluatur veritas de Virginis utero, et de mendacio non timere? Sed ut ad rem redeam, quis non suspicetur, qui diligenter attenderit, ideo negari a Manichæo Christum natum esse de femina, et humanum corpus habuisse, ne passio ejus, quod totius jam orbis festissimum tempus est, ab eis, qui sibi credidissent, celebraretur, et non tanta devotione diem mortis suæ desiderata solennitas honoraret? Hoc enim nobis erat in illa bematis celebritate gratissimum, quod per Pascha frequentabatur; quoniam vehementius desiderabamus illum diem festum, subtracto alio, qui solebat esse dulcissimus. *Licet hæc Manichæorum consuetudo, aliæque fanaticæ eorum opiniones haud dubie offenderent* Augustinum, *subtili ingenio præditum et minime credulum, tamen adhuc inter illos eum detinebant duo laquei, quos ipse lib.* I *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* I *explicat his verbis :* Duæ maxime sunt illecebræ Manichæorum, quibus decipiuntur incauti, ut eos veliut habere doctores. Una, cum Scripturas reprehendunt, vel quas male intelligunt, vel quas male intelligi volunt. Altera, cum Vitæ castæ et memorabilis continentiæ imaginem præferunt. Hic liber congruentem Catholicæ disciplinæ sententiam nostram de vita et moribus continebit, in quo fortasse intelligetur, et quam sit facile simulare, et quam difficile habere virtutem. Eum sane modum tenebo, si potero, ut neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quam illi in ea, quæ ignorant : sanari enim eos potius, si fieri potest, quam oppugnari volo. *Sed utrumque laqueum illum disrupit, postquam sacras Litteras humili corde pervolvit, et obscœnos pravosque Manichæorum mores detexit.* *suspectam fecerunt* E

58 *Interea non parum quoque ad augendas fluctuantis animi suspiciones contulerat adventus Fausti famosi Manichæi, quem diu exspectatum Carthagine dubitans* Augustinus *consuluit. Sed præsentia famam minuit : acutus enim Adolescens in hoc colloquio Carthaginensi expertus est, illum magni nominis Faustum potius eloquentem, quam doctum vel eruditum esse, cumque dubiis suis dissolvendis imparem deprehendit, ut in prima Actorum parte post hunc Commentarium prævium cap.* 9 *distincte narrabitur. Postea* Augustinus *scribens Opus grande adversus eumdem Faustum adhuc recordabatur istius colloquii Carthaginensis, ut satis innuit in proœmio dicti Operis, quod exorditur his verbis :* Faustus quidam fuit gente Afer, civitate Milevitanus, eloquio suavis, ingenio callidus, secta Manichæus, ac per hoc nefando errore perversus. Noveram ipse hominem, quemadmodum commemoravi in libris Confessionum mearum. *Deinde ibidem exponit, qua occasione ac methodo lucubrationes hæreticas hujus Fausti refellendas susceperit.* *Augustino.* F

59 *Eo tempore, quo* Augustinus *adhuc Carthagine degebat, exercendi vel ostentandi ingenii causa conscripsit Opus de* pulcro *et* apto, *de qua prima ipsius lucubratione R. P. Joannes Rivius Eremita* *Scribit Opusculum primum, quod intercidit.*

AUCTORE G. C.

Eremita Augustinianus in Vita Sancti nostri lib. 1, cap. 1 § XI sic dissserit : Sed cum annorum jam viginti sex aut septem, pulcri et pulcritudinis amator esset, ad eorum contemplationem et causam, cur talia amentur, investigandam animum appulit, scripsitque libros duos aut tres de Pulcro et Apto. Et pulcrum, quod per seipsum, aptum autem, quod ad aliquid accommodatum deceret, definiebat et distinguebat, et exemplis corporeis adstruebat. Hos libros, qui interciderunt, dedicavit Hierio, Romanæ urbis oratori, homini Syro, Græce et Latine facundissimo, et scientissimo rerum pertinentium ad studium sapientiæ; quem jam tum amabat ex doctrinæ fama, facie licet ignotum. *Verum* Augustinus *de primo illo opusculo suo mentionem faciet in Actis post hunc Commentarium recudendis, ubi num. 76 et sequentibus sparsim similia ex ipso Auctore fusius audiemus. Interea nunc illum Carthagine discedentem, ut ex Africa Italiam navigaret, et Romæ commorantem, fideliter et curiose comitabimur.*

B

§ V. Discessus ejus ex Africa in Italiam, commoratio Romana, corrupti Manichæorum mores ibi detecti, transitus a Manichæis ad Academicos.

Ex Africa Romam petit,

Anno Christi 383 S. Augustinus *ex Africa Romam navigavit, ut turbulentas discipulorum Carthaginensium seditiones effugeret, et ibi quietius rhetoricam doceret. Ex illo migrationis anno redarguitur crassa calumnia Donatistarum, qui adversus omnem veri similitudinem finxerunt,* Augustinum *adhuc Manichæum propter sententiam, quam Messianus proconsul contra Manichæos tulerat, ex Africa in Italiam profugisse. Quapropter ipse sanctus Doctor lib. 3 contra Litteras Petiliani Donatistæ cap. 25 illud evidens mendacium sic refellit :* Inter multa etiam prorsus ad rem non pertinentia dicit, Messiani proconsulis sententia me fuisse percussum, ut ex Africa fu- C gerem; et propter hoc falsum (quod si non ipse confinxit, certe malevolis fingentibus malevole credidit) quam multa alia falsa consequenter, non utcumque dicere, sed etiam scribere mira temeritate non timuit; cum ego Mediolanum ante Bautonem consulem venerim, eique consuli Calendis Januariis laudem in tanto conventu conspectuque hominum pro mea tunc rhetorica professione recitaverim, et ex illa peregrinatione jam post Maximi tyranni mortem Africam repetiverim; Manichæos autem Messianus proconsul audierit post consulatum Bautonis, sicut dies gestorum ab eodem Petiliano infertus ostendit. Quæ si dubitantibus vel contradicentibus probare necesse esset, multos possem claros in seculo viros testes locupletissimos adhibere totius illius temporis vitæ meæ. *Hinc evidenter videmus, illos* S. Augustini *accusatores impudenter mentitos esse, quandoquidem sententia Messiani contra Manichæos data est anno Christi* 386, *ante et post quem Sanctus in Italia commorabatur.*

insciis amicis.

61 *Porro ex Africa in Italiam discessit, insciis amicis ac ipso mæcenate suo Romaniano, cujus filios discipulos suos Carthagine reliquerat, et quem postea lib. 2 contra Academicos cap. 2 sic alloquitur :* Tu etiam, cum te absente atque ignorante navigassem, nihil succensens, quod non tecum communicassem, ut solerem, atque aliud quidvis quam contumaciam suspicans, mansisti inconcussus in amicitia; nec plus ante oculos tuos liberi deserti a magistro, quam nostræ mentis penetralia puritasque versata est. *Attamen de itinere illo videtur aliquid scivisse aut suspicatus esse Martianus ejus amicus, qui ei in Italiam profecturo occinuit Terentianum istum versum,* Nunc hic dies vitam aliam affert, alios mores postulat, *ut colligimus ex Epistola* 155, *quam ad veterem illum amicum suum scripsit. Quomodo autem deceperit sanctam Monicam, quæ Filium comitari volebat, eumque usque ad mare secuta fuerat, inferius ex libris Confessionum discemus.* D

Romæ habitat apud Manichæum,

62 *Cum* S. Augustinus *Romam pervenisset, hospitio Auditoris Manichæi usus est, ibique periculoso morbo laboravit : licet enim doctrinam Manichæorum de falsitate suspectam haberet, ut hospiti suo indicavit, tamen adhuc familiariter agebat cum Auditoribus et Electis eorum, qui clanculum Romæ magno numero degebant. Forsan hæc familiaritas ei præbuit occasionem detegendi varia Manichæorum flagitia, quæ lib. 2 de Moribus Manichæorum cap. 19 et 20 postea confidenter illis exprobravit in hunc modum :* Denique tam multa et tam gravia peccata in his moribus deprehenduntur, ut si quis accusare velit omnia homo alicujus facultatis, singula ut minimum, singulis voluminibus possit. Hæc igitur si custodiretis, vestramque impleretis professionem, nihil vobis esset ineptius, nihil stultius, nihil imperitius. Cum autem laudatis et docetis ista, nec facitis, quid vobis fallacius, quid insidiosius, quid malitiosius dici aut inveniri potest? E

moresque

63 Novem annos totos magna cura et diligentia vos audivi; nullus mihi Electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta non aut deprehensus in peccato, aut certe suspicioni subditus fuerit. Multi in vino et carnibus, multi lavantes in balneis inventi sunt. Sed hæc audiebamus. Nonnulli alienas feminas seduxisse approbati sunt, ita ut plane dubitare non possim. Sed sit et hæc magis fama, quam verum. Vidi ipse non solus, sed cum iis, qui partim jam illa superstitione liberati sunt, partim adhuc opto ut liberentur. Vidimus ergo in quadrivio Carthaginis in platea celeberrima, non unum sed plures quam tres Electos simul, post transeuntes nescio quas feminas tam petulanti gestu adhinnire, ut omnium trivialium impudicitiam impudentiamque superarent. Quod de magna venire consuetudine, atque illos inter se ita vivere satis eminebat; quandoquidem nullus socii præsentiam veritus, omnes, aut certe pene omnes, eadem teneri peste indicabat : non enim erant hi ex una domo; sed diverse prorsus habitantes, ex eo loco, ubi conventus omnium factus erat, pariter forte descenderant. F

Manichæorum

64 Nos autem graviter commoti, graviter etiam questi sumus. Quis tandem hoc vindicandum, non dicam separatione ab ecclesia, sed pro magnitudine flagitii vehementius saltem objurgationibus arbitratus est? Et hæc erat omnis excusatio impunitatis illorum, quod eo tempore, quo conventicula eorum lege publica prohiberentur, ne quid læsi proderent, metuebatur. Uti est ergo, quod perpetuam sibi persecutionem in hoc mundo futuram prædicant, eoque se commendatiores haberi volunt; hinc interpretantes, quod hic mundus eos oderit, et propterea penes si quærendam

A quærendam veritatem affirmantes, quia in promissione Spiritus sancti paracleti dictum est, quod eum mundus accipere non possit. De qua re non iste locus disserendi est. Sed certe si perpetua vobis persecutio futura est, usque in seculi finem, perpetua erit et hæc dissolutio, tantæque turpitudinis inpunita contagio, si tales lædere formidatis.

corruptos, 65 Id etiam nobis responsum est, cum ad ipsos primates detulissemus, conquestam nobis esse mulierem, quod in conclavi, ubi cum aliis feminis erat, de illorum scilicet sanctitate secura, ingressis Electis pluribus, et ab uno lucerna exstincta, incerta cujus eorum in tenebris appetita esset amplexu, et coacta in flagitium, nisi subsidio clamoris evasisset. Hoc vobis quoque notissimum nefas, de quanta consuetudine venisse arbitrandum est? Et hoc factum est ea nocte, qua festæ apud vos vigiliæ celebrabantur. Sed revera etiam, si nullus esset proditionis metus, quis posset damnandum offerre episcopo, qui sic præcaverat, ne agnosceretur? Quasi vero non omnes idem crimen involutos teneat, qui simul ingressi erant: nam B omnibus petulanter jocantibus lucerna exstincta placuerat.

variaque 66 Suspicionibus vero januæ quantæ aperiebantur, cum eos invidos inveniebamus, cum avaros, cum epularum exquisitarum avidissimos, cum in jurgiis frequentissimos, cum de rebus exiguis mobilissimos? Non utique arbitramur, eos temperare posse, a quibus se temperare profitebantur, quando latibula et tenebras invenirent. Duo quidem erant existimationis satis bonæ, facili ingenio, atque in illis suis disputationibus principes, nobis amplius quam ceteri familiariusque conjuncti; quorum unus, qui propter studia liberalia nobis arctius adhærebat hic, nunc ibi presbyter esse dicitur. Hi sibi graviter invidebant, et objiciebat alter alteri, non accusatione manifesta, sed sermone apud quos poterat et susurris, ab eo violenter attentatatam cujusdam Auditoris uxorem. Ille autem se purgans, interim apud nos alium ejusdem sceleris Electum criminabatur, qui apud eumdem Auditorem, quasi amicus fidelissimus habitabat: quem quoniam subito ingrediens cum muliere deprehenderat, dicebat, mulieri et adultero ab C illo inimico atque invido consilium datum, ut illa sibi conflaretur calumnia, ne, si quid proderet, crederetur. Angebamur nos, et molestissime ferebamus, quod etiamsi de appetita muliere incertum erat, livor tamen in illis duobus, quibus meliores ibi non inveniebamus, apparebat acerrimus, et alia conjicere cogebat.

et nefanda 67 Postremo in theatris Electos et ætate et (ut videbantur) moribus graves, cum sene presbytero sæpissime invenimus. Omitto juvenes, quos etiam rixantes pro scenicis et aurigis deprehendere solebamus; quæ res non mediocri argumento est, quomodo se possint continere ab occultis, cum eam cupiditatem superare non possint, quæ illos Auditorum suorum oculis sustentat, et prodit erubescentes atque fugitantes. An vero illius etiam sancti, ad cujus disputationes in ficariorum vicum ventitabamus, tantum illud flagitium proderetur, si virginem sanctimonialem, mulierem tantum, non et prægnantem facere potuisset. Sed occultum et incredibile malum, crescens uterus latere non passus est. Quod cum mater fratri juveni prodidisset, acerrime dolens, religionis tamen nomine ab accusatione publica revocatus est; perfecitque, ut ille (non enim hoc ferre quisquam posset) de illa ecclesia pelleretur; et ne impunita res omnino esset, cepit consilium, ut adjunctis sibi amicis, hominem pugnis calcibusque concideret. *auctore G. C.*

68 At ille cum graviter cæderetur, clamabat, ut sibi ex auctoritate Manichæi parceretur; *eorum* Adam primum hominem peccavisse, et post peccatum fuisse sanctiorem. Talis est namque apud vos opinio de Adam et Eva. Longa fabula est; sed ex ea attingam, quod in præsentia satis est. Adam dicitis sic a parentibus suis genitum, abortivis illis principibus tenebrarum, ut maximam partem lucis haberet in anima, et perexiguam gentis adversæ. Qui cum sancte viveret propter exsuperantem copiam boni, commotam tamen in eo fuisse adversam illam partem, ut ad concubitum declinaretur; ita eum lapsum esse, atque peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Hic ego non tam de nequam homine conqueror, qui stupro nefario alienam famulam sub habitu Electi et sancti viri ad tantum dedecus infamiamque perduxit. Non hoc vobis objicio. Fuerit hoc hominis perditissimi potius, quam consuetudinis vestræ: non enim tantum flagitium in vobis, sed in illo arguo. Illud tamen in omnibus vobis quemadmodum ferri et tolerari possit, ignoro, quod cum animam partem Dei E esse dicatis, asseritis tamen etiam exiguo admixto malo, majorem ejus copiam ubertatemque superari: quis enim cum hoc crediderit, et cum libido pulsaverit, non ad talem defensionem potius, quam ejus libidinis refrænationem compressionemque confugiat?

69 Quid amplius dicam de moribus vestris? *scelera* Dixi, quæ ipse comperi, cum in ea essem civitate, ubi ista commissa sunt. Romæ autem, me absente, quid actum sit, longum est explicare. Dicam tamen brevi: eo enim res erupit, ut occulta esse non posset absentibus; et ego quidem postea Romæ cum essem, omnia vera me audisse firmavi, quamvis tam familiaris et mihi probatus, qui præsens erat, ad me rem pertulerat, ut omnino dubitare non possem. Nam quidam vester Auditor, in illa memorabili abstinentia nihilo Electis cedens, qui et liberaliter institutus esset, et vestram sectam copiose vellet et soleret defendere, molestissime ferebat, quod ei vage pessimeque habitantium passimque viventium Electorum mores perditissimi sæpe disputanti objiciebantur. Cupiebat itaque, si fieri posset, omnes, qui secundum illa præcepta vitam degere parati essent, F congregare in domum suam, et suis sumptibus sustinere: erat enim et non mediocris pecuniæ contemptor, et non mediocriter pecuniosus. Querebatur autem, impediri tantos conatus suos episcoporum dissolutione, quibus adjuvantibus, implere debebat.

70 Interea autem episcopus quidam, homo *paulatim* plane (ut ipse expertus sum) rusticanus atque impolitus, sed nescio quomodo ea ipsa duritia severior in custodiendis bonis moribus videbatur. Hunc diutissime desideratum et aliquando præsentem arripit iste, exponit voluntatem suam. Laudat ille atque consentit; placet, ut in domo ejus prior ipse incipiat habitare. Quod ubi factum est, eo congregati sunt Electi omnes, qui Romæ esse potuerunt. Proposita est vivendi regula de Manichæi epistola. Multis intolerabile visum est. Abscesserunt. Remanserunt tamen pudore non pauci. Cœpit ita vivi, ut placuerat, et ut tanta præscribebat auctoritas; cum interim Auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen ad id, quod non prior ipse susciperet. Interea rixæ inter Electos oriebantur creberrimæ, objiciebantur

AUCTORE G. C.

objiciebantur ab invicem crimina, quæ ille omnia gemens audiebat, dabatque operam, ut seipsos in jurgando incautissime proderent. Prodebant nefanda et immania. Ibi cognitum est, quales essent, qui tamen inter ceteros vim præceptorum illorum subeundam sibi putaverunt esse. Jam de ceteris quid suspicandum erat, aut quid potius judicandum?

deiegit,

71 Quid plura? Coacti aliquando murmuraverunt, sustineri illa mandata non posse. Inde in seditionem. Agebat Auditor causam suam complexione brevissima, aut illa omnia esse servanda, aut illum, qui talia sub tali conditione præcepisset, quæ nullus posset implere, stultissimum existimandum. Vicit tamen (non enim aliter poterat) unius sententiam effrenatissimus strepitus. Postea etiam ipse cessit episcopus, et cum magno dedecore aufugit: hujus sane cibi præter regulam clanculo accepti, et sæpe inventi ferebantur, cum ei de proprio sacculo diligenter occultato pecunia copiosa suppeteret. Hæc si falsa esse dicitis, nimis apertis et pervulgatis rebus obsistitis. Sed utinam B hoc dicatis! Cum enim sint ista manifesta et iis, qui scire voluerint, cognitu facillima, intelligitur, quam vere dicere soleant, qui hæc vera esse negaverint.

qua ipsis

72 Sed aliis defensionibus utimini, quas ego non improbo: aut enim dicitis aliquos, qui vestra præcepta custodiant, nec eos aliorum criminibus debere perfundi; aut non oportere omnino quæri, quales sint homines, qui vestram sectam profitentur, sed qualis sit ipsa professio. Quorum ego utrumque admisero, quamquam nec illos fidos mandatorum observatores demonstrare, nec ipsam hæresim a tot et tantis nugis atque sceleribus purgare possitis. Illud tamen a vobis magnopere requiram, cur maledictis insectemini Christianos Catholici nominis, quorumdam intuentes perditam vitam, cum de vestris hominibus haberi quæstionem, aut impudenter recusetis, aut impudentius non recusetis, velitisque intelligi in tanta vestra paucitate latere nescio quos, qui sua præcepta custodiant, et in tanta Catholicæ multitudine non velitis?

postmodum

73 *Forsan Augustinus magnam narrationis hujus partem rescivit ex illo ipso Romano Manichæorum Auditore, qui Constantius vocabatur,* C *et postea fidem Catholicam amplexus est, ut discimus ex Opere contra Faustum Manichæum, ubi sanctus Doctor lib.* 5, *cap.* 5 *et* 6 *simile discrimen inter mores et præcepta Manichæorum breviter repetit his verbis:* Adhuc in rebus humanis est ille Constantius, modo jam frater noster Catholicus Christianus, qui multos vestrum Romæ in domum suam congregaverat propter implenda præcepta Manichæi, satis quidem vana et inepta, sed tamen quæ magna existimatis. Quibus cum vestra infirmitas cederet, dispersi estis quisque in viam suam. Unde illi, qui in eis perdurare voluerunt, a vestra societate schisma fecerunt; et quia in mattis dormiunt, mattarii appellantur, a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumæ Fausti et caprinæ lodices, qua deliciarum affluentia non solum mattarios fastidiebat, sed etiam domum patris sui hominis pauperis Milevitani. Auferte ergo perditam simulationem, si de moribus non vultis, saltem de litteris vestris, ne lingua vestra cum vita vestra, tamquam ille primus homo cum gente tenebrarum, non mendacibus elementis, sed verbis pugnare videatur.

exprobravit:

74 Sed ne in homines potius non implentes ea, quæ sibi præcipiuntur, quam in ipsam sectam vanissimi erroris me ista dicere quisquam re- D prehendat, hoc dico: talia sunt ipsa præcepta Manichæi, ut si ea non faciatis, deceptores, si autem faciatis, decepti sitis. Neque enim Christus vobis præcepit, ut herbam non evellatis, ne homicidium perpetretis, qui discipulos suos per segetem transeuntes et esurientes vellere spicas Sabbato non prohibuit; unde convinceret et præsentes Judæos et futuros Manichæos; illos, quia Sabbato fiebat; istos vero, quia fiebat. Sed plane Manichæus præcepit, ut otiosis manibus vestris de homicidiis vivatis alienis: et illa quidem falsa sunt homicidia; sed vestra sunt vera, cum tali dæmoniorum doctrina miseras animas trucidatis. *Hæc et similia sancti Doctoris argumenta, quæ per decursum contra Manichæos occurrunt, clarius intelligentur infra, postquam ex ipso delira istorum hæreticorum dogmata retulerimus. Ceterum hoc loco prætermittimus alia nefanda Manichæorum crimina, quæ postmodum comperta ac juridice probata sunt: hæc enim doctrinæ morumque discrepantia accedens aliis suspicionibus, quas paragrapho præcedente memoravimus, Augustino veritatem quærenti sufficiebat, ut infamem eras-* E *samque horum hæreticorum sectam desereret.*

75 *Sed evitata charybdi, in scyllam incidit, et a Manichæis transiit ad Academicos, qui de omnibus dubitabant, ut ipse Sanctus in libro de Beata vita, seu tomo* I *pag.* 212 *declarat his paucis verbis:* At ubi discussis eis, evasi, maxime trajecto isto mari, diu gubernacula mea repugnantia omnibus ventis in mediis fluctibus Academici tenuerunt. *Id iterum indicat in libro de Utilitate credendi, quem ad Honoratum adhuc Manichæum scripsit, ubi cap.* 8 *candide exponit ei, quomodo post relictam Manichæorum sectam more Academicorum in veritate indaganda dubius hæsitaverit:* Ut enim a vobis trans mare abscessi, *inquit,* jam cunctabundus atque hæsitans, quid mihi tenendum, quid dimittendum esset; quæ mihi cunctatio in dies major oboriebatur, ex quo illum hominem *(intelligit Faustum Manichæum famosum, de quo supra mentionem fecimus)* cujus nobis adventus, ut nosti, ad explicanda omnia, quæ nos movebant, quasi de cælo promittebatur, audivi, cumque, excepta quadam eloquentia, talem quales ceteros esse cognovi, rationem ipse mecum habui, magnamque deliberationem jam in Ita- F lia constitutus, non utrum manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat, sed quonam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli melius quam tibi nota sunt.

transiit ad Academicos.

76 Sæpe mihi videbatur non posse inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragium ferebantur. Sæpe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quærere, quænam illa esset auctoritas, cum in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis sylva, cui demum inseri multum pigebat; atque inter hæc sine ulla requie, cupiditate inveniendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram. *Cum inter illos cogitationum fluctus ambiguus hæreret, ex urbe Romana Mediolanum evocatus est, ut ibi rhetoricam profiteretur. Propter quamdam fraudem discipulorum Romanorum*

hæretque ambiguus de religione eligenda

A *manorum* Augustinus *libenter eam provinciam suscepit, et sic divina providentia paulatim ad veram religionem inveniendam propius accedebat, ut paragrapho sequente explicabitur.*

§ VI. Professio rhetorica Mediolani, notitia cum sancto Ambrosio episcopo, studium quærendæ veritatis, mira ad Deum conversio, et exempla piorum hominum, quibus ad perfectiorem vitam excitatus est.

Mediolani docens, adit S. Ambrosium,

Cum Mediolani jam degeret Augustinus, *pro rhetorica sua professione jussus est eloquentiæ specimen dare, et ideo Kalendis Januariis anni* 385 *panegyricum Bautoni consuli publice recitavit.* B *Eo tempore ecclesiam Mediolanensem magna pietatis et doctrinæ fama gubernabat S. Ambrosius episcopus, quem cum aliquando salutationis aut humanitatis causa* Augustinus *adiisset, adeo benigne ab illo exceptus est, ut hunc præsulem redamare cœperit. Sed in eo magis amabat paternam benignitatem, quam veram religionem, cum ex inveteratis Manichæorum principiis, et incertis Academicorum placitis sibi persuaderet, veritatem in Ecclesia Catholica inveniri non posse. Interea veritatem quærebat apud Academicos, et quotidie magis magisque implicabatur pluribus dubitationibus, quas Ambrosio dissolvendas proponere non poterat, quia fere semper ipsum lectioni intentum vel aliis occupationibus impeditum reperiebat.*

eumque pro matre sua consulit de jejunio Sabbati

78 *Tamen aliquando propter dubitationem matris suæ, quæ ex Africa Mediolanum venerat, breviter Ambrosium consuluit, ut in Epistola* 118 *ad Januarium data cap.* 2 *legitur his verbis*: Credo, te aliquando ex me audisse; sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit ecclesiam Sabbato C non jejunantem. Cœperat perturbari et fluctuare, quid ageret, cum ego talia non curabam; sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit, se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque ego putassem, nulla reddita ratione, auctoritate sola sua nos voluisse admonere, ne Sabbato jejunaremus, subsecutus est, et ait mihi: Cum Romam venio, jejuno Sabbato; cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est. *Sanctus Doctor Casulano presbytero circa finem Epistolæ* 86 *scribit similia de jejuniis priscorum, quæ tunc nondum Catholicus parum curabat.*

et concionantem audit:

79 *Quamvis hac de re propter anxium matris suæ animum paucis Ambrosium interrogasset, tamen ei non audebat operosiora sua dubia proponere, et occupatissimum virum diutius interpellare. Igitur hac ope destitutus, antistitem illum publice concionantem vel disputantem diligenter audiebat, sed potius curiositatis quam instructionis gratia, quemadmodum inferius in libris Confessionum rotunde edicet. At simul cum verbis, quorum captator erat, sensim veritas doctrinæ vel ipsæ res, quas negligebat, in animum ejus influebant, ut in libro de Utilitate credendi cap.* 8 *ad Honoratum a Manichæis etiam seductum scribit hoc modo:* Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam; et jam fere me commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis episcopi, ut non sine spe aliqua de ipso veteri Testamento multa quærere cuperem, quæ, ut scis, male nobis commendata exsecrabamur. Decreveramque tamdiu esse catechumenus in Ecclesia, cui traditus a parentibus eram, donec aut invenirem quem vellem, aut mihi persuaderem, non esse quærendum. Opportunissimum ergo me ac valde docilem tunc invenire posset, si fuisset, qui posset docere.

verum inquirit; corrigit jurandi consuetudinem, ac tandem,

80 *Deinde magno labore veritatem indagavit, lectisque cum profanis tum sacris plurium scriptorum libris, cœpit infallibilem sacræ Scripturæ auctoritatem agnoscere, errantes suas in fide sententias mutare, et indecoros in conversatione mo-* E *res corrigere. Præter alia vitia pravam temere jurandi consuetudinem emendavit, ut in Sermone* 28 *de verbis apostoli Jacobi cap.* 9, *seu tomo* 10 *Operum pag.* 148 *significat auditoribus suis hac publica confessione:* Juravimus et nos; passim habuimus istam teterrimam consuetudinem et mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, et quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, et veternosissimam consuetudinem timore frenavimus. Frenata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, et malæ consuetudini bona succedit. *Denique* S. Augustinus *post diuturnam luctationem variosque fluctuantis animi affectus (hæc omnia post Commentarium prævium graphice in libris Confessionum depingentur) cœlesti voce ad Deum conversus est, et non tantum Catholicam fidem, sed etiam perfectiorem vivendi normam amplecti decrevit.*

exemplo Sanctorum incitatus,

81 *Verosimiliter* Augustinus *illud excellentioris vitæ genus apud Catholicos arripere statuit incitatus exemplo S. Antonii eremitæ aliorumque monachorum, quod non ita pridem Mediolani Pontianus ei narraverat, ut in parte prima Actorum cap.* 16 *post hunc Commentarium legetur. Certe hæc Pontiani narratio tam firmiter animo ejus inhæsit, ut in libro de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* 31 *postea recens baptizatus eamdem contra Manichæos ita adhibuerit:* Accipite, Manichæi, perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantum, sed etiam capessenda visa est, mores et continentiam singularem, ne vos impudenter jactare apud animos imperitorum quasi difficillima rerum abstinentia, si quid F in vobis pudoris est, audeatis. Non ea dicam, quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem indies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.

quorum mores

82 Nihil de iis dicam, quos paulo ante commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulcritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum

AUCTORE G.C.

sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum et supervacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter jactant, intantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum Catholicæ fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis et quasi ad humanos fines revocanda videatur. Usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam, quibus id displicet, judicatur.

et vitam

83 Porro S. Augustinus *institutum horum eremitarum tanti faciebat, ut aliquando illud imitari desideraverit, et hoc desiderium exsecutioni mandaturus fuisset, nisi Deus eum ab isto solitariæ vitæ proposito avocasset, sicut ipse lib.* 10 *Con-*
B *fessionum cap* 43 *indicat his verbis:* Conterritus peccatis meis et mole miseriæ meæ, agitaveram in corde meditatusque fueram fugam in solitudinem: sed prohibuisti me, dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. *Ex hoc textu satis clare colligimus, Sanctum nostrum divinitus monitum fuisse, ut potius animabus Deo lucrandis instaret, quam sibi soli in eremo prodesset. Unde Wangnereckius noster ad hunc locum Confessionum, quarum priores decem libros anno* 1631 *Dilingæ piis notis illustratos edidit, utiliter lectorem monet hac observatione:* Etsi peccatorum magnitudo incitaret ad grandem pœnitentiam et vitam solitariam sanctum Augustinum, vocavit tamen illum Deus ad regimen animorum, ut innumeras ex luto hæresis et scelerum extraheret, in quo ipse hæserat. Paruit ille, et maluit Christo vivere, ac minister redemptionis ejus effici, quam vivere sibi soli; qua in re illustre exemplum dedit, etiam in vita communi et officiis ecclesiasticis prioris vitæ delicta caritate Dei ac proximi posse expiari.

laudat

84 *Sanctus Doctor ab eremitis transit ad cœno-*
C *bitas, et loco supra citato communem sanctamque horum vitam Manichæis ita objicit:* Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit. Opus autem simul tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ (ut assolet) valetudini. Illi autem decani cum magna solicitudine omnia disponentes et præsto facientes, quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem patrem vocant.

85 Hi vero patres non solum sanctissimi mori- D
bus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt ad audiendum illum patrem, et conveniunt ad singulos patres terna, ut minimum, hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu vel fletu, sed modesto et clamore vacuo, gaudium significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti et salubritati sat est, coërcente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat vel in ea ipsa, quæ præsto sunt, parca et vilissima. Ita non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam, quæ tanto concitatius ventris et gutturis provocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis videntur; quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod a carnibus alienum est, E
ridicule turpiterque defendi. Sane quidquid necessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, et epularum restrictione tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est: nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat, quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere.

et opponit

86 Hæc est etiam vita feminarum Deo solicite casteque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ a viris quam longissime decet, pia tantum illis charitate junguntur et imitatione virtutis; ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent, gratia: lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas Fratribus tradunt, ab iis invicem, quod victui opus est, resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo; et vereor, ne judicare videar, per se ipsum tantummodo expositum placere F
non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Hæc Manichæi reprehendite, si potestis. Nolite cæcis hominibus et discernere invalidis ostentare nostra zizania.

perversis

87 *Deinde ibidem cap.* 32 *clerum ecclesiasticum sic laudat:* Neque tamen ita sese augustæ habent Ecclesiæ Catholicæ mores optimi, ut eorum tantum vitas, quos commemoravi, arbitrer esse laudandas. Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos et hujusmodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior, et majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere et in ista vita turbulentiore servare: non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur, et prius toleranda quam sedanda est pestilentia. Difficillimum est hic tenere optimum vitæ modum et animum pacatum atque tranquillum. Quippe, ut breviter explicem, hi agunt, ubi vivere discitur, illi ubi vivitur.

Manichæorum

88 *Demum*

A 88 *Demum capite sequente ejusdem Operis assignat alias piorum hominum congregationes, quas ipse in Italia vidit, easque describit hoc modo :* Nec ideo tamen laudabile Christianorum genus contempserim, eorum scilicet, qui in civitatibus degunt, a vulgari vita remotissimi. Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat vir optimus et doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia et divina scientia præpollentes ceteris secum habitantibus præsunt, Christiana charitate, sanctitate et libertate viventibus; ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt; sed Orientis more, et Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis; quibus item multis viduis et virginibus simul habitantibus, et lana ac tela victum quæritantibus, præsunt singulæ gravissimæ probatissimæque, non tantum in instituendis componendisque B moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ.

moribus.

89 Atque inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest; nulli, quod recusat, imponitur, nec ideo condemnatur a ceteris, quod in eis se imitandis fatetur invalidum : meminerunt enim, quantopere Scripturis omnibus commendata sit charitas . . . Multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiose putant. Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur : nam et quibusdam languidioribus et prorsus omnibus, qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissime ac modestissime præberi faciunt; et stulte nonnullos recusantes fraterne admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant . . . . Continent se igitur ii, qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, et a carnibus et vino duas ob causas; vel propter Fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Charitas præcipue C custoditur; charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in unam conspiraturque charitatem : hanc violare tamquam Deum nefas ducitur; huic si quis resistit, expugnatur atque ejicitur; hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. *Haud dubie Sanctus noster his similibusve piorum hominum regulis usus est ad dirigendos illos, quibuscum postea in congregatione vixit, et videtur aliquod istius vitæ communis specimen inchoasse, dum Mediolano cum amicis in prædium rusticum discessit, ut jam dicemus.*

convertitur.

§ VII. Abdicatio Mediolanensis magisterii, secessus in villam rusticam, utiles in ea occupationes, et opuscula ibi conscripta.

Elapsis aliquot mensibus, ob exortum stomachi vel pectoris dolorem abdicavit se magisterio rhetoricæ, et cum matre, filio ac amicis quibusdam secessit in villam Verecundi civis Mediolanensis, ut sese et alios in studio Christianæ philosophiæ perficeret, ibique tranquillius ad sacrum baptismum suscipiendum gradatim prærpararet. Hanc secessus causam et utiles in eo occupationes ipse Sanctus lib. 1 *de Ordine cap.* 2 *sic indicat :* Cum stomachi dolor scholam me deserere coëgisset, qui jam, ut scis, etiam sine tali necessitate in philosophiam confugere moliebar, statim me contuli ad villam familiarissimi nostri Verecundi. Quid dicam, eo libente? Nosti optime hominis, cum in omnes, tum vero in nos, benevolentiam singularem. Ibi disserebamus inter nos quæcumque videbantur utilia, adhibito sane stylo, quo cuncta exciperentur, quod videbam conducere valetudini meæ : cum enim nonnulla loquendi cura detinerer, nulla inter disputandum irrepebat immoderata contentio; simul etiam ut si quid nostrum litteris mandare placuisset, nec aliter dicendi necessitas, nec labor recordationis esset. Agebant autem ista mecum Alypius, et Navigius frater meus, et Licentius repente admirabiliter poëticæ deditus. Trigetium item nobis militia reddiderat, qui tamquam veteranus adamavit historiam. Etiam in libris nonnihil habebamus. E

AUCTORE G. C.

Abdicat Sanctus se magisterio, et ad villam

91 *Tum capite sequente ejusdem libri sic pergit :* Sed nocte quadam cum evigilassem de more, mecumque ipse tacitus agitarem, quæ in mentem, nescio unde, veniebant : nam id mihi amor inveniendi veri jam in consuetudinem verterat, ut aut primam, si tales curæ inerant, aut certe ultimam dimidiam tamen fere noctis partem pervigil quodcumque cogitarem; nec me patiebar adolescentium lucubrationibus a me ipso avocari, quia et illi per totum diem tantum agebant, ut nimium mihi videretur, si aliquid etiam noctium in studiorum laborem usurparent; et id a me ipsi quoque præceptum habebant, ut aliquid et præter codices secum agerent, et secum habitare consuefacerent animum. *Quomodo autem sanctus Doctor in illo secessu discipulos suos ad omnem pietatem instituerit, et quantum Magister ipse in cognitione ac amore Dei profecerit, abunde liquet ex opusculis, quæ tunc temporis elucubratus est, et de quibus statim mentionem faciemus.*

secedit cum discipulis quibusdam,

F 92 *Certe tunc tanto divinæ philosophiæ amore tenebatur, ut lib.* 2 *Soliloquiorum cap.* 12 *dicat, se maximum dentium dolorem, quo in Villa Verecundi torquebatur, non fuisse sensurum vel pro nihilo toleraturum, si menti ejus se fulgor veritatis aperuisset. Quapropter ibidem tantummodo conqueritur, quod ob acerrimum istum dentium dolorem ab inquirenda veritate impediretur. Præterea modum, quo cœlestem illam scientiam diligebat, capite sequente ejusdem libri secundi exprimit his verbis :* Jam certe ostendi, nihil aliud me amare, siquidem quod non propter se amatur, non amatur. Ego autem solam propter se amo sapientiam; cetera vero vel adesse mihi volo, vel deesse timeo, propter ipsam; vitam, quietem, amicos. Quem modum autem potest habere illius pulcritudinis amor, in qua non solum non invideo ceteris, sed etiam plurimos quæro, qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecumque perfruantur, tantum mihi amiciores futuri, quanto erit nobis amata communior. *Hinc colligimus S. Augustinum adhuc catechumenum non propriæ dumtaxat salutis et perfectionis, sed etiam alienæ, desiderio flagrasse.*

magno flagrans sapientiæ veræ amore.

93 Tam

AUCTORE G. C.

illamque discipulis

93 *Tam serio autem ac severe discipulos ibi erudiebat vera philosophia et Christianis moribus, ut etiam leviores eorum noxas aeriter reprehenderet, sicut ipse pius Magister lib.* I *de Ordine cap.* 10 *indicat hac narratione :* Hic ubi eos silentio, vultu, oculis, suspensione, atque immobilitate membrorum, et rei magnitudine satis commotos, et audiendi desiderio inflammatos esse conspexi; Ergo, inquam, Licenti, si tibi videtur, collige in te quidquid virium potes, elima quidquid habes acuminis, et ordo iste quid sit, definitione complectere. Tum ille ubi se ad definiendum cogi audivit, quasi aqua frigida aspersus, et turbatiore vultu me intuens, atque, ut fit, ipsa trepidatione subridens; Quid hoc est rei, quod quasi tibi videor, inquit, an vere nescio quo adventitio spiritu me credis inflatum? Statimque se animans, Aut fortasse, ait, aliquid mecum est; paululumque siluit, ut in definitione quidquid illi in ordine notionis erat, conduceretur.

instillare

94 Deinde erectior; Ordo est, inquit, per quem
B aguntur omnia, quæ Deus constituit. Quid ipse Deus, inquam, non tibi videtur agi ordine? Prorsus, inquit, videtur. Ergo agitur Deus, ait Trigetius. Et ille: Quid enim, inquit, Christum Deum negas, qui et ordine ad nos venit, et a Patre Deo missum esse se dicit? Si igitur Deus Christum ordine ad nos misit, et Deum Christum esse non negamus, non solum agit omnia, sed agitur ordine etiam Deus. Hic Trigetius addubitans; Nescio, inquit, quomodo istud accipiam: Deum enim quando nominamus, non quasi mentibus ipse Christus occurrit, sed Pater; ille autem tunc occurrit, quando Dei Filium nominamus. Bellam rem facis, inquit Licentius. Negabimus ergo Dei Filium Deum esse? Hic ille, cum ei respondere periculosum videretur, tamen se coegit, atque ait: Et hic quidem Deus est, sed tamen proprie Patrem Deum dicimus. Cui ego; Cohibe te potius, inquam: non enim Filius improprie Deus dicitur.

diligenter

95 At Trigetius religione commotus cum etiam verba sua scripta esse nollet, urgebat Licentius, ut manerent, puerorum scilicet more, vel potius
C hominum (proh nefas!) pæne omnium, quasi vero gloriandi causa inter nos illud ageretur: cujus motum animi cum objurgarem gravioribus verbis, erubuit: qua ejus perturbatione animadverti ridentem lætantemque Trigetium. Et ambobus; Itane agitis, inquam? Nonne vos movet, quibus vitiorum molibus atque imperitiæ tenebris premamur et cooperiamur? Hæccine est illa paulo ante vestra, de qua ineptus lætabar, attentio, et in Deum veritatemque surrectio? O si videretis vel tam lippientibus oculis, quam ego, in quibus periculis jaceamus, cujus morbi dementiam risus iste indicet! O si videretis, quam cito, quam statim, quantoque productius eum verteretis in fletus! Miseri, nescitis, ubi sumus. Demersos quidem esse animos omnium stultorum indoctorumque commune est, sed non uno atque eodem modo demersis opem sapientia et manum porrigit. Alii sunt, credite, alii sunt, qui sursum vocantur, alii, qui in profunda laxantur.

studens.

96 Nolite, obsecro vos, geminare mihi miserias. Satis mihi sint vulnera mea, quæ ut sanentur, pæne quotidianis fletibus Deum rogans, indigniorem tamen esse me, qui tam cito sauer quam volo, sæpe memetipse convinco. Nolite, obsecro, si quid mihi amoris, si quid necessitudinis debetis, si intelligitis, quantum vos diligam, quanti faciam, quantum me cura exagitet D morum vestrorum; si dignus sum, quem non negligatis; si denique Deo teste non mentior, nihil me plus mihi optare, quam vobis, rependite mihi beneficium. Et si me magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem. Boni estote. Hic, ubi ne plura dicerem, lacrymæ mihi modum imposuerunt *etc. Mox ibidem Licentium interrogantem, quid tantopere deliquissent, acriter perstringit, et vanam eorum gloriolam terris adeo coloribus depingit, ut uterque emendationem spoponderit. Ex his similibusque colloquiis, in illo secessu habitis, prodierunt utiles et acutæ nonnullæ lucubrationes, quas jam breviter enumerabo.*

Scribit contra Academicos,

97 *In hoc otio rurali scripsit* Augustinus *contra Academicos, quibus aliquamdiu prius adhæserat, ut lib.* I *Retractationum cap.* I *tradit in hunc modum :* Cum ergo reliquissem, vel quæ adeptus fueram in cupiditatibus hujus mundi, vel quæ adipisci volebam, et me ad Christianæ vitæ otium contulissem, nondum baptizatus, contra Academicos vel de Academicis primum scripsi, ut argumenta eorum, quæ multis ingerunt veri inveniendi desperationem, et prohibent cuiquam E rei assentiri, et omnino aliquid, tamquam manifestum certumque sit, approbare sapientem, cum eis omnia videantur obscura et incerta, ab animo meo, quia et me movebant, quantis possem rationibus amoverem. *Tempus autem cœptæ hujus lucubrationis, quam mæcenati suo Romaniano dedicavit, lib.* I *ipsius Operis adversus Academicos cap.* I *distinctius ita indicat :* Pauculis igitur diebus transactis, posteaquam in agro vivere cœperamus, cum eos ad studia hortans atque animans, ultra quam optaveram paratos et prorsus inhiantes viderem, volui tentare pro ætate quid possent.

et de Beata vita,

98 *Hinc colligimus, illud fuisse primum Opus, quod* Augustinus *in villa Verecundi inchoavit, et cui lucubrationes alias interposuit, ut ipse lib.* I *Retractationum cap.* 2 *testatur his verbis :* Librum de Beata vita, non post libros de Academicis, sed inter illos ut scriberem, contigit. Ex occasione quippe ortus est diei natalis mei *(is erat* XIII *Novembris, ut supra diximus)* et tridui disputatione completus, sicut satis ipse indicat. In quo libro constitit inter nos, qui simul quærebamus, non esse beatam vitam, nisi perfectam F cognitionem Dei. Displicet autem illic, quod Manlio Theodoro, ad quem librum ipsum scripsi, quamvis docto et Christiano viro, plus tribui, quam deberem... Sane istum librum nostro in codice interruptum reperi, et non parum minus habere, et sic a fratribus quibusdam descriptus est; nec adhuc apud aliquem integrum inveneram, ex quo emendarem, quando hæc retractavi.

de quo disputaverat cum discipulis.

99 *Quinam huic disputationi de beata vita interfuerint, Augustinus in fine præfationis ad illum librum indicat hoc modo:* Idibus Novembris mihi natalis dies erat. Post tam tenue prandium, ut ab eo nihil ingeniorum impediretur, omnes qui simul non modo illo die, sed quotidie convivabamur, in balneas ad consedendum vocavi: nam is tempori aptus locus secretusque occurrerat. Erant autem (non enim vereor eos singulari benignitati tuæ notos interim nominibus facere) in primis nostra mater, cujus meriti credo esse omne quod vivo; Navigius frater meus, Trigetius et Licentius cives et discipuli mei: nec Lastidianum et Rusticum consobrinos meos, quamvis nullum vel grammaticum passi sint, de- esse

A esse volui, ipsumque sensum communem ad rem, quam moliebar, necessarium putavi. Erat etiam nobiscum ætate minimus omnium, sed cujus ingenium, si amore non fallor, magnum quiddam pollicetur, Adeodatus filius meus.

præsente Monica matre, cujus laudat sententiam :

100 *Deinde pius hujus disputationis auctor prudentem et acutam matris suæ Monicæ sententiam, in isto colloquio pronuntiatam, sic refert ac laudat :* Ego rursus exordiens, Beatos esse nos volumus, inquam. Vix hoc effuderam, occurrerunt una voce consentientes. Videturne vobis, inquam, beatus esse, qui quod vult, non habet? Negaverunt. Quid, qui quod vult habet, beatus est? Tum mater; Si bona, inquit, velit, et habeat, beatus est : si autem mala velit, quamvis habeat, miser est. Cui ego arridens atque gestiens; Ipsam, inquam, prorsus, mater, arcem philosophiæ tenuisti. Nam tibi procul dubio verba defuerunt, ut non sicut Tullius te modo panderes, cujus de hac sententia verba ista sunt. Nam in Hortensio, quem de laude ac defensione philosophiæ librum fecit; Ecce autem, B ait, non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. Falsum id quidem : velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci, quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat : plus enim mali pravitas voluntatis affert, quam fortuna cuiquam boni. In quibus verbis illa sic exclamabat, ut obliti penitus sexus ejus, magnum aliquem virum considere nobiscum crederemus, me interim quantum poteram intelligente, ex quo illa et quam divino fonte manarent.

quæque perperam irridetur a Joanne Clerico :

101 *Monica protulit plures hujusmodi sententias, docta ac sancta femina dignissimas, quæ in hoc et sequenti colloquio legi possunt. Attamen arrogans Joannes Clericus in his acutis effatis nihil ingenii invenit, et in hæreticis suis Animadversionibus ad Opera* S. Augustini *pag.* 478 *et sequente tomi duodecimi ea appellat verba* bonæ anùs, *quibus jam meliora quælibet mulier paulo liberalius educata etiam aliud agens effunderet. Quinimo ibidem larvatus ille criticus sub nomine Pheroponi pium S. Monicæ filium propter has similesque laudes matri impensas inepte reprehendit ac irridet. Verum nugax Aristar-* C *chus ille nos hoc loco non morabitur, cum propter hanc ipsam puerilem censuram satis vapulaverit ab anonymo theologo Cantabrigiensi, qui eximium hunc Ecclesiæ Catholicæ Doctorem adversus hæreticas Phereponi Animadversiones breviter ac singillatim defendit, ut infra dicemus : nobis enim non lubet identidem Commentarium nostrum prævium interrumpere, ut occurrentes hujus nugatoris censuras refellamus. Quapropter inferius alia occasione semel audacem istius superbi scriptoris arrogantiam generaliter retundemus, et aliorum de illo homine judicia allegabimus. Interim alia pii Catechumeni nostri opuscula, quæ solitarius ille locus hoc tempore peperit, recensere pergimus.*

scribit ibi quoque Ordine,

102 *Supra laudatus itaque hic Magister lib.* I *Retractationum cap.* 3 *ad rem nostram habet sequentia :* Per idem tempus inter illos, qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros de Ordine scripsi, in quibus magna quæstio versatur, utrum omnia bona et mala divinæ providentiæ ordo contineat. Sed cum rem viderem ad intelligendum difficilem, satis ægre ad eorum perceptionem, cum quibus agebam, disputando posse perduci, de ordine studendi loqui malui, quo a corporalibus ad incorporalia potest profici. *Etiam in illo colloquio partim præsens fuit S. Monica, quemadmodum gratus ejus Filius in fine libri primi de ordine commemorat his verbis :* Interea mater ingressa est, quæsivitque a nobis, quid promovissemus : nam et ei quæstio nota erat; cujus et ingressum et rogationem cum scribi nostro more jussissem, Quid agitis? inquit. Numquidnam in illis, quos legitis, libris, etiam feminas umquam audivi in hoc genus disputationis inductas?

AUCTORE G.C.

post disputationem, præsente rursum matre, habitam :

103 Cui ego : Non valde curo, inquam, superborum imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt : non enim cogitant, quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, et quanta pompa rerum fortunæque præfulgeant.... Nec deerit, mihi crede, tale hominum genus, qui plus placeat hoc ipsum, quia mecum philosopharis, quam si quid hic aliud aut jucunditatis aut gravitatis invenerit : nam et feminæ sunt apud veteres philosophatæ, et philosophia tua mihi plurimum placet. Nam ne quid, mater, ignores hoc Græcum verbum, quod philosophia nominatur, Latine amor E sapientiæ dicitur.... Contemnerem te igitur in his litteris meis, si sapientiam non amares; non autem contemnerem, si eam mediocriter amares, multo minus, si tantum, quantum ego, amares sapientiam. Nunc vero cum eam multo plus quam meipsum diligas, et noverim, quantum me diligas, cumque in ea tantum profeceris, ut jam nec cujusvis incommodi fortuiti, nec ipsius mortis, quod viris doctissimis difficillimum est, horrore deterrearis, quam summam philosophiæ arcem omnes esse confiteantur, egone me non libenter tibi etiam discipulum dabo? Hic illa cum blande ac religiose numquam me tantum mentitum esse dixisset, et viderem tam multa nos verba fudisse, ut neque scribenda non essent, et jam libri modus esset, neque tabulæ reliquæ forent, placuit quæstionem differri.

demum Soliloquia, distinguenda ab Opere supposititio ejusdem nominis :

104 *Denique* Augustinus *ultimam suam lucubrationem, quam in villa Verecundi composuit, lib.* I *Retractationum cap.* 4 *sic assignat :* Inter hæc scripsi etiam duo volumina secundum studium meum et amorem, rationem indagandæ veritatis de his rebus, quas maxime scire cupiebam, me interrogans, mihique respondens, tamquam duo essemus, ratio et ego, cum solus essem. F Unde hoc Opus SOLILOQUIA nominavi; sed imperfectum mansit. Ita tamen, ut in primo libro quæreretur et utcumque appareret, qualis esse debeat, qui vult percipere sapientiam, quæ utique non sensu corporis, sed mente percipitur. Et quadam ratiocinatione in libri fine colligitur ea, quæ vere sunt, immortalia esse. In secundo autem die immortalitate animæ diu res agitur; sed non peragitur. *Porro oportet hoc opus Soliloquiorum distinguere ab alio, quod eumdem titulum præfert, et perperam* S. Augustino *adscribitur, ut editores Benedictini in Appendice post tomum sextum editionis suæ invictis argumentis demonstrant, antequam ibi suppositium istud opusculum exhibent.*

quantum in illo secessu mutatus Augustinus.

105 *Ceterum in isto genuino Soliloquiorum opere* Augustinus *interiorem animæ suæ statum candide exprimit, et variis responsionibus evidenter ostendit, quantum in secessu illo ad frænandas animi cupiditates jam profecisset : nam a Ratione interrogatus de ambitione divitiarum et honorum, modeste sincereque respondet, divitias et honores a se non amplius jam desiderari. Præterea interrogatus, an ei non placeret uxor pulcra, pudica, morigera,*

AUCTORE G. C.

morigera, litterata, et locuples, aliisque dotibus ornata, ibidem lib. I, *cap.* 10 *Rationi vel sibimetipsi sic respondet :* Quantum velis, licet eam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum quam concubitum esse decrevi. Nihil esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. Itaque si ad officium pertinet sapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis rei hujus tantum gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at vero imitandus nullo modo : nam tentare hoc periculosius est, quam posse felicius. Quamobrem satis, ut credo, juste atque utiliter pro libertate animæ meæ mihi imperavi, non cupere, non quærere, non ducere uxorem. *Quisquis ibi plura legere voluerit, haud difficulter intelliget, quantum* Augustinus *hoc tempore mutatus esset ab illo, qui fuerat in adolescentia, et simul judicabit, hunc pium Catechumenum jam baptismo digne suscipiendo maturum fuisse. Quare nunc illum invisemus Mediolani, ad quam* B *urbem Sacramenti hujus petendi causa mox revertetur.*

§ VIII. Pii Catechumeni reditus Mediolanum, opuscula ibi scripta : baptismus, hujus Sacramenti collati tempus et quædam circumstantia.

Redit Mediolanum et parat se ad baptismum :

A*ppropinquante Quadragesima, circa cujus initium catechumeni nomina sua inter competentes aut competitores sacri baptismatis dare consueverant,* Augustinus *una cum filio suo Adeodato et Alypio discipulo ex villa Verecundi Mediolanum rediit, gratiam hujus Sacramenti percepturus. Quanta autem humilitate et solicitudine se suosque ad istud regenerationis lavacrum præparaverit, abunde colligimus ex libro de Fide et operibus, ubi cap.* 6 *de præparatione ad baptismum sic inter alia scribit :* Si autem sanus pe- C tit spatium discendi, quæ discenda sunt, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat, quemadmodum fidelis fieri ac vivere debeat, quam illud, cum attentione animo atque ipsa religione suspenso saluberrimæ fidei Sacramentum petit ? An usque adeo dissimulamus sensibus nostris, ut nosmetipsos non recordemur, quam fuerimus attenti atque soliciti, quid nobis præciperent, a quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc COMPETENTES etiam vocaremur ; vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur ; quanta vigilantia conveniant, quo studio ferveant, qua cura pendeant ? Si tunc tempus non est discendi, quæ vita congrua tanto, quod accipere desiderant, Sacramento, quando erit ? *Ex hoc testimonio facile quilibet intelligit, quam sedulo Vir iste doctus et tunc pius animum ad hanc singularem Sacramenti gratiam recipiendam comparaverit.*

varia Mediolani partim scripta,

107 *Eo tempore adhuc catechumenus Mediolani conscripsit aut inchoavit quædam opuscula, de quibus ipse lib.* I *Retractationum cap.* 5 *et sequente sic meminit :* Post libros Soliloquiorum jam de agro Mediolanum reversus, scripsi librum D de Immortalitate animæ, quem mihi quasi commonitorium esse volueram propter Soliloquia terminanda, quæ imperfecta remanserant. Sed nescio, quomodo me invito, exiit in manus hominum, et inter mea opuscula nominatur. *Hunc librum, forsan volante calamo exaratum et adhuc debita claritate destitutum, Auctore inscio vel invita, ad manus aliorum pervenisse, satis etiam colligimus ex verbis, quæ mox ibidem Auctor ita subjungit :* Qui primo ratiocinationum contorsione atque brevitate sic obscurus est, ut fatiget, cum legitur, etiam intentionem meam, vixque intelligatur a me ipso. *Dein more suo quædam in eo opusculo corrigi cupit, ut nunc aliquoties monuimus.*

partim ibidem inchoata,

108 *Insuper eodem libro* I *Retractationum cap.* 6 *alias ejusdem temporis lucubrationes huic ita subnectit :* Per idem tempus, quo Mediolani fui baptismum percepturus, etiam Disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos, qui mecum erant, atque ab hujusmodi studiis non abhorrebant ; per corporalia cupiens ad incorpora- E lia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere. Sed earum solum de Grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi, et de Musica sex volumina : quantum attinet ad eam partem, quæ rhythmus vocatur. Sed eosdem sex libros jam baptizatus, jamque ex Italia regressus in Africam scripsi : inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam. De aliis vero quinque disciplinis illic similiter inchoatis, de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philosophia, sola principia remanserunt, quæ tamen etiam ipsa perdidimus ; sed haberi aliquibus existimo. Hoc Opus sic incipit : OMNIA NOMINA TREDECIM.

ex quibus exstant 6 libri de Musica ;

109 *Hanc de Musica lucubrationem capite undecimo ejusdem libri primi iterum recenset his verbis :* Deinde, ut supra commemoravi, sex libros de Musica scripsi, quorum ipse sextus maxime innotuit, quoniam res in eo digna cognitione versatur, quomodo a corporalibus et spiritalibus, sed mutabilibus numeris pervenitur ad immutabiles numeros, qui jam sunt in ipsa incommutabili veritate, et sic invisibilia Dei per F ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur. *Cum Memorius episcopus illud Opus ab Augustino postea peteret, hic in epistola* 131 *sic inter alia ei respondet :* Quod sane opusculum si potuero mittere, non quidem me tibi obtemperasse, verumtamen te hoc a me tantopere flagitasse pœnitebit : difficillime quippe intelliguntur in eo quinque libri, si non adsit, qui non solum disputantium possit separare personas, verum etiam pronuntiando ita sonare morulas syllabarum, ut eis exprimantur, sensumque aurium feriant genera numerorum ; maxime quia in quibusdam etiam silentiorum dimensa intervalla miscentur, quæ omnino sentiri nequeunt, nisi auditorem pronuntiator informet. Sextum sane librum, quem emendatum reperi, ubi est omnis fructus ceterorum, non distuli mittere charitati tuæ ; fortassis ipse tuam non multum refugiet gravitatem. *Unde Lovanienses et Benedictini sex illos Musicæ libros inter genuinas* S. Augustini *lucubrationes ediderunt.*

liber de Grammatica Augustino ad judicatus a Lovaniensibus

110 *Sed editores Benedictini libros alios de disciplinis, quos Lovanienses inter Opera* S. Augustini *vulgarant, in appendicem tomi primi rejecerunt, eique abjudicant ob sequentes rationes :* Librum

A Librum de Grammatica Augustino in prius excusis attributum, inter supposititia censemus opuscula ob eam in primis causam, quia methodo æque et scopo totus discrepat ab eo, quem ipse in lib. 1 Retract. cap. 6 una cum aliis disciplinarum libris a se Mediolani jamjam baptismum percepturo elaboratum recognoscit. Quippe hos libros conscripserat dialogi forma, eoque animo, ut per corporalia ad incorporalia, quibusdam quasi passibus certis, uti ibidem ait, vel perveniret vel duceret. Ipsi nimirum a tempore suæ conversionis religioni fuit operam dare litteris deinceps, nisi illæ Christo servirent, ex lib. IX Confessionum cap. IV, num. VII. Porro autem subjectum hic opusculum neque dialogi formam gerit, neque ad incorporalia promovet animum.

eidem abjudicatur aliis.

111 Id præterea eruditi alicujus scriptoris, nedum tanti viri, solertiam non refert, quæ tum maxime singularis et summa apparet, cum se ipse in re exercet per se humili ac vulgari. Confer libros de Musica, necnon eum locum secundi de Ordine, ubi disciplinarum inter se ordinem, earumque occasionem, naturam, et proprietates B leviter perstringit: hinc profecto intelliges non quidpiam passim obvium, aut quod omnium pedibus tritum esset, de grammatica fuisse ab ipso litteris commendatum. Quæ sane rationes non minus valent adversus tria alia, quæ hic pariter conjecimus opuscula, quæ inscribuntur Principia dialecticæ, Categoriæ decem, et Principia rhetoricæ. Scrupulum injiciebat clausula capiti VI lib. 1 Retractationum assuta; scilicet, hoc opus sic incipit: OMNIA NOMINA TREDECIM ... At fraudem deteximus ex Mss. tum veteribus, tum etiam recentioribus, qui eam non habent. *En hactenus ea, quæ Vir eruditus in Italia ante baptismum gessit ac scripsit.*

Baptizatur ab Ambrosio.

112 *Tandem* S. Augustinus *cum Adeodato et Alypio aliisque baptizatus est*, propinquantibus diebus sanctis Paschæ, *quemadmodum Possidius cap.* 1 *Vitæ ipsius asserit, et ideo verosimiliter ex more istius temporis in vigilia Paschatis, quod anno Christi* 387 *in diem* XXV *Aprilis incidebat, et quod ipse S. Ambrosius ob incidentem quamdam controversiam eo die celebrari jusserat. Sacramentum baptismatis ei contulit S. Ambrosius,* C *quod beneficium* S. Augustinus *grato animo sæpius in scriptis suis memorat, ac nominatim lib.* 1 *contra Julianum cap.* 3 *recolit, ubi huic hæretico Pelagiano testimonium istius sancti præsulis Mediolanensis ita objicit:* Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorem, quem veneror ut patrem, in Christo enim Jesu per Evangelium ipse me genuit, et eo Christi ministro lavacrum regenerationis accepi; beatum loquor Ambrosium, cujus pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus, et ipse sum expertus, et mecum non dubitat orbis prædicare Romanus.

probabilius anno 387.

113 *Non ignoramus, inter eruditos subtiliter et fuse disceptari de anno, quo* S. Augustinus *ad Deum conversus est, et postmodum ab Ambrosio baptismum recepit, ut apud Tillemontium tomo* 13 *Monument. eccles. pag.* 954 *et* 962 *Gallice, vel in Vita sancti Doctoris, quam Benedictini Galli ex Tillemontio collegerunt, lib.* 2, *cap.* 7 *et* 11 *Latine legi potest. Omnibus argumentis attente consideratis, probabilior nobis videtur opinio illorum, qui conversionem ejus anno Christi* 386 *et baptismum anno sequenti affigunt. Sed quidquid sit de certo anno, quo hæc contigerunt, Ecclesia Romana tanti fecit illam* S. Augustini *conversionem, ut eam Martyrologio suo inseruerit, et die* V *Maii solennem ejusdem memoriam quotannis adhuc renovet hac annuntiatione:* Mediolani ... conversio sancti Augustini episcopi et Ecclesiæ doctoris, quem beatus Ambrosius episcopus fidei Catholicæ veritatem docuit, et hac die baptizavit.

ut plures nunc censent eruditi.

114 *Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 388 *num.* 71 *ex testimonio Possidii refert,* S. Augustinum *anno* 388 *baptizatum fuisse* Paschali tempore, *ut probabiliter hoc latiore loquendi modo baptismum sancti Doctoris die* V *Maii posset collocare, vel annuntiationem Martyrologii Romani defendere. Sed (quod salva eruditissimi viri pace dictum sit) non videtur satis scrupulose ponderasse verba Possidii, qui cap.* 1 *Vitæ phrasi minime obscura asserit,* propinquantibus diebus sanctis Paschæ, *adeoque consequenter ante festa Paschalia, ni fallimur, hunc eximium Catholicæ Ecclesiæ Doctorem salutaribus aquis ablutum fuisse. Quare Pagius in Critica historico chronologica Annalium doctissimi Baronii ad annum* 388 *num.* 9 *chronologiam eminentissimi istius viri corrigit, eique communiorem* E *sententiam opponit hoc modo:* Divinum Augustinum anno tricesimo tertio ætatis baptismum suscepisse, inter omnes convenire debet. Tota difficultas est, num is annus fuerit completus, vel tantum inchoatus. Baronius et Rivius lib. 1 de Vita Augustini cap. 1 aliique contendunt, sanctum Doctorem aquis salutaribus ablutum anno ætatis tricesimo tertio completo. Verum Augustinum baptizatum fuisse die vicesima quarta Aprilis sabbato sancto, anno trecentesimo octogesimo septimo, cum nondum annum ætatis tricesimum tertium egressus esset, communis nunc est eruditorum sententia. *Deinde Pagius hanc chronologiam suam solidis argumentis operose probat.*

et die 24 Aprilis.

115 *Porro Benedictini Galli in Vita Latina* S. Augustini *lib.* 2, *cap.* 11, *num* 3 *Pagium, Tillemontium, aliosque sequuntur, et verbis Possidii supra relatis adhærentes, præcipue diem quintam Maii huic baptismati assignatam refellunt his rationibus:* Inde Baronius intulit, eum tempore Paschali fuisse regeneratum, eo sane consilio, ut ejus baptismum ad diem quintum Maii, quo die illius conversionem Ecclesia nunc celebrat, adaptaret; quamvis ea Possidii verba, si juxta F morem, quem tunc Ecclesia servabat, exponantur, eum in Paschæ pervigilio baptizatum fuisse significent; qui dies adultorum præcipue baptismo destinatus erat, ita ut extra eum diem multos aquis salutaribus abluere, quemadmodum in Augustini regeneratione accidit, infrequens et perrarum esset. Hoc itaque contigit ea nocte, quæ quintum et vicesimum diem Aprilis antecedebat; quo die Ambrosius Pascha anno trecentesimo octogesimo septimo esse celebrandum publica epistola probaverat. *Quamvis autem die quinta Maii baptismus* Augustino *non fuerit collatus, Ecclesia tamen annuam hujus conversionis memoriam instituens, tanto honore sanctum illum Doctorem affecit, ut hactenus nulli Sanctorum similis obtigerit, si solus excipiatur Apostolus Paulus, cujus etiam conversio die* XXV *Januarii quotannis in Martyrologio Romano celebratur.*

An hymnus Te Deum laudamus tunc compositus,

116 *Hæc salutis aqua seu baptismi gratia* S. Augustinum *tam magno gaudio delibutum reddidit, ut præ tenera mentis dulcedine inter lætos hymnos ecclesiæ Mediolanensis uberrimas lacrymas profuderit, sicut ipse Sanctus in prima Actorum parte num.* 238 *testabitur. Hinc forsan originem habet*

AUCTORE G. C.

habet illa incertæ auctoritatis traditio, quam Rivius in Vita Sancti Doctoris lib. 1, *cap.* 1 § 31 *proponit his verbis :* Huic vero rei nihil par ab initio Ecclesiæ fuit, nil est secundum ; quod baptizato videlicet Augustino, ad agendas Deo optimo maximoque gratias, incinuisse Ambrosium ferunt TE DEUM LAUDAMUS, et respondisse Augustinum TE DOMINUM CONFITEMUR ; eorumque alternis vocibus suavissimum hymnum ad finem usque esse compositum, quem porro quotidiano jubilo frequentare Ecclesia universa non cessat. *Deinde vulgarem hanc traditionem ibidem probare conatur ex fragmento Chronici, quod adscribitur S. Datio Mediolanensi episcopo, qui circa medium seculi sexti ex hac vita migravit. Magna sane esset hac in re auctoritas antiqui præsulis Mediolanensis, si Chronicon istud ab ipso conscriptum fuisset. Sed plures eruditi scriptores ei Chronicon illud abjudicant, ut jam videbimus.*

ut volunt aliqui ex Chronico, Datio Mediolanensi male attributo,

117 *Imprimis Hugo Menardus Benedictinus in notis et observationibus ad librum Sacramentorum sancti Gregorii Papæ pag.* 400 *et sequente affirmat, hoc Chronicon perperam S. Datio Mediolanensi episcopo tribui vel sub ejus nomine citari, quemadmodum eminentissimus Cardinalis Bona in Tractatu de Harmonia psallentis Ecclesiæ cap.* 16 § 12 *refert his verbis :* Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium ejusdem sancti Gregorii certum ait, non esse sancti Dacii illud Chronicon, ex quo præallegata auctoritas desumpta est, quod non redoleat stylum illorum temporum, atque etiam quædam falsa contineat. Sententiæ Menardi subscribit Bartholomæus Gavantus, totumque canticum uni Ambrosio deberi ait, cum careat dialogismo. *Præterea Mabillonius certiorem hujus Chronici notitiam Mediolano per litteras accersivit, et ex ipsis Mediolanensium responsis collegit, istud Opusculum minime S. Datio Mediolanensi præsuli tribuendum esse, sicut tomo* 1 *veterum Analectorum pag.* 3 *et sequentibus videre est. Denique Muratorius inter Scriptores rerum Italicarum non ita pridem editos idem Chronicon S. Datio abrogat, et tomo* 4 *istius Collectionis pag.* 50 *et sequentibus illud Landulpho seniori adscribit, ut ibidem fuse legi potest.*

quisque illius hymni

118 *Etiamsi Gavantus hunc hymnum soli S. Ambrosio deberi putet, attamen in Rubricis Breviarii sect.* 5, *cap.* 19 *addit, in antiquissimo Breviario Ms. Collegii Aniciani de Urbe huic cantico præfigi sequentem titulum :* Hymnus S. Abundii. *Insuper in antiquo Breviario monasterii Cassinensis, quod seculo* XI *descriptum est, vocatur* hymnus Sisebuti monachi, *et in Psalterio Ms. Basilicæ sancti Petri in Vaticano* hymnus S. Sisebuti. *Demum in Psalterio Latino-Gallico idem hymnus* S. Nicetio *tribuitur, ut Pagius in Critica ad annum Christi* 388 *num.* 11 *testatur, ubi in fine numeri istius ex hac inscriptionum diversitate concludit, auctorem hujus hymni nobis adhuc ignotum esse.*

sit auctor,

119 *Verum auctor illius cantici jam detectus est, si subscribamus opinioni Benedictinorum, qui Opera S. Hilarii Pictavorum episcopi Parisiis anno* 1693 *ediderunt, ubi in Præfatione istius editionis num.* 22 *de præsenti controversia sic disserunt :* De auctore hymni TE DEUM non minus diversæ sunt sententiæ. Qui illum ab aliquo sancti Patris nostri Benedicti discipulo compositum existimavit, quia in illius Regula cap. 9 præceptum est, ut singulis Dominicis cantetur, refutatur ex Cæsarii Benedicto æqualis, immo etiam paulo superioris, Regula, in qua idem hymnus cap. 21 memoratur. Quæ autem Ambrosium et Augustinum auctores illius facit vulgi opinio, solo nititur pseudo-Dacii Chronico lib. 1, cap. 10. Eumdem in Ms. ante annos quadringentos exarato vidimus uni Ambrosio adscriptum, Smaragdo in Regulam Benedicti cap. 11 suffragante, ubi hymnum eum vocat Ambrosianum.

necdum satis constat

120 At Abbo Floriacensis epistola in Ms. Pithœano relicta, in qua nonnullas explicat Grammaticæ regulas, rem veluti notam et constantem ponit, illius parentem esse Hilarium nostrum. *Deinde ipsa verba Abbonis Floriacensis, qui hunc hymnum S. Hilario Pictaviensi episcopo et inclyto seculi quarti scriptori tam confidenter attribuit, ibidem laudati Benedictini recitant hoc modo :* In Dei palinodia, quam composuit Hilarius Pictavensis episcopus, non juxta quorumdam imperitorum errorem SUSCEPISTI, sed potius SUSCEPTURUS legendum : TU AD LIBERANDUM SUSCEPTURUS HOMINEM etc. *Cum Smaragdus ille Virdunensis explicator Regulæ Benedictinæ ante medium seculi noni floruerit, ut Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 28, *num.* 91 *probat, et Abbo Floriacensis ineunte seculo undecimo interfectus sit, eruditi merito dubitabunt, an testimonio Abbonis Floriacensis præferri non debeat auctoritas Smaragdi senioris, qui hunc hymnum* Ambrosianum *vocat, ut editores Benedictini fatentur. Ex his omnibus eruditus lector facile colligit, de certo istius hymni auctore nondum constare, et consequenter adhuc magis dubiam nobis esse traditionem illam, quæ mirabilem ejusdem hymni compositionem sanctis Ambrosio et* Augustino *alternatim cantantibus adscribit. Equidem scio, quod Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano part.* 1, *cap.* 5 *hanc traditionem confirmari putaverit ex quodam Sermone, quem ibidem sancto Ambrosio vindicare nititur. Sed hoc loco non lubet operose demonstrare falsas ineptias hujus pseudo-sermonis, quem forsan inferius alia occasione discutiemus. Interim certiora Sancti nostri gesta, et reliquam ipsius in Italia commorationem prosequamur.*

§ IX. Iter ad Ostia Tibertina, mors matris, secunda commoratio Romæ, lucubrationes ibi scriptæ.

Augustino in Patriam redituro comites 12 *attribuunt aliqui :*

Nescimus, quanto tempore Neophytus noster Mediolani post receptum baptismi Sacramentum manserit. At certe decreverat in patriam redire cum consanguineis et amicis, ut ibi simul communem piamque vitam ducerent. Quare Mediolano discessit ad Ostia Tiberina brevi in Africam renavigaturus, nisi repentina matris ejus mors intervenisset, ut ex infra dicendis intelligetur. Jordanus de Saxonia, quem paragrapho primo hujus Commentarii prævii citavimus, Augustino tunc ac Ostia Tiberina profecturo duodecim socios eremitas adjungit, et in Supplemento Patrum apud Hommeyum pag. 589 *tradit sequentia :* Post hæc autem cum, instigante ejus pia matre, de Mediolano recedere et ad Africam remeare disponeret, adivit sanctum Simplicianum petens, ut sibi aliquos de Fratribus suis eremitis servos Dei donaret, quos secum in Africam assumeret, et cum eis ibi Ordinem plantaret : cujus piis precibus pius ille pater Simplicianus annuens,

A nuens, dedit ei duodecim Fratres viros religiosos; cum quibus adjunctis sibi charissimis amicis suis, qui diu secum fuerant, Nebridio, Evodio, Alipio et Pontiano, cum matre et filio Adeodato ad Africam proficiscendi iter arripuit.

ex sermone 21 ad Fratres in Eremo, qui supposititius est,

122 *Verum tota hæc Jordani narratio prodit ex sermone vigesimo primo ad Fratres in eremo, quem Lovanienses editores in Appendicem tomi decimi pag.* 723 *rejecerunt. Eminentissimi Baronius et Bellarminus, aliique prudentes critici jam passim plerosque illos Sermones ad Fratres in eremo supposititios esse censent et acri censura perstringunt, ut videre est in admonitione prævia, quam Benedictini Galli iisdem sermonibus in Appendice tomi sexti præfixerunt. Imo ipse Christianus Lupus Augustinianus in Quæstione quodlibetica cap.* 38 *nominatim narrationem hujus Sermonis ita explodit :* Primo falsum est, quod Augustinus ex Italia in Africam secum duxerit istos monachos Italos. Patet id ex sancto Possidio : dicit enim Augustinum regressum esse in Africam cum aliis civibus et amicis suis, nulla facta mentione istorum Italorum. Et ex ipsius Augustini B Confessionibus : dicit namque se regressum in Africam cum fratre Navigio, filio Adeodato, Alipio, Evodio ac Nebridio. Dicit, se egisse cum Simpliciano ante auditum Potitianum, adeoque antequam monachos sciret, aut de monachismo cogitaret. Et sane si Itali isti Augustinum ad Afros comitati sint, cur nulla penitus apud ipsum de illis mentio aut memoria? Proinde comitatus iste est inter fabulas computandus.

alii ipsum deducunt ad eremitas Etruriæ,

123 *Quamvis ideo recentiores biographi de duodecim istis comitibus Italis altum sileant, tamen aliqui adhuc in illo itinere Mediolanensi versus Ostia Tiberina trahunt nimis longas moras, et quærunt improbabile diverticulum, de quo Cornelius Lancilottus in Vita Sancti nostri lib.* 2, *cap.* 8 *hæc tradit :* Arbitratus autem Augustinus, in pria commodius Deo vacare se posse, matris precibus etiam accedentibus, Romam versus itineri se accingit, et vale dicto amicis, in primis Simpliciano et Ambrosio, ab eisque benedictione obtenta, proficiscitur cum Alipio et Evodio per deserta Etruriæ, quæ alii vocant Montem Pisanum. Quibus in locis cum velut suavis-C simum odorem sanctitatis percepisset eremitarum illorum, qui inibi morabantur, ad eos cupide deflexit, invenitque complures in eis partibus, quas Centumcellas vocabant (erant autem centum judicum totidem cellæ, quas Adrianus princeps ædificandas curavit ad audiendum se præsente causas) sanctimonia vitæ insignes.

ubi eremum incoluisse volunt.

124 Inter hæc ædificia jam dirruta vivebant iidem viri religiosi, qui Augustinum doctrina et sanctitate multo sibi ante notum (ut supra ex Petrarcha et aliis demonstratum est) amictum veste religiosa, similiter et ipsi vestibus induti monasticis, honore magno receperunt : qui talium virorum consuetudine, suæ non absimili, multum delectatus longiores apud eos moras traxit, ut Martinus V, Gerson et Mantuanus de eodem testatur; loquens enim de sancto Augustino ait :

Memoratur eremum
Incoluisse maris Thusci prope littora centum
Cellarum, qua vicus erat, Tyberina petivit
Ostia.

Etiam illa digressio ad eremitas Thusciæ legitur apud Jordanum de Saxonia, qui pag. 590 *Operis supradicti sic scribit :* Transiens autem et iter faciens per Thusciam, ubi, ut fertur, plura erant loca eremitica, ubicumque Fratres sui pro-positi invenit, ipse charitative visitavit, et eos suis collationibus, salutis pabulo dulciter recreavit. *Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano cap.* 6 *partis primæ, et Simplicianus a sancto Martino in Apologia Gallica contra Gabrielem Pennottum cap.* I § I, *aliique eremitæ Augustiniani diversis versiculis ac inscriptionibus veritatem hujus traditionis stabilire conantur.*

AUCTORE G. C.

quod alii impugnant ex ratione temporis.

125 *At Canonici Regulares testimoniis illis respondent, et novissime Nicolaus Desnos lib.* 3, *cap.* 8 *longiorem istam digressionem ratione temporis ita impugnat :* Baptismo autem suscepto, *inquit,* brevissimo tempore moratus in Italia Augustinus; statim enim maturavit reditum suum in Africam. Et inde falsum, quod dicunt Eremitæ Augustiniani, ipsum triginta annos natum, cum baptismum suscepit, tribus sequentibus annis in Italia remansisse, et versatum fuisse cum monachis in Etruria et Centumcellis, nunc Civita vecchia : observandi enim sunt anni Augustini, dum baptismum suscepit, et tempus, quo in Africam, relicta Italia, repedavit. *Deinde illam Eremitarum Augustinianorum opinionem evertere nititur variis argumentis chronologicis, quæ curiosus le-* E *ctor ibidem legere ac expendere poterit : nam firmiter decrevimus, imposterum populares hujusmodi traditiones aut controversias huic Commentario non amplius inserere, ne forte falsa veris aut certa dubiis immisceantur. Quapropter hoc loco prætermittimus vulgarem historiam de puerulo, qui cochleari totum mare scrobiculo includere conabatur, et qui sub tali forma* S. Augustino *juxta mare Thuscum deambulanti et mysterium sanctissimæ Trinitatis examinanti tunc temporis apparuisse dicitur. Itaque deinceps huic et similibus historiis aut traditionibus, quæ per decursum sese offerent, in fine Commentarii prævii post obitum sancti Doctoris unum alterumve paragraphum reservabimus, et in primos earum scriptores inquiremus, ut eruditus lector simul et semel de narrationibus hujusmodi prudens judicium ferre possit. Nunc in viam revertamur, et ad terminum itineris istius cum sancto Neophyto nostro properemus.*

Cum matre de vita æterna habet colloquium, eique assistit morienti :

126 *Cum* Augustinus *pervenisset ad Ostia Tiberina, mater ejus quasi mortis imminentis præscia pium colloquium de vita æterna cum Filio habuit, ut ipse lib.* 9 *Confessionum cap.* 10 *testatur his verbis :* Imminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noveras, F ignorantibus nobis, provenerat (ut credo) procurante te occultis tuis modis, ut ego et ipsa soli staremus incumbentes ad quamdam fenestram; unde hortus intra domum, quæ nos habebat, prospectabatur ilic apud Ostia Tiberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo soli valde dulciter, et præterita obliviscentes in ea, quæ ante sunt, extenti quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *Non diu post hoc colloquium, quod* Augustinus *ibi totum refert, S. Monica in febrim incidit, et nono ægritudinis die spiritum Creatori reddidit, ut ibidem capite sequente narratur. Gratus Filius fideliter adstitit morienti matri, cujus precibus et lacrymis conversionem suam magna ex parte attribuebat. Insuper exsequias ejus decenter celebrari jussit, pro anima defunctæ oravit, et pia sanctæ istius feminæ gesta meritasque virtutum laudes posteritati reliquit. Nos hic et inferius*

AUCTORE G. C.

inferius ea omnia supprimimus, ne actum agamus, quando quidem die IV *Maii Papebrochius noster hæc et alia ad sanctam Monicam spectantia satis copiose illustravit.*

Opuscula duo Romæ scripta,

127 *Defuncta matre, Sanctus ob causas nobis ignotas reditum in Africam distulit, et aliquamdiu Romæ commoratus est, siculi colligimus ex Opusculo tunc ibi conscripto, quod ipse lib.* 1 *Retractationum cap.* 7 *sic indicat :* Jam baptizatus autem cum Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsa et fallaci continentia vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, alterum de Moribus Manichæorum. *Partem hujus secundi libri superius* § V *transcripsimus occasione primæ commorationis Romanæ, cujus intervallo forsan improbos Manichæorum mores agnovit, et ab eorum secta alienari cœpit, ut ibidem monuimus. Ibidem quoque composuit Opusculum de Quantitate animæ, quemadmodum lib.* 1 *Retractationum cap.* 8 *testatur his verbis :* In eadem urbe scripsi Dialogum, in quo de anima B multa quæruntur ac disseruntur, id est, unde sit, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, cum ad corpus venerit, qualis efficiatur, qualis cum abscesserit. Sed quoniam quanta sit, diligentissime ac subtilissime disputatum est, eam, si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse, et tamen magnum aliquid esse, ex hac una inquisitione totus liber nomen accepit, ut appellaretur DE QUANTITATE ANIMÆ. *Hanc disputationem Vir sanctus appellat* dialogum, *quia scripta est per modum colloquii, quod Augustinus instituit cum Evodio, cui multas quæstiones proponenti postmodum sanctus Doctor Epist.* 101 *inter alia sic respondit :* Illa si relegas, quæ tibi jam diu nota sunt, vel, nisi fallor, fuerunt, quia ea fortasse oblitus es, quæ te conferente mecum ac sermocinante conscripsi, sive de animæ quantitate, sive de libero arbitrio, invenies unde dissolvas, et sine mea opera, dubitationes tuas.

aliud ibidem inchoatum

128 *Denique in eadem urbe pius Neophytus inchoavit opus de Libero arbitrio, cujus ipse lib.* 1 *Retractationum cap.* 9 *sic meminit :* Cum adhuc Romæ demoraremur, voluimus disputando quærere, unde sit malum; et eo modo disputavi- C mus, ut, si possemus, id, quod de hac re divinæ auctoritati subditi credebamus, etiam ad intelligentiam nostram quantum disserendo, opitulante Deo, agere possemus, ratio considerata et tractata perduceret. Et quoniam constitit inter nos, diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio; tres libri, quos eadem disputatio peperit, appellati sunt DE LIBERO ARBITRIO : quorum secundum et tertium in Africa, jam etiam Hippone-Regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui, terminavi. In his libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat, quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant, ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, et Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt; eo modo volentes secun- D dum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quamdam et Deo coæternam introducere mali naturam.

ac postea absolutum

129 De gratia vero Dei, qua suos electos sic prædestinavit, ut eorum, qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est propter hoc propositam quæstionem. Ubi autem incidit locus, ut hujus gratiæ fieret commemoratio, transeunter commemorata est, non quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere, unde sit malum, et aliud est quærere, unde redeatur ad pristinum, vel ad majus perveniatur bonum. Quapropter novi hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita nostra dari asserunt, non se extollant, quasi eorum egerim causam ; quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. *Deinde variis argumentis ostendit, hæresim Pelagianam, priusquam exoriretur, a se potius impugnatam quam defensam fuisse in hoc Opere, licet illud præcipue contra Manichæos scripserit. Sed propter Manichæos, quos Augustinus hoc tempore aggredi cœpit* E *crebroque postea refellit, ad cognoscendam eorum originem et impiam doctrinam paragrapho sequente digredi oportebit, ut varia in hoc Commentario prævio occurrentia, ac ipsa Acta post hunc edenda facilius intelligantur.*

§ X. Occasione librorum, quos pius Neophytus Romæ scripsit adversus Manichæos, præcipuus hujus hæreseos auctor assignatur, et impia sectatorum ejus dogmata recensentur.

Manichæorum auctor,

Jam propter rationem mox allatam digredimur ad primum Manichæorum magistrum vel antesignanum et ad abominanda discipulorum ejus deliria, quæ omnia sanctus Doctor in F *libro de Hæresibus ad Quodvultdeum num.* 46 *sic exponit :* Manichæi a quodam Persa exstiterunt, qui vocabatur Manes, quamvis et ipsum cum ejus insana doctrina cœpisset nomen prædicari : nam antehac Urbicus *(Epiphanius hæresi* 66 Cubricum *appellat)* vocabatur. Sed in Græcia discipuli ejus vitantes nomen insaniæ, quasi doctiores, et eo ipso mendaciores, geminata N littera, Mannichæum, quasi manna fundentem [pro Manichæo, id est, insano] appellaverunt. Iste duo principia inter se diversa atque adversa, eademque æterna et coæterna, hoc est semper fuisse, composuit : duasque naturas atque substantias, boni scilicet et mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est, quarum inter se pugnam et commixtionem, et boni a malo purgationem, et boni, quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem secundum sua dogmata asseverans multa fabulatur, quæ cuncta intexere huic Operi nimis longum est.

ejusque deliria

131 *His addi merentur ea, quæ Socrates lib.* 1 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 22 *circa doctrinam et mortem*

A *mortem Manetis aut Manichæi ex auctore hujus hæretici coævo sic breviter contraxit :* His acceptis, libertus Cubricus in Persidem profectus, se quidem mutato nomine Manem appellavit ; libros vero Buddæ sive Terebinti, tamquam a se conscriptos, sectatoribus suis tradidit. Horum porro librorum argumenta verbis quidem religionem Christi præ se ferunt, sed si dogmata attenderis, propius accedunt ad gentilitatem : multos enim deos colendos esse, Manichæus utpote impius præcepit. Solem quoque adorandum esse docet. Fatum præterea introducit, et libertatem humani tollit arbitrii. Idem corpora ex aliis in alia transmutari asserit, Empedoclis et Pythagoræ, Ægyptiorumque opinionem manifeste secutus. Et Christum quidem in carne exstitisse negat phantasma illum fuisse dicens. Legem vero ac prophetas rejicit, seque ipse paracletum appellat. Quæ quidem omnia a recta Ecclesiæ fide aliena esse constat. Quin etiam in epistolis se ipsum ausus est Apostolum nominare. Verum falsi hujus erroris debitas tandem pœnas luit ob hujusmodi causam.

B 132 Persarum regis filius forte in morbum inciderat : eum pater ut morbo liberaret, omnem, ut vulgo dicitur, movebat lapidem. Cum autem Manichæi fama ad eum pervenisset, ratus vera esse hominis prodigia atque miracula, eum tamquam Apostolum accersit ; sperans scilicet fore ut filius ejus opera sanaretur. Qui cum venisset, ficta ac simulata specie regalem puerum curandum in manus sumit. Rex vero, qui puerum inter manus ejus mortuum esse viderat, hominem in vincula conjici jubet extremo supplicio propediem affecturus. Verum ille ex vinculis elapsus, in Mesopotamiam profugit. At rex Persarum comperto, quod Manichæus in illis partibus moraretur, inde abrepto cutem detrahi jussit, eamque paleis oppletam ante civitatis portas appendit. Atque hæc nos haudquaquam commenti sumus ; sed ex disputatione quadam Archelai Cascharorum urbis in Mesopotamia episcopi a nobis lecta excerpsimus : hic enim Archelaus ait, se cum Manichæo ipso coram disputasse, et ea, quæ superius a nobis relata sunt, de illius vita commemorat. *Hactenus Socrates, cujus historici fides hic confirmatur ex ipsa præsulis Ar-* C *chelai disputatione cum Manichæo, quam Laurentius Alexander Zacagnius, eruditissimus Vaticanæ bibliothecæ præfectus, non ita pridem reperit, et inter Collectanea monumentorum veterum ex antiqua versione Latina Romæ anno* 1698 *vulgavit.*

et pœna :

insulsi

133 *Porro nunc audire pergamus insulsas Manichæorum fabulas, quas amentes discipuli ex principiis magistri sui deducebant, ut* Augustinus *insani hujus dogmatis apprime peritus ibidem testatur id hunc modum :* Ex his autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas censent ab animarum malarum naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, ejus, cujus Deus est, esse naturæ. Proinde mundum a natura boni, hoc est, a natura Dei factum, confitentur quidem ; sed de commixtione boni et mali, quæ facta est quando inter se utraque natura pugnavit : ipsam vero boni a malo purgationem ac liberationem non solum per totum mundum et de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere dicunt, verum etiam Electos suos per alimenta, quæ sumunt : et eis quippe alimentis, sicuti universa mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam ; quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ, quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius Auditoribus suis : nam his duabus professionibus, hoc est Electorum et Auditorum, ecclesiam suam constare voluerunt.

AUCTORE G. C.

Manichæorum

134 In ceteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ, quæ mixta et colligata in escis et potibus detinetur, maximeque in eis, qui generant filios, arctius et inquinatius colligari putant. Quidquid vero undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam et solem volunt, regno Dei tamquam propriis sedibus reddi : quas itidem naves de substantia Dei pura perhibens fabricatas ; lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non solum in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verum etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum ipsos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa, quæ generunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum ; eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia; unde homines ducere ori- E ginem censent : in tenebris serpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno et substantia Dei missa esse, et in illa pugna fuisse permixta, fumo aëra, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id est, duo cæli luminaria, ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua ; solem vero ex igne bono : esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant feminas partis adversæ, et per hanc illecebram commota eorum concupiscentia, fugiat de illis lumen, quod membris suis permixtum tenebant, et purgandum suscipiatur ab angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria reportandum.

errores

135 Qua occasione, vel potius exsecrabilis superstitionis quadam necessitate, coguntur Electi eorum velut eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis, quos accipiunt, substantia illa divina purgetur. Sed hoc se facere negant, et alios, F nescio quos, sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in ecclesia, sicuti scis, apud Carthaginem, jam te ibi diacono constituto, quando instante Urso tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt : ibi puella illa, nomine Margarita, istam nefariam turpitudinem prodidit ; quæ cum esset annorum duodecim, propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse violatam. Tunc Eusebiam quamdam Manichæam quasi sanctimonialem, id ipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cum primum illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset ; quæ inspecta et quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum et commiscendum concumbentium semen farina substernitur (quod Margarita indicante, absens non audierat) similiter indicavit : et recenti tempore nonnulli eorum reperti et ad ecclesiam ducti, sicut gesta episcopalia, quæ nobis misisti, ostendunt, hoc non sacramentum, sed exsecramentum, sub diligenti interrogatione confessi sunt : quorum unus, nomine Viator, eos, qui ista faciunt, proprie Catharistas

AUCTORE G. C.

tharistas [id est mundatores vel purgatores] vocari dicens, cum alias ejusdem Manichææ sectæ partes in Macarios et specialiter Manichæos distribui perhiberet; omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatos, et omues generaliter Manichæos esse, negare non potuit.

ex ipso

136 Certe illi libri Manichæi sunt omnibus sine dubitatione communes, iu quibus libris illa portenta ad illiciendos et per concupiscentiam dissolvendos utriusque sexus principes tenebrarum, ut liberata fugiat ab eis, quæ captivata tenebatur in eis divina substantia, de masculorum in feminas et feminarum in masculos transfiguratione conscripta sunt, unde ista eorum, quamlibet negant ad se pertinere, turpitudo defluxit. Divinas enim virtutes, quantum possunt, imitari se putant, ut purgent Dei sui partem; quam profecto, sicut in omnibus corporibus cælestibus et terrestribus, atque in omnium rerum seminibus, ita et in hominis semine teneri existimant inquinatam. Ac per hoc sequitur, eos, ut sic eam de semine humano, quemadmodum de aliis seminibus, quæ in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Unde etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores, tanta eam purgantes diligentia, ut se nec ab hac tam horrenda cibi turpitudine abstineant. Nec vescuntur tamen carnibus, tanquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantumque ac tale inde remanserit, quod jam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumunt, quasi et ipsa, cum franguntur, exspirent; nec oporteat ullis mortuis corporibus vesci, et hoc solum vivat ex carne, quod in farina, ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis utuutur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur sive sugatur; non quia putant, divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum, sed quia ipse sibi error non constat. Nam et vinum non bibunt dicentes, vel esse principum tenebrarum, cum vescantur uvis : nec musti aliquid vel recentissimi sorbent.

Augustino

137 Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas Electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Ceteras autem animas et in pecora redire putant, et omnia, quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra (herbas etiam atque arbores) sic putant vivere, ut vitam, quæ illis inest, et sentire credant, et dolere, cum læduntur; nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere : propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent. Unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tamquam plurium homicidiorum ream dementes accusant, suisque Auditoribus ideo hæc arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis, ut divina illa substantia in eorum ventre purgata impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, exspectant hæc afferri usibus suis ab Auditoribus suis, viventes de tot ac tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Auditores suos, ut, si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cælestibus colligatos, a quibus omnem carnem dicunt originem ducere; et, si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia, quæ in eis per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole : sic quippe in omnem carnem, id est, per escas et potus, venire animas credunt. Unde nuptias sine dubitatione condemnant, et quantum in ipsis est, prohibent, quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda sunt.

fusius

138 Adam et Evam ex parentibus principibus fumi asserunt natos, cum pater eorum, nomine Saclas, sociorum suorum fœtus omnium devorasset, et quidquid inde commixtum divinæ substantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis tamquam tenacissimo vinculo colligasset. Christum autem fuisse affirmant, quem dicit nostra Scriptura serpentem, a quo illuminatos eos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum malumque dignoscerent : eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas; nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur : Deum, qui legem per Moysen dedit, et in Hebræis prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum; ipsiusque novi testamenti Scripturas tamquam infalsatas ita legunt, ut quod voluerint inde accipiant, quod nolunt rejiciant, eisque tamquam non totum verum habentibus nonnullas apocryphas anteponunt.

relati,

139 Promissionem Domini Jesu Christi de paracleto Spiritu sancto iu suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam. Unde se in suis litteris Jesu Christi apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se missurum esse promiserit, atque iu illo miserit Spiritum sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit adinstar apostolici numeri, quam numerum Manichæi hodieque custodiunt : nam ex Electis suis habent duodecim, quos appellant magistros, et tertium decimum principem ipsorum; episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris; et presbyteros, qui ordinantur ab episcopis. Habent etiam episcopi diaconos. Jam ceteri tantummodo Electi vocantur; sed mittuntur etiam ipsi, qui videntur idonei, ad hunc errorem, vel, ubi est, sustentandum et augendum, vel ubi non est, etiam disseminandum. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad solem per diem quaquaversum circuit; ad lunam per noctem, si apparet : si autem non apparet, ad Aquiloniam partem, qua sol eum occiderit, ad Orientem revertitur, stant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ; quam dogmatizantes esse hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium, quam a contrario principio Deo coæternam esse aiunt.

et exposit.

140 Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem, sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur a nobis, et in sua natura etiam ipsa immortaliter vivat; easque duas animas vel duas mentes, unam bonam, alteram malam in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem; nec in nobis sanatum hoc vitium, sicut nos dicimus, numquam futurum, sed a nobis

A nobis sejunctam atque seclusam substantiam istam mali, et finito isto sæculo post conflagrationem mundi in globo quodam, tamquam in carcere sempiterno, esse victuram : cui globo affirmant accessurum semper et adhæsurum quasi coopertorium atque tectorium ex animabus, natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerant a naturæ malæ contagione purgari. *Sanctus Epiphanius hæresi* 66 *similem Manichæorum originem, et crassos eorum errores multo fusius enarrat. Sed nobis sufficiunt aniles istorum hæreticorum fabulæ jam relatæ, quarum juverit inferius recordari, quando pœnitens* Augustinus *in prima Actorum parte deplorabit, se per novem annos insanis Manichæis adhæsisse.*

Qua ratione fieri potuerit,

141 *At quomodo potuit, inquies, acutus et ingeniosus Adolescens ineptis hisce Manichæorum figmentis fidem adhibere? Imprimis respondemus,* Augustinum *hac in re similem fuisse superbis illis philosophis, quorum Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos cap* 1 *meminit, ut superius initio paragraphi quarti diximus. Unde Wangnereckius noster in observationibus ad Confessiones* S. Augustini, *quas anno* 1631 *Dilingæ simul cum notis utilibus edidit, lib.* 3 *cap.* 10 *pium lectorem monet his verbis* : Impletum est in Augustino, quod sanctus Paulus de philosophis magna cum exaggeratione dixit : « Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt ». Quid stultius, quam talia credere ? Et tamen paulatim ad has nugas credendas perductus est superbus et lascivus Augustinus. Ut vel ex hoc exemplo persuadear, etiam viros doctos, quantumvis ingeniosos, posse dari in sensum reprobum, non solum ut faciant, verum etiam ut credant, quæ non conveniunt, et quia faciunt impia, credant stulta, fiantque serio hæretici judicio Dei justo, sed tremendo.

ut Augustinus

142 *Præterea respondemus,* Augustinum *tunc necdum fuisse conscium flagitiorum, quæ Manichæi clanculum committebant, et consequenter tantummodo fuisse speculativum istius hæresis sectatorem : nam semper inter eos in gradu Auditoris substitit, ut superius ex ipso audivimus, et improbos eorumdem mores in urbe Romana præcipue deprehendit. Etiam procul dubio Romæ* C *(utrum in prima an secunda commoratione Romana, nescimus) audivit horribilia scelera, quæ Manichæi in aliis regionibus perpetrabant, et de quibus* Augustinus *in libro de Natura boni cap.* 47 *sic obiter meminit :* Hoc se facere quidam confessi esse in publico judicio perhibentur, non tantum in Paphlagonia, sed etiam in Gallia, sicut a quodam Romæ Christiano Catholico audivi. *Quamvis hæc occultorum criminum ignorantia peccatum hæreseos in temerario Adolescente non excuset, tamen culpam ejus nonnihil minuit.*

insanis hujusmodi deliriis

143 *Nullus itaque cum Donatistis ac Pelagianis hæreticis inclementer exprobret* Augustino *præteritos errores, quos ipse postea toties deflevit. Sed quisque potius moveatur tali miserationis affectu, qualem ille ostendit erga cæcos Manichæos, quos in libro contra Epistolam fundamenti cap.* 2 *et sequente sic aloquitur :* Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum ; non istum, quem vos colitis, cælesti corpore oculis carneis et hominum et pecorum fulgentem atque radiantem.; sed illum, de quo scriptum est per prophetam : Ortus est mihi justitiæ Sol ; et de quo dictum est in Evangelio : Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus.

victore G. C.

haberet fidem

144 Postremo illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem, qui diu multumque jactatus tandem perspicere potui, quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur ; qui vanas imaginationes animi mei variis opinionibus erroribusque collectas vix miser merui, Deo opitulante, convincere ; qui me ad detergendam caliginem mentis tam tarde clementissimo Medico vocanti blandientique subjeci ; qui diu flevi, ut incommutabilis et immaculabilis substantia, concinentibus divinis Libris, sese mihi persuadere intrinsecus dignaretur ; qui denique omnia illa figmenta, E quæ vos diuturna consuetudine implicatos et constrictos tenent, et quæsivi curiose, et attente audivi, et temere credidi, et instanter, quibus potui, persuasi, et adversus alios pertinaciter animoseque defendi, sævire in vos non possum, quos sicut meipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, et tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus et cæcus errarem. *Jam tempus est, ut ex Italia revertamur in Africam : nam verosimiliter* Augustinus *Romæ mansit usque ad exeuntem mensem Julium vel Augustum anni* 388, *cum in Africam tantummodo redierit post cædem Maximi tyranni, sicuti jam probabitur.*

§ XI. Reditus in Africam, commoratio in urbe Carthaginensi, miracula ibi visa vel audita.

F

Reditus Sancti in Africam :

Tyrannus nomine Maximus, qui anno Christi 387 *Valentinianum juniorem ex Occidentis imperio fugaverat, anno sequente ab imperatore Theodosio debellatus et die* XXVIII *Julii vel* XXVII *Augusti, sicut apud Socratem lib.* 5 *cap.* 14 *legitur, jussu victoris occisus est, ut exactiores chronologi ex antiquis auctoribus ostendunt. Cum itaque* S. Augustinus *lib.* 3 *contra Litteras Petiliani Donatistæ cap.* 25 *testetur, se* post Maximi tyranni mortem *ex Italia in Africam renavigasse, reditus ille circa mensem Octobrem vel Novembrem anni* 388 *probabiliter collocandus est, etiamsi quidam scriptores eumdem anno Christi* 389 *affigant. Videtur autem Sanctus noster, jam multum mutatus ab illo* Augustino, *qui anno Christi* 383 *ex Africa in Italiam discesserat, primo Carthaginem appulisse, et ibi aliquanto tempore commoratus esse, quemadmodum eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 389 *num.* 7 *affirmat : nam Carthagine contigerunt ea mirabilia, quæ nunc ex ipso Sancti testimonio referemus.*

prodigia, quæ audivit,

146 *In libro de Cura pro mortuis gerenda* S. Augustinus *varias apparitiones recenset, et ibidem cap.* 11 *miram quamdam rem de se ipso, quam*

AUCTORE G. C.

quam post reditum suum ex Italia audivit Carthagine, exponit his verbis : Eodem ipso ferme tempore, quo id audivimus, id est, nobis apud Mediolanum constitutis, Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, postcaquam in Africam remeavimus, retulit, cum rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem, quam postridie fuerat traditurus, quemdam locum offendit obscurum. Quo non intellecto, vix potuit dormire solicitus; qua nocte somnianti ego illi, quod non intelligebat exposui : imo non ego, sed imago mea, nesciente me, et tam longe trans mare aliquid aliud, sive agente, sive somniante, et nihil de illius curis omnino curante. Quomodo fiant ista, nescio. Sed quomodolibet fiant, cur non eodem modo fieri credimus, ut in somnis quisque videat mortuum, quomodo fit ut videat et vivum? *Paulo antea narraverat exemplum patris defuncti, qui filio suo apparuerat, et quod Mediolani* pro certo *narrari audiverat. Hinc supra dicit illam sui ipsius viventis apparitionem Eulogio fieri debuis-*
B *se* eodem ipso ferme tempore, *quo Mediolani pater iste mortuus filio suo apparuit, vel quo rem illam Mediolani constitutus ipse* pro certo *audivit.*

et vidit,

147 *Sanctus Doctor lib. 22 de Civitate Dei cap. 8 disputat adversus ethnicos, qui negabant Christi Sanctorumque miracula, et Christianis objiciebant, suo tempore non amplius patrari talia prodigia, finalia ipsi ex sacris Litteris aut antiquis monumentis prædicabant. Hanc ethnicorum objectionem Sanctus ibi acute refellit, et ea occasione quædam miracula suæ ætatis ita commemorat :* Etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum ejus . . . Miraculum, quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia et grandis est civitas, et ibi erat tunc imperator, et immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii et Gervasii; quæ cum laterent, et penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata, reperta sunt, ubi cæcus ille, depulsis veteribus tenebris, diem vidit.

et miraculum

C 148 *Huic subnectit alterum, quod contigit Carthagine post reditum suum ex Italia, et quod ipse testis oculatus ita narrat :* Apud Carthaginem autem quis novit, præter admodum paucissimos, salutem, quæ facta est Innocentio ex advocato vicariæ præfecturæ, ubi nos interfuimus, et oculis aspeximus nostris? Venientes enim de transmarinis, me et fratrem meum Alypium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes, ut erat cum tota domo sua religiosissimus, ipse susceperat, et apud eum tunc habitabamus. Curabatur a medicis propter fistulas, quas numerosas atque perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte. Jam secuerant eum, et artis suæ cetera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa et diuturnos et acerbos dolores. Sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique sanatis omnibus, quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens multumque formidans, ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi, ut saltem videret, cum primum sectus est, quomodo id facerent, iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat, erupit atque ait : Iterum me secturi estis? Ad illius, quem noluistis esse præsentem, verba venturus sum? Irridere illi medicum imperitum, metumque hominis bonis verbis promissionibusque lenire. D

sanationis subitæ.

149 Præterierunt et alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne, quod fiebat. Medici tamen in sua pollicitatione persistebant, non se illum sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros. Adhibuerunt et alium grandævum jam medicum, satisque in illa arte laudatum (adhuc enim vivebat) Ammonium dico, qui loco inspecto, idem quod illi ex eorum diligentia peritiaque promisit; cujus ille factus auctoritate securus, domestico suo medico, qui futuram prædixerat aliam sectionem, facta hilaritate velut jam salvus illusit. Quid plura? Postea tot dies inaniter consumpti transierunt, ut fessi atque confusi faterentur eum, nisi ferro, nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus; atque ubi se collegit, farique potuit, abire illos jussit, et ad se amplius non accedere. Nec aliud occurrit fatigato lacrymis et illa jam necessitate constricto, nisi ut adhiberet Alexandrinum quemdam, qui tunc E chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse faceret, quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed posteaquam venit ille, laboremque illorum in cicatricibus sicut artifex vidit, boni viri functus officio, persuasit homini, ut illi potius, qui in eo tantum laboraverant, quantum ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur, adjiciens quod revera, nisi sectus esset, salvus esse non posset; sed valde abhorrere a suis moribus, ut hominibus, quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum, quod remansit, palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo ejus et placuit, ut eodem Alexandrino assistente, ipsi sinum illum ferro, qui jam consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in consequentem diem.

quod vidit,

150 Sed cum abiissent illi, ex mœrore nimio domini tantus est in domo illa exortus dolor, ut tamquam funeris planctus vix comprimeretur a nobis. Visitabant eum quotidie sancti viri, episcopus tunc Uzalensis beatæ memoriæ Saturninus, et presbyter Gelosus, ac diaconi Carthaginensis ecclesiæ; in quibus erat, et ex quibus F solus est nunc in rebus humanis episcopus cum honore a nobis debito nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re sæpe collocuti sumus, eumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus. Qui cum eum, sicut solebant, vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus lacrymis, ut mane dignarentur esse præsentes suo funeri potius quam dolori : tantus enim eum metus ex prioribus invaserat pœnis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi et hortati, ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus; ubi nobis ex more genua figentibus atque incumbentibus terræ, ille se ita projecit, tamquam fuisset aliquo impellente prostratus, et cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra ejus, et pene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsus orare non poteram; hoc tantummodo brevi-

te

AUCTORE G.C.

A ter in corde meo dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut exspiraret orando. Surreximus itaque, et accepta ab episcopo benedictione discessimus, rogante illo, ut mane adessent, illisque, ut æquo animo esset, hortantibus.

dum erat Carthagine,

151 Illuxit dies, qui metuebatur; aderant servi Dei, sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt medici; parantur omnia, quæ hora illa poscebat; tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisque omnibus. Eis autem, quorum erat major auctoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secturi membra in lectulo componuntur; solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, et secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisque contrectat. Tentat denique modis omnibus; invenit firmissimam cicatricem. Jam illa lætitia et laus atque gratiarum actio misericordi et omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium lacrymantibus gaudiis, B non est committenda meis verbis; cogitetur potius, quam dicatur. *Sanctus Doctor eodem capite narrat plura miracula, quæ per Sacramentum regenerationis, aut intercessionem Sanctorum publice suo tempore contigerunt, et quorum testis oculatus vel auritus fuit. Quamvis hic instituti nostri non sit illa prodigia transcribere, tamen horum occasione postea pro meritis excipiemus famosum Joannem Clericum, qui similes oculatorum vel auritorum testium narrationes sub nomine Phereponi impudenter explosit.*

quodque aliqui nimis liberaliter

152 *Porro subitam Innocentii sanationem fusius referre voluimus, eo quod abbas Philippus ab Eleemosyna, qui seculo duodecimo Vitam Sancti nostri collegit, cap. 17 illud beneficium precibus* Augustini *præcipue tribuat in hunc modum:* Augustinus hospitis sui miseram sortem miseratus, cum videret illum et multos suorum de medicorum auxilio desperare, fixis genibus, ad orationis confugit remedium, orans eum, qui facit mirabilia magna solus, ut viro tam liberali, tam hospitali, tam religioso, in tanto periculo misericorditer subveniret, et (si dici fas est, immo quia est) votis ut hominum Deus obediret: Josue quippe prælianti et oranti Deus legitur obe- C disse: cum ad ejusdem Josue imperium oblitus itineris sui sol super Gabaon et luna super vallem Ajalon immobilis staret; donec ille quinque regum tyrannidem expugnaret. Eadem fide armatus tiro devotus Augustinus oravit, et ab eodem Deo, sub cujus signis et ipse militabat præcipuus, effectum impetravit.

Augustini precibus attribuunt;

153 *Jordanus de Saxonia procul dubio Philippum abbatem Præmonstratensem secutus est, dum in Vita sancti Doctoris apud Hommeyum in Supplemento Patrum pag. 592 sic breviter de eodem miraculo meminit:* Veniens Carthaginem a quodam honorato viro (Innocentius nomine) hospitio receptus est; qui cum ob gravem corporis infirmitatem a medico incidi deberet, Augustinus suo hospiti pie compatiens, sua oratione ipsum curavit, cunctis stupentibus, quod ille de tam gravi infirmitate sic subito curatus fuerit. *Cornelius Lancilottus in Vita ejusdem Sancti lib. 2, cap. 11, et alii recentiores biographi similia confidenter asserunt. Sed non scimus, an aliquos hujus assertionis suæ testes, duobus jam citatis antiquiores, allegare possint. Quare vellem, ut sanctus Possidius mentionem hujus miraculi fecisset, ne quis dubitandi locus superesset: nam propter illud Possidii silentium, ni fallor, Joannes Rivius in Vita sancti Doctoris lib.* 1, *cap.* 1 § 36, *Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. pag.* 122, *et Benedictini Galli in Latinis* S. Augustini *Actis lib.* 3, *cap.* 1 *miram illam Innocentii curationem huic Sancto nostro dubitanter adscribunt.*

licet miraculum ipsum in dubium vocari non possit,

154 *At non satis intelligo, quid sibi velit Joannes Baptista Melegarus, Canonicus Regularis ex Congregatione Lateranensi, dum in Opere de Institutis et progressu Clericorum Regularium inter ea, quæ in Actis* S. Augustini *corrigenda vel omittenda putat, pag.* 250 *memoratum miraculum collocat his verbis:* Non omni dignum fide censeam miraculum de cruris sanatione Innocentii Carthaginensis, cujus domi in primo in Africam adventu cum sociis commoratus est, cum id a classicis narratum auctoribus non comperiam. *Si Melegarus hoc loquendi modo tantum neget, istud miraculum intercessione* S. Augustini *patratum fuisse, tolerabilis est ejus censura, quamvis abbas Philippus et Jordanus de Saxonia illud precibus ipsius asseveranter adscribant. Si vero Melegarus hac obscura phrasi significare voluerit, istud* E *miraculum non omni fide dignum esse, quia ab auctoribus classicis id narratum non comperit, ignorantiam testimonii supra relati prodit, et turpiter hallucinatus est, cum illud diserte narraverit* S. Augustinus *oculatus testis, qui facile locum classicorum auctorum in hac re supplet, et cui soli Melegarus historicam fidem adhibere poterat. Cum tamen ambigua Catholici et Religiosi scriptoris verba semper in meliorem partem nos interpretari deceat, hanc obscuram periodum libenter in sensu prioris explicationis intelligemus. Jam prosequamur alia, quæ tunc* Augustinus *Carthagine videtur gessisse.*

Carthagine disputasse videtur contra Manichæum quemdam;

155 *Verosimiliter in hac commoratione Carthaginensi Sanctus noster ad fidem Catholicam convertere conatus est Manichæum illum, quem argumentis suis ad incitas redegerat, et cujus responsionem in libro de Moribus Manichæorum cap.* 12 *recitat his verbis:* Illud vero nondum dictum erat, quod nuper apud Carthaginem audivi; cum enim quidam, quem maxime illo errore cupio liberari, hac quæstione in easdem compingeretur angustias, ausus est dicere, scilicet regnum habuisse quosdam fines suos, qui possent invadi a F gente contraria; nam ipsum Deum nullo modo potuisse violari. Sed dixit, quod neque auctor ille vester ullo modo dicere cogeretur: videret enim fortasse consequentes ruinas suæ sectæ multo potest hanc sententiam, quam per alium, faciliores. Et revera ita se hoc habet, ut si quisquam mediocris cordis audierit in natura illa fuisse aliud violabile, aliud inviolabile, facile intelligat, non jam duas, sed tres esse naturas, unam inviolabilem, alteram violabilem, tertiam violatricem. *Forsitan ad tempus hujus commorationis Carthaginensis etiam pertinent impudici plurium Electorum mores, quos* in quadrivio Carthaginis *se vidisse testatur* Augustinus, *quoque Manichæis in libro proxime citato exprobrat, ut alia occasione superius* § 5 *retulimus.*

ubi et quando compositus et absolutus liber de Moribus Manichæorum.

156 *At quomodo, inquies,* Augustinus *hæc posteriora Carthaginensia Manichæorum dicta vel gesta narrare potuit in libro de Moribus Manichæorum, quem Romæ scripsit, antequam in Africam rediisset, ut* § 9 *dictum est? Patres Benedictini Galli in Vita* S. Augustini *lib.* 2, *cap.* 14, *num.* 1, *agentes de utraque illa lucubratione Romæ conscripta, nodum istum recte solvunt his verbis:*

AUCTORE G. C.

verbis : Ipso initio testatur *(nimirum* Augustinus *in libris de Moribus Ecclesiæ Catholicæ et Manichæorum)* sat in aliis libris ostendisse se, quemadmodum error et impietas, qua in vetus Testamentum invehuntur Manichæi, possit impugnari. Eum tamen hac de re superioribus Opusculis egisse non legimus. Quapropter non alios opinamur memoratos ibi ab eo libros, nisi geminos illos, quibus initium Genesis contra Manichæorum calumnias post reditum in Africam exposuit. Quod si ita est, libri de Moribus Ecclesiæ et de moribus Manichæorum scripti quidem Romæ fuerint, quando ipse auctor id testatur ; non tamen ibi publicati, neque perfecti prorsus, nisi Augustino in Africa jam constituto. Enimvero locis nonnullis perinde est locutus, acsi Roma tum abesset, ut videre est libri primi capite trigesimo tertio, et libri secundi capite vigesimo. Quid, quod in ejusdem libri secundi capite duodecimo memorat quodpiam pro Manichæa hæresi novum responsum, quod se nuper apud Carthaginem audivisse testatur? Quædam scilicet his libris Romæ primum scriptis accessio postea fieri in Africa B potuit, antequam vulgarentur. *Similia laudati PP. Benedictini repetunt in monitione, quam duplici huic Opusculo præfixerunt. Nunc occasione miraculorum, quæ superius ex* Augustino *teste oculato vel aurito assignavimus, retundenda est philautia Joannis Clerici, qui sub glorioso Phereponi nomine se ipsum stulte laudat, et hæreticas suas cavillationes apertis antiquorum Patrum testimoniis præferendas arbitratur.*

§ XII. Castigata Phereponi temeritas, et adversus ipsum vindiciæ pro miraculis, quæ Sanctus noster oculato vel aurito testimonio suo confirmavit.

Insignis

Non tantum Catholici, sed etiam scriptores heterodoxi conqueruntur de vana Joannis C *Clerici sive Phereponi arrogantia, qua veteres Ecclesiæ Patres contemnit, et leves suas ratiunculas aut sophismata sententiis illorum præfert. Jam supra* § 1 *hujus Commentarii prævii retulimus, quid Oudinus apostata judicaverit de manifesto ipsius fastu, quo labores suos litterarios extollit, ac seipsum stolide miratur. Huic addimus Guilielmum Caveum, qui in Epistola apologetica adversus iniquas Joannis Clerici criminationes anno* 1700 *Londini vulgata, pag.* 16 *et sequente contemptum sanctorum Patrum apud Anglos suos invalescentem sic ei imputat :* Mirari quidem subit, unde factum sit, ut venerandæ vetustatis antistites, qui per omnia rei Christianæ secula magno in pretio, summoque in honore habiti sunt, quos tanta veneratione hactenus coluit Christianus orbis, hac demum, qua vivimus, ætate, in contemptum venirent, vilescerent indies, et pro nihilo ducerentur.

arrogantia

158 Si quis in eorum libris occurrit defectus, mox augetur et amplificatur ; si vel levissima hallucinatio, exaggeratur, et in portentosum errorem provehitur, sacrarum Litterarum interpretationes ab iis adhibitæ, tamquam ludricæ, insipidæ et plane ἀπροσδιόνυσοι rejiciuntur ; rationes et argumenta, velut futilia, ficulnea, imbecillia exsibilantur. Quid verba multa? Tamquam stolidi, D fungi, bardi, blenni, buccones, præ fœcundis saltem, sublimibus acutissimisque nostri temporis ingeniis a plerisque irridentur. Quænam, Deus bone ! tam stupendæ mutationis causa? Unde inversæ adeo rerum vices? Serio hæc mecum pensitanti vix ulla commodior occurrit ratio, quam quod sancti Patres Catholicæ fidei, Nicænorumque dogmatum testes sunt inconcussi, vindices acerrimi ; qui fidem ab Apostolis traditam, a majoribus acceptam ad nos usque propagaruut, acceptam vita, voce, etiam et sanguine suo confirmarunt, invictisque argumentis contra omnia hæreticorum molimina sartam tectam conservarunt ; quique nullis sophismatibus flecti queant, ut in unitariorum causam testimonium dicant. Hinc illæ lacrymæ, hæc fundi calamitas. *Caveus hac clausula significat, Joannem Clericum præcipue sanctis Ecclesiæ Patribus infensum esse, eo quod hi veteris fidei vindices Arianis hæreticis obstiterint, eumque sic tacite insimulat Socinianismi, de qua hæresi scriptores alii apertius illum accusarunt, ut in eadem Epistola apologetica Cavei pag.* 105 *et sequentibus videre est.* E

159 *Theologus anonymus Cantabrigiensis, qui anno* 1707 *Cantabrigiæ Defensionem* S. Augustini *typis academicis edidit, in Præfatione severius eumdem Joannem Clericum sive Phereponum redarguit his verbis :* Cum multi jam dudum fuerint, qui animum in sanctos Patres Ecclesiæ prodiderint nimis iniquum quidem atque infensum ; neminem tamen puto hactenus reperiri, qui majore, quam Joannes Clericus, studio atque opere probris eos conviciisque oneraverit. Quod enim scriptum homini perpetuo scribenti unquam excidit, in quo aliquid de illorum existimatione ac auctoritate non detractum caperet? Quid in Arte, quam excogitavit, critica, et Bibliothecis, quas vocat, sive universalibus, sive selectis, proposuisse sibi aliud magis videatur, quam ut eosdem et doctrinæ laude et integritatis honore spoliare valeat? Justinum martyrem, Basilium, Gregorium Nazianzenum, aliosque Patres doctissimos atque sanctissimos dudum est adortus, et quotidie, arrepta qualibet occasione, ita impugnat, ut omnibus contemnendos penitus ac irridendos dare conetur. Nuper vero Augustinum sibi potissimum delegit, in quo ostenderet, quid F et possit et audeat in hoc certaminis genere ; quem proinde ego hoc tempore præcipue defendendum existimavi, nec ferendum judicavi, ut qui pietatis et doctrinæ gloria suo jure et merito hucusque floruerit, arrogantia cujuspiam aut malevolentia ludibrio haberetur ; cum præsertim ejus obtrectator tam turpiter sæpe in suis Animadversis et ridicule se dederit, ut augeri et inclarescere Augustini fama inde possit, unde iste labem illi aspersam voluit.

ac temeritas

160 Atqui homo astutus sub conficto Phereponi nomine latere gestit; quod modestiæ tribui forte postulat; cum tamen nec quisquam sit, qui de vero auctoris nomine dubitet; et suos ipse labores ingentes et continuos ostentare, collataque in Rempublicam, si placet, litterariam nimis ingratam, beneficia exprobrare hac sub persona tutissime se posse judicaverit. Sit istud autem modestiæ, quod nomen suum non profitetur ; sed a laboribus maluit prænotari, post tanta demum in evolvendis Augustini libris devorata tædia, ut a querela sane lamentabili temperare se nequiret. Sumat sibi, quot titulos et nomina libebit, non invideo ; sit qualis et quantus, ipse velit, nil contradico :

ut ipsi agnoscunt

A tradico : sed quæcumque Joanni vel Clerico vel Pherepono debeatur sive industriæ sive eruditionis laus, nihil tamen inde excusatius aut impunius in sanctorum Patrum famam et meritum involaverit. Me vero hactenus continui, ut exspectarem tamdiu, num quis ex erudita Benedictinorum familia, quorum curæ et diligentiæ novissimam Augustini Operum editionem debemus, reprehensiones, quibus scatent Animadversiones in eamdem a Pherepono conscriptæ, dilueret. His bonus Phereponus monachis adblandiri sæpiuscule visus est, subverérique, ne pœnas ob Augustinum contumeliose habitum exigerent. Quando autem viri illi doctissimi labores suos utilius quotidie collocant, quam ut næniis istis vacent; favebunt, opinor, incœpto hominis, qui tot tantasque ipsorum in recudendis sanctorum Patrum Operibus lucubrationes haud frustra fuisse ostendit.

heterodoxi,

161 *Deinde post alia, quæ hoc loco brevitatis causa prætermittimus, anonymus iste Cantabrigiensis ita Præfationem suam prosequitur* : Quæ autem a Pherepono Animadversa ad Augustini B ignominiam facere potissimum videbantur, ea in præfatione memorantur, rediguntur in indicem, in Bibliotheca triobolari venditantur : nam Phereponus semel maledixisse non contentus, maledicta sua singulis fere mensibus nundinatur, atque Augustinum Animadversionibus, præfationibus, indicibus, Bibliothecis oppugnat, omnemque non modo lapidem, sed syllabam et litteram movet, ut invidiam ipsi odiumque conflare valeat. Cum vero tanta in Augustino fuerit dignitas præstantiaque pietatis et eruditionis, ut nec a Donatistis, nec a Pelagianis absque aliqua saltem honoris cujusdam significatione nominari soleat, committendum Phereponus non putavit, ut quos in susceptis adversus Augustinum inimicitiis sæpe superaret, eorum hanc tamen consuetudinem non aliquando imitaretur. Atqui si cum forte laudat, tam parce tamque restricte facit, quasi invideret; certe invitum facere manifestum est : et de his quidem quas inspersit laudationibus, malignis sane ac insidiosis, quo vituperationes faciliorem fidem inveniant, in præfatione, in conclusione Animadversionum, in indice denuo meminit. Adeo sanctum Patrem ubique omnibus modis ludos C facit.

Joannes

162 *Denique memoratus anonymus Pherepono-mastix Præfationem suam concludit his verbis :* Quis igitur non moleste ferat, ut homo inverecundus, vehemens, implacabilis, admirator sui, contemptor aliorum, præsertim veterum, tum se demum satis doctum et beatum putet, si aliorum errores possit detegere, satis celebrem aliena infamia? Si quid in ipso reprehendendum aliquis ducat, excandescit, vociferatur, fidem hominum inclamat, Dei judicium minitatur; quasi ipsi neutiquam culpando culpare alios soli liceret. In Patres maledicus, in omnes arrogans, ita quotidianis libellis complet et infestat omnia, quasi et religionem et philosophiam suo unius supercilio niti arbitraretur. Augustinum autem conviciis proscindit, concidit, totis voluminibus obruit; nec satis putat in tantum Virum tot atrocia conscripsisse, nisi et putida dicteria admisceat, et illepidos ac scurriles jocos Errasse nonnumquam et ipse Augustinus se fatetur; nec quisquam, puto, deinceps negaverat; sed ingratitudinis erga Deum nota non caret, in contemptum vilioremque opinionem hominum eum velle adducere, per quem illi tanta in Ecclesiam suam beneficia conferre placuit; eumdemque non doctorum tantum virorum, sed et proborum hominum numero eximere conari, qui religionis veritatem non scriptis solum, sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit. Hoc igitur probandum in me suscipio, non tam errare, quam delirare sæpissime gravem hunc et atrocem Augustini reprehensorem; Augustinum vero, si quando ratio fugerit, non tamen pietatem, non veri studium, non bonam mentem et charitatem fugisse; id quod Phereponus sanctissimo Patri ubique exprobrat : quam hoc temere ac inique fecerit, patebit ex iis, quæ deinceps dicentur. Ponam autem in medio verba primo sancti Augustini paulo altius repetita, quam repetenda sibi Animadversor censuit; deinde Phereponi Animadversiones; postremo responsiones meas subjiciam. *Vivis hisce coloribus anonymus ille nobis ignotus generatim depinxit Pherepónum, quem postea promisso modo sigillatim refellit.*

Clericus

163 *Etiam Muratorius sub nomine Lamindi Pritanii composuit Latinum justæ molis Opus de Ingeniorum moderatione in religionis negotio, quod anno 1737 Parisiis recusum est, ut saltem* E *præfert titulus editionis, quam præ manibus habemus. Auctor in hac lucubratione sæpe* S. Augustinum *ab ineptiis Pherepóni censuris vindicat, et pro miraculis ab illo Sancto narratis caput undecimum libri tertii sic exorditur* : Miraculorum quoque majestate damnatos hæreticos Augustinus ait. At ista pariter pro nihilo Phereponus ducit. En potentissimam rationem, cur ea criticus noster exsibilet. HÆC, inquit, ILLO ÆVO STRATAGEMATA ERANT ECCLESIASTICA, QUIBUS PLEBECULÆ FUCUS FIEBAT. Ingeniosam profecto methodum, qua se ab adversariis cito litigator expediat. Quando rationes urgent, nullusque alius exitus datur, facta ipsa, quamquam luce clariora negantur. *Sed hoc ipsum puerile Pherepóni dicterium tam facile negatur, quam profertur. An forsan superbus iste Criticus putat, Catholicos adeo stupidos esse, vel se tantam auctoritatem habere, ut ei sine testibus et tabulis quidlibet effutienti et evidentia miracula neganti statim credant? Sed ne dicamur insultare mortuo leoni, qui jam ab aliquot annis obiit, quemlibet ex ejus sectatoribus confidenter provocamus, ut absurdas Pherepóni calumnias saltem speciose defendat. Si* F *quis ex heterodoxis hanc malam causam tueri velit, singulari dissertatione vindicabimus historicam fidem illorum miraculorum, quæ sancti Patres oculati testes narrant : nam nobis hic singula discutere non licet. Interea curiosum lectorem, qui singulares hujusmodi refutationes legere desiderat, ad anonymum Cantabrigiensem vel Muratorium remittimus.*

accusat Augustinum fictorum miraculorum,

164 *Porro audax Phereponus occasione miraculorum, quæ* S. Augustinus *lib.* 22 *de Civitate Dei cap* 8 *probat adhuc fieri sua ætate, eum veteribus ethnicis consentit, et pag.* 594 *memoratæ farraginis hæreticæ sanctum Doctorem de dolosa sententiæ suæ mutatione ac impio mendacio sic accusat :* Est objectio ethnicorum, ad quam commodius solvendam ficta sunt, quarto præsertim seculo, innumerabilia miracula Reliquiarum, quæ antea inaudita fuerant. Cum incautius ac proinde verius loquebantur Christiani hujus ævi, fatebantur, miracula non amplius fieri, quod contigit Augustino in libro de Vera religione cap. xxv, ubi negat miracula illa (qualia Apostolorum) in nostra tempora durare permissa. Sed postea hæc verba retractavit propter nova miracula, cujus (*scrupulosus*

AUCTORE G.C.

(scrupulosus ille grammaticus melius quorum *dixisset, ut recta periodi constructio postulat)* utilitatem animadvertere serius cœpit. *His verbis impudens Phereponus incauto lectori persuadere nititur, prius* Augustinum *nulla suæ ætatis miracula agnovisse; sed postmodum, cognita miraculorum utilitate, priorem sententiam mutasse, vel potius miracula finxisse, ut objectiones ethnicorum facilius eluderet.*

verbaque ejus male exponit:

165 *Non opus est longo ratiocinio, ut hanc crassam Phereponi fraudem detegamus : nam Phereponus haud dubie noverat, quod apud* Augustinum *et antiquos linguæ Latinæ auctores* retractare *plerumque significet* iterum tractare *vel* accuratius repetere. *Sed mendax ille censor uti maluit verbo æquivoco* retractare *in alio sensu, ut lectorem facilius deciperet, eique fraudulenter persuaderet, ab* Augustino *priorem sententiam postea mutatam vel revocatam fuisse. Nunc ergo criticum istum evidenter malæ fidei convincamus ex ipso sancto Doctore, qui lib.* 1 *Retractationum cap.* 13 *opus de Vera religione retractans aut iterum recensens, opinionem de miraculis sui temporis antea traditam non mutat aut revocat; sed potius confirmat, et clarius exponit his verbis :* Item quod dixi, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit; verum est quidem : non enim nunc usque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium; aut nunc usque ad umbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi, et si qua talia facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur : nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum fuisse jam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quæ cognoscimus, enumerare possimus. *Ex hac clausula patet malignum Joannis Clerici mendacium, cum* S. Augustinus *ibi diserte testetur, adhuc innumerabilia miracula suo tempore patrari.*

B

C

ejusdem fictionis sacrilegæ Ambrosium insimulat Clericus,

166 *Etiamsi Phereponus alibi miracula ab Augustino relata sæpius explodat, tamen astute silet de cæco illo, qui Mediolani ad tumulum SS. Gervasii et Protasii illuminatus est. Sed fundamentum hujus miraculi subvertere tentavit, dum in hæreticis suis Animadversionibus pag.* 475 *ipsam horum Martyrum inventionem de fraude suspectam reddere conatus est hac frivola sua censura :* Si hæc, *inquit,* aliæque ejusmodi inventiones sanctorum cadaverum non fuissent conjunctæ cum ingenti lucro ac emolumento eorum, qui ea effoderunt, multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in officio continendam, fidem eis non facile detraherent. Hæc inventio, exempli causa, non parum auxit existimationem auctoritatemque Ambrosii, quandoquidem ea Justinæ principis Arianæ animus, ut habet noster *(nimirum* S. Augustinus *lib.* 9 *Confessionum cap.* 7,*)* etsi ad credendi sanitatem non ampliatus *, a persequendi tamen furore compressus est. *Hinc post alias ineptias, quas anonymus Cantabrigiensis et Muratorius operose refutant, ex temeraria sua suspicione sic concludit :* Sed lege cetera, ubi torti diaboli, ope horum Martyrum, Arianos opportunissime damnant; nec amplius miraberis esse, qui stratagema hoc Ambrosianum fuisse censeant, quo plebem sibi devinciret, Justinamque et Arianos perterrefaceret, excogitatum.

* al. applicitus

D

antiquorum Arianorum ea in re sectator,

167 *Hæc Clerici verba rotunde exposita significant, S. Ambrosium fuisse sacrilegum impostorem, qui propter lucrum vel vanam gloriolam fictis miraculis Arianos et Catholicos, omnesque posteros deceperit : nam consequenter etiam negare debet, quod eo tempore Mediolani* cæcus civis civitatique notissimus, *ut hodiernus Sanctus noster lib.* 9 *Confessionum cap.* 7 *loquitur, per intercessionem SS Gervasii et Protasii coram innumerabili populo, qui ad sacras horum Martyrum reliquias concurrebat, publice ac vere illuminatus fuerit. An forsan hic incertæ sectæ homo (nonnulli Clericum Socinianæ hæresi addictum fuisse putant) tali calumnia favere voluit proavis suis Arianis, qui manifesta miracula tunc temporis patrata pertinaciter ac stolide negabant? At cujuscumque sectæ fuerit ille hypercriticus, hac in re presse insistit vestigiis veterum Arianorum, quos ipse S. Ambrosius in Parisiensi Operum suorum editione, quæ annis* 1686 *et* 1690 *vulgata est, tomo* 2 *col.* 878 *et sequente sic evidenter convincit :* Negant cæcum illuminatum; sed ille non negat, se sanatum. Ille dicit : Video, qui non videbam. Ille dicit : Cæcus esse desivi; et probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis, cum valeret, mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis. Eos indices suæ visitationis arcessit, quos habebat testes et arbitros cæcitatis. *Post hæc sanctus præsul Mediolanensis cum illo confert cæcum Evangelicum a Christo illuminatum, et evidentibus argumentis ostendit, Arianos Judæis obstinatiores esse.*

E

licet miraculo, quod impugnat, nihil sit certius :

168 *Unde Benedictini editores ibidem in notis ad hunc S. Ambrosii textum recte monent sequentia :* Nihil hoc miraculo certius aut magis testatum, non modo propter gravissimam Ambrosii auctoritatem, et adjuncta illius universis Mediolanensibus, quos alloquebatur hic idem præsul, compertissima; verum etiam propter Augustini oculatum, sit verbo venia, testimonium, quod lib. 22 de Civitate Dei cap. 8, et expressius adhuc sermone in Natali martyrum Gervasii et Protasii legere est. Idem etiam miraculum simul cum aliis, quæ memorantur in hac epistola, narrat, qui similiter oculatus testis esse potuit, Paulinus in Ambrosii Vita. Mirum igitur, tantam fuisse Arrianorum pervicaciam, ut miracula tam evidentia pro commentitiis, immo etiam, ut Paulinus auctor est, pretio simulatis habuerint. Verumtamen ex iisdem Augustino atque Paulino cognoscimus, perfidiam hæreticorum ea martyrum manifestatione, sin minus fractam, saltem debilitatam fuisse, ac deferbuisse persecutionem. Et hinc sane magis miramur, inter nostri temporis heterodoxos, qui vix majorem in alium ullum e Patribus, quam in Ambrosium nostrum venerationem præ se ferunt, iuventum tamen, qui veterem Arrianorum calumniam, licet sub quibusdam dicteriorum involucris, renovaret. *Forsan hic tacite designatur ipse Joannes Clericus, qui leves suas ratiunculas aut futiles conjecturas gravissimis sanctorum Patrum testimoniis præferre non erubescit.*

F

169 *Quinimo severus ille censor in re seria histrionem agit, et in citata farragine sua hæretica pag.* 550

A *pag.* 550 *genuinos Sermones, quos* S. Augustinus *de authenticis S. Stephani miraculis instituit, petulanter comœdiæ comparat in hunc modum:* Sermone cccxxii legi potest et sane debet fabula, ex qua de tota illius ævi histrionia certum judicium ferri queat. Primo die Paschæ producitur Paulus nescio quis e Cappadocia, hominum nequam feracissima, si veteri famæ et Isidoro Pelusiotæ credimus, curatus a sancto Stephano; sed libellus ejus, hoc est, historia morbi et curationis differtur, ut magis plebs cognoscendi cupidine inflammetur. Is est primus Actus, qui est sermonis cccxx ..... Actus secundus habetur Sermone cccxxi, ubi promittitur plebi libellus ille mirificus, quia nonnulla Augustino indicarat, quæ nosse debebat plebs AD MAJOREM ADMIRATIONEM ET DOMINI NOSTRI GLORIAM. Tertius est Sermone cccxxii, in quo Augustinus præfatur; deinde historiam Pauli, die Paschæ curati, jubet recitari. Quartus Actus continetur Sermone cccxxiii, ubi Augustino ad populum dicente, subito curatur Pauli soror, sequiturque adclamatio B populi. Quintum denique Actum complectitur Sermo cccxxiv, ubi pius Antistes omnia in rem suam convertit, populumque prudenter monet, cum Deus alibi potuisset hæc miracula tam insignia facere, ubi etiam erant reliquiæ sancti Stephani, tamen Paulum et sororem ad se fuisse directos; quo, nisi fallor, spectabat tota fabula. *Deinde ex sinceris Sancti Sermonibus excerpit totam miraculi historiam, et ibidem pag.* 552 *pueriliter effutit, nihil huic comœdiæ deesse, præter illam vulgarem vel similem theatri clausulam:* Quæ res bene vortat mihi et vobis, spectatores, plaudite.

idem Augustinum ut comœdum depingit;

170 *Hæccine sunt argumenta digna viro, qui gravis et eruditus vult videri? Nos ea tanti fecimus, ut ipsa tumidi hujus hæretici verba sine periculo hic recitari posse existimaverimus: nam Catholici etiam simpliciores in avita fide sua confirmantur, dum legunt vel audiunt, oculatis et venerandis sanctorum Patrum testimoniis tales ineptias opponi. Propterea dubitamus, an hæc impudens Pherepomi sive Joannis Clerici temeritas ipsis cordatis moderatisque Lutheranis et Calvinistis non sit displicitura. Certe ea placere non* C *potuit Guilielmo Caveo heterodoxo, qui in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum apud nos pag.* 149 *S. Ambrosium impense laudat, et a quo Mediolanensis ille antistes ibidem vocatur* vir summa pietate omnique virtute venerabilis; invicti animi præsul, qui Judæis, gentilibus et cujuscumque generis hæreticis animos restitit; litterarum Græcarum æque ac Latinarum peritissimus. *At vir tam pius, tantusque sui ipsius ac rerum caducarum contemptor, impio stratagemate propter lucrum aut inanem gloriam adversus Arianos finxit miracula, si garrienti Clerico lubet fidem adhibere. Credite posteri!*

ut impia superbi hominis arrogantia etiam hereticis displicet,

171 *Caveus pag.* 169 *ejusdem Historiæ litterariæ* S. Augustinum *post brevem Actorum ejus synopsin exornat hoc elogio:* Egregios Viri sanctissimi mores per totum vitæ curriculum pulcre depingit Possidius. Erat utique pius, modestus, pudicus, mitis, mansuetus, urbanus, placidus, in concionando frequens, in disputando acer, in scribendo indefessus, in tractandis negotiis tam civilibus quam ecclesiasticis sedulus et assiduus, pauperum studiosus, quibus vel ex redditibus ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium prospiciebat *etc. Quinimo supra num.* 169 *idem sanctus Doctor ab ipso Clerico (jocone an serio, nescimus)* pius antistes *appelatur. Si serio, quomodo Clericus hanc* S. Augustini *pietatem conciliabit cum turpi miraculorum fictione, quam ei imputat, et quæ Deum graviter offendit, ut omnes theologi docent? Si autem joco vel ironice illum vocaverit pium, temere contradicit toti antiquitati, quæ sanctitatem et doctrinam tanti Viri religiose venerata est, et hoc insulsum hypercritici convitium rideri potius, quam refelli meretur. Quare potius ad alia Sancti nostri gesta transeamus.*

qui Augustinum et Ambrosium impense laudant.

AUCTORE G. C.

§ XIII. Pia Sancti vita fere per triennium Thagastæ cum sociis transacta, et lucubrationes eo tempore conscriptæ.

Post aliquantam in urbe Carthaginensi moram Sanctus noster inde Thagastam discessit, ut ibi cum popularibus aliquot et amicis communem piamque vitam duceret. Porro infra in Actis il- E *lam fere triennalem cum sodalibus commorationem breviter audiemus ex sancto Possidio, cujus verba Philippus abbas in Vita cap.* 18 *nonnihil amplificavit hoc modo:* Augustinus, Carthagine relicta, ad agros proprios profectus est, ibique cum suis, jejuniis et orationibus vacans, per triennium in ordine laïcali conversatus est. Per idem vero tempus lectioni et scriptioni intentus, scribebat libros, et docebat indoctos, legens et non negligens, quia hæc est pietas, quæ super omnia utilis est ad omnia. Labor enim juxta Apostolum etsi utilis est ad modicum utilis est; pietas vero ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et ejus, quæ futura est: quæ nimirum pietas nulla convenientius intelligitur, sicut a sanctis doctoribus exponitur, quam exercitatio in Scripturis divinis, cum devote leguntur, impleutur, docentur juxta prophetam docentem: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Levavi manus meas ad mandata tua; narrabo omnia mirabilia tua. His igitur sollicite impendens studium, Marthæ et Mariæ implevit officium, cum Martha docendo proximos, pascens Do- F minum; cum Maria legendo, meditando, audiens Dominum. *Hinc facile colligimus, quibus occupationibus* S. Augustinus *in illa commoratione Thagastensi distineretur.*

Vitam communem ducit cum sociis,

173 *Ex utilibus colloquiis doctisque disputationibus, quibus Sanctus eo tempore contubernales suos instruxit, ortum habuit liber Octoginta trium quæstionum, quem postea, tunc episcopus, vulgarit, et cujus in libro* I *Retractationum cap.* 26 *sic meminit:* Est etiam inter illa, quæ scripsimus, quoddam prolixum Opus, quod tamen unus deputatur liber, cujus est titulus: DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS OCTOGINTA TRIBUS. Cum autem dispersæ fuissent per chartulas multas, quoniam ab ipso primo tempore conversionis meæ, posteaquam in Africam venimus, sicut interrogabar a fratribus, quando me vacantem videbant, nulla a me servata ordinatione dictatæ sunt, jussi eas jam episcopus colligi, et unum ex eis librum fieri, adhibitis numeris, ut quod quisque legere voluerit, facile inveniat. *Deinde singillatim recenset titulos illarum quæstionum, quas ipsas in Plantiniana Operum editione tomo quarto a pag.* 231 *curiosus lector evolvere poterit.*

librum scribit 83 *Quæstionum,*

174 *Verosimiliter*

AUCTORE G. C.

duos de Genesi contra Manichæos,

174 *Verosimiliter etiam in illo secessu Thagastensi sanctus Vir edidit duos libros de Genesi contra Manichæos, ut lib.* I *Retractionum cap.* 10 *memorat his verbis* : Jam vero in Africa constitutus, conscripsi duos libros de Genesi contra Manichæos: quamvis enim in superioribus libris quidquid disputavi, unde ostenderem, Deum summe bonum et immutabilem creatorem esse omnium mutabilium naturarum, nec ullam esse naturam malam sive substantiam, in quantum natura est atque substantia, adversus Manichæos nostra invigilaret intentio; isti tamen duo libri apertissime adversus eos editi sunt in defensionem veteris Legis, quam vehementi studio vesani erroris oppugnant. *In hac expositione Geneseos allegoricum sensum secutus est, cum tunc nondum auderet tanta rerum naturalium secreta ad litteram explicare, sicut inferius alia occasione videbimus. Postea tamen litteralem ejusdem Libri explicationem dare tentavit; sed coactus est illud Opusculum relinquere imperfectum, quamvis denique in sacris Litteris exponendis exercitatior conscripserit de Genesi ad litteram libros duodecim, de quibus infra mentionem faciemus.*

in quibus de industria utitur stylo humiliore,

B 175 *Porro Sanctus initio memorati Operis de Genesi contra Manichæos prodit humilem animi sui modestiam, dum rationem reddit, cur ab aliis monitus, illud simpliciore stylo composuerit, et lib.* I *cap.* I *sic præfatur* : Si eligerent Manichæi, quos deciperent, eligeremus et nos verba, quibus eis responderemus. Cum vero illi et doctos litteris et indoctos errore suo persequantur, et cum promittunt veritatem, a veritate conentur avertere; non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est vanitas eorum. Placuit enim mihi quorumdam vere Christianorum sententia, qui cum sint eruditi liberalibus litteris, tamen alios libros nostros, quos adversus Manichæos edidimus, cum legissent, viderunt eos ab imperitioribus aut vix aut difficile intelligi, et me benevolentissime monuerunt, ut communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tam perniciosos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem: hunc enim sermonem usitatum et simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt. Solent ergo Manichæi Scripturas veteris Testamenti, quas non noverunt, vituperare, et ea vitu-
C peratione infirmos et parvulos uostros non invenientes, quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere.

sensum litteralem in iis ubique non dedit,

176 *Præterea sanctus Doctor in alio Opere de Genesi ad litteram lib.* 8 *cap.* 2 *duos hosce libros de Genesi contra Manichæos iterum sic recenset* : Ego contra Manichæos, qui has litteras veteris Testamenti uon aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ, cito volens eorum confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quærendam Litteris, quas oderunt, Christianam et euangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum proprie possent accipi, magis non posse accipi videbantur, aut vix posse aut difficile, ne retardarer, quid figurate significarent ea, quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent. Memor tamen, quid maxime voluerim, nec potuerim, ut non figurate, sed proprie primitus cuncta intelligerentur, nec omnino desperans, etiam sic posse intelligi, idipsum in D prima parte secundi libri ita posui. Sane, inquam, quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere, quam littera sonat, et potest evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei Catholicæ prædicare, non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus est.

perficit libros de Musica,

177 *Etiam sex libros de Musica, quos in Italia Sanctus noster inchoaverat, circa hoc tempus in Africa absolvit, sicuti superius* § 8 *diximus. Quinque priores hujus Operis libros, quantumlibet erudite conscriptos, Auctor ipse nugis humiliter annumerat, quas apud benevolos lectores nomine officiosi laboris excusari posse existimat, ut liquet ex initio libri sexti, cui præfixit sequentem prologum* : Satis diu pene atque adeo plane pueriliter per quinque libros in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium morati sumus; quam nostram nugacitatem apud benevolos homines facile fortassis excuset officiosus labor, quem non ob aliud suscipiendum pu- E tavimus, nisi ut adolescentes vel cujuslibet ætatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non præpropere, sed quibusdam gradibus a sensibus carnis atque carnalibus litteris, quibus eos non hærere difficile est, duce ratione, avellerentur, atque uni Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita præsidet, incommutabilis veritatis amore adhærescerent. *Deinde propter utilitatem præcipue commendat librum sextum, in quo pia lectoris mens ex consideratione numerorum ad ipsum Deum elevatur.*

vulgat dialogum de Magistro.

178 *Eodem circiter tempore vulgavit dialogum de Magistro, cujus* S. Augustinus *lib.* I *Retractionum cap.* 12 *post sex Musicæ libros ita meminit* : Per idem tempus scripsi librum, cujus est titulus DE MAGISTRO; in quo disputatur, et quæritur, et invenitur, magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum; secundum illud etiam, quod in Euangelio scriptum est: Unus est magister vester Christus. *Novissimi PP. Benedictini editores in admonitione, quam huic Opusculo præfigunt, de tempore scriptionis illius ita disserunt* : Opusculi sequentis ætatem prodit ipse ejus Auctor in lib. IX Confessionum cap. VI, F tibi prænotato, quod annorum ferme quindecim erat Adeodatus, quando ipsi sociisque Mediolanum beatismi suscipiendi causa pergentibus comes adjunctus est, testatur subinde hunc dialogum cum illo tunc habitum fuisse, cum esset in annis sedecim, id est, anno secundo ab eorum baptismate, quo certe initiati fuere anno Christi CCCLXXXVII. Quapropter libris de Genesi contra Manichæos et de Musica, qui circiter annum CCCLXXXIX perfecti fuerant, recensitis adjecit Augustinus in libro primo Retractationum cap. 12, se librum de Magistro per idem tempus scripsisse. *Post hunc commentarium prævium in prima Actorum parte num.* 237 *ex ipso Patris testimonio hæc ætas Adeodati et consequenter asserta lucubrationis istius chronologia confirmabitur.*

librum edit de vera Religione,

179 *Denique* S. Augustinus *ultimum suum Opusculum, quod ante susceptam sacerdotii dignitatem scripsit, lib.* I *Retractationum cap.* 13 *assignat in hunc modum* : Tunc etiam de vera Religione librum scripsi, iu quo multipliciter et copiosissime disputatur, unum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem, et Filium et Spiritum sanctum religione vera colendum; et quanta misericordia

AUCTORE G. C.

A sericordia ejus per temporalem dispensationem concessa sit hominibus Christiana religio, quæ vera religio est, et ad eumdem cultum Dei quemadmodum sit homo quadam vita sua coaptandus. Maxime tamen contra duas naturas Manichæorum liber hic loquitur. *Habes hic obiter materiam istius libri, quem Sanctus Romaniano eivi suo ac mœcenati nuncupavit. Tempus autem lucubrationis hujus in admonitione prævia PP. Benedictini Galli referunt ad annum Christi* 390, *cum numeraretur ultimo loco inter Opuscula ejus scripta ante sacerdotium, quod anno Christi* 391 *suscepit.*

ut promiserat amico suo Romaniano,

180 *Sanctus noster argumentum hujusmodi scriptionis ante annos aliquot amico suo Romaniano promiserat, ut patet ex cap.* 7 *ejusdem Operis, ubi sic illum alloquitur:* Cum ante paucos annos promiserim tibi scribere, charissime mihi Romaniane, quid de vera religione sentirem, tempus nunc esse arbitratus sum, postquam tuas acerrimas interrogationes sine ullo certo sine fluctuare, ea charitate, qua tibi obstrictus B sum, diutius sustinere non possum. Repudiatis igitur omnibus, qui neque in sacris philosophantur, nec in philosophia consecrantur; et iis, qui vel prava opinione, vel aliqua simultate superbientes, a regula et communione Ecclesiæ Catholicæ deviarunt; et iis, qui sanctarum Scripturarum lumen et spiritalis populi gratiam, quod novum Testamentum vocatur, habere noluerunt, quos quanta potui brevitate perstrinxi; tenenda est nobis Christiana religio et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, et Catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis; velint enim nolintve, ipsi quoque hæretici et schismatum alumui, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant: non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.

qui cum aliis quatuor contra Manichæos scriptis,

181 *Cum S. Paulinus episcopus Nolanus ab Alypio accepisset hunc librum de Vera religione cum duobus libris de Moribus Ecclesiæ et Manichæorum, ac aliis duobus de Genesi, quos propterea* pentateuchum contra Manichæos *appellat, in novissima Operum editione Veronensi col.* 13 *epistolam quartam sic exorditur, et* C *Auctorem pentateuchi istius ita laudat:* Charitas Christi, quæ urget me, et absentes licet per unitatem fidei alligat, ipsa fiduciam ad te scribendi, pudore depulso, præstitit, teque per litteras tuas visceribus meis intimavit, quas et de scholasticis facultatibus affluentes, et de cælestibus favis dulces, ut animæ meæ medicas et altrices in quinque libris interim teneo, quos munere benedicti et venerabilis nobis episcopi nostri Alypii, non pro nostra instructione tantum, sed etiam pro ecclesiæ multarum urbium utilitate suscepimus. Hos igitur nunc libros lectioni * habeo, in his me oblecto, de his cibum capio, non illum, qui perit, sed qui operatur vitæ æternæ substantiam per fidem nostram, qua adcorporamur in Christo Jesu Domino nostro; cum fides nostra, quæ visibilium negligens invisibilibus inhiat, per charitatem omnia secundum veritatem omnipotentis Dei credentem, litteris et exemplis fidelium roboretur.

** al. in lectione*

magna Sancti commendatione,

182 *Deinde ingenti admiratione et amore abreptus, ad laudem* S. Augustini *sic exclamat:* O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint seculi errore vanescere, condiuntur! O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late Catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas! *Denique in laudes ejusdem Sancti sic iterum excurrit:* Vides, frater unanime, admirabilis in Christo Domino et suscipiende, quam familiariter agnoverim te, quanto admirer stupore, quam magno amore complectar, qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor, et oris tui spiritu vescor: os enim tuum fistulam aquæ vivæ et venam frontis æterni merito dixerim; fons in te aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est: cujus desiderio sitivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit; ideoque cum hoc pentateucho tuo contra Manichæos me satis armaveris, si qua in alios quoque hostes Catholicæ fidei munimina comparasti, quia hostis noster, cui mille nocendi artes, tam variis expugnandus est telis, quam oppugnat insidiis, quæso, promere mihi de armamentario tuo et conferre non abnuas arma justitiæ. *Sæpius hic Sanctus alibi Doctorem nostrum meritis laudibus exornat.* E

S. Paulino eximie placuit

183 *Videtur autem in hoc pentateucho potissimum Paulino placuisse liber de Vera religione, sicut eruimus ex Epistola* 32, *qua* S. Augustinus *ei respondet, ac inter alia Romanianum amicum suum commendat his verbis:* Ecce charissimus meus est et ab ineunte adolescentia mihi familiariter amicissimus, qui hanc eximietati tuæ ac præstantissimæ charitati epistolam apportat; hujus nomen est in libro de Vera religione, quem tua sanctitas (quantum litteris indicas) libentissime legit: sanctus est enim tibi etiam tanti viri, qui tibi eum misit, commendatione jucundior. *Certe Sanctus adhuc neophytus et solo Christiani Catholici nomine præditus, quando illud Opus de Vera religione conscripsit, in eo tam clare mysteria nostræ religionis explicuit, ut veteris et eximii doctoris Catholici partes impleverit. Unde libenter subscribimus elogio, quod in Vita* S. Augustini *lib.* 3 *cap.* 3, *num.* 4 *laudati PP. Benedictini Galli propter illud ei contexuerunt in hunc modum:* Vix ulla est lucubrationum Augustini, quæ ad illius incredibilis ingenii magnitudinem demonstrandam plus valeat. Nihil enim admiratione dignum vel stupendum magis, quam hominem re- F ligionis Christianæ mysteriis recens imbutum, nec adhuc alio quam Fidelis nomine in Ecclesia decoratum, de divina illa religione tam eximie disserere, et adeo egregiam illius dignitatis ac excellentiæ imaginem depingere potuisse.

epistolæ scriptæ, negotiaque peracta plurima

184 *Brevitatis causa prætermittimus hic epistolas, quas Sanctus illo triennio ad Nebridium, Maximum Madaurensem ethnicum, aliosque diversæ professionis homines dedit. Ad has litteras ultro citroque scriptas accedebant negotia, quæ sanctus Magister pro discipulis aut civibus suis suscipere cogebatur, ut colligimus ex Epistola* 114 *Nebridii, qui negotiis istis exoptatam amici sui quietem nimis interpellari conqueritur hoc modo:* Itane est, mi Augustine, fortitudinem ac tolerantiam negotiis civium præstas; necdum tibi redditur illa exoptata cessatio? Quæso, qui te tam bonum homines interpellant? Credo, qui nesciunt, quid ames, quid concupiscas. Nullusne tibi amicorum, qui eis amores referat tuos? Nec Romanianus, nec Lucinianus? Me certe audiant. Ego clamabo, ego testabor, te Deum amare, illi servire, atque inhærere cupere. Vellem ergo

AUCTORE G. C.

go te in rus meum vocare, ibique acquiescere: non enim timebo, me seductorem tui dici a civibus tuis, quos nimium amas, et a quibus nimium amaris. *Ex his omnibus abunde patet, ab* Augustino *istud commorationis Thagastensis fere triennium potius in negotioso secessu, quam in tranquilla solitudine utiliter peractum fuisse.*

In illo secessu, ubi monachum fuisse quidam asserunt, negant alii.

185 *Cum tamen ibi sanctus Vir, alienatis a se curis secularibus, fere per tres annos in communitate vixerit, et jejuniis, orationibus, bonisque operibus institerit, in Lege Domini meditans die ac nocte, quemadmodum S. Possidius in Actis infra num. 6 testabitur, aliqui scriptores confidenter asserunt,* S. Augustinum *tunc vitam monasticam duxisse, et sodalibus monachis præfuisse. Sed alii contendunt, hæc omnia pietatis exercitia optime convenire piis doctisque laicis aut secularibus, qui simul vivunt, et curam rei familiaris œconomo cuidam relinquunt. Quapropter hunc* S. Augustini *monachatum prorsus negant, et variis argumentis contendunt, illum tunc tantummodo socialem vitam duxisse, qualem in villa Verecundi duxerat, et qualem diu antea* B *ducere desideraverat, nisi amor muliercularum hoc desiderium vel propositum disturbasset, ut inferius in prima Actorum parte num. 144 legitur. Quod autem maxime mireris, utraque contendentium pars eumdem S. Possidii textum pro sententia sua allegat. Hinc inter Eremitas Augustinianos et Canonicos Regulares orta est controversia, quæ seculo decimo quinto tantas turbas excitavit, ut Romanus Pontifex utrique Religioso Ordini et quibuslibet eorum defensoribus silentium sub pœna excommunicationis indixerit, et illam quæstionem deinceps agitari vetuerit. At postmodum licentia opinionem suam modeste defendendi restituta est saltem alumnis utriusque istius Ordinis, ut paragrapho sequente videbimus.*

§ XIV. Lis inter Eremitas Augustinianos et Canonicos Regulares de monastica Sancti nostri professione, quam hi negant, illi asserunt.

C

Ex pia et communi S. Doctoris vita

Gerardus *Moringus Belga, de quo rursus infra mentio recurret, et Bibliotheca scriptorum Belgarum consuli potest, in Vita* S. Augustini § 20 *sese huic controversiæ non videtur immiscere; sed ibi tantum pia prædicti secessus Thagestensis exercitia et præcipuas in eo Sancti nostri occupationes exponit his verbis:* In Africam transgressus cum Alipio et Evodio, et aliquot eodem spiritu tactis amicis, primum (ut fertur) triennium hæsit in solo natali, quod ibi, ut diximus, suos quisque habebat agros ac fortunas tuendæ vitæ necessarias: nam erant fere omnes indidem oriundi. Nec vero hic quidquam de concepto ardore remisit; quinimo collatis in commune facultatibus, prout Apostoli vivebant sub exordio Ecclesiæ euangelicæ, sacris precibus aliisque piis factis, sicut antea, incumbere cum iis, cum quibus erat, numquam cessabat. Sacrarum Litterarum studio in dies magis inflammescebat. Si quid divina benignitas aut acrius scrutanti aut intentius precanti sibi aperuerat, tum viva voce tum editis scriptis in publicam u- D tilitatem benigne expromebat, haud ignarus, fraudi fuisse fervo inerti, qui commissum a Domino talentum, ut in usuram depromeret, infrugifere in terram defoderat; ita ut brevi etiam iis locis sanctitas vitæ ejus, excellensque in sacris eruditio omnium ore circumcirca prædicaretur.

Contentio orta de monachatu Sancti:

187 *Ex hoc sociali pioque vivendi genere, quod hic et paragrapho superiore descriptum est, et rursum infra breviter a Possidio describetur, Eremitæ Augustiani deducunt monasticam* S. Augustini *professionem, et ad eam plerique referunt Ordinis sui primordia, quamvis aliqui ex iis velint, istud vitæ institutum, et consequenter originem eremitici sui Ordinis in villa Verecundi, vel in ipso Sancti baptismo cœpisse, sicut ex Monastico Augustiniano Nicolai Crusenii, aliisque eorum libris patet. Sed huic opinioni contradicunt Canonici Regulares, et variis argumentis ostendere nituntur,* S. Augustinum *nullo umquam tempore monachum fuisse. Interim Eremitæ Augustiniani contendunt, hunc monachatum ex ipso sancti Doctoris testimonio certum esse, et eumdem confidenter ac strenue propugnant. Hæc quæstio circa finem seculi decimi quinti tam acriter agitata fuit,* E *ut anno Christi 1484 Sixtus IV Pontifex utrique parti silentium indixerit. Abrahamus Bzovius Dominicanus in Annalibus ecclesiasticis post eminentissimum Baronium continuatis ad annum Christi 1481 num. 2 originem hujus tumultuosæ litis ex Celso Mapheo Canonico Regulari narrat, et præcipuam istius altercationis causam Eremitis Augustinianis imputat. Verum Dominicus Antonius Gandolfus in Dissertatione historica de ducentis celeberrimis Augustinianis scriptoribus pag. 56 et sequente contendit, illam Bzovii narrationem falsam esse. Sed tam parum nostra interest scire, quinam fuerint primi discordiæ istius auctores, ut in hanc rem operosius inquirere nolimus.*

Summus Pontifex

188 *Saltem in Bullario Augustiniano, quod Romæ anno 1628 Laurentius Empoli Eremita Augustinianus edidit, pag. 321 et sequentibus constitutio Sixti IV Pontificis ita sonat:* Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Qui Apostolis præcepit, ut se invicem diligerent, sine dilectione mutua bonum aliquod perfectum esse non posse demonstravit; in illa enim constitit omnis bene vivendi ratio et operatio, si odia transeunt in dilectionem, si F inimicitiæ convertantur in pacem, si tranquillitas exsinguat iram, si mansuetudo remittat vincendi cupiditatem. Sed hostis antiqui versutia, ubi majoris charitatis fervorem esse conspicit, ibi sagacius vires suas intendit, ut fidelibus Christi famulis per diverticula et superfluas contentiones abstractis, de sua sagacitate lætetur; cujus conatibus obviare et mutuam charitatem et pacis dulcedinem inter fideles quosque, præsertim sub eadem vocatione et suavi Religionis jugo Deo militantes, enutrire, ac discordiarum fomenta et inanes contentiones, quæ nihil ad rem pertineut, nec ædificant, sed destruunt, falce vigilantiæ pastoralis ad radicem posita evellere et exstirpare totis conatibus insudamus, ne debile simplicitatis initium per longam altercationem ad inextricabiles prorumpat errores, qui postmodum difficilius valeant emendari.

Sixtus IV

189 Sane non sine mentis nostræ displicentia singulari pluries jam dudum ad nostrum pervenit auditum, quod inter dilectos filios Canonicos Regulares Ordinis sancti Augustini congregationis

AUCTORE G. C.

A tionis Lateranensis, et Fratres Ordinis Eremitarum ejusdem beati Augustini quædam minus necessaria, minusque laudabilis controversia pullulare cœpit de ipsius præclarissimi Ecclesiæ doctoris Augustini habitu, ac de pictura, et Ordinum hujusmodi institutione, parte qualibet diversimode sentiente, ac prædicante; nec veriti sunt libros super hujusmodi levitatibus componere, eosque legere, et aliis legendos tradere non sine scandalo et perturbatione mentium legentium et aliorum Christi fidelium, et per ineptias hujusmodi, quos Deo lucrifacere deberent, perdere festinant.

utrique litigantium parti

190 Nos attendentes, quod clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinum, præter episcopalis dignitatis habitum, alium gestasse, aut professioni alienæ se subjecisse, aut affirmare aut negare ad rem non pertinet, nisi quantum contentio supervacanea aucupari nititur, ac tam enorme facinus, et periculosas contentiones de medio tollere penitus et exstirpare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed nostra certa scientia, et meræ voluntate, B tam Canonicis Regularibus dictæ Congregationis, quam omnibus et singulis Fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quibuscumque nominibus censeantur et quacumque præfulgeant dignitate, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam in singulas tam Fratrum Eremitarum, quam Canonicorum prædictorum personas contra facientes ferimus in his scriptis, a qua absolvi nequeant, nisi a Nobis, vel successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, seu in mortis articulo constituti, auctoritate Apostolica tenore præsentium inhibemus, atque districte præcipiendo mandamus, quatenus a contentionibus ac de beato Augustino assertionibus, hujusmodi, prædicationibus, disputationibus, jurgiis, et controversiis penitus abstineant, nec de eis mentionem de cetero faciant, et se mutua charitate in Christo Jesu Domino nostro diligant; et mutuo venerantes, et ea, quæ decorem et venustatem ambarum partium concernunt, alternatim asserentes, et ea, quæ ædificant et instruunt, et ad salutem animarum Christi fidelium prosunt, populo C prædicent, omissis et penitus rejectis * vanis assertionibus et altercationibus; ut Ordo a beato Augustino datus, qui idem est in omnibus, licet instituta particularia aliqualiter differant, non divisus, non factiosus, non contaminatus, sed unicus, pacificus, integer et immaculatus, prout est et esse debet, etiam ab omnibus censeatur.

** al. relictis*

sub pœna excommunicationis

191 Præterea ut censura ecclesiastica ab omnibus formidetur, præter Canonicos Regulares et Fratres Eremitarum hujusmodi, eos insuper, qui eisdem Canonicis et Fratribus dederint in præmissis auxilium consilium, et favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore, sententias, censuras et pœnas supradictas incurrere volumus eo ipso, nisi postquam de præsentibus notitiam habuerint, a præstatione auxilii, consilii et favoris destiterint. Et nihilominus eorumdem Canonicorum Regularium et Fratrum Eremitarum modernis et pro tempore existentibus Rectori et Generali, et eorum Capitulo generali, sub similibus pœnis injungimus, ut præsentes litteras in eorum monasteriis, claustris et capitulis, dum major Canonicorum et Fratrum Eremitarum prædictorum multitudo convenerit, semel, bis, ter et pluries solemniter publicent et interpretentur, ita quod ab omnibus, etiam Grammaticæ ignaris, plane intelligi valeant; et harum litterarum transumptum seu copiam ad unumquodque monasterium Canonicorum et Fratrum Eremitarum hujusmodi transmittant.

silentium imposuit:

192 Quod si secus egerint, et mandatis Apostolicis non paruerint (quod absit) ex nunc, prout ex tunc, et ex tunc, prout ex nunc, excommunicationis latæ sententiæ, anathematis, et maledictionis æternæ pœnas prædictas eos, in singulares personas ex eis incurrisse, illisque irretitos etiam motu, auctoritate, et scientia prædictis decernimus et declaramus, et pro talibus ab omnibus reputari volumus et mandamus, donec et quousque Sedes Apostolica super contentione hujusmodi aliud duxerit determinandum. *Deinde post consuetas constitutionum Pontificiarum clausulas hoc decretum notatur* datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, quinto Idus Maii, Pontificatus nostri anno decimo tertio. *Hanc Empoli editionem subinde vitiosam correximus ex duobus ejusdem Bullæ exemplaribus, quorum unum Bzovius Annali-* E *bus suis ecclesiasticis inseruit, et alterum Gabriel Pennottus in præfatione ad Historiam tripartitam Canonicorum Regularium vulgavit.*

ut posteriores Pontifices Eremitis Augustinianis,

193 *Gandolfus Eremita Augustinianus pag.* 57 *Operis supra laudati de Bulla illa Sixtina lectorem sic monet :* Sciendum insuper est, Innocentium VIII vivæ vocis oraculo, Riario Cardinali camerario facto, declarasse decretum Sixti IV, ut in Bullario Ordinis pag. 324; in qua declaratione hæc inter alia scintillant verba: « Posse sint publice et private respondere et se defendere in judicio et extra judicium, et quod libri ac tractatus per eosdem Fratres Ordinis Eremitarum, et pro eorum parte et defensione contra eosdem Canonicos Regulares, et eorum libros et tractatus, et quorumcumque aliorum pro eis [hactenus super] hac materia confecti et publicati, in suo robore permaneant, ac libere scribi, vendi, retineri, et uti, ac largiri [per eosdem Fratres Ordinis Eremitarum] possint ». *Hic uncis inclusimus ea verba, quæ Gandolfus omiserat. Certe error irrepsit in annum hujus declarationis, qui pag.* 326 *memorati Bullarii Augustiniani notatur his verbis :* Da- F tum Romæ in ædibus nostris apud sanctum Laurentium in Damaso, die penultima Martii, millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et D. N. D. Innocentii divina providentia Papæ octavi anno... *Verum illo anno* millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, *qui hic claris verbis exprimitur, Innocentius VIII nondum erat Pontifex Romanus, cum tantum mense Augusto anni* 1484 *in locum Sixti IV defuncti successerit.*

uti et Canonicis Regularibus, licentiam dederunt

194 *Equidem ex hac declaratione satis intelligo, quod Eremitæ Augustiniani acceperint facultatem sese defendendi contra Canonicos Regulares, et quod libri eo tempore in favorem illorum editi*, per eosdem Fratres Ordinis Eremitarum *licite retineri ac distribui possint ; sed nondum video, facultatem illam extensam fuisse ad alios,* qui eisdem Canonicis et Fratribus dederint in præmissis auxilium, consilium et favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, *quemadmodum Sixtus IV supra num.* 191 *loquitur, et quos eadem excommunicationis sententia involvit. Similis aut eadem facultas postmodum concessa est Canonicis Regularibus, ut Pennottus in Præfatione sua ad*

ad Historiam tripartitam testatur. Etiam non ignoro, multos illustres variæ conditionis auctores, qui ad neutrum litigantium Ordinem pertinebant, post editam Bullam Sixti IV sese huic controversiæ immiscuisse, ut alterutri parti patrocinarentur. At hi procul dubio crediderunt, Pontificis constitutionem penitus revocatam fuisse, quod mihi hactenus omnino persuadere non possum. Quamvis hac in re nimis scrupulosus aliquibus videar, tamen ob hanc aliasque rationes infra proferendas firmiter decrevi memoratum Sixti IV Papæ decretum reverenter observare.

defendendi opinionem suam : quam aliqui putant extensam ad omnes.

195 *Neque me movet auctoritas Abrahami Bzovii, qui in Annalibus suis ecclesiasticis ad annum Christi* 1484 *num.* 5 *in hanc rem scribit sequentia :* Ceterum cum post tempora ejusdem Sixti IV plures de hac materia libri prodierint, et nunc prodeant, videtur hoc decretum in dissuetudinem ivisse, præsertim cum duobus abhinc annis Canonici Regulares Lateranenses apud illustrissimos et reverendissimos dominos Cardinales sacræ Congregationis Indicis institerint, ne liber recens B editus per Joannem Marquez Augustinianum Eremitam de origine Eremitarum, in quo pluribus circa idem argumentum versatur, publicaretur, nihilominus eisdem illustrissimis dominis Cardinalibus concedentibus, idem liber fuerit publicatus. *Similia Pennotus in supradicta Præfatione sua refert, et ibidem addit, tunc etiam Canonicis Regularibus Lateranensibus datam fuisse facultatem scribendi pro sua opinione, et respondendi ad ea, quæ Marquezius in illorum præjudicium proferret. Sed hæc omnia tantummodo probant, id licuisse alumnis utriusque religiosi Ordinis, et ad superiorem scrupulum mihi eximendum non sufficiunt.*

Hinc controversia, quæ sopita fuerat,

196 *Porro videamus, quomodo hæc controversia post decretum Sixti IV rursus agitari cœperit, et post multos editos utrimque libros adhuc ætate nostra perseveret. Hunc antiquæ litis progressum Petrus a sancto Trudone Canonicus Regularis, qui Lovanii anno* 1651 *Examen testamenti* S. Augustini *contra eximium P. Lupum Augustinianum edidit, usque ad sua tempora deducit, et in præfatione prædicti Opusculi breviter enarrat hoc modo :* Summus Pontifex Sixtus IV hujusmodi C contentioni finem imponere volens, utrisque silentium indixit, speciali desuper decreto edito, quod referunt Pennottus in Historia tripartita, et Bzovius in Annalibus ad annum MDLXXXIV. Atque per hoc decretum pro tempore quidem sopita fuit hujusmodi controversia, non tamen omnino exstincta : paulatim enim iterum resuscitata exarsit, etsi non cum tanto stridore ac offendiculo; nonnulli enim utriusque partis, præter præfatos *(paulo superius de primis et acrioribus amborum Ordinum vindicibus egerat)* idem denuo controversum argumentum scriptis editisque libellus in lucem protulerunt: ex Canonicis Regularibus Joannes Philippus Novariensis, Anselmus episcopus Havelburgensis ac postea archiepiscopus Ravennas *(non capio, cur hoc loco citetur Anselmus iste, qui seculo* XII *floruit)* Joannes Trullus Arragonius, Joannes Mauburnus Bruxellensis, Petrus Heligerius et ceteri. Ex Eremitis Ludovicus ab Angelis, Cornelius Lancilottus Belga, Ægidius a Præsentatione Lusitanus, seu Nicolaus Plenevaulx Leodius et ceteri, conspirantibus utrimque multis viris doctis, theologis, jurisperitis et historicis. Unde decretum istud Sixti IV Papæ (secundum eorum saltem judicium) aut in dissuetudinem abiisse, aut ubique locorum non tam D stricte obligasse videtur.

rursus est renovata,

197 Denique hac nostra tempestate, causa hæc iterum ad Pontificum tribunal deducta fuit: cum enim P. Joannes Marquez, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, sacræ theologiæ doctor Salmanticensis et regius concionator, idiomate Hispano librum edidisset de origine Ordinis sui, isque in Italicum translatus, procurantibus Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, illustrissimis S. R. E. Cardinalibus Congregationis Indicis nuncupatæ, oblatus fuisset, ab eisdem publicari permissus fuit, data simul facultate Canonicis Regularibus, non obstante decreto Sixti IV pro suorum opinione scribendi, et ad ea, quæ præfatus Pater Marquez in ipsorum præjudicium scriberet, respondendi, hoc tamen salvo, quod a contumeliis et conviciis omnino abstinerent, uti viros Religiosos decet. Hoc autem tam clare, abunde, ac solide ex commissione Superiorum suorum præstitit D. Gabriel Pennottus Novariensis, Canonicus Regularis Congregationis E Lateranensis, tunc sancti Juliani apud Spoletum, denique totius suæ Congregationis abbas Generalis, in Historia sua tripartita Ordinis Clericorum Canonicorum, edita prius Romæ et postea Coloniæ Agrippinæ anno Domini MDCXXX, ut adversariorum fundamenta ad imum usque exactissime perscrutans atque excutiens, eaque non nisi meras phantasmatum nebulas esse ostendens, etiam monachismum Augustino ab eis affictum, omnino vanum et nullum esse convincat, ut cuivis neutri parti addicto lectori, si æquo attentoque animo scripta ejus pervolvere voluerit, facile constare poterit.

contendente utraque parte se firmissimis niti argumentis :

198 *Nemo miretur, Petrum a sancto Trudone tam confidenter hic in fine ad æquos attentosque lectores provocare, et de victoria quasi jam parta gloriari : nam Canonici Regulares et Eremitæ Augustiniani putant, se firmissimis fundamentis niti, et argumenta adversariorum longe suis infirmiora arbitrantur. Unde Simplicianus a sancto Martino Augustinianus in præfatione Operis Gallici, quo Historiam tripartitam Gabrielis Pennotti refellit, benignum et a partium studio vacuum lectorem tantummodo rogat, ut judicium suspendere velit, donec lucubrationem suam pervolverit.* F *Deinde ibidem promittit, se luce clarius ostensurum, quod Pennottus objectas sibi difficultates solvere non potuerit, et non nisi crassis erroribus et imposturis Historiam suam impleverit. Unum alterumve similis confidentiæ exemplum paragrapho sequenti reservabimus.*

acriter pro Eremitis scripsit

199 *Interea spectemus duos eruditos pugiles, qui post medium seculi* XVII *non minori confidentia utrimque ad singulare certamen descenderunt. Ambo sinceris et æqualibus armis ex genuinis* S. Augustini *scriptis oppositas suas opiniones stabilire nituntur. Primus ex his duobus illustribus athletis est R. P. Christianus Lupus Eremita Augustinianus, qui Quæstionem quodlibeticam de hac controversia Duaci anno* 1651 *in lucem dedit. Imprimis in Epistola dedicatoria hujus lucubrationis, quam sodalibus suis obtulit, de opinione sua sic intrepide pronuntiat :* Cuivis sedulo Augustini lectori laicus Eremitarum monachismus adeo dense incurrit in oculos, ut nec ipse Carneades de isto possit dubitare *Deinde ex S. Optato Mitevitano proponit similitudinem de filiis, qui post obitum patris de hereditate litigant, prolatoque tandem*

patris

A *patris testamento, ad concordiam reducuntur. Unde magna cum fiducia sodales suos alloquitur, et ex hac comparatione sic concludit :* Hoc ipso jure, reverendi Patres, in præsenti quæstione agendum credidi cum fratribus meis Canonicis Regularibus. Convictos eos volui ex ipso Patris nostri testamento, id est, ex ipsis Operibus sancti Augustini. Quod an vere fecerim, judicatum velim a nullo, quam a vestro judicio : neque enim nancisci possim judices magis æquos. Istud namque Patris nostri testamentum quotidie vobis versatur ante oculos, atque ex illo nobis enatum jus, tu eximie Pater Prior, nuper in hac academia, in aula tua doctorali, acerrime propugnasti. Interim judices quæro, non mercenarios præcones : causam quippe ago, agi dignam etiam coram judice inimico.

Christianus Lupus : 200 *Denique eximius P. Lupus in Quæstione prævia ante caput primum, sive pag. 6 et 7 ejusdem lucubrationis suæ, acrius adversarios aggreditur his verbis :* Quisquis Augustino ejus monasteria, ejusque non in domibus episcopalibus Clericos, sed in agris ac desertis insulis monachos B eripit, non solummodo calumniosus est, sinistrorumque faber armorum ; sed insuper eum omni solatio ac refugio orbatum vult torquere ac consumere mœrore. Hoc scelus volunt ejus filii; filii alieni, nugacibus ratiunculis, tamquam parricidalibus pugiunculis in pium Patrem armati. Verum ad rem Ostendamus, Eremitas ab Augustino institutos ac fundatos; et quidem tamquam primogenitos ac longe carissimos filios, idque ex ipso Augustino.

cui respondit pro Canonicis 201 *Nunc ex adversa parte in arenam prodit R. D. Petrus a sancto Trudone, Prior Canonicorum Regularium in Lovaniensi sancti Martini cœnobio, et eruditissimus sacræ theologiæ Licentiatus, qui Lovanii anno 1654 contra Quæstionem quodlibeticam eximii P. Lupi vulgavit Opusculum, quod* Examen testamenti S. Augustini *inscripsit. Hic autem in Præfatione hujus Opusculi lectorem de methodo et assertionibus adversarii sui sic præmonet :* Relicto trito hactenus confratrum suorum itinere, quo ad monachismum Augustino imponendum, seque genuinos ejus filios asserendos, diversis diversorum historiis, sermonibus, epistolis et ceteris uti consueti sunt, C ex solis divi Augustini aut coævorum Patrum scriptis Canonicos Regulares convictos vult, se suosque confratres Eremitas esse ipsius primogenitos longeque charissimos filios; Canonicos Regulares vero tantum secundo genitos ; imo, quod durius est, eo quod negent divo Augustino monachos ac Eremitarum monasteria in desertis insulis ac agris, etiam alienos ejus filios, et quasi parricidalibus pugiunculis, id est, nugacibus ratiunculis in pium Patrem armatos, calumniosos, sinistrorum fabros armorum, eumque omni solatio ac refugio orbatum velle torquere ac consumere mœrore. Præsultavit huic Patri Lupo (sed cum majori modestia ac gravitate) eximius Pater Joannes Rivius sacræ theologiæ doctor, et Eremitarum sancti Augustini per Germaniam inferiorem Prior Provincialis in Vita divi Augustini, ex Operibus ejus concinnata, in qua etiam nonnulla in Canonicam divi Augustini professionem et Canonicorum Regularium institutum præjudicialia sparsim interserit.

Petrus a sancto Trudone : 202 *Post hæc ibidem causam et modum suæ refutationis ita exponit :* His concoloribusque horum duorum eximiorum Patrum, Rivii et Lupi decisionibus, nimis, ut mihi quidem videtur, a vero deviis, pro eo, quem debeo veritati, instituto Clericali sancti Augustini et Ordini nostro, amore et studio stimulantibus quoque nonnullis doctissimis optimisque viris, et silentium nostrum in hac ipsa causa improbantibus, paucis mihi obviandum censui : et quia præcipuus intentionis meæ scopus est inquirere verum legitimumque sensum scriptorum ac testimoniorum divi Augustini, aliisque judicaudum proponere, an ea, quæ pro causa sua aut prætensa primogenitura veneraudi Patres Eremitæ præfati allegant, eis contra Canonicos Regulares faveant ; eaque P. Lupus sancti Augustini testamentum vocat, scriptum hoc nostrum Examen testamenti S. Augustini inscribendum fuit : in quo P. Lupum præcipue pari quasi passu insequendo, ab ipso primo divi Agustini ante et in primordiis conversionis suæ proposito inchoando, conabor ostendere ex vi verborum testamenti ipsius manifeste convinci, Canonicos Regulares non alienos, sed proprios, primogenitos, aut potius unigenitos ejus esse filios; Eremitas vero in eo neque ut primogenitos, sed neque secundo aut tertiogenitos agnosci, adeoque aliunde quærendum eis esse, quales E sint Augustini filii, quales fratres nostri, et unde Augustiniani dicti. *AUCTORE G. C.*

hos vero secuti complures alii, 203 *Hos duos athletas secuti sunt alii recentiores ex utroque religioso Ordine, qui communem sui Ordinis opinionem in hac controversia tuentur. Ex Canonicis Regularibus occurrunt Nicolaus Desnos in Opere Latino, quod* Canonicus secularis et Regularis *inscribitur, et alius in Disquisitionibus Latinis de Canonicorum Ordine, qui Le Large cognominari dicitur, etiamsi nomen suum huic Operi non præfixerit. Ex Eremitis Augustinianis ad manum sunt eminentissimus Norisius, Jacobus Hommey, et Dominicus Antonius Gandolfus, de quibus infra mentionem faciemus. His et aliis Ordinum suorum defensoribus accesserunt externi, sive neutrius Ordinis alumni, nimirum Sebastianus Tillemontius, Stephanus Baluzius, Ludovicus Thomassinus, Natalis Alexander, et Benedictini Galli, qui Latinam* S. Augustini *Vitam non ita pridem cum Operibus ejus ediderunt. Inter hos exteros aliqui Eremitis Augustinianis favent, quidam iisdem adversantur, ita ut hæc lis nondum plane decisa sit. Utra pars argumentis vincat, judicandum relinquo sedulis F lectoribus, qui Opera eorum pervolvere voluerint : ego enim firmiter proposui nullum ferre judicium de controversia ista, et jam duobus paragraphis sequentibus plures hujus propositi mei rationes allegabo.*

§ XV. Quidam neutrius Ordinis scriptores ab utraque dissidentium parte acriter reprehensi, eo quod huic liti sese immiscuerint.

Recensentur rationes, ob quas auctor *Quamvis mihi liceret alterutram sententiam propugnare sine illo scrupulo, quem paragrapho præcedente propter expressa decreti Sixtini verba proposui, tamen adhuc arbitror, illam litis decisionem hic ab instituto meo alienam fore: tunc enim singula Canonicorum Regularium et Eremitarum Augustinianorum instrumenta proferenda essent, ut lis prudenter secundum allegata,*

AUCTORE G. C.

ta et probata decideretur. At imprimis hæc omnia nobis ad manum non sunt, etiamsi multa ex iis habeamus. Insuper hæc instrumentorum allegatio tam copiosa foret, ut maximam hujus Commentarii prævii partem occuparet. Hinc omittenda essent alia, quæ propius ad Sanctum nostrum spectant, et quæ curiosi piique lectores pluris æstimant.

huic liti se immiscere nolit,

205 *Fortasse quispiam dicet, me potuisse numerosam illam instrumentorum congeriem breviter contrahere, vel tantum præcipua utriusque partis argumenta curioso lectori proponere, iisque mature expensis, æquum de tota controversia judicium ferre. Sed huic candide respondeo, compendiosam istam præcipuorum argumentorum collectionem suspicionibus et querelis obnoxiam esse: nam facile fieri posset, ut ego quædam ratiocinia, quæ Canonici Regulares aut Eremitæ Augustiniani firmissima et invicta putant, exigui roboris aut momenti esse arbitrarer, eaque proinde prætermitterem. Hinc alterutra vel etiam utraque pars conqueretur, solida sententiæ suæ fundamenta non fuisse fideliter assignata, et me de studio* B *partium accusabit, aut saltem suspectum habebit. Equidem fateor, non aliquando in quæstiunculis parvæ molis post relata utriusque partis argumenta de majori alterutrius opinionis verisimilitudine judicasse. Sed id breviter fieri non potest in hac prolixa quæstione, de qua defensores utrimque multos ac magnos libros ediderunt. His adde, quod litigantes utriusque partis ægrius ferre soleant, si quis alterius professionis arbiter aut judex sese liti eorum immiscuerit, et plerumque censores illos acrius increpent, quam consuetos apertosque adversarios. Jam proferam aliquot hujus rei exempla, quæ me cautiorem reddiderunt.*

explicanturque difficultates,

206 *Curiosi Germanicæ historiæ lectores haud dubie norunt, quibus sese difficultatibus ob hanc controversiam implicuerit Jacobus Wimpfelingus, vir doctus et apprime Catholicus, quem Guillielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis fol.* 184 *laudat his verbis :* Jacobus Wimphelingus Slettatensis Germanus, sacræ paginæ doctor atque professor gymnasii Erfordiensis, post Haidelbergensis, presbyter ecclesiæ Spirensis, ecclesiastæ munus haud modica apud Nemetes laude perfecit. C Vir fide Catholicus, in lege Dei exercitatissimus atque sacris Scripturis doctissimus, philosophus insignis, historicus gravis, poëta et orator facundissimus, ad Bertholdum archiepiscopum Moguntinum Opus celeberrimum hexametro et pentametro versu elegantissimo in laudem beatæ Mariæ Virginis Dei Matris composuit, cui de Triplici candore titulus tribuitur. De laudibus et cæremoniis ecclesiæ Nemetum carmen ad Ludovicum de Helmstat Spirensium antistitem scripsit. Petente rursus Ludovico episcopo, Officium de compassione beatæ Mariæ semper Virginis composuit, quod per Spirensem diœcesim quotannis solenniter peragitur. De nuntio angelico heroïcum carmen absolvit. Excusationem ad Julium II Pontificem transmisit, quod scripserit, Augustinum non fuisse monachum, aut Fratem mendicantem. *Deinde alias ejusdem scriptoris lucubrationes enumerat.*

quas incurrerunt

207 *Licet Eysengreinius hanc excusationem ad Julium II memorans, non obscure innuat, Eremitas Augustinianos apud Pontificem Romanum de Wimpfelingo conquestos esse, tamen non satis adjuncta et consectaria istarum querelarum exponit. Quapropter hac de re potius audiamus Joannem Trithemium, coævum Ordinis Benedictini abbatem, qui in Epistolis familiaribus lib.* 2, D *epist.* 52 *ad Matthæum Herbenum amicum anno* 1507 *post alia sic scribit :* Jacobus Wimpfelingus Argentinæ est, gravem a Fratribus Eremitis divi Augustini sustinens persecutionem, propterea quod in quodam Opere suo DE INTEGRITATE prænotato scripsit, ipsum Augustinum non exstitisse monachum sive cuculatum. Compatior homini pæne ultra vires molestiam ferenti, cujus nobile ingenium jam senescentis ad jurgia compellitur juristarum. Nam in propria persona citari illum ad Sedem Apostolicam procurarunt; cujus apologiam in centum versiculos editam cum litteris meis ad te misi, ut excusationem viri intelligas.

eruditi aliqui,

208 *Audis hic iterum mentionem fieri de excusatione ad Pontificem Romanum scripta. Sed ob hunc ambiguum loquendi modum dubitari potest, utrum Wimpfelingus priorem suam sententiam revocaverit aut mitigaverit; an vero propter justas causas tantum sese excusaverit ab itinere Romano conficiendo, cum Desiderius Erasmus Roterodamensis in epistolis suis lib.* 23, *epist.* 10 E *videatur honorificum et felicem persecutionis istius finem tribuere Wimpfelingo, quando in elogio ejus eamdem breviter ita narrat :* Romam excitus est homo et senio et hernia tardus monachorum Augustinensium opera, quod alicubi scripsisset, Augustinum non fuisse monachum, aut certe non talem, quales nunc habentur Augustinenses, cum hi tamen illum in tabulis ac libellis exhibeant promissa barba, nigra cuculla, et zona coriacea. Hoc incendium ex minima scintilla latius evagaturum Julii secundi pressit auctoritas, idque bonorum omnium applausu.

quod controversiæ prædictæ

209 *At quocumque modo lis hæc finita fuerit, Wimpfelingus omnes illas molestias evitare potuerat, si de odiosa ista quæstione non disputasset, aut saltem judicium non tulisset. Unde supra laudatus abbas Trithemius anno Christi* 1507 *in epistola* 38 *libri secundi inter alia sic ad ipsum Wimpfelingum scribit :* Tribulationibus, quas pateris, ex corde fidelissimo compatior, et si quid me posse pro tua pace existimas, fac sciam, moxque paratum ad omnia invenies. Confide in Domino Jesu, et ambula firmiter in via veritatis, et ipsa veritas te liberabit. Unum hoc solum F te moneo, promptulus ne sies in antea negotiis et rebus occupare claustralium; quia quod extra te ac conditionem status tui, nihil ad te. Quid enim ad te Augustinus cucullatus fuerit an togatus? Scripsisti in libello illo tuo de Integritate, Bedam non fuisse monachum et plerosque alios, quos ego inter monachos computaverim in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, quod nisi mihi deferres amico, te facile probaturum pollicetis. Congrediamur inter nos, si placet; quos ego monachos scripsi, et Bedam maxime, tu monachos non exstitisse, minime docebis. Videris mihi non satis transacti temporis perlustrasse historias, qui Bedam fuisse monachum ignoras. Sed ego tibi parcendum duxi, quem Fratrum Eremitarum sancti Augustini vexationibus plus quam satis tribulatum intelligo. *Huic Wimpfelingo adjungimus aliquos recentioris ævi scriptores, qui alterutram hujus quæstionis opinionem secuti, sese acrioribus adversariorum reprehensionibus exposuerunt.*

se immiscuerint.

210 *Laurentius Landtmeter Canonicus Ordinis Præmonstratensis in Opere suo de Vetere clerico-monacho lib.* 1, *part.* 1, *cap.* 13 *candide negat monachatum* S. Augustini, *et ante expositam suam*

A *suam sententiam sic modeste præfatur* : Ut hic explicem, quod sentio, primo lectorem rogo, ne quid existimet me spiritu contradictionis aut contentionis asserere. Odi enim animositates illas et pugnas verborum, jam olim per Apostolum præjudicatas; et si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus. Sed existimavi in re obscura cuique liberum esse in suo sensu abundare. At malui Augustinum de se, discipulum de Magistro loquentem sequi, quam quemvis alium. *Deinde ex ipso sancto Doctore et S. Possidio ejus discipulo probare conatur*, S. Augustinum *numquam stricte dictum monachum fuisse, quantumvis cum aliis cœnobiticum vivendi modum tenuerit.*

et pro parte

211 *At illa opinio offendit Ægidium a Præsentatione Eremitam Augustinianum, qui propterea in suo Primate Augustinianæo cap.* 10 *sive pag.* 231 *alludens ad cognomen adversarii, quod idiomate Flandrico mensorem agri vel terræ significat, illum perstringit his verbis* : At priusquam progrediar, mirari sat non possum, qualiter R. D. P. Landmeter in suo de Veteri clerico-mona-
B cho, Lovanii anno MDCXXV edito, agri proprii limites ita liberaliter emensus fuerit, ut digrediendo, longissime errans et palans egrediatur. Hac semita, obsecro, resecro, revertatur. *Simul ibidem nostrum Georgium Witweiler, qui in Germanica* S. Augustini *Vita, Constantiæ anno* 1624 *edita, cap.* 13 *eamdem sententiam obiter indicaverat, ita reprehendit* : Idipsum contestor ex voto Georgium Witweiler in ea, quam Germanice scripsit, Augustini Vita; qui ut est novæ Societatis (ab heroibus tamen viris mihi perdilectæ) socius, sic novarum rerum inventor novus, dum antiquissimum Eremitarum Ordinem antiquissimo capite Augustino et fundatore injuste privare conatur.

alterutra

212 *Ex contraria parte Joannes Baptista Melegarus Canonicus Regularis Ludovicum Cellotium nostrum, eo quod Eremitis Augustinianis in illa lite patrocinatus esset, dignum censet hac acri reprehensione* : Attamen, *inquit pag.* 260 *Operis supra citati*, etsi multi Eremitarum Patres gloriam sibi decusque inaniter quæritantes, ab
C anno MCCXL huc usque in Ordinem Canonicum multa et dixerint et scripserint, nemo tamen extra Eremitarum Ordinem tam abs re sese huic addidit discrimini ac litigio, uti Pater Ludovicus Cellotius sacerdos Parisiensis, qui sacræ Societatis Jesu degenerans a more (quæ a suis ipsis exordiis de nostro Canonico Ordine omni modestia et laude sensisse hactenus vita est) primus animum suum ipsis tam adversantem Canonicis patefecit, de quorum progressu etsi aliquid ex iis multis, quæ vere et jure dici potuissent, in suo Hierarchiæ et de Hierarchis libro quinto attigerit, eodem tamen in libro cap. 9 § 1, 2, 3 et 4 tam prolixe et late (licet falso) de ipso Eremitico Ordine fundato immediate (ut ipse ait) ab ipso sancto Patre Augustino; et de eorum Regula ab eodem illis composita disserit, ut stuporem cohibere non possim considerando, tanti auctorem ponderis in Opere tam eximio (quale est materia Hierarchiæ cælestis et ecclesiasticæ) voluisse inserere tractatum ita arduum et omnibus auctoribus classicis ac omni destitutis passione tam adversantem. *Deinde suspicatur Cellotium hanc sententiam amplexum esse, ut gratias referret Eremitis Augustinianis, qui lucubrationem ipsius cum elogio approbaverant.*

213 *Denique Melegarus Apologeticam responsionem suam adversus Cellotium pag.* 412 *memorati Operis ita concludit* : Magis in mea confirmo me sententia jam adducta, quod scilicet inique et extra rem (contra consuetum sanctissimæ Societatis Jesu morem) Pater Cellotius ibidem voluerit totam suam malam in Canonicos Regulares amplecti affectionem.; cum par esset et æquum, quod et ipsum cum Magistro *(Cellotius in Hierarchia* S. Augustinum *vocaverat magistrum suum, et cum eo submisse fassus fuerat, se ex eorum numero esse, qui proficiendo scribunt et scribendo proficiunt)* atque Doctore puderet de hujusmodi litteculis et dissidiis, ad eum non spectantibus, voluisse judicium et oraculum proferre; cum potius munus hoc deceat tantum summos Pontifices, seu judices ab ipsismet delegatos, quibus et ego subjicio quidquid exiguo in hoc meo labore ad gratæ matris meæ Canonicæ Religionis æquo animo suscepto disserui; non contra venerabilissimos Patres Societatis Jesu, quos summo semper sum prosecutus honore, sed in eos, qui a majoribus degenerantes, conati sunt falsis jactationibus et mendaciis antiquissimam floccipendere nostram Canonicorum Regularium E
Religionem, primo a sanctis Apostolis constitutam, a divo rursus Augustino (qui nullam umquam professus est aliam Religionem, quam hanc, velint nolintque adversarii) restauratam sub Regula a sanctis Apostolis constituta, et a tot summis Pontificibus, sanctissimis Patribus atque eximiis doctoribus laudibus decoratam. *Procul dubio mitiores ejusdem litis arbitri judicabunt, Cellotium virum doctum ac gravem propter opinionem, quam tot alii ante ipsum defenderant, non tam severe reprehendendum fuisse.*

auctore G. C. suam sententiam

214 *Non minus inclementer ab alia parte vapulat Franciscus Macedo, qui e Societate nostra ad Ordinem Minoritarum transiit, et quem Fulgentius Fosseus Augustinianus, aut verius sub hoc nomine latitare volens eminentissimus Norisius, inter Somnia quinquaginti pag.* 62 *et sequente alloquitur his aculeatis verbis* : Nos soli Augustiniani ægre ferimus, te, quem dudum in oculis ac corde ferebamus, et in litteras mittere, quibus apud universos hac tua non provecta, sed plane decrepita ætate, in ridiculo habeatis. Nos quidem Aborigines et sine certo auctore natos, F.
uti et cetera, somniasti. At scito, monachatum sancti Augustini solidiori fundamento innixum esse, quam ut ab somniante, non dicam subrui, sed ne tantillum loco moveri possit. Angelicus Aprosius Intimeliensis, magnum bonarum artium ac sodalitii nostri ornamentum, nuperas ad me litteras misit, quibus significabat, P. Magistrum Aloysium Torellum Bononiensem in præfatione tomi sexti Seculorum Augustiniensium, quam ex Pennotto crambem recoctam et comesam (tertium epitheton, quod in hunc tuum fœtum maxime quadret, apud Catullum bis invenies Epigrammate trigesimo septimo) reposuisti, uno oris flatu in ventos sparsisse.

protulissent,

215 Gabriel Pennottus, te certe melior historicus, plura contra Augustini monachatum congesserat, quæ tamen Thomas Herrera, Petrus Campensis, Joseph Sabbatinus, ac laudatus præsertim Torellus erudite æque ac solide confutarunt. Interim alienis litigiis temet immiscens, quædam scripturis, quæ te potius Pennoti discipulum quam advocatum, quo ille maxime indiget, publicabunt : nam nostrorum libris ignoratis, alienis armis indutus, inani quodam verborum impetu in certamen descendis, cum nomine saltem

acerbissime ob id reprehensi,

AUCTORE G. C.

saltem cognoscendi tibi fuissent hostes, priusquam eos ad pugnam provocares. Ceterum Augustiniani recentis adversarii tui conatus immemores, veteris tantum amicitiæ memores, hocce te scripto admonendum censuerunt, ut itinerarium Augustini non quidem ad limam, sed ad incudem revoces, et si forte illud in meliorem formam haud potis sis redigere, cum omnes pene litteræ lituram poscant, duas illas tibi somniatas pagellas, mille in partes laceratas, flammis absumas. *Non omnes æqui rerum æstimatores judicabunt, ut opinor, hunc eruditum ac decrepitum senem, propter opinionem ab aliis multis antea propugnatam, tanto vituperio dignum fuisse. Quidquid sit de justa vel injusta hujus acerbæ objurgationis causa, ex allatis exemplis patet, Canonicos Regulares et Eremitas Augustinianos facilius professis adversariis, quam alienis censoribus de lite sua judicium ferentibus ignoscere, quemadmodum superius iterum monui.*

magisque etiam, quam exspectare debebant a viris Religiosis.

216 *Certe non decebat viros religiosos ob hanc exigui momenti quæstionem, et inter auctores eruditos passim controversam, tot acerba verba profundere ac fraternam charitatem lædere. Quare prorsus assentior Gerardo Moringo, qui Vitam* B S. Augustini *breviter a se compositam Canonicis Regularibus Bethleemitanis, prope Lovanium anno* 1531 *dedicavit, et in hac lucubratione sua, quam Antonius Sanderus Antverpiæ anno* 1644 *recudi curavit,* § 23 *vere candideque scribit sequentia :* Si affectus seponamus, quid refert ad pietatem, sive monachus fuerit Augustinus, et clericos monachos habuerit, sive non : neque enim ob id concedendum est, nullos omnino monachos fuisse id temporis. Imo etiam tum tale genus monachorum fuisse, quale jam est, Hieronymus in epistola ad Eustochium scribens, locuples auctor est. Item Augustinus in libro de Moribus Ecclesiæ Catholicæ modo citato. Verum an Augustinus monachus talis fuerit, an non, quorsum pertinet? Inde colligi non potest, eum non fuisse virum modis omnibus sanctissimum. Et alioqui pietas germana his in rebus potissimum non est sita. Symbola sunt ejus, quæ intus est in pectore, aut certe inesse debet, pietatis; quæ si non respondeat, gestamina omnia C externa prorsus otiosa sunt atque inania. Quocirca consultissimum fuerit, deposita omni contentione, integritatem morum, eminentemque eruditionem sancti Patris potius pro viribus exprimere, quam ob res quasdam nihili charitatem fraternam dirimere. Gratius hoc fuerit tum Deo, tum sanctissimo Patri : et eos demum veros suos agnoscet discipulos ac sectatores ; ceteros habebit pro nothis et supposititiis. *Licet hæc sufficerent ad decisionem istius controversiæ prudenter omittendam, tamen etiam nunc alias silentii nostri causas assignabimus.*

§ XVI. Principuæ rationes, propter quas hanc litem indecisam reliqnuere voluimus.

Aliæ rationes,

Exempla severæ reprehensionis, quæ paragrapho præcedente recitata sunt, et ex his similibusve forsan imminens discordiæ periculum, me movent, ut a ferendo judicio abstineam, tametsi utramvis litigantium partem ex hypothetica Bullæ Sixtinæ revocatione mihi certissime tueri liceret : sicut enim fert humana fragilitas, facile fieri posset, ut aculeatis hujusmodi censuris ultro provocatus, acrius alterutri parti responderem. Forsan hinc orirentur rixæ inter viros Religiosos, utiliora studia interrumpenda essent, et fraterna charitas læderetur. Itaque silentio discrimen istud evitabo, cum prosus nolim, ut de me vere dici possit illud, quod illustrissimus Henricus Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum 1484 *num.* 1 *contra quosdam nimis fervidos utriusque patris defensores in hac ipsa materia sic scripsit :* Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, Indictione secunda Sixtus Pontifex auctoritatem majoris Pœnitentiarii, quæ multis capitibus a nonnullis convellebatur, definivit atque stabilivit, Constitutione edita septimo Idus Maii. Et biduo post, nempe quinto Idus, alia Constitutione Canonicos Regulares Lateranenses nuncupatos, et Eremitas Ordinis sancti Augustini, gravi Ecclesiæ scandalo animosissime contendentes de ejusdem sancti Patris habitu et pictura, a de Ordinis institutione, compescere studens, sub anathemate prohibuit, ne ulterius in ejusmodi contentionibus persisterent ; sed E omnino quiescerent, et mutua charitate diligerent.

cur hujus controversiæ

218 Sed non ii sunt plerique monachi et Regulares, ut facile acquiescant jussis Apostolicis. Quare cum causam præcipue edicto Pontificio dedissent adversa scripta ac publicæ concioues invectivæ Dominici Tarvisini Canonici Regularis et Bartholomæi Patavini Eremitæ; etiam post evulgatum Pontificium decretum ausus est Ambrosius Coranus, sive Coriolanus, Romanus Eremitarum Prior Generalis vir doctus apologiam contra Canonicos scribere, eamdemque ipsimet Sixto Pontifici nuncupare; quam cum Pontifex tribus Cardinalibus examinandam commisisset, fuit illa, ex eorum sententia, ob probra et contumelias, quibus scatebat, reprobata; uti narrat Celsus Mapheus Veronensis, qui tunc eam causam pro suis Canonicis apud Sedem Apostolicam agebat, in libro, quo ejusdem Coriolani oppositionibus respondit. Nec denique hactenus cessarunt eæ inter ipsos controversiæ, quin adhuc acerrime de iis disputetur. Et quod imprimis in hujusmodi omnibus Regularium altercationibus F observes, est, quod qui de iis acrius contendunt, ii plerumque minime omnium soliciti sunt de imitatione Sanctorum, de quibus decertant : qui sane si eo spiritu ducti fuissent, quo istorum plurimi, vix umquam ad patriam Sanctorum pervenissent. Ignoscite, Fratres; scitis me vera loqui, et nolite de cortice digladiari; sed ad medullam penetrate, quæ in charitate et humilitate reperitur. *Paterna sane præsulis Appamiensis admonitio, quæ nos omnes Regulares ad exactam decretorum Apostolicorum observantiam, mutuam charitatem, et Sanctorum imitationem excitare debet!*

examen prætermittatur,

219 *Insuper omnia hujus litis instrumenta cum notabili temporis dispendio mature expendere ac tandem de illis judicare non volo, quia nullum tam laboriosi examinis aut judicii fructum exspecto : quid enim post operosas diuturnasque tot illustrium virorum disceptationes efficiet auctoritas mea, quam tenuissimam vel potius hac in re nullam esse cognosco? Quapropter hanc controversiam comparo cum quæstionibus illis scholasticis, de quibus inter theologos Catholicos ab immemorabili tempore disputatur, et*

A *et quæ verosimiliter numquam decidentur, nisi Sedes Apostolica eas auctoritate sua finiverit. Si quis autem ad unam vel alteram sententiam (puta exempli gratia Prædeterminationem physicam vel Scientiam mediam) defendendam accesserit, neutra pars ideo multum perdet aut lucrabitur. Ita quoque judicium meum in hac historica quæstione nihil conferet ad litem decidendam, cum præsertim utraque pars opinioni suæ mordicus adhæreat, et sententiam Ordinis sui certissimam existimet. Jam præter illa persuasionis hujus exempla, quæ paragrapho præcedente producta sunt, unum alterumque ejusdem confidentiæ specimen hic exhibeo.*

præsertim quod sperari nequeat,

220 *Supra citatus Pennottus in præfatione ad Historiam tripartitam pro Canonicis suis Regularibus allegat aliqua* S. Augustini *et S. Possidii verba, ex quibus ibidem sic confidentissime concludit :* Ex istis testimoniis apertissimis et omni exceptione longe majoribus totus eruditorum consensus ante annos circiter quadringentos duas has veritates certissimas deduxit, nimirum beatum Augustinum prosessione Clericum canonicum B sive Regularem exstitisse, Clericorum canonicorum habitum gestavisse, cum Clericis canonicis communem vitam duxisse; et eisdem Clericis canonicis Regulam ad exemplum vitæ Apostolicæ conquadratam scripsisse ac tradidisse. Porro istas veritates totus doctorum consensus per annos octingentos et amplius tam firmiter complexus est, tam libere prædicavit, et constanter adeo asseruit ac defendit, ut, si veterum libros cunctos evolvas, summorum Pontificum, conciliorum, et sacrorum canonum decreta, historicorum monimenta, neminem prorsus invenias, qui de illis vel in apice quidem hæsitaverit. *Inter eruditos disputatur, quibus hæc Regula primum scripta fuerit, ut apud Tillemontium tomo 13 Monument. eccles. pag.* 163 *videre est.*

umquam fore.

221 *Porro Pennottus ibidem post alia pergit his verbis :* Quæ cum ita se haberent, quis amabo credidisset, aut etiam suspicari potuisset, veritatem adeo constantem, perspicuam, perviam, flumen adeo clarum, tot seculorum decursibus purum et limpidum servatum, fore umquam ullo tempore turbandum ? Et ecce illud quoque post longum decursum turbatum est, et veritas non solum in dubium, sed in discrimen C manifestum aliquando revocata : nam exorto post sancti Lateranensis concilii tempora, per Innocentium III hujus nominis Pontificem, ex Ordine Canonicorum Regularium assumptum, absoluti. sacro Eremitarum Ordine, antea Fratris Joannis Boni, aut, ut aliis placet, divi Guilielmi nuncupato; postea vero concessione summorum Pontificum beati Augustini Regula et titulo donato, paulatim oriri cœpit cum illo inter populares veritatis ignaros dubium, an Ordo ille a divo Augustino vere esset institutus, vel an ejusmodi vitæ genus Augustinus aliquando tenuisset. Quod dubium ipso Eremitarum Instituto per varias provincias, locorum et personarum numero paulatim aucto, in opinionem coalescere, et successibus temporum ex opinone in assensum * certum et constans cœpit apud non paucos erumpere; nec levis contentionis inter personas ecclesiasticas fomitem ministravit.

** forsan assertum*

ut puta

222 *Sed non minori confidentia post alios Eremitas Augustinianos, qui Historiam tripartitam Pennotti refutarunt, supra memoratus Gandolfus in præfatione ad Dissertationem suam historicam de ducentis celeberrimis Augustinianis scriptoribus, quam anno* 1704 *Romæ vulgavit, hunc et alios adversarios ita interrogat :* Ad eos sermonem dirigo, qui nos Aborigines esse proclamant, et solum aliquos paucissimis annis ante magnam unionem exstasse sub nomine sancti Augustini. Si ita putant, et avide esse cupiunt, quinam erant illi Eremitæ Augustiniani Fontis Giardi et de Linceio, de quibus locutus est B. Innocentius tertius in suo Breve directo Hugoni abbati, et Conventui majoris monasterii Turonensis, anno XIV sui Pontificatus, videlicet MCCXII; quorum causa jam agitata fuerat, vivente Eugenio III, nempe MCXLV, quorumque initium ex veridicis monumentis et certis historiis fere Augustini Patris tempora ostendit attingere eruditissimus ac plurium linguarum, præcise Orientalium, professor meus Guilielmus Boujour Tolosanus ?

AUCTORE G. C.

223 *Post hæc eosdem adversarios ulterius ad respondendum provocat hoc modo :* Quinam erant illi Fratres Eremitæ sanctæ Mariæ de Morimundo sub Regula sancti Augustini, ad quos fuit ordinatum aliud Breve ejusdem Pontificis Inno- E centii III, a me inventum in nostro Perusino archivo, datum anno XVI sui Pontificatus, scilicet MCCXIII; cujus copiam in fine hujus præfationis reponam ? Quinam illi, quibus Innocentius II scripsit : « Dilectis filiis Guidoni Priori et Fratri- « bus Ordinis Eremitarum sancti Augustini in « Ecclesia beatæ Mariæ de Rheno regularem vi- « tam professis etc. Datum Pisis MCXXXVI, Pon- « tificatus anno VII », ut per extensum exhibens litteras profert citatus Leal Lusitanus ? Quinam illi Fratres Eremitæ sanctæ Mariæ de Aphrico Ordinis Eremitarum sancti Augustini in territorio Montis Catini Tusciæ, cujus cœnobium anno Christi CMIII igne conflagratum fuit, ut in authentica forma scripturam exhibuit Torellus pag. 633, tom. 7 Seculorum Augustinensium ? Quinam denique illi, ut plurima alia prætermittam, quæ nostris in scriptoribus apparent, ad quos major pars Sermonum ad Fratres in eremo directa fuit (pro quibus tamen Sermonibus libenter amplector censuram ultimæ editionis Operum divi Patris Augustini) quæ Ms. exstabat, ut testatur unus ex contrariis nostris abbas Liriacensis Mauburnus, tempore Pipini regis Francorum, nempe circa annum DCCLX ? Si ista tam patentia et F clara sunt, ut a quolibet videri queant, non est ergo tam modernus Ordo, et nomen Eremitarum sancti Augustini, ut aliqui recentiores crambem recoquendo ostendere tentarunt.

alterutra

224 *Attamen his aliisque Eremitarum Augustinianorum argumentis non terrentur Canonici Regulares, ex quibus Nicolaus Desnos in suo Canonico seculari et Regulari lib.* 3 *cap.* 10, *tamquam de victoria certus, ita scribit :* Talis tantusque vir fuit Augustinus moribus, doctrina, ingenio, ut certatim omnes ipsum vel magistrum vel parentem habere totis votis ambierint. Docti quique ipsius se discipulos, Clerici ac Monachi filios ac æmulatores profitentur. Unde sicut olim re nuper inter doctos quosque viros orta sunt tumultuosa certamina utrimque ad se trahentium Augustinum; sic dudum ac etiam non ita pridem zelo prorsus incredibili certatum est Clericos inter ac Monachos pro dignoscendo instituto divi Augustini, quod clericale clamant Canonici; monasticum vero reclamant Monachi, utrique Augustinum sui cultus ac vitæ generis vel auctorem vel sectatorem autumantes. Longior essem, si hic referre vellem tragœdias, quas

sententiam mutet,

AUCTORE G. C.

quas ea de re excitavit nimius partium suarum amor. Has legere est apud Gabrielem Pennottum, Petrum a sancto Trudone et Joannem Melegarum, quorum prior jam pridem, alii vero duo postremi nuper doctas concinnavere apologias Romæ et Lovanii editas pro vindicando Augustini Clericatu et ejurando ipsius monachatu, contra novos propugnatores ejuscemodi monachismi, Rivium, Lupum, Eremitas Augustinenses, et cellotinm Jesuitam, quos a laudatis scriptoribus penitus exarmatos nemo non sentiet, qui illas apologias legerit.

cum utraque

225 *E contrario Gandolfus proxime laudatus existimat, Eremitas suos Augustinianos insignem victoriam retulisse, et adversarios eorum jam penitus exarmatos esse, cum post illa certamina memoratam præfationem ad ducentos Ordinis sui scriptores exordiatur his magnificis verbis:* A divi Augustini parentis magni, doctoris maximi, plantatione derivare Eremitanam monasticam Religionem, tot celeberrimorum heroum genitricem, approbarunt plurimi Pontifices supremi; imperatores et reges suis in diplomatibus agnovere; testati sunt plus quam trecenti et viginti scriptores præclarissimi, inter quos aliqui Sancti et beati, ut dinstincte ostendit Emmanuel Leal Lusitanus in suo Conflatorio purificativo, Ulyssipone impresso; ac aperte demonstrarunt, editis de hoc ex professo fundatis voluminibus, ultra quadraginta doctores mei ejusdem Ordinis, atque, quod notabilius est, idemmet magnus Parens suis apparitionibus, quas circa duodecim enumerat accuratus Herrara in Responsione pacifica, dignatus est confirmare, et uti legitimo partui favere.

opinioni suæ

226 Nihilominus hanc tam lucidis radiis veritatem illustratam aliqui moderni scriptores conati sunt obfuscare, et, vel non attendentes splendores, vel considerare nolentes clarissima fundamenta hoc probantia, denuo aliquorum argumentorum nebulas, jam a validissimis ventis scriptorum nostrorum dispersas et dissipatas, in aërem elevare. Quo tamen eventu id egerint, aperte cernere possunt eruditi: nam Nicolao Desnos Gallo, Nicolao a sancta Maria Lusitano, Canonicis Regularibus, Francisco Macedo Minoritæ, Philippo Labbeo Jesuitæ Bituricensi, et Thomassino contradictoribus tam fundate se opposueruut Aloysius Torellus, Eustachius a sancto Ubaldo, olim amici, ac citatus Emmanuel Leal, ut comprobaverint verissimum, quod eminentissimus auctor protulit in libello erudito contra Quinquaginta somnia Macedoniana pag. 63 de argumentis a Macedo adversus monachatum Augustini allatis. Inter obscurare volentes apparuerunt quoque ultimo viri alias clarissimi, natalis Alexander suis iu Dissertationibus ad selecta historiæ ecclesiasticæ capita, abbas Baluzius incidenter in Vitis Paparum Avenionensium, aliique, qui lingua Gallica scripserunt. Verum cum nihil afferant, quod a supradictis nostris elucidatum non fuerit, judico, in Operibus edendis, alia via scilicet secura, incedere eos posse.

firmissime adhæreat.

227 Quidam etiam ex nostris contrariis omnem machinam moverunt contra divi Augustini monachatum; sed tam validis munimentis, præcise sumptis ex clarissimis textibus ejusdem sancti Patris, castrum istud vallarunt tot nostri scriptores, inter quos primatum tenet eminentissimus Purpuratus Norisius in Historia Pelagiana, ac postremo sapientissimi sancti Germani Parisienses monachi iu ultimo tomo divi Augustini Operum, ut jam impossibile sit illud convellere. Alii aciem direxerunt contra successionem, asserentes, nos seriem successionis probare non posse. Sed vel non viderunt, vel observare noluerunt nostros eruditos Marquezium, Herreram, Sabatinum, et copiosum Torellum, qui suis in Operibus plurima exposuerunt, successionis seriem patenter ostendentia. Fateor ingenue, varia a nonnullis scriptoribus nostris adducta, vel debilia esse vel infirma, utpote innixa historiis iusubsistentibus Marci Maximi, Flavii Dextri, Juliani et similium; sed alia tam clara conspiciuntur et evidentia, ut sine nota pervicaciæ et obstinationis negari non possint. *Quis cum manifesto offensionis periculo sese gloriosis hisce pugilibus interponat? Cum ergo nullus judicii mei fructus sit sperandus, amplector prudens Gerardi Moringi consilium, quod alia occasione transcripsi, et ab hac digressione ad illustriorem Sancti nostri Vitam progredior.*

§ XVII. Occasio, qua Sanctus Hippone-Regio electus est ad sacerdotium, obtinuit monasterium, ac petiit exiguum dilationis tempus, ut sese præpararet ad melius exercendas officii sui functiones.

Qua occasione Sanctus

Postquam Sanctus noster in oppido vel agro Tagastensi ferme triennium cum sodalibus communiter ac pie vixerat, negotii cujusdam causa Hipponem-Regium venit, ibique sacerdotium suscipere coactus est, ut constabit ex inferius danda S. Possidii narratione, quam Philippus abbas Præmonstratensis in Vita ejusdem Sancti nostri cap. 18 contraxit his verbis: Cum lumen tantæ sanctitatis non posset diutius latere, sed opportunum esset, illud omnibus, qui in domo sunt, apparere, famam ejus quidam Hipponensium civis audivit, cogitans et recogitans apud se, quia si illum videre et ei colloqui mereretur, juxta consilium ejus, relicto seculo, ad Dominum converteretur. Quod cum beato Augustino, mediante legato, innotesceret, volens Vir sanctus Deo lucrari animam, Hipponem profectus est, virumque prædictum ad contemptum mundi et amorem Dei, quantum potuit, exhortatus est; cujus ille præsentia gaudens, exhortationem ejus satis gratanter accepit; sed tamen, quod promiserat, occulto Dei consilio ad præsens implere distulit.

Hipponem Regium venerit,

229 Cum vero divina sapientia, quæ suaviter disponit omnia, adventum Viri sancti, qui sibi jam videbatur inutilis esse, multis fecit prodesse, et cum ille doceret, se non proficere uni, cui voluit, coactus est multis prodesse; unde et amplius doluit: contigit enim ut beatus Valerius, qui tunc temporis Hipponensem episcopatum regebat, cum verbum Dei loqueretur in populo, inter loquendum consilium ejusdem populi et assensum quæreret de eligendo in ecclesia presbytero, adstante beato Augustino in turba, et audiente verbum Dei cum turba. Cujus quia famam beatus Valerius compererat, eumque virum eruditum, facundum, religiosum audierat, divino Spiritu innuente, ipsum ordinandum elegit,

AUCTORE G. C.

A elegit; tam clero quam populo unanimiter consonante, et, ut id sine dilatione fieret, postulante. Quo comperto, Vir sanctus graviter ingemuit, lecto et intellecto, quantum imminebat periculi his, qui constituuntur judices populi.

ibique reluctans

230 Flebat igitur vehementer, et incertus fluctuabat, cum terreret eum illud Propheticum Væ, qui pascunt se ipsos, et non oves meas; compelleret vero illud Euangelicum: Si diligis me, pasce oves meas. Tandem flentem et frustra renitentem beatus Valerius de turba segregavit et licet invitum, presbyterum ordinavit. Sciens vero desiderium ejus et propositum, quod scilicet cum clericis nihil habentibus, nihil habens optabat vivere, dedit hortum, in quo mox ædificato monasterio, cœpit ejusdem propositi Fratres colligere, et cum eis secundum modum et regulam sanctorum vivere Aqostolorum; ut omnia scilicet essent eis communia, et nullus diceret sibi aliquid proprium, et distribueretur unicuique, quod esset necessarium; quod quidem ipse prior jam fecerat, quando de transmarinis ad sua re-B dierat.

presbyter ordinatus,

231 *Hanc narrationem testimonio suo confirmat ipse sanctus Doctor, dum in Sermone* 49 *de Diversis cap.* 1 *auditores suos Hipponenses ita alloquitur*: Ego, quem Deo propitio videtis episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestrum noverunt. Quærebam, ubi constituerem monasterium, et viverem cum Fratribus meis. Spem quippe omnem seculi reliqueram, et quod esse potui, esse nolui, nec tamen quæsivi esse, quod sum. Elegi in domo Dei mei abjectus esse magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis, qui diligunt seculum, segregavi me; sed eis, qui præsunt populis, non me coæquavi; nec in convivio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem et abjectum; et placuit illi dicere: Ascende sursum. Usque adeo autem timebam episcopatum, ut quoniam cœperat esse alicujus jam momenti inter servos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, ne illo accederem, cavebam. Et hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ut dixi, Domino servus contradicere non debet.

ordinatusque in communi vixerit.

C 232 Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perveni, quia locus habebat episcopum. Apprehensus, presbyter factus sum, et per hunc gradum perveni ad episcopatum. Non attuli aliquid; non veni ad hanc ecclesiam, nisi cum iis indumentis, quibus illo tempore vestiebar. Et quia hic disponebam esse in monasterio cum Fratribus, cognito instituto et voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi Fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, et imitantes me, ut quo modo ego tenuem paupertatulam meam vendidi et pauperibus erogavi, sic facerent et illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus; commune autem nobis esset magnum et uberrimum prædium ipse Deus.

Hipponense Sancti monasterium,

233 *Hipponense monasterium, de quo hic mentio facta est, eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 391 *num.* 24 *innuit fuisse primum, quod* S. Augustinus *instituit in Africa, quemadmodum colligimus ex sequentibus ipsius verbis*: Ceterum ante presbyteratum adhuc laïcus, una cum suis sociis, de quibus diximus, idem vitæ genus in Africa excoluerat apud Tagastem; sed nondum aliquod ab eo instructum fuerat monasterium, cujus erigendi gratia se Hipponem contulerat, Hipponensem civem, Agentem in rebus, cujus Possidius meminit, conventurus, a quo fuerat accersitus. *At alii putant, cœnobium Tagastense huic Hipponensi præponendum esse, et ideo illud ordine ac tempore primum numerant. Insuper eminentissimus Annalium ecclesiasticorum conditor ibidem numero sequente suspicatur, istud Hipponense manasterium a sancto Possidio confusum fuisse cum altero, quod Sanctus noster postea ad episcopatum evectus Hippone-Regio constituit. Sed non satis aperte videmus, cur hæc improbabilis duorum cœnobiorum confusio testi coævo tribuenda sit, ut ex infra dicendis apparebit.*

in quo an habitarint

234 *Sed occasione monasterii istius Hipponensis inter eruditos magis disputatur, cujus professionis homines illud incoluerint. Hac de re diversæ sunt auctorum sententiæ, quas Ludovicus Thomassinus Oratorii Gallicani presbyter in Opere de Veteri et nova Ecclesiæ disciplina tomo* 1 *sive part.* 1, *lib.* 3, *cap.* 2, *num.* 7, *post recitata S. Possidii verba sic recenset*: Neminem præterit, quanta sit opinionum dissensio super hoc Augustini instituto. Existimant nonnulli, exstructum ab eo fuisse monasterium, monachisque adsignatum. Malunt alii Canonicorum Regularium institutionem ei adscribere. Visum est aliis, Clericos ab eo in communis vitæ societatem invitatos adductosque fuisse. Denique censuerunt aliqui, parentem illum gemini fuisse collegii seu congregationis, clericorum alterius, alterius monachorum. Non mihi hic ego partes assumo judicis aut arbitri. Tanti non est mea vel peritia vel auctoritas. Meam tamen præfatus reverentiam et observantiam summam in eos omnes, qui tam pulcra et laudabili cupiditate adoptandi sibi parentis et patroni Augustini flagrarunt, eoque in partes scissi sunt, dicam, quod propius a vero abesse mihi visum est, excussis ventilatisque, qua summa potui diligentia, Augustini et Possidii scriptis. E

laici,

235 *Thomassinus ibidem numeris sequentibus opinionem suam modeste proponit, et ei probabilius videtur, quod in illo monasterio simul habitaverint pii laici, quales* S. Augustinus *olim Mediolani et Romæ viderat, ex quibus capaciores in ordinem clericorum cooptabantur, ut postea sacris ordinibus initiati functiones apostolicas aut clericales obirent. Hæc sententia, quam nos nec approbamus, nec improbamus, non displicet Canonicis Regularibus, inter quos Gabriel Pennottus parte* 1 *Historiæ tripartitæ cap.* 12, *num.* 4 *sic scribit*: Primum monasterium a beato Augustino in horto Valerii fundatum, non fuit monachorum aut eremitarum, sed clericorum, qui vel actu vel saltem aptitudine proxima tales erant. F

clericive.

236 *Deinde Pennottus hanc assertionem suam exponit his verbis*: Hæc assertio prius explicanda est, et deinde probanda. Dixi enim notanter, religiosos illos viros in primo Augustini monasterio constitutos et institutos, aut actu aut saltem aptitudine clericos fuisse; quia non crediderim eos, qui monasterium illud ingrediebantur, in ipso statim ingressu omnes clericos fuisse, vel, ut tales essent, aliqua certa lege ab Augustino constitutum; sed quod illud monasterium collegium esset religiosorum virorum, ex quo juxta varias ecclesiarum indigentias ipsi clerici sumerentur, sicut modo sumuntur ex seminariis et collegiis in omnibus fere civitatibus ad hunc eumdem finem institutis

AUCTORE G. C.

institutis, qualia præsertim Romæ plura videmus, ut seminarium Romanum, collegium Germanicum, Græcorum, Anglorum, et alia.

aut monachi,

237 *At eximius Christianus Lupus Eremita Augustinianus in Quæstione quodlibetica cap.* 15 *illam Pennotti sententiam et aliquas hujus probationes ita refellit :* Hasce suas devias cogitationes probat Pennottus primo ex sancto Possidio, qui ex primo Hipponensi Augustini monasterio plures promotos dicit ad episcopatum, aliumque omnem inferiorem clericatum. Deinde ex ipso Augustino ad Papam Cælestinum scribente de infelicissimo isto primo ecclesiæ Fussalensis episcopo Anthonio. Dicit, cum a parvula ætate secum fuisse in monasterio cuutritum, soloque lectoris gradu notum. Istud Anthonii monasterium putat Pennottus, fuisse primum monasterium, eo quod in secundo nulli parvuli nutrirentur, atque ex eo infert, primi monasterii Fratres passim fuisse lectores, aliosve clericos minores, candidatos ordinum altiorum.

non definimus.

238 *Deinde Lupus Pennottum confidenter ita alloquitur :* Verum, Pennotte, multiformiter erras. Primo, dum dicis, primum agri Hipponensis monasterium fuisse quasi seminarium ac novitiatum secundi monasterii, atque in ipso vixisse clericos minores, candidatos graduum altiorum. Etenim primum monasterium sine ullo ordine ad secundum ab Augustino institutum est, qui tum de secundo non plus quam de apice episcopali cogitabat, ideoque esse nequiit secundi novitiatus ac tyrocinium : novitiatus quippe est quid relativum. Primum, inquam, monasterium erat domus planctus, atque altissimi silentii, in qua degebant plures Fratres irregulares, omnis ecclesiasticæ ordinationis inhabiles. Quomodo ergo esse potuit palæstra ac tyrocinium clericorum minorum sperantium majora? Scimus quidem ex illo plures ad clericatum assumptos; verum contra spem ac propositum suum, contraque sui instituti scopum. *Denique laudatus Lupus ibidem plura congerit argumenta, quæ singula Petrus a sancto Trudone postea in Examine testamenti* S. Augustini *cap.* 12 *et sequentibus operose refutavit. Si quis huic controversiæ sese immiscere voluerit, utrumque illum scriptorem legere et attente contrarias eorum opiniones examinare poterit. Nobis ob rationes superius allatas nec licet nec lubet de lite illa judicium ferre.*

Sanctus

239 *Quapropter utilius in gratiam illorum, qui aliquando sacros ordines suscepturi sunt, exhibebimus centesimam quadragesimam octavam sancti Neo-mystæ nostri epistolam, ex qua forsan aliqui jam sacris ordinibus initiati non sine salutari pudore nunc primum discent, qualem præparationem* S. Augustinus *ad sacerdotale munus rite administrandum requirat. Hæc epistola, quam Sanctus ad episcopum suum Valerium dedit, propter exemplum modestissimæ pietatis integra transcribi meretur, et apud nos tomo* 2 *Operum ejus pag.* 262 *sic sonat :* Domino beatissimo et venerabili, in conspectu Domini sincera charitate charissimo patri Valerio, Augustinus presbyter in Domino salutem. Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita et maxime hoc tempore facilius et lætius, et hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius; item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec a pueritia nec ab adolescentia mea didici, et eo tempore, quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorum meorum, (nam quid aliud existimem nescio) ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

240 Sed arbitror, Dominum meum propterea me sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus essem, quid illic agatur, quasi doctior et melior reprehendere audebam. Itaque postquam missus sum in medium, tunc sentire cœpi temeritates reprehensionum mearum, quamquam et antea periculosissimum judicarem hoc ministerium. Et hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animadverterunt, et nescientes causas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui omnino ad vulnus meum non pertinent, tamen bono animo consolati sunt. Sed multo valde, multo amplius expertus sum, quam putabam; non quia novos aliquos fluctus aut tempestates vidi, quas ante non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaveram; sed ad eas evitandas aut perferendas solertiam et vires meas omnino non noveram, et alicujus momenti arbitrabar.

humillime

241 Dominus autem irrisit me, et rebus ipsis ostendere voluit me ipsum mihi. Quod si non damnando, sed miserando fecit (hoc enim spero) certe vel nunc, cognita ægritudine mea, debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia perscrutari, et orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ ad tam periculosa negotia tribuatur, quod ante non feci, quia et tempus non habui : tunc enim ordinatus sum, cum de ipso actionis tempore ad cognoscendas divinas Scripturas cogitaremus, et sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse. Et quod verum est, nondum sciebam, quid mihi deesset ad tale opus, quale me nunc torquet et conterit. Quod si propterea in re ipsa didici, quid sit homini necessarium, qui populo ministrat Sacramentum et verbum Dei, ut jam non mihi liceat assequi, quod me non habere cognovi; jubes ergo ut peream, pater Valeri? ubi est charitas tua? Certe diligis me, certe diligis ipsam Ecclesiam, cui me sic ministrare voluisti; et tamen certus sum, quod et me et ipsam diligis. Sed putas me idoneum, cum ego melius me noverim, qui tamen nec ipse me nossem, nisi experiendo didicissem.

de se sentiens,

242 Sed dicit fortasse sanctitas tua : Vellem scire, quid desit instructioni tuæ. Tam multa autem sunt, ut facilius possim enumerare, quæ habeo, quam quæ habere desidero : audeo enim dicere, scire me, et plena fide retinere, quid pertineat ad salutem nostram. Sed hoc ipsum quomodo ministrem ad salutem aliorum, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant? Et sunt fortasse aliqua, imo non est dubitandum, esse in sanctis Libris conscripta consilia, quibus cognitis et apprehensis, possit homo Dei rebus ecclesiasticis ordinatioribus ministrare, aut certe inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniore vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni Christiana corda humilia et mansueta respirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi quemadmodum ipse Dominus dicit, petendo, quærendo, pulsando, id est, orando, legendo, plangendo *? Ad hoc negotium mihi parvum

tempus petit

* *al.* agendo

A parvum tempus vel usque ad Pascha impetrari volui per Fratres atua sincerissima et venerabili charitate, et nunc per has preces volo.

quo se paret ad officium sacerdotale

243 Quid enim responsurus sum Domino judici? Non poteram ista jam quærere, cum ecclesiasticis negotiis impedirer. Si ergo mihi dicat: Serve nequam, si villa ecclesiæ calumniosum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro, quem rigavi sanguine meo, si quid agere pro ea posses apud judicem terræ, nonne omnibus consentientibus, nonnullis etiam jubentibus et cogentibus, pergeres, et, si contra te judicaretur, etiam trans mare proficiscereris; atque hoc modo vel annuam vel amplius absentiam tuam nulla querela revocaret, ne alius possideret terram, non animæ sed corpori pauperum necessariam; quorum tamen famem vivæ arbores meæ multo facilius mihique gratius, si diligenter colerentur, explerent? Cur ergo ad discendam agriculturam meam vacationem temporis tibi defuisse causaris? Dic mihi quid respondeam, rogo te! An forte vis dicam? Senex Valerius, dum me omnibus rebus instructum esse credidisset, quanto amplius me dilexit, tanto minus ista
B discere permisit.

rite obeundum,

244 Attende omnia ista, senex Valeri, obsecro te per bonitatem et severitatem Christi, per misericordiam et judicium ejus, per eum, qui tantam tibi inspiravit erga nos charitatem, ut te nec pro lucro animæ nostræ audeamus offendere. Sic autem mihi Deum et Christum testem facis innocentiæ et charitatis et sinceri affectus, quem circa nos habes, quasi ego non de his jurare omnibus possim. Ipsam ergo charitatem et affectum imploro, ut miserearis mei, et concedas mihi ad hoc, quod rogavi, tempus, quantum rogavi, atque adjuves me orationibus tuis, ut non sit inane desiderium meum, nec infructuosa Ecclesiæ Christi atque utilitati fratrum et conservorum meorum absentia mea. Scio, quod illam charitatem pro me orantem, maxime in tali causa, non despiciet Dominus, et eam sicut sacrificium suavitatis accipiens, fortassis breviore tempore, quam postulavi, me saluberrimis consiliis de Scripturis suis reddet instructum. *Ex hac epistola colligimus, quam humiliter sanctus Neo-presbyter de se sentiret, et quantum ingenio suo diffideret.*

quod ei verisimiliter concessum.

C 245 *Porro vix dubitamus, quin episcopus Valerius huic pio* S. Augustini *desiderio satisfecerit, eique petitum præparationis tempus usque ad Pascha concesserit. Unde Joannes Rivius Augustinianus in Vita Sancti lib.* I, *cap.* 2 § I *scribit, eum verosimiliter ineunte Quadragesima anni* 391 *presbyterum ordinatum fuisse, et tunc usque ad Pascha ejusdem anni sacris Litteris operam navasse, ut tanto melius ad sacras ministerii sui functiones exercendas sese præpararet. Sed Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. pag.* 151 *mavult,* S. Augustinum *exeunte anno Christi* 390 *vel ineunte* 391 *ad gradum sacerdotii evectum esse, et officio sui gradus fungi cœpisse circa festum Paschatis, quod anno Christi* 391 *in diem sextam Aprilis incidebat. Quidquid sit de exigua temporis differentia, sacerdotalem ejus ordinationem anno* 391 *affigunt plerique auctores, inter quos Fulgentius Fosseus Augustinianus, seu verius eminentissimus Norisius, in Somniis quinquaginta pag.* 34 *vel Somnio* 29 *pronuntiat sequentia :* Augustinus anno CCCLXXXVIII Tagastem reversus est, ac in paternis agris FERME TRIENNIO vixit, ex Possidio ejus discipulo cap. 3. Ineunte anno CCCXCI ordinatur presbyter a Valerio episcopo, a quo parvum tempus vel usque ad Pascha petiit, ut ad delatum munus laudabilius exercendum sese præpararet, ex epistola 148. *Nunc illustrabimus præcipua ex iis, quæ Sanctus tempore presbyteratus sui gessit, ac scripsit.*

AUCTORE G.C.

§ XVIII. Sancti Sacerdotis conciones ad populum, cura pro diœcesi Hipponensi, gubernatio monasterii, ad quod homines variæ conditionis admittebat.

Ab episcopo suo statuitur ad populum pro concione docendum,

Cum Valerius episcopus Hipponensis, natione Græcus, linguam Latinam non calleret, adeoque minus aptus esset ad instituendas coram populo conciones, eo fine præcipue S. Augustinum *ad sacerdotium promovit, ut hic in sermonibus*
E *publicis habendis vices suas suppleret, quemadmodum supra laudatus Philippus abbas Præmonstratensis in citata Vita Sancti cap.* 19 *breviter ex S. Possidio refert his verbis :* Sanctus vero Valerius, qui eum ordinaverat, exultans uberius gratias Deo agebat, quod talem Virum juxta desiderium suum sibi contulerat, qui verbo et doctrina salubri Ecclesiam ædificare poterat; cui rei non satis se idoneum prævidebat, qui natura Græcus, lingua Latina et litteris minus instructus erat. Quocirca eidem Augustino potestatem contulit, ut etiam in præsentia sui verbum Dei in populo loqueretur, quamvis hoc in ecclesiis Africanis hactenus inusitatum haberetur. Unde nonnulli episcopi murmurantes detrahebant, et sic contra morem non debere fieri asserebant. Sed vir sanctus Valerius sciens, hoc in ecclesiis Orientalibus actitari, linguas detrahentium non curabat, et non suam sed Dei gloriam quærens, malebat populum Dei per alium fieri doctum, quam per se remanere indoctum. Unde postea hujusmodi fama discurrente, et bono exemplo procedente, nonnulli presbyteri, quibus competens et erudita inerat facundia, accepta potestate, cœperunt loqui verbum Dei in populo, etiam in F
episcoporum suorum præsentia. *De consuetudine illa Africana consuli possunt auctores, quos Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. art.* 62 *allegat.*

et alia etiam diœcesis negotia ei committuntur,

247 *Quinimo Valerius videtur non solum prædicationis officium* S. Augustino *demandasse, sed ei etiam fere totam diœcesis suæ curam reliquisse: cum enim Donatistæ diaconum quemdam Mutugennensem rebaptizassent, Sanctus adhuc presbyter epistolam* 203 *ad Maximinum Donatistarum episcopum dedit, in qua circa finem de grege Hipponensi fidei suæ commisso tamquam Valerii vicarius ita scribit :* Ego, rebaptizato diacono nostro, silere non possum. Scio enim quam mihi silentium perniciosum sit. Non enim cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere; sed cogito, me Principi pastorum omnium rationem de commissis ovibus redditurum. Si forte nolles, ut hæc tibi scriberem, oportet te frater, ignoscere timori meo. Multum enim timeo, ne me tacente et dissimulante, alii quoque rebaptizentur a vobis. Decrevi ergo, quantum vires et facultatem Dominus præbere dignatur, causam istam sic agere, ut pacificis collationibus nostris

AUCTORE G. C.

nostris omnes, qui nobis communicant, noverint ab hæresibus aut schismatibus quantum Catholica distet Ecclesia, et quantum sit cavenda pernicies vel zizaniorum vel præcisorum de vite Domini sarmentorum. Quam collationem mecum si libenti animo susceperis, ut concordibus nobis amborum litteræ populis recitentur, ineffabili exultabo lætitia.

ut patet ex epistola de diacono rebaptizato scripta.

248 Si autem id æquo animo non accipis, quid faciam, frater, nisi ut te quoque invito, epistolas nostras populo Catholico legam, quo esse possit instructior? Quod si rescribere dignatus non fueris, vel meas solas legere decrevi, ut saltem, diffidentia vestra cognita, rebaptizari erubescant... Episcopus meus benevolentiæ tuæ fortasse potius litteras misisset, si esset præsens, aut ego, illo vel jubente vel permittente, scripsissem. Sed illo absente, cum diaconi rebaptizatio recens esse dicitur, frigescere actionem ipsam dilatione non passus sum, de fraterna et vera morte acerbissimi doloris aculeis excitatus. Quem dolorem meum, adjuvante misericordia et providentia Domini, pacis B fortasse compensatio lenitura est. Deus et Dominus noster tibi mentem pacatam inspirare dignetur, domine dilectissime frater. *Mutugenna ad diœcesim Hipponensem pertinebat, eòque se contulerat* Augustinus *hujus facinoris indagandi gratia, sicut indicatur in hac ipsa epistola, cujus alterum fragmentum paragrapho sequente dabimus. Hinc interea liquet, Presbyterum nostrum tanta auctoritate præditum fuisse, ut etiam in causis gravioribus, qualis hæc erat, vices episcopi sui confidenter suppleret.*

Monasterii sui curam habet, ex quo multi

249 *Ad has aliasque muneris ejus occupationes accedebat cura monasterii, cui locum ab episcopo Valerio impetraverat, ut paragrapho præcedente audivimus : nam presbyter ordinatus cœpit quosdam boni propositi Fratres colligere, quibuscum de communi viveret, ut ipse superius testatur. Inter hos eo tempore adscitus esse videtur S. Possidius, qui in Vita* S. Augustini *cap.* 31, *sive apud nos infra num.* 72 *asserit, se ferme annis* quadraginta *cum sancto Doctore illo familiariter ac dulciter vixisse. Quinimo ipse* S. Augustinus *indicat, Possidium spirituali doctrina a se instructum fuisse, dum in epistola* 131 *Memorio episco-*
C *po post alia sic scribit :* Debui ergo nunc libros mittere, quos emendaturum me esse promiseram; et ideo non misi, quia non emendavi; non quia nolui, sed quia non potui, curis videlicet multis et multum prævalentibus occupatus. Nimis autem ingratum ac ferreum fuit, ut te, qui nos sic amas, hic sanctus frater et collega noster Possidius, in quo nostram non parvam præsentiam reperies, vel non disceret, vel sine litteris nostris disceret : est enim per nostrum ministerium non literis illis, quas variarum servi libidinum liberales vocant, sed Dominico pane nutritus, quantus ei potuit per nostras angustias dispensari.

prodierunt sanctitate illustres.

250 *Præter Possidium Calamensem episcopum ex illo monasterio prodierunt alii plures viri doctrina et sanctitate illustres, qui ad varias Africæ cathedras evecti sunt, et quos ipse Possidius infra num.* 22 *sibi notos fuisse testabitur. Haud dubie S. Alypius Tagastensis episcopus, aliique præsules ex hac congregatione ad infulas assumpti cœnobiticum istud vitæ genus in diœcesibus suis instituerunt, et late per Africam propagarunt. Unde S. Paulinus Nolanus ad Alypium scribens, in nova Veronensi Operum suorum editione tertiam epistolam concludit his verbis :* Benedictos sanctitatis tuæ comites et æmulatores in Domino, fratres, si dignantur, nostros tam in ecclesiis, quam D in monasteriis, Carthagini, Thagastæ, Hippone-Regio, et totis parochiis tuis, atque omnibus eo-gnitis tibi per Africam locis Domino catholice servientes, multo affectu et obsequio salutari rogamus. *Cum laudatus Paulinus in aliis litteris ad* Augustinum *datis pios ejus contubernales suo nomine salvere jussisset, Hipponensis Antistes in fine epistolæ* 32 *sic ei respondet :* Fratres non solum, qui nobiscum habitant, et qui ubilibet habitantes Deo pariter serviunt, sed prope omnes, qui nos in Christo libenter noverunt, salutant, venerantur, desiderant germanitatem, beatitudinem, humanitatem tuam. Non audeo petere, sed si tibi ab ecclesiasticis muneribus vacat, venias et videas, quid mecum sentiat Africa.

Donatistæ monachis male conferebant Circumcelliones suos ;

251 *Petilianus Donatista illum monasticum vivendi modum contemnebat, ut colligimus ex* S. Augustino, *qui contra Litteras illius lib.* 3, *cap.* 40 *scribit sequentia :* Deinceps perrexit *(nimirum Petilianus)* ore maledico in vituperationem monasteriorum et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus a me fuerit institutum. E
Quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit. *Tamen alii Donatistæ, forsan bona monachorum fama convicti, postea videntur circumcelliones suos (erant hi furibundi ejusdem hæreseos sectatores, de quibus Optatus Milevitanus libro tertio et Sanctus noster variis locis consuli possunt) monachis Catholicis opposuisse vel comparasse : nam* S. Augustinus *Enarratione in Psalmum* 132 *de inæqualitate hujus comparationis auditores suos ita monet :* Ex voce hujus psalmi appellati sunt et monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis. Quando vos recte hæreticis de circumcellionibus insultare cœperitis, ut erubescendo salventur, illi vobis insultant de monachis. Primo si comparandi sunt, vos videte. Si verbis nostris opus est, jam laboratis. Non opus est, nisi ut admoneam unumquemque, ut attendat. Solum attendat et comparet. Quid opus est verbis nostris? Comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis.

monachi Africani sobrii erant et probi, licet inter eos

252 *Ex hac comparatione discimus, illos Africæ monachos sobriam ac piam vitam duxisse. Sed hanc laudem istis omnibus non potuisse vere tribui, fatetur ipse sanctus Doctor, explicationem ejusdem psalmi post pauca sic prosequens :* Verumtamen, charissimi, sunt et qui monachi falsi sunt; et nos F
novimus tales. Sed non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non sunt : tam sunt enim monachi falsi, quam et clerici falsi et fideles falsi. Omnia ista genera, fratres mei, quæ aliquando vobis commendavimus, et ut puto non semel, habent bonos suos, habent malos suos. *Sæpius alibi similia repetit, ac ipse pius Magister habuit in sua congregatione perversos discipulos, qui postea moribus suis scandalum præbuerunt, et pacem Ecclesiæ turbarunt. Talis fuit Paulus Cataquensis episcopus, quem sanctus Doctor in Christo Jesu per Evangelium genuerat, et a cujus communione sese propter excitatas in ecclesia Hipponensi turbas sejungere debuit. Præterea talis erat Antonius, quem a teneris annis in monasterio suo nutrierat, et ad episcopatum Fussalensem provexerat : hic enim postea præpostere officio suo functus est, et tanto mœrore nutritorem suum affecit, ut* S. Augustinus *episcopatum abdicare cogitaverit, et privatus pro errore suffragationis suæ pœnitentiam agere voluerit.*

263 *Ut*

A quidam reperirentur improbi: 253 *Ut alios omittam, tales etiam fuerunt Donatus ejusque frater, qui sponte monasterium Hipponense deseruerant, ut in ecclesia Carthaginensi ad clericatum promoverentur, et de quibus sanctus Vir ad Aurelium Carthaginensem in Epistola 76 scribit hoc modo :* Legi epistolam benignitatis tuæ de Donato et fratre ejus, et quid responderem, diu fluctuavi. Sed tamen etiam atque etiam cogitanti, quid sit utile saluti eorum, quibus in Christo nutriendis servimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, nisi non esse istam viam dandam servis Dei, ut se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. Et ipsis enim facilis lapsus, et ordini clericorum fit indignissima injuria, si desertores monachorum ad militiam clericatus eligantur, cum ex his, qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere soleamus: nisi forte, sicut vulgares dicunt, malus choraula, bonus symphoniacus est; ita iidem ipsi vulgares de nobis jocabuntur, dicentes: Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, et tam gravi contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, et tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. *Etiam inter Clericos, quos Sanctus postea episcopali dignitate ornatus in contubernio habuit, grave scandalum exortum est, ut forsan infra referemus.* B

Sanctus quoslibet admittebat ad suum monasterium. 254 *Non est profecto mirum, bonis plerisque monachis malos aliquot immixtos fuisse, cum pius Pater de salute omnium solicitus obscuros cujusvis conditionis homines ad monasterium suum admitteret, ut ipsi in libro de Opere monachorum apud nos cap. 22 fatetur his verbis :* Nunc autem veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei et ex conditione servili, vel etiam liberti, vel propter hoc a dominis liberati sive liberandi, et ex vita rusticana et ex opificum exercitatione et plebeio labore, tanto utique felicius, quanto fortius educati; qui si non admittantur, grave peccatum est: multi enim ex eo numero vere magni et imitandi extiterunt. Nam propterea et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia, et stulta mundi elegit, ut confunderet sapientes, et ignobilia mundi, et ea, quæ non sunt, tamquam sint, ut ea, quæ sunt, evacuentur, ut non glorietur omnis caro coram Deo. Hæc itaque pia et sancta cogitatio facit, ut etiam tales admittantur, qui nullum afferant mutatæ in melius vitæ documentum. Neque enim apparet, utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem et laboriosam fugientes, vacui pasci atque vestiri voluerint, et insuper honorari ab eis, a quibus contemni conterique consueverant. C

cur que id faceret, indicat: 256 *At cur (inquiet aliquis) prudens Pater ignotos cujuslibet sortis homines in monasterium suum promiscue recipiebat? Huic interrogationi S. Augustinus in Enarratione ad Psalmum 99 jam diu respondit hoc modo :* Quid dicturus est mihi, quisquis talibus locis forte præest, imo servit fratribus in his, quæ monasteria dicuntur? Quid dicturus est? Cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum; cum paucis bonis bene mihi erit. Ubi cognoscis, quem forte vis excludere? Ut cognoscatur malus, intus probandus est. Quomodo ergo excludis intraturum, qui postea probandus est, et probari, nisi intraverit, non potest? Repelles omnes malos? Dicis enim, et nosti inspicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt, qui intraturi sunt. Ipsi se non noverunt, quanto minus tu: multi enim sibi promiserunt, quod impleturi essent illam vitam sanctam, in commune habentem omnia, ubi nemo dicit aliquid suum, quibus est una anima et cor unum in Deum. Missi sunt in fornacem et crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum, qui sibi adhuc ignotus est? Excludes malos fratres a conventu bonorum. De corde tuo, quisquis ista dicis, omnes malas cogitationes, si potes, a te exclude. Non intret in cor tuum vel suggestio mala. AUCTORE G. C.

docens, non omnes bonos esse posse, nec omnes esse malos, 257 *Deinde ibidem ex his concludit, perfectam bonorum congregationem non nisi in cælo futuram, et errorem illorum, qui vitam monasticam vel clericalem nimiis laudibus extollebant, aut nimis vituperabant, ita refellit :* Hinc autem fallantur homines, ut vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur, quia et cum laudare volunt, sic laudant, ut non ibi dicant mala, quæ mixta sunt; et qui vituperare volunt, tam invido animo et perverso vituperant, ut claudant oculos adversus bona, et sola mala, quæ ibi vel sunt vel putantur, exaggerent. E Inde fit, ut unaquæque professio male laudata, id est, non caute laudata, cum invitaverit homines laude sua, inveniant illi, qui illuc veniunt, aliquos, quales ibi esse non credebant; et offensi a malis, resiliant a bonis. Fratres, disciplinam istam ad vitam vestram conferte, et sic audite, ut vivatis. Laudatur, ut generaliter dicam, Ecclesia Dei: magni homines Christiani, soli Christiani, magna Ecclesia Catholica, diligunt se omnes, impendunt sibi quisque quod possunt, orationibus, jejuniis, hymnis vacatur per totum orbem terrarum, una consensione pacis laudatur Deus. Audit forte, qui nescit, tacitum esse de commixtis malis; venit laude invitatus; invenit commixtos malos, qui non illi prædicti sunt, antequam veniret; offenditur a falsis Christianis, refugit a veris Christianis.

uti in Christianis fit et in clericis, 258 Rursus odiosi, maledici irruunt in vituperationem: Quales Christiani? Qui Christiani? Avari, fœneratores. Nonne ipsi sunt, qui theatra et amphitheatra implent per ludos et per alia spectacula, qui implent ecclesias per dies festos? Ebriosi, voraces, invidi, insectatores alterutrum? F Sunt tales, sed non soli tales. Et iste vituperator cæco animo tacet bonos, et ille laudator incauto animo tacet malos. Si autem sic laudamus in hoc tempore Ecclesiam Dei, quomodo laudant Scripturæ. Ecce quomodo nunc dixit: Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum. Audit homo, considerat; placet illi lilium, intrat, adhæret lilio, tolerat spinas: merebitur esse in laude et in oculis sponsi, qui dicit: Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum. Ita et in clericis. Laudatores clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores, omnium toleratores, viscera sua impendentes his, quos volunt proficere, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Laudant hæc, obliviscuntur, quia mixti sunt malis. Rursus qui reprehendunt avaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum, appetentes res alienas, ebriosos, voraces, jactantes; et tu invide vituperas, et tu incaute laudas. Tu qui laudas, dic mixtos malos, tu qui vituperas, vide ibi et bonos.

259 Sic

AUCTORE G. C. *ac explicans, unde oriatur,*

259 Sic et in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri, sancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde vivunt. Cum lectione illis res est. Laborant manibus suis; inde se transigunt, non avare aliquid petunt. Quidquid eis infertur, a piis fratribus, cum sufficientia et cum charitate utuntur. Nemo sibi usurpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes invicem se sustinent. Laudat, qui nescit, quid interius agatur; qui nescit, quomodo illo vento intrante *(superius comparaverat monasterium portui, in qua naves interdum vento collisæ periclitantur)* etiam naves in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperans, neminem, quem toleret, habiturus: invenit ibi fratres malos, qui mali inveniri non possent, nisi admitterentur. Et necesse est, ut primo tolerentur, ne forte corrigantur. Nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati, et fit ipse intolerandæ patientiæ. Quis me huc quærebat? Ego putabam, quia charitas esset hic. Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseveraverit implere, quod novit, fit desertor tam sancti propositi, et reus B voti non redditi.

ut multi de Religiosis male loquantur.

260 Jam vero cum inde exierit, fit et ipse vituperator et maledicus; et dicit ea sola, quæ quasi non pati se potuisse asseverat, et forsan vera. Sed vera malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. Dicit illi Scriptura: Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Et quod est amplius, ructat indignationes, malorum odorem, unde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? Invidi, litigatores, neminem sustinentes, avari. Ille illud ibi fecit, et ille illud ibi fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti, jactas; qui te malum toleraverunt, taces. *Denique hanc sententiam suam Sanctus ibi confirmat aliis comparationibus, quas hic brevitatis causa prætermittimus. Porro illud monasterium Hipponense, quod huic dissertationi occasionem dedit, simile fuisse videtur istis, quæ* S. Augustinus *olim Mediolani et Romæ viderat, ut superius* § 6 *retulimus. Ceterum de cœnobiis clericorum et sanctimonialium, quæ postea episcopus instituit, infra mentionem faciemus. Interea progredimur ad polemicos labores, quos Sanctus adhuc presbyter adversus varias* C *hæreticorum sectas exantlavit, et reliquis occupationibus suis adjunxit.*

§ XIX. Zelus sancti Sacerdotis ad convertendos hæreticos, tum Manichæos, tum Donatistas.

Zelus Sancti ad convertendos Manichæos ex libro de Utilitate credendi,

Crebræ diversæque novi Sacerdotis occupationes eum non impediebant, quo minus, tum scriptis libris, tum viva voce, certaret adversus Manichæos ac Donatistas, quorum magnus numerus Hippone-Regio degebat. Sanctus Possidius in secunda Actorum parte post hunc Commentarium prævium edenda, plerumque breviter aut generatim narrabit hæc certamina, quæ nos ex ipso S. Augustini *testimonio jam confirmabimus aut distinctius exponemus. Neomysta noster primum fervoris sui specimen ad convertendos Manichæos exhibuit Honorato, quem ante annos aliquot ad sectam eorum seduxerat, ut patet ex libro de Utilitate credendi, cujus in Retractationibus lib.* 1 *cap.* 14 *mentionem facit hoc modo:* D Jam vero apud Hipponem-Regium presbyter scripsi librum de Utilitate credendi, ad amicum meum, quem deceptum a Manichæis, adhuc eo errore noveram detineri, et irridere in Catholicæ fidei disciplina, quod juberentur homines credere; non autem, quid esset verum, certissima ratione docerentur.

pura contra illos scribentis intentio:

262 *Quam pura ac simplici intentione* S. Augustinus *illum librum scripserit, in principio ejusdem Operis indicat his verbis:* Nihil est facilius, mi charissime, quam non solum se dicere, sed etiam opinari verum invenisse; sed quam re ipsa difficillimum sit, agnosces, ut confido, his litteris meis: quæ ut tibi prosint, aut certe nihil obsint, omnibusque omnino, quorum in manus forte devenerint, et rogavi Deum et rogo; et spero ita fore, si bene mihi conscius sum, quod ad hunc stylum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione aut nugatoriæ ostentationis accessi. *Deinde cap.* 2 *ex hac pia intentione spem suam corroborat, et amicum veterem sic alloqui pergit:* Opto autem ac spero, E te hoc animo accepturum, quo a me dicuntur. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone malitiose agere, sed, ut existimo accipiendum esse, veri probandi causa, cui uni rei vivere jam diu statuimus, et incredibili solicitudini, ne mihi errare vobiscum facillimum fuerit, iter autem rectum tenere vobiscum sit, ne durius loquar, difficillimum. Sed præsumo, quod et in hac spe, qua spero, vos viam sapientiæ mecum obtenturos, non me deseret ille, cui sacratus sum, quem dies noctesque intueri conor; et quoniam propter peccata mea, propterque consuetudinem plagis veternosarum opinionum sauciatum oculum animæ gerens, invalidum me esse cognosco, sæpe rogo cum lachrymis.... Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo, si multum metuo, ne fallaris. *Videtur autem Deus pium Sacerdotem nostrum voti compotem fecisse, cum Honoratus hic verosimiliter sit idem cum illo ejusdem nominis Catholico, ad quem* S. Augustinus *postea episcopus epistolam* 120 *scripsit, ut Rivius, Tillemontius, aliique probabiliter existimant.* F

Opusculum de Duabus animabus,

263 *Alterum Opusculum, quod sanctus Presbyter eodem circiter tempore adversus Manichæos edidit, lib.* 1 *Retractationum cap.* 15 *recensetur his verbis:* Post hunc librum scripsi adhuc presbyter contra Manichæos de Duabus animabus, quarum dicunt unam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, et quæ sit Deo coæterna; et has ambas animas, unam bonam, alteram malam, in uno homine esse delirant. Istam scilicet malam, propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum: illam vero bonam ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque utramque miscuerit, et omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt. *Pelagiani postmodum aliquos hujus Opusculi textus in favorem hæresis suæ detorserunt; sed* S. Augustinus *illos hic et alibi in Retractationibus suis ita explicavit, ut erroribus eorum nequaquam patrocinentur. Porro hæc duo Opuscula referimus ad annum*

A *annum Christi* 391 *vel* 392 *nondum elapsum, quia Sanctus eadem præmittit publicæ disputationi, quam anno* 392 *circa finem mensis Augusti cum Fortunato Manichæo instituit, et de qua nunc agemus.*

Disputatio publica contra Fortunatum Manichæum,

264 *Tempus hujus disputationis, quæ a notariis publicis excepta est, in principio authenticæ relationis apud nos tomo* 6 *Operum pag.* 66 *sic exprimitur :* Quinto Calendas Septembris Arcadio Augusto bis et Rufino viris clarissimis consulibus, habita disputatio adversus Fortunatum Manichæorum presbyterum, in urbe Hipponensium regionum, in Balneis Solii, sub præsentia populi. *Post hæc alternatim sequuntur utriusque disputatoris ratiocinationes, in quarum fine Fortunatus pag.* 71 *fatetur, se dissolvendis adversarii argumentis imparem esse ; cui tacenti sanctus Presbyter dixit hæc verba :* Et ego novi, te non habere, quid dicas, et me, cum vos audirem, in hac quæstione numquam inveuisse, quod dicerem ; et inde fuisse admonitum divinitus, ut illum errorem derelinquerem, et ad fidem Catholicam me converterem, vel potius revocarem ipsius indulgentia, qui me huic fallaciæ semper inhærere non sivit. Sed si confiteris non habere te, quod respondeas, omnibus audientibus et recognoscentibus, quoniam fideles sunt, Catholicam fidem si permittunt et volunt, exponam.

B

in qua dubium quoddam exponitur,

265 *Circa finem hujus responsionis ex ambigua periodo oritur aliqua difficultas; ad quam Benedictini Galli post Tillemontium in Vita Latina* S. Augustini *lib.* 3 *cap.* 7 *num.* 3 *notarunt sequentia :* Sub Actorum finem significari credas, solos fideles baptizatos adfuisse disputationi secundæ. Nihilominus liquet ex Possidio, Manichæos etiam plures, cum in ea Fortunatus obmutuit, præsentes fuisse; vixque aut ne vix quidem credi potest, rem se aliter habuisse. *Sed hæc apparens contradictio inter* Augustinum *et Possidium videtur tolli posse, si conjunctionem* quoniam, *superius expressam pro conjunctione* quod, *usurpemus eo sensu, quo apud Matthæum cap.* 2 ỳ 16 *legitur :* Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a magis. *In hac significatione verba Augustini sic explicari possunt, acsi dixisset : Omnibus Catholicis hic præsentibus, ac etiam aliis recognoscentibus, quod fideles sunt in voto, vel Catholici fieri cupiunt, Catholicam fidem,*
C *si permittunt et volunt, explicabo. Si omnes, qui hic disputationi aderant, fuissent fideles aut Catholici, cur* Augustinus *permissionem vel voluntatem illorum requisivisset, ut fidem Catholicam exponeret? Quidquid sit de hac interpretatione nostra, quam pro conjectura dumtaxat accipi volumus, eo modo sanctus Magister in hac narratione cum sancto suo discipulo conciliari potest.*

et in qua ille se victum fatetur, at non convertitur.

266 *Interim Fortunatus ad incitas redactus, ita demum respondit :* Sine præjudicio professionis meæ dixerim; illa, quæ a te opponuntur, cum retractavero meis cum majoribus, si minus responderint interrogationi huic meæ, quæ similiter a te nunc mihi offertur, erit in mea contemplatione (quia et ego animam meam cupio certa fide liberari) venire ad hujus rei inquisitionem, quæ a te mihi offertur, et ostensurum te polliceris. *Post hanc Fortunati promissionem sanctus Sacerdos noster Deo gratias egit, et sic illa disputatio finita est. Quis non crederet, hunc Manichæum manifeste convictum postea veritati manus daturum fuisse? Tamen ipse sanctus Doctor lib.* I *Retractationum cap.* 16 *post multos annos exitum hujus disputationis ita narrat :* Eodem tempore presbyterii mei contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum diputavi, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxeratque tam multos, ut propter illos ibi eum delectaret habitare. Quæ disputatio, nobis altercantibus, excepta est a notariis, veluti gesta conficerentur: nam et diem habet et consulem. Hanc in librum memoriæ mandandam conferre curavimus. Versatur ibi quæstio, unde sit malum; me asserente, exortum fuisse hominis malum ex libero voluntatis arbitrio ; illo autem naturam mali Deo coæternam persuadere molicnte. Sed consequenti die tandem confessus est, nihil se adversus nos invenire, quod diceret. Nec sane Catholicus factus est; sed tamen ab Hippone discessit. *Possidius infra in Actis occasionem et successum hujus disputationis iterum magis enucleate referet.*

Scribit contra Adimantum Manichæum.

267 *Ne disjungamus eas lucubrationes, quas Sanctus noster adhuc presbyter adversus Manichæos edidit, hoc loco præcedentibus ejusdem materiæ subjungimus Opusculum post alia nonnulla conscriptum, quod ipse lib.* I *Retractationum cap,* 22 *sic recenset :* Eodem tempore *(nimirum presbyterii)* venerunt in manus meas quædam disputationes Adimanti, qui fuerat Manichæi discipulus, quas conscripsit adversus legem et prophetas, velut contraria eis euangelica et apostolica scripta demonstrare conatus. Huic ergo respondi, verba ejus ponens, eisque reddens responsionem meam. Quod Opus unico volumine conclusi, et in eo quibusdam quæstionibus non semel, sed iterum respondi ; quoniam quod primum responderam, perierat, et tunc inventum est, cum jam iterum respondissem. Aliquas sane earumdem quæstionum popularibus ecclesiasticis sermonibus solvi, adhuc etiam quibusdam non respondi ; aliquæ remanserunt, quæ, rebus aliis magis urgentibus, prætermissæ sunt, cumulo quoque oblivionis adjuncto. *Jam tempus est, ut a Manichæis transeamus ad Donatistas, quos etiam* S. Augustinus *adhuc presbyter impugnare cœpit.* E

Donatistarum origo, et eorum schismatis occasio,

268 *Sed ad clariorem rerum dicendarum intelligentiam prius sciendum est, quid Donatistæ docuerint, et quam sævos erroris sui sectatores habuerint. Hanc notitiam curioso lectori subministrat ipse sanctus Doctor in libro de Hæresibus, ubi num.* 69 *originem, doctrinam, divisionem, pertinaciam et rabiem eorum describit his verbis :* Donatiani vel Donatistæ sunt, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum ecclesiæ Carthagineusis episcopum schisma fecerunt, objicientes ei crimina non probata, et maxime, quod a traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresim schisma verterunt: tamquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu (quod magis judicibus apparuit) falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atque in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis exstincta. Audent etiam rebaptizare Catholicos, ubi se amplius hæreticos esse firmarunt, cum Ecclesiæ Catholicæ universæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere. F

269 Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum

AUCTORE G. C.

eorumdem principes, Donatum, qui de Nurmidia veniens, et contra Cæcilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit episcopum: cui Majorino Donatus episcopus alius in eadem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment, propter ipsum potius eos Donatistas vocari. Exstant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam; sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Isti hæretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere, aut hinc illuc Afri episcopi eorum pergere, si forte ibi eum ordinare placuisset.

et divisiones: 270 Ad hanc hæresim in Africa et illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste et famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo: nam per mortes varias maxime præcipitiorum et aquarum et ignium seipsos necare consuerunt; et in istum furorem alios, quos potuerint, utriusque sexus seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes. Verumtamen plerisque Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qui Christiano orbi terrarum dementes objiciunt ignotorum crimen Afrorum. Multa et inter ipsos facta sunt schismata, et ab iis se de diversis cœtibus alii atque alii separarunt, quorum separationem cetera grandis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejusdem erroris centum ferme episcopis ordinatus, et a reliquis trecentis decem, cum eis duodecim, qui ordinationi ejus etiam præsentia corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra ecclesiam dari posse baptismum Christi: nam quosdam ex eis, cum eis, quos extra eorum ecclesiam baptizaverant, in suis honoribus sine ulla in quoquam repetitione baptismatis receperunt; nec eos, ut corrigerent per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui concilii sententiam vehementer exaggeratis, communionem suam contaminare timuerunt.

illorum multitudo, potentia, odium in Augustinum. 271 *Ex his facile colligimus, in Africa Donatistas multitudine innumerabiles et feritate terribiles fuisse. Certe Hippone-Regio non diu ante adventum* S. Augustini *tanta erat illorum violentia vel auctoritas, ut Faustinus eorum in hac urbe episcopus panem Catholicis coqui prohibuerit, sicut ipse sanctus Doctor lib.* 2 *contra Litteras Petiliani Donatistæ cap.* 83 *significat hac interrogatione:* Nonne apud Hipponem, ubi ego sum, non desunt, qui meminerint, Faustinum vestrum regni sui tempore præcepisse, quoniam Catholicorum, ibi paucitas erat, ut nullus eis panem coqueret, ita ut cujusdam diaconi nostri furnarius inquilinus domini sui panem incoctum abjecerit, eique nulla exsilii lege damnato, communicationem non solum in civitate Romana *(Hippo-Regius hic vocatur civitas Romana, quia juris erat Romanorum)* sed etiam in patria sua; nec solum in patria, sed etiam in domo sua negaverit? *Quinimo rabies Donatistarum contra sanctum Presbyterum nostrum eo usque progre-* D *diebatur, ut eum publice seductorem animarum ac lupum nominarent, et certam peccatorum omnium veniam promitterent iis suæ partis hominibus, qui* Augustinum *occidissent, quemadmodum sanctus Possidius in Actis infra dandis num.* 18 *testabitur.*

Sanctus varia 272 *Verum his adversariorum minis non terrebatur intrepidus Catholicæ fidei Vindex, et contra tam multos tamque formidabiles veritatis hostes edidit adhuc tempore sui presbyterii publicum Opusculum, cujus materiam ac methodum lib.* I *Retractationum cap.* 20 *sic breviter indicat:* Volens etiam causam Donatistarum ad ipsius humillimi vulgi et omnino imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire, et eorum, quantum fieri posset, per nos inhærere memoriæ, Psalmum, qui eis cantaretur, per Latinas litteras feci; sed usque ad V litteram (tales enim abecedarios appellant) tres vero ultimas omisi; sed pro eis novissimum quasi epilogum adjunxi, tamquam eos mater alloqueretur Ecclesia. Hypopsalma etiam, quod responderetur et procemium causæ, quod nihilominus cantaretur, non sunt in ordine litterarum: earum quippe ordo incipit post procemium. E Ideo autem non aliquo carminis genere id fieri volui, ne me necessitas metrica ad aliqua verba, quæ vulgo minus sunt usitata, compelleret. *Iste Psalmus abecedarius in editione Plantiniana Operum* S. Augustini *initio tomi septimi pag.* 3 *impressus est, ad quem annotationes theologorum Lovaniensium post eumdem tomum pag.* 6 *consuli possunt.*

scribit 273 *Sanctus alteram lucubrationem tunc contra Donatistas editam, quæ jam periit, vel adhuc alicubi latet, eodem lib.* I *Retractationum cap.* 21 *commemorat his verbis:* Librum etiam contra Epistolam Donati, qui partis Donati, secundus post Majorinum episcopus apud Carthaginem fuit, eodem presbyterii mei tempore scripsi; in qua epistola ille agit, ut non nisi in ejus communione baptisma Christi esse credatur, cui nos contradicimus. *Deinde quasdam opiniones a se in Opere illo traditas corrigit, exponit, aut revocat. Unde omnibus evidenter patet, quanto animi candore* S. Augustinus *etiam litterarios aut historicos errores suos agnosceret. Eodem circiter tempore ad Maximinum Donatistarum episcopum dedit Epistolam* 203, *cujus fragmentum paragrapho præcedente exhibuimus, ut ostenderemus,* F *quantam curam* S. Augustinus *adhuc presbyter pro diœcesi Hipponensi gereret. Tota hæc epistola transcribi mereretur, nisi nimis prolixa foret. Quapropter hic alterum ejusdem fragmentum exhibemus, ut ex eo manifestum fiat, quam humaniter et mansuete Sanctus noster cum Donatistis egerit, eosque ad finem Catholicam amplectendam invitaverit.*

contra Donatistas. 274 *Itaque pacificus Presbyter pos honorificos amicosque titulos, quos huic Donatistarum episcopo Maximino tribuit, et quorum in exordio rationem reddit, epistolam* 203 *mox citatam sic prosequitur:* Ego cum in ista regione consuetudinem hominum lugendam atque plangendam, qui, cum Christiano nomine glorientur, Christianos rebaptizare non dubitant, quibus verbis poteram detestarer, non defuerunt laudatores tui, qui mihi dicerent, te ista non facere. Fateor, primo non credidi. Deinde considerans, posse fieri, ut animam humanam de futura vita cogitantem Dei timor invaleret, ut se a scelere apertissimo temperaret, gratulatus credidi, quod tali proposito ab Ecclesia Catholica nolueris esse nimis

AUCTORE G. C.

A nimis alienus. Quærebam sane occasionem loquendi tecum, ut si fieri posset, ea, quæ parva remanserat, inter nos dissensio tolleretur. Cum ecce ante paucos dies diaconum nostrum Mutugenneusum te rebaptizasse, nuntiatum est. Dolui vehementer et illius miserabilem lapsum, et tuum, frater, inopinatum scelus : novi enim, quæ sit Ecclesia Catholica, gentes sunt hereditas Christi, et possessio Christi termini terræ. Nostis et vos, aut si non nostis, advertite; facillime a volentibus sciri potest. Rebaptizare igitur hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est; rebaptizare autem Catholicum, immanissimum scelus est.

et Maximinum eorum episcopum

275 Tamen non adeo credens, quia de te mihi bene persuasum tenebam, Mutugennam ipse perrexi, et eum quidem miserum videre non potui; a parentibus vero ejus audivi, quod vester jam etiam diaconus factus sit. Et tamen tam bene adhuc de tuo corde sentio, ut eum rebaptizatum esse non credam. Quare te, frater dilectissime, per divinitatem et humanitatem Domini nostri Jesu Christi obsecro, ut rescribere B mihi digneris, quid gestum sit; et sic rescribere, ut noveris me in ecclesia fratribus nostris epistolam tuam velle recitare. Quod ideo scripsi, ne cum id postea facerem, quod me non sperares facturum, offenderem charitatem tuam, et justam de me apud communes amicos querelam deponeres. Quid ergo te impediat ad rescribendum, non video : si enim rebaptizas, nihil est, quod homines de tuo collegio formides, cum id te rescripseris facere, quod te illi facere, etiamsi nolles, juberent. Cum autem id quantis potueris documentis faciendum esse defenderis, non solum non succensebunt, sed etiam prædicabunt. Si autem non rebaptizas, arripe libertatem Christianam, frater Maximine, arripe, quæso te : non cujusquam hominis in contemplatione Christi aut reprehensionem verearis, aut exhorreas potestatem. Transit honor hujus seculi, transit ambitio. In futuro Christi judicio nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, et conscientiarum arbiter judicare. Quæ C hic honorant, ibi onerant; quæ hic relevant, ibi gravant. Ista quæ pro tempore propter Ecclesiæ utilitatem honori nostro exhibentur, defenduntur forte bona conscientia, defendere autem non poterunt malam.

humanissimis litteris

276 Quod ergo tam pio et tam religioso animo facis, si tamen facis, ut Ecclesiæ Catholicæ baptismum non iteres, sed approbes potius tamquam unius verissimæ matris, quæ omnibus gentibus et regenerandis sinum pandit, et regeneratis ubera infundit, tamquam unius possessionis Christi, sese usque ad terræ terminos porrigentis, si hoc vere facis, cur non erumpis in exultantem et liberam vocem? Cur lucernæ tuæ tam utilem splendorem premis sub modio?... Clama ergo, recte te facere, si non rebaptizas; et non solum sine trepidatione, sed etiam cum gaudio mihi inde rescribe. Nulla te tuorum consilia, frater, exterreant : si enim hoc eis displicuerit, non sunt digni, qui te habeant. Si autem placuerit, credimus de misericordia Domini, qui timentes sibi displicere et conantes placere numquam deserit, quod inter nos et vos cito pax erit, ne propter honores nostros, de qua sarcina periculosa ratio reddetur, miseræ plebes credentes in Christum habeant in domibus suis communes cibos, et mensam Christi communem habere non possint. Nonne ingemiscimus, quod vir et uxor, ut fideliter conjungant corpora sua, jurant sibi plerumque per Christum, et ipsius corpus Christi diversa communione dilaniant? Hoc tantum scandalum, tantus diaboli triumphus, tanta pernicies animarum, si per tuam modestiam et prudentiam et dilectionem, quam debemus ei, qui pro nobis suum sanguinem fudit, ablata de medio in his regionibus fuerit, quis explicet verbis, quam tibi palmam præparet Dominus, ut ad cetera membra sananda; quæ per totam Africam tabefacta miserabiliter jacent, a te proficiscatur tam imitabiliter jacent, a te proficitatur tam imitabile medicinæ documentum?

invitat ad fidem Catholicam :

277 Quam vereor; quoniam cor meum videre non potes, ne tibi cum insultatione potius quam cum dilectione loqui videar. Sed certe amplius quid faciam, non invenio, nisi ut inspiciendum sermonem meum tibi offeram, animum Deo. Tollamus de medio inania objecta, quæ a partibus imperitis jactari contra invicem solent; nec ut objicias tempora Macariana, nec ego sævitiam Circumcellionum. Si hoc ad te non E pertinet, nec illud ad me. Area Dominica nondum ventilata est, sine paleis esse non potest. Nos oremus atque agamus, quantum possumus, ut frumentum simus..... Re agamus, ratione agamus, divinarum Scripturarum auctoritatibus agamus, quieti atque tranquilli, quantum possumus, petamus, quæramus, pulsemus, ut accipiamus et inveniamus, et aperiatur nobis; ne forte fieri possit, ut adjuvante Domino concordes conatus et orationes nostras tanta deformitas atque impietas Africanarum regionum de nostris terris incipiat aboleri.

qui verosimiliter est conversus.

278 *Forsam hac suavi fortique exhortatione Maximinus ille commotus est, ut postea fidem Catholicam amplecteretur : nam Maximinus episcopus Sinitensis ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ ex schismate Donatistarum transiit, ut* S. Augustinus *Epistola* 166 *testatur. Holstenius autem aliique probabiliter existimant, hunc eum illo eumdem esse. Quidquid sit, hæc specimina sufficiant ad ostendendum fervorem, quem Sanctus tempore presbyterii sui pro conversione Manichæorum et Donatistarum habuit. Postea per de-* F *cursum hujus Commentarii prævii breviter afferemus alia certamina, quæ Sanctus ad cathedram Hipponensem jam evectus, cum Manichæis, Donatistis aliisque hæreticis inivit. Interim paragrapho sequente colligemus illa, quæ* S. Augustinus *adhuc presbyter ad utilitatem Ecclesiæ scripsit aegessit.*

§ XX. Reliqua scripta, quæ Sanctus tempore sui presbyteratus edidit, et ex horum postremo orta controversia inter ipsum et S. Hieronymum.

Disputatio Sancti de Fide et Symbolo :

Hippone-Regio generale totius Africæ concilium mense Octobri anni 393 *celebratum est, sicut editores conciliorum et chronologi consentiunt. In hac synodo* S. Augustinus *adhuc presbyter de fide et symbolo disserere jussus est, et eam dissertationem, rogantibus amicis, postmodum scripto vulgavit, ut ipse lib.* 1 *Retractationum cap.*

AUCTORE G.C.

cap. 17 *testatur hoc modo :* Per idem tempus coram episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone-Regio agebant *, de fide et symbolo presbyter disputavi : quam disputationem, nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, studiosissime instantibus, in librum contuli, in quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter competentibus traditur. *Alias ejusdem fere temporis lucubrationes collocabimus eo ordine, quo sanctus Doctor illas in libris Retractationum recenset.*

* al. habebant

Opusculum imperfectum de Genesi ad litteram :

279 *Itaque lib.* 1, *cap.* 18 *aliquod Opus imperfectum memorat his verbis :* Cum de Genesi duos libros contra Manichæos condidissem, quoniam secundum allegoricam expositionem Scripturæ verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est, quemadmodum possent secundum historicam proprietatem, quæ ibi dicta sunt, accipi; volui experire in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo Opere, quid valerem; sed in Scripturis exponendis tyrocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit : et nondum perfecto uno libro, ab eo,
B quem sustinere non poteram, labore conquievi. Sed in hoc Opere cum mea Opuscula retractarem, iste ipse, ut erat imperfectus, venit in manus, quem neque edideram, et abolere decreveram, quoniam scripsi postea XII libros, quorum titulus est : De Genesi ad litteram. In quibus quamvis multa quæsita potius quam inventa videantur, tamen eis iste nullo modo est comparandus. Verum et hunc posteaquam retractavi, manere volui, ut esset index, quantum existimo, non inutilis rudimentorum meorum in enucleandis atque scrutandis divinis Eloquiis, ejusque titulum esse volui De Genesi ad litteram imperfectus.

alia in sacram Scripturam

280 *Sanctus eodem lib.* 1 *Retractationum cap.* 19 *testatur*, *sese* per idem tempus de sermone Domini in monte secundum Matthæum duo volumina *scripsisse. Tribus sequentibus ejusdem libri capitibus enumerat Opuscula sua, quæ tunc adversus Donatistas et Adimantum Manichæum vulgavit, et quorum paragrapho præcedente meminimus. His ibidem subjungit tres commenta-*
C *rios in Epistolas Apostoli Pauli, cujus occasionem cap.* 23 *refert hoc modo :* Cum presbyter adhuc essem, contigit, ut apud Carthaginem inter nos, qui simul eramus, ad Romanos Apostoli Epistola legeretur, et quædam interrogabar a fratribus; quibus cum, sicut poteram, responderem, voluerunt scribi potius, quæ dicebam, quam sine litteris fundi : ubi cum eis obtemperarem, liber unus accessit Opusculis meis. *Ex hoc libro Semi-Pelagiani adducebant opinioni suæ patrocinium. Sed* Augustinus *lib.* 1 *de Prædestinatione Sanctorum cap.* 3 *et sequenti candide errorem suum agnoscit, priorem sententiam mutat, et illos errantes prioris opinionis suæ sectatores ad exemplum suum imitandum invitat.*

Opuscula :

281 *Lib* 1 *Retractationum cap.* 24 *sic aliud ejusdem fere generis Opusculum commemorat :* Post hunc librum exposui ejusdem Apostoli Epistolam ad Galatas, non carptim, id est, aliqua prætermittens, sed continuanter et totam. Hanc autem expositionem uno volumine comprehendi. *Sed sanctus Interpres hanc explicationis methodum tenere non potuit in altero sacræ Scripturæ commentario, quem ibidem cap.* 25 *recenset his verbis :* Epistolæ quoque ad Romanos, sicut ad Galatas, expositionem susceperam. Sed hujus Operis, si perficeretur, plures libri erant futuri; D
quorum unum in sola disputatione ipsius salutationis absolvi, ab initio scilicet usque ad illud, ubi ait : « Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro » et Domino Jesu Christo ». Factum est quippe, ut immoraremur, cum vellemus solvere incidentem sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in Spiritum sanctum, quod non remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro. Sed deinde alia volumina cessavi adjungere exponendo Epistolam totam, ipsius Operis magnitudine ac labore deterritus, et in alia faciliora deflexus sum. Ita factum est, ut librum, quem feceram primum, relinquerem solum, cujus esse titulum volui, Epistolæ ad Romanos inchoatæ expositio.

quando scriptus liber 83 Quæstionum.

282 *Miramur, ibidem cap.* 26 *librum de Octoginta tribus quæstionibus collocari inter Opera, quæ* S. Augustinus *adhuc presbyter scripsit : nam sanctus Doctor ibi testatur, illas quæstiones a se dictatas fuisse primo tempore conversionis suæ, postquam in Africam rediit, quas postea* jam episcopus *ordinatim colligi et in unum librum redi-*
gi jusserit. Forsan eas presbyter recognovit, epi- E
scopus postea vulgavit, et ideo tempore presbyteratus ejus recensentur. At quæcumque sit hujus ordinis causa, nos illas § 13 *retulimus ad secessum Tagastensem, cui originem suam debent. Sic etiam superius* § 9 *recensuimus Opus de Libero arbitrio, quod Santus Romæ adhuc laicus inchoavit, etiamsi illud in Africa jam presbyter absolverit. Nihil hic annotare voluimus circa privatas epistolas, quas Sanctus tempore sui presbyteratus ad Paulinum aliosque dedit, ne Commentarius noster prævius nimium excrescat.*

Scribit de Mendacio, et contra Mendacium,

283 *Denique Sanctus lib.* 1 *Retractationum cap.* 27 *postremum Opus a se presbytero compositum indicat, et ab altero similis materiæ distinguit his verbis :* Item de Mendacio scripsi librum, qui etsi cum aliquo labore intelligitur, habet tamen non inutilem ingenii et mentis exercitationem, magisque moribus ad veriloquium diligendum proficit. Hunc quoque auferre statueram de Opusculis meis, quia et obscurus et anfractuosus, et omnino molestus mihi videbatur; propter quod eum nec edideram. Deinde cum postea scripsissem alterum, cujus titulus est contra mendacium, multo magis istum non esse decreve- F
ram, et jusseram, sed non est factum. Itaque in ista retractatione Opusculorum meorum, cum eum incolumem reperissem, etiam ipsum retractatum manere præcepi; maxime quia in eo nonnulla sunt necessaria, quæ in illo altero non sunt. Propterea vero illius inscriptio est contra mendacium; istius autem de mendacio : quoniam per illum totum oppugnatio est aperta mendacii; istius autem magna pars in inquisitionis disputatione versatur. Ad eumdem tamen finem uterque dirigitur. *Utrumque illud Opus in editione Plantiniana sub initio tomi quarti typis excusum est.*

in quo tacite reprehendit S. Hieronymum,

284 *In epilogo prioris hujus opusculi de Mendacio contrariam quorumdam sententiam redarguit his verbis :* Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum. Tanta porro cæcitas hominum animos occupavit, ut eis parum sit, si dicamus quædam mendacia non esse peccata, nisi etiam in quibusdam peccatum dicant esse, si mendacium recusemus; eoque perducti sunt defendendo mendacium, ut etiam primo illo genere, quod est omnium sceleratissimum, dicant

A eant usum fuisse apostolum Paulum: nam in Epistola ad Galatas, quæ utique sicut ceteræ ad doctrinam religionis pietatisque conscripta est, illo loco dicunt esse mentitum, ubi ait de Petro et Barnaba: Cum vidissem quia non recte ingrediuntur ad veritatem Euangelii. Cum enim volunt Petrum ab errore, atque ab illa, in quam inciderat, viæ pravitate defendere, ipsam religionis viam, in qua salus est omnibus, confracta et comminuta Scripturarum auctoritate, conantur evertere. In quo non vident, non solum mendacii crimen, sed etiam perjurii, se objicere Apostolo in ipsa doctrina pietatis, hoc est, in Epistola, in qua prædicat Euangelium; ibi quippe ait, priusquam ista narraret: « Quæ autem « scribo vobis, ecce coram Deo, quia non « mentior ».

qui docuerat Petro Paulum restitisse

285 *Hic tacito nomine* S. Augustinus *reprehendit Hieronymum, qui in Commentario Epistolæ S. Pauli ad Galatas jam scripserat sequentia:* Ex eo quod Petrus, antequam quidam de Jerosolymis Antiochiam venirent, edebat cum gentibus, ostenditur non eum oblitum fuisse præce-B pti; nullum hominem communem et immundum dicere; sed quia propter eos, qui adhuc Legem observandam putabant, paululum se a convictu subtraxerat gentium; ita ut etiam ceteri, qui ex Judæis erant, similiter facerent; et Barnabas, qui cum Paulo in gentibus Euangelium prædicabat, hoc facere cogeretur, hi qui Antiochiæ crediderant ex gentibus, nec fuerant circumcisi, compellebantur ad Legis onera transcendere; non intelligentes dispensationem Petri, qua Judæos salvari cuperet, sed putantes ita se Euangelii habere rationem. Cum itaque vidisset Apostolus Paulus periclitari gratiam Christi, nova bellator ejus usus est arte pugnandi, ut dispensationem Petri, qua Judæos salvari cupiebat, nova ipse contradictionis dispensatione corrigeret, et resisteret ei in faciem, non arguens propositum, sed quasi in publico contradicens, ut ex eo quod Paulus eum arguens resistebat, hi qui crediderant ex gentibus; servarentur.

ex quadam simulatione,

286 Quod si putat aliquis, vere Paulum Petro Apostolo restitisse, et pro veritate Euangelii intrepide fecisse injuriam præcessori, non ei stabit illud, quod et ipse Paulus Judæis Judæus factus est, ut Judæos lucrifaceret, et ejusdem C simulationis tenebitur reus, quando caput totondit in Cenchris et facto calvitio oblationem obtulit in Jerusalem; et Timotheum circumcidit, et nudipedalia exercuit, quæ utique manifestissime de cæremoniis Judæorum sunt. Si itaque ipse, qui ad prædicationem gentium missus erat, non putavit abs re dicere: Sine offendiculo estote Judæis et Ecclesiæ Dei; quomodo et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur; et fecit aliqua, quæ contraria essent Euangelii libertati, ne scandalizaret Judæos; qua auctoritate, qua fronte audet hoc in Petro reprehendere, qui circumcisionis Apostolus erat, quod ipse Apostolus gentium arguitur commisisse? Sed, ut ante jam diximus, restitit secundum faciem publicam Petro et ceteris, ut hypocrisis observandæ legis, quæ nocebat eis, qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendaretur, et uterque populus salvus fieret; dum et qui circumcisionem laudant, Petrum sequuntur; et qui circumcidi nolunt, Pauli prædicant libertatem. Quod autem ait, REPREHENSIBILIS ERAT, propterea medie temperavit, ut intelligamus, non tam a Paulo cum fuisse reprehensibilem, quam his fratribus, cum quibus ante edens, se ab eis postea separabat. *Deinde S. Hieronymus variis exemplis ostendere nititur, hanc reprehensionem ex condicto utriusque Apostoli propter alios simulatam ac licitam fuisse.*

putabatque Hieronymum mendacii officiosi patronum:

287 *Sed hæc opinio nequaquam placet* Augustino, *qui adhuc presbyter Hieronymo inscripsit Epistolam octavam, in qua cap. 3 sic eum alloquitur:* Legi etiam quædam scripta, quæ tua dicerentur, in epistolas Apostoli Pauli, quarum ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus a perniciosa simulatione revocatur; dictumque ibi patrocinium mendacii susceptum esse vel abs te tali viro, vel a quopiam, (si alius illa scripsit) fateor, non mediocriter doleo, donec refellantur, si forte refelli possunt ea, quæ me movent: mihi enim videtur exitiosissime credi, aliquod in Libris sanctis esse mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos... : admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum E Librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis; eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur. *Deinde Sanctus noster pluribus ibidem ratiociniis hoc argumentum suum urget, et in epistola sequente rursus repetit.*

respondet Augustino Hieronymus subiratus,

288 *At Hieronymus in Epistola inter Augustinianas undecima remittit* Augustinum *ad præfationem sui Commentarii in Epistolam ad Galatas, ubi veteres ejusdem sententiæ defensores assignaverat; et caput tertium istius Epistolæ undecimæ concludit his verbis:* Ego, imo alii ante me exposuerunt causam, quam putaverant, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu scribis, sed docentes honestam dispensationem, ut et Apostolorum prudentiam demonstrarent, et blasphemantis Porphyrii imprudentiam coercerent, qui Petrum et Paulum puerili dicit inter se pugnasse certamine; imo exarsisse Paulum in invidiam virtutum Petri, et ea scripsisse jactanter, quæ vel non fecerit, vel, si fecerit, procaciter fecerit, id in alio reprehendens, quod ipse commiserit. Interpretati sunt illi, ut potuerunt. Tu F quomodo locum istum edisseres, utique meliora dicturus, qui veterum sententiam reprobasti. *Igitur occasione Opusculi de Mendacio et ex litteris hac de re ultro citroque scriptis inter hos duos sanctos doctissimosque viros orta est illa controversia, quæ paulatim ferventius agitari cœpit: Hieronymus enim postea duas acriores epistolas ad* Augustinum *dedit, quæ inter Augustinianas numero* VIII *et* XIV *legi possunt.*

quem ille leni responsione mitigat,

289 *Attamen Sanctus noster his litteris expostulatoriis epistolam decimam quintam reddidit, ubi cap. 2 subiratum Hieronymum placavit hac mansueta responsione:* Restat igitur, ut lædere me rescribendo disponeres, si certo documento meas esse illas litteras nosceres. Atque ita, quia non credo, quod injuste me lædendum putares, superest, ut agnoscam peccatum meum, quod prior te illis litteris læserim, quas meas esse negare non possum. Cur itaque conor contra fluminis tractum, ac non potius veniam peto? Obsecro te ergo per mansuetudinem Christi, ut, si læsi te, dimittas mihi, ne me vicissim lædendo malum pro malo reddas. Lædes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in

AUCTORE G. C.

in factis vel dictis meis: nam si ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non sunt, te lædis magis quam me; quod absit a moribus et sancto proposito tuo, ut hoc facias voluntate lædendi, culpans in me aliquid dente maledico, quod mente veridica esse scis non culpandum. Ac per hoc aut benevolo corde arguas, etiamsi caret delicto, quem arguendum putas; aut paterno affectu mulceas, quem adjicere nequeas: potest enim fieri, ut tibi aliud videatur, quam veritatis habet; dum tamen abs te aliud non fiat, quam charitas habet: nam et ego amicissimam reprehensionem gratissime accipiam, etiamsi reprehendi non meruit, quod recte defendi potest; aut agnoscam simul et benevolentiam tuam et culpam meam, et quantum Dominus donat, in alio gratus, in alio emendatus inveniar. *Præterea Sanctus noster epistola decima nona fusius Hieronymo respondit, ejusque sententiam de reprehenso Petro suaviter ac fortiter iterum refutavit.*

ita ut amicitia illorum hinc aucta,

290 *Sic ea disceptatio sopita est inter illustres istos Ecclesiæ Doctores, et hæc amantium rixa videtur amoris redintegratio fuisse, quemadmodum colligimus ex epistola vigesima quinta, qua* B *postmodum sanctus Hieronymus* Augustinum *laudat his verbis:* Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo, quo decet, honore veneratus sum, et habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem; sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus, et plena complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti, maluistique, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus commorari. Scit, quid dicam, prudentia vestra. Macte virtute; in orbe celebraris; Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt; et quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur; et me pari persequuntur odio, ut, quos gladio nequeunt, voto interficiant. Incolumem et mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, domine venerande, et beatissime papa.

et Hieronymus videatur in Augustini sententiam transivisse:

291 *Imo non dubitamus, quin Hieronymus in hac materia sententiam* S. Augustini *tandem amplexus fuerit, cum postea in Dialogo adversus Pelagianos lib.* I, *cap.* 8 *sub nomine Critobuli* C *scribat sequentia:* Apostolus *(nimirum Paulus)* dicit de Petro, quod non recto pede incesserit in Euangelii veritate, et in tantum reprehensibilis fuerit; ut et Barnabas adductus sit in eamdem simulationem. Quis indignabitur, id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit? *Hæc prioris sententiæ mutatio confirmatur ex ipso* S. Augustino, *qui Oceano hanc veterem controversiam renovare cupienti in epistola 260 post alia sic respondet:* Sed quid hinc diutius? cum de hac quæstione inter nos ego et prædictus venerabilis frater Hieronymus satis litteris egerimus; et in hoc Opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversus Pelagium modo edidit, eamdem de ista re gesta dictisque Apostolicis sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.

quomodo aliqui explicent locum de Cepha reprehenso.

292 *Ad evitandas difficultates, quæ ex hac opinione objiciuntur, antiqui quidam scriptores asseruerunt, quod Cephas ille reprehensus, non fuerit Apostolus Petrus, sed alius ab ipso diversus, ut in supra citato Commentario Epistolæ ad Galatas Hieronymus tradit his verbis:* Sunt, qui Cephan, cui hic in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum; et dicunt nequaquam Petrum a convictu D gentium se potuisse subtrahere, qui et centurionem Cornelium baptizarat; . . maxime cum Lucas scriptor historiæ nullam hujus dissensionis faciat mentionem; nec dicat, umquam Petrum Antiochiæ fuisse cum Paulo; et locum dari Porphyrio blasphemanti, si aut Petrus errasse, aut Paulus procaciter Apostolorum principem confutasse credatur. *Quamvis S. Hieronymus ibidem mox refellat hanc antiquam sententiam, tamen Harduinus noster aliique recentiores eum secuti, rursus illam suscitarunt, et non contemnendis argumentis hactenus defendunt. Cum non sit hic instituti nostri probabiliorem ex istis opinionibus tueri, theologis et sacræ Scripturæ interpretibus ulterius indagandam relinquimus illam controversiam, de qua interim Historia Apostolica, quam Antonius Sandinus anno* 1731 *Patavii edidit, et Gerardus Castcel in Controversiis ecclesiastico-historicis, Coloniæ Agrippinæ anno* 1734 *impressis controversia* XIII, *consuli possunt. Nunc ab his eruditis utilibusque Sancti nostri scriptis transimus ad egregium* E *ejusdem facinus, quod adhuc tempore presbyterii sui patravit.*

§ XXI. Hippone-Regio sacrilegus mos epulandi in templo, qui festis quorumdam Sanctorum diebus sub larva pietatis servari solebat, exhortatione Sancti nostri sublatus.

Cum in ecclesiis Africanis vinolenta celebrarentur convivia,

Turpis Afrorum mos erat, ut sub falsa specie religionis in cœmeteriis Martyrum, seu venerandis Sanctorum templis vinolenta convivia instituerent, eoque modo annuam illorum festivitatem colerent, aut verius profanarent. Sanctus Presbyter noster hanc sacrilegam consuetudinem ægerrime ferebat, et propterea anno Christi 392 *ad Aurelium Carthaginensem episcopum recenter electum scripserat epistolam sexagesimam quartam Plantinianæ editionis, in qua ipsum graviter exhortatus est, ut auctoritate conciliorum et prævio ecclesiæ suæ Carthaginensis exemplo hunc* F *abusum ex Africa fortiter simulque suaviter eliminaret. Nobis ignotum est, an Aurelius Carthaginensis antistes id exsecutioni mandare potuerit, quamvis apud Labbeum nostrum tomo 2 Conciliorum col.* 1069 *inter canones ecclesiæ Africanæ, procurante verosimiliter* Augustino, *sequens ordine quadragesimus secundus exprimatur his verbis:* Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant; populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur. *At certe Sanctus noster Hippone-Regio hunc canonem observari jussit, et illam fœdam convivandi in ecclesia consuetudinem penitus abolevit, ut discimus ex Epistola vigesima nona novissimæ editionis Parisiensis, quam* S. Augustinus *adhuc presbyter Alypio jam episcopo Tagastensi scripsit, et quam PP. Benedictini Galli non ita pridem in Ms. codice Cisterciensium repererunt.*

Sanctus adhuc presbyter contra abusum illum

294 *Quamvis hæc epistola sit longior, et laudati PP. Benedictini in Vita* S. Augustini *lib.* 3, *cap.* 11 *materiam illius redegerint in compendium, quod inde facilius hic excerpi posset, tamen*

A *men hanc rem præclare gestam referre malumus ex ipso sancto Presbytero nostro, et propterea prolixiorem ejus narrationem hoc loco transcribere non gravabimur. Atypius anno Christi* 395 *versabatur in urbe Hipponensi, quando imminebat annua S. Leontii quondam Hipponensis episcopi festivitas, quam cives solito conviviorum apparatu celebrare decreverant. Sed præsul ille sciens firmum Presbyteri nostri propositum, pro fausto rei successu preces effuderat, et forsan ob urgentia diœcesis suæ negotia ante abusum illum sublatum inde discesserat, ut colligimus ex initio memoratæ epistolæ, quam Sanctus noster ita continuat :* Cum post profectionem tuam nobis nuntiatum esset, tumultuari homines, et dicere se ferre non posse, ut illa solemnitas prohiberetur, quam LÆTITIAM nominantes, vinolentiæ nomen frustra conantur abscondere, sicut etiam, te præsente, jamjam nuntiabatur; opportune nobis accidit occulta ordinatione omnipotentis Dei, ut quarta feria illud in Euangelio capitulum consequenter tractaretur : " Nolite dare Sanctum canibus, neque projeceritis B " margaritas vestras ante porcos ". Tractatum est ergo de canibus et de porcis, ita ut et pervicaci latratu adversus Dei præcepta rixantes, et voluptatum carnalium sordibus dediti erubescere cogerentur; conclusumque ita, ut viderent, quam esset nefarium, intra ecclesiæ parietes id agere nomine religionis, quod in suis domibus si agere perseverarent, a Sancto et Margaritis ecclesiasticis eos arceri oporteret.

vehementer invectus,

295 Sed hæc quamvis grate accepta fuerint, tamen quia pauci convenerant, non erat satisfactum tanto negotio. Iste autem sermo cum ab eis, qui aderant, pro cujusque facultate ac studio foris ventilaretur, multos habuit contradictores. Postea vero quam dies Quadragesimæ illuxisset, et frequens multitudo ad horam tractationis occurrit, lectum est istud in Euangelio, ubi Dominus de templo expulsis venditoribus animalium, et eversis mensis nummulariorum, dixit, domum Patris sui pro domo orationum, speluncam latronum esse factam. Quod capitulum, cum eos intentos proposita vinolentiæ quæstione fecissem, et ipse quoque recitavi; adjunxique disputationem, qua ostenderem, quanto commotius et ve- C hementius Dominus noster ebriosa convivia, quæ ubique sunt turpia, de templo expelleret, unde sic expulit concessa commercia, cum ea venderentur, quæ sacrificiis illo tempore licitis essent necessaria; quærens ab eis, quibus similiorem putarent speluncam latronum necessaria vendentibus, an immoderate bibentibus. Et quoniam mihi præparatæ lectiones suggerendæ tenebantur, adjunxi deinde, ipsum adhuc carnalem populum Judæorum in illo templo, ubi nondum Corpus et Sanguis Domini offerebatur, non solum vinolenta, sed nec sobria quidem umquam celebrasse convivia; nec eos publice religionis nomine inebriatos inveniri in historia, nisi cum festa fabricato idolo exsolverent : quæ cum dicerem, codicem etiam accepi, et recitavi totum illum locum. Addidi etiam cum dolore, quo potui, quoniam Apostolus ait, ad discernendum populum Christianum a duritie Judæorum, epistolam suam, non in tabulis lapideis scriptam, sed in tabulis cordis carnalibus, cum Moyses famulus Dei, propter illos principes, binas lapideas tabulas confregisset, quomodo non possumus istorum corda confringere, qui homines novi Testamenti, Sanctorum diebus celebrandis ea vellent solenniter exhibere, quæ populus veteris Testamenti et semel, et idolo celebravit.

AUCTORE G. C.

demonstrataque ex Scripturis

296 Tunc reddito Exodi codice, crimen ebrietatis, quantum tempus sinebat, exaggerans sumpsi apostolum Paulum, et inter quæ peccata posita esset, ostendi, legens illum locum : " Si " quis frater nominetur aut fornicator, aut ido- " lis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut " ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec ci- " bum sumere "; ingemiscendo admonens, cum quanto periculo convivarentur cum eis, qui vel in domibus inebriarentur. Legi etiam illud, quod non longo intervallo sequitur : " Nolite errare ; " neque fornicatores, neque idolis servientes, " neque adulteri, neque molles, neque mascu- " lorum concubitores, neque fures, neque ava- " ri, neque ebriosi, neque maledici, neque " raptores regnum Dei possidebunt. Et hæc qui- " dem fuistis; sed abluti estis, sed justificati estis " in nomine Domini Jesu Christi et Spiritu Dei " nostri ". Quibus lectis, dixi, ut considerarent, quomodo possent fideles audire, SED ABLUTI ESTIS, qui adhuc talis concupiscentiæ sordes, contra quas clauditur regnum cælorum, in corde suo, id est, in interiore Dei templo esse E patiuntur. Inde ventum est ad illud capitulum: " Convenientibus ergo vobis in unum, non est " Dominicam cœnam celebrare ; unusquisque " enim propriam cœnam præsumit in manducan- " do ; et alius quidem esurit, alius ebrius est " manducando et bibendo. An ecclesiam Dei con- " temnitis " ? Quo recitato, diligentius commendavi, ne honesta quidem et sobria convivia debere in ecclesia celebrari, quandoquidem Apostolus non dixerit : Numquid domos non habetis ad inebriandos vos, ut quasi tantummodo inebriari in ecclesia non liceret; sed, Ad manducandum et bibendum, quod potest honeste fieri, sed præter ecclesiam, ab eis, qui domos habent, ubi alimentis necessariis refici possint : tamen nos ad has angustias corruptorum et diffluentium morum esse perductos, ut iis nondum modesta convivia, sed saltem domesticum regnum ebrietatis optemus.

rei turpitudine, animarumque ex illo periculo,

297 Commemoravi etiam Euangelii capitulum, quod pridie tractaveram, ubi de pseudoprophetis dictum est : " Ex fructibus eorum co- " gnoscetis eos ". Deinde in memoriam revoca- F vi fructus eo loco non appellatos, nisi opera. Tum quæsivi, inter quos fructus nominata esset ebrietas, et recitavi illud ad Galatas : " Manife- " sta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornica- " tiones, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ser- " vitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, " æmulationes, animositates, dissensiones, hæ- " reses, invidiæ, ebrietates, commessationes, " et his similia; quæ prædico vobis, sicut præ- " dixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei " non possidebunt ". Post quæ verba interrogavi, quomodo de fructu ebrietatis agnoscerentur Christiani, quos de fructibus agnosci Dominus jussit. Adjunxi etiam legendum, quod sequitur : " Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, " pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fi- " des, mansuetudo, continentia ". Egique ut considerarent, quam esset pudendum atque plangendum, quod de illis fructibus carnis non solum privatim vivere, sed etiam honorem ecclesiæ deferre cuperent, et si potestas daretur, totum tam magnæ basilicæ spatium turbis epulantium ebriorumque complerent : de spiritualibus autem fructibus, ad quos et divinarum Scripturarum auctoritatem et nostris gemitibus invitarentur,

AUCTORE G. C.

tur, nolunt adferre Deo munera, et his potissimum celebrare festa Sanctorum.

fletu aliorum et suo finem orationi imponit :

298 Quibus peractis, codicem reddidi, et imparata oratione, quantum valui, et quantum me ipsum periculum urgebat, et vires administrare Dominus dignabatur, constitui eis ante oculos commune periculorum et ipsorum, qui nobis commissi essent, et nostrum, qui de illis rationem reddituri essemus pastorum Principi, per cujus humilitatem, insignes contumelias, alapas, et sputa in faciem, et palmas, et spineam coronam, et crucem ac sanguinem obsecravi, ut si se ipsi aliquid offendissent, vel nostri misererentur, et cogitarent venerabilis senis Valerii circa me ineffabilem caritatem, qui mihi tractandi verba veritatis tam periculosum onus non dubitarit propter eos imponere, eisque sæpe dixerit, quod orationes ejus exauditæ essent de nostro adventu; quos non utique ad communem mortem vel spectaculum mortis illorum, sed ad communem conatum in æternam vitam ad se venisse lætatus est. Postremo etiam dixi, certum esse me, et fidere in eum, qui mentiri nescit, qui per os Prophetæ sui pollicitus est de Domino nostro Jesu Christo
B dicens : « Si reliquerint filii ejus legem meam « et in præceptis meis non ambulaverint; si justi« ficationes meas profanaverint, visitabo in vir« ga facinora eorum, et in flagellis delicta eo« rum; misericordiam autem meam non aufe« ram. » In eum ergo me fidere, quod si hæc tanta, quæ sibi essent lecta et dicta, contemnerent, visitaturus esset in virga et flagello, nec eos permissurus cum hoc mundo damnari. In qua conquestione sic actum, ut pro negotii atque periculi magnitudine tutor et gubernator noster animos facultatemque præbebat. Non ego illorum lacrymas meis lacrymis movi; sed cum talia dicerentur, fateor, eorum fletu præventus, meum abstinere non potui. Et cum jam pariter flevissemus, plenissima spe correctionis illorum, finis sermonis mei factus est.

cum tamen aliqui adhuc obmurmurarent,

299 Postridie vero cum illuxisset dies, qui solebant fauces ventresque se parare, nuntiatur mihi, nonnullos eorum etiam, qui sermoni aderant, nondum a murmuratione cessasse, tantumque in eis valere vim pessimæ consuetudinis, ut
C ejus tantum voce uterentur et dicerent : « Quare « modo; non enim, antea qui hæc non prohi« buerunt, Christiani non erant? » Quo audito, quas majores commovendi eos machinas præpararem, omnino nesciebam; disponebam tamen, si perseverandum putarent, lecto illo loco de propheta Ezechiele, « Explorator absolvitur, « si periculum denuntiaverit, etiamsi illi, quibus « denuntiatur, cavere noluerint » ; vestimenta mea excutere atque discedere. Tum vero Dominus ostendit, quod nos non deserat, et quibus modis, in se ut præsumamus, hortetur : namque ante horam, qua exhedram ascenderemus, ingressi sunt ad me iidem ipsi, quos audieram de oppugnatione vetustæ consuetudinis fuisse conquestos; quos blande acceptos paucis verbis in sententiam sanam transtuli; atque ubi ventum est ad tempus disputationis, omissa lectione, quam præparaveram, quia necessaria jam non videbatur, de hac ipsa quæstione pauca disserui, nihil nos nec brevius nec verius posse adferre adversus eos, qui dicunt, QUARE MODO, nisi et nos dicamus VEL MODO.

prudenti oratione eos placat,

300 Verumtamen ne illi, qui ante nos tam manifesta imperitæ multitudinis crimina vel permiserunt, vel prohibere non sunt ausi, aliqua a nobis affici contumelia viderentur, exposui eis, D qua necessitate ista in Ecclesia viderentur exorta; scilicet post persecutiones tam multas tamque vehementes, cum, facta pace, turbæ gentilium in Christianum nomen venire cupientes, hoc impedirentur, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum et ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis et tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuisse majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos post eos, quos relinquebant, alios in honorem sanctorum Martyrum vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu, celebrarentur; jam Christi nomine conligatis, et tantæ auctoritatis jugo subditis salutaria sobrietatis præcepta traderentur, quibus jam propter præcipientis honorem ac timorem resistere non valerent : quocirca jam tempus esse, ut qui non se audent negare Christianos, secundum Christi voluntatem vivere incipiant, ut ea, quæ, ut essent Christiani, concessa sunt, cum Christiani sunt, respuantur.

abusumque efficaciter abrumpit,

301 Deinde hortatus sum, ut transmarinarum ecclesiarum, in quibus partim ista recepta numquam sunt, partim jam per bonos rectores, E populo obtemperante, correcta, imitatores esse vellemus. Et quoniam de basilica beati apostoli Petri, quotidianæ vinolentiæ proferebantur exempla; dixi primo audisse nos sæpe, esse prohibitum; sed quod remotus sit locus ab episcopi conversatione, et in tanta civitate magna sit carnalium multitudo, peregrinis præsertim, qui novi subinde veniunt, tanto violentius quanto inscitius illam consuetudinem retinentibus, tam immanem pestem nondum compesci sedarique potuisse. Verumtamen nos, si Petrum apostolum honoraremus, debere præcepta ejus audire, et multo devotius Epistolam, in qua voluntas ejus apparet, quam basilicam, in qua non apparet, intueri; statimque accepto codice, recitavi, ubi ait : « Christo enim passo pro nobis per carnem, « et vos eadem cogitatione armamini, quia qui « passus est carne, desiit a carne, ut jam non « hominum desideriis, sed voluntate Dei reli« quum tempus in carne vivat. Sufficit enim vo« bis præteritum tempus voluntate hominum « perfecisse ambulantes in libidinibus, desideriis, F « ebrietate, commessationibus et nefandis idolo« rum servitutibus ». Quibus gestis, cum omnes uno animo in bonam voluntatem ire, contempta mala consuetudine, cernerem, optatus * sum, ut meridiano tempore divinis lectionibus et psalmis interessent; ita illum diem multo mundius atque sincerius placere celebrandum; et certe de multitudine convenientium facile posse apparere, qui mentem, et qui ventrem sequeretur. Ita lectis omnibus, sermo terminatus est.

** forte hortatus*

hymnis ac divinis laudibus epularum loco substitutis.

302 Pomeridiano autem die major, quam ante meridiem, affuit multitudo, et usque ad horam, qua cum episcopo egrederemur, legebatur alternatim et psallebatur; nobisque egressis, duo psalmi lecti sunt. Deinde me invitum, qui jam cupiebam peractum esse tam periculosum diem, jussum compulit Senex, ut aliquid eis loquerer. Habui brevem sermonem, quo gratias agerem Deo. Et quoniam in hæreticorum basilica audiebamus ab eis solita convivia celebrata, cum adhuc etiam eo ipso tempore, quo a nobis ista gerebantur, illi in poculis perdurarent, dixi, diei pulcritudinem noctis comparatione decorari, et colorem candidum nigri vicinitate gratiorem; ita nostrum spiritualis celebrationis conventum minus

A nus fortasse futurum fuisse jocundum, nisi ex alia parte carnalis ingurgitatio eonferretur, hortatusque sum, ut tales epulas instanter appeterent, si gustassent, quam suavis est Dominus; illis autem esse metuendum, qui tamquam primum sectantur, quod aliquando destruetur; cum quisque comes efficiatur ejus rei, quam colit, insultaritque Apostolus talibus dicens; « Quorum deus « venter », cum idem alio loco dixerit : « Esca « ventri, et venter escis; Deus autem et hunc « et illas evacuabit ». Nos proinde oportere id sequi, quod non evacuatur, quod remotissimum a carnis affectu spiritus sanctificatione retinetur. Atque in hanc sententiam pro tempore cum ea, quæ Dominus suggerere dignatus est, dicta essent, acta sunt vespertina, quæ quotidie solent; nobisque cum Episcopo recedentibus, fratres eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriusque * ad obscuratum diem manente atque psallente.

* forte deest sexus

Difficultas circa tempus rei peractæ

303 *Ex his abunde patet, quam feliciter ac pathetice* S. Augustinus *hanc inceteratam consue-* B *tudinem sustulerit. Sed occurrit difficultas circa tempus anni 395, quo res ista contigit : cum enim Sanctus noster in epistola superius exhibita num. 295 dicat, se concionem coram populo tunc habuisse, quando* dies Quadragesimæ *illuxit, id factum videri posset die* XII *Februarii, quandoquidem Pascha anni 395 in diem* XXV *Martii incidebat; unde per quadraginta dies retrogradiendo ad diem duodecimam Februarii vel initium Quadragesimæ perveniemus. Verum annua S. Leontii Hipponensis episcopi solennitas post Pascha celebrari consueverat, et aliquando cum festo Ascensionis Domini concurrit, ut discimus ex Sermone decimo tertio de Diversis editionis Planlinianæ, quem* S. Augustinus *jam episcopus in basilica Leontiana festo Ascensionis instituit, et in quo post alia sic loquitur :* Hodiernum ergo diem Ascensionis ipsius celebramus. Occurrit autem huic ecclesiæ a tabernaculo * solennitas; conditoris basilicæ hujus sancti Leontii hodie depositio est. Sed dignetur obscurari stella a sole. Ergo de Domino potius, quod cœperamus, loquamur. Gaudet bonus servus, quando laudatur dominus. Hodierno ergo die, hoc est, quadrage- C simo post Resurrectionem suam, Dominus ascendit in cœlum.

* melius alii vernacula

explicatur :

304 *Propter allegata memoratæ Epistolæ verba et expressum posterioris hujus Sermonis tempus aliqui dubitanter admittunt duas S. Leontii festivitates, quarum una mense Februario, altera mense Maio quotannis celebrari potuerit. At nos cum Tillemontio in Monumentis ecclesiasticis tomo* XIII *pag.* 974 *et sequente probabilius existimamus, mendum librarii in hanc Epistolam irrepsisse, et pro τὸ* dies Quadragesimæ, *mutata unica littera, τὸ* dies quadragesima *(videlicet post Resurrectionem Domini) legendum esse. Novissimi Operum* S. Augustini *editores ab hac opinione nostra non abhorrent, dum in notis ad eamdem Epistolam monent sequentia :* Suspicari quis possit, legendum esse DIES QUADRAGESIMA ILLUXISSET, id est, dies Ascensionis : maxime quia conviviis et compotationibus, quibus sese dedere Catholici cupiebant, quibusque toto illo die dediti Donatistæ fuerunt, nusquam hic jejunii Quadragesimalis religionem Augustinus opponit.

ac pauca notantur de S. Leontio.

305 *Cum Majores nostri de S. Leontio præsule Hipponensi non meminerint, hic illis et antiquis Martyrologis ignotus fuisse videtur : si enim sanctus iste Hipponensis basilicæ conditor ex Sermone decimo tertio mox citato notus illis fuisset, saltem inter Prætermissos de illo mentionem fecissent, etiamsi gesta ejus ignorarent. Licet eminentissimus Baronius eumdem sanctum præsulem Martyrologio Romano non inseruerit, tamen alia occasione mentionem ipsius facit : sed ei perperam attribuit episcopatum Tagastensem, dum die* XIII *Januarii in notis ad Martyrologium Romanum ita scribit :* Habet et Africa suum sanctum Leontium episcopum Tagastensem, de quo sanctus Augustinus Sermone XIII de Diversis, ibidem et de basilica Leontina ab ipso sic dicta. *Vir eminentissimus huic sancto Leontio Tagastensem episcopatum tribuens, evidenter errat, ut liquet ex Epistola* XXIX *jam recitata, cui præfigitur hic antiquus titulus :* Epistola presbyteri Hipponensium-Regiorum ad Alypium episcopum Thagastensium de die natalis Leontii, quondam episcopi Hipponensis. *Porro Tillemontius tomo* XIII *Monument. eccles. pag.* 211 *et sequente putat, hunc episcopum Hipponensem seculo tertio floruisse, et annuam ejus festivitatem die* IV *Maii constanter celebratam fuisse. Quapropter etiam Castellanus in Corollario Martyrologii sui universalis pag.* 735 *eumdem* E *die* IV *Maii annuntiat. Quidquid sit de certo ætatis tempore, quo sanctus ille præsul claruit, aut fixo mensis die, quo solennitas ejus annua colebatur,* Augustinus *anno Christi* 395 *fortiter abrupit illam pessimam consuetudinem, quæ huic digressioni materiam præbuit. Denique sanctus Presbyter noster hoc illustri facinore, aliisque præclaris scriptis ac factis tantam auctoritatem adeptus est, ut Valerius Hipponensis episcopus eum sibi collegam seu dignitatis suæ socium statuerit adsciscere, quemadmodum paragrapho sequente videbimus.*

§ XXII. Promotio Sancti ad cathedram ecclesiæ Hipponensis, quam simul cum Valerio rexit, et hujus episcopalis ordinationis modus ac tempus.

F

Sanctus viventi Valerio coepiscopus consecratur,

Cum nomen illustre S. Augustini *quotidie magis magisque percrebresceret, Valerius antistes Hipponensis non immerito metuebat, ne forsan ille ab aliis Africæ ecclesiis episcopus deposceretur, ut sanctus Possidius in Actis postea recudendis num.* 16 *narrabit. Expenso igitur hoc amissionis periculo, pius senex Valerius* Augustinum, *quem prius successorem habere cupiebat, collegam expetiit, et apud alios Africæ præsules effecit, ut voti sui compos fieret, quemadmodum discimus ex Epistola* 36 *inter Augustinianas, quam S. Paulinus ad Romanianum dedit, et in qua ad rem nostram sic scribit :* Non tantum hoc scribimus gratulandum, quod episcopatum Augustinus acceperit, sed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ ecclesiæ, ut verba cœlestia Augustini ore perciperent, qui ad majorem Dominici muneris gratiam novo more provectus, ita consecratus est, ut non succederet in cathedra, sed accederet : nam incolumi Valerio Hipponensis ecclesiæ episcopo coepiscopus Augustinus est; et ille beatus senex, cui purissimam mentem nulla umquam liventis invidiæ macula suffudit, dignos sui cordis pace nunc ab Altissimo

AUCTORE G. C.

mo fructus capit, ut quem successorem sacerdotii sui suppliciter optabat, hunc mereretur tenere collegam. *Sed duplex obstaculum removendum fuit, antequam ea res ad optatum finem perduceretur, sicut jam referemus.*

ubi ei persuaserunt exempla alia hujusmodi ordinationis præcessisse :

307 *Primo vincenda erat humilitas* Augustini, *qui se munere episcopali indignum putabat. Etiam cum Valesio simul Hipponensem cathedram occupare renuebat, quia verosimiliter noverat, non esse moris apud Catholicos, ut in eadem civitate duo præsules sederent, ac eamdem diœcesim gubernarent. At tandem timens, ne divinæ voluntati resisteret, precibus Valerii et communi totius cleri plebisque desiderio cessit, cum præsertim exempla duplicis antistitis in eadem civitate proferrentur, ut in Epistola* 34 *ad Paulinum et Therasiam data satis innuit his verbis :* Sed qua ecclesiæ cura tenear, ex hoc vestra charitas oportet attendat, quod beatissimus pater Valerius, qui vos nobiscum quantum salutet, quantum sitiat, audictis ex fratribus, nec presbyterum me esse suum passus est, nisi majorem mihi coepiscopatus sarcinam imponeret. Quod quidem quia tanta ejus charitate, tantoque populi studio Dominum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus mihi omnis excusatio claudebatur, vehementer timui excusare.

ipsum tamen postea hujus consecrationis pœnituit.

308 *Qualiacumque fuerint illa exempla duorum episcoporum in eadem urbe, de quibus* Augustinus *hoc modo meminit, postea sanctum Præsulem pœnituit istius illicitæ consecrationis episcopalis, ut aperte declaravit in authentico instrumento, quo Eradium presbyterum sibi in episcopatu successorem designavit (nunc est Epistola centesima decima Plantinianæ editionis) ubi post alia clerum populumque sic alloquitur :* Scio, quod scitis et vos; sed nolo de illo fieri, quod de me factum est; quod autem factum sit, multi scitis. Illi soli nesciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem sciendi. Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.... Erit presbyter, ut est, quando Deus voluerit, futurus episcopus. *Ita Sanctus noster alios ab errandi periculo retraxit, et simul innocuum animi sui candorem prodidit.*

Ante consecrationem accusatus a Megalio Calamensi

309 *Interim Megalius episcopus Calamensis et Numidiæ primas huic ordinationi alterum impedimentum attulit, et* Augustino *succensens (quam ob causam non certo scitur) ei consecrationem episcopatem conferre noluit. Tantummodo ex authentico testimonio constat, Megalium tunc temporis scripsisse litteras, quibus* Augustinum *de re quadam perperam gesta accusabat. Equidem non ignoro, quod Joannes Rivius in Vita Sancti nostri lib.* I, *cap.* 3 § 1 *causam hujus recusationis confidenter expresserit his verbis :* Megalius Augustinum ordinare noluit allegans amatorium mulieri cuidam, marito non solum conscio, verum etiam favente, ab illo datum; quod et aliis episcopis per litteras significavit. *Sed hæc impudens calumnia potius videtur adscribenda Petiliano Donatistæ, quam Megalio præsuli Catholico, quemadmodum colligimus ex ipso Augustino, qui contra Litteras istius hæretici lib.* 3, *cap.* 16 *hanc falsam accusationem sic explodit :* Titulos epistolarum mearum a se vel a suis, sicut eis placuit, inscriptos legat, et tamquam me in eis comprehendisse se gestiat, confitentem eulogias panis simpliciter et hilariter datas ridiculo nomine, et venenosæ turpitudinis ac furoris infamet, et de nostro corde tam male sentiat, ut amatoria maleficia data mulieri, marito non solum conscio, verum etiam favente, credi sibi posse præsumat. Quod de me adhuc presbytero scripsit iratus ordinator futurus episcopatus mei, velit valere adversus me; quod autem a sancto concilio de hoc, quod in nos ita peccavit, veniam petivit et meruit, nolit valere pro me, ita Christianæ mansuetudinis et præcepti Evangelici vel nescius vel oblitus, ut etiam quod fratri, ut sibi ignosceretur, humiliter postulanti clementer ignotum est, criminetur. *Sanctus hoc loquendi modo probabiliter innuit, istam philtri dati calumniam non fuisse excerptam ex litteris Megalii, sed potius esse confictam ab ipso Petitiano, qui tam crassam accusationem ab incautis* Augustini *adversariis credi posse speraverat.*

de re quapiam incerta, sed absolutus

310 *Quinimo Cresconius grammaticus indicat, sese ignorasse, qua de re Megalius* Augustinum *accusaverit, dum ei objicit hæc verba :* Epistolam principis vestri, qua nescio quid de te scripsit, cum te ordinari nollet, tenent non pauci nostrorum. *Certe hic hæreticus calumniator pro suo adversus* Augustinum *odio non siluisset tam turpe crimen, si illud ex litteris Megalii primatis sibi notum fuisset. Unde Sanctus noster ibidem lib.* 3 *contra Cresconium cap.* 80 *contemnit hanc epistolam, licet etiam Megalius in accusatione sua perseverasset, et illam adversarii objectionem breviter refellit his verbis :* Illam vero minime curarem *(videlicet epistolam Megalii)* nec si ejus, a quo scripta dicitur, non perspicua pro nobis sententia legeretur, illam calumniam falsitatemque condemnans; quanto minus eam curat Catholica Ecclesia, cujus causam contra vos agimus, cui tot divinis testimoniis præfidenti, nulla humana de quoquam homine testimonia seu vera seu falsa, qua gaudet auferunt veritatem. Desine talibus; unus homo sum : Ecclesiæ inter nos agitur causa, non mea : Ecclesiæ, inquam, quæ in nullo homine spem ponere, a suo didicit Redemptore.

testimonio etiam accusatoris sui.

311 *Cum inter Felicianum et Primianum Donatistas ortum esset dissidium, Sanctus noster argumento ad hominem, sicut vulgo dicitur, eamdem Cresconii Donatistæ objectionem lib.* 4 *mox citati Operis cap.* 64 *sic refutat :* Cum ego epistolam primatis nostri, de qua fecisti * sub eadem urbana obliquitate mentionem, quam de me ille scripsit iratus, cum in episcoporum concilio probare, quod intenderat, urgeretur, ejus ipsius sententia se corrigentis, et de hac re veniam postulantis, legam esse damnatam; tu quære, utrum possis legere, ubi correctus damnaverit Felicianus, quæ non accusans, sed damnans, dixit in Primianum, vel saltem ipse Primianus saltem evacuaverit, quæ damnans dixit in Felicianum. Quod si inveneris, nec sic par erit causa; quia ille accusationem instituerat, quam falsam esse pervidens, cum veniæ postulatione damnavit, non aspernans emendationis humilitatem dignitate primatus, sed potius recolens prudenter, quod scriptum est : " Quanto magnus es, tanto " humilia te in omnibus, et coram Deo invenies " gratiam ". Isti autem non invicem apud alios accusaverant, sed adversus invicem judices sederant; proinde invicem damnaverant, damnati concordaverunt. Non invidemus in parte Donati pacem damnatorum, si et Christi pacem non respuant in orbe terrarum.

* al. vitiose quia fecisset

312 *Igitur hac publica primatis palinodia sublatum*

ab eodem Megalio consecratur.

A *latum est alterum ordinationis impedimentum, et* Augustinus *ab ipso Megalio consecratus est episcopus, ut discimus ex Breviculo collationum per tres dies cum Donatistis habitarum, ubi hi hæretici consecrationem istam arrodere cupiebant, sicut ipse sanctus Doctor cap.* 7 *tertiæ diei narrat hoc modo :* Quæsierunt etiam, quis ordinaverit Augustinum, nescio quas, sicut jactabatur, calumnias præparantes. Ubi cum eis intrepide responderet, a Megalio se ordinatum, qui tunc fuerit primas episcoporum in Numidia ecclesiæ Catholicæ ; et urgeret instanter, ut jam proferrent, quæ præparaverunt, ut ibi etiam calumniosi demonstrarentur, illi intentionem in aliud detorserunt, redeuntes ad Cæciliani personam, quam dicebant Catholicæ Ecclesiæ non obesse, etiamsi vera ejus crimina monstrarentur, et tamen etiam ipsa non posse monstrari. *Nunc verisimiliorem consecrationis hujus annum breviter assignabimus.*

Licet annus consecrationis

313 *Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. pag.* 214 *ac præsertim pag.* 975 *circa tempus, quo* S. Augustinus *ordinatus est episcopus, varias proponit difficultates, quas PP. Benedictini* B *Galli in Actis ejusdem sancti Doctoris lib.* 4, *cap.* 1, *num.* 4 *Latine contraxerunt his verbis :* Hæc nimirum fuit Augustini promotio, cujus ille memoriam quotannis renovabat. . . Exstat in hanc rem egregius præ ceteris sermo, ad plebem ipso die episcopalis ordinationis ejus habitus, in quo Natalem Domini imminere dicit. Facit hæc observato, ut consecrationem ejus, quam in hujus anni trecentesimi nonagesimi quinti finem referre visum est, nemo putaverit rejiciendam ultra annum trecentesimum nonagesimum sextum; quippe cum anno trecentesimo nonagesimo septimo sanctionibus concilii Carthaginensis tertii, die Septembris prima vel Augusti vigesima octava celebrati, subscripserit inter episcopos Augustinus; quo etiam impulsore, ut diximus, fuit in ea synodo constitutum, ut ordinandis episcopis vel clericis decreta conciliorum prælegerentur.

laboret difficultate aliqua,

314 Ne tamen ita ordinatio ponatur ante eumdem annum trecentesimum nonagesimum sextum, obstare videtur alia observatio; quia videlicet librorum, quos episcopus elaboravit in ipso, ut loquitur, episcopatus sui exordio, primi sunt C duo ad Simplicianum Mediolanensem, quem et in epistola nuncupatoria et in libri principio PATREM appellat ; quo cum titulo putari potest exornasse, quod jam successisset Ambrosio, qui tamen ex hac vita non decessit nisi anno trecentesimo nonagesimo septimo, pridie Nonas Aprilis. Quare dum Augustini ordinatio trecentesimum nonagesimum sextum annum Christi præcessisse dicitur, eum annos propemodum duos feriatum, nulla edita lucubratione, traduxisse fatendum videtur; quod profecto vix credi possit de sancto illo Doctore, qui curas, quas fratribus suis impendere tenebatur, in hoc potissimum se ponere dixit, ut iis et lingua et stilo suo, quas bigas in eo caritas agitabat, maxime serviret.

non videtur tamen recedendum ab anno 395.

315 *Etiamsi hæc argumentatio vim suam habeat, tamen laudati PP. Benedictini episcopalem* S. Augustini *consecrationem cum Tillemontio probabilius affigunt anno Christi* 395 *propter expressum testimonium S. Prosperi, qui in Chronico sub consulibus Olybrio et Probino sic scribit :* Augustinus beati Ambrosii discipulus, vir multa facundia doctrinaque excellens, Hippone-Regio in Africa episcopus ordinatur. *Certe consulatus horum duorum fratrum in annum Christi* 395 *incidit, ut Fasti consulares et Cassiodorus confirmant. Quare nos etiam cum plerisque scriptoribus hanc opinionem amplectimur, et ibidem cum laudatis PP. Benedictinis ita concludimus :* Quotquot Augustini gesta scripserunt, hanc adeo expressam auctoritatem velut epocham chronologicam ratam et fixam minimeque dubiam habuerunt. Itaque ut ne ab illa nos discedamus, quæremus postea, quo tempore conscripti sint libri ad Simplicianum, curve ille, licet adhuc presbyter, PATRIS appellatione dignus haberi potuerit ab Augustino jam episcopo.

AUCTORE G. C.

Bonorum omnium gaudium de exaltatione Sancti,

316 *Ceterum hæc* Augustini *promotio ad dignitatem episcopalem summo totius Africæ Catholicæ plausu excepta est, ut abunde liquet ex Epistola* 36 *superius memorata, quam S. Paulinus Romaniano scripsit, ubi post alia jam relata erumpit in has lætas voces :* Exultemus itaque et lætemur in eo, qui facit mirabilia solus, et qui facit unanimes habitare in domo, quoniam ipse respexit humilitatem nostram, et visitavit in bono plebem suam ; qui erexit cornu in domo David pueri sui, et nunc exaltavit cornu ecclesiæ suæ in electis suis, ut cornua peccatorum, sicut per prophetam E spondet, hoc est Donatistarum Manichæorumque confringat. Utinam hæc nunc Domini tuba, qua per Augustinum intonat, filii nostri Licentii pulset auditus; sed ut illa audiat aure, qua Christus ingreditur, de qua non rapit Dei semen inimicus. Tunc vere sibi summus Christi pontifex Augustinus videbitur, quia se tunc et exauditum sentiet ab Excelso, si quem sibi dignum genuit in litteris, hunc et sibi digne filium pariat in Christo : nam et nunc, velim credas, flagrantissima de ipso nobis sollicitudine scripsit.

ipsius vero ingens solicitudo

317 *Sed inter hos similesque gratulantium plausus angebatur electus Episcopus, dum grave muneris sibi impositi onus considerabat, ut satis aperte colligimus ex Homilia* XXV, *quam in anniversario suæ consecrationis episcopalis die instituit, et quæ tomo* 10 *Plantinianæ editionis pag.* 173 *sic incipit :* Hodiernus dies iste, fratres, admonet me attentius cogitare sarcinam meam ; de cujus pondere etiamsi mihi die noctuque cogitandum sit, nescio quo tamen modo anniversarius iste dies impingat eam sensibus meis, ut ab ea cogitanda omnino dissimulare non possim : et quanto anni accedunt, imo decedunt, nosque F propinquiores faciunt diei ultimo, utique quandoque sine dubitatione venturo, tanto mihi est acrior cogitatio et stimulus plenior, qualem Domino Deo nostro rationem possim reddere pro vobis : hoc enim interest inter unumquemque vestrum et nos, quod vos pene de vobis solis reddituri estis rationem ; nos autem et de nobis, et de omnibus vobis. Ideo major est sarcina ; sed bene portata majorem gloriam comparat, infideliter autem gesta ad immanissimam præcipitat pœnam.

de munere recte obeundo.

318 Quid ergo mihi hodie maxime faciendum, nisi ut commendem vobis periculum meum, ut sitis gaudium meum? Periculum autem meum est, si attendam, quomodo laudatis, et dissimulem, quomodo vivatis : ille enim novit, sub cujus oculis loquor, imo sub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quam stimulari et angi, quomodo vivant, qui me laudant. Laudari autem a male viventibus nolo, abhorreo, detestor; dolori mihi est, non voluptati. Laudari autem a bene viventibus si dicam nolo, mentior : si dicam, volo, timeo, ne sim inanitatis appetentior quam soliditatis. Ergo quid dicam ?

AUCTORE G. C.

cam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in laude humana pericliter. Non plene nolo, ne ingrati sint, quibus prædico. *Deinde difficultatem muneris episcopalis in Ezechiele propheta sic explicat, ut ea quoslibet animarum pastores terrere possit. Denique auditores hortatur, ut pie vivendo onus suum relevent, et quia* Natalis Domini imminet, *cibo spiritualis instructionis, quem singulis et omnibus offerebat, utiliter vescantur. Etiam Sanctus alibi sæpius in publicis concionibus aut privatis litteris onerosam pastoralis solicitudinis suæ sarcinam proponit, et auditorum vel amicorum preces exposcit, ut eam facilius utiliusque portare possit. Nunc alios biographos hic imitabantur, et paragraphis aliquot sequentibus effigiem* S. Augustini *jam episcopi depingemus illis coloribus, quos ipse sanctus Præsul ex scriptis suis subministrabit. Sed id obiter hoc loco præstabimus, et rudiora picturæ nostræ lineamenta sancto Possidio post hunc Commentarium prævium perficienda relinquemus.*

B

§ XXIII. Occultus animæ status, quem Sanctus ipse jam præsul Hipponensis in libro decimo Confessionum declaravit.

Qua de causa scripserit Sanctus libros Confessionum,

Sanctus Doctor anno post episcopalem consecrationem quarto vel quinto conscripsit libros Confessionum, quorum novem prioribus enarrat delicta juventutis, ac tandem suam ad Deum conversionem, sicut parte prima Actorum post hunc Commentarium lector videbit. Etsi temerarius ac suspicax Phereponus in hæreticis suis Animadversionibus pag. 475 *de motivo hujus lucubrationis maligne garriat, et* Augustinum *ex suo fastu metiens, vanæ gloriæ vel philautiæ insimulet, tamen potius fidem adhibemus ipsi sancto Præsuli, qui lib.* 10 *Confessionum cap.* 3 *causam publicæ suæ confessionis indicat, ita Deum alloquens :* Confessiones præteritorum malorum meo-
C rum, quæ remisisti et texisti, ut beares me in te, mutans animam meam fide et sacramento tuo, cum leguntur et audiuntur, excitant cor, ne dormiat in desperatione et dicat : Non possum; sed evigilet in amore misericordiæ tuæ, et dulcedine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam sit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum, qui jam carent eis; nec ideo delectat, quia mala sunt, sed quia fuerunt, et non sunt.

in iisque statum animæ suæ aperuerit :

320 *Insuper a quibusdam rogatus* Augustinus, *ut etiam tunc præsentem animæ suæ statum patefaceret, novem præcedentibus libris addidit decimum, quo jam episcopus bonas ac malas animi sui propensiones ingenue confitetur. Cur autem huic amicorum petitioni satisfecerit, exponit ibidem capite mox citato et initio sequentis, ubi Deum sic rursus alloquitur :* Quo itaque fructu, Domine Deus meus, cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuæ securior, quam innocentia sua, quo fructu, quæso, etiam hominibus coram te confiteor per has litteras, adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi et commemoravi. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionum mearum, et multi hoc nosse cupiunt, qui me noverunt, et non me noverunt; qui ex me vel de me D
aliquid audierunt . . . Volunt ergo audire confitentem me, quid ipse intus sim, quo nec oculum, nec aurem, nec mentem possunt intendere... Sed quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt, cum audierint, quantum ad te accedam munere tuo, et orare pro me, cum audierint, quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus : non enim parvus est fructus, Domine Deus meus, ut a multis tibi gratiæ agantur de nobis, et a multis rogeris pro nobis. *Nunc igitur ex hoc libro decimo, quo certius testimonium requiri non potest, interiora quædam mentis ejus sensa sparsim colligemus.*

quod sane humillime præstat,

321 *Imprimis sanctus Episcopus noster de sua erga Deum charitate, quam serius inceptam perfici desiderat, capp.* 27 *et* 28 *sic disserit :* Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi. Et ecce intus eras, et ego foris, et ibi te quærebam, et in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti et clamasti, et rupisti surditatem meam. Coruscasti, splen- E
duisti, et fugasti cæcitatem meam. Fragrasti, et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio et sitio. Tetigisti, me, et exarsi in pacem tuam . . . Cum inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor et labor; et viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem, quoniam quem tu imples, sublevas eum; quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum; contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus : . . . contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis; et ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei. Hei mihi! Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es; æger sum. Misericors es; miser sum. . . . Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timeo. Quis inter hæc medius locus, ubi non sit humanæ vitæ tentatio? *Sanctus his suspiriis innuit, se nec prosperis nec adversis commovendum esse, si purum Dei amorem possideret.*

confitens illusiones nocturnas,

322 *Postquam* Augustinus *divina misericordia ad frugem bonam se receperat, ab omni luxuria tantopere abhorruit, ut animo pudibundo submissoque confiteretur etiam nocturnas illusiones,* F
quas invitus in hac materia patiebatur, et a Deo perfectum castitatis donum instanter flagitaret, quemadmodum patet ex capite trigesimo ejusdem libri decimi, quod exorditur his verbis : Jubes certe, ut contineam a concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et ambitione seculi. Jussisti a concubitu; et de ipso conjugio melius aliquid, quam concessisti, monuisti. Et quoniam dedisti, factum est, et antequam dispensator Sacramenti tui fierem. Sed adhuc vivunt in memoria mea, de qua multa locutus sum, talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; et occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus; in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea et in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. Numquid tunc ego non sum, Domine Deus meus? Et tamen tantum interest inter meipsum, et meipsum intra momentum, quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo.

quas subinde patiebatur invitus :

323 Ubi est tunc ratio, qua vigilans animus talibus suggestionibus resistit, et, si res ipsæ ingerantur, inconcussus manet? Numquid clauditur

A tur cum oculis? Numquid sopitur cum sensibus corporis? Et unde sæpe etiam in sommis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissime permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantum interest, ut cum aliter accidit, evigilantes ad conscientiæ requiem redeamus, ipsaque distantia reperiamus, nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Numquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua lascivos motus etiam mei soporis exstinguere? Augebis, Domine, magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te; concupiscentiæ visco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque ut in somnis etiam non solum non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales usque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem : nam ut nihil tale vel tantillum libeat, quantulum possit nutu cohiberi, etiam in casto dormientis affectu, non tantum in hac vita, sed etiam in hac ætate, non magnum est Omnipotenti, qui vales facere supra quam petimus et intelligimus. Nunc tamen, quid adhuc sim in hoc B genere mali mei, dixi bono Domino meo, exultans cum tremore in eo, quod dedisti mihi, et lugens in eo, quod inconsummatus sum; sperans, perfecturum te in me misericordias tuas usque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora et exteriora mea, cum absorpta fuerit mors in victoriam.

irritamenta gulæ,

324 *Capite* 31 *Sanctus noster irritamenta gulæ, ad quam subinde concitabatur, exponit his verbis :* Est alia malitia diei, quæ utinam sufficiat ei. Reficimus enim quotidie ruinas corporis edendo et bibendo, priusquam escas et ventrem destruas, cum occideris indigentiam meam satietate mirifica, et corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suavis est mihi necessitas, et adversus istam suavitatem pugno, ne capiar, et quotidianum bellum gero in jejuniis, sæpius in servitutem redigens corpus meum, et dolores mei voluptate pelluntur : nam fames et sitis quidam dolores sunt; urunt, et sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ C infirmitati terra et aqua et cælum serviunt, calamitates deliciæ vocantur. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimemta, sumpturus accedam.

quæ ob corporis alendi necessitatem

325 Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ : ipse enim transitus voluptas est; et non est alius, qua transeatur, quam qua transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi ac bibendi, adjungit se, tamquam pedissequa, periculosa jucunditas; et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo. Nec idem modus utriusque est : nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, et in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, et invoco dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem jubentis Dei mei : « Non graveutur « corda vestra in crapula et ebrietate ». Ebrietas longe est a me; misereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnumquam surrepit servo tuo.

AUCTORE G. C.

tam perfecte vincere nequibat,

326 *In hac clausula malevolus Phereponus existimat, se reperisse claram materiam carpendi vel potius irridendi* S. Augustinum, *et ideo in memoratis Animadversionibus hæreticæ suæ farraginis pag.* 475 *ad hunc textum notavit sequentia :* Non erat quidem ebriosus, ita ut vino esset deditus; sed aliquando tamen satis vini bibebat, ut crapula ei esset molesta. Nam crapula idem est Latine, quod Græce κραιπάλη, hoc est, dolor capitis, qui ex hesterna compotatione superest. *Verum theologus anonymus Cantabrigiensis, quem* § 12 *superius allegavimus. pag.* 32 *et sequente frivolam istam superbi nugatoris observationem refutat hoc modo :* Poterat autem Phereponus non ignorare, crapulam etiam ex cibis obrepere, præsertim stomacho per inediam languido et vacillanti, qualis erat Augustini, qui bellum gessit in jejuniis, sæpius in servitutem redigens corpus suum, quemadmodum eodem loco narrat. Isidorus certe lib. xx, cap. II, satis quidem imperite, CRAPULAM quasi CRUDAM EPULAM dici vult, cujus cruditate gravatur cor, et stomachus indigestus efficitur. E Atque cum Isidorus seculo ab Augustino proximo vixerit, satis hoc argumenti est, Augustini tempore ex cibo, non ex potu, ægritudinem CRAPULAM fuisse vocatam.

ut cruditas stomachi aliquando non obreperet ;

327 *His adde, quod in Vitis Patrum Emeritensium, quæ ineunte seculo septimo conscriptæ sunt, apud eminentissimum Aguirrium tomo* 2 *Conciliorum Hispaniæ pag.* 641 *gulosus quidam monachus a Paulo diacono Emeritensi dicatur* cibo jam nimio crapulatus. *Ex hoc loquendi modo colligimus, ægritudinem stomachi, quæ ex nimio vel erudiore cibo oritur, apud veteres auctores etiam* crapulam *appellari. Facile autem fieri potuit, ut* Augustinus *aliquando comederit plusculum, quam necessitas exigebat, aut imbecillus ejus stomachus poterat ferre, cum præsertim fuerit infirmæ valetudinis, sicut paragrapho sequente videbimus. Interim severiores Aristarchi, hypercritico Pherepono similes, egregium Ecclesiæ Doctorem propter hanc levem culpam reprehendere vel explodere desinant : nos enim libenter hanc aut similem crapulam ortam ex nimio cibo,* F *vel etiam potu, si ita velint, inter minora eorum delicta numerabimus. Sed erga rigidos istos alienæ culpæ censores tam benigni sumus ea lege, ut exemplo* S. Augustini *in jejuniis quotidianum bellum gerant adversus intemperantiam, et corpus suum in servitutem redigant, ne crapula sibi subrepat. Quod si delicatiores Pherepoui gregales aut sectatores ab hujusmodi corporis afflictationibus abhorreant, ut solent, et sanctum Virum propter hanc humanam fragilitatem pergant contemnere, imitabuntur austeros illos aliorum castigatores, de quibus Christus in Euangelio Matthæi cap.* 23 ℣ 23 *et* 24 *dixit :* Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et cyminum, et reliquistis, quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. *Nunc ab hac brevi digressione in viam revertimur.*

et tentationem vanæ gloriæ,

328 *Deinde sanctus Doctor capitibus aliquot sequentibus ejusdem libri decimi Confessionum subtiliter examinat illecebras quinque sensuum, in quibusdam levioris momenti affectibus se reum humiliter*

AUCTORE G.C.

humiliter agnoscens, et tandem cap. 37 *de amore propriæ laudis ita ratiocinatur :* Teutamur his tentationibus quotidie, Domine, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis et in hoc genere continentiam. Da quod jubes, et jube, quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, et flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo, quam sim ab ista peste mundatior, et multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non : est enim qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me ; in hoc pene nulla est. . . Obsecro te, Deus meus, et meipsum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me saucium comperero. Iterum me diligentius interrogem. Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minus moveor, si quisquam alius injuste vituperetur, quam si ego? Cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quam quæ in alium eadem iniquitate coram me jacitur? An et ego hoc nescio? Etiamne id restat, ut ipse me seducam, et verum B non faciam coram te in corde et lingua mea? insaniam istam, Domine, longe fac a me, ne oleum peccatoris mihi sit os meum ad impinguandum caput meum. Egenus et pauper ego sum, et melior in occulto gemitu displicens mihi, et quærens misericordiam tuam, donec reficiatur defectus meus, et perficiatur usque in pacem, quam nescit arrogantis oculus.

qua se non carere fatetur, hisce simul ostendens, quam solicite in minimos defectus indagarit.

329 *Denique capp.* 38 *et* 39 *de tentatione vanæ gloriæ ac philautiæ sic agit :* Sermo autem ore procedens, et facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit emendicata suffragia. Tentat et cum a me in me arguitur, eo ipso, quo arguitur, et sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur; ideoque non jam de ipsa vanæ gloriæ contemptu gloriatur : non enim eam contemnit, cum gloriatur intus... Etiam intus est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt, qui placent sibi de se, quamvis aliis vel placeant vel displiceant, nec placere affectent ceteris. Sed sibi placentes multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi C bonis, verum etiam de bonis tuis, quasi suis, aut etiam sicut de tuis, sed tamquam ex meritis suis : aut etiam sicut ex tua gratia, sed non secundum sua merita, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes eam. In his omnibus atque hujuscemodi periculis et laboribus vides tremorem cordis mei; sed et vulnera mea magis subinde a te sanari, quam mihi non infligi sentio. *Ex hactenus relatis eruditus lector haud dubie concludet,* S. Augustinum *tenerioris ac timoratæ conscientæ fuisse post adeptam episcopatus dignitatem, cum tunc temporis intimos cordis recessus tam diligenter indagaverit, ubique culpam formidaverit, et minimos etiam nævos humiliter agnoverit. Hinc ad exteriores ejusdem Sancti mores indicandos progredimur.*



D

§ XXIV. Exteriores naturæ gratiæque dotes, quibus sanctus Antistes præditus fuit, et infirma corporis ejus valetudo.

Naturæ dona, et vasta rerum omnium scientia,

Munificentisssimus omnium bonorum largitor Deus Augustinum *subtili ingenio, felici memoria, variisque naturæ donis exornaverat, ita ut inter eruditissimos sui seculi viros haberetur. Insuper ab ipsa adolescentia cœpit legere poetas, philosophos, historicos, aliosque diversi generis scriptores, et assiduo studio adeptus est vastam variarum rerum scientiam, quam in libris de Civitate Dei multisque aliis scriptis suis passim prodit. Unde lib.* 2 *de Doctrina Christiana cap.* 28 *notitiam chronologiæ commendat his verbis :* Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum nos E adjuvat ad sanctos Libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam et per Olympiadas et per Consulum nomina, multa sæpe quæruntur a nobis, et ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum esse templum, dictum est a Judæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem fere triginta baptizatum essse retinemus auctoritate Euangelica. Sed postea quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipso actionum ejus animadverti possit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidius certiusque colligitur. *Id ibidem confirmat exemplo Ambrosii episcopi, qui temerarios quosdam Platonis laudatores ex historia temporis evidenter refellit.*

qua usus est contra gentiles

331 *Sanctus Doctor in eodem libro sparsim ostendit, liberales gentilium artes ac ipsas poetarum fabulas Christianis utiles esse,licitumque earum usum ibi cap.* 40 *probat hac similitudine :* Philosophi autem qui vocantur, siqua forte vera et fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime F Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solum idola habebant et onera gravia, quæ populus Israël detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento et vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potius tamquam ad usum meliorem clanculo vendicavit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commendantibus * ea, quibus non bene utebantur, sic doctrinæ omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum, duce Christo, de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quædam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque injuriose ad obsequia

* al. commodantibus

A sequia dæmonum abutuntur, eum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Euangelii.

et hæreticos :

332 Vestem quoque, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum : nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum. *Sanctus noster hos orthodoxæ fidei defensores imitatus est, et profanam gentilium doctrinam, quam puer et adolescens didicerat, ad ethnicos et hæreticos convertendos utiliter adhibuit. Sic lib.* 20 *contra Faustum cap.* 9 *deliria Manichæorum cum fabulis poe-* B *tarum comparat, illorumque dogmata superstitionibus ethnicis deteriora esse demonstrat. Sic etiam Epistola* 44 *Maximum Madaurensem paganum, qui epistola præcedente religionem Christianam ludibrio exposuerat, erudite ex poeta Virgilio refellit, eique post alia respondet his verbis :* Si ridere delectat, habes apud nos * magnam materiam facetiarum ; deum Stercutium, deam Cloacinam, Venerem calvam, deum Timorem, deum Pallorem, deam Febrem, et cetera innumerabilia hujuscemodi, quibus Romani antiqui simulachrorum cultores templa fecerunt, et colenda censuerunt : quæ si negligis, Romanos deos negligis. *In libris de Civitate Dei fusius has similesque gentilium superstitiones ex historia Romana explodit.*

* al. vos

insignis eloquentia,

333 *Prætcrea* S. Augustinus *exercitatione artis rhetoricæ, quam Carthagine, Romæ, ac Mediolani quondam docuerat, tantam facundiæ famam sibi comparaverat, ut Darius comes ab ore ipsius concionantis pendere vehementer desideraret, et Epistola* 263 *sic ad eum scripserit :* Utinam, domine sancte Pater, ut meum nomen ad aures C tuas, coepiscoporum, ut ais, tuorum Urbani et Novati benigna erga me gratia faciente, perlatum est, ita memetipsum Deus omnium, Deus tuus, manibus tuis atque oculis obtulisset,.... ut cælestis sapientiæ tuæ verissimos atque immortales fructus, ore tuo potius, veluti cujusdam puræ aquæ dulcedinem, ab ipso fontis præsenti ac perpetuo liquore sumpsissem. O me non modo ter aut quater, ut apud nescio quem est, sed millies et omni numero plus beatum, si mihi datum esset præsenti intueri tuos vere sidereos vultus, vocemque divinam ac divina canentem, et non solum mentis fructus, sed etiam eum aurium jucunditate sumere et haurire licuisset! Putarem profecto, me quasdam immortalitatis leges non modo de cælo, sed in ipso constitutum cælo suscipere, et quasdam Dei voces non longe de templo, sed prope ipsum Dei adstantem tribunal audire.

et ab ipsis ejus adversariis laudata,

334 *Quod si laudes illæ per hyperbolen ex nimio cordis affectu proficiscantur, quales etiam* S. Augustino *visæ sunt, audiamus Secundinum Manichæum, qui de simili erga ipsum benevolentia suspectus esse non potest. Quamvis hic hæreticus in Epistola sua, quæ in editione Plantiniana apud nos tomo* VI, *pag.* 217 *legitur,* Augustinum *acriter reprehendat et ad sectam Manichæorum reducere conetur, tamen eloquentiam ejus laudare cogitur hoc modo :* Muta, quæso, sententiam ; depone Punicæ gentis perfidiam et recessionem tuam ad veritatem, quæ per timorem facta est, converte. Noli his mendaciis te excusare : legit enim aliquanta exile meum, et qualecumque est Romani hominis ingenium, reverendæ tuæ dignationis scripta, in quibus sic irasceris veritati, ut philosophiæ Hortensius. Hæc itaque cum suspenso animo agilique oculo iterum iterumque repetissem, summum inveni ubique oratorem, et deum pene totius eloquentiæ ; nusquam vero comperi Christianum, et armatum quidem contra omnia, affirmantem vero nihil, cum te magis scientia peritum debueris ostendere, non sermone..... Ego namque fateor, non tali diligentia, nec tanta industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta perlucent eloquentia. Hanc si voluisses veritati concordare, magnum utique nobis exstitisset ornamentum. *Sanctus Præsul ibidem pag.* 219 *et sequentibus hanc Secundini epistolam refellens ostendit, se non minori scientia quam facundia pollere.*

AUCTORE G. C.

E

quam tamen non affectabat pueriliter,

335 *Etsi Sanctus noster esset eloquens, et apprime peritus linguæ Latinæ, tamen elegantiam Latinitatis non affectabat puerili more quorumdam Grammaticorum, qui de voce minus Latina vel illius inflexione, tamquam re magni momenti, scrupulose disceptabant. Unde lib.* 2 *contra Cresconium grammaticum cap.* I *de nomine Donatistarum, quod hic suis gregalibus ab* Augustino *perperam datum fuisse contendebat, ita obiter respondet :* Audi ergo, Cresconi, dum breviter et hoc demonstro, nihil te dixisse per totam epistolam tuam, quo refelleres meam, nisi forte, quod me nomina derivare vel declinare docuisti, ut a Donato Donatianos potius quam Donatistas dicere, quam tamen Græcam saltem declinationem esse concedis, videlicet quod ita Donatistæ a Donato, ut Euangelistæ ab Euangelio nominentur, quo te delectari dicis, ut vestris Euangelium prædicantibus, a simili mutata sit vocabuli declinatio. Vide ergo, ne forte ipsi priores hoc voluerint appellari, quia Donatum habent pro Euangelio ;... tuque potius eis facias injuriam, cum scribis in Latino sermone, non nisi Latinam regulam probans, Donatianos a Do- F nato, sicut ab Arrio et Novato Arrianos et Novatianos velles vocari.

contemnens minutias

336 *Deinde exemplo Demosthenis ostendit, hanc esse futilem de nomine quæstionem, et propterea libenter adversario suo, de lana caprina disputanti, cap.* 2 *ejusdem libri palmam concedit his verbis :* Sed ego ea in re, in qua nihil causæ nostræ minuitur, me facillimum præbeo, et quando tecum ago, jam Donatianos voco ; quando autem cum aliis, consuetudinem potius sequor, quæ his sonis jure dominatur. Tu tantum memento, me, cui tantam tribuisti eloquentiam, nondum nosse nomina declinare, et nuntia vestris securitatem, ne jam timeant tamquam dialecticum, cui vides adhuc necessarium esse grammaticum. Quod si disciplina disputandi, sive illam dialecticam velis appellare, sive quid aliud, satis tamen sobrie docet, cum de re constat, non esse de nomine laborandum. Sicut non curo, utrum ea ipsa dialectica vocetur, curo tamen, quantum valeo, nosse ac posse disputare, hoc est, veritatem a falsitate in loquendo discernere ; quia hoc nisi curavero, perniciose errabo : ita non curo, utrum Donatistæ an Donatiani peritius

et

AUCTORE G. C.

et litteratius declinemini.... Quod tamen hæretici sitis, et ideo ne decipiatis, cautissime devitandi, nisi diligenter demonstrare curavero, non parvam negligentiæ culpam pro mei officii farcina incurram.

Grammaticorum,

337 *Certe sanctus Doctor magis curabat claram nominum significationem, quam tersam eorum Latinitatem, sicut lib.* 3 *de Doctrina Christiana cap.* 3 *indicat hac dubiæ cujusdem vocis explicatione :* Est etiam ambiguitas in sono dubio syllabarum; et hæc utique ad pronuntiationem pertinens : nam quod scriptum est, « Non est « absconditum a te os meum, quod fecisti in ab- « scondito », non elucet legenti, utrum correpta littera os pronuntiet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt OSSA, si autem producat ab eo, quod sunt ORA, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur : nam in Græco non στόμα, sed ὀστέον positum est. Unde plerumque loquendi consuetudo vulgaris utilior est significandis rebus, quam integritas litterata. Mallem quippe cum barbarismo dici, Non est absconditum a te ossum meum, quam B ut ideo esset minus apertum, quia magis Latinum est. *Sic etiam tractatu* 2 *in Evangelium Joannis ad vocem* sanguinibus, *quæ apud Latinos in plurali numero non est usitata, breviter observat sequentia :* Sanguina * non est Latinum. Sed quia Græce positum est pluraliter, maluit ille, qui interpretabatur, sic ponere, et quasi minus Latine loqui secundum Grammaticos, et tamen explicare veritatem secundum auditum infirmorum; si enim diceret sanguinem singulari numero, non explicaret, quod volebat : ex sanguinibus enim homines nascuntur maris et feminæ. Dicamus ergo, non timeamus ferulas grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam et certiorem perveniamus.

* al. sanguines

sed qua terribilis erat hæreticis,

338 *Licet sanctus Præsul magis esset solicitus de veritate rerum, quam de elegantia verborum, tamen adversus hæreticos adeo ornate et acute disserebat, ut Donatistæ cum illo disputare non auderent, eumque propter eloquentiam et dialecticam suis sectatoribus vitandum dicerent. Sed sanctus Doctor lib.* I *contra supradictum Cresconium cap.* 13 *et sequentibus hos imprudentes ca-* C *lumniatores abunde refutavit, et variis exemplis evidenter ostendit, ipsos Donatistas, Apostolum Paulum, ac etiam Christum Dominum dialectica passim usos fuisse. Quinimo Sanctus noster, ut adversariis omne tergiversationis effugium præcluderet, magis bonitate causæ quam peritia disputandi confisus, Proculianum Donatistarum episcopum invitat ad pacificam disputationem instituendam cum præsule Catholico, qui liberalium artium imperitus erat, sicut patet ex fine Epistolæ* 168, *ubi ad Eusebium scribit sequentia :* Mihi tota hujus quæstionis ratio maxime cum Proculiano est. Sed si forte imparem se putat, cujus voluerit collegæ sui imploret auxilium... Quamquam et iste, qui se tot annorum episcopum dicit, quid in me tyrone timeat, quo minus mecum velit conferre sermonem, non satis intelligo.

qui cum ipso disputare detrectabant.

339 Si doctrinam liberalium litterarum non novit, quas forte ipse aut non didicit, aut minus didicit, quid hoc pertinet ad eam quæstionem, quæ vel de sanctis Scripturis vel documentis ecclesiasticis aut publicis discutienda est, in quibus ille per tot annos versatur, unde in eis deberet esse peritior? Postremo est hic frater et collega meus Samsucius episcopus Turrensis ecclesiæ, qui nullas tales didicit, quales iste dicitur formidare. D Ipse adsit, agat cum illo. Rogabo eum, et ut confido in nomine Christi, facile mihi concedet, ut suscipiat in hac re vicem meam; et eum Dominus pro veritate certantem, quamvis sermone imperitum, tamen vera fide eruditum, sicut confidimus, adjuvabit. Nulla ergo causa est, cur ad alios nescio quos deferat, ne inter nos, quod ad nos pertinet, peragamus. Nec tamen, ut dixi, etiam illos defugio, si eorum ipse poscit auxilium. *Porro ex hac ipsa Donatistarum formidine concludimus, ornatam dicendi copiam et acutam disserendi subtilitatem, aliasque* S. Augustini *dotes fuisse tantas ac hæreticis adeo terribiles, ut solidis ipsius argumentis nec auderent nec possent resistere. Quapropter obstinati tantum generatim calumniabantur ea, quibus respondere non poterant.*

Tenerrima

340 *Forte propter assiduum litterarum studium vel ob naturalem corporis constitutionem sanctus Episcopus noster tam tenera ac parum firma valetudine utebatur, ut etiam frigus Africanum ferre non posset. Quapropter in Epistola* 227, *ad Albinum *, Pinianum, et Melianum * scripta, præter alias excusationes affert asperitatem hiemalem, cujus causa illos Tagastæ commorantes invisere non posset. Hinc etiam Nobilio episcopo, qui eum ad dedicationem ecclesiæ suæ invitaverat, Epistola* 251 *sic respondet :* Tanta est solemnitas, ad quam me affectus tuæ fraternitatis invitat, ut corpusculum meum ad vos traheret voluntas, nisi teneret infirmitas. Possem venire, si hiems non esset; possem hiemem contemnere, si juvenis essem : aut enim ferret rigorem temporis fervor ætatis, aut temperaret frigus ætatis fervor æstatis. Nunc hieme iter tam prolixum non suffero cum annositate algida, quam mecum fero. E

* l. Albinam
* l. Melaniam

corporis constitutio,

341 *Propter camdem causam semper abstinere cogebatur ab itineribus longinquis, præsertim transmarinis, ut in Epistola* 138 *indicat Hipponensibus, apud quos absentiam suam si excusat :* In primis peto charitatem vestram, et per Christum obsecro, ne vos mea contristet absentia corporalis : nam spiritu et cordis affectu puto vos non dubitare nullo modo me a vobis posse discedere, quamvis me amplius contristet, quam forte vos ipsos, quod infirmitas mea sufficere non potest omnibus curis, F quas de me exigunt membra Christi, quibus me et timor ejus et charitas servire compellit. Illud enim noverit dilectio vestra, numquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria servitute, quæ sæpe sanctos fratres et collegas meos, etiam labores marinos et transmarinos compulit sustinere, a quibus me semper non indevotio mentis, sed minus idonea valetudo corporis excusavit.

et morbi

342 *Ad hanc invalidam corporis habitudinem accedebant interdum morbi, de quibus Sanctus noster in Epistola* 149 *ad Profuturum ita scribit :* Secundum spiritum, quantum Domino placet, atque vires ipse præbere dignatur, recte sumus, corpore autem ego in lecto sum : nec ambulare enim, nec stare nec sedere possum, rhagadis vel exochadis dolore et tumore. Sed etiam sic, quoniam id Domino placet, quid aliud dicendum est, nisi quia recte sumus? Potius enim id si nolumus, quod ille vult, nos culpandi sumus, quam ille non recte aliquid vel facere vel sinere existimandus est. Nosti hæc omnia; sed quia mihi es alter ego, quid libentius tecum loquerer, nisi quod mecum loquor? Commendamus ergo sanctis orationibus tuis et dies et noctes nostras, ut oretis pro nobis, ne diebus intemperanter utamur; ut noctes

A noctes æquo animo toleremus, ut etiamsi ambulemus in medio umbræ mortis, nobiscum sit Dominus. *Sunt autem rhagades vel exochades ulcera quædam oblonga vel fissuræ circa anum, de quibus Gorræus in Definitionibus medicis ad has voces pagg.* 146 *et* 400 *consuli potest. Alias in fine longioris Epistolæ* 56 *Dioscoro significat, se perturbatione valetudinis febribusque laborasse.*

frequentes. 343 *Ex his similibusque morbis indies diminuebantur imbecilli corporis vires, et hinc.* Augustinus *ante ætatem senuerat, ut in sermone* 49 *de Diversis publice coram populo Hipponensi innuit hac concionis clausula :* Multa locutus sum ; date veniam loquaci senectuti, sed timidæ infirmitati. Ego, sicut videtis, per ætatem jam senui ; sed per infirmitatem corporis olim senex fui. *Hæc valetudinis imbecillitas amicis ejus passim nota erat, eamque in Epistola* 259 *Cæciliano exponit his verbis :* Quod vero in epistola tua legi, jam te cogi credere, ne a me videreris, et Carthagini me negatum, tu potius cogis his verbis, ut absentiæ meæ causas non taceam ; quarum est una, quoniam laborem, quem in illa ur-
B be perpeti necesse est, et quem si exponere velim, aliud tantum loquendum est, jam sustinere non possum ; quod infirmitati meæ propriæ, quæ nota est omnibus, qui familiarius me noverunt, accessit etiam senectus, quæ generis humani est communis infirmitas. *Hanc etiam procul dubio noverat laudatus comes Darius, quandoquidem in fine Epistolæ* 263 *supra citatæ sanctum Præsulem de quibusdam morbi remediis, ab experto medico præscriptis, et a se transmissis ita mo-*
* *al* archia tro *net :* Nescio quæ medicamenta ab Arriatro *, qui nobiscum est, accepta dedimus Zazapo sacro presbytero, ad tuam beatitudinem deferenda, quæ, ut vir memoratus affirmat, ad alleviationem doloris et morbi curationem non parum proficient. *Ex omnibus hoc paragrapho dictis colligimus, debile* Augustini *corpusculum robusto spiritu animatum fuisse. Nunc ad domesticam ejusdem Sancti conversationem pergimus.*

§ XXV. Communis et domestica sancti Præsulis vita cum suis clericis, horumque professio, et origo.

C

Exponit Sanctus modum, *Occasione cujusdam offensionis et calumniæ coactus est sanctus Episcopus suam suorumque contubernalium famam tueri, et publice populo Hipponensis domesticam vivendi rationem exponere. Præcipue id præstitit in duabus concionibus, ex quibus hic excerpemus illa, quæ ad rem nostram propius attinent. Igitur sermone* 49 *de Diversis inter alia communem congregationis suæ disciplinam declarare incipit hoc modo :* Nostis omnes, aut pene omnes, sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum ; Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Quia forte aliqui vestrum non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, ut hoc sic noverint, quomodo volo vos nosse, dico quid sit, quod breviter dixi . . . . Perveni ad episcopatum ; vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduamq uibusque venientibus sive transeuntibus. Quod si non fecissem, episcopus inhumanus dicerer. Si autem consuetudo ista in monasterio permissa * esset, indecens esset. Et ideo volui habere in ista domo episcopi mecum mon- terium clericorum *Novissimi Operum Augustinianorum editores ad hanc lectionem variantem* missa *pro* permissa *nonnihil observarunt, quod etiam R. D. Canonicus Regularis le Large cognominatus in Disquisitionibus de Ordine Canonicorum, Parisiis anno* 1697 *Latine impressis, pag.* 182 *notatu dignum censuit.* AUCTORE G. C. * *al* missa

345 *Porro sanctus Doctor in eodem sermone ad propositum nostrum sic pergit :* Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent. Nulli licet : si qui habent, faciunt, quod non licet. Bene autem sentio de fratribus meis, et semper bene credens, ab hac inquisitione dissimulavi ; quia et ista quærere, quasi male sentire videbatur : noveram enim et novi omnes, qui mecum viverent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ . . . . Sane etiam hoc noverit charitas vestra, dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, et commune illud faciat. Ecclesiam ha- E bet, per quam Deus nos pascit. Ego dedi dilationem usque ad Epiphaniam propter eos, qui vel cum fratribus suis non diviseruut, et dimiseruut, quod habent, apud fratres suos, vel nondum de re sua aliquid egerunt, quia exspectabatur ætas legitima. Faciant inde, quod volunt, dum tamen sint pauperes mecum, simul exspectantes misericordiam Dei. *quo in communi vivebat*

346 Certe ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere ; ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei et vestro, muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus et ecclesia sua, maneant, ubi volunt et ubi possunt ; non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas : malum enim esse, quis nesciat ? Malum est cadere a proposito ; sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite : Qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, a voto suo cadit, et a professione sancta cadit. Observet judicem scilicet Deum, non me. Ego ei non aufero clericatum. Quantum sit pe- F riculum, ante oculos ejus posui ; faciat, quod vult : novi enim, quod si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores et hic et apud episcopos, qui dicant : Quid mali fecit ? Non potest tecum tolerare istam vitam. Extra episcopatum vult manere, et de proprio vivere ; ideo non debet perdere clericatum. *cum clericis suis,*

347 Ego scio, quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere. Vovete, inquit, et reddite Domino Deo vestro. Et melius est non vovere, quam vovere, et non reddere. Virgo etsi numquam fuit in monasterio, et virgo sacra est, illi nubere non licet, quamvis esse in monasterio non compellitur. Si autem cœpit esse in monasterio, et deseruit, et tamen virgo est, dimidia ruit. Sic et clericus duas res professus est, et sanctitatem et clericatum. Interius sanctitatem : nam clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius, cui magis onus est, quam honor. Sed quis sapiens et intelliget hæc ? Ergo professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem, et professus est quam bonum *eorumque paupertatem*

AUCTORE G. C.

bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Si ab hoc proposito ceciderit, et extra manens clericus fuerit, dimidius et ipse cecidit. Quid ad me? Non eum judico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit. Si vero intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo, habeat necessitatem simulandi. Scio, quomodo homines ament clericatum: nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere. Sed habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci a Deo per ecclesiam ipsius, non habere debet aliquid proprium; sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere; maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem, et videat, utrum habere possit felicitatis æternitatem.

defendit contra quosdam,

348 *Sanctus Doctor sermone* 50 *de Diversis iterum populo Hipponensi rationem reddit de suis clericis, ut antea promiserat, eorumque paupertatem adversus obtrectatores quosdam defendit his verbis:* Omnes fratres et clericos meos, qui mecum habitant, presbyteros, diaconos, subdiaconos, et Patricium nepotem meum tales inveni, B quales desideravi. Sed sunt, qui de sua qualicumque paupertate, quod statuerant, nondum fecerunt. Hi sunt Valens diaconus, et paulo ante dictus nepos meus subdiaconus. Sed matris vita impediebat, quia inde vivebat. Exspectabatur in illo etiam legitimæ ætatis accessus, ut quod faceret, firmissime faceret: nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cum suo fratre communes, et sub indiviso eos possident..... Nepos autem meus, ex quo conversus est, et mecum esse cœpit, impediebatur et ipse aliquid de agellulis suis agere, invita usufructuaria matre sua, quæ hoc anno defuncta est. Inter ipsum et sororem ejus sunt quædam causæ in Christi adjutorio cito finiendæ, ut et ipse faciat, quod Dei servum decet. *Ibidem subjungit impedimenta similia nonnullorum, qui jam desiderio erant pauperes, etiamsi de facultatibus suis hactenus disponere non potuissent, quas brevi ab ipsis relinquendas esse spondet.*

qui dicebant eos esse divites:

349 *Hinc auditores monet, ne clericos suos ob hanc exigui temporis administrationem vel opum olim habitarum famam vocent divites, cum jam plures vere pauperrimi sint:* Ceteri, id est, C subdiaconi, *inquit,* pauperes sunt, Deo propitio, et misericordiam Dei exspectant. Unde ipsi faciant, non habent, et nullas habentes facultates, finierunt mundi cupiditates. Vivunt nobiscum in societate communi, et nemo eos distinguit ab eis, qui aliquid attulerunt. Charitatis unitas præponenda est terrenæ commodo hereditatis. Restant presbyteri: sic enim ad eos gradatim ascendere volui. Cito dixerim; pauperes Dei sunt. Nihil ad domum societatis nostræ attulerunt, nisi ipsam, qua nihil charius est, charitatem. Verumtamen quoniam scio, natos fuisse rumores de divitiis ipsorum, non a me ad aliquid compellendi, sed vobis meo sermone purgandi sunt. Vobis dico, qui forte nescitis: nam vestrum plurimi sciunt presbyterum Leporium, quamvis seculi natalibus clarum, et apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem cunctis, quæ habebat, relictis, inopem suscepi; non quia nihil habuit, sed quia jam fecerat, quod Lectio ista *(nimirum lectio ex Actibus Apostolorum præcesserat initio concionis)* persuadet. Non hic fecit; sed nos scimus, ubi fecit. Unitas Christi et ecclesiæ una est, ubicumque fecit bonum opus. *Deinde singillatim demonstrat, Leporium omnes suas facultates in pias causas expendisse.*

350 *Præterea populum Hipponensem rogat, ut eleemosynæ, quas in pauperes clericos erogare vult, potius tribuantur congregationi, quam singularibus ejusdem membris, eo quod omnibus communes esse debeant. Denique Sanctus primam sententiam, quam de tollendo clericatu contra desertores institutæ societatis aut violatores præscriptæ paupertatis ferre decreverat, et postea mitigaverat, hic iterum renovat, et confirmat his verbis:* Qui habere voluerit proprium et de proprio vivere, et contra ista præcepta nostra facere; parum est, ut dicam: non mecum manebit; sed nec clericus erit. Dixeram enim (et scio me dixisse) quod si nollet suscipere socialem vitam mecum, non illis tollerem clericatum; sed seorsum manerent, et seorsum viverent, quomodo nossent, Deo viverent. Et tamen ante oculos posui, quantum mali sit a proposito cadere: malui enim habere cæcos vel claudos, quam plangere mortuos. Qui enim hypocrita est, mortuus est. Quomodo ergo quicumque voluisset extra manere et de suo vivere, non tollerem ei clericatum: ita modo, quia placuit illis, Deo propitio, socialis E hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia; naviget contra me, quo voluerit, sit certe, ubi potuerit, adjuvabit me Deus, ut, ubi ego episcopus sum, illic clericus esse non possit.

D *nolebat clericos, qui in communi non viverent.*

Hosce Augustini clericos votis fuisse obstrictos,

351 *Erasmus Roterodamensis, Petrus Aurelius, et Onuphrius Camaianus sacræ aulæ consistorialis advocatus, aliique scriptores, qui ab eruditissimis Gabriele Pennotto ac Ludovico Thomassino citantur, ex his duabus* Augustini *concionibus eruunt, clericos sancti Præsulis nostri contubernales non fuisse votis obstrictos, ut hanc religiosam et communem vitam ducerent. Etiam tacite videtur huic opinioni favere Gerardus Moringus, dum in supradicta* S. Augustini *Vita nullam voti mentionem facit, et ibidem* § 23 *de clericis illis ita scribit:* Ego vero opinor, clericos Augustini tales fuisse, quales priscis temporibus episcopi quoque in aliis locis sibi asciscebant. Non moror jam, quo nomine appellati fuerint, sive monachi, sive aliter. Solent enim episcopi priscæ ætatis asciscere in familiam suam viros aliquot F spectatæ tum pietatis tum eruditionis, cum quibus communiter vivebant juxta vitam Apostolicam nascentis Ecclesiæ, statis horis Deo canentes, strepitus omnes mundanos fugientes, totum otium divinis litteris sacrisque precibus impendentes. Quod si plures eum ad modum cum episcopo degere cuperent, quam ut ædes ejus possent capere, collocabantur in proximo; sed ita ut episcopo ejusque familiæ præsto adessent, si quando res divina fieret, una cum eis canentes et precantes, cibumque sumentes.

contra aliquot id negantes.

352 Porro autem crescente indies multitudine, ut omnes nec circum episcopum habitare possent, collocabantur aliis locis sub eodem per omnia instituto, sub regimine præpositi, qui decanus appellari cœpit, qui deinceps episcopo suberat; ut vero proximum sit, hos fuisse prima rudimenta canonicorum nostri temporis; id quod etiamnum haud obscure arguunt porticus in orbem exstructæ eæ, quas hodie præcipius templis plerisque in locis appendices videmus, tametsi genus vitæ communis tempore exolevit. Atque hæc colligere licet ex scriptis antiquorum patrum, et ex priscis historiis, locis quamplurimis, in quibus

A bus producendis hic demorari non debeo, ne non agam, quod ago, ut proverbio dicitur. *Moringus hoc loquendi modo videtur istos* S. Augustini *clericos magis æquiparare canonicis secularibus, ut jam passim cognominantur, quam canonicis Regularibus aut Religiosis, cum de stabili professione vel votis non meminerit. Ut ut est, alii plerique censent, illos sancti Præsulis contubernales implicite saltem tria vota substantialia Religionis emisisse.*

probat

353 *Audiatur ex omnibus eruditissimus Oratorii Gallicani presbyter Thomassinus, de studio partium minime suspectus, qui in veteri et nova Ecclesiæ Disciplina part.* I, *lib.* 3, *cap.* 3, *num.* 10 *de controversia ista sic judicium suum profert :* Quoad illos vero, qui clericos seminarii Augustiniani opinati sunt, nullo voto, nullo vinculo astrictos fuisse; uti nunc cernere est in presbyteris Oratorii tum Romani tum Gallicani, poterant ii, nimirum Petrus Aurelius, Miræus, Clemeus Renerius aliique hoc errore carere, perlectis duabus illis concionibus Augustini, ex quibus hoc caput contexuimus : disertis enim verbis B sanctus Pater professionem et votum euangelicæ paupertatis expressit, quo clericos suos constringebat omnes. Si tacuit autem vota obedientiæ, continentiæ et stabilitatis, in causa fuit, quod clerus iste domesticus et episcopo conjunctissimus non constaret nisi presbyteris, diaconis, clericisque, qui ordinibus suis ut vinculis illigabantur continentiæ, adeoque et obedientiæ, quæ episcopo impendenda erat, ac denique stabilitatis in ecclesia propria.

Thomassinus.

354 Suo infra loco comprobabimus, ipsa ordinatione sua clericos affixos ecclesiæ suæ, mancipatos episcopo suo fuisse, atque adeo nec alio opus fuisse voto vel obedientiæ vel stabilitatis. Ordinibus superioribus in ecclesia Latina lex inexorabilis continentiæ incumbebat, adeoque et subdiaconis ipsis in Africa tempore Augustini. Una ergo restabat voluntaria paupertas, quam sancire posset Augustinus in suo clero, eique singulare hinc decus et ornamentum sanctimoniæ conciliare ; quod et strenue perfecit. *Ceterum Nicolaus Desnos in suo Canonico seculari et regulari (hoc ejus Opus Parisiis anno* C 1674 *Latine editum est) consuli meretur lib.* 3, *cap.* 24 *et sequentibus, ubi contraria Erasmi Roterodamensis argumenta singillatim dissolvit, personatum Petrum Aurelium nominatim refellit et vota istorum clericorum distinctius explicat. Nobis hic sufficit assignare præcipuos utriusque sententiæ defensores, quos curiosus lector otio suo poterit consulere, cum non sit instituti nostri singulas incidentes hujusmodi quæstiones dirimere, vel operosius examinare.*

De origine Clericorum Regularium,

355 *Propterea nunc quoque summatim referenda erit controversia de tempore, quo canonici Regulares exorti sunt, et circa quod auctores in longe diversas opiniones abierunt, ut memoratus D. le Large Canonicus Regularis initio Disquisitionum suarum, quas Parisiis anno* 1697 *Latine vulgavit, pag.* I *præmonet his verbis :* De Regularium Canonicorum Ordine qui nostra ætate judicarunt, mirum quantum inter se dissentiant. Quidam enim negant, Regulares Canonicos exstitisse ullos ante seculum Ecclesiæ undecimum, cum Ordinis nostri magna, concessu omnium, est facta conversio. Quidam Regularium Canonicorum originem revexerunt ad concilii Aquisgranensis tempora. Sunt, qui instituti nostri rationem omnem in Augustinum tamquam in primum auctorem referant. Alii quipiam rem adhuc altius ab Apostolicis usque temporibus repetunt. *Deinde per decursum laudati Operis, quod non est exiguæ molis, quatuor illas quæstiones examinat, ac tandem pag.* 280 *sententiam suam prodit hac conclusione :* Hoc itaque contendo atque assevero, clericorum canonicorum sive Regularium Ordinem in Apostolos tamquam proprios auctores posse referri ac debere.


auctore G.C.

356 *Gabriel Pennottus in Historia tripartita Ordinis sui parte* 2, *cap.* 2 *et sequente varias alias opiniones refert, iisque refutatis, ibidem capp.* 4 *et* 5 *sententiam suam declarat duabus assertionibus, quarum prima hæc est :* Ordo clericorum canonicorum, qui nunc Regulares canonici dicuntur, a sanctissimis Apostolis, sive ab illorum immediatis discipulis fuit vere et proprie et immediate institutus. *Altera vero assertio sic sonat :* Beatissimi Apostoli et omnes Clerici in primitiva Ecclesia instituti, communem vitam ac cetera substantialia Religionis vovebant. *Quamvis Pennottus utramque illam propositionem probare nitatur auctoritate summorum Pontificum, testimoniis sanctorum Patrum, aliisque multis argumentis, tamen hæc ejus opinio non admittitur ab omnibus Canonicis Regularibus : nam* E *Nicolaus Desnos ejusdem Ordinis Canonicus in Opere supra citato lib.* 3, *cap.* 2 *singulas Pennotti rationes explicat aut refellit, et tandem caput illud ita concludit :* Igitur Gabrieli Pennotto ac sequacibus hic hæret aqua, ut probent Canonicos Regulares voventes esse institutos ab Apostolis et primævis clericis.

votis obstrictorum,

357 *Tunc capite sequente ejusdem libri post alia sententiam sibi probabiliorem exponit his verbis :* Augustinus non segnior instaurando clero in sua Hipponensi ecclesia adlaboravit, et ipse regularibus institutis ab Athanasio et Eusebio *(nimirum Vercellensi)* in clerum jam invectis vota insuper addidit et introduxit. Unde originem mutuantur ii Canonici Regulares voventes, qui simpliciter Canonici Regulares nunc dicantur : nulla enim mentio votorum apud Clericos reperitur ante Augustinum, licet regularibus institutis devinctos ante ipsum legamus. Ex quo existimandum est, divum Augustinum primum fuisse, qui Clericos proprietatis lethargo graves ac somnolentos suscitaverit, provocaveritque ad vitam moresque Apostolicæ institutioni conformandos, et F tale genus vitæ, votis Deo nuncupatis, firmaverit. *Cum diutius his immorari nec liceat, nec lubeat, opiniones aliorum scriptorum, qui Canonicos Regulares ætate juniores faciunt, apud Gabrielem Pennotum et Nicolaum Desnos in Operibus jam laudatis examinari possunt, ubi fuse referuntur ac confutantur. Porro alias domesticas* S. Augustini *consuetudines in Actis post hunc Commentarium recudendis ex sancto Possidio distinctius intelligemus. Nunc pastoralem Sancti nostri solicitudinem aliasque nonnullas virtutes breviter illustrabimus.*

opiniones variæ.



AUCTORE G. C.

§ XXVI. Sancti Pastoris cura pro suo grege, misericordia erga pauperes, solicitudo pro viduis afflictis, aliisque feminis, et Hipponensi congregatione sanctimonialium.

Zelus Sancti in prædicando,

Sedulus Antistes noster adeo frequenter et solicite populum Hipponensem sibi commissum tum publicis sermonibus, tum privatis monitis, ad peccata vitanda, virtutes acquirendas, et æternam denique salutem consequendam excitabat, ut interdum sæpius in hebdomada et nonnumquam bis eodem die concionaretur, quemadmodum ex Tractatibus in Joannem et Enarratione in Psalmum 88 *aliisque scriptis ejus facile colligi potest. Etiamsi sanctus Concionator corpore imbecillis esset, tamen spes lucri spiritualis ei vires* B *addebat, ut liquet ex initio et fine Homiliæ* 29, *quam exorditur et concludit his verbis :* Ego, fratres, vires parvas habeo; sed verbum Dei magnas habet. Valeat in cordibus vestris. Ergo et quod lente dicimus, valde * auditis, si obedieritis... Videtis certe, quia nescio, quomodo ego invalidus accedo, et loquendo fortis fio. Tantus est mihi animus, tanta intentio in profectu vestro : operarius enim in agro fructum sperans, minus sentit laborem : sitis fructus mei, ut vobiscum sim; et omnes simus fructus Dei.

* al. valide

quam præcipuam muneris sui partem existimabat :

359 *Inter omnes episcopalis muneris occupationes unam ex gravissimis reputabat onus prædicandi verbum Dei, quod Homilia* 28 *cap.* 2 *suis auditoribus exponit hoc modo :* Quam terribiliter locutus est per prophetam Ezechielem, credo adhibuistis aurem; credo audistis, quemadmodum dixerit; Ad domum Israël mittam te, non ad populum altioris linguæ te mittam. Populus autem ille non vult audire te, quia non vult audire me. Quid ostendit, nisi quia ipse Deus per prophetam loquebatur? Quia vero in ipsis verbis propheticis nos maxime territi sumus, C id est, præpositi, quos posuit loqui ad populum suum, prius in illis verbis videamus faciem nostram : demonstratum est enim nobis, sonante lectore, quasi speculum, ubi nos inspiceremus; et inspeximus nos; inspicite vos.

360 Ecce ego facio, quod ibi audivi. Si non discreveris, inquit, justum; si non dixeris peccatori, morte morieris, et ostenderis illi, ut recedat ab iniquitatibus suis, ipse quidem in peccatis suis morietur; sanguinem autem ejus de manu tua exquiram : si autem dixeris, et ille contempserit, et non obedierit, ille in sceleribus suis morietur; tu autem animam tuam liberabis. Dico vobis, libero animam meam : in magno enim sum, non periculo, sed exitio constitutus, si tacuero. Sed cum ego dixero, et implevero officium meum, vos jam attendite periculum vestrum. Quid autem volo? Quid desidero? Quid cupio? Quare loquor? Quare hic sedeo? Quare vivo, nisi hac intentione, ut cum Christo simul vivamus? Cupiditas mea ista est, honor meus iste est, gloria mea ista est, gaudium meum hoc est, possessio mea ista est. Sed si me non audieritis, et tamen ego non tacuero, animam meam liberabo. Sed nolo esse salvus sine vobis. *Ex hac pathetica clausula facile lector eruet ardentem amorem, quo sanctus Præsul erga salutem populi sui flagrabat, ex exemplo sancti Pauli Apostoli anathema pro fratribus suis esse cupiebat.* D

sæpius in peccata invectus, occultos peccatores secreto,

361 *Cum Afri proclives essent ad ebrietatem, luxuriam, juramenta et superstitiones, sanctus Antistes ea potissimum vitia crebris exhortationibus arguebat, et ex diœcesi sua exstirpare nitebatur. Tali tamen in criminibus arguendis utebatur cautione, ut occultos peccatores secreto, publicos autem palam corriperet, et de periculo damnationis æternæ moneret, quemadmodum colligimus ex Sermone* 16 *in Euangelium Matthæi, ubi de correptione fraterna suos auditores ita instruit :* Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius... Novit enim nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego volo illum publice corripere; at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto; pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. Unde aliquando E homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus; aut putant, nos scire, quod nescimus; aut putant, nos tacere, quod scimus. Sed forte quod scis, et ego scio. Sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus : nos non prodimus in palam; sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus.

publicos publice corripiebat, ut colligitur

362 *Prudens Episcopus noster e contrario publicum astrologiæ judiciariæ professorem (illud hominum superstitiosorum genus in Africa frequens erat, et tunc nomine mathematicorum appellabatur) publica pœna mulctavit, ut ex calce Enarrationis in Psalmum* 61 *discimus, ubi illum publice pœnitentem precibus auditorum suorum sic commendat :* Illa Ecclesiæ sitis etiam istum, quem videtis, bibere vult. Simul etiam ut noveritis, quam multi ex commixtione Christianorum ore suo benedicant, et in corde suo maledicant, iste ex Christiano et fideli pœnitens redit, F et territus potestate Domini, convertitur ad misericordiam Domini : seductus enim ab inimico, cum esset fidelis, diu mathematicus fuit, seductus seducens, deceptus decipiens; illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatem faciendi, quod bonum est, et non faciendi, quod malum est. Iste dicebat, qui adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus, et homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars, et justum non faciebat Deus, sed Jovis *, et alia multa sacrilega non parva. Quam multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus; Filii hominum usque quo graves corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Modo, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, et multorum hominum interitum. Se aliquando a diabolo sensit illectum; convertitur ad Deum pœnitens. Putamus, fratres, de magno timore cordis accidisse : quid enim dicturi sumus? Numquid, si ex pagano converteretur mathematicus, magnum quidem esset gaudium; sed tamen posset videri, quia sic conversus est, clericatum

* Id est Jupiter

A ricatum quærere in Ecclesia. Pœnitens est; non quærit, nisi solam misericordiam.

ex pœnitente publico, quem correptum publice,

363 Commendandus est ergo et oculis et cordibus vestris. Eum, quem videtis, cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum, et quocumque ille transierit, fratribus ceteris, qui modo hic non sunt, ostendite illum; et ista diligentia misericordia est, ne ille seductor retrahat cor *, et oppugnet. Custodite vos; non vos lateat conversatio ejus, via ejus, ut testimonio vestro nobis confirmetur, vere illum ad Dominum esse conversum: non enim silebit fama de vita ejus, quando sic vobis et videndus et miserandus offertur. Nostis, in Actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, id est, talium artium homines et doctrinarum nefariarum sectatores omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, et incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad scriptorem æstimationem eorum facere et summam pretii conscribere. Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, B qui novit quærere, quod perierat. Perierat ergo iste; nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, fratres, olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha: ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam. Sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est, ne tentaret, et aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo Christum. Prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro: scimus et certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates ejus.

* al. redeat ad cor

admisit in ecclesiam, post pœnitentiam debitam.

364 *Quemadmodum Firmus Manichæus unica S. Augustini concione ad finem et pœnitentiam conversus est, ut infra post hunc Commentarium ex Possidio teste oculato audiemus, ita verosimiliter hic vanus astrologus ad frugem rediit excitatus sermonibus, quos Sanctus adversus impios hujus vanæ superstitionis sectatores sæpius instituebat. Ut ut est, in illo publici pœnitentis exemplo videmus severitatem sancti Doctoris conjunctam cum prudentia et benignitate erga maximos* C *peccatores, quibus omnibus veniam scelerum promittebat, ut manifestum fit en Enchiridio ejus ad Laurentium scripto, ubi cap.* 65 *tradit sequentia:* Sed neque de ipsis criminibus, quamlibet magnis, remittendis in Ecclesia desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris: Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur; Gemitus meus a te non est absconditus, recte constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.

Cura omnes instruendi,

365 *Porro pastoralis illa solicitudo promiscue ad omnes cujuslibet conditionis homines sese extendebat. Quapropter in sermone* 205 *de Tempore, cap.* 5 *divites et pauperes simul instruit his verbis:* Admonui divites, audite pauperes. Vos erogate; vos rapere * nolite. Vos tribuite facultates; vos frenate cupiditates. Audite pauperes eumdem Apostolum: Est autem quæstus magnus (quæstus est acquisitio lucri) est autem quæstus magnus, inquit, pietas cum sufficientia. Communem habetis cum divitibus mundum: non communem habetis cum divitibus domum; sed commune habetis cælum, commune lucem. Sufficientiam quærite; quod sufficit, quærite; plus nolite. Cetera gravant, non sublevant; onerant, non honorant. Quæstus magnus pietas cum sufficientia. Imprimis pietas. Pietas est Dei cultus; pietas cum sufficientia. Attulisti huc aliquid? Sed nec vos divites aliquid attulistis. Totum hic invenistis, cum pauperibus nudi nati estis. Communis est in utroque infirmitas corporis, communis vagitus miseriarum testis. *Quam vero benevolus fuerit hic sanctus Præsul erga pauperes, apparet ex plurimis concionibus, quibus locupletiores hortatur, ut eleemosynas egenis distribuant. Licet hæc Sancti cura pro pauperibus passim nota sit, tamen eam confirmabimus exemplo singulari, quod hoc loco breviter afferemus.*

* al. cupere

AUCTORE G. C.

et pauperes commendandi

366 *Mos erat apud Hipponenses, ut quotannis vestirent aliquot pauperes, aut potius nudum Christum in illis pauperibus, quemadmodum* S. Augustinus *sermone* 19 *de Diversis cap.* 8 *loquitur. Hæc laudabilis consuetudo, quam pius egenorum Pater introduxerat, eo absente, semel ob calamitatem temporum prætermissa fuerat. Id intelligens beneficus ovium nudarum Pastor, et hanc negligentiam ægre ferens, in Epistola* 138 *demonstrat, pauperes illo tempore calamitoso magis esse sublevandos, et ad clerum populumque Hipponensem post alia scribit in hunc modum:* Nuntiatum est mihi, quod morem vestrum de vestiendis pauperibus fueritis obliti, ad quam misericordiam, cum præsens essem, vos exhortatus sum, et nunc exhortor, ne vos vincat et pigros faciat contritio hujus mundi, cui talia videtis accidere, qualia Dominus et Redemptor noster, qui mentiri non potest, ventura prædixit. E

divitum misericordiæ:

367 Non solum ergo non debetis minus facere opera misericordiæ, sed etiam debetis amplius, quam soletis: sicut enim ad loca munitiora festinantius migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere, sic corda Christiana quanto magis sentiunt mundi hujus ruinam, crebrescentibus tribulationibus, propinquare, tanto magis debent bona, quæ in terra recondere F disponebant, in thesaurum cælestem impigra celeritate transferre, ut si aliquis humanus casus acciderit, gaudeat, qui de loco ruinoso emigravit. Si autem nihil tale fuerit subsecutum, non contristetur, qui quandoque moriturus immortali Domino, ad quem venturus est, bona propria commendavit. Itaque, fratres mei dilectissimi, ex eo quod quisque habet, secundum suas vires, quas ipse novit, facite quod soletis, alacriore animo quam soletis, et inter omnes seculi hujus molestias Apostolicam exhortationem corde retinete, ubi ait: Dominus in proximo est; nihil soliciti fueritis. Talia mihi de vobis nuntientur, quibus noverim, non propter meam præsentiam, sed propter Dei præceptum, qui numquam est absens, vos solere facere, quod multis annis me præsente, et aliquando etiam me absente fecistis. *Hæc benignitas erga pauperes etiam satis eruitur ex memorabili ipsius effato, quod in sermone* 49 *de Diversis protulit, ubi cap.* 4 *publice auditoribus suis dicit, non esse episcopi servare aurum, et manum mendicantis a se repellere.*

solicitudo de feminis quibuslibet,

368 *Etiamsi sanctus Episcopus raro conversaretur cum feminis, et nullam quantumvis consanguineam*

SECTIO I G. C.

sanguineam in episcopali domo commorari sineret, tamen de viduis præsertim ac pupillis magnam curam gessit: nam Epistola 121 *Probam illustrem viduam fuse docet, quomodo orandus Deus. Etiam Epistola* 6 *Italicam viduam de obitu mariti, et Epistola* 248 *Sapidam virginem de morte fratris diaconi Carthaginensis ecclesiæ consolatur. Epistola* 199 *mulierem conjugatam, nomine Ecdiciam, graviter reprehendit, quod impudenter facultates suas alienasset, inscio marito, qui inde occasionem arripuerat violandi votum continentiæ, quod mutuo consensu fecerant. et eam humiliter a viro suo veniam petere jubet. Alias quoque feminas utilibus monitis instruxit, ut apud Rivium in Vita* S. Augustini *lib.* I, *cap.* 4 § 7 *breviter videri potest. Denique vigilantissimus Pastor pupillam ecclesiæ Hipponensi commendatam solicite a teneris annis educari curavit, et usque ad ætatem nubilem caute conservari, quemadmodum ex Epistolis* 219, 233 *et sequente colligimus.*

ex quibus congregationem instituit.

369 *Quinimo sanctus Antistes hunc instabilem sexum primus in una eademque domo stabilivit, et ex piis feminis antea sparsim habitantibus regularem sanctimonialium congregationem insti-*
B *tuit, quamvis ecclesia Africana prius etiam virgines Deo sacras habuerit, ut ex S. Cypriano discimus, et eximius P. Lupus Augustinianus in Quæstione quodlibetica superius memorata cap.* 32 *fuse probat. Hæc pia feminarum communitas, quam sanctus Episcopus noster congregaverat, et cui germana soror ejus per plures annos præfuerat, interiori pace fruens, indies proficiebat in virtutibus, et* S. Augustinum *spirituali gaudio replebat. Sed hanc domesticam pacem postea turbarunt ipsæ sanctimoniales, dum seditiose Præpositam mutare volunt, et tumultuosa dissensione magnum dolorem Institutori suo attulerunt. Hæc omnia distinctius intelligentur ex Epistola* 109, *qua sanctus Præsul illas fortiter et suaviter ad saniora consilia revocare studet hoc modo:* Sicut parata est severitas peccata, quæ invenerit, vindicare, ita non vult charitas, quod vindicet, invenire. Hæc causa fecit, ut ad vos non venirem, cum meam præsentiam quæreretis, non ad pacis vestræ gaudium, sed dissensionis vestræ augmentum. Quo-
C modo enim contemnerem et impunitum relinquerem, si et me præsente tantus vester tumultus existeret, quantus me absente, etsi oculos meos latuit, tamen aures meas vestris vocibus verberavit? Nam fortasse etiam major esset vestra seditio in præsentia mea, cum necesse esset vobis non concedi. quæ in perniciosissimum exemplum contra sanam disciplinam, quod vobis non expedit, petebatis, ac sic, quales non volo, invenirem vos, et ipse invenirer a vobis, qualem non volebatis.

quam turbatam et tumultuantem

370 Cum ergo scribat Apostolus ad Corinthios dicens; Testem Deum facio super animam meam, quia parcens vobis nondum veni Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ, sed cooperatores sumus gaudii vestri: hoc ego etiam dico vobis; quia parcens vobis, non ad vos veni. Peperci etiam mihi, ne tristitiam super tristitiam haberem, et elegi non ut exhiberem faciem meam vobis, sed effundere * cor meum Deo pro vobis, et causam magni periculi vestri, non apud vos verbis, sed apud Deum lacrymis agerem, ne convertat in luctum gaudium meum, quo soleo gaudere de vobis, et inter tanta scandala, quibus ubique abundat hic mundus, et aliquando consolari, cogitans copiosam congregationem et

* *al. rectius effunderem*

castam dilectionem et sanctam conversationem vestram, et largiorem gratiam Dei, quæ data est D
vobis, út non solum carnales nuptias contemneretis, verum etiam eligeretis in domo societatem unanimes habitandi, ut sit vobis anima una et cor unum in Deum. Hæc in vobis bona, hæc Dei dona considerans, inter multas tempestates, quibus ex aliis malis quatitur cor meum, solet utcumque requiescere. Currebatis bene. Quis vos fascinavit? Suasio illa non est ex Deo, qui vocavit vos. Modicum fermenti (nolo dicere, quod sequitur.) Hoc enim magis cupio, et oro, et hortor, ut ipsum fermentum convertatur in melius, ne tota massa, sicut pene jam fecerat, convertatur in pejus. Si ergo repullulastis sanum sapere, orate ne intretis in tentationem, ne iterum in contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, seditiones, susurrationes. Non enim sic plantavimus et rigavimus hortum Dominicum in vobis, ut spinas metamus istas ex vobis. Si autem adhuc vestra tumultuatur infirmitas, orate, ut eruamini de tentatione. Quæ autem conturbant vos (si adhuc conturbant vos) nisi correxerint se, portabunt judicium quæcumque illæ E
fuerint.

371 Cogitate, quid mali sit, ut, cum de Deo natis * in unitate gaudeamus, interna schismata in monasterio lugeamus. Perseverare in bono proposito, et non desiderabitis mutare Præpositam, qua in monasterio illo per tam multos annos perseverante, et numero et ætate crevistis; quæ vos mater non utero, sed animo suscepit: omnes enim, quæ illuc venistis, ibi eam, aut sanctæ Præpositæ sorori meæ servientem, placentem, aut etiam ipsam Præpositam, quæ vos suscepit, invenistis; sub illa estis eruditæ, sub illa velatæ, sub illa multiplicatæ: et sic tumultuamini, ut eam vobis mutetis, cum lugere deberetis, si eam vobis mutare vellemus. Ipsa est, quam nostis, ipsa est, ad quam venistis, ipsa est, quam per tot annos habendo crevistis. Novum non accepistis nisi Præpositum, aut si propter illum quæritis novitatem, et in ejus invidiam contra matrem vestram sic rebellastis, cur non potius id petistis, ut ipse vobis mutaretur? Si autem hoc exhorretis, quia novi, quomodo eum in Christo venerabiliter diligatis, cur non potius illam? In nobis namque regen- F
dis sic Præpositi rudimenta turbantur, ut magis velit vos ipse deserere, quam istam ex vobis famam et invidiam sustinere, ut dicatur, non vos aliam quæsituras fuisse Præpositam, nisi ipsum cœpissetis habere Præpositum. Tranquillet ergo Deus et componat animos vestros; non in vobis prævaleat opus diaboli, sed pax Christi vincat in cordibus vestris: nec dolore animi, quia non fit, quod vultis, vel quia pudet voluisse, quod velle non debuistis, erubescendo curratis in mortem, sed potius pœnitendo resumatis virtutem, nec habeatis pœnitentiam Judæ traditoris, sed potius lacrymas Petri pastoris. *His immediate subjungitur Regula, quam* S. Augustinus *certe præscripsit solis feminis, ut jam passim censent eminentissimus Bellarminus, aliique scriptores, quos Papebrochius noster in Responsionibus suis ad articulum decimum tertium* § 6, *num.* 71 *et sequentibus allegat.*

ad unitatem reducere conatur:

* *al.* Donatistis

372 *Potuissemus hoc paragrapho dare plura pastoralis istius curæ specimina, et afferre privatas epistolas, quibus hic sanctus animarum Curator Christinum ad pietatem incendit, Sebastianum et Feliciam adversus scandala corroborat, Chrisimum a desperatione revocat, impudicum quemdam*

Regula hisce monialibus scripta: cura de aliis.

A *quemdam Cornelium acriter reprehendit, aliosque plures a peccatis deterret. Sed jam relata sufficere videntur, ut ingeniosus lector ex iis concludat,* S. Augustinum *exemplo Apostoli Pauli omnibus omnia factum esse, ut omnes faceret salvos Imo hæc ipsa sanctimonialium factio, quam supra retulimus, tanto dolore pium Patrem affecit, ut cum eodem Apostolo in Epistola secundo ad Corinthios cap.* XI ỳ 29 *dicere potuerit:* Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? *Etiam brevitatis causa prætermisimus alias sancti Præsulis occupationes in agendis Catholicorum negotiis, et dirimendis eorum litibus, ut ea tempora ferebant: hæc enim et similia post hunc Commentarium parte secunda Actorum narrabuntur. Interim paragrapho sequente colligemus aliquas Sancti nostri virtutes, quæ in* Augustino *doctissimo magis suspiciendæ sunt, eo quod in eruditis viris rarius inveniantur.*

§ XXVII. Sancti Præsulis modestia, cum laudaretur; animi moderatio, cum vituperaretur; et ingenua ignorantiæ suæ confessio, quando consulebatur.

B

Sanctus agnoscit difficile esse non capi laudatione hominum:

Quandoquidem scientia inflat, ut ait Apostolus, certe mirum non est, homines doctos, et propter eruditionem toto orbe celebratos, laudibus suis delectari, et interdum superbia extolli. Quapropter Augustinus *adhuc presbyter in Epistola* 64 *ad Aurelium Carthaginensem de hac periculosa vanæ gloriæ tentatione sic inter alia scribit:* Magnum est de honoribus et laudibus hominum non lætari, sed et omnem pompam inanem præcidere, et si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre. . . . Ista, quæ tecum confero, mihi dico; dignaris tamen, credo, mecum considerare, quam sint gravia, quam difficilia: non enim hujus hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia etsi cuiquam facile est laude carere, dum de-C negatur, difficile est ea non delectari, cum offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non merito laudemur, corrigamus eos, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est, aut ea laudent, quæ quamvis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia; velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem merito laudamur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen nobis, quia placemus hominibus, sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, et non tribuitur nobis, sed Deo, cujus dona sunt omnia, quæ vere meritoque laudantur.

ac difficultatem illam superare conatus est.

374 Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potius ille, cujus salutaria præcepta sunt, quæcumque sive in divinis lectionibus inveniuntur, sive intrinsecus animo suggeruntur; et tamen vehementer cum adversario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum. *Hac clausula Vir humilis innuit, se adhuc presbyterum laudibus suis ultro oblatis aliquando delectari. Sed haud dubie jam ad cathedram Hipponensem evectus, et quotidie in virtutibus acquirendis proficiens, hanc humanam infirmitatem inter ceteras leviores noxas superavit, cum jam episcopus lib.* 10 *Confessionum cap.* 36 *Deum sic oret:* Nos autem, Domine, pusillus grex tuus ecce fumus. Tu nos posside; prætende alas tuas, et fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto, propter te amemur, et verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus; vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec eripietur damnante te. *Quare non dubitamus, quin* Augustinus *ætate provectior, et propriis monitis instructus, indies magis magisque laudes humanas contempserit, ut nunc exemplis quibusdam probabimus.*

AUCTORE G. C.

Laudes ab aliis sibi datas

375 *Volusianus vir illustris, sed adhuc ethnicæ superstitioni deditus, Epistola secunda quæstiones aliquot circa mysteria Christianæ religionis* Augustino *proponit, illisque laudes ejus sic obiter immiscet:* Interest famæ tuæ, ut quæsita noverimus. Utcumque absque detrimento cultus divini in aliis sacerdotibus toleratur inscitia; at cum ad antistitem Augustinum venitur, legi deest, E quidquid contigerit ignorari. *Sancti Doctor epistola tertia quæstionibus istis respondens, hanc honorificam Volusiani existimationem repellit his verbis:* Adjungis etiam, famæ meæ interesse, ut quæsita noveritis, quod utcumque absque detrimento divini cultus in aliis sacerdotibus toleratur inscitia; at cum ad me antistitem venitur, legi deesse, quidquid contigerit ignorari. Primum igitur hanc de me opinionem facile præsumptam, quæso, deponas, eumque animum, quamvis erga me benevolentissimum, solvas atque exuas; ac de me mihi magis, quam ulli alteri credas, si mihi dilectionis vicem rependis; tanta est enim Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere; non quo ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multo tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc F contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: « Cum consummaverit homo, tunc incipit. »

subtiliter respondet

376 *Vir quidam pius et artis poeticæ non ignaris, nomine Audax, prolixas litteras ab* Augustino *desideraverat; sed cum breviores exspectatione sua accepisset, Epistola* 139 *de brevitate earum modeste conqueritur, et tamen illarum Scriptorem simul ibidem laudat his verbis:* Provocavi itaque te, dulcis Antites, non ut prælargi pectoris pusillum libamen acciperem, sed ut ingens divitis ubertim flumen haurirem. Thesaurum sapientiæ desideravi, sed minus accepi, quam volui, licet minus non debet dici, sed munus, quod oraculum Legis contulerit Augustinus, sacrator justitiæ, instaurator spiritalis gloriæ, dispensator salutis æternæ. *Verum modestus Doctoris animus hos honorificos Audacis titulos non patiebatur, et ideo Epistola* 140 *singulos ita refellit vel explicat:* Quod a nobis in eadem sermonis prolixitate desideras, ad hoc me idoneum

DOCTOR E.C.

idoneum non esse respondeo : thesaurum enim sapientiæ te desiderasse dixisti ; sed minus accepisse, quam voluisti, cum ego ex illo thesauro mendicabunda prece quotidianam stipem rogem, vixque impetrem. Oraculum autem Legis quomodo sum, de cujus latis atque abditis penetralibus nescio longe plura, quam scio, ejusque multiplices sinus opacosque secessus adire ac penetrare non valeo, sicut volo, et me non aliud quam minus dignum esse cognosco? Porro sacrator justitiæ quis ego, cui me sacratum esse permagnum est? Jam vero quod instauratorem spiritalis gloriæ me appellas (da veniam) multum, cui loqueris, ignoras : ipse quippe adhuc in hac gloria sic instauror, ut de die in diem non solum quantum accedam, sed utrum omnino aliquid accedam, latere me fatear. Dispensator plane salutis æternæ cum ceteris innumerabilibus conservis meis sum. . . . . Multi ergo dispensatores sunt. Sed quæritur, inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.

modeste repellit :

377 *Cum Darius comes, de quo superius mentionem fecimus, Epistola* 264 *facundiam et alias dotes* S. Augustini *magnis laudibus exornasset, humilis Doctor istud elogium nimio co-*
B *mitis affectui tribuit, et circa finem Epistolæ* 264 *responsoriæ Confessiones suas ei legendas assignat in hunc modum :* Sume itaque, fili mi, sume, vir bone, et non in superficie, sed Christiana charitate Christiane, sume, inquam, libros, quos desiderasti, Confessionum mearum ; ibi me inspice, ne me laudes ultra, quam sum ; ibi non aliis de me crede, sed mihi ; ibi me attende, et vide, quid fuerim in me ipso per me ipsum, et si quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me : neque enim me, quoniam ipse fecit nos et non ipsi nos ; nos autem perdideramus nos ; sed qui fecit, refecit. Cum autem ibi me inveneris, ora pro me, ne deficiam, sed perficiar, ora, fili, ora *Cum vero sanctus Paulinus Epistola* 31 *lucubrationes ejusdem Doctoris laudasset,* S. Augustinus *Epistola sequente sic humaniter et subtiliter ei respondet :* Me in illa epistola tantis laudibus honorare dignatus es, ut cum tibi me refundo, si parum hoc tibi putem, non credidisse convincar. Pudet me quidem tantum boni de me credere ; sed plus piget,
C tibi non credere. Est, quod faciam. Non me credam talem, qualem putas, quoniam non agnosco ; et credam, me abs te diligi, quoniam sentio et plane percipio : ita nec in me temerarius, nec in te ingratus exstitero. Et cum me tibi totum offero, parum non est : offero enim, quem vehementissime diligis ; et offero, si non qualem me esse arbitraris, eum tamen pro quo, ut talis esse merear, deprecaris. Hoc enim magis jam peto facias, ne minus optes mihi adjici ad id, quod sum, dum me existimas jam esse, quod non sum. *Ex his liquet, quam studiose simul et ingeniose Sanctus noster laudes ab amicis sibi inpensas eluderet aut vitaret. Jam videbimus, quam moderate reprehensiones adversariorum ferret, et quam humiliter ab aliis consultus inscitiam suam fateretur.*

modestia Sancti,

378 *Sæpe sanctus Doctor ingenue confessus fuerat, originem animæ sibi non satis cognitam esse. Propter hanc ignorantiam quidam Vincentius Victor, ætate juvenis, et professione laicus, spreverat ac reprehenderat* Augustinum *præsutem, qui lib.* 4 *de Anima ejusque origine cap.* 1 *et* 2 *sic reprehensori suo modeste respondet :* Reprehendisti me bis numero exprimens etiam meum nomen. Et cum te in principio libri tui imperitiæ tuæ admodum conscium, et doctrinæ adminiculo destitutum ; me vero, ubi nominasti, doctissimum ac peritissimum dixeris, tamen quibus in rebus tibi visus es nosse, quod ego vel nescire me fateor, vel quamvis nesciam scire præsumo, libertate, qua oportebat, non tantum senem juvenis, et episcopum laicus, verum etiam hominem tuo judicio doctissimum et peritissimum non dubitasti reprehendere. Ego autem et me doctissimum ac peritissimum nescio ; imo vero me non esse certissime scio : et fieri posse non ambigo, ut aliquid imperito et indocto cuipiam scire contingat, quod aliquis doctus et peritus ignorat ; et in hoc te plane laudo, quod veritatem, etsi numquam percepisti, certe quam putasti, homini prætulisti : ideo quidem temere, quia existimasti scire te, quod nescis ; sed ideo libere, quia personam non veritus, elegisti aperire, quod sentis. . . . D

diem reprehendebatur.

379 O si illa reprehenderes mea, quæ justa reprehensione sunt digna ! Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio et nulla temeritate culpari : ex quibus si aliqua reprehenderes, illic et tibi ostenderem, qualem te esse, in quibus non perperam reprehenderes, vellem, neque tibi juniori major, et præpositus subdito correctionis exemplum quanto humilius tanto salubrius exhiberem. Sed ea in me reprehendisti, quæ non corrigere humilitas, sed partim fateri, partim defendere veritas cogit. Hæc autem sunt : Unum, quod de origine animarum, quæ post primum hominem datæ sunt, vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor, me nescire ; alterum, quod animam scire me dixi spiritum esse, non corpus. Sed in hoc altero duo reprehendisti : unum, quod non eam crederem corpus esse ; alterum, quod eam spiritum crederem : tibi enim videtur et corpus esse animam, et non esse spiritum. *Postquam Sanctus noster hanc absurdam Vincentii sententiam familiari similitudine refutavit, in fine capitis tertii ibidem amorem veritatis inveniendæ indicat his verbis :* Ignorantiam meam de origine animarum te corripientem atque objurgantem non moleste ferrem, imo insuper et gratias magnas agerem, si eam mihi non solum duris percuteres convitiis, sed veris etiam excuteres dictis : si enim me posses docere, quod nescio, non solum te verbis, sed et pugnis cædentem deberem patientissime sustinere. E F

Scripta sua lubens alieno submittebat judicio.

380 *Sanctus Doctor eodem veritatis amore impulsus scripta sua censuræ aliorum libenter submittebat, ac ea corrigi desiderabat, ut discimus ex proœmio Operis ad Simplicianum Mediolanensem directi, ubi in fine præsulem illum sic alloquitur :* Tantum illud quæso, ut pro mea infirmitate depreceris Deum, et sive in iis, quibus me exercere benigne paterneque voluisti, sive in aliis quæcumque nostra in tuas sanctas manus forte pervenerint, quia sicut Dei data, sic etiam mea errata cognosco, non solum curam legentis impendas, sed etiam censuram corrigentis assumas. *Hinc etiam in Epistola* 7 *ad Marcellinum comitem scribit sequentia :* Etsi defendi sententia mea liquida ratione non potest, mea est, non ejus auctoris, cujus sensum improbare fas non est, etiam cum, eo non intellecto, hoc inde sentitur, quod improbandum est. Ego proinde fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt.

A ficiunt. Unde si aliquid vel incautius vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso, quia et ego saltem postea videre debeo, si proficio; nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum: nam nimis perverse se ipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat.

libentius discebat

381 *Propter istud errandi periculum Sanctus malebat discere, quam docere, et jam senex ab Auxilio juniore episcopo circa valorem excommunicationis instrui postulavit : cum enim Auxilius virum quemdam spectabilem cum tota familia propter personalem juris ecclesiastici violationem, sicut putabatur, anathemate percussisset,* Augustinus *de legitimo istius excommunicationis vinculo dubitans, in Epistola* 75 *sic ad eum scribit :* Si habes de hac sententiam certis rationibus vel Scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo recte anathe-
B matizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus..... Ego autem, quoniam si quis ex me quærat, utrum recte fiat, quid ei respondeam, non invenio ; numquam hoc facere ausus sum, cum de quorumdam facinoribus immaniter adversus Ecclesiam perpetratis gravissime permoverer. Sed si tibi quam juste fiat, Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam et honoris ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum senex a juvene coepiscopo, et episcopus tot annorum a collega needum anniculo paratus sum discere, quomodo vel Deo vel hominibus justam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno, ex quo non trahunt, sicut ex Adam (in quo omnes peccaverunt) originale peccatum, spiritali supplicio puniamus.

quam docebat,

382 *Quanto promptior esset* Augustinus *ad discendum quam docendum, patet insuper ex Opere ejus de Octo quæstionibus Dulcitii, ubi quæstionem tertiam absolvit his verbis :* Ceterum quod attinet ad quæstionem resurrectionis propter illos, qui creduntur non esse morituri, sed ex hac mortalitate ad immortalitatem sine morte media transituri, inquisitio diligentior adhibenda est; et si quid
B hinc absolutum ad definitum disputatione rationabili atque perfecta vel audisti, vel legisti, vel etiam ipse adhuc audire, aut legere, aut excogitare potueris, peto mihi mittere non graveris : ego enim, quod confitendum est charitati tuæ, plus amo discere, quam docere. *Similia de quæstionibus aliis indicat, dum in fine quæstionis octavæ laudatum Opus concludit hoc modo :* Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de istis rebus invenisti melius, sive invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse : ego enim, quod et supra de me commemoravi, magis amo discere, quam docere. *Nam eum pudebat ignorantiam candide fateri, quemadmodum nunc uno alterove exemplo probabimus.*

et ignorantiam confitebatur ingenue.

383 *Cum Januarius varias quæstiones proposuisset* Augustino, *quem nihil latere existimabat, hic Epistola* 119, *cap.* 21 *post longam dissertationem sic ei demum respondet :* Hæc tibi si satis esse ad ea, quæ requisisti, non putaveris, nimis ignoras et vires et occupationes meas : tantum enim absum ab eo, quod putasti, nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius, quia et apertissime falsum est; et miror, quia hoc te latet, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multo me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura, quam sciam. *Denique in libro ad Orosium cap.* XI *sanctus Præsul in alia re humiliter ignorantiam suam declarat his verbis :* Esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in cælestibus apparatibus, firmissime credo, et differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se disserant, nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto, sicuti inobedientia, si Domini præcepta neglexero. *Porro ad hunc paragraphum spectantia proferri possent. Sed hæc sufficere arbitramur, ut pius lector intelligat, insignem Sancti nostri scientiam cum summa animi demissione conjunctam fuisse.*

AUCTORE G. C.

Ordo deinceps in Commentario servandus.

384 *Hactenus exposuimus ea, quæ* S. Augustinus *ab ineunte ætate usque ad susceptum episcopatum gessit aut scripsit. Aliquot autem paragraphis sequentibus interiorem et exteriorem Sancti jam præsulis statum, sive varias naturæ gratiæque dotes ex scriptis ipsius eruimus, ac rudi penicillo depinximus. In his omnibus fere secuti sumus ordinem Actorum, quæ Tillemontius* E
tomo 13 *Monument. eccles. Gallice vulgavit, et PP. Benedictini in novissima Augustinianorum Operum in editione Parisiensi Latine contraxerunt. At deinceps istam chronologicam Vitæ seriem deserere decrevimus, ac potius certamina, adversus eosdem hostes Ecclesiæ Catholicæ diversis temporibus ab Episcopo nostro suscepta, uno narrationis filo conjungemus, ne identidem historiam interrumpere, et sæpius ad eosdem paganos aut hæreticos reverti cogamur. Quapropter illos omnes Ecclesiæ Catholicæ hostes, quos sanctus Antistes impugnavit, in suas classes dividemus, ita ut sigillatim simul ac semel narraturi simus ea, quæ Sanctus noster diversis episcopatus sui annis contra paganos exempli gratia, vel Manichæos, Donatistas, Pelagianos, aliosve hæreticos gessit ac scripsit. His separatim subjungemus illa gesta et scripta, quibus sanctus Doctor Catholicos erudivit. Scimus, hac methodo chronologicam rerum dicendarum seriem nonnihil perturbari; sed huic incommodo facile remedium afferri potest in fine hujus Commentarii prævii, quando res præcipuas, ab* Augustino *gestas et scriptas, ad brevem chronotaxim reducemus. Jam paragrapho sequente prædictam materiæ* F
divisionem exordiemur ab ethnicis, quos sanctus Episcopus ad Christianam fidem convertere tentavit.

§ XXVIII. Scripta et gesta sancti Præsulis adversus errantes et seditiosos ethnicos.

Contra Gentiles scripti libri quatuor

Sanctus Possidius cap. 1 *Indiculi sui recenset varias* S. Augustini *lucubrationes contra paganos exaratas, quæ partim adhuc exstant, partim latent, aut perierunt. Tamen inter alia generis istius Opera, quæ sanctus Doctor tempore episcopatus sui conscripsit, etiamnum supersunt quatuor libri de Consensu Evangelistarum, qui tomo* 4 *Plantinianæ editionis a pag.* 160 *leguntur, et de quibus ipse sanctus noster lib.* 2 *Retractationum cap.* 16 *meminit in hunc modum:* Per eosdem annos, quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, scripsi et alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus, in quibus

AUCTORE G. C.

quibus sunt libri quatuor de Consensu Euangelistarum, propter eos, qui tamquam dissentientibus calumniantur; quorum primus liber adversus eos scriptus est, qui tamquam maxime sapientem Christum vel honorant vel honorare se fingunt; et ideo nolunt Euangelio credere, quia non ab ipso illa conscripta sunt, sed ab ejus discipulis, quos existimant ei divinitatem, qua crederetur Deus, errore tribuisse. *Tribus sequentibus libris ostendit, Evangelistas inter se numquam dissentire; quod sane scriptionis argumentum sancto Viro difficile fuit, cum destitutus esset iis adjumentis, quibus abundarunt illi, qui postea eamdem materiam tractarunt.*

a Consensu Evangelistarum,

386 *Sanctus Antistes lib.* I *ipsius hujus Operis cap.* 7 *clarius occasionem et scopum lucubrationis suæ sic indicat:* Has Domini sanctas quadrigas, quibus per orbem vectus subigit populos leni suo jugo et sarcinæ levi, quidam vel impia vanitate vel imperita temeritate calumniis appetunt, ut eis veracis narrationis derogent fidem, per quos Christiana religio disseminata, per mundum tanta fertilitate provenit, ut homines infideles jam inter se ipsos calumnias suas mussitare vix audeant, compressi fide gentium et omnium devotione populorum. Verumtamen quia nonnullos adhuc calumniosis disputationibus suis vel retardant a fide, ne credant, vel jam credentes, quantum potuerint, agitando perturbant; nonnulli autem fratres salva fide nosse desiderant, quid talibus respondeant quæstionibus, vel ad profectum scientiæ suæ, vel ad illorum vaniloquia repellenda, inspirante atque adjuvante Domino Deo nostro (quod utinam et ipsorum saluti prosit) hoc Opere demonstrare suscepimus errorem vel temeritatem eorum, qui contra Euangelii quatuor libros, quos Euangelistæ quatuor singulos conscripserunt, satis argutas criminationes se proferre arbitrantur. Quod ut fiat, quam non sibi adversantur iidem scriptores quatuor, ostendendum est: hoc enim solent quasi palmam suæ vanitatis objicere, quod ipsi Euangelistæ inter se ipsos dissentiant. *Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. art.* 125 *asserit, hos quatuor libros circa finem anni* 399 *vel initium* 400 *conscriptos fuisse.*

libri 22 de Civitate Dei,

387 *Adhuc quoque superest ingens Opus de Civitate Dei contra gentiles, quod* S. Augustinus *anno Christi* 413 *inchoavit, ac ineunte circiter anno* 427 *tandem absolvit. Occasionem hujus Operis sui, quod viginti duos libros complectitur, ipse Sanctus lib.* 2 *Retractationum cap.* 43 *assignat his verbis:* Interea Roma Gothorum irruptione, agentium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis eversa est, cujus eversionem deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes, solito acerbius et amarius Deum verum blasphemare cœperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei, adversus eorum blasphemias vel errores, libros de Civitate Dei scribere institui: quod Opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quæ differre non oporteret, et me prius ad solvendum occupabant. Hoc autem de Civitate Dei grande Opus tandem viginti duobus libris est terminatum. *Deinde ibidem materiam Operis explicat, et more suo quædam prius obscure vel perperam dicta corrigit, aut clarius illustrat.*

liber de Divinatione,

388 *Huc etiam pertinet liber de Divinatione dæmonum, cujus in eodem libro* 2 *Retractationum cap.* 30 *mentionem facit. Quanam porro occasione istud Opusculum prodierit,* Augustinus *Plantiniana Operum suorum editione tomo* 3 *pag.* 321, *sive in ipso Opusculi exordio sic exponit:* Quoniam * die in diebus sanctis octavarum *(solenniores octavæ circa Pascha occurrebant, ut PP. Benedictini Galli hic et alibi observarunt)* cum mane apud me adessent multi fratres laici Christiani, et in loco solito consedissemus, ortus est sermo de religione Christiana adversus præsumptionem et tamquam miram et magnam scientiam paganorum, quem recordatum atque completum litteris mandandum putavi, non expressis contradicentium personis, quamvis Christiani essent, et magis contradicendo quærere viderentur, quid paganis responderi oporteret. Cum ergo de divinatione dæmonum quæreretur, et affirmaretur prædixisse, nescio quem, eversionem templi Serapis, quæ in Alexandria facta est, respondi, non esse mirandum, si istam eversionem templi simulacris suis * imminere, dæmones et scire et prædicere potuerunt, sicut alia multa, quantum eis nosse et prænuntiare permittitur. *Sæpius alibi superstitiosum deorum cultum explodit, et quosdam Christianos idololatrarum imitatores acriter increpat.*

* al. Quodam

* al. simulacri sui

Quæstiones sex contra paganos:

389 *Contra gentiles in Epistola* 49 *resolvuntur sex quæstiones, quas sanctus Doctor in proxime citato libro Retractationum cap.* 31 *sic enumerat:* Inter hæc missæ sunt mihi a Carthagine quæstiones sex, quas proposuit amicus quidam, quem cupiebam fieri Christianum, ut contra paganos solverentur, præsertim quia nonnullas earum a Porphyrio philosopho propositas dixit: sed non eum esse arbitror Porphyrium Siculum illum, cujus celeberrima est fama. Harum quæstionum disputationes in unum librum contuli non prolixum, cujus est titulus: Sex quæstiones contra paganos expositæ. Earum autem prima est de resurrectione; secunda de tempore Christianæ religionis; tertia de sacrificiorum distinctione; quarta de eo, quod scriptum est: « In qua mensura fueritis, remetietur vobis. » Quinta de Filio Dei secundum Salomonem; sexta de Jona propheta. *Præterea sanctus Antistes Orosio presbytero Hispano persuasit, ut Historiam mundi contra paganos in lucem proferret. Denique ipse Sanctus noster ad eradicandam idololatriam scripsit plures epistolas, quas hoc loco singillatim non allegabimus, licet ex una alterave jam demonstraturi simus, quanto ardore salutem paganorum desideraret.*

ex epistola Sancti apparet

390 *Cum in negotio quodam cives Madaurenses (istud Numidiæ oppidum Tagastæ vicinum adhuc eo tempore idola venerabatur) opera sancti Præsulis Hipponensis indigerent, per quemdam Florentinum, qui verosimiliter ex præcipuis istius urbis incolis erat, humanissimas litteras communi nomine ad ipsum dederunt. Hac occasione usus* Augustinus, *illos ad fidem Christianam amplectandam hortatur, iisque Epistola* 42 *perhumaniter respondet in hunc modum:* Si forte illi, qui inter vos Catholici Christiani sunt, talia mihi scripta miserunt, hoc tantum miror, quod non suo potius, quam ordinis nomine. Si autem revera omnes aut prope omnes ordini viri ad me dignati estis litteras dare, miror quod Patri et in Domino salutem scripsistis, quorum mihi superstitiosus cultus idolorum, contra quæ idola facilius templa vestra, quam corda clauduntur, vel potius quæ idola non magis in templis, quam in vestris cordibus includuntur, cum magno

A gno est dolore notissimus, nisi forte jam de salute ipsa, quæ in Domino est, per quam * me salutare voluistis, tandem prudenti consideratione cogitetis: nam si non ita est, quæso vos, quid læsi, quid offendi benevolentiam vestram, ut me titulo epistolæ vestræ irridendum potius, quam honorandum esse putaretis, domini prædicabiles et dilectissimi fratres? Quod enim scripsistis; " Patri Augustino in Domino æternam salutem ", cum legerem, tanta spe subito erectus sum, ut crederem vos ad ipsum Dominum, et ad ipsam æternam salutem aut jam esse conversos, aut per nostrum ministerium desiderare converti.

* al. quem

quam suaviter et fortiter gentiles

391 Sed ubi legi cetera, refriguit animus meus. Quæsivi tamen ab epistolæ perlatore, utrum jam vel essetis Christiani, vel esse cuperetis: cujus responsione posteaquam comperi, nequaquam vos esse mutatos, gravius dolui, quod Christi nomen, cui jam totum orbem subjectum esse conspicitis, non solum a vobis repellendum, sed etiam in nobis irridendum esse credidistis: non enim potui cogitare alterum Do- B minum, secundum quem posset episcopus Pater a vobis vocari, præter Dominum Christum. Et si esset hinc aliqua de interpretatione vestræ sententiæ dubitatio, subscriptione epistolæ tolleretur, ubi aperte posuistis: " Optamus te, domine, " in Deo et Christo ejus per multos annos sem- " per in clero tuo gaudere. " Quibus omnibus perlectis atque discussis, quid mihi aliud occurrere potuit, aut cuilibet homini potest, nisi aut veridico aut fallaci scribentium animo hæc esse conscripta? Sed si veridico animo ista scribitis, quis vobis ad hanc veritatem interclusit viam? Quis aspera dumeta substravit? Quis rupium prærupta inimicus opposuit? Postremo quis basilicæ januam ingredi cupientibus clausit, ut in eodem Domino, per quem nos salutatis, eamdem salutem nobiscum habere nolitis? Si autem fallaciter atque irridenter hæc scribitis, itane tandem mihi negotia vestra curanda imponitis, ut nomen ejus, per quem aliquid possum, audeatis non veneratione debita attollere, sed insultatione adulatoria ventilare? Sciatis me, charissimi, cum ineffabili pro vobis tremore cordis hoc dicere: novi enim, quanto graviorem et perniciosiorem causam sitis habituri apud Deum, si frustra vobis C hoc dixero.

ad verum fidem invitaret:

392 *Deinde veritatem religionis Christianæ variis argumentis probat, et tandem epistolam suam concludit hac peroratione :* Expergiscimini aliquando, fratres mei et parentes mei Madaurenses *(forsan eos his titulis exornat, eo quod in pueritia Madauræ litteris operam dederit)* hanc occasionem scribendi vobis Deus mihi obtulit. Quantum potui quidem in negotio fratris Florentini, per quem litteras misistis, sicut Deus voluit, adfui et adjuvi. Sed tale negotium erat, quod etiam sine opera mea facile peragi posset: prope omnes enim domus ipsius homines, qui apud Hipponem sunt, noverunt Florentinum, et multum ejus orbitatem dolent. Sed epistola mihi a vobis missa est, ut non impudens esset epistola mea, cum occasione a vobis accepta, idolorum cultoribus de Christo aliquid loqueretur. Sed, obsecro vos, si eum non inaniter in epistola nominastis, ut non inaniter vobis ista scripserim. Si autem me irridere voluistis, timete illum, quem prius judicatum irrisit superbus orbis terrarum, et nunc judicem subjectus exspectat: erit enim testis affectus in vos cordis mei per hanc (quantum potui) paginam expressus. Erit testis vobis in judicio ejus, qui credentes sibi confirmaturus est, et incredulos confusurus. Deus unus et verus vos ab omni hujus seculi vanitate liberatos convertat ad se, Domini prædicabiles et dilectissimi fratres. *Quis fructus hujus epistolæ fuerit, ignoramus. At scimus, illustrem virum Volusianum, cujus mentio paragrapho præcedente occurrit, et quemdam philosophum vel forte sacerdotem paganum, nomine Longinianum, instructionibus sancti nostri Præsulis ab idololatria ad Christianam fidem adductos esse, sicut apud Tillemontium tomo* 13 *Monument. eccles. artic.* 105 *et* 224 *licet videre.*

AUCTORE G. C.

aliunde vero probatur,

393 *Quemadmodum* S. Augustinus *errantes et dociles ethnicos comiter instruebat, ita pertinaces et superbos Christianorum calumniatores acriter refutabat, ut patet ex libris de Civitate Dei, ubi sæpius insulsas eorum fabulas publice ludibrio exponit. Ut alia hujus rei exempla prætermittamus, lib.* 18 *laudati Operis cap.* 53 *primum rejicit opiniones quorumdam Christianorum, qui de fine mundi varias incertasque conjecturas faciebant :* Frustra igitur annos, *inquit*, qui E huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum, ex ore Veritatis audiamus; quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab ascensione Domini usque ad ejus ultimum adventum compleri posse dixerunt. Quemadmodum autem quisque eorum adstruat opinionem suam, longum est demonstrare et non necessarium: conjecturis quippe utuntur humanis; non ab eis certum aliquid de Scripturæ canonicæ auctoritate profertur. Omnium vero de hac calculantium digitos resolvit, et quiescere jubet ille, qui dicit: " Non est " vestrum scire tempora, quæ Pater in sua posuit " potestate. "

quam acriter refutaret

394 *Deinde ibidem mox mendaces quosdam paganos, qui ex falso deorum suorum oraculo jactaverant, religionem Christianam tantummodo duraturam esse per trecentos sexaginta quinque annos, ita explodit :* Sed hæc quia euangelica sententia est, mirum non est, non ea repressos fuisse deorum multorum falsorumque cultores, quo minus fingerent dæmonum responsis, quos tamquam deos colunt, definitum esse, quanto tempore mansura esset religio Christiana: cum enim viderent, nec tot tantisque persecutionibus eam potuisse consumi, sed his potius mira incremen- F ta sumpsisse, excogitaverunt nescio quos versus Græcos, tamquam consulenti cuidam divino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab hujus tamquam sacrilegii crimine faciunt innocentem; Petrum autem maleficia fecisse subjungunt, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos; deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem. *Post hæc sanctus Doctor argumento ad hominem utitur, et imprudentes hujus fabulæ auctores interrogat, quales sint isti dii, qui infortunium illud prædicere nec tamen avertere potuerunt. Imo false paganos irridet, eo quod omnis deorum potestas uni Petro malefico tam diu succumbere debuerit.*

ethnicos pertinaces.

395 *Tum caput sequens et ultimum ejusdem libri sic exorditur :* Hæc atque hujusmodi multa colligerem, si nondum annus iste transisset, quem divinatio ficta promisit, et decepta vanitas credidit. Cum vero ex quo nominis Christi cultus per ejus in carne præsentiam et per Apostolos institutus est, ante aliquot annos anni trecenti sexaginta quinque completi sint, quid aliud quærimus,

AUCTORE G. C.

rimus, unde ista falsitas refellatur? *Denique ex computatione temporum vanos istos prophetas evidenter erroris convincit, eosque potius ipsam superstitionis suæ ruinam prænuntiasse, circa finem proxime citati capitis ostendit his verbis :* Porro sequenti anno, consule Manlio Theodoro *(hic consulatus in annum Christi trecentesimum nonagesimum nonum incidit)* quando jam secundum illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio Christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere. Interim, quod scimus, in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africæ Gaudentius et Jovius comites imperatoris Honorii, quarto decimo Calendas Aprilis, falsorum deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt. Ex quo usque ad hoc tempus per triginta fere annos quis non videat, quantum creverit cultus nominis Christi, præsertim posteaquam multi eorum Christiani facti sunt, qui tamquam vera illa divinatione revocabantur a fide, eamque, completo eodem annorum numero, inanem irridendamque viderunt?

B

Cum ethnici Calamenses

396 *Sed pervicaces aliqui pagani in Africa leges illas imperatoris Honorii contempserunt, ut eruimus ex Epistola* 267, *quam* S. Augustinus *anno Christi* 399 *secundum novissimos Augustiniani Operis editores Gallos* principibus vel senioribus Coloniæ Suffectanæ *inscripsit, et cujus initio de cæde sexaginta Christianorum sic acerbe conqueritur :* Immanitatis vestræ famosissimum scelus et inopinata crudelitas terram concutit, et percutit cælum, ut in plateis ac delubris vestris eluceat sanguis, et resonet homicidium. Apud vos Romanæ sepultæ sunt leges, judiciorum rectorum calcatus est terror; imperatorum certe nulla veneratio, nec timor. Apud vos sexaginta numero fratrum innocens effusus est sanguis, et si quis plures occidit, functus est laudibus, et in vestram curiam tenuit principatum. *Ex sequentibus ejusdem epistolæ verbis colligimus causam hujus cædis, quam eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 399, *num.* 72 *clarius explicat. Porro hi sexaginta Christiani, tunc ea occasione interfecti, quotannis in Martyrologio Romano ad diem* XXX *hujus mensis annuntiantur hoc modo :* Coloniæ Suffetulanæ in Africa beatorum sexaginta martyrum, qui furore gentilium cæsi sunt. *Vera istius martyrii*
C *palæstra, quæ hic* Colonia Suffetulana *dicitur, et alibi* Suffectana *cognominatur, ad diem trigesimam Augusti operosius indaganda erit, et tunc hac de re Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. pag.* 324 *consuli poterit.*

gravem seditionem excitassent in Christianos,

397 *Quamvis annis aliquot sequentibus similes leges adversus idololatras ab imperatore Honorio latæ vel identidem renovatæ fuerint, tamen ethnici Calamenses anno Christi* 408 *contra Christianos excitarunt seditionem, quam Sanctus noster in Epistola* 202 *narrat hoc modo :* Contra recentissimas leges, Calendis Juniis festo paganorum sacrilega solennitas agitata est, nemine prohibente, tam insolenti ausu, ut, quod nec Juliani temporibus factum est, petulantissima turba saltantium in eodem prorsus vico ante fores transiret ecclesiæ. Quam rem illicitissimam atque indignissimam clericis prohibere tentantibus, ecclesia lapidata est. Deinde post dies ferme octo, cum leges notissimas episcopus ordini replicasset, iterum ecclesia lapidata est. Postridie nostris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud acta dicere volentibus, publica jura negata sunt; eodemque ipso die, ut vel divinitus terrerentur, grando lapidationibus reddita est, qua transacta, continuo tertiam lapidationem, et postremo ignes ecclesiasticis tectis atque hominibus intulerunt; unum servorum Dei, qui oberrans occurrere potuit, occiderunt, ceteris partim, ubi potuerant, latitantibus, partim quo potuerant, fugientibus; cum interea contrusus atque coarctatus quodam loco se occultaret episcopus, ubi se ad mortem quærentium voces audiebat, sibique increpantium, quod, eo non invento, gratis tantum perpetrassent scelus. E

Sanctus acriter respondet Nectario pagano,

398 *Hæc sanctus Præsul exponit Nectario pagano, qui erat unus ex præcipuis aut senioribus Calamæ civibus, et ex amore patriæ suæ pro popularibus intercesserat,* Augustinum *per litteras anxie rogans, ne pagani innocentes cum nocentibus ob illam seditionem plecterentur. At Sanctus huic demonstrat, ibi vix ullos ex magistratu vel primatibus innocuos esse, dum post memoratam narrationem sic ibidem pergit :* Gesta sunt hæc ab hora ferme decima usque ad noctis partem non minimam. Nemo compescere, nemo subvenire tentavit illorum, quorum esse gravis posset auctoritas, præter unum peregrinum, E per quem et plurimi servi Dei de manibus interficere conantium liberati sunt, et multa extorta prædantibus; per quem clarum factum est, quam facile illa vel omnino non fierent vel cœpta desisterent, si cives, maximeque primates, ea fieri perficique vetuissent. Proinde in universa illa civitate non innocentes a nocentibus, sed minus nocentes a nocentioribus poteris fortasse discernere : nam in parvo peccato illi sunt, qui metu deterriti maximeque ne offenderent eos, quos in illo oppido plurimum posse et inimicos Ecclesiæ noverant, opem ferre non ausi sunt. Scelerati autem omnes, quibus etsi non facientibus, neque immittentibus, tamen volentibus, ista commissa sunt; sceleratiores, qui commiserunt; sceleratissimi, qui immiserunt.... Quid eos, qui restant, nullane censes disciplina coercendos, et proponendum existimas impunitum tam immanis furoris exemplum? Non præterita vindicando pascere iram nostram studemus, sed misericorditer in futurum consulendo satagimus.

qui futilibus rationibus pœnam seditiosorum deprecabatur,

399 *Cum vero Nectarius antea commendasset mansuetudinem vel clementiam, quæ decet episcopos Christianos,* Augustinus *ei sic acute respondet :* Præscribit nobis quodammodo prudentia tua de persona episcopali, et dicit, patriam tuam non levi populi sui errato prolapsam : quod F quidem si juris publici rigore metiamur, debet plecti severiori censura; sed episcopum, inquis, fas non est, nisi salutem hominibus impertire, et pro statu meliore causis adesse, et apud omnipotentem Deum veniam aliorum mereri delictis. Hæc omnino servare conamur, ut severiore censura nemo plectatur, neque a nobis, neque ab alio ullo, intercedentibus a nobis; et salutem hominibus cupimus impertire, quæ posita est in recta vivendi felicitate, non in malefaciendi securitate. Veniam quoque non tantum nostris, verum et aliorum instamus delictis mereri, quod impetrare nisi pro correctis omnino non possumus. Adjungis etiam et dicis : Quanta possum supplicatione deposco, ut si defendenda res est, innoxius defendatur, ab innocentibus molestia separetur. Accipe breviter, quæ commissa sint, et noxios ab innocentibus ipse discerne. *Tum subjungit ea, quæ jam superius retulimus.*

400 *Non diu post hunc tumultum* S. Augustinus

A stinus *Calamam profectus fuerat, ut in fine ejusdem epistolæ declarat his verbis :* Modo cum apud Calamam essemus, ut nostri in tam gravi dolore vel consolarentur afflicti, vel sedarentur accensi, quantum potuimus, quod in tempore oportuisse existimavimus, cum Christianis egimus. Deinde etiam ipsos paganos, mali tanti caput et causam, petentes, ut ab eis videremur, admisimus, ut hac occasione admoneremus eos, quid facere deberent, si saperent, non tantum pro removenda præsenti sollicitudine, verum etiam pro inquirenda salute perpetua : multa a nobis audierunt, multum etiam ipsi rogaverunt; sed absit, ut tales servi simus, quos ab eis rogari delectet, a quibus noster Dominus non rogatur. Unde pervides pro vivacitate mentis tuæ, ad hoc esse nitendum, servata mansuetudine et moderatione Christiana, ut aut ceteros deterreamus eorum imitari perversitatem, aut ceteros optemus eorum imitari correctionem. Damna, quæ illata sunt, vel tolerantur a Christianis vel resarciuntur per Christianos : animarum vero lucra, quibus

docetque pœnis coercendos,

B acquirendis cum periculo etiam sanguinis inhiamus, et in loco illo quæstuosius provenire, et aliis locis illo exemplo non impediri desideramus. *Sæpius in eadem epistola sanctus Episcopus huic fervido patriæ amatori inculcat, nullum esse remedium efficacius ad incolumitatem patriæ conservandam, et justam civium suorum punitionem avertendam, quam si Calamenses ethnici veram Christianamque fidem amplectantur. Sed astutus ille idolorum cultor tergiversabatur, et per septem vel octo menses his* Augustini *litteris nihil respondit, sperans, hanc Calamensem popularium suorum seditionem paulatim oblivioni tradendam esse.*

ne similia imposterum audeant.

401 *Interea Possidius Calamensis episcopus ad aulam imperatoris Honorii discesserat, ut de violata imperialibus legibus et injuria Christianis illatis conquereretur. Hoc audiens Nectarius, et merito timens, ne tumultuosi cives sui mandato imperatoris severe punirentur, iterum tandem ad* Augustinum *scripsit, ut intelligimus ex Epistola* 254, *quam Sanctus noster ita exorditur :* Legi litteras benignitatis tuæ, quibus mihi longe postea respondisti, quam meas ad te perferendas dedi ; nam ego rescripseram, cum adhuc nobiscum esset, neque navigasset sanctus frater et coepiscopus meus Possidius. Has autem, quas mei causa
C illi dignatus es reddere, accepi VI Calendas Aprilis post menses ferme octo, quam scripseram. Cur ergo ad te tam sero mea scripta pervenerint, aut ad me tua, prorsus ignoro : nisi forte modo rescribere prudentiæ tuæ placuerit, quod facere ante contempseras. *Deinde tota hac epistola Nectarium, qui falsis philosophorum placitis et vanis gentilium superstitionibus adhærebat, partim blandis verbis instruit, partim subtilibus argumentis urget, et priorem suam responsionem magis magisque confirmat. Hæc sunt præcipua, quæ sanctus Præsul adversus paganos scripsit ac gessit. Hinc jam transibimus ad Manichæos, quos episcopatus sui tempore variis lucubrationibus ac disputationibus impugnavit.*

§ XXIX. Scripta et gesta sancti Præsulis adversus Manichæos, postquam cathedram Hipponensem ascenderat.

Scribit contra Manichæos librum contra Epistolam fundamenti,

Alia occasione superius indicavimus impiam Manichæorum doctrinam, cujus hic meminisse juverit, et simul recensuimus ea, quæ Sanctus noster adhuc laicus aut presbyter adversus hos hæreticos egit. Jam vero proferemus illa, quibus episcopali dignate fulgens eosdem Ecclesiæ Catholicæ hostes impugnavit, et inter quæ lib. 2 *Retractationum cap.* 2 *refert ipse sequens Opusculum :* Liber contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, principia ejus sola redarguit ; sed in ceteris illius partibus annotationes, ubi videbatur, affixæ sunt, quibus tota subvertitur, et quibus commonerer, si quando contra totam E scribere vacavisset. *Sanctus Antistes initio istius lucubrationis erga cæcutientes Manichæos ingentem commiserationis affectum demonstrat, et difficultatem mutandi sententiam semel arreptam fatetur experimento proprio, quandoquidem ipse per novem annos iisdem erroribus adhæserat. Quapropter illis suadet, ut sine præjudicio et arrogantia veritatem inquirant, eosque ad pacificam disputationem invitat.*

in quo exponit motiva credibilitatis suæ ;

403 *Dein cap.* 4 *motiva credibilitatis, quibus ipse ad gremium Ecclesiæ Catholicæ reductus est, et in eodem detinetur, adversariis ita proponit :* Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium ; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata ; tenet ab ipsa Sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum ; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint ; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel F domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta Christiani nominis charissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur, et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot et tantis nexibus Christianæ religioni adstringit. *In decursu dissertationis hæc omnia singillatim probat, et totum Manichæorum fundamentum sensim subvertit.*

libros 33 contra Faustum,

404 *Præterea sanctus Antistes adversus Faustum Manichæum, cujus indoles alibi superius depicta est, conscripsit triginta tres libros, de quibus ipse* S. Augustinus *lib.* 2 *Retractationum, cap.* 7 *sic meminit :* Contra Faustum Manichæum, blasphemantem

AUCTORE G. C.

phemantem legem et prophetas, et eorum Deum, et incarnationem Christi; Scripturas autem novi Testamenti, quibus convincitur, falsatas esse dicentem, scripsi grande Opus, verbis ejus propositis, reddens responsiones meas: triginta et tres disputationes sunt, quas etiam libros cur non dixerim? Nam etsi sunt in eis aliqui perbreves, tamen libri sunt. Unus vero eorum, ubi a nobis adversum ejus criminationes patriarcharum vita defenditur, tantæ prolixitatis est, quantæ nullus fere librorum meorum. *Porro sanctus Doctor toto hoc Opere (sicut ipsius est mos in hæreticis refutandis) ingeniose vana Manichæorum somnia explodit, et antiquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam solide confirmat, ut facile nobiscum judicabunt eruditi qui hanc ejus lucubrationem attento animo pervolvere voluerint. Adjungimus hic tamen unicum refutationis istiusmodi specimen, ut ex eo curiosus lector de reliquis conjecturam facere possit.*

quam acriter

405 *Cum superbus ille Faustus lib.* 5 *memorati Operis cap.* 7 *jactasset, sibi convenire beatitudines euangelicas a Christo laudatas, ac inter* B *eas posuisset persecutionem, quam ipse suique propter doctrinam patiebantur,* S. Augustinus *ibidem capite sequente post alia sic acriter ei respondet:* Quomodo persecutiones et odia sustinetis propter justitiam, quibus hæc sacrilegia prædicare et persuadere justitia est; pro qua impia perversitate, propter Christianorum temporum mansuetudinem, quam parva et prope nulla patiamini, cur non cogitatis? Sed tamquam cæcis fatuisque loquamini, justitiæ vestræ velut magnum esse vultis indicium, quod opprobria sustinetis, persecutionemque patimini? Porro si tanto est quisque justior, quanto graviora perpetitur, omitto dicere, quod videre facillimum est, quam multo graviora vobis patiantur aliis atque aliis quibusque facinoribus flagitiisque polluti. Illud dico: Si pro nomine Christi quoquo modo usurpato atque suscepto quisquis patitur persecutionem, jam etiam veram fidem justitiamque tenere dicendus est, concedite, ut ille sit fidei verioris majorisque justitiæ, quem multo vobis graviora perpessum potuerimus ostendere, et millia jam vobis nostrorum martyrum occurrant; atque ipse præcipue Cyprianus, cujus etiam litteris edocetur, quod in Christum C crediderit natum ex Virgine Maria. Pro hac ille fide, quam vos detestamini, usque ad gladium mortemque pervenit cum gregibus Christianorum tunc ita credentibus, atque graviusque morientibus.

refellit:

406 Faustus autem convictus vel confessus, quod Manichæus esset, cum aliis nonnullis secum ad judicium proconsulare perductis, eis ipsis Christianis, a quibus perducti sunt, intercedenda est) in insulam relegatus est; quod sua sponte quotidie servi Dei faciunt, se a turbulento strepitu populorum removere cupientes, et unde publica terrenorum principum vota per indulgentiam solent relaxare damnatos. Deinde non multo post inde omnes eadem solenni forte dimissi sunt. Fatemini ergo, illos fidem tenuisse veriorem justioremque vitam, qui pro ea multo quam vos atrociora sustinere meruerunt; aut desinite vos inde jactare, quod multis detestabiles sitis: sed discernite, quid sit persecutionem pati pro blasphemia, et persecutionem pati pro justitia, et pro qua istarum patiamini, in vestris libris etiam atque etiam diligenter advertite. *Cum denique superbus iste Faustus suam paupertatem et rigidam vivendi rationem jactaret,* S. Augustinus D *objicit huic delicato hypocritæ plumas et caprinas lodices, aliasque vitæ commoditates, ipsis Auditoribus Manichæorum notissimas, ut superius alia occasione retulimus.*

407 *Sanctus Doctor anno Christo* 404 *cum Felice Manichæo instituit publicam disputationem, quam lib.* 2 *Retractationum cap.* 8 *commemorat hoc modo:* Contra Manichæum quemdam, nomine Felicem, præsente populo in ecclesia biduo disputavi. Hipponem quippe venerat, eumdem seminaturus errorem; unus enim erat ex doctoribus eorum, quamvis ineruditus liberalibus litteris; sed tamen versutior Fortunato. Gesta sunt ecclesiastica; sed inter meos libros computantur. Duo ergo libri sunt, in quorum secundo disputatum est de libero voluntatis arbitrio, sive ad malum operandum, sive ad bonum. Sed de gratia, qua liberi fiunt, de quibus scriptum est, Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis, diligentius disputare, quoniam talis erat, cum quo agebamus, nulla sumus necessitate compulsi. *Sanctus hoc loco videtur innuere, se tantum* biduo *vel bis cum Felice* E *Manichæo disputasse. Possidius tamen infra num.* 33 *in secunda gestorum parte narrabit, quod ille Manichæus* post secundam vel tertiam collationem *cum sancto Præsule habitam veritati victas manus dederit. Sed hæc facile conciliantur, cum* S. Augustinus *tantummodo computaverit duas disputationes, quas publice coram populo et notariis instituit. Possidius autem videtur iis annumerare privatum colloquium, quod pridie inter illos habitum fuerat, ut colligimus ex initio primæ disputationis, ubi* S. Augustinus *Felicem sic alloquitur:* Hesterno die scis, te dixisse, quod possis defendere scripturas Manichæi, et asserere, quod veritatem habeant.

duas Disputationes quas publice habuit cum Felice,

408 *Porro Tillemontius tomo* 13 *Monument. eccles. pag.* 412, *et alii eruditi dubitant, an hic Felix sit idem cum presbytero illo Manichæo, quem sanctus Episcopus noster in Epistola* 244 *monuerat hic verbis:* Itaque denuntio tibi in nomine Christi, ut si paratus es, solve quæstionum, in qua defecit prædecessor tuus Fortunatus; et ita hinc ierat, ut non rediret, nisi cum suis disputatione collata, inveniret, quid contra respondere posset, disputans cum fratribus. Si autem ad hoc non es paratus, discede hinc, et noli pervertere F vias Domini, et illaqueare et venenis inficere animas infirmas, ne, adjuvante dextera Domini nostri, quomodo non putaveras, crubescas. *Forsan hic Felix successerat in locum Fortunati, quocum* S. Augustinus *adhuc presbyter publice disputaverat, sicut superius* § 19 *narravimus. Ut ut est, fructus duplicis hujus disputationis fuit conversio Felicis ad ecclesiam Catholicam, qui in fine authenticorum Actorum errores suos revocavit, et scripsit hæc verba:* Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathematizo eum, et doctrinam ipsius et spiritum seductorem, qui in illo fuit; qui dixit, Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse, et eam tam turpiter liberare, ut virtutes suas transfiguraret in feminas contra masculina, et ipsa iterum in masculos contra feminina dæmonia, ita ut postea reliquias ipsius suæ partis configat in æternum globo tenebrarum. Has omnes et ceteras blasphemias Manichæi anathematizo.

qui illis ad fidem est conversus:

409 *Præterea sanctus Antistes lib.* 2 *Retractationum cap.* 9 *post hanc disputationem cum Felice, contra Manichæos, aliud Opusculum collocat hoc modo:* Liber de Natura boni adversus Manichæos est,

librum de Natura boni,

A est, ubi ostenditur, naturam incommutabilem Deum esse ac summum bonum, atque ab illo esse ceteras naturas, sive spiritales sive corporales, atque omnes in quantum naturæ sunt, bonas esse: et quid vel unde malum, et quanta mala Manichæi ponant in natura boni, et quanta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. *Sanctus cap.* 47 *istius Opusculi probat, ex impio Manichæi dogmate sequi exsecrabilia scelera, quæ aliquibus ipsius sectatoribus occulte perpetrabantur, et quorum sæpius in publico judicio juridice convicti fuerunt. Similia Manichæorum flagitia postmodum Carthagine etiam detecta sunt, et authenticis testimoniis ac propria reorum confessione innotuerunt, quemadmodum supra* § 5 *et* 10 *satis superque retulimus, ubi corruptos eorum mores et insanam Manichæi doctrinam exponere oportuit, ut deinceps dicenda clarius intelligerentur.*

in quo ardenter orat pro Manichæis;

410 *Ne igitur ista fœda crimina hoc loco repetantur, audiamus potius ardentem perorationem pii Præsulis, qui capite ultimo dictæ lucubrationis pro cæcis istis hæreticis ita Deum precatur:* O magna patientia tua, Domine, misericors et miserator, longanimis et multum misericors et verax, qui facis oriri solem tuum super bonos et malos, et pluis super justos et injustos, qui non vis mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat; qui parcis corripiens, dans locum pœnitentiæ, ut relicta malitia credant in te, Domine; qui patientia tua ad pœnitentiam adducis, quamvis multi secundum duritiam cordis sui et cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii tui, qui reddis unicuique secundum opera sua: qui in quacumque die conversus fuerit homo a nequitia sua ad misericordiam tuam et veritatem tuam, omnes iniquitates ejus oblivisceris; præsta nobis, da nobis, ut per nostrum ministerium, quo exsecrabilem et nimis horribilem hunc errorem redargui voluisti, sicut jam multi liberati sunt, et alii liberentur, et sive per sacramentum sancti baptismi tui, sive per sacrificium contribulati spiritus et cordis contriti et humiliati in dolore pœnitentiæ, remissionem peccatorum et blasphemiarum suarum, quibus per ignorantiam te offenderunt, accipere mereantur. Tantum enim valet præpollens misericordia et potestas tua, et veritas baptismi tui, clavesque regni cælorum in sancta Ecclesia tua, ut nec de illis desperandum sit, quamdiu in hac terra per tuam patientiam vivunt, qui etiam scientes, quantum malum sit talia de te sentire vel dicere, propter aliquam temporalis et terrenæ commoditatis consuetudinem vel adeptionem in illa maligna professione detinentur, si ad tuam ineffabilem bonitatem saltem increpati tuis correptionibus fugiant, et omnibus carnalis vitæ illecebris cælestem vitam æternamque præponant.

contra Secundinum, a quo erat appetitus mordaciter,

411 *Circa annum Christi* 405 *Secundinus Manichæus ad Sanctum nostrum scripsit urbanam simul et aculeatam epistolam, cui* S. Augustinus *longiorem responsionem sive librum opposuit, eique ipsam Secundini epistolam præfixit, ut ipse lib.* 2 *Retractationum cap.* 10 *significat his verbis:* Secundinus quidam, non ex eis, quos Manichæi Electos, sed ex eis, quos Auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, scripsit ad me velut amicus, honorifice objurgans, quod oppugnarem litteris illam hæresim, et admonens, ne facerem, atque ad eam potius sectandam exhortans cum ejus defensione et fidei Catholicæ reprehensione. Huic respondi; sed quia in ejusdem Opusculi capite non posui, quis cui scriberet, non in epistolis meis, sed in libris habetur. Illic ab exordio conscripta est etiam ejus epistola. Hujus autem voluminis mei titulus est: CONTRA SECUNDINUM MANICHÆUM; quod mea sententia omnibus, quæ adversus illam pestem scribere potui, facile præpono. *Temerarius et arrogans hic Manichæus in epistola sua, cujus fragmentum superius alia occasione dedimus, laudibus* Augustini *miscet mordaces reprehensiones, ac inter alia dicteria sic Episcopum sanctum alloqui audet:* Muta, quæso, sententiam; depone Punicæ gentis perfidiam, et recessionem tuam ad veritatem, quæ per timorem facta est, converte. Noli his mendaciis te excusare.

et quem tamen placide

412 *At sanctus Doctor has similesque contumelias nihil aut parum curans, audaci illi calumniatori placide respondet, et refutationem memoratæ epistolæ cap.* 1 *libri sui exorditur his blandis verbis:* Tua in me benevolentia, quæ apparet in litteris tuis, grata mihi est; sed quam te redamari a me oportet amantem me, tam tristis sum, quod tenaciter inhæsisti suspicionibus falsis, partim adversus me, partim adversus ipsam, quæ E mutari non potest, veritatem. Sed quod de animo meo verum non sentis, facile contemno: hoc enim sentis, quod etsi in me non agnosco, fieri tamen potest, ut sit in homine. Ergo etiamsi erras in me, non tamen ita erras, ut me de hominum numero eximat tua opinio; quia id de me credis, quod fieri potest in animo humano, etiamsi non sit factum in animo meo.

et strenue refutat.

413 Non igitur opus est, ut tibi hanc suspicionem magnopere coner auferre: non enim spes tua pendet ex me, aut bonus esse non poteris, nisi ego fuero. Senti de Augustino quidquid libet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quod enim ait Apostolus; « Mihi minimum est, » ut a vobis judicer, aut ab humano die ». Ego autem vicem tibi non rependam, ut de tua mente aliquid existimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. Nec dico, quod me subdole lacerare volueris; sed tantum de te opinor, quantum de te indicas verbis. Quamobrem etsi non bona de me suspicatus sis, quod carnali timore alicujus incommoditatis, quæ de vestra societate mihi accidere poterat, hæresim Manichæorum relinquerem vel cupiditate honoris, quem in Catholica adeptus sum; tamen non de te vicissim male sentiens, credo esse benevolam suspi- F cionem tuam, et hoc non criminandi causa, sed corrigendi studio scripsisse te existimo. Si autem mihi accommodares credendi benevolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas utique promere ad oculos tuos et demonstrare non possum, facile de ipso mutares sententiam, et nolles amplius temere affirmare, quod nescis. *Deinde per decursum totius libri, neglecta fere sui ipsius defensione, causam Ecclesiæ Catholicæ tuetur, et impiam hujus hæretici doctrinam strenue refellit.*

Manichæum sub specie Catholici subdiaconum,

414 *Carthagine circa annum Christi* 421 *nonnulli Manichæi, quorum infamis secta jam dudum legibus imperialibus proscripta fuerat, ab Urso tribuno regiæque domus procuratore detecti sunt, et* ab episcopis ad tabulas auditi, *quemadmodum S. Possidius infra in Actis num.* 32 *loquetur, et jam supra* § 10 *ex ipso* S. Augustino *narravimus. Hoc etiam forsan tempore sanctus Antistes deprehendit occultum Manichæum, qui sub larva subdiaconi Catholici latebat, et de quo ad Deuterium metropolitanum Cæsareensem in Epistola*

AUCTORE G. C.

Epistola 74 *sic scribit* : Nihil melius me facere posse arbitratus sum, quam ut tuæ sanctitati potissimum scriberem, ne per negligentiam in vestra provincia Domini nostri Jesu Christi ovile vastet inimicus, qui non desinit insidiari, ut perdat animas tam magno pretio comparatas. Mallianensem quemdam subdiaconum Victorinum apud nos constitit esse Manichæum, et in tam sacrilego errore sub nomine clerici latitabat: nam est etiam ætate senex. Ita est autem manifestatus, ut etiam ipse a me interrogatus, antequam a testibus coargueretur, negare non posset : tot enim et tales esse sciebat, quibus se incautus effuderat, ut nihil aliud, si negare tentaret, quam, non dico impudentissimus, sed insanissimus appareret. Auditorem sane Manichæorum, non Electum se esse confessus est.

denuntiat episcopo ipsius, ut ecclesia expellatur.

415 *Explicata deinde Auditorum et Electorum differentia, Deuterio summatim præcipuas Manichæorum blasphemias indicat, et Epistolam suam concludit sequentibus verbis :* Has cum illis intolerabiles blasphemias subdiaconus iste, quasi Catholicus, non solum credebat, sed quibus viribus poterat, edocebat : nam docens patefactus est, cum se quasi discentibus credidit. Rogavit me quidem, posteaquam se Manichæorum Auditorem esse confessus est, ut eum in viam veritatis doctrinæ Catholicæ revocarem ; sed, fateor, ejus fictionem sub clerici specie vehementer exhorrui, cumque coercitum pellendum de civitate curavi. Nec mihi hoc satis fuit, nisi et tuæ sanctitati eum meis litteris intimarem, ut a clericorum gradu congrue ecclesiastica severitate dejectus, cavendus omnibus innotescat. Petenti autem pænitentiæ locum tunc credatur, si et alios, quos illic novit esse, manifestaverit nobis, non solum in Malliana, sed in ipsa tota omnino provincia.

Plura Opuscula contra Manichæos scripta, quæ nunc latent.

416 *Sanctus Possidius cap.* 2 *Indiculi recenset plura opuscula, quæ Sanctus noster adversus Manichæos scripsit, et ex quibus aliqua nunc desiderantur. Imo ipse sanctus Doctor indicat, se multas lucubrationes adversus hoc hæreticos edidisse, dum lib.* 3, *cap.* 79 *contra Cresconium Grammaticum, qui sancto Præsuli Manichæismum exprobrabat, hanc impudentem calumniam diluit hac brevi refutatione :* Quid enim judicem de Manichæorum pestilentissima et Christianis omnibus anathematizanda vanitate, si tantum dicere solerem, ac non etiam conscriptis libris multis multiplicibusque testarer; nec sic quidem esset adversus ullus calumniæ vestræ locus. . . . . Cum vero contra Manichæos, qui me adolescentulum aliquando deceperant, mea tanta scripta, qui voluerit, legere possit, non usque adeo desipit, ut de me credat potius vestris verbis, quam oculis et sensibus suis. *Sanctus Doctor lib.* 4 *ejusdem Operis contra Cresconium cap.* 64 *repetitam istam calumniam rursus refellit, et postmodum similia fere respondit hæreticis Pelagianis, qui eidem strenuo Manichæorum debellatori Manichæismum impudenter objiciebant. Jam progredimur ad acriora et periculosiora certamina, quæ sanctus Episcopus noster cum Donatistis inivit, ut ex paragraphis aliquot sequentibus patebit.*



§ XXX. Sancti Præsulis intrepidus amor et solicita benignitas erga Donatistas.

Sanctus Donatistas sæpe invitabat ad collationem,

Cum Sanctus noster adhuc munere presbyteri fungeretur, Donatistas aggredi cœpit, ut supra § 19 *demonstravimus, ubi quoque breviter originem hujus schismatis et hæreseos explicuimus. Cum vero cathedram Hipponensem ascendisset, majori studio et labore schismaticos istos et hæreticos ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reducere conabatur. Unde privatis epistolis et publicis provocationibus eos ad amicas disputationes invitabat, ut colligimus ex testimonio ipsius* S. Augustini, *qui lib.* 1 *contra Litteras Petiliani cap.* 1 *sic scribit ;* Nostis, nos sæpe voluisse Donatistarum hæreticorum sacrilegum errorem in notitiam manifestam, non tam ex nostro quam ex ipsorum opere producere atque convincere. Unde factum est, ut ad nonnullos etiam primates eorum litteras daremus, non quidem communicatorias, quibus se jam in præteritum indiguos a Catholica Ecclesia dissentiendo fecerunt, nec tamen contumeliosas, sed pacificas, ut nobiscum quæstione discussa, quæ illos ab orbis terrarum sancta communione dirupit, considerata veritate, corrigi vellent; nec majorum suorum animosam perversitatem pertinacia stultiore defenderent, sed ad fructum charitatis radici Catholicæ redderentur. *At illi sub frivolo prætextu ad litteras ejus nihil responsi dabant, ac propter eloquentiam et artis dialecticæ peritiam, sicut inepte causabantur, cum sancto Præsule congredi non audebant. Quinimo odium pro dilectione reddentes, ei ferventer urgenti mortem minitabantur, ut infra Possidius num.* 18 *Actorum testabitur.*

ipsosque fugientes

418 *Verum his minis non terrebatur intrepidus fidei Catholicæ Defensor, ut abunde patet ex sermone seu tractatu de Pastoribus, ubi cap.* 7 *ad rem nostram contra Donatistas habet sequentia :* Hic inter manus latronum et dentes luporum furentium utcumque versamur ; et pro his periculis nostris ut oretis, oramus. Et contumaces sunt oves, quia quæruntur errantes, alienas sese a nobis dicunt; errore suo et perditione sua dicunt : Quid nos vultis? Quid nos quæritis? Quasi non ipsa causa sit, quare eas velimus et quare quæramus, quia errant et pereunt. Si in errore sum, si in interitu, quid me vis? Quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo; quia peristi, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare, sic vis perire? Quanto melius ego nolo? Prorsus audeo dicere : importunus sum. Audio enim dicentem Apostolum : Prædica verbum; insta opportune, importune. Quibus opportune? Quibus importune? Opportune utique volentibus; importune nolentibus. Prorsus importunus sum, audeo dicere. Tu vis errare, tu vis perire. Ego nolo. Non vult postremo ille, qui me terret. Si voluero; vide, quid dicat; vide quid increpet. „ Quod errabat, „ non revocastis, et quod periit, non inquisi„ stis „. Te magis timebo, quam ipsum?

miro ardore quærebat :

419 Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Non timeo : non enim potest evertere tribunal Christi, et constituere tribunal Donati. Revocabo errantem, requiram perditam. Velis, nolis, id agam, etsi me inquirentem lanient

AUCTORE G. C.

A nient vepres sylvarum; per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes excutiam. Quantum mihi virium Dominus terrens donat, omnia peragrabo; revocabo errantem; requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire. Parum est, quod doleo te errantem atque pereuntem; timeo, ne negligens te, etiam, quod forte est, occidam. Vide enim, quod sequitur; « Et quod forte fuit, confecistis ». Si neglexero errantem atque pereuntem, et eum, qui fortis est, delectabit errare atque perire. Cupio lucra exteriora, sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, attendit, qui fortis est; putat nihil esse, ire in hæresim. Quando aliquod commodum de seculo reluxerit, unde mutetur; statim mihi dicit fortis ille periturus, cum te perditum non requiro. Et hac et hac Deus est: Quid interest? Homines inter se litigantes hoc fecerunt; ubicumque colendus est Deus. Si forte illi dixerit aliquis Donatista: Non tibi do filiam meam, nisi fueris de parte mea. Illi opus est, ut attendat, et dicat: Si nihil mali esset, esse de parte eorum, non contra illos di-
B cerent pastores nostri; non pro illorum errore satagerent. Si ergo cessemus et taceamus, contraria locuturus est: Utique si malum esset, esse in parte Donati, loquerentur contra, redarguerent eos, satagerent lucrari eos; si errant, revocarent illos; si pereunt, quærerent illos. *His vigilantissimus Pastor indicat, monitiones suas ab adversariis ægre ferri non posse, cum jussu divino vel ex officio pastorali teneretur ad procurandam ovium aberrantium salutem.*

lacessitus ipsorum calumniis,

420 *Cum vero pertinaces et temerarii quidam Donatistæ salutaribus Sancti nostri monitis aculeata scripta et falsas contumelias opponerent, has ille calumnias nihil aut parum curabat, ac interim causam Ecclesiæ Catholicæ fortiter agebat, omissis propriæ famæ vindiciis. Hæc ejus lenitas aut mansuetudo facile eruitur ex capite primo libri tertii contra litteras Petiliani, ubi conviciatori isti Donatistæ placide respondet in hunc modum:* Legi, Petiliane, litteras tuas, quando legere potui, quibus te satis iudicasti adversus Catholicam Ecclesiam pro parte Donati nec aliquid valuisse dicere idoneum, nec tacere permissum. Quos æstus passus es, quanta cordis
C tempestate fluctuasti, cum legisses ea, quibus parti epistolæ tuæ, quæ in manus meas tunc venerat, quanta potui brevitate ac perspicuitate respondi? Vidisti enim tanta firmitate roboratam, tanta luce illustratam, quam tenemus et defendimus veritatem, ut quid contra eam dicendum esset, quo convicta refelleretur, invenire non posses. Attendisti etiam multorum, qui ea legerant, exspectationem in te esse conversam scire cupientium, quid diceres, quid ageres, qua evaderes, quo ex tantis angustiis, quibus te Dei verbum circumvallarat, erumperes. Hic tu, qui debueras, contempta opinione vanorum, pergere in veram sanamque sententiam, fecisti quod de talibus Scriptura prædixit: « Dilexisti malitiam super beniguitatem, iniquitatem magis quam loqui « æquitatem.

placide respondebat,

421 Proinde si et ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo maledici essemus, ut ii, qui nos legerent, alii detestatos abjicerent sana gravitate, alii suaviter haurirent malevola voluntate? Ego quando cuique vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive consulens, non ago, ut efficiar homini conviciando superior, sed errorem convincendo salubrior. Si enim qualecumque cor habent, qui ea, quæ scripsisti, considerant, quid tibi profuit ad causam, quæ inter nos de communione Catholica, vel de parte Donati, agitur, quod relicto negotio quodammodo publico, privata quadam simultate hominis unius vitam maledicis opprobriis insectatus es, quasi homo ille sit causa, quæ inquiritur?

et, relicta personæ suæ causa,

422 Tam male existimasti, non dicam de Christianis, sed de ipso humano genere, ut non crederes posse tua scripta in manus aliquorum venire prudentium, qui se a personis nostris tollerent, et quæstionem potius, quæ inter nos verteretur, inquirerent, nec qui vel quales essemus, sed quid pro veritate vel contra errorem diceremus, attenderent? Et horum judicium tibi reverendum fuit, horum reprehensio præcavenda, ne te arbitrarentur nihil invenisse, quod diceres, nisi tibi proponeres, cui quodammodo malediceres: sed videlicet quorumdam levitate atque vanitate, qui libenter audiunt lites nugantium E disertorum, ut cum attendunt, quam eleganter convicieris, simul non intueantur, quam veraciter convincaris. Simul et illud, opinor, egisti, ut occupatus in mea defensione susceptam causam etiam ipse desererem, atque ita hominibus non ad disputantium sed ad litigantium verba conversis, obscuraretur veritas, quam dilucescere atque innotescere formidatis. Ego itaque contra tale consilium quid agam, nisi mea potius defensione neglecta, rem teneam, de qua intentionem meam nullus mens criminator excutiat? Domum Dei mei, cujus decorem dilexi, præconio servientis vocis extollam; me vero humiliabo et abjiciam: elegi enim abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis hæreticorum. A te ergo, Petiliane, sermonem parumper avertam, sed ad eos convertam quos a me maledictis tuis es conatus avertere, quasi hoc ego moliar, ut homines ad me convertantur, et non potius mecum ad Deum.

causam Ecclesiæ unice tuebatur,

423 *Tum capite sexto ejusdem libri sanctus animarum Venator asserit, se propter amorem Dei contumelias illas adversariorum non tantum patienter, sed etiam libenter tolerare, lectores* F *Catholicos ita alloquens:* Hæc vobiscum et cum omnibus, quos Christo lucrari cupimus, actitantes, atque inter cetera sanctam Ecclesiam, quam in Dei Litteris promissam legimus, et sicut promissa est, in omnibus gentibus reddi cernimus, prædicantes, ab iis, quos ad ejus pacificum gremium attrahi cupimus, pro actione gratiarum flammas meruimus odiorum; quasi nos eos in ea parte ligaverimus, pro qua non inveniunt, quid loquantur, aut nos mandaverimus tanto ante prophetis et Apostolis, ut in libris suis nulla testimonia ponerent, quibus pars Donati Ecclesia Christi esse doceatur. Et nos quidem, charissimi, cum falsa crimina audimus ab eis, quos offendimus prædicando eloquia veritatis, et erroris vaniloquia convincendo, habemus, sicut nostis, abundantissimam consolationem: nam si in eis, quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur, non solum contristari non debeo, verum etiam gaudere et exultare, quia merces mea multa est in cælis: neque enim intuendum est, quam sit amarum, sed quam falsum, quod audio, et quam verax, pro cujus

AUCTORE G. C.

cujus nomine hoc audio. *Denique per decursum totius Operis contra Petilianum, relicta sui ipsius apologia, Catholicam Ecclesiam ab injuriosis Donatistarum accusationibus strenue vindicat.*

miro studio cavens,

424 *Simili fere modo pacificus Præsul refellit Cresconium Donatistam, et contumeliosum Grammaticum, qui Petiliano suppetias tulerat, et easdem calumnias adversus Sanctum nostrum repetierat: rursus enim contemnens injurias sibi illatas, communem Catholicæ Ecclesiæ causam fortiter defendit. Cum tamen Cresconius* S. Augustinum *accusasset, quasi probrosum et acerbius nomen Petiliano impegisset, publicus noster Ecclesiæ Vindex istam perniciosam calumniam, quæ Donatistas ab unione potuisset abalienare, lib.* 3, *cap.* 78 *refutandam censuit hac responsione :* Quin etiam me promissam in exordio lenitatem non servasse reprehendis, eo quod Manichæorum facta mentione permotus dixerim : « Sicut non » potest, quod Dominus ait, satanas satanam exclu- » dere, ita non potest error Manichæorum Dona- » tistarum errorem evertere »; quasi Petilianum satanæ comparaverim, ac non errorem, cujus eum B cupio laqueis expediri.

ne acerbioribus verbis illos offenderet,

425 Bene, quod Apostolus nos adversus tales calumnias communivit eo ipso loco, ubi nos mites, patientes et modestos esse admonet, quando aliquem dissentientem corripimus. Cum enim dixisset; Servum autem Domini litigare non oportet, sed esse mitem ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes, continuo subjunxit : Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso secundum ipsius voluntatem. Ecce Apostolica mansuetudo, cum quibus placide, patienter, modesteque agi præcepit, eos ipsos dicit a diabolo captivatos; nec tamen, quam commendabat, amisit lenitatem, quia eam, quam docebat, tacere noluit veritatem. *Quinimo sanctus Doctor istud Cresconii mendacium unioni Donatistarum tam noxium judicabat, ut eamdem refutationem cap.* 64 *libri quarti contra prædictum Cresconium repetierit his paucis verbis :* Dicis, me non servasse pacem et lenitatem, quam principio litterarum mearum promiseram, quod satanam Petilianum appellaverim. Ego non Petilianum, nec quemquam hominem in parte Donati, sed ipsum errorem C partis Donati satanæ comparavi, ex cujus laqueis homines, quos diligo, cupio liberari : nam lege consideratius; invenies.

sollicitèque monens Catholicos,

426 *Pacificus hæreseos Oppugnator non tantum cavebat, ne Donatistas acerbioribus verbis læderet aut ab unione averteret, sed etiam publice Catholicos exhortabatur, ut iis nullam offensionis occasionem præberent : nam quando imminebat disputatio vel collatio Carthaginensis inter Catholicos et Donatistas instituenda,* S. Augustinus *sermone* 35 *de Laude pacis, qui inter quadraginta novos a Sirmondo nostro primum vulgatos legitur, auditores suos de Donatistis amice tractandis post alia sic monet :* Proinde, charissimi, exhortor charitatem vestram, ut exhibeatis illis Christianam et Catholicam mansuetudinem. Nunc curandis instatur. In fervore sunt oculi sanctorum. Caute curandi leniterque tractandi sunt. Nemo suscipiat cum aliquo litem; nemo velit nunc vel ipsam suam fidem altercando defendere, ne de lite scintilla nascatur, ne quærentibus occasionem occasio præbeatur. Prorsus convicium audis; tolera, dissimula, præteri; momento curandum.

427 Videte quam blandi sunt medici eis, quos D etiam mordaciter curant. Audiunt convicium, præbent medicamentum, nec reddunt convicium con- *ne in collationibus* vicio. Verbum sit verbo, ut unus sit curandus, alter curat *, non duo litigantes. Fertote, ob- ** forte curator* secro, fratres mei. Sed non fero, inquit, quia blasphemat Ecclesiam. Hoc te rogat Ecclesia, ut feras, quia blasphematur Ecclesia. Detrahit, inquit, episcopo meo; crimen dicit in episcopum meum, et taceo? Crimen dicat, et tace, non agnoscendo, sed ferendo. Hoc præstas episcopo tuo, si pro illo, illo tempore non misceаris. Intellige tempus, habeto consilium. Deum tuum quanti blasphemant? Tu audis, et ille non audit? Tu nosti, et ille non novit? Et tamen facit oriri solem super bonos et malos, et pluit super justos et injustos; ostendit patientiam, differt potentiam. Sic et tu agnosce tempus; noli provocare sumentes oculos ad turbandos seipsos.... Noli conviciis repellere convicianteni, sed ora pro eo. Loqui vis illi contra illum; loquere Deo pro illo. Non tibi dico, quod taceas; sed elige magis, ubi loquaris, apud quem tacitus loqueris, labiis E clausis, corde clamante. Ubi non te videt, ibi esto bonus pro illo.

428 *Præterea sanctus Doctor alterum de eadem materia sermonem, qui inter quadraginta novos Sirmondianos ordine trigesimus sextus est, exorditur hoc modo :* Curam nostram pro vobis, et pro inimicis nostris et vestris, et pro salute omnium, pro quiete, pro pace communi, pro unitate, quam Dominus jussit, Dominus diligit, adjuvent preces sanctitatis vestræ, ut de illa identidem ad vos loquamur, et vobiscum gaudeamus. Etenim de pace et caritate loqui, si semper amamus, semper debemus. Multo magis ergo isto tempore, quando pax sic amatur, ut in periculo ejus amandæ et tenendæ constituti illi, quibus malum pro malo non reddimus, et cum quibus, sicut scriptum est, odio habentibus pacem sumus pacifici, et quia pacem loquimur eis, debellare nos volunt gratis. Illi ergo, qui tales sunt, periclitantur inter amorem pacis et confusionem pudoris; nec id agunt, cum vinci nolunt, ut invicti sint : qui enim vinci a veritate nolunt, ab errore vincuntur. O si eos caritas potius, quam animositas superaret! Inde victores fierent, unde victi essent. Nos pro Ecclesia F Catholica, ad ejus pacem et concordiam, et reconciliationem invitamus inimicos ejus, non humanis opinionibus, sed divinis testimoniis, amamus, tenemus, et defendimus. Quid cum illa agam, qui pro parte clamat, et contra totum litigat? Nonne bonum illi est vinci, qui si victus fuerit, totum tenebit; si vicerit, in parte remanebit? Imo si vincere sibi videbitur : nam non vincit, nisi veritas; victoria veritatis est caritas.

ullam præberent

429 *Cum vero Marcellinus comes ad evitandam omnem dissensionis aut tumultus ansam nomine imperatoris prudenter vetuisset, ne quis ex plebe Catholica locum disputationis intraret,* S. Augustinus *in fine ejusdem sermonis publice populum monet his verbis :* Ad collationis locum nullus vestrum irruat, fratres mei. Prorsus, si fieri potest, etiam per illum locum transitum devitate, ne forte aliquis contentionis et litis aditus inveniatur, vel occasio præbeatur, et inveniant ipsam occasionem, qui quærunt occasionem. Maxime quoniam, qui parum Deum timent, aut admonitionem nostram parvi pendunt, vel quia præsentia diligunt, debent saltem terrenæ potestatis

turbarum

A statis severitatem venerari. Edictum viri illustris publice propositum legistis; quod quidem non propter vos propositum est, qui Deum timetis et commonitionem episcoporum vestrorum non contemnitis; sed ne quis ista non curet, ne quis ista contemnat.

occasionem.

430 Videant igitur quales sunt, ne forte illis eveniat, quod ait Apostolus: « Qui enim resistit « potestati, Dei ordinationi resistit. Principes enim « non sunt timendi bono opere, sed malo. » Vitemus omnes seditiones, omnes causas seditionis. Forte dicitis; Intenti sumus, quid facturi sumus. Et quid vobis injungamus? Partes forte uberes pietatis. Nos disputemus pro vobis; vos orate pro nobis. Orationes etiam vestras, sicut jam ante præmonuimus, jejuniis et eleemosynis adjuvate: addite pennas illis, quibus volant ad Deum. Sic agentes negotium, fortasse utiliores nobis eritis, quam nos vobis: nemo enim nostrum in hac disputatione pro se præsumit. In Deo est tota spes; neque enim meliores sumus Apostolo, qui dicit: Orate pro nobis. Orate, inquit, pro me, ut detur B mihi sermo. Illum ergo pro nobis rogetis, in quo spem posuimus, ut de nostra disputatione gaudeatis. Tenete ista, fratres, obsecramus vos per nomen ipsius Domini, per amorem pacis, per plantatorem pacis, oramus vos, ut eum pacifice oretis, pacifice deprecemini, et memineritis esse filii ejus, a quo dictum est: « Beati pacifici, quoniam « filii Dei vocabuntur. » *At plerique Donatistæ pertinaces huic soliciti Pastoris amori furorem rependebant, ut paragrapho sequente referemus.*

§ XXXI. Rabies Donatistarum adversus Augustinum aliosque Catholicos, quæ legibus imperatoris utiliter coercenda fuit.

Rabies pervicacium Donatistarum in Catholicos ob conversionem quorumdam,

Cum quidam Donatistæ continuis S. Augustini *aliorumque præsulum exhortationibus et invictis argumentis ad unionem Ecclesiæ Catholicæ converterentur, alii pervicaces hujus hæresis sectatores (utemur verbis nostri sancti* C *Doctoris in Epistola* 50*)* sic exarserunt, et tantis sunt odiorum stimulis incitati, ut contra eorum insidias atque violentias, et apertissima latrocinia vix ullæ nostræ communionis ecclesiæ possent esse securæ, vix ulla via tuta, qua iter agerent, quicumque adversus eorum rabiem pacem prædicarent, eorumque dementiam perspicua veritate convincerent. Usque adeo prorsus non solum laicis, vel quibuslibet clericis, sed ipsis quoque episcopis Catholicis quodammodo proponebatur dura conditio: aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda. Sed si veritas taceretur, non solum nemo fuerat ejus silentio liberandus, sed multi etiam illorum seductione perpendi. Si autem veritatis prædicatione furor eorum ad sæviendum provocaretur, aliquibus liberatis, nostrisque firmatis, rursus a sequenda veritate formido impediret infirmos.

quam aberrando a via feliciter aliquando vitavit Sanctus,

432 *Sanctus noster aliquando rabiem illorum feliciter evitavit, ut ipse in Enchiridio ad Laurentium cap.* 17 *testatur his verbis*: Nonnullis errare profuit aliquando; sed in via pedum, non in via morum: nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, et non iremus per eum locum, ubi operiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat; atque ita factum est, ut eo, quo tendebamus, per devium circuitum veniremus, cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo. *Sanctus Possidius in Actis post hunc Commentarium prævium edendis num.* 23 *narrabit idem* S. Augustini *periculum, cui statim subjunget insidias sibi structas, et injurias ab iisdem furentibus Donatistis illatas, quamvis ille pius biographus præ modestia nomen suum suppresserit. Sed ex Opere* S. Augustini *contra Cresconium grammaticum lib.* 3, *cap.*46 *novimus, id ipsi Possidio Calamensi tunc episcopo contigisse, quemadmodum mox audiemus.*

quamque experti sunt alii,

433 *Sanctus Doctor in Epistola* 166 *eamdem rem de Possidio refert, ubi prius Donatistis alia quædam crudelitatis specimina breviter exhibet, eos ita alloquens*: Ut longe præterita et multa non repetamus, saltem recentia facta vestra cogitate. Marcus presbyter Casphalianensis a nemine coactus, propria voluntate Catholicus factus est; quare illum vestri persecuti sunt, et pene occidissent, nisi Dei manus per homines super- E venientes violentias eorum compressisset. Restitutus Victorianensis ad Catholicam, nullo cogente, se transtulit; quare captus est de domo sua, cæsus, in aqua volutatus, buda vestitus *(est genus ignominiosæ vestis, de qua voce Cangius in Glossario consuli potest)* et nescio quot dies in captivitate retentus est, nec libertati propriæ fortasse restitutus esset, nisi jam pene propter ipsam causam Proculianus sibi exhibitionem videret imminere. Marcianus Urgensis Catholicam unitatem propria voluntate delegit; quare subdiaconum ejus, cum ipse fugisset, prope usque ad mortem cæsum clerici vestri lapidibus obruerunt, quorum domus pro suo scelere eversæ sunt. Quid amplius dicamus? Modo præconem misistis, qui clamaret Siniti: Quisquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus. Quid antequam ipse ad Catholicam conversus esset, et nondum de transmarinis remeasset? Ad quid aliud presbyterum Siniti miseramus, nisi ut nulli molestus nostros visitaret, et in domo juris sui positus, pacem Catholicam volentibus prædicaret, quem vos inde cum gravi injuria projecistis? F

inter quos S. Possidius:

434 Quid aliud agebamus, quando unus nostrum Calamensis episcopus Possidius ibat ad fundum Figilinensem, nisi ut nostri quamvis pauci, qui illic erant, visitarentur, et audito verbo Dei ad unitatem Christi, qui vellent, converterentur? Cui ambulanti viam suam, latronum more, insidiati sunt; et quia in eorum insidias cadere non potuit, cum aperta violentia in fundo Livetensi pene vivum cum domo, quo fugerat, incenderant, nisi tertio suppositas flammas coloni ejusdem fundi propter periculum suæ salutis exstinguerent. *Quid Possidius post istud incendii periculum ab iisdem furentibus hæreticis passus fuerit, idem sanctus Doctor lib.* 3 *contra Cresconium grammaticum cap.* 46 *clarius exponit his verbis*: Tunc domum, in qua cum suis se Possidius incluserat, sepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri; quæ vero aderat incolentium multitudo memor periculi sui, si in eo loco aggressum tantum facinus impleretur, partim illum deprecabatur, ut parceret, quem resistendo non audebat offendere, partim vera ignes suppositos exstinguebat. Cum ille *(videlicet Donatistarum ductor)* nihilo

AUCTORE G. C.

lo segnius cœptis fervidus atque inexoratus instaret, cessit aliquando ictibus janua; ingressi sunt, sauciatisque cæde jumentis, quæ in inferiore domus parte compererant, de superioribus episcopum deposuerunt, afficientes plagis et contumeliis. *Hæc omnia num. 24 Actorum confirmabit tacito suo nomine ipse Possidius, qui illam Donatistarum crudelitatem expertus est.*

impia eorum in Catholicos

435 *Etiam Clerici Catholici Hipponensis ecclesiæ in Epistola* 66, *quam Januario primæ sedis episcopo Donatistæ scripserunt, merito de immani Donatistarum persecutione conqueruntur in hunc modum*: Clerici et circumcelliones vestri novi generis et inauditæ crudelitatis persecutione in nos sæviunt. Qui si malum pro malo redderent, etiam sic contra legem facerent Christi. Nunc vero consideratis omnibus factis nostris et vestris, invenimur hoc pati, quod scriptum est: « Retribuebant mihi mala pro bonis. » Et in alio Psalmo: « Cum his, qui oderant pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, debellabant me gratis. » *Deinde proferunt authentica veterum imperatorum decreta, quibus Donatistæ condemnabantur, et ex iis ita disserunt*: De nobis B ergo quid queramini, non habetis; et tamen Ecclesiæ Catholicæ mansuetudo etiam ab his imperatorum jussionibus omnino conquieverat, nisi vestri clerici et circumcelliones per suas immanissimas improbitates furiosasque violentias quietem nostram perturbantes atque vastantes, hæc in vos recoli et moveri coegissent. Nam priusquam recentiores leges istæ, de quibus modo querimini, venissent in Africam, insidias in itineribus nostris episcopis tetenderunt, conclericos nostros plagis immanissimis quassaverunt, laicis quoque et plagas gravissimas inflixerunt, et intulerunt eorum ædificiis incendia.

crudelitas

436 *Deinque Clerici Hipponenses ostendunt, has contumelias ab episcopo suo Augustino non fuisse delatas ad imperatorem; sed mitissimum Virum prius obtulisse Donatistis æquissimas pacis ineundæ conditiones, quas hi superbe repudiarunt, atque narrationem suam prosequuntur hoc modo*: Pejora mala nobis vestri nunc faciunt; non tantum nos fustibus quassant, ferroque concidunt, verum etiam in oculos exstinguendos calcem mixto aceto, incredibili excogitatione sceleris mittunt. Domos insuper nostras compilantes, arma C sibi ingentia et terribilia fabricarunt, quibus armati per diversa discurrunt, comminantes atque anhelantes cædes, rapinas, incendia, cæcitates. Quibus rebus compulsi sumus tibi primitus conqueri. Consideret gravitas tua, quam multi vestrum, imo vos omnes, qui vos pati dicitis persecutionem, sub ipsis quasi terribilibus imperatorum Catholicorum legibus, in possessionibus vestris et alienis securi sedeatis, et nos a vestris tam inaudita mala patiamur. Vos dicitis pati persecutionem, et nos ab armatis vestris fustibus et ferro concidimur. Vos dicitis pati persecutionem, et nostræ domus ab armatis vestris compilando vastantur. Vos dicitis pati persecutionem, et nostri oculi ab armatis vestris calce et aceto exstinguuntur. Insuper etiam, si quas mortes sibi ultro ingerunt, nobis volunt esse invidiosas, vobis gloriosas. Quod nobis faciunt, sibi non imputant, et quod sibi faciunt, nobis imputant. Vivunt, ut latrones; moriuntur, ut circumcelliones; honorantur, ut martyres: et tamen nec latrones aliquando audivimus, eos, quos deprædati sunt, excæcasse. Occisos auferunt luci, vivis auferunt lucem.

D 437 *Propter hæc aliaque notoria Donatistarum scelera tandem* S. Augustinus, *mutavit priorem suam sententiam circa pœnas hæreticis infligendas, quæ mansuetissimo Præsuli semper antea displicuerant, ut in Epistola* 48 *fatetur his verbis*: Mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa recte intelligi posse, quod scriptum est: « Da sapienti occasionem, et sapientior erit. » Quam multi enim, quod certo scimus, jam volebant esse Catholici, manifestissima veritate commoti, et offensionem suorum reverendo quotidie differebant.

occasionem dedit imperatori

E

leges condendi

438 *Deinde sanctus Doctor in Epistola* 50 *justitiam legum imperatoriarum variis argumentis ex sacra Scriptura desumptis demonstrat, et earum promulgandarum occasionem ibidem exponit his verbis*: Antequam istæ leges, quibus ad convivium sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus et ego eram, quamvis Donatistarum rabies usquequaque sæviret, non esse petendum ab imperatoribus, ut ipsam hæresim juberent omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent; sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissimæ memoriæ Theodosii, quam generaliter in omnes hæreticos promulgavit, ut quisquis eorum episcopus vel clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri mulctaretur, expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent, ut non omnes ea mulcta ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias a clericis vel a Circumcellionibus vel populis eorum Ecclesia Catholica pateretur; ut scilicet post protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpessi, jam cura ordinum ad persolvendam mulctam episcopi sive ministri ceteri tenerentur.

contra quos.

439 Ita enim existimabamus, eis territis et nihil tale facere audentibus, posse libere doceri et teneri Catholicam veritatem, ut ad eam cogeretur nemo, sed eam, qui sine formidine vellet, sequeretur, ne falsos et simulatores Catholicos haberemus. Et quamvis aliis fratribus aliud videretur, jam ætate gravioribus, vel multarum civitatum et locorum exempla currentibus *, ubi firmam et veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficiis Dei constituta esset atque firmata, dum per priorum imperatorum leges ad communionem homines Catholicam cogerentur: obtinuimus tamen, ut illud potius, quod dixi, ab imperatoribus peteretur; decretum est in concilio nostro; legati ad comitatum missi sunt. Sed Dei major misericordia, qui sciret, harum legum terror et quædam medicinalis molestia quam multorum esset parvis vel frigidis animis necessaria, et illi duritiæ, quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquantula severitate disciplinæ potest,

* al. cernentibus vel narrantibus

A potest, id egit, ut legati nostri, quod susceperant, obtinere non possent : jam enim nos prævenerant ex aliis locis quædam episcoporum querelæ gravissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, et a suis sedibus exturbati; præcipue horrenda et incredibilis cædes Maximiani episcopi Catholici ecclesiæ Vagiensis * effecit, ut nostra legatio jam quid ageret, non haberet : jam enim lex fuerat promulgata, ut tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæviebat, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune.

* *al.* Vagaiensis *aut* Bagaiensis

quas, ut necessarias,

440 *His subjungitur immane scelus, quod crudeles Donatistæ perpetrarunt adversus S. Maximianum Bagaiensem præsulem, qui die tertia Octobris in Martyrologio Romano annuntiatur his verbis :* In Africa sancti Maximiani episcopi Bagaiensis, qui a Donatistis iterum atque iterum sævissima passus, ex alta denique turri præcipitatus, et pro mortuo derelictus, gloria confessionis illustris postmodum quievit in Domino. *Quapropter hic sanctus Maximianus ad dictam diem tertiam Octobris in Opere nostro illustrandus occurret.*

B *Sed hac occasione successores nostros præmonemus, ut diligenter examinent, an ille Maximianus ab alio ejusdem nominis episcopo distingui debeat. Porro de hac intricata difficultate Tillemontius in Monumentis ecclesiasticis tomo* 13, *pag.* 991 *et sequente consuli poterit. Consulendus etiam erit eminentissimus Baronius, qui in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 402, *num.* 62 *priorem sententiam suam revocat, et duos Maximianos ejusdem fere temporis episcopos in Africa distinguit.*

similiter latas,

441 *Certe Maximianus ille, cui sævi Donatistæ tot cruenta vulnera inflixerunt, et quem fama jam mortuum nuntiaverat, mirabiliter morti ereptus, ad Honorium imperatorem trans mare discessit, ac recentibus adhuc cicatricibus crudelitatem Donatistarum accusavit, ut Sanctus ibidem narrat verbis sequentibus* : Auxilium ergo petivit ab imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi causa, quam tuendæ ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Neque enim et apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum tribuno ut proderetur, effecit. Unde factum est, ut eum ad locum, quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias : Romanas etiam leges implorare minime dubitavit, civem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat; itemque, ne Judæis eum interimere cupientibus traderetur, cæsaris poposcit auxilium, Romani quidem principis, sed non Christiani. Ubi satis ostendit, quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent. Hinc ergo factum est, ut imperator religiosus et pius, perlatis in notitiam suam talibus causis, mallet piissimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, et eos, qui contra Christum Christi signa portarent, ad unitatem Catholicam terrendo et coërcendo redigere, quam sæviendi tantummodo auferre licentiam, et errandi ac pereundi relinquere. Jam vero cum ipsæ leges venissent in Africam, præcipue illi, qui quærebant occasionem, aut sævitiam furentium metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt.

(C stands in the margin beside "tra illos".)

442 *Cum desperati quidam Donatistæ et harum legum impatientes antiquo majorum suorum more seipsos interficerent aut se interficiendos offerrent, et hanc cædem Catholicis imputarent,* Augustinus *exemplo Absalonis et alia familiari similitudine stultam illam accusationem sic ibidem refellit :* Illi autem, quod et alibi aliquando diximus, et quod nobis faciunt, sibi non imputant, et quod sibi faciunt, nobis imputant. Quis enim nostrum velit, non solum aliquem illorum perire, verum etiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit pacem habere domus David, nisi Absalon filius ejus in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset exstinctus, quamvis magna cura mandaverit suis, ut eum, quantum possent, vivum salvumque servarent, ut esset, cui pœnitenti paternus affectus ignosceret, quid ei restitit, nisi perditum flere, et sui regni pace acquisita suam mœstitiam consolari?

AUCTORE G.C. *contra calumnias Donatistarum,*

443 Sic ergo Catholica mater bellantibus adversus eam quid aliud quam filiis suis, quia utique ex ipsa magna arbore, quæ ramorum suorum porrectione toto orbe diffunditur, iste in Africa ramusculus fractus est, cum eos charitate parturiat, ut redeant ad radicem, sine qua veram vitam habere non possunt, si aliquorum perditione ceteros tam multos colligit, præsertim quia isti non sicut Absalon casu bellico, sed spontaneo magis interitu pereunt, dolorem materni cordis leuit et sanat tantorum liberatione populorum ; quorum si videas in Christi pace lætitias, frequentias, alacritates, et ad hymnos audiendos et canendos, et ad verbum Dei percipiendum celebres hilaresque conventus, multorumque in eis cum dolore magno recordationem præteriti erroris, et cum gaudio considerationem cognitæ veritatis, et cum indignatione et detestatione mendacium magistrorum, quod modo cognoscant, de nostris Sacramentis quam falsa jactaverint, multorum etiam in eis confessiones, quod olim vellent esse Catholici, nec inter homines tanti furoris auderent ; horum ergo populorum congregationes per plurimas Africæ regiones ab illa perditione liberatorum, si sub uno conspectu videres, tunc diceres, nimiæ fuisse crudelitatis, si dum timeretur, ne homines desperati, et istorum innumerabili multitudini nulla æstimatione comparandi, suis et voluntariis ignibus cremarentur, isti in æternum perdendi et sempiternis ignibus cruciandi *relinquerentur.

defendit (E stands in the margin beside "charitate"; F beside "isti".)

* *al.* cremandi

Augustinus.

444 Si enim duo aliqui in una domo habitarent, quam certissime sciremus esse ruituram, nobisque in prænuntiantibus nollent credere, atque in ea manere persisterent; si eos inde possemus eruere vel invitos, quibus imminentem illam ruinam postea demonstraremus, ut redire ulterius sub ejus periculum non auderent, puto, nisi faceremus, non immerito crudeles dijudicaremur. Porro si unus illorum nobis diceret . Quando intraveritis eruere nos, me ipsum continuo trucidabo ; alter autem nec exire quidem inde, nec erui vellet, sed neque necare se auderet, quid eligeremus, utrum ambos ruinæ opprimendos relinquere, an uno saltem per misericordiæ nostram operam liberato, alterum non nostra culpa, sed sua potius interire? Nemo est tam infelix, qui non quid fieri in talibus rebus oporteat, facillime judicet. Et de duobus hominibus, uno perdito et uno liberato similitudinem istam proposui. Quid ergo sentiendum est de quibusdam paucis perditis, et innumerabili multitudine populorum liberatorum? Non enim vel tot sunt illi homines,

AUCTORE G. C.

mines, qui sua voluntate pereunt, quot liberantur per istas leges ab illa pestifera æternaque pernicie, fundi, pagi, vici, castella, municipia, civitates. *Ex hoc discursu colligimus, imperatoriis legibus multos Donastistas ad gremium Ecclesiæ Catholicæ reductos esse. quorum numerus adhuc crevit post disputationem Carthaginensem, quæ inter Catholicos et Donatistas instituta fuit, ut paragrapho sequente narrabitur.*

§ XXXII. Præcipua, quæ Sanctus noster in congressu Carthaginensi et post illum contra Donatistas egit.

Donatistæ, qui ad collationem sæpius erant frustra invitati,

Sanctus Episcopus noster Hipponensis aliique Catholici præsules Africæ Donatistas ad amicam disputationem sæpius invitaverant. At hi quaslibet æquissimas pacis ineundæ conditiones B *superbe rejiciebant, et allegabant varias futiles hujus recusationis ratiunculas, ex quibus in Epistola* 166 S. Augustinus *unam maxime frivolam refellit hoc modo :* Vestri episcopi conventi a nobis, numquam nobiscum pacifice conferre voluerunt, quasi fugientes cum peccatoribus loqui. Quis ferat istam superbiam; quasi Paulus apostolus non contulerit cum peccatoribus, et cum valde sacrilegis? Legite Actus Apostolorum et videte. Quasi ipse Dominus non cum Judæis, a quibus crucifixus est, sermones de lege habuerit, eisque congruenter responderit? Postremo diabolus est primus omnium peccatorum, qui converti ad justitiam numquam poterit, et tamen nec ipse Dominus de lege dedignatus est ei respondere; ut intelligatis, istos ideo nobiscum nolle conferre, quia causam suam perditam norunt. *Attamen post aliquot annos, impulsore potissimum* S. Augustino, *Honorius imperator episcopos Donatistarum Carthaginem convenire jussit, ut cum Catholicis de religione disputarent. Hinc illi licet inviti simulabant, a se desiderari hunc congressum, a quo semper antea abhorruerant.*

ad illam coguntur per imperatorem,

C 446 *Sanctus Doctor hac opportuna occasione utendum existimabat, ut arrogantes illorum episcopos publice confunderet, iisque palam convictis, quorum pertinaciam noverat, saltem simpliciores Donatistas ad unionem Catholicæ Ecclesiæ perduceret. Ex illa collatione Carthaginensi Sanctus noster hunc præcipue fructum exspectabat, ut lib.* 3 *contra Julianum cap.* 1 *satis indicat, ubi Pelagianos ita alloquitur :* Nec vos nec alios decipiatis, velut talem vocem habentes adversus nos, qualem nos adversus Donatistas, quos ad collationem nobiscum venire per imperialia jussa compulimus. Illorum enim furor occupaverat Africam totam, nec prædicari a Catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem, violentis agressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastantes, cuncta terrentes; cum quibus apud episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod vero ante centum ferme annos majores nostri cum eis egerant, jam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, ut saltem gestis nostra collatione confectis, eorum contunderemus inverecundiam, et reprimeremus audaciam. Vestra vero apud competens judicium communium episcoporum modo causa finita est.

447 *Ibidem deinde Pelagianos comparat Maximianistis, qui ex Donatistis ortum habuerunt, et a colloquio Carthaginensi propter paucitatem exclusi sunt, ut exponit his verbis :* Similes autem estis potius Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, et ideo videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen; interpellantes eos, et libellum dantes, provocantesque contempsimus : magis enim de certamine nominari desiderabant, quam formidabant in certamine superari; nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant. Si ergo putatis, ideo vos esse victores, quia non vobis datum est quale desideratis examen; Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserunt : quamvis dederit vobis Ecclesia Catholica judicium, quale debuit, ubi causa vestra finita est; illis autem nullum dare dignata est, quia non a nobis, sicut vos, sed a Donatistis fuerunt segregati. Si autem in Maximianistis videtis non esse consequens, ut qui conferre in aliquo judicio non sinuntur, putari debeant de veritate confidere, nolite ulterius hæc E vana jactare; vobisque sufficiat, quod vos Ecclesia Catholica et materna lenitate sustinuit, et judiciaria severitate, vel potius medicinali necessitate damnavit. *Rejectis itaque Maximianistis, illa collatio Carthaginensis anno Christi* 411 *inter Catholicos et Donatistas habita est, quemadmodum jam breviter ex contractis* S. Augustini *scriptis referemus.*

D *exclusis tamen Maximianistis.*

Conveniunt episcopi Carthagine, cognitore Marcellino comite,

448 *Honorius imperator curam collationis hujus cogendæ ac dirigendæ demandavit viro clarissimo Marcellino comiti, qui litteris encyclicis omnes utriusque partis episcopos ex universa Africa moneri jussit, ut intra quatuor menses publicæ disputationis instituendæ gratia Carthaginem convenirent. Præterea Marcellinus sine jussione imperatoris reddidit ecclesias Donatistis, qui se venturos pollicerentur, ut eos hoc modo demulceret, ac etiam beneficiis ad congressum invitaret. Denique illis obtulit, ut alium, quem vellent, cum illo judicem, seu causæ cognitorem constituerent, juravitque per mysterium sanctissimæ Trinitatis, nihil se aliud judicaturum, nisi quod allegationes utriusque partis et veritas rei* F *persuaderent. Igitur ex Catholicorum parte Carthaginem venerunt antistites ducenti octoginta sex, cum ferme centum viginti in suis ecclesiis senectute vel morbis impediti remansissent, essentque eo tempore sexaginta sedes episcopales pastoribus orbatæ. Ex parte autem Donatistarum eo confluxerunt episcopi centum quinquaginta novem, quamvis hi falso jactarent, se numero plures quam quadringentos esse; sed alios ob varias corporis infirmitates domi remansisse. Quinimo in subscriptionibus eorum legebantur ducenta septuaginta nomina, cum tantum centum quinquaginta novem præsules illorum adessent, et multi pro absentibus fraudulenter subscripsissent. Sed hæc subscriptionum falsitas, aliaque crassa mendacia facile postmodum detecta sunt. Porro Donatistæ tanta speciosi agminis pompa simul omnes Carthaginem ingressi sunt, ut istius magnæ civitatis oculos in se converterent, sicut* S. Augustinus *loquitur, cum Catholici ad evitandam ostentationem non omnes simul, sed seorsum, prout quisque poterat, eamdem urbem intrarent.*

eliguntur ab utraque parte septem ad disputandum,

449 *Omnibus utriusque partis episcopis jam Carthagine præsentibus, Marcellinus comes locum, tempus, atque ordinem collationis constituit,*

AUCTORE G. C.

A tuit, ac inter alia edicto cavit, ut ex unaquaque parte deligerentur octodecim, quorum officia sic inter se divisa essent, ut ex iis septem deputarentur ad disputandum, totidem, cum opus esset, ad consulendum; reliqui quatuor actis conscribendis atque custodiendis præessent, ne quid addi vel detrahi ab aliquo posset. Insuper additi sunt notarii quatuor, ut bini cum exceptoribus judicis sive cognitoris alternarent, ne quis se dixisse causaretur, quod non fuisset exceptum vel annotatum. Marcellinus etiam postulavit, ut reliqui utriusque partis episcopi signatis ad se litteris promitterent, ratum habituros, quidquid a septenis fuisset actum. Inter episcopos Catholicos ex septem disputatoribus celebriores erant Aurelius Carthaginensis, Alypius Tagastensis, et Augustinus Hipponensis, qui licet inter hos tres ordine sit ultimus, tamen in agendis hujus colloquii negotiis non fuit postremus, ut infra dicetur. Ex parte vero Donatistarum præcipui disputatores seu potius cavillatores erant Primianus Carthaginensis, Emeritus Cæsariensis in Mauritania, Gaudentius Tamugadensis, et Petilianus olim clamosus causidicus, ac tunc episcopus Cirtensis aut Constan-B tinensis.

æquas Donatistis sibique iniquas conditiones offerunt Catholici,

450 Marcellinus hæc ita prudenter ordinaverat, ut nullum seditionis aut tumultus periculum suboriretur, et in eumdem finem publico edicto prohibuerat, ne plebs Carthaginensis ad locum collationis proprius accederet. Unde S. Augustinus etiam duplici concione populum Catholicum sedulo monuit, ut omnes edicto clarissimi cognitoris obtemperarent, et nemini ex Donatistis ullam offensionis ansam præberent, sicuti superius alia occasione diximus. Verum hæc dece relatu multuosis concordiæ inimicis minime placuerunt, et imprimis Donatistæ postularunt, locus collationis omnibus suis pateret. At quanta fuit Donatistarum pertinacia adversus edictum cognitoris, tanta fuit Catholicorum erga illud observantia: nam Catholici datis ad clarissimum virum litteris indicarunt, consentire se omnibus, quæ edicto illo statuta fuerant. Insuper in iisdem litteris promiserunt, si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secuturos pro salute Christiana. Si autem in sua communione po-C tius veritas Ecclesiæ ostenderetur, honorem episcopalem eis se non negaturos, et hoc a se fieri bono pacis, ut intelligerent hi, quibus hoc præstaretur, quod in eis Catholici non Christianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem. Quinimo Catholici præsules episcopatibus suis cedere parati erant, si pax ita confirmari posset, ut sanctus Doctor in libro de gestis cum Emerito fusius exponit.

qui et capita assignant, de quibus disputetur:

451 Denique Catholici consenserunt, ut voluntati Donatistarum satisfieret, et ex iis omnes, qui vellent, ad locum collationis confluerent, cum tamen ex Catholicis episcopis illi soli adessent, quos edicto suo Marcellinus assignaverat; ut si aliquis tumultus existeret (quod Catholici verebantur) hic imputari non posset illis, qui paucissimi adessent, sed potius iis, qui multitudinem suam præsentem esse voluissent. Cognitor, accepit Donatistarum et Catholicorum litteris, quidquid utraque pars scripserat, in publicam populi notitiam transmisit, ut antea spoponderat; quod forsan eo consilio fecit, ut gnarus omnium populus evidenter sciret, quam æquas adversariis et sibi iniquas pacis conditiones Catholici admisissent, ac tanto facilius imperita plebs Donati partem sequens obstinatos in schismate Donatistas desereret. Interim Catholici Marcellino comiti dederant ac litteris mandaverant præcipua controversiæ capita, quæ discutienda erant; nempe Ecclesiam Christi toto terrarum orbe diffusam esse, Cæcilianum perperam de crimine traditionis accusatum fuisse, jussiones imperatorias, quas pro se contra Donatistas Catholici nonnumquam impetraverant, non esse damnandas, cum ipsi quoque Donatistæ Maximianistas hostes suos publicis aliquando judiciis essent insectati, et alia similia dissidii puncta, in quibus cardo rei vertebatur.

ubi ad locum disputationis perventum,

452 Omnibus igitur ita præparatis, plures utriusque partis episcopi Thermas Gargilianas (erat is locus in meditullio Carthaginis situs et collationi destinatus) ipsis Kalendis Juniis anni 411 intrarunt. Ingressus est una cum illis Marcellinus comes ac postmodum martyr, qui non solum tribunus militaris erat, sed et notarius, id est, a secretis imperatoris, ut constat ex titulo epistolæ Catholicorum ad ipsum ante collationem Carthaginensem scriptæ. Hic tamen in illa collatione non propric judicis, sed cognitoris nomen præ se tulit: ita enim nominare consuerit antiquitas judices seculares, quorum arbitrio disponebantur in syno- E dis ea, quæ ad pacificum et tranquillum congressum pertinerent. Ut autem pacta et conventa conservarentur, iis interloqui nonnumquam licebat, et ex authenticis instrumentis declarare potiora partis alterutrius jura, quamvis episcopis integrum judicium relinquerent, sicut ex variis conciliis passim notum est, et in hac ipsa collatione apparet.

mox tergiversari

453 Ceterum Donatistæ ab ipso collationis hujus initio tergiversari et cavillari cœperunt: cum enim a cognitore interrogarentur, utrum ex parte sua jam elegissent eos, qui susceptam causam peragerent, inter alias ineptias dixerunt, prius agendum esse de tempore, quod jam præteriisse contendebant. At cognitor respondit, hanc non episcopalem, sed forensem potius esse objectionem; siquidem de tempore, licet decimo quarto Kalendas Junias completum esset, utraque tamen pars in Kalendas ipsas Junii consenserat. Imo addidit, etiamsi pars quælibet nondum adfuisset, duos alios menses superesse, quos imperator adjunxerat trinis edictis fuisse servandos. Cum Donatistæ viderent, istud effugium sibi præclusum esse, ex illa F responsione cognitoris intulerunt, nihil ergo secum publico jure agi debere, sed tantummodo divinis Scripturis. Hoc audito, cognitor quæsivit, quid utrique parti de hac re placeret. Catholici responderunt, jam mandatum electis suis disputatoribus injunctum fuisse, ut non forensibus argumentis, sed divinis testimoniis ageretur, et hoc mandatum legi jusserunt, quantumlibet adversarii reclamarent. Alias deinde tergiversationes obtruserunt, ut non ageretur id, ad quod agendum convocati fuerant.

incipiunt Donatistæ;

454 Præterea Donatistæ in hoc triduano colloquio Catholicos ignominiose et contemptim traditores appellabant, aliisque contumeliosis verbis perstringebant. Exemplo sit arrogans et vana superstitio, qua cum Catholicis in collatione sedere noluerunt: cum enim cognitor eos ad sedendum humaniter invitasset, id facere recusarunt dicentes, hoc sibi non esse licitum, quia in Psalmo 25 legitur: Non sedi in concilio impiorum. Prima vice Catholici illam contumeliam patienter tolerarunt, ne nugis hujusmodi refellendis inutiliter tempus perderent. Cum tamen Donatistæ tertia die collationis idem convicium repeterent, acute Catholici

AUCTORE G. C.

tholici responderunt, eos etiam non debuisse Thermas Gargilianas ingredi, quia in eodem Psalmo hæc sequuntur: Et cum iniqua gerentibus non introibo. *Quare Sanctus noster in libro, quem post collationem ad Donatistas scripsit, cap.* 5 *superstitionem illam explodit his verbis :* Episcopi vestri ... nobiscum sedere noluerunt dicentes sibi scriptum esse, ne cum talibus sedeant; illud utique non spiritaliter, sed carnaliter intelligentes, quod in Psalmo positum est: « Et cum impiis non sedebo. » Et tamen fecerunt, quod in eodem ipso loco psalmi prohibetur : nam ibi dicit Propheta; « Et cum iniqua agentibus non introibo. » Si ergo, quia nos iniquos vel noverant vel putabant, ideo nobiscum sedere noluerunt, quare (quod similiter prohibetur) nobiscum introierunt, ex parte sancti, ex parte polluti, nisi quia Scripturas sanctas intelligendo et carnaliter sapiendo ipsam unitatem dissipaverunt?

adducti tamen ad capita controversiæ, respondere nequeunt :

455 *Denique Catholici, præcicis innumeris tergiversationibus et ineptis cavillationibus, Donatistas etiam reluctantes ad præcipua controversiæ capita sensim deduxerunt, et ex evidentissimis* B *sacræ Scripturæ testimoniis probarunt, Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam contagione malorum non perire. Deinde actum est de causa Cæciliani, et ex variis instrumentis publicis ostensum est, innocentiam ipsius jam multoties fuisse probatam; Donatistas autem multis judiciis ecclesiasticis et civilibus convictos atque damnatos fuisse. Cum Donatistæ manifestis his argumentis nihil solidi respondere possent, tandem Marcellinus cognitor tulit sententiam,* confutatos a Catholicis Donatistas omnium documentorum manifestatione pronuntians, *ut sanctus Doctor in Breviculo de collationibus trium dierum cap.* 25 *sub finem testatur. Sanctus Possidius Calamensis episcopus, qui tribus illis collationibus interfuit,* S. Augustino *præcipuam istius negotii partem et felicem disputationis eventum tribuere videtur, ut inferius in secunda Actorum parte post hunc Commentarium prævium num.* 26 *narrabitur.*

damnatus igitur ecclesiis suis expelli jubet Marcellinus, illorum odio deinde martyr,

456 *Pronuntiata contra Donatistas sententia, cognitor integerrimus obstinatis illis datam fidem servari jussit, ut ad diœceses suas sine periculo vitæ vel insidiarum redire possent. At simul iis declaravit, sibi non licere diutius exsecutionem legum imperatoriarum differre. Quapropter ex* C *voluntate imperatoris cœtus aut conventicula eorum prohibuit, et ecclesias, quas Donatistæ pertinaces occupaverant, Catholicis restitui curavit. Unde Marcellinus incurrit odium Donatistarum, qui falso virum innocentem de Heracliana conjuratione accusarunt, ac fraudibus suis effecerunt, ut Marinus Honorii dux eum capite plecti jusserit. Hinc Hieronymus in Dialogo tertio adversus Pelagianos circa finem de pio illo comite sic loquitur :* Scripsit dudum vir sanctus et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heracliani ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de Infantibus baptizandis contra hæresim vestram. *Ceterum de præclaro illo martyre consuli potest Opus nostrum die* IV *Aprilis, ubi Godefridus Henschenius Martyrologium Romanum secutus ex diversis monumentis gesta S. Marcellini collegit. His addi potuisset Epistola* 259, *quam* S. Augustinus *ad Cæcilianum Africæ præsidem scripsit, et in qua varias hujus clarissimi viri virtutes enumerat.*

457 *Forsan Donatistæ speraverant fore, ut auctoritas sententiæ Carthaginensis hac Marcellini cæde labefactaretur. Sed hac de re consultus Honorius imperator Juliano Africæ proconsuli sub con-* D *sulatu Constantii et Constantis tertio Kalendas Septembris, id est exeunte mense Augusto anni* 414, *respondit in hunc modum :* Notione et sollicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas gesta sunt ea, quæ translata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem; neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. *Unde sanctus Doctor in præcipuas Africæ ecclesias induxit consuetudinem quotannis publice recitandi Acta authentica collationis Carthaginensis, ut in libro de gestis cum Emerito refertur. Nihil igitur obstinatis Donatistis ac ubique damnatis supererat, nisi ut more consueto reorum ac præsertim hæreticorum, arbitrum seu cognitorem causæ de studio partium accusarent, formam judicii reprehenderent, et alia vana suæ damnationis effugia quærerent.*

cujus decretum confirmat imperator :

Donatistarum cavillationes

458 *Sed inanes horum obtrectatorum calumnias* S. Augustinus *acute refellit in libro post Collationem Carthaginensem ad Donatistas scripto, quem sic exorditur :* Quid adhuc, Donatistæ, seducimini ab episcopis vestris, quorum fallaces tenebræ clara luce discussæ sunt, quorum apparuit error, quorum pertinacia superata est? Quid E adhuc vobis jactant vana mendacia? Quid adhuc creditis hominibus victis? Cum vobis dicunt, judicem præmio fuisse corruptum, quid novi faciunt? Quid aliud omnes victi facere consueverunt, qui veritati consentire nolunt, nisi ut de judicis iniquitate mentiantur? *Dein cap.* 23 *ejusdem libri hanc materiam prosequitur his verbis :* Objiciunt nobis, ut adhuc vos seducant, quod aurum judici dederimus, ut pro nobis contra illos sententiam diceret. Vos dicite, si potestis, quantum dare debuerimus electis defensoribus episcopis vestris, ut tanta contra se pro nobis vel dicerent vel proferrent, ut sic agerent causam nostram, sic perimerent suam? . . . Quanti emere debuimus, ut more forensium advocatorum de temporibus et diebus, de personis etiam nobis præscribere conarentur, et sic omnibus hominibus etiam illis, qui nostras disputationes intelligere non possent, satis aperte monstrarent, quam malam causam haberent, quam proferre et agere sic timebant apud eum judicem, cujus erga se benignitatem atque justitiam tanto præconio laudaverant, et cujus motum adversum se nullum adhuc senserant? F

refutat Sanctus.

459 *Præterea Donatistæ pueriliter asserebant, sententiam damnationis suæ non esse validam, quia tempore nocturno lata fuerat. At sanctus Doctor ex sacra Scriptura ac ipsis Donatistarum gestis illam ridiculam accusationem cap.* 12 *refellit operosius, quam refutari mereatur. Demum capite ultimo laudati libri rursus hanc et aliam non minus futilem cavillationem explodit hoc modo :* Quid adhuc attenditis ad eorum insanas querelas et vana mendacia? Nocte causa finita est; sed ut nox finiretur erroris. Nocte dicta sententia est, sed fulgens lumine veritatis. Inclusos et tamquam in carcere se fuisse conquesti sunt; ibi et nos eramus. Aut utrisque facta est injuria, aut utrisque adhibita diligentia. Sed quomodo dicemus injuriam, quando in tam spatioso et lucido et refrigeranti loco nos fuisse recolimus? Aut quomodo erat carcer, ubi erat et judex? Postremo clausos fuisse nos nesciebamus, qui simul intus eramus. Ipsi unde sciunt, nisi quia fugere fortasse voluerunt? Sed quis non videat, quod ista inania et ridenda potius, quam refellenda, de tali cognitore non dicerent, si pro sua causa possent validum

A validum aliquid invenire, quod dicerent? *Indefessus Ecclesiæ Catholicæ Vindex hæc et alia post collationem Carthaginensem contra Donatistas egit aut exaravit : nam postea Emeritum Donatistarum præsulem, qui collationibus interfuerat, in publica disputatione elinguem reddidit. Etiam Gaudentium Tamugadensem Donatistarum episcopum duobus libris avocare donatus est ab impia desperatione, qua Dulcitio tribuno minitabatur se ipsum cum pervicacibus aliquot Donatistis et ecclesia incendere, si leges imperatorias exsecutioni mandaret. Quales autem victorias* S. Augustinus *hoc assiduo scribendi disputandique labore retulerit, et quam multos errantes Donatistas in viam reduxerit, ex paragrapho sequente apparebit.*

§ XXXIII. Variæ lucubrationes, quas sanctus Antistes adversus Donatistas edidit, et earum fructus.

B

Scripti contra Donatistas duo libri contra Partem Donati

Jam *paragrapho decimo nono mentionem fecimus de nonnullis Opusculis, quæ* S. Augustinus *adhuc presbyter contra Donatistas exarare cœpit. Istis nunc addemus alia plura, quibus hic strenuus Ecclesiæ Catholicæ Defensor ad cathedram Hipponensem promotus eosdem schismaticos et hæreticos impugnavit. Has autem lucubrationes enumerabimus eo ordine, quo Sanctus ipse libro secundo Retractationum illas collocavit. Igitur lib. 2 Retractationum cap. 5 primum Opusculum, quod adversus Donatistas Episcopus Hipponensis edidit, recensetur hoc modo:* Sunt duo libri mei, quorum titulus est; contra Partem Donati. In quorum primo libro dixi, non mihi placere ullius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctare. Et vere tunc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ. *Quamvis hæc lucubratio non amplius inveniatur, tamen aliunde novimus, sanctum Doctorem fuisse prius in illa mili opinione, quam postea rationibus et experientia convictus mutavit, ut jam supra retulimus.*

C

tres libri contra Epistolam Parmeniani, septem de Baptismo, aliud Opusculum.

461 *Deinde cap. 17 et duobus sequentibus ejusdem libri tres alias istius materiæ lucubrationes ita commemorat :* In tribus libris contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Carthaginensis episcopi successorisque Donati quæstio magna versatur et solvitur; utrum in unitate et eorumdem communione sacramentorum mali contaminent bonos, et quemadmodum non contaminent disputatur propter Ecclesiam toto orbe diffusam, cui calumniando schisma fecerunt. *Ibidem cap. 18 subjungit hanc alterius Operis sui notitiam :* Contra Donatistas, auctoritate beatissimi episcopi et martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de Baptismo scripsi, in quibus docui, nihil sic valere ad refellendos Donatistas et ad eorum prorsus ora claudenda, ne adversus Catholicam Ecclesiam suum schisma defendant, quomodo litteras factumque Cypriani. *Post aliquas hujus Operis emendationes de alia quadam sua lucubratione, quæ jam non amplius invenitur, cap. 19 sic meminit :* Cum adversus partem Donati multa crebris disputationibus ageremus, attulit ad ecclesiam quidam laicus tunc eorum nonnulla contra nos dictata vel scripta in paucis velut testimoniis, quæ suæ causæ suffragari putant. His brevissime respondi.

auctore G. C.

tres libri contra Petilianum,

462 *Recensitis aliquot alterius generis Operibus, ad controversiam cum Donatistis agitatam cap. 25 sic iterum redit :* Autequam finirem libros de Trinitate et libros de Genesi ad litteram, *inquit sanctus Doctor,* irruit causa respondendi litteris Petiliani Donatistæ, quas adversus Catholicam scripsit, quam differre non potui. Et scripsi in hanc rem tria volumina, quorum primo primæ parti epistolæ ipsius, quam scripsit ad suos, quia non tota in nostras manus venerat, sed prior parva pars ejus, quanta potui celeritate et veritate respondi. Etiam ipsa epistola est ad nostros; sed ideo inter libros habetur, quia ceteri duo in eadem causa libri sunt : postea quippe invenimus totam, eique tanta diligentia respondi, quanta Fausto Manichæo, verba scilicet ejus sub ipsius nomine prius ponens particulatim, et sub meo per singula responsionem meam. Sed prius, quod scripseram, antequam totam reperiremus, pervenit ad Petilianum; et iratus respondere conatus est, in me potius dicens, quidquid ei libuit, in causa vero deficiens : quod cum posset, collatis utriusque nostrum scriptis, facillime adverti, E
tamen propter tardiores hoc ipse respondendo demonstrare curavi : sic est additus eidem nostro Operi liber tertius.

quatuor libri contra Cresconium,

463 *Deinde contra Cresconium Donatistam scripsit, ut ibidem cap. 26 testatur his verbis :* Grammaticus etiam quidam Donatista Cresconius, cum invenisset epistolam meam, qua primas partes, quæ in manus meas tunc venerant, epistolæ Petiliani redargui, putavit mihi esse respondendum, et hoc ipsum scripsit ad me. Cui Operi ejus libris quatuor respondi, ita sane ut tribus peragerem, quod universa responsio flagitabat. Sed cum viderem de sola Maximianensium causa, quod suos schismaticos damnaverunt, et eorum aliquos rursus in suis honoribus receperunt, baptismumque ab eis extra suam communionem datum non repetiverunt, responderi posse ad cuncta, quæ scripsit, etiam quartum librum addidi, in quo idipsum, quantum potui, diligenter atque evidenter ostendi. Hos autem quatuor libros quando scripsi, jam contra Donatistas leges dederat Honorius imperator. *Ex illa clausula conjectamus, hos quatuor libros adversus Cresconium anno Christi 406 scriptos* F
esse : nam sanctus Doctor lib. 3 istius Operis cap. 43 satis aperte significat, imperatorem anno 405 tulisse primas has leges occasione lethalium vulnerum, quæ furentes Donatistæ Maximiano episcopo inflixerant, ut supra vidimus. Has autem leges Honorii imperatoris ibidem cap. 47 ejusdem libri recentissimas appellat. Unde probabiliter concludimus, istud Opus anno circiter 406 conscriptum fuisse.

alia contra eosdem Opuscula deperdita.

464 *Præterea Sanctus noster tres lucubrationes suas, quæ jam perierunt, vel adhuc latent, cap. 27 et duobus sequentibus assignat in hunc modum :* Post hæc ut ad Donatistas pervenirent contra eorum errorem et pro Catholica veritate necessaria documenta, curavi, sive de ecclesiasticis, sive de publicis gestis, sive de Scripturis canonicis. Et primo ad illos eadem promissa direxi, ut ipsi ea, si fieri posset, exposcerent : quæ cum venissent in eorum quorumdam manus, nescio quis exstitit, qui suo nomine tacito contra hæc scriberet, ita se confitens Donatistam, tamquam hoc vocaretur; cui ego respondens et alium librum scripsi. Illa vero documenta, quæ promiseram, eidem libello, quo ea promiseram, junxi,

AUCTORE G. C.

junxi, et ex utroque unum esse volui, eumque sic edidi, ut in parietibus basilicæ, quæ Donatistarum fuerat, prius propositus legeretur. *In hoc Opusculo corrigit errorem chronologicum, sicut etiam cap.* 28 *facit his paucis verbis :* Alterius libri, quem supra commemoravi, titulum esse volui : CONTRA NESCIO QUEM DONATISTAM; ubi similiter de absolutione ordinatoris Cæciliani verus ordo temporis non est. *Postmodum cap.* 29 *scribit sequentia :* Cum viderem, multos legendi labore impediri a discendo, quam nihil rationis atque veritatis habeat pars Donati, libellum brevissimum feci, quo eos de solis Maximianistis admonendos putavi, ut posset facilitate describendi in manus plurium pervenire, et ipsa sui brevitate facilius commendari memoriæ.

Liber de Unico baptismo, Opus aliud,

465 *Interpositis aliquibus alterius materiæ libris, ad alia adversus Donatistas scripta cap.* 34 *sic pergit :* Eodem tempore librum DE UNICO BAPTISMO amicus quidam meus, a nescio quo Donatista presbytero accepit indicante, quod Petilianus episcopus eorum Constantinensis eum scri-B pserit. Hunc ad me ille attulit, ac vehementer, ut ei responderem, rogavit; et factum est. Librum autem etiam meum, in quo respondi, eumdem titulum habere volui, hoc est, DE UNICO BAPTISMO. *Tum cap.* 35 *aliud Opus huic ita subnectit :* Scripsi etiam librum inter cetera contra Donatistas, non brevissimum, sicut antea, sed grandem multo diligentius, in quo appareat, quemadmodum eorum adversus Ecclesiam Catholicam impium ac superbissimum errorem sola funditus Maximianistarum causa subvertat, quod schisma factum est ex ipsa parte Donati. *Non commemoramus hoc loco librum de Unitate Ecclesiæ, quamvis hic communiter ab editoribus inter Opera polemica* S. Augustini *contra Donatistas collocetur : nam sanctus Doctor in libris Retractationum de illo non meminit, ac propterea putamus illam lucubrationem potius pertinere ad illius epistolas, quas una cum sermonibus retractare prætermisit. Huic opinioni nostræ favent Patres Benedictini Galli, qui Latina sancti Doctoris Acta non ita pridem vulgarunt, ubi lib.* 5 *Vitæ cap.* 8, *num.* 3 *illud Opus* epistolam bene longam *nominant*

Breviculus Collationum, liber alius.

C 466 *Denique Sanctus noster Opuscula post collationem Carthaginensem contra Donatistas scripta, ac in primis cap.* 39 *brevem istius collationis historiam recenset hoc modo :* Postquam facta est cum Donatistis nostra collatio, breviter commemoravi, quæ gesta sint, litterisque comprehendi secundum tres dies, quibus cum eis contulimus; idque Opus utile existimavi, quo quisque commonitus vel sciat sine labore, quid actum sit, vel consultis numeris, quos rebus singulis adnotavi, legat in eisdem gestis ad locum quodcumque voluerit, quoniam fatigant illa nimia prolixitate lectorem. Hujus autem Operis titulus est : BREVICULUS COLLATIONUM. *Huic alteram ejusdem fere temporis lucubrationem cap.* 40 *sic adjungit :* Librum etiam scripsi grandem satis, quantum existimo, diligenter ad ipsos Donatistas post collationem, quam cum episcopis eorum habuimus, ne ab eis seducerentur ulterius; ubi respondi etiam quibusdam vanitatibus eorum, quæ ad nos pervenire potuerunt, quas victi, ubi potuerant et quomodo potuerant, jactabant, præter illa, quæ dixi de gestis collationis; unde, quid actum sit, breviter nosceretur. Multo autem brevius id egi in quadam ad eosdem rursus epistola. Sed quia in concilio Numidiæ omnibus, qui ibi eramus, hoc fieri placuit, non est in epistolis D meis. *Sanctus noster ad Donatistas hanc epistolam dedit sub communi nomine præsulum Catholicorum, qui concilio Cirtensi interfuerant.*

Liber perditus contra Emeritum, aliud Opusculum.

467 *Postea de Opusculo, quod jam non invenitur, adversus Emeritum Cæsariensem in Mauritania episcopum Donatistam, cap.* 46 *hanc notitiam suggerit :* Ad Emeritum Donatistarum episcopum, qui in collatione nostra, quam cum illis habuimus, eorum causam maxime agere videbatur, aliquanto post eamdem collationem scripsi librum satis utilem, quoniam res, quibus vincuntur vel victi esse monstrantur, commoda brevitate complectitur. *Dein cap.* 48 *aliud Opusculum contra Donatistas ita breviter indicat :* Eodem tempore scripsi etiam librum de Correctione Donatistarum propter eos, qui nolebant illos legibus imperialibus corrigi. *Demum cap.* 51 *victoriam de supradicto Emerito publice relatam memorat his verbis :* Aliquanto post collationem, quam cum hæreticis Donatistis habuimus, orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem. Ibi apud ipsam Cæsaream Emeritum Donatistarum episcopum vidimus; unum scilicet E eorum septem, quos pro suæ causæ defensione delegerant, et qui in eadem causa maxime laboraverat. Quæ cum illo egerimus, præsentibus episcopis ejusdem provinciæ et plebe Cæsariensis ecclesiæ, in qua civitate et civis et memoratorum hæreticorum episcopus fuit, ecclesiastica gesta testantur, quæ in meis habentur Opusculis. Ubi non inveniens quid responderet, totum sermonem meum, quem de solis Maximianistis in auribus ejus et omnium, qui aderant, explicavi, tamquam mutus audivit.

Libri duo adversus Gaudentium:

468 *Qua tandem occasione sanctus Doctor ultimum Opus suum contra Donatistas ediderit, ipse lib.* 2 *Retractationum cap.* 59 *exponit hoc modo :* Per idem tempus *(novissimi editores hanc lucubrationem circa annum Christi* 420 *collocant)* Dulcitius tribunus et notarius hic erat in Africa exsecutor imperialium jussionum contra Donatistas datarum; qui cum dedisset litteras ad Gaudentium Tamugadensem Donatistarum episcopum, unum illorum septem, quos in nostra collatione auctores suæ defensionis elegerant, exhortans eum ad unitatem Catholicam, et dissuadens incendium, F quo se ac suos cum ipsa, in qua erat, ecclesia consumere minabatur, addens etiam, ut, si se justos putarent, fugerent potius secundum præceptum Domini Christi, quam nefandis se ignibus concremarent; ille rescripsit epistolas duas, unam brevem, festinante, ut asseruit, perlatore; aliam prolixam, quasi plenius diligentiusque respondens. Has mihi supra memoratus tribunus existimavit mittendas, ut eas potius ipse refellerem : quas ambas uno libro redargui, qui cum in ejusdem Gaudentii pervenisset manus, rescripsit quod ei visum est ad me ipsum, nulla ratione respondens, sed magis se nec respondere nec tacere potuisse declarans. Quod cum satis posset intelligenter legentibus et nostra atque ipsius dicta conferentibus, apparere, nolui tamen sine rescripto relinquere, quidquid illud fuit. Hinc factum est, ut hi nostri ad illum duo libri essent. *Hæc sunt præcipua, quibus sanctus Episcopus obstinatos Donatistas oppugnavit : nihil enim hoc loco dicimus de privatis epistolis, quas in illa materia conscripsit, ut supra monuimus.*

Quantus fructus ex his scriptis et legibus imperatoriis

469 *Quantus autem fructus ex imperatoriis legibus et his polemicis* S. Augustini *lucubrationibus in Ecclesiam Catholicam redundaverit, jam breviter*

A *breviter indicabimus ex ipso sancto Doctore, qui in Epistola 50 diversas Donatistarum conversiones ita recenset :* Magna in eos fit misericordia, cum etiam per istas imperatorum leges ab illa secta, ubi per doctrinas dæmoniorum mendaciloquorum mala ista didicerunt, prius eripiuntur inviti, ut in Catholica postea bonis præceptis et moribus sanentur assueti. Nam multi eorum, quorum jam in unitate Christi pium fidei fervorem charitatemque miramur, cum magna lætitia Deo gratias agunt, quod illo errore caruerunt, ubi mala ista bona putaverunt; quas gratias modo volentes non agerent, nisi prius etiam nolentes ab illa nefaria societate discederent. Quid de illis dicamus, qui nobis quotidie confitentur, quod jam olim volebant esse Catholici; sed inter eos habitabant, inter quos id, quod volebant, esse non poterant per infirmitatem timoris, ubi si unum verbum pro Catholica dicerent, et ipsi et domus eorum funditus everterentur? Quis est tam demens, qui neget, istis debuisse per jussa imperialia subveniri, ut de tanto eruerentur malo, dum illi, quos timebant, timere coguntur, et eodem timore aut
B etiam ipsi corriguntur, aut certe, cum se correctos esse confingunt, correctis parcunt, a quibus antea timebantur?

provenerit, cum plerique Donatistæ

470 *Porro Sanctus in eadem epistola post allatas sacræ Scripturæ testificationes et aptissimas similitudines ita pergit :* Cum ipsæ leges venissent in Africam, præcipue illi, qui quærebant occasionem, aut sævitiam furentium metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt. Multi etiam, qui sola illic a parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero causam ipsa hæresis haberet, numquam antea cogitaverant, numquam quærere et considerare voluerant, mox ubi cœperunt advertere, et nihil in ea dignum invenire, propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficultate Catholici facti sunt: docuit enim eos solicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium præcedentium auctoritatem et persuasionem secuti sunt multi, qui minus idonei erant per seipsos intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem et Catholicam veritatem. Ita cum magna agmina populorum vera mater in sinum gaudens reciperet, remanserunt turbæ duræ
C et in illa peste infelici animositate sistentes. Ex his quoque plurimi simulando communicaverunt, alii paucitate latuerunt. Sed illi, qui simulabant, paulatim assuescendo et prædicationem veritatis audiendo, maxime post collationem et disputationem, quæ inter nos et episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti sunt. In quibusdam vero locis, ubi pertinacior et impacatior prævaluit multitudo, cui resistere non poterant pauciores, quorum erat melior de communione sententia, aut turbæ auctoritati paucorum potentiorum subditæ in malam partem obtemperarunt, aliquanto diutius laboratum est. Ex his sunt, in quibus adhuc laboratur, in quo labore multi Catholici, et maxime episcopi et clerici horrenda et dura perpessi sunt, quæ commemorare longum est, quando quorumdam et oculi exstincti sunt, et cujusdam episcopi manus et lingua præcisa est; nonnulli etiam trucidati sunt. Taceo crudelissimas cædes et domorum deprædationes per nocturnas aggressiones et incendia non solum privatorum habitaculorum, verumetiam ecclesiarum, in quas flammas non defuerunt, qui codices Dominicos mitterent. Sed nos hujusmodi afflictos malis consequens consolatus est fructus: nam ubicumque a perditis ista commissa sunt, ibi ferventius atque perfectius unitas Christiana profecit, ut uberius laudatur Dominus, qui donare dignatus est, ut servi ejus passionibus suis lucrarentur fratres suos, et oves ejus mortifero errore dispersas in pacem salutatis æternæ suo sanguine congregarent.

AUCTORE G. C.

ad Ecclesiam redierint.

471 *Quinimo ipsi furibundi Donatistarum circumcelliones unionem Ecclesiæ Catholicæ amplexi sunt, ut S. Augustinus in Epistola 48 Vincentio Rogatistæ inter alia scribit his verbis :* O si possem tibi ostendere, ex ipsis circumcellionibus quam multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam et miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quidquid inquieta temeritate faciebant! *Hinc etiam Sanctus lib. 1 contra Gaudentium Tamugadensem cap. 28 et 29 de circumcellionibus ita loquitur :* Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maxime in agris territans, ab agris vacans et victus sui causa cellas circumiens rusticanas (unde et circumcellionum nomen accepit) universo pene mundo famosissimum Africani erroris opprobrium? Ex hoc E
igitur genere quis ignorat, quam multi antea per diversas mortes ibant et peribant, et nunc in illorum comparatione quam pauci suis ignibus ardeant?... Neque enim isti, qui pereunt, illorum saluti numero æquantur, qui ex ipso genere nunc jam tenentur ordine disciplinæ, colendisque agris, amisso circumcellionum et opere et nomine, inserviunt, servant castitatem, tenent unitatem.

licet eorum episcopi pertinacius reluctarentur.

472 *Cur autem plerique præsules Donatistarum pertinaces in hæresi et schismate perseverarent, S. Augustinus in Sermone 22 de verbis Apostoli cap. 10 satis indicat hoc modo :* Pro veritate non timeant eos, quibus falsitatem diutissime vendiderunt; ipsos enim timent offendere, erubescunt humanæ infirmitati, et non erubescunt invictissimæ veritati. Utique hoc timent, ne dicatur eis; Quare ergo nos decepistis? Quare nos seduxistis? Quare tanta mala et falsa dixistis? Respondere deberent, si Deum timerent: Humanum fuit errare; sed diabolicum est, per animositatem in errore manere. Melius quidem erat, si F
numquam erraremus; sed vel quod secundum est faciamus, ut errorem aliquando emendemus. Decepimus, quia decepti eramus: falsa prædicavimus, qui præjudicantibus * falsa credidimus. Dicant suis: Simul erravimus, simul ab errore recedamus. Duces vobis fuimus ad foveam, et secuti estis, cum duceremus ad foveam, et nos sequimini, cum ducimus ad ecclesiam. *Sed hanc superbam præsulum Donatistarum pervicaciam superavit aut confudit innumera plebis multitudo, quæ ad unionem Ecclesiæ Catholicæ conversa est: nam tota fere civitas Cirtensis in Numidia schisma Donati deseruit, ut ex Epistola 130 constat. Etiam post publicam disputationem, quam S. Augustinus cum Emerito Donatista instituit, omnes ferme cives Cæsarienses ad unitatem Catholicam accesserunt, ut ex libro de Gestis cum illo obstinato Donatista colligi potest. Hinc Idacius in Chronico, quod inter Opera collectanea Sirmondi nostri Venetiis anno Christi 1728 recusum est, tomo 2 col. 233 sic scribit :* Augustinus Hipponeregiensis episcopus habetur insignis, inter cujus studia magnifica, Donatistas ab eo Dei adjutorio superatos, probata fides demonstrat auctorum. Jam

* *al.* prædicantibus

AUCTORE G.C.

Jam paragrapho sequente prodibit aliud genus hæreticorum, qui patientiam et calamum sancti Doctoris etiam non parum fraudibus suis exercuerunt.

§ XXXIV. Pelagiana hæresis, et hujus præcipui defensores.

Pelagiana hæresis

Diuturno bello, quod S. Augustinus *ingenti fervore contra Donatistas gesserat, nondum prorsus finito, cœpit Pelagius, natione Britannus, Romæ clanculum docere suos errores, quos sanctus Doctor in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum hæresi* 88 *recenset in hunc modum :* Pelagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta; quem magistrum Cælestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cælestini etiam nuncuparentur. Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum
B ipsius transferamur, propter quod ait; Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo, et qua diffunditur charitas in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata ; cum, si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur: Sine me nihil potestis facere.

et ejus

474 Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique, Ut facilius possint voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum existimantes ipsum adjuvantem per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere et quæ sperare de-
C beamus. Non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus : ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur. Charitatem autem dari negant, qua pie vivitur ; ut scilicet cum sit Dei donum scientia, qua sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ, ut scientia non inflet, ædificat.

errores

475 Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum ; sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in ea : hæc quippe non ab ipso accipere, sed a seipsis homines habere contendunt, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in episcopali judicio Palæstino damnari metuens, damnare compulsus est; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum : « Dimitte nobis debita nostra ». Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere : sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit, D
quod eis oporteat secunda nativitate dimitti; sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti : nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam et beatam quamdam vitam suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ. Objiciuntur eis et alia nonnulla ; sed ista sunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta vel pene cuncta pendere.

varii,

476 *Etiamsi Pelagius hos et similes errores occulte spargeret, tamen aliquando Romæ manifestius hæresim suam prodidit, sicut* S. Augustinus *lib. 2 de Dono perseverantiæ cap.* 20 *narrat his paucis verbis :* Quid autem meorum Opusculorum frequentius et delectabilius innotescere potuit, quam libri Confessionum mearum, cum et ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis exstitisset ? In eis certe dixi Deo nostro, et sæpe dixi : Da quod jubes, et jubes quod vis. Quæ mea E
verba Pelagius Romæ, cum a quodam fratre coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit. *At sanctus Doctor de erroribus Pelagii paulatim certior factus est, ut liquet ex libro de Gestis Pelagii cap.* 22, *ubi ipse Sanctus noster apud Vignierium in Supplemento Operum suorum tomo* I, *pag.* 428 *sic scribit :* Ut de meipso potissimum dicam, prius absentis et Romæ constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi. Postea cœpit ad nos fama perferri, quod adversus Dei gratiam disputaret ; quod licet dolerem, et ab eis mihi diceretur, quibus crederem ab ipso tamen aliquid, vel ejus aliquo libro nosse cupiebam, ut si inciperem redarguere, negare non posset.

quam primum tacito auctorum nomine refellit Sanctus,

477 *Interim sanctus Doctor refellebat errores istius hæresis, quamvis auctorem nondum nominaret, et hujus consilii sui rationem sic ibidem reddit :* Postea vero quam in Africam venit *(nimirum Pelagius)* me absente, nostro, id est, Hip- F
ponensi littore exceptus est, ubi omnino, sicut nostis, nihil ab illo hujusmodi auditum est, quia et citius, quam putabatur, inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, semel vel iterum vidi, quando cura collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui; ille vero etiam ad transmarina properavit. Interea per ora eorum, qui ejus discipuli ferebantur, dogmata ista fervebant, ita ut Cælestius ad ecclesiasticum judicium perveniret, et reportaret dignam sua perversitate sententiam. Salubrius sane adversus eos agi putabamus, si hominum nominibus tacitis, ipsi refutarentur et redarguerentur errores, atque ita metu ecclesiastici judicii corrigerentur homines, quam ipso judicio punirentur. Nec libris igitur adversus mala illa nec popularibus tractatibus cessabamus. *Cum vero Sanctus per Timasium et Jacobum, quos Pelagius ad hæresim suam seduxerat, post conversionem eorum quemdam Pelagii librum accepisset, apertius hæresiarcham cœpit impugnare, tacito tamen adhuc ejus nomine, quemadmodum ibidem capite sequente narratur, et ex infra dicendis apparebis.*

478 *Interea*

de Pelagio monet S. Paulinum,

A 478 *Interea versipellis Pelagius adeo subdole venenum hæreseos suæ tegebat, ut viris apprime Catholicis et doctis amicus esset. Hinc postea* S. Augustinus *ad Paulinum episcopum Epist.* 106 *sic scribit* : Pelagium, quem credimus, ut ab isto distingueretur, qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum, quod ut servum Dei dilexeris, novimus; nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus: nam et nos non solum dileximus, verum etiam diligimus eum. Sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus: tunc enim, quia nobis rectæ fidei videbatur, nunc autem, ut ab iis, quæ inimica et adversa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordia liberetur. Nam cum hoc de illo aliquamdiu fama jactaret, non utique facile credendum fuit (solet quippe fama mentiri) sed proprius ut crederemus accessit, quod librum quemdam ejus, ea prorsus persuadere molientem, quæ gratiam Dei per unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum generi humano impertitam, de fidelium cordibus creditam deleant, legimus traditum nobis a famulis Christi, qui eum talia docentem studiosissime audierant, fuerantque sectati. Cui quidem libro, B eisdem rogantibus, quia id fieri oportere videbamus, tacito nomine auctoris, ne offensus insanabilior redderetur, unius nostrum disputatione responsum est, quod libro continetur, et multipliciter atque abundanter asseritur.

acceptis ab eo litteris breviter respondet,

479 *Quinimo Pelagius ad ipsum* S. Augustinum *dederat humanissimas litteras, in quibus eximias ejus virtutes ac animi dotes magnopere laudabat. Astute forsan id fecit, ut egregium Virum, cujus ingenium et stylum formidabat, sibi conciliaret, aut saltem ab hæresi sua refutanda cohiberet. Quidquid sit de intentione, qua Pelagius istas litteras scripsit, ipse* S. Augustinus *in libro de gestis Pelagii cap.* 27 *et sequente responsorias suas ita recitat :* Domino dilectissimo et desideratissimo fratri Pelagio Augustinus in Domino salutem. Gratias ago plurimum, quod me litteris tuis exhilarare dignatus es, et certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, et cum illo æterno vivas in æternum, domine dilectissime et desideratissime frater. Ego autem, etsi in me non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis epistola continet, benevolo tamen animo erga exiguitatem C meam ingratus esse non possum; simul admonens, ut potius ores pro me, quo talis a Domino fiam, qualem me jam esse arbitraris. *Alia manu additum erat* : Memor nostri incolumis Domino placeas, domine dilectissime et desideratissime frater. *Etiamsi Sanctus noster ea breviter et caute scripsisset, tamen Pelagius in synodo Diospolitana illud ipsum* S. Augustini *epistolium et alias episcoporum Catholicorum litteras produxit, ut impietatem suam hac larva tegeret, et omnem suspicionem hæreseos a se depelleret.*

quam epistolam

480 *Unde sanctus Doctor in iisdem Pelagii Gestis cap.* 26 *istam responsionem suam explicuit his verbis :* Ego quidem in epistola mea, quam protulit, non solum ab ejus laudibus temperavi, sed etiam quantum potui, sine ejus * commotione quæstionis Dei gratia, recte sapere admonui. Dixi enim quippe in salutatione DOMINUM, quod epistolari more etiam non Christianis quibusdam scribere solemus, neque id mendaciter, quia omnibus ad salutem, quæ in Christo est, consequendam, debemus quodammodo liberam servitutem. Dixi DILECTISSIMUM, quod et nunc dico, etsi iratus fuerit, adhuc dicam, quoniam nisi erga eum dilectionem tenuero, illo irascente, ipse mihi magis nocebo. Dixi DESIDERATISSIMUM, quoniam valde cupiebam cum præsente aliquid colloqui: jam enim audieram contra gratiam, qua justificamur, quando hinc aliqua commemoratio fieret, aperta eum contentione conari.

* al. ullius

postmodum exposuit,

481 Denique litterarum ipsarum brevis textus hoc indicat: nam cum egissem gratias, quod me scriptis suis exhilarasset, certum faciendo de sua salute ac suorum, quos utique si correctos volumus, etiam corporali salute salvos velle debemus. Mox ei bona optavi a Domino retribui, non ad salutem corporis pertinentia, sed ea potius, quæ putabat esse, vel forte adhuc putat, in solo arbitrio voluntatis et propria potestate posita, simul optans et propter hoc vitam æternam. Deinde quia litteris suis, quibus respondebam, talia quædam in me bona multum benigneque laudaverat, etiam ibi petivi ab eo, ut pro me oraret, quo potius a Domino talis fierem, qualem me esse jam crederet, ut eum sic admonerem, contra quod ille sapiebat, ipsam quoque justitiam, quam in me laudandam putaverat, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Hoc E est totum, quod brevis illa epistola mea continet, eaque intentione dictata est.

larvamque detraxit Pelagio.

482 *Deinde cap.* 29 *ejusdem Operis post recitatam epistolam suam, quam superius integram retulimus, hanc larvam Pelagio sic detrahere pergit :* In ipsa quoque subscriptione, quod posui, ut Domino placeat, magis hoc esse significavi in ejus gratia, quam sola hominis voluntate, quando id nec hortatus sum, nec præcepi, nec docui, sed optavi: quemadmodum vero si hortarer, aut præciperem, vel docerem, pertinere hoc ad liberum arbitrium demonstrarem, nec tamen Dei gratiæ derogarem, ita quia optavi, Dei quidem commendavi gratiam, non tamen arbitrium voluntatis exstinxi. Ut quid ergo in hoc judicio protulit hanc epistolam? secundum quam, si ab initio sapuisset, nullo modo fortassis, licet a bonis fratribus, sed tamen perversitate disputationum ejus offensis, ad episcopale judicium vocaretur. Porro autem, sicut ego rationem de hac mea epistola reddidi, ita de suis, si esset necesse, redderent, quorum allegantur, dicentes, F vel quid putaverint, vel quid ignoraverint, vel qua ratione scripserint. Proinde Pelagius de quo rumlibet sanctorum amicitia se jactaverit, quorumlibet de suis laudibus litteras legerit, quælibet purgationis suæ gesta protulerit, nisi ea, quæ contra Dei gratiam, qua vocamur et justificamur, posuisse in libris suis idoneorum testium fide probatur, confessus anathematizaverit, ac deinde * contra hæc ipsa scripserit et disputaverit, nequaquam his, quibus plenius notus est, videbitur esse correctus.

* al. demum

qui in personarum illustrium amicitiam se insinuare studebat :

483 *Sic nimirum callidus hæresiarcha honorificis ac in speciem piis litteris benevolentiam Catholicorum præsulum, et illustrium matronarum vel virginum captabat, ut orthodoxorum testimonio posset aliquando gloriari, et impingendum sibi crimen hæreseos tanto facilius amoliri. Testes sunt Paulinus, Pammachius et Oceanus, Proba, Juliana, Demetrias, Albina, Pinianus et Melania, aliæque plures personæ pietate et doctrina insignes, in quarum amicitiam irrepere conabatur, ut illis errorem suum afflaret, aut earum ope sectam suam minus odiosam redderet. Quare* S. Augustinus *apertius has Pelagii fraude detegere cœpit, ne Catholicos ambiguis explicationibus et ficta pietate deciperet, quemadmodum patet ex*

AUCTORE G. C.

ex variis lububrationibus, quibus hæresiarcham illum nominatim postea impugnavit.

Cælestius Pelagii discipulus, qui apertius loquebatur :

484 *Porro Pelagius habuit discipulum, nomine Cœlestium, de cujus ingenio et patria inter auctores non convenit, licet hæresi Pelagianæ propagandæ tantam navaverit operam, ut illius sectæ homines ab ejus nomine* Cælestiani *nuncuparentur, quemadmodum initio hujus paragraphi audivimus. Hic Cœlestius erat Pelagio liberior et apertior, ita ut in synodo Carthaginensi statim detectus ac condemnatus fuerit. Discrimen inter magistrum et discipulum sanctus Doctor in libro de Peccato originali cap.* 12 *graphice designat his verbis :* Videtis anathematizasse Pelagium eos, qui tenent, quod Adæ peccatum ipsum solum læserit, et non genus humanum, et quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, iu quo Adam fuit ante prævaricationem. Quid ergo hic aliud episcopi judices intelligere potuerunt, nisi eum confiteri, quod peccatum ex Adam in parvulos transeat? Quod ne confiteretur Cælestius, hæc damnare noluit, quæ iste damnavit. Proinde si ostendero, etiam ipsum nihil aliud sentire de par-
B vulis nisi quod sine ulla cujusquam vitii contagione nascuntur, quid inter istum in Cælestium in hac quæstione distabit, nisi quod ille apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior, vel certe ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in ecclesia Carthaginensi damnare voluit, quod iu Romana postea se tenere confessus est, et corrigi paratum se esse professus est, si ei tamquam homini error obrepserit. Iste autem et illud dogma damnavit, tamquam contrarium veritati, ne ipse a Catholicis judicibus damnaretur, et id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callide interpretans.

alter illius discipulus Julianus,

485 *Huic postmodum accessit acerrimus hæresis Pelagianæ defensor Julianus, in Apulia natus ex patre Memore vel Memorio, quocum* S. Augustinus *non parvam inierat amicitiam, et cujus filium propter spem bonæ frugis olim charrissimum habuerat, ut ex ipso sancto Doctore epist.* 131 *et lib.* I *contra Julianum cap.* 4 *discimus. Hic autem adolescens hæresi Pelagianæ tam arroganter ac pertinaciter adhæsit, ut Catholicos omnes contemptim vocaret Manichæos, et opinionem*
C *suam superbe sanctis Patribus Orientis et Occidentis opponeret, quemadmodum* S. Augustinus *lib.* I *contra ipsum cap.* 5 *testatur hac interrogatione :* Tantumne apud te possunt Pelagius et Cælestius, ut a solis ortu usque ad occasum tot ac tantos Catholicæ fidei doctores et defensores, antiquos et nostræ ætati contiguos, dormientes et maneutes, non solum deserere, verum etiam Manichæos audeas appellare? *Quapropter lib.* 2 *citati Operis in fine capitis octavi sanctus Doctor hunc Julianum vocat* juvenem confidentissimum, *eique post allegata sanctorum præsulum Catholicorum verba suadet, ut his egregiis Ecclesiæ doctoribus duram cervicem submittat.*

mira arrogantia turgidus.

486 *Deinde lib.* 3 *ejusdem Operis cap,* I S. Augustinus *intolerabilem hujus adversarii arrogantiam reprehendit hac humili refutatione :* Quam vero lauta et lepida est gratulatio tua, quod unum dicis egressum, qui in se summam prælii sitam optat intelligi; videlicet ut Pelagianis tu videaris David, ego autem Golias. Videris, si tu hoc induxisti pactum et placitum cum Pelagianis, ut, si victus fueris, nihil ulterius illi audeant. Ego autem absit, ut ad monomachiam vos provocem, quos ubicumque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus, qui debellavit apud Carthaginem Cælestium, quando illic ipse non D eram. *Denique lib.* 6, *cap.* 8 *similem Juliani superbiam redarguit his verbis :* Cur autem dicis, quod certaminis singularis oblitus in vulgum refugerim? Quis tibi promisit meum singulare certamen? Ubi, quando, quomodo, quibus præsentibus, quibus arbitris? Oblato, sicut loqueris, placuit componi fœdere bellum, ut pugnas omnium contentio nostra dirimeret. Absit, ut mihi apud Catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Unus sum e multis, qui profanas vestras novitates, ut possumus, refutamus, sicut unicuique nostrum Deus partitus est mensuram fidei. Antequam essem natus huic mundo, et antequam essem renatus Deo, multa Catholica lumina vestras futuras tenebras redarguendo prævenerunt. *Alibi sæpius ab Augustino tumidus istius Juliani fastus reprimitur. Omissis aliis obscuræ famæ Pelagianis, tantummodo commemoravimus hos duos famosos Pelagii discipulos, quos sanctus Doctor una cum magistro nominatim refutavit, ut paragrapho sequente videbimus.*

E

§ XXXV. Præcipua sancti Augustini scripta et gesta adversus Pelagianos, qui tandem ab Apostolica Sede damnati sunt.

Pelagianam hæresim Sanctus sermonibus

Quomodo et quandonam sanctus Doctor contra Pelagianos agere ac scribere cœperit, ipse lib. 2 *Retractationum cap.* 33 *significat hac narratione :* Venit etiam necessitas, quæ me cogeret adversus novam Pelagianam hæresim scribere, contra quam prius, non scriptis, sed sermonibus et collocutionibus agebamus, ut quisque nostrum poterat aut debebat. *Cum Cælestius Carthagine condemnatus in Siciliam profugisset, et inde propterea Hilarius ad* Augustinum *scriberet, hic epist.* 89 *illi fuse respondens, circa finem quæstionis tertiæ de concionibus a se quondam contra Pelagianos habitis ita meminit :* Multa F de iis quæstionibus, *inquit sanctus Doctor,* in aliis nostris opusculis, et ecclesiasticis sermonibus diximus, quoniam fuerunt etiam apud nos quidam, qui ubicumque poterant, hæc sui erroris nova semina spargerent, quorum nonnullos per ministerium uostrum fratrumque nostrorum misericordia Domini ab illa peste sanavit. Nec tamen hic deesse aliquos arbitror, maxime apud Carthaginem; sed jam occulte mussitant timentes Ecclesiæ fundatissimam fidem.

et litteris cœpit oppugnare :

488 Nam unus eorum, nomine Cælestius, iu ejusdem civitatis ecclesia jam ad presbyterii honorem surrepere cœperat; sed fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes usque ad judicium episcopale perductus est; tameu coactus est confiteri propter baptizandos parvulos, quod et ipsis redemptio sit necessaria. Ubi quamquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parum sibi præscripsit: unde enim redimendi sunt, nisi a diaboli potestate, in qua esse non possent, nisi originalis obligatione peccati? Aut quo pretio redimuntur, nisi Christi sanguine, de quo apertissime scriptum est, quod iu remissionem effusus sit peccatorum? Sed quia

A quia magis convictus et ab Ecclesia detestatus, quam correctus et pacatus abscessit, veritus sum, ne forte ibi sit ipse, qui vestram fidem perturbare conatur. Ideo nominis ipsius commemorationem putavi esse faciendam. Sed sive ipse sit, sive alii consortes ejus erroris (plures enim sunt, quam sperare possumus) et ubi non redarguuntur, etiam alias ad suam sectam seducunt, et sic crebrescunt, ut nesciam, quo siut erupturi. Nos tamen malumus, eos in Ecclesiæ compage sanari, quam ex illius corpore velut insanabilia membra resecari, si tamen hoc permittit ipsa necessitas: timendum est enim, ne plura putrescant, dum putribus parcitur. *Porro diversi sermones ab* Augustino *contra Pelagianos instituti sparsim in Operibus ejus legi possunt.*

scribit deinde tres libros de Peccatorum meritis et remissione,

489 *Ceterum Sanctus loco Retractationum proxime citato primas suas lucubrationes adversus errores Pelagianorum sic recenset*: Missis ergo mihi a Carthagine quæstionibus eorum, quas rescribendo dissolveram, scripsi primum libros tres, quorum titulus est; DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE; ubi maxime de baptismate disputa-B tur parvulorum, et de gratia Dei, qua justificamur, hoc est, justi efficimur... Contra quæ omnia sentientes illi novam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos facilius posse corrigi sperans; imo etiam in tertio libro, quæ est epistola, sed in libris habita, propter duos, quibus eam connectendam putavi, Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posui, quia vita ejus a multis prædicabatur: et ejus illa redargui, quæ in suis scriptis non ex persona sua posuit, sed quid ab aliis diceretur, exposuit; quæ tamen postea jam hæreticus pertinacissima animositate defendit. Cælestius vero discipulus ejus jam propter tales assertiones apud Carthaginem in episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.

de Gratia novi Testamenti,

490 *Deinde lib. 2 Retractationum cap. 36 aliam lucubrationem contra Pelagianos ita recenset*: Eo ipso tempore, quo contra Donatistas vehementer exercebamur, et contra Pelagianos exerceri jam cœperamus, amicus quidam mihi misit quinque a Carthagine quæstiones, et rogavit, C ut eas illi scribendo exponerem. . . . Ego autem intuens supradictam hæresim novam inimicam gratiæ Dei, sextam mihi proposui quæstionem de gratia novi Testamenti. *Fuit hic amicus sancti Doctoris Honoratus, cui librum de Utilitate credendi antea dedicaverat, ut eum ab hæresi Manichæorum ad fidem Catholicam converteret. Ille autem vir eruditus quinque quæstiones proposuerat* S. Augustino, *quas hic epist.* 130 *dissolvit, et ultro sextam addidit adversus errores Pelagianorum, quorum venenum jam Carthagine diffundi cœperat.*

de Spiritu et littera,

491 *Postquam Opus supra memoratum de Peccatorum meritis et remissione legerat Marcellinus,* ad quem scripseram tres libros, *inquit sanctus Doctor capite sequente ejusdem libri Retractationum,* quorum titulus est de Peccatorum meritis et remissione, ubi diligenter disputatur etiam de baptismo parvulorum, rescripsit mihi se fuisse permotum, quod dixerim, fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina, quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit. Quæsivit enim, quomodo dixerim fieri posse, cujus rei desit exemplum. Propter hanc ejus inquisitionem scripsi librum, cui est titulus DE SPIRITU ET LITTERA pertractans Apostolicam sententiam ubi ait: « Littera occidit, spiritus autem vivificat ». In quo libro, quantum Deus adjuvit, acriter disputavi contra inimicos gratiæ Dei, qua justificatur impius. AUCTORE G. C.

de Natura et gratia,

492 *Libro 2 Retractationum cap.* 12 *aliud Opusculum Pelagianis oppositum memorat hoc modo*: Venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, qua justificatur impius, et qua Christiani sumus, quanta potuit argumentatione defendit. Librum ergo, quo huic respondi, defendens gratiam, non contra naturam, sed per quam natura liberatur et regitur, DE NATURA ET GRATIA nuncupavi. *Quomodo sanctus Doctor hunc Pelagii librum acceperit, in Opere de Gestis Pelagii cap.* 23 *clarius exponit his verbis*: Cum vero mihi etiam liber ille datus esset a servis Dei bonis et honestis viris Timasio et Jacobo, ubi apertissime Pelagius objectam sibi a se ipso tamquam ab adversario, unde jam grandi invidia laborabat, de Dei gratia quæstionem, non aliter sibi solvere visus est, nisi ut naturam cum libero arbitrio conditam, Dei diceret gratiam, aliquando, idque tenuitur, nec aperte, ei conjungens vel legis adjutorium, vel remissionem etiam peccatorum; tum E vero sine ulla dubitatione mihi claruit, quam esset Christianæ saluti venenum illius perversitatis inimicum.

de Gestis Pelagii, de Gratia Christi, de Peccato originali,

493 *Præterea sanctus Doctor ibidem capitibus* 47, 49 *et* 50 *alias suas in eadem materia lucubrationes sic enumerat*: Per idem tempus in Oriente, hoc est, in Syria Palæstina, Pelagius a quibusdam Catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus, qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis quatuordecim auditus est, ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversus eum de libello legebantur, Catholicum pronuntiaverunt. Sed cum in manus nostras eadem gesta venissent, scripsi de his librum, ne, illo velut absoluto, eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse, quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi damnatus exisset... De Præsentia Dei scripsi librum, ubi nostra intentio contra hæresim Pelagianam maxime vigilat, non expresse nominatam, sed in eo etiam de præsentia naturæ, quem Deum verum F et summum dicimus, et de templo ejus operose ac subtiliter disputatur.... Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, alterum de Peccato originali.

de Nuptiis et concupiscentia, Contra duas epistolas Pelagianorum.

494 *Ibidem capitibus* 53 *et* 61 S. Augustinus *alia hujusmodi Opuscula sic recensere pergit*: Scripsi duos libros ad illustrem Comitem Valerium, cum audissem, Pelagianos ei nescio quid scripsisse de nobis, quod scilicet nuptias damnaremus, asserendo originale peccatum; quorum librorum titulus: DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA. Bonitatem quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium concupiscentiam carnis, et lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. Ut autem duo libri essent, primus venit in Juliani Pelagiani manus, et scripsit adversus eum libros quatuor, ex quibus quidem nonnulla decerpsit, et Comiti Valerio misit, ille vero ad nos: quæ cum accepissem, alio libro

AUCTORE G. C.

bro ad eadem ipsa respondi... Sequuntur libri quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum ad Episcopum Romanæ ecclesiæ Bonifacium scripsi, quia cum iu manus ejus venissent, ipse mihi eas miserat, inveniens in illis calumniose interpositum nomen meum.

contra Julianum, de Gratia et libero arbitrio, de Correptione et gratia,

495 *Denique capitibus* 62, 66 *et sequente sanctus Doctor huic materiæ finem imponit his verbis:* Interea libri quatuor Juliani Pelagiani, quos supra commemoravi, veneruut etiam in manus meas, in quibus comperi illa, quæ ex eis decerpserat, qui ea comiti Valerio miserat, non omnia eo modo, quo a Juliano dicta sunt, ad eumdem comitem scripta, sed nonnulla eorum aliquantum fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros adversus illos quatuor; sed in eorum duobus primis, testimoniis Sanctorum, qui fidem Catholicam post Apostolos defenderunt, Juliaui impudentia redarguitur; qui tamquam Manichæorum dogma nobis objiciendum putavit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lavacrum regenerationis, uon solum in majoribus, verum etiam in parvulis solvitur. Quautum autem ipse B Julianus quibusdam sententiis suis adjuvet Manichæos, iu primi libri mei parte posteriore monstravi. Ceteri autem nostri quatuor redduntur illis libris, singulis singuli... Propter eos, qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defenduut liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cui titulus est: DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO. Ad eos autem scripsi mouachos Adrumetinos, iu quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio, ita ut me cousulere eorum aliqui cogerentur.... Rursus ad eosdem scripsi alterum librum, quem DE CORREPTIONE ET GRATIA prænotavi, cum mihi nuutiatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum.

Opus imperfectum contra Julianum.

496 *Sanctus Doctor in libris Retractationum non meminit de postremo suo Opere, cui immortuus est, et de quo sanctus Prosper in Chronico ad annum* 430 *sic mentionem facit:* Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Kalendas Septembris, libris Juliani inter im- C petus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans. *Unde idem sanctus* Augustini *discipulus et defensor initio libri contra Collatorem diuturna ac gloriosa sancti Magistri sui certamina adversus hæresim Pelagiana perstringit his paucis verbis:* Novorum hæreticorum commenta disjecit, et diabolicum tumorem Pelagiauæ elationis elisit. Viginti amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat et vincit; et vincit, dico, quia non patitur respirare, quos vincit, et in quorum excidium unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. *Hac clausula S. Prosper innuit*, S. Augustinum *per annos viginti strenue laborasse, ut Pelagiana hæresis unanimi sacerdotum consensu in variis conciliis provincialibus proscriberetur, ac tandem ab Apostolica Sede damnaretur.*

quod aliqui Perfectum vocare malunt:

497 *Ceterum huic ultimo sancti Doctoris Operi, quo Julianum Pelagianum refutavit, apud Vignierium tomo 2 Supplementi pag.* I *præfigitur hic prologus:* Scripsi librum ad comitem Valerium, cujus libri est titulus; DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA; eo quod ad illum pervenisse cognoveram dicere Pelagiauos, damnatores nos D esse nuptiarum. Denique in illo Opere nuptiarum bonum a concupiscentiæ carnalis malo, quo bene utitur pudicitia conjugalis, quali potui disputatione discrevi. Quo libro accepto, memoratus vir illustris misit mihi in chartulis uonnullas sententias decerptas ex Opere Juliani hæretici Pelagiani (in quo Opere libris quatuor respondisse sibi visus est illi uni, quem de nuptiis et concupiscentia me scripsisse memoravi) missas sibi a nescio quo, qui eas ut voluit, ex primo Juliani libro decerpendas putavit: quibus ut ocyus responderem, idem Valerius peposcit. Et factum est, ut sub eodem titulo etiam secundum librum scriberem, contra quem Julianus alios octo nimia loquacitate couscripsit. His nunc respondeo, ejus verba proponens, eisque subjuugens responsionem meam ad loca singula, sicut refutatio eorum visa est esse edenda; cum jam priores quatuor ejus libros, postquam in manus meas venerunt, satis aperteque refellerim. *Quidam volunt, istud ultimum sancti Doctoris Opus, quod sex libros complectitur, imperfectum vocari debere; alii vero contendunt, illud idem Opus potius perfectum vocandum esse. Sed est quæstio de nomine, circa quam novissimi editores Benedictini consuli possunt in admonitione prævia, quam eidem Operi recuso præmiserunt.* E

epistolæ variæ contra Pelagianos: S. Augustini

498 *Inter hæc polemica* S. Augustini *scripta non numeravi varias epistolas, quibus illustres utriusque sexus personas adversus ambiguas Pelagii responsiones et fraudulenta effugia præmunivit. Etiam inter ejus gesta contra Pelagianos speciatim non recensui laboriosam industriam, qua sanctus Doctor Africanis synodorum provincialium Patribus ac ipsis sancti Petri successoribus occultas Pelagii et discipulorum fraudes detexit. Quanta autem modestia et efficacia sanctus Doctor rationes suas Romanis Pontificibus proponeret, erui potest ex libris ad Bonifacium Papam scriptis, ubi lib.* I, *cap.* I *summum Pontificem alloquitur his verbis:* Ausus sum aliquid ad tuam Beatitudinem scribere de his rebus, quæ hoc tempore episcopalem curam, siqua in nobis est, ad vigilantiam pro grege Dominico stimulo recentiore solicitat: novi quippe hæretici, inimici gratiæ Dei, quæ datur pusillis et magnis per Je- F sum Christum Dominum nostrum, etsi jam cavendi evidentius apertiore improbatioue monstrantur, non tamen quiescunt scripsit suis minus cautorum vel minus eruditorum corda teutare: quibus utique esset respondendum, ne se vel suos in illo nefando errore firmarent, etiamsi non metueremus, ne quemquam Catholicorum verisimili sermone deciperent.

ad Romanum Pontificem scribentis modestia.

499 Cum vero non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecumque rimari, communisque sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio, quamvis ipse in eo præemiuens celsiore fastigio speculæ pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus, adjuvantibus orationibus tuis, donare dignatur, ut pestilentibus et insidiantibus eorum scriptis medentia et munientia scripta prætendam, quibus rabies, qua furiunt, aut etiam ipsa sanetur aut a lædendis aliis repellatur. Hæc autem quæ duabus epistolis eorum respondeo; uni scilicet, quam dicitur Romam misisse Julianus, credo ut per illam, quos posset, suos aut inveniret, aut faceret; alteri autem, quam decem et octo velut episcopi participes ejus erroris, non

A non ad quoslibet, sed ad loci illius episcopum sua calliditate tentandum, et ad suas partes, si posset fieri, traducendum ausi, sunt Thessalonicam scribere. Hæc ergo, quæ istis, ut dixi, duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.

Pelagiani damnati,

500 *Tandem Pelagiani post maturum examen in variis synodis provincialibus et ab Apostolica Sede damnati sunt, ut Propter in Carmine de Ingratis cap. 2 canit hoc modo :*

Talia dum demens late diffunderet error,
Commentisque rudes traheret lethalibus aures;
Adfuit, exhortante Deo, provisa per orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non disparc motu
Conficiens diros jaculis cælestibus hostes :
Iisdem namque simul decretis Spiritus unus
Intonuit. Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
B Religione tenet.

Auctoritati ecclesiasticæ adjunxit sese potestas civilis, et Honorius imperator illos hæreticos ubique proscripsit, ut S. Augustinus *in libro de Peccato originali cap. 17 significat his paucis verbis :* Profecto sentitis, in tam nefandi erroris auctores, episcopalia concilia, et Apostolicam Sedem, universamque Romanam Ecclesiam, Romanumque imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissime fuisse commotum, donec resipiscant de diaboli laqueis. *Juliano autem propter hanc severitatem imperatorum conquerenti sanctus Doctor lib. 3 contra ipsum cap. 1 sic respondet :* Ne argumento miserrimo utamini, quo universi utuntur hæretici, quos a perniciosa licentia leges imperatorum Catholicorum premunt : omnes quippe hujusmodi dicunt, quod ipse dixisti, laborare illam partem rationis inopia, quæ in disserendo cum terrorem subrogat, nullum a prudentibus impetrat, sed cæcum a meticulosis extorquet assensum. Novi quidem hæretici vos estis, sed istam pene omnium hæreticorum veterum vocem cum ceteris agnovistis atque tenuistis.

et, licet sine synodo universali, sufficienti tamen judicio,

C 501 *Cum vero Pelagiani etiam consueto hæreticorum more conquererentur, dogmata sua in concilio œcumenico non fuisse ventilata atque discussa,* S. Augustinus *lib. 4 ad Bonifacium Pontificem capite ultimo eos ita refellit :* Quid est ergo, quod dicunt, de simplicibus episcopis sine congregatione synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? Numquid beatissimis et in fide Catholica excellentissimis viris Cypriano et Ambrosio ante istos adversus istos extorta subscriptio est; qua eorum impia dogmata tanta manifestatione subvertunt, ut quæ contra eos manifestiora dicamus, vix nos invenire possimus? Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur : orbem quippe Catholicum, quoniam, Deo eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia et diligentia pastorali post factum illis competens sufficiensque judicium ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.

AUCTORE G.C.

et Augustini potissimum scriptis refutati.

502 *Quamvis paragrapho præcedente* S. Augustinus *ex animi submissione responderit Juliano Pelagiano ad monomachiam provocanti, se tantummodo unum esse ex multis sacerdotibus Catholicis, qui Pelagianos impugnabant, tamen S. Prosper in Carmine de Ingratis cap. 3 maximam victoriæ de Pelagianis relatæ partem sancto Doctori nostro tribuit, ita canens :*

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de Lumine : nam cibus illi,
Et vita et requies Deus est, omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, et in sancto regnat Sapientia templo. E
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus Opus, totum præstantius imbuit orbem....
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis;
Istius ore Viro fecit Deus : istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem.

Ex hoc elogio metrico concludimus, assiduis S. Augustini *lucubrationibus et laboribus hæresim Pelaaginam præcipue debellatam fuisse. Sed ex hac venenosa stirpe ante mortem sancti Doctoris remansit aut prodiit subtilior errorum surculus, ut paragrapho sequente videbimus.*

§ XXXVI. Præcipui Semi-Pelagianorum errores ab Augustino refutati, et post obitum ejus ab Ecclesia Romana legitime damnati. F

Semi-Pelagianorum errores

V*idetur hujus sectæ prodromus fuisse quidam Vitalis Carthaginensis, ad quem* S. Augustinus *in Epistola 107 post alia sic scribit :* Quomodo dicis, quod te audio dicere, ut recte credamus in Deum, et Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a nobis, id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse? Et ad hoc, cum audieris, Quid est ergo quod ait Apostolus; Deus in nobis operatur et velle et perficere? Respondes, per legem suam, per Scripturas suas Deum operari, ut velimus, quas vel legimus vel audimus; sed eis consentire, vel non consentire, ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus : operatur quippe ille, dicis, quantum in ipso est, ut velimus, cum nobis nota fiunt ejus eloquia; sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit, efficimus.

504 *Deinde*

AUCTORE G. C. *refutat Sanctus,*

504 *Deinde circa finem ejusdem Epistolæ post varia argumenta, quibus illum Vitalem refutat et ab hæreticis Pelagianis distinguit, eumdem nihilominus erroris convincit hoc ratiocinio :* Contra Pelagianos est iste conflictus tibi nobisque communis; illi quippe omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non a Domino putent esse poscenda. Tu autem, si ea, quæ de te audio, vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus : cetera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis. Nec attendis ideo pro infidelibus Deum rogari, ut credant, quoniam Deus donat et fidem. Quamobrem ut hunc ad te sermonem aliquando concludam, si negas, orandum esse, ut qui nolunt credere, velint credere, si negas agendas esse Deo gratias, quoniam credere voluerunt, qui nolebant credere, aliter tecum agendum est, ut non sic erres, aut si errare persistis, ne mittas alios in errorem. B Si autem, quod de te magis credo, sentis atque consentis, orare nos Deum debere ac solere pro nolentibus credere, ut velint credere, et pro eis, qui adversantur et contradicunt legi ejus atque doctrinæ, ut ei credant eamque sectentur; si sentis atque consentis debere nos etiam Deo agere gratias ac solere pro talibus, quod ad fidem ejus doctrinamque conversi, volentes ex nolentibus fiant, oportet sine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratia præveniri, et ut bonum velint homines quod nolebant, Deum facere, qui rogatur, ut faciat, et cui nos novimus agere gratias dignum et justum esse, cum fecerit. Dominus tibi det intellectum in omnibus, domine frater.

et fatetur se aliquando in eodem errore fuisse,

505 *Sanctus Doctor hunc Vitalis errorem tam solicite et operose refellebat, eo quod ipse adhuc juvenis ante adeptum episcopatum et exortam hæresim Pelagianam in eumdem prolapsus fuisset, sicut in libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 3 candide fatetur his verbis :* Non sic pius atque humilis doctor ille sapiebat (Cyprianum beatissimum loquor) C qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem : Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quo præcipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem putans, fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei; sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc seculo : nec enim fidem putabam Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter; nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium et nobis ex nobis esse arbitrabar : quem meum errorem nonnulla Opuscula mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta, in quibus est illud, quod commemorastis in litteris vestris *(alloquitur Prosperum et Hilarium, qui ei opiniones quorumdam Gallorum indicaverant, et ad quos unum librum de Prædestinatione Sanctorum, et alterum de Dono perseverantiæ miserat)* ubi est expositio quarumdam propositionum ex Epistola, quæ est ad Romanos.

sed illum correxisse,

506 Denique cum mea cuncta Opuscula retractarem, eamque retractationem stylo prosequerer, D cujus Operis jam duos absolveram libros, antequam scripta vestra prolixiora sumpsissem, cum ad hunc librum retractandum in primo volumine pervenissem, sic inde locutus sum. *Deinde, allegato prolixo verborum suorum textu, ibidem caput quartum sic exorditur :* Videtis certe, quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem : in qua sententia istos fratres nostros esse *(intelligit Massilienses seu Semi-Pelagianos, qui tunc adhuc erant Catholici)* nunc video; quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum : nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, episcopum Mediolanensis ecclesiæ, sancti Ambrosii successorem, in ipso exordio episcopatus mei, nisi forte non eos noverunt. Quod si ita est, facite, ut noverint.

Semi Pelagiani, alias Massilienses, Augustini tempore non damnati,

507 *Igitur ex male intellectis aut explicatis* S. Augustini *scriptis hic aliique affines errores ex Africa in Galliam transierunt, ubi defensores eorum communiter nomen Massiliensium acceperunt, eo quod in urbe Massiliensi plures degerent.* E *Etiam dicti sunt Semi-Pelagiani, quia nonnulla Pelagii placita retinebant, licet alia ejusdem hæretici dogmata rejicerent. Inter illos sancti Doctoris adversarios erant viri dignitate, doctrina, et vitæ sanctitate insignes, ut S. Prosper in epistola sua mox testabitur. Hinc judico, S. Joannem Cassianum, aliosque pios præsules et monachos innocenter in hac materia errasse et cum Natali Alexandro in Historia ecclesiastica seculi quinti cap.* 3, *art.* 9, *sive tomo* 5 *novissimæ editionis Parisiensis pag.* 62, *judicium istud propterea concludo his verbis ipsius :* Ut ut sit, certum est Semi-Pelagianos tunc Catholico nomine exornatos fuisse, Pelagianam illos hæresim anathemati devovisse, Sedis Apostolicæ contra illam decreta fuisse complexos, Romanis Pontificibus et Ecclesiæ universæ communione conjunctos fuisse; et Cælestini, Sixti et Leonis tempore, imo et sequentium Pontificum usque ad Felicem IV, et Arausicanæ synodi celebrationem, a Catholici nominis honore non excidisse, nec eorum sententiam fuisse hæreseos nota ab Ecclesia inustam.

F *quorum dogmata*

508 *Quamvis hæc Semi Pelagianorum secta tunc nondum esset hæretica, tamen eam periculosam censebat S. Prosper, et ideo in Epistola, quæ proxime memoratis libris de Prædestinatione Sanctorum et Dono perseverantiæ præfigitur, ad* S. Augustinum *ita scribit :* Ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone compertus; nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi epistolas et recepi; nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo, non solum salutationis, ut tunc, studio; sed etiam fidei, qua Ecclesia vivit, affectu : excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, et adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi, ne onerosus tibi aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem ac perinde ad pietatem tuam pertinet; cum potius reum futurum esse me crederem, si ea, quæ valde perniciosa esse intelligo, ad SPECIALEM PATRONUM FIDEI non referrem.

ad Augustinum

509 Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ

A quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni et ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquamdiu tarditatem suam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correptione et Gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus, omnes querelas resistentium sopiendas; quia universis quæstionibus, de quibus consulenda erat sanctitas tua, tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque Apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores,
B quam fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primum propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem sine judicio sequuntur, asserere.

perscribit

510 *Tunc aliquas eorum opiniones ita sancto Doctori exponit:* Hæc ipsorum definitio ac professio est; omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse: et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Universis tamen omnibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut qui cumque ad fidem et baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit: ideoque omnem hominem ad credendum et ad sperandum divinis institutioni-
C bus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.

sanctus Prosper,

511 *Deinde explicat, quomodo nonnulli ex ipsis ad hæresim Pelagianam propius accedant, et alii ad objectionem sibi factam respondeant hoc modo:* Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo parvulorum, qui utique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis regni assumantur heredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. Nec considerant, se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam, non negant esse præventas; sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita, quæ non exstant, futura, quæ non sint futura, confingant; novoque apud illos absurditatis genere et non agenda præscita sint; et præscita non acta sint. *Propter eamdem Dei præscientiam affirmabant, uni nationi præ altera Evangelium prædicari, et quosdam populos in tenebris et umbra mortis relinqui, quia scilicet Deus præviderat, eos non esse credituros.*

AUCTORE G. C.

quæ Jansenius non intellexit,

512 *Ex his principiis deducebant diversa corollaria, quæ partim Catholico partim hæretico sensu intelligi possunt, ut apud theologos passim obvios videre est. Unde Jansenius Iprensis non satis noverat dogmata Semi-Pelagianorum, quando defendit duas propositiones; quarum una hæc est:* Semi-Pelagiani admittebant interioris prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus; etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere vel obtemperare. *Altera vero sic sonat:* Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Sed jure merito assertiones istæ inter quinque famosas Jansenii propositiones ab Innocentio X et aliis Pontificibus* E *Romanis, tamquam falsæ et hæreticæ, in sensu ab auctore intento damnatæ sunt. Quare non est hic opus longa propositionum istarum explicatione, ut hæreticus earum sensus ostendatur, cum recentiores theologi Catholici hunc satis superque demonstraverint.*

quæque ab aliquibus male confusa sunt

513 *Ex simili Semi-Pelagianorum dogmatum ignorantia verosimiliter prodit invidiosa accusatio, qua nonnulli imperiti Catholicam quorumdam theologorum sententiam cum Semi-Pelagiano errore confundunt, ut Natalis Alexander in Historia ecclesiastica, Parisiis anno* 1714 *recusa, tomo* 5, *pag.* 60, *testatur his verbis:* Cavendum tamen, ne recentioribus quibusdam theologis, qui prædestinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum a Deo fieri contendunt, et scientiam quamdam mediam propugnant, Semi-Pelagiani erroris nota inuratur, quod imprudenter et temere novi quidam auctores fecerunt vel Semi-Pelagianorum dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti: magnum enim est, quantum ad hoc utrumque dogma inter Semi-Pelagianos et theologos illos discrimen. Nullam enimvero prædestinationem gratuitam Semi-Pelagiani admitte- F bant, nedum ad gloriam, sed nec ad gratiam; electionem scilicet ad gloriam meritis operum tribuebant, electionem ad gratiam merito fidei, de qua dici non posset: Quid habes, quod non accepisti? utpote quæ in eadem natura remanserit, licet vitiata, qua prius sana ac perfecta donata sit, ut refert Hilarius ad sanctum Augustinum scribens: quæ Semi-Pelagianorum sententia erat hæretica.

cum doctrina Theologorum quorumdam Catholicorum.

514 Theologi vero laudati prædestinationem ad gratiam omnino gratuitam profitentur. Solam electionem ad gloriam intuitu meritorum fieri volunt; quod mihi quidem a sancti Augustini et sancti Thomæ doctrina penitus alienum videtur, non tamen aliqua censura notandum. Quod spectat scientiam illam, quæ media nuncupatur; non in hoc fuerunt hæretici Semi-Pelagiani, quod eam admiserint ac propugnaverint; sed quod ex præscientia meritorum vel peccatorum, quæ nusquam essent futura, Deum hominum sortes definire assererent, et alios prædestinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam; idque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi theologi, de quibus agimus, longe sunt ab istius erroris flagi-

AUCTORE G. C.

tio : quod enim propugnant scientiæ mediæ genus, circa merita vel peccata, sub conditione, quæ nusquam ponenda sit, futura non ita versatur, ut Deus in prædestinationis et reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat. Illam quidem sententiam ex sancti Augustini doctrina non operose refelli existimo ; ipsam sentio a veritate alienam ; sed quæ tamen salva religione in utramque partem impune ventilari possit. *Ita scriptor ille nequaquam suspectus de nimio favore erga theologos istos, quorum opinioni adversatur.*

Quo demum tempore damnati Semi-Pelagiani.

515 *Porro periculos Semi-Pelagianorum errores, quos* S. Augustinus *in libris de Prædestinatione Sanctorum et Dono perseverantiæ refutaverat, post obitum ejus S. Prosper et Hilarius aliique strenue impugnarunt. Tandem post multos annos auctoritatem Felicis III Papæ contra Semi-Pelagianos imploravit S. Cæsarius, cui Pontifex ille sententias ex libris* S. Augustini *præcipue collectas transmisit. Has S. Cæsarius protulit in synodo secunda Arausicana, quæ anno Christi* 529 *celebrata est, et ibi viginti quinque canonibus* B *perniciosa Semi-Pelagianorum dogmata solenniter proscripta sunt. Hanc Arausicanam secuta est synodus Valentina, in qua similiter errores Semi-Pelagianorum damnati fuerunt. Interea mortuo Felice III Papa, S. Cæsarius curavit, ut hæc utraque synodus a Bonifacio II summo Pontifice confirmaretur, sicut apud Labbeum nostrum in Collectione conciliorum tomo* 4, *col.* 1687 *et sequentibus legi potest. Hoc est ultimum vulnus lethale, quo confossus est iste error, quem sanctus Doctor noster ante multos annos jam prædamnaverat.*

§ XXXVII. Certamina sancti Doctoris adversus Arianos et alios diversi generis hæreticos.

Disputat Sanctus cum Pascentio Ariano,

Sanctus Possidius in Actis huic Commentario subjungendis apud nos num. 34 *et sequentibus indicabit successum duplicis disputationis, quam* C S. Augustinus *cum duobus hæreticis Arianis instituit. Circumfertur quædam disceptatio, quam sanctus Doctor cum Pascentio, domus regiæ comite Ariano, habuisse dicitur. Sed hoc instrumentum tot falsitatis indicia exhibet, ut novissimi Augustinianorum Operum editores Benedictini merito post alios viros eruditos illud in Appendicem tomi secundi rejecerint. Quamvis autem illud disceptationis instrumentum sit supposititium, tamen aliquando* S. Augustinus *cum Pascentio comite de fide disputavit, ut ipse Sanctus testatur in Epistola* 174, *quam ad Pascentium Arianum scripsit, et in qua sic ipsum alloquitur :* Volueram quidem, petente te atque instante, ut meminisse dignaris, imo pro merito ætatis ac dignitatis tuæ, jubente te, de fide Christiana etiam præsens cum præsente, in quantum mihi facultatem Dominus largiretur, conferre sermonem.

cui exprobrat, noluisse, ut disputatio scriberetur :

517 Sed quia tibi post prandium displicuit, quod inter nos mane placuerat, ut a notariis verba nostra exciperentur, ne ulterius dicas, quod te audio non tacere, non me fuisse ausum tibi dicere fidem meam, his litteris accipe, quod et tu legas, et cui volueris legendum tradas, et quod volueris, vicissim scribendo ipse respondeas : iniquum est enim, ut quisque de alio judicare velit, et judicari de se nolit. Et de præterito quidem placito D nostro, quod condicto meridiano implere noluisti, facile existimari potest, quis nostrum fidei suæ fiduciam non habuerit ; utrum qui volebat, ut diceretur, et timebat, ne teneretur ; an qui usque adeo nolebat eam disceptantium judicio subtrahi, ut mandata litteris vellet etiam legentium memoriæ commendari, ne quisquam vel oblivione opinatus vel dissensione irritatus diceret ab aliquo nostrum aut non esse dictum, quod dictum erat, aut dictum esse, quod dictum non erat : in his enim solent latebras suæ malæ defensionis inquirere, qui contentionis sunt cupidiores quam veritatis. Hoc autem nec a te, nec a me, nec de te, nec de me dici posset, si in fide condicti permaneres, ut verba nostra exciperentur et scriberentur, præsertim quia tu ipse in iis verbis, quibus fidem tuam pronuntiasti, quoties ea repetisti, toties variasti, quod nulla credo fraude sed oblivione factum esse.

et cum Maximino, contra quem duos insuper scribit libros :

518 *Habemus adhuc alteram disputationem, quam* S. Augustinus *cum Maximino Arianorum episcopo per modum dialogi publice instituit, et quæ tomo* 6 *Operum Lovaniensis editionis a pag.* 283 *legi potest. Huic disputationi sanctus Doctor* E *addidit duos libros adversus eumdem Maximinum, quorum priori præfixit hunc prologum :* Disputationi Maximini Arianorum episcopi, cujus prolixitate spatium diei, quo præsentes conferebamus, absumpsit, responsionen debitam reddens, ad ipsam loqui debeo ; sive adhuc existimet, contradicendum esse, cum legerit, sive Domino in ejus corde mirabiliter operante, manifestæ consentiat veritati. Quid tibi visum est, o homo Ariane, tam multa dicere, et pro causa, quæ inter nos agitur, nihil dicere, quasi hoc sit respondere posse, quod est tacere non posse. Prius itaque ostendam, refellere te non potuisse, quæ dixi ; deinde quantum necessarium videbitur, ego refellam, quæ ipse dixisti.

alia dissertatio contra Arianos scripta

519 *Ipse sanctus Doctor aliam dissertationem polemicam, contra Arianos editam, lib.* 2 *Retractationum cap.* 52 *recenset his verbis :* Inter hæc venit in manus meas quidam sermo Arianorum, sine nomine auctoris sui. Huic, petente atque instante, qui cum mihi miserat, quanta potui, etiam brevitate ac celeritate respondi, ad- F juncto eodem sermone a capite responsionis meæ, et adhibitis ad singula numeris, quibus inspectis, quid cuique loco responderim, facile possit adverti. *Brevitatis causa non commemoro hoc loco diversas epistolas, quibus* S. Augustinus *Arianos ad fidem Catholicam convertere conatus est, aut obstinatos strenue refutavit. Ob eamdem rationem prætermitto varios tractatus aut sermones, quos sanctus Doctor instituit adversus eosdem hæreticos, ut hos ad veram sanctissimæ Trinitatis confessionem perduceret, aut Catholicos in fide sua confirmaret.*

libri quindecim de SS. Trinitate,

520 *Sed inter has polemicas lucubrationes numerari meretur egregium Opus de Trinitate, quod quindecim libros complectitur, et de quo Sanctus in Epistola prævia ad Aurelium episcopum Carthaginensem ita scribit :* De Trinitate, quæ Deus summus et verus est, libros juvenis inchoavi, senex edidi : omiseram quippe hoc Opus, posteaquam comperi, præreptos mihi esse, antequam eos absolverem, et retractatos *, ut mea dispositio fuerat, expolirem. Non enim singillatim, sed omnes simul edere ea ratione decreveram, quoniam præcedentibus consequentes inquisitione proficiente nectuntur. Cum ergo per eos homines,

* al. retractaturus

A nes, qui priusquam vellem, ad quosdam illorum pervenire potuerunt, dispositio mea nequivisset impleri, interruptam dictationem reliqueram, cogitans hoc ipsum in aliquibus meis scriptis conqueri, ut scirent, qui possent, non a me fuisse eosdem libros editos, sed ablatos, priusquam mihi editione mea digni viderentur.

qui imperfecti primum, inscio Augustino,

521 Verum multorum fratrum vehementissima postulatione, et maxime tua jussione compulsus, Opus tam laboriosum, adjuvante Domino, terminare curavi, eosque emendatos, non ut volui, sed ut potui, ne ab illis, qui subrepti jam in manus hominum exierant, plurimum discreparent, venerationi tuæ per filium nostrum diaconum charissimum misi, et cuicumque audiendos, describendos, legendosque permisi; in quibus si servari mea dispositio potuisset, essent profecto; etsi easdem sententias habentes, multo tamen enodatiores atque planiores, quantum rerum tantarum explicandarum difficultas et facultas nostra pateretur. Sunt autem, qui primos quatuor, vel potius quinque, etiam sine proœmiis habent, et duodecimum sine extrema parte non parva. Sed
B si eis hæc editio potuerit innotescere, omnia, si voluerint et valuerint, emendabunt. Peto sane, ut hanc Epistolam, seorsum quidem, sed tamen ad caput eorumdem librorum jubeas anteponi. Ora pro me.

fuerant editi :

522 *Libro 2 Retractationum cap. 15 idem Opus ita recenset :* Libros de Trinitate, quæ Deus est, quindecim scripsi per aliquot annos. Sed cum eorum duodecimum nondum perfecissem, et eos diutius tenerem, quam possent sustinere, qui vehementer illos habere cupiebant, subtracti sunt mihi minus emendati, quam deberent ac possent, quando eos edere voluissem. Quod posteaquam comperi, quia et alia eorum apud nos exemplaria remanserant, statueram eos jam ipse non edere, sed sic habere, ut in alio aliquo Opusculo meo, quid mihi de his evenerit, dicerem: urgentibus tamen fratribus, quibus resistere non valui, emendavi eos, quantum emendandos putavi, et complevi et edidi, adjungens ei a capite epistolam, quam scripsi ad venerabilem Aurelium episcopum Carthaginensis ecclesiæ; quo tamquam prologo exposui, et quod accidisset, et quid fa-
C cere mea cogitatione voluissem, et quid fratrum charitate compellente fecissem. *Deinde ibidem nonnulla ex hoc Opere retractat, aut clarius exponit.*

scribit contra Adversarium legis,

523 *Præterea sanctus Doctor contra Adversarium legis et prophetarum edidit duos libros, quorum initio occasionem scribendi hujus Operis ita indicat :* Libro, quem misistis, fratres dilectissimi, nescio cujus hæretici invento, sicut scripsistis, in platea maritima, cum venalis codex ipse ferretur, et concurrentibus turbis periculosa curiositate et delectatione legeretur, ut quanto possem compendio responderem, prius quæsivi cujusnam esset erroris: non enim soli Manichæi legem prophetasque condemnant, sed et Marcionistæ, et alii nonnulli, quorum sectæ non ita innotuerunt populis Christianis. Iste autem, cujus nomen in eodem libro non comperi, detestatur Deum mundi fabricatorem, cum Manichæi, quamvis librum Geneseos non accipiant atque blasphement, Deum tamen bonum fabricasse mundum, etsi ex aliena natura atque materia confiteantur. Sed quamquam non mihi apparuerit, cujus sectæ sit iste blasphemus, defendenda est adversus ejus linguam Scriptura divina, quam maledicis disputationibus insectatur. Et quoniam quo modo Christianum se videri cupit, unde et ex Euangelio et ex Apostolo ponit aliqua testimonia, etiam Scripturis ad novum Testamentum pertinentibus refellendus est; ut ostendatur in reprehensione veterum inconsideratius quam versutius insanire. *Sanctus lib. Retractationum cap. 58 similem de hoc Opere suo mentionem facit.*

AUCTORE G. C.

Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas. Contra mendacium :

524 *Cum Orosius presbyter Hispanus implorasset opem* S. Augustini *contra Priscillianistas et Origenistas, sanctus Doctor illos impugnavit, ut ipse lib. 2 Retractationum cap. 44 testatur his verbis :* Inter hæc Orosii cujusdam Hispani presbyteri consultationi de Priscillianistis, et de quibusdam Origenis sensibus, quos Catholica fides improbat; quanta potui brevitate et perspicuitate respondi; cujus Opusculi titulus est: AD OROSIUM CONTRA PRISCILLIANISTAS ET ORIGENISTAS. Et ipsa enim consultatio responsioni meæ a capite adjuncta est. *Etiam scripsit librum contra Mendacium, cujus Operis occasionem lib. 2 Retractationum cap. 60 sic indicat :* Tunc et contra mendacium scripsi librum, cujus Operis ea causa extitit, quod ad Priscillianistas hæreticos investigandos, qui hæresin suam non solum negando E atque mentiendo, verum etiam pejerando existimant occulendam, visum est quibusdam Catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent; quod ego fieri prohibens, tunc librum condidi.

Priscillianistarum

525 *Sanctus Doctor errores horum hæreticorum et solicitam dogmatum suorum occultationem in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum hæresi 70 describit his verbis :* Priscillianistæ, quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum et Manichæorum dogmata permixta sectantur; quamvis et ex aliis hæresibus in eas sordes, tamquam sentinam quamdam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes et turpitudines suas, habent in suis dogmatibus et hæc verba: JURA, PERJURA, SECRETUM PRODERE NOLI. Illi animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ, cujus est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum per septem cælos et per quosdam gradatim descendere principatus, et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. F
Adstruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, sicut hi, qui Mathematici vulgo appellantur, constituentes in capite arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore; et cetera nominatim signa percurrentes, ad plantas usque perveniunt, quas piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab astrologis nuncupatur.

errores ;

526 Hæc et alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit. Carnes tanquam immundas escas etiam ipsa devitat. Conjuges, quibus hoc malum potuerit persuadere, disjungens et viros a nolentibus feminis et feminas a nolentibus viris: opificium quippe omnis carnis non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt; hoc versutiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum apocryphis legentes omnia, et in auctoritate sumentes; sed in suos sensus allegorizando vertentes, quidquid in sanctis libris est, quod eorum evertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent, eumdem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, et Spiritum sanctum. *In Epistola ducentesima quinquagesima*

AUCTORE G. C.

quagesima tertia, quam S. Augustinus *ad Ceretium episcopum dedit, etiam leguntur insulsa hujusmodi Priscillianistarum dogmata, et quomodo ea detecta fuerint, ibidem explicatur his verbis :* In ipsa nefaria doctrina hæresis suæ præceptum habere perhibentur, ut occultandorum dogmatum suorum causa, etiam cum falsa juratione mentiantur. Hi, qui eos experti sunt, et ipsorum fuerant, atque ab eis Dei misericordia liberati sunt, etiam verba ipsa præcepti hujus ista commemorant : JURA, PERJURA, SECRETUM PRODERE NOLI.

Origenes duplex, et utriusque sectatorum

527 *Cum sanctus Doctor etiam scripserit adversus Origenistas, et duplex eorum secta fuerit, libro proxime citato de hæresibus ad Quodvultdeum hæresi 42 et sequente illos ab his ita distinguit :* Origeniani a quodam Origene dicti sunt; non ab illo, qui fere omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens, Origeniani, inquit, cujusdam Origenis discipuli ; turpis autem sunt operationis : isti sunt nefanda facientes, sua corpora corruptioni B tradentes. Alios autem Origenianos continuo subjiciens ; Origeniani, inquit, alii, qui et Adamantii tractatoris illius sectatores, qui et mortuorum resurrectionem negant ; Christum autem et Spiritum sanctum creaturam dicunt ; paradisum autem et cælos et alia non credunt esse secundum litteram, sed in allegoria. Hæc quidem de Origine Epiphanius refert ; sed defensores ejus dicunt, Origenem Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius ejusdemque substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum ; sed qui ejus plura legerunt, contradicunt.

errores :

528 Sunt et alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica ecclesia omnino non recipit ; in quibus nec ipsum falso arguit, nec potest ab ejus defensoribus excusari, maxime de purgatione et liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ : quis enim Catholicus Christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt ; ipsum etiam postremo diabolum atque angelos ejus, C quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, et rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi et reverti ; et has vices alternantes beatitudinum et miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore ? De qua vanissima impietate adversus philosophos, a quibus ista didicit Origenes, in libris Civitate Dei diligentissime disputavi. *Nimirum lib. 21 laudati Operis cap. 17 et sequentibus hunc et similes illorum errores impugnat.*

contra Joviniani errores

529 *Quid vero* S. Augustinus *contra Jovinianistas scripserit, ipse lib. 2 Retractationum cap. 22 et 23 indicat hoc modo :* Joviniana hæresis sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali tantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maxime argumento cum eas urgeret dicens : Tu ergo melior quam Sara, melior quam Susanna sive Anna, et ceteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas feminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares, cogitare non possent? Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum, commemoratione patrum conjugatorum et prædicatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia, quæ D ibi est, fidelissime ac fortissime restitit. Remanserant autem istæ disputationes ejus in quorumdam sermunculis ac susurris, quas palam suadere nullus audebat.

scribit de Bono conjugali, et de Sancta virginitate.

530 Sed etiam occulte venenis repentibus, facultate, quam Donabat Dominus, occurrendum fuit ; maxime quoniam jactabatur, Joviniano respondeni non posse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cujus inscriptio est DE BONO CONJUGALI . . . . Posteaquam scripsi de bono conjugali, exspectabatur ut scriberem de sancta virginitate ; nec distuli, atque id Dei munus, et quam magnum et quanta humilitate custodiendum esset, uno sicut potui volumine ostendi. *Sanctus in libro de Hæresibus jam sæpe citato, Hæresi 82 tempus, auctorem et interitum hujus sectæ distinctius exponit. Hoc loco tacitus prætereo Tertullianistas, Abelonios, aut Abetianos, quorum sectæ ætate sancti Doctoris in Africa interierunt, ut ibidem Hæresibus 86 et 87 legi potest, et ad quas exstinguendas* S. Augustinus *forte non exiguam operam contulit. Etiam prætermitto Epistolam centesimam octavam, in qua Novatianos hæreticos refellit, et hic gloriosis* E *ejus concertationibus adversus impios variarum sectarum hæreticos finem impono.*

§ XXXVIII. Commercium litterarum cum S. Paulino : libri ad Simplicianum.

J. S.

Mors Cuperi, qui huc usque scripsit ; et ratio prosequendi cetera.

Quandoquidem Cuperius gloriosis Sancti adversis hæreticos concertationibus finem imposuit, et eodem prorsus loco scribendi finem fecit, reliqua S. Augustini *gesta partim temporum partim rerum ordine subtexam, regrediarque ad prima episcopatus tempora, ubi annorum ordinem ille cœpit deserere, ut certamina contra hæreticos aut gentiles conjungeret, majorique in luce collocaret. Verumtamen non lubet persequi facta quælibet singularia et minutiora, quæ ex Sancti epistolis deduci possent, tum quod illa brevitatis causa prætermittere voluerit ipse Cuperus, cujus sequor vestigia, tum quod varia ex illis pro* F *exemplo relata sint, quibus similia sunt, quæ prætermittuntur, ac demum quod Sancti epistolæ cuilibet pateant, eas pervolvere volenti, ita ut necesse non sit quævis sancti Doctoris monita, etiamsi præclara sint, huc congerere.*

S. Paulinus Augustinum ad se invitat,

532 *S. Paulinus Nolanus postea episcopus, de cujus prima ad Sanctum nostrum epistola quædam dicta sunt num. 181 et sequentibus, ad eumdem rursus scripsit circa tempus, quo ad episcopatum promotus est* Augustinus, *quem post multam amoris sui testificationem hisce ad se invitat verbis :* Quare utinam hoc quoque nobis munus annuerit gratia Dei, per Dominum nostrum Jesum Christum, ut etiam in carne faciem tuam videremus : non solum desideriis nostris magnum conferretur gaudium, sed etiam mentibus lumen accresceret, et ex tua copia locupletaretur inopia nostra. Quod quidem et absentibus largiri potes, hac præsertim occasione, qua filii nostri unanimes et clarissimi in Domino, Romanus et Agilis, quos ut nos alteros tibi commendamus, in nomine Domini revertentur, opere charitatis impleto, in quo tuæ charitatis affectu specialiter utantur, rogamus. *Epistola hæc est inter Augustinianas*

A *stinianas* 33, *perlataque a mox laudatis Romano et Agile, quos Sanctus humanissime excepit.*

et hic illum vicissim :

533 *Respondit* Augustinus *Paulino per epistolam* 34, *in qua ostendit multa sui in Paulinum amoris indicia, deinde excusat se, quod ad ipsum venire nequeat ob onus episcopale, quod nuper susceptum nuntiat, et Paulinum vicissim invitat his verbis* : Sed quamquam jugum Christi per seipsum lene sit, et sarcina levis, tamen propter nostram asperitatem atque infirmitatem, si quid me mordet hoc vinculum, atque urget hoc onus, ineffabiliter mihi aliquanto vestræ præsentiæ solatio, tolerabilius et portabilius redderetur, quos audio curis ejusmodi expeditiores liberioresque vivere : quare non imprudenter ego rogo vos, et postulo et flagito, ut in Africam majore talium hominum siti, quam siccitatis nobilitate laborantem, venire dignemini. Scit Deus, quia non solum propter desiderium meum, neque solum propter eos, qui vel per nos vestrum propositum, vel undecumque fama prædicante didicerunt, sed etiam propter cæteros, qui partim non audiunt, partim audita non credunt, tamen possunt comperta diligere, vos istis terris etiam corporaliter B adesse cupimus. Quamvis enim sedulo atque misericorditer id agitis, tamen etiam coram hominibus regionum nostrarum luceant opera vestra, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Misit eadem occasione libros de Libero arbitrio, memoratos num.* 128, *petiitque ut Paulinus ad se mitteret quosdam S. Ambrosii libros, qui deinde exciderunt. Plura de mutua horum Sanctorum amicitia dabunt laudatæ epistolæ.*

mutuus Sanctorum illorum amor,

534 *Porro quanta Paulinum videndi cupiditate teneretur* Augustinus, *declarat rursum in epistola* 250, *multo serius scripta, in qua eum sic affatur :* Et tamen si quisquam nostrum propter hoc solum iret trans mare, ut vestra præsentia frueretur, quid hac causa justius, quid posset dignius inveniri? Sed id vincula nostra non ferrent, quibus religati sumus infirmorum servire languoribus, nec eos præsentia corporali relinquere, nisi *etc. Non invisit quidem* Augustinus *Paulinum, neque hic illum, licet uterque id maxime cuperet, at perpetua mansit inter eos amicitia, et frequens litterarum commercium. Nec* C *modo Paulinus variis quæstionibus pulsabat* Augustinum; *sed hic etiam, uti non minori erat modestia quam doctrina, Paulinum subinde consulebat. Accipe verba* Augustini *ex epist.* 65, *quæ id doceant :* Ecce illam quæstiunculam, quam nuper proposueram, tamquam si præsens præsenti inter dulces loquelas objicerem, plane Christiano intellectu et devotione solvisti, sed nimis cursim et breviter; posset quippe ibi aliquanto diutius et uberius habitare gratia oris tui, si eum divisses ita te illo, quo feliciter uteris, loco perseverare decrevisse, ut si quid de te aliud Domino placuerit, ejus voluntatem præferas tuæ, id ipsum aliquanto apertius explicares, quonam modo voluntatem Dei, quæ nostræ voluntati præponenda est, noverimus. *Quam difficultatem ubi magis exposuerat, subjungit :* Hinc oro, participem me facias cogitationum tuarum, quid in talibus vel facere soleas, vel faciendum esse reperias.

et utriusque modestia,

535 *Consuluit quoque Paulinum* Augustinus *de futura vita Beatorum. At ille*, Augustinum *non* patrem *modo sed et* magistrum *vocans, miris ejus sapientiæ laudibus responsorias suas conspersit. Pauca ex epistola ejus, inter Augustinianas* 249 *speciminis gratia subjungo :* Lucerna, *inquit*, semper est pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Ita quotiescumque litteras beatissimæ Sanctitatis tuæ accipio, tenebras insipientiæ meæ discuti sentio, et quasi collyrio delectationis infuso, oculis mentis meæ prius video, ignorantiæ nocte depulsa, et caligine dubitationis abstersa. Quod cum sæpe alias per munera epistolarum tuarum mihi donatum senserim, tum præcipuo isto recentium litterarum libello, cujus mihi tam gratus quam dignus portitor fuit, vir benedictus Domini frater noster Quintus diaconus. . . . Quid ergo humilis et terrenus respondeam ad hanc sapientiam, quæ data est tibi desuper, quam hic mundus non capit, et qua nemo sapit, nisi sapientia Dei sapiens, et Dei verbo eloquens? Itaque quia experimentum habeo Christi in te loquentis, in Deo laudabo sermones tuos, et non timebo a timore nocturno.

AUCTORE J. S.

dum consulunt invicem,

536 *Deinde inferius* : Quæ vero post resurrectionem carnis in illo seculo beatorum futura sit actio nostra, tu me interrogare dignatus es. At ego de præsenti vitæ meæ statu et magistrum et medicum spiritalem consulo, ut doceas me facere E voluntates Dei, tuisque vestigiis ambulare post Christum, et mortem istam Evangelicam prius emori, quam carnalem resolutionem voluntario præveniamus excessu : non obitu, sed sententia redecentes ad hujus seculi vita, quæ tota tentationum plena, vel, ut tu aliquando ad me locutus es, tota tentatio est. Utinam ergo sic dirigantur viæ meæ post vestigia tua, ut exemplo tuo solvens calceamentum vetus a pedibus meis, dirumpam vincula mea, et liber exultem ad currendum viam, quo possim assequi mortem istam, qua tu mortuus es huic seculo, ut vivas Deo in Christo vivente in te, cujus et mors et vita in corpore tuo, et corde, et ore cognoscitur. Quia non sapit cor tuum terrena, nec os tuum loquitur opera hominum, sed verbum Christi abundat in pectore tuo, et spiritus veritatis effunditur in lingua tua, superni fluminis impetu lætificans civitatem Dei. Quæ autem virtus hanc in nobis efficit mortem, nisi charitas quæ fortis est?

aut ad quæsita respondent.

537 *Demum, ubi* Augustini *interrogationi quædam responderat, vicinam difficultatem ex ipso vicissim quærit, sic eum modeste et honorifice alloquens* : Hoc est ergo, quod egenus et pauper ego, ille insipiens et parvulus tuus, quem ut verus sapiens ferre consuesti, rogo ut me scientiam F vel opinionem super hoc tuam doceas, quia scio te illuminatum spiritu revelationis ab ipso Duce et Fonte sapientium; ut sicut præterita cognovisti, et præsentia vides, ita etiam de futuris quid æstimes, quid censeas de his cælestium creaturarum, vel etiam super cælos in conspectu Altissimi agentium vocibus sempiternis, quibus tandem organis exprimantur. *Rescripsit* Augustinus *epistolam* 260 *ad hanc Paulini, et partim ad ejus quæsita respondit, partim alia rursum ex ipso quæsivit, vehementer laudans ejus sententiam, qua dixerat de statu quoque præsentis vitæ consulendum. Hæc sufficiant de commercio litterarum, arctaque amicitia Sancti nostri cum S. Paulino Nolano episcopo, in cujus Vita apud nos ad* XXII *Junii varia quoque de his legi possunt. Epistolæ autem* Augustini *ad Paulinum octo tantum notantur in Possidii Indiculo, quot etiamnum exstant in editione Benedictinorum : at dubium non videtur, quin plures scripserit, quæ Possidio facile potuerunt esse ignotæ, ut advertit etiam Tillemontius art.* 116.

538 *Sub*

AUCTORE J. S.

Sanctus initio episcopatus scribit libros ad Simplicianum,

538 *Sub initium quoque episcopatus sanctus Doctor exaravit duos libros ad Simplicianum Mediolanensem episcopum, quem Mediolani in conversione sua adjutorem habuerat, ut infra legetur in Actis num.* 190 *et* 191. *Hinc cum Simplicianus quæstiones quasdam pertractandas misisset, Sanctus, post modestissimas atque humanissimas litteras ad ipsum missas, in limine Operis cum sicaffatur :* Gratissimam plane atque suavissimam interrogationum tuarum dignationem mihi, pater Simpliciane, misisti, quibus nisi respondere conarer, non solum contumax, verum etiam ingratus existerem. *De hoc Opusculo lib.* 2 *Retract. cap.* I *sic meminit :* Librorum, quos episcopus elaboravi, primi duo sunt ad Simplicianum ecclesiæ Mediolanensis antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, de diversis quæstionibus, quarum duas ex epistola Pauli apostoli ad Romanos, in primum librum contuli... Posterior in hoc libro quæstio est, ab eo loco ubi ait, " Non " solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu " habens Isaac patris nostri " : usque ad illud, ubi ait, " Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis se-
B " men, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomor- " rha similes fuissemus " : in cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus, " Quis enim te " discernit ? Quid autem habes, quod non accepisti ? " si autem accepisti, quid gloriaris quasi non " acceperis " ? Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens : In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. In II libro tractantur cæteræ quæstiones, et pro nostra quantulacumque facultate solvuntur, quæ sunt omnes de Scriptura, quæ REGNORUM appellatur, *quas singulas deinde recenset.*

maximique semper fecit, quæ de Gratia ibidem disseruerat.

539 *Porro quanti facienda sint, quæ Sanctus in hoc Opusculo ad Simplicianum disseruit de gratia Dei, ex ipso abunde intelligimus. Quippe lib. de Prædestinatione Sanctorum cap.* 4 *Semi-Pelagianos eo remittit his verbis :* Nam si curassent *(proficere in libris Augustini)* invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam, in primo libro duorum, quos
C ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi...... in ipso exordio episcopatus mei, nisi forte non eos noverunt. Quod si ita est, facite ut noverint. *Adductisque verbis suis ex lib.* 2 *Retract. subnectit :* Ecce quare dixi superius, hoc Apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit. *Rursum de Dono perseverantiæ cap.* 21 *eo remittit Massilienses :* Videant, *inquit,* utrum in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum, quos mei episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari ; et utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei ; et utrum ex iis, qui ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum et gloriam. *Hinc igitur clarissime patet, quanti fecerit* Augustinus *jam senex, quæ ad Simplicianum de gratia disputavit, atque exposuit. Nec mirum videbitur in illo libro mentem* Augustini *de natura gratiæ efficacis* D *clarius expositam esse, si consideremus ab ipso conscriptum esse sine ullo adversario, atque eum in finem, ut explicaret locum Apostoli, quo gratia efficax clare asseritur. Unde autem sanctus Doctor efficaciam gratiæ desumat, egregie exposuit Liberius Gratianus, seu P. Livinus de Meyer in Opusculo, quod conscripsit de Mente S. Augustini circa gratiam physice prædeterminantem cap.* I.

§ XXXIX. Opuscula de Agone Christiano ; de Doctrina Christiana, Confessiones, Quæstiones Evangeliorum, Annotationes in Job, de Catechizandis rudibus : an Sanctus interfuerit concilio Carthaginensi tertio et quarto.

E

Scribit de Agone Christiano,

Augustinus lib. 2 *Retract. cap.* 3 *aliud Opusculum recenset hoc modo :* Liber de Agone Christiano fratribus, in eloquio Latino ineruditis, humili sermone conscriptus est, fidei regulam continens et præcepta vivendi. *In eo deinde quidpiam clarius explicat, et subjungit :* Hic liber sic incipit, CORONA VICTORIÆ. *Cum hoc Opusculum ponatur tertio loco inter ea, quæ scripsit episcopus, dubium non apparet, quin ad priores episcopatus annos sit referendum. Cassiodorus de Institutione divinarum Litterarum cap.* 16 *hunc librum commendat hisce verbis :* Item ejusdem *(Augustini)* liber unus, quem de Agone Christiano composuit, maxime vobis necessarius, qui calcato sæculo desudatis in certamine Christiano. *Porro scriptus quidem hic liber ad instruendos Christianos, varia tamen in illo etiam contra hæreticos breviter sunt disputata, ut patebit legenti.*

de Doctrina Christiana,

541 *Post hunc, quantum colligi potest ex ordine lib.* 2 *Retract. servato, Sanctus scribere cœpit libros de Doctrina Christiana, quos imperfectos primum reliquit, ac demum absolvit, cum libros Retractationum exarare cœperat. Audi de iis Sanctum ipsum lib.* 2 *Retract. cap.* 4 : Libros de F Doctrina Christiana, cum imperfectos comperissem, perficere malui, quam eis sic relictis, ad alia retractanda transire. Complevi ergo tertium, qui scriptus fuerat usque ad eum locum, ubi commemoratum est ex Evangelio testimonium de muliere, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum. *(Habetur id lib.* 3, *cap.* 25.*)* Addidi etiam novissimum librum, et quatuor libris Opus illud implevi, quorum primi tres adjuvant, ut Scripturæ intelligantur, quartus autem, quomodo, quæ intelligimus, proferenda sint. *Post hæc quædam retractat, quæ ibidem videri poterunt.*

Confessiones,

542 *Post libros modo memoratos secuti sunt libri Confessionum, ita tamen, ut intercesserit Opusculum contra Donatistas compositum : at cum scripta contra hæreticos jam memorata sint, illa deinceps tacitus prætcribo. De Confessionibus suis lib.* 2 *Retract. cap.* 6 *sic habet sanctus Doctor:* Confessionum mearum libri XIII et de malis et de bonis meis Deum laudant justum et bonum, atque in eum excitant humanum intellectum et affectum, interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt,

AUCTORE J. S.

A egerunt, cum scriberentur, et agunt, cum leguntur. Quid de illis alii sentiant, ipsi viderint, multis tamen fratribus eos multum placuisse et placere scio. A primo usque ad decimum de me scripti sunt. In tribus cæteris de Scripturis sauctis, ab eo quod scriptum est, In principio fecit Deus cælum et terram, usque ad Sabbathi requiem. *Pauca mox in illis corrigenda subjungit. Hi Confessionum libri testes sunt luculentissimi profundæ* S. Augustini *humilitatis, quam magis declaravit Sanctus, cum illos ad comitem Darium mitteret, adjunctis verbis num.* 377 *citatis.*

contra Hilarium,

543 *Alterius Opuseuli occasionem Sanctus exponit lib.* 2 *Retract. cap.* XI, *ipsumque Opusculum, quod hodie non exstat, memorat hoc modo :* Iuter hæc Hilarius quidam vir tribunitius, laïcus, Catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fierit adsolet, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthagiuem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, B ubicumque poterat, lacerabat, asserens, fieri non oportere. Huic respondi jubentibus fratribus, et vocatur liber ipse, Contra Hilarium. Hic liber sic incipit, Qui dicunt mentionem. *Memoratur hic liber in Indiculo Possidii his verbis :* Contra Hilarium de canticis ad altare, liber unus. *Tillemontius art.* 114 *videtur credidisse, Hilarium quædam objecisse contra hunc librum, eique iterum respondisse* Augustinum : *quia aliud ejus Opusculum sic refert Possidius :* Responsio objectis Hilarii, liber unus. *Verum insinuat ibidem Possidius epistolam* 89, *quæ ad alium data est Hilarium.*

Quæstiones Evangeliorum

544 *Mox* Augustiuus *cap.* 12 *aliud Opusculum subdit hunc in modum :* Sunt quædam expositiones quorumdam locorum ex Euaugelio secundum Matthæum, et aliæ similiter secundum Lucam, in unum librum illæ, in alterum istæ redactæ sunt. Titulus autem Operis hujus est, Quæstiones Evangeliorum. *Huic Operi sic præfatur tom.* 4, *pag.* 141 : Hoc Opus nou ita scriptum est, acsi Euangelium exponeudum ex ordine susceptum esset a nobis : sed pro arbitrio et tempore consulentis, cum quo legebatur; si quid ei videbatur C obscurum. Ideoque multa et fortassis obscuriora prætermissa sunt : quia jam ea noverat, qui ea, quæ nondum noverat, inquirebat : nec teuere volebat festinationem suam in iis, quæ autea jam sic acceperat, ut etiam assiduitate audieudi atque tractandi memoriæ stabiliter firmeque mandaret. Nonnulla etiam hic non eodem ordine inveuiuutur exposita, quo in Euaugelio narrata sunt, quoniam quædam festinatione dilata, cum tempus daretur, retractabantur : et eo loco scribebantur, qui vacuus in ordine jam expositarum rerum subsequebatur. Quod posteaquam comperi, ne quis forte quærens aliquid legere in hoc Opere, quod cum in Euangelio movisset, et ad quærendum excitasset, tædio perturbati ordinis offenderetur, quandoquidem ea, quæ carptim, ut poterat, dictabantur, in unum corpus corpus collecta et contexta cognovi, feci ut ordiue numerorum præscriptis titulis, quod cuique opus esset, facile investigaret.

Annotationes in Job,

545 *Hisce Sanctus lib.* 2 *Retract. cap.* 13 *aliud subnectit Opuscutum, quod fatetur sibi minus placere. Verba cjus accipe :* Liber, cujus est titulus, Annotationes in Job, utrum meus habendus sit an potius eorum, qui eas, sicut potuerunt vel voluerunt, redegerunt in unum corpus descriptas de frontibus codicis, non facile dixerim. Suaves enim paucissimis intelligentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur multa non intelligentes, quia nec ipsa verba, quæ exponuntur, ita descripta sunt in multis locis, ut appareat, quid exponatur. Deinde brevitatem sententiarum tanta secuta est obscuritas, ut eam lector vix ferre possit, quem necesse est plurima nou intellecta transire. Postremo tam mendosum comperi Opus ipsum in codicibus nostris, ut emendare non possem, nec editum a me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. Hoc opus sic incipit : Et opera magna erant ei super terram. *At Cassiodoro non displicuerunt hæ Annotationes, de quibus sic loquitur cap.* 6 *de Institutione divinarum Scripturarum :* Sauctus quoque Augustinus in eodem libro *(Job)* Aunotationes faciens, eum solita curiositate tractavit.

de Catechizandis rudibus ad Deogratias :

546 *Subdit* Augustinus *cap.* 14 : Est etiam liber noster De Catechizandis rudibus hoc ipso titulo prænotatus. *At quem, et qua occasione* E *scriptus sit hic liber, in quo egregia traduntur documenta, Sanctus ipse enarrat cap.* 1, *seu tom.* 4 *Operum pag.* 295, *his verbis :* Petisti a me, frater Deogratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti enim quod sæpe apud Carthaginem ubi diaconus es, ad te sæpe adducantur, qui fide Christiana primitus imbuendi suut, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem, et doctrinam fidei et suavitatem sermonis : te autem pene semper angustias pati, idipsum quod credendo Christiani sumus, quo pacto commode intimandum sit : unde exordieuda, quousque sit perducenda narratio : utrum exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an præcepta sola, quibus observandis, cui loquimur, noverit Christianam vitam professionemque retinere. Sæpe autem tibi accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo et tepido tibi ipse vilesceres essesque fastidio, nedum illi, quem loqueudo imbuebas, et cæteris, qui audientes aderant : eaque te necessitate fuisse conpulsum, ut ea me, quam tibi debeo, charitate compelleres, ne gravarer inter occupationes meas, tibi de hac re aliquid scri- F bere. Ego vere non ea tantum, quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesiæ universaliter debeo, charitate ac servitute compellor, si quid per operam meam, quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus, quo mihi fratres fecit, adjuvari jubet, nullo modo recusare, sed potius prompta et devota voluntate suscipere. Quauto enim cupio latius erogare pecuniam Dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire coguosco, agere, quantum in me est, ut facile atque expedite possint, quod impigre ac studiose volunt.

utrum hic postea fuerit episcopus Carthaginensis.

547 *Ad eumdem, opinor, Deogratias tunc presbyterum scripsit* Augustinus *epistolam* 49, *in cujus exordio ejus eruditionem commendat. Salvuntur illa epistola quæstiones sex contra Paganos, de quibus actum est num.* 389. *Dubium videtur an hic idem sit Deogratias, qui deinde sub Genserico factus est episcopus Carthaginensis, mortuusque circa annum* 456 *vel* 457. *Egerunt Majores nostri de S. Deogratias episcopo ad* XXII *Martii, nec ullam de hisce mentionem fecerunt. Tillemontius quoque in* Augustino *art.* 114 *insinuat,*

AUCTORE J. S.

nuat, alium apparere ab illo episcopo, quod repetit tom. 15 in Eugenio art. 14. Ratio ejus est, quod Deogratias ille octogenario major fuisset, dum anno 454 consecratus est episcopus, cum jam diaconus rudes doctrina Christiana imbueret circa annum 400, *dum laudatum librum ad illum conscripsit* Augustinus. *Hæc fateor, ratio non est contemnenda. Verumtamen cum Victor Vilensis, apud nos citatus tom.* III *Aprilis pag.* 384 cariosæ senectutis *meminerit, et S. Deogratias non nisi triennio episcopus fuerit, non video cur idem esse nequeat, licet res alias parum videatur certa ; nam plures esse potuerunt ejusdem nominis.*

Concilium Carthaginense III.

548 *Apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum exhibetur concilium Carthaginense* III *anni* 397, *cui interfuisse dicuntur episcopi quadraginta et quatuor, conditique canones quinquaginta. Subscriptiones col.* 1178 *exprimuntur hoc modo :* Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis, huic decreto consensi, et relecto subscripsi. Epigonius episcopus Bullensis regionis, subscripsi. Augustinus episcopus plebis Hipponæ Regiensis, subscripsi. Similiter et omnes episcopi, quadraginta quatuor numero, subscripserunt. *Hæc subscriptio sufficit Schelstratio in Ecclesia Africana diss.* 3, *cap.* 7, *pag.* 209, *ut credat* Augustinum *huic adfuisse concilio ; at non sufficit Tillemontio, qui nota* 26 *in* Augustinum *de ejus præsentia disputat, ac rem fere relinquit dubiam. Affert tamen et aliam rationem, quæ innuere videtur Sanctum interfuisse laudato concilio, quam paulo accuratius exponam.*

cui adest Sanctus.

549 *Possidius in Vita inferius num.* 16 *sic habet :* Unde etiam sategit, ut conciliis statueretur episcoporum, ab ordinatoribus debere ordinandis vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda. *In dicto autem concilio can.* 3 *id ipsum statutum est his verbis :* Item placuit, ut ordinandis episcopis vel clericis, prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse asserant. *Non video, quo respicere potuerit Possidius, nisi ad hunc canonem. Quod vero ait Tillemontius potuisse* Augustinum *per litteras agere apud Aurelium : id revera solis litteris factum, non est verisimile. Accedit alia ratio huic non absimilis.* Augustinus *epist.* 235 *ad Quintianum memorat statuta duo hujus concilii, videlicet de clericis alienis non suscipiendis, et de Scripturis canonicis, eaque a se quoque fuisse decreta in concilio, innuit his verbis ;* Ut quod statutum est a nobis in concilio permaneret. *At ea statuisse non potuit cum aliis* Augustinus, *nisi in concilio Carthaginensi* III, *quantum apparet : quamvis enim in concilio Hipponensi eadem fuissent decreta, decernere ibidem non poterat* Augustinus, *qui tunc solum erat presbyter. Dicendum itaque dicto concilio adfuisse* Augustinum, *non modo quia subscriptus legitur, sed etiam quia ex gestis ibidem interfuisse deprehenditur. Varia quidem objicit Tillemontius, sed prorsus levia, et ipse ea abunde solvit. Illa igitur brevitatis causa prætermitto.*

uti et quarto.

550 *Anno* 398 *celebratum est concilium Carthaginense* IV, *cui similiter subscriptus legitur* S. Augustinus *loco tertio, post Aurelium videlicet et Donatianum, omissis aliorum nominibus, ut videri potest apud Labbeum laudatum col.* 1208. *Porro credibile non est,* Augustinum *revera tertio loco subscripsisse, sed collector ejus nomen, ob Viri celebritatem retinuit, aliorum nominibus omissis. Schelstratius in Ecclesia Africana diss.* 3, *cap.* 8, *pag.* 214 *de hoc concilio docet sequentia :* Gravis est quæstio de Actis præsentis synodi, quæ cum nullibi apud antiquiores Latinos, et nec ab auctore Concilii vulgo Africani, nec a Fulgentio Ferrando Carthaginiensi diacono, nec a Dionysio exiguo abbate Romano, nec ab iis, qui Codicem canonum ecclesiæ Africanæ in Græcum transtulere, ulla illorum facta sit mentio, supposititia credita sunt a nonnullis viris eruditioribus, quibus viam aperuit Christophorus Justellus præfatione in Codicem canonum Africanæ ecclesiæ. *At repondit utcumque his difficultatibus ipse Schelstratius, et latius post ipsum Tillemontius nota* 29 *in* Augustinum ; *ad quos lectorem remittimus, ut ad alia Sancti gesta gradum faciamus.*

§ XL. Opuscula Sancti, ad Inquisitiones Januarii, de Opere Monachorum, de Genesi ad litteram : concilia duo Carthaginensia, quibus videtur interfuisse : deponit Abundantium presbyterum.

Sanctus respondet ad Inquisitiones Januarii :

Recensui hactenus scripta sancti Doctoris, inter initium episcopatus et annum 400, *ut apparet, exarata. Nunc quædam enumerabo, quæ anno* 400 *et sequentibus videntur alliganda. Primum se offerunt quæstiones variæ Sancto propositæ, ab eoque solutæ ; de quibus lib.* 2 *Retract. cap.* 20 *sic habet :* Libri duo, quorum est titulus, AD INQUISITIONES JANUARII, multa de Sacramentis continent disputata, sive quæ universaliter, sive quæ particulariter, id est, non peræque in omnibus locis observat Ecclesia, nec tamen commemorari omnia potuerunt, sed satis ad inquisita responsum est : quorum librorum prior epistola est ; habet quippe in capite, quis ad quem scribat; sed ideo inter libros annumeratur hoc Opus, quoniam sequens, qui nomina nostra non habet, multo est prolixior, et in eo multo plura tractantur. . . . Hoc Opus sic incipit : AD EA, QUÆ ME INTERROGASTI. *Exstat utrumque Opusculum inter epistolas* Augustini, *quarum sunt* 118 *et* 119. *Quam modestis verbis secundum terminaverit, dictum est num.* 383. *Quis vero fuerit Januarius, ad cujus quæsita responsum, non satis constat. Vide Tillemontium in* Augustino *art.* 129.

scribit de Opere monachorum.

552 *Post Opuscula præfata Sanctus cap.* 21 *recenset librum de Opere monachorum, ejusque scribendi occasionem sic explicat :* Ut de opere monachorum librum conscriberem, illa necessitas compulit, quod cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo : alii vero ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes, unde nessaria vel haberent vel supplerent, se potius implere præceptum Euangelicum existimarent atque jactarent, ubi Dominus ait : Respicite volatilia cœli et lilia agri. Unde etiam inter laïcos inferioris propositi, sed tamen studio ferventes, existere cœperant tumultuosa certamina, quibus Ecclesia turbaretur, aliis hoc, aliis aliud defendentibus. Huc accedebat quod criniti erant quidam eorum, qui operandum non esse dicebant. Unde contentiones hinc reprehendentium,

A dentium, inde quasi pugnantium pro partium studiis augebantur. Propter hoc venerabilis senex Aurelius, ecclesiæ ipsius civitatis episcopus, ut hinc aliquid scriberem jussit, et feci. Hic liber sic incipit : Jussioni tuæ sancte frater Aureli. *Habemus hoc sancti Doctoris Opusculum tom.* 3 *Operum pag.* 293 *et seqq.*

de Genesi ad litteram,

553 *Deinde post scripta contra Jovinianam hæresim, quæ jam relata sunt,* Augustinus *cap.* 24 *Opus recenset majoris moliminis, cui simile antea tentaverat, ut ex ipso relatum est num.* 279. *De præsenti autem Opere sic habet :* Per idem tempus de Genesi libros XII scripsi ab exordio, donec de paradiso dimissus est Adam, et flammea romphæa posita est custodire viam ligni vitæ. Cum autem ad hoc usque XI libri peracti essent, duodecimum addidi, in quo diligentius de paradiso disputatum est. Titulus horum librorum inscribitur : De Genesi ad litteram ; id est, non secundum allegoricas significationes, sed secundum rerum gestarum proprietates. In quo Opere plura quæsita, quam inventa sunt ; et eorum, quæ in- B venta sunt, panciora firmata ; cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sunt. Hos sane libros posterius cœpi, sed prius terminavi, quam De Trinitate : ideo eos nunc ordine, quo cœpi, recolui.

in quo Opere plura quærit quam solvit.

554 *Porro quod Sanctus modeste ait, plura in illo Opere quæsita quam inventa, id in ipso Opusculo sæpe apparet, et lib.* 12, *cap.* I, *seu tom.* 2 *Operum pag.* 274 *rationem reddit, cur ita fecerit, quæ eruditis nequit esse inutilis :* Ab exordio, *inquit*, Scripturæ sanctæ, quæ inscribitur Genesis, donec homo primus de paradiso dimissus est, undecim libris sive asserendo atque defendendo, quæ certa nobis sunt, sive inquirendo et ambigendo de incertis, quæ potuimus, et sicut potuimus, disseruimus atque conscripsimus, non tam præscribentes de rebus obscuris unicuique, quid sentiat, quam nos docendos, in quibus dubitavimus, ostendentes, temeritatemque affirmandi amoventes a lectore, ubi non valuimus præbere sententiæ firmitatem. *Pari igitur modestia usus est Sanctus in scribendo Opere et in illo deinde recensendo. Audi Cassiodori de hoc Opere judicium cap.* I *de Institutione :* De eisdem C principiis sanctus quoque Augustinus disertus atque cautissimus disputator duodecim volumina conscripsit, quæ doctrinarum pene omnium decore vestivit, hæcque vocavit De Genesi ad litteram. Qui quamvis de eadem re tractaverit, de qua beatus Basilius et sanctus Ambrosius celeberrima laude fulserunt : tamen, quod post disertos viros difficile contingere solet, Opus suum longe in aliam summitatem, Domino largiente, perduxit.

Concilium Carthaginense anni 401,

555 *Eodem fere tempore, quo hæc scribi cœpta, geminum anno* 401 *habitum est Carthagine concilium, ut colligitur ex Codice canonum ecclesiæ Africanæ apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum. Primum col.* 1081 *habitum notatur* post consulatum Fl. Stiliconis viri clarissimi XVI Kalendas Julias, Carthagine in secretario basilicæ Restitutæ. *Stilico autem cum Aureliano consul fuit anno* 400, *ut concilium in prædictum annum* 401 *incidere debuerit. Varia in eo concilio leguntur statuta, partim ad Donatistas facilius Ecclesiæ conciliandos, partim ad reliquias ethnicæ superstitionis exterminandas, partim ad disciplinam Ecclesiæ stabiliendam, ut lector videre poterit apud Labbeum citatum. Non quidem omnino certum est,* Augustinum *huic interfuisse concilio, cum de eo mentio non fiat, et solus Aurelius Carthaginensis jam legatur subscriptus cum hac clausula,* Similiter et ceteri episcopi subscripserunt. *Sanctum tamen huic concilio æque ac sequenti interfuisse putat Tillemontius art.* 131, *quod concilii utriusque statuta sancti Doctoris menti videantur conformia.*

alterum ejusdem anni, cui Sanctus adfuit,

556 *Alterum, cui dicuntur adfuisse* ex Africanis omnibus provinciis episcopi, *apud Labbeum col.* 1089 *habitum scribitur* Vincentio et Flavio *(aliis* Fravita *aut* Flavito) viris clarissimis consulibus, Idibus Septembris, Carthagine in secretario basilicæ Restitutæ : *qua epocha idem annus* 401 *designatur, quo Vincentius et Fravita fuere consules. Decreta hujus concilii vide apud Labbeum. Duo ex illis refero, quia spectant ad Sanctum nostrum. Col.* 1096 *can.* 78 *viginti episcopi leguntur ad ecclesiam Hipponensium Diaretorum (urbs erat provinciæ proconsularis in Zeugitana, ac* Hippo Diarrhytus *vocabatur ad distinctionem Hipponis Regii, de qua Cellarius in Africa pag.* 102) *ut alium ibidem statuant episcopum in locum Equitii jam ante depositi. Inter illos autem tertio loco numeratur* Augustinus. *Hinc satis certum redditur, Sanctum huic concilio interfuisse, quod ex aliis quoque decretis firmari* E *potest, ex quibus unum subjungo.*

ut probatur ex ejus ad Aurelium epistola :

557 *Col.* 1097 *can.* 80 *ita statuerunt concilii Patres :* Item placuit, ut si quis de alterius monasterio susceptum vel ad clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterio Majorem monasterii constituerit, episcopus, qui hoc fecerit, a ceterorum communione sejunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit, et ille neque clericus neque præpositus perseveret. *Illud ipsum acciderat, antequam hæc statuerentur : nam fratres duo ex monasterio* Augustini *discesserant, eo repugnante, Carthaginem, ex quibus alterum, Donatum nomine, Aurelius Carthaginensis episcopus in clerum adlegerat ; ratus fortasse abiisse bona* Augustini *venia. Hinc Sanctus epistola* 76 *Aurelio graviter proponit, quam incongruum sit hujusmodi desertores monasteriorum Clero adscribere, factumque Aurelii excusans addit sequentia :* Sed de istis, credo, arbitrata sit beatitudo tua, nostra voluntate, ut suis potius corregionalibus utiles essent, de monasterio recessisse. Sed falsum est, sponte abierunt, sponte deseruerunt, nobis, quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus. Et de Donato quidem, quia jam factum est, ut antequam de hac re aliquid in concilio statueremus, ordinaretur, si forte a superbiæ F perversitate correctus est, quod vult, faciat prudentia tua. De fratre vero ejus, cujus vel maxime causa de monasterio etiam ipse Donatus abscessit, cum intelligas, quid sentiam, nescio quid respondeam. *Ex verbo* statueremus *intelligimus, canonem mox citatum ab* Augustino *cum aliis decretum, adeoque illi concilio adfuisse ; et recitata simul docent, quam exacte observata vellet conciliorum statuta.*

Abundantium famæ non integræ

558 *Aliud justæ severitatis, et exactæ canonum observantiæ exemplum dedit sub finem ejusdem anni* 401, *removendo ab officio Abundantium, famæ non integræ presbyterum. Rem totam narrat ipse Sanctus epist.* 236 *ad Xantippum tunc Numidiæ primatem, quam huc transfero :* Officio debito meritis tuis, salutans dignationem tuam, tuisque me orationibus valde commendans, insinuo prudentiæ tuæ, Habundantium quemdam in fundo Strabonianensi, pertinente ad curam vestram, ordinatum fuisse presbyterum. Qui cum non

AUCTORE J. S.

non ambularet vias servorum Dei, non bonam famam habere cœperat, qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credens, sed plane solicitior factus, operam dedi, si quo modo possem ad aliqua malæ conversationis ejus certa indicia pervenire.

presbyterum ab officio removet Sanctus,

559 Ac primo comperi, eum pecuniam cujusdam rusticani divino apud se commendato intervertisse: ita ut nullam inde posset probabilem reddere rationem. Deinde convictus atque confessus est, die jejunii Natalis Domini, quo etiam Gippitana ecclesia, sicut cæteræ jejunabant, cum tamquam perrecturus ad ecclesiam suam valefecisset collegæ suo presbytero Gippitano, hora ferme quinta; et cum secum nullum clericum haberet, in eodem fundo restitisse, et apud quamdam malæ famæ mulierem et prandisse et cœnasse, et in una domo mansisse. In hujus autem hospitio jam quidam clericus noster Hipponensis remotus erat: et hoc quia iste optime noverat, negare non potuit. Nam quæ negavit, Deo dimisi, judicans quæ occultare permissus non est. Timui ei committere ecclesiam, præsertim inter

B hæreticorum circumlatrantium rabiem constitutam. Et cum me rogaret, ut ad presbyterum fundi Armemanensis in campo Bullensi, unde ad nos devenerat, causa ejus insinuata litteras darem, ne quid de illo atrocius suspicaretur, ut illic vivat, si fieri potest, sine officio presbyterii correctior, misericordia commotus feci. Hæc autem præcipue prudentiæ tuæ intimare oportebat, ne aliqua tibi fallacia subreperet. Audivi autem causam ejus, cum centum dies essent ad Dominicum Paschæ, qui futurus est octavo Idus Aprilis.

eaque de re scribit ad Xantippum Numidiæ primatem.

560 Hoc propter concilium insinuari curavi venerabilitati tuæ, quod etiam ipsi non celavi; sed ei fideliter, quid institutum esset, aperui. Et si intra annum causam suam, si forte sibi aliquid agendum putat, agere neglexerit, deinceps ejus vocem nemo audiat. Nos autem, beatissime domine et venerabiliter suscipiende pater, si hæc indicia malæ conversationis clericorum, maxime cum fama non bona eos cœperit comitari, non putaverimus eo modo vindicanda, quod in concilio institutum est: incipimus cogi ea, quæ sciri

C non possunt, velle discutere, et aut incerta damnare, aut vere incognita præterire. Ego certe presbyterum, et qui die jejunii, quo ejusdem loci etiam ecclesia jejunabat, valefaciens collegæ suo ejusdem loci presbytero, apud famosam mulierem, nullum secum clericum habentem, remanere et prandere et cœnare ausus est, et in una domo dormire, removendum ab officio presbyterii arbitratus sum, timens ei deinceps ecclesiam Dei committere. Quod si forte judicibus ecclesiasticis aliud videtur, quia sex' episcopis causam presbyteri terminare concilio statutum est, committat illi, qui vult, ecclesiam suæ curæ commissam: ego talibus fateor quamlibet plebem committere timeo, præsertim quos nulla bona fama defendit, ut hoc eis possit ignosci: ne si quid perniciosius eruperit, languens imputem mihi.



D

§ XLI. Controversia Sancti cum Severo episcopo Milevitano occasione Timothei clerici, in qua mire eluxit moderatio ejusdem in defendendo jure ecclesiæ suæ.

Controversia Sancti cum Severo Milevitano episcopo,

Eodem fortasse anno 401, aut sequente non multum provecto, aliquid controversiæ fuit S. Augustino *cum antiquo amico Severo Milevitano antistite. Lis cœpta est sine ulla Sancti culpa, ut patebit, et terminata sine ullo amicitiæ detrimento, quod* Augustinus *sic voluerit jura sua defendere, ut nec amicum exacerbaret, nec scandalum crearetur infirmis. Res tota deducenda est ex duabus* Augustini *epistolis, nimirum ex 240 et 241, ex quibus posterior prius fuit conscripta. Erat in diœcesi Hipponensi Timotheus quidam lector. Hic temere juraverat Severo, se non recessurum ab eo. Postulat igitur ipsum Severus ab* E Augustino. *Interim, dum deliberatur, an Severo tradi deberet, inscio* Augustino, *quorumdam molitionibus ordinatur subdiaconus, ut sic firmius alligaretur parochiæ Subsanæ, in qua erat lector. Hinc lis inter Severum, qui Timotheum petebat ob juramentum, et Carcedonium presbyterum prædictæ parochiæ, qui, favente Ecclesiæ disciplina, contendebat non dimittendum Timotheum memoratum.*

ob Timotheum clericum, qui juraverat se Severo adhæsurum:

562 *Controversia finita fuisset, si Severus voluisset Timotheum jurisjurandi religione solvere, idque petebat* Augustinus *cum Alypio et Samsucio episcopis; sed renuebat Severus, Timotheumque sibi mitti volebat. Itaque, quod unum superaat concordiæ remedium, induxit Carcedonium* Augustinus, *ut patienter ferret dimitti Timotheum, ipsumque re vera misit ad Severum, suaviter tamen et fortiter eumdem monens, ut coram Deo dispiceret, an ipsum posset retinere cum jactura disciplinæ ecclesiasticæ. Hæc omnia ex laudatis epistolis clare eruuntur. At ipsa epistolarum verba subjungemus, ut dicta nostra confirmentur, et mira Sancti lenitas cum prudentia pari conjuncta magis elucescat.* F

petit Sanctus, ut Severus Timotheum jurisjurandi religione liberet;

563 *In epistola 241, ubi se et Carcedonium presbyterum de quibusdam excusaverat, dixeratque se quædam perperam facta* partim objurgando, partim monendo, partim orando *correxisse; rogat Severum ut jurisjurandi religione liberet Timotheum his verbis:* Memoratus filius noster Timotheus vehementissime perturbatus, quod dubietatem tam inopinatam invitissimus senserit: indicavit nobis, quod cum ageres cum illo, ut apud Subsanam Deo serviret, crupit et juravit, a te omnino non recessurum. Cumque ejus voluntatem requireremus, respondit se hac juratione impediri, quo minus ibi esset, ubi eum esse etiam antea volebamus: cum jam præsertim de suæ libertatis manifestatione securus sit. Cumque illi aperuissemus non eum futurum perjurii reum, si non per ipsum, sed per te fieret, ut propter vitandum scandalum tecum esse non posset, quandoquidem non de tua voluntate, sed de sua jurare potuerit, nec te sibi vicissim aliquid jurare confessus sit: ad extremum dixit, quod servum Dei Ecclesiæ filium dicere oportebat, quidquid nobis cum tua sanctitate de illo fieri placuisset, id se

A se sine dubio secuturum. Proinde petimus, et per charitatem Christi obsecramus prudentiam tuam, ut omnium, quæ locuti sumus, memineris, et rescriptis tuis nos lætifices. Debemus enim nos firmiores (si tamen inter tanta tentationum pericula dicere hoc audendum est) sicut ait apostolus, infirmorum onera sustinere. Frater Timotheus ideo non scripsit sanctitati tuæ, quia omnia, quæ gesta sunt, sanctus frater tuus significavit.

quod cum ille detrectaret, querelas ingerens, Augustinus

564 *Renuit Severus facere, quod petierat* Augustinus, *quamvis æquissimum id videri possit cuivis rem recte consideranti: quin et ad querelas delapsus est, injuriam sibi fieri dictitans, contendensque non solum fuisse dolendum de ordinatione Timothei, sed illum omnino fuisse restituendum. Reposuit ad hæc* Augustinus *epistolam* 240, *qua se ita excusat, ut sæpius probet male agere Severum, quod Timotheum exigeret, et clare ostendat, in toto illo negotio nihil a se peccatum, ac tandem mira simul suavitate atque energia inducere conetur Severum, ne, quem ejus arbitrio permittebat, retinere audeat Timotheum.* Si dicam, *inquit*, quæ me ipsa causa cogit dicere, B ubi erit sollicitudo charitatis? si autem non dicam, ubi erit libertas amicitiæ? Verumtamen fluctuans interim, elegi me purgare potius, quam te arguere. Scripsisti te mirari, nos cum dolore nostro tolerare voluisse, quod correctione emendari potuisset: quasi non sint dolenda, quæ male facta sunt, etiamsi, quantum possunt, postea corriguntur: aut non id maxime tolerandum sit, quod cum manifestum sit perperam factum, fieri non possit infectum. Desine itaque mirari, frater sincerissime. Nam ordinatus est apud Subsanam subdiaconus Timotheus, præter meum consilium et voluntatem: cum quid de illo agendum esset, adhuc inter nostras alternas sententias deliberatio nutaret. Ecce adhuc doleo, quamvis jam ad te redieret, in quo nos tuæ voluntati paruisse non pœnitet. Audi etiam quid objurgando, quid monendo, quid orando correxerimus, et antequam hinc esset profectus: ne adhuc propterea videatur tibi nihil a nobis tunc fuisse correctum, quia nondum ad vos ipse redierat.

pacis gratia remittit Timotheum,

565 *Exponit deinde quam serio reprehendisset omnes, qui in hoc facto peccaverant; illique culpam suam essent confessi, ut ibi videri poterit.* C *Tum subdit:* Monendo autem correximus primo omnes, ut deinceps talia non auderent, ne iram Dei experirentur: deinde præcipue Timotheum, qui sola juratione se cogi dicebat ad tuam pergere charitatem, ut si sanctitas tua, quod fore sperabamus, considerans, quæ simul locuti fuerimus, propter infirmorum scandalum, pro quibus Christus mortuus est, et propter Ecclesiæ disciplinam, quam periculose negligunt, quoniam hic jam lector esse cœperat, nolles eum esse tecum, jam liber a vinculo jurationis, æquissimo animo Deo serviret, cui sumus rationem nostrorum actuum reddituri. Ipsum quoque fratrem Carcedonium, quantum potuimus, monendo ad hoc perduxeramus, ut etiam ipse patientissime acciperet, quidquid de illo fieri, conservandæ ecclesiasticæ disciplinæ provisio et necessitas cogeret. Orando autem correxeramus nosipsos, ut et gubernationes et exitus nostrorum consiliorum misericordiæ Dei commendaremus, et si quid indignationis nos momorderat, sub illius medicinalem dexteram confugiendo sanaremur. Ecce quam multa, partim objurgando, partim monendo, partim orando correxeramus.

566 Et nunc considerantes vinculum charitatis, ut non possideamur a satana, non enim ignoramus mentes ejus: quid aliud facere debuimus nisi obtemperare voluntati tuæ, qui non putasti, quod factum est, corrigi potuisse, nisi ipse, in quo tibi injuriam factam esse conquereris, juri tuo redderetur? Hoc etiam frater ipse Carcedonius, quamvis non post levem animi turbationem, de qua peto ut ores pro illo, tamen Christum in te cogitans, æquanimiter fecit. Et cum adhuc ego, utrum apud nos remorante Timotheo, alias ad tuam germanitatem litteras mitterem, cogitandum putarem, veritus est ipse paternam commonitionem tuam, et præcidit deliberationem meam, non solum sinens, sed etiam instans, ut tibi Timotheus redderetur. Ego autem, frater Severe, causam meam judicio tuo dimitto. Certus sum enim Christum habitare in corde tuo: per quem te obsecro, ut ipsum consulas, tuæ menti sibi subditæ præsidentem: utrum homo, qui in ecclesia meæ dispensationi credita jam legere cœperat, et non semel, sed iterum et tertio, apud Subsanam et presbytero Subsanensis ecclesiæ comitatus, et apud Turres, et apud Cizan, et apud Verbalis legerat, non fuisse lector possit aut debeat judicari. E

AUCTORE J. S. sed graviter hortatur Severum,

ne illum retineat contra disciplinam Ecclesiæ.

567 *Non meminit Sanctus concilii Milevitani, quod celebratum est anno* 402, vi *Kalendas Septembris, ut est apud Labbeum tom.* 2, *col.* 1100, *et in quo col.* 1104, *can.* 90 *statutum est*, ut quicumque in ecclesia vel semel legerit, ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur. *Hinc Tillemontius art.* 140 *recte colligit, ante Milevitanum concilium contigisse litem hanc, et verosimiliter occasionem præbuisse condendi dictum canonem. Suspicatur idem, non retentum a Severo Timotheum: quod et mihi verisimile est, nisi deinde* Augustinus *forsan contentus fuerit voluntate Severi, ipsum restituere volentis. Verum, quidquid de his fuerit, Sanctus gravi adhortatione concludit laudatam epistolam.* Et sicut nos, *inquit*, quod postea nobis invitis factum est, Deo jubente correximus: sic et tu, quod prius te nesciente factum est, eodem jubente similiter corrige. Neque enim vereor, ne tu parum intelligas, quantus aditus aperitur ad dissolvendum ordinem ecclesiasticæ disciplinæ, si alterius ecclesiæ clericus cuicumque juraverit, quod ab ipso non sit recessurus, eum secum esse permittat, ideo F se facere affirmans, ne author sit ejus perjurii; cum profecto, qui hoc non sinet, nec illum apud ipsum remanere permittet; quia de se, non de altero, jurare potuit, ipse pacificam regulam sine aliqua reprehensione custodiat. *Sic Sanctus libera æque ac amica monitione cupiebat disciplinam servare illæsam, dum amico cedebat, ne scandalum generaretur, aut amicitia quid detrimenti acciperet.*

Mira Augustini etiam post hanc litem amicitia ex litteris Severi,

568 *Porro illorum amicitiam deinde perseverasse, ac plane fuisse eximiam, colligimus ex litteris utriusque post aliquot annos datis, quibus nihil potest esse tenerius. Consule* 37 *Severi, cujus partem recitabimus, ut simul intelligatur, quanti faceret Severus* Augustini *scripta:* Deo gratias, *inquit*, frater Augustine, cujus donum est, quidquid in nobis bonorum gaudiorum est. Fateor, bene mihi tecum est, multum te lego: mirum dicam, sed verum plane, quam mihi absens solet esse præsentia, tam præsens facta est absentia tui. Nullæ se nobis interponunt turbulentæ actiones temporalium rerum. Ago quantum possum, etsi non tantum possum quantum volo: quid ego dicam, quantum volo? nosti optime quam

AUCTORE J. S.

quam averus sim tui: nec tamen murmuro, quia non tantum ago, quantum volo, quoniam rursus non minus ago, quantum possum. Deo ergo gratias, frater dulcissime, bene mihi tecum est, gaudeo tecum artius conjunctus: et ut ita dicam, uuissime quantum potest adhærens tibi, redundantiam uberum tuorum suscipiens vires comparo, si possim idoneus effici ad ea concutienda et exprimenda: ut quidquid secretius et interius clausum custodiunt, remotis pellibus, quas adhuc latenti sugendas inserunt, ipsa mihi viscera si possibile est, dignentur effundere. Viscera, inquam, mihi ut refundantur cupio: viscera tua, viscera pinguia sagina cœlesti, et condita omni dulcedine spiritali: viscera tua, viscera pura, viscera simplicia, uisi quod duplici sunt vinculo redimita geminæ charitatis: viscera tua, viscera perfusa lumine veritatis, et refulgentia veritatem. Horum me manatioui vel resultatioui subjicio, quo nox mea in lumine tuo deficiat, ut in diei claritate simul ambulare possimus.

quibus amicissime respondet Augustinus,

569 *Hisce amicissime respondit* Augustinus *per epistolam* 135, *in qua Severum amicum agnoscit* B *fidelem, ingeniose tamen et modeste ad laudes ab eo datas sic respondet:* Ecce mihi novam feci quæstionem, quam tu non proposuisti, et eam fortassis expectas ut solvam: ita mihi parum erat quod debitor eram, nisi etiam me ampliore debito ipse cumularem: quamquam hoc facile sit ostendere, et si non ostendam facile tibi videre, et vera infideliter dici posse, et non vera fideliter. Qui enim sic credit, ut loquitur, etsi non vera loquitur, fideliter loquitur: qui autem non credit, quæ loquitur, et si vera loquitur, infideliter loquitur. Numquid ergo dubito, quod ea de me credas, quæ scripsisti? Quæ cum in me non agnosco, potuisti fideliter de me non vera dicere: sed nolo te vel benevolentia sic falli, cui benevolentia debitor sum, quia et tam fideliter et tam benevole ea, quæ vera sunt, possum de te dicere, nisi, ut supra dixi, verecundiæ tuæ parcerem.

laudes tamen sibi datas ingeniose refellens.

570 Ego autem quando laudor a germanissimo et familiarissimo animæ meæ, velut a me ipso lauder, sic habeo. Quod cernis quam molestum sit, etiam vera si dicantur. Quanto potius quia etiam cum sis altera anima mea, imo una sit anima tua C et mea, sic in me falleris, putando mihi adesse, quæ desunt, quomodo et de se ipse unus homo falli potest? Quod non tam ideo nolo, ne, quem diligo, tu fallaris, verum etiam ne minus ores, ut sim, quod jam me esse credis: nec in eo sum tibi debitor, ut eadem progressu benevolentiæ credam et loquar de te bona, quæ adhuc et tu tibi deesse cognoscis, sed ut animo tam quidem benevolo ea tantum dicam bona tua, dona Dei, de quibus in te certus sum. Quod nou ideo non facio, ne fallar in eis, sed ne tu a me laudatus, ipse te laudasse videaris: et propter illam justitiæ regulam, quia mihi fieri nolo. Quod si fieri debet, eligo esse debitor, quamdiu puto nou esse faciendum. Si autem fieri non debet, nec debitor sum. *Plura de amicitia* Augustinum *inter et Severum tradit Tillemontius in* Augustino *art.* 141, *ubi et alia de Severo prosequitur.*

Concilium Milevitanum, cui adfuisse videtur Sanctus.

571 *Concilio Milevitano, quod habitum fuisse anno* 402 *jam diximus, interfuisse putamus* Augustinum, *tum quia fuit in Numidia, cujus provinciæ erat episcopus, tum quia laborasse videtur, ut exsecutioni mandaretur canon ibi statutus. In dicto concilio apud Labbeum col.* 1101 *sic statuitur:* De Maximiano autem Bagaiensi, et ad eum et ad ipsam plebem placuit de concilio litteras dari, ut et ipse ab episcopatu discedat, et illi sibi alium requirant. *Cessit Maximianus, eaque de causa laudatur ab* Augustino *epist.* 238, *qua cum Alypio simul hortatur fratrem Maximiani Castorium, qui cum ipso a Donatistis accesserat ad Ecclesiam Catholicam, ut episcopatum illum suscipiat. Pauca ex epistola accipe:* Retribuatur ei *(Maximiano)* pax æterna, quæ promissa est Ecclesiæ, qui intellexit sibi non expedire, quod paci non expediat Ecclesiæ. Tu vero, fili charissime, non mediocre gaudium nostrum, qui nulla tali necessitate a suscipiendo episcopatu impediris, decet indolem tuam in Christo in te dicare, quod dedit. Ingenium quippe tuum, prudentia, eloquentia, gravitas, sobrietas, et cætera, quibus oruantur mores tui, dona sunt Dei. Cui serviunt melius quam ei, a quo tributa sunt? Ne serviant huic sæculo, ne vanescant cum illo atque dispereant. *His subduntur similia. An autem episcopatum acceptarit Castorius, non omnino constat.*

§ XLII. Adest concilio Carthaginensi anno 404: scandalum ex Sancti monasterio ortum: objurgat discipulum quemdam episcopum: Concilium Carthaginense anni 407: Expositio epistolæ S. Jacobi: liber de Fide et operibus.

Adest Sanctus concilio Carthaginensi anni 404:

Apud Labbeum tom. 2 *Conciliorum col.* 1108 *concilium Carthaginense contra violentias Donatistarum habitum legitur, cui interfuit* S. Augustinus, *ut ex ipsis concilii decretis, si conferantur cum verbis* Augustini *relatis* § 31, *præsertim num.* 438 *et* 439, *facile colligitur, cum dicat:* Obtinuimus tamen, ut illud potius, quod dixi, ab imperatoribus peteretur; decretum est in concilio F nostro, legati ad comitatum missi sunt. *Dixerat autem petitum esse, ut lex Theodosii de mulcta hæreticorum renovaretur eo modo, quo id factum legitur in ipso concilio col.* 1109. *Itaque non modo huic concilio adfuit Sanctus, sed ejus quoque sententia ibidem prævaluit. Quin et litteras, quas concilii Patres scribendas decreverunt, ad* imperatores, *ad* eminentissimas potestates, *ad* judices, *ac demum ad* episcopum Romanæ Ecclesiæ, *per* Augustinum *scriptas existimo: Possidius enim in Indiculo has* Augustini *conjungit epistolas,* Innocentio Episcopo, Imperatoribus, Stiliconi, Præfectis Italiæ: *at illæ omnes exciderunt. Anno sequenti* 405 *aliud fuit concilium Carthagine habitum* x *Kalendas Septembris, ut videre est apud Labbeum col.* 1112. *Illi de more adfuisse* Augustinum *verisimile est; at decreta illius concilii interciderunt.*

scandalum excitatum in monasterio Sancti,

573 *Inter has curas, quibus perpetuo occupabatur Sanctus ad utilitatem Ecclesiæ, non defuerunt adversa aliqua, quibus et patientia ejus exerceretur, et humilitas, aliæque virtutes clarius elucescerent. Duo ex ipsius monasterio, alter presbyter Bonifacius, alter inferioris Ordinis, cui Spes erat nomen, invicem accusabant de impudicitia,*

A *pudicitia, et licet* Augustinus *conaretur efficere, ut accusatio maneret occulta, erupit tamen summo cum scandalo populi. Res tota narratur ab* Augustini *in epistola* 137, *data ad Hipponenses, ad medendum scandalo quod excitatum erat : illius quoque meminit in* 136 *ad Felicem et Hilarinum. Compendium accipe, ut verba epistolæ clarius deinde intelligantur. Bonifacius motum impudicum, ut dicebat, Spei senserat, et revelaverat* Augustino *Spes crimen regerit in Bonifacium, dicens se falso accusatum. Sanctus cum neutrum posset convincere, et de Spe male suspicaretur; Deo quidem permittebat judicium, Spem tamen promovere renuebat. Hic autem exacerbatus contendebat Bonifacium quoque ab officio presbyteratus removendum, in quod renuebat consentire Sanctus, innocentem credens. Mittuntur tandem ambo Nolam ad corpus sancti Felicis, ut Deus de eorum causa judicaret. At accusatio interim erumpit cum populi scandalo. Hinc* Augustinus *causam enarrare coactus est, quod facit laudata epistola* 137, *in qua præclare de scandalis disputat. Illa huc solum transferam, quæ ad* B *propositum nostrum videntur aptiora.*

ex mutua duorum accusatione,

574 *Ubi multa de scandalis erudite præmonuerat, causam exponere aggreditur* : Proinde, charissimi, in isto scandalo, quo de Bonifacio presbytero nonnulli perturbantur, non vobis dico ut non doleatis : qui enim ista non dolent, non est in eis charitas Christi : qui autem etiam de talibus gaudent, abundat in eis malignitas diaboli. Non quia in memorato presbytero apparuit aliquid, quod dignum damnatione judicaretur, sed quia duo de domo nostra talent habent causam, ut unus eorum sine dubio perditus habeatur, et sit alterius fama apud quosdam mala, apud quosdam dubia, etiamsi non sit maculata conscientia. Dolete ista, quoniam dolenda sunt. Non tamen sic, ut eo dolore vestra charitas a bene vivendo refrigescat, sed potius ad Dominum deprecandum inardescat, ut, si innocens est presbyter noster, quod magis credo, quia cum sensisset alterius motum impudicum et immundum, nec consentire voluit nec tacere, cito eum sua divina sententia manifestatum ministerio proprio repræsentet. Si autem male sibi conscius, quod suspicari non audeo, voluit alterius existimationem C lædere, cum ejus pudicitiam contaminare non posset, sicut dicit ipse, cum quo habet causam, non eum permittat suam occultare nequitiam, ut quod homines invenire non possunt, de quolibet eorum divino judicio propaletur. Cum enim ista me causa diu cruciasset, nec invenirem, quomodo unus e duobus convinceretur, quamvis magis presbytero credidissem : cogitaveram primo sic ambos Deo relinquere, donec in uno eorum, qui mihi suspectus erat, aliquid existeret, unde non sine justa et manifesta causa de nostro habitaculo projiceretur.

in qua quo se modo

575 Sed cum promoveri in clericatu, sive illic per me, sive alibi per litteras meas vehementissime conaretur, ego autem nullo modo adducerer ei homini, de quo tantum mali existimarem, manus ordinationis imponere, aut per commendationem meam alicui fratri meo eum subintroducere, turbulentius agere cœpit, ut si ipse in clericatu non promoveretur, nec presbyter Bonifacius in suo gradu esse permitteretur. In qua ejus provocatione cum viderem Bonifacium nolle quibuslibet infirmis, et ad suspicionem propensis, de suæ vitæ dubitatione scandalum fieri, paratumque esse honoris sui apud homines damnum perpeti potius, quam in ea contentione, in qua non posset ignorantibus, et dubitantibus vel ad male suspicandum proclivioribus suam demonstrare conscientiam, usque ad Ecclesiæ perturbationem inaniter progredi; elegi aliquid medium, ut certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se peregrinaturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cujusque conscientiam multo facilius aperirent, et ad confessionem vel pœna vel timore compellerent. Ubique quidem Deus est, et nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, et eum a veris adoratoribus in spiritu et veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet et coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum.

gesserit Sanctus,

576 *Deinde docet cur negotium voluisset occultum, et cur nomen Bonifacii noluisset ex numero presbyterorum delere, quod in epist.* 136 E *latius prosequitur. Ipsum rursus audi Sanctum epist.* 137 : Quapropter cum ego noluissem hunc gravissimum dolorem cordis mei vobis perferri in notitiam, ne vos atrociter et inaniter contristando turbarem, fortassis ideo Deus uoluit vos latere, ut nobiscum orationibus incumbatis, ut quod ipse in hac causa novit, nos autem nosse non possumus, etiam nobis manifestare dignetur. Nomen autem presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum ejus vel supprimere vel delere, ne divinæ potestati, sub cujus examine causa adhuc pendet, facere viderer injuriam, si illius judicium meo vellem præjudicio prævenire : quod nec in negociis secularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid audeant commutare. Et in episcoporum concilio constitutum est, nullum clericum, qui nondum convictus sit, suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. Bonifacius tamen hanc humilitatem suscepit, ut nec litteras acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quæreret, ut in eo loco, ubi ambo F ignoti sunt, circa ambos æqualitas servaretur. Et nunc, si vobis placet ut nomen ejus non recitetur, ne iis, qui ad Ecclesiam accedere nolunt, sicut ait apostolus, demus occasionem quærentibus occasionem, non erit nostrum hoc factum, sed eorum, quorum causa fuerit factum.

qui egregie refellit obtrectatores

577 *Multa his subjungit contra perversos alienæ famæ denigratores, Donatistas maxime designans, licet aliis etiam conveniant. Pauca accipe quæ et temporibus nostris sunt verissima* : Ad quid enim aliud sedent isti, et quid aliud captant, nisi ut quisquis episcopus vel clericus vel monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi cum aliqua maritata invenitur adulterata, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hos ergo de nostris doloribus suavitatem suæ malæ linguæ captantes, facile est ut illis canibus comparemus, si forte in malo intelligendi sunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui

AUCTORE J. S.

qui ante januam divitis jacebat, et quousque veniret ad requiem sinus Abrahæ, laboriosa et indigna omnia tolerabat.

ecclesiasticorum et monachorum.

578 *Demum Sanctus vere humilis reprehendit istos, qui ob lapsum Donatistarum gloriati fuerant, talia non fieri in* Augustini *monasterio, docetque nullam congregationem tam sanctam, in quo non reperiantur perversi :* Audio, *inquit*, nonnullos vestrum hinc amplius contristari, quam de lapsu duorum illorum diaconorum, qui ex parte Donati venerant, tamquam disciplinæ Proculiani *(episcopi Donatistarum)* insultaverint, velut gloriantes de nobis, quod ex nostra disciplina nihil tale in clericis extitisset. Quod quicumque fecistis, fateor vobis, non bene fecistis. Ecce docuit vos Deus, ut qui gloriatur, in Domino glorietur . . . . . Orate quidem pro me, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar. Verumtamen cum gloriamini, non in me, sed in Domino gloriemini. Quantumlibet enim vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noë, ubi tamen inter
B octo homines reprobus unus inventus est, . . aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt. . . Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, quæ oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur. *Ita sanctus Doctor. Quid autem de duobus istis innotuerit, aut contigerit, non constat. Reperitur quidem inter episcopos Africæ Bonifacius Cataquensis in Numidia deinde episcopus, quocum magno* Augustino *erat amicitia, ut ostendit Tillemontius pag.* 174 : *at incertum, an idem sit cum hoc Bonifacio presbytero, licet id satis appareat verisimile, ut agnoscit laudatus Tillemontius art.* 153.

Acriter objurgat Paulum episcopum discipulum suum :

579 *Dolorem quoque non modicum creavit Sancto alter discipulus, Paulus nomine, ad episcopatum evectus. Cataquensem fuisse episcopum putat Tillemontius art.* 163, *quod non omnino est certum. At cujuscumque fuerit sedis episcopus,* Augustinus *sancta libertate illum reprehendit in epistola* 216, *cujus partem subjungo :* Ut
C tibi non communicem, nulla causa est, nisi quia tibi adulari non possum. Tibi enim maxime debeo, quia in Christo Jesu per Euangelium ego te genui, salubrem mordacitatem charitatis veraciter objurgando. Nec ita gaudeo multos in Ecclesiam Catholicam, adjuvante Domino, per te esse collectos, ut non debeam plangere plures inde dispergi. Sic enim vulnerasti ecclesiam Hipponensem, ut nisi te Dominus omnibus curis et sarcinis secularibus expeditum, ad veram episcopalem vitam victumque revocaverit, tale vulnus sanari non possit. Cum autem tu magis magisque implicare te non cesses, ut etiam rebus, quibus renunciasti, te post renunciationem inserueris, quod nec apud humanas ipsas leges ullo modo defendi potest, et in ea professione vivere dicaris, cui frugalitas Ecclesiæ tuæ sufficere non possit : ut quid quæris communionem meam, cum audire numquam volueris admonitionem meam? An ut quidquid facis mihi imputent homines, quorum querelas sustinere non possum? Frustra autem suspicaris eos esse obtrectatores tuos, qui tibi semper et in vita priore adversati sunt. Non est ita, nec mirum, quod multa te latent. Sed etiam si hoc verum esset, nihil in tuis moribus invenire debuerunt, quod recte reprehenderent, et unde D
Ecclesiam blasphemarent. Adhuc me putas fortasse ideo ista dicere, quia non accepi satisfactionem tuam. Imo propterea dico, ne ipse non possim satis Deo facere de peccatis meis, si hæc tibi tacuero.

Interest verisimiliter Carthaginensi concilio anni 407,

580 *Anno* 407 *rursum Africani episcopi convenere in concilium, de quo apud Labbeum tom.* 2, *col.* 1113, *ubi habitum dicitur* gloriosissimis imperatoribus Honorio septimum et Theodosio secundum augustis consulibus, Idibus Juliis, Carthagine in basilica regionis secundæ. *Multa ibi statuta, quæ exhibet Labbeus. Cum autem Maurentio Tuburcicensi episcopo lis esset cum populo novæ Germaniæ, judicem causæ suæ, approbante concilio, cum aliis quinque elegit* Augustinum. *Sed de lite illa nihil occurrit præterea. Concilio interfuisse Sanctum verisimile est, licet hoc ibidem non exprimatur. Aliud rursus concilium fuit Carthagine anno* 408 ; *sed* Augustinus *illi non interfuit, ut ostendit Tillemontius art.* 175. *Nunc, omissis aliquot epistolis, in quibus non occurrunt res magni momenti, Opuscula subjungam, quæ* E
circa hæc tempora videntur conscripta, quantum colligi potest ex ordine, quem in suis referendis Sanctus ipse servavit.

exponit Epistolam S. Jacobi,

581 *Lib.* 2 *Retract. cap.* 32 *sic habet :* Inter Opuscula mea reperi Expositionem Epistolæ Jacobi apostoli, quam retractans adverti adnotationes potius expositorum quorumdam ejus locorum in librum redactas fratrum diligentia, qui eas in frontibus codicis esse noluerunt. Adjuvat ergo aliquid, nisi quod ipsam epistolam, quam legebamus, quando ista dictavi, non diligenter ex Græco habebamus interpretatam. Hic liber sic incipit : Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. *Laudat hoc Opusculum Cassiodorus de Institutione cap.* 8 *his verbis :* Sanctus quoque Augustinus Epistolam Jacobi apostoli solita diligentiæ suæ curiositate tractavit, quam vobis in membranaceo codice scriptam reliqui. *Verum non exstat hodie liber ille.*

scribit de Fide et operibus.

582 *Post hunc, interpositis tamen scriptis variis contra hæreticos, apud* Augustinum *cap.* 38 *sequitur alius liber, de quo sic meminit :* Interea missi sunt mihi a quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis scripta F
nonnulla, quæ ita distinguerent a bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est De fide et operibus. In quo disputavi non solum quemadmodum vivere debeant gratia Dei regenerati ; verum etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti. Hic liber sic incipit, Quibusdam videtur. *Exstat Opusculum istud tom.* 4 *Operum a pag.* 25, *in quo plura videri poterunt de erroribus, quos in eo oppugnavit Sanctus.*

§ XLIII.

A

§ XLIII. Scripta varia de Visione Dei : Dioscorum a vanis studiis deterret, Consentium errantem instruit : commercium litterarum cum S. Hieronymo.

Varia Sancti scripta

Uti sæpe consulebatur Sanctus de quæstionibus maxime diversis, et per epistolas ad varia respondebat, sic ad alia, tamquam aliena a professione sua, respondere detrectabat. Hic conjungam, quæ de Visione Dei variis locis sunt disputata. Epistola 9, *qua Italicam matronam Romanam consolatur de obitu mariti, de Visione Dei disputat, ac refellit opinionem illorum, qui putabant Deum videri oculis corporeis. Brevis hæc epistola occasionem præbuit longiori, quam inter libros suos numeravit ipse Sanctus lib.* 2
B *Retract. cap.* 41, *ubi sic habet :* De videndo Deo scripsi librum, ubi de spiritali corpore, quod erit in resurrectione Sanctorum, inquisitionem diligentiorem distuli, utrum vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur, sed eam postea quæstionem sane difficillimam in novissimo, id est in vicesimo et secundo libro de Civitate Dei, satis, quantum arbitror, explicavi. *Liber mox memoratus epistola Sancti* 112 *ad Paulinam, in qua cap.* 21 *de priori epistola sic meminit, ut satis pateat, ex illa occasionem natam longioris hujusce conscribendæ.*

de Visione Dei,

584 *Porro Sanctum in epistola* 112 *quæstionem propositam studiose pertractasse, declarat epistolæ initium hisce verbis conceptum :* Memor debiti, quod ex tua petitione, et mea promissione factum est, religiosa famula Dei Paulina, persolutionis quoque ejus negligens esse non debui. Cum enim petivisses, ut de invisibili Deo, utrum per oculos corporeos possit videri, prolixe aliquid copioseque ad te scriberem, negare non potui, ne sanctum tuum studium offenderem; sed promissum distuli, sive propter alias occupationes
C meas, sive quod a me id flagitaretur, unde aliquanto diutius cogitari oportebat. Sed cum tanta res esset, quæ cogitando non tam, quid de ea sentiendum dicendumve esset, quam quonam modo persuadendum iis, qui diversa sentirent, fieret difficilior, finem aliquando dilationi adhibendum putavi, sperans divinum adjutorium magis mihi scribenti quam differenti adfuturum.

quam oculis corporeis fieri posse negat :

585 *Aliud de eadem materia Opusculum Sanctus memorat post verba ex lib.* 2 *Retract. mox data, quibus hæc subjungit :* Inveni etiam in quodam nostro codice, in quo et iste liber est, quoddam commonitorium a me factum de hac re ad episcopum Sicensem Fortunatianum, quod in Opusculorum meorum indiculo, nec inter libros nec inter epistolas est nominatum. *Habemus hoc quoque Opusculum inter epistolas, quarum est* 111 *ad Fortunatianum. Occasio autem hujusce Opusculi eadem fuit, quæ præcedentis. Putat tamen Tillemontius art.* 228, *ex alia quapiam epistola offensionem natam, quæ huic occasionem dederit; quod illi consentire nequeo, cum omnia insinuent, epistolam* 6 *huic præbuisse occasionem : nam et sexta illa ad Italicam revera expressiones quasdam habet duriores, de quibus in hac* 111 *veniam petit Sanctus, et initium hujus contextum sextæ recte exponit iis verbis, quæ miram Sancti humilitatem simul declarabunt :* Sicut præsens rogavi, *inquit,* et nunc commoneo, ut fratrem nostrum, de quo collocuti sumus, videre et rogare digneris, ut ignoscat mihi, si quid durius et asperius in se dictum accepit in epistola, quam me illo modo scripsisse non pœnitet, quia dixi, istius corporis oculos nec videre Deum, nec esse visuros : causam quippe adjunxi, cur hoc dixerim, ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, et in loci spatio intervalloque visibilis. *Hæc dicta erant verbis paululum mutatis in epistola ad Italicam, et in hac auctoritate Scripturarum et Patrum confirmantur.*

AUCTORE J. S.

mira ejus humilitas, ob expressiones quasdam duriores

586 *Verum audi, quanto quamque humili studio Sanctus placare per Fortunatianum conatus sit offensum priori sua epistola episcopum, quam ingenue culpam qualemcumque suam non extenuare, sed exaggerare voluerit, ne charitas læderetur, aut, si malis, ut læsa repararetur :* In qua, *inquit epistola,* dum essem in admonendo sollicitus, quam nominibus tacitis conscripsi, in corripiendo nimius atque improvidus fui, nec fraternam et episcopalem personam sicut frater et E
episcopus, quemadmodum fuerat dignum, cogitavi : hoc non defendo, sed reprehendo : hoc non excuso, sed accuso. Ignoscatur peto, recordetur nostram dilectionem pristinam, et obliviscatur offensionem novam. Faciat certe, quod me non fecisse succensuit. Habeat lenitatem in danda venia, quam ego non habui in illa epistola conscribenda.

per alium

587 Hoc per tuam charitatem rogo, quod præsens præsentem rogare volueram, si ejus haberem copiam. Quod cum conatus essem, scribente ad eum viro venerabili, nobisque omnibus honore præferendo, venire noluit, dolum forsitan meum, sicut pleraque humana sunt, quantum existimo, suspicatus, a quo me longe abesse, tu ille fac fidem, quantum potes, qui præsens facilius potes. Indica ei cum quanto et quam vero dolore de offensione animi ejus tecum fuerim collocutus. Noverit quam non eum contemnam, et quantum in illo Deum timeam, et cogitem caput nostrum, in cujus corpore fratres sumus.

veniam flagitantis.

588 Ad locum in quo habitat ideo mihi putavi non esse veniendum, ne spectaculum faceremus ridendum alienis, nostris dolendum, nobis F
pudendum : per tuam sanctitatem et charitatem totum recte agi potest. Ab illo quippe agitur, qui per fidem suam habitat in corde tuo, quem credo, quod non spernit in te, eum agnoscit in se. Ego certe in hac causa quid melius facerem non inveni, quam ut veniam peterem a fratre, qui læsum se literarum mearum asperitate conquestus est. *Deinde sententiam suam erudite confirmat, et demum epistolam concludit hac obsecratione :* Nunc tamen per Christum obsecro, ut de illa asperitate literarum mearum, qua eum non immerito offensum esse didici, veniam mihi ab illo impetres, et me rescriptis, Domino adjuvante, lætifices. *Hæc Sancti humilitas serio considerata prodesse poterit Scriptoribus omnibus, ne bile nimia adversarios carpant, et, si id factum fuerit, injuriam reparent.*

Dioscorum curiosa quærentem Sanctus reprehendit ;

589 *Quemadmodum Sanctus, etiamsi occupatissimus esset, libenter respondebat ad interrogata etiam difficilia eorum, qui aliqua petebant ex pietate, aut ea, quæ ad salutem conducebant ; sic libere reprehendebat illos, qui curiosa tantum quærebant, ut inane scientiæ nomen aucuparentur. Testatur id luculenter epistola* 56, *qua respondet*

AUCTORE J. S.

spondet Dioscoro cuidam adolescenti Græco. Proposuerat ille Augustino *quæstiones multas philosophicas rhetoricasque : pro ratione autem, cur illas solvi cuperet, allegaverat hæc verba Epist.* 55 : Mores hominum non ignoratis, qui proclives sunt ad vituperandum, et quam, si interrogatus quis non responderit, indoctus et hebes putetur, vides. *Ad hæc verba cum pervenisset Sanctus, eaque in sua epistola* 56 *repetiisset, mira gravitate adolescentis vanitatem reprehendere incipiens, hæc subdit :* Hoc loco vero exarsi ad rescribendum tibi : hoc enim languore animi tui penetrasti mihi pectus, et irrupisti in curas meas, ut dissimulare non possem, quantum me Deus adjuvaret, mederi tibi, non ut de tuis quæstionibus enodandis explicandisque cogitarem, sed ut felicitatem tuam, pendentem ex linguis hominum atque nutantem, a tam infelici retinaculo abrumperem, et cuidam sedi omnino inconcussæ stabilique religarem. *Multa deinde subjungit, quibus hortatur ne curiosis quæstionibus auram captet popularem ; sed ea potius perdiscere studeat, quibus ad beatam vitam pertingere possit. Videri potest epistola integra, quæ admodum prolixa est,* B *multaque continet lectu dignissima ; at pauca ex iis, quæ interrogaverat Dioscorus.*

Consentium ex simplicitate errantem

590 *Iisdem fere temporibus ad* Augustinum, *tamquam ad commune oraculum, recurrit Consentius quidam, in insulis habitans, et eremiticam forsan ibidem vitam ducens. Scripserat ille Opuscula quædam, quibus errores inseruerat non leves, ut in epistolà sua fatetur, quæ* 221 *est inter Augustinianas. Monuerat ipsum de erroribus* Augustinus, *cui libros suos dederat corrigendos. Imo Sanctus paterna plane benevolentia ipsum ad se invitaverat, ut præsens præsentem instrueret, librosque suos illi legendos coram daret, quemadmodum verba ipsius mox recitanda docebunt. Accipe quid ad prædicta responderit Consentius vere humilis epist.* 221 : Unde confirmari me ex omnibus non solum præsentibus, sed etiam pleniori epistola velim. Neque enim fas est, ut nostri tantum pedes ab ista, in qua multi ingredimur, erroris via, te monente, revocentur. Cum enim multi in illis, in quibus habitamus, insulis, dum recto ad viam pergunt aggere, in tramitem hujus tortuosi erroris incurrerint, eritne aliquis il- C lic Augustinus, cujus authoritati cedant, cujus doctrinæ credant, cujus ingenio superentur? An forte ex illo paternitatis affectu mavis me occulta commonitione dirigere, quam velut comitem pravi itineris increpare? Sed mihi pro utilitate animæ magis, quam pro seculi laude currere cupienti, non est inutilis, ac proinde etiam non amara coargutio tua, maxime cum et mihi et cæteris vitam simul et laudem paritura sit. *Hisce similia præmiserat ac deinde subjicit.*

paterna benevolentia corrigit :

591 *Respondit igitur* Augustinus *per epistolam* 222 *bene longam ac doctrina theologica plenam, ex qua solum principium huc transfero, ut pateat quam benigne officia sua illi detulerit Sanctus :* Ego propterea, *inquit*, ut ad nos venires rogavi, quoniam in libris tuis valde sum tuo delectatus ingenio. Proinde volui, ut quædam nostra Opuscula, quæ arbitratus sum tibi esse necessaria, non procul a nobis positus, sed potius apud nos legeres, ut ea, quæ forte minus intellexisses, non difficulter præsens interrogares, atque ex nostra sermocinatione mutuoque colloquio, quantum Dominus et nobis promere, et tibi capere tribuisset, quod in libris tuis emendandum esset, ipse cognosceres, ipse emendares. Ejus quippe es facultatis, ut possis ea, quæ senseris, D explicare, ejus porro probitatis et humilitatis, ut merearis vera sentire. Et nunc in eadem sum, quæ nec tibi debet displicere, sententia. Unde te nuper admonui, ut in his, quæ a nobis elaborata apud te leges, signa facias ad ea loca, quæ te movent, et cum his ad me venias, et de singulis quæras. Nondum quæ fecisti, exhortor ut facias. Recte quippe verecundareris, ac te pigerêt id agere : si vel semel voluisses, et me difficilem reperisses. Illud quoque dixeram, cum a te audissem, quod mendosissimis fatigareris codicibus, ut in nostris legeres, quos emendatiores posses cæteris invenire. *Hisce adjungere possem epistolas, iisdem fere temporibus scriptas, sed cum illæ fere spectent ad curam pastoralem, de qua jam multa sunt relata, singulas non excutio ; at de commercio litterarum cum S. Hieronymo quædam adjungo.*

Epistolæ ad Hieronymum de anima, et de loco Jacobi :

592 *Possidius in Indiculo notat* sex *solum epistolas ad* S. Hieronymum, *quot etiamnum exstant, præter duas alias, quas Possidius æque ac* Augustinus *ipse inter libros numeravit, ut mox* E *videbimus. Attamen aliquæ haud dubie exciderunt. Porro acrem satis controversiam, sed quæ amicitiam auxerit potius quam extinxerit, inter duos hos Sanctos fuisse, dictum est* § 20 *: ubi et de aliis quibusdam epistolis facta est mentio. Duas igitur hic solum addo, quas libros vocatos dixi. Augustinus lib.* 2 *Retract. cap.* 45 *utramque sic memorat :* Scripsi etiam duos libros ad Hieronymum presbyterum sedentem in Bethleem, unum de Origine animæ hominis : alterum de Sententia Jacobi apostoli, ubi ait : Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus : de utroque consulens eum. Sed in illo priore quæstionem, quam proposui, ipse non solvi, in posteriore autem, quod mihi de illa solvenda videretur, ipse non tacui. Sed utrum hoc approbaret etiam ille, consului. Rescripsit autem, laudans camdem consultationem meam, sibi tamen ad rescribendum otium non esse respondit. Ego vero quousque esset in corpore, hos libros edere nolui, ne forte responderet aliquando, et cum ipsa responsione ejus potius ederentur. Illo autem defuncto, ad hoc edidi priorem, ut qui leget admoneatur, aut non quærere omnino, quomodo detur anima nascentibus, aut cer- F te de re obscurissima eam solutionem quæstionis hujus admittere, quæ contraria non sit apertissimis rebus, quas de originali peccato fides Catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo, sine dubitatione damnandis. Posteriorem vero ad hoc, ut quæstionis, de qua ibi agitur, etiam, quæ nobis visa est, solutio ipsa noscatur. Hoc opus sic incipit : Dominum nostrum qui vos vocavit.

seu libri potius, quos ejus judicio modeste subjicit :

593 *Habemus illa Opuscula inter epistolas, quarum sunt* 28 *et* 29. *In priori autem sic præfatur Sanctus :* Deum nostrum, qui nos vocavit in suum regnum et gloriam, et rogavi et rogo, ut hoc, quod ad te scribo, sancte frater Hieronyme, consulens te de his, quæ nescio, fructuosum esse nobis velis. Quamquam enim te multo quam ego sum ætate majorem, tamen etiam ipse jam senex consulo : sed ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest ; quia etsi senes magis decet docere quam discere, magis tamen discere quam quid doceant ignorare. Nihil equidem molestius fero in omnibus angustiis meis, quas patior in difficillimis quæstionibus, quam in tam longinqua tuæ charitatis absentia, ut vix possim

A possim meas dare vel recipere litteras tuas, per intervalla, non dierum, non mensium, sed aliquot annorum: cum, si fieri posset, quotidie præsentem te haberc vellem, cum quo loquerer, quidquid vellem. Nec ideo tamen non debui facere, quod potui, si non potui totum, quod volui. Ecce venit ad me religiosus juvenis, Catholica pace frater, ætate filius, honore compresbyter noster Orosius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, utile vas in domo Domini esse desiderans, ad refellendas falsas perniciosasque doctrinas, quæ animas Hispanorum multo infelicius quam corpora barbaricus gladius trucidarunt. Nam inde ad nos usque ab Oceani littore properavit, fama excitus, quod a me posset de his, quæ scire vellet, quidquid vellet audire. Neque nullum cepit adventus sui fructum: primo ne de me multum famæ crederet. Deinde docui hominem, quod potui: quod autem non potui, unde discere posset, admonui, atque, ut ad te iret, hortatus sum. Qua in re consilium vel præceptum meum, cum libenter B et obedienter acciperet, rogavi eum, abs te veniens, per nos ad propria remearet. Quam ejus pollicitationem tenens, occasionem mihi credidi a Domino esse concessam, qua tibi scriberem de his, quæ per te scire cupio.

hic amica responsione de iis judicare renuit :

594 *Hæc abunde ostendunt quanti* Augustinus *fecerit Hieronymum. Quanti vicissim Hieronymus æstimaverit* Augustinum, *ejus responsoria, quæ inter epistolas Hieronymi est* 94, *manifestum faciet. Initium accipe laudatæ epistolæ, quam idem Orosius ad* Augustinum *pertulisse videtur.* Virum honorabilem, *inquit*, fratrem meum, filium dignationis tuæ Orosium presbyterum, et sui merito, et te jubente suscepi. Sed incidit tempus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit, quam loqui; ita ut nostra studia cessarent, et juxta Appium, canina exerceretur facundia: itaque duobus libellis tuis, quos meo nomini dedicasti, eruditissimis et omni eloquentiæ splendore fulgentibus, respondere non potui: non quod quidquam in illis reprehendendum putem: sed quia juxta Apostolum, unusquisque in suo sensu abundet, alius quidem sic, alius autem sic. Certe quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est: sed quæso reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium: C nos enim inter nos eruditionis causa disserimus. Cæterum æmuli, et maxime hæretici, si diversas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certe in dialogo, quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum.

quanti Augustinum faceret Hieronymus,

595 *Verba ipsa Hieronymi, quorum hic meminit, ex Dialogo contra Pelagianos lib. 3 cap. 6 lubet huic loco attexere, quæ hujusmodi sunt:* Scripsit dudum Vir sanctus et eloquens, episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclyanæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, per quam vultis asserere baptizari infantes, non in remissionem peccatorum, sed in regnum cœlorum: juxta illud quod scriptum est in Evangelio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum. Tertium quoque ad eumdem Marcellinum contra eos, qui dicunt idem, quod vos, posse hominem sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia. Et quartum nuper ad Hilarium contra doctrinam tuam, multa perversa fingentem. Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: In silvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora.

maxime post confutatos ab ipso Pelagianos.

596 *Addo epistolam Hieronymi* 80, *qua Augustino gratulatur victoriam de Pelagianis relatam, suumque in eum amorem declarat hoc modo:* Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo, quo decet, honore veneratus sum, et habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem: et nunc si fieri potest, cumulo aliquid addimus, et plene complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti. Maluisti, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus commorari. Scit, quid dicam, prudentia tua. Macte virtute, in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt; et quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, et me pari persequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant. Incolumem, et mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, Domine venerande beatissime Papa. *Idem Hieronymus epist. suam* 79 Augustino *et Alypio eumdem fere in finem scribit, et alia quædam adjungit. Pauca accipe, ut concludam litterarum commercium inter laudatos Sanctos, quæ veram eorum amicitiam ostendunt.* Mihi, *inquit*, omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ Reverentiæ; testem invocans Deum, quod si possit fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer, semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maxime, quia cooperatoribus et auctoribus vobis, hæresis Cælestiana jugulata est: quæ ita infecit corda multorum, ut cum superatos damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium non omittant; et quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæresecos perdidisse. *Hæc serius scripta ob rerum connexionem hic conjunxi: at nunc ad anteriora regredior.*

§ XLIV. Veniunt in Africam Albina, Pinianus, et S. Melania, Romani nobilissimi: quid Augustino Piniani occasione acciderit.

Pinianus, Albina, et Melania junior Tagastam veniunt :

Occasione Romæ ab Alarico Gothorum rege Ariano obsessæ ac demum interceptæ, quod factum anno 410 *affigunt alii, alii* 409, *multi nobiles viri et mulieres alio se receperunt, ex quibus in Africam venerunt aliqui præ ceteris illustres, videlicet Pinianus cum uxore sua S. Melania juniore, et Albina Melaniæ matre. Reliquerant illi Romam, omnemque seculi splendorem, suadente id seniore Melania, ut pluribus exponit Tillemontius tom.* 10 *Monumentorum in Melania seniore, et tom.* 14 *in S. Melania juniore. De hac agetur in Opere nostro ad* XXXI *Decembris, quo colitur: an senioris item memoria celebretur,*

AUCTORE J. S.

celebretur, disquiri poterit suo loco. Hic autem explicandum est, quid cum personis illis, pietate non minus quam genere illustribus, egerit S. Augustinus, *ad quem visendum Tagastam usque excurrerant. Fuerat antea apud* Augustinum *Melania senior, ut colligitur ex epistola Paulini, inter Augustinianas* 249, *ubi de ea ad Sanctum nostrum meminit his verbis :* Quia docuisti me in spiritu veritatis salvare moderandi in occiduis mortalibus animi temperamentum, quo et illam beatam matrem et aviam Melaniam flevisse carnalem obitum unici filii taciturno quidem luctu, non tamen sicco a maternis lacrymis dolore vidisti. *Hisce plura addit in laudem Melaniæ; sed ad juniorem hujus neptem, ejusque conjugem Pinianum et Albinam regredior, qui circa annum* 411 *advenerunt Tagastam.*

illos invisere cupit Sanctus,

598 *Cupiebat quam maxime* Augustinus *Tagastam excurrere, ut personas adeo amicas ac tanta pietate præstantes inviseret; at impediebatur partim hiemis asperitate, quam valetudo ejus non ferebat, partim Hipponensium suorum necessitate, quos necdum sustinebat deserere. Ut* B *ergo se excusaret, scripsit epistolam* 227, *quæ, licet in antiquis editionibus inscribatur* Albino, Piniano, et Meliano, *data fuit ad Albinam, Pinianum, et Melaniam, quibus etiam inscripta legitur apud Benedictinos, ex auctoritate Possidii in Indiculo cap. 7, et Ms. vetustissimi, poniturque ibidem* 124. *Illam totam ad dictorum confirmationem subjicio :* Cum habitu valetudinis vel natura frigus ferre non possim, numquam tamen majores æstus quam ista hyeme tam horrenda perpeti potui : quod ad vos, ad quos volatu maria transeunda fuerant, tam in proximo constitutos, tam de longinquo visendi nos gratia venientes, non dicam pergere, sed volare non potui : et forte sanctitas vestra eamdem hyemalem asperitatem pœnæ meæ tantum causam putaverit. Absit charissimi. Quid enim grave ac molestum, vel etiam periculosum habent imbres isti, quod non mihi subeundum ac ferendum fuit, ut ad vos venirem, tanta in tantis malis nostris solatia, in hac generatione tortuosa ac perversa, tam ardenter accensa de summo lumine lumina, suscepta humilitate sublimia, et contempta clariora? Simul etiam frueretur carnalis pa- C triæ meæ tam spirituali felicitate, quæ vos etiam præsentes habere meruit : de quibus absentibus, cum id, quod nati estis, et quod gratia Christi facti estis, audiret; quamvis charitate crederet, tamen ne non crederetur, narrare forsitan verebatur.

sed impeditus litteris se excusat :

599 Dicam igitur, quare non venerim, et quibus malis a tanto bono impeditus sim : ut non solum a vobis veniam, sed etiam vestris orationibus ab illo, qui in vobis, quod ei vivitis, operatur, merear misericordiam. Populus Hipponensis, cui me Dominus servum dedit, cum ex magna, et pene ex omni parte ita infirmus sit, ut pressura etiam levioris tribulationis possit graviter ægrotare, nunc tam magna tribulatione cæditur, ut etiam, si non sic esset infirmus, vix eam cum aliqua salute animi sustineret. Eum autem modo, cum regressus sum, periculosissime scandalizatum comperi de absentia mea : vestris autem, de quorum spirituali robore gaudemus in Domino, sanis utique faucibus, sapit quomodo dictum sit : Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Præsertim quoniam multi sunt hic, qui detrahendo nobis cæterorum animos, a quibus diligi videmur, adversus nos perturbare conantur, D ut locum in eis diabolo faciant. Cum autem irascuntur nobis, de quorum salute satagimus, magnum illis consilium vindicandi, est libido moriendi, non in corpore, sed in corde: ubi funus occulte prius suo putore sentitur, quam nostra cogitatione prospicitur. Huic meæ sollicitudini procul dubio libenter ignoscitis : præsertim quoniam si succenseretis, et velletis ulcisci, nihil fortasse gravius inveniretis, quam id, quod patior, cum vos Tagastæ non video. Spero autem vestris adjutus orationibus, quod mihi ad vos, ubicumque in Africa fueritis, venire quantocyus concedetur, cum hoc, quo nunc detentus sum, præterierit : si hæc civitas, in qua laboramus, digna non est : quia nec ego audeo dignam putare, quæ nobiscum de vestra præsentia collætetur.

venit Hipponem Pinianus cum Melania et Alypio, acceptа ab Augustino promissione se non ordinandum :

600 *Ubi his litteris se excusaverat* S. Augustinus, *Pinianus Hipponem venit cum S. Melania, et S. Alypio Tagastensi episcopo, Albina tamen Tagastæ manente. Cum autem timeret Pinianus, ne forsan invitus cogeretur ab Hipponensibus acceptare gradum presbyteratus, ut ipsi acciderat* Augustino, *juramentum ab* Augustino *exegerat, se non ordinandum ab ipso invitum, et* E *promissionem insuper, sacerdotium sibi non suadendum ab eodem. Verumtamen illa cautela non impedivit, quominus gravissima ibidem oriretur perturbatio, quæ Sancto nostro magnam crearit invidiam. Binas hac de causa scripsit litteras* Augustinus, *in quibus rem totam enarravit; alteram nimirum ad S. Alypium, quæ* 224 *est, alteram* 225 *ad Albinam Piniani socrum, qua se magna modestia et charitate excusat, diluitque oblique in se detortam avaritiæ suspicionem, acsi voluisset violentiam illam Piniano inferri, ut vir ditissimus ac liberalissimus ecclesiæ suæ alligaretur. Excusat se quoque, sed minus operose, de contumeliosis vocibus, ea occasione contra Alypium ab Hipponensibus jactatis.*

in ecclesia a populo postulatur ad sacerdotium :

601 *At, priusquam hæc prosequamur, factam Piniano violentiam audiamus, ex epistola Sancti* 225. *Cum in ecclesia esset* Augustinus, *ibique eum Alypio et Melania adesset Pinianus, subito ingens exortus est populi clamor, postulantis, ut Pinianus ordinaretur presbyter.* Ego autem, *inquit Sanctus*, post primos eorum cla- F mores, cum eis dixissem de illo invito non ordinando, qua jam promissione detinerer : atque adjecissem, quod si, mea fide violata, illum haberent presbyterum, me episcopum non haberent, ad nostra subsellia, relicta turba, redieram. Tum illi aliquantulum inopinata mea responsione cunctati atque turbati, velut flamma vento paululum pressa, deinde cœperunt multo ardentius excitari, existimantes fieri posse, ut vel mihi extorqueretur illud non servare promissum, vel, me tenente promissi fidem, ab alio episcopo ordinaretur. Dicebam ego, quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores et graviores ascenderant, nec a promissi fide me posse dimoveri, nec ab alio episcopo in ecclesia mihi tradita, nisi me interrogato ac permittente, posse ordinari. Quod si permitterem, a fide nihilominus deviarem. Addebam etiam, nihil eos velle, si ordinaretur invitus, nisi ut ordinatus abscederet. Illi hoc posse fieri non credebant. Multitudo vero pro gradibus constituta, horrendo et perseverantissimo clamorum fremitu in eadem voluntate persistens, incertos animi consiliique faciebat.

602 Tunc

at repugnat populo tumultuanti Augustinus;

A 602 Tunc illa in fratrem meum indigna clamabantur, tunc a nobis graviora timebantur. Sed quamvis tanto motu populi et tanta perturbatione ecclesiæ permoverer, nec aliud constipationi illi dixissem, nisi eum me invitum ordinare non posse : nec sic tamen abductus sum, quia et hoc promiseram non me fuisse facturum, ut aliquid ei de suscipiendo presbyterio suaderem. Quod si persuadere potuissem, non jam ordinaretur invitus. Servavi utriusque promissionis fidem, non solum illius, quam jam populo patefeceram ; verum etiam illius, in qua uno teste, quantum ad homines attinet, detinebar. Servavi, inquam, fidem promissionis, non jurationis, in tanto periculo : quod licet falso, sicut postea comperimus, metuebatur, omnibus tamen, si quod esset, communiter impendebat, et erat metus ipse communis, ac per ecclesiam, in qua eramus, maxime metuens abscedere cogitabam. Sed metuendum fuit, ne magis me absente tale aliquid faceret et reverentia minor, et dolor ardentior. Deinde si cum fratre Alipio di- B scederem per populum constipatum, cavendum fuit, ne quisquam in eum manum mittere auderet. Si autem sine illo, quæ frons esset existimationis, si quid ei fortassis accideret : et viderer eum propterea deseruisse, ut furenti populo traderet ?

Pinianus vero, ut vim declinet, jurat populo, se Hippone mansurum

603 Inter hos æstus meos gravemque mærorem, et nullius consilii respirationem : ecce repente atque inopinate sanctus filius noster Pinianus mittit ad me servum Dei, qui mihi diceret, eum se velle populo jurare, quod si esset ordinatus invitus, ex Africa discederet : omnino, credo, existimans eos, quandoquidem pejerare non posset, non jam ulterius infructuosa perseverantia clamaturos, ad expellendum hinc hominem, quem saltem deberemus habere vicinum. Mihi autem quia videbatur vehementiorem eorum dolorem post hanc jurationem fuisse metuendum, apud me tacitus habui : et quia simul petierat, et ut ad eum venirem, non distuli. Cum mihi dixisset hoc ipsum, continuo et illud adjunxit eidem jurationi, quod mihi, dum ad eum pergo, per alium Dei servum mandaverat, de præsentia scilicet sua, si ei clericatus sarcinam nolenti nullus imponeret. Hic ego in tantis angustiis quasi aura spirante C recreatus, nihil ei respondi : sed ad fratrem Alipium gradu concitatiore perrexi, eique, quid dixerit, dixi. At ille, ut existimo, devitans ne quid se authore fieret, unde vos putabat offendi : Hinc me, inquit, nemo consulat. Quo audito, ad populum tumultuantem perrexi : factoque silentio, quid promissum esset, cum promissione etiam jurationis aperui.

et, si aliquando ordinari vellet, non alibi ordinandum;

604 Illi vero, qui solum ejus presbyterium cogitabant atque cupiebant, non ita, ut putabam, quod oblatum fuerat acceperunt : sed inter se aliquantulum mussitantes, petiverunt ut adderetur eidem promissioni atque jurationi, ut, si quando illi ad suscipiendum clericatum consentire placuisset, non nisi in ipsa Hipponensi ecclesia consentiret. Retuli ad eum : sine dubitatione annuit. Renunciavi illis, lætati sunt, et mox jurationem pollicitam poposcerunt. Reverti ad filium nostrum, eumque inveni fluctuantem, quibusnam verbis comprehendi posset illa cum juratione promissio, propter necessitates irruentes, quæ possent eum, ut abscederet, cogere. Simul etiam quid timeret ostendit, ne quis irruisset hostilis incursus, qui esset discessione vitandus. Volebat addi sancta Melania et aëris morbidi causationem : sed illius responsione reprehensa est. Ego autem dixi, gravem ab illo et non contemnendam causam necessitatis ingestam, quæ cives etiam emigrare compelleret. Sed si hæc populo dicerentur, timendum esse, ne male nos ominari videremur : si autem sub necessitatis nomine fieret excusatio, non nisi fraudulentam necessitatem putari. Placuit tamen ut de hac re populi animum experiremur, et nihil aliud quam id, quod putaveramus, invenimus. Nam cum ejus verba a diacono dicta recitarentur, et omnia placuissent : ubi nomen interpositæ necessitatis insonuit, continuo reclamatum est, promissioque displicuit, tumultu recrudescente, et nihil aliud quam fraude secum agi populo existimante.

descedit tamen postridie,

605 Quod cum sanctus filius noster vidisset, jussit inde auferri nomen necessitatis, rursumque ad lætitiam populus remeavit. Et cum lassitudinem excusarem, sine me ad plebem accedere noluit, simul accessimus. Dixit ei, quæ a diacono audita erant, se mandasse, se jurasse, eaque se esse facturum, continuoque omnia eo tenore, quo dictaverat, prosecutus est. Responsum est, Deo gratias : et petitum, ut totum scri- E ptum subscriberetur. Dimisimus catechumenos, continuoque scriptum subscripsit. Deinde peti cœpimus nos episcopi, non vocibus populi, sed tamen a populo per honestos fideles, ut nos quoque subscriberemus. At ubi cœpi subscribere, sancta Melania contradixit. Miratus sum, quare tam sero, quasi promissionem illam et jurationem nos, non subscribendo, facere possemus infectam : Sed tamen obtemperavi. Ac sic remansit mea non plena subscriptio, nec ultra nobis quisquam, ut subscriberemus, putavit instandum. Qui autem alio die, posteaquam ipsum discessisse dixerunt, fuerint motus vel linguæ hominum, quantum satis arbitratus sum, sanctitati vestræ per commonitorium intimare curavi. Quisquis itaque vobis contraria his, quæ narravi, forte narravit, aut mentitur, aut fallitur. Quædam enim, quæ mihi ad curam non pertinere visa sunt, prætermisisse me sentio, nulla tamen falsa dixisse. Proinde sanctus filius noster Pinianus, quod me præsente ac permittente juraverit, verum est : quod autem me præcipiente juraverit, falsum est. Scit ipse, sciunt servi Dei, quos ad me misit, primo sanctus Barnabas, deinde Timasius, per quem etiam de promissione præsentiæ suæ mihi mandavit. Ipse quo- F que populus ad presbyterium, non ad jusjurandum clamando cogebat : sed oblatum sibi non respuit, ea spe, quo posset in eodem apud nos habitante voluntas fieri, quo consentiret ad ordinationem, ne sicut juraverat, si invitus ordinaretur, abscederet.

non quia juramentum erat invalidum;

606 *Ex mox dictis intelligimus, Pinianum postridie Hippone discessisse, indeque ortam in populo Hipponensi turbationem. Baronius in Annalibus ad annum* 409 *num.* 23 *discessum Piniani interpretatur hoc modo :* Pinianus autem, quod quæ per vim et metum pollicitus esset, se obligatum minime teneri, probe sciret, sequenti die clam una cum suis Tagastam reversus est. *Hæc quidem vera sunt de promissione simplici ; at canonistæ et theologi passim docent, juramentum illi additum, licet injuria extortum sit, obligationem tamen inducere, donec illa relaxetur. Dubitabat quidem de obligatione S. Alypius : verum* Augustinus *ei sic respondet epist.* 224 *:* Nam quod scripsisti, de genere jurationis violenter extortæ, ut inter nos requiramus : obsecro te, ne res lucidissimas disputatio nostra faciat

AUCTORE J. S.

ciat obscuras. *Deinde pluribus probare conatur, ejusmodi juramento obligationem induci. Idem rursus probat in* 225 *ad Albinam, ubi quoque negat juramentum fuisse extortum, ita scribens :* Hæc dicerem, si vere a nobis, aut a populo juratio ei fuisset extorta promittendæ præsentiæ. Nunc vero non extorta est, dum negaretur ; sed, dum offerretur, accepta. *Et re vera directe extortum non erat jusjurandum ; sed illud elegerat Pinianus, ad se liberandum ordinationis aut mali cujuspiam timore.*

sed quia non tenebatur ita semper ibi manere, ut non liceret alio ad tempus discedere.

607 *Alia igitur erat ratio, cur Piniano licuisset discedere Hippone, animo tamen illuc redeundi, quod scilicet solum intendisset jurare se ibidem habitaturum ut civem, cui licitum est alio ire ad tempus. Hanc quoque rationem discessus allegarat Alypius, hanc probavit* Augustinus *epist.* 224 *sic ei respondens :* Illud sane rectissime dici non ambigo, non secundum verbum jurantis, sed secundum expectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri. Proinde quia Hipponenses sanctum Pinianum, non sicut damnatum, sed sicut charissimum inhabitatorem suæ civitatis habere voluerunt, etsi verbis ejus non satis comprehendi potuit, usque adeo tamen in promptu est, quid ab illo expectaverint, ut quod nunc post jurationem absens est, neminem moveat eorum, qui audire potuerunt, certa cum causa profecturum esse cum voluntate redeundi. Ac per hoc perjurus nec erit, nec ab eis putabitur, nisi eorum expectationem deceperit. . . Sicut ergo in Commonitorio rescripsisti, impleat promissum, quo ita se promisit ab Hippone non recessurum, quemadmodum ego vel ipsi Hipponenses non recedimus, quibus tamen et abeundi et redeundi facultas est libera. *Eadem fere repetit in epistola sequenti ad Albinam. An porro Pinianus redierit Hipponem, ibique aliquo tempore habitarit, incertum est ; sed constat ibidem non habitasse perpetuo, et nullo modo verisimile est, eum aliquid fecisse contra juramentum suum, ita ut omnino credendum videatur, eum juramenti obligatione liberatum fuisse vel per Hipponenses ipsos, adnitente* S. Augustino, *vel per legitimum superiorem ecclesiasticum, a quo facile obtineri potest hujusmodi jurisjurandi relaxatio.*

Quam solicite studuerit Sanctus offensionem tollere,

608 *Demum audire lubet, quam solicita charitate studuerit Sanctus placare personas nobilissimas ac piissimas, hoc facto non parum offensas. Scripsit in hunc finem utramque epistolam, jam sæpe laudatam. At satis erit ad propositum nostrum subjicere initium* 224 *ad Alypium :* Dolemus quidem graviter, *inquit,* nec fieri potest ut parvipendamus, quod in injurias sanctitatis tuæ populus Hipponensis tanta clamavit : sed multo gravius dolendum est, frater bone, talia de nobis existimari, quam illa clamari. Quando enim nos credimur cupiditate pecuniæ, non dilectione justitiæ, servos Dei velle retinere : nonne optandum est, ut, qui hoc credunt, occultum cordis sui voce testentur : ac sic aliqua, si fieri potest, tanto majora remedia requirantur, quam ut taciti pereant perniciosis suspicionibus venenati ? Quapropter magis satagendum est, unde etiam prius quam hoc fieret, locuti sumus, quomodo persuadeatur hominibus, quibus nos ad exemplum bonorum operum præbere præcipimur, falsum esse, quod suspicentur, quam quomodo arguendi sunt, qui suspiciones suas vocibus verbisque declarant. Proinde ego sanctæ Albinæ non succenseo, nec arguendam judico, sed a tali suspicione sanandum. Quæ, quia non in meam personam eadem verba dixerit, sed tamquam de Hipponensibus questa est, quod aperuerint cupiditatem suam, se non clericatus, sed pecuniæ causa hominem divitem, atque hujusmodi pecuniæ contemptorem et largitorem apud se tenere voluisse : tamen quod de nobis senserit ; pene clamavit. Nec ipsa tantum, verum etiam sancti filii ejus : qui hoc etiam ipsa die in abside dixerunt. Hos ergo, ut dixi, magis sanandos ab hujusmodi suspicionibus, quam propter has arguendos existimo. Ubi enim nobis a spinis talibus securitas et requies præparari vel præberi potest, si adversus nos in tam sanctis nobisque charissimis cordibus nostris pullulare potuere ?

quæ ex memorato facto erat orta.

609 De te quippe imperitum vulgus hoc sensit : de nobis lumina Ecclesiæ. Unde quid magis dolendum sit, vides. Utrumque autem non accusandum sentio, sed sanandum. Homines enim sunt, et de hominibus talia, licet falsa, non tamen incredibilia, suspicantur. Nam utique non usque adeo desipiunt tales homines, ut credant populum suam desiderare pecuniam : præsertim jam experti, quod nihil ex ea populus Tagastensis accepit : sic ergo et Hipponensis. Verum omnis hæc invidia non nisi in clericos æstuat, maximeque in episcopos, quorum videtur præeminere dominatus, qui uti fruique rebus ecclesiæ tamquam possessores et domini existimantur. Ad istam cupiditatem tam noxiam atque mortiferam, si fieri potest, mi Alipi, non ædificentur per nos infirmi. Recordare quid locuti fuerimus, antequam ista tentatio, quæ plus ad hoc cogit, accideret. Ex hoc potius conferendo, adjuvante Domino, providere conemur : nec nobis sufficiat nostra conscientia, quia non talis causa est, ubi debeat sola sufficere. Si enim servi Dei, non reprobi sumus, si aliquid viget in nobis illius igniculi, quo charitas non quærit quæ sua sunt : providere utique debemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne tranquillam aquam bibentes, in nostra conscientia pedibus incautis agere convincamur, ut oves Dominicæ turbidam bibant. *Hæc et plura hujusmodi Sanctus pari charitate et modestia. Ceterum amicitiam inter* Augustinum *et laudatas personas restitutam fuisse certum est : nam cum deinde in Palæstina cum Pelagio egissent, ut ipse errores suos* scripto damnaret, *eaque de re scripsissent ad sanctum Doctorem ; hic illis destinavit librum de Gratia Christi, cui sic præfatur :* Quantum de vestra corporali et maxime spiritali salute gaudeamus, sincerissimi fratres, dilecti a Deo Albine *, Piniane, et Melania, quia effari non possumus, vobis cogitandum credendumque committimus, ut ea, de quibus nos consuluistis, potius jam loquamur. *Deinde S. Hieronymus epist. sua* 79 *eorumdem nomine* Augustinum *salutat et Alypium.*

* lege Albina

§ XLV.

A

§ XLV. Epistola de Orando Deo ad Probam Faltoniam, liber de bono Viduitatis ad Julianam, Demetrias ad virginitatem inducta, Orosius ad Historiam scribendam instructus, Psalmorum expositio.

Illustres matronæ Romanæ Carthaginem appulsæ Sancto innotescunt;

Anno 411 Sanctus interfuit Collationi Carthaginensi, et sequenti anno Cirthensi concilio: verum de illis actum est § 32 et 33, dum gesta contra Donatistas sunt exposita. Ad alia itaque progrediendum. Venerat in Africam occasione Romæ captæ nobilissima femina Romana Proba Faltonia, trium consulum Probiui, Olibrii et Probi *mater, degebatque Carthagine cum Juliana Olibrii filii sui vidua, horumque filia Demetriade, dum ibidem fuit* S. Augustinus. *De pietate, divitiis ingentibus, nobilitateque insigni* B *illustrissimæ hujus matronæ plura dabit S. Hieronymus epist. 8, ex qua diximus hæc pauca. Mihi satis erit exposuisse, quid Sanctus noster præstiterit nobilissimis his feminis. Cognovit has ille primum per litteras; deinde etiam familiari congressu, ut ipse mox narrabit. Congressus autem ille primus verosimiliter contigit anno* 411, *dum Carthaginem profectus est Sanctus ad Collationem. Quantum porro singulæ* Augustini *verbis et monitis ad pietatem profecerint, docuit effectus: Proba enim per Sanctum instrui voluit, quo modo pie Deum oraret; Juliana de vita in viduitate recte instituenda; Demetrias vero, spretis mundi illecebris, inducta est ad virginitatem suam Deo consecrandam. Accipe singula.*

harum uni Probæ Faltoniæ scribit de Oratione,

611 *Implevit Probæ desiderium* Augustinus *per epistolam* 121, *qua de oratione præclara dat documenta, immiscens tamen non pauca de virtutibus aliis, quæ viduis magis sunt consentaneæ. Initium epistolæ huc transfero :* Et petiisse te, *inquit,* et promisisse me recolens, ut de orando Deo ad te aliquid scriberem, ubi tribuente ipso, quem oramus, tempus facultasque concessa est, oportuit ut debitum meum jam jam- C que persolverem, et pio studio tuo in Christi charitate servirem. Quam me autem lætificaverit ipsa petitio tua, in qua cognovi, quantam rei tantæ curam geris, verbis explicare non possum. Quod enim majus oportuit esse negocium viduitatis tuæ, quam persistere in oratione nocte ac die, secundum Apostoli admonitionem? Ille quippe ait : Quæ autem vere vidua est se desolata sperat in Domino, et persistit in oratione nocte ac die. Unde mirum videri potest, cum sis secundum hoc seculum nobilis, dives, tantæque familiæ mater : et ideo, licet vidua, non tamen desolata : quomodo occupaverit cor tuum præcipueque sibi vendicaverit orandi cura : nisi quia prudenter intelligis, quod in hoc mundo et in hac vita nulla anima possit esse secura. *Hisee alia quædam in hunc sensum, et plurima subjungit documenta, quæ legi poterunt in ipsa epistola, ac demum sub finem ejus orationibus modeste se commendat his verbis :* Sane memineritis et pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim sic nobis honorem, quem periculosum gerimus, deferatis, ut adjutorium, quod necessarium novimus, auferatis. A familia Christi oratum est pro Petro, oratum est pro Paulo, et vos in ejus familia esse gaudemus, et incomparabiliter plus quam Petrus et Paulus orationum fraternarum auxiliis indigemus.

AUCTORE J. S.

alteri Julianæ librum

612 *Prolixa hæc quidem epistola, inter epistolas tamen retenta. Verum quæ conscripta est ad preces Julianæ* de Bono viduitatis *epistola, nunc inter Sancti libros habetur tom. 4 Operum a pag.* 321. *Hujus quoque exordium subnecto, quod est hujusmodi :* Ne petitioni tuæ et in Christo dilectioni diutius essem debitor, promissionis meæ arripui utcumque inter alias urgentissimas occupationes meas de professione sanctæ viduitatis aliquid ad te scribere : quoniam et præsentem me rogando honorasti, et cum tibi hoc non potuissem negare, sæpe promissum meum litteris flagitasti. In quo sane opere nostro cum aliqua legeris ad tuam vel ad vestram, quæ simul in Christo vivitis, personam minime pertinere, nec admonitioni vitæ vestræ proprie necessaria, non ideo debetis superflua judicare. Istæ quippe litteræ quamvis ad te, non tamen tantummodo tibi scribendæ fuerunt. Sed ut aliis per te quoque prodessent, non utique a nobis negligendum fuit. Quidquid ergo hic inveneris, quod vobis E necessarium vel numquam fuerit, vel jam non sit, et tamen aliis esse perspexeris, nec habere te pigeat, nec dare legendum, ut et tua charitas sit utilitas aliorum. Cum igitur in omni quæstione, quæ ad vitam moresque pertinet, non sola doctrina, verum etiam exhortatio sit necessaria : ut doctrina quid agendum sit noverimus, exhortatione autem excitemur, ne pigeat agere, quod agendum esse jam novimus : quid ergo amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet sapere : sed sapiamus, ut ipse ait, ad temperantiam, sicut unicuimque Deus partitus est mensuram fidei. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi doctoris exponere, et de iis, quod Dominus dederit, disputare.

de Bono viduitatis,

613 *Sequitur deinde disputatio satis prolixa de variis ad viduas spectantibus, totumque Opusculum concludit his verbis :* Deinde obsecro vos per illum, a quo et hoc donum accepistis, et hujus doni præmia speratis, ut me quoque orationibus vestris memineritis inserere cum tota domestica vestra ecclesia. Ordinatissime quippe provenit, ut matri vestræ jam grandævæ de F oratione epistolam scriberem. Ad ipsam quippe maxime pertinet orando concertare pro vobis, quæ de se minus solicita est quam de vobis; et ut ad te potius quam ad illam hoc de continentia viduali Opusculum facerem, quia tibi superare adhuc restat, quod jam ætas illius superavit. Virgo autem sancta proles vestra, si aliquid de sua professione desiderat, ex laboribus nostris habet grandem librum de sancta Virginitate, quem legat. De quo legendo etiam te commonueram, quoniam multa continet, utrique necessaria castitati, hoc est, virginali atque viduali, quæ hic propterea partim tenuiter attigi, partim omnino prætermisi, quia ibi copiosius disputavi. Perseveres in gratia Christi. *Videmus Demetriadem virginem ipsamque Julianam mitti ad librum* Augusti de sancta Virginitate, *mentionemque hic fieri de epistola ad Probam mox laudata, ita ut certum sit hoc esse genuinum* Augustini *Opusculum, licet in Retractationibus omittatur; quod factum haud dubie, quia inter epistolas numerabatur a Sancto. Possidius quoque*

Indiculi

AUCTORE J. S

Indiculi cap. 7 *inter epistolas Sancti recenset et hoc et præcedens Opusculum.*

hujus filiam Demetriadem, ad virginitatem inductam, præmunit contra fraudes Pelagii :

614 *Julianæ filiam Demetriadem* Augustini *et Alypii hortationibus virginitatem nuptiis prætulisse, docet epistola* 143, *quam Sancti illi scripserunt ad Julianam matrem, ut virgo illa piissima præmuniretur contra fraudes Pelagii, qui ad Demetriadem scripserat. Scripta quidem est epistola Alipii æque ac* Augustini *nomine; at dubium non videtur, quin hic ejus sit auctor præcipuus. Accipe initium :* Grate admodum nobis jocundeque accidit, ut simul nos constitutos apud Hipponem tuæ reverentiæ litteræ reperirent, quibus hæc rescripta pariter redderemus, cognita vestra incolumitate gaudentes, vicissimque nostram, quam vobis charam esse confidimus, mutua dilectione nunciantes, domina debitis in Christo officiis honoranda et merito illustris filia. Scire autem vos optime scimus, quantum vobis debeamus religionis affectum, quantaque nobis et apud Deum et inter homines sit cura de vobis. Licet enim vos per litteras primum, deinde etiam præsentia corporali, pia et Catholica, hoc est vera membra Christi, exiguitas nostra cognoverit : tamen etiam per ministerium nostrum, cum accepissetis verbum auditus Dei, sicut dicit Apostolus, accepistis non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei. Cujus ministerii nostri adjuvante gratia et misericordia Salvatoris, in domo vestra tantus fructus exortus est, ut humanis nuptiis jam paratis, sancta Demetrias spiritalem Sponsi illius præferret amplexum, cui specioso præ filiis hominum ad habendam spiritus uberiorem fœcunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem virgines nubunt. Nesciremus autem quemadmodum nostra illa tunc exhortatio a fideli et nobili virgine fuisset accepta, nisi nobis profectis, cum post paululum professa fuisset sanctimoniam virginalem, hoc ingens Dei donum, quod per servos quidem suos plantat et rigat, sed per seipsum dat incrementum, nobis operariis provenisse, vestrarum litterarum lætissimo nuncio et veraci testimonio disceremus. *Reliqua omnia eo tendunt, ut fraudes Pelagianæ detegantur, et videntur a Demetriade ipsaque Juliana, ut lector ibidem perspicere poterit.*

gaudium suum testatur

615 *Quantopere autem gavisus sit* Augustinus, *ubi audierat ex litteris Probæ et Julianæ Demetriadem elegisse pro nuptiis virginitatem, luculenter ostendit epistola ejus* 179, *qua Probæ et Julianæ hac de re gratulatur. Illam, cum brevis sit, totam subjicio.* Implestis, *inquit,* gaudio cor nostrum tanto jucundius, quanto charius, tanto gratius, quanto citius. Vestræ namque stirpis sanctimoniam virginalem, quam, quacumque innotuistis, ac per hoc ubique, fama celeberrima prædicat, velocissimum volatum ejus fideliore atque certiore litterarum nuncio prævenistis, et prius nos fecistis exultare de cognito tam excellenti bono quam dubitare de audito. Quis verbis explicet? quis digno præconio prosequatur, quantum incomparabiliter gloriosius atque fructuosius habeat ex vestro sanguine feminas virgines Christus, quam viros consules mundus? Nam volumina temporum, si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare, quanto est majus atque præclarius cordis et corporis integritate transcendere?

de virginitate Demetriadis.

616 Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quod sit per divinum consortium præcipuam in cælis consecutura sublimitatem, quam si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosius quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quam multiplicare pariendo, et in carne jam imitari vitam angelorum, quam ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc est uberior fœcundiorque felicitas, non ventre gravescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere; non visceribus terram, sed cælum orationibus parturire. Dominarum honore dignissimæ filiæ, perfruamini in illa, quod defuit vobis, perseveret usque in finem, adhærens conjugio, quod non habet finem. Imitentur eam multæ famulæ dominam, ignobiles nobilem, fragiliter excelsæ excelsius humilem, virgines, quæ sibi optant Aniciorum claritatem, eligant sanctitatem. Illud enim quantalibet cupiditate quando assequentur? Hoc autem si plene cupierint, mox habebuut. Protegat vos incolumes et feliciores dextera Altissimi, dominæ honore dignissimæ et præstantissimæ filiæ; pignora sanctitatis vestræ præcipuæ ipsam sanctitatem præcipuam debito vestris meritis officio dilectione Domini salutamus. Velationis apophoretum gratissime accepimus. *Plura de illustribus hisce mulieribus memorant historici. Consule Tillemontium in* Augustino *art.* 235 *et sequentibus.*

Orosium ad scribendam historiam impellit,

617 *Circa annum* 415 *Paulus Orosius Hispanus presbyter venit in Africam, Sanctumque nostrum invisit, a quo benigne exceptus est, ut pluribus exponit Tillemontius in* Augustino *art.* 245 *et seqq. Scripta autem quædam Sancti ad preces Orosii contra Priscillianistas et Origenistas jam relata sunt* § 37. *Orosium vero deinde ab* Augustino *cum litteris missum ad S. Hieronymum, narravimus num.* 593. *Idem Orosius Historiam suam componere cœpit, hortante* Augustino, *et methodum præscribente talem, ut ora Paganorum, qui multa contra Catholicos garriebant ob Romam captam, illa historia non minus comprimerentur, quam Opere suo de Civitate Dei, quod eadem de causa exarabat. Audi Orosium in Præfatione Historiæ suæ :* Præceptis tuis parui, beatissime pater Augustine : atque utinam tam efficaciter quam libenter. Quamquam ego in utramvis partem parum de explicito movear, rectene an secus egerim : tu enim jam isto judicio laborasti, utrumne hoc, quod præciperes, possem : ego autem solius obedientiæ, si tamen eam voluntatem conatuque decoravi, testimonio contentus sum .... Nam cum subjectio mea præcepto Paternitatis tuæ factum debeat, totumque tuum sit, quod ex te ad te redit, Opus meum hoc solo meo cumulatius reddidi, quod libens feci.

modumque docet contra gentiles ustdem :

618 Præceperas mihi, ut adversus vaniloquam pravitatem eorum, qui alieni a Civitate Dei ex locorum agrestium compitis et pagis PAGANI vocantur, sive gentiles, quia terrena sapiunt; qui cum futura non quærant, præterita autem aut obliviscantur, aut nesciant, præsentia tantum tempora, veluti malis extra solitum infestissima, ob hoc solum, quod creditus Christus, et colitur Deus, idola autem minus coluntur, infamant : præceperas ergo, ut ex omnibus, qui haberi ad præsens possunt, historiarum atque annalium fastis, quæcumque aut bellis gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagisque grandinum sæva, vel etiam parricidiis flagitiisque misera, per transacta retro sæcula reperissem,

AUCTORE J. S.

A perissem, ordinato breviter voluminis textu explicarem : maxime cum Reverentiam tuam perficiendo adversum hos ipsos paganos undecimo libro insisteutem, . . . levi Opusculo occupari non oporteret... dedi operam *etc. Addit ibidem investigando se reperisse, præterita tempora non minus misera fuisse quam præsentia. In conclusione autem totius Historiæ quid agere conatus sit refert his verbis* : Explicui, adjuvante Christo, beatissime pater Augustine, ab initio mundi usque in præseutem diem, hoc est, per annos quinque M DCX et VIII* cupiditates et puuitiones hominum peccatorum, conflictationes sæculi, et judicia Dei, quam brevissime et quam simplicissime potui, Christianis tamen temporibus, propter præsentem magis Christi gratiam, ab illa incredulitatis confusione discretis. Ita jam ego certo et solo, quem concupiscere debui, obedientiæ meæ fructu fruor. De qualitate autem Opusculorum tu videris, qui præcepisti : tibi adjudicauda, si edas; per te judicata, si deleas.

* i. e. 5618

explicat Psalmos :

619 *Eodem fere tempore* S. Augustinus *incumbebat ad expositionem Psalmorum, ut colligitur* B *ex epistola* 102 *ad Evodium. Quippe recenset sub finem epistolæ varia Opuscula tunc composita, interque illa trium Psalmorum expositionem, et librum ad Orosium. Sub initium vero epistolæ de Psalmis explicatis sic habet* : Dictavi etiam trium Psalmorum expositionem non parvis voluminibus, sexagesimi septimi, septuagesimi primi, septuagesimi septimi. Reliqui nondum dictati neque tractati, vehementer a nobis expectantur atque flagitantur. Ab his me revocari et retardari irruentibus de transverso quibuslibet quæstionibus, nolo: ita ut nec libros de Trinitate; quos diu in manibus verso, nondumque complevi, modo attendere velim, quoniam nimis operosi sunt, et a paucis eos intelligi posse arbitror : unde magis urgent, quæ pluribus utilia fore speramus.

postremo expositus 118, et quare :

620 *Quo tempore absolverit Sanctus Psalmorum expositionem, examinabimus postea. Post ceteros omnes exposuit* 118, *cui sic præfatur* : Psalmos omnes ceteros, quos codicem Psalmorum novimus continere, quod Ecclesiæ consuetudine Psalterium nuncupatur, partim sermocinando in populis, partim dictando exposui, donante Domino, sicut potui : Psalmum vero centesimum octa- C vum decimum, non tam propter ejus notissimam longitudinem, quam propter altitudinem paucis cognoscibilem, differebam. Et cum molestissime ferrent fratres mei, ejus solius expositionem, quantum ad ejusdem corporis Psalmos pertinet, deesse Opusculis nostris, meque ad hoc solvendum debitum vehementer urgerent, diu petentibus jubentibusque non cessi : quia quotiescumque inde cogitare tentavi, semper vires nostræ intentionis excessit. Quanto enim videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet, ita ut etiam, quam sit profundus, demonstrare non possim. Aliorum quippe, qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa, tamen apparet obscuritas : hujus autem nec ipsa quoniam talem præbet superficiem, ut lectorem atque auditorem, non expositorem necessarium habere credatur. Et nunc quod tandem ad pertractationem ejus accedo, quid iu eo possim, prorsus ignoro : spero tamen, ut aliquid possim, affuturum atque adjuturum Deum. Sic enim feci de omnibus, quæcumque sufficienter, cum prius mihi ad intelligendum vel explicandum difficilia ac pene impossibilia viderentur, exposui. Statui autem per sermones id agere, qui proferuntur in populis, quos Græci ὁμιλίας vocant. Hoc enim justius esse arbitror, ut conventus ecclesiastici non fraudentur etiam Psalmi hujus intelligentia : cujus, ut aliorum, delectari assolent cantilena.

præfationes in expositionem Psalmorum non sunt Augustini.

621 *Porro de quibus psalmis ad populum dixerit, quos vero tantum scripto exposuerit, docet Indiculus Possidii post Vitam imprimendus. Cassiodorus præfatione in Psalterium mirifice commendat* Augustini *expositionem Psalmorum,* in qua, *inquit,* tanta erat copia congesta dictorum, ut retineri vix possit resectum, quod abunde videtur expositum. *Et inferius :* Est enim litterarum omnium Magister egregius; et, quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator. Decurrit quippe tamquam fons purissimus, uulla fæce pollutus; sed in integritate fidei perseverans, nescit hæreticis dare, unde se possint aliqua colluctatione defendere : totus Catholicus, totus orthodoxus invenitur; et in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens superni luminis claritate radiatur. *Triplex præfatio in editione Plantiniana Psalmorum expositioni præfigitur : at nulla ex his videtur esse* S. Augustini. *De prima eruditi consentiunt, scriptoris esse recentioris, idque* E *manifestum est, cum in ea Augustinus ipse citetur. Secunda olim* Augustino *attributa est ab ipso etiam auctore præfationis primæ. At testantur Benedictini editores, illam præfationem non repertam in omnibus Mss. ; adduntque in titulo :* Ipsa est Basilii ad ejus Commentarium in Psalmos præfatio ex interpretatione Rufini. *Basilii esse lector studiosus videbit, qui primum ejus in Psalmos homiliam pertegere voluerit. De tertia demum iidem editores monent sequentia :* In editis quidem antiquioribus Augustino tributa *est*, sed non in omnibus Mss. reperta, neque de Psalmorum auctore consentiens cum Augustini opinione in lib. XVII de Civitate Dei cap. XIV. *Quippe præfatio illa sic habet :* Non enim omnes Psalmi a David editi sunt... David ergo solus novem Psalmos ore proprio cecinit. *Examinat illam opinionem* Augustinus *lib.* 17 *de Civitate cap.* 14, *de eaque sic pronuntiat* : Mihi autem credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum quinquaginta Psalmos ejus Operi tribuunt : *quam sententiam rationibus confirmat. Itaque nec hæc præfatio* Augustini *dicenda est.* F *Plura de methodo, qua Psalmi expositi, et exemplaribus, quæ Sanctus est secutus, disputant Benedictini in præfatione sua.*

§ XLVI. Sanctus respondet ad quæsita Evodii : cura scribendi a duobus conciliis ipsi demandata, restringit curam litigantes audiendi : dicit ad populum et scribit in Evangelium et Epistolam S. Joannis ; scribit ad Dardanum librum de Præsentia Dei.

Sanctus de variis et difficilibus consultus,

Quamquam Augustinus *semper erat occupatissimus seu cura pastorali, seu libris utilissimis conscribendis, frequenter tamen interrumpere cogebatur Opera inchoata, ut responderet ad quæstiones, quæ undique mittebantur tamquam ad commune oraculum. Cupiebant omnes*

haurire

AUCTORE J. S.

haurire ex abundati illo scientiæ fonte; et ipse Sanctus tanta fervebat charitate, ut vix aliquid negare posset, cum utilia postulabuntur. Evodius Uzalensis episcopus, et antiquus Sancti amicus, præ ceteris varia quærebat et difficilia, ut videri potest ex epistola ejus 98 *et sequentibus* Augustini, *nimirum* 99, 100, 101, 102. *in quibus ad varia ejus interrogata respondet, ita tamen ut variis locis significet, nolle se quæstionibus difficilibus et curiosis ita occupari, ut utiliora intermittere cogeretur. Accipe initium epistolæ* 101, *qua simul docemur, quanta cura uteretur Sanctus, dum ad propositas quæstiones respondebat :* Multa quæris, *inquit,* ab homine multum occupato, et, quod est gravius, ea putas præcipitari debere dictando, quæ sunt tam difficilia, ut cum magna diligentia dictata vel scripta vix perduci possint ad intellectum etiam talium, qualis ipse es.

licet ad multa responderet, fugiebat tamen curiosa et minus utilia :

623 Huc accedit, quia non tu et tales tantummodo cogitandi estis lecturi esse, quod scribimus, sed utique et illi, qui minus acuto minusque exercitate ingenio præditi, eo tamen studio feruntur ad cognoscendas litteras nostras, sive amico sive inimico animo, ut eis subtrahi omnino non possint. Ista cogitanti cernis, quanta cu-
B ra in scribendo esse debeat, præsertim de rebus ita magnis, ut in eis et magni laboreut. Si autem cum aliquid in manibus habeo, intermittendum est et differendum, ut ad ea potius respondeatur, quæ supervenientia requiruntur, quid fiet, si etiam ipsis dum respondetur, alia supervenerint? Num placet, ut etiam his omissis illa suscipiantur, et semper priora fiant, quæ posteriora oboriuntur, eaque sola terminare contingat, quibus cum scribuntur non supervenerit aliquid, quod quæratur? quod ut mihi accidat, difficillimum est, sed non opinor tibi hoc placere. Non ergo debui alia interrumpere, cum tua supervenissent, sicut nec tua, si alia rursus irruerint, et tamen servare hanc justitiam non sinor. Nam ecce ut tibi hæc ipsa rescriberem, quibus id admonerem, intermisi quæ agebam, et animum meum ad hanc epistolam ab alia magna intentione detorsi Facile autem fuit hanc excusationem, ut arbitror, non iniquam, litteris inditam tibi remittere, respondere autem inquisitionibus tuis non ita facile est : et puto
C in ipsis Opusculis, quæ me nunc intentissimum detinent, non defutura quædam loca, ubi hæc ipsa expediam, quæ requiris, si Dominus faverit. *Epistolam vero* 102 *claudit verbis istis :* Hæc omnia *(tunc scripta)* si habere volueris, aliquem mitte, qui tibi cuncta describat. Me autem permitte his vacare quærendis atque dictandis, quæ quoniam multis sunt necessaria, præponenda esse arbitror ad valde paucos pertinentibus inquisitionibus tuis.

imposita ei scribendi provincia, restringere cupit tempus audiendi lites :

624 *Duo celebrata sunt anno* 416 *concilia contra Pelagianos, alterum Carthaginense, alterum Milevitanum. Huic interfuit* Augustinus, *ut videre est apud Labbeum tom.* 2, *col.* 1544 *in titulo epistolæ synodalis. Ad hæc autem concilia Baronius in Annalibus ad annum* 416 *num.* 15 *referenda putat, quæ de se narrat* Augustinus *in epistola* 110, *seu in Actis, quibus Eradius presbyter Sancto successor eligitur. Verba ipsa* Augustini *accipe :* Nostis ante aliquot annos quid facere voluerim, et non permisistis. Placuit mihi et vobis propter curam Scripturarum, quam mihi fratres et patres mei coepiscopi duobus conciliis Numidiæ et Carthaginis imponere dignati sunt, ut per quinque dies *(in hebdomada)* nemo mihi molestus esset *(titibus suis ad judicium episcopale deferendis.)* Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis. Recitatur placitum vestrum, et acclamatio vestra. Parvo tempore servatum est circa me, et postea violenter irruptum est, et non permittor, ad quod volo, vacare. Ante meridiem et post meridiem occupationibus hominum teneor. *Ita undique occupabatur Sanctus, dum episcopi scripta ab eo postulabant, docti difficultatum suarum solutionem, subtilia curiosi, instructionem verbo et scripto pii, ac demum pacem litigantes.* D

explicat pro concione Evangelium S. Joannis, ejusque Epistolam,

625 *Ad instructionem gregis maxime spectant tractatus de Evangelio et Epistola* I *Sancti Joannis, quos ad concionem dixit hisce fere temporibus, ut videbimus postea. Memorantur illi a Possidio in Indiculo cap.* 6 *brevibus hisce verbis :* Tractatus de Euangelio Joannis a capite usque ad finem in codicibus sex. *Et cap.* 9 : De epistola Joannis ad Parthos sermones decem. *Cassiodorus de Institutione cap.* 7 *de Evangelio sic habet :* Joannem beatus Augustinus copiosa et insigni expositione lucidavit. *Et cap.* 8 *de Epistola :* In Epistola vero prima beati Joannis sanctus Augustinus decem sermonibus multa et mirabiliter de charitate disseruit. *Frequenter etiam Donatistas impugnavit hisce tractatibus, et alios subinde hæreticos, ut legenti erit manifestum.* E
Hi omnes tractatus ad populum dicti sunt, et quidem diebus quibuscumque seu festis seu profestis. In hisce præcipue mirari possumus Sanctum, tot aliis occupationibus detentum, toties ad concionem dicere potuisse.

dicens ad populum multis diebus consequentibus :

626 *Lubet pro exemplo exhibere quinque tractatus, diebus quinque ex ordine sequentibus dictos. Tractatum* 19 *sic concludit :* Proinde hujus promissionis, quam ad hodiernum tempus, si superesset, distuleram, tenete me, adjuvante Domino, in crastino debitorem. *In tractatu* 20 *sic habet in fine :* Cætera, quæ sequuntur,... quoniam et crastino die sermo debetur vobis, adestote, ut audiatis. *Hinc sequitur, tractatus* 19, 20 *et* 21 *tribus diebus consequentibus dictos. Secutum vero postridie* 22, *docet ejus initium, quod est hujusmodi :* Nudiustertiani et hesterni diei sermones redditos vobis sequitur hodierna euangelica lecto. *Hunc rursus postridie secutus est tractatus* 23, *in quo pag.* 83 *ait :* Facilis est ergo, fratres, hodierna lectio; sed propter hester- F
num debitum (scio enim quid distulerim non abstulerim, et Dominus dignatus est donare etiam hodie loqui ad vos) recordamini, quid reposcere debeatis. *Hic hesternum debitum vocat partem hesternæ lectionis non expositam : nam sæpe in difficilioribus non explicabat omnia, quæ ex Evangelio erant prælecta. Quinque igitur diebus hos sermones continuavit, forsan et longe pluribus; sed id ubique ostendi nequit, cum præcedentium sermonum non faciat semper mentionem. Quin imo tract.* 8 *in fine se excusat, quod præcedenti die fuisset impeditus, et auditores suos invitat in diem sequentem, ita ut suspicari possimus plerisque diebus non impeditis hos sermones fuisse dictos.*

Evangelio interrupto ob tempus Paschale interposuit Epistolam.

627 *Verumtamen totum S. Joannis Evangelium consequenter non exposuit Sanctus, sed ejusdem Epistolam illi interposuit, Evangelium postea resumpturus, ob rationem, quam allegat in præfatione ad Epistolam his verbis :* Meminit sanctitas vestra Euangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est solennitas sanctorum dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse

A esse non possint: ordo ille, quem susceperamus, necessitate paululum intermissus est, non omissus. Cum autem cogitarem, quid secundum hilaritatem præsentium dierum per hanc hebdomadam vobiscum de Scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod posset in istis septem vel octo diebus finiri, occurrit mihi Epistola beati Joannis, ut cujus Euangelium paululum intermisimus, ejus Epistolam tractando ab eo non recedamus, præsertim quia in ipsa Epistola satis dulci omnibus, quibus sanum est palatum cordis, ubi sapiat panis Dei, et satis memorabili in sancta Ecclesia Dei, maxime charitas commendatur. *Hæc interruptio videtur contigisse post tractatum* 12, *expositaque Epistola, expositio Euangelii resumpta per tractatum* 13, *cujus initium satis insinuat, tractatus in Evangelium aliquo tempore fuisse intermissos. Ceterum præfatiunculam illam, quæ tractatibus in Evangelium præfigitur,* Augustini *non esse, notant editores.*

respondet ad quæstiones Dardani,

628 *Dum hisce occupabatur curis* Augustinus, *novis quæstionibus pulsabatur ab illustri ac pio viro Dardano, quem Tillemontius art.* 272 *suspicatur fuisse præfectum Galliarum et patricium.*
B *Respondit Sanctus serius quidem, sed tali epistola, ut illam ipse inter libros suos recenseat lib.* 2 *Retract. cap.* 29, *ubi sic habet:* De Præsentia Dei scripsi librum, ubi nostra intentio contra hæresim Pelagianam maxime vigilat, non expresse nominatam; sed in eo etiam de præsentia naturæ, quem Deum verum et summum dicimus, et de templo ejus operose et subtiliter disputatur. Hic liber sic incipit: Fateor, frater dilectissime Dardane. *Quæstiones ibidem disputatas videre in ipsa epistola* 57 *lectori licebit: at initium et finem juvabit hic exhibere, quia magis spectant ad propositum nostrum:* Fateor me, *inquit*, frater dilectissime Dardane, illustrior mihi in charitate Christi, quam in hujus seculi dignitate, litteris tuis tardius respondisse quam debui. Cujus rei causas nollem quæreres, ne molestius me feras diutius excusantem, quam pertulisti tardius rescribentem. Cum ergo te malim offensioni meæ facile ignoscere quam de mea defensione judicare, quæcumque illæ causæ fuerint, crede nullum tui apud me esse potuisse contemptum. Imo enimvero citissime rescripsissem, si te con-
C tempsissem.

in qua responsione elucet mira Sancti modestia.

629 Nec modo quia tandem aliquando rescripsi, ideo saltem tandem aliquando dignum aliquid te lectore molitus sum, et quod merito possim tuo nomine prænotare: sed rescribere utcumque jam malui, quam pati, et hanc æstatem me hujus officii debitore transire. Nec tua me dignitas terruit fecitque cunctantem, cum sit humanitas tua gratior quam illa suspectior. Sed unde te magis amo, hinc difficilius, unde sufficiam tantæ aviditati religiosi tui amoris invenio. Huc accessit quod præter mutuæ charitatis flammam, qua fit, ut etiam eos, quos numquam vidimus, diligamus, dum eos habere, quod diligimus, credimus, ubi me utique prævenisti, fecistique ut verear in me decipi opinionem atque expectationem tuam: præter hoc ergo mihi tales quæstiones in tua epistola poposuisti, quæ si a quolibet propositæ forent, otio quoque meo, quod mihi deest, non parvum negotium facerent. Cum verbo abs te proponuntur, cui profunda rimanti solutionis earum superficies nequaquam sat est, et proponuntur occupatissimo aliarumque curarum molibus vallato et obstricto; tuæ prudentiæ est et benevolentiæ cogitare, quam te placidum habere debeam, vel quod diu non respondi, vel si etiam nunc pro tuæ intentionis granditate non respondero. *Hisce modestissimus Præsul disputationem suam de quæstionibus propositis subjungit, ac tandem eadem charitate et modestia epistolam sic concludit:* Sed cum delectat loqui tecum, nescio utrum servaverim sermonis sufficientis modum; quasi diuturnum silentium loquacitate compensem. Verum quia religione et benevolentia, qua me præoccupasti, ita invisceratus es cordi meo, ut tamquam cum amico vere colloquar, quidquid in opere styli nostri utiliter claboratum esse cognoscis, Deo gratias age. Si qua autem vitia mea perspicis, uti charissimus amicus ignosce, eadem scilicet sinceritate dilectionis mihi optans medicinam, qua concedis et veniam.

AUCTORE J. S.

§ XLVII. Iter Sancti Cæsaream Mauritaniæ, et ibi gesta: epistolæ ad Optatum, Mercatorem, et Hesychium: adest concilio Carthaginensi.

E

Sanctus proficiscitur Cæsaream Mauritaniæ,

Possidius in Vita inferius num. 28 *narrat*, S. Augustinum *cum aliis episcopis venisse Cæsaream Mauritaniæ, mandante summo Pontifice, ibique Emeritum Donatistarum episcopum ab eo conventum, et elinguem factum. Contigit illud iter anno* 418, *ut constat ex verbis* Augustini *mox dandis. Attigit gesta illa Cuperus num.* 467: *at operæ pretium erit, si factum adeo celebre magis exponamus, gestaque Sancti Cæsareæ hoc loco conjungamus. Meminit de hoc suo itinere* Augustinus *ipse in epistola* 157 *editionis Plantinianæ, et in epistola alia, quam Benedictini primum vulgarunt et* 193 *fecerunt. Ex posteriori hac liquet Sanctum prius Carthagine fuisse, ubi accepisse se dicit litteras Mercatoris, adjungens sequentia:* Cum vero inde digressi sumus, perreximus usque ad Mauritaniam Cæsariensem, quo nos ecclesiastica necessitas traxit, per quas totas terras cum intentionem nostram huc atque illuc, quæ ingerebantur sensibus, diversa raptarent *etc. In priori autem, se Cæsareæ fuisse ait*, quo nos, *inquit*, F injuncta nobis a venerabili Papa Zosimo apostolicæ Sedis Episcopo ecclesiastica necessitas traxerat. *Quænam illa fuerit necessitas, quidve in reliqua Mauritania gesserit sanctus Antistes, non constat.*

ubi convenit Emeritum Donatistarum episcopum,

631 *At gesta Cæsareæ exponit ipse* Augustinus *tom.* 7, *pag.* 250 *in libro de Gestis cum Emerito, quem exorditur hoc modo:* Gloriosissimis imperatoribus, Honorio duodecimum et Theodosio octavum consulibus, duodecimo Calend. Octob., Cæsareæ in ecclesia majori, cum Deuterius episcopus metropolitanus Cæsariensis una cum Alipio Tagastensi, Augustino Hipponensi, Possidio Calamensi, Rustico Cartenitano, Palladio Tigabitano, et cæteris episcopis in exedram processissent, præsentibus presbyteris et diaconis, et universo clero, ac frequentissima plebe, adesset etiam Emeritus partis Donati episcopus, Augustinus episcopus ecclesiæ Catholicæ dixit: Fratres charissimi, qui ab initio Catholici fuistis, et quicumque ad Catholicam ex Donatistarum errore venistis, et pacem hujus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ cognovistis, et veraci corde tenuistis, et

AUCTORE J. S.

qui adhuc forte de Catholicæ unitatis veritate dubitatis, audite nos solicitos pura dilectione pro vobis. Quando venit ad hanc civitatem die undiustertiana frater noster Emeritus, Donatistarum adhuc episcopus, perlatum est ad nos subito, eum esse præsentem. Et quoniam charitate, quam Deus videt, desiderabamus ejus præsentiam, ad eum videndum continuo convolavimus, invenimus eum stantem in platea. Facta invicem salutatione, admonuimus, quod durum esset ac turpe eum in platea remanere, ut ad ecclesiam nobiscum veniret. At ille nobis sine ulla recusatione consensit, ubi nos putavimus eum ita communionem Catholicam non recusaturum, quemadmodum vel spontaneum obtulit adventum, vel ad ecclesiam venire minime dubitavit. Illo autem in perversitate hæretica, quamvis intra ecclesiam Catholicam, diutius remorante, allocutus sum dilectionem vestram, sicut meminisse dignamini. Multa dixi, quæ audistis, et quæ sine dubio, quantum potestis, etiam meministis. Multa de pace, multa de charitate, multa de sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quam Deus promisit et præstitit, unitate. In quo meo sermone et vos alloquebar, et
B illum exhortabar, et quantum in me poterant viscera charitatis, omnes in periculo animæ suæ constitutos in illo meo sermone parturiebam et parere Domino cupiebam.

632 *Plura recenset ad circumstantes dicta, ac deinde subdit, quo se modo ad Emeritum converterit, his verbis:* Nunc autem præsens est, modo nobis dignetur dicere, quare advenerit. Frater Emerite, præsens es, Collationibus interfuisti, si victus es, quare venisti? si autem te victum esse non putas, loquere unde tibi victor esse videaris? Tunc enim victus es, si veritate victus es. Si autem videris victus potestate, et vicisti veritate, non est hic potestas, qua victus videris. Audiant cives tui, unde te Victorem præsumis esse. At si nosti adversus te victricem fuisse veritatem, quid adhuc respuis unitatem? Emeritus episcopus partis Donati dixit: Gesta indicant, si victus sum, aut vici: si veritate victus sum, aut potestate oppressus sum. Augustinus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Quare ergo venisti? Emeritus episcopus partis Donati dixit: Ut hoc dicerem quod requiris. Augustinus episco-
C pus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Requiro quare veneris; hoc non quærerem, si non venisses. Emeritus episcopus partis Donati dixit notario, qui excipiebat, Fac. Cumque reticeret, Augustinus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Si ergo sub veritate tacuisti, non sine causa venisti, nisi quia istos decipere voluisti. Cumque diu reticeret, Augustinus episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Videtis fratres diu tacentem, moneo ut optetis resipiscentem, obsecro ne sequamini pereuntem.

quem coram populo tacentem

633 *Post hæc multa disputat de Collatione Carthaginensi, multa de Maximianistis, qui schismate divisi erant ab aliis Donatistis, ac demum concludit verbis, quæ Apostolicum Viri zelum omnino demonstrant, ideoque et lectori exhibenda censeo:* Ideo sudamus, *inquit*, ideo laboramus, ideo inter eorum arma et cruentas furias Circumcellionum periclitati sumus, et adhuc reliquias eorum qualicumque donata a Deo patientia toleramus, dum arbor * quærit ramum *, dum grex ex ovili Christi ovem perditam quærit. Si pastoralibus visceribus prædicti sumus, per sepes et spinas nos coarctare debemus. Membris laceratis ovem quæramus, et Pastori Principique omnium cum lætitia reportemus. Multa diximus

magno charitatis affectu alloquitur,

* *i. e.* Ecclesia
* *i. e.* Donatistas

etiam fatigati, et tamen frater noster, propter D quem ista dicimus vobis, et cui pariter dicimus, et pro quo tanta agimus, adhuc pertinax consistit. Constantem se putat fortitudo crudelis. Non adhuc de vana et falsa fortitudine glorietur. Audiat Apostolum dicentem: Virtus in infirmitate perficitur. Oremus pro illo: unde scimus, quid velit Deus? Multæ cogitationes, sicut scriptum est, in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.

634 *Tantus Sancti fervor tantaque solertia inutilis fuit Emerito; at ejus gregi seducto quam maxime profuit, ut testatur Possidius. Agit etiam de hoc facto* Augustinus *in libro contra Gaudentium Donatistam cap.* 14, *ubi quædam clarius explicat rei adjuncta. Verba ejus accipe:* Dicendum est de Emerito Cæsariensi, quod dicere tu timuisti. Falsa quidem de illo fama jactata est, quod Catholicus factus sit; sed quemadmodum hoc audistis, ita totum, quod factum est, nosse potuistis. Cur ergo laudes coepiscopi tui, cujus tibi pro exemplo nomen objectum est, tacere voluisti? Profecto si fecit aliquid laude dignum, in tanto articulo non abs te fuit utique reticen- E dum. Sed quia ejus laudibus non vis, ut te invidere potuisse credamus, quare ergo tacuisti, nisi quia de illo erubescere timuisti? Venit ergo Emeritus Cæsaream, illic positis et præsentibus nobis. Venit autem non apprehensus cujusquam sagacitate, non adductus alterius potestate, sed excitatus propria voluntate, videre nos voluit. Vidimus eum, ad Ecclesiam Catholicam pariter venimus, affuit maxima multitudo, nihil pro sua, seu vestra defensione dicere potuit, communicare noluit, dilatus perseveravit, convictus obmutuit, illæsus abscessit. Quid fieri potuit pro nostra mansuetudine lenius, quid pro veritate Catholica invictius, quid pro vestra, si sapitis, correctione salubrius?

non convertit tamen,

635 Cum enim sponte ad nos, nisi pro vobis contra nos dicturus aliquid convenisset *, profecto dixisset, si quod diceret, invenisset. Quæcumque enim, ut veniret, præparaverat dicere, adjuvante misericordia Domini, ante sunt nostra præventione refutata, quam illius circumventione prolata. Et certe si putas eum potuisse, sed noluisse respondere, lege quod cum illo actum est, et ipse responde. Si in pacem Catholicam transisset F Emeritus, diceretis eum non divina miseratione consensisse lumini veritatis, sed ponderi persecutionis humana infirmitate cessisse. Si denique captus adduceretur invitus, non inopia respondendi, sed evadendi consilio tacuisse pro vestro arbitrio jactaretis. Nunc vero quandoquidem ultro venit, profecto quod tacuit, non lingua, sed causa defecit. Quod autem transire in unitatem Catholicam noluit, animam superbam confusio pertinacissimam fecit: sed hoc quantum ad ipsius exitium atque supplicium tantum, ad aliorum confirmationem salutemque profecit. Si enim viderent Emeritum nobis communicantem, suspicarentur hominem formidantem. Cum autem viderunt et in parte Donati permanentem, et tamen adversus Catholicam reticentem, magis illis apparuit contra suos silendo damnare. An vero cum voce atque ore sano et libero staret, non erat pro vestra causa contra nos testis idoneus Emeritus ille, ille Emeritus, inquam, et inimicus et mutus?

sed confundit

* *lege* non venisset

636 *Eodem tempore pessimam consuetudinem abrogavit Sanctus, aut potius abrogandam curavit, dum fervida oratione populum induxit ad eam*

A *eam abrumpendam. Rem ipse narrat lib.* 4 *de Doctrina Christiana cap.* 24, *ex quo verba ejus huc transfero :* Denique cum apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plus quam civilem, quam CATERVAM, vocabant : neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, et fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni solenniter dimicabant, et quisque, ut quemque poterat, occidebat : egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus et moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo : non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem lachrymis indicebant. Quod ubi aspexi, immanem illam consuetudinem a patribus et avis, longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potius possidebat, devictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi. Moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic
B nihil tale tentatum est.

Eodem tempore pessimam consuetudinem abolendam curat.

Redux varias scribit epistolas :

637 *Redux Hipponem* Augustinus *nec fuit nec esse potuit otiosus ob negotia per absentiam suam enata. Scripsit imprimis Optato episcopo epistolam* 157 *bene longam de Origine animarum. Respondit Mercatori ad binas litteras per epistolam Benedictinorum* 193. *De utraque hac epistola superius meminimus, et utramque hoc tempore scriptam esse, colligimus ex verbis de itinere Cæsariensi jam relatis. Elucet rursum in hisce litteris mira Sancti modestia et charitas. In fine prioris, post quæstionem diligenter disputatam, sic loquitur :* Hoc sicut potui, non quidem ad me datis, sed tamen ad charissimos nostros, sanctitatis tuæ litteris, non peritia, quam desiderasti, sed sollicita dilectione respondi. Si grate accipis, et admonitionem fraternam et utilem, non errando, sed prudenter considerando, cum Ecclesiæ pace conservas, Deo gratias. Si autem me ista nondum nosse miraris, vel etiam nec miraris, et me aliquid certum de origine animarum, salva ista fide, quæ certissima atque clarissima est, mutua
C charitate docere non renuis, multo uberius Deo gratias. *Eodem fere sensu in altera epistola, postquam responderat quæsitis, ad Mercatorem loquitur, inquiens :* Ego enim plus amo discere quam docere.... Ut... discamus, invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas caritatis. *Ceterum hic ille est Marius Mercator, cujus quædam Opuscula nuper edita sunt, de quo plura Tillemontius art.* 290, *qui probat art.* 291, *Sanctum eo tempore scripsisse ad Cœlestinum ; et ad Sixtum Romanos postea Pontifices.*

Adest Carthaginensi concilio ; respondet Hesychio.

638 *Anno sequenti* 419 *Sanctus interfuit concilio Carthaginensi* VI, *cui adfuerunt ex tota Africa episcopi cum legatis summi Pontificis. Gesta hujus concilii dat Labbeus tom.* 2, *et consuli possunt scriptores varii, qui de illo egerunt. Porro cum omnia concilii hujus negotia minus cito absolvi possent, ne episcopi omnes abesse ecclesiis suis cogerentur, delecti sunt ex singulis provinciis terni, qui cetera peragerent. Inter hos etiam fuit* S. Augustinus, *ut videre est apud Labbeum laudatum col.* 1132. *Eodem fere tempore sanctus Doctor scripsit epistolam* 80 *ad Hesychium Salonæ in Dalmatia episcopum, ut notant Benedictini ad hanc ipsam epistolam, ibidem* 197. *Scripserat Hesychius ad Sanctum epist.* 79, *supremum judicii diem ; quem non longe abesse putabat, inquirendum esse. Disputat igitur* Augustinus *de locis sacræ Scripturæ, quæ supremum diem memorant, docetque non inquirendum illud, quod Dominus nos latere voluit. Prolixa admodum est epistola, quæ pro libro haberi possit. Tempus, quo scripta est, utcumque indicat his verbis :* A Nativitate Domini hodie computantur anni ferme quadringenti viginti. *Meminit de hac sua epistola lib.* 20 *de Civitate Dei cap.* 5.

AUCTORE J. S.

§ XLVIII. Scripta varia, quæ, præter polemica contra hæreticos, ab anno circiter 419 usque ad 424 fuere edita.

E

Scriptæ Locutiones Scripturarum,

Commemoranda veniunt hoc loco quædam Sancti scripta eodem tempore composita, ut ipse testatur lib. 2 *Retractationum, ubi cap.* 54 *sic habet :* Septem libros de septem libris divinarum Scripturarum, id est, Moysi quinque, et uno Jesu Nave, et altero Judicum feci, notatis locutionibus singulorum, quæ minus usitatæ sunt linguæ nostræ, quas parum advertendo sensum quærunt, qui legunt, divinorum eloquiorum ; cum sit locutionis genus, et nonnumquam exsculpunt aliquid, quod a veritate quidem non abhorreat, non tamen id sensisse auctor, a quo hoc scriptum est, invenitur, sed genere locutionis hoc dixisse, credibilius apparet. Multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum, ubi sententiæ patent, ut etiam, ubi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat. Hujus Operis titulus est : LOCUTIONES DE GENESI, atque ita de singulis libris. *Tum, modica correctione adhibita, sic concludit :* Hoc Opus sic incipit : LOCUTIONES SCRIPTURARUM.

et Quæstiones, laudatæ a Cassiodoro :

F

640 *Cap.* 55 *Sanctus aliud Opusculum recenset his verbis :* Eodem tempore scripsi etiam libros Quæstionum de libris eisdem divinis septem, quos ideo appellare sic volui, quia ea, quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quam quæsita dissolvi. Quamvis multo plura in eis mihi videantur ita petractata, ut possint etiam soluta et exposita non immerito judicari. Regnorum quoque libros eodem modo jam considerare cœperam : sed non multum progressi, in alia, quæ magis urgebant, animum intendimus. *Varia mox in hoc Opusculo corrigit, ac subdit :* Hoc Opus sic incipit : CUM SCRIPTURAS SANCTAS. *Habemus hoc Opusculum Operum tom.* 4, *præcedens autem tom.* 3. *Cassiodorus de Institutione cap.* 1 *laudat utrumque Opusculum, ita scribens :* Quæstiones etiam, quæ in voluminibus sacris ardua difficultate poterant operiri, libris septem necessaria nimis et syllogistica probatione declaravit, enisus Magister optimus, et vir acer ingenio, ut quod ad salutem animarum constat esse concessum, nequaquam indiscussum mortifera negligentia relinqueretur. Scripsit etiam de modis Locutionum septem alios mirabiles libros, ubi et schemata sæcularium litterarum, et multas alias locutiones divinæ Scripturæ proprias, id est, quas communis

AUCTORE J. S.

communis usus non haberet, expressit; considerans, ne compositionum novitate reperta, legentis animus nonnullis offensionibus angeretur*. Simulque ut et illud ostenderet Magister egregius, generales locutiones, hoc est, schemata grammaticorum atque rhetorum exinde fuisse progressa, et aliquid tamen illis peculiariter fuisse derelictum, quod adhuc nemo doctorum sæcularium prævaluit imitari.

* in Mss. urgeretur

libri quatuor contra Victorem,

641 Augustinus *cap.* 56 *præcedentibus aliud subjungit Opus, sic scribens :* Eodem tempore quidam Vincentius Victor in Mauritania Cæsariensi invenit apud Hispanum quemdam presbyterum Petrum nonnullum Opusculum meum, ubi quodam loco de origine animæ hominum singulorum, utrum ex illa una primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur, an sicut illi uni, sine ulla propagatione singulæ singulis dentur, me nescire confessus sum; verumtamen scire, animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eumdem Petrum scripsit ille duos libros, quos mihi de Cæsarea Renatus monachus misit. Quibus ego lectis, responsione mea quatuor libros reddidi. Unum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, et duos ad eumdem Victorem. Sed ad Petrum, quamvis habeat libri prolixitatem, tamen epistola est, quam nolui a tribus cæteris separari. In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam, et multos errores atque pravitates præsumptionis ejus ostendi. Quem tamen juvenem non præpropere detestandum, sed adhuc docendum, quanta potui lenitate, tractavi, et ab eo rescripta correctionis ejus accepi. Hujus operis liber ad Renatum sic incipit : SINCERITATEM TUAM ERGA NOS. Ad Petrum autem sic : DOMINO DILECTISSIMO FRATRI ET COMPRESBYTERO PETRO. Duorum vero novissimorum ad Vincentium Victorem : primus sic incipit : QUOD MIHI AD TE SCRIBENDUM PUTAVI. Secundus autem sic : ACCIPE NUNC JAM DE ME IPSO. *Exstant quatuor hi libri tom.* 7 *Operum a pag.* 481.

hominem disertum magis quam doctum,

642 *Qualis esset ille Vincentius Victor variis locis declarat Sanctus. In epistola ad Petrum, seu lib.* 2, *cap.* 1 *de eo ejusque Opere sic loquitur :* Pervenerunt ad me duo libri Vincentii Victoris, quos ad sanctitatem tuam scripsit, mittente mihi eos fratre nostro Renato, homine quidem laïco, sed pro tua fide, et eorum, quos diligit, prudenter religioseque solicito. Quibus lectis, vidi hominem in sermone quidem non solum usque ad sufficientiam, verum etiam usque ad redundantiam profluentem; sed in rebus, de quibus loqui voluit, nondum, sicut oportet, instructum; quod si ei fuerit, Domino donante, collatum, poterit esse utilis pluribus. Habet enim non minimum facultatis, qua possit explicare atque ornare, quæ sentit, si prius det operam recta sentire. Valde quippe sunt noxia prava diserta, quia hominibus minus eruditis, eo quod diserta sint, videntur et vera. Quomodo autem eosdem libros ipse acceperis, nescio. Verumtamen, si verum est, quod audivi, dixeris, eis recitatis, ita exiluisse lætitia, ut caput juvenis illius senex, et laïci presbyter osculatus, didicisse te, quod ignorabas, gratias egeris. Ubi quidem non improbo humilitatem tuam, imo vero etiam laudo, quod honorasti doctorem tuum, nec hominem, sed ipsam, quæ tibi per illum loqui dignata est, veritatem; si tamen potueris demonstrare, quid per illum veritatis acceperis. Vellem itaque rescriptis tuis, quid te docuerit, me doceres : absit enim ut erubescam a presbytero discere, si a laïco tu non erubuisti prædicanda et imitanda humilitate vera didicisse. *Donatistam seu Rogatistam ante fuisse, docent hæc* Augustini *verba lib.* 1, *cap.* 2 : Caruit enim Donatistarum vel potius Rogatistarum divisione et errore, quo antea tenebatur : si tamen Catholicam veritatem, sicut oportet, intelligat, ut vere de illius conversione gaudeamus.

cujus mentem benigne interpretatur,

643 *Quam vero benigne interpretaretur mentem Victoris contra ipsum scribentis, quamque paterne ipsum tractere vellet, aperit sanctus Doctor citato cap.* 2 *scribens ad Renatum. Hic scripta Victoris transmiserat, quem ob id laudat Sanctus : at simul eumdem suaviter reprehendit, quod iis transmittendis offensam timuisset. Verba accipe:* Sed hinc augor paululum, quod adhuc tuæ sanctitati minus quam vellem cognitus sum, quandoquidem putasti me sic accepturum, quasi tu mihi injuriam feceris, notum faciendo, quod alius fecit. Quantum autem hoc absit ab animo meo, vide, ut nec ab illo quidem me passum injuriam conquerar. Cum enim aliter quædam quam ego, saperet, numquiduam debuit reticere? Unde mihi gratum esse debet, quod ita non tacuit, ut id etiam legere possimus. Deberet quidem tantum scribere potius ad me, quam ad alterum de me; sed quod mihi esset ignotus, non est ausus se mihi ingerere, in meorum refutatione dictorum. Nec consulendum me putavit, ubi sibi videtur minime dubitandum, sed plane cognitam et certam tenere sententiam. Obtemperavit autem amico suo, a quo se, ut scriberet, dicit esse compulsum. Et si quid inter disputandum, quod in meam contumeliam redundaret, expressit, non eum conviciantis voluntate crediderim, sed diversa sentientis necessitate fecisse. Ubi enim mihi animus erga me hominis ignotus est et incertus, melius arbitror meliora sentire quam inexplorata culpare. Fortassis enim amore mei fecit, sciens ad me pervenire posse, quod scripsit, dum in eis rebus errare me non vult, in quibus se potius errare non putat. Et ideo debeo etiam ejus habere gratiam benevolentiam, cujus me necesse est improbare sententiam : ac per hoc in eis, quæ non recte sapit, adhuc leniter corrigendus mihi videtur, non aspere detestandus, præsertim quia, sicut audio, nuper Catholicus factus est, quod ei gratulandum est.

quemque paterne tractat ac convertit.

644 *Servasse* Augustinum *in libris ad Victorem benignitatem illam, qua hic uti proponit, docent ipsi libri multis locis, ex quibus unum afferam pro exemplo. Lib.* 3, *cap.* 14, *ubi verba Victoris adduxerat, quibus ille dicebat se libenter instrui velle, nec pertinacis esse judicii, sic eum alloquitur :* Modo proba, clarissime, non te fallaciter ista dixisse, ut de tua indole non solum ingeniosa, verum etiam cauta, pia, modesta, gaudeat Catholica Ecclesia, non de contentiosa pertinacia hæretica exardescat insania... Nec sis improbi obstinatique judicii, ut nolis citius ad tramitem rationis inflecti. Si enim hæc liberaliter elocutus es, si non in labiis ista sonuisti, sed intus et germanitus in corde sensisti, in tuæ correctionis tanto bono, etiam moras odisti. Parum quippe tibi fuit dicere, improbi obstinatique esse judicii, nolle ad tramitem rationis inflecti, nisi adderes CITIUS : ut hinc ostenderes, quam sit exsecrandus, qui bonum hoc numquam facit; quandoquidem qui tardius facit, tanta tibi videtur severitate culpandus, ut merito improbi judicii

A dicii obstinatique dicatur. Audi ergo teipsum, tuque potissimum et maxime eloquii tui fructibus utere, ut citius te ad rationis tramitem gravitate mentis inflectas, quam te inde minus erudite paramque consulte lubrico ætatis averteras. Nimis longum est omnia, quæ in tuis libris, vel potius in teipso volo emendari, pertractare atque discutere, et saltem brevem tibi de singulis corrigendis reddere rationem. Nec ideo tamen te contemnas, ut arbitreris ingenium et eloquium tuum parvi esse pendendum. Nec sanctarum Scripturarum memoriam in te parvam esse cognovi, sed eruditio minor est, quam tantæ indoli laborique congruebat. Itaque te nec amplius quam oportet tibi tribuendo vanescere volo, nec rursus te abjiciendo ac desperando frigescere. Utinam tua scripta tecum legere possem, et colloquendo potius, quam scribendo, quæ sint emendanda monstrarem. Facilius hoc negotium perageretur nostra inter nos sermocinatione, quam litteris : quæ si scribenda esset, multis voluminibus indigeret. Verum ista capitalia, quæ certo etiam numero comB prehendere volui, instanter admoneo, ne corrigere differas, et ea prorsus a fide et prædicatione tua facias aliena : ut quanta tibi facultas est disputandi, munere Dei utaris utiliter ad ædificationem, non ad destructionem sanæ salubrisque doctrinæ. *Hac humanitate egregius Pastor aberrantem oviculam in viam reduxit.*

libri duo de Conjugiis adulterinis : 645 *Cap.* 57 *sic pergit scripta sua enumerare :* Scripsi duos libros de Conjugiis adulterinis, quantum potui, secundum Scripturas, cupiens solvere difficillimam quæstionem. Quod utrum enodatissime fecerim, nescio : imo vero non me pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus ejus aperuerim, quod judicare poterit, quisquis intelligenter legit. Hujus Operis primus liber sic incipit : Prima quæstio est, frater. Secundus autem sic : Ad ea, quæ mihi scripseras. *Pollentius quidam huic Opusculo occasionem præbuerat, Sanctum consulendo, ut videre est tom.* 6 *Operum pag.* 350. *Idem alia quædam ad primam interrogationem addendo, Sanctum impulit ad librum secundum conscribendum. Quippe hunc pag.* 357 *sic orditur sanctus Doctor :* Ad ea, quæ mihi scripseras, frater C religiose Pollenti, jam rescripseram non parvum volumen de iis, qui, viventibus conjugibus suis, aliis copulantur. Quod cum innotuisset dilectioni tuæ, addidisti aliqua ad libellum tuum, etiam his me respondere desiderans. Sed cum facere disponerem addendo et ego ad meum, ita ut unus liber esset responsionis meæ, repente illud editum est, quod absolveram, prius flagitantibus fratribus nostris, et nescientibus quod adhuc aliquid esset addendum. Hinc factum est, ut altero scorsum Opusculo ad ea, quæ addidisti, respondere compellerer.

Enchiridion, 646 *Post alia quædam Opera, contra varios hæreticos scripta,* Augustinus *cap.* 63 *sic prosequitur :* Scripsi etiam librum de Fide, spe, et charitate, cum a me, ad quem scriptus est, postulasset, ut aliquod Opusculum haberet meum, de suis manibus non recessurum : quod genus Græci Enchiridion vocant. Ubi satis diligenter mihi videor esse complexus, quomodo sit colendus Deus, quam sapientiam esse hominis utique veram divina Scriptura definit. Hic liber sic incipit : Dici non potest. *Liber de Fide, spe, et charitate sub titulo* Enchiridion, *ut nunc passim vocatur, exstat tom.* 3 *Operum a pag.* 66. *Porro scriptum certe non est hoc* Enchiridion *seu* Manuale *ante annum* 421, *cum cap.* 87 *S. Hieronymus citetur tamquam defunctus. Laurentius, in cujus gratiam liber hic compositus, vir erat non modo illustris, sed etiam eruditus, ut Sanctus ipse testatur cap.* 1. *In libro ad Dulcitium mox memorando cap.* 1 *citans Enchiridion, Laurentium vocat Dulcitii fratrem.* *AUCTORE J. S.*

de Peccato in Spiritum sanctum, 647 *Porro Enchiridii cap.* 83 *agens de peccato in Spiritum sanctum, ait :* De qua quæstione difficili in quodam propter hoc solum conscripto libello enucleatissime, quantum potui disputavi. *Possidius quoque Indiculi cap.* 10 *notat tractatum,* De blasphemia Spiritus sancti. *Videtur indicari Sermo* xi *de Verbis Domini, qui admodum prolixus est, et diligenter de peccato in Spiritum sanctum conscriptus. Certe Lovanienses editores verba* Augustini *citata memorato Sermoni præfigunt, tamquam ad illum pertinentia. Consentiunt Benedictini in notis ad hunc Sermonem, apud ipsos* 71. *Forsan Sanctus ex sermone prius ad populum dicto libellum deinde fecit: nam longior est sermo, quam ut videatur totus una vice ad concionem dictus.* E

de Cura pro mortuis gerenda, 648 *Sequuntur in Retractationibus duo alia Opuscula memoranda, nec multis annis post præcedentia exarata. De priori cap.* 64 *sic habet :* Librum de Cura pro mortuis gerenda scripsi, cum interrogatus litteris fuissem, utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur. Hic liber sic incipit. Diu sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline. *Exstat tom.* 4 *ad S. Paulinum Nolanum, et pag.* 294 *in conclusione fatetur, se non modo diu distulisse responsum ad ejus interrogationem, sed periculum quoque fuisse, ne propter ingentem negotiorum molem respondere omnino prætermitteret : Hunc ergo librum, inquit,* quemadmodum acceperit venerabilis dilectio tua, peto rescriptis tuis noverim, quem tibi perlator ejus faciet sine dubio gratiorem, frater scilicet et compresbyter noster Candidianus, quem per tuas litteras cognitum toto corde suscepi, invitusque dimisi. Multum enim nos in charitate Christi sua præsentia consolatus est, et quod fatendum est, ejus instantia tibi parui. Nam cor meum tanta distendunt, ut nisi ipso assidue commonente non sinerer oblivisci, profecto interrogationi tuæ F mea responsio defuisset.

de octo Quæstionibus Dulcitii. 649 *Alterum cap.* 65 *sic memorat :* Liber, quem prænotavi de octo Dulcitii quæstionibus, non esset in hoc Opere commemorandus inter libros meos, cum sit confectus ex iis, quæ a me in aliis antea conscripta sunt, nisi et disputationis aliquid a nobis interpositum reperiretur in eo, et uni earum quæstionum non ex Opusculo alio meo responsionem, sed tunc, quæ potuit occurrere, reddidissem. Hic liber sic incipit : Quantum mihi videtur. *Editus est tom.* 4 *a pag.* 280.

§ II.

AUCTORE J. S.

§ IL. Dolor Sancti de indigno discipulo suo imprudenter ad episcopatum promoto, gestaque in causa ipsius : mirabilis sanatio Pauli et Palladiæ, facta præsente Augustino.

Dolor Sancti, quod Fussalensibus, sua opera conversis,

Disputant eruditi de anno emortuali Bonifacii Papæ I, et successione Cœlestini : alii enim statuunt annum 423 ; *alii volunt, utrumque contigisse anno* 422 *ad finem vergente. Verum non lubet ambiguæ huic controversiæ me interponere, licet ex illa epocha colligi debeat tempus, quo* S. Augustinus *scripsit ad S. Cœlestinum epistolam suam* 261, *quam sic orditur :* Primum gratulatiouem reddo meritis tuis, quod te iu illa Sede Dominus noster sine ulla, sicut audivimus, plebis tuæ discissione constituit. *Gratulatur*
B *Pontificatum Cœlestino, ex quo collige epistolam scriptam esse circa finem anni* 422 *vel initium sequentis, aut in aliorum sententia uno anno serius. At redeamus ad* Augustinum *sic prosequentem :* Deinde iusiuuo Sanctitati tuæ, quæ sint circa nos, ut non solum orando pro nobis, verum etiam consulendo et opitulando subvenias. In magna quippe tribulatioue positus, hæc ad tuam Beatitudinem scripta direxi. Quoniam volens prodesse quibusdam in nostra vicinitate membris Christi, magnam illis cladem improvidus et incautus ingessi. *Hisce Sanctus subnectit factum, quod tantum ipsi creabat dolorem, quod ex hac potissimum epistola enarrabimus :* Fussala, *inquit,* dicitur Hipponensi territorio confine castellum : antea ibi numquam episcopus fuit, sed simul cum contigua sibi regione ad paræciam Hipponensis ecclesiæ pertinebat. Paucos habebat illa terra Catholicos, cæteras plebes illic in magna multitudine hominum constitutas, Donatistarum error miserabiliter obtinebat, ita ut in eodem castello nullus esset omnino Catholicus. Actum est iu Dei misericordia, ut omnia ipsa loca in uuitate Eccle-
C siæ cohærerent, per quautos labores et pericula nostra, longum est explicare, ita ut ibi presbyteri, qui eis cougregandis a nobis primitus constituti suut, expoliarentur, cæderentur, debilitarentur, excæcarentur, occiderentur. Quorum tamen passiones inutiles ac steriles non fuerunt unitatis illic securitate perfecta. Sed quod ab Hippone memoratum castellum milibus quadragiuta sejungitur, cum in eis regendis, et eorum reliquiis licet exiguis colligendis, quæ in utroque sexu aberrabant non miuaces ulterius, sed fugaces, me viderem latius quam oportebat extendi, nec adhibendæ sufficerem diligentiæ,quam certissima ratione adhiberi debere cernebam, episcopum ibi ordiuandum, constituendumque curavi.

episcopum dedisset Antonium, qui episcopali judicio,

651 Quod ut fieret, aptum loco illi congruumque requirebam, qui et Puuica lingua esset instructus; et habebam, de quo cogitabam paratum, presbyterum, propter quam ordinandum sanctum senem, qui tunc primatum Numidiæ gerebat, de longinquo ut veniret, rogaus, litteris impetravi. Quo jam præsente, omniumque in re tauta suspensis animis, ad horam nos ille, qui mihi paratus videbatur, omnimodo resisteudo frustravit. Ego autem, qui utique, sicut exitus docuit, differre potius debui, quam periculosum præcipitare negotium, dum nolo gravissimum et san- D ctissimum senem ad nos usque fatigatum sine effectu, propter quem veuerat, tam longe ad propria remeare, obtuli non petentibus quemdam adolesceutem Autonium, qui mecum tunc erat, in monasterio quidem a nobis a parvula ætate nutritum, sed præter lectionis officium nullis clericatus gradibus et laboribus notum. At illi miseri, quid futurum fuerat, ignorantes, offerenti cum mihi obedieutissime crediderunt. Quid plura? factum est. Esse illis episcopus cœpit. Quid faciam, nolo apud tuam veneratiouem gravare, quem nutriendum collegi, nolo deserere, quos colligendos timoribus et doloribus parturivi. Et quomodo utrumque agam reperire non possum. Res quippe ad tantum scandalum venit, ut in eum hic apud nos causas dicerent, qui de illius episcopatu suscipieudo tamquam beue sibi consulentibus obtemperaverant nobis. In quibus causis cum stuprorum crimina capitalia, quæ non ab ipsis, quibus episcopus erat, sed ab aliis quibusdam objecta fuerant, probari minime potuissent, atque ab eis, quæ iuvidiosissime jactabantur, videretur esse purgatus, tam miseraudus factus est E et nobis et aliis, ut quidquid a castellauis, et illius regionis homiuibus, de intolerabili dominatiouc, de rapinis et diversis oppressionibus et constrictionibus objiciebatur, nequaquam nobis tale videretur, ut propter hoc, vel propter simul cuncta congesta, episcopatu eum putaremus esse privandum, sed restituenda, quæ probarentur ablata. Denique seutentias nostras sic temperavimus, ut salvo episcopatu, nou tamen omuino impunita relinquerentur, quæ non deberent, vel eidem ipsi deinceps iterumque facienda, vel ceteris unienda proponi. Honorem itaque integrum servavimus juveni corrigendo, sed corripiendo miuuimus potestatem, ne scilicet eis præesset ulterius, cum quibus sic egerat, ut dolore justo eum sibi præesse ferre omnino non posseut, et cum suo illiusque periculo iu aliquod scelus forsitan erupturam impatieutiam sui doloris ostendereut. *Hactenus* Augustinus. *Judicium autem hoc latum esse tempore Bonifacii Pontificis, sequentia satis ostendunt.*

parte diœcesis mulctandus fuerat,

652 *Porro pœna Antonio inflicta varie intellecta est a variis. Christianus Lupus de Appellationibus cap.* 23, *pag.* 630 *ex* Augustini *verbis* F *sic infert :* Antonius igitur non fuit privatus omni jurisdictione, sed aliqua ejus portione dumtaxat truncatus. Permansit verus episcopus, non vanum ac inane simulacrum episcopalis nominis. *Et infra :* Non omnis diœcesis potestati ejus fuit subtracta, sed ista tautummodo loca, in quæ tyrannum egerat. *Hæc omnia ex verbis* S. Augustini *partim recitatis, partim recitandis probare nititur. Verum Tillemontius art.* 315 *negat, se illa cum verbis* Augustini *conciliare posse, putatque solam habitationem in diœcesi permissam Antonio sine ulla jurisdictione. Probare id debuerat Tillemontius, non temere asserere, præsertim cum sua probasset Lupus. At adeo probari non potest ex laudata Epistola,episcopatu privatum Antonium, ut nihil clarius appareat, quam episcopum permansisse in quadam diœceseos parte,subtracta ejus jurisdictioni parte altera. Accipe breviter rationes. Punitus est,* salvo episcopatu *ait* Augustinus. *Quomodo fuit ei salvus episcopatus, si non mansit episcopus?* Honorem, *inquit,* integrum servavimus juveni. *Quomodo honor ei integer servatus, si ablata jurisdictio episcopalis?* Minuimus potestatem, *inquit. Quomodo imminuta dumtaxat potestas, et non omnino detracta, si*

A *si sola habitatio in diœcesi sine ulla jurisdictione permissa? Plura sequuntur inferius, ex quibus idem elucescat, cum ubique* episcopus *vocetur, et* Catholicus episcopus; *sed unum dumtaxat locum adjungam, ex quo simul pateat, mitiori hac episcoporum sententia abusum esse Antonium. Audi epistolam* : Clamat *(Antonius :)* Aut in mea cathedra sedere debui, aut episcopus esse non debui. *Id sic videtur intelligendum : Aut Fussalæ in ecclesia cathedrali permanere debui, aut diœcesim totam amittere, ita ut cathedra videatur Fussala ad locum alium amota. Respondet sanctus :* Quasi nunc sedeat nisi in sua. Propter hoc enim loca illa eidem dimissa atque permissa sunt, in quibus et prius episcopus erat, ne in aliena cathedra contra statuta Patrum translatus illicite diceretur. *Numquid clarum est, loca illa ei permissa ad jurisdictionem episcopalem? Quippe illa potius ei permissa sunt, quam loca alterius diœceseos, ne fieret contra Patrum statuta. At contra Patrum statuta non erat, si ad aliam diœcesim translatus esset, ut illic sine jurisdictione habitaret. Hæc ergo propriæ diœceseos loca Antonio permissa sunt, ut ibidem esset episcopus.*

ut ex Augusti verbis probatur.

B 653 *Idem studiosus lector colligere poterit ex sequentibus* Augustini *verbis, quibus Antonium refutat, contendentem aut totam diœcesim auferendam fuisse, aut totam relinquendam :* Aut vero, *inquit*, quisquam ita esse debet, sive severitatis, sive lenitatis exactor, ut qui non nisi fuerint episcopatus honore privandi, nullo modo in eis aliquid vindicetur : aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum, episcopatus honore privetur. Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ, ut a nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus provinciæ Cæsariensis episcopus : Aut ad primatum locus, sicut cæteris, et mihi patere debuit, aut episcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius ejusdem provinciæ Victor episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua et Priscus fuit, nusquam nisi in diœcesi ejus ab alio communicatur episco-C po. Clamet, inquam, aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius ejusdem provinciæ Laurentius episcopus, et prorsus hujus vocibus clamet, aut in cathedra, cui ordinatus sum, sedere debui, aut episcopus esse non debui. Sed quis vituperet? nisi qui parum attendit, nec inulta omnia relinquenda, nec uno modo omnia vindicanda.

Cum Antonius fraudulenter cum Bonifacio Papa egisset per primatem suum,

654 *Hæc ad Cœlestinum Sanctus, quæ probationis causa hoc loco adduximus. At nunc explicare oportet, quid molitus sit Antonius post expositum episcoporum de eo judicium. Mitiorem fuisse fortasse sententiam, quam oporteret, eaque clementia abusum Antonium, insinuat* Augustinus *his verbis :* In illis autem multiplicibus gestis, quibus de illo nostrum judicium continetur, magis deberem vereri, ne tibi minus severe, quam oporteret, judicasse videamur, nisi scirem vos tam propensos ad misericordiam, ut non solum nobis, quia illi pepercimus, verum etiam ipsi existimetis esse parcendum. Sed ille, quod a nobis aut benigne aut remisse factum est, in præscriptionem vertere atque usurpare conatur : *contendendo sibi totam diœcesim retinquendam fuisse, aut totam adimendam, ut jam vidimus. Egit id primum cum primate suo, per cumque cum Bonifacio Papa : sed clanculum, atque ita, ut initio videretur episcoporum judicio consentire. Sic enim* Augustinus *superius :* Vide... quemadmodum judicio nostro adeo consenserit communione privatus, nisi prius Fussalensibus omnia redderentur, jam postea ut re acta æstimatis * rebus solidos seposuerit, ut ei communio redderetur : quam versuta suasione sanctum senem primatem nostrum gravissimum virum, ut ei cuncta crederet, quem velut omni modo inculpatum venerando Papæ Bonifacio commendaret, induxerit, et cetera, quæ a me quid opus est recoli, cum memoratus venerabilis senex ad tuam sanctimoniam universa retulerit.

AUCTORE J. S.

* *sic editio Benedictinorum*

ue Pontifex illum restitui jussisset, si vera essent relata ; Antonius vi se restituere conabatur :

655 *Bonifacius accepta purgatione Antonii et commendatione primatis, illum restitui jussit, si cuncta fideliter essent exposita. Id insinuant verba* Augustini *inferius, ubi sic habet :* Quia ergo pastorali vigilique cautela beatissimus Papa Bonifacius in epistola sua posuit, de Antonio loquens episcopo, et ait : « Si ordinem rerum nobis fideliter indicavit. » *Antonius autem, acceptis Bonifacii litteris, acsi omnino fuisset absolutus, totam sibi diœcesim subjicere tentavit, ut prosequens* Augustinus *indicat his verbis :* Accipe nunc, E quæ post ejus sanctæ memoriæ viri *(Bonifacii)* in Africa [lectas] litteras gesta sunt, et subveni hominibus, opem tuam in Christi misericordia multo avidius, quam ille, poscentibus, a cujus inquietudine desiderant liberari. Judicia quippe illis, et publicas potestates, et militares impetus, tamquam executuros apostolicæ Sedis sententiam, sive ipse, sive rumores creberrimi comminantur, ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident a Catholico episcopo, quam, cum essent hæretici, a Catholicorum imperatorum legibus formidabant.

verum resistunt ei Africani episcopi, et causam Cœlestino exponunt,

656 *Resistebant hisce molitionibus cum* Augustino *episcopi alii, in quorum partes jam regressus erat primas, qui videbat haud dubie se ab Antonio deceptum, ut colligitur ex verbis jam citatis num.* 654 Cum memoratus venerabilis senex ad tuam sanctimoniam universa retulerit. *Omnes illi judicabant, non absolutum a Bonifacio Antonium; ob adjectam ab illo restrictionem,* si ordinem rerum nobis fideliter indicavit. *Ut vero ostenderent; non fideliter omnia ab Antonio exposita, per primatem miserunt ad Cœlestinum gesta omnia, quibus hanc suam epistolam addidit* F Augustinus, *in qua dicit supra :* Collabora, obsecro, nobiscum, pietate venerabilis domine beatissime et debita caritate venerande sancte Papa, et jube tibi, quæ directa sunt, omnia recitari. *Hactenus causam exposuimus. Nunc audi, quam ardentes preces in fine epistolæ adjungat Sanctus, quantoque dolore urgeretur, quod imprudenter his turbis occasionem dedisset.*

ad quem et litteras ardentissimas scribit Augustinus,

657 Non sinas, *inquit*, ista fieri, obsecro te per Christi Sanguinem, per apostoli Petri memoriam, qui Christianorum præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres. Ego Fussalenses Catholicos filios in Christo meos, et Antonium episcopum, filium in Christo meum, benignitati charitatis sanctitatis tuæ, quia utrosque diligo, utrosque commendo. Neque Fussalensibus succenseo, quia justam de me querimoniam ingeruut auribus tuis, quod eis hominem nondum mihi probatum, nondum saltem ætate firmatum, a quo sic affligerentur, inflixi. Neque huic noceri volo, cui quanto magis sinceram habeo charitatem, tanto magis parvæ ejus cupiditati obsisto. Utrique misericordiam mereantur tuam ; illi

AUCTORE J. S.

illi ne mala patiantur, iste ne faciat : illi, ne oderint Catholicum *, si a Catholicis episcopis, maximeque ab ipsa Sede Apostolica, contra Catholicum non eis subveniatur episcopum : iste autem, ne se tanto scelere obstringat, ut quos molitur invitos facere suos, a Christo faciat alienos. Me sane, quod confitendum est beatitudini tuæ, in isto utrorumque periculo, tantus timor et mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi episcopatum abscedere, si per eum, cujus episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, et, quod ipse Deus avertat, etiam eum vastantis perditione perire conspexero.

* al. rectius Catholicam

malens episcopatum suum deserere, quam Antonium restitui.

658 Recolens enim, quod ait Apostolus, Si nosmetipsos judicaremus, a Domino non judicaremur, judicabo meipsum, ut parcat mihi, qui judicaturus est vivos et mortuos. Si autem et membra Christi, quæ in illa regione sunt, ab exitiabili timore ac tristitia recreaveris, et meam senectutem hac misericordiæ justitia fueris consolatus, retribuet tibi et in præsenti et in futura vita, qui per te nobis in ista tribulatione succurrit, et qui te in illa Sede constituit. B *Eminentissimus Baronius ad annum 424, ubi hæc narraverat, num. 9 recte subdit sequentia :* Annuisse quidem Augustino Cælestinum Romanum Pontificem, inde certam capimus conjecturam, quod idem Cælestinus vehementer ipsum coluit Augustinum, et laudibus mirifice celebravit... Haud enim par est credere, Cælestinum hæc rogantem et enixius expetentem Augustinum, negando in vehementiorem mœrorem conjecisse, quem dilexisse et magno in honore habuisse, certum est. Quod insuper constet post hæc perseverasse Augustinum suæ Hipponensi ecclesiæ episcopum præsidere; æque manifestum indicium est, ex animi ejus sententia Cælestinum in eadem causa rescripsisse. *Idem observat Henschenius noster in Actis S. Cœlestini tom. I Aprilis pag.* 543.

Liberi matris execratione graviter a Deo puniuntur :

659 *Sanctus lib. 22 de Civitate cap. 8 miram juxta ac horrendam narrat historiam de septem fratribus et tribus sororibus, genere non ignobili Cæsareæ in Cappadocia natis, qui imprecatione matris graviter a Deo erant puniti, et ex quibus duo Hippone apud reliquias S. Stephani sunt sanati, præsente* Augustino. *Sanatio illorum contigit Paschali tempore, anno 425, ut putat Tillemontius art.* 322. C *Idem factum refertur in Sermonibus de Diversis, ubi serm. 31 recitatur libellus Pauli primo sanati, in quo ille jussu* Augustini *exponit causam mali, et cur cum sorore sua Palladia Hipponem venerit. Verba ejus accipe :* Cum adhuc in patria Cæsarea Cappadociæ moraremur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit intantum injuriis, ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc faceret, diximus. Illa autem feminei doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cumque ad sacri baptismatis fontem post gallorum cantus memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret : tunc ei nescio quis in patrui nostri simulitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, et ab ea prior, quo pergeret, requisivit. Cui illa, ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam, se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit, ut omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus nudatisque uberibus hoc D a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria et circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur : eundemque continuo fratrem nostrum, ætate culpaque majorem, tremor membrorum tantus invasit, quantum in me usque ante hoc triduum vestra sanctitas vidit. Servato autem ordine, quo nati eramus, intra unum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam et opprobrium hominum diutius ferre non potuit : sed laqueo guttur astringens, luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes, passim sumus per diversa dispersi.

ex quo frater et soror, viso Augustino moniti, Hipponem veniunt : ubi primum frater.

660 Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi quoque ordine primum sequitur, ad gloriosi martyris Laurentii memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem. Ego autem, qui nascendi ordine sum sextus illorum, cum hac sorore mea, quæ me ætate subsequitur, ubicumque E gentium, ubicumque terrarum loca esse sacra, in quibus operaretur Deus miracula, comperissem, magno desideratæ sanitatis amore carpebam iter. Sed ut de cæteris celeberrimis Sanctorum locis taceam, etiam ad Anconam, Italiæ civitatem, ubi per gloriosissimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divina prædestinatione servabar. Nec Usalim civitatem Africæ prætermisi, ubi beatus martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Verumtamen ante hos tres menses, id est, Calendarum Juniarum die, tam ego quam soror mea, quæ hic mecum est, eadem adhuc passione detenta, evidenti sumus visione commoniti. Ait enim mihi quidam aspectu clarus, et candido crine venerabilis, quod intra tertium mensem desiderata esset mihi sanitas affutura. Sorori autem meæ in visione sanctitas tua in ea effigie, in qua te præsentes videmus, apparuit : per quod nobis significatum est, ad istum locum nos venire debuisse. Nam et ego beatitu- F dinem tuam sæpius postea videbam per alias civitates in itinere, quo veniebamus, talem prorsus, qualem modo conspicio. Admoniti ergo evidenti authoritate divina, ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim. *De apparitione illa modestissime Sanctus ipse loquitur in sequenti sermone 33 hunc in modum :* Quid enim sumus, quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, et ego nesciebam; et admonebantur, ut ad istam civitatem venirent. Quis sum ego? Homo sum unus de multis, non de magnis.

deinde et soror, sanantur apud reliquias S. Stephani.

661 *Accipe nunc, quæ de sanatione sua præcedentibus subjungit Paulus :* Passionis meæ, *inquit*, vel oculi vestri testis sunt, vel miserabilis soror mea, quæ ad eruditionem omnium communis mali præbet exemplum; ut, qui in illa, qualis ego fuerim, vident, in me, quantum per Spiritum sanctum suum Dominus sit operatus, agnoscant. Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco, ubi est memoria gloriosissimi martyris Stephani. Die autem Dominico Paschæ, sicut alii, qui præsentes erant, viderant, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, subito cecidi. Alienatus autem a sensu, ubi fuerim, nescio.

A nescio. Post paululum assurrexi, et illum tremorem in corpore meo non inveni. *Addit* Augustinus *lib. 22 de Civitate cap. 8:* Quis ergo intuentium se tenuit a laudibus Dei? Clamantium gratulantiumque vocibus ecclesia usquequaque completa est. Inde ad me curritur, ubi sedebam jam processurus : irruit alter quisque post alterum, omnis posterior, quasi novum, quod alter prior dixerat, nunciantes. Meque gaudente, et apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. *Post quædam in templo adhuc facta, pergit Sanctus cetera referre una cum sanatione Palladiæ his verbis :* Nobiscum homo prandit, et diligenter nobis omnem suæ ac maternæ fraternæque calamitatis indicavit historiam. Sequenti itaque die post sermonem redditum, narrationis ejus libellum in crastinum populo recitandum promisi. Quod cum ex Dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. Intuebatur B populus universus, sexus utriusque, unum stantem sine deformi motu; alteram membris omnibus contrementem Et qui ipsum non viderant, quid in eo divinæ misericordiæ factum esset, in ejus sorore cernebant. Videbant enim, quid in eo gratulandum, quid pro illa esset orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi abire eos præcepi : et de tota ipsa causa aliquanto diligentius cœperam disputare, cum ecce me disputante, voces aliæ de memoria martyris novæ gratulationis audiuntur. Conversi sunt eo, qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim, ubi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad sanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox, ut cancellos attigit, collapsa similiter, velut in somnum, sana surrexit. Dum ergo requireremus, quid factum fuerit, unde iste strepitus lætus extiterit, ingressi sunt cum illa in basilicam, ubi eramus, adducentes eam sanam de martyris loco. Tum vero tantus ab utroque sexu admirationis clamor exortus est, ut vox continuata cum lachrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locum, ubi paulo ante steterat tremens. Exultabant eam similem fratri factam, cui doluerant C remansisse dissimilem. Et nondum fusas preces suas pro illa, jam tamen præviam voluntatem tam cito exauditam esse cernebant. Exultabant in Dei laudem voces, sine verbis tanto sonitu, quantum aures nostræ ferre vix possent. *Hactenus* Augustinus. *Habent ex hoc facto, quod discant parentes æque ac liberi, neque illud inutile erit hæreticis reliquiarum osoribus, modo oculos aperire velint, ut videant.*

§ L. Successor in Cathedram Hipponensem ab Augustino postulatus, et obtentus : Leporius errores suos revocat ope ejusdem Sancti.

Augustinus jam senex

Anno 426 S. Augustinus *jam septuagenario major, cum varios tumultus vidisset in episcoporum electionibus, et periculum turbarum paulo ante fuisset post obitum Severi Milevitani episcopi, quod ille successorem sibi elegisset coram clericis, at non coram universo populo, pericula hæc omnia evitare voluit, successorem sibi postulando coram clero et populo congregato. Res tota narratur in Actis ea de re confectis, quæ inter* Augustini *epistolas exhibentur, tamquam epistola* 110. *Accipe igitur Acta ipsa, quæ satis sunt compendiosa :* Gloriosissimo Theodosio duodecies, et Valentiniano Augusto iterum consule, sexto Calen. Octobris, cum Augustinus episcopus una cum Religiano et Martiniano coëpiscopis suis consedisset in ecclesia pacis Hipponensium regionum, præsentibus Saturnino, Leporio, Barnaba, Fortunatiano, Rustico, Lazaro, et Eradio presbyteris, adstante clero et frequenti populo, Augustinus episcopus dixit : Quod hesterno die promisi charitati vestræ, propter quod vos volui frequentius convenire, et video frequentius convenisse, mora omni postposita hoc agendum est. Si enim aliud velim loqui, in illud suspensi, minus auditis. Omnes in hac vita mortales sumus, et dies hujus vitæ ultimus, omni homini est semper incertus : verumtamen in infantia, speratur pueritia; et in pueritia, speratur adolescentia; et in E adolescentia speratur juventus; et in juventute speratur gravitas; et in gravitate speratur senectus : utrum contingat, incertum est : est tamen quod speretur. Senectus autem aliam ætatem, quam speret, non habet : incertum est enim ipsa senectus quamdiu sit homini; illud tamen certum est, nullam remanere ætatem, quæ possit succedere senectuti : quia voluit Deus, ad istam civitatem cum vigore ætatis adveni, et tamen juvenis fui et senui.

AUCTORE J. S.

663 Scio post obitus episcoporum, per ambitiosos aut contentiosos solere ecclesias perturbari, et quod sæpe expertus sum et dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat huic prospicere civitati. Sicuti novit charitas vestra, in Milevitana ecclesia modo fui : petierant enim me fratres, et maxime servi Dei, qui ibi sunt, ut venirem : quia post obitum beatæ memoriæ fratris et coepiscopi mei Severi, nonnulla ibi perturbatio populi timebatur. Veni, et quomodo voluit Dominus adjuvit nos pro sua misericordia, ut cum pace episcopum acciperent, quem vivus designaverat episcopus eorum. Hoc enim eis cum innotuisset, voluntatem præcedentis et decedentis episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat, unde nonnulli contristabantur, quia frater Severus credidit posse sufficere, ut successorem suum apud clericos designaret, ad populum inde non est locutus : et erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid plura? Deo placuit : tristitia fugata est, gaudium successit. Ordinatus est episcopus, quem præcedens episcopus designaverat. Ergo ne aliquis de me queratur, voluntatem meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam perfero : presbyterum Eradium mihi successorem volo. A populo acclamatum est; Deo gratias, Christo laudes : dictum est vicies ter. Exaudi Christe, Augustino vita : dictum est sexies decies. Te patrem, te episcopum; dictum est octies.

successorem sibi postulat,

664 Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit : Non opus est me de laudibus ejus aliquid dicere, faveo sapientiæ, et parco verecundiæ : sufficit quia nostis eum et hoc me velle dico, quod vos velle scio : et si ante nescirem, hodie probarem. Hoc ergo volo : hoc a Domino Deo nostro, nunc etiam in ætate frigida, votis ferventibus posco : hoc ut mecum oretis exhortor, admoneo, rogo, ut omnium in pace Christi collatis et conflatis mentibus confirmet Deus.

eumque obtinet, sed relinquit presbyterum;

AUCTORE J. S.

Deus, quod operatus est in nobis. Qui misit mihi eum, servet eum; servet incolumem, servet sine crimine, ut qui facit gaudium viventis, locum suppleat morientis. A notariis ecclesiæ, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, et meus sermo, et vestræ acclamationes in terram non cadunt. Apertius ut dicam, ecclesiastica nunc gesta conficimus. Sic enim hoc esse, quantum ad homines attinet, confirmatum volo. A populo acclamatum est trigesies sexies; Deo gratias, Christo laudes. Exaudi Christe, Augustino vita, dictum est tredecies. Te patrem, te episcopum, dictum est octies. Dignus et justus est; dictum est vicies. Bene meritus, bene dignus, dictum est quinquies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit: Ego, ut dicebam, voluntatem meam et voluntatem vestram gestis ecclesiasticis, quantum ad homines attinet, confirmatam volo: quantum vero ad latentem Omnipotentis voluntatem, omnes (ut dixi) oremus ut confirmet Deus, quod operatus est in omnibus. A populo acclamatum est; Judicio tuo gratias agimus; dictum est sedecies. Fiat, fiat; dictum est duodecies. Te patrem, Eradium episcopum; dictum
B sexies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit: Scio, quod scitis et vos, sed nolo de illo fieri, quod de me factum est: quod autem factum sit, multi scitis: illi soli nesciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem sciendi. Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. A populo acclamatum est; Deo gratias, Christo laudes; dictum est tredecies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dicit: Erit presbyter, ut est, quando Deus voluerit, futurus episcopus.

ad eumdem deferri jubet controversias,

665 Sed plane modo facturus sum adjuvante misericordia Christi, quod adhuc usque non feci. Nostis ante aliquot annos, quid facere voluerim, et non permisistis. Placuit mihi et vobis propter curam Scripturarum, quam mihi fratres et patres mei episcopi duobus conciliis Numidiæ et Carthaginis imponere dignati sunt, ut per quinque dies nemo mihi molestus esset. Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis. Recitatur placitum
C vestrum, et acclamatio vestra. Parvo tempore servatum est circa me, et postea violenter irruptum est, et non permittor ad quod volo vacare. Ante meridiem et post meridiem occupationibus hominum teneor. Obsecro vos et obstringo per Christum, ut huic juveni, huic presbytero Eradio, quem hodie in nomine Christi designo episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum. A populo acclamatum est; Judicio tuo gratias agimus; dictum est vicies sexies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit: Ego charitati et benevolentiæ vestræ apud Dominum Deum nostrum gratias ago, imo de illa Deo gratias. Ergo fratres, quidquid est, quod ad me perferebatur, ad illum perferatur: ubi necessarium habuerit consilium, meum non negabo auxilium. Absit ut me subtraham: tamen quidquid illud est, quod ad me perferebatur, ad illum perferatur. Ipse me autem consulat, si forte non invenit, quid facere debeat, aut poscat adjutorem, quem novit patrem: ut et vobis nihil desit, et ego tandem aliquando, si quantulumcumque spatium mihi hujus vitæ donaverit Deus, ipsam meam quantulamcumque vitam non dem segnitiei, nec donem D inertiæ, sed in sanctis Scripturis, quantum ipse permittit et largitur, exerceam: hoc et ipsi proderit, et per ipsum etiam vobis. Nemo ergo invideat otio meo, quia meum otium magnum habet negotium. Video me de hac re, propter quam vos invitavi, omnia vobiscum egisse, quæ debui.

nomen successoris illius varie scriptum:

666 Hoc ad ultimum rogo, ut gestis istis dignemini subscribere qui potestis. Hic mihi responsione vestra opus est: teneam responsionem vestram: de hac assensione aliquid acclamate. A populo acclamatum: Fiat, fiat; dictum vicies quinquies: Dignum est, justum est; dictum vicies octies: Fiat, fiat; dictum quater decies: Olim dignus, olim meritus; dictum vicies quinquies: Judicio tuo gratias agimus; dictum tredecies: Exaudi Christe, Eradium conserva: dictum octies decies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit: Bene habet, ut ea, quæ Dei sunt, circa sacrificium ejus agere valeamus, in qua hora supplicationis nostræ maxime commendo charitati vestræ, ut omnes vestras causas et negotia intermittatis, et pro ista ecclesia, et pro me, et pro presbytero Eradio Domino precem fundatis. *Hactenus Acta,* E *in quibus aliquid notandum de nomine successoris* S. Augustini. *In editione Plantiniana, quam sequimur passim, semper vocatur* Eradius, *uti in aliis usque ad Benedictinam et At Benedictini editores ad hæc Acta (quæ ibi habent locum epistolæ* 213*) observant, in omnibus Mss. legi* Eraclium, *aut* Heraclium *ideoque apud ipsos ubique legitur* Eraclius.

ejusdem virtutes et merita.

667 *Porro* S. Augustinus *de eodem agit in Serm.* 50 *de Diversis, eum ipse erat diaconus, ubi Lovanienses etiam in textu vocant* Eraclium, *licet notent in margine alias legi* Eradium. *Verba* Augustini *subjungo, ut virtutes Eraclii ex iis innotescant:* Diaconus Eraclius, *inquit,* ante vestros oculos versatur, et opera ejus lucent coram oculis vestris. De opere ejus et expensa pecunia memoriam * sancti Martyris habemus. De pecunia sua emit etiam possessionem ex consilio meo: nam ipsam pecuniam voluit per manus meas erogare, sicuti mihi placeret... Emit etiam spatium ab ista postea ecclesia notum vobis, et sua pecunia ædificavit domum. Et hoc nostis. Ante paucos dies . . . . eam donavit ecclesiæ. Expectabat enim, ut eam perficeret, et perfectam donaret. . F Testimonium ei perhibeo, pauper remansit, sed in charitatis possessione remansit. Aliqui servuli ejus reliqui fuerant, jam quidem in monasterio viventes, quos tamen gestis ecclesiasticis manu missurus est hodie. *Hæc sufficiunt, ut ostendamus, quam dignum sibi successorem voluerit* Augustinus. *Ad concionem dixisse, jubente* Augustino, *probat sermo ejus perbrevis, quem Benedictini editores dederunt tom.* 5 *Operum* Augustini *col.* 1524, *ut notat Tillemontius art.* 325. *Gesta ejus posteriora sunt ignota, nisi quod constet ex libro* I S. Augustini *contra Maximinum cap.* 1, *ubi* Heraclius *dicitur, cum Maximino Arianorum episcopo disputasse, priusquam hic cum* Augustino *ipso congrederetur.*

* i. e. ecclesiam

Cum Leporius monachus in Pelagianos et Nestorianos errores incidisset.

668 *Celebris fuit seculo* V *palinodia Leporii monachi ac deinde presbyteri, quam Tillemontius in* Augustino *art.* 323 *putat contigisse circa annum.* 427. *Ratio ejus petitur ex* Augustino, *qui cap.* XI *de Correptione et gratia hæc habet:* Neque enim quisquam tanta rei hujus et fidei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu sancto et Virgine Maria Filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, et sine

A sine peccato bona in opera faciendo meruisse, ut esset Dei Filius. *Idem tamen* Augustinus *in Opere imperfecto contra Julianum lib.* 4, *cap.* 83 *eumdem errorem Pelagianis attribuit, dum inter alia sic dicit:* Siccine vos contra Dei gratiam defensio liberi arbitrii præcipites agit, ut etiam ipsum Mediatorem, ut esset Dei Filius unicus, voluntate sua meruisse dicatis? *Hinc colligitur, errorem illum* Augustino *innotuisse medio tempore inter scripta laudata Opuscula. Itaque, cum ille error esset Leporii, et innotescere debuerit* Augustino *ex ejus palinodia, videtur illa contigisse circa annum* 427, *ut recte colligit Tillemontius, qui contrariam Norisii opinionem refutat notat* 85. *Ex hac epocha ibidem probat laudatus Tillemontius Leporium hunc diversum esse a Leporio,* Augustini *presbytero, quem laudat Serm.* 50 *de Diversis, cum Hipponensis ille Leporius jam presbyter esset anno* 425 *aut* 426; *alter vero solum monachus, dum errores suos publice correxit.*

B 669 *Porro Leporium opera maxime* S. Augustini *ad mentem reductum, docet Gennadius Massiliensis, qui lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 59 *de eo sic habet:* Leporius adhuc monachus, postea presbyter, præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tamen * et conatu proprio, non Dei adjutorio obtinuisse crediderat, Pelagianum dogma cœperat sequi; sed a Gallicanis doctoribus admonitus, et in Africa per Augustinum emendatus, scripsit emendationis suæ libellum. In quo et satisfacit de errore, et gratias agit de emendatione: simul et, quod male senserat de Incarnatione Christi, corrigens, Catholicam sententiam tulit, dicens, manentibus in Christo duabus naturis, unam credi Filii Dei personam. *Libellum Leporii edidit Sirmondus, in cujus Operibus recusis habetur tom.* I *a col.* 203. *Ex illo facile colligitur, ejus errores maxime versatos esse circa Incarnationis mysterium, præcursoremque fuisse Nestorii: quod et aliunde constat. Libellum hunc cum Aurelio Carthaginensi aliisque duobus episcopis subscripsit* Augustinus, *litterasque cum eisdem adjecit, ut Galliæ episcopis innotesceret, Leporium vere resipuisse. Edidit has quoque litteras laudatus Sirmondus, atque observavit, ex stylo apparere, scriptas esse ab* Augustino, *licet quatuor episcoporum nomine insignitæ sint.*

illos, admitente S. Augustino, revocat publico libello,

** al.* tantum

C 670 *Quin et libellum ipsum ab* Augustino *compositum esse, existimat cum aliis Tillemontius art.* 331, *tum quod conformis videatur epistolæ Sancti* 3 *et* 57, *tum quod citetur nomine* S. Augustini *a Concilio Chalcedonensi (tom.* 4 *Concil. col.* 365,) *a S Leone Magno epist.* 134, *et a Theodoreto Dialogo* 2 *pag.* 108, *tum quod ipse Leporius in subscriptione non dicat a se compositum, sed* libellum meo sensu dictatum... subscripsi. *Hæ rationes hujusmodi sunt, ut libellus* Augustino *videatur adjudicandus. Occurrrit tamen difficultas aliqua. Quippe in isto libello asseri videtur, per mortem Christi corpus ejus ita relictum a Divinitate, sicut ab anima fuit relictum: cui opinioni* Augustinus *tract.* 47 *in Joannem adversatur, late probans carnem Christi, etiam separatam ab anima, cum Divinitate fuisse conjunctam. Verba ipsa libelli accipe:* Quia per mortem crucis necessario terrenum corpus erat a Deo pro tempore relinquendum, non solum a Deo, verum etiam ab anima sua, quæ erat unita cum Deo *etc. Et mox:* Divinitas cum unita sibi anima.. exanimem carnem deseruit ad tempus. *Hæc non apparent conformia* Augustino, *ut dixi, nisi commoda expositio alium sensum, quam verba ipsa præferre videntur, invenire potuerit. Expositioni autem locum præbent verba sequentia:* Et tam Christus Filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulchro, quam idem Christus Filius Dei ad inferna descendit. *Si enim Filius Dei jacuit in sepulchro, ut vere dicitur, dum in sepulchro jacuit corpus: ergo cum corpore unita erat Divinitas. Existimare igitur possumus, auctorem libelli verbis citatis solum docere voluisse, corpus Christi eo sensu desertum a Divinitate, quod Divinitas mortem corporis non impediverit, licet corpori semper manserit unita: et sic nihil oberit, quo minus libellum* S. Augustino *adjudicemus.*

qui ab ipso Augustino videtur compositus.

§ LI. Libri Retractationum, Speculum, liber de Hæresibus.

E Duos *Retractationum libros ab* Augustino *sub finem vitæ scriptos, testatur Possidius infra cap.* 6, *num.* 60, *illos nominans* de Recensione librorum. *Opus illud diu ante meditatum esse Sanctum, discimus ex epistola* 7 *ad Marcellinum, quam Tillemontius art.* 226 *affigit anno* 412. *Lubet audire quanta modestia Doctor sapientissimus ibidem loquatur de Operibus suis, quæ bonorum omnium approbatione et plausu maximo excipiebantur. Post verba dictæ epistolæ num.* 380 *citata, quorum postrema:* Nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat: *modestissimus Præsul sic prosequitur:* Quanto enim melius et utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat. Si enim mihi Deus, quod volo, præstiterit, ut omnium librorum meorum quæcumque mihi rectissime displicent, Opere aliquo ad hoc ipsum instituto colligam atque demonstrem: tunc videbunt omnes homines, quam non sim acceptor personæ meæ. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis. F non bonam causam suscepistis, facile in ea me ipso judice superamini: quoniam non mihi placet, cum a charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profecto enim non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt: si non quod sum, sed quod non sum, diligunt. Nam in quantum me noverunt, vel de me verum credunt, ego ab eis diligor: in quantum autem mihi tribuunt, quod in me non cognoscunt, alium talem, qualem me putant, pro me diligunt. Romani maximus autor Tullius eloquii, Nullum umquam verbum, inquit, quod revocare vellet, emisit.

Sanctus modestissime sentiens de scriptis suis.

672 Quæ quidem laus quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. Nam et illi, quos vulgo moriones vocant, quanto magis a sensu communi dissonant, magisque absurdi et insulsi sunt, tanto magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint, quia dicti mali, vel stulti, vel incommodi pœnitere, utique cordatorum est. Sed si in bonam partem accipiatur, ut quempiam talem fuisse credamus, qui cum sapienter omnia

et agnoscens se quoque erroribus obnoxium,

loqueretur

AUCTORE J. S.

loqueretur, nullum umquam verbum, quod revocare vellet, emisit: hoc potius de hominibus Dei, qui Spiritu sancto acti loquuti sunt, quam de illo, quem sic Cicero laudat, saluberrima pietate credendum est. Ab hac ego excellentia tam longe absum, ut, si nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo sim quam sapienti similior. Illius quippe scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. Hoc quisquis nondum est assequutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ: quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse. Cum ergo non sicut quidam charissimi mei putant, nulla vel pauca, sed potius plura fortasse quam etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem revocare, si possem, non mihi Tulliana illa blanditur sententia, qua dictum est: Nullum umquam verbum, quod revocare vellet, emisit: sed angit me plane Horatiana sententia, Nescit vox missa reverti. Hinc est quod periculosissimarum quæ- B stionum libros, de Genesi scilicet, et de Trinitate, diutius teneo quam vultis et fertis: ut si non potuerint nisi habere aliqua, quæ merito reprehendantur, saltem pauciora sint, quam esse possent, si præcipiti festinatione inconsultius ederentur. Vos enim, ut vestræ iudicant litteræ, (nam hoc mihi etiam sanctus frater et coepiscopus meus scripsit Florentius) ideo ut edantur urgetis, quo possint a me, dum in hac carne vivo, defendi, cum vel ab inimicis mordentibus, vel etiam ab amicis parum intelligentibus, fortasse in quibusdam cœperint accusari. Quod utique propterea dicitis, quia non putatis esse in eis aliquid, quod vera possit ratione culpari. Alioquin non me ad eorum editionem, sed ad diligentiorem emendationem potius hortaremini. Ego autem judices veros, et veritate severos magis intueor, inter quos et meipsum primitus constituere volo, ut ad illos ea tantum reprehendenda perveniant, quæ a me quamvis sedulo perscrutante, minime videri potuerunt.

diu meditatus est Retractationum libros,

673 *Hanc mentem suam expressit quoque lib. de Dono perseverantiæ cap.* 21 *his verbis:* Quam- C vis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus Opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse: quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse. *Demum in præfatione ad ipsos Retractationum libros plenius explicat, et qua de causa, et quo ordine, libros istos conscripserit, dum ita rationem consilii sui reddit:* Jam diu istud facere cogito atque dispono, quod nunc adjuvante Domino aggredior: quia differendum esse non arbitror, ut Opuscula mea sive in libris, sive in epistolis, sive in tractatibus, cum quadam judiciaria severitate recenseam, et quod me offendit, velut censorio stilo denotem. Neque enim quisquam nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit, non ea debuisse a me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, et mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum et ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem. Sed D qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuisse. Sed ut volet quisque accipiat hoc, quod facio, me tamen apostolicam illam sententiam et in hac re oportuit intueri, ubi ait: Si nosipsos judicaremus, a Domino non judicaremur. Illud enim, quod scriptum est: Ex multiloquio non effugies peccatum: terret me plurimum, non quia multa scripsi, vel quia multa etiam, quæ dictata non sunt, tamen a me dicta conscripta sunt. Absit enim ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur. Sed istam sententiam Scripturæ sanctæ propterea timeo, quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certe videantur, sive etiam convincantur, non necessaria.

ex quibus duos edidit. Sermones et Epistolas

674 Quem vero Christus fidelium suorum non terruit, ubi ait: Omne verbum otiosum, quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die judicii? Unde et ejus apostolus Jacobus: E Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et alio loco: Nolite, inquit, plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis: in multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cum jam sim senex: quanto minus cum juvenis cœpi scribere, vel apud populos dicere: tantumque mihi tributum est, ut ubicumque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer, et esse velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Restat igitur ut me ipse judicem sub Magistro uno, cujus de offensionibus meis judicium evadere cupio. Magistros autem plures tunc fieri existimo, cum diversa atque inter se adversa sentiunt. Cum vero id ipsum dicunt omnes, et verum dicunt: ab unius veri Magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illius multa dicunt, sed cum addunt sua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium. Scribere autem ista mihi placuit, ut hæc emittam in manus hominum, a F quibus ea, quæ jam edidi, revocare emendanda non possum. Nec illa sane prætereo, quæ catechumenus jam, licet relicta spe, quam terrenam gerebam, sed adhuc secularium litterarum inflatus consuetudine scripsi: quia et ipsa exierunt in notitiam describentium atque legentium, et leguntur utiliter, si nonnullis ignoscatur: vel si non ignoscatur, non tamen inhæreatur erratis. Quapropter quicumque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. Inveniet enim fortasse, quomodo scribendo profecerim, quisquis Opuscula mea ordine, quo scripta sunt, legerit. Quod ut possit, hoc Opere, quantum potuero, curabo ut eumdem ordinem noverit. *Hactenus Sancti præfatio. Quo usque vero hoc Opus perfecerit, explicat in conclusione libri* 2 *hisce verbis:* Hæc Opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando hæc retractavi, utrum aliquos adhuc essem dictaturus, ignorans: atque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi urgentibus fratribus, antequam epistolas et sermones ad populum, alios dictatos, alios a me dictos, retractare cœpissem. *Inter sermones numeravit Expositionem*

A *Expositionem Psalmorum, atque Euangelii et Epistolæ S. Joannis, de quibus in Retractationibus non meminit.*

etiam retractare cupiebat et cœperat, sed aliis impeditus,

675 *Cupiebat quidem summopere sanctus Doctor Epistolas quoque et Sermones ad limam revocare. Verum, dum istis occupabatur, coactus est respondere Juliano Pelagiano, ut docet in epistola ad Quodvultdeum, impressa tom. 6 Operum pag. 4, ubi sic habet :* Cujus instantia *(Alypium dicit, qui urgebat ut responderet Juliano)* coactus sum remissus semper agere, quod agebam, ut Operi utrique non deessem, uni diebus, alteri noctibus, quando mihi ab aliis occupationibus, hinc atque hinc venire non desistentibus, parceretur. Agebam vero rem plurimum necessariam : nam retractabam Opuscula mea, et si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi deberet et posset, operabat : et duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam ; eosque CCXXXII esse cognovi. Restabant epistolæ et tractatus populares, quos Græci homilias vo-

B cant. Et plurimas epistolarum legeram, sed adhuc nihil inde dictaveram, cum me etiam isti Juliani libri occupare cœperant. *Hæc Quodvultdeo, qui petebat, ut de Hæresibus scriberet, quod se promittit facturum,* et *simul* illud, *inquit,* de Retractatioue Opusculorum nostrorum, nocturnis et diurnis temporibus in singula distributis. *Ita diligentissimus Senex. Neutrum tamen perficere potuit morte præventus, ut de Opusculo de Hæresibus mox videbimus.*

Operi tandem est immortuus quales hi libri.

676 *At nunc prius audiamus judicium Cassiodori de Retractationum libris, quos duos tantum cum Possidio agnoscit, ita ut alii in lucem non videantur prolati. Ille de Institutione cap. 16 de iis hæc scripsit :* Si quis. . dicta sua diligenti cupit examinatione purgare, nec incauta temeritate delinquere, duos libros Retractationum sancti Augustini studiosa lectione percurrat : unde et se comat imitando, et agnoscat quantam sapientiæ copiam beatissimo Patri indulgentia divina contulerit ; ut quem nemo poterat fortasse reprehendere, ipse se videatur cautissima retractatione corrigere. Longum est illius Viri singula

C quæque memorare, dum de ejus Opusculis iudicandis codex non parvus existat ; qui quamlibet dicta ipsius breviter commemoret ; tamen in numerosas progressus est paginas lectionum. *Ceterum, ne quis putet magnos multosque errores ab* Augustino *correctos, observat Rivius lib. 4, cap. 5 § 7 excepto Semipelagianorum errore, qui juveni exciderat, nihil in illis præcipui erroris correctum. Quippe, ut recte monet,* magis iu explicanda doctrina ipsius, ac præcavendis alienis erroribus, et castigando phrasium quarumdam aut vocabulorum usu ; quam in propriis erroribus, vel rebus alicujus momenti corrigendis versantur.

Speculum ex sacra Scriptura collectum,

677 *Possidius in Vita inferius edenda num. 60 insinuat, etiam* Speculum S. Augustini *scriptum fuisse sub finem vitæ ipsius, cum illud libris Retractationum mox subnectat. Opusculum istud satis prolixum ex sacra Scriptura collectum est, atque exstat tom. 3 Operum a pag. 324. Quid in eo componendo intenderit Sanctus, exponit in præfatione his verbis :* De his.., quæ ita sunt posita iu Literis sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est tempore novi Testamenti, ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc Opus, quod in manus sumpsi, componere agressus sum, ut, quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis Libris colligam, atque, ut facile inspici possint, in unum tamquam speculum colligam : . . . Nos autem id hoc Opere nec exercemus quibusdam salubribus difficultatibus ingenium intentionemque discentium : sed cum, qui jam credens obedire Deo voluerit, ut hic se inspiciat, admonemus, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit, attendat. Sic enim potest et de his, quæ habet, gratias agere, [et de his, quæ non habet, ut habeat, satis agere] ac propter illa servanda curam precesque fidelis pietatis adhibere.

alterum Speculi librum meditatus, perficere non potuit :

678 *Hisce, quæ perfecta habemus, alia meditabatur Sanctus adjungere, de quibus sic prosequitur :* In his autem omnibus, quæ inspicienda ponere institui, quæcumque inter se videbuntur esse contraria, postea propositis quæstionibus exponenda atque solvenda sunt. *Verum, cum de his quæstionibus nihil memoret Possidius, nihil ad posteros pervenerit, credibile est, Sanctum non potuisse id Opus perficere. Speculum vero ipsum sic commendat Cassiodorus de Institut. cap. 16 :* Similiter etiam liber ejusdem quasi philosophiæ E moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex divina auctoritate collegit, Speculumque nominavit, magna intentione legendus est. *Porro quandoquidem huic Speculo apprime conveniunt, quæ de* Augustini *Speculo refert Possidius, dubium esse non potest, quin istud sit ipsius. Verum eadem ratione inter suppositilia haberi debent tria alia Specula, quæ nomine* S. Augustini *aliquando fuerunt insignita; cum unum dumtaxat Speculum memoret Possidius; ejusque verba aliis istis Speculis non concordent. Unum ex prædictis Speculis edidit Hieronymus Vignier, quod* Augustini *non esse latius probat Tillemontius art 336. Duo alia in Appendicem tomi 6 rejecerunt editores Benedictini, atque in præmonitione ad utrumque probarunt, auctorum esse* Augustino *longe posteriorum. Hisce itaque missis, ad Opus progredior, quod postremo inchoavit.*

contendente id multis atque iteratis precibus Quodvultdeo,

679 *Huic occasionem præbuit Quodvultdeus diaconus Carthaginensis, qui non destitit summis precibus ab* Augustino *contendere, ut de Hæresibus scriberet, donec tandem obtinuerit, quod desiderabat. Epistola ejus gemina edita est ante* F *ipsum Opus de Hæresibus tom. 6, pag. 3 : in prima autem sic affatur Sanctum :* Diu trepidus fui, et ausus meos aliquotiens distuli : sed me principaliter, ut dici assolet, animavit Beatitudinis tuæ benevolentia omnibus comprobata. Quam dum considero, magis timui, ne non petendo superbus, non quærendo desidiosus, non pulsando piger a Domino judicarer. Sufficere autem mihi crederem hujusmodi tantummodo voluntatem, si fructum adipisci non possem. Cum autem pro certo noverim, ostium divini sermonis, quod Venerationi tuæ cælestis gratia patefecit, paratam esse mentem tuam sanctam, quam possidet Christus, non solum cunctis volentibus paudere, verum etiam nolentibus, ut introire non pigeat, persuadere ; occupationi Reverentiæ tuæ multiloquio superfluo moram non faciam, sed desiderium obsecrationis meæ breviter indicabo. *Desiderabat nimirum* breviter, perstricte atque summatim, et opiniones . . cujuslibet hæresis poni, et quid contra teneat Ecclesia Catholica, quantum instructioni satis est, subdi. *Quod latius explicat, ac concludit his verbis :* Video quam onerosus existam meliora cogitanti, et disponenti majora

AUCTORE J. S.

majora sancto Seni, et querelas corporis sustinenti. Sed per Christum Dominum rogo, qui te participem sapientiæ suæ sine invidia esse concessit, ut hanc gratiam dones indoctis Ecclesiæ, qui te agnoscis sapientibus atque insipientibus debitorem; merito ac jure dicturus: Videte quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. Potui adhuc offerre supplices et multiplices preces, et mecum imperitorum classes adsciscere; sed malui jam gaudere dictantem, quam adhuc occupare legentem.

Inchoat Opus de Hæresibus, ac primum librum perficit.

680 *Respondit* Augustinus *S. Epiphanium et Philastrium de hæresibus scripsisse.* Vide ergo, *ait Quodvultdeo*, ne forte librum sancti Epiphanii tibi mittere debeam, ipsum enim arbitror Philastrio doctius hinc locutum, qui possit apud Carthaginem in linguam Latinam verti facilius atque commodius, ut tu potius præstes nobis, quod quæris a nobis. *Non acquievit hisce Quodvultdeus; verum et rationibus et iteratis precibus* Augustinum *permovere conatus, ut Opus aggrederetur, epistolam ibi subjunctam sic concludit:*
B Quamobrem ad peculiare patrocinium Pietatis tuæ confugio, et voce mea, sed universali desiderio, paratum ad misericordiam sacrosanctum pietatis pectus appello, sequestratis saporibus peregrinis, considerato textu prioris epistolæ, panem Afrum, quem nostra provincia solet habere præcipuum, cælesti etiam manna conditum, sero pulsanti et famem patienti non deneges. Profecto enim nec ego pulsare cessabo, donec ipse concedas; ut quod non impetrat privilegium, ubi nullum est meritum, saltem indefessa importunitas mereatur. *Permotus his litteris* Augustinus *Opus meditari cœpit, sed aliis nimium occupatus, istud necdum potuit inchoare, uti docet epistola ejus reponsoria, ex qua superius quædam citavimus. Demum tamen incepit, ac primum librum absolvit: at totum, quod meditabatur, Opus perfigere non potuit. Hinc Possidius Indiculi cap.* 5 *vocat* Opus imperfectum. *Scripserat quidem sanctus Doctor de hæresibus usque ad sua tempora, postremam memorans Pelagianam, ideoque Opus hac ex parte perfectum videri potest: verum quid insuper meditaretur in conclusione exponit his verbis:* Quid ergo faciat hæreticum, deinceps requirendum est; ut cum hoc Domino
C adjuvante vitamus, non solum ea, quæ scimus, verum etiam, quæ nescimus, sive quæ jam orta sunt, sive quæ adhuc oriri poterunt, hæretica venena vitemus. *Tum subdit:* Hujus autem sit jam voluminis finis, quem propterea vobis, antequam totum hoc Opus perficerem, credidi esse mittendum, ut cum quicumque legeritis, ad id, quod restat, implendum, quod tam magnum esse cernitis, me orationibus adjuvetis. *Hujus quoque libri lectionem commendat Cassiodorus de instit. cap.* 22.

§ LII. Occasio Africæ vastatæ per Wandalos, ipsaque vastatio et mors S. Augustini,

Bonifacius comes, vir egregius, et S. Augustino familiaris?

Miseram Africæ vastationem, factam postremis S. Augustini *annis per Wandalos gentesque iis fœderatas, describit Possidius in Vita apud nos cap.* 6. *At non explicat, quæ occasione barbari illi in florentissimam provinciam penetrarint, eamque totam demum sibi subjugarint.* D *Id igitur hic enarrabimus. Africam comitis titulo administrabat Bonifacius* S. Augustino *familiaris. De hujus virtutibus Photius in Bibliotheca ex Olympiodoro cap.* 80 *pag.* 195 *sic habet:* Bonifacius vir erat heroïcus, qui cum multis sæpe gentibus barbaris strenue pugnavit, paucis interdum copiis adhibitis, interdum pluribus, nonnumquam vero et singulari certamine; et, ut verbo dicam, barbaras multas variasque gentes Africa expulit. Idem justitiæ vel in primis studiosus et abstinens ac pecuniarum contemptor fuit, *etc. Similia de bellica ejus virtute Procopius post citandus, aliique, quos brevitatis causa prætermitto.* Augustinus *vero epistolam* 50, *quam ad illum scripsit de coërcendis Donatistis, sic orditur:* Laudo, et gratulor, et admiror, fili dilectissime Bonifaci, quod inter curas bellorum et armorum, vehementer desideras ea nosse, quæ Dei sunt. Vere hinc te apparet etiam de ipsa virtute militari fidei servire, quam habes in Christo. *Idem epist.* 205, *ubi petenti monita sanctissima præscripserat Christiane et pie vivendi, subjungit:* Et in his quidem bene studiosum te E esse cognovi, et fama tua multum delector, multumque tibi in Domino gratulor, ita ut hæc epistola magis tibi sit speculum, ubi qualis sis videas, quam ubi discas, qualis esse debeas.

Cui ille cum Alypio vitam monasticam dissuaserat.

682 *Videtur Bonifacius, dum hæc scribebat* Augustinus, *in animo habuisse militiam deserere omnemque mundi vanitatem: Sanctus enim inter alia ei hæc scribit:* Noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. *Et, ubi hoc variis exemplis probaverat, subdit:* Alii ergo pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros .... Non debemus ante tempus velle cum solis sanctis et justis vivere, ut hoc suo tempore mereamur accipere. *Hæc animum Bonifacii utcumque indicant, sed obscurius. Verum ea mente aliquando fuisse, ut, relicta militia, monasticam vitam amplecti voluerit, idque ei dissuasum ab* Augustino *et Alypio, certum est ex epistola* Augustini 70, *in qua Bonifacium sic alloquitur:* Recole qualis fueris, adhuc in corpore constituta religiosæ memoriæ priore conjuge tua, et recenti ejus obitu, quomodo tibi vanitas seculi hujus horruerit, et quomodo concupieris servitutem Dei. Nos novimus, nos testes sumus, quid nobiscum apud F Tubunas de animo et voluntate tua fueris collocutus. Soli tecum eramus ego et frater Alipius. Non enim existimo tantum valuisse terrenas curas, quibus impletus es, ut hoc de memoria tua penitus delere potuerint. Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, et te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei monachi vivunt. Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis, quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensæ ab infestationibus barbarorum, quietam et tranquillam vitam agerent, sicut dicit Apostolus, in omni pietate et castitate: autem ex hoc mundo nihil quæreres, nisi ea, quæ necessaria essent huic vitæ sustentandæ tuæ ac tuorum, accinctus balteo castissimæ continentiæ, et inter arma corporalia spiritualibus armis tutius fortiusque munitus. *Hæc quo tempore gesta sint non liquet.*

Secundis nuptiis ad deteriora prolabitur,

683 *Porro, etiamsi negari non possit prudens fuisse* Augustini *et Alypii consilium, eventum tamen*

A *tamen habuit funestum. Causa fuisse videtur novum Bonifacii matrimonium, quo ille ad deteriora prolapsus est. Audi* Augustinum *loco indicato :* Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti, uxoremque duxisti : sed navigasse obedientiæ fuit,... uxorem autem non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam, concupiscentia victus esses. Quod ego cum comperissem fateor, miratus obstupui. Dolorem autem meum ex aliqua parte consolabatur, quod audivi te illam ducere noluisse, nisi prius Catholica fuisset facta. Et tamen hæresis eorum, qui verum Filium Dei negant, tantum prævaluit in domo tua, ut ab ipsis filia tua baptizaretur. *Addit alia ejus peccata, quæ falsa esse optat. Deinde vero :* Ista omnibus patent, tot et tanta mala, quæ te, posteaquam conjugatus es, consecuta sunt. *Quibus verbis insinuat Sanctus, in multa incidisse infortunia, quia secundis nuptiis, cum Ariana femina contractis, Deum offenderat. Præterea existimat Baronius nuptias istas etiam occasionem præbuisse calumniæ, qua ab* B *æmulis depressus est. Verba ejus accipe ad annum* 427 *num.* 2 *:* Porro ansa Bonifacium accusandi, et suspicionem adducendi apud imperatorem, ea æmulis tributa est, quod cum eidem Bonifacio jussu ejusdem imperatoris proficiscendum fuisset in Hispaniam, ibi affinem Wandalorum regibus uxorem duxerat, eosque barbaros, sibi fœdere nuptiarum obstrinxerat. *Hæc quidem conjectura non omnino certa est, satis tamen probabilis.*

et calumnia appetitus, suspectus fit ;

684 *At certum est, calumniam ei structam, eamque fraudulento dolo subnixam, ex qua Africæ ruina orta est. Audi Procopium de Bello Wandalico lib.* I *cap.* 3 *:* Duces erant Romani duo, Aëtius et Bonifacius, fortissimi, nec minus quam quivis hominum, quos illa tulit ætas, usu bellorum exerciti. Illi quidem in administranda republica inter se discrepabant ; tanta vero animi magnitudine, eoque virtutis cumulo præditi erant ; ut vere dici possit uterque vir summus Romanorum : nimirum Romana virtus omnis in par illud confluxerat. Cum Bonifacium universæ comitem Africæ Placidia declarasset, ægre id quidem Aëtius, obscure tamen ac dissimulanter, ferebat. Nondum enim eorum simultates eruperant ; sed vultu uterque mentito odium occultabat. Postea vero quam discessit Bonifa- C cius ; ad Placidiam Aëtius detulit, Africam omnem ipsi et imperatori ab illo jam tyranno ereptam : subjecit, verum deprehendi facile posse : numquam enim venturum Bonifacium, si Romam acciretur. His auditis, probavit consilium fœmina, et explevit. Præmiserat jam Aëtius arcanas ad Bonifacium litteras, per quas significabat insidiari ipsi imperatoris matrem, et eripere vitam velle : præmonebat magnum machinationis indicium allatum iri : fore enim propediem, ut indicta causa revocaretur. Hæc erat litterarum sententia : quam minime negligens Bonifacius, ut primum affuere, qui ipsum accersebant ad principem, et huic et matri ejus parere abnuit, nemini prodita Aëtii commonitione. Certior de his facta Placidia, sibi persuasit res imperatoris maxime cordi esse Aëtio, quidque in Bonifacium oporteret suscipi inquisivit.

hostisque declaratur imper[ii] ;

685 *Hac autem inquisitione facta, bellum in ipsum decretum est, tamquam in hostem imperii, ac tres contra eum duces in Africam missi, Mavortius, Galbio et Sinox, qui perierunt omnes, ut narrat Prosper in Chronico ad consulatum Hierii et Ardaburii, qui in annum* 427 *incidit.* *Addit ibidem Prosper :* Exinde gentibus, quæ uti navibus nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est, belliquc contra Bonifacium cœpti in Sigisvultum comitem cura translata est. Gens Vandalorum ab Hispaniis ad Africam transiit ; *vocante nimirum Bonifacio. Verumtamen ingressio Wandalorum in Africam non contigit eodem anno* 427 *: sed vel anno* 428, *ut ostendere nititur Tillemontius tom.* 6 *Imperatorum nota* 4 ; *vel* 429, *ut multis argumentis contendit Pagius ad annum* 428 *num.* 3 *et seqq. Præcessit certe irruptionem illam epistola* Augustini 70, *qua Bonifacium piissimis ac pulcherrimis rationibus ad officium reducere conatur atque ad seculi contemptum, nolens interim judicare, justene an injuste se defenderet, ut docent hæc ejus verba :* Justam quidem dicis habere te causam, cujus judex ego non sum : quoniam partes ambas audire non possum : sed qualiscumque sit tua causa, de qua modo quærere vel disputare non opus est, numquid coram Deo potes negare, quod in istam necessitatem non pervenisses, nisi bona sæculi hujus dilexisses, quæ tamquam servus Dei, quem te ante noveramus, contemnere omnino et pro nihilo habere debuisti. *Hæc epistola continere non potuit tunc Bonifacium, at forsan effecit, ut deinde ad se rediret.* E

AUCTORE J. S.

ille vero ut se defendat, inito cum Wandalis pacto, eos in Africam vocat ;

686 *Quo autem pacto advocaverit Wandalos, laudatus Procopius narrat his verbis :* Bonifacius vero, cum nec resistere posse imperatori videret, nec, si Romam peteret, salutis ulla spes oboriretur, statuit omni ope eniti, ut societatem coïret cum Vandalis, quos supra dixi in Hispania prope Africam sedes fixisse : ubi, jam mortuo Godigisclo, dominatum susceperant ejus filii, Guntharis ex justa uxore ipsi natus, et Gizerichus nothus... Igitur nonnullos ex intimis in Hispaniam misit, sibique ambos Godigiscli filios adjunxit æquali conditione, et his legibus, ut Africæ tertiam quisque partem obtineret, ac seorsum præesset suis. Ad eam pactionem accessere Vandali, transmissoque freto Gaditano, pedem in Africa posuere. *Duo in his corrigenda. Nam primo Godigisclus Wandalorum rex jam in Gallia occisus erat, priusquam Wandali Hispaniam intrarent, ut ostendit Pagius ad annum* 406 *num.* 14. *Secundo Gensericus, vel Geisericus, qui hic* Gizerichus *vocatur, solus in Africam Wandalos duxit : laudatus enim Pagius ad annum* 428 *num.* 2 *ex Idacio et Isidoro refert, Gundericum Genserici fratrem, qui* Guntharis *hic dicitur, occubuisse in Hispania ante Wandalorum in Africam ingressum. Atque ipse Procopius inferius ait, se ex Wandalis audivisse Gundericum seu Gontharium in Hispania mortuum, Wandalosque a solo Genserico in Africam ductos.* F

reconciliatus imperio, cum Wandalis Africam cedere renuentibus confligit, et vincitur :

687 *Pœnituit brevi Bonifacium barbarorum advocatorum, sed sero nimis. Audi Procopium :* Romæ autem qui Bonifacium familiarius noverant, illis considerantibus viri mores, ac reputantibus quam esset inopinabile, quod audiebant, permirum videbatur occupasse tyrannidem Bonifacium. Eorum quidam Placidiæ jussu Carthaginem ivernnt : ubi, cum in congressum Bonifacii venissent, legerent Aëtii litteras : tum omnia ordine edocti, Romam quam celerrime reversi sunt, et Placidiæ, quo in ipsam esset animo Bonifacius, enuntiarunt. His obstupefacta Placidia, quoniam plurimum pollebat Aëtius, resque imperii jam ægræ et inclinatæ erant, idcirco, quæ in Augusti domum ille peccaverat, ea

AUCTORE J. S.

ea ulcisci, immo vero exprobrare tunc supersedit. Sed monita, quibus ab Aëtio occupata fuerat, edidit amicis Bonifacii, et fidem dans ac jurejurando devinciens obsecravit, ut, si quo modo possent, ei reditum in patriam persuaderent, atque iustarent, ne a Barbaris imperium Romanum proculcari siueret. Quibus auditis Bonifacius, facti pœnitens et pactionis cum Barbaris initæ, illos, ut ex Africa demigrarent, et precibus, et promissis amplissimis inducere contendit. Qui cum dicta respuerent, haberi se ludibrio rati, acie decernere coactus est, victusque Hipponem regium se recepit, Numidiæ munitam ac maritimam urbem, quam Barbari castris positis obsederunt, duce Gizericho, *circa mensem Maium aut Junium anni* 430, *cum* Augustinus *tertio obsidionis mense ægrotare cœperit, ac* XXVIII *Augusti obierit.*

consultus Sanctus, an episcopis liceret fugere, respondet gregem non deserendum :

688 *Porro quam immani ac barbara crudelitate Africam populati sint Wandali, late exponit Victor Vilensis episcopus lib.* 1, *ad quem lectorem remitto, cum sufficientia ad propositum nostrum referat Possidius in Vita. Cum autem in sacerdotes ac antistites æque ac in alios sevirent barbari,* B *consultus est* Augustinus *a Quodvultdeo et Honorato episcopis, utrum antistites aliique clerici fuga sibi consulere deberent, an manere in ecclesiis suis. Respondit Sanctus per epistolam satis prolixam ad Honoratum, in qua mentem suam explicat his verbis :* Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et sacramenti ejus, quod præcepit sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est episcoporum, clericorum, et laicorum * est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut, qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos eorum est ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos Paterfamilias volet perpeti. *Quæ ubi late et erudite probarat, sic concludit* : Quicumque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium mi- C nisterium illo fugiente non desit, facit, quod Dominus præcepit sive permisit. Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritaliter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus. *Inseruit hanc epistolam Vitæ* Augustini *Possidius, in qua illam quoque relinuit Salinas. Verum editores Operum* S. Augustini *eam passim omiserunt in Vita, eorumque nos sequimur exemplum, quod exstet inter alias Sancti epistolas apud Lovanienses* 180, *apud Benedictinos vero* 228.

* *al. omittitur* laicorum

dum obsidetur Hippo, in morbum incidit et[que] *moritur :*

689 *Hæc patriæ suæ mala lugebat sanctus senex, præsertim ob animarum pericula et damna, ut advertit Possidius Hipponensis, ex febri decumbere cœpit, eodem teste num.* 66. *S. Victor Vilensis ad propositum nostrum sic scribit lib.* I : Qua tempestate Hippo Regiorum obsessa est civitas, quam omni laude dignus beatus Augustinus, librorum multorum confector, pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius propinata, in amaritudinem absinthii versa est, ut Davidicum præconium conveniret : « Dum D « consisteret peccator adversum me, obmutui, « et humiliatus sum, et silui a bonis ». Usque ad illud tempus ducentos jam triginta et duos confecerat libros *(imo tot in Retractationibus enumerati, sed alii deinde adjecti)* exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterii et Euangeliorum, atque tractatibus popularibus, quos Græci Homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est. *Tempus mortis notat S. Prosper in Chronico ita scribens* : Theodosio XIII et Valentiniano III consulibus *(is est annus* 430*)* Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur V Kalendas Septembris, libris Juliani inter impetum obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans.

690 *Hæc mortis epocha aliunde confirmatur. Cum propter hæresim Nestorii congreganda esset circa Pentecosten anni* 431 *Ephesina synodus, advocatus cum aliis fuit* S. Augustinus, *cujus mors adhuc ignota erat Constantinopoli. Quin et epistola Theodosii imperatoris ad ipsum* Augustinum, *quem præ ceteris adesse cupiebat, directa fuit.* E *Docet hoc epistola Capreoli Carthaginensis episcopi ad synodum data, in qua apud Labbeum tom.* 3 *Conc. col.* 529 *hæc leguntur :* Primum... domini et filii nostri religiosissimi Theodosii imperatoris litteræ, ad manus nostras perlatæ, ejusmodi erant, quæ beatæ memoriæ fratris et coepiscopi nostri Augustini præsentiam peculiari ratione eflagitabant. Verum cum eæ litteræ illum jam tum e vivis excessisse comperissent, ego etiam illam significationem, licet ad prædictum Augustinum præcipue destinata videretur, excipiens, missis ad universas Africæ provincias congruis literis, consuetisque sermonibus, synodum cogere volui convenientem. *Hisce addit rationes, quibus impediebantur Africani episcopi ad synodum venire. Videmus hinc simul, quanti* Augustinus *fieret in Oriente ipsaque aula imperatoris, qui et ipsum præcipue adesse synodo volebat, atque ei potius quam Carthaginensi episcopo, totius Africæ primati, convocationis litteras inscribebat.*

vocatur ab imperatore ad concilium Ephesinum jam defunctus,

691 *Annum vero emortualem hinc confirmari, breviter ostendo. Litteræ convocationis datæ ad S. Cyrillum Alexandrinum datæ sunt* Constantinopoli XIII Kalend. Decembris, consulatu... Theo- F dosii quidem XIII, Valentiniani vero III; *id est* XX *Novembris anni* 430. *Eo igitur tempore nota nondum erat Constantinopoli mors* Augustini. *At credibile non est, mortem ejus ibidem futuram fuisse ignotam, si obiisset ante annum* 430. *Deinde ex epistola citata Capreoli, quæ anno* 431 *in concilio lecta est, et sancti mortem annuntiat, necessario consequitur, mortuum esse ante concilium, quod circa Pentecosten congregatum est; adeoque, cum obierit* XXVIII *Augusti, defunctum esse anno* 430. *Atque in hunc annum conspirant eruditi. Ceterum Rivius lib.* 4, *cap.* XI § 10 *de litteris Theodosii hæc observat* : Sunt, qui scribant, has litteras Theodosii imperatoris ad Augustinum, olim extitisse, aut etiamnum exstare in monasterii Patavini S. Justinæ bibliotheca : sed prout exhibitas legi, suspectæ fidei sunt, cum indicium sequentis anni præferant, quo erat finitum concilium : quarto Idus Augusti Basso et Antiocho Cos. *Plura de his litteris observat Norisius in Historia Pelagiana lib.* 2, *cap.* 9, *quæ omnino evincunt, supposititias esse. De pluribus morbi mortisque adjunctis agit Possidius cap.* 6.

ex quo probatur mortuum esse anno 430;

692 *Idem*

A 692 *Idem de ætate num.* 68 *hæc breviter :* Vixit annis LXXVI, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme XL. *Cum autem natus esset Sanctus Idibus seu* XIII *Novembris, ut dictum num.* 29, *et obierit* XXVIII *Augusti, deerant ad diem natalem menses duo et dies sexdecim, quos neglexit Possidius. Hinc ita ratiocinatur Ricciolius Chronologiæ reformatæ lib.* 9 *cap.* 10 *art.* I : Aut igitur nondum complerat annos LXXVI, sed tamen ob maximam anni LXXVI partem exactam vere dixit Possidius vixisse eum annos LXXVI : et hinc sequitur, natum esse anno Christi CCCLIV, ut nos eum Petavio... aliisque posuimus. Aut si Possidius numeravit annos tantum completos, neglectis mensibus IX, et diebus XIV supernumerariis ; quod minus probabile est : sequeretur S. Augustinum complevisse annos LXXVI die XIII Novembris, anno Christi CDXXIX ; atque adeo natum esse anno Christi CCCLIII. *Recte ait, minus esse probabile, Possidium neglexisse menses* 9, *et dies* 14, *cum in annis enumerandis a suscepto presbyteratu menses pauciores non prætermiserit. Presbyter enim ordinatus videtur circa initium anni* 391, *ut dictum num.* 245.

B

§ LIII. Gestorum brevis chronotaxis.

Quandoquidem brevem gestorum chronotaxim promisit Cuperus, cujus vestigiis insistere debeo, illam hoc loco texere aggredior. Sequar autem ea in re Tillemontium et editores Benedictinos passim sine disputatione nova, ita tamen ut eorum rationes examinaturus sim, et alios quoque auctores consulturus. Præterea huic compendio chronologico quædam inseram breviter, quæ in Commentario brevitatis causa fuerunt prætermissa, epistolas præsertim non paucas, quas in antiqua Lovaniensium, et nova Benedictinorum editione assignabo. Insuper ad gesta præcipua et scripta notabo, ubi de iis actum sit vel in Commentario, vel in Vitis infra edendis, ut lector studiosus singula fusius explicata ope hujus compendii invenire commode valeat.

C *Anno* 354, *Idibus seu* XIII *Novembris nascitur Sanctus. Comment. num.* 21.

Mox infans a matre S. Monicha catechumenis adscribitur. Adolescens primum, ut apparet, studet Tagastæ, ac gravi correptus morbo baptismum flagitat, qui differtur convalescenti. Vita I num. 8 *et* 9. *Studet deinde Madauris num.* 29.

694 *Anno* 369 *sub finem, aut certe sequentis initio, Madauris revocatur Tagastam, et libidini se tradit anno ætatis* 16. *Vita I num.* 28 *et* 29.

Anno 370 *luxuria crescit ex otio, furtum committit. Vita I cap.* 2. *Carthaginem mittitur ad eloquentiæ prosequenda studia, circa finem anni ejusdem aut sequentis initium.*

Anno 371 *Carthagine studens, spectaculis nutrit libidinem, et concubinam sumit, ex qua filium gignit Adeodatum, circa initium sequentis anni natum : quietem tamen amat et honestatem. Comment. num.* 43 *et seqq. Vita I cap.* 4. *Moritur ejus pater, ibid. num.* 47.

Anno 373, *ætatis suæ* 19, *lecto Ciceronis Hortensio, incenditur amore sapientiæ, at fastidit sacras Litteras ob styli simplicitatem. Hinc eodem anno* 19 *ætatis in hæresim Manichæorum incidit, ab eo tempore seductus et seducens, ut ipse dicit in Vita num.* 62. *Lapsum in hæresim ad annum* 374 *removet Tillemontius art.* 8 : *at minus recte, opinor ; quia jam anno ætatis* 19 *alios seducebat. Vide de lapsu ejus Commentarium* § 4, *et Vitam I cap.* 5 *et* 6.

Anno 374 annos natus ferme viginti *Categorias Aristotelis sine magistro intelligit. Vita I num.* 83.

Ab anno, ut videtur, 375 *usque ad* 378 *contigerunt sequentia. Revertitur Tagastam, ubi Grammaticam docuit. Vita II num.* 3. *Ibidem degens amicum intimum amittit, cujus mortem vehementer dolet, eaque de causa Carthaginem rediit, docturus illic Rhetoricam. Vita I cap.* 7, *et num.* 64.

695 *Anno* 379 *auruspicem contemnit, qui victoriam promittebat in disputatione publica, num.* 65. *Verum astrologiæ judiciariæ nimium deditus, ab ea avocari non potest per amicos num.* 66, 67 *et* 68.

Circa annum 380 *vel* 381, cum esset annorum viginti sex aut septem *scribit primum Opusculum* de Pulcro et apto, *quod interiit. Comm. num.* 59. *Incipit tunc pravos Manichæorum mores cognoscere, et de eorum doctrina dubitare.* E

Anno 383, *ætatis suæ* 29, *agit cum Fausto Manichæo, cujus frivolis rationibus magis vacillat, et suspectam habet Manichæorum doctrinam. Comm.* § 4, *a num.* 55, *Vita I cap.* 9. *Carthagine Romam discedit, ubi docet Rhetoricam in morbum incidit, ac magis detegit corruptos Manichæorum mores, transitque ad Academicos de omnibus dubius. Comm.* § 5. *Vita I cap.* 10.

Anno 384 *Roma abit Mediolanum, ut Rhetoricam ibi doceat. Audit ibi S. Ambrosium : cujus sermonibus paulatim ab errore resipiscit. Vita I num.* 113 *et seqq.*

Anno 385 *S. Monica venit Mediolanum.* Augustinus *vero ex concionibus S. Ambrosii agnoscit auctoritatem sacræ Scripturæ, ac magis instruitur. Vita I cap.* 11. *Ambitio ejus reprimitur exemplo mendici lætantis : deliberat de statu vitæ eligendo : mater ei uxorem quærit : relicta prima concubina, aliam sumit : intelligere nequit, unde sit malum : discit vanitatem astrologiæ judiciariæ : in libris Platonicorum quædam invenit consentanea doctrinæ Christianæ. Vita I cap.* 11, 12, 13, 14. F

Anno 386 *desiderio melioris vitæ incensus, sed carnis concupiscentia retardatus, consulit S. Simplicianum. Demum aliorum exemplis excitatus, post multam carnis luctam, voce divina legere jubetur sacram Scripturam, planeque convertitur. Vita I cap.* 16 *et* 17. *Comm.* § 6. *Abdicato docendi munere, secedit in villam suburbanam cum discipulis quibusdam, quos recte instituit. Scribit ibidem libros* contra Academicos, de Beata vita, de Ordine, *et* Soliloquia. *Vita I cap.* 18. *Comm.* § 7. *Scribit item ad Nebridium, absentem tunc, epistolam olim* 151, *nunc* 3, *et alias : dentium quoque dolore divinitus liberatur. Vita I num.* 229 *et* 335.

696 *Anno* 387 *redit Mediolanum, et circa Pascha baptizatur a S. Ambrosio. Verum ante baptismum ibidem scribit librum* de Immortalitate animæ, *et incipit scribere de liberalibus disciplinis, absolvens solum librum* de Grammatica ; *libros vero* de Musica *aliisque disciplinis ibi tantum inchoavit. Vita I cap.* 19. *Vita II cap.* 1. *Comm.* § 8. *Discedit Mediolano cum matre S. Monica, quæ moritur* apud Ostia Tiberina. *Comm.*

Comm. § 9. *Vita I num.* 241 *et seqq.*

Anno 388 *Romæ subsistens, scribit* de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, de Moribus Manichæorum, *ac* de Quantitate animæ. *Inchoat Opus* de Libero arbitrio *ibidem, quod deinde perfecit. Comm. num.* 127 *et seqq. Redit in Africam, et videt miraculum Carthagine factum. Comm.* § XI. *Carthagine Tagastam venit, ubi communem vitam amplectitur cum sociis.*

Anno 389 *et* 390 *mansit* Augustinus *in secessu suo prope Tagastam. Interea variis per litteras quæstionibus pulsatur ab amico suo Nebridio, cui ad illas rescribit epistolas varias, quas cum Nebridii litteris inter primas* Augustini *locarunt Benedicti. Ibidem quoque conscriptum Opus* de diversis Quæstionibus octoginta tribus, *per partes scilicet, sicut interrogabatur de singulis. Accedunt libri* de Genesi contra Manichæos, *et libri* de Musica *tunc perfecti. Vulgat insuper dialogum* de Magistro, *ac librum* de vera Religione. *Comm.* § 13. *Eodem tempore scripsisse videtur epistolam olim* 44, *nunc* 17 *ad Maximum Madaurensem ethnicum, quem facete ac erudite ridet; epi-*
B *stolam olim* 63, *nunc* 18 *ad Cælestinum : uti et* 84 *olim, nunc* 19, *ad Caium, et* 126, *nunc* 20, *ad Antoninum, cum videantur ab eo adhuc laico conscriptæ.*

Anno 391 *invitus ordinatur presbyter Hipponensis a Valerio episcopo. Monasterium ibi instituit, in quo cum discipulis suis communem vitam ducit. Jubetur ad concionem dicere, etiam præsente episcopo. Comm.* § 17 *et* 18.

697 *Anno* 392 *cum Aurelius creatus esset Carthaginensis antistes,* Augustinus *illum hortatur, ut aboleat pravas quasdam consuetudines. Epistola est* 64, *nunc* 22. *Scribit contra Manichæos librum* de Utilitate credendi, *et* de Duabus animabus. *Fortunatum Manichæum publica disputatione superat. Vita II num.* XI.

Anno 393 *habetur concilium Hipponense, in quo sanctus Presbyter disputat* de Fide et Symbolo. *Comm. num.* 279.

Anno 394 *scribit epistolam olim* 8, *nunc* 28, *ad S. Hieronymum : librum* de Genesi ad litteram imperfectum, *duo volumina* de Sermone Domini in monte, *in epistolam* ad Romanos, *et*
C ad Galatas, *ac Opusculum* de Mendacio. *Comm.* § 20. *Eodem anno Donatistas aggreditur, ac scribit in eos* Psalmum abecedarium, *librum* contra Epistolam Donati, *ad Maximinum Donatistarum episcopum dat epistolam olim* 203, *nunc* 23. *Comm.* § 19. *Ad hunc quoque annum revoca Opusculum* contra Adimantum Manichæi discipulum.

Anno 395 Augustinus *ex lucubrationibus suis innotescit S. Paulino Nolano, qui ad ipsum dat epistolam olim* 35, *nunc* 24. *Respondet* Augustinus *per epistolam olim* 32, *nunc* 27. *Paulinus vero alteram ad ipsum mittit olim* 31, *nunc* 25. Augustinus *Licentium juvenem nobilem, a quo carmen acceperat, ad mundi contemptum hortatur epistola olim* 39, *nunc* 26. *Consuetudinem convivandi in ecclesia Sanctus abrumpit concionibus aliquot, ut ipse scribit Alypio epist.* 29 *editionis novæ. Comm.* § 21. *Illo etiam anno perfecisse videtur libros* de Libero arbitrio, *ante episcopatum absolutos. Sub finem ejusdem anni Valerio Hipponensi coepiscopus ordinatur* Augustinus, *multum tamen reluctans. Vita II cap.* 2, *Comm.* § 22. *Plures longe Sancti epistolas ad hunc annum memorant Benedictini in Vita lib.* 4 : *sed magis, ut mores sancti Antistitis exponant, quam ut illarum designent tempus. Ab illis igitur hic* D *abstinendum.*

Anno 396 *Paulinum de ordinatione sua certiorem facit Sanctus epist.* 34, *nunc* 31. *Cum Proculeiano episcopo Donatista colloqui tentat epist.* 147, *nunc* 33, *eaque de causa scribit ad Eusebium epistolam* 148, *nunc* 34, *et sequentem, qua de Proculeiano expostulat. Forsan ad hunc annum collocanda epistola* 86, *nunc* 36, *ad Casulanum, quem instruit de jejunio Sabbati. Circa idem tempus per obitum Valerii solus diœcesim regere cœpit Sanctus. Non multo post scribit* libros ad Simplicianum. *Comm. num.* 538. *Hos quidem ad annum* 397 *differt Tillemontius art.* 111 : *sed scripti sunt initio episcopatus.*

698. *Ad annum* 397 *collocari possunt varia Opuscula, sub initium episcopatus scripta post libros ad Simplicianum. In Manichæos editus liber* contra Epistolam fundamenti. *Comm. num.* 402. *Ad instruendos autem Catholicos scriptus liber* de Agone Christiano, *inchoati libri* de Doctrina Christiana, *qui postmodum completi. Secuti sunt libri duo contra partem Donati, qui non exstant Comm. num.* 460. *Accedunt* Confessiones E *tunc scriptæ, quibus ipse subdit Opus insigne* contra Faustum *Manichæum. Comm. num.* 404. *Sequitur liber* contra Hilarium, *qui excidit cum Responsione ad objecta Hilarii. Addi possunt* Quæstiones Evangeliorum *ex Matthæo et Luca,* Annotationes in Job, *ac liber* de Catechizandis rudibus. *Quæ ex his Opusculis hoc anno scripta non sunt, certe non multis annis sunt posteriora; quædam etiam præcedenti anno possunt esse exarata. Comm.* § 39. *Adest sanctus concilio Carthaginensi* III. *Comm. num.* 549. *Eodem anno scripsit ad Profuturum epistolam* 149, *nunc* 38 : *ad Paulinum epistolam novæ editionis* 42 *et cum Alypio* 45 : *ad Hieronymum* 9, *nunc* 40. *Cirtam petit, ut adsit ordinationi Fortunati, ac eo in itinere confert cum Fortunio Donatistarum episcopo, qua de re scribit exeunte hoc anno aut sequentis initio epistolam* 163, *nunc* 44. *Alia cum Donatistis collatio hanc forsan præcessit, quam Sanctus narrat epistola* 162, *nunc* 43. *Disputat per epistolam* 161, *nunc* 49, *cum Honorato episcopo Donatista.*

Anno 398 *adest concilio Carthaginensi* IV. *Comm.* F *num.* 550. *Respondet per epistolam* 154, *nunc* 47, *quæstionibus Publicolæ, quas hic in epistola præcedente proposuerat. Eodem forsan anno scribit ad Eudoxium abbatem epistolam* 81, *nunc.* 48. *Hoc anno et sequenti verosimiliter composita quædam ex memoratis ad præcedentem Opusculis. Circa eosdem annos inchoasse videtur libros* de Trinitate, *quos juvenis aggressus est, et senex perfecit. Comm. num.* 520 *et seqq.*

Anno 399 *scribit epistolam* 267, *nunc* 50, *et hoc vel sequenti anno contra Donatistas epistolam* 172, *nunc* 51, *ad Crispinum episcopum Donatistam, et forsan* 170, *nunc*, 52, *ad Severinum Donatistam.*

699. *Anno* 400 *componit Opus* de Consensu Evangelistarum. *Comm.* § 28. *Respondet* ad Inquisitiones Januarii *de sacramentis et variis Ecclesiæ consuetudinibus epist.* 118 *et* 119, *seu* 54 *et* 55. *Scribit* de Opere Monachorum, de Genesi ad litteram. *Comm.* § 40. *Attamen non omnia eodem anno sunt absoluta. Multa eodem tempore contra Donatistas egit et scripsit : imprimis epistolam olim* 165, *nunc* 53, *qua refutatur epistola presbyteri cujusdam Donatistæ : tres libros* contra epistolam Parmeniani, *libros septem* de

A de Baptismo, *ac libellum, cui titulus*, Contra quod attulit Centurius a Donatistis. *Comm. num.* 461. *Gemina epistola, nempe* 237 *et* 210, *nunc* 56 *et* 57, *adjunctoque Opusculo Celerem a consuetudine Donatistarum abducere conatur. Contra Jovinianistas scribit* de Bono conjugali, *et* de sancta Virginitate. *Comm. num.* 529 *et* 530.

Anno 401 *duo habentur Carthagine concilia, primo verosimiliter, alteri certo interfuit Sanctus. Scribit ad Aurelium Carthaginensem epistolam* 76, *nunc* 60, *exeunte hoc anno datam. Comm.* § 40. *Pammachio mittit epistolam* 134, *nunc* 58 : *Victorino epistolam* 217, *num* 69 : *et Quintiano* 235, *nunc* 64. *Sub finem ejusdem anni Abundantium presbyterum ab officio removet, eaque de re scribit Xantippo Numidiæ primati epist.* 236, *nunc* 65. *Comm.* § 40. *Cum Severo episcopo Milevitano controversiam habet, de qua scripta epistola* 241, *nunc* 62, *et* 240 *nunc* 63. *Comm.* § 41. *Demum expostulat cum Crispino episcopo Donatista, qui Catholicos quosdam rebaptizarat Epist.* 173, *nunc* 56. *Hoc item anno, opinor, exaravit librum* I contra Litteras Petiliani, *quem præpropere ad annum præcedentem* B *commemorarunt Tillemontius et Benedictini, cum Sanctus ipse dicat cœptum post Opus* de Genesi ad litteram.

Anno 402 *scripsisse videtur librum secundum et tertium* contra Litteras Petiliani *Donatistæ, sic tamen, ut ante tertium, quo responsio Petiliani confutatur, composuerit librum* de Unitate Ecclesiæ, *qui exstat tom.* 7 *Operum, quemque habuit pro epistola pastorali ad fideles scripta contra Donatistas, licet liber sit satis prolixus. Comm. num.* 462 *et* 465. *Adest verosimiliter Sanctus concilio Milevitano : hinc cum Alypio scribit ad Castorium epistolam* 238, *nunc* 69, *ut pro fratre suo Maximiano suscipiat episcopatum. Comm. num.* 571. *Epistolam* 12, *nunc* 67, *destinat ad S. Hieronymum, et sequentem ab eo accipit.*

et epistolæ

700 *Anno* 403 *epistolam* 10, *nunc* 71, *scribit Hieronymo, et expostulatoriam ab eo deinde accipit, quæ olim* 11, *nunc* 72. *Furunt Donatistæ in Catholicos, eodemque forsan anno* Augustinus *aberrando a via illorum insidiis liberatur. Vita II num.* 23. *Cum episcopi Donatistæ congressum cum Catholicis fugerent, ad eorum laicos scribit* C *Sanctus epistolam* 171, *nunc* 76.

Anno 404 *S. Possidius in disputatione superat Crispinum Donatistarum episcopum. Vita II num.* 24 *et* 25. *Carthagine concilium habetur contra violentias Donatistarum, in qua prævalet* S. Augustini *sententia. Comm. num.* 572. *Scandalum oritur in Sancti monasterio ex mutua accusatione Bonifacii et Spei, scriptæque epistolæ* 136 *nunc* 77, *et* 137 *nunc* 78. *Felicem Manichæum publica disputatione superat et convertit, duosque libros de illa disputatione conscribit. Comm. num.* 407 *et* 408. *Vita II num.* 33. *Scripta verosimiliter ad Felicem illum epistola* 244, *nunc* 79.

Anno 405 *concilium Carthagine habitum est, cui Sanctum adfuisse est verisimile. Comm. num.* 572. *Epistola* 65, *nunc* 80, *consulit S. Paulinum : offensum S. Hieronymum placare studet epistola* 19, *nunc* 82 : *scribit Cæciliano præsidi epistolam* 60, *nunc* 86, *ut coërceat Donatistas. Circa hunc aut sequentem annum composita videntur duo Opuscula contra Manichæos, alterum* de Natura boni, *alterum* contra Secundinum, *Comm.* § 29.

Anno 406 *scripta epistola* 68, *nunc* 88, *nomine clericorum Hipponensium de injuriis Donatistarum, et* 164 *nunc* 87 *ad Emeritum Donatistarum episcopum, quem variis urget argumentis. Componit quatuor libros* contra Cresconium *Donatistam. Comm. num.* 463. *Reprehendit epistola* 216, *nunc* 85, *Paulum episcopum discipulum suum. Comm. num.* 579. *Confert cum Pascentio comite Ariano, eique scribit epistolam geminam, nimirum* 174 *et* 175, *nunc* 238 *et* 239. *Hæc omnia huic anno non tam certo alliganda sunt, ut paulo citius aut serius contingere non potuerint, cum tempus non sit satis compertum. Licet hic adjungere Opuscula quædam circa idem tempus scripta, aut certe non multo posteriora, qualia sunt : liber* Probationum et testimoniorum contra Donatistas; *alter, cui titulus erat*, Contra nescio quem Donatistam; *et* Admonitio Donatistarum de Maximianistis. *Hæc deperdita, aut hactenus latentia. Comm. num.* 464. *Exstant vero sequentia, liber* de Divinatione dæmonum, *et* Quæstiones sex contra Paganos solutæ, *quod Opusculum est epistola* 49, *nunc* 102.

plurimæ

701 *Anno* 407 *interest verisimiliter concilio Carthaginensi. Ad hæc fere tempora pertinere videtur* Expositio Epistolæ S. Jacobi, *quæ deperdita est. Comm. num.* 581. E

Anno 408 *Melania senior venit in Africam, de qua Sanctus scribit ad Paulinum, a quo accipit epistolam* 249, *nunc* 94, *illique mittit suam* 250, *nunc* 95. *Pagani Calamenses sacra sua legibus vetita celebrantes, Catholicos multis afficiunt injuriis. Nectarius item paganus rogat* Augustinum *epist.* 101, *nunc* 90, *ut pro reis intercedat, cui Sanctus acriter respondet sequenti epistola : Possidius vero Calamensis episcopus eam ob causam ad imperatorem proficiscitur. Scribit* Augustinus *ad Italicam viduam de Visione Dei epistolam* 6, *nunc* 92; *et deinde* 133, *nunc* 99 : *ad Olympium pro Bonifacio Cataquensi episcopo epistolam* 124, *nunc* 96, *et* 129, *nunc* 97, *ut tueatur leges contra paganos et hæreticos latas : ad laudatum mox Bonifacium de quæsitis ab eo propositis epistolam* 23, *nunc* 98 : *ad Memorium mittit epistolam* 131, *nunc* 101, *cum libro sexto de Musica : ac demum ad Donatum epistolam* 271, *nunc* 100, *ut coerceat Donatistas. Huic etiam scripsit epistolam* 128, *nunc* 112. F

Anno 409 *Nectarii pro paganis Calamensibus secundam epistolam sua* 254, *nunc* 104, *confutat Sanctus; epistola* 166, *nunc* 105, *Donatistas hortatur ad concordiam. Festum epistola* 167, *nunc* 89, *docet, recte legibus coerceri Donatistas : litteras Vincentii Rogatiani prolixa epistola* 48, *nunc* 93, *refutat : Macrobium Donatistarum episcopum Hipponensem a rebaptizandis Catholicis deterret brevi primum epistola* 265, *nunc* 106, *deinde prolixiori* 255, *nunc* 106 : *ad Victorianum scribit de miseriis temporum consolatoriam* 122, *nunc* 111. *Ad hoc fere tempus reduci potest responsoria ad amicissimas Severi Milevitani litteras, quæ fuit* 135; *nunc est* 110 : *et quadruplex epistola in gratiam Faventii cujusdam data, quæ olim* 229, 228, 230, 231, *nunc* 113, 114, 115 *et* 116. *Addo duo Opuscula, quæ non longe abesse videntur ab hoc anno, nempe librum* de Unico baptismo, *et librum* de Maximianistis, *contra Donatistas composita. Comm. num.* 465.

ad ordinem

702 *Anno* 410 *Dioscorum, multa curiosa quærentem, partim a vano studio deterret, partim instruit epistola* 56, *nunc* 118. *Consentium*

ex

AUCTORE J. S.

ex simplicitate errantem recta docet, et amice ad se invitat epistola 222, *nunc* 120. *Hipponensibus suis diuturnam absentiam excusat, eosque hortatur ad pauperes afflictis temporibus sublevandos epistola* 138, *nunc* 122. *Capta per Gothos Roma, multos ea de re sermones habet ad populum.*

Anno 411 *Veniunt in Africam Albina, Pinianus et Melania junior. Pinianum Hipponenses vi ad presbyteratum pertrahere student Hac de re se excusat Sanctus epistola* 224 *et* 225, *nunc* 125 *et* 126. *Ante adventum Piniani ad eosdem dederat* 227, *nunc* 124. *Eodem forsan anno Armentarium et Paulinam hortatus est ad mundi contemptum, et ad servandum continentiæ votum epistola* 45, *nunc* 127. *Ad hunc certe spectant gesta Sancti præclara in Collatione Carthaginensi. Comm.* § 32. *Eodem, ut videtur, anno hæresis Pelagii Sancto innotescit, eamque sermonibus suis impugnare incipit, sed tacito Pelagii nomine. Comm.* § 34 *et* 35.

Anno 412 *Sanctus contra Pelagianos componit libros tres* de Peccatorum meritis et remissione ac de baptismo parvulorum, *ac librum* de Gratia
B novi Testamenti, *seu epistolam* 120, *nunc* 140, *ad Honoratum. Comm. num.* 489 *et* 490. *Accedit epistola* 144, *nunc* 145 *ad Anastasium. Scribit contra Donatistas* Breviculum collationum, *et epistolam* 152, *nunc* 141, *ad laicos Donatistas directam suo et aliorum episcoporum nomine, quibuscum interérat concilio Cirtensi. Comm. num.* 466. *Laborabat eodem tempore, ne Donatistæ, per imperatorem damnati, morte plecterentur: huncin finem datæ epistolæ ad Marcellinum tribunum* 159, *nunc* 133, *et* 158, *nunc* 139; *ad Apringium vero proconsulem* 160, *nunc* 134. *Donatistis autem conversis gratulatur epistola* 257, *nunc* 142, *et* 130 *nunc* 144. *Eodem forsan anno scripta epistola* 204, *nunc* 173, *qua Donatum presbyterum Donatistam hortatur, ut resipiscat. Eodem tempore cum Marcellino tribuno sollicitus erat de conversione Volusiani nobilis ethnici; scriptæque hac de causa epistolæ* 1, *nunc* 132, *et* 3 *ac* 5, *nunc* 137 *et* 138, *quibus ad proposita Volusiani dubia respondet. Accedit hisce* 7, *nunc* 143, *qua simul ad aliud Marcellini respondet quæsitum.*

C 703 *Anno* 413 *Sanctus, opinor, scripsit librum* de Spiritu et littera: *quia scriptus est, postquam Marcellinus perlegerat libros* de Peccatorum meritis et remissione. *Scripsit dein* de Fide et operibus, *ac epistolam* 112, *nunc* 147, *seu librum* de Videndo Deo *ad Paulinam; uti et epistolam* 111, *nunc* 148, *seu* Commonitorium *ad Fortunatianum. Comm. num.* 491, 582 *et* § 43. *Eodem aut sequenti anno epistola* 59, *nunc* 149, *respondet Paulino ad interrogata varia. Redux Carthagine, ubi concionatus erat contra Pelagianos, fortiter scribit ad Cæcilianum de morte Marcellini, dolo Donatistarum sublati, epistolam* 259, *nunc* 151. *Circa idem tempus incepisse videtur Opus grande* de Civitate Dei, *cui multis annis insudavit, aliis frequenter hoc interrumpentibus. Comm. num.* 387. *Cum in Africam venisset nobilissima vidua Proba Faltonia cum Juliana et Demetriade, egit cum illis Sanctus coram Carthagine, et scriptis absens Hinc primum, forte ante congressum, scripta ad Probam epistola* 156, *nunc* 131. *Deinde prolixa epistola* 121, *nunc* 130, *eamdem docuit, quo modo sit orandus Deus. Ad Julianam scribit librum de Bono viduitatis. Demetrias Sancti monitis virginitatem profitetur: de qua lætus Augustinus, Probæ et Julianæ gratulatur per epistolam* 179, *nunc* 150. *Comm.* § 45. *Circa eumdem annum Sanctus Pelagio respondit epistola apud Benedictinos* 146. D

Anno 414 *geminam epistolam dedit ad Macedonium Africæ vicarium, videlicet* 54, *et* 52, *nunc* 153 *et* 155. *Utraque admodum prolixa est, et egregiis instructionibus plena. Rescripsit etiam longissimam epistolam ad quæsita Hilarii, quæ olim* 89, *nunc est* 157.

Anno 415 *contra Pelagianos scribit librum* de Natura et gratia, *et alterum* de Perfectione justitiæ *ad Paulum et Eutropium. De hoc in Retractationibus suis non meminit Sanctus, quod inter epistolas numeraret. Absolvit librum quartum et quintum* de Civitate Dei, *Psalmorum quorumdam expositionem dictat: totum vero Opus in Psalmos anno sequenti absolutum putat Tillemontius, quod hoc anno strenue in illud incumberet, ut patet ex epistola ad Evodium mox memoranda. Præterea hoc anno ad* Augustinum *venit Paulus Orosius: qua occasione Sanctus exaravit librum* ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas. *Eidem duos libros tunc scriptos, et ad S. Hieronymum* E *perferendos dedit, alterum* de Origine animæ, *alterum* de Sententia Jacobi. *Comm. num.* 618 *et seqq., et num.* 592 *et* 593. *Evodio Uzalensi episcopo tres misit epistolas, partim respondens ejus interrogatis, partim rogans, ne curiosis quæstionibus studia meliora impediat: sunt hæ* 100, 101 *et* 99, *nunc* 159, 162 *et* 164. *Addi forsan potest epistola* 66, *nunc* 170, *ad Maximum, et* 220, *nunc* 171, *ad Peregrinum.*

704 *Anno* 416 *interest concilio Milevitano. Duo concilia Sancto imponunt curam studendi sacræ Scripturæ, ideoque hic abdicare cupit provinciam litium judicandarum. Scribit ad Hilarium epistolam* 94, *nunc* 178, *ad Joannem Hierosolymitanum epistolam* 152, *nunc* 174, *et cum aliis ad Innocentium Papam* 95, *nunc* 177. *Hæ omnes agunt de hæresi Pelagiana. Quibus accedit epistola olim* 260, *nunc* 180, *ad Oceanum de origine animæ. Hoc aut sequente anno Orosius Historiam suam scripsit.*

Anno 417 *Sanctus in Pelagianos scripsit librum* de Gestis Pelagii, *et prolixam epistolam* 106, *nunc* 186, *ad Paulinum, qua eum instruit* F *de hæresi Pelagiana, et* 143, *nunc* 188, *ad Julianam, quod Pelagius scripsisset ad filiam ejus Demetriadem. Accedit liber* de Præsentia Dei *ad Dardanum, seu epistola* 57, *nunc* 187, *in qua Pelagiani etiam confutantur. Ad Bonifacium tribunum ac dein comitem scripsit librum* de Correctione Donatistarum, *seu epistolam* 50, *nunc* 185: *eumdemque ad pietatem instituit epistola* 95, *nunc* 189. *Eodem tempore Sanctus Evangelium et Epistolam* I *S. Joannis exposuit verbo ad populum et scriptis tractatibus. Comm.* § 46.

Anno 418 *post concilium Carthaginense scribit contra Pelagianos libros* de Gratia Christi et de peccato originali. *Inde proficiscitur Cæsaream Mauritaniæ, ubi Emeritum Donatistarum episcopum confundit, et pravam consuetudinem abolet. Scribit Optato de Origine animæ epistolam* 157, *nunc* 190; *Mercatori epistolam apud Benedictinos* 193; *Sixto presbytero dein Papæ geminam, nempe* 104 *et* 105, *nunc* 191 *et* 194, *Cœlestino Romano deinde Pontifici* 62, *nunc* 192, *Asellico episcopo* 200, *nunc* 196, *contra Aptum vel Aptium judaizantem; ac demum Hesychio* 78, *nunc* 197, *de non investigando supremo mundi die. Comm.* § 47. *Eodem anno aut sequente*

Margin notes: *chronologicum* (beside § 703); *utcumque revocantur,* (beside § 704)

A *te liber conscriptus* contra Sermonem Arianorum, *de quo num.* 519.

Anno 419 Augustinus *assistit concilio Carthaginensi* VI. *Scribit Hesychio prolixiorem epistolam* 80, *nunc* 199, *de fine seculi*; *libros* de Nuptiis et concupiscentia *contra Pelagianos ad comitem Valerium, quorum postremus videtur scriptus anno sequenti; in Scripturam sacram* Locutionum *libros septem, et totidem* Quæstionum; *libros quatuor* de Anima et ejus origine *contra Victorem, et demum ad Pollentium duos libros* de Conjugiis adulterinis. *Comm.* § 48.

licet certum tempus

705 *Anno* 420 *Sanctus componit duos libros* contra Adversarium legis et prophetarum: Contra Gaudentium *Donatistam libros item duos*, *et alterum* contra Mendacium. *Comm. num.* 523, 468, 524. *Eodem anno edit libros duos ad Bonifacium Papam* contra duas Epistolas Pelagianorum. *Comm. num.* 194. *Accedunt epistolæ sequentes, nimirum* 61, *nunc* 204, *ad Dulcitium tribunum de Donatistis*; 146, *nunc* 205, *ad Consentii interrogata*; 270, *nunc* 206, *ad Valerium*; *et forsan* 253, *nunc* 235, *ad Ceretium de fraudibus Priscillianistarum.*

B *Anno* 421 *scribit libros sex* contra Julianum *Pelagianum, quos cum epistola præfixa transmittit Claudio episcopo. Victorinum subdiaconum Manichæum denuntiat Deuterio episcopo per epistolam* 74, *nunc* 65. *Comm. num.* 495 *et* 414.

Anno 422 *Sanctus scribit* Enchiridion *ad Laurentium, et hoc vel sequenti librum* de Cura pro mortuis *ad Paulinum. Circa hoc tempus agitata est causa Antonii Fussalensis episcopi*, *de qua Comm.* § 49: *de illis* § 48.

Anno 423, *aut circa id tempus, Sanctus dat litteras ad Cœlestinum Papam de causa memorati Antonii. Editores Benedictini putant circa eumdem annum scriptas esse sequentes epistolas, nimirum* 209, *nunc* 208, *ad Feliciam virginem*; 87, *nunc* 210, *ad Felicitatem et Rusticum*; *ac* 109, *nunc* 211, *ad monachas. Posterior hæc concordiam monialibus, quæ tumultuatæ erant*, *commendat, vitæque regulam iisdem præscribit. Vide dicta num.* 369 *et seqq.*

Anno 424 *componit librum* de Octo Dulcitii quæstionibus. *Comm. num.* 619. *Circa idem tempus Tillemontius art.* 317 *collocat prolixam epi-*C *stolam contra Vitalem Semipelagianorum prodromum, quæ olim* 107, *nunc est* 217. *At Benedictini in Vita lib.* 8, *cap.* 7 *scriptam putant circa annum* 427. *Comm.* § 36. *Sanctus hoc vel sequenti anno accepit reliquias S. Stephani proto martyris. Cum sub finem hujus anni in monasterio Hipponensi obiisset aliquis cum pecunia sibi retenta, quam ecclesiæ legabat, Sanctus illam respuit, clericos vitæ communi arctius alligat, clero ejecturus omnes, qui aliquid deinde haberent proprii. Demum, ut scandalo excitato mederetur, duos sermones de suo suorumque statu ad populum instituit. Sunt hi inter sermones de Diversis* 49 *et* 50, *in nova editione* 355 *et* 356. *Posterior dictus est post Epiphaniam anni sequentis.*

706 *Anno* 425 *scripta videtur epistola* 103, *nunc* 212.

omnibus assignari nequeat,

Anno 426 *adest ordinationi episcopi Milevitani: Eradium vel Eraclium sibi successorem designat, in eumque administrationem transfert. Comm.* § 50.

Anno 127 *discordia oritur inter monachos Adrumetinos ex scriptis* Augustini *male intellectis*: *de qua monitus Sanctus, scribit ad eos epistolam* 46, *nunc* 214: *deinde librum* de Gratia et libero arbitrio, *quem cum epistola* 47, *nunc* 215, *ad ipsos mittit*: *ac demum librum* de Correptione et gratia. *Comm. num.* 495. *Leporius opera* S. Augustini *inducitur ad errores suos de Incarnatione et gratia publice retractandos. Comm. num.* 668. *Bonifacius comes Aëtii dolo hostis imperii declaratur*: *Sanctus, ut illam in viam reducat, scribit ei pulcherrimam epistolam olim* 70, *nunc* 220, *quæ etiam sequenti anno potest esse scripta. Circa hoc tempus scripta fortassis epistola* 208, *nunc* 218, *ad Palatinum.*

Anno 428 *Sanctus componit libros* Retractationum *et* Speculum. *Comm.* § 51. *Inchoat* Opus imperfectum contra Julianum: *confert cum Maximino Ariano*, *quem anno sequenti refutat duobus libris. Comm. num.* 496 *et* 518. *Hoc vel sequenti anno Wandali Africam ingrediuntur*, *quam misere populantur.*

Anno 429 *monitus* Augustinus *per Prosperum et Hilarium de exortis in Gallia Semipelagianis, contra eos scribit librum* de Prædestinatione Sanctorum, *et* de Dono perseverantiæ. *Comm.* § 36. *Rogatus a Quodvultdeo inchoat Opus* de Hæresibus; *sed solum librum primum absolvit. Comm.* E *a num.* 679. *Alypia scribit de miraculosa conversione Dioscori epistolam* 67, *nunc* 237: *ac geminam Dario comiti, videlicet* 262 *et* 264, *nunc* 229 *et* 231: *posteriori addit libros* Confessionum. *Hoc item aut sequenti anno scripta epistola* 180, *nunc* 228, *qua docet*, *quandonam episcopis liceat fugere.*

Anno 430 *Bonifacius comes, jam imperio reconciliatus, confligit adversum Wandalos, victusque Hipponem se recipit. Hinc urbs obsidetur a Wandalis.* Augustinus *interim, nihil remittens de consuetis pro Ecclesia laboribus, tempore obsidionis morbo corripitur supremo, ac pie moritur* XXVIII *Augusti.*

§ LIV. Aliqua incerta, quæ posteriores scriptores de Sancto adhuc vivente narrant.

F

Historiuncula de puero, Augustino apparente, et aquam maris exhauriente,

Quandoquidem *res gestas* S. Augustini, *antiquorum scriptis consignatas, usque ad beatam Sancti mortem prosecuti sumus, restat ut facta quædam coævorum auctoritate carentia, et a posterioribus solum relata scriptoribus, hoc loco examinemus, ut studiosus lector intelligat, quantum illa fidei mereantur. Petrus de Natalibus Equilinus episcopus in Catalogo Sanctorum lib.* 7, *cap.* 128 *ad propositum nostrum habet sequentia:* Fertur de eo, quod cum librum de Trinitate compilare cogitasset, transiens juxta littus, vidit puerum, qui foveam parvam in littore fecerat, et cochlea aquam de mari haustam in foveam mittebat. Et cum Augustinus puerum interrogasset, quid faceret: respondit puer, quod mare disposuerat cochlea exsiccare, et in foveam illam mittere. Cumque hoc Augustinus impossibile esse diceret, et simplicitatem pueri rideret: puer ille ei dixit, quod possibilius sibi esset hoc perficere, quam Augustino minimam partem mysteriorum Trinitatis in libro suo explicare, assimilans foveam codici, mare Trinitati, cochleam intellectui Augustini: quo dicto puer disparuit. Augustinus autem ex hoc se humiliavit, et librum de Trinitate, oratione præmissa, utcumque potuit, compilavit.

AUCTORE J. S.

compilavit. *Idem refert Ambrosius Staibano in Templo Augustiniano cap.* 8, *citans plures medii ævi scriptores. Accedit Ludovicus Torellus in seculis Augustinianis Italice scriptis ad annum* 388 *num.* 12 *et* 13, *multique alii neoterici.*

fabulosa videtur et antiquis est incognita:

708 *Verumtamen factum istud non solum difficultatem patitur ex antiquorum omnium scriptorum silentio, sed vel maxime suspectum redditur ex loco et tempore, quo istud volunt contigisse. Scribunt enim visionem* Augustino *oblatam ad litus maris Thusci prope Centumcellas, nunc* Urbem Veterem, *et vulgo* Civita Vecchia *dictam. Affirmat Torellus ibidem in ecclesia quadam legi hæc verba :* Sive viator es, sive inquilinus, Eremitarum venerare domum, venerare sacellum, ubi perfulgidum illud Ecclesiæ Christi lumen Augustinus egregium Trinitatis Opus inchoavit, quod mirifico cælestis pueri, juxta Bertaldi litus apparentis, oraculo intermissum in Aphrica tandem jam senex absolvit. *Eumdem locum designat Volaterranus ibidem citatus, aliique : et sane inscriptio illa, quæ styli non est medio ævo usitati, satis insinuat, illam esse Augustinianorum opinionem. Tempus vero illud assignant, quo Sanctus post*
B *conversionem suam in Italia mansit, et Torellus quidem eumdem annum* 388, *quo in Africam est reversus. Volunt igitur* S. Augustinum *paulo post conversionem suam, dum sacris Litteris minus adhuc erat imbutus, inchoasse libros difficillimos de sublimi SS. Trinitatis mysterio, quod non minus a verisimilitudine recedit, quam alienum erat a modestia prudentiaque* Augustini, *qui solicite semper consideravit, quid ferre recusarent, quid valerent humeri. Porro Sanctum inchoasse libros de Trinitate jam episcopum, docet ordo, quem in scriptis suis retractandis servavit, cum lib.* 2 *non recenseat libros, nisi in episcopatu elaboratos; hos tamen ibidem collocet post alios multos cap.* 15, *non eo, quo absoluti sunt, ordine, sed quo inchoati. Quapropter considerare poterit studiosus lector, quid toti isti historiunculæ de apparente puero fidei debeatur, cum antiquis omnibus incognita sit, suisque temporibus tam male divisa.*

alia fabella ridicule conficta:

709 *Memoratus Torellus ad eumdem annum* 388 *num.* 76 S. Augustinum, *ex Italia in Africam discedentem, Calarim in Sardiniam venisse scri-*
C *bit, ibique miro inclaruisse prodigio. Ignorarunt iter illud Sardinicum veteres, aut certe non commemorarunt; ac ne illi quidem recentiores, qui majore cura secreverunt certa ab incertis, inter quos Rivius, qui lib.* I, *cap.* I, § 36 Augustinum *recta ex Italia deducit in Africam. Verumtamen Torellus, non modo in Sardinia fuisse Sanctum contendit, sed etiam curasse, ut prope Calarim modicum construeretur monasterium. Perduxerant, inquit, operarii muros monasterii et ecclesiæ ad eam altitudinem, ut trabes iis imponi jam deberent. Inter trabes autem unam, in altum jam levatam, invenerunt justo breviorem, quam deorsum demiserunt tristes. Id intuens* Augustinus, *præcepit uni e suis, ut trabem ab una parte apprehenderet, ipse vero trabis partem alteram assumpsit : tunc ambo viva fide trahentes effecerunt, ut trabs illa justam acciperet longitudinem, Deo miraculose id operante. Affert pro illo prodigio* traditionem communem; *et duos scriptores neotericos, videlicet* Dionysium Bonfant, *et* Martinum Cariglio, *quos vult* omni exceptione esse majores, *addens idem a pluribus esse scriptum, ex quibus duos hosce, ut probatissimos, elegit. Subrisi, fateor, scribens hanc fabellam, nec necesse est eam operose refutare,* D
eum sponte sua collabatur, licet illam tanto ardore defendat Torellus, acsi pro aris ac focis pugnaret. Sane ignorare debet S. Augustini *modestiam, qui existimat, eum non diu post conversionem suam tam mira patrare voluisse prodigia, cum humillimus Præsul extremo correptus morbo induci vix potuerit, ut ægrotanti manus imponeret. Merito igitur contemnuntur hujusmodi prodigia, quæ sine antiquorum testimonio ex fama populari narrantur a scriptoribus neotericis. De trabe tamen Calari servata agetur postmodum.*

710 *Laudatus Equilinus adductis ante verbis subdit sequentia :* Mulier quædam afflicta ad Augustinum accessit, ut ejus consilium imploraret: quem studentem inveniens salutavit; nec ille ei quidquam respondit. Quæ propius accedens, negotium suum ei explicavit : sed nec ille se convertit, nec verbum protulit. Unde mulier amplius contristata discessit. Sequenti die, dum mulier Augustino celebranti assisteret; cum Corpus Dominicum elevasset, ipsa ante tribunal Trinitatis in spiritu rapitur, ubi vidit Augustinum de Trinitatis gloria attentissime disputantem; dictumque est ei, quod, cum ad Augustinum accesserat, E
ille sic attentissime de Trinitate disputabat : ideoque quod ibi fuisset, non adverterat : sed ad ipsum secure rediret, et salubrem consiliatorem inveniret. Quod illa ad se rediens fecit, et Augustinum clementissimum invenit. *Idem habet Jacobus de Voragine cap.* 119. *Verum hoc factum non modo antiquorum caret auctoritate : sed relatum quoque est modo non verisimili. Cum enim Sanctus cautissime ageret cum feminis, non est credibile, ullas umquam ingressas esse locum, ubi studebat; nisi ille præmonitus saltem esset, et assisterent alii. Hoc igitur fabulis potius annumera, quam veris historiis.*

tertia nihilo verisimilior:

711 *Memoratus supra Staibanus cap.* 9 *narrat, Christum Dominum* Augustino, *degenti in solitudine, apparuisse specie pauperis, cui ille pedes laverit: disparentemque Christum* Augustino *dixisse hæc verba :* Magne pater Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti. *Hoc, inquit, refert Jordanus de Saxonia in sermone quodam, quem ex libro quodam S. Prosperi Aquitani fecit de* S. Augustino, *et confirmatur a Ferrando Hispano. Ita quidem Staibanus, eademque* F
fusius Torellus ad annum 390 *num.* 19. *Sed nec in Operibus S. Prosperi, nec in Vita* S. Augustini, *quam scripsit Jordanus de Saxonia, nec apud ullos scriptores antiquos, de mirabili hac visione quidquam memoratum invenio, ita ut fidem habere nequeam relatis a Staibano, donec certioribus documentis fulciantur : nam ex Sermonibus Jordani de Saxonia plura referuntur, quæ ægre fidem invenient.*

visio Sancti antiquorum auctoritate destituta:

712 *Addit præcedentibus memoratus Equilinus:* Miraculorum quoque gloria claruit : nam in libro XXII de Civitate Dei duo miracula de se quasi de alio loquens recitat. Quorum primum est : quia cum virginem quamdam dæmoniacam oleo perunxisset, et pro ea orasset, ipsam ab immundo spiritu liberavit. Pro alio etiam adolescente, quem non vidit, oravit; et ille continuo dæmonio, qui eum obsidebat, caruit. Cum quidam fistulam patiens incidi deberet; Augustinus una cum ipso infirmo, et pro eo oravit; et mane sine incisione aliqua sanus repertus fuit. *Eadem miracula indubitanter* Augustino *attribuit Jacobus de Voragine in Legendis Sanctorum cap.* 119. *Verumtamen res non videtur omnino certa, ut*

miracula Augustino ab aliquibus attributa:

A *ut de tertio jam ostensum est* § XI, *ubi id refertur fusius. De duobus aliis ipsa Sancti verba accipe, qui lib.* 22 *de Civitate cap.* 8 *ea sic refert* : Hipponensem quamdam virginem scio, eum se oleo perunxisset, cui pro illa orans presbyter instillaverat lacrymas suas, mox a dæmonio fuisse sanatam. Scio etiam episcopum semel pro adolescente, quem non vidit, orasse, illumque illico dæmone caruisse. *Ex his verbis certo colligi nequit, hæc miracula* Augustino *ipsi attribuenda : id tamen non est improbabile, cum nihil videatur obstare, nisi silentium Possidii, qui illa ignorare potuit.*

insulsa fabella de eo relata:

713 *Plane fabulosum et fictitium apparet, quod refert Jacobus de Voragine cap.* 119 *his verbis* : Legitur quoque, quod dum Augustinus in carne viveret, et quædam relegeret, ante se transire vidit dæmonem, librum humeris bajulantem : qui ab ipso protinus adjuratur, ut, quæ ibi scripta lateant, sibi pandat. Qui peccata hominum ibidem esse asserit scripta, qua undecumque colligit et repouit. Moxque ei præcepit, ut, si aliquid peccatorum suorum ibi scriptum retineretur, B sibi legendum continuo manifestet. Ostenso autem loco, nihil ibi Augustinus reperit, nisi quod quadam vice Completorium ex oblivione dimisit. Præcipiensque diabolo, ut suum præstolaretur adventum, ecclesiam est ingressus, et Completorium devote dixit, et solitas orationes complete peregit. Reversusque dixit ei, ut prædictum locum sibi ostenderet iterum relegendum. Qui dum crebro revolveret, et tandem locum vacuum reperisset, iratus dixit : Turpiter me decepisti : pœnitet me, quod librum meum tibi ostendi, qui peccatum tuum orationum tuarum virtute delesti. Et his dictis, confusus evanuit. *Miror fabellam tam insulsam Torello etiam placere potuisse : nam eadem paululum mutata refert ad annum* 430 *num.* 57, *citans Leonardum Utinensem, quem* antiquum *vocat scriptorem, cum non floruerit ante seculum* XV. *Non meretur seriam refutationem tam inepta historiuncula, quæ fingi non potuit, nisi ab homine plane indocto.*

oratio Augustini nomine circumlata.

714 *Rivius in Vita lib.* 4, *cap.* XI. *describens Africæ excidium per Wandalos, de* Augustino § C 2 *ex recentiorum auctoritate sic loquitur* : Tradunt et orationem, per id tempus admodum opportunam, Deo fundere consuevisse, quam Cardinalis Seripandus alicubi repertam protulerit in concilio Tridentino, cujus agebat nomine Sedis apostolicæ legatum; ab Urbano Papa VIII novissime agnitam. *Orationem deinde ipsam subdit, his verbis conceptam* : Ante oculos tuos, Domine culpas nostras ferimus; et plagas, quas accepimus, circumferimus. Si pensamus malum, quod fecimus; minus est, quod patimur; majus est, quod meremur. Peccati pœnam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur. Mens ægra torquetur, et cervix non flectitur. Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat. Si exspectas, non corrigimur : si vindicas, non duramus. Confitemur in correctione, quod egimus; obliviscimur post visitationem, quod flevimus. Si extenderis manum, facienda promittimus : si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas : si peperceris, iterum provocamus ut ferias. Habes, Domine, confitentes reos. Novimus, quod nisi dimittas, recte non perimus *. Præsta, Pater omnipotens, sine merito quod rogamus; qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent.

* al. perimas

§ LV. Elogia varia de moribus, virtutibus, ingenii et eruditionis præstantia, ac de scriptis S. Augustini.

Elogiis suis Augustinum exornarunt Nebridius ejus discipulus,

Q*uandoquidem* S. Augustinus, *uti contingere solet viris quibuslibet præstantissimis, suos olim obtrectatores habuit, et iniquos nostro etiam ævo censores, nec inutile erit nec ingratum lectori, si elogia quædam hic exhibeamus, quibus fama Viri integerrimi sapientissimique contra insulsas hominum sibi placentium calumnias vindicetur. In iis autem recensendis ordinem fere temporis sequi conabor, exordium ducturus ab iis, qui* Augustinum *familiariter cognoverunt, aut certe litterarum cum eo habuerunt commercium; et paucos deinde additurus, qui post Sanctum nostrum vixerunt.* E

Nebridius discipulus ac familiaris Sancti amicus, epist. 14 *editionis Plantinianæ, at* 5 *novæ editionis Pariensis, ejus nuper conversi amorem in Deum sic declarat* : Itane est, mi Augustine, fortitudinem ac tolerantiam negotiis civium præstas, necdum tibi redditur illa exoptata cessatio? Quæso, qui te tam bonum homines interpellant? Credo, qui nesciunt, quid ames, quid concupiscas? Nullusne tibi est amicorum, qui eis amores referat tuos? Nec Romanianus, nec Lucinianus? Me certe certe audiant. Ego clamabo, ego testabor, te Deum amare, illi servire atque inhærere cupere. *Idem epist. olim* 71, *nunc* 6, Augustini *sapientiam commendat his verbis* : Epistolas tuas perplaceat * ita servare ut oculos meos. Sunt enim magnæ, non quantitate, sed rebus, et magnarum rerum magnas continent probationes. Illæ mihi Christum, illæ Platonem, illæ Plotinum sonabunt. Erunt igitur mihi et ad audiendum propter eloquentiam dulces, et ad legendum propter brevitatem faciles, et ad intelligendum propter sapientiam salubres.

* al. perplacet

Maximus Madaurensis paganus, S. Paulinus Nolanus,

716 *Sapientiam quoque atque eloquentiam* Augustini *agnovit Maximus Madaurensis homo ethnicus, qui in epist.* 43, *nunc* 16, *illum sic affatur* : Sed illud, quæso, Vir sapientissime, uti F remoto facundiæ robore atque exploso, qua cunctis clarus es, omissis etiam, quibus pugnare solebas, Chrysippeis * argumentis, postposita paululum dialcetica, quæ nervorum suorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur, ipsa re approbes, quis sit iste Deus *etc. S. Paulinus Nolanus episcopus in laudes* Augustini *excurrit frequentissime ac disertissime, sed quædam ex illo jam recitata sunt, pauca tamen alia hoc loco adjungo. Epist.* 35, *nunc* 24, *ad Alypium sic habet* : Accepimus enim insigne et præcipuum dilectionis et sollicitudinis tuæ opus, sancti et perfecti in Domino Christo viri, fratris nostri Augustini, libris quinque confectum, quod ita miramur atque suspicimus, ut dictata divinitus verba credamus. *Plura de his ad ipsum* Augustinum *scripsit Paulinus, quæ data sunt num.* 182. *Idem epist.* 58, *nunc* 121, Augustinum *de multis quæstionibus consulens, eum initio sic alloquitur* : Dic ergo mihi, benedicte Doctor Israël. *Et in fine* : Expone ergo hanc... clausulam mihi, quia lucere non dubito sanctæ animæ tuæ, quæ de interioris oculi puritate

* i. e. dialecticis

AUCTORE J. S.

Januarius, Nectarius paganus, Severus Milevitanus,

puritate meruit illuminationem Spiritus sancti, per quem scrutari et inspicere possit etiam alta Dei.

717 *Januarius tantam de* Augustini *sapientia existimationem conceperat, ut eum consulens scripsisset, nihil latere* Augustinum, *ut ex responsione Sancti colligitur, seu epistola* 119, *nunc* 55, *cap.* 22, *ubi ait :* Tantum enim absum ab eo, quod putasti nihil me latere *etc.*

Nectarius paganus epist. 201, *nunc* 90, Augustinum *vocat*, instructum disciplinis omnibus Virum.

Severus Milevitanus antistes, qui jam laudavit Augustinum *ejusque scripta num.* 568, *eumdem his verbis exornat epist.* 37, *nunc* 109 : O vere artificiosa Apis Dei, construens favos divini nectaris plenos, manantes misericordiam et veritatem, pes quos discurrens deliciatur anima mea, et vitali pastu, quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire et suffulcire molitur. Benedictus Dominus per præconium oris tui, et fidele ministerium : quod sic concinere et respondere facis canenti tibi Domino, ut quidquid de B ejus plenitudine ad nos usque redundat, jucundius efficiatur et gratius per tuum elegantem famulatum et succinctam munditiam, et fidele ac castum simplexque ministerium : quod ita resplendere facis per argutias tuas et vigilantiam tuam; ut perstringat oculos, et in se rapiat; nisi tu idem innuas Dominum, ut quidquid in te delectabile lucet, referentes nos ad illum, ipsius esse agnoscamus, de cujus bonitate, tam bonus es, et de cujus puritate et simplicitate et pulchritudine, purus, simplex et pulcher es.

Consentius monachus, Volusianus ethnicus, Macedonius vir illustris,

718 *Consentius, multas* Augustino *quæstiones proponens, epist.* 221, *nunc* 119, *sic affatur Sanctum sub initium epistolæ :* Tamen tu Vir admirabilis, si tibi ille Pater noster, solus conscius secretorum, qui habet clavem David, serenissimo cordis obtutu cælorum machinam penetrare concessit, et revelata (ut scriptum est) facie gloriam Domini speculari, in quantum tibi ille, qui hujusmodi cogitationem dedit, promendi dederit facultatem, enuncia nobis *etc. Et in medio :* Sed tu Vir, cui cælum, ut arbitror, ipsum subtilitate cogitationum intrare concessum est,.. super omnia sidera ad ipsam contemplationem, C altitudinem mundi cordis attollis *etc. Ac demum circa finem volens errores suos publice ab ipso corrigi :* Cur ergo, Vir doctrinæ hujus, quæ in Christo est, culmen, arguere palam corrigendum de cætero filium dubitas?

Volusianus ethnicus moderatus, pro cujus conversione laborabat Sanctus, epist. 2, *nunc* 135, Augustinum *sic compellat :* Petis a me, Vir probitatis justitiæque documentum. *Et ejusdem eruditionem in fine commendat hisce verbis :* Interest famæ tuæ, ut quæsita noverimus. Utcumque absque detrimento cultus divini in aliis sacerdotibus toleratur inscitia, at cum ad antistitem Augustinum venitur, Legi deest, quidquid contigerit ignorari.

Macedonius vir pius æque ac illustris epist. 51, *nunc* 154, *ad* Augustinum *scribit sequentia :* Miro modo afficior sapientia tua, et in illis, quæ edidisti, et in his, quæ interveniens pro sollicitis *, mittere non gravaris. Nam et illa tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil supra sit : et hæc tantum verecundiæ, ut, nisi faciam, quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse, dijudicem... Explicui tuos libros *(tres priores de Civitate Dei)* neque enim tam languidi aut inertes erant, ut

* *al.* sceleratis

me aliud quam se curare paterentur : injecerunt D manum, ereptumque aliis solicitudinum causis, suis vinculis illigarunt. Ita enim mihi Deus propitius sit, ut ego anceps sum, quid in illis magis mirer, sacerdotii perfectionem, philosophiæ dogmata, historiæ plenam notitiam, an facundiæ plenam jucunditatem, quæ ita imperitos etiam illicere potest, ut donec explicent, non desistant, et cum explicaverint, adhuc requirant,

S. Hieronymus, Jacobus et Timasius, Valentinus abbas,

719 *S. Hieronymus multis locis* Augustini *celebrat eruditionem : at, cum pleraque jam relata sint* § 20 *et* 43, *unum hic addo ex epistola Hieronymi inter Augustinianas* 27, *nunc* 165, *ad Marcellinum et Anapsychiam, in qua Marcellinum remittit ad* Augustinum *his verbis :* Certe habes ibi virum sanctum et eruditum Augustinum episcopum, qui viva, ut aiunt, voce docere te poterit, et suam, imo per se nostram, explicare sententiam.

Jacobus et Timasius, ab erroribus Pelagianis avulsi, in Epistola apud Benedictinos 168 *librum* S. Augustini *de Natura et gratia celebrant his verbis :* Ita nos refecit et recreavit gratia Dei, ministrata per verbum tuum ut prorsus germani E dicamus, « Misit verbum suum et sanavit eos », domine beatissime et merito venerabilis Pater. Sane ea diligentia ventilasse sanctitatem tuam textum ejusdem libelli *(Pelagii)* reperimus, ut ad singulos apices responsa reddita stupeamus. *Et inferius :* Nos vero, etsi olim spiritu claritatis qui in te est, docti, subjectionem ejus abjecerimus erroris, in hoc etiam nunc gratias agimus, quod hæc, quæ ante credidimus, nunc aliis aperire didicimus, viam facilitatis uberiore Sanctitatis tuæ sermone pandente.

Valentinus abbas Adrumetinus in Epistola 256, *nunc* 216, *acceptum ab* Augustino *librum de Gratia et libro arbitrio non minori prosecutus est laude. Verba ejus subnecto :* Venerabilia scripta, et librum tuæ Sanctitatis ita tremebundo corde suscepimus, ut, sicut beatus Helias, cum in speluncæ limine staret, faciem suam, gloria Domini transeunte, velavit, ita nos objurgatos oculos teximus, quia per rusticitatem fratrum nostrorum nostro judicio erubuimus, quorum inordinata profectione tuam meruimus Beatitudinem salutare, quia tempus loquendi et tempus ta- F cendi, ne, dum per dubitantes, et de veritate fluctuantes scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ est sicut angeli Dei, dubitare cum dubitantibus videremur. Non enim erat nobis necessarium interrogare de beatitudine et de sapientia tua, quæ est nobis nota per Dei gratiam. Nam ad librum dulcissimum Sanctitatis tuæ ita sumus alacriter jocundati, ut sicut Apostoli Dominum, post resurrectionem prandentem secum, non audebant interrogare, quis esset : sciebant enim, quia Jesus est : ita et nos nec voluimus nec ausi sumus interrogare de libro, utrum tuæ sanctitatis esset, cum ipsa fidelium gratia, quæ * in eo liberaliter commendatur, nobis tuum *, domine sancte Papa, eloquiis vivacissimis contestetur.

* *quæ omittitur apud Lov.*
* *Lov.* luis

Quodvultdeus diaconus, Darius comes,

720 *Quodvultdeus diaconus Carthaginensis miris elogiis Sanctum commendavit, dum postulabat, ut scriberet de Hæresibus; at ejus verba jam prolata sunt num.* 679 *et* 680 : *unum hic addo, quod in Epistola Benedictinorum* 223 *respondit excusanti se Sancto ob difficultatem Operis :* Difficultatem Operis... nec ipse ignorans ante prædixi ; sed de divini fontis ubertate, quam tibi Dominus tribuit, veraci corde præsumpsi.

Darius comes in Epistola 263, *nunc* 230, *singularem*

A *gularem erga* Augustinum *venerationem cum pari amore declarat hisce verbis :* Utinam, domine sancte Pater, ut nomen meum ad aures tuas . . . perlatum est, ita memetipsum Deus omnium Deus tuus, manibus tuis atque oculis obtulisset, ... ut cælestis sapientiæ tuæ verissimos atque immortales fructus ore tuo potius, veluti cujusdam puræ aquæ dulcedinem, ab ipso fontis præsenti ac perpetuo liquore sumpsissem ! O me, non modo ter aut quater, ut apud nescio quem est, sed millies et omni numero plus beatum, si mihi datum esset præsenti intueri tuos vere sidereos vultus, vocemque divinam ac divina canentem, et non solum mentis fructus, sed etiam cum aurium jucunditate sumere et haurire licuisset. Putarem profecto me quasdam immortalitatis leges, non modo de cælo, sed in ipso constitutum cælo suscipere, et quasdam Dei voces non longe de templo, sed prope ipsum Dei astantem tribunal audire. *Idem post multa alia Sancti elogia suum in ipsum amorem sic exponit :* Si enim credis, mi Pater, adeo nostris sensibus ac præcordiis inhæsisti, ex quo non contenti tua fama tam gloriosa, tam maxima, scriptis te * tuis intueri

B maluimus, cum una mihi, atque hæc brevis, epistola tua ardoris tantas flammas incendiaque commoverit.

* Lov. me

Longinianus ethnicus philosophus.

721 *Longinianus philosophus Ethnicus, acceptis* Augustini *litteris, in Epistola* 21, *nunc* 234, *de eo quid sentiret, expromit :* Beatus sum, *inquit*, et relucentis puro virtutis tuæ lumine admodum illustratus, qui dignum me divini tui affaminis honore cumulandum esse duxisti. *Et deinde :* Priusquam... Lybia possideret virum bonum, ut tu mediusfidius et eris et fuisti. Siquidem adhuc post hominum memoriam, nisi Xenophontis figmentis compositæ fabulæ schema concedas, adhuc audierim, legerim, viderim neminem, aut certe post unum, nullum, quod, Deo teste, bono periculo certoque dixerim, nisi te, Deum conniti semper agnoscere, et posse puritatem corporisque, projecta gravedine, sectari facillime, et spem perfectæ conscientiæ non dubia credulitate tenere. *Et demum sub finem :* Sed ante omnia quæso te, ut... me, quid de his existimes, vel tu quid sentias, sanctis scriptis tuis, ut ille ait,

C jam non melle, sed nectare dulcioribus, iuformare digneris.

Audax grammaticus,

722 *Audax grammaticus, cupiens prolixiorem ab* Augustino *epistolam, hæc ad eum scribit Epistola* 139, *nunc* 260 *:* Provocavi.. te, dulcis Antistes, non ut prælargi pectoris pusillum libamen acciperem, sed ut ingens divitis ubertim flumen haurirem. Thesaurum sapientiæ desideravi, sed minus accepi quam volui, licet minus non debet dici, sed munus, quod oraculum Legis contulerit Augustinus, sacrator justitiæ, instaurator spiritalis gloriæ, dispensator salutis æternæ. Tam tibi mundanus orbis notus est quam notatus : tam tu ei cognitus quam probatus. Opto itaque sapientiæ floribus pasci, et vivi fontis haustibus irrigari.

S. Prosper Aquitanus.

723 *S. Prosper in Epistola ad* Augustinum, *præfixa libro de Prædestinatione Sanctorum, apud Benedictinos inter Epistolas* 225, *curam Sancti pro universa Ecclesia contra hæreticos commendat hunc in modum :* Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, et adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi, ne onerosus tibi aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet ; cum potius reum futurum esse me crederem, si ea, quæ valde perniciosa esse intelligo, ad specialem Patronum fidei non referrem. *Idem S. Prosper in Epistola ad Rufinum, in novissima Operum ejus editione col.* 89, *sic loquitur de Sancto nostro :* Beatissimus quoque Augustinus, præcipua utique in hoc tempore portio Domini sacerdotum, copiose et pulcre in multis voluminum disputationibus destruxit *(versutias Pelagianorum :)* utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ et sapientiæ ex Dei caritate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi gladio debellaret Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas ad illuminationem Ecclesiæ, et ad gloriam Christi, qua ipse illustratus est, quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur. *Hi erant Semipelagiani. Idem in libro contra Collatorem cap.* 1, Viginti, *inquit*, et eo amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat E
et vincit. *Et cap.* 21 Augustinum *vocat*, præcipuum *suo* tempore in doctrina ecclesiastica Virum, *et* pastoralis speculæ validissimam Turrim. *Prolixius ex S. Prospero elogium datum est num.* 502. *Plura habet idem Sanctus locis variis, quæ brevitatis gratia prætermittimus.*

AUCTORE J. S.

S. Cælestinus Papa.

724 *S. Cælestinus Papa, in Epistola ad Galliarum episcopos, inter Opera S. Prosperi col.* 262 *sic habet :* Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit : quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori.

Julianus Pomerius.

725 *Julianus Pomerius, qui floruit sub finem seculi* v, *ac magister fuit S. Cæsarii Arelatensis, in Opere de Vita contemplativa adscripto olim S. Prospero, at nunc in ejus Appendice impresso, lib.* 3, *cap.* 31 *de Sancto nostro scripsit sequentia :* Sanctus Augustinus episcopus, acer ingenio suavis eloquio, secularis litteraturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, et in explicandis Scripturis canonicis cautus. F

Gennadius Massiliensis.

726 *Gennadius Massiliensis in Catalogo scriptorum cap.* 38 *partim laudat, partim reprehendit* Augustinum, *ut vel hinc agnoscas hominem Semipelagianis erroribus addictum. Apud Suffridum Petrum pag.* 157 *elogium ejus sic legitur impressum :* Augustinus Afer, Hipponensis oppidi episcopus, vir eruditione divina et humana orbi clarus, fide integer, et vita purus : scripsit quanta nec inveniri possunt. Quis ergo * glorietur omnia se illius habere : aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit ? Unde et multa * loquenti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus sanctus : In multiloquio non effugies peccatum. Edidit tamen senex, quod juvenis cœperat, de Trinitate libros duodecim (*alias* quindecim *) in quibus (ut Scriptura ait) introductus in cubiculum Regis, et decoratus veste multifaria sapientiæ

* in Mss. enim

* in Mss. Ex multo eloquentia

* Quindecim in Mss. nostris

AUCTORE J. S.

pientiæ Dei, exhibuit Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi. De Incarnatione quoque Domini idoneam edidit pietatem. De Resurrectione etiam mortuorum simili cucurrit sinceritate : licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Catholicus permansit * tamen, et error illius sermone multo, ut dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit.

** sequentia non sunt in Mss.*

qui, dum quædam in Sancto carpit, vel hinc se prodit Semipelagianum,

727 *Ab his non multum differt editio Joannis Martianay tom.* 5 *Operum S. Hieronymi col.* 35, *licet verba hinc inde aliqua sint mutata. Quædam etiam verba aliter leguntur in duobus codicibus nostris Mss,, ut notavi in margine, sensus tamen est idem. Porro apud Siffridum adduntur sequentia, quæ notat ab interpolatore quodam adjecta :* Egregio ingenio et excellenti studio Ecclesiæ serviens, Juliani hæretici libris inter impetum obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondit : et in defensione Christianæ sapientiæ perseverans, moritur Theodosio et Valentiniano regnantibus. *Ceterum dubitare non possumus, quin Gennadio in* Augustino *displicuerint ea, quæ contra Semipelagianos scribit, atque aliqua etiam improbaverit in scriptis contra Pelagianos. Verum judicium hominis a veritate alieni et erroribus addicti officere non potest Sancti gloriæ. Quod autem addat, Catholicum permansisse, inde haud dubie factum, quod* Augustinus *Semipelagianos non impugnaverit, ut hæreticos, sed ut errantes, cum errores eorum post Sancti mortem sint ab Ecclesia proscripti.*

Demum, omissis aliis, S. Gregorius,

728 *Possem hic recensere varios Pontifices et concilia etiam œcumenica, quæ doctrinam* S. Augustini *laudaverunt atque approbaverunt : at id minime necessarium judico, cum nullus sanæ mentis dubitet de doctrinæ* S. Augustini *ejusque dogmatum præstantia. Quapropter, cum infinitum sit, omnes recensere velle aut mediæ aut nostræ ætatis scriptores, qui Sanctum eximiis prosecuti sunt elogiis, omissis ceteris omnibus, duos tantum addo Ecclesiæ doctores, S. Gregorium scilicet Magnum, et S. Bernardum : quibus accedere poterit Bernardi amicus venerabilis Petrus Cluniacensis.*

Gregorius lib. 10, *epist.* 37 *editionis novissimæ ad Innocentium Africæ præfectum, qui ipsius Expositionem in Job postulaverat, sic rescribit :* Si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri Opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.

S. Bernardus ac Petrus Cluniacensis.

729 *Bernardus serm.* 80 *in Cantica sic breviter habet :* Augustinus hic est, validissimus malleus hæreticorum. *A Petro Cluniacensi in Epistola ad Bernardum, quæ inter Bernardinas novæ editionis est* 229, Augustinus *vocatur,* Maximus post Apostolos ecclesiarum instructor. *Ne plura de Operibus Sancti nostri elogia corradere sit necesse, facit communis etiam hodie Ecclesiæ consensus, ut jam monui. Ad alia igitur progredior.*

§ LVI. Cultus Sancti

Sanctus a seculo VI Fastis adscriptus,

Quo *præcise tempore inchoatus sit* S. Augustini *cultus, exacte determinari non potest : at venerationem ipsius viguisse jam seculo* VI, *certum est et indubitatum. Imprimis ejus memoria celebratur in antiquissimo Kalendario Carthaginensi, quod edidit Mabillonius tom.* 3 *Analectorum, ubi pag.* 399 *ad* IV *Kalendas Septembris sic legitur :* Depositio Restituti et Augustini * episcopi. *Non constat, cur Sanctus hic annuntietur* XXIX *Augusti, cum obierit* XXVIII *ejusdem mensis. Tillemontius art.* 352 *inde suspicatur, illum obiisse nocte inter* XXVIII *et* XXIX *media. Verum, quidquid sit de hac conjectura, uti Victor Vitensis asserit. Sanctum* XXVIII *Augusti defunctum esse, ita festivitas ejus in Occidentali Ecclesia eadem die semper celebrata est, nomenque ejus omnibus passim Fastis adscriptum, Hieronymiana apud Florentinium ad* XXVIII *sic habent :* Ippone Regio depositio sancti Augustini episcopi et confessoris. *Vetus Romanum a Rosweydo editum :* In Africa Augustini episcopi. *In Gallia quoque celebratam esse a seculo* VI S. Augustini *festivitatem, manifeste probant Acta S. Cæsarii Arelatensis, ad diem præcedentem edita, num.* 33, *dictaque ibidem in Commentario prævio num.* 52.

** l. Augustini*

et cultus XXVIII Augusti.

731 *Ado ad eumdem diem prolixo Sanctum laudat elogio, cujus postremam tantum partem subjungo :* Hujus corpus venerabile, primo de sua civitate propter barbaros Sardiniam translatum, nuper a Leutprando rege, dato magno pretio, Ticinis relatum, et honorifice conditum est. *Hisce de translationibus post exponendis consonant Usuardi et Bedæ Martyrologia. Verum, omissis aliis, unius Romani hodierni elogium subnecto, quod est hujusmodi :* Hippone Regio in Africa natalis sancti Augustini episcopi, et Ecclesiæ doctoris eximii : qui beati Ambrosii episcopi opera ad Catholicam fidem conversus et baptizatus, eam adversus Manichæos, aliosque hæreticos acerrimus propugnator defendit : multisque aliis pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus, ad præmia migravit in cælum : cujus reliquiæ primo de sua civitate propter barbaros in Sardiniam delatæ, et postea a Luitprando rege Longobardorum Ticinum translatæ, ibi honorifice conditæ sunt.

festa conversionis et utriusque translationis :

732 *Aliis quoque diebus de Sancto nostro agunt Martyrologia. Conversionem ejus et baptismum annuntiat Romanum cum auctario quodam Usuardi nostri die* V *Maii : conversio autem in Indice Ms. Usuardi notatur* XVII *ejusdem mensis, ut illa die observarunt Majores nostri in Prætermissis. Verumtamen neutra est conversionis aut baptismi dies, ut dictum est* § 8. *Unde vero contigerit, ut illa dies* V *Maii scriberetur in Martyrologio, colligi videtur ex Chronicis Josephi Pamphili, qui fol.* 52 *hæc memorat :* Anno Domini MCCCXLI conventus habitus est Tolosæ, decernitur que ut fieret festum conversionis S. Augustini, idque in Calendario scriberetur die quinta Maii. *Forsan non alia de causa dies illa electa, quam ut post festum S. Monicæ Filii ejus conversio celebraretur. De posteriori corporis sacri translatione meminit Romanum ad* XXVIII *Februarii his verbis :* Papiæ translatio corporis sancti Augustini episcopi ex Sardinia insula, opera Luithprandi regis Longobardorum. *Eamdem translationem illa die memorant auctaria varia in Usuardo nostro. Sed ab aliis ibidem ponitur translatio in Sardiniam, quæ apud Eremitas Augustinianos celebratur* XI *Octobris, et eodem die memoratur in variis Usuardi nostri auctariis. Habetur insuper in variis Fastis Commemoratio* S. Augustini *diebus variis, videlicet* XXIV *Januarii,* VI *Martii,* I *Aprilis, et* V *Junii, quemadmodum in Prætermissis ad prædictos dies in Opere nostro observatum est.*

733 *Porro festivitatem sancti Doctoris celebratam*

festivitas Sancti olim celebrata

A *tam aliquando fuisse eo modo, quo celebrantur festa Apostolorum, discimus ex Bullario Augustianorum, edito per Laurentium Empoli, in quo a pag.* 243 *recitatur bulla Leonis X, qua, exemplo prædecessorum suorum Sixti IV et Alexandri VI, festivitatem* Augustini *modo prædicto celebrari jubet. Bullam ipsam accipe :* Leo Papa decimus universis et singulis, præsentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, quod licet Sanctorum favor apud Deum pro humani generis salute necessarius maxime sit, et fel. rec. Sixtus Papa quartus prædecessor noster proinde considerans beatissimi Augustini de fide orthodoxa plurima et insignia merita, ejus festum perpetuis temporibus ex tunc futuris a Christi fidelibus cum cessatione eo die ab omni opere, sicuti cujusvis Apostoli festum, ubique coli et celebrari debere statuerit, et sub excommunicationis sententia præceperit; et deinde piæ memoriæ Alexander Papa sextus, etiam prædecessor noster, eadem consideratione
B motus, statutum et præceptum hujusmodi innovaverit et approbaverit, prout in eorum inde confectis litteris plenius continetur : tamen in aliquibus orbis partibus, præsertim in provincia Provinciæ, in qua plures Fratrum Eremitarum Ordinis ejusdem Sancti domus existunt, statutum et præceptum prædicta in eorum, qui id audent, animarum perniciem, omnipotentis Dei, qui venerari voluit in Sanctis suis, indignationem et Apostolicæ auctoritatis contemptum, violare præsumunt.

cum vacatione ab opere,

734 Quare nos, qui cum universa militanti Ecclesia in ejusdem Sancti spiritualibus plantis, quas ad Christianæ religionis præsidium jam ab inde consuevit, in dies reficimur, volentes super his salubriter providere, ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica, statutum et præceptum, ac litteras Sixti et Alexandri prædecessorum hujusmodi approbamus et innovamus, ac universos et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet, et præcipue in dicta provincia constitutos, hortamur in Domino et monemus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis sententiæ pœna districte præcipiendo mandamus, ut ex nunc de cetero in perpetuum festum S. Augustini prædictum, qui unus ex quatuor Eccle-
C siæ Doctoribus, quorum Officium majus duplex ex ordinatione Pontificum exiit, sicuti cujusvis apostoli colant solemniter et observent, abstineantque eo die penitus ab omni opere, in festis Apostolorum exerceri prohibito. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Denique fidem adhiberi mandamus non modo nostris his litteris, verum etiam et earum exemplis, seu transumptis, modo prælati in dignitate Ecclesiastica constituti sigillo munita, et notarii alicujus publici manu signata fuerint. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die quinta Aprilis, millesimo quingentesimo decimo quinto, Pontificatus nostri anno tertio. *Idem statutum jam fuarat pro locis quibusdam particularibus per Joannem XXII et Innocentium VIII, quorum statuta ad totam Marchiam Tarvisinam extendit Alexander VI, ut videre est in ejus bulla anni* 1493, *in laudato Bullario pag.* 34. *Quamdiu autem festivitas Sancti eo modo celebrata sit, non invenio. Si illa consuetudo citius non fuit abolita, abrogata certe fuit per constitutionem Urbani VIII, anno* 1642 *datam, editamque in Bullario Cherubini tom.* 5 *pag.* 410, *qua abrogantur festa omnia ibidem non expressa : nam* Augustini *festivitas de præcepto celebranda in bulla non præscribitur.*

quod deinde rursus in Hispania ceptum.

735 *Verumtamen pietas Caroli II Hispaniarum regis erga* S. Augustinum *effecit apud Innocentium XI, ut Sancti festivitas Hispanis omnibus celebranda præscriberetur. Bullam Innocentii edidit Ludovicus Torellus in Seculis Augustinianis tom.* 5 *pag.* 188. *Data hæc est anno* 1677, XXIII *Februarii, in eaque sic loquitur Pontifex :* Cum itaque sicut charissimi in Christo filii Caroli Hispaniarum regis Catholici nomine dilectus filius noster Johannes Everardus S. R. E. presb. card. Nidhardus nuncupatus, ipsius Caroli regis apud nos et sedem Apostolicam orator, nobis nuper exposuit, ipse Carolus rex pro singulari sua, subditorumque suorum in Hispaniarum regnis degentium, erga S. Augustinum episcopum Hipponensem Ecclesiæ doctorem præcellentissimum, devotione, festum ejusdem sancti Doctoris in dictis regnis de præcepto servari plurimum desideret; nos devota grataque animi devotione considerantes, quantis optimus ille Magister, a san- E
ctis prædecessoribus nostris Cœlestino, et Gregorio Magno, eximiis laudibus decoratus, in Ecclesia Dei (quam editis ad orthodoxæ fidei defensionem, suæque doctrinæ elucidationem, vitæque et morum ex Christi norma formandorum institutionem, tot clarissimis atque irrefragabilibus scriptis; longe lateque illustravit, et illustrare hodieque non cessat) meritis præfulgeat, ac proinde piis enixisque memorati Caroli regis precibus, nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ut perpetuis futuris temporibus festum ejusdem sancti Augustini in universis Hispaniarum regnis prædictis de præcepto servetur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus ac decernimus et ordinamus.

§ LVII. Gemina sacri corporis translatio.

Corpus Sancti translatum in Sardiniam, inde Ticinum :

Corpus S. Augustini, *quod Hippone primum fuerit sepultum, in Sardiniam delatum esse, indeque postea Ticinum translatum, consentiunt eruditi : at de tempore harum translationum* F
aliisque adjunctis, non omnino concordant, quod in illis variæ occurrant difficultates, quas hoc loco examinandas explicandasque suscipimus. Epistolam de utraque translatione ad Carolum Magnum scripsisse dicitur Petrus Oldradus archiepiscopus Mediolanensis : verum et fides illius epistolæ suspecta admodum est, et quæ narrantur in illa tam accurata et certa non sunt, ut ex illius auctoritate tempora aliaque adjuncta determinare possimus. Itaque, priusquam recitemus dictam epistolam, illa aliunde stabilire conabimur, quantum possumus.

translatio prima facta tempore persecutionis Wandalicæ, sub Trasamundo, ut creditur,

737 *Scriptores omnes, qui commemorant translationem ex Africa in Sardiniam, testantur eam se factam* propter barbaros, *id est, Wandalos Arianos, qui Catholicos in Africa persecuti sunt sub variis regibus, ita ut hinc certum non fiat, sub quo Wandalorum rege translatio sit peracta. Memorata Petri Mediolanensis epistola habet, translationem contigisse in persecutione Trasamundi, qui Africanos episcopos in Sardiniam relegavit; eaque opinio plurimis probata est. Baronius in Annalibus ad annum* 504 *agens de hac episcoporum relegatione, num.* 38 *subjungit sequentia :* Tunc plane accidisse perhibetur, ut

AUCTORE J. S.

ut Hipponensis episcopus, et alii ejus provinciæ Numidiæ sacerdotes occulte (ut licuit) sacrum ferrent secum una thesaurum, nempe venerandum corpus magni illius totius Ecclesiæ Catholicæ magistri Aurelii Augustini Hipponensis episcopi, simulque ejusdem sacri verticis ornamentum, mitram episcopalem, et episcopatus insigne, baculum pastoralem, sed et alias secum plures eveherent Sanctorum reliquias. *Ruinartius in Historia persecutionis Wandalicæ cap.* XI, *num.* 17 *consentit his verbis :* Sed inter alia cimelia, quæ secum in Sardiniam attulere episcopi Africani, unum certe e pretiosissimis fuit beati Augustini corpus. Cujus quidem translationem etsi nullus istius temporis scriptor memoraverit, tunc tamen factam fuisse ex iis, quæ postmodum contigere, certissime scimus.

licet Tillemontius se opponat ; cujus ratio prima nulla est,

738 *Tillemontius tom.* 13 *Monumentorum art.* 353, *et nota* 95, *hisce repugnat, ac probare nititur, ossa verisimilius translata esse in persecutione Hunnerici anno* 484 *excitata, quæ universalis fuit. Rationes autem, quas allegat sunt hæ. Oldradus ait, corpus* S. Augustini *mansisse in*
B *Africa annis* 56 *: itaque transferri non potuit tempore Trasamundi, qui regnum adeptus est circa annum* 496. *Verum hæc ratio nihil evincit, cum Oldradus sibi ipse contradicat, ex quo argumentum Tillemontii sic retorqueo. Oldradus asserit ossa Sancti translata esse* a fidelibus et Catholicis episcopis, qui ob Christi fidem ab iniquo Trasamundo rege una cum Fulgentio Ruspensi episcopo . . . . in eamdem insulam (*Sardiniam*) relegati fuerant. *Diutius ergo in Africa manserunt sacra ossa quam annis* 56. *At, inquit, præstaret deserere auctoritatem Oldradi in iis, quæ de Trasamundo et Fulgentio affirmat, et* inhærere epochæ 56 annorum, quam alibi procul dubio invenit. *Miror hanc crisim, præsertim cum illam ipse mox evertat. Nam continuo subdit, annis* 56 *substituendos* 54. *Quomodo igitur, inhæret epochæ Oldradi,* quam alibi procul dubio invenit. *Jam vero quis nescit, scriptores in annis computandis facilius aberrare, quam in factis referendis ? Quis ignorat numeros sæpe perturbari transcribentium vitio, annosque a scriptoribus recte numeratos, hinc deinde apparere mendosos ? Itaque, si aliquid auctoritatis tribuen-*
C *dum est Oldradi epistolæ, personæ, quas exprimit, retinendæ sunt, numerique corrigendi. Verum Tillemontius ex epocha Oldradi ratiocinatur contra Oldradum, atque interim ex tribus, quas ille statuit, epochis nullam servat illæsam, sed omnes corrigendas contendit. Hæc igitur prima ejus ratio nihil probat, sed ei potius adversatur, cum translationem sub Trasamundo factam clare edicat Oldradus, idque facile invenire potuerit apud antiquiores, seu ex documentis haurire Ticini aut alibi repertis.*

altera plane erronea,

739 *Altera ejus ratio, qua maxime nititur, aperte erronea est et falsa.* Persecutio, *inquit,* anni DVIII *sub Trasamundo,* forsan non spectabat nisi ad Byzacenam, adeoque causa non fuerit translationis corporis S. Augustini, quod erat in Numidia. *Illustrissimus Fontanius Ancyranus archiepiscopus in Disquisitione de corpore* S. Augustini, *ubi cap.* 4 *late probaverat, persecutionem Trasamundi universalem fuisse in Africa, cap.* 5 *sic progreditur :* Hanc tamen persecutionem ab Hunerico, non a Trasamundo excitatam, suspicatus est Tillemontius. . Sed quo minus vir doctus a suspicionibus suis, quibus sæpe nimis indulsit, in errorem abreptus fuerit, minime dubito. Siquidem Ferrandus Chifletianus D
initio capitis XXI, Victor Tunnonensis, Isidorus, Ado, Paullus diaconus, Anonymus Ruinarti, atque auctor Vitæ S. Aviti, a me omnes proxime adducti, quos Tillemontius magnitudine sui Operis fessus et quasi obrutus, consuluisse nequaquam videtur, non certe de Hunerico, sed de Trasamundo nominatim loquuntur, idque consulenti eosdem historicos liquet. *Ruinartius in Historia persecutionis Wandalicæ cap.* XI *num.* 8 *idem jam ante ostenderat; sed Tillemontium decepit auctor Vitæ S Fulgentii, qui scripsit* sexaginta et eo amplius episcopos catena ligatos exsilii fuisse, *quia, ut habet Ruinartius,* solos Byzacenæ antistes memorat.

740 *Verum audiamus ex laudato Ruinartio, quam late se extenderit dicta Trasamundi persecutio :* Certe Victor Tunnonensis in Africa episcopus qui vivente Justiniano floruit, disertis verbis affirmat in Chronico, ex omni Africa centum viginti episcopos a Trasamundo in exsilium detrusos fuisse. Hæc sunt ejus verba : « Trasamundus « Ariana insania plenus, Catholicos insectatur, « Catholicorum ecclesias claudit, et in Sardiniam E
« exsilio ex omni Africana ecclesia centum vi- « ginti episcopos mittit. » Eadem habet Isidorus in brevi Wandalorum Historia æra DXXVI. Ducenti et viginti numero fuisse dicuntur in Chronico brevi, quod supra a nobis editum est. Totidem recenset auctor Historiæ miscellæ, quæ vulgo Pauli diaconi nomine inscribitur. Quinque superadjiciunt Sigebertus et Marianus Scotus. At Hermannus Contractus triginta et ducentos episcopos a Trasamundo in Sardinia variisque insulis afflictos fuisse commemorat. Idem fere habent alii istius ævi scriptores, quos singillatim recensere nihil juvat ; at vel ex solo Eugenii Carthaginensis exemplo patet, aliarum etiam præter Byzacenam, provinciarum episcopos e suis sedibus a Trasamundo ejectos fuisse.

ut probatur :

annus hujus translationis incertus.

741 *Itaque acquiescere poterat Tillemontius sententiæ passim receptæ, qua creditur,* ossa S. Augustini *tempore persecutionis Trasamundi in Sardiniam delata fuisse ab episcopis eo relegatis. Nam ipse fatetur, in persecutione Hunerici episcopos non ablegatos fuisse in Sardiniam, sed partim in Corsicam missos, partim in Africa retentos, ita ut minime fiat verisimile, ossa Sancti* F
tunc in Sardiniam delata ; aliamque translationem fingere oporteret, de qua nullus umquam vel verbo meminit. Quo autem Trasamundi, aut Christianæ epochæ anno, translatio contigerit, determinari certo non potest. Si credamus Oldradi epistolæ, eam esse factam, dum S. Fulgentius Ruspensis episcopus in exsilium missus est a Trasamundo, non potuit esse facta ante annum 508, *quo S. Fulgentius ordinatus est episcopus, ut passim tradunt eruditi. At fateor epistolol æ auctoritatem tantam non esse hac in re, ut per illam res satis fiat certa. Sufficiat igitur dixisse, translationem contigisse sub Trasamundo circa initium seculi* VI.

Variæ sententiæ de anno translationis secundæ :

742 *Postquam ultra ducentos annos sacra ossa in Sardinia fuerant deposita, cum insula vastaretur a Saracenis, magno pretio redempta sunt opera Luitprandi Longobardorum regis, ac Ticinum translata. De anno hujus translationis disputant eruditi : nam alii statuunt* 712, *alii* 721, *alii* 722 *aut etiam* 723 *ac* 725, *alii demum annos alios, ut contingere solet in re obscura atque incerta. Baronius in Annalibus ad annum* 725 *num.*

AUCTORE J. S.

A *725 num. 1 eodem ipso anno ossa Sancti translata credidit. Mabillonius in Actis sanctorum Ordinis sui tom. 3 pag. 437 translationem illigavit anno 722 : sed in Museo Italico tom. 1 pag. 221 ob inventum quoddam Luitprandi diploma sententiam mutavit, annumque designavit 712, quem etiam amplexus est Ruinartius in Historia persecutionis Wandalicæ cap. XI num. 17. Verum Tillemontius in* Augustino *nota 95, et Pagius in Critica ad annum 725 num. 1 contendunt, annum hujus translationis adhuc incertum esse, opinionemque secundam Mabillonii tot rationibus oppugnant, ut illam ipse rursus deseruerit in Annalibus Benedictinis tom. 2 pag. 67, atque anno 722 translationem iterum innexuerit. Fontaninus in Disquisitione de corpore* S. Augustini *cap. 10 non modo annum 722 amplectitur, sed confidenter quoque subjungit* : Quare annus translationis, qui Pagio . . . . et Tillemontio videbatur incertus, jam certus habendus est. *Ita illi. At priusquam hæc disquiramus, audiamus translationem per scriptores antiquos assertam, ut inde disputationi*
B *nostræ lux affulgeat.*

ex Beda habemus, factam esse primis novem annis Leonis Isaurici;

743 *Venerabilis Beda, qui eodem illo vivebat tempore, in fine libri de Sex ætatibus mundi, describens primos novem Leonis Isaurici annos, hæc omnium postrema memorat :* Liudbrandus audiens, quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, ubi ossa sancti Augustini episcopi propter vastationem barbarorum olim translata, et honorifice fuerant condita, misit, et dato magno pretio accepit, et transtulit in Ticinis, ibique cum debito tanto Patri honore recondidit. *Hisce omnino consonat Paulus Diaconus lib. 6 de Gestis Longobardorum cap. 48. Addit Fontaninus cap. 7 genuinum, ut vocat,* Bedæ Martyrologium *pag.* 413, *cujus hæc sunt verba :* In Africa sancti Augustini episcopi, qui primo de sua civitate propter barbaros Sardiniam translatus, nuper a Liuthbrando rege Langobardorum Ticinis relatus, et honorifice conditus est. *Ex his pro tempore translationis figendo nihil sequitur, nisi translationem contigisse intra primum novennium imperii Leonis Isauri, id est, inter* XXV *Martii anni 717, quo Leonem ad imperium evectum probat Pagius ad*
C *annum 716 num. 3, et anni 726 memoratum diem. Baronius tamen mox laudatus ex Bedæ verbis conjecturam suam desumpsit, sic scribens:* Quod scilicet producens ille commentarium suum de Sex ætatibus usque in annum nonum Leonis imperatoris, ponensque extremo loco eam translationem, qua claudit eam lucubrationem, possumus existimare hoc anno (725) eadem contigisse. *At cum Beda omnia, quæ novem annis Leonis sunt facta, confuse referat, fallere videtur hæc conjectura. Legitime tamen ex Bedæ verbis deducitur, translationem non esse factam anno 712, ut agnovit Mabillonius; aut anno 734, ad quem eam retulerat Marianus Scotus.*

Varii scriptores designant annum 722.

744 *Nunc videamus, utrum annus 722, qui variorum auctorum calculo firmatur, adeoque saltem probabilis apparet, certus etiam haberi debeat. Laudatus Fontaninus cap. 10, post adductam auctoritatem* pervetusti Chronici, *in quo translationem consignari anno 722, dixerat Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis sui tom. 3 pag. 437, addit sequentia :* Non unum istud Chronicon Germanense Augustini ossium translationem illi anno DCCXXII connectit; sed et alia hoc faciunt. Elnonensis enim, Herbipolensis, et Saxonici Chronicorum auctores idipsum uno ore confirmant. Primum edidit Edmundus Marteuius in Thesauro Anecdotorum tom. III pag. MCCCXCIII : alterum Stephanus Baluzius in Miscellaneis tom. I pag. DII : tertium Godefridus Guilielmus Leibnitius Accessionum historicarum tom. 2 pag. CX. In tertio tamen hoc Chronico annus Christi DCCXXII, quo ea, quæ diximus, facta sunt, cum V, non VI, imperii Leonis Isaurici anno copulatur, quia Chronographus Saxo annum primum Leonis illigavit A. D. DCCXVIII, quem A. D. DCCXVII illigare debuisset. *Hisce demum subdit auctoritatem Sigonii, qui lib. 3 de Regno Italiæ eodem anno translationem commemorat.*

alii tamen 721, ita ut neuter sit omnino certus.

745 *Hæc quidem Chronica, quæ seculo* XII *et* XIII *scripta sunt, sufficere mihi videntur, ut translationem figamus circa annum 722, donec certiora proferantur monumenta. Verum illa mihi tanti non sunt, ut cum Fontanino affirmare ausim, annum 722 omnino certum esse, præsertim quia dissentiunt Sigebertus abbas Gemblacensis,* E *Albericus monachus Cisterciensis, anonymus Strozzianus apud Fontaninum cap. 14, et Hermannus Contractus in Chronicis suis : ex quibus tres primi translationem commemorant anno 721, tertius anno 723, qui anni æque cum Bedæ calculis componi possunt ac 722. Quod autem ait Fontaninus, latercula horum chronologorum loco mota esse, dici non potest, nisi divinando, et parum probabiliter, cum nullam ejusce corruptionis probationem adducat. Quapropter translationem malim figere circa annum 722 cum aliqua extensione, quam affirmare certo factam esse anno 722; nam æqualia fere momenta militant pro anno 721, quem a Vincentio Bellovacensi etiam designatum, docebunt verba ejus post citanda.*

Alia translatio, ab aliquibus asserta, facta non videtur.

746 *Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiaticis ad annum 1228 num. 37 aliam quamdam translationem invenisse se putavit, dum ita scripsit :* Neque illud hoc loco reticendum videtur, insertum Pontificio hujus anni regesto Gregorii diploma de translatione corporis S. Augustini episcopi et doctoris, quod Ticini in ecclesia S. Petri de Cælo aureo nuncupata jacebat, in sacrum Mortariense templum solemni pompa celebrata. *Fortasse repererit Raynaldus bullam Pontificis, in qua permissum fuit, sacrum corpus* F *Mortariam transferre : at credibile non est, eo translatum umquam fuisse, sive Ticinenses id numquam permiserint, sive alia quacumque de causa. Dubitari etiam posset, an rescriptum, quod vidit Raynaldus, sit satis authenticum, et, si tale sit, an translatio ex eo recte sit deducta, cum verba non attulerit. Quidquid sit, illam translationem fuse refutat Ludovicus Torellus in Seculis Augustinianis ad eumdem annum, eademque satis refutabitur ex iis, quæ dicemus § sequenti.*

§ LVIII. Litteræ sub Petri Oldradi nomine editæ de utraque translatione examinantur.

Litteræ, Petri Oldradi nomine editæ, aut interpolatæ sunt,

Pagius ad annum 725 num. 2 totam Petri Mediolanensis epistolam adulterinam contendit et supposititiam variis rationibus, quas huc transfero : Hæc enim ejus inscriptio, *inquit :* « Domino regum piissimo Carolo Magno Petrus « Oldradus

AUCTORE J. S.

" Oldradus indignus Mediolanensium archiepi-" scopus. " Anno enim Christi DCCXCVI, quo ea dicitur data, Carolus in litteris Magnus non cognominabatur; imo nec quoad in vivis fuit, hoc titulo nominatus reperitur. *(Probat id ex Mabillonio tom. 2 Analect. pag.* 420.*)* Secundo, Caroli magni tempore episcopi solum nomen suum, numquam vero cognomen exprimebant. Imo nondum eo tempore cognomina instituta fuisse, communis sententia fert. Tertio, Papebrochius in Exegesi de episcopis Mediolanensibus, præfixa tomo VII Sanctorum mensis Maii, observat, aliqua diplomata Petro Oldrado episcopo Mediolanensi fuisse afficta, et ab Ughello in Italia sacra recitata, quorum falsitas manifesta est ex variis capitibus, et præsertim quod in illis Petrus dicatur OLDRADUS, in gratiam scilicet familiæ ejusdem nominis. Denique ea epistola tot anachronismis fœdata est, ut nullam prorsus fidem mereatur.

aut potius supposititiæ, et scriptoris eo junioris:

748 *Rationes hæ evincunt, inscriptionem epistolæ aut fictitiam esse aut certe adulteratam. Fieri autem facile potuit, ut quis ad nomen Caroli cognomen* Magni *adderet, ac Petri nomen cognomento* Oldradi *augeret. Quod vero ait Pa-* B *gius de diplomatis Petro Oldrado affictis, non caret errore. Etenim Mediolanensis diplomata, quæ edidit Ughellus, ut legitima habet Papebrochius, sed unum Caroli magni diploma improbat, quod Petrus in eo cognominetur Oldradus. Quod demum de anachronismis objicitur, non sufficit ad totam Petri epistolam pro supposititia habendam, cum adeo magni non sint, ut Petro excidere non potuerint, quia eo tempore scientia chronologica minus erat perfecta. Verumtamen et aliud occurrit in his litteris, quod displiceat. Audi Fontaninum cap.* XI : Etiam æræ nostræ vulgaris semel iterumque injecta mentio, quæ seculo VI ineunte a Dionysio Exiguo privatim disposita, et solum post Carolum Magnum publico usu in Italia recepta est, nullo modo probari potest. *Ex his concludere oportet, vel epistolam interpolatam esse, vel scriptoris esse minus antiqui, cui mendax inscriptio deinde fuerit apposita : quod ultimum verisimilius apparebit ex dicendis.*

multa tamen in illis videntur vera. Refertur in illis translatio Sancti in Sardiniam ;

749 *Verumtamen Fontaninus putat potiorem Epistolæ partem veram esse, quia pleraque in illa relata ab aliis etiam scriptoribus affirmantur, ut patebit. Totam igitur cum observationibus quibusdam subjicio ex editione Baronii ad annum* 725. Domino regum piissimo Carolo Magno Petrus Oldradus indignus Mediolanensium archiepiscopus perennem in Christo coronam. Opus, quod celsitudo vestra, dum in urbe Mediolani moraretur, mihi imponere dignata fuit, ut aliquid de translatione corporis beati Augustini episcopi de Sardinia Papiam inquirerem, et fideli sermone celsitudini vestræ transcriberem : quantum humana fragilitas laborare potuit, elaboravi : et quod ex litteris et libris Regum Longobardorum, et etiam ex traditione multorum legi et audivi, Deo adjuvante, breviter scribam. Beatus Augustinus, doctor Ecclesiarum Christi, post multa miraculorum signa, quibus in hoc mundo effulsit : post multam insudationem laborum, qua obstinationem hæreticorum, rectum iter viæ depravantium, oppugnaverat, Deo animam reddens, honorifice a fidelibus sepultus est in civitate Hipponensi in episcopatu suo, in ecclesia sancti Stephani, currente anno Incarnationis Christi quadringentesimo trigesimo; ibique honorifice sepultus per manum discipulorum suorum, jacuit annis fere quinquaginta sex : deinde D in Sardiniam translatum est a fidelibus et Catholicis episcopis : qui ob Christi fidem ab iniquo Transamundo rege una cum Fulgentio Ruspensi episcopo, cum innumerabilibus Christi fidelibus in eamdem insulam relegati fuerant, quo tempore Wandali armis Africam vastabant, ne gemma et thesaurus tantus ab immundis spiritibus pollueretur, secum cum nonnullis aliis Sanctorum reliquiis deportarunt. Ibi multis miraculis claruit annis ducentis viginti tribus. In quo manifestum datur intelligi, quod, quos Deus caros habet, ad sanctitatis eorum testimonium clarificat et insignit virtutibus miraculorum. *Porro in qua Sardiniæ urbe exceptum servatumque Sancti corpus, antiqui non exprimunt. Recentiores vero Calarim designant, ubi et miraculis claruisse, et hodie etiam magna solemnitate coli affirmant. Videri potest Torellus tom.* 2 *ad annum* 505 *a num.* 21, *cujus asserta hic non lubet discutere. Ad litteras redeamus.* E

pietas Luitprandi Longobardorum regis,

750 Unde Luithprando Asprandi filio Longobardorum rege, quo tempore a die obitus ipsius Sancti ducenti et octuaginta anni evoluti fuerant, regno Longobardorum adepto, et perseverante in vero religionis proposito, quippe qui protector et defensor fidelis ecclesiarum Dei extitit, vir certe tanto principatu dignissimus, si prudentiam, sapientiam, consiliumque, quo plurimum valebat, quis inspexerit, justitia autem et clementia ita insignis haberetur, ut difficile judicaretur, qua in re majorem promereretur laudem, Christianissimus adeo fuit, ac religionis amator, ut nulla umquam in regno templa sine suo suffragio ædificari permiserit : uam ut de ceteris taceam, Papæ plurima templa ornatu miro construxit, donatis et additis multis castris et possessionibus : et præcipue in palatio suo oratorium in honorem Salvatoris mundi extruxit, ubi et sacerdotes et clericos multos instituit, qui die noctuque divina officia exolverent, attributis multis bonis, ut honestius et alacrius Deo inservire possent. Et primo regni sui anno donationem, quam beato Petro Aripertus rex donaverat, confirmavit, scilicet Alpes Cottias, in quibus Janua est, et quidquid ab ea Alpes usque ad Galliarum fines continebant. Et beato Petro apostolorum principi in suburbio Papiensi monasterium construxit artificis opere excellenter ornatum, cui etiam indidit nomen, Cælum aureum. *De constructione monasterii et ecclesiæ S. Petri in Cælo aureo agetur inferius.* F

cujus jussu sacrum corpus ex Sardinia fertur translatum,

751 Barbarorum igitur infinita multitudo Sardiniam expugnare est agressa : quam cum invasissent, et subjugatam destruerent, loca etiam sancta violenter aggressi polluebant, inter quæ sepulchrum beati Augustini. Hæc cum justitiæ cultor et amator religionis Luithprandus rex audisset, a sanctæ memoriæ Petro Papiensi episcopo, quem rex maximo honore et summa reverentia ob vitæ sanctitatem prosequebatur, videlicet coinquinari et inhoneste tractari sanctissimi Augustini locum; legatos suos proceres nobiles cum magno pondere auri et argenti transmisit in Sardiniam, ut corpus tanti Sancti redimerent precio, et transferrent quamprimum ad civitatem Papiensem. Qui jussioni et desiderio piissimi regis satisfacere cupientes, navigio venerunt in Sardiniam, et redimentes corpus sanctum a barbaris, navique illud imponentes, Dei misericordia et ingenti eorum gaudio plenis velis per tranquillum

A quillum mare iu unius diei et noctis spatio perducti sunt ante portum et statiouem Januensem; et per legatos regi, quæ facta erant, denunciarunt, et ut honorifice occurrerent ad reliquias tam gloriosi corporis suscipiendas.

inde per agrum Dertonensem, quo rex ipse obviam dicitur profectus,

752 Quo audito, rex immenso gaudio perfusus, gratias ingentes Deo referebat, quod desiderium suum implevisset; omnique uegotio postposito, rogatis et convocatis omnibus civitatum suarum episcopis, et universo clero, usque ad finem agri Dertonensis ad suscipiendum tam præclarum Dei muuus cum maxima humilitate processit; et more Davidico, ad accipiendam Arcam Domini, et reponendam in decentiori loco, properabat cum innumerabili procerum et populi utriusque sexus multitudine, Deo gratias omnes ageutes de tantis donis datis. Cum autem ad locum, ubi jacebat sanctum corpus, appropinquasset, depositis regalis aulæ iusiguibus, nudatoque capite et pedibus cum tanta humilitate et devotione procedebat, ut omnes, quiaderant, mirarentur, et Deum super tanta devotione piissimi regis laudarent. Ad Confessorem autem suum clarificaudum misericors Dominus dignatus est multa miracula operari: multi enim B aliquo officio corporis privati aderant, qui recuperata sanitate, alacres ad laudem et honorem Dei vociferautes, læti ad propria remeabant. Unde corpus beati Confessoris cum laudibus et hymnis defereutes perveneruut ad fines agri Dertonensis, ad prædium, quod appellant Savinariense, ubi rex Luithprandus cum universo episcoporum et procerum comitatu pernoctautes, et debitum tanta Patri officium digue peragentes: rex ipse tamquam uuus de plebe prope sanctissiui corporis reliquias nimio devotionis zelo ardeus pernoctavit.

et ubi corpus factum immobile, sed, emisso voto, rursus mobile,

753 Cum autem aurora sequentis diei illucesceret, ad peragendum iter ad urbem Ticinensem sistentes, nullo modo sanctum corpus movere potuerunt. Cum igitur plures ad feretrum accederent, nec quidquam proficerent: rex Luithprandus scissis vestibus et deformata facie in terra devolutabatur; quippe qui immenso desiderio tauti Patris transferendi reliquias ad urbem Ticinum æstuabat nimis: at tum omnino ab omui spe ceci- C derat posse amoveri sanctum corpus. Quo miraculo omnes episcopi et proceres stupebant, cogitantes intra se, quidnam Deum omnipotens indicare vellet de reliquiis tam gloriosi Doctoris. Aderat inter cœtum episcoporum sanctæ memoriæ Gratianus Novariensis ecclesiæ præsul, vir multa doctrina præditus, et omni scientiarum genere illustris, et vere Dei sacerdos, qui accessit confidenter ad Luithprandum regem, affirmans Dei misericordiam non verbis et actibus externis, sed magis votis et operibus imploraudam. Quæ rex libentissime monita audiens, facto voto, deliberavit, si Dominus Deus omnipotens corpus beati Augustini Ticinum deferri permitteret, quod supranominatum prædium Savinariense Deo et ecclesiæ beati Petri, ad quam ipsum sanctum corpus deferre volebat, perpetuo habendum tribueret. Factum est igitur, ut cum votum persolvisset, accederet ad feretrum: qui cum corpus de terra levare teutaret, ita levissimum invenit, ut nullo ulterius onere impediente, corpus beatissimum, quod prius nec moveri poterat a pluribus, modo non prohiberetur ferri a duobus. Peragebant igitur incœptum iter, ingenti gaudio et exultatione laudantes Dei omnipotentiam, qui vota regis tam facile audisset.

AUCTORE J. S.

Ticinum transfertur et miraculis inclarescit.

754 Cum autem in urbe auditum esset de adventu regis cum reliquiis beatissimi Confessoris: ad suscipiendum corpus sanctissimum omnes, qui residui fuerant, festinarunt occurrere, et cum summo houore, utpote tanto Patri debito detulerunt cum hymnis et canticis, et totius populi concursu, summo gaudio perfusi, et reposueruut in ecclesia beati Petri in Cælo aureo. Jure autem in apostolica positus est ecclesia, qui pro ecclesiastica dimicans fide, diabolicas hæreticorum fraudes dispersit. Ubi etiam ad sanctitatis ejus testimouium, ad argumentum fidei posterorum, multis signis et miraculis claruit. Illud memoria dignum contigit post translatiouem Papiam factam, quo Deo, beatoque patri Augustino gratam fuisse eam translationem innotuit: siquidem multi tactu sacrorum pignorum tantum, ex variis morbis statim convaluere.

Insignis multorum sanatio prævia apparitione Sancti:

755 Sed insignis fuit illa apparitio facta quibusdam Ultramontanis numero quadraginta, qui petentes Romam, prope viculum Cavæ, Papia distantis circiter tria millia passuum, quo membra fessa iu longo itiuere curarent, pernoctantes, circa secundam horam noctis ab ecclesia, quæ viciua erat, E dicata sanctis martyribus Cosmæ et Damiauo, viderunt egredi homiuem habitu pontificali ornatum, qui ipsis appropinquaus, percunctatus est, quo pergerent. Cum respondissent, se Romam ad basilicas sanctorum Petri et Pauli proficisci, quatenus a Domino impetrarent liberari ab iufirmitatibus, quibus unusquisque eorum afflictabatur: (erant enim omnes infirmi, ideo Romam peregrinabantur) tum ut viserent sancta loca, tum ut Sanctorum meritis ibi quiescentium Deus eos sanaret, dixit illis Pontifex: Dirigite gressus vestros ad urbem vobis vicinam, Papiam nempe, et ingredimini templum beati Petri in Cælo aureo; ingressi sauabimini languoribus vestris. Quis esset, iuterrogantibus peregriuis respondit, se esse Augustinum Hipponensem episcopum. His auditis, stupore et gaudio repleti, festinantes Papiam, et templum ingressi, clamautes dixeruut: Sancte Augustine, sicut pollicitus es, restitue nobis sanitatem. His vix pronunciatis, senserunt se pristinæ iucolumitati redditos, et Deo beatoque Augustino gratias agentes, ad propria læti et incolumes remearunt, narrantes mirabilia, quæ fecerat Dominus intercessione tanti Doctoris. *Idem refert Jacobus de Voragine cap.* 191, F *sed annum designat circiter* 912: *quæ si justa sit epocha, non potest hæc esse epistola Petri archiepiscopi ad Carolum Magnum, sed auctorem habebit longe juniorem. Audiamus tamen reliqua.*

pietas regis Luitprandi in Augustinum.

756 Dona autem, quæ piissimus rex Luithprandus ecclesiæ beati Petri douavit, tam in prædiis et possessionibus, quam in vasis aureis et argenteis et vestibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum et Catholicorum opiuionem. Existimabat autem rex ille, se tantum nou posse donare ministris, qui custodiebant corpus beati Patris, quod opinioni et voluntati suæ penitus satisfaceret. Et tanto gaudio ad corpus tanti Viri receptum repletus est, quod die ac nocte in hymnis et canticis Dei cum clericis et sacerdotibus in ecclesia pernoctaret, et tamquam unus de ministris in canticis Dei et psalmodia se exerceret. Hæc translatio corporis sancti Augustini facta fuit pridie Kalendas Martii, sedente in sancta Petri Sede bonæ memoriæ Gregorio ejus nominis secundo. Excellentiam magnitudinis vestræ per multa annorum curricula Rex regum

AUCTORE J. S.

regum Christus Dominus sua dignetur custodire potentia. Datum in urbe Mediolani anno salutiferæ Incarnationis Domini septingentesimo nonagesimo sexto. *Hactenus epistola, Petri Oldradi nomine olim insignita sed forsan aliquot seculis post Petrum et Carolum Magnum conscripta. Certe illam epistolam ignoravit Philippus ab Eleemosyna, qui mox dicet, se scriptum invenire non potuisse,* Quando..., vel quomodo, vel a quibus *sacrum* Augustini *corpus in Sardiniam sit translatum: quod non dixisset, si hanc vidisset epistolam. Hac de causa cum epistola patrum fidei mereatur, subjungam ex aliis scriptoribus, quænam harum translationum adjuncta videantur certiora.*

§ LIX. Ex aliis scriptoribus confirmantur pleraque in præcedentibus litteris relata, ac disseritur de monasterio et ecclesia S. Petri in Cælo aureo, ubi corpus depositum.

B

prædicta pleraque

Philippus ab Eleemosyna abbas Bonæ spei in Vita S. Augustini *cap.* 33 *de translationibus ita scripsit:* Defunctus itaque beatus Augustinus in civitate sua Hipponensi, tertio mense obsidionis ejusdem, quinto Kalendas Septembris, a sanctis coepiscopis, qui præsentes aderant, et fratribus suis, ibidem cum luctu et mœrore sepultus est: sed inde postea, divino disponente consilio, Sardiniam translatus est. Quando vero, vel quomodo, vel a quibus illuc translatus sit, scripto commendare nolui nec debui, quia scriptum invenire non potui. Illic vero fere usque ad ducentesimum octogesimum obitus sui annum honorifice jacuit, donec occulto,, sed non injusto Dei judicio eadem quoque civitas perditioni succubuit. *Videmus hic, et infra in aliis videbimus eumdem anachronismum de secunda translatione qui occurrit in litteris Petro Mediolanensi adscriptis. Litteras autem illas ignotas fuisse huic scriptori ex citatis ejus verbis jam dixi. Redeo ad Philippum.*

C

de gemina

758 Irruentes quippe Saraceni, percusserunt eam in ore gladii, et ignorantes Deum, omnia, quæ Dei erant, subverterunt: et, quod detestabilius est, ipsa etiam sacra loca, omni veneratione ablegata, indigne fœdaverunt. Verumtamen, cum eadem civitas hostili succumberet excidio, non sustinuit divina providentia, ut Viri sancti fama obtineretur silentio. Pro tempore religiosus rex Leuthbraudus *, Deo disponente, regebat Italiam, qui diligens quæ Dei sunt, sanctam summopere venerabatur Ecclesiam... Is nimirum Leuthbrandus, devotione pulsatus non modica, in honore B. Petri apostoli traus * muros civitatis Papiæ basilicam ædificavit, quam insignem ornatu regio Cellam auream nominavit. Cui dum sollicite impenderet studium, audivit, quod hostilis Saracenorum impietas Sardiniam depopularetur, et locus ille venerabilis, in quo beatus Augustinus diu honorifice requieverat, contemptui haberetur. Assumens itaque legatos, quos strenuos et fideles judicavit, cum multo auri et argenti pondere eos illo destinavit, orans et orando impetrans, ut vel prece, vel precio, vel quolibet ingenio sanctum illud corpus de Sardinia tollere, et sibi niterentur adferre. Dicebat enim princeps devotus, ecclesiam suam digno fulgore clarescere, si tanto mereretur thesauro ditescere.

* i. e. Luitprandus

* i. e. extra

D

sacri corporis

759 Illi vero injunctum sibi fideliter exequentes officium, Sardiniam profecti sunt, et assumpto corpore, dato multo precio, cum gaudio reversi sunt. Qui muniti tanto Præside, et securi tanto munimine, commiserunt se mari, et implente zephyro carbasa, sibilante favonio, et crispante maris plauitie, sulcaverunt æquor remige veloci et cursu prospero, Memiensis * civitatis portum intraverunt, ibique jactis anchoris aliquantisper quieverunt. Rex autem Leuthbrandus, cognito quod voti compotes redirent nuntii, multo stipatus milite illuc eis lætabundus occurrit, et sanctum illud corpus flexo genu ruens in faciem humiliter adoravit. In cujus præsentia per beatum Augustinum multa illic Deus miracula operatus est, ut cujus vita extitit mirabilis, post mortem nihilominus appareret laudabilis. *Hisce de secunda translatione consentiunt varii. Eodem modo loquuntur Anonymus Strozzianus apud Fontaninum citatus cap.* 14, *et Vincentius Bellovacensis lib.* 23, *cap.* 148, *cujus verba subnecto:* Anno Leonis IV Luitprandus Longobardorum rex, audiens quod Saraceni, depopulata Sardinia, illa etiam loca fœdassent, ubi ossa beati Augustini, ob vastationem barbarorum olim ab Hippone translata et recondita fuerant, legatos suos illuc direxit, qui, dato auro multo, preciosas illas reliquias secum devexerunt, et ad urbem Genuensem regressi sunt, ubi præfatus rex occurrens eum gaudio, corpus almificum devote adoravit, et reverenter excepit, visis nimirum miraculis, ad declarandum Sancti meritum ibi patratis. *Petrus de Natalibus lib.* 3, *cap.* 161, *et Jacobus de Voragine in Chronico Januensi, quod editum tom.* 9 *Scriptorum Italiæ, pag.* 77, *cap.* 7 *similiter affirmant, corpus ex Sardinia Genuam advectum, eoque obviam venisse Luitprandum.*

* l. Genuensis

E

translationis

760 *Præcedentibus hæc subjungit Philippus abbas:* Deinde soluta statione navali, sublato corpore, rex et sui inde profecti sunt, et venientes in episcopium Terduense *, quemdam vicum regium, qui vulgo Mons Samarius dicitur, ingressi sunt. Quia vero, perfecto labore diurno, sol jam parabat occubitum, et instante vespera dies vergebat ad exitum, deposito corpore ibidem quieverunt, cereisque et lampadibus, hymnis et laudibus totam noctem festivam reddiderunt. Mane autem... rex moræ impatiens, ipso diluculo jussit corpus tolli, sperans juxta solitum sine aliqua difficultate proficisci. Jussu regis audito, arripiunt feretrum bajuli, invenientes rem plenam miraculi. Corpus enim illud tantæ inventum est gravedinis, tanti inventum est ponderis, ut non solum levari ab illis prioribus, verum etiam removeri non posset ab omnibus. Expavescunt et admirantur, nocte recens transita quid culpæ contraxerunt, si tantam psallendo et laudando offensam incurrerunt. Tandem rex divino instinctu commonitus, . . . ad placandum Virum sanctum munus obtulit, dicens: Si te, pater Augustine, ad locum, quæ (*lege* quem) elegi, deferri permiseris, hanc villam, in qua sumus, et omnia, quæ ejus sunt, in perpetuum dabo tibi ad usus ministrantium tibi. Mira res, beatus ille Sanctus, qui juxta Scripturam manus suas excussit ab omni munere, hujusmodi placatur munere, corpusque suum, quod paulo ante prorsus erat immobile,

* Dertonense urbs vulgo Tortona dicitur.

F

A immobile, audita oblatione reddidit portabile.

ex aliis scriptoribus 761 *Eadem paucioribus verbis memorant Bellovacensis loco jam assignato et Anonymus Strozianus. Audi priorem :* Sane rex et sui inde *(Genua)* progressi cum preciosissimo illo thesauro iverunt ad quamdam villam, in Tordonensi diæcesi sitam. Verumtamen cum inde corpus sanctissimum tollere voluissent, ita stetit immobile, ut nulla vis, nulla posset illud ars humana movere. Quod videns rex, votum vovit, quod si beatus Confessor ex illo loco se tolli permitteret, et transduci Papiam, villam cum omnibus appendiciis suis concederet servientibus ipsius perpetuo possidendam. Voto facto atque firmato, corpus sanctissimum inæstimabili facilitate sustollitur. *Jacobus de Voragine supra memoratus narrat idem miraculum, at Genuæ illud scribit contigisse. Verba ejus accipe :* Dum vero rex vellet ipsa ossa Papiam facere deportari, in tantum ponderaverunt, quod nullo modo levari a vectoribus potuerunt. Tunc rex B. Augustino votum vovit, quod si dimitteret se levari, et Papiam deduci, ecclesiam in honorem suum in loco scilicet illo, B ubi apud Januam fuerat hospitatus, faceret ædificari. Facto igitur voto, statim illi, qui corpus deportabant, leviter levaverunt, et rex votum suum fideliter adimplevit. At ubi modo sit ista ecclesia, non invenitur, nec scitur. *Quia, ut opinor, numquam fuit constructa. Plus enim fidei debetur scriptoribus ante citatis, qui miraculum istud scribunt factum in agro Dertonensi, quam huic; aut etiam Petro de Natalibus, qui miraculum utroque loco factum, atque utroque ædificatam a Luitprando ecclesiam affirmat; imo et locis omnibus, in quibus sacrum corpus cum rege pernoctabat.*

confirmantur: 762 *Reliqua ad translationem spectantia Philippus abbas prosequitur hunc in modum :* Dato quidem et confirmato, quod rex Leuthbrandus devote promiserat, sanctum illud corpus, omni difficultate remota bajuli sustulerunt, et aggredientes iter optatum, Papiam cum gaudio pariter devenerunt. Præcurrentibus autem nuntiis, lætitia ineffabili tota civitas commota est, et utriusque sexus innumera multitudo cum hymnis et laudibus in obviam egressa est. Qui laudantes Do- C minum, cujus incomprehensibili gratia tantas reliquias suscipere meruerunt, ad basilicam regiam revertentes, eas ibidem quinto Idus Octobris honorifice reposuerunt. *Bellovacensis de his sic habet :* Ticinum usque transvectum *(corpus,)* clero pariter ac populo concurrente, honorifice et gaudenter excipitur, et in basilica beati Petri, quam præfatus rex constituens, Cælum aureum dixerat, dignissime collocatur. *Hæc item Anonymus Strozianus apud Fontaninum cap. 14, addens tamen :* Facta est autem translatio anno Domini DCCXXI, CCLXXXI * annis ab ejusdem Confessoris transitu jam decursis.

** forte CCXCI*

de die utriusque translationis. 763 *Observanda venit hoc loco dies hujusce translationis, cum Philippus abbas contra sententiam plerorumque XI Octobris eidem assignet : namque in epistola Oldradi, apud Petrum de Natalibus, in Kalendario antiquo apud Florentinium ad XXVIII Februarii, ac demum in Martyrologiis plerisque facta dicitur XXVIII Februarii, qua ejus festivitas celebratur apud Augustinianos, et Ticinenses. Contra vero prima in Sardiniam translatio recolitur apud Augustinianos XI Octobris, quo secundam contigisse affirmat abbas Philippus. Hinc colligimus alteram translationem factam esse XXVIII Februarii, alteram XI Octobris, aut certe id diu fuisse creditum : at non eumdem apud omnes fuisse consensum, ultra XXVIII Februarii contigisset, ultra vero XI Octobris, eum in auctariis Usuardinis mira de iis sit discrepantia, ut monui num. 732. Verumtamen, cum hodieque ea sententia passim recepta, sit qua secunda translatio facta creditur XXVIII Februarii, eademque pluribus nitatur fundamentis, suspicari possumus, Philippum abbatem confudisse diem primæ translationis cum die translationis secundæ, ex eoque eumdem errorem irrepsisse in auctos Usuardi codices. Quippe benignior quam probabilior videtur interpretatio Fontanini cap. 15, ubi Philippum cum aliis conciliare nititur hoc modo :* Mihi obversatur, magni Patris lipsana Ticinum fortassis advecta die XXVIII Februarii, deinde confessioni, quæ tunc exstrui debuit, illata die XI Octobris, vel vice versa.

AUCTORE J. S.

Ecclesia S. Petri in Cælo aureo condita videtur ante Luitprandum, a quo aucta est, 764 *Cum S. Augustini corpore alia quoque Sanctorum corpora translata fuisse, atque in eadem ecclesia deposita, scribunt varii : verum id ad nos non spectat hoc loco. Anonymus Ticinensis, editus tom. XI Scriptorum Italiæ, lib. de Laudibus Papiæ cap. 4, col. 13 de ecclesia, ubi S. Augustini et aliorum ossa sunt deposita sic scribit :* E Intra tertii et exterioris muri ambitum, quo ipsa civitas fuit amplius aucta per circuitum, continentur istæ aliæ ecclesiæ... Ecclesia S. Petri in Cælo aureo, quam amplificavit Luitprandus rex Longobardorum, atque dotavit. In qua jacet corpus beatissimi Augustini episcopi Hipponensis doctoris eximii, qui multas ibi virtutes ostendit. *Hic scriptor non obscure insinuat, ecclesiam illam ante Luitprandum fuisse structam, dum dicit,* amplificavit. *Idem verisimile fit ex eo, quod in eadem ecclesia sepultus sit Severinus Boetius, qui diu ante Luitprandi tempora Ticini occisus est, et de quo fertur, inquit idem scriptor,* quod decollatus a loco decollationis usque ad præfatam ecclesiam caput suum inter ulnas portavit. *Factum illud non discutio : at solum ex illo colligo, ecclesiam illam Luitprando antiquiorem esse. Quin et suspicio mihi est, de eadem ecclesia loqui Paulum Diaconum, dum lib. 4, cap. 32 ait,* Apud Ticinum quoque in basilica beati Petri apostoli, Petrus cantor fulmine ictus *tempore Agilulphi regis, et toto seculo ante Luitprandum. Loquitur quidem iste auctor lib. 6, cap. 5 de alia S. Petri ecclesia* F *Ticini; verum addit,* Quæ AD VINCULA dicitur, *ita ut priori loco de prima loqui videatur, quæ nomen* Cæli aurei *a Luitprando accepit. Mabillonius in Itinere Italico tom. I, part. I, pag. 222 sic scribit :* Idem Luitprandus anno regni sui tertio donationem decessoris sui Ariperti regis confirmat « basilicæ « beatissimi Apostolorum principis Petri, sitæ foris « muros civitatis Ticinensis, et venerabili viro Lu- « cedo presbytero ». *Quæ rursus clare insinuant, ecclesiam ante Luitprandum fuisse conditam, modo diploma istud, editum apud Gabrielem Pennottum in Historia tripartita lib. I, cap. 58, satis sit authenticum.*

adjectumque ecclesiæ monasterium : 765 *Hinc assentiri nequeo scriptoribus neotericis, qui asserunt cum Bellovacensi, ecclesiam illam a Luitprando fuisse exstructam. Minus etiam placet opinio illustrissimi Fontanini, qui capiti decimo Disquisitionis suæ hunc præfixit titulum :* Basilica sancti Petri in Cælo aureo a Luitprando rege constructa ob unum Augustini corpus in ejus confessione deponendum, ubi semper quievit. *Nam verba Pauli Diaconi lib. 6, cap. 58, quæ ad istud probandum allegantur, solum evincunt, monasterium a Luitprando conditum, nec* quidquam

AUCTORE J. S.

quidquam prœterea. Audi ipsa ejus verba: Hic gloriosissimus rex multas in Christi honore, per singula loca, ubi degere solebat, basilicas construxit. Hic monasterium beati Petri, quod foras muros civitatis Ticinensis situm est, et Cælum aureum appellatur, instituit. *Malim itaque existimare, solum monasterium, quod Benedictinorum fuit, a Luitprando exstructum, ecclesiam vero amplificatam atque exornatam, quod præbere potuit aliquibus occasionem scribendi, ecclesiam ipsam ab illo ædificatam.*

quod primo a Benedictis inhabitatum: quibus successerunt Canonici et Eremitæ Augustiniani.

766 *Ceterum ecclesia illa cum monasterio per Honorium III summum Pontificem translata est a Benedictinis ad Canonicos Regulares, quibus deinde additi Eremitæ Augustiniani per Joannem XXII. Primum tradit Mabillonius in Itinere Italico pag. 222, utrumque Fontaninus in Disquisitione cap. 18, ubi hæc adjungit:* Jam ipsi *(Eremitæ)* et Lateranenses ad statuta Bonifacii IX alternis mensibus divina Officia in media æde persolvunt ad aram maximam. Eremitæ, *ut mox subdit,* latus australe basilicæ occupant, Canonici Regulares aquilonare, aut certe latus Euangelii. *Viderunt hæc Mabillonius et Papebrochius* B *infra allegandi. At nunc exponendum, quam studiose sacrum corpus fuerit reconditum et conservatum.*

§ LX. Corpus magna cura reconditum: locus, in quo illud depositum multi crediderunt: corporis inventio et recognitio.

Opinio quorumdam de corpore in loco ignoto recondito:

Bernardus Saccus in Historia Ticinensi lib. 10, *cap.* 3 *hæc scribit:* In templo itaque divi Petri a Lytprando ædificato conditum Augustini corpus fuit, et ne facile resciri posset, quo loco corpus esset, ferunt Lytprandum, tribus locis effossis structisque sepulcris, alibi deinde nocte, paucis operi adhibitis, jussisse corpus condi, omnibus simul sepulcris eadem nocte occlusis, ut, certa corporis sede ignorata, difficilior C in ævum fieret occasio ejus perquirendi rapiendique. Constructum deinde alio seculo sacellum divo Augustino fuit juxta templum divi Petri, in quo sacello arca illa marmorea ac celebris composita est, Augustini sepulcrum repræsentans. *Exprimit scriptor ille, quid ante bina secula ab aliquibus de sepulcro Sancti nostri creditum fuerit. At junior est, quam ut jurare oporteat in ejus verba. Certe, si sacellum istud* Augustini, *seu pars templi posterior, quæ aram maximam et chorum continet, post aliam ecclesiæ partem fuerit ædificata, ut hic auctor asserit, suspicari merito possumus, illam partem a Luitprando ecclesiæ adjectam, cum probaverimus ecclesiam ab eo non conditam, sed auctam; indeque verisimile fiet, locum illum constructum, ad deponendum in eo corpus* Augustini.

crypta, in qua plerique dudum crediderunt corpus depositum: puteus ibi salutifer:

768 *Sane Papebrochius noster, dum Roma reversus est in Belgium, ecclesiam illam diligenter perlustravit, et in Reditu suo Ms. pag. 226 de illa sic scripsit:* Augustianus Prior ad templum, quod SUB CÆLO AUREO nominatur, deduxit. Cujus pars anterior inter Eremitas Canonicosque divisa. Hæc antiquo nomine DIVI PETRI, altera recentiori DIVI AUGUSTINI dicitur. Choro alternatim utuntur per menses, sub quo ara atque in- D gens lateritia tumba, qua D. Augustini ossa recondita creduntur a multis. Neque sane apparet, qui alius ejus usus fuerit, nisi ut sepulcrum operiret: eo magis, quod puteus, ex quo salubriter advenientes aquam hauriunt, dicatur proxime ad corporis conditorium natus. *De hoc puteo Bellovacensis lib.* 23, *cap.* 148 *disserit hunc in modum:* Quod autem in prædicta ecclesia corporis ejus pretiosus thesaurus reconditus sit, stupendo et evidenti miraculo elucescit. Siquidem in crypta ecclesiæ, in qua jacet, puteus est, qui aliquot annis in die festi superabundans, totam cryptam supereffluxit, in signum, quia sic aqua ista sordes diluit; sicut sordes hæreseos ab Ecclesia affluens ejus doctrina detersit. *Idem habet Anonymus Strozianus apud Fontaninum cap.* 14 *cum hac tantum differentia:* Qui *(puteus)* quotannis in die festi super nudam totam cryptam pereffluit. *Cum autem hic dicat,* Quotannis pereffluit, *Bellovacensis vero,* Aliquot annis supereffluxit: *inde colligi videtur, fluxum illum superabundantem putei desiisse, antequam scriberet Bellovacensis, licet puteus ipse permanserit.* E

alia corporis ibidem servati indicia:

769 *Mabillonius in Itinere Italico pag.* 221, *ubi dixerat sacrum corpus a Luitprando ad laudatam ecclesiam translatum,* quod modo, *inquit,* ibidem incerto in loco latet, *hæc subjungit ad propositum nostrum:* Attamen in crypta sub altari ubi corpora Sanctorum reponi olim solebant, mausoleum exstat ex lapidibus coctis, et lampas ardens ante mausoleum: quod indicio est, ibi superesse, aut aliquando fuisse corpus sancti Doctoris. Elegans ejus cenotaphium cernitur ex parte Eremitarum Augustinianorum, qui latus australe occupant ecclesiæ, Canonici Regulares aquilonare, aut certe latus Euangelii. *Hæc Mabillonius, uti et supra Papebrochius, ante inventionem sacri corporis. De lampade a Mabillonio memorata scribit Fontaninus cap.* 19, *illam* alternis mensibus Canonicorum Regularium et Eremitarum cura... perpetuo ibidem *arsisse; et duas alias huic ab Eremitis adjunctas. Hinc facile colliget studiosus lector, creditum fuisse a plerisque, reconditas esse in crypta illa, seu confessione, ut vocant, sacras* S. Augustini *reliquias, licet de loco determinato dubitarent aliqui, et dudum dubitaverint, ut nunc* F *ostendam.*

ex magna Ticinensium cura servandi corporis locus cryptæ.

770 *Anonymus Ticinensis, scriptor seculi* XIV *ante laudatus, de Laudibus Papiæ cap.* 17 *hæc memorat:* Et est sciendum, quod visitantes altaria et areas sanctorum corporum, præsertim BB. confessorum Syri et Augustini, qui sunt in cryptis ecclesiarum, semper stant ab aquilone viri, et a meridie mulieres propter honestatem. Habent enim specialem patronum ipsum beatissimum Augustinum. Unde, ne sibi (quod absit) auferretur ab ullis regibus vel principibus, ipsum in profundo et secretissimo loco per tale artificium incluserant, quod auferri non posset, etiamsi illic multi per multum temporis laborarent. Et insuper statutum fuit per eos, quod debeat ab omnibus semel in hebdomada visitari. Nam et propter illum intra urbis septa servandum, a parte illa per murum tertium tantum terræ spatium incluserunt, quod illud monasterium S. Petri nunc intra urbis mœnia retinetur: malent enim corporis vitam quam illud perdere. Numquam enim B. Valerius prædecessor ejus episcopus Hipponensis ipsum viventem cariorem habuit, quam nos mortuum possidemus. *Hæc simul indicant, quanti facerent Ticinenses corpus* S. Augustini. *Eadem mens*

AUCTORE J. S.

A *mens fuit sæpe jam laudati Philippi abbatis, qui in fine Vitæ illam sic exprimit :* Felicem illam ecclesiam dixerim, quæ tali thesauro locupletatur, qui omni preciosior auro, gemmis præclarior merito judicatur. Felicem, inquam, quæ tantas reliquias impræsentiarum meruit continere !.... Mallem ecclesiam nostram ditari et ornari ossibus Augustini, quæ in ecclesia Papiensi continentur, quam sericis vestibus, quæ multæ (ut audivi) in foro Papiensi venales inveniuntur. Mallem in ecclesia nostra conservari preciosas Augustini reliquias, quam pomposas Crœsi divitias.

in quo corpus depositum, ignotus fuit, at non ipsa crypta :

771 *Quandoquidem Anonymus ille Ticinensis narrat, contigisse ex summo Ticinensium desiderio conservandi sacrum corpus, ut ipsum* in profundo et secretissimo loco *deponerent, ejus verba non interpretanda existimo, siculi aliqui interpretati sunt, acsi significare voluisset, prorsus ignotum esse, qua totius ecclesiæ parte sacrum corpus fuerit depositum. Id enim esset thesaurum amantissimum aliquo modo, adjicere, ne perderetur. Verum id solum voluisse videtur, ignotum fuisse suo tempore, qua cryptæ seu confessionis* B *parte sacer thesaurus esset absconditus, ita tamen ut constaret, in crypta memorata depositum esse. Hujusmodi interpretationem exigunt ipsa ejus verba. Quippe de SS. Syro et* Augustino *dicit,* Qui sunt in cryptis ecclesiarum. *Addit statutum esse,* quod debeat ab omnibus semel in hebdomada visitari. *Visitari autem non poterat, nisi locus utcumque esset notus. Auctor vero non dixisset, in crypta esse, si ignorasset, qua ecclesiæ parte corpus esset depositum. Hinc itaque mea quidem sententia solum colligitur, determinatum cryptæ seu confessionis locum ante corporis inventionem fuisse ignotum, quod aliunde satis constat. Verumtamen dubitari deinde cœptum, an revera sacrum corpus in crypta illa superesset, ut abunde patet ex verbis Mabillonii ante relatis.*

Quidam voluerunt, sacrum corpus aliquando ab isto loco amotum ;

772 *Non defuerunt, qui contenderent sacrum* Augustini *corpus non semper quievisse eodem loco, ubi a Luitprando fuit depositum. Bernardus de Montfaucon in Diario Italico cap. 2. pag. 26 illam quorumdam opinionem declarat his verbis :* Aiunt autem ex Chronico quodam Brixiensi, et ex inscriptione, quæ visitur a sinistris sacelli S. Apiani, constare, anno MCCXXIII metu Gallo- C rum incursantium, queis animus illas reliquias subripere, et in Gallias asportare, sacrum corpus translatum fuisse, et defossum sub altari S. Apiani, exinde vero, postquam Ticinenses respirassent a Gallico metu, XL post annis reductum in pristinas sedes ; esseque opinionem ferme omnium, ibidem latuisse semper ossa sancti Doctoris. *Gabriel Pennottus in Historia Tripartita lib.* I, *cap.* 37, *num.* 8 *idem affirmat ex Chronico Brixiensi. Verum ridet hæc Fontaninus cap.* 17, *et a Pennotto primum prolata affirmat :* Sed hic Pennottus, *inquit,* vapulat a non meticulosis Augustinianis, Petro Campensi, Thoma Herrera, Aloysio Taurello, Josepho Sabbatino, et Cardinali Norisio in Quinquaginta somniis festive excussis, ubi ait, Franciscum Macedum sua somnia de Augustino ex Pennotto gratis accepisse, qui suorum scriptorum papavere belle eum soporavit.

quod vehementer negant alii :

773 *Etiamsi judicem me interponere nolim huic disceptationi, audire tamen juvabit, quid litigiosæ isti translationi opponat Fontaninus :* Quem enim metum Gallorum obtrudunt, *inquit,* cum somniis reputandum facile vides. Quandoquidem, si hujusce metus epocham sciscitaris, nunc ad sæculum VIII pavidi convolant, nunc ad sæculum IX et X, nunc tandem ad seculum XIII, XIV et XVI mœsti incertique salutis confugiunt, post celebrem illam atque omnibus notam et veram a Liutprando translationem factam, sex alias minime veras, sibique unis notas, pro suo arbitrio somniantes, ne verum Augustini corpus dudum repertum fateantur. Ad fabulas istas aniles, sero nimis excogitatas et male compactas, prorsus convellunt eorumdem sæculorum testes Pontifices et episcopi Ticinenses usque ad nostram ætatem una voce disertum de Augustini corpore in Confessione servato testimonium perhibentes. Risum in re tam gravi tenere vix possumus, ubi istum Gallorum metum in editis forensibus libris ad nauseam obtrusum recogitamus. *Vides, lector, translationem istam ab aliis asseri, negari ab aliis : nec illa tanti momenti est in rem nostram, ut acerbis litibus me immiscere sit necesse.*

qua occasione corpus inventum, et quo modo,

774 *Quidquid igitur sit de translatione ista, corpus sub finem præcedentis seculi inventum est in loco, ubi illud depositum diximus. Audi laudatum Montfauconium in Diario Italico pag.* E 27 : Demum anno MDCXCV, de prima Octobris, cum Ecclesiam sancti Petri in Cælo aureo instaurarent, et cryptam, in qua jacere Sancti reliquias opinio erat, in elegantiorem formam exornare cuperent, casu repertæ sunt reliquiæ, quæ jam in dubium vocantur. Est autem crypta illa, quam in SCUROLUM et CONFESSIONEM nuncupant, subterraneum capellæ majoris, adestque altare inferius. Ad superiori capella autem ad inferiorem per viginti circiter gradus fit descensus. Cum igitur huic vacarent operi, casu evenit in artifices lateritium quoddam ædificium pone altare, erectum quasi ad fornicem, ferro contingerent, et lateritia quædam fragmenta exenterent, tum rimis apertis exploratur esse interius occlusum vas marmoreum : hinc excitantur ad curiosius pervestigandum ; excutitur hinc inde lateritia moles, et detegitur arca marmorea, longitudine ulnarum trium et totidem unciarum, latitudine unius ulnæ et duarum unciarum, altitudine ulnæ unius et unciarum quatuor, cujus quatuor anguli validissimo quique sigillo ferreo muniebantur. In actu autem excrustationis, aiunt in libello quodam ea de causa edito, dictæ marmoreæ arcæ a cæmento, quo undique tegebatur, legendum F apparuit, primo litteris Gotthicis in cæmenti parte non adhuc remota a marmore, hoc nomen, AGOSTINO, et subinde in crassitudine operculi marmorei dictæ arcæ, hoc idem verbum, AGOSTINO, ex quadam materia facilis deletionis, formatum quasi ex carbone. Ex quo nomine, quamvis ex artificis inadvertentia deleto, nasci cœpit spes inveniendi tandem hac occasione, sed divino forte consilio, corpus et reliquias S. Augustini episcopi, et Ecclesiæ doctoris : hæc ad verbum exscribere visum, quia magni in utramvis partem momenti sunt.

de nomine Augustino duobus locis lecto,

775 *Fontanius cap.* 20 *contendit, nomen ibidem lectum non fuisse* Agostino, *sed* Augustino. *Accipe ipsa ejus verba :* Sub mausoleo lateritio in crusta ex lapide structuli, literis colore nigro, quasi carbone confectis, hisque uncialibus, sed ob vetustatem evanescentibus, lectum est, AUGUSTINO, ex primæva indole nascentis Italicæ linguæ, veluti in casu obliquo, et absque prænomine SANCTUS more antiquissimo. Literas vero istas fuisse Gothicas nemo affirmavit in Actis, quamvis in libellis forensibus, tunc editis, hoc legatur... Mox in mausoleo lateritia detectus al-

bus-

AUCTORE J. S.

bus sarcophagus marmoreus undique clausus. In tabula, anteriorem ejus partem obducente, pariter, ut in crusta, ad funalia accensa lectum ab omnibus Augustino, more, ut dixi, antiquissimo, et sine prænomine Sanctus... In marmore ipso, postquam etiam color fuscus litterarum evanuit, earumdem vestigia superfuerunt. Ita legimus in Actis publicis, ab illustrissimo et reverendissimo episcopo Ticinensi ad summum Pontificem huc in urbem transmissis. Lectum vero est duobus in locis nomen Augustino tanta facilitate ob distinctam magnitudinem uncialium characterum, ut ab ipsis etiam fabris murariis, ceteroqui parum solute legentibus, distingui et legi potuerit : quod sacramento obstructi, in tabulis actisque publicis deposuerunt. Hoc ipsum et reliqua ex iisdem tabulis, publica tunc auctoritate conscriptis, atque ut Romam, ut dixi, nuper transmissis, didicimus non certe lectum est Agostino, ut forensia scripta typis edita exhibent, et refertur ex eorumdem scriptorum forensium relatu ab amico nostro Bernardo a Montefalconis. *Hactenus Fontaninus.*

ubi simul cum corpore et in arcis reperta :

B 776 *Montfauconius vero post præcedentia sic prosequitur :* Absente tum episcopo, evocatur inspectum vicarius ejus cum notario et aliis, qui, cum non subesset alia arcæ aperiundæ ratio, jubent frangi sigilla plumbea et ferrea ligamina : neque tamen ita potuit operculum arcæ moveri loco, donec fractis angulis, inferius massam quatere facultas fuerit. Intra marmoream arculam exstabat argentea capsula longitudine ulnæ et unciarum quinque, cum operculo item argenteo. Orbicularis sera non clausa clavi extriusecus posita erat supra crucem ex lamulis compactam, cui cruci similes et prorsus æquales tres aliæ visæ, et præferebant vultum D. Jesu cum litteris J. C. nec non parvam rosam in extremis. In argentea capsula hæc deprehensa sunt : velum sericum, quod ad primum tactum in minutas partes solutum est; quædam præterea partes alicujus, ut videbatur, capsæ plumbeæ; frustulum cujusdam assis, ac præter hæc vascula duo vitrea, ceu sanguine tincta. *Posteriora hæc cap.* 21 *Fontaninus describit hoc modo :* Arca marmorea retecta, mox argentea facillime patuit. Quare amoto hujus operculo, velum sericum lineolis rubris distinctum C primo se obtulit, undique tamen vetustate fatiscens, subque eodem velo beati Augustini ossa in capsa ex plumbo, quam longa ætas attriverat, apparuerunt. Hunc plumbum loculum recipiendis Augustini ossibus Hippone factum putamus. *Et mox cap.* 22 : Tres ergo capsæ, una intra aliam, repertæ : prima marmorea, secunda argentea, tertia plumbea ceterarum veterrima... In capsa argentea, duæ phialæ vitreæ, sed vacuæ et oblongæ, una major et longiuscula, altera minor exstabat. *Has autem phialas non rubras fuisse,* ceu sanguine *tinctas, ut habet Montfauconius, probat Fontaninus cap.* 33 *ex Actis.*

recognitio Sacrorum ossium.

777 *Pergit hic cap.* 22 *hunc in modum :* Singula ossa, post arcam plumbeam, minimo tactu statim eversam, intra argenteam servata, rei anatomicæ peritorum examini subjicienda, super altari sollicite et reverenter exposita, diligenterque inspecta, et contrectata hæc sunt...

I. Frusta decem cranii, et quædam aliæ perexiguæ particulæ una cum parte ossis basilaris.

II. Maxilla inferior cum gemino dente molari.

III. Unum ex ossibus petrosis cum meatu auditorio.

IV. Decem vertebræ spinalis medullæ, quarum aliæ colli, aliæ dorsi, quædam lumborum sunt. D

V. Portio ossis sacri.

VI. Clavicula sinistra cum scapulæ frusto.

VII. Ex costis legitimis et spiriis frusta VII et XX.

VIII. Portio ossis pubis.

IX. Ossis ilii frustum unum et alterum.

X. Os ischion et femur utriusque coxæ. Uni tamen ex femoris ossibus summa pars deest. Alteri, in tres partes fracto, desunt extremæ partes.

XI. Frustum ossis tibiæ cum sua fibula.

XII. Scapulæ dexteræ os ab humero ad cubitum, in duas partes scissum. Johannes a Vico Genuensis in praxi chirurgica lib. I, cap. XIII phrasi Ligurum et Insubrum os adjutorium appellat.

XIII. Ossa duo a flexu brachii dexteri ad extremam usque manum, alias cubitus et radius.

ex quibus desiderantur pauca.

778. XIV. Deest lævæ scapulæ alterum os ab humero ad cubitum, sancto Egelnotho Cantuariensi archiepiscopo dono traditum A. D. MXXII E inque Angliæ cœnobium Conventrejæ primum, in Glastoniense monasterium deinde translatum, ut postea dicemus. Ossa tamen adsunt, quæ cubitus, et radius vocantur, sive ejusdem lævæ scapulæ focile geminum.

XV. Quædam frustula carpi et metacarpi, sive ossa manus. Tarsi quoque et metatarsi ossa quædam, sive pedum. Novem pariter ossa, alias internodia, digitorum manuum et pedum.

XVI. Talus utrius pedis.

XVII. Sex et octoginta plurium ossium particulæ præter alia frustula.

XVIII. Pulvis ad librarum septem et trium unciarum pondus ascendit, cumque recensitis ossibus justam corporis humani mensuram complet. *Hæc brevius Montfauconius his verbis :* Ad ossa lustranda accersitur anatomistes, qui singulis ossibus diligenter inspectis, pronunciavit omnes humani corporis solidiores partes adesse, etsi multæ comminutæ essent : nam cranii decem particulæ majores aderant aliæque minores, et similiter aliæ particulæ in pulverem pene actæ. Atque anatomistes abesse tantum os brachii ab humero ad cubitum, nihilque præterea desiderari. *Verumtamen in postrema recognitione, facta* XXV *et* XXVI F *Junii, anno* 1728, *observatum est, desiderari etiam spinalem vertebram primam, quam* Atlantem *vocant medici.*

§ LXI. Diuturna controversia de corpore invento, quæ tandem finitur judicio episcopali, per summum Pontificem confirmato.

Diuturna de corpore invento controversia :

Post inventionem sacri corporis modo relatam acris orta est contentio, quæ annis fere triginta et tribus magno partium studio fuit agitata, quod multi negarent S. Augustini *corpus esse, quod erat inventum. De illis laudatus sæpe Fontaninus sic loquitur cap.* 19 : Quamdiu mausoleum, *in quo corpus inventum,* intactum stetit, illud esse vacuum palam jactitarunt : fuisse quidem in eo corpus sancti Doctoris, at non amplius esse. Ubi postea non vacuum, sed plenum, inque

A que arca argentea corpus Augustini ibidem repertum est, tunc beati Viri corpus alibi quærendum esse conclamaverunt. *Exercuit illa controversia calamum multorum eruditorum. At nimis prolixum, et post latam sententiam minime necessarium judico, omnia hinc inde prolata argumenta curiose discutere. Juvabit tamen breve totius controversiæ dare compendium, quod præcipue desumam ex Collectione actorum et allegatorum in hac causa, impressa Venetiis apud Sebastianum Celeti anno* 1729. *Huic Collectioni præfationis loco præmittitur Series historica et chronologica actorum, quæ lumen præbebit toti controversiæ.*

ossa variis vicibus recensita, testesque auditi :

780 *Cum sacra ossa inventa essent die* I *Octobris, anno* 1695, *facta fuit prima ossium visitatis per vicarium generalem, absente episcopo. Secuta est altera visitatio ac recensio per anatomicos die* IX *Februarii, anno* 1696. *Die* XXIII *Junii illustrissimus præsul Ticinensis Laurentius Trotti adivit confessionem* S. Augustini, *cunctaque ipse lustravit ac descripta in utraque ossium visitatione recognovit. Deinde anno* 1698, *die* XV *Maii, alia rursum sacrorum ossium recensio facta est et de-* B *scriptio. Interea mense Novembri et Decembri anni* 1695, *et mense Februario anni sequentis, examinati sunt testes de nomine* Augustino *in corporis inventione lecto, ut perpetuum fieret documentum. Iidem testes rursus auditi sunt anno* 1698, *mense Februario et Martio, exceptis iis, qui interim obierant. Eodem anno* 1698, *juxta instructionem Roma transmissam, aliud institutum est examen, in quo auditi sunt testes super publica voce, fama ac traditione de perpetua existentia* S. Augustini *corporis in confessione ecclesiæ S. Petri in Cælo aureo. Hactenus de examinibus institutis, dum prima fervebat disputatio. Nunc accipe, quænam interim conscripta fuerint, prout res tota refertur in Serie actorum memorata.*

scripta varia pro veritate corporis Augustiniani : contra quæ scribens alius.

781 *Michael de Collibus Clericus Regularis Barnabita variis scriptis probare conatus est, corpus* S. Augustini *esse, quod erat inventum. Electus hic erat causæ patronus a prælatis utriusque monasterii, et non modo pro asserendis ossibus* S. Augustino *quinque scripta produxit circa tempus memoratum, sed tribus quoque aliis respondit objectionibus advocati fiscalis, ut vocant. Præterea* C *laudatus de Collibus totius processus allegatarumque rationum compendium concinnavit, quod ad præcipuos Italiæ theologos cum aliis suis scriptis transmisit. Ex illis theologi et jurisconsulti triginta tres, in actorum Serie enumerati, ac viri prorsus insignes, rescripserunt sententiam suam pro corpore* S. Augustini. *Eodem etiam tempore suas lucubrationes ediderunt pro corpore invento duo Ticinenses Eremitæ Augustiniani, videlicet P. Mathis lingua Italica, et P. Bandini Latina. Contra Ferdinandus Lera abbas Canonicorum Regularium Lateranensium Ms. quemdam libellum emiserat sub nomine* Responsionis apologeticæ ad PP. Eremitanos, *qua probare nitebatur, non esse corpus* S. Augustini, *quod erat inventum.*

subita percutitur infirmitate.

782 *Verum laudatus abbas retractavit, sententiam, aut certe scripto suo renuntiavit, ut habet Series pag.* 4, *ubi recitatur ejus epistola, ad quemdam amicam data, ex qua id ostenditur. Epistola illa Italica est, spectatque vel maxime ad* S. Augustinum. *Quapropter totam hic Latine reddo* : Occasione arcæ inventæ in scurolo ecclesiæ nostræ majoris, in qua asseruntur servari ossa corporis patris nostri S. Augustini, quod scriptis suis, variisque auctorum allegationibus probare conabatur P. de Collibus Barnabita collegii S. Mariæ Cellæ novæ, jussus sum ei contradicere, quot exsecutus sum. Dum redeo ad cubiculum meum, vix perveneram ad medium claustri, cum me invadit malum adeo mirabile cum doloribus tam ingentibus, ut non nisi magno labore regredi possem ad sedendum in vicino scamno ad egressum sacrarii nostri : et ibidem tam vehementer sum oppressus, ut ferri magis quam duci ad lectum me oporteret. Vocati subito medicus et chirurgus omni diligentia et cura aliquot mihi adhibuerunt remedia, quibus non multum recreatus sum. Dimisi satis sero illos, qui mihi assistebant, ut tentarem, an dormire valerem, atque etiam, ut illi possent quiescere : cum media nocte corripuerunt me dolores tam horrendi, ut ossa omnia mihi confringi viderentur et viscera cruciarentur, ita ut voce quoque destitutus, qua audiri possem, totus dejectus, quasi ad agoniam deducerer.

et habita apparitione Augustini, scriptis suis renuntiat :

783 In isto statu cum solus essem, tantum mihi sensus supererat, ut mente recurrerem ad patrem nostrum S. Augustinum, opem ejus implorando in extrema iste necessitate. Post hæc apparuit mihi S. Augustinus, pontificali ornatu ac E pedo insignis, sicut pingi solet. (Certum est, me non somniasse.) Hinc preces apud ipsum humiliter iteravi et cum fiducia. Ille mihi dixit : « Bellam enimvero occasionem habeo te juvandi ». « Unde, prudentior per hoc factus, promisi Sancto, me continuo renuntiaturum omnibus meis scriptis, adversus alia in causa illius facta compositis, dono eidem illa offerendo cum protestatione non immiscendi me similibus contradictionibus. Videbatur Sanctus mihi dicere : « Recte : « confide, me tibi subventurum ». Quo dicto, disparuit visio : et re ipsa sensi me recreatum ex magna illa oppressione, ita ut me extenderim, reliquumque noctis aliquantulum quieverim corpore, at non mente. Illucescente tandem die, jussi rogari P. Priorem Augustinianorum, ut veniret ad me, quod cum eo communicare deberem negotium urgentissimum. Istud cum ille benigne fecisset, autographum ipsi tradidi, renuntians omnibus in eo contentis, ac subjungens P. Priori, daret illud Patri de Collibus, aut cuicumque vellet, de eoque faceret, quod judicaret expedire. Et sane ex iis scriptis, aut aliis ad F eamdem causam spectantibus, ne verbum quidem retinui. Et hæc quidem, quantum significare possum, de morbo meo. Et si re ipsa illæ essent reliquiæ S. Patris Augustini, vehementer me delectaret, quod exponerentur publicæ venerationi. *Hæc ibi.*

ut lis nec tunc finita, nec anno 1700. quo multa rursum ultro citroque scripta :

784 *Antonius Pacini, supremus Augustiniani Ordinis moderator, Ticinum venit, ibique ad quatuor menses hæsit, ut causam promoveret. At incassum tunc tentata sunt omnia, nec obtineri potuit declaratio in favorem ossium repertorum, adeo ut sacra ossa in tenebris remanserint absque ulla veneratione publica. Circa annum* 1700 *nova spes affulsit PP. Augustinianis obtinendi declarationem desideratam. Verum obstitit alia rursum lucubratio Josephi Mariæ Bellini Canonici Regularis, quam nuncupavit,* Dubia, quibus rationes pro tumulo et reliquiis nuper compertis... ventilantur expressa. *Contra hunc mox prodierunt, scriptis suis Michael de Collibus causæ patronus, Gaspar Baretta Benedictinus Casinensis, et Albertus Castellanus Ordinis Prædicatorum. Horum conatus irritos reddidit libellus Italicus, anno* 1703 *in lucem datus nomine Marii Callini Canonici*

Canonici Regularis, cum hoc titulo, quem Latine reddo : Motiva, quæ cogunt dubitare, an reliquiæ, in confessione S. Petri anno MDCXCV inventæ, sint eædem cum ossibus sacratissimis S. P. Augustini. *Respondit quidem huic libello Michaël de Collibus lucubratione item Italica, quam inscripsit* Summarium rationum hactenus allegatarum *etc. Verumtamen nihil obtineri potuit in favorem ossium, quod dubitationes ex prædicto libello ortæ, dissipari tam cito nequirent. Secuta demum morte Michaëlis de Collibus, lis pependit indecisa, et quasi deserta fuit ab anno* 1704 *usque ad* 1728. *Colligere hinc poterit studiosus lector, quam caute Ecclesia procedat in approbandis Sanctorum reliquiis.*

Benedictus XIII jubet litem resumi, ac post duos menses finiri:

785 *Cum summus Pontifex Benedictus XIII audivisset, litem hanc pendere indecisam, sacraque ossa jacere sine honore, controversiam sine mora terminatam voluit. Itaque anno* 1728, *die* XXIII *Januarii litteras dedit ad episcopum Ticinensem Franciscum Pertusati, quibus eum jubet liti finem imponere judicio episcopali. Edidit has litteras Fontaninus ante Disquisitionem suam* B *pag.* 9, *ex quibus pauca accipe :* Itaque fraternitati tuæ sedulo injungimus, ut, ceteris quæstionibus de alio corpore inveniendo remotis, judicium instituas de solo antedicto corpore, quod anno MDCXCV istic in ecclesia sancti Petri in Cælo aureo in confessione inventum esse tradunt documenta, quæ in acta curiæ istius episcopalis relata sunt. Volumus proinde et mandamus, ut cavillationibus eorum, qui decisionem ac definitionem hujusce causæ impedire tentaverint, etiam per censuras ecclesiasticas occurras. Illis autem, a quibus causa cognoscenda erit, iisdem adhibitis, si opus fuerit, remediis, edicas, ut nullis officiis, commendationibus, aut partium studiis obsequantur, sed solum Deum veritatis præ oculis habeant. Ne autem novis procrastinationibus locus esse possit, bimestre tempus huic judicio conficiendo præfigimus. Quod si intra duos menses a die, qua fraternitati tuæ traditæ fuerint hæ nostræ in forma brevis litteræ, causa absoluta non sit, eamdem ad nos exinde devolutam fore declaramus. *Hæ litteræ exhibitæ sunt episcopo Ticinensi die* XIX *Maii.*

C

episcopus Ticinensis cum quindecim consultoribus

786 *Interea, jubente Pontifice, processus antea facti epitome in Urbem erat missa,* Disquisitio de corpore S. Augustini *per illustrissimum Fontaninum erat composita, supremus Augustiniani Ordinis moderator Fulgentius Bellelli Ticinum se contulerat cum memoratis Benedicti Papæ litteris, episcopo præsentandis. Verum, cum episcopus ad diœcesim suam lustrandam abiisset, reditus ejus fuit exspectandus : indictæque interim preces ab Augustiniani Ordinis Præposito ad opem divinam implorandam. Reduci episcopo litteras Pontificias obtulerunt Josephus de Gregorii et Aloysius Bellagente Augustiniani, causæ procuratores constituti. Episcopus vero, acceptis hisce litteris, eadem die* XIX *Maii utrique parti litiganti indixit, ut intra dies quindecim proferrent, quod pro causa sua prolatum vellent. Quapropter procuratores Augustiniani comparuerunt die* XXVI *ejusdem mensis, ac pro se adduxerunt ante prolata : quibus nova quædam addiderunt, nominatim* Disquisitionem *Fontanini, et* Scripturam juris et facti, *quam alter procuratorum Josephus de Gregoriis composuerat. Die* XXVIII *ejusdem mensis episcopus quatuordecim elegit consultores ex variis ordinibus, theologos septem, ac totidem canonistas, quorum nomina exhibet Series actorum* D *pag.* XI. *His unus deinde adjunctus Stephanus Antonius Saxius, Ambrosianæ bibliothecæ præfectus Mediolani. Consultores isti utrique parti sunt indicati, ut documenta omnia informationesque ad eosdem perferrentur, prout factum est.*

momenta litigantium expendit.

787 *Die* VII *Junii coram episcopo comparuerunt Canonici Regulares, profitentes, se ejus judicio libenter velle acquiescere. Die* XIV *ejusdem mensis habita fuit consultorum congregatio prima coram episcopo, cui omnes adstiterunt, uno excepto canonista, ob morbum impedito. In illa actum fuit de voce* AUGUSTINO, *in corporis inventione lecta, prout deposuerant testes : conclusumque de nomine illo lecto non esse dubitandum. Die* XVI *altera fuit congregatio, in qua judicatum, corpus in confessione ecclesiæ S. Petri fuisse ab immemorabili tempore, sive alio translatum aliquando fuisset, sive non. Interea Fulgentius Bellelli præpositus Augustinianorum Opuscula duo Italica, suppresso tamen nomine, in vulgus sparsit, maxime contra* Callini Motiva *ante memorata, et contra* Adnotationes super iis, quæ huc usque allata sunt pro identitate sacrorum ossium *etc., quæ a contraria parte erant vulgatæ. Tertia consultorum congregatio habita fuit* XVIII *ejusdem* E *mensis Junii : quarta vero die* XX, *in quibus argumenta reliqua fuerunt examinata. Eodem die episcopus decretum edidit, quo varia suis præscripsit pietatis exercitia, ad opem divinam implorandam. Hinc die* XXIII *instituta est pia supplicatio, cantataque Missa votiva de Spiritu sancto : indictum quoque fuit jejunium pro die Veneris sequente, seu* XXV, *jussique sunt sacerdotes in Sacrificiis suis recitare Collectam, ut vocant, de Spiritu sancto. Demum venerabile Sacramentum expositum, variæque preces variis hominum ordinibus præscriptæ vel commendatæ.*

ossa, alioque in arcis reperta rursum visitat,

788 *Die* XXV *et* XXVI *ejusdem Junii ossa rursum ab episcopo visitata sunt, uti et alia omnia, quæ cum ossibus erant reperta. Quænam in hac visitatione observata fuerint, explicat epistola, Italice hac de re scripta ab Ordinis Augustiniani secretario ad Fulginatensem episcopum, Latineque reddita et impressa, in qua hæc leguntur:* Præter os adjutorium brachii sinistri, ab archiepiscopo Egelnoto anno MXXII in Angliam translatum, deest quoque os Atlanticum, quod caput sustinet, et quod ab antiquo tempore, prout constat ex F litteris authenticis, quas sanctitas sua Ragusa mitti curavit, et P. Generalis allegavit, in supra dicta civitate conservatur. In duabus ampullis vitreis, quæ revera vacuæ sunt, quas contradictores sanguine tinctas volunt, nulla tinctura observatur. Major est in forma urceoli cum ansa sua : minor est similis vasculi ad conservandum balsamum. Particulæ ligni, quæ tanto tempore gloriosissimo Confessori identitatem disputaverunt, sunt numero quatuor, una lata digitis quatuor, longa quinque, et medio crassa. Aliæ duæ sunt minores, sed primæ similes. Quarta clare videtur esse residuum limbi alicujus cistulæ, eidem globulo conjuncti : ita ut manifestum sit, esse fragmenta residua antiquæ cistæ ligneæ : prout etiam indubie sunt fragmenta antiquæ cistæ plumbeæ, particulæ plumbeæ, quæ ibidem similiter inveniuntur. Antiquum velum putridum, quod totum im fragmenta et vere in pulveres redactum est, nullum nativum colorem ostendit. Cista argentea pondus habet unciarum imperialium circiter CCXXV, non comprehensa lamina ænea, quæ illius os circumdans fortificat, cum qua pondus ascendit ad uncias CCXLVI. Vultus Salvatoris,

A Salvatoris, et cruces laterales redactæ sunt similes iis, quibus utebatur Luithprandus rex, juxta testimonium Pauli diaconi, Guallæ, et Breventani.

et demum, consentientibus omnibus consultoribus, sententiam fert,

789 *Die* XXX *ejusdem mensis ultima fuit consultorum congregatio, in qua omnes in eamdem abiere sententiam. Deinde sequenti mense singuli suffragia sua, scripto exarata sigilloque munita, ad episcopum attulerunt : quæ ille die* VII *et* VIII *Julii coram quatuor testibus aperuit atque examinavit. Hæc consultorum judicia variis rationibus firmata erant, exceptis tamen paucis, in quibus rationes fuere prætermissæ. Imo Epistola apologetica Josephi Antonii Saxii, quæ reliquis dissertationibus hac de re compositis cedere non debet, non alia de causa videtur conscripta ab ipso, quam ut sententiam suam insinuaret episcopo. Videri illa potest in Collectione actorum part.* 2, *a pag.* 17 : *sicut et aliorum judicia seu vota huic subjuncta. Die* XIII *Julii episcopus moneri jussit partes litigantes, se sententiam suam pronuntiaturum die* XVI : *preces igitur precibus jungerent, et procuratores statuo tempore adessent sententiam audituri. Dicta autem die* XVI, *celebrata prius Missa de Spiritu sancto, sententiam prælegi fecit* B *procuratoribus causæ, ac deinde subscripsit, præsentibus consultoribus omnibus.*

ac solemniter promulgat, qua ossa S. Augustino asseruntur ;

790 *Die* XIX *ejusdem mensis Julii secuta est solemnis sententiæ promulgatio, de qua laudata mox secretarii epistola sic habet :* Finaliter feria secunda, XIX ejusdem, matutino tempore in ecclesia cathedrali sententia solemniter publicata fuit : deinde cantata Missa in gratiarum actionem, cui cum maxime exemplari devotione et pietate adstitit idem dominus episcopus, qui successive vestibus pontificalibus indutus intonuit TE DEUM : quo tempore more festivo sonuerunt campanæ ecclesiæ cathedralis, quibus unitæ fuerunt reliquæ campanæ aliarum ecclesiarum cum explosione tormentorum bellicorum. Præter multitudinem cleri huic functioni interfuerunt illustrissimi et excellentissimi domini senatores, marescallus civitatis, illustrissimi domini abbates, et decuriones cum magno numero nobilium et frequentissimi populi. Vespertino tempore ejusdem feriæ secundæ sono festivo omnium campanarum adjuncta fuit illuminatio totius civitatis prædictæ, et ignes ar- C tificiales in arce, quos Patres utriusque monasterii S. Petri, et S. Augustini in signum gaudii extrui fecerunt.

gratulatur Pontifex episcopo : monumentum declarationis hujus.

791 *Ipsa illustrissimi episcopi sententia legi poterit in Collectione actorum part.* 2, *pag.* 193. *Hisce pag.* 197 *subditur epistola Benedicti XIII, qua episcopo gratulatur peractum judicium, seque summopere sollicitum, ut sacræ exuviæ diligenter custodirentur, ostendit his verbis :* Quamobrem districte interdicimus, ne quis auferre, asportare, aut distrahere audeat quamlibet sacratissimi ejus depositi particulam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem fraternitati tuæ reservamus. Præterea fraternitati tuæ facultates necessarias et opportunas impertimur, ut, si quæ inciderint difficultates et controversiæ in peragenda optatissima inventionis celebritate, ipse possis tamquam delegatus apostolicus, quæ rationi consentanea censueris, decernere. *Ex hac potestate facta sunt, quæ refert Series actorum pag.* 20 *hoc modo :* Ut autem tantæ declarationis monumentum præclarissimum in posteros permaneret, die XVIII mensis Septembris, Augustiniani sacri sepulcri exteriora rursum claustra reserata sunt, et argenteæ interioris arcæ fronti extimæ duodecim clavículis argentea item lamina auro obducta affixa est, præsentibus reverendissimo comite Paleari, provicario illustrissimi ac reverendissimi episcopi Ticinensis, reverendissimo patre Priori generali Ordinis, et reverendissimo patre abbate S. Petri, aliisque : eaque incisis characteribus inscripta.

AUCTORE J. S.

CORPUS SANCTI AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI

ANNO MDCXCV, DIE I OCTOBRIS, IN HAC CAPSULA ARGENTEA JUXTA ALTARE CONFESSIONIS S. PETRI IN C. A. INVENTUM, ANNO MDCCXXVIII RECOGNOVIT, ET DIE XVI JULII JURIDICE DECLARAVIT, BENEDICTO XIII PONT. MAX., CAROLO VI IMP., D. FRANCISCUS PERTUSATI EPISCOPUS TICINENSIS.

Constitutio Benedicti XIII,

792 *Demum subjungo bullam Benedicti XIII, qua judicium episcopale confirmavit, eique contradici vetuit. Data hæc est eodem anno,* X *Kalendas Octobris, atque his verbis concepta :* Benedictus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad summi Dei gloriam in Sanctis ejus amplificandam mirabile nuper factum est in oculis nostris, dum exuviæ sancti Augustini Hipponensis episcopi et præstantissimi Ecclesiæ E doctoris, quarum venerationem antiquus Dei et Sanctorum hostis aliquamdiu perturbare tentaverat, tandem omnium Christi fidelium cultui, pristinæque honorificentiæ, universa Ecclesia plaudente, restitutæ fuerunt.

qua narrantur inventio corporis,

793 Probatissimis literarum monumentis constat, Vandalorum persecutione in Africanam ecclesiam excitata, sanctissimos illarum partium episcopos, et fidei Catholicæ confessores, in Sardiniam exsilio damnatos, corpus eximii Doctoris sub finem sæculi V secum in eamdem insulam transtulisse, ibique usque ad initium sæculi VIII Christiana, id est maxima, religione custoditum. Tunc enim Saracenis, qui in Sardiniam irruerant, loca sacra impie fœdantibus, Liutprandus Langobardorum rex sanctarum Augustini reliquiarum pietate motus, per legatos ab se illic transmissos, magno eas pretio redimendas, et Ticinum, quæ alias Papia dicitur, sacra pompa transferendas curavit, ubi in confessione ædis sancti Petri in Cælo aureo, tunc primum ad hoc unum jussu regis exstructa, Augustini corporis thesaurus debito tanto Patri honore depositus fuit, populisque devotionis F causa usque ad nostram ætatem illuc undique confluentibus, in ejusdem confessionis crypta inter puteum, aqua salutari manantem, et altare inferius piissimo studio servatus est. Tandem vero die I Octobris anni Dominici MDCXCV albus marmoreus sarcophagus sub mausoleo lateritio ibidem loci detectus, inque eo sacratissimæ Augustini exuviæ, in arca argentea clausæ, repertæ fuerunt : quæ omnia coram plurimis testibus canonice comprobata, per curiæ episcopalis ministros et actuarios, in processus et commentarios, publica auctoritate munitos et summa fide conscriptos, tunc digesta, perque totum quinquennium adversus quorumdam dubitationes non segniter agentibus fratribus Eremitis Ordinis sancti Augustini, qui in eadem sancti Petri basilica æque ac Canonici regulares Congregationis Lateranensis, alternis mensibus divina officia persolvunt, disceptata fuerunt, donec unus et triginta sacræ Paginæ, et decretorum doctores pro iisdem Augustini reliquiis sententiam suam, mira consensione firmatam, scripto ediderunt.

794 Cum vero ad audientiam nostram pervenisset, ob non exstinctas et abolitas judicio episcopali

AUCTORE J. S. mandatum Pontificis de finienda lite,

episcopali Ticinensium præsulum ejusmodi dubitationes, venerandos tanti Doctoris cineres, quasi incertos, sine debito honore habitos, nos rei gravitate perculsi, literas nostras sub anulo piscatoris die XXIII Januarii hujusce anni ad venerabilem fratrem episcopum Ticinensem dedimus ei, serio injungentes, ut judicium de invento illic sancti Augustini corpore, ulteriori dilatione sublata, secundum Deum et veritatem, ceteris quæstionibus de alio corpore inveniendo remotis, ad finem perduceret; illi præterea mandantes, ut cavillationibus eorum, qui decisionem ac definitionem hujusce causæ impedire tentassent, etiam per ecclesiasticas censuras occurrere deberet, utque illis, a quibus causa cognoscenda esset, iisdem adhibitis, si opus esset, remediis, ediceret, ne ullis officiis, commendationibus, aut partium studiis obsequerentur; sed solum Deum veritatis præ oculis haberent. Et ne in re tanta definienda novis procrastinationibus locus esse posset, bimestre tempus huic judicio conficiendo præfiximus. Has vero literas dilectus filius Fulgentius Bellellus prior generalis fratrum Eremitarum totius
B Ordinis sancti Augustini, in cœnobio juxta prædictam ædem sancti Doctoris, alias sancti Petri in Cælo aureo, Ticini constitutus, ipsi episcopo per dilectos filios Josephum de Gregoriis a sancto Elpidio et Aloysium de Bellagente Ticinensem, fratres Eremitas ejusdem Ordinis, tamquam speciales procuratores in hac causa a se deputatos, præsentari curavit.

facta per episcopum Ticinensem ante judicium,

795 Episcopus Ticinensis, acceptis literis nostris, et juridice vocatis vocandis, qui olim pro identitate sacri corporis declaranda, nomine eorumdem fratrum Eremitarum, in memorato cœnobio degentium, vocati fuerant, inspectisque actis, in eadem causa a mense Octobris anni MDCXCV usque ad mensem Martium anni MDCXCIX confectis, una cum visitationibus et recognitionibus ipsius corporis sancti Augustini, annis MDCXCV, MDCXCVI et MDCXCVIII pariter factis, nec non juribus, documentis, testium depositionibus, aliisque monumentis et scripturis, tunc et subsequentibus annis publica auctoritate exaratis; compluries etiam theologis, sacrorumque canonum interpretibus coram se congregatis, quos ex piis doctisque
C viris ad præscripta sacrosancti concilii Tridentini, in consilium sibi adhibendos delegerat, quibus pœnas, in iisdem literis nostris expressas, indixit, singula causæ momenta attente discussa et mature considerata fuerunt. Tandem vero idem episcopus die XXV Junii una cum iisdem suis hac in causa consiliariis, ab se delectis, coram fratribus Eremitis Augustinianis, et Canonicis Regularibus Lateranensibus sacrum corpus, in confessione repertum anno MDCXCV, post recitatum ad aram maximam hymnum, VENI CREATOR SPIRITUS, ex confessione in capsa clausum ad eamdem aram per presbyteros inter accensa funalia reverenter perlatum, exacte et sedulo visitavit diebus XXV et XXVI Junii, adhibitis tribus ex peritioribus civitatis anatomes professoribus, jurejurando de veritate dicenda obstrictis, qui singulas sacri corporis partes studiose recognoscentes, OS BRACHII SINISTRI ab humero ad cubitum, atque aliud, quod ATLAS vocatur, deesse animadverterunt: quorum primum Ticini a felicis memoriæ decessore nostro Benedicto Papa VIII beato Egelnotho primati Cantuariensi dono traditum fuerat; alterum vero in Dalmatio servatur in thesauro sacrarum reliquiarum metropolitanæ ecclesiæ Ragusinæ.

796 His peractis, sacroque deposito in pristinum confessionis locum eadem cæremonia restituto, idem episcopus Ticinensis solemnes supplicationes, aliasque publicas et assiduas preces, ad divinam opem pro recto judicio, secundum Deum et veritatem ferendo, impetrandam, indixit, quibus devote cum utroque clero et populo civitatis interfuit; visisque tandem omnibus videndis, et consideratis considerandis, congregatisque iterum coram se sacræ theologiæ magistris, et canonum professoribus, quos, uti jam diximus, ad sanctiones concilii Tridentini antea in consilium vocaverat, quinque decem et septem numero pro veritate atque identitate reliquiarum sancti Augustini unanimem sententiam tulisse memorantur, ipse coram dilectis filiis priore generali totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, et præposito Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, atque aliorum complurium, qui illuc, supremum hac de re episcopale judicium audituri convenerant, post Missæ sacrificium de Spiritu sancto celebratum, solum Deum veritatis præ oculis habens, hoc eodem anno MDCCXXVIII, Indictione VI, Feria VI, die XVI mensis Julii, hora tertiarum in episcopio pro tribunali sedens, hoc decretum cum plena causæ cognitione pronunciavit: « Christi nomine repetito, per « hanc nostram definitivam sententiam dicimus, « pronunciamus et declaramus, satis constare, « corpus, inventum in confessione templi sancti « Petri in Cælo aureo hujus civitatis die prima « Octobris anni MDCXCV, et nuper per nos recognitum, ac sigillo nostro munitum, esse corpus « sancti Augustini Ecclesiæ doctoris, ideoque pro « tali esse colendum, et publicæ fidelium venera« tioni exponendum ». D. Franciscus Episcopus Papiensis.

D — ipsa episcopi sententia de corpore, — E

ac facta per Pontificem post latam sententiam.

797 Nuncio tam sancti, tam gravis et maturi judicii episcopalis ad nos perlato, præ gaudio exsiliit cor nostrum, summaque lætitia perfusi gratias Deo egimus, quod suam gloriam in sancti Augustini exuviis canonice vindicatis augere voluerit, quem ob sanctimoniam, atque intemeratam doctrinæ excellentiam, ut fulgentissimum Ecclesiæ lumen, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Gelasius, Hormisdas, aliique decessores nostri Romani Pontifices magno semper in honore habuerunt, nosque ipsi, ut parentem æque ac magistrum veneramur, utpote cujus Regulam et doctrinam in nostro Prædicatorum Ordine a primis adolescentiæ annis professi sumus, et favente Deo profitemur. Ut autem nostrum juxta ac totius Ecclesiæ gaudium ubique diffunderetur, per literas nostras universis Christi fidelibus inscriptas die IV Augusti, omnibus et singulis utriusque sexus, vere pœnitentibus et confessis, qui aliquam ex ecclesiis tam Fratrum, quam Sororum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, ubicumque exsistentem die, per ordinarios locorum designando, visitassent, atque ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem concessimus; dieque subsequenti alias literas dedimus ad episcopum Ticinensem, ipsius pietatem et fidem laudantes, quod omnem dubitationis nebulam de veritate corporis sancti Augustini tam accurato examine dissipare studuisset; districte interdicentes sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis auferre, asportare aut distrahere quamlibet sacratissimi ejus depositi particulam auderet. F

A deret. Subinde in die festo ejusdem Ecclesiæ Doctoris XXVIII Augusti ad ejusdem titulum et cœnobium fratrum Eremitarum nos ipsi accedentes, in illius honorem sacrosanctum Missæ sacrificium ritu pontificali celebravimus, adsistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis; et post peracta divina mysteria, in gratiarum actionem, pro sancto ejus corpore luculente et canonice comprobato, hymnum, Te Deum, Christianæ lætitiæ prænuncium solemni cæremonia præcinentes, in trinis Personis unum Deum collaudavimus.

quæ demum hac constitutione approbaturet confirmatur.

798 Ne vero ex pastoralis officii debito erga sanctarum Augustini reliquiarum conservationem et venerationem a nobis quidquam prætermittatur, quascumque dubitationes, controversias, causas et lites de corpore sancti Augustini quomodolibet exortas sive introductas, illarumque jura, scripturas et titulos omnes præsentibus pro plene expressis habentes, et quatenus opus sit, ad nos avocantes, prorsus extinguimus et abolemus, et perpetuum silentium super illis imponimus. B Et ne umquam futuris temporibus de prædicto episcopali judicio, ad sanctiores Ecclesiæ regulas absoluto, possit quomodolibet hæsitari, ad submissas preces dilecti filii Felicis Leoni, totius Ordinis eorumdem fratrum Eremitarum procuratoris generalis, ejus libello supplici nobis porrectas, piæ recordationis antecessoris nostri Martini Papæ V vestigiis inhærentes, qui translationem corporis beatæ Monicæ, venerabilis Augustini matris, ex civitate nostra Ostiensi ad hanc eamdem ecclesiam domus Fratrum dicti Ordinis Eremitarum sancti Augustini factam, suis apostolicis literis, incipientibus, Pia caritas, adprobavit; nos quoque judicium episcopi Ticinensis de veritate corporis sancti Doctoris, ut apud Christi fideles notius et manifestius evadat, ac devotio erga Augustinum magis inflammetur, tenore præsentium ratum et gratum habentes, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica auctoritate undequaque adprobamus et confirmamus, et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse et fore decernimus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, avocationis, C extinctionis, abolitionis, silentii impositionis, decreti adprobationis, confirmationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septiugentesimo vicesimo octavo, decimo Kalendas Octobres, pontificatus nostri anno quinto.

§ LXII. Beneficia quædam, quæ facta narrantur occasione corporis inventi.

Beneficia quædam per Sanctum impetrata, dum lis de corpore vigebat:

Beneficia varia ope S. Augustini *obtenta, dum vigebat controversia de corpore invento, referuntur in Collectione actorum jam sæpe memorata, quæ hoc loco juvabit colligere. Collectionis part.* I *in Summario documentorum pag.* 79 *et seqq. testes varii, legitime interrogati, affirmaverunt generatim, se audivisse, personis diversis infirmis, quæ ad arcam inventam accesserant, sanitatem restitutam. Et pag.* 83 *nominatim exprimuntur quinque, videlicet Carolus Emmanuel Marcellinus canonicus ecclesiæ cathedralis, comitissa Gambarana, causidicus Solivetta, Magdalena Marcona, et filius Annæ Franciscæ Sala. Ex his quatuor interrogati sunt juridice, et gratiam sibi præstitam exposuerunt fuse cum omnibus adjunctis, prout ibidem videri potest pag.* 89 *et seqq. Horum quatuor testium depositio refertur etiam part.* 2 *pag.* 87 *in Voto Caroli Josephi Caimotti promotoris fiscalis, omissis tamen iis, quæ ad formam juris magis spectant quam ad facta illustranda. Hac de causa Caimotti relationem ut breviorem sequar, et verba testium Italica Latine hic exprimam.*

nimirum canonicus quidam capitis vertigine

800 Adm. R. D. Carolus Emmanuel Marcellinus, canonicus ordinarius ecclesiæ cathedralis, *teste Caimotto, hæc Italice testatus est:* Erant jam circiter tres aut quatuor anni, quibus affligebar malo capitis instar vertiginis, ita ut, cum aliquando id me corriperet bis per hebdomadam, mihi ingereret tantum timorem tantamque nervorum debilitatem, ut, dum stabam ad altare E ad celebrandum sacrosanctum Missæ sacrificium, quando me vertere debebam ad populum, mihi viderer lapsurus. Hinc semper me stare oportebat una manu nixum altari, et meliori, quo poteram, modo, ut contra hujusmodi cadendi timorem me munirem. *Postquam inventæ erant Sancti reliquiæ,* genuflexus, *ut prosequitur,* super gradum ferreorum clathrorum, præmisso fidei actu, dixi similia verba: Domine, si ita se res habet, pro benignitate et misericordia tua in manifestatione sacrarum reliquiarum sancti Augustini, quando hæ ipsæ sunt, te oro, ut gratiam mihi præstes, liberesque me isto capitis malo, ut libere celebrare valeam sacrosanctum Missæ sacrificium. Atque ita me sensi sequenti die pro magna parte liberum primo illo timore: et sic continuato tempore semper me magis liberum deprehendi: neque umquam deinceps ad altare hujusmodi timorem expertus sum. *Hæc omnibus vestita adjunctis fusius referuntur loco primum allegato.*

alter periculosa febri.

801 *D. Franciscus Bernardus* * *Mayus Solivetta causidicus, legitime item interrogatus sic respondit:* Die XIII mensis Septembris anni F MDCXCVI oppressus sum febri, quam cum medici examinassent et judicarent mortiferam, ipseque me sentirem graviter pressum, nec vires habere ad resistendum malo, incensus pietate erga gloriosum patrem sanctum Augustinum, cogitavi postulare, sicut revera feci, ut sumeretur mihi aqua ex puteo, qui est in confessione, ubi quiescere dicitur corpus ejusdem Sancti. Ex illa mihi portata aliquid sorbui ex devotione die XXII dicti mensis. Die sequenti XXIII, quæ erat Dominica, sentiens me vehementius afflictum, verti me toto animo ad imaginem B. Virginis cum Jesu et Josepho, quæ erat, ut: adhuc est, ad latus cubiculi, in quo jacebam, totoque corde me eis commendabam, postulans sanitatem. Absoluta vixdum oratione, animi tranquillitatem expertus sum, ac citissime in somnum incidi. Deinde videbar audire vocem dicentem: « Bibe aquam D. Augustini, et salvus eris ». Quandoquidem vox illa in somno erat allata, ad ipsam non attendebam: verum continuans eamdem quietem aut somnum, audivi intra modicum tempus repeti eamdem vocem, ad aurem

* al. Bernardinus

AUCTORE J. S.

nimirum : „ Bibe aquam D. Augustini, et salvus „ eris „. Verumtamen non advertens ad dictam vocem, continuavi somnum aut quietem. Verum audiens adhuc repeti memoratam vocem; „ Bibe aquam D. Augustini, et salvus eris „; subito evigilavi læto animo, et dixi, mihi adferrent aquam S. Augustini...., quia de illa gustare volebam ex devotione, considerata gratia obtenta per opem et intercessionem Sancti, cum me sentirem quasi omnino recreatum ex ista febri. Allata mihi mox aqua, ex illa gustavi, et sentiens me multo magis ex febri illa relevatum, professus sum, me intercessione dicti Sancti gratiam consecutum, ac in gratiarum actionem de beneficio cum domesticis meis cantavi TE DEUM LAUDAMUS. Matutino tempore sequentis diei, quæ Lunæ erat et XXIV, misi ad sepulcrum pro gratiarum actione facem ceream, quæ accensa est eidem Sancto. *Hæc ex ipso testimonio part.* I, *pag.* 91 *et* 92. *quæ a Caimotto contracta sunt. Utrobique subjungitur visio, quam brevitatis causa in compendium redigo. Eadem nocte, cum*
B *post bibitam prædictam aquam lenius haberet, videbatur sibi esse in confessione, in qua est Sancti sepulcrum, videreque Sanctum ipsum, pontificali habitu ornatum, egredientem ex arca, in qua sacrum corpus quiescit, ac procedentem ad altare, ubi eidem benedixit, sanumque fore promisit.*

puer cum matre tetris ulceribus,

802 *Accipe item compendio, quæ fusius referuntur Italice part.* I *pag.* 93, *et part.* 2 *pag.* 89. Anna Francisca Valle, uxor Pauli Salæ Pelizarii, *mulier* 40 *annorum, filiolum habebat sexdecim mensium, nomine Josephum Antonium Dominicum, quem illa ipsa lactabat, Infans ille tribus jam mensibus febri laboraverat, et os totum habebat plenum ulceribus, quibus et matris ubera infecerat periculosissime. Hinc gravissimis doloribus torta mater, dum audiit corpus* S. Augustini *inventum, ad Sanctum confugere statuit, et filium tribus diebus ad arcam inventam portavit, diutius idem factura, nisi continua sex dierum pluvia fuisset absterrita. Nocte sex illos dies secuta, dum lactabat filium, vidit episcopum, ornatu pontificali et mitra insignem, similem pictæ* S. Augustini *imagini, quam vidit postea. Ille mulieri dixit Italice hæc verba :* Dixisti te portaturam filium istum ad S. Au-
C gustinum, et non portasti. Porta illum, quia sanabitur. *Cum nondum illa die tulisset filium ob pluviam continuatam, sequenti nocte visio eadem apparuit, eademque jussio repetita. Hinc sequenti die cum filio se contulit ad confessionem* S. Augustini : *ubi ipsa arcam ejus osculata est, et curavit, ut eam oscularetur filiolus. Deinde aqua, ex puteo Sancti hausta, lavit os filioli sui, et ubera sua : bibit etiam cum filio suo ex eadem aqua. Postea domum reversa est cum filio : ac intra biduum sanatus infans ex febri et ulceribus, mater vero uberum suorum malo liberata. Facta hæc dicuntur eodem anno, quo sacra ossa inventa, mense Octobri, ut mulier ipsa post biennium testata est coram judicibus.*

ac mulier ischiadis doloribus liberati.

803 *Subjungitur utroque loco quartum beneficium, quod, omissis superfluis, sic habet. Magdalena Massarota, uxor Caroli Antonii Marconi, nata annos* 34, *septem mensibus laboraverat tantis ischiadis doloribus, ut incedere non posset, nisi ægerrime. Post septem menses decumbere semper debuit duobus mensibus. Interim audivit, inventa esse ossa* S. Augustini, *cujus opem cœpit implorare. Transactis duobus istis mensibus de lecto subinde se levare poterat, et per cubiculum ambulare nixa fulcro subalari. Ita se* D
habuerat duobus item mensibus, cum nocte quadam solito vehementius afflicta, invocavit toto animo sanctum Augustinum, Qui, *inquit ipsa Italice,* mihi apparuit in habitu pontificali, cum mitra in capite, et pedo pastorali, forma viri magni et barba cana, simul cum ipsius præsentia vidi ingentem in cubiculo meo splendorem, qui illud illuminabat, acsi lux fuisset accensa : et dixit mihi hæc ipsa verba : „ Ne dubita, gratiam, „ quam me rogasti, brevi obtinebis „, deindeque subito disparuit. *Hinc illa mane adiit confessionem* S. Augustini *nixa fulcro subalari, et opem ferente marito. Post preces aliaque pietatis officia, inde rediit nonnihil recreata, fulcroque in arca Sancti relicto, succurrente tamen marito. Duobus sequentibus diebus regressa est ad arcam Sancti, comitante rursus marito : et quotidie rectius habebat, ita ut sine ullo dolore incederet, dum coram judicibus comparebat. Fatebatur tamen, aliquid subinde doloris præcedentis se rursum sensisse; at affirmabat, gressum sibi numquam* E
sic impeditum fuisse, uti antea fuerat. Laudatus Caimottus part. 2 *Collect. pag,* 90, *relatis hisce beneficiis, sic ratiocinatur :* Hæc miracula, quæ non longe a veritate sunt, juncta cum apparitionibus et locutionibus Sancti, sequutis absque perturbatione animi, immo cum levamine et hilaritate infirmi, quæ affectum sortitæ sunt promissum, atque adeo non provenientibus a malo spiritu aut imaginativa, sunt divina sigilla, quibus authenticantur ossa, reperta in confessione sancti Petri in Cælo aureo Papiæ, esse sancti Augustini episcopi et doctoris Ecclesiæ eximii. *Nunc quasdam Sancti reliquias aliis locis servatas ostendemus.*

§ LXIII. Reliquiæ aliis locis servatæ.

Reliquiæ Sancti in Angliam portatæ.

W*ilhelmus Malmesburiensis de Gestis regum Anglorum lib.* 2, *cap* XI, *pag.* 275 *de Egelnotho Cantuariensi antistite hæc memorat, postquam iter ejus Romam descripserat :* Domum rediens, apud Papiam brachium sancti Augustini doctoris, centum talentis argenti et talento auri comparatum, apud Conventreiam misit. *Cœno-* F
bium erat in diœcesi Cestrensi, ut idem scriptor affirmat in Gestis pontificum Anglorum lib. 4 *pag.* 289, *ubi hæc rursum habet :* Conventreiæ habetur brachium magni Augustini, theca inclusum argentea : cernunturque in cælatura hujusmodi litteræ : „ Hoc brachium S. Augustini „ Egelnodus archiepiscopus, rediens a Roma ad „ Papiam emit centum talentis argenti et talentu „ to auri „. *Alfordus in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum* 1020 *num.* 14 *non admittit brachium ab Egelnotho emptum, sed dono acceptum contendit. Idem vehementer pugnat Fontaninus in Disquisitione sæpe memorata cap* 40, *argumentum deducens ex enormi pretio, quod a Luitprando datum putat pro redemptione totius corporis.*

pretio, ut fertur comparatæ.

805 *Verum Baronius ad annum* 1027 *num.* 7, *et Mabillonius in Actis Sanctorum Benedict. seculo* 6 *pag.* 448 *idem referentes, emptionem non negant. Et sane pretium hic memoratum non evincit, os illud brachii non fuisse emptum, cum talentum eo tempore tam varie sumeretur, ut per florenum etiam reperiatur expositum, quemadmodum*

AUCTORE J. S.

A *admodum videre est in Glossario Cangii ad vocem* Talentum. *Deinde emptio reliquiarum eodem tempore inusitata non erat apud quosdam etiam probos, qui illam illicitam esse ignorabant. Videri possunt, quæ hac de re dixi tomo præcedenti in S. Bartholomæo pag.* 104, *num.* 269. *S. Antoninus in Historia tit.* 16, *cap.* 7, § 3 *idem referens factum, monet verba sano sensu intelligenda :* Reliquias enim Sanctorum, *inquit,* vendere vel emere non licet; quod simoniacum, sed, gratis oblatis, licet ob gratitudinem aliqua donantibus condonare liberaliter, vel etiam vasa ipsa aurea vel argentea emere. *Quæ sane expositio, etiamsi benigna magis sit quam certa, verisimilior tamen est, quam sit hæc Fontanini conclusio :* Itaque nullus ambigo, quin Guillelmus ex notitiis, ab se male digestis, errans, pretium pro toto corpore Augustini redimendo olim solutum, unius brachii emptioni falso adplicuerit, Cantuariensi primati tribuens, quod regi Langobardorum tribuendum fuerat.

ab Egelnotho archiepiscopo Cantuariensi :

806 *Porro reliquiæ hæ* S. Augustini *Egelnotho* B *Cantuariensi episcopo, non Cnutoni aut Canuto regi traditæ fuerunt, ut lapsu calami scripsit Baronius loco mox assignato. Nec Romæ illas accepit, ut alii perperam asseruerunt, sed Ticini seu Papiæ. Factum id anno* 1022 *putat Fontaninus cap.* 41, *dum Benedictus VIII ibidem celebrabat concilium, de quo apud Labbeum tom.* 9, *col.* 819 *et seqq. : indeque existimat, tunc plures Sancti reliquias ad alia loca missas. Quæ ut verisimilia admitti possunt; at certa non sunt. Idem advertit os illud Augustinianum, quod cœnobio Conventriensi dederat Egelnothus, postea translatum fuisse ad abbatiam Glastoniensem agri Somersetensis. Certe in Monastico Anglicano tom.* I, *pag.* 6 *inter reliquias Glastoniensis ecclesiæ numeratur* de S. Augustino doctore os unum. *Nec refert, quod* brachium *vocet Malmesburiensis : nam os unum brachii* brachium *non raro vocatur quando de reliquiis agitur. Fateor tamen, hinc certum non esse, idem istud os esse, quod Conventriæ fuit servatum.*

aliæ Ragusii in Dalmatia servatæ,

807 *Ragusii in Dalmatia servatur vertebra illa, quam* os atlanticum *vocant medici. Testatur* C *id capitulum Ragusinum in litteris, anno* 1728, XIX *Februarii datis, quas exhibet Collectio Actorum in causa corporis Augustiniani part.* I, *pag.* 34. *Pauca ex illis accipe :* Testatur, inter venerandas Beatorum reliquias hujus excellentissimæ reipublicæ in pervetusto ex argento opere, humani dorsi formam referente, asservari vertebram D. Augustini doctoris Ecclesiæ, recognitam a medicis et anatomicæ artis peritis, ab his dici primam et capiti proximiorem, vocatam Atlans, a Græcis vero * .. In dicto opere hæc inclusa sub effigie ejusdem Sancti habet hanc inscriptionem, antiquis majusculis characteribus exaratam : SPINA S. AUGUSTINI DOCTORIS; quæ inscriptio in membrana eidem vertebræ affixa inspicitur. In indice porro, quem constat esse scriptum anno reparatæ salutis millesimo trecentesimo quinto, ac in posteris indicibus, qui servantur in hoc sacrarum reliquiarum thesauro, habentur insuper hæc verba : SCINALE S. AUGUSTINI DOCTORIS. Quæ quidem reliquiæ ab immemorabili peculiari religionis ac pietatis cultu semper veneratæ sunt, et ad præsens quoque venerantur. *In posteriori corporis recognitione observatum esse, hanc vertebram desiderari, jam diximus.*

* vox est misosa.

alia

808 *Fontaninus in Disquisitione cap.* 22 *tres Sancti digitos assignat his verbis :* Unum ex digitis Viri Dei servat ecclesia Eremitarum sancti Augustini in Monte Ilicino, ex Aloysio Taurello * seculo V Augustiniano pag. LXXXIX num. XX. Alius servatur Placentiæ in æde sancti Augustini, alias Benedicti, ex Petro Maria Campio in Historia ejusdem civitatis tomo III lib. XXIV, pag. CCV, col. 2. Tertius apud Augustinianos Valentiæ in Hispania, ex Thomæ Herreræ Alphabeto pag. DXXXIX. *Digito addit Herrera* mitram et baculum D. Augustini. *Taurellus vero digitum memoratum ait esse* indicem manus dexteræ, *quem inclusum asserit thecæ tribus clavibus obseratæ. Subdit Fontaninus :* Quidpiam aliud Ulissipone apud presbyteros Societatis Jesu in æde sancti Rochi adservari, docet Johannes Bollandus tomo II Januarii pag. DCXII. *Et cap.* 37 *inter reliquias Casino datas a Benedicto VIII numerat particulam aliquam* S. Augustini *ex Leone Ostiensi. Nec plura Sancti lipsana commemorat : alia tamen variis locis ostenduntur, ut breviter declarabo.*

* vulgo Torrelli

809 *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico varia assignat : imprimis pag.* 55 *testatur se vidisse aliquid ex ossibus* Augustini doctoris Ecclesiæ *in cœnobio Canonicorum Regularium* E *Aquæ-curtiensi prope Bappalmam in Artesia : pag.* 91 *affirmat* nonnihil de sanctis reliquiis... Augustini præstantissimi Ecclesiæ doctoris *servari Duaci in cœnobio Belli-loci, quod virginum est Ordinis* S. Augustini *: pag.* 209 *assignat* os sancti Augustini Hipponensis episcopi et doctoris Ecclesiæ *abbatiæ ejusdem Ordinis in Monte S. Elegii prope Atrebatum : pag.* 395 *memorat* reliquias brachii sancti Aurelii Augustini Hipponensis episcopi, *argenteo brachio reclusas, in oratorio palatii Bruxellensis, quod ab annis aliquot totum fere in cineres redactum est. Hæc satis componi possunt cum ossibus Sancti recensitis Ticini, cum particulæ videantur esse non magnæ. At, si intelligi debeat, prout verba sonant, non æque cum illis congruere videtur, quod idem scriptor commemorat pag.* 452 *his verbis :* S. Augustini Hipponensis antistitis et Ecclesiæ doctoris clarissimi medietatem brachii *possidet, ut ante dixerat,* Rutilensis Cartusia ad ripam Mosæ. *Sed forsan medium brachium vocatur pars quædam unius ex ossibus brachii. Eodem teste Rayssio pag.* 119, *in abbatia Bonæ-spei juxta Binchium in Hannonia, quæ est Ordinis Præmonstratensis, servatur* culter, quo F usus traditur S. Aurelius Augustinus Hipponensis episcopus. *In Vita S. Angilberti tom.* III *Februarii pag.* 103 *inter reliquias abbatiæ Centulensis in provincia Pontivensi numerantur* S. Augustini *reliquiæ.*

locis

810 *Ægidius Gelenius in Opere de Magnitudine Coloniæ Agrippinensis variis urbis suæ ecclesiis attribuit sacras* S. Augustini *exuvias, videlicet pag.* 266 *ecclesiæ Collegiatæ S. Gereonis, pag.* 289 *collegiatæ item S. Cuniberti, pag* 412 *S. Catharinæ Ordinis Teutonici, pag.* 456 duo ossa magna ex corpore sancti Augustini episcopi Ecclesiæ doctoris *adscribit ecclesiæ Cartusianorum, pag.* 492 particulam vestimentorum sanctissimi P. Augustini *ecclesiæ Eremitarum Augustinianorum, pag.* 587 *reliquias ejusdem Sancti ecclesiæ monasterii B. M. Virginis in Bethlehem, quas item pag.* 597 *servari ait in monasterio S. Apolloniæ, inclusas argenteo brachio, et demum pag.* 615 *in sacello SS. Willibrordi et Bonifacii. Hæ omnes exiguæ procul dubio sunt particulæ, exceptis duobus ossibus memoratis. Thomas Joannes Pessina de Czechorod in Phosphoro Pragensi pag.* 516 *de Sancti nostri reliquiis in metropoli Pragensi servatis sic*

variis :

AUCTORE J. S.

sic habet : S. Augustini episcopi fustum insigne, per Wenceslaum II regem ex Hungaria allatum anno MCCCLIV : aliæ item duæ partes per Carolum MCCCLV. *Masinus in Bononia perlustrata tom.* I, *pag.* 432 *ejusdem Sancti reliquias adscribit ecclesiæ S. Jacobi Majoris Eremitarum Augustinianorum, et ecclesiæ S. Joannis in Monte Canonicorum Lateranensium Bononiæ. Hactenus enumeratæ reliquiæ conciliari satis poterunt cum ossibus Ticini repertis, si perpendamus, ossa Sanctorum, quæ etiam* insignia, notabilia, *et* magna *vocantur, ossicula esse minuta, aut majorum ossium partes non magnas; pulveris etiam aliquid venire reliquiarum nomine. Hujusmodi autem particulæ non paucæ desunt thesauro Ticinensi, ut facile intelliget, qui ossa in recensione enumerata consideraverit.*

fabulosa quædam de pollice Sancti.

811 *Fidem apud eruditos non invenient mirabilia, quæ de digito* S. Augustini *relata leguntur apud scriptores aliquot. Audire pro omnibus lubet Josephum Pamphilum in Chronicis Ordinis Eremitarum* S. Augustini *ad annum* 1477, *fol.* 91, *ubi sic habet :* Paulus de Verona theologus
B et concionator egregius.. in sermone, qui de Oratione inscribitur, refert insigne miraculum, quod Papiæ circa corpus beati Augustini dicitur accidisse. Vir quidam nobilis genere Senensis, cum aliquam particulam corporis divi Augustini, quam coleret, habere apud se vehementer exoptaret, Ticinum profectus, a sancti corporis custode eam efflagitavit, magna vi pecuniæ illi proposita. Custos id se facturum recepit : sed non ausus quidquam de sanctissimo corpore detrahere, viro illi operam dare assimulans, ad sepulchrum cujusdam, qui paucis ante diebus humatus erat, accessit, illiusque cadaveris dexteræ abscissum pollicem, serico involutum, viro illi nobili porrexit, asserens eum esse divi Augustini digitum. Quem patritius ille reverenter accipiens, religiosissime colebat, modo ori, modo oculis admovens, sæpe eumdem sinu refovens. Nocte quadam in ædibus suis non plene dormienti, divus Augustinus viro apparuit in luce multa, dixitque illi : Fili, quiddam apud te reliquiarum mei corporis habere credis, sed falleris, quem enim digitum veneraris, non est meus, sed alterius vita
C functi, utque reipsa verba comprobem, manus meæ integræ sunt (vide) sed ne fides tua vana sit, accipe digitum hunc meum. Statimque ademptum dexteræ suæ pollicem ei dono dedit, evanuitque ab oculis illius. Multa quidem ubicumque aderat vir ille, signa et prodigia sacro digito faciebat. Quod audiens Longobardorum rex, sancti corporis custodiam * in carcerem conjici jussit : voluitque rem penitus cognoscere. Custode vero affirmante se alterius cadaveris pollicem abscissum patritio illi tradidisse, rex, ubi divi Augustini corpus asservabatur, locum patefieri jussit, sanctoque corpori dexteræ pollicem, præterea nihil, deesse comperit. Hæc Paulus Veronensis, et eo antiquior Jordanus de Saxonia in libro Sermonum de sanctis, serm. LIX de transl. S. Augustini. Is digitus hodie venerabiliter asservatur in templo nostro S. Augustini Montis Ilcini in Hetruria præclara Italiæ regione. *Taurellus prudenter ea omisit, ut fabulosa, opinor, licet agat de indice Sancti in Monte Ilicino servato, ut supra vidimus. Sane, cum Longobardorum rex inducatur in fabulam, factum illud contingere debuisset ante exstinctum Longobardorum in Italia regnum, seu ante seculum* IX ; *adeoque Jordanus de Saxonia, qui floruit seculo* XIV, *junior* *est, quam ut nos securos reddere possit, fidem- D que extorquere de facto adeo mirabili, ut credibile non sit, nisi coævorum testimonio fulciretur; quodque aliunde male cohæret cum summa illa diligentia, qua Sancti corpus semper fuit custoditum.*

* l. custodem

ejusque cordi conficta.

812 *Tædet referre, quid de corde* Augustini *fabulati sint aliqui, quibus consentire videtur Taurellus ad annum* 430, *seu tom.* I, *pag.* 615 *et* 616. *Cum obiisset Sanctus, inquiunt, angelus de cælo descendit, et cor extraxit corpore, illudque anno* 951 *donavit S. Sigeberto episcopo Lurudunensi. Non novi sanctum illum Sigebertum Lurudunensem episcopum, ac ne Lurudunum quidem inveni. Si illud noverat Taurellus, explicare debuerat, in qua situm sit provincia. Invenit illam historiam Hieronymus Romanus in libro antiquissimo, teste Taurello. At, me judice, et Hieronymus Romanus et Taurellus ipse, prudentiores esse debebant, quam ut scriberent rem adeo incredibilem sine irrefragabili auctoritate : nam alioquin merito timere poterant, ne se exponerent risui eruditorum, qui hujusmodi facta solent fabulis annumerare, etiamsi a variis referantur E neotericis. Porro mirabilia quoque narrata sunt de motibus cordis* S. Augustini *: at cum nullibi probatum inveniam, cor separatum a corpore alibi fuisse servatum, nullus urbem nominet, in qua illud venerationi vel sit vel fuerit expositum, malim illa omnia silentio premere, quam multis verbis refutare.*

§ LXIV. Variæ Sancti apparitiones, et beneficia aliis collata.

Visiones et apparitiones non omnes rejiciendæ aut admittendæ :

Quamquam non ignoro multos hodie reperiri, qui visiones et apparitiones inter fabulas passim numerent, altoque supercilio despiciant, quidquid de hisce in Vitis Sanctorum ac historiis ecclesiasticis refertur : omittere tamen nolui, quæ de apparitionibus S. Augustini *variis locis scripta reperi, etiamsi lubens fatear non omnia illa æque F esse certa aut probabilia. Quippe, uti non probamus scriptores nimis credulos, qui sine ullo examine amplectuntur omnia, quæ alibi scripta invenerunt, sic assentiri quoque non possumus serioribus quibusdam criticis, qui statim pro fabulis habent, quæcumque visionum, apparitionum, revelationum, ac miraculorum nomine insignita legunt, cum ex sacris Litteris constet, miracula visionesque et apparitiones in veteri ac nova Lege contigisse, adeoque nulla sit ratio, cur fidem adhibere non possimus iis, quæ a probatis scriptoribus referuntur, atque aliunde nihil involvunt, quo reddantur suspecta. Accipe igitur, lector benevole, quæ spectant ad Sanctum nostrum, in quibus recensendis conabor utcumque ostendere, quænam plus minusve fidei mereantur.*

gemina refertur visio cum aliqua differentia :

814 *Petrus de Natalibus lib* 7, *cap.* 128 *hæc habet :* Eadem hora, *qua obiit Sanctus (ut vult hic auctor, sed res contigit posterius)* in quodam monasterio quidam monachus in spiritu raptus, vidit Augustinum in nube sedentem, pontificalibus insignitum, cujus oculi quasi solis radii totam ecclesiam illuminabant, et odor de eo nimius exhalabat. Alio etiam tempore, dum ejus sermones ad Matutinum in ecclesia legerentur, beatus Bernardus vidit Augustinum episcopum, de

A de cujus ore tantus impetus aquarum exibat, quod totam ecclesiam inundabat. *Utrumque hoc refert etiam Jacobus de Voragine cap.* 119 *cum aliqua tamen mutatione :* In monasterio, *inquit* quod Elemosina dicitur, monachus quidam in vigilia sancti Augustini raptus, in spiritu vidit nubem splendidam cælitus elapsam, et super nubem Augustinum sedentem, pontificalibus insignitum, cujus oculi, quasi solis radii, totam illam ecclesiam illuminabant, et odor inde nimius exhalabat. Sanctus quoque Bernardus, dum quadam vice in Matutinis exsistens aliquantulum obdormisset, et de quodam tractatu Augustini lectiones legerentur, vidit quemdam pulcherrimum juvenem ibi stantem, de cujus ore tantus inundantium aquarum impetus exibat, quod totam illam ecclesiam videretur replere. Qui Augustinum esse non dubitavit, qui fonte doctrinæ totam Ecclesiam irrigavit. *Hæc secunda relatio prioris visionis probabilior saltem est quam prima, qua res contigisse dicitur in morte Sancti.* Eleemosyna *autem abbatia est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Carnotensi. Judicium de duabus hisce visionibus pru-* B *dentis esto lectoris : nam, licet contineant nihil, quod earum falsitatem ostendat, auctoritas tamen ea referentium tanta non est, ut fidem indubitatam extorquere debeat.*

duplex beneficium a Sancto præstitum :

815 *Memoratus Jacobus de Voragine relatis modo præmisit alia duo miracula, his verbis narrata :* Molendinarius quidam in beatum Augustinum specialem devotionem habens, cum quamdam infirmitatem, quæ dicitur flegma salsum, in tibia pateretur, beatum Augustinum devote iu sui adjutorio invocabat. Cui per visum sanctus Augustinus apparuit, et tibiam manu palpans, integræ restituit sanitati. Qui excitatus se liberatum invenit, et Deo et beato Augustino gratias reddidit. Quidam puer, cum vitio lapidis premeretur, et de consilio medicorum incidi deberet; mater pueri mortis sibi timens periculum, beatum Augustinum devote in sui filii subsidium invocavit, statimque, fusa oratione, puer lapidem cum urina emisit, et plenam sanitatem recepit. *Non video, cur hisce fidei aliquid habere nequeamus, quod de sequenti etiam visione dici potest.*

visio alia :

816 Apud Burgundiam, *inquit*, in monaste- C rio, quod dicitur Fontanetum, erat quidam monachus, Hugo nomine, sancto Augustino valde devotus, qui in ejus scriptis miro desiderio pascebatur : quem etiam crebra supplicatione rogaverat, ut ipsum ex hac luce migrare non sineret, nisi in die suæ sacratissimæ solemnitatis. Ipse igitur xv die ante festum ejusdem sic cœpit duris febribus æstuare, ut in vigilia ipsius super humum tamquam moriens poneretur. Et ecce plures decori ac fulgentes viri, amicti albis, ecclesiam dicti monasterii processionaliter intraverunt : quos sequebatur quidam reverendus pontificalibus insignitus. Quidam autem monachus in ecclesia consistens, hoc videns obstupuit, et quinam essent, vel quo pergerent, inquisivit. Cui unus eorum dixit, quod sanctus Augustinus esset cum suis canonicis, qui ad devotum suum morientem pergeret, ut ejus animam regnum gloriæ deportaret. Post hoc illa reverenda processio ad infirmariam ingreditur, ubi cum aliquamdiu mansisset, sancta illa anima a carne soluta est, quam dulcis ille amicus et ab hostium insidiis securam reddidit, et ad cæli gaudia introduxit. *Refert idem Angelus Manrique in Annalibus Ordinis Cisterciensis tom.* 3 *ad annum* 1190, *cap.* 4, *num.* 9 *et* 10, *ubi monachus ille vocatur* Hugo Flavigniacensis, Fontaneti prior. *Citat autem Additiones ad Exordium magnum Cisterciense cap.* 24 *et* 25, *ubi visio narratur hisce verbis :* Facta est autem in ipsa nocte hujusmodi revelatio cuidam ipsius monasterii monacho religioso : vidit enim processionem candidatorum de cælo venientium ecclesiam introire, et circa corpus, quod ibidem more solito servabatur, assistere. Porro unus ex illis, statura procerus, vultu et veste gloriosus atque præfulgidus, accessit ad monachum illum, et cœpit cum eo loqui. Ille vero percontabatur, quis esset, et cujus rei gratia advenissent. Cui Sanctus ita respondit : Isti, quos vides, angeli Dei sunt et alii Sancti, ego vero Augustinus episcopus Hipponensis : nostri vero adventus est causa, ut animam hujus fratris deducamus ad sidera nobiscum. *Differunt hæ relationes in adjunctis quibusdam, unde colligitur, alterum ab altero non accepisse : at difficulter determinari potest, uter rem exactius narraverit.*

AUCTORE J. S.

vinctus carcere liberatus,

817 *Alia mirabilia subdit laudatus de Voragine, post pauca sic scribens :* Cum quidam Papienses a marchione Malaspinæ in carcere detinerentur, ab eis omnis potus penitus est interdi- E ctus, ut posset ab eis magna pecunia extorqueri. Unde plerique jam spiritum exhalabant : quidam vero urinam bibebant. At quidam juvenis inter eos, qui in beatum Augustinum magnam devotionem habebat, ipsum in sui adjutorium invocavit. Tunc circa noctis medium sanctus Augustinus prædicto adolescenti apparuit, et quasi manum ejus dexteram apprehendens, usque ad fluvium Graveloni ipsum deduxit, ibique cum folio vitis in aquam madefacto sic ejus linguam refrigeravit, ut qui urinam bibere cupierat, de potu nectaris non curaret.

æger sanatus, alter gemino malo,

818 Præpositus cujusdam ecclesiæ, in beatum Augustinum magnam devotionem habens, cum per tres annos gravem infirmitatem incurrisset, ita ut de lecto surgere non valeret, adveniente solemnitate sancti Augustini, cum jam in vigilia ad vesperas pulsaretur, ad rogandum sanctum Augustinum tota devotione se contulit. Cui in albis Augustinus apparens, eidem ter citato proprio nomine dixit : Ecce adsum, toties a te rogatus. Surge cito et celebra mihi Officium vespertinum. Qui sanus surgens, cunctis stupentibus, ecclesiam intravit, et Officium devote per- F egit.

Cum cuidam pastori sævum ulcus inter scapulas ortum esset, adeo morbus invaluit, ut jam totis esset viribus destitutus. Qui dum ad sanctum Augustinum preces emitteret, eidem Augustinus in visu apparuit, et super locum infirmum manum apponens, perfecte eum sanavit. Idem quoque vir procedente tempore oculorum lumine est privatus. Qui cum sanctum Augustinum sedule invocaret, quadam die circa meridiem eidem apparuit, et oculos manibus suis tergens, pristinam sibi sanitatem restituit.

visio quædam, ut videtur, fictitia ;

819 *Relata hactenus miracula nihil videntur involvere, cur iis fidem abrogare debeamus, licet scriptor, qui ea narravit, etiamsi satis sincerus appareat, nimia tamen credulitate non multum fidei apud eruditos obtineat, et in Opere nostro sæpe refutetur. Difficilius fidem inveniet apud prudentes visio alia, quam idem præcedentibus immiscuit his verbis :* Fertur quoque, quod, dum quidam vir sanctus in spiritu raptus, Sanctos in gloria conspexisset, et beatum Augustinum minime vidisset, quemdam de Sanctis, ubinam Augustinus esset, percunctatus est. Qui respondit :

AUCTORE J. S.

spondit : Augustinus residet in excelsis, ubi disputat de gloria excellentissimæ Trinitatis. *Videtur hæc visio conficta ex facto num.* 710 *refutato, quod simile est satis huic visioni et æque videtur fictitium.*

altera ad Augustinum parum spectans :

820 *Simplicianus de sancto Martino in Vita* S. Augustini *pag.* 75 *gloriam insignem Sancti ostendere conatur ex apparitione S. Gregorii cum aliis Sanctis, quæ narratur in præfatione ad libros Moralium S. Gregorii. Res ita se habet. Tagio Cæsaraugustanus episcopus Romam profectus, quærebat libros Moralium S. Gregorii, sed incassum. Huic autem noctu in ecclesia S. Petri oranti apparuit S. Gregorius cum SS. Petro et Paulo aliisque pluribus, ac Tagionem docuit, quo loco libri Moralium essent positi. Cum vero quæreret Tagio, an* S. Augustinus *inter Sanctos, quos cernebat, adesset; respondisse dicitur S. Gregorius :* Beatum Augustinum virum excellentissimum, de quo quæris, altior a nobis continet locus. *Hinc libenter concludet laudatus scriptor,* S. Augustinum *Gregorio aliisque ibidem præsentibus Sanctis, exceptis tamen Petro et Paulo, altiorem* B *in cælo locum possidere. At verba illa forsan nihil significant, nisi* Augustinum *non adfuisse cum Sanctis ibi apparentibus : nec decet inter Sanctos comparationem instituere, unum alteri præferendo, sed potius omnes venerari.*

Sanctus apparens S. Norberto Regulam tradidit :

821 *Circa annum* 1121 *apparuit* S. Augustinus *S. Norberto, eique Regulam suam tradidit. Narratur hæc visio locis variis. In Vita B. Godefridi Capenbergensis cap.* 3, *apud nos tom.* I *Januarii pag.* 847 *ita res exponitur :* Audivi nihilominus eumdem orthodoxæ veritatis assertorem *(S. Norbertum, de quo ibi agit,)* in communi capitulo hæc, quæ sequuntur, prosequentem : Scio, inquit, unum ex professionis nostræ fratribus, cui de Regula nostra studiosius indaganti, non quidem suis meritis, imo confratrum suorum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui auream Regulam, a latere suo dextro prolatam, illi porrexit, seque ipsum luculento ei sermone intimavit, dicens : Quem vides, Augustinus ego sum, Hipponensis episcopus. Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi, sub qua si bene militaverint confratres tui, filii mei, securi Christo adstabunt in extremi terrore judicii. C Et quidem ista humiliter tamquam de alio prosecutus est : nos tamen ipsum fuisse, cui hoc revelatum est, indubitanter advertimus. *Idem referunt fratres Capenbergenses in Actis S. Norberti tom.* I *Junii pag,* 859, *iisdemque prorsus utuntur verbis, nisi quod initio dicant,* Audivimus, *ubi hic habet,* Audivi. *Et brevius eadem visio narratur ex Ms. Capenbergensi in Addendis ad Vitam B. Godefridi tom.* I *Januarii pag.* 1112 *his verbis :* Apparuit insuper eidem *(S. Norberto)* in Capenberg B. Augustinus, qui et auream Regulam, a latere suo dextero prolatam, illi porrexit, et ait : Quem vides, ego sum Augustinus Hipponensis episcopus. Ecce habes Regulam, quam conscripsi, sub qua si bene militaverint fratres tui, filii mei, securi Christo astabunt in extremi terrore judicii. *Non est, cur de hac apparitione dubitemus, cum narretur ex ore ipsius S. Norberti a scriptoribus synchronis.*

alia Sancti apparitio :

822 *Alia* S. Augustini *cum S. Monica apparitio habetur in Historia translationis reliquiarum S. Monicæ, quæ contigit post medium ejusdem seculi, et conscripta est a Waltero Canonico Regulari Aroasiensi in Flandria, qui Sanctæ reliquias ipse transtulerat. Religioso cuidam dicti mo-* D *nasterii, qui apud reliquias S. Monicæ cum alio ad mediam fere noctem in oratione vigilaverat,* tam tenuiter somnus irrepsit, ut nec se dormire putaret. Verumtamen consopitis sensibus, ... excessu mirabili, visum est ei quod prostratus jaceret orans ante altare B. Augustini. Qui cum ab oratione surrexisset, vidit quamdam matronam decora facie et splendidissima veste renitentem, quæ cum dignitate et auctoritate reverenda videretur stare super altare. Cum vero et decorem vultus et nitorem habitus cum magna admiratione adspiceret; cogitabat, quæ esset, et cujus auctoritatis, cujus splendore totus ille locus claresceret; et quomodo illuc adveniens, ea hora præter consuetudinem super altare staret. Talia et cogitante, subito apparuit B. Augustinus, episcopali veste indutus, juxta illam stans super ipsum altare, dixitque fratri : Quid aspicis, et cur tantum admiraris? Certissime scias, quod hæc est mater mea, et ego sum filius ejus. Frater autem jam per spiritum intelligebat, ipsum S. Augustinum esse, qui ei talia diceret *etc.* Subcustos etiam pene simile vidit, sed dissimiliter. Videbat enim quemdam, pontificali veste glorio- E se indutum, juxta altare B. Augustini in sede episcopali sublimiter residentem : juxta quem erat quædam matrona, vultu decora, et habitu præclaro veneranda. Cui Episcopus vultu hilari magnæ amicitiæ familiaritatem exhibebat, et adeo honorabat, ut tam ille frater, quam et plures, qui adesse videbantur, valde mirarentur. Quibus dixit Episcopus : Nolite mirari, si eam diligam, et ei honorem deferam, quia ipsa est mater mea. *Hæc ibi.*

alia Alexandro IV oblata,

823 *Aliam visionem, post medium seculi* XIII *oblatam Alexandro IV summo Pontifici, referunt multi scriptores, inter quos reperitur Henricus de Ulimaria, qui eodem floruit seculo, et Jordanus de Saxonia, qui sequenti, ita ut res abunde videatur testata. Verba Henrici de Ulimaria, ex Opere ejus de Origine Ordinis* S. Augustini, *quod mihi ad manum non est, hæc adducit Taurellus ad annum* 1256, *num.* XI *:* Nam tempore Alexandri IV, ut ipsemet testatus est, B. Augustinus eidem in visione apparuit, grandis quidem capite, sed membris exilis. Ex qua visione, tamquam divino oraculo, Papa commonitus, univit fratribus Eremitis S. Augustini plures F alios Ordines, similiter in eremis habitantes. *Hæc iisdem fere verbis deinde bis repetit. Jordanus de Saxonia in Vitis fratrum lib.* 1 *cap.* 14 *refert, conjunctionem diversorum Eremitarum sub una* S. Augustini *Regula cœptam ab Innocentio IV, perfectam vero ab Alexandro IV, hac visione monito :* Unde, *inquit*, beatus Augustinus volens dispersiones suæ Religionis congregari, succedenti ei *(Innocentio IV)* in Sede apostolica, scilicet domino Alexandro papæ quarto in visione apparuit, grandis quidem capite, sed membris exilis. Ex qua visione, velut divino oraculo, Papa commonitus, unionem, per prædecessorem suum dominum Innocentium inchoatam, consummavit. Ipse namque fratres omnes Eremitas diversorum Ordinum; quorum quidam sancti Guilielmi, alii fratris Joannis Boni, alii de Fabali, alii de Bretinis, censebantur : alii quoque apud homines ambiguis nuncupationibus vacillabant : necnon et fratres de Pœnitentia Jesu Christi, qui Saccitæ vocabantur : hos, inquam, omnes in unum redegit, et Ordini Eremitarum S. Augustini cum personis et locis effectualiter concorporavit, et univit. *Ita ille. An autem omnes*

A *omnes congregationes enumeratæ certo cum Augustinianis junctæ sint, hoc loco non disputo.*

quam oppugnat Pennottus: 824 *Opposuit se huic visioni Pennotus in Historia tripartita lib.* 1, *cap.* 40 *num.* 5, *quia Pontifices in bullis Pontificum, quibus Eremitas redegerunt in corpus unum, de illa non meminerunt. At illa ratio sufficiens non videtur, ad omnem fidem laudatis scriptoribus abrogandam, cum Pontifices visionem allegare non deberent, sed solidas potius rationes, quibus utilitas ejusdem unionis omnibus fieret manifesta. Quin et laudatus Taurellus num.* 16 *contendit, Alexandrum Papam in quadam sua bulla istius visionis meminisse. Bullam illam vidit, teste Taurello, Hieronymus Romanus in tabulariis conventus Crassensis et Herbipolensis, ex eaque produxit verba :* Cum essem in majori noctis quiete, requiescens in cubili a continuo labore mei muneris, subito circundatus sum splendore quodam : et ecce in medio ejus S. Augustinus, indutus pontificalibus, id est pluviali et mitra ; et subtus portabat cucullam nigram, præcinctam cingulo coriaceo, et B super caputium monachi : et videbatur S. Doctor caput ingens habere, cætera vero membra exilia : hocque mihi accidit tribus continuis : ex quo ego admiratus vocavi homines in divinis litteris eruditos, petiique ut mihi visionem illam interpretarentur, responsumque mihi ab omnibus fuit, per caput magnum repræsentari fundamentum magnum, quod in Ecclesia fuerat : per membra vero exilia denotari ejus fratres, qui favore nimis erant destituti, et dispersi per omnem Christianitatem. *Scripserat hæc Hispanice Hieronymus Romanus, cujus verba Latine reddidit Herrera, inquit Taurellus. Verum non dubito, quin et verba illa et bulla ipsa suspecta sint futura eruditis : mirum enim videbitur, cur nec Herrera nec Taurellus ipse bullam illam quæsiverint ac invenerint, si illam in conventibus memoratis vidit ac legit Hieronymus Romanus.*

locustæ per Sanctum abactæ 825 *Abrahamus Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1268 *refert sequentia :* Hoc ipso anno in Hispaniis agrum Toletanum locustarum agmina adeo vastarunt, ut etiam arborum frondes, non tantum herbas aut segetes depastæ fuerint. Hinc maxima calamitate oppressi populi, cum et famem metuerent, et, ex morte locu- C starum, quæ saturæ rumpebantur et aërem inficiebant, pestilentiam expetarent, ad Deum supplices adierunt, et processionibus institutis, maxima cum dimissione misericordiam illius implorarunt. Non frustra fusæ ab illis orationes fuerunt. Divus enim Augustinus episcopus Hipponensis, quem præ cæteris Sanctis intercessorem postularant, cunctis illis populis apparuit, pedo pastorali agmina locustarum abigere, emortuas colligere, et in Tago præterfluente demergere. Hieronym. Roman. centuria 9 Chron. Augustinianorum. *Taurellus ad eumdem annum num.* 12 *idem refert, asseritque ex Ludovico de Angelis, in antiquo libro membranaceo ecclesiæ Toletanæ legi hæc verba :* Hac die est nobis obligatio faciendi processionem usque ad monasterium S. Augustini, ex voto facto pro locusta. *Lancilottus vero in Vita Sancti lib.* 3 *cap.* 67 *tribus locis idem miraculum contigisse scribit.* Has enim, *inquit*, (*locustas*) exoratus abegit primum in regni Toletani civitate Guadalajara, deinde prope Malaganium in civitate Ernan Cavalleros : et multo ante civitatem ipsam Toletanam extrema fame laborantem præsentissimæ morti eripuit. *Ita ipse.*

AUCTORE J. S.

apparitiones variæ : 826 *In vita S. Nicolai Tolentinatis apud Surium* x *Septembris legitur alia Sancti apparitio cum Jesu et Maria morienti Nicolao facta, ut in Actis S. Nicolai Tolentinatis latius explicabitur, et jam exposuit Taurellus ad annum* 1305 *num.* 50. *Morienti etiam B. Claræ de Monte Falconis apparuisse cum aliis Sanctis* Augustinum *affirmat Taurellus ad annum* 1308 *num.* 44. *Idem ex fama refert ad annum* 1310 *num.* 26, *Sanctum nostrum visum esse a moriente Christina seu Christiana de sancta Cruce Vallis Arni. Hisce magis inusitatum est, quod scribit Herrera in Alphabeto Augustiniano de Gundisalvo Ruiz, defuncto Toleti anno* 1323. Cadaver, *inquit*, in parochia S. Thomæ solenniter humatum, et a cælitibus insueto honoris genere honestatum. Cum enim Gundisalvi exuviæ in sepulcrum essent inferendæ, adstante populo, videntibus universis, e cælo missi Stephanus et Augustinus, ille templi Augustinianorum patronus, hic Eremitarum Pater, sancti viri corpus propriis manibus tumulo intulerunt, hæc addentes : " Qui Deo et Sanctis servit, sic a Domino ho- E " noratur ". *Idem habet Taurellus ad annum* 1323 *num.* 20 : *at vellem eos assignassent auctores, quibus rem tam mirabilem tuto credere possemus.*

visio oblata Jordano de Saxonia 827 *Jordanus de Saxonia in Vitis Fratrum lib.* 1, *cap.* 18, *ubi narraverat conatus Eremitarum Augustiniorum apud Joannem XXII summum Pontificem, ut acciperent corpus* S. Augustini, *quod soli tunc possidebant Canonici Regulares Ticini, subjungit visionem sibi ipsi oblatam, ut putant Augustiniani, qua obscure innuebatur, corpus brevi impetrandum. Verba Jordani accipe :* Porro ista diu affectata reunio, antequam facta esset, cuidam fratri nominato in Ordine per visum revelata fuit hoc modo. Videbatur enim ei, quod ipse cum multis Fratribus, et melioribus personis Ordinis esset in quadam ecclesia non nostri Ordinis, in qua erat quoddam sepulcrum elevatum, unius sancti magni Episcopi, sicut ex figura imaginis desuper sculptæ ostendebatur : quod quidem sepulcrum minus decenter a personis illius ecclesiæ tenebatur. Nam pulpita, et candelabra antiqua cum pulveribus irreverenter super jactata apparebant. Itaque Fratribus in ecclesia stantibus, et sepulcrum aspicientibus; ecce imago episcopi visa est se elevare, et illas scorias super se jactatas indignanter rejicere. et sic surgens episcopus de tumulo F pontificaliter indutus, ivit stare ante altare : et invitans ad se Fratres cantare cœpit : Venite venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos, et cantavit hæc verba nota graduali, sicut episcopi in inthronizationibus cantare solent. Quo expleto sedet ipse, et Fratres omnes ante se per ordinem sedere jussit, et tunc dulcem exhortationem, velut pater suis filiis, fecit : ex quo iste frater intellexit in spiritu ; illum fore beatum Augustinum.

de corpore Sancti ab Augustinianis impetrando : 828 Volens autem idem antistes Fratribus amorem ostendere singularem, habebat quidem in manu sua vitrum mundum cum potu valde claro et pulchro. Bibit ipse primo, et postea per ordinem de manu sua singulis propinavit, intonans valde dulciter, et cantans : Aqua sapientiæ potavit eos Dominus. Et cum pervenisset episcopus ad Fratrem istum, bibit ipse, fuitque potus nobilis, et dulcis inusitatum saporem habens quasi claretum * antiquum ; ex quo potu Frater iste totus exhilaratus fuit : et cum bibissent omnes, Episcopus benedixit eis, et sic ad

* i. e. vinum factitium, seu aromatites

AUCTORE J. S.

ad sepulcrum redire cœpit; quod videntes Fratres unanimiter fleverunt, dolentes de Patris recessu. Ipse autem consolans eos paterne, ait eis, Nolite flere, filii: ecce enim vobiscum ero usque ad consummationem seculi. Hoc dicto, Frater iste evigilavit, et invenit os suum, linguam, et palatum de potu illo valde dulcoratum. Unde repletus stupore et gaudio, gratias egit Deo, sperans illam visionem non essse otiosam, sed alicujus boni pro Ordine præsagam, sicut non multo post claruit, in effectu. Nam infra duos menses, vel circa, venerunt litteræ certæ de curia Romana nunciantes nova, quomodo corpus beatissimi patris nostri Augustini esset Ordini redonatum. Per omnia benedictus Deus.

quod revera contigit:

829 *Hactenus Jordanus. Donatum est autem corpus* S. Augustini *Eremitis ejus Ordinis, dum ipsi anno* 1326 *per Joannem XXII introducti sunt in ecclesiam S. Petri in Cælo aureo, ubi Sancti corpus quiescit. Porro hanc visionem ipsi Jordano oblatam, colligunt ex notatione, quæ habetur* in antiquo exemplari ad calcem hujus B capitis, *his verbis expressa:* Hic est sciendum, quod quidam frater Ordinis nostri, videlicet fratrum Eremitarum S. Augustini, valde cupiens nomen illius fratris scire, cui Deus hanc visionem ostendit, scripsit illi patri reverendissimo ac devotissimo lectori Jordano, compilatori istius libri, quatenus dignaretur sibi insinuare, qui fuisset ille frater. Cui inter alia respondit in hæc verba formaliter: Quod autem petitis vobis scribi, quis sit ille frater, qui habuit istam visionem, de qua fit mentio primo lib. cap. XVIII Vitas * Fratrum in fine; de hoc nescio vobis aliud scribere nisi quia peccator est, et ideo oretis Dei misericordiam pro eo. Hoc unum sciatis, quia certissime visio fuit ita, sicut ibi scribitur. Ex qua responsione manifeste videtur, sibimet revelatam tam mirabilem visionem hanc et gratiosam, licet ratione humilitatis, et jactantiæ vitandæ, hic omiserit exprimere nomen suum.

* *i. e.* Vitarum

hostes superati, apparente, ut fertur, Sancto:

830 *Taurellus ad annum* 1327 *num.* 23 *scribit*, S. Augustinum *cum S. Michaële archangelo apparuisse parentibus B. Angeli Neapolitani, beatumque hunc filium parentibus tunc promissum. Verum visio illa habet adjuncta tam mirabilia, ut irrefragabili auctoritate confirmari deberet.* C *Quod cum factum non sit, illam latius non referimus. Josephus Pamphilus Signiensis episcopus in Chronico Ordinis Eremitarum ad annum* 1400 *memorat sequentia:* Franciscus Gonzaga filius, Mantuæ marchio, cum per annum continuum gravissimum non sine sui regni periculo bellum cum Liguribus et Galeatio Mediolani duce gessisset, ipso die S. Augustini, cui se antea voverat, qui et ei apparuerat victoriam pollicens, duplicem et miserabilem conflictum Liguribus et Mediolani duci intulit; curavitque postea Augustinum eo modo pingi, quo apparuit, cucullo videlicet nigro et et pontificalibus indutum: jussitque ejus festum Mantuæ ecclesia nostra S. Agnetis magnis solemniis celebrari; et per dignum epigramma memoriæ tradidit posteris, quo pacto tali victoria potitus sit, ipsum S. Augustinum patriæ et suum protectorem appellans. *Audi et memoratum epigramma.*

Vos patriæ cives, quibus hic pater expulit olim
Bis Ligures, lætumque dedit bis habere triumphum,
Dum sua curriculo bis festa darentur eodem:
Este boni memores, et grata advertite dona,
Et mecum huic laudes, mecum hos celebretis honores.
D Protector patriæ spes ac tutissima nostræ,
Augustine, parens, doctor, lux inclyta sacri
Eloquii, innumeras Ocnæas accipe laudes.
Tendimus inde manus humiles, oculosque precantes
Venturo adversis, ut quondam, protege princeps.

Hæc carmina recitant varii, inter quos Simplicianus a S. Martino in Apologia pro monachatu S. Augustini *pag.* 130, *ubi* Ocnæas *laudes exponit* Mantuanas, quia fundator vocabatur Ocnus. *Victoriam autem geminam Francisci Gonzaga de Joanne Galeatio Mediolanensium duce varii narrarunt, inter quos Raynaldus ad annum* 1397 *num.* 2; *at apparitionem* S. Augustini *non legi, nisi apud scriptores Augustinianos.*

variæ Sancti apparitiones:

831 *In Vita B. Ritæ, apud nos tom.* V *Maii pag.* 225, *legitur* S. Augustinus *cum SS. Joanne Baptista et Nicolao Tolentinate apparuisse B. Ritæ, illamque induxisse in monasterium S. Mariæ Magdalenæ Ordinis Augustiniani Cassiæ in Umbria. Rem accipe compendio. Rita post mortem* E *mariti ingressum sæpe petierat in dictum monasterium, sed repulsam semper passa, nocte quadam auxilio apparentium SS. Joannis Baptistæ,* Augustini *et Nicolai* intra monasterium ipsum penetravit, portis fenestrisque omnibus clausis, ut erant manentibus. *Quo miraculo motæ moniales ipsam admiserunt, ut pluribus refertur loco assignato. Taurellus id factum refert ad annum* 1418, *num.* 12. *In Vita B. Helenæ Utinensis, tom.* III *Aprilis pag.* 253 S. Augustinus *cum Christo aliisque Sanctis B Helenæ apparuisse dicitur, uti etiam Taurellus habet ad annum* 1458 *num* 36. *In Vita B Veronicæ de Binasco, tom.* 1 *Januarii pag.* 895 *terna memoratur Sancti apparitio, facta oranti B. Veronicæ anno* 1497, diebus plurimis singulæ apparitioni interjectis. *Habitus apparentis sic describitur:* Ea luce circumseptus erat, qua omnis locus, quo occlusa virgo latebat, sicut dies illuminaretur. Contegebatur Augustinus cappa serica, vesteque purpurea. Divini cujuspiam aspectus videbatur, in capite fulgentissimam mitram gerens. Horruit primum Veronica claritudine immensa, dein cælestibus gestivit gaudiis *etc.*

Ticinum peste liberatum.

832 *Taurellus ad annum* 1503 *num.* 9 *refert, Ticinum eo anno sæva pestilentia afflictam fuisse* F *at, voto facto,* S. Augustini *intercessione liberatam. Hinc imago Sancti Ticinensium jussu depicta, sub qua scribi curarunt sequentia verba:* Anno MDIII, urbe nostra sævissima peste affecta, desperato irritoque humano consilio, cælesti Protectori duodeviginti faces albas quotannis oblaturi, nuncupato voto, salubrem statum impetrarunt. *Addit singulis annis ab eo tempore supplicationem institui ad ecclesiam Augustinianorum Ticinensium, offerrique octodecim faces, prout latius declaratur in instrumento civitatis, quod factum est* XXVII *Augusti anno* 1507, *et ad eumdem annum recitat Taurellus num.* 23. *Factum in dicto instrumento sic exponitur:* Attendentes die crastina adesse festum gloriosissimi S. Augustini, hujus civitatis veri protectoris et defensoris, et quod, licet ex antiqua consuetudine civitas solita esset facere oblationem ad ecclesiam in qua requiescit corpus suum; attamen considerantes, quod de anno curso MDIII, dum vigeret ambissima pestis in hac civitate, quæ quasi ab omnibus derelicta erat, cives tunc adstantes in officialibus, devotissime recurrerunt ad

A ad prælibatum gloriosissimum corpus, vovendo de votum faciendo de portando unusquisque eorum, qui interfuerant, numero decem, et octo, torciam * unam ponderis libræ unius pro quolibet, in die festo ejusdem gloriosissimi Sancti, dignareturque Deum rogare, ut civitas ipsa a tanto to ambissimo veneno, in quo erat innodata, liberaretur, ipsoque voto sic facto, incontinenter miraculose cessavit ipsa pestis, taliter quod ab inde in antea quisquam peste non periclitavit, et civitas ipsa munda permansit ipsa peste, prout notorium existit; adhucque attestantur egregii viri DD. Joannes Augustinus de Georgiis, et Jacobus Philippus de Poma officiales sanitatis in Papia tunc, et nunc super officio sanitatis.

i. e. facem

hinc varia ibidem ad honorem Sancti decreta :

833 Unde perseverantes prædicti domini in devotione jam cœpta prædicto glorioso sancto Augustino, et in aliquo deficere nolentes, quantum eis sit possibile, ordinaverunt, quod die crastina fiat omnimode dicta oblatio, et sic semper omni anno in perpetuum, juxta solitum, et invitetur populus, et deferantur dictæ torciæ ad oblationem prædictam, et insuper, ne in futu-B rum deleatur devotio prædicta, et miraculum prædictum perpetuo remaneat in corde prædictæ civitatis affixum, ordinaverunt et ordinant, quod in camera provisionis præsentis, ubi designabitur et designatum fuerit, depingatur imago prædicti gloriosissimi sancti Augustini ornatissima cum civitatis Papiæ insignibus, et dicti miraculi, et in versiculis superinde apponendis mentionem faciendam de miraculo et obligatione prædictis : confidentes in prædicto gloriosissimo Sancto prædicto *, civitatem prædictam ab omni contagione pestifera, et ab omni alio periculo debere præservari.

** redundat*

quidam Sancti beneficio mortis periculo ereptus :

834 *Herrera in Alphabeto Augustiniano pag. 420 narrat beneficium viro nobili et militari Joanni de Pineda collatum. Is fortiter se gesserat in bellis Americanis*, at dum, orta contentione in ecclesia irreverenter coram gubernatore se gerit, missus in carcerem, capitis damnatur absque humana remissionis spe. Sed ille in nocte anxius divinam opem implorat, et gemebundus ad Virginem Deiparam recurrit, et Augustini patrocinium exposcit, promittens se Eremiticum illius institutum, si viveret, amplexurum. Augustinus C quasi clientis sui curam habens, gubernatorem dormire non patitur, et cor saxeum emollit, ut mane vitam Joanni donet, pœna mortis in exilium commutata. *Hinc votum suum implevit Joannes, assumens anno 1559 Limæ habitum Augustinianum cum Didaco de Arana, ad idem vitæ institutum pertracto, in quo uterque egregie se probavit.*

imago Augustini prodigio inclyta.

835 *Taurellus ad annum 1573 num. 33, describens fundationem monasterii Limani Ordinis sui, narrat prodigium eo tempore factum per imaginem* S. Augustini. *Rem paucis expono. Augustiniani habitaverant Limæ loco minus commodo, eaque de causa ad alium locum et monasterium et ecclesiam suam transferre cupiebant. Loco obtento, ædificabatur ecclesia, sed, cum duo sacella ad utrumque ecclesiæ latus adjicere cuperent, secularis quispiam domum suam, ad alterum e sacellis necessariam, pertinaciter vendere noluit. Confugiunt ad orationem Patres Augustiniani, cum subito tabula aræ principis,* S. Augustini *effigie insignis, se sponte ab ara separat, ac se affigit domui prædicti illius secularis. Hic autem eo prodigio motus, domum suam concessit, ut sacellum ibidem erigeretur. De prodigiosa illa Sancti effigie meminit etiam Herrera in Alphabeto tom. 2, pag. 40.*

AUCTORE J. S.

§ LXV. Quædam memoriæ, quæ de Sancto ostenduntur.

Quædam loca Sancti memoria religiosa :

Tandem, ut concludamus hunc Commentarium, recensere lubet quædam monumenta antiqua, quæ ostenduntur, tamquam ad S. Augustinum *pertinentia, licet de plerisque nihil certi possit affirmari. Mabillonius in Itinere Italico pag. 16, agens de monumentis Mediolanensibus, hæc memorat :* In horto monasterii Ambrosiani exstat sacellum sub titulo sancti Remigii, eo (ut credunt) in loco, ubi Augustinus hoc oraculum audivit, Tolle et lege. Ad australem basilicæ partem, haud longe ab eadem ecclesia, aliud exstat sacellum, in quo Augustinum a S. Ambrosio baptismum accepisse tradunt. *De loco baptismatis magis verisimile id apparet quam de* E *loco conversionis, cum hic non tam propinquus fuisse videatur ecclesiæ Ambrosianæ, et sacellum ipsum non* S. Augustino, *sed S. Remigio sit sacratum. Potuit autem locus ille eligi ad honorandam Sancti conversionem, quod locus conversionis esset ignotus. Montfauconius in Diario Italico pag. 186, ubi visa Romæ commemorat, sic habet :* Proxime sita est ecclesia S. Mariæ in Cosmedin, quæ titulus Cardinalitius est : olim schola Græca vocitabatur, in qua S. Augustinum tradunt rhetoricam docuisse.

trabs prodigiosa ;

837 *Cornelius Lancilottus in Vita* S. Augustini *lib. 3, cap. 70 sic habet :* Constat etiam hoc ipso tempore superesse Calari in Sardinia trabem, quæ divinitus excrevit, cum brevior esset quam ut ab una parte sacelli (ædificabatur hoc juxta divi Augustini sepulcrum) ad alterum latus extendi posset. Ea ipsa trabs in partes quotidie divisa, maxime pro febricitantibus, non imminuitur, nec minimum decrescit. *Celebrant hanc trabem scriptores varii cum Sardi tum Augustiniani, quos citavit Taurellus tom. 1 ad annum 388 num. 80 et sequentibus. Ibidem quoque num. 83* F *refertur miraculum, quod contigisse dicitur anno 1636 in pervigilio S. Francisci, atque est hujusmodi. Didacus Trusillo Calaritanus morti vicinus videbatur ex morbo gravissimo, qui modicum quid ex ligno trabis rasura avulsum aquæ impositum bibit, et continuo melius habuit, atque intra paucos dies omnino convaluit. Porro, etiamsi num. 709 negaverimus, hanc trabem per* S. Augustinum *viventem fuisse extensam, quod ne Lancilottus quidem credidit, cum extensam velit, dum sacellum ædificabatur juxta sepulcrum Sancti, non negamus tamen trabem illam Calari superesse : at incertum credimus, quo tempore illa trabis extensio facta sit : imo ipsam trabis extensionem non omnino certam putamus, cum aliunde oriri potuerit, ut Deus voluerit, illam miraculis inclarescere, vel quia corpus Sancti in illa aliquando fuit positum, ut habet Martinus Cariglio apud Taurellum num. 81, vel alia de causa nobis ignota.*

insignis Deiparæ imago, quam aliqui sine fundamento Augustini esse putarunt :

838 *In monasterio B. Mariæ, quod* Regula *dicitur, atque ordinis est Augustiniani ad littus Oceani in Hispania, famosa atque antiqua est imago beatæ Virginis, quam voluerunt aliqui ab* Augustino *olim cultam, ut scribit Herrera in Alphabeto*

AUCTORE J. S.

Alphabeto part. 2, pag. 366, qui ipse refutat illorum opinionem. Verba ejus accipe : Ferunt anno MDCXXX cuidam Religioso revelatum, sacram hanc Deiparæ imaginem ex Africa post D. Augustini mortem ab Eremitis Augustinianis in Hispanias adductam; adduntque, dæmonem, qui feminam quamdam obsidebat, anno MDCXXX ab exorcista compulsum, declarasse eam imaginem ab Augustino olim cultam, ex urbe Thagastensi allatam a S. Cypriano diacono, Eremita Augustiniano, et in Hispaniæ devastatione a ven. Fr. Simone, Eremita etiam Augustiniano et cœnobii priore occultatam; et in eo cœnobio vixisse nostros Eremitas CCLXX annis; atque adeo advecta fuit imago anno CDXLIII. Verum hæcciuc * revelationes, præcipue his temporibus, et dæmonum testificationes, caute examinandæ sunt, et mature expendendæ : neque facile hominum quorumcumque revelationibus, aut dæmonum testimoniis fides adhibenda.

* *l.* hujusmodi *vel* hæ

loca quædam

839 *Joannes Baptista Gramaye in Africa illustrata lib. 5, cap. 3 varia assignat loca, quæ in Numidia Mauris etiam in veneratione sunt ob* B S. Augustini *memoriam :* Patria, *inquit*, Augustino fuit Tagastiense opidum Numidiæ.. Opidi nulla modo supersunt vestigia, incisum interim in rupe antrum superest, et a Mauris colitur memoriæ B. Augustini, ubi natum addunt. Et solent pridem Horamenses presidiarii bis annuatim, scilicet Idibus Novembris et v Kal. Septembris (*id est, die, quo natus, et quo defunctus est Sanctus*) illuc se conferre, et Rem divinam peragere. Superest enim ara mediocris, ad quam gradibus quatuor ascenditur, in quorum infimo foramen rotundum lapidi incisum, in quod oleo Arabes defuso votivam lucem accendunt, et sterilitatis tempore preces fundunt, opem salutarem pluries experti. Ara porro non adhæret parieti, sed circumiri potest, reliquiæque picturarum alibi conspiciuntur in parietibus et fornice. Statuam etiam Augustini infulati, albisque amicti et cincti, raræ antiquitatis ibidem se vidisse, testatus mihi est Fr. Hieronymus Hiurada Horamensis, Ordinis B. Mariæ de Mercede Religiosus, summa mihi junctus necessitudine Argellæ, e cujus amplius relatu ipsum specum per Garsiam Pamano servum, etiam oculatum testem, delineatum rudi- C ter curiose asservo. *Hactenus laudatus scriptor, qui* Horamenses *vocat Orani incolas. Oranum autem tunc erat sub Hispanorum rege, prout hodie, adeoque ejus præsidiarii erant Hispani.*

in Africa,

840 *Post alia quædam Gramaye alium assignat locum*, Augustini *memoria venerabilem, his verbis :* Monstrant citra Rubricati ripas Mauri in rupe, juxta vicum, gentilitia voce CUASA dictum, incisum lectisternium, quod honorant, et credunt Augustini esse, et ulcerosos infantes imponi mos habet, certissimo, ut aiunt, valetudinis recuperandæ solatio; prout a Joseph Dominici mercatore, inter Arabes pronuper captivo, oculato teste miraculorum, Argellæ didici. *Refert hæc Gramaye ad primam sancti solitudinem, in qua vixit, antequam Hippone presbyter ordinaretur a Valerio. Subjungit deinde rudera, ut putat, primi monasterii, prope Hipponem structi :* Locus, *inquit*, et rudera hujus monasterii supersunt, et in summa apud incolas veneratione, eo quod non tantum referant, nulli bruto, si forte intra septa progrediatur, integrum esse sanum egredi, sed etiam credant, animalia venenata nulla, nec vero aves umquam nidis suis istum locum polluisse. Est in proximo ejus Mauri divitis palatium, et retulerunt mihi D servi aliquot ejus, frequenter se luminaria ibidem per noctem vidisse, et symphonias imo angelicas ab ipsis Mauris subinde auditas Kalendis Julii.

in quibus vigu

841 Hæc, *inquit*, initia monachorum Africæ, quos in eremos a persecutione Wandalica profugos, Eremitas vocavit posteritas, diversos a Clericis, quorum etiam vitam . . . ad normam in Italia servatam revocavit.. Rudera etiam hujus loci (*monasterii Clericis conditi*) et quædam ædificia supersunt haud procul a mozquetta secundaria, nobis visa, et spectabile antiquitatis sacellum prope ergastulum Mauri Ramirez cum ara, et superne tabula veteri : ubi sanctus Pontifex, obsidentibus civitatem Wandalis, lecto moribundus decumbit mitratus, et brachiis candida vestitis et super stragulo extensis, astante ad pedes turba Religiosorum pellibus involutorum, et crucem eorum uno erectam tenente, antrorsum autem aliis superpelliceo seu rocheto indutis, nigro habitu subtus prominente. Qui et genuflexi, et corona caput insigniente, ut apparebat, unusque codicem lecto innixus apertum tenebat. . . .

Sancti memoria.

E 842 Quod autem Hippone mansit reliquum hujus magni Antistitis et doctoris Ecclesiæ, præter monasteria supradicta, est inscriptio vetus ad latus mozquettæ exterius versus Meridiem, ubi incisæ saxo litteræ fuerunt olim et figura episcopi, restantibus adhuc infula et parte baculi pastoralis litterisque his Gothicis AU, cum reliqua essent obsoleta. Et Judæorum aliqui asseruerunt mihi, ab interiori parte opposita templi juxta columnam esse saxum sepulcrale, ubi putent Augustinum sepultum fuisse, et Mauri credunt Morabuti ille cæsi esse memoriam, non autem sepulcrum. Præterea docuit me Hipponensis presbyter, Kalendis Julii a monticolis quibusdam choreas quotannis agi solere, et corollis arbores ornari ad memoriam cujusdam magni prophetæ Hipponensis, quem KUAST vocant, nomine verosimiliter corrupto ex GUST, quod Augustinum Gothis contracte sonabat. *Hæc laudatus Gramaye, quæ manifestum faciunt, memoriam* S. Augustini *non omnino excidisse in Africa. Quam veræ aut certæ sint hæ Afrorum traditiones, non inquiro. Addit hisce laudatus scriptor fabel-* F *las quasdam Maurorum, quas prætermitto : uti et Azuages, qui genus suum ad* Augustinum *referunt. Nec lubet illos refutare, qui affinitatem regum Hispaniarum, aliorumque cum* Augustino *ostendere conati sunt, ut refert eodem capite : illi enim ridendi potius sunt quam refutandi.*

ACTA

A

ACTA PRIORA

SIVE

PRIMA VITÆ PARS,

Ab infantia usque ad trigesimum tertium ætatis annum,

AUCTORE IPSO S. AUGUSTINO,

Excerpta ex novem prioribus libris Confessionum ejus,quas anno 1650 Balthasar Moretus Antverpiæ edidit.

B

CAPUT I.

Sancti infantia, pueritia, morbus, et consueta hujus ætatis vitia.

Liber I. Caput VI. *Augustinus infantiæ suæ immemor*

Confiteor tibi, Domine cæli et terræ, laudem dicens tibi de primordiis et iufantia mea, quæ non memini : et dedisti ea homini ex aliis de se conjicere, et auctoritatibus etiam mulier cularum, multa de se credere. . . Hanc ergo, ætatem, Domine, qua me vixisse nou memini, de qua aliis credidi, et quam me egisse ex aliis infantibus conjeci; quamquam ista multum fida conjectura sit, piget me annumerare huic vitæ meæ, qua vivo in hoc sæculo. Quantum enim attinet ad oblivionis meæ tenebras, par illi est, qua vixi in matris utero. Quod si et in iniquitate conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit, ubi oro te, Deus meus, ubi, Domine, ego servus tuus, ubi aut quando inuocens fui? Sed ecce omitto illud tempus. Et quid mihi jam cum eo est, cujus nulla vestigia recolo?

VII.

C

VIII. *describit pueritiam,*

2 Nonne ab infautia huc pergeus veni iu pueritiam; vel potius ipsa in me veuit, et successit infantiæ? Nec discessit illa (quo enim abiit?) et tamen jam non erat. Non enim eram infaus, qui non farer, sed jam puer loquens eram : et memini hoc; et unde loqui didiscerim post adverti. Non enim docebant me majores homines, præbentes mihi verba certo aliquo ordine doctrinæ, sicut paulo post litteras : sed ego ipse mente, quam dedisti mihi, Deus meus, cum gemitibus et vocibus variis, et variis membrorum motibus edere vellem sensa cordis mei, ut voluntati pareretur; nec valerem quæ volebam omnia; nec quibus volebam, omnia præstabam * memoria; cum ipsi appellabant rem aliquam, et cum secundum eam vocem corpus ad aliquid movebant, videbam, et tenebam hoc ab eis vocari rem illam, quod sonabant, cum eam vellent ostendere.

* al. prensabam

3 Hoc autem eos velle, ex motu corporis aperiebatur; tamquam verbis naturalibus omnium gentium, quæ fiunt vultu et nutu oculorum, ceterorumque membrorum actu, et sonitu vocis indicante affectionem animi in petendis, habendis, rejiciendis, faciendisve rebus. Ita verba in variis sententiis locis suis posita, et crebro audita, quarum rerum signa essent paulatim colligebam, measque jam voluntates, edomito in eis signis ore, per hæc enunciabam. Si cum his, iuter quos eram, voluntatum enunciandarum signa communicavi, et vitæ humanæ procellosam societatem altius ingressus sum, pendens ex parentum auctoritate, nutuque majorum hominum.

A. ipso S. Augustino. *in qua loqui didicit.*

IX. *Deinde narrat,*

4 Deus Deus meus, quas ibi miserias expertus sum et ludificationes, quandoquidem recte vivere mihi puero id proponebatur, obtemperare monentibus, ut in hoc sæculo florerem, et excellerem linguosis artibus, ad honorem hominum et falsas divitias famulantibus. Inde ad scholam datus sum, ut discerem litteras, in quibus quid utilitatis esset, ignorabam miser; et tamen, si segnis in discendo essem, vapulabam. Laudabatur enim hoc a majoribus : et multi ante nos vitam istam agentes præstruxerant ærumnosas vias, E per quas transire cogebamur multiplicato labore et dolore filiis Adam.

quomodo ad scholas missus

5 Invenimus autem, Domine, homines rogantes te; et didicimus ab eis, sentientes te (ut poteramus) esse magnum aliquem, qui posses, etiam non apparens sensibus nostris, exaudire nos et subvenire nobis. Nam puer cœpi rogare te, Auxilium et refugium meum; et in tuam invocationem rumpebam nodos linguæ meæ : et rogabam te parvus, non parvo affectu, ne in schola vapularem. Et cum me non exaudiebas (quod non erat ad insipientiam mihi) ridebantur a majoribus hominibus, usque ab ipsis parentibus, qui mihi accidere mali nihil volebant, plagæ meæ, magnum tunc et grave malum meum. Estne quisquam, Domine, tam magnus animus, prægrandi affectu tibi cohærens; estne, inquam, quisquam? (Facit enim hoc quædam etiam stoliditas.) Est ergo, qui tibi pie cohærendo ita sit affectus granditer, ut eculeos et ungulas atque hujuscemodi varia tormenta, pro quibus effugiendis tibi per universas terras cum timore magno supplicatur, ita parvi æstimet, irridens eos, qui hæc acerbissime formidant, quemadmodum parentes F nostri ridebant tormenta, quibus pueri a magistris affligebamur? Non enim aut minus ea metuebamus, aut minus te de his evadendis deprecabamur; et peccabamus tamen minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de litteris, quam exigebatur a nobis.

ob amorem ludendi

6 Non enim deerat, Domine, memoria vel ingenium, quæ nos habere voluisti pro illa ætate; sed delectabat nos satis ludere, et vindicabatur in nos ab eis, qui talia utique agebant. Sed majorum nugæ, negotia vocantur: puerorum autem talia cum sint, puniuntur a majoribus : et nemo miseratur pueros, vel illos, vel utrosque. Nisi vero approbet quisquam bonus rerum arbiter vapulasse me, qui ludebam pila puer, et eo ludo impediebar, quo minus celeriter discerem litteras, quibus major deformius luderem. Haud aliud faciebat idem ipse, a quo vapulabam : qui si in aliqua quæstiuncula a conductore suo victus esset, magis bile atque invidia torquebatur, quam ego, cum in certamine pilæ a collusore meo superabar.

jussa parentum neglexerit,

7 Et tamen peccabam, Domine Deus, ordinator et creator omnium rerum naturalium, peccatorum

A ipso S. Augustino. a

rum autem tantum non *a* ordinator. Domine Deus meus, peccabam faciendo contra præcepta parentum et magistrorum illorum. Poteram enim postea bene uti litteris, quas volebant ut discerem quocumque animo illi mei. Non enim meliora eligens eram inobediens, sed amore ludendi, amans in certaminibus superbas victorias, et scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent ardentius, eadem curiositate magis magisque per oculos periculosa micante in spectacula ludosque majorum, quos tamen qui edunt, ea dignitate præditi excellunt, ut hoc pæne omnes optent parvulis suis; quos tamen cædi libenter patiuntur, si spectaculis talibus impediantur a studio, quo eos ad talia edenda cupiunt pervenire. Vide ista, Domine, misericorditer, et libera nos jam invocantes te; libera etiam eos, qui nondum te invocant, ut invocent te, et liberes eos.

XI. ægrotans petierit baptisma, b

8 Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem Filii tui Domini Dei nostri, descendentis ad superbiam nostram; et signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale, jam inde ab utero matris *b* meæ, quæ multum speravit in te. Vidisti, Domine, B cum adhuc puer essem, et quodam die pressus stomachi dolore, repente æstuarem pæne moriturus. Vidisti, Deus meus, quoniam custos meus jam eras, quo motu animi et qua fide baptismum Christi tui, Dei et Domini mei, flagitavi a pietate matris meæ, et matris omnium nostrum Ecclesiæ tuæ. Et conturbata mater carnis meæ, quoniam et sempiternam salutem meam carius parturiebat corde casto in fide tua, jam curaret festinabunda, ut Sacramentis salutaribus initiarer et abluerer, te, Domine Jesu, confitens in remissionem peccatorum, nisi statim recreatus essem.

quod tamen dilatum est,

9 Dilata est itaque mundatio mea; quasi necesse esset, ut adhuc sordidarer, si viverem; quia videlicet post lavacrum illud major et periculosior in sordibus delictorum reatus foret. Ita jam credebam, et illa, et omnis domus, nisi pater *c* solus; qui tamen non evicit in me jus maternæ pietatis, quo minus in Christum crederem, sicut ille nondum crediderat. Nam illa satagebat, ut tu mihi pater esses, Deus meus, potius quam ille; et in hoc adjuvabas eam, ut superaret virum, cui melior serviebat; quia et in hoc tibi, C utique id jubenti, serviebat. Rogo te, Deus meus, vellem scire, si tu etiam velles, quo consilio dilatus sum, ne tunc baptizarer: utrum bono meo mihi, quasi laxata sint lora peccandi, an non laxata sint. Unde ergo etiam nunc de aliis atque aliis sonat undique in auribus nostris, Sine illum, faciat quod vult; nondum enim baptizatus est: et tamen in salutem corporis non dicimus, Sine, vulneretur amplius; nondum enim sanatus est? Quanto ergo melius *d*, ut cito sanarer, et id ageretur mecum meorum meaque diligentia, ut recepta salus animæ meæ tuta esset tutela tua, qui dedisses eam! Melius vero. Sed quot et quanti fluctus impendere tentationum post pueritiam videbantur: noverat eos jam illa mater, et terram *e* magis per eos, unde postea formarer, quam ipsam jam effigiem committere volebat.

XII. et ad prima litterarum studia cogi debuerit

10 In ipsa tamen pueritia (de qua mihi minus quam de adolescentia metuebatur) non amabam litteras, et me in eas urgeri oderam: et urgebar tamen, et bene mihi fiebat, nec faciebam ego bene; non enim discerem, nisi cogerer. Nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est, quod facit. Nec qui me urgebant, benefaciebant; sed bene mihi fiebat abs te, Deus meus. Illi D enim non intuebantur, quo referrem, quod me discere cogebant, præterquam ad satiandas insatiabiles cupiditates copiosæ inopiæ, et ignominiosæ gloriæ. Tu vero, cui numerati sunt capilli capitis nostri, errore omnium, qui mihi instabant ut discerem, utebaris ad utilitatem meam; meo autem, qui discere nolebam, utebaris ad pœnam meam; quia plecti non eram indignus tantillus puer, et tantus peccator. Ita de non benefacientibus tu benefaciebas mihi; et de peccante meipso, juste retribuebas mihi. Jussisti enim, et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.

ANNOTATA.

a *Rectius videtur legi in editione Parisiensi, curata per Monachos Benedictinos Congregationis S. Mauri hoc modo:* Peccatorum autem tantum ordinator, *sine* non. *Sic idem sanctus Doctor lib.* XI *de Civitate Dei ait:* Sed Deus, sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator, *subdens ad expositionem hæc verba:* Ut cum malæ illæ utuntur E naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis. *Sensus itaque est, quod Deus ex ipsis etiam peccatis bonum eliciat.*

b *De S. Monica,* Augustini *matre, actum est apud Nos tom.* I *Maii a pag.* 473, *seu ad diem* 4 *ejusdem mensis, quo colitur.*

c *De Patricio Sancti patre, ad fidem deinde converso, dicta sunt quædam in Commentario prævio num.* 24 *et seqq.*

d *Clare hic improbat* S. Augustinus *consuetudinem multorum suis temporis, qui baptismum diu differebant.*

e *Varia hic occurrit lectio. Editio Lovaniensis, aliæque habent:* Et tibi tam eos *etc. Sed mendose, opinor. Quippe videtur* terram, *informem nempe, opponere* effigiei, *id est, hominem baptismo non ablutum homini baptizato. Benedictini autem S. Mauri testantur* terram *legi in plerisque Mss., sed* magis *illi omittunt, et subintelligendum putant.*

CAPUT II.

F

Studium litterarum humaniorum, odium linguæ Græcæ, et amor poeticarum fabularum.

XIII. Litteris Græcis primisque studiis

Quid autem erat causæ, cur Græcas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi satis exploratum est. Adamaveram enim Latinas, non quas primi magistri, sed quas docent qui Grammatici vocantur. Nam illas primas, ubi legere et scribere et numerare discitur, non minus onerosas pœnalesque habebam, quam omnes Græcas. Unde tamen et hoc, nisi de peccato et vanitate vitæ? quia caro eram, et spiritus ambulans et non revertens. Nam utique meliores, quia certiores erant primæ illæ litteræ, (quibus fiebat in me, et factum est, et habeo illud, ut et legam, si quid scriptum invenio, et scribam ipse, si quid volo) quam illæ, quibus tenere cogebar Æneæ *a* nescio cujus errores, a

A res, oblitus errorum meorum; et plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem; eum interea meipsum in his a te morientem, Deus vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante seipsum; et flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te?

quibus pueros imbui necesse est,

12 Deus lumen cordis mei, et panis oris intus animæ meæ, et virtus maritans mentem meam et sinum cogitationis meæ, non te amabam: et fornicabar abs te, et fornicanti sonabat undique, Euge, euge. Amicitia enim hujus mundi, fornicatio est abs te: et euge, euge dicitur, ut pudeat si non ita homo sit. Et hæc non flebam; sed flebam Didonem extinctam, ferroque extrema secutam; sequens ipse extrema condita tua relicto te, et terra iens in terram: et si prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem, quod dolerem. Talis dementia honestiores et uberiores litteræ putabantur, quam illæ, quibus legere et scribere didici.

ut recte legant, scribant, ac computent,

B 13 Sed nunc in anima mea Deus meus clamet, et veritas tua dicat mihi: Non est ita, non est ita; melior est prorsus doctrina illa prior. Nam ecce paratior sum oblivisci errores Æneæ, atque omnia ejusmodi, quam scribere et legere. At enim vela pendent liminibus grammaticarum scholarum; sed non illa magis honorem secreti, quam tegumentum erroris significant. Non clament adversum me, quos jam non timeo, dum confiteor tibi, quæ vult anima mea, Deus meus, et acquiesco in reprehensione malarum viarum mearum, ut diligam bonas vias tuas. Non clament adversum me venditores grammaticæ, vel emptores: quia si proponam eis interrogans, utrum verum sit quod Æneam aliquando Carthaginem *b* venisse Poëta dicit; indoctiores se nescire respondebunt, doctiores autem etiam negabunt verum esse.

b

inutilia poetarum figmenta præferebat,

14 At si quæram, quibus litteris scribatur Æneæ nomen, omnes mihi, qui hæc didicerunt, verum respondent secundum id pactum et placitum, quo inter se homines ista signa firmarunt. Item si quæram, quid horum majore vitæ hujus incommodo quisque obliviscatur, legere et scribere, an poetica illa figmenta; quis non videat C quid responsurus sit, qui non est penitus oblitus sui? Peccabam ergo puer, cum illa inania istis utilioribus amore præponebam: vel potius ista oderam, illa amabam. Jam vero unum et unum duo, duo et duo quatuor, odiosa cantio mihi erat; et dulcissimum spectaculum vanitatis, equus ligneus *c* plenus armatis, et Troiæ incendium, atque ipsius umbra Creüsæ.

XIV. quantumque oderat linguam Græcam,

15 Cur ergo Græcam etiam grammaticam oderam, talia cantantem? Nam et Homerus peritus texuit tales fabellas, et dulcissime vanus est; mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam Græcis pueris Virgilius ita sit, cum eum sic discere coguntur, ut ego illum, videlicet difficulter. Difficultas omnino ediscendæ peregrinæ linguæ quasi felle aspergebat omnes suavitates Græcas fabulosarum narrationum. Nulla enim verba illa noveram, et sævis terroribus ac pœnis, ut nossem, instabatur mihi vehementer. Nam et Latina aliquando (infans utique) nulla noveram: et tamen advertendo didici, sine ullo metu atque cruciatu, inter etiam blandimenta nutricum *d*, et joca arridentium, et lætitias alludentium.

d

16 Didici vero illa sine pœnali onere urgentium, cum me urgeret cor meum ad parienda concepta sua: et quia non esset, nisi aliqua verba didicissem, non a docentibus, sed a loquentibus, in quorum et ego auribus parturiebam quidquid sentiebam. Hinc satis elucet, majorem habere vim ad discenda ista liberam curiositatem, quam meticulosam necessitatem . . . Domine, Rex meus, tibi serviat quidquid utile puer didici, tibi serviat quod loquor, et scribo, et lego, et numero. Quoniam cum vana discerem, tu disciplinam dabas mihi: et in eis vanis peccata delectationum mearum dimisisti mihi. Didici enim in eis multa verba utilia: sed et in rebus non vanis disci possunt; et ea via tuta est, in qua pueri ambularent.

A. ipso S. Augustino. quæ ei difficilis apparebat, XV.

*XVI. tantum delectabatur lascivis fabulis, * i. e. navem*

17 Sed væ tibi flumen moris humani! Quis resistet tibi? Quamdiu non siccaberis? Quousque volves Hevæ filios in mare magnum et formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum * conscenderint? Nonne ego in te legi et tonantem Jovem et adulterantem? Et utique non posset hæc duo; sed actum est, ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum *e* magistrorum audit aure sobria, ex eodem pulvere hominem clamantem et dicentem, Fingebat hæc Homerus, et humana ad deos transferebat: divina mallem ad nos. Sed verius dicitur, quod fingebat hæc quidem ille, sed hominibus flagitiosis divina tribuendo, ne flagitia putarentur; et ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes deos videretur imitatus. E

e

quas de Jovis adulterio

** al. supra*

18 Et tamen, o flumen tartareum! jactantur in te filii hominum cum mercedibus ut hæc discant: et magna res agitur, cum hoc agitur publice in foro, in conspectu legum super * mercedem salaria decernentium: et saxa tua percutis et sonas, dicens: Hinc verba discuntur: hinc acquiritur eloquentia, rebus persuadendis sententiisque explicandis maxime necessaria. Ita vero non cognosceremus verba hæc; imbrem aureum, et gremium, et fucum, et templa cæli, et alia verba, quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem, proponentem sibi Jovem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quamdam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Jovem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. F

libenter audiebat vel legebat:

19 Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cælesti magisterio. « At quem « Deum, inquit? Qui templa cæli summo so- « nitu concutit. Ego homuncio id non facerem? « Ego vero illud feci, ac libens ». Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba, quasi vasa electa atque pretiosa; sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus: et nisi biberemus, cædebamur; nec appellare ad aliquem judicem sobrium licebat. Et tamen ego, Deus meus, in cujus conspectu jam secura est recordatio mea, libenter hæc didici, et delectabar miser, et ob hoc bonæ spei puer appellabar.

XVII. ex quo studio id assecutus est,

20 Sine me, Deus meus, dicere aliquid et de ingenio meo, munere tuo, in quibus a me deliramentis atterebatur. Proponebatur enim mihi negotium animæ meæ, satis inquietum præmio laudis et dedecoris, vel plagarum metu, ut dicerem verba Junonis irascentis et dolentis, quod non posset Italia Teucrorum avertere regem, quæ numquam Junonem dixisse audieram: sed

A. IPSO S. AUGUSTINO.

sed figmentorum poeticorum vestigia errantes sequi cogebamur; et tale aliquid dicere solutis verbis, quale Poeta dixisset versibus. Et ille dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adumbratæ personæ, iræ ac doloris similior affectus eminebat, verbis sententias congruentes vestientibus. Ut quid mihi illud, o vera vita mea, Deus meus? Quid mihi recitanti acclamabatur præ multis coætaneis et conlectoribus meis? Nonne ecce illa omnia fumus et ventus? Itane aliud non erat, ubi exerceretur ingenium et lingua mea? Laudes tuæ Domine, laudes tuæ per Scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei; et non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus *f*. Non enim uno modo sacrificatur transgressoribus angelis.

XVIII *ut exemplo aliorum magis curaret*

21 Quid autem mirum quod in vanitates ita ferebar, et a te, Deus meus, ibam foras; quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala si cum barbarismo aut solœcismo enunciarent, reprehensi confundebantur? si autem libidines suas integris et rite consequentibus verbis copiose ornateque narrarent, B laudati gloriabantur? Vides hæc, Domine, et taces, longanimis et multum misericors et verax. Numquid semper tacebis? Et nunc eruis de hoc immanissimo profundo quærentem te animam, et sitientem delectationes tuas, et cujus cor dicit tibi; Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram. Nam longe a vultu tuo ieram in affectu tenebroso. Non enim pedibus et spatiis locorum itur abs te, aut reditur ad te. Aut vero filius ille tuus minor *g* equos aut currus vel naves quæsivit, aut avolavit penna visibili, aut moto poplite iter egit; ut in longinqua regione vivens, prodige dissiparet, quod dederas proficiscenti? Dulcis Pater, quia dederas, et egeno redeunti dulcior. In affectu ergo libidinoso; id enim est tenebroso, atque id est longe a vultu tuo.

observare leges Grammaticæ quam præcepta Dei,

22 Vide, Domine Deus, et patienter, ut vides, vide quomodo diligenter observent filii hominum pacta litterarum et syllabarum, accepta a prioribus locutoribus; et a te acccepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant: ut qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam grammaticam sine aspiratione primæ sylabæ OMINEM dixerit, magis displiceat C hominibus, quam si contra tua præcepta hominem oderit, cum sit homo. Quasi vero quemlibet inimicum hominem perniciosius sentiat, quam ipsum odium, quo in eum irritatur; aut vastet quisquam persequendo alium gravius, quam cor suum vastat inimicando. Et certe non est interior litterarum scientia, quam scripta conscientia, id se alteri facere, quod nolit pati. Quam tu secretus es, habitans in excelsis in silentio, Deus solus magnus, lege infatigabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Cum homo eloquentiæ famam quærit, astans ante hominem judicem, circumstante hominum multitudine, inimicum suum odio immanissimo infectans, vigilantissime cavet, ne per linguæ errorem dicat, INTER HOMINIBUS: et ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus, non cavet.

XIX *quæ crebris mendaciis,*

23 Horum ego puer morum in limine jacebam miser, et hujus arenæ palæstra erat illa, ubi magis timebam barbarismum facere, quam cavebam, si facerem, non facientibus hæc invidere. Dico hæc, et confiteor tibi, Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere tunc mihi erat honeste vivere. Non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam projectus eram ab oculis tuis. Nam in illis jam quid me fœdius fuit; D ubi etiam talibus displicebam, fallendo innumerabilibus mendaciis et pædagogum, et magistros, et parentes, amore ludendi, studio spectandi nugatoria, et imitandi ludicra inquietudine?

24 Furta etiam faciebam de cellario parentum et de mensa, vel gula imperitante, vel ut haberem, quod darem pueris, ludum suum mihi, quo pariter utique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiam ludo fraudulentas victorias, ipse vana excellentiæ cupiditate victus, sæpe aucupabar. Quid autem tam nolebam pati, atque atrociter si deprehenderem arguebam, quam id, quod aliis faciebam? et si deprehensus arguerer, sævire magis quam cedere libebat. Istaue est innocentia puerilis? Non est, Domine, Domine, non est, oro te, Deus meus. Nam hæc ipsa sunt, quæ a pædagogis et magistris, a nucibus et pilulis et passeribus, ad præfectos et reges; aurum, prædia, mancipia: hæc ipsa omnino succedentibus majoribus ætatibus transeunt, sicuti ferulis majora supplicia succedunt....

furtis, aliisque peccatis violabat.

E

ANNOTATA.

a *De Ænea et Didone egit Virgilius in Æneïde.*

b *Assentiuntur* Augustino *eruditi plerique, qui probant Didonem trecentis fere annis Ænea antiquiorem.*

c *Hæ item decantatæ a Virgilio fabulæ. Porro hac Virgilianæ Æneïdos scientia egregie deinde usus est Sanctus, contra gentiles disputans in libris de Civitate Dei.*

d *Videlicet quia Latinus Sermo communis tunc erat in Africa, eo inductus a Romanis.*

e *Penulati dicuntur magistri artis grammaticæ, quia pallio utebantur vili, ut notat editor.*

f *Id est, aeris potestatibus.*

g *Filius prodigus Lucæ* 15, ỳ 13.

CAPUT III.

F

Deplorata adolescentiæ peccata, ac nominatim furtum, tunc ex malitia propter pravos sodales perpetratum.

LIB. II CAP. I *Deflet obscœna desideria* * *al. voluptates* * *al. quo*

Recordari volo transactas fœditates meas, et carnales corruptiones * animæ meæ; non quod * eas amem, sed ut amem te, Deus meus. Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura, et colligens me a dispersione, in qua frustatim discissus sum, dum ab uno te aversus, in multa evanui. Exarsi enim aliquando satiari in *a* inferis, in adolescentia; et silvescere ausus sum variis et umbrosis amoribus: et contabuit species mea, et computrui coram oculis tuis, placens mihi, et placere cupiens oculis hominum.

II *et alia hujusmodi peccata,*

26 Et quid erat quod me delectabat, nisi amare et amari? Sed non tenebatur modus ab animo usque ad animum, quatenus est luminosus limes amicitiæ: sed exhalabantur nebulæ de limosa concupiscentia carnis et scatebra pubertatis

A tatis ; et obnubilabant atque obfuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis a caligine libidinis. Utrumque in confuso æstuabat, et rapiebat imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite. Invaluerat super me ira tua, et nesciebam. Obsorduerам * stridore catenæ mortalitatis meæ, pœna superbiæ animæ meæ, et ibam longius a te, et sinebas; et jactabar, et effundebar, et diffluebam, et ebulliebam per fornicationes meas, et tacebas. O tardum gradum meum! Tacebas tunc, et ego ibam porro longe a te in plura et plura sterilia semina dolorum, superba dejectione et inquieta lassitudine.

* al. obsurdueram

27 Quis mihi moderaretur * ærumnam meam, et novissimarum rerum fugaces pulchritudines in usum verteret, earumque suavitatibus metas præfigeret, ut usque ad conjugale litus exæstuarent fluctus ætatis meæ, si tranquillitas in eis non poterat esse, fine procreandorum liberorum contenta, sicus præscribit lex tua, Domine, qui formas etiam propaginem mortalitatis * nostræ, potens imponere lenem manum, ad temperamentum spinarum a paradiso tuo seclusarum? Non B enim longe est a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe sumus a te : aut certe sonitum nubium tuarum vigilantius adverterem : Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Et, Bonum est homini mulierem non tangere. Et, Qui sine uxore est, cogitat ea, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo : qui autem matrimonio junctus est, cogitat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.

quæ adolescentiam ingressus, * al. modularetur

* al. mortis

28 Has ergo voces exaudirem vigilantior, et abscissus propter regnum cælorum, felicior expectarem amplexus tuos. Sed efferbui miser, sequens impetum fluxus mei, relicto te; et excessi omnia legitima tua, nec evasi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer sæviens, et amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem sine offensione jucundari. Et ubi hoc possem, non invenirem quidquam præter te, Domine, præter te, qui fingis dolorem in præcepto, et percutis, ut sanes, et occidis nos, ne C moriamur abs te. Ubi eram, et quam longe exulabam a deliciis domus tuæ anno illo sexto decimo ætatis carnis meæ, cum accepit in me sceptrum, et totas manus ei dedi vesaniæ libidinis, licentiosæ per dedecus humanum, illicitæ autem per leges tuas? Non fuit cura meorum ruentem excipere me matrimonio ; sed cura fuit tantum, ut discerem sermonem facere quam optimum, et persuadere dictione.

anno ætatis suæ decimo sexto admisit,

29 Et anno quidem illo intermissa erant studia mea, dum mihi reducto e Madauris *b* (in qua vicina urbe jam cœperam litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari) longinquioris apud Carthaginem *c* peregrinationis sumptus præparabantur, animositate magis quam opibus patris, municipis Thagastensis admodum tenuis *d*. Cui narro hæc? Neque enim tibi, Deus meus; sed apud te narro hæc generi meo, generi humano, quantulacumque ex particula incidere potest in istas meas litteras. Et ut quid hoc? Ut videlicet ego et quisquis hæc legit, cogitemus de quam profundo clamandum sit ad te. Et quid propius auribus tuis, si cor confitens et vita ex fide est? Quis enim hominum non extollebat laudibus tunc patrem meum, quod ultra vires rei familiaris suæ impenderet filio, quidquid etiam longe peregrinanti studiorum causa opus esset? Multorum enim civium longe opulentiorum nullum tale negotium pro liberis erat; cum interea non satageret idem pater, qualis crescerem tibi, aut quam castus essem, dummodo essem disertus, vel desertus potius a cultura tua, Deus, qui es unus, verus et bonus Dominus agri tui, cordis mei.

um dum studia tantisper intermitteret, *b* *c* *d*

A. IPSO S. AUGUSTINO.

30 Sed ubi sexto illo decimo anno, interposito otio ex necessitate domestica feriatus ab omni schola, cum parentibus esse cœpi, excesserunt caput meum vepres libidinum, et nulla erat eradicans manus. Quinimo, ubi me ille pater in balneis vidit pubescentem, et inquieta indutum adolescentia, quasi jam ex hoc in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit, gaudens vinolentia, in qua te iste mundus oblitus est Creatorem suum, et creaturam tuam pro te amavit de vino invisibili perversæ atque inclinatæ in ima voluntatis * suæ. Sed matris in pectore jam inchoaveras templum tuum, et exordium sanctæ habitationis tuæ. Nam ille adhuc catechumenus, et hoc recens erat. Itaque illa exiluit pia trepidatione ac tremore : quamvis mihi nondum fideli, timuit tamen vias distortas, in quibus ambulant, qui ponunt ad te tergum et non faciem. E

patre hanc morum corruptionem parum curante,

* al. voluptatis

31 Hei mihi! et audeo dicere tacuisse te, Deus meus, cum irem abs te longius? Itane tu tacebas tunc mihi? Et cujus erant nisi tua verba illa per matrem meam fidelem tuam, quæ cantasti in aures meas? Nec inde quidquam descendit in cor meum, ut facerem illud. Volebat enim illa, et secreto, memini, ut monuerit cum solicitudine ingenti, ne fornicarer, maximeque ne adulterarem cujusquam uxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, et nesciebam : et te tacere putabam, atque illam loqui, per quam mihi tu non tacebas : et in illa contemnebaris a me, a me filio ejus, filio ancillæ tuæ, servo tuo. Sed nesciebam; et præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam eos jactitantes flagitia sua, et tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent : et libebat facere non solum libidine facti, verum etiam laudis.

et ab illis vitiis frustra dehortante matre,

32 Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego, ne vituperarer, vitiosior fiebam; et ubi non suberat, quo admisso æquarer perditis, fingebam, me fecisse, quod non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior; et ne F vilior haberer, quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, et volutabar in cœno ejus tamquam in cinnamomis et unguentis pretiosis. Et in umbilico ejus quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus invisibilis, et seducebat me, quia ego seductilis eram. Non enim et illa, quæ jam de medio Babylonis fugerat, sed ibat in ceteris ejus tardior mater carnis meæ, sicut monuit me, pudicitiam ita curavit, quod de me a viro suo audierat. Jamque pestilentiosum et in posterum periculosum sentiebat, coërcere termino conjugalis affectus, si resecari ad vivum non poterat. Non curavit hoc, quia metus erat, ne impediretur spes mea compede uxoria; non spes illa, quam in te futuri sæculi habebat mater, sed spes litterarum, quas ut nossem, nimis volebat parens uterque. Ille, quia de te prope nihil cogitabat, de me autem inania; illa autem, quia non solum nullo detrimento, sed etiam nonnullo adjumento ad te adipiscendum profutura existimabat usitata illa studia doctrinæ. Ita enim conjicio, recolens ut possum

cujus pia monita flocci pendebat.

A. ipso S. Augustino. sum mores parentum meorum. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ, ultra temperamentum severitatis in dissolutionem affectionum variarum, et in omnibus erat caligo intercludens mihi, Deus meus, serenitatem veritatis tuæ; et prodibat tamquam ex adipe iniquitas mea.

iv. *Præcipue deflet furtum,* 33 Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copiosus adactum inopia. Et ego furtum facere volui, et feci, nulla compulsus egestate nec penuria, sed fastidio justitiæ et sagina iniquitatis. Nam id furatus sum, quod mihi abundabat, et multo melius. Nec ea re volebam frui, quam furto appetebam, sed ipso furto et peccato. Arbor erat pyrus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quousque ludum de pestilentiæ more in areis produxeramus; et abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel projicienda porcis, etiamsi aliquid inde comedimus; B dum tamen fierit a nobis, quod eo liberet, quo non liceret.

quod contra consuetudinem hominum, 34 Ecce cor meum, Deus meus, ecce cor meum, quod miseratus es in imo abyssi. Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat, ut essem gratis malus, et malitiæ meæ causa nulla esset, nisi malitia fœda. Et amavi eam, amavi perire, amavi defectum meum; non illud, ad quod deficiebam, sed defectum ipsum meum amavi, turpis anima et dissiliens a firmamento tuo in exterminium, non v. dedecore aliquid, sed dedecus appetens... Cum itaque de facinore quæritur qua causa factum sit, credi non solet, nisi cum appetitus adipiscendi alicujus illorum bonorum, quæ infima diximus, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Pulchra sunt enim et decora; quamquam præ bonis superioribus et opibus beatificis abjecta et jacentia.

quibus aliquid in peccato apparet utile, 35 Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem aut prædium; aut voluit deprædari, unde viveret, aut timuit ab illo tale aliquid amittere, aut læsus ulcisci se exarsit. Num homicidium sine caussa faceret ipso homicidio C delectatus? Quis crediderit? Nam et de quo dictum est vecordi et nimis crudeli homine, quod gratuito potius malus atque crudelis erat, prædicta est tamen caussa, ne per otium (inquit) torpesceret manus aut animus. Quare id quoque? Cur ita? Ut scilicet illa exercitatione scelerum capta urbe, honores, imperia, divitias assequeretur; et careret metu legum, et difficultate rerum, propter inopiam rei familiaris, et conscientiam scelerum. Nec ipse igitur Catilina *c* amavit c facinora sua, sed utique aliud, cujus causa illa faciebat.

vi. *sine ulla sua utilitate* 36 Quid ergo miser in te amavi, o furtum meum, o facinus illud meum nocturnum sextidecimi anni ætatis meæ? Non enim pulchrum eras, cum furtum esses; aut vero aliquid es, ut loquar ad te? Pulchra erant poma illa, quæ furati sumus, quoniam creatura tua erant, pulcherrime omnium, Creator omnium, Deus bone, Deus summum bonum, et bonum verum meum. Pulchra erant illa poma, sed non ipsa concupivit anima mea miserabilis: erat enim mihi meliorum copia; illa autem decerpsi tantum, ut furarer. Nam decerpta projeci, epulatus; inde sola iniquitate, qua lætabar, fruens. Nam etsi quid illorum pomorum intravit in os meum, condi- D mentum ibi facinus erat...

37 O putredo, o monstrum vitæ, et mortis vii. profunditas! Potuitne libere, quod non licebat, *et ex mera* non ob aliud, nisi quia non licebat? Quid re- *malitia* tribuam Domino, quod recolit hœc memoria mea, et anima mea non metuit inde? * Diligam te * *al.* Inde Domine, et gratias agam, et confitear nomini diligam tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala et nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo, et quæcumque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimissa esse fateor, et quæ mea sponte feci mala, et quæ te duce non feci.

38 Quis est hominum, qui suam cogitans in- *patravit,* firmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem atque innocentiam suam, ut minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata conversis ad te? Qui enim vocatus a te secutus est vocem tuam, et vitavit ea, quæ me de meipso recordantem et fatentem legit, non me derideat ab eo Medico ægrum sanari, E a quo sibi præstitum est, ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Et ideo te tantumdem, imo vero amplius diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

39 Quem fructum habui miser aliquando in viii. iis, quæ nunc recolens erubesco, maxime in il- *ut pravis sodalibus* lo furto, in quo ipsum furtum amavi, nihil aliud; cum et ipsum esset nihil, et eo ipso ego miserior? Et tamen solus id non fecissem, sic recordor animum tunc meum, solus omnimodo id non fecissem. Ergo ibi amavi etiam consortium eorum *, cum quibus id feci. Non ergo ni- * *al.* reorum hil aliud quam furtum amavi; imo vero nihil aliud, quia et illud nihil est. Quid est revera? Quis est, qui doceat me, nisi qui illuminat cor meum, et discernit umbras ejus? Quid est quod mihi venit in mentem quærere, et discutere, et considerare? Quia si tunc amarem poma illa, quæ furatus sum, et eis frui cuperem, possem etiam solus, si satis esset committere illam iniquitatem, qua pervenirem ad voluptatem meam; nec con- F fricatione * consciorum animorum accenderem * *al.* confricationem pruritum * cupiditatis meæ. Sed quoniam in illis * *al.* pruritu pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipso facinore, quam faciebat consortium simul peccantium.

40 Quid erat ille affectus animi? Certe enim ix. *placeret.* plane turpis erat nimis, et væ mihi erat qui habebam illum. Sed tamen quid erat? Delicta quis intelligit? Risus erat quasi titillato corde, quod fallebamus eos, qui hæc a nobis fieri non putabant, et vehementer nolebant. Cur ergo eo me delectabat, quo id non faciebant solus? An quia etiam nemo facile solus ridet? Nemo quidem facile: sed tamen etiam solos et singulos homines, cum alius nemo præsens est, vincit risus aliquando, si aliquid nimis ridiculum vel sensibus accurrerit vel animo. At ego illud solus non facerem, non facerem omnino solus. Ecce est coram te, Deus meus, viva recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat, id quod furabar, sed quia furabar; quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis, investigabilis ex ludo et joco nocendi aviditas, et

A et alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine: sed cum dicitur, Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem... Defluxi abs te ego, et erravi, Deus meus, nimis devius a stabilitate tua in adolescentia, et factus sum mihi regio egestatis.

ANNOTATA.

a *Benedictini illud in expunxerunt*, juxta Mss., *inquiunt*, et Arn., *id est, Antonium Arnaldum.*

b *Madaura urbs fuit Numidiæ, vicina Tagastæ, ut hinc patet. Cellarius in Geographia antiqua, part.* 3, *pag.* 121 *de ea disputat, inquiritque an eadem sit cum Maduro.*

c *Carthago urbs erat Africæ notissima, ac Romæ quondam æmula, at deinde eversa est.*

d *Hæc quoque non congruunt cum amplis divitiis, quas patri* S. Augustini *attribuerunt aliqui in Commentario num.* 27.

e *De Catilina, qui consulibus Cicerone et Antonio ruinam meditabatur reipublicæ Romanæ, consuli potest Sallustius, cujus verba mox citavit.*

B

CAPUT IV.

Luxuriosa conversatio in urbe Carthaginensi, desiderium spectaculorum tragicorum, studia philosophica, et lectio sacræ Scripturæ ob simplicem stylum contempta.

Liber III. Cap. I. *Carthagine impuros amores suos* * *al.* amare

Veni Carthaginem, et circumstrepebat me undique sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam, et amari * amabam; et secretiore indigentia oderam me minus indigentem. Quærebam quod amarem, amans amari, et oderam securitatem, et viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, teipso, C Deus meus, et ea fame non esuriebam; sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium; non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior. Et ideo non bene valebat anima mea; et ulcerosa projiciebat se foras miserabiliter, scalpi avida contactu sensibilium. Sed si non haberent animam, non utique amarentur. Amare et amari dulce mihi erat magis, si etiam amantis corpore fruerer. Venam igitur amicitiæ coinquinabam sordibus concupiscentiæ, candoremque ejus obnubilabam de tartaro libidinis; et tamen fœdus atque inhonestus, elegans et urbanus esse gestiebam abundanti vanitate. Rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam, et quam bonus aspersisti; quia et amatus sum, et perveni occulte ad vinculum fruendi, et colligabar lætus ærumnosis nexibus, ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, et suspicionum, et timorum, et irarum atque rixarum. Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, et fomitibus ignis mei.

II. *nutriebat spectaculis theatralibus,*

42 Quid est quod homo ibi vult dolere, cum spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, et dolor ipse est voluptas ejus. Quid est, nisi miserabilis insania? Nam eo magis eis movetur quisque, quo minus a talibus affectibus sanus est: quamquam, cum ipse patitur, miseria; cum aliis compatitur, misericordia dici solet. Sed qualis tandem misericordia in rebus fictis et scenicis? Non enim ad subveniendum provocatur auditor, sed tantum ad dolendum invitatur: et auctori * earum imaginum amplius favet, cum amplius dolet. Et si calamitates illæ hominum vel antiquæ vel falsæ sic agantur, et qui spectat non doleat, abscedit inde fastidiens et reprehendens. Si autem doleat, manet intentus, et gaudens lacrymatur. Lacrymæ ergo amantur et dolores? Certe omnis homo gaudere vult. An, cum miserum neminem esse libeat, libet tamen esse misericordem? Quod quia non sine dolore est, hac una causa amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitiæ est.

A. ipso S. Augustino. * *al.* actori

in quibus per falsam misericordiam condolebat

43 Sed quo vadit? quo fluit? Ut quid decurrit in torrentem picis bullientis, æstus immanes tetrarum libidinum, in quos ipsa mutatur et vertitur per nutum proprium, de cœlesti serenitate detorta atque dejecta? Repudietur ergo misericordia? Nequaquam. Ergo amentur dolores aliquando. E Sed cave immunditiam, anima mea, sub tutore Deo meo, Deo Patrum nostrorum, et laudabili, et superexaltato in omnia sæcula, cave immunditiam: neque enim nunc non misereor; sed tunc in theatris congaudebam amantibus, cum sese fruebantur per flagitia, quamvis hæc imaginarie generentur in ludo spectaculi. Cum autem sese amittebant, quasi misericors contristabar, et utrumque me delectabat tamen. Nunc vero magis misereor gaudentem in flagitio, quam velut dura perpessum detrimento perniciosæ voluptatis, et amissione miseræ felicitatis.

infaustis amantium eventibus, * *al.* delectat dolor

44 Hæc certe verior misericordia, sed non in ea delectatur * cor. Nam etsi approbatur officio charitatis qui dolet miserum; mallet tamen utique non esse, quod doleret, qui germanitus misericors est. Si enim est malevola benevolentia, quod fieri non potest; potest et ille, qui veraciter sinceriterque miseretur, cupere esse miseros, ut misereatur. Nonnullus itaque dolor approbandus, nullus amandus est. Hoc enim tu, Do- F mine Deus, qui animas amas, longe lateque * purius quam nos et incorruptibilius misereris, quod nullo dolore sauciaris. Et ad hæc quis idoneus? At ego tunc miser dolere amabam, et quærebam ut esset, quod dolerem, quando mihi in ærumna aliena et falsa et saltatoria, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lacrymæ excutiebantur. Quid autem mirum, cum infelix pecus aberrans a grege tuo, et impatiens custodiæ tuæ, turpi scabie fœdarer? Et inde erant dolorum amores, non quibus altius penetrarer: (non enim amabam talia perpeti, qualia spectare) sed quibus auditis et fictis, tamquam in superficie raderer: quos tamen quasi ungues scalpentium fervidus tumor et tabes et sanies horrida consequebatur. Talis vita mea numquid vita erat, Deus meus?

* *al.* atque

III. *et in ipso templo fovebat malas cogitationes;*

45 Et circumvolabat super me fidelis a longe misericordia tua. In quantas iniquitates distabui, et sacrilegam curiositatem secutus sum, ut deserentem te deduceret me ad ima infida, et circumventoria obsequia dæmoniorum; quibus immolabam facta mea mala, et in omnibus flagellabas me. Ausus sum etiam in celebritate solemnitatum tuarum intra parietes ecclesiæ tuæ concupiscere, et agere negotium procurandi fructus mortis. Unde me verberasti gravibus pœnis: sed nihil

A ipso S. Augustino.

nihil ad culpam meam, o tu prægrandis misericordia mea, Deus meus, refugium meum a terribilibus nocentibus, in quibus vagatus sum præfidenti collo ad longe recedendum a te; amans vias meas et non tuas, amans fugitivam libertatem.

sed impudentes illusores seu eversores oderat,

46 Habebant et illa studia, quæ honesta vocabantur, ductum suum intuentem fora litigiosa, ut excellerem in eis, eo laudabilior, quo fraudulentior. Tanta est cæcitas hominum, de cæcitate etiam gloriantium. Et major jam eram in schola rhetoris, et gaudebam superbe, et tumebam typho; quamquam longe sedatior, Domine, tu scis, et remotus omnino ab eversionibus, quas faciebant eversores (hoc enim nomen sævum * et diabolicum velut insigne urbanitatis est) inter quos vivebam pudore impudenti, quia talis non eram: et cum eis eram, et amicitiis eorum delectabar aliquando, a quorum semper factis abhorrebam, hoc est, ab eversionibus; quibus proterve insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde pasceudo malevolas lætitias suas. Nihil B est illo actu similius actibus dæmoniorum. Quid itaque verius quam eversores vocarentur? Eversi plane prius ipsi atque perversi, deridentibus eos et seducentibus fallacibus occulte spiritibus, in eo ipso quod alios irridere amant et fallere.

* al. scævum

IV. *et ex quodam libro Ciceronis*

47 Inter hos ego imbecilla tunc ætate discebam libros eloquentiæ, in qua emiuere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanæ: et usitato jam discendi ordine perveneram in librum quemdam cujusdam Ciceronis; cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non ita: sed liber ille ipsius exhortationem continet ad Philosophiam, et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad teipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, et surgere jam cœperam, ut ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum ætatis undevigesimum, jam defuncto patre ante biennium. Non C ergo ad acuendam linguam referebam illum librum; neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat.

concepit desiderium sapientiæ,

48 Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam revolare a terrenis a te! et nesciebam quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiæ nomen Græcum habet Φιλοσοφίαν, quo me accendebant illæ litteræ. Sunt qui seducant per philosophiam, magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos; et prope omnes, qui ex illis et supra temporibus tales erant, notantur in eo libro et demonstrantur; et manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui per servum tuum bonum et pium: « Videte ne quis vos decipiat « per philosophiam et inanem seductionem, se« cundum traditionem hominum, secundum ele« menta hujus mundi, et non secundum Chri« stum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo « divinitatis corporaliter ». Et ego illo tempore, scis tu, lumen cordis mei, quoniam nondum mihi hæc Apostolica nota erant; hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quæcumque esset, sapientiam ut diligerem, et quærerem, et assequerer, et tenerem atque amplexarer. Fortiter excitabar sermone illo, accendebar et ardebam: et hoc solum me in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Christi non erat ibi. Quoniam D hoc nomen, secundum misericordiam tuam, Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui, in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum pie biberat, et alte retinebat; et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum et expolitum et veridicum, non me totum rapiebat.

V. *contempta tamen sacræ Scripturæ simplicitate.*

49 Itaque institui animum intendere in Scripturas sanctas, ut viderem, quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris; sed incessu humilem, successu excelsam, et velatam mysteriis: et non eram ego talis, ut intrare in ea possem, aut inclinare cervicem ad ejus ingressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam Scripturam; sed visa mihi est indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat, quæ cresceret cum parvulis. Sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar.

CAPUT V. E

Lapsus in hæresim Manichæorum, matris ejus ob hunc dolor precesque, et solatium divinitus ab ipsa obtentum.

VI. *In hæresim Manichæorum prolapsus,*

Itaque incidi in homines superbe delirantes, et carnales nimis, et loquaces; in quorum ore laquei diaboli, et viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, sed et Domini Jesu Christi, et Paracleti consolatoris Spiritus sancti. Hæc nomina * omnia non recedebant de ore eorum, sed sono tenus et strepitu linguæ, ceterum cor inane veri. Et dicebant: Veritas et veritas; et multi * eam dicebant mihi, et nusquam erat in eis; sed falsa loquebantur, non de te tantum, qui vere Veritas es, sed etiam de istis elementis hujus mundi, creaturis tuis; de quibus etiam vera F dicentes philosophos transgredi debui præ amore tuo, mi Pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O Veritas, veritas, quam intime etiam tunc medullæ animi mei suspirabant tibi, cum te illi sonarent mihi frequenter et multipliciter voce sola, et libris multis et ingentibus. Et illa erant fercula, in quibus mihi esurienti te, inferebantur pro te sol et luna, pulchra opera tua, sed tamen opera tua, non tu, nec ipsa prima. Priora enim spiritualia opera tua quam ista corporea, quamvis lucida et cælestia.

* al. hæc enim omnia

* al. multum

sequebatur eorum deliramenta,

51 At ego nec priora illa, sed teipsam, te Veritas, in qua non est commutatio, nec momenti obumbratio, et esuriebam et sitiebam: et apponebantur adhuc mihi in illis ferculis phantasmata splendida, quibus jam melius erat amare istum solem, saltem istis oculis verum, quam illa falsa animo decepto per oculos. Et tamen quia te putabam, manducabam; non avide quidem, qui nec sapiebas in ore meo sicuti es: neque enim tu eras illa figmenta inania, nec nutriebar ex eis, sed exhauriebar magis. Cibus in somnis simillimus est cibis vigilantium; quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim. At illa nec similia erant ullo modo tibi, sicut nunc mihi locuta es; quia

A quia illa erant corporalia phantasmata, falsa corpora, quibus certiora sunt vera corpora ista, quæ videmus visu carneo, sive cælestia, sive terrestria: cum pecudibus et volatilibus videmus hæc, et certiora sunt, quam cum imaginamur ea. Et rursus certius imaginamur ea, quam ex eis suspicamur alia grandiora et infinita, quæ omnino nulla sunt; qualibus ego tunc pascebar inanibus, et non pascebar.

quæ fabulis poëticis pejora erant,

52 At tu, Amor meus, in quem deficio, ut fortis sim, nec ista corpora es, quæ videmus, quamquam de cælo, nec ea es, quæ non videmus ibi: quia tu ista condidisti, nec in summis tuis conditionibus habes. Quanto ergo longe es a phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum, quæ omnino non sunt: quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorum, quæ sunt; et eis certiora corpora, quæ tamen non es: sed nec anima es, quæ vita est corporum. Ideo melior vita corporum certiorque, quam corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, vivens teipsa, et non mutaris vita animæ meæ. Ubi ergo mihi tunc eras, B et quam longe? Et longe peregrinabar abs te, exclusus et a siliquis porcorum, quos de siliquis pascebam. Quanto enim meliores grammaticorum et poëtarum fabellæ, quam illa decipula! Nam versus et carmen et Medea volans utiliores sunt certe, quam quinque elementa varie fucata, propter quinque antra tenebrarum, quæ omnio nulla sunt, et occidunt credentem. Nam versum et carmen etiam ad vera pulmenta * transfero. Volantem autem Medeam etsi cantabam, non asserebam; et si cantari audiebam, non credebam: illa autem credidi.

* al. elementa

VII. *ita ut crederet Deum corpore præditum,*

53 Nesciebam etiam aliud vere, quod est; et quasi acutule movebar, ut suffragarer stultis deceptoribus, cum a me quærerent, unde malum; et utrum forma corporea Deus finiretur, et haberet capillos et ungues; et utrum justi existimandi essent, qui haberent multas uxores simul, et occiderent homines, et sacrificarent de animalibus. Quibus rebus ignarus perturbabar: et recedens a veritate, ire in eam mihi videbar; quia non noveram malum non esse, nisi privationem boni, usque ad quod omnino non est. Quod unde viderem, cujus videre usque ad corpus erat oculis, et animo usque ad phantasma?

C

et irrideret justos veteres Testamenti

54 Et non noveram Deum esse spiritum, non cui membra essent per longum et latum, nec cui esse moles esset; quia moles in parte minor est quam in toto suo, et si infinita sit, minor est in aliqua parte, certo spatio definita, quam per infinitum: et non est tota ubique, sicut spiritus, sicut Deus. Et quid in nobis esset, secundum quod essemus similes Deo; et si recte in Scripturis diceremur ad imaginem Dei, prorsus ignorabam. Et non noveram justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum et dierum pro regionibus et diebus: cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter: secundum quam justi essent Abraham, et Isaac, et Jacob, et Moyses, et David, et illi omnes laudati ore Dei: sed eos ab imperitis judicari iniquos, judicantibus ex humano die, et universos mores humani generis ex parte moris sui metientibus: tamquam si quis nescius in armamentis, quid cuique membro accommodatum sit, ocrea velit caput contegi, et galea calceari, et murmuret, quod non apte conveniat: aut in uno die indicto a pomeridianis horis justitio, quisquam stomachetur non sibi concedi quid venale proponere, quia mane concessum est: aut in una domo videat aliquid tractari manibus a quoquam servo, quod facere non sinatur, qui pocula ministrat; aut aliquid post præsepia fieri, quod ante mensam prohibeatur; et indignetur, cum sit unum habitaculum et una familia, non ubique atque omnibus idem tribui.

A. ipso S. Augustino.

quia illis aliqua licebant,

55 Sic sunt isti, qui indignantur, cum audierint illo sæculo licuisse justis aliquid, quod isto non licet justis, et quia illis aliud præcepit Deus, istis aliud pro temporalibus causis, cum eidem justitiæ utrique servierint: cum in uno homine, et in uno die, et in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, et aliud jam dudum licuisse, et post horam non licere; quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in isto juste vetetur et vindicetur. Numquid justitia varia est et mutabilis? Sed tempora, quibus præsidet, non pariter eunt; tempora enim sunt. Homines autem, quorum vita super terram brevis est, quia sensu non valent causas contexere sæculorum priorum, aliarumque gentium, quas experti non sunt, cum his, quas experti sunt; in uno autem corpore E vel die vel domo facile possunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus personisve congruat: in illis offenduntur; his serviunt.

quæ nunc illicita sunt,

56 Hæc ego tunc nesciebam, et non advertebam; et feriebant undique ista oculos meos, et non videbam. Et cantabam carmina, et non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet, sed in alio atque alio metro, aliter atque aliter, et in uno aliquo versu non omnibus locis eumdem pedem. Et ars ipsa, qua canebam non habebat aliud alibi, sed omnia simul. Et non intuebar justitiam, cui servirent boni et sancti homines, longe excellentius atque sublimius habere simul omnia, quæ præcepit Deus, et nulla ex parte variari; et tamen variis temporibus non omnia simul, sed propria distribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcus pios patres, non solum sicut Deus juberet atque inspiraret utentes præsentibus, verum quoque sicut Deus revelaret futura prænuntiantes...

X. *et putaret, ficum plorare, dum decerpitur,*

57 Hæc ego nesciens irridebam illos sanctos servos et prophetas tuos. Et quid agebam, cum irridebam eos, nisi ut irriderer abs te, sensim atque paulatim perductus ad eas nugas, ut crederem ficum plorare, cum decerpitur, et matrem F ejus arborem lacrymis lacteis? Quam tamen ficum si comedisset aliquis sanctus, alieno sane non suo scelere decerptam, misceret visceribus, et anhelaret de illa angelos, imo vere particulas Dei gemendo in oratione atque ructando; quæ particulæ summi et veri Dei ligatæ fuissent in illo pomo, nisi electi Sancti dentre ac vente solverentur. Et credidi miser magis esse misericordiam præstandam fructibus terræ, quam hominibus, propter quos nascerentur. Si quis enim esuriens peteret, qui Manichæus non esset, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si ei daretur *a*.

a

XI. *ob quos errores mater ejus plorans,*

58 Et misisti manum tuam ex alto, et de hac profunda caligine eruisti animam meam, cum pro me fleret at te mater mea, fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide et spiritu, quem ex te habebat, et exaudisti eam, Domine. Exaudisti eam, nec despexisti lacrymas ejus, cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus in omni loco orationis ejus, et exaudisti eam. Nam unde

A. ipso S. Augustino. * al. me concederet

unde illud somnium, quo eam consolatus es, ut vivere me secum crederet *, et habere secum eamdem mensam in domo, quod nolle cœperat, aversans et detestans blasphemias erroris mei? Vidit enim stantem se in quadam regula lignea, et advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset mœrens et mœrore confecta. Qui cum causas quæsisset ab ea mœstitiæ suæ, quotidianarumque lacrymarum (docendi, ut assolet, non discendi gratia) atque illa respondisset, perditionem meam se plangere, jussisse illum, quo secura esset, atque admonuisse, ut attenderet et videret; ubi esset illa, ibi esse et me. Quod illa ubi attendit, vidit me juxta se in eadem regula stantem. Unde hoc, nisi quia erant aures tuæ ad cor ejus?

cœlesti visione recreatur,

59 O tu, bone Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures; et sic omnes, tamquam singulos. Unde illud etiam, quod cum mihi narrasset ipsum visum, et ego ad id trahere conarer, ut illa se potius non desperaret futuram esse, quod eram, continuo sine aliqua hæsitatione, Non, inquit; non enim
B mihi dictum est, Ubi ille, ibi et tu; sed, Ubi tu, ibi et ille. Confiteor tibi, Domine, recordationem meam, quantum recolo (quod sæpe non tacui) amplius me isto per matrem vigilantem responso tuo, quod tam vicina interpretationis falsitate turbata non est; et tam cito vidit, quod videndum fuit (quod ego certe, antequam dixisset, non videram) etiam tum commotum fuisse, quam ipso somnio, quo feminæ piæ gaudium tanto post futurum, ad consolationem tunc præsentis solicitudinis, tanto ante prædictum est. Nam novem ferme anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cum sæpe surgere conarer, et gravius allidercr, volutatus sum: cum tamen illa vidua casta, pia et sobria, quales amas, jam quidem spe alacrior, sed fletu et gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te. Et intrabant in conspectum tuum preces ejus, et me tamen dimittebas adhuc volvi et involvi illa caligine.

XII. *et ab episcopo quodam*

60 Et dedisti alterum responsum interim, quod recolo. Nam et multa prætereo, propter quod propero ad ea, quæ me magis urgent confiteri tibi, et multa non memini. Dedisti ergo alte-
C rum, per sacerdotem tuum quemdam episcopum, nutritum in Ecclesia et exercitatum in libris tuis. Quem cum illa femina rogasset, ut dignaretur mecum colloqui, et refellere errores meos, et dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, si quos forte idoneos invenisset) noluit ille, prudenter sane, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eo quod inflatus essem novitate hæresis illius, et nonnullis quæstiunculis jam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicaverat ei. Sed sine (inquit) illum ibi; tantum roga pro eo Dominum; ipse legendo reperiet, quis ille sit error et quanta impietas.

consolationem accipit.

61 Simul etiam narravit, se quoque parvulum a seducta matre sua datum fuisse Manichæis, et omnes pæne non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum; sibique apparuisse, nullo contra disputante et convincente, quam esset illa secta fugienda; itaque fugisse. Quæ cum ille dixisset, atque illa nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, et ubertim flendo, ut me videret, et mecum dissereret; ille jam substomachans tædio, Vade (inquit) a me, ita vivas: fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum D pereat. Quod illa ita se accepisse inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, acsi de cælo sonuisset.

ANNOTATIO.

a *De erroribus Manichæorum agitur in Commentario* § 10, *quem consule, ut relatis hoc capite lux accedat. De lapsu autem Augustini in illam hæresim disputatur* § 4.

CAPUT VI.

Aperta Manichæismi professio, magisterium rhetoricæ, filius ex concubina natus, spreta haruspicina; sed superstitiosa astrologiæ credulitas.

E

Liber IV. Cap. I. *Per novem annos ab hæreticis seductus,*

Per idem tempus annorum novem, ab undevicesimo anno ætatis meæ, usque ad duodetricesimum, seducebamur et seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus; et palam per doctrinas, quas liberales vocant, occulte autem falso nomine religionis: hic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani, ac popularis gloriæ sectantes inanitatem, usque ad theatricos plausus, et contentiosa certamina *, et agonem coronarum feminearum, et spectaculorum nugas, et intemperantiam libidinum. Illac autem purgari nos ab istis sordibus expetentes, cum eis, qui appellantur electi et sancti, afferremus escas, de quibus nobis in officina aqualiculi sui fabricarent angelos et deos, per quos liberaremur; et sectabar ista atque faciebam cum amicis meis, per me ac mecum deceptis.

* al. carmina

etiam alios seducit,

63 Irrideant me arrogantes, et nondum salubriter prostrati et elisi a te, Deus meus: ego tamen confiteor tibi dedecora mea in laude tua. Sine me, obsecro, et da mihi circuire præsenti memoria præteritos circuitus erroris mei, et immo- F lare tibi hostiam jubilationis. Quid enim ego sum mihi sine te, nisi dux in præceps? Aut quid sum, cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? Et quis homo est quilibet homo, cum sit homo? Sed irrideant nos fortes et potentes, nos autem infirmi et inopes confiteamur tibi.

II. *et Carthagine rhethoricam docens,*

64 Docebam illis in annis artem rhetoricam, et victoriosam loquacitatem victus cupiditate vendebam. Malebam tamen, Domine, tu scis, bonos habere discipulos, sicut appellantur boni; et eos sine dolo docebam dolos; non quibus contra caput innocentis agerent, sed aliquando pro capite nocentis. Et tu, Deus, vidisti de longinquo lapsantem in lubrico, et in multo fumo scintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magisterio diligentibus vanitatem, et quærentibus mendacium, socius eorum. In illis annis unam habebam, non eo, quod legitimum vocatur, conjugio cognitam, sed quam indagaverat vagus ardor inops prudentiæ: sed unam tamen, ei quoque servans thori fidem; in qua sane experirer exemplo meo, quid distaret inter conjugalis placiti modum, quod fœderatum esset generandi gratia,

A gratia, et pactum libidinosi amoris, ubi proles etiam contra votum nascitur, quamvis jam nata cogat se diligi.

abhorret ab haruspicina;

65 Recolo etiam, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem, ut vincerem; me autem fœda illa sacramenta detestatum et abominatum respondisse, Nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea necari sinerem. Necaturus enim erat ille in sacrificiis suis animantia, et illis honoribus invitaturus mihi suffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum non ex tua castitate * repudiavi, Deus cordis mei: non enim amare te noveram, qui nisi fulgores corporeos, cogitare non noveram. Talibus enim figmentis suspirans anima, nonne fornicatur abs te, et fidit in falsis, et pascit ventos? Sed videlicet sacrificari pro me nollem dæmonibus, quibus me illa superstitione ipse sacrificabam. Quid est enim aliud ventos pascere, quam ipsos pascere; hoc est errando eis esse B voluptati atque derisui?

** al. caritate*

*III. sed astrologiæ vanæ deditus, * al. planos, id est, impostores*

66 Ideo illos Planetarios *, quos Mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quod quasi eis nullum esset sacrificium, et nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigerentur: quod tamen Christiana et vera pietas consequenter repellit et damnat. Bonum est enim confiteri tibi, Domine, et dicere, Miserere mei, cura animam meam, quoniam peccavi tibi. Neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, sed meminisse Dominicæ vocis, Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Quam totam illi salubritatem interficere conantur, cum dicunt, De cælo tibi est inevitabilis causa peccandi; et, Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars: scilicet ut homo sine culpa sit caro et sanguis et superba putredo; culpandus sit autem cæli ac siderum Creator et ordinator. Et quis est hic, nisi Deus noster, suavitas et origo justitiæ, qui reddes unicuique secundum opera ejus, et cor contritum et humiliatum non spernis?

ab hac superstitione

67 Erat eo tempore vir sagax, medicinæ artis peritissimus, atque in ea nobilissimus; qui proconsul *a*, e manu sua coronam illam agonisticam imposuerat non sano capiti meo, sed non C ut medicus. Nam illius morbi tu sanator, qui resistis superbis, humilibus autem das gratiam. Numquid tamen etiam per illum senem defuisti mihi, aut destitisti mederi animæ meæ? Quia enim factus ei eram familiarior, et ejus sermonibus (erant enim sine verborum cultu, vivacitate sententiarum jucundi et graves) assiduus et fixus inhærebam; ubi cognovit ex colloquio meo, libris genethliacorum esse me deditum, benigne et paterne monuit, ut eos abjicerem, neque curam et operam, rebus utilibus necessariam, illi vanitati frustra impenderem; dicens ita se illam didicisse, ut victui suo ejus professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret, etsi Hippocratam intellexisset, et illas utique litteras potuisset intelligere; et tamen non ob aliam causam se postea illis relictis medicinam assecutum, nisi quod eas falsissimas comperisset, et nollet vir gravis decipiendis hominibus victum quærere. At tu, inquit, quo te in hominibus sustentes, rhetoricam tenes; hanc autem fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris sectaris; quo magis mihi te oportet de illa credere, qui eam tam perfecte discere elaboravi, quam ex ea sola vivere volui.

A IPSO S. AUGUSTINO. per amicos avelli non potest.

68 A quo ego cum quæsissem, quæ ergo causa faceret, ut multa inde vera pronunciarentur; respondit ille, ut potuit, vim sortis hoc facere in rerum natura usquequaque diffusam. Si enim de paginis poetæ cujuspiam longe aliud canentis atque intendentis, cum forte quis consuluit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret; mirandum non esse dicebat, si ex anima humana, superiore aliquo instinctu, nesciente quid in si fieret, non arte, sed sorte sonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisque concineret. Et hoc quidem ab illo vel per illum procurasti mihi, et quid ipse postea per meipsum quærerem, in memoria mea delineasti. Tunc autem nec ipse, nec charissimus meus Nebridius *b*, adolescens valde bonus et valde cautus, irridens totum illud divinationis genus, persuadere mihi potuerunt, ut hæc abjicerem; quoniam me amplius ipsorum auctorum movebat auctoritas; et nullum certum, quale quærebam, documentum adhuc inveneram, quo mihi sine ambiguitate appareret, quæ ab eis consultis vera dicerentur, forte vel forte, non arte inspectorum siderum dici.

ANNOTATA. E

a *Tillemontius tom.* 13 *Monumentorum a pag.* 28, *seu in* Augustino *artic.* 12 Vindicianum *fuisse existimat hunc medicum, qui proconsul creatus sit circa annum* 379, *aut* 388, *ut habet tom.* 6 *Imperatorum in Gratiano artic.* 6. *Plura de eo videri possunt utroque loco assignato. Nomen exponit ipse Sanctus infra num.* 158. *Eumdem laudat* Augustinus *in epistola* 5 *(in posteriori editione* 138*) ad Marcellinum.*

b *Nebridius hic inter præcipuos fuit* Augustini *amicos, de cujus morte agit inferius num.* 227, *nec dubitat asserere beatum esse.*

CAPUT VII.

Vehemens tristitia ex obitu amici, patria propter illam relicta, et ea occasione opusculum ab ipso conscriptum. F

IV. Tagastæ habuit amicum,

In illis annis, quo primum tempore in municipio *a*, quo natus sum, docere cœperam, comparaveram amicum societate studiorum nimis charum, coævum mihi, et conflorentem flore adolescentiæ. Mecum puer creverat, et pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum sic erat amicus, quamquam ne tunc quidem, sicuti est vera amicitia: quia non est vera, nisi cum ea tu agglutinas inter inhærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed tamen dulcis erat nimis, cocta * fervore parilium studiorum. Nam et a fide vera, quam non germanitus et penitus adolescens tenebat, deflexeram eum in superstitiosas fabellas et perniciosas, propter quas plangebat me mater. Mecum jam errabat in animo homo ille, et non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu, imminens dorso fugitivorum tuorum, Deus ultionum et fons misericordiarum simul *, qui convertis nos ad te miris modis; ecce abstulisti hominem de hac vita, cum vix explevisset

** al. coacta*

** al. simulque convertens nos*

A ipso S. Augustino, *qui post susceptum baptismum miro modo convaluerat,*

plevisset annum in amicitia mea, suavi mihi supra omnes suavitates illius vitæ meæ.

70 Quis laudes tuas enumerat unus, in se uno quas expertus est? Quid tunc fecisti, Deus meus, et quam investigabilis abyssus judiciorum tuorum! Cum enim laboraret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore letali. Et cum desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, et præsumente id retinere potius animam ejus, quod a me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat : nam recreatus est et salvus factus. Statimque, ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox ut ille potuit; quoniam non discedebam, et nimis pendebamus ex invicem) tentavi apud illum irridere, tamquam et illo irrisuro mecum baptismum, quem acceperat mente atque sensu absentissimus, sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit ut inimicum; admonuitque mirabili et repentina libertate, ut si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem.

B *et in morbum recidens obierat,*

71 Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, essetque idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem, quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, ut apud te servaretur consolationi meæ, post paucos dies, me absente, repetitur febribus, et defungitur. Quo dolore contenebratum est cor meum; et quidquid aspiciebam mors erat. Et erat mihi patria supplicium, et paterna domus mira infelicitas : et quidquid cum illo communicaveram, sine illo in cruciatum immanem vertebatur. Expetebant eum undique oculi mei, et non dabatur mihi : et oderam omnia, quia non haberent eum. Nec mihi jam dicere poterant, Ecce veniet, sicut cum viveret quando, absens erat. Et factus eram ipse mihi magna quæstio, et interrogabam animam meam, quare tristis esset, et quare conturbaret me valde : et nihil noverat respondere mihi. Et si dicebam, Spera in Deum, juste non obtemperabat : quia verior erat et melior homo, quem charissimum amiserat, quam phantasma *b*, in quod sperare jubebatur. Solus fletus erat dulcis mihi, et successerat amico meo in deliciis animi mei...

C VI. *ob cujus mortem*

72 Sic ego eram illo tempore, et flebam amarissime, et requiescebam in amaritudine. Ita miser eram, et habebam chariorem illo amico meo vitam ipsam miseram. Nam quamvis eam mutare vellem, nolem tamen amittere magis quam illum. Et nescio, an vellem vel pro illo : sicut de Oreste et Pylade traditur, si non fingitur, qui vellent pro invicem vel simul mori, quia morte pejus eis erat, non simul vivere. Sed in me nescio quis affectus nimis huic contrarius ortus erat; et tædium vivendi erat in me gravissimum, et moriendi metus Credo, quo magis illum amabam, eo magis mortem, quæ mihi illum abstulerat, tamquam atrocissimam inimicam oderam et timebam; et eam repente consumpturam omnes homines putabam, quia illum potuit. Sic eram omnino, memini.

tanto dolore affectus est,

73 Ecce cor meum, Deus meus : ecce intus vide, quia memini, spes mea, qui me mundas a talium affectionum immunditia, dirigens oculos meos ad te, et evellens de laqueo pedes meos. Mirabar enim ceteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat : et me magis, quia illi alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ : nam ego sensi, animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus : et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere. Et *c* ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. D *c*

VII. *ut patriam deserens,*

74 O dementiam nescientem diligere homines humaniter! O stultum hominem, immoderate humana patientem, quod ego tunc eram! Itaque æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar; nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam et cruentam animam meam, impatientem portari a me; et ubi eam ponerem, non inveniebam : non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in suaveolentibus locis, nec in conviviis apparatis, neque in voluptate cubilis et lecti, non denique in libris atque carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, et ipsa lux : et quidquid non erat, quod ille erat, improbum et odiosum erat, præter gemitum et lacrymas. Nam in eis solis aliquantula requies.

Tagasta Carthaginem redierit,

75 Ubi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseriæ, quæ a te, Domine, levanda erat et curanda. Sciebam, sed nec volebam, nec valebam, eo magis, quia non mihi eras aliquid solidum et firmum, cum de te cogitabam. Non enim tu eras, sed vanum phantasma, et error meus et Deus meus. Si conabar eam ibi ponere, ut requiesceret, per inane labebatur, et iterum ruebat super me; et ego mihi remanseram infelix locus, ubi nec esse possem, nec inde recedere. Quo enim cor meum fugeret a corde meo? Quo a meipso fugerem, quo me non sequerer? Et tamen fugi de patria. Minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non solebant; atque a Tagastensi oppido veni Carthaginem... E

X. *qua occasione scripsit libros de Pulcro et apto,* XIII.

76 Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Nam quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te; tametsi figitur in pulchris extra te, et extra se.... Hæc tunc non noveram, et amabam pulchra inferiora, et ibam in profundum, et dicebam amicis meis, Num amamus aliquid, nisi pulchrum? Quid est ergo pulchrum? et quid est pulchritudo? Quid est, quod nos allicit et conciliat rebus, quas amamus? Nisi enim esset in eis decus et species, nullo modo nos ad se moverent. Etenim animadvertebam et videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et ideo pulchrum : aliud autem, quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui; sicut pars corporis ad universum suum, aut calceamentum ad pedem, et similia. Et ista consideratio scaturivit in animo meo ex intimo corde meo; et scripsi libros de Pulchro et Apto, puto duos aut tres. Tu scis, Deus : nam excidit mihi : non enim habemus eos, sed aberraverunt a nobis, nescio quomodo. F

XIV. *quos oratori Romano sibi ignoto,* * *al.* Hicrium *d*

77 Quid est autem, quod me movit, Domine Deus meus, ut ad Icherium * Romanæ urbis oratorem *d* scriberem illos libros, quem non noveram facie, sed amaveram hominem ex doctrinæ fama, quæ illi clara erat, et quædam verba ejus audieram, et placuerant mihi? Sed magis quia placebant aliis, et efferebant eum laudibus, stupentes quod ex homine Syro, docto prius Græcæ facundiæ, post in Latina etiam doctor * mirabilis extitisset, et esset scientissimus rerum ad studium sapientiæ pertinentium, mihi placebat. Laudatur homo, et amatur absens. Utrumnam ab ore laudantis intrant in cor audientis amor ille? Absit. Sed ex amante alio accenditur alius. Hinc enim amatur qui laudatur, dum non fallaci corde laudatoris

* *al.* dictor

A laudatoris prædicari creditur, id est, cum amans eum laudat. Sic enim tunc amabam homines ex hominum judicio : non enim ex tuo, Deus meus, in quo nemo fallitur. Sed tamen cur non sicut auriga nobilis, sicut venator studiis popularibus diffamatus, sed longe aliter et graviter, et ita quemadmodum et me laudari vellem?

sed doctrinæ fama claro,

78 Non autem vellem ita laudari et amari me, ut histriones, quamquam eos et ipse laudarem et amarem; sed eligens latere, quam ita notus esse, et vel haberi odio, quam sic amari. Ubi distribuuntur ista pondera variorum et diversorum amorum in anima una? Quid est, quod amo in alio, quod rursus, nisi odissem, non a me detestarer et repellerem, cum sit uterque nostrum homo? Non enim, sicut equus bonus amatur ab eo, qui nollet hoc esse, etiamsi posset, hoc et de histrione dicendum est, qui naturæ nostræ socius est. Ergone amo in homine, quod odi esse, cum sim homo? Grande profundum est ipse homo; cujus etiam capillos tu, Domine numeratos habes, et non minuuntur in te : et tamen capilli ejus magis numerabiles sunt, quam affectus ejus et motus cordis ejus.

ad ostentationem ingenii sui dedicavit.

B 79 At ille rhetor ex eo erat genere, quem sic amabam, ut vellem me esse talem : et errabam typho, circumferebar omni vento, et nimis occulte gubernabar abs te. Et unde scio, et unde certus confiteor tibi, quod illum in amore laudantium magis amaveram, quam in rebus ipsis, de quibus laudabatur? Quia si non laudatum vituperarent eum iidem ipsi, et vituperando atque spernendo ea ipsa narrarent, non accenderer in eum, et non excitarer. Et certe res non aliæ forent, nec homo ipse alius, sed tantummodo affectus alius narrantium. Ecce ubi jacet anima infirma, nondum hærens soliditati veritatis. Sicut auræ linguarum flaverint a pectoribus opinantium, ita fertur et vertitur, torquetur ac retorquetur, et obnubilatur ei lumen, et non cernitur veritas : et ecce est ante nos. Et magnum quiddam mihi erat, si sermo meus et studia mea illi viro innotescerent : quæ si probaret, flagrarem magis; si autem improbaret, sauciaretur cor vanum et inane soliditatis tuæ. Et tamen Pulchrum illud atque Aptum, unde ad C cum scripseram, libenter animo versabam, et ostentationem *e* contemplationis meæ nullo collaudatore mirabar.

ANNOTATA.

a *Hic affirmat Sanctus, se* primum *docuisse* in municipio, *ubi natus erat, id est, Tagastæ, at non explicat, qui ibidem docuerit. Explicat istud Possidius apud nos num.* 3 *his verbis :* Nam et grammaticam prius in sua civitate, et rhetoricam in Africæ capite Carthagine postea docuit.

b *Ita loquitur, quia Deus, prout a Manichæis explicabatur,* phantasma *esset.*

c *Hanc sententiam retractavit Sanctus, tamquam nimis levem, lib.* 2 *Retract. cap.* 6.

d *Hic orator aliunde mihi ignotus.*

Pleræque editiones habent, ob os contemplationis meæ, *et Mss. quædam,* ob modos *etc.*

A. ipso S. Augustino.

CAPUT VIII.

Difficultas ejus in percipiendis rebus spiritualibus, et facilitas intelligendi categorias Aristotelis.

xv. Tanta rerum spiritualium ignorantia tunc laborabat,

Sed tantæ rei cardinem in arte tua nondum videbam, Omnipotens, qui facis mirabilia solus : et ibat animus meus per formas corporeas; et Pulchrum, quod per seipsum; Aptum autem, quod ad aliquid accomodatum deceret, definiebam et distinguebam, et exemplis corporeis astruebam. Et converti me ad animi naturam; et non me sinebat falsa opinio, quam de spiritualibus habebam, verum cernere. Et irruebat in oculos meos ipsa vis veri; et avertebam palpitantem mentem ab incorporea re ad lineamenta, et colores, et tumentes magnitudines. E Et quia non poteram ea videre in animo, putabam me non posse videre animum meum. Et cum in virtute pacem amarem, in vitiositate autem odissem discordiam; in illa unitatem, in ista quamdam divisionem notabam. Inque illa unitate mens rationalis, et natura veritatis ac summi boni mihi esse videbatur : in ista vero divisione, irrationabilis * vitæ nescio quam substantiam, et naturam summi mali, quæ non solum esset substantia, sed omnino vita esset, et tamen abs te non esset, Deus meus, ex quo sunt omnia, miser opinabar. Et tamen illam Monadem appellabam, tamquam sine ullo sexu * mentem; hanc vero Dyadem *a*, iram in facinoribus, libidinem in flagitiis, nesciens quid loquerer.

** al. rationalis vel irrationalis*

** Mss. quædam sensu*

a ut duas substantias sibi fingeret,

81 Non enim noveram neque didiceram, nec ullam substantiam malum esse, nec ipsam mentem nostram summum atque incommutabile bonum. Sicut enim facinora sunt, si vitiosus est ille animi motus, in quo est impetus, et se jactat insolenter ac turbide; et flagitia, si est immoderata illa animæ affectio, qua carnales hauriuntur voluptates : ita errores in falsæ opiniones F vitam contaminant, si rationalis mens ipsa vitiosa est : qualis in me tunc erat, nesciente alio lumine illam illustrandam esse, ut sit particeps veritatis, quia non est ipsa natura veritatis. Quoniam tu illuminabis lucernam meam, Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas : et de plenitudine tua nos omnes accepimus. Es enim tu lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quia in te non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Sed ego conabar ad te, et repellebar abs te, ut saperem mortem, quoniam superbis resistis.

quarum una summe bona, altera summe mala esset,

82 Quid autem superbius, quam ut assererem mira dementia, me in esse naturaliter, quod tu es? Cum enim ego essem mutabilis, et eo mihi manifestum esset, quod ideo utique sapiens esse cupiebam, ut ex deteriore melior fierem, malebam tamen etiam te opinari mutabilem, quam me non hoc esse, quod tu es. Itaque repellebar, et resistebas ventosæ cervici meæ, et imaginabar formas corporeas, et caro carnem accusabam et spiritus ambulans nondum revertebar ad te, et ambulando ambulabam in ea, quæ non sunt, neque in te, neque in me, neque in

A. *ipso S. Augustino.*

in corpore. Neque mihi creabantur a veritate tua, sed a mea vanitate fingebantur ex corpore : et dicebam parvulis fidelibus tuis, civibus meis, a quibus nesciens exulabam. Dicebam illis garrulus, et ineptus, Cur ego errat anima, quam fecit Deus? Et mihi nolebam dici, Cur ergo errat Deus? Et contendebam magis incommutabilem tuam substantiam coactam errare, quam meam mutabilem sponte deviasse, et pæne * errare confitebar. Et eram ætate annorum fortasse viginti sex aut septem, cum illa volumina scripsi volvens apud me corporea figmenta, obstrepentia cordis mei auribus; quas intendebam, ô dulcis Veritas, in interiorem melodiam tuam, cogitans de Pulchro et Apto, et stare cupiens et audire te, et gaudio gaudere propter vocem sponsi, et non poteram; quia vocibus erroris mei rapiebar foras, et pondere superbiæ meæ in ima decidebam. Non enim dabas auditui meo gaudium et lætitiam, aut exultabant ossa mea, quæ humiliata non erant.

* *al.* pœna *rectius*

B 83 Et quid mihi proderat, quod annos natus ferme viginti, cum in manus meas venissent Aristotelica quædam, quas appellant Decem categorias; quarum nomine cum eas rhetor Carthaginensis magister meus buccis typho crepantibus commemoraret, alii, qui docti habebantur, tamquam in nescio quid magnum et divinum suspensus inhiabam? Legi eas solus, et intellexi. Quas cum contulissem cum eis, qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus intellexisse, nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quam ego solus apud meipsum legens cognoveram. Et satis aperte mihi videbantur loquentes de substantiis, sicuti est homo; et quæ in illis essent, sicuti est figura hominis, qualis sit et statura, quot pedum sit; et cognatio, cujus frater sit, aut ubi sit constitutus; aut quando natus, aut stet, aut sedeat, aut calceatus vel armatus sit; aut aliquit faciat, aut patiatur aliquid : et quæcumque in his novem generibus, quorum exempli gratia quædam posui, vel in ipso substantiæ genere innumerabilia reperiuntur.

et quamvis categorias Aristotelis facile intelligeret

84 Quid hoc mihi proderat, quando et oberat : cum etiam te, Deus meus, mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic intelligere conarer, quasi et tu subjectus esses magnitudini tuæ aut pulchritudini, ut C illa essent in te quasi in subjecto, sicut in corpore : cum tua magnitudo et tua pulchritudo tu ipse sis : corpus autem non eo fit magnum et pulchrum, quo corpus est; quia etsi minus magnum et minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset. Falsitas enim erat, quam de te cogitabam, non veritas, et figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ. Jusseras enim, et ita fiebat in me, ut terra spinas et tribulos pareret mihi, et cum labore pervenirem ad panem meum.

sine magistro.

85 Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas Liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus, per meipsum legi, et intellexi, quoscumque legere potui? Et gaudebam in eis, et nesciebam, unde esset quidquid ibi verum et certum esset : dorsum enim habebam ad lumen *b*; et ad ea, quæ illuminantur, faciem : unde ipsa facies mea, qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum, et de musicis, et de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente, intellexi, scis tu, Domine Deus meus, quia et D celeritas intelligendi, et disputandi * acumen, donum tuum est : sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat : quia tam bonam partem substantiæ meæ sategi habere in potestate; et fortitudinem meam non ad te custodiebam, sed profectus sum abs te in longinquam regionem, ut eam dissiparem in meretricias * cupiditates. Nam quid mihi proderat bona res, non utenti bene Non enim sentiebam illas artes, etiam ab studiosis et ingeniosis, difficillime intelligi, nisi cum eis easdem conabar exponere : et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur.

tamen illud ingenii acumen nihil ei proderat.

b

* *al.* dispiciendi *aut* discendi

* *al.* meretrices

86 Sed quid mihi hoc proderat, putanti quod tu, Domine Deus meus Veritas, corpus esses lucidum et immensum, ut ego frustum de illo corpore? Nimia perversitas. Sed sic eram : nec erubesco, Deus meus, confiteri tibi in me misericordias tuas, et invocare te, qui non erubui tunc profiteri hominibus blasphemias meas, et latrare adversum te. Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, et nullo adminiculo humani magisterii tot nodosissimi E libri enodati, cum deformiter et sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem? Aut quid tantum oberat parvulis tuis longe tardius ingenium, cum a te longe non recederent; ut in nido Ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, et alas charitatis alimento sanæ fidei nutrirent? O Domine Deus noster, in velamento alarum tuarum speremus; et protege nos, et porta nos. Tu portabis et parvulos, et usque ad canos tu portabis : quoniam firmitas nostra quando tu es, tunc est firmitas : cum autem nostra est, infirmitas est. Vivit apud te semper bonum nostrum; et quia inde aversi sumus, perversi sumus. Revertamur jam, Domine, ut non evertamur : quia vivit apud te sine ullo defectu bonum nostrum, quod tu ipse es : et non timebimus ne non sit, quo redeamus, quia nos inde ruimus; nobis autem absentibus non ruit domus nostra, æternitas tua.

cum donis Dei male uteretur.

ANNOTATA.

a *Hæc sunt duo illa Manichæorum principia, de quibus in Commentario* § 10, *qui item consuli poterit pro ceteris, quæ ex sententia Manichæorum sensisse se narrat Sanctus.* F

b *Deum intelligit.*

CAPUT IX.

Colloquium cum Fausto episcopo Manichæo, et post illud justa Sancti suspicio de falso Manichæorum dogmate.

Proloquar in conspectu Dei mei annum illum undetricesimum ætatis meæ. Jam venerat Carthaginem quidam Manichæorum episcopus, Faustus *a* nomine, magnus laqueus diaboli : et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ, quam ego tametsi laudabam, discernebam tamen a veritate rerum, quarum discendarum

Lib. v. Cap. III. Narrat adventum Fausti Manichæi.

A secundarum avidus eram : nec quali vasculo sermonis, sed quid mihi scientiæ comedendum apponeret, nominatus apud eos ille Faustus, intuebar. Fama enim de illo prælocuta mihi erat, quod esset honestarum omnium doctrinarum peritissimus, et apprime disciplinis liberalibus eruditus.

quem in cognitione astrologiæ

88 Et quoniam multa philosophorum legeram, memoriæque mandata retinebam, ex eis quædam comparabam illis Manichæorum longis fabulis : et mihi probabiliora ista videbantur, quæ dixerunt illi, qui tantum potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum, quamquam ejus Dominum minime invenerint. Quoniam magnus es, Domine, et humilia respicis, excelsa autem a longe cognoscis. Nec propinquas nisi obtritis corde, nec inveneris a superbis; nec si illi curiosa peritia numerent stellas et arenam, et dimetiantur sidereas plagas, et investigent vias astrorum. Mente enim sua quærunt ista, et ingenio, quod tu dedisti eis : et multa invenerunt, et prænunciaverunt ante multos annos defectus luminarium solis et lunæ, quo die, qua hora, quanta ex parte futuri essent; et non eos fefellit numerus,
B et ita factum est ut prænunciaverunt : et scripserunt regulas indagatas, et leguntur hodie, atque ex eis prænunciatur, quo anno, et quo mense anni, et quo die mensis, et qua hora diei, et quota parte luminis sui defectura sit luna vel sol : et ita fiet, ut prænunciatur.

longe superabant gentiles philosophi,

89 Et mirantur hæc homines et stupent, qui nesciunt ea, et exultant atque extolluntur, qui sciunt; et per impiam superbiam recedentes et deficientes a lumine tuo, tanto ante solis defectum futurum prævident, et in præsentia suum non vident. Non enim religiose quærunt, unde habeant ingenium, quo ista quærunt. Et invenientes, quia tu fecisti eos, non ipsi se dant tibi, ut serves, quod fecisti, et quales se ipsi fecerant : occidunt * se tibi, et trucidant exaltationes suas sicut volatilia, et curiositates suas sicut pisces maris, quibus perambulant secretas semitas abyssi, et luxurias suas sicut pecora campi; ut tu, Deus, ignis edax, consumas mortuas curas eorum, recreans eos immortaliter.

** al. occidant et trucident*

qui superbe gloriabantur

90 Sed non noverunt viam, Verbum tuum, per quod fecisti ea, quæ numerant, et ipsos, qui numerant, et sensum, quo cernunt, quæ numerant, et mentem, de qua numerant; et sapien-
C tiæ tuæ non est numerus. Ipse autem Unigenitus factus est nobis sapientia, et justitia, et sanctificatio, et numeratus est inter nos, et solvit tributum cæsari. Non noverunt hanc viam, qua descendant ad illum a se, et per eam ascendant ad eum. Non noverunt hanc viam, et putant se excelsos esse cum sideribus et lucidos, et ecce ruerunt in terram, et obscuratum est insipiens cor eorum. Et multa vera de creatura dicunt, et Veritatem, creaturæ artificem, non pie quærunt, et ideo non inveniunt : aut si inveniunt cognoscentes Deum, non sicut Deum honorant, aut gratias agunt; sed evanescunt in cogitationibus suis, et dicunt se esse sapientes, sibi tribuendo, quæ tua sunt : ac per hoc student perversissima cæcitate etiam tibi tribuere, quæ sua sunt, mendacia scilicet in te conferentes, qui Veritas es, et immutantes gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum; et convertunt veritatem tuam in mendacium, et colunt et serviunt creaturæ potius quam Creatori.

91 Multa tamen ab eis ex ipsa creatura vera dicta retinebam, et occurrebat mihi ratio per numeros et ordinem temporum, et visibiles attestationes siderum; et conferebam cum dictis Manichæi, qui de his rebus multa scripsit copiosissime delirans, et non mihi occurrebat ratio, nec solstitiorum et æquinoctiorum, nec defectuum luminarium *, nec quidquid tale in libris sæcularis sapientiæ didiceram. Ibi autem credere jubebar, et ad illas rationes numeris et oculis meis exploratas non occurrebat, et longe diversum erat.

A usu S. Augustini. propter hanc scientiam,

** al. lunarium*

IV. *etsi sola Dei cognitio eos laude dignos reddidisset,*

92 Numquid, Domine Deus veritatis, quisquis novit ista, jam placet tibi? Infelix enim homo, qui scit illa omnia, te autem nescit : beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te, sicut Deum glorificet, et gratias agat, et non evanescat in cogitationibus suis. Sicut enim melior est, qui novit possidere arborem, et de usu ejus tibi gratias agit, quamvis nesciat, vel quot cubitis alta sit, vel quanta latitudine diffusa, quam ille, qui eam metitur, et omnes ramos ejus numerat, et neque possidet eam, ne-
E que creatorem ejus novit aut diligit; sic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est, et quasi nihil habens omnia possidet, inhærendo tibi, cui serviunt omnia, quamvis nec saltem septemtrionum gyros noverit, dubitare stultum est, quin utique melior sit, quam mensor cæli, et numerator siderum, et pensor elementorum, et negligens tui, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

V. *Faustus multa de stellis falsa docebat,*

93 Sed tamen quis quærebat Manichæum nescio quem etiam ista scribere, sine quorum peritia pietas disci poterat? Dixisti enim homini; Ecce pietas est sapientia, quam ille ignorare posset, etiamsi ista perfecte nosset : ista vero, quia non noverat, impudentissime audens docere, prorsus illam nosse non posset. Vanitas est enim, mundana ista etiam nota profiteri; pietas autem, tibi confiteri. Unde ille devius ad hoc ista multum locutus est, ut convictus ab eis, qui ista vere didicissent, quis esset ejus sensus in ceteris, quæ abditiora sunt, manifeste cognosceretur. Non enim parvi existimari se voluit, sed Spiritum sanctum, consolatorem et ditatorem fidelium tuorum, auctoritate plenaria personaliter in se esse persuadere conatus est.
F

et impudenter hujus sententiæ suæ auctorem

94 Itaque cum de cælo ac stellis, et de solis ac lunæ motibus, falsa dixisse deprehenderetur; quamvis ad doctrinam religionis ista non pertineant, tamen ausus ejus sacrilegos fuisse satis emineret : cum ea non solum ignorata, sed etiam falsata, tam vesana superbiæ vanitate diceret, ut ea tamquam divinæ personæ tribuere sibi niteretur. Cum enim audio Christianum aliquem fratrem, illum aut illum ista nescientem, et aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem; nec illi obesse video, cum de te, Domine creator omnium, non credat indigna, si forte situs et habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem, si hoc ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur, et pertinacius affirmare audeat, quod ignorat.

jactabat esse Spiritum sanctum,

95 Sed etiam talis infirmitas in fidei cunabulis a charitate matre sustinetur, donec assurgat novus homo in virum perfectum, et circumferri non possit omni vento doctrinæ. In illo autem, qui doctor, qui auctor, qui dux et princeps eorum, quibus illa suaderet, ita fieri ausus est, ut qui eum sequerentur, non quemlibet hominem, sed Spiritum sanctum tuum se sequi arbitraren-tur,

A. ipso S. Augustino.

tur, quis tantam dementiam, sicubi falsa dixisse convinceretur, non detestandam, longeque abjiciendam esse judicaret? Sed tamen liquido nondum compereram, utrum etiam secundum ejus verba vicissitudines longiorum et breviorum dierum atque noctium, et ipsius noctis et diei, et deliquia luminum, et si quid ejusmodi in aliis libris legeram, posset exponi: ut si forte posset, incertum quidem mihi fieret, utrum ita se res haberet aut non ita, sed ad fidem meam illius auctoritatem propter creditam sanctitatem proponerem.

VI. idque naturali sua eloquentia persuadere nitebatur;

96 Et per annos ferme ipsos novem, quibus eos animo vagabundus audivi, nimis extento desiderio venturum expectabam istum Faustum. Ceteri enim eorum, in quos forte incurrissem, qui talium rerum quæstionibus a me objectis deficiebant, illum mihi promittebant; cujus adventu collatoque colloquio, facillime mihi hæc, et si qua forte majora quærerem, enodatissime expedirentur. Ergo ubi venit, expertus sum hominem gratum et jucundum verbis; et ea ipsa, quæ illi solent dicere, multo suavius garrientem. B Sed quid ad meam sitim, pretiosorum poculorum decentissimus ministrator? Jam rebus talibus satiatæ erant aures meæ: nec ideo mihi meliora videbantur, quia melius dicebantur: nec ideo vera, quia diserta: nec ideo sapiens anima, quia vultus congruus et decorum eloquium. Illi autem, qui eum mihi promittebant, non boni rerum æstimatores erant; et ideo illis videbatur prudens et sapiens, quia delectabat eos loquens.

sed Augustinus magis curans veritatem rerum,

97 Sensi autem aliud genus hominum etiam veritatem habere suspectam; et ei nolle acquiescere, si compto atque uberi sermone promeretur. Me autem jam docueras, Deus meus, miris occultis modis: et propterea credo, quod tu me docueris, quoniam verum est: nec quisquam præter te alius est doctor veri, ubicumque et undecumque claruerit. Jam ergo abs te didiceram, nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur: nec eo falsum, quia incomposite sonant signa labiorum. Rursum, nec ideo verum, quia impolite enuntiatur; nec ideo falsum, quia splendidus sermo est: sed perinde esse sapientiam et stultitiam, sicut sunt cibi utiles C et inutiles: verbis autem ornatis et inornatis, sicut vasis urbanis et rusticanis, utrosque cibos posse ministrari. Igitur aviditas mea, qua illum tanto tempore expectaveram hominem, delectabatur quidem motu affectuque disputantis, et verbis congruentibus, atque ad vestiendas sententias facile occurentibus.

quam facundiam verborum,

98 Delectabar autem, et cum multis, vel etiam præ multis laudabam ac efferebam: sed moleste habebam, quod in cœtu audientium non sinerer illi ingerere, et partiri cum eo curas quæstionum mearum, conferendo familiariter, et accipiendo ac reddendo sermonem. Quod ubi potui, et aures ejus cum familiaribus meis eo quoque tempore occupare cœpi, quo non dedeceret alternis disserere, et protuli quædam, quæ me movebant; expertus sum prius hominem expertem liberalium disciplinarum, nisi grammaticæ, atque ejus ipsius usitato modo. Et quia legerat aliquas Tullianas Orationes, et paucissimos Senecæ libros, et nonnulla poetarum, et suæ sectæ si qua volumina Latine atque composite conscripta erant; et quia aderat quotidiana sermocinandi exercitatio, inde suppetebat eloquium; quod fiebat acceptius, magisque seductorium moderamine ingenii, et quodam lepore naturali. Itane est, ut recolo, Domine Deus meus, arbiter conscientiæ meæ? Coram te cor meum, D et recordatio mea, qui me tunc agebas abdito secreto providentiæ tuæ, et inhonestos errores meos jam convertebas ante faciem meam; ut viderem, et odissem.

VII. comperta ejus imperitia in aliis scientiis,

99 Nam posteaquam ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere putaveram, satis apparuit, desperare cœpi posse eum mihi illa, quæ me movebant, aperire atque dissolvere; quorum quidem ignarus posset veritatem tenere pietatis, sed si Manichæus non esset. Libri quippe eorum pleni sunt longissimis fabulis, de cælo et sideribus, et sole et luna: quæ mihi eum, quod utique cupiebam, collatis numerorum rationibus, quos alibi ego legeram, utrum potius ita essent, ut Manichæi libris continebantur, an certe vel par etiam inde ratio redderetur, subtiliter explicare posse, jam non arbitrabar. Quæ tamen ubi consideranda et discutienda protuli, modeste sane ille, nec ausus est subire ipsam sarcinam. Noverat enim se ista non nosse, nec eum puduit confiteri. Non erat de talibus, quales multos loquaces passus eram, conantes ea me docere, et dicentes nihil. Iste vero cor habebat, E etsi non rectum ad te, nec tamen nimis incautum ad seipsum. Non usquequaque imperitus erat imperitiæ suæ, et noluit se temere disputando in ea coarctari, unde nec exitus ei ullus, nec facilis esset reditus. Et jam hinc mihi amplius placuit. Pulchrior est enim temperantia confitentis animi, quam illa, quæ nosse cupiebam: et eum in omnibus difficilioribus et subtilioribus quæstionibus talem inveniebam.

a secta Manichæorum alienari cœpit.

100 Retracto itaque studio, quo intenderam in Manichæi litteras, magisque desperans de ceteris eorum doctoribus, quando in multis, quæ me movebant, ita ille nominatus apparuit; cœpi cum eo pro studio ejus agere vitam, quo ipse flagrabat in eas litteras, quas tunc jam rhetor Carthagini adolescentes docebam, et legere cum eo, sive quæ ille audita desideraret, sive quæ ipse tali ingenio apta existimarem. Ceterum omnis conatus meus, quo proficere in illa secta statueram, illo homine cognito, prorsus intercidit; non ut ab eis omnino separarer, sed quasi melius quidquam non inveniens eo, quo jam quoquo modo irrueram: contentus interim esse decreveram, nisi aliquid forte, quo magis F eligendum esset, eluceret. Ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis exstitit, meum, quo captus eram, relaxare jam cœperat, nec volens nec sciens. Manus enim tuæ, Deus meus, in abdito providentiæ tuæ non deserebant animam meam; et de sanguine cordis matris meæ, per lacrymas ejus diebus ac noctibus pro me sacrificabatur tibi, et egisti mecum miris et occultis modis. Tu illud egisti, Deus meus. Nam a Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet. Aut quæ procuratio salutis, præter manum tuam, reficientem quæ fecisti?

ANNOTATIO.

a *Contra hunc Faustum scripsit deinde* Augustinus, *ut dictum in Commentario num.* 58, *et uberius* § 29.

CAPUT

A

CAPUT X.

Iter ex urbe Carthaginensi Romam fraudulenter institutum ; morbus ibi periculosus, familiaritas cum Manichæis, et causa inde migrandi Mediolanum, ubi conciones S. Ambrosii præsulis ab ipso auditæ.

VIII. *Exosus nimiam licentiam*

Egisti ergo mecum, ut mihi persuaderetur Romam pergere ; et potius ibi docere, quod docebam Carthagine. Et hoc unde mihi persuasum sit, non præteribo confiteri tibi : quoniam et in his altissimi tui recessus, et præsentissima B in nos misericordia tua cogitanda et prædicanda est. Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæstus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc persuadebant, promittebatur (quamquam et ista ducebant animum tunc meum) sed illa erat tunc causa maxima et pæne sola, quod audiebam quietius ibi studere adolescentes ; et ordinatiore disciplinæ coërcitione sedari, ne in ejus scholam, quo magistro non utuntur, passim et proterve irruant ; nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit.

scholasticorum Carthaginensium,

102 Contra, apud Carthaginem fœda est et intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, et prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa injuriosa faciunt mira hebetudine, et punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit : hoc miseriores eos ostendens, quo jam, quasi liceat, faciunt, quod per tuam æternam legem numquam licebit ; et impune se facere arbitrantur, cum ipsa cæcitate faciendi puniantur, et incomparabiliter patiantur pejora quam faciunt. Ergo quos mores, cum studerem, meos esse nolui *, eos cum docerem cogebar perpeti (* *al.* volui) C alienos : et ideo placebat ire, ubi talia non fieri, omnes, qui noverant, indicabant. Verum autem tu, Spes mea et portio mea in terra viventium, ad mutandum terrarum locum pro salute animæ meæ, et Carthagini stimulos, quibus inde avellerer, admovebas, et Romæ illecebras, quibus attraherer, proponebas mihi per homines, qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes : et ad corrigendos gressus meos utebaris occulte et illorum et mea perversitate. Nam et, qui perturbabant otium meum, fœda rabie cæci erant ; et qui invitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem, qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam felicitatem appetebam.

decepta matre, quæ vehementer dolebat,

103 Sed quare hinc abirem et illuc irem, tu sciebas, Deus ; nec indicabas mihi nec matri, quæ me profectum atrociter planxit, et usque ad mare secuta est. Sed fefelli eam violenter me tenentem, ut aut revocaret, aut mecum pergeret : et finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto navigaret. Et mentitus sum matri, et illi matri, et evasi. Quia et hoc tu dimisisti mihi misericorditer, servans me ab aquis maris, plenum exsecrandis sordibus, usque ad aquam gratiæ tuæ, qua me abluto, siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu suo. Et tamen recusanti sine me redire, vix persuasi, ut in loco, qui proximus nostræ navi erat memoria beati Cypriani *a*, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculo ego profectus sum ; illa autem remansit * orando et flendo. Et quid a te petebat, Deus meus, tantis lacrymis, nisi ut navigare me non sineres? Sed tu alte consulens, et exaudiens cardinem desiderii ejus, non curasti, quod tunc petebat, ut in * me faceres, quod semper petebat.

(A. ipso S. Augustino. — *a* — * *al.* non mansit — * *al.* ut me)

Carthagine discedit Romam,

104 Flavit ventus, et implevit vela nostra, et littus subtraxit aspectibus nostris : in quo mane illa insaniebat dolore, et querelis ac gemitu implebat aures tuas contemnentes ista : cum et me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipsas cupiditates, et illius carnale desiderium justo dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum præsentiam meam more matrum, sed multis multo amplius : et nesciebat, quid tu illi gaudiorum facturus esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat et ejulabat, atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum * Hevæ, cum gemitu quærens, quod cum gemitu pepererat. Et tamen post accusationem fallaciarum et crudelitatis meæ, conversa rursus E ad deprecandum te pro me, abiit ad solita, et ego Romam.

(* *al.* in ea reliquiarum)

IX. *ubi periculoso morbo laborat,*

105 Et ecce excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, et ibam jam ad inferos, portans omnia mala, quæ commiseram et in te, et in me, et in alios multa et gravia, super originalis peccati vinculum, quo omnes in Adam morimur. Non enim quidquam mihi donaveras in Christo ; nec solverat ille in cruce * sua inimicitias, quas tecum contraxeram peccatis meis. Quomodo enim eas solveret in cruce phantasmatis, quod de illo credideram? Quam ergo falsa mihi videbatur mors carnis ejus, tam vera erat animæ meæ : et quam vera erat mors carnis ejus, tam falsa vita animæ meæ, quæ id non credebat. Et ingravescentibus febribus, jam ibam et peribam. Quo enim irem, si tunc hinc abirem, nisi in ignem atque tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui? Et illa hoc nesciebat, et tamen pro me orabat absens. Tu autem ubique præsens, ubi erat exaudiebas eam ; et ubi eram miserebaris mei, ut recuperarem salutem corporis mei, adhuc insanus corde sacrilego. F Neque enim desiderabam in illo tanto periculo baptismum tuum ; et melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitavi, sicut jam recordatus atque confessus sum.

(* *al.* in carne)

et restitutam sibi sanitatem

106 Sed in dedecus meum creveram, et consilia medicinæ tuæ demens irridebam, qui me non sivisti talem bis mori. Quo vulnere si feriretur cor matris, numquam sanaretur. Non enim satis eloquor, quid erga me habebat animi, et quantum majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat. Non itaque video, quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transverberasset viscera dilectionis ejus. Et ubi essent tantæ preces, et tam crebræ sine intermissione? Nusquam, nisi ad te. An vero tu, Deus misericordiarum, sperneres cor contritum et humiliatum viduæ castræ ac sobriæ, frequentantis eleëmosynas, obsequentis atque servientis Sanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum? bis in die, mane et vespere, ad ecclesiam tuam sine ulla intermissione venientis, non ad vanas fabulas et aniles loquacitates, sed ut te audiret in tuis sermonibus, et tu illam in suis orationibus?

107 Hujusne

A. ipso S. Augustino continuis matris suæ precibus adscribit.

107 Hujusne tu lacrymas, quibus non a te aurum et argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, sed salutem animæ Filii sui; tu, cujus munere talis erat, contemneres et repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam, Domine. Imo vero aderas, et exaudiebas, et faciebas ordine, quo prædestinaveras esse faciendum. Absit ut tu falleres eam in illis visionibus et responsis tuis, et quæ jam commemoravi, et quæ non commemoravi, quæ illa fideli pectore tenebat; et semper orans, tamquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in sæculum misericordia tua, eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.

X. *Etsi Romæ adhuc familiariter ageret cum Manichæis,*

108 Recreasti ergo me ab illa ægritudine, et salvum fecisti Filium ancillæ tuæ, tunc interim corpore, ut esset, cui salutem meliorem atque certiorem dares. Et jungebar etiam tunc Romæ falsis illis atque fallentibus sanctis: non enim tantum auditoribus eorum (quorum e numero erat etiam is, in cujus domo ægrotaveram et convalueram) sed eis etiam, quos electos vocant. Adhuc enim mihi videbatur non esse nos, qui peccamus, sed nescio quam aliam in nobis peccare naturam; et delectabat superbiam meam, extra culpam esse. Et cum aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, ut sanares animam meam, quoniam peccabam * tibi; sed excusare eam amabam, et accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, et ego non essem. Verum autem totum ego eram, et adversum me impietas mea me diviserat: et id erat peccatum insanabilius, quo me peccatorem non esse arbitrabar: et execrabilis iniquitas, te, Deus omnipotens, te a me * ad perniciem meam, quam me a te ad salutem malle superari.

B

* al. peccabat

* al. in me

et de veritate dogmatis eorum dubitaret,

109 Nondum ergo posueras custodiam ori meo, et ostium continentiæ * circum labia mea, ut non declinaret cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem; et ideo adhuc combinabar * cum electis eorum. Sed tamen jam desperans in ea falsa doctrina me posse proficere; eaque ipsa, quibus, si nihil melius reperirem, contentus esse decreveram, jam remissius negligentiusque retinebam. Etenim suborta est etiam mihi cogitatio, prudentiores ceteris fuisse illos philosophos, quos Academicos *b* appellant, quod de omnibus dubitandum esse censuerant, nec aliquid veri ab homine deprehendi posse decreverant. Ita enim et mihi liquido sensisse videbantur, ut vulgo habentur, etiam illorum intentionem nondum intelligenti.

* al. circumstantiæ

* al. combinabam

C

b

ut hospiti suo Manichæo indicabat,

110 Nec dissimulavi eumdem hospitem meum reprimere a nimia fiducia, quam sensi eum habere de rebus fabulosis, quibus Manichæi libri pleni sunt. Amicitia tamen eorum familiarius utebar, quam ceterorum hominum, qui in illa hæresi non fuissent. Nec eam defendebam pristina animositate: sed tamen familiaritas eorum (plures enim eos Roma occultat *) pigrius me faciebat aliud quærere; præsertim desperantem, in Ecclesia tua, Domine cæli et terræ, Creator omnium visibilium et invisibilium, posse inveniri verum, unde me illi averterant. Multumque mihi turpe videbatur, credere te figuram habere humanæ carnis, et membrorum nostrorum lineamentis corporalibus terminari. Et quoniam, cum de Deo meo cogitare vellem, cogitare nisi moles corporum non noveram: (neque enim videbatur mihi esse quidquam, quod tale non esset:) ea maxima et prope sola causa erat inevitabilis erroris mei. D

* al. occultabat

111 Hinc enim et mali substantiam quamdam credebam esse talem, et habere suam molem tetram et deformem, sive crassam, quam terram dicebant; sive tenuem atque subtilem, sicuti est aëris corpus, quam malignam mentem per illam terram repentem * imaginantur. Et quia Deum bonum nullam malam naturam creasse, qualiscumque pietas me credere cogebat, constituebam ex adverso sibi duas moles; utramque infinitam, sed malam angustius, bonam grandius: et ex hoc initio pestilentioso me cetera sacrilegia sequebantur. Cum enim conaretur animus meus recurrere in Catholicam fidem, repercutiebar: quia non erat Catholica fides, quam esse arbitrabar. Et magis pius mihi videbar, si te, Deus meus, cui confitentur ex me miserationes tuæ, vel ex ceteris partibus infinitum crederem (quamvis ex una, qua tibi moles mali opponebatur, cogerer finitum fateri) quam si ex omnibus partibus in corporis humani forma te opinarer finiri. E

tamen ob ignorantiam substantiæ incorporeæ

* al. tetram repente

112 Et melius mihi videbar credere nullum malum te creasse, quod mihi nescienti non solum aliqua substantia, sed etiam corporea videbatur, quia et mentem cogitare non noveram, nisi eam subtile corpus esse, quod tamen per loci spatia diffunderetur; quam credere abs te esse, qualem putabam naturam mali. Ipsum quoque Salvatorem nostrum, Unigenitum tuum, tamquam de massa lucidissima molis tuæ porrectum ad nostram salutem ita putabam, ut aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari. Talem itaque naturam ejus nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem et non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum. Nunc spirituales tui blande et amanter ridebunt me, si has confessiones meas legerint: sed tamen talis eram.

retardabatur ab amplectenda fide Catholicorum,

XI. *quorum argumentis Manichæi resistere non poterant.*

113 Deinde, quæ illi in Scripturis tuis reprehenderant, defendi posse non existimabam: sed aliquando sane cupiebam cum aliquo illorum librorum doctissimo conferre singula, et experiri, quid inde sentiret. Jam enim Helpidii cujusdam, F adversus eosdem Manichæos coram loquentis et disserentis, sermones, etiam apud Carthaginem, movere me cœperant, cum talia de Scripturis proferret, quibus resisti non facile posset, et imbecilla mihi responsio videbatur istorum. Quam quidem non facile palam promebant, sed nobis secretius, cum dicerent Scripturas novi Testamenti falsatas fuisse a nescio quibus, qui Judæorum legem inserere Christianæ fidei voluerunt, atque ipsi incorrupta exemplaria nulla proferrent. Sed me maxime captum et offocatum, quodammodo deprimebant corporalia cogitantem moles illæ, sub quibus anhelans in auram tuæ veritatis liquidam et simplicem respirare non poteram.

XII. *Propter fraudem discipulorum*

114 Sedulo ergo agere cœperam, propter quod veneram, ut docerem Romæ artem rhetoricam; et prius domi congregare aliquos, quibus et per quos innotescere cœperam: et ecce cognosco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam revera illas eversiones a perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestatum est mihi. Sed subito, ne mercedem magistro reddant, conspirant multi adolescentes, et transferunt se ad alium desertores fidei, et quibus præ pecuniæ charitate justitia vilis est. Oderat etiam istos cor meum, quamvis non perfecto odio. Quod enim ab

A ab eis passurus eram, magis oderam fortasse, quam eo quod cuilibet illicita faciebant. Certe tamen turpes sunt tales, et fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporum et lucrum luteum, quod cum apprehenditur manum inquinat, et amplectendo mundum fugientem, contemnendo te manentem et revocantem, et ignoscentem redeunti ad te meretrici animæ humanæ. Et nunc tales odi pravos et distortos, quamvis eos corrigendos diligam; ut pecuniæ doctrinam ipsam, quam discunt, præferant, ei vero te Deum veritatem et ubertatem certi boni et pacem castissimam. Sed tunc eos magis pati nolebam malos propter me, quam fieri bonos propter te volebam.

XIII. *Roma migrat Mediolanum,*

115 Itaque, posteaquam missum est a Mediolano Romam ad præfectum urbis, ut illi civitati rhetoricæ magister provideretur, impertita etiam evectione c publica; ego ipse ambivi per eosdem ipsos Manichæis vanitatibus ebrios, quibus ut carerem, ibam. Sed utrique nesciebamus, ut dictione proposita me probatum præfectus tunc Symmachus d mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambrosium e episcopum, in optimis notum orbi B terræ, pium cultorem tuum; cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui, et lætitiam olei, et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit.

ubi ex curiositate

116 Et eum amare cœpi, primo quidem non tamquam doctorem veri (quod in Ecclesia tua prorsus desperabam) sed tamquam hominem benignum in me. Et studiose audiebam disputantem in populo, non intentione, qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major minorve proflueret quam prædicabatur: et verbis ejus suspendebar intentus: rerum autem incuriosus et contemptor astabam, et delectabar suavitate sermonis; quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis, quam Fausti erat, quod attinet ad dicendi modum. Ceterum rerum ipsarum nulla comparatio: nam ille per Manichæas fallacias aberrabat; iste autem saluberrime docebat salutem. Sed longe est C a peccatoribus salus, qualis ego tunc aderam: et tamen propinquabam sensim, et nesciebam *.

* *al.* nesciens *aut* nescivi

XIV. *audit conciones S. Ambrosii episcopi,*

117 Cum enim non satagerem discere, quæ dicebat, sed tantum, quemadmodum dicebat audire (ea mihi quippe jam desperanti ad te viam patere homini, inanis cura remanserat;) veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiam, quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum * quam diserte diceret, pariter intrabat et quam vere diceret, gradatim quidem. Nam primo etiam ipsa defendi posse mihi jam cœperant videri: et fidem Catholicam, pro qua nihil posse dici adversus oppugnantes Manichæos putaveram, jam non impudenter asseri existimabam; maxime audito uno atque altero, et sæpius ænigmate soluto de Scripturis veteribus: ubi, cum ad litteram acciperem, occidebar spiritaliter.

* *al* decipiendum

quibus excitatus, sectam Manichæorum deserere

118 Itaque plerisque illorum librorum expositis locis, reprehendebam desperationem meam; illam dumtaxat, qua credideram, legem et prophetas detestantibus atque irridentibus resisti omnino non posse. Nec tamen jam ideo mihi Catholicam viam tenendam esse sentiebam, quia et ipsa poterat habere doctores assertoresque suos, qui copiose et non absurde objecta refellerent: nec ideo jam damnandum illud tenebam, quia defensionis partes æquabantur. Ita enim Catholica non mihi victa videbatur, ut nondum etiam victrix appareret. Tunc vero fortiter intendi animum, si quo modo possem certis aliquibus documentis Manichæos convincere falsitatis. Quod si possem spiritualem substantiam cogitare, statim machinamenta illa omnia solverentur, et abjicerentur ex animo meo; sed non poteram.

A. IPSO S. AUGUSTINO.

ac ulterius veritatem indagare statuit,

119 Verumtamen, de ipso mundi hujus corpore, omnique natura, quam sensus carnis attingeret, multo probabiliora plerosque sensisse philosophos, magis magisque considerans atque comparans judicabam. Itaque Academicorum more, sicut existimantur, dubitans de omnibus, atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos esse decrevi; non arbitrans eo ipso tempore dubitationis meæ, in illa secta mihi permanendum esse, cui jam nonnullos philosophos præponebam: quibus tamen philosophis, quod sine nomine salutaris Christi essent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recusabam. Statui ergo tamdiu esse catechumenus in Catholica Ecclesia, mihi a parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo cursum dirigerem. E

ANNOTATA.

a *De S. Cypriano Carthaginensi præsule et martyre agetur suo loco.*

b *Scripsit Sanctus tres libros contra Academicos, qui consuli possunt de eorum opinionibus.*

c Evectio, *ut passim exponitur, est diploma, quo concedebatur facultas utendi cursu publico, quod alias non licebat.*

d *Hic Urbis præfectus ipse erat orator, at paganus. Nomen ejus* Quintus Aurelius Symmachus, *ut testatur Tillemontius tom.* 5 *Imperatorum in Theodosio I artic.* 91, *ubi gesta Symmachi illustrat, aitque præfectum fuisse anno* 384, *quo hæc contigit* Augustini *missio.*

e *Quid cum S. Ambrosio fuerit actum Mediolani, explicatur in Commentario* § 6. *De eo frequenter recurret sermo.*

F

CAPUT XI.

Lætitia S. Monicæ Mediolanum adventantis ob inchoatam Filii sui conversionem, reverentia illius erga S. Ambrosium, et ex concionibus hujus præsulis ab Augustino agnita sacræ Scripturæ auctoritas.

LIBER VI. CAP. I. *Mater Augustini Mediolanum veniens gaudet,*

Spes mea a juventute mea, ubi mihi eras, et quo recesseras? An vero non tu feceras me, et discreveras me a quadrupedibus et volatilibus cæli? Sapientiorem me feceras, et ambulabam per tenebras et lubricum, et quærebam te foris a me, et non inveniebam Deum cordis mei; et veneram in profundum maris, et diffidebam et desperabam de inventione veri. Jam venerat ad me

A ipso S. Augustino.

me mater pietate fortis, terra marique me sequens, et in periculis omnibus de te secura. Nam et per marina discrimina ipsos nautas consolabatur, a quibus rudes abyssi viatores, cum perturbantur, consolari solent, pollicens eis perventionem cum salute, quia hoc ei tu per visum pollicitus eras. Et invenit me periclitantem quidem graviter desperatione indagandæ veritatis. Sed tamen ei cum indicassem, non me quidem jam esse Manichæum, sed neque Catholicum Christianum, non quasi inopinatum aliquid audierit, exilivit lætitia; cum jam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tamquam mortuum, sed resuscitandum, tibi flebat; et ferctro cogitationis offerebat, ut diceres filio viduæ; Juvenis tibi dico, surge: et reviviscerent, et inciperet loqui, et redderes illum matri suæ.

filium suum non amplius adhærere Manichæis,

121 Nulla ergo turbulenta exultatione trepidavit cor ejus, cum audisset ex tanta parte jam factum, quod tibi quotidie plangebat, ut fieret, veritatem me nondum adeptum, sed falsitati jam ereptum. Imo vero, quia certa erat et quod restabat te daturum, qui totum promiseras, placidissime et pectore pleno fiduciæ respondit mihi, B credere se in Christo, quod priusquam de hac vita emigraret, me visura esset fidelem Catholicum. Et hoc quidem mihi: tibi autem, Fons misericordiarum, preces et lacrymas densiores, ut accelerares adjutorium tuum, et illuminares tenebras meas: et studiosius ad ecclesiam currere *, et in Ambrosii * ora suspendi, et ad fontem salientis aquæ, in vitam æternam. Diligebat autem illum virum sicut angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum, per quam transiturum me ab ægritudine ad sanitatem, intercurrente acriore periculo, quasi per accessionem, quam criticam medici vocant, certa præsumebat.

* al. currerem

* al. in Ambrosium

II. *et Africæ consuetudinem omittit*

122 Itaque cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum *a* attulisset, atque ab ostiario prohiberetur; ubi hoc episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Non enim obsidebat spiritum ejus vinolentia, eamque stimulabat C in odium veri amor vini, sicut plerosque mares et feminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquatam madidi, nauseant: sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum * pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multæ essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat; quod jam non solum aquatissimum, sed etiam tepidissimum, cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur: quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.

* al. potillum

ex reverentia ergo S. Ambrosium,

123 Itaque ubi comperit a præclaro prædicatore atque antistite pietatis præceptum esse, ista non fieri, nec ab eis, qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis: et quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissime; et pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat; ut et, quod posset, daret egentibus, et sic communicatio Dominici Corporis illic celebraretur, cujus passionis imitatione immolati et coronati sunt Martyres. Sed tamen videtur mihi, Domine Deus meus, et ita est in D conspectu tuo de hac re cor meum, non facile fortasse de hac amputanda consuetudine matrem meam fuisse cessuram, si ab alio prohiberetur, quem non sicut Ambrosium diligebat, quem propter salutem meam maxime diligebat, eam vero ille, propter ejus religiosissimam conversationem, qua in bonis operibus tam fervens spiritu frequentabat ecclesiam: ita ut sæpe erumperet, cum me videret, in ejus prædicationem, gratulans mihi, quod talem matrem haberem, nesciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, et inveniri posse viam vitæ minime putabam.

III. *qui totoccupationibus distinebatur,*

124 Nec jam ingemiscebam orando, ut subvenires mihi: sed ad quærendum intentus, et ad disserendum inquietus erat animus meus. Ipsumque Ambrosium felicem quemdam hominem secundum sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent; cœlibatus tantum ejus mihi laboriosus videbatur. Quid autem ille spei gereret, et adversus ipsius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quidve solaminis in adversis, et occultum os ejus, quod erat in corde ejus, quam E sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conjicere noveram, nec expertus eram; nec ille sciebat æstus meos, nec foveam periculi mei. Non enim quærere ab eo poteram, quod volebam, sicut volebam, secludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. Cum quibus quando non erat (quod per exiguum temporis erat) aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum. Sed cum legebat, oculi ducebantur per paginas, et cor intellectum rimabatur, vox autem et lingua quiescebant.

ut Augustinus eum commode ac diu non posset consulere;

125 Sæpe cum adessemus (non enim vetabatur quisquam ingredi, aut ei venientem nuntiari mos erat) sic eum legentem vidimus tacite, et aliter numquam. Sedentesque in diuturno silentio (quis enim tam intento esse oneri auderet?) discedebamus: et conjectabamus eum parvo illo tempore, quod reparandæ menti suæ nanciscebatur, feriatum ab strepitu causarum alienarum, nolle in aliud avocari; et cavere fortasse, ne auditore suspenso et intento, si qua obscurius posuisset ille, quem legeret, etiam exponere necesse esset, aut F de aliquibus difficilioribus disceptare quæstionibus; atque huic operi temporibus impensis, minus quam vellet voluminum evolveret: quamquam et causa servandæ vocis, quæ illi facillime obtundebatur, poterat esse justior tacite legendi. Quolibet tamen animo id ageret, bono utique ille vir agebat.

sed ex publicis ejus concionibus didicit

126 Sed certe mihi nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam de tam sancto oraculo tuo pectore illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum. Æstus autem illi mei otiosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec umquam inveniebant. Et cum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam; et magis magisque mihi confirmabatur, omnes versutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri adversus divinos Libros innectebant *, posse dissolvi. Ubi vero etiam comperi, ad imaginem tuam hominem a te factum, a spiritualibus filiis tuis, quos de matre Catholica per gratiam regenerasti, non sic intelligi, ut humani corporis forma te terminatum crederent atque cogitarent: quamquam quomodo se haberet spiritualis substantia, ne quidem tenuiter atque in ænigmate suspicabar; tamen gaudens erubui,

* al. insectabant,

A erubui, non me tot annos adversus Catholicam fidem, sed contra carnalium cogitationum figmenta latrasse. Eo quippe temerarius et impius fueram, quod ea, quæ debebam quærendo discere *, accusando dixeram. Tu enim Altissime et proxime, secretissime et præsentissime, cui membra non sunt alia majora et alia minora, sed ubique totus es, et nusquam locorum es, non es utique forma ista corporea: tamen fecisti hominem ad imaginem tuam, et ecce ipse a capite usque ad pedes in loco est.

* al. dicere

IV. *varias Catholicæ religionis veritates,*

127 Cum ergo nescirem, quomodo hæc subsisteret imago tua, pulsansque * proponerem, quomodo credendum esset, non insultans opponerem, quasi ita creditum esset: tanto igitur acrior cura rodebat intima mea, quid certi retinerem, quanto me magis pudebat tamdiu illusum et deceptum promissione certorum, puerili errore et animositate tam multa incerta quasi certa garrisse. Quod enim falsa essent, postea mihi claruit. Certum tamen erat, quod incerta essent, et a me aliquando pro certis habita fuissent, cum Catholicam tuam cæcis contentionibus accusa- B rem, etsi nondum compertam vera docentem, non tamen ea docentem, quæ graviter accusabam. Itaque confundebar, et convertebar; et gaudebam, Deus meus, quod Ecclesia * unica, corpus Unici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum, non saperet infantiles nugas; neque hoc haberet in doctrina sua sana, quod te Creatorem omnium in spatium loci, quamvis summum et amplum, tamen undique terminatum, membrorum humanorum figura contruderet.

* al. pulsans

* al. addunt tua

quas prius sibi demonstrari cupiebat,

128 Et gaudebam etiam, quod vetera scripta Legis et prophetarum jam non illo oculo mihi legenda proponereutur, quo antea videbantur absurda, cum arguebam tamquam ita sentientes Sanctos tuos, verum autem non ita sentiebant. Et tamquam regulam diligentissime commendaret, sæpe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium lætus audiebam, Littera occidit, spiritus autem vivificat; cum ea, quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento, spiritualiter aperiret, non dicens, quod me offenderet, quamvis ea diceret, quæ utrum vera essent, adhuc ignorarem. Tenebam C enim cor meum ab omni assensione, timens præcipitum, et suspendio magis necabar. Volebam enim eorum, quæ non viderem, ita me certum fieri, ut certus essem, quod septem et tria decem sint. Neque enim tam insanus eram, ut ne hoc quidem putarem posse comprehendi; sed sicut hoc, ita cetera cupiebam; sive corporalia, quæ coram sensibus meis non adessent; sive spiritualia, de quibus cogitare nisi corporaliter nesciebam. Et sanari credendo poteram, ut purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem, et ex nullo deficientem. Sed sicut evenire assolet, ut malum medicum expertus etiam bono timeat se committere; ita erat valetudo animæ meæ, quæ utique nisi credendo sanari non poterat; et ne falsa crederet, curari recusabat, resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, et aspersisti super morbos orbis terrarum, et tantam illis auctoritatem tribuisti.

V. *et quibus tamen deinde simpliciter assensum præbuit*

129 Ex hoc tamen quoque jam præponens doctrinam Catholicam, modestius ibi minimeque fallaciter sentiebam juberi, ut crederetur, quod non demonstrabatur; (sive esset quid, sed cui forte non esset, sive nec quid esset;) quam illic temeraria pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri, et postea tam multa fabulosissima et absurdissima, quia demonstrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim, tu Domine, manu mitissima et misericordissima pertractans et componens cor meum, consideranti quam innumerabilia crederem, quæ non viderem, neque cum gererentur affuissem; sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus, quæ non videram; tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis; quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus: postremo, quam inconcussa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem; quod scire non possem, nisi audiendo credidissem.

A. ipso S. Augustino.

ob auctoritatem sacræ Scripturæ,

130 Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos; nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent, Unde scis illos libros unius veri et veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Id ipsum enim maxime credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum, per tam multa, quæ legeram, inter se E confligentium philosophorum extorquere mihi potuit, ut aliquando non crederem te esse, quidquid esses, quod ego nescirem, aut administrationem rerum humanarum ad te pertinere. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius: semper tamen credidi, et esse te, et curam nostri gerere, etiamsi ignorabam, vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad te.

quam summa fide dignam esse cognovit.

131 Ideoque cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, et ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum Litterarum, jam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras auctoritatem; nisi et per ipsam tibi credi, et per ipsam te quæri voluisses. Jam enim absurditatem, quæ me in illis Litteris solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam: eoque mihi illa venerabilior, et sacrosancta fide dignior apparebat auctoritas, quo et omnibus ad legendum esset in promptu, et secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis aper- F tissimis et humillimo genere loquendi se cunctis præbens, et exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde: ut exciperet omnes populari sinu, et per angusta foramina paucos ad te trajiceret; multo tamen plures, quam si nec tanto apice auctoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, et aderas mihi: suspirabam, et audiebas me: fluctuabam, et gubernabas me: ibam per viam sæculi latam, nec deserebas me.

ANNOTATIO.

a *Consuetudinem hanc abrogavit deinde Hippone-Regio* Augustinus, *ut fuse expositum est in Commentario* § 21.

CAPUT

A. ipso S. Augustino.

CAPUT XII.

Solicita Augustini ambitio repressa exemplo mendici lætantis, deliberatio de stabili vitæ genere eligendo, et infirmitas ad superandas carnis illecebras.

VI. *Viso quodam mendico jocante,* Inhiabam honoribus, lucris, coujugio; et tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quauto minus sinebas mihi dulcescere, quod uon eras tu. Vide cor meum, Domine, qui voluisti, ut hoc recordarer, et confiterer tibi. Nunc tibi iuhæreat auima mea, quam de visco tam teuaci mortis exuisti. Quam misera erat! et sensum vul-
B neris tu pungebas, ut relictis omuibus converteretur ad te, qui es super omuia, et sine quo uulla esseut omnia; converteretur, et sanaretur. Quam ergo miser eram! et quomodo egisti ut sentirem miseriam meam die illo, quo cum pa-
a rarem recitare imperatori *a* laudes, quibus plura mentirer, et mentienti faveretur ab scientibus, easque curas anhelaret cor meum, et cogitatio-num tabificarum febribus æstuaret; transiens per quemdam vicum Mediolanensem, animadverti pauperem mendicum, jam credo saturum, jocantem atque lætantem: et iugemui, et locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum: quia omnibus talibus conatibus nostris (qualibus tuuc laborabam, sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, et trahendo exaggerans) uihil vellemus aliud, nisi ad securam lætitiam pervenire, quo nos mendicus ille jam præcessisset, numquam illuc fortasse venturos? Quod enim jam ille pauculis et emendicatis uummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus et circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet temporalis felicitatis.

C 133 Non enim verum gaudium habebat, sed et
agnoscit miseriam suæ ambitionis, ego illis ambitionibus multo falsius quærebam. Et certe ille lætabatur, ego anxius eram; securus ille, ego trepidus. Et si quisquam percunctaretur me, utrum mallem, exultare au metuere, responderem, exultare. Rursus, si interrogaret, utrum me talem mallem, qualis ille, aut qualis ego tunc essem; meipsum curis timoribusque confectum eligerem, sed perversitate: numquid veritate? Neque enim eo me præponere illi debebam, quo doctior eram; quoniam non inde gaudebam, sed placere inde quærebam hominibus; non ut eos docerem, sed tantum ut placerem. Propterea et tu baculo disciplinæ tuæ confringebas ossa mea. Recedant ergo ab anima mea, qui dicunt ei, Interest unde quis gaudeat.

quæ omni lætitia carebat, 134 Gaudebat mendicus ille vinolentia, tu gaudere cupiebas gloria. Qua gloria, Domine? Quæ non est in te. Nam sicut verum gaudium illud non erat, ita nec illa vera gloria, et amplius evertebat meutem meam. Et ille ipsa nocte digesturus erat ebrietatem suam; ego autem cum mea dormieram et surrexeram, et dormiturus et surrecturus eram; vide quot diebus. Interest vero, unde quis gaudeat, scio: et gaudium spei fidelis incomparabiliter distat ab illa vanitate; sed et tunc distabat inter nos. Nimirum quippe ille fe- D
licior erat, non tantum quod hilaritate perfundebatur, cum ego curis eviscerarer; verum etiam, quod ille bene optando acquisiverat vinum, ego autem mentiendo quærebam typhum. Dixi tunc multa in hac sententia charis meis; et sæpe advertebam in his quomodo mihi esset; et inveniebam male mihi esse, et dolebam, et conduplicabam ipsum male. Et si quid arrisisset prosperum, tædebat apprehendere: quia pæne priusquam teneretur avolabat.

135 Congemiscebamus in his, qui simul amice vivebamus, et maxime ac familiarissime cum Alipio et Nebridio ista colloquebar; quorum Alipius *b* ex eodem erat, quo ego, ortus municipio, parentibus primatibus muuicipalibus, me minor natu; nam et studuerat apud me, cum in nostro docere cœpi oppido, et postea Carthagini: et diligebat me multum, quod ei bonus et doctus viderer; et ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ in nou magna ætate satis eminebat.... Hunc ergo Romæ inveneram, et adhæsit mihi fortissimo vinculo, mecumque Mediolanum profectus est, ut nec me desereret et de jure, quod didicerat, aliquid ageret, secundum votum parentum magis, quam suum... *VII. et propterea cum amicis,* x. E

136 Nebridius etiam, qui relicta patria vicina Carthagini atque ipsa Carthagine, ubi frequentissimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo, et non * secura matre, nullam ob aliam causam Mediolanum venerat, uisi ut mecum viveret in flagrantissimo studio veritatis atque sapientiæ: pariter suspirabat, pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquisitor ardens, et quæstionum difficillimarum scrutator acerrimus. Et erant ora trium egentium, et iuopiam suam sibimet invicem anhelantium, et a te expectantium, ut dares eis escam iu tempore opportuno, et in omui amaritudine, quæ nostros sæculares actus de misericordia tu sequebatur: intuentibus uobis fiuem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ; et aversabamur gementes, et dicebamus, Quamdiu hæc? Et hoc crebro dicebamus: et dicentes non relinquebamus ea; qui non elucebat certum aliquid, quod illis relictis apprehenderemus. *qui Mediolanum venerant,* * al. secutura

137 Et ego maxime mirabar, satagens et recoleus, quam longum tempus esset ab undevicesimo anno ætatis meæ, quo fervere cœperam studio sapientiæ; disponens, ea inventa, relinquere omnes vauarum cupiditatum spes iuaues et insanias mendaces. Et ecce jam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto. hæsitans aviditate fruendi præsentibus, fugientibus et dissipantibus me, dum dico, Cras iuveniam: ecce manifestum apparebit, et tenebo: et ecce Faustus veniet, et exponet omnia. O magni viri Academici, nihil ad agendam vitam certi comprehendi potest? Imo quæramus diligentius, et non desperemus. Ecce jam non sunt absurda in libris Ecclesiasticis, quæ absurda videbantur, et possunt aliter atque honeste intelligi. Figam pedes in eo gradu, in quo puer a parentibus positus eram; donec inveniatur perspicua veritas. *XI. inter diversas animi fluctuationes* F

138 Sed ubi quæretur? quaudo quæretur? Ubi Non vacat Ambrosio, nou vacat legere. Ubi ipsos codices quærimus? Unde aut quando comparamus? a quibus sumimus? Deputeutur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ. Magna spes oborta est. Non docet Catholica fides, quod putabamus, et vani accusabamus. Nefas habent docti ejus, credere Deum figura humani corporis terminatum: et dubitamus pulsare, quo aperiantur *de veritate ulterius inquirenda*

A aperiantur cetera? Antemeridianas horas * discipuli occupant, ceteris quid facimus? Cur non id agimus? Sed quando salutamus amicos majores, quorum suffragiis opus habemus? Quando præparamus, quod emant scholastici? Quando reparamus nosipsos, animum relaxando ab intentione curarum? Pereant omnia, et dimittamus hæc vana et inania; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est, mors incerta. Si subito obrepat, quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quæ hic neglesimus? An non potius hujus negligentiæ supplicia luenda sunt? Quid si mors ipsa omnem curam cum sensu amputabit et finiet? Ergo et hoc quærendum. Sed absit ut ita sit. Non vacat, non est inane, quod tam eminens culmen auctoritatis Christianæ fidei toto orbe diffunditur. Numquam tanta et talia pro nobis divinitus agerentur, si morte corporis etiam vita animæ consumeretur. Quid cunctamur igitur, relicta spe sæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, et vitam beatam?

* al. meridianis horis

B 139 Sed expecta : jucunda sunt etiam ista, habent non parvam dulcedinem suam. Non facile ab eis præcidenda est intentio, quia turpe est ad ea rursum redire. Ecce jam quantum est, ut impetretur aliquis honor? Et quid amplius in his desiderandum? Suppetit amicorum majorum copia, ut nihil aliud, et multum festinemus; vel præsidatus dari potest; et ducenda uxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum gravet : et ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri, et imitatione dignissimi, sapientiæ studio cum conjugibus dediti fuerunt. Cum hæc dicebam, et alternabant hi venti, et impellebant huc atque illuc cor meum, transibant tempora, et tardabam converti ad Dominum Deum; et differebam de die in diem vivere in te, et non differebam quotidie in memetipso mori. Amans beatam vitam, timebam illam in sede sua; et ab ea fugiens, quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminæ privarer amplexibus; et medicinam misericordiæ tuæ ad eamdem infirmitatem sanandam non cogitabam : quia expertus non eram, et propriarum virium credebam esse continentiam : quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum C est, Neminem esse posse continentem, nisi tu dederis. Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, et fide solida in te jactarem curam meam.

et tranquillo vitæ genere eligendo deliberat.

140 Prohibebat me sane Alipius ab uxore ducenda, causans nullo modo nos posse securo otio simul in amore sapientiæ vivere, sicut jam diu desideraveramus, si id fecissem. Erat enim ipse in ea re etiam tunc castissimus, ita ut mirum esset; quia vel experientiam concubitus ceperat in ingressu adolescentiæ suæ, sed non hæserat, magisque doluerat et spreverat; et deinde jam continentissime vivebat. Ego autem resistebam illi exemplis eorum, qui conjugati coluissent sapientiam, et promeruissent Deum, et habuissent fideliter ac dilexissent amicos. A quorum ego quidem granditate animi longe aberam : et delectatus * morbo carnis, et mortifera suavitate trahebam catenam meam, solvi timens; et quasi concusso vulnere repellens verba bene suadentis, tamquam manum solventis.

XII. *Cum Augustinus vitam cælibem,*

* al. delicatus, aut deligatus

141 Insuper etiam per me ipse quoque Alipio loquebatur serpens, et innectebat atque spargebat per linguam meam dulces laqueos in via ejus, quibus illi honesti et expediti pedes implicarentur.

de qua cum Alypio disputaverat,

Cum enim me ille miraretur, quem non parvipenderet, ita hærere visco illius voluptatis, ut me affirmarem, quotiescumque inde inter nos quæreremus, cœlibem vitam nullo modo posse degere; atque ita me defenderem, cum illum mirantem viderem, ut dicerem multum interesse inter illud, quod ipse raptim et furtim expertus esset, quod pæne jam nec meminisset quidem, atque ideo nulla molestia facile contemneret delectiones consuetudinis meæ : ad quas si accessisset honestum nomen matrimonii, non cum mirari oporteret, cur ego illam vitam nequirem spernere; cœperat et ipse desiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim scire se cupere, quidnam esset illud, sine quo vita mea, quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed pœna videretur.

A. ipso S. Augustino.

142 Stupebat enim liber ab illo vinculo animus servitutem meam, et stupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipsam experientiam, atque inde fortasse lapsurus in eam, quam stupebat servitutem, quoniam sponsionem volebat facere cum morte. Et qui amat periculum, incidet in illud. Neutrum enim nostrum, si quod est E conjugale decus in officio regendi matrimonii et suscipiendorum liberorum, ducebat nisi tenuiter. Magna autem ex parte atque vehementer consuetudo satiandæ insatiabilis concupiscentiæ me captum excruciabat; illum autem admiratio capiendum trahebat. Sic eramus, donec tu, Altissime, non deferens humum nostram, miseratus miseros, subvenires miris et occultis modis.

sibi intolerabilem judicaret,

143 Et instabatur impigre, ut ducerem uxorem. Jam petebam, jam promittebatur, maxime matre dante operam, quo me jam conjugatum baptismus salutaris ablueret, quo me indies gaudebat aptari; et vota sua ac promissa tua in mea fide compleri animadvertebat. Cum sane et rogatu meo et desiderio suo forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, ut ei per visum ostenderes aliquid de futuro matrimonio meo, numquam voluisti. Et videbat quædam vana et phantastica, quo cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus, et narrabat mihi, non cum fiducia, qua solebat, cum tu demonstrabas ei, sed contemnens ea. Dicebat enim discernere se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter revelantem te, et F animam suam somniantem. Instabatur tamen, et puella petebatur, cujus ætas ferme biennio minor quam nubilis erat; et quia ea placebat, expectabatur.

XIII. *mater ei uxorem parat :*

144 Et multi * amici agitaveramus animo, et colloquentes ac detestantes turbulentas humanæ vitæ molestias pæne jam firmaveramus remoti a turbis otiose vivere; id otium sic moliti, ut si quid habere possemus, conferremus in medium, unamque rem familiarem conflaremus ex omnibus; ut per amicitiæ sinceritatem non esset aliud hujus et aliud illius, sed quod et cunctis fieret unum, et universum singulorum esset, et omnia omnium : cum videremur nobis esse posse decem ferme homines in eadem societate, essentque inter nos prædivites, Romanianus *c* maxime c municeps noster, quem tunc graves æstus negotiorum suorum ad comitatum *d* attraxerant, ab d ineunte ætate mihi familiarissimus; qui maxime instabat huic rei, et magnam in suadendo habebat auctoritatem, quod ampla res ejus multum ceteris anteibat. Et placuerat nobis, ut bini annui tamquam magistratus omnia necessaria curarent, ceteris quietis. Sed posteaquam cœpit cogitari, utrum

XIV. *sed ipse interim, abjecto vitæ communis consilio,*

* al. multa

A. ipso S. Augustino.

* al. firmabamus

* al. additur convertebamur

utrum hoc mulierculæ sinerent, quas et alii nostrum jam habebant, et nos habere volebamus, totum illud placitum, quod bene formabamus *, dissiluit in manibus, atque confractum et abjectum est. Inde ad suspiria et gemitus *, et gressus ad sequendas latas et tritas vias sæculi; quoniam multæ cogitationes erant in corde nostro, consilium autem tuum manet in æternum. Ex quo consilio deridebas nostra, et tua præparabas, nobis daturus escam in opportunitate, et aperturus manum tuam, atque impleturus animas nostras benedictione.

XV. concubinæ suæ discedenti aliam substituit,

145 Interea peccata mea multiplicabantur, et avulsa a latere meo, tamquam impedimento conjugii, cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhærebat, concisum et vulneratum mihi erat, et trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat, vovens tibi alium si virum nescituram, relicto apud me naturali ex illa filio *e* meo. At ego infelix, nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tamquam post biennium accepturus eam, quam petebam, quia non amator conjugii, sed libidinis servus eram, procuravi aliam, non utique conjugem; qua tamquam sustentaretur et perduceretur vel integer vel auctior morbus animæ meæ satellitio perdurantis consuetudinis in regnum uxorium. Nec sanabatur vulnus illud meum, quod prioris præcisione factum fuerat, sed post fervorem doloremque acerrimum putrescebat, et quasi frigidius, sed desperatius dolebat.

XVI. et in carnis voluptatibus quærebat beatam vitam,

146 Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, et tu propinquior. Aderat jam jamque dextera tua, raptura me de cœno et ablutura, et ignorabam. Nec me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii tui; qui per varias quidem opiniones, numquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio et Nebridio de finibus bonorum et malorum: Epicurum *f* accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, et tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.

quam in solo Deo invenire poterat.

147 Et quærebam, si essemus immortales, et in perpetua corporis voluptate, sine nullo amissionis terrore viveremus, cur non essemus beati, aut quid aliud quæreremus? Nesciens idipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus et cæcus cogitare non possem lumen honestatis, et gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non videt oculus carnis, et videtur ex intimo. Nec considerabam miser, ex qua vena mihi manaret, quod ista ipsa, fœda tamen, cum amicis dulciter conferebam; nec esse sine amicis poteram beatus, etiam secundum sensum, quem tunc habebam, in quantalibet affluentia carnalium voluptatum. Quos utique amicos gratis diligebam, vicissimque ab eis me diligi gratis sentiebam. O tortuosas vias! Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem; et dura sunt omnia, et tu solus requies. Et ecce ades; et liberas a miserabilibus erroribus, et constituis nos in via tua, et consolaris, et dicis, Currite, ego feram, et ego perducam, et ibi ego feram.

ANNOTATA.

a *Valentiniano II, cujus* comitatus fuerat constitutus *Mediolani, ut loquitur Possidius num.* 3.

b *De S. Alypio, Tragastensi deinde episcopo, actum est in Opere nostro tom.* 3 *Augusti a pag.* 201.

c *Romaniano Mæcenati suo inscripsit Sanctus libros contra Academicos, et de vera Religione. De illo mentio facta est in Commentario num.* 42 *et alibi. Plura de Romaniano collegit Tillemontius tom.* 13 *Monumentorum in* Augustino *artic.* 37 *et* 38.

d *Id est, ad aulam imperatoris Valentiniani II.*

e *De filio Augustini Adeodato vide Commentarium num.* 29, *et* 44.

f *Sententia Epicuri, felicitatem hominis in sola voluptate constituentis, passim nota est eruditis. Refutatur illa a Cicerone in libris de Finibus.*

CAPUT XIII.

Paulatim crescens in eo notitia Dei immutabilis et infinite boni contra errores Manichæorum.

Liber VII. Caput I. Cum Deum inviolabilem

Jam mortua erat adolescentia mea mala et nefanda, et ibam in juventutem, quanto ætate major, tanto vanitate turpior; qui cogitare aliquid substantiæ nisi tale non poteram, quale per hos oculos videri solet. Non te cogitabam, Deus, in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapientia cœpi: semper hoc fugi; et gaudebam me hoc reperisse in fide spiritualis matris nostræ Catholicæ tuæ: sed quid te aliud cogitarem, non occurrebat. Et conabar cogitare te homo, et talis homo, summum et solum et verum Deum: et te incorruptibilem, et inviolabilem, et incommutabilem, totis medullis credebam; quia nesciens unde et quomodo, plane tamen videbam, et certus eram, id, quod corrumpi potest, deterius esse, quam id, quod non potest: et quod violari non potest, incunctanter præponebam violabili; et quod nullam patitur mutationem, melius esse, quam id, quod mutari potest.

et immutabilem crederet,

149 Clamabat violenter cor meum adversus omnia phantasmata mea, et hoc uno ictu conabar abigere circumvolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ: et vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rursus aderat, et irruebat in adspectum meum, et obnubilabat eum; ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer, per spatia locorum, sive infusum mundo, sive etiam extra mundum per infinita diffusum, etiam ipsum incorruptibile et inviolabile et incommutabile, quod corruptibili et violabili et commutabili præponebam: quoniam quidquid privabam spatiis talibus, nihil mihi esse videbatur. Sed prorsus nihil, ne inane quidem, tamquam si corpus auferatur loco, et maneat locus omni corpore vacuatus, et terreno et humido et aereo et cælesti: sed tamen sit locus inanis, tamquam spatiosum nihil.

etiamsi necdum incorporeum,

150 Ego itaque incrassatus corde, nec mihimetipsi vel ipse conspicuus, quidquid non per aliquanta spatia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet aut capere posset, nihil prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum: nec videbam

A debam hanc eamdem intentionem, qua illas ipsas imagines formabam, non esse tale aliquid, quæ tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid. Ita etiam te, Vita vitæ meæ, grandem per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem, et extra eam quaquaversum per immensum sine termino, ut haberet te terra, haberet cælum, haberent omnia, et illa finirentur in te, tu autem nusquam. Sicut autem luci solis non obsisteret corpus aëris hujus, qui supra terram est, quo minus per eum trajiceretur penetrans eum, non dirumpendo aut concidendo, sed implendo eum totum; sic tibi putabam non solum cæli et aëris et maris, sed etiam terræ corpus pervium, et ex omnibus maximis minimisque partibus penetrabile, ad capiendam præsentiam tuam occulta inspiratione intrinsecus et extriusecus administrantem omnia, quæ creasti. Ita suspicabar, quia cogitare aliud non poteram; nam falsum erat. Illo enim modo major pars terræ majorem tui partem haberet, et minorem minor; atque ita te plena essent omnia, ut amplius tui caperet elephanti corpus quam passeris, quo es-
B set isto grandius, grandioremque occuparet locum; atque ita frustatim partibus mundi, magnis magnas, brevibus breves partes tuas præsentes faceres. Non es autem ita. Sed nondum illuminaveras tenebras meas.

II. tamen inde agnoscebat errorem Manichæorum,

151 Sat erat mihi, Domine, adversus deceptos illos et deceptores et loquaces mutos, quoniam non ex eis sonabat verbum tuum: sat erat ergo illud, quod jam diu ab usque Carthagine a Nebridio proponi solebat, et omnes, qui audieramus, concussi sumus. Quid erat tibi factura nescio quæ gens tenebrarum, quam ex adversa mole solent opponere, si tu cum ea pugnare noluisses *? Si enim responderetur, aliquid fuisse nocituram, violabilis tu et corruptibilis fores. Si autem nihil ea nocere potuisse diceretur, nulla afferretur causa pugnandi; et ita pugnandi, ut quædam portio tua et membrum tuum, vel proles de ipsa substantia tua misceretur adversis potestatibus, et non a te creatis naturis; atque in tantum ab eis corrumperetur et commutaretur in deterius, ut a beatudine in miseriam verteretur; et indigeret auxilio, quo erui purgarique posset: et hanc esse animam, cui tuus sermo servienti
C liber, et contaminatæ purus, et corruptæ integer subveniret; sed et ipse corruptibilis, quia ex una eademque substantia. Itaque, si te, quidquid es, id est, substantiam tuam quasi incorruptibilem dicerent, falsa esse illa omnia et execrabilia: si autem corruptibilem; idipsum jam falsum, et prima voce abominandum. Sat ergo erat istud adversus eos omnino evomendos a pressura pectoris; quia non habebant, qua exirent, sine horribili sacrilegio cordis et linguæ, sentiendo de te ista et loquendo.

* *al.* voluisses?

III. et hinc deprehendebat,

152 Sed et ego adhuc, quamvis incontaminabilem, et inconvertibilem, et nulla ex parte mutabilem dicerem, firmeque sentirem Dominum nostrum Deum verum, qui fecisti non solum animas nostras, sed etiam corpora, nec tantum animas nostras et corpora, sed omnes et omnia, non tenebam explicitam et enodatam causam mali. Quæcumque tamen esset, sic eam quærendam videbam *, ut non per illam coustringerer Deum incommutabilem mutabilem credere, ne ipse fierem quod quærebam. Itaque securus eam quærebam, et certus non esse verum, quod illi dicerent; quos toto animo fugiebam, quia videbam quærendo unde malum, repletos malitia, qua opinarentur tuam potius substantiam etiam male pati, quam suam male facere. Et intendebam ut cernerem, quod audiebam, liberum voluntatis arbitrium causam esse ut male faceremus, et rectum judicium tuum, ut pateremur; et eam liquide cernere non valebam.

* *al.* putabam,

A. ipso S. Augustino.

liberum arbitrium esse causam peccati,

153 Itaque aciem mentis de profundo educere conatus, mergebar iterum, et sæpe conatus mergebar iterum atque iterum. Sublevabat enim me in lucem tuam, quod jam tam sciebam me habere voluntatem, quam me vivere. Itaque, cum aliquid vellem aut nollem, non aliud quam me velle ac nolle certissimus eram, et ibi esse causam peccati mei jam jamque animadvertebam. Quod autem invitus facerem, pati me potius quam facere videbam; et id non culpam, sed pœnam esse judicabam, qua me non injuste plecti, te justum cogitans, cito fatebar. Sed rursus dicebam: Quis fecit me? Nonne Deus meus, non tantum bonus, sed ipsum bonum? Unde igitur mihi male velle et bene nolle, ut esset cur juste pœnas luerem? Quis in me hoc posuit, et inseruit mihi plantarium amaritudinis, cum totus E fierem a dulcissimo Deo meo? Si diabolus auctor, unde ipse diabolus? Quod si et ipse perversa voluntate ex bono angelo diabolus factus est; unde et in ipso voluntas mala, qua diabolus fieret, quando totus angelus a conditore optimo factus esset bonus? Et his cogitationibus deprimebar iterum, et suffocabar: sed non usque ad illum infernum subducebar erroris, ubi nemo confitebitur tibi, dum tu potius mala pati, quam homo facere putabatur.

IV. Deumque cogi non posse,

154 Sic enim nitebar cetera invenire, ut jam inveneram, melius esse incorruptibile quam corruptibile: et ideo te, quidquid esses, esse incorruptibilem confitebar. Neque enim ulla anima umquam potuit, poteritve cogitare aliquid, quod sit te melius, qui summum et optimum bonum es. Cum autem verissime atque certissime incorruptibile corruptibili præponatur (sicut jam ego præponebam) poteram jam cogitatione aliquid attingere, quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis. Ubi igitur videbam incorruptibile corruptibili esse præferendum, ibi te quærere debebam, atque inde advertere, unde sit malum, id est, unde sit ipsa corruptio, qua violari substan- F tia tua nullo modo potest. Nullo enim prorsus modo violat corruptio Deum nostrum, nulla voluntate, nulla necessitate, nullo improviso casu; quoniam ipse est Deus, et quod sibi vult bonum est, et ipse est idem bonum. Corrumpi autem non est bonum. Nec cogeris invitus ad aliquid; quia voluntas tua non est major potentia tua. Esset autem major, si teipso tuipse major esses: voluntas enim et potentia Dei, Deus ipse est. Et quid improvisum tibi, qui nosti omnia; et nulla natura est, nisi quia nosti eam? Et ut quid multa dicimus, cur non sit corruptibilis substantia, quæ Deus est, quando si hoc esset, non esset Deus?

V. qui cum summe bonus omnem creaturam impleret,

155 Et quærebam, unde malum; et male quærebam; et in ipsa inquisitione mea non videbam malum. Et constituebam in conspectu spiritus mei universam creaturam, quidquid in ea cernere possumus; sicuti est terra, et mare, et aer, et sidera, et arbores, et animalia mortalia; et quidquid in ea non videmus, sicut firmamentum cæli, insuper et omnes angelos, et cuncta spiritualia ejus: sed etiam ipsa, quasi corpora essent, locis et locis ordinavit imaginatio mea: et feci unam massam grandem distinctam generibus corporum

A. ipso S. Augustino. * al. creaturam tuam

corporum creaturarum tuarum * ; sive quæ revera corpora erant, sive quæ ipse pro spiritibus finxeram. Et eam feci grandem, non quantum erat (quod scire non poteram) sed quantum libuit, undiqueversum sane finitam. Te autem, Domine, ex omni parte ambientem et penetrantem eam, sed usquequaque infinitum : tamquam si mare esset ubique, et undique per immensa spatia infinitum solum mare, et haberet infra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen ; plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari : sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, et dicebam, Ecce Deus, et ecce quæ creavit Deus, et bonus est Deus, atque his validissime longissimeque præstantior ; sed tamen bonus bona creavit, et ecce quomodo ambit atque implet ea.

Augustinus anxie quærebat, *unde malum irrepserit.*

156 Ubi ergo malum, et unde, et qua huc irrepsit? Quæ radix ejus? et quod semen ejus? An omnino non est? Cur ergo timemus et cavemus, quod non est? Aut si inaniter timemus, certe vel timor ipse malum est, quo incassum stimulatur et excruciatur cor. Et tanto gravius malum, B quanto non est quod timeamus, et timemus. Idcirco aut est malum, quod timemus; aut hoc malum est, quia timemus. Unde est igitur? Quoniam Deus fecit hæc omnia, bonus bona. Majus quidem et summum bonum minora fecit bona; sed tamen et creans et creata, bona sunt omnia. Unde est malum? Aut *a* unde fecit ea? Materies aliqua mala erat, et formavit atque ordinavit eam, sed reliquit aliquid in illa, quod in bonum non converteret? Cur et hoc? An impotens erat totam vertere et commutare, ut nihil mali remaneret, cum sit omnia potens? Postremo, cur inde aliquid facere voluit, ac non potius eadem omnipotentia fecit, ut nulla esset omnino? Aut vero existere poterat contra ejus voluntatem? Aut si æterna erat, cur tamdiu per infinita retro spatia temporum sic eam sivit esse, ac tanto post placuit aliquid ex ea facere?

157 Aut jam si aliquid subito voluit agere, hoc potius ageret Omnipotens, ut illa non esset, atque ipse solus esset, totum verum et summum et infinitum bonum. Aut si non erat bene, ut non aliquid boni etiam fabricaret et conderet, qui bonus erat, illa sublata et ad nihilum redacta materia, quæ mala erat, C bonam ipse institueret, unde omnia crearet. Non enim esset omnipotens, si condere non posset aliquid boni, nisi ea, quam ipse non condiderat, adjuvaretur materia. Talia volvebam pectore misero, ingravidato curis mordacissimis de timore mortis, et non inventa veritate : stabiliter tamen hærebat in corde meo in Catholica Ecclesia fides Christi tui et Domini et Salvatoris nostri; in multis quidem adhuc informis, et præter doctrinæ normam fluitans *, sed tamen non eam relinquebat animus, imo in dies magis magisque imbibebat.

* al. fluctuans

ANNOTATIO.

a *Aliqui hic legunt* : An unde fecit ea, materies aliqua *etc.*



D

CAPUT XIV.

Vanitas divinationis astrologicæ ei monstrata, origo mali difficulter inquisita, et in libris Platonicorum reperta quædam fidei Christianæ consentanea.

VI. Vanas astrologorum divinationes contemnit,

Jam etiam Mathematicorum fallaces divinationes et impia deliramenta rejeceram. Confiteantur etiam hinc tibi de intimis visceribus animæ meæ miserationes tuæ, Deus meus. Tu enim, tu omnino; nam quis alius a morte omnis erroris revocat nos, nisi Vita, quæ mori nescit; et Sapientia mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine, qua mundus administratur, usque ad arborum volatica folia? Tu procurasti E pervicaciæ meæ, qua obluctatus sum Vendiciano *a* acuto seni, et Nebridio adolescenti mirabilis animæ; illi vehementer affirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua, sed tamen crebro dicenti, non esse ullam * artem futura prævidendi; conjecturas autem hominum habere sæpe vim sortis, et multa dicendo dici pleraque ventura, nescientibus eis, qui dicerent, sed in ea non tacendo incurrentibus.

* al. illam

dum ex amico quodam audit, *sub eadem constellatione nasci*

159 Procurasti ergo tu hominem amicum, non quidem segnem consultorem Mathematicorum, nec eas litteras bene callentem, sed (ut dixi) consultorem curiosum : et tamen scientem aliquid, quod a patre suo se audisse dicebat; quod quantum valeret ad illius artis opinionem evertendam, ignorabat. Is ergo vir nomine Firminus *b*, liberaliter institutus, et excultus eloquio, cum me tamquam charissimum de quibusdam suis rebus, in quas sæcularis spes ejus intumuerat, consuleret quid mihi secundum suas, quas constellationes appellant, videretur; ego autem, qui jam de hac re in Nebridii sententiam flecti cœperam, non quidem abnuerem conjicere ac dicere, quod nutanti occurrebat, sed tamen subjicerem, F prope jam mihi esse persuasum, ridicula esse illa et inania.

160 Tum ille mihi narravit patrem suum fuisse librorum talium curiosissimum, et habuisse amicum æque illa simul sectantem, qui pari studio et collatione flagrabant * in eas nugas igne cordis sui : ita ut mutorum quoque animalium, si quæ domi parerent, observarent momenta nascentium, atque ad ea positionem cæli notarent, unde illius quasi artis experimenta colligerent. Itaque dicebat audisse se a patre suo, quod cum de eodem Firmino prægnans mater esset, etiam illius paterni amici famula quædam pariter utero grandescebat, quod latere non potuit dominum, qui etiam canum suarum partus examinatissima diligentia nosse curabat. Atque ita factum esse, ut cum iste conjugis, ille autem ancillæ dies et horas, minutioresque horarum articulos cautissima observatione numerarent, enixæ essent ambæ simul : ita ut easdem constellationes, usque ad easdem minutias, utrique nascenti facere cogerentur, iste filio, ille servulo. Nam cum mulieres parturire cœpissent, indicaverunt sibi ambo, quid in sua cujusque domo ageretur, et paraverunt,

* al. flatabant

A runt, quos ad se invicem mitterent : simul ut natum, quod parturiebatur, esset, cuique nuntiatum; quod tamen ut continuo nuntiaretur, tamquam in regno suo facile effecerant. Atque ita qui ab alterutro missi sunt tam ex paribus domorum intervallis sibi obviam factos esse dicebat, ut aliam positionem siderum, aliasque particulas monumentorum, neuter eorum notare sineretur. Et tamen Firminus amplo apud suos loco natus, dealbatiores vias sæculi cursitabat, augebaturque divitiis, sublimabatur honoribus : servus autem ille, conditionis jugo nullatenus relaxato, dominis serviebat, ipso indicante, qui noverat eum.

dominum et servum, 161 His itaque auditis et creditis (talis quippe narraverat) omnis illa reluctatio mea resoluta concidit : et primo Firminum ipsum conatus sum àb illa curiositate revocare, cum dicerem constellationibus ejus inspectis, ut vera prænuntiarem, debuisse me utique videre ibi, parentes inter suos esse primarios, nobilem familiam propriæ civitatis, natales ingenuos, honestam educationem, liberalesque doctrinas. At si me ille servus ex eisdem con-B stellationibus, quia et illius ipsæ essent, consuluisset, ut eidem quoque vera proferrem, debuisse me rursum ibi videre abjectissimam familiam, conditionem servilem, et cetera longe a prioribus aliena, longeque distantia. Unde autem fieret, ut eadem inspiciens diversa dicerem, si vera dicerem; si autem eadem dicerem, falsa dicerem? Inde certissime collegi, ea, quæ vera, consideratis constellationibus, dicerentur, non arte dici, sed forte : quæ autem falsa, non artis imperitia, sed fortis mendacio.

quin imo geminos diversæ conditionis. ** al. auditu* 162 Hinc autem accepto aditu *, ipse mecum talia ruminando, ne quis eorumdem delirorum, qui talem quæstum sequerentur (quos jam jamque invadere atque irrisos refellere cupiebam) mihi ita resisteret, quasi aut Firminus mihi, aut illi pater falsa narraverit, intendi considerationem in eos, qui gemini nascuntur : quorum plerique ita post invicem funduntur ex utero, ut parvum ipsum temporis intervallum, quantamlibet vim in rerum natura habere contendant, colligi tamen humana observatione non possit, litterisque signari omnino non valeat, quas Mathematicus inspecturus est, ut vera pronuntiet. Et non erunt vera, quia easdem litteras inspiciens, eadem debuit dicere de Esau et Jacob. Sed non eadem utrique accide-C runt : falsa ergo diceret. Aut si vera diceret, non eadem diceret, at * eadem inspiceret. Non ergo arte, sed forte vera diceret. Tu enim, Domine justissime, moderator universitatis, consulentibus consultisque nescientibus occulto instinctu agis, ut dum quisque consulit, hoc audiat, quod oportet eum audire occultis meritis animarum, et abysso justi judicii tui; cui non dicat homo. Quid est hoc? aut, ut quid hoc? Non dicat, non dicat; homo est enim.

** al. etiamsi*

VII. Etsi frustra laboraret investigando originem mali, 163 Jam itaque me, Adjutor meus, illis vinculis solveras; et quærebam unde malum, et non erat exitus. Sed me non sinebas ullis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide, qua credebam et esse te, et esse incommutabilem substantiam tuam, et esse de hominibus curam et judicium tuum : et in Christo Filio tuo Domino nostro, atque in Scripturis sanctis, quas Ecclesiæ tuæ Catholicæ commendaret auctoritas, viam te posuisse salutis humanæ ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est. His itaque salvis, atque inconcusse roboratis in animo meo, quærebam æstuans, unde sit malum. Quæ illa tormenta parturientis cordis mei, qui gemitus, Deus meus! Et ibi erant aures tuæ, nesciente me. Et cum in silentio fortiter quærerem, magnæ voces erant ad misericordiam tuam, tacitæ contritiones animi mei. *A. ipso S. Augustino.*

164 Tu sciebas, quod patiebar, et nullus hominum. Quantum enim erat, quod inde digerebatur per linguam meam in aures familiarissimorum meorum? Numquid totus tumultus animæ meæ, cui nec tempora nec os meum sufficiebat, sonabat eis? Totum tamen ibat in auditum tuum, quod rugiebam a gemitu cordis mei, et ante te erat desiderium meum, et lumen oculorum meorum non erat mecum. Intus enim erat, ego autem foris. Nec in loco illud : at ego intendebam in ea, quæ locis continentur, et non ibi inveniebam locum ad requiescendum : nec recipiebant * me ista ut dicerem, Sat est, et bene est : nec dimittebant redire, ubi mihi satis esset bene. Superior enim eram istis, te vero inferior : et tu gaudium verum mihi subdito tibi, et tu mihi subjeceras, quæ infra me creasti. *et propter superbiam nesciret,* ** al. rapiebant*

165 Et hoc erat rectum temperamentum, et media regio salutis meæ, ut manerem ad imaginem tuam, et tibi serviens dominarer corpori. Sed cum superbe contra te surgerem, et currerem adversus Dominum in cervice crassa scuti E mei, etiam ista infirma supra me facta sunt, et premebant, et nusquam erat laxamentum et respiramentum. Ipsa occurrebant undique acervatim et conglobatim cernenti : cogitanti autem imagines corporum, ipsæ opponebantur redeunti, quasi diceretur, Quo is indigne et sordide? Et hæc de vulnere meo creverant, quia humiliasti tamquam vulneratum superbum, et tumore meo separabar abs te, et nimis inflata facies mea claudebat oculos meos. *quid esset spiritus,*

166 Tu vero, Domine, in æternum manes : et non in æternum irasceris nobis, quoniam miseratus es terram et cinerem; et placuit in conspectu tuo reformare deformia mea. Et stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses. Et sic residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, aciesque conturbata et contenebrata mentis meæ acri collirio salubrium dolorum meorum, de die in diem sanabatur. *VIII. tamen Deo juvante,*

167 Et primo volens ostendere mihi quam resistas superbis, humilibus autem des gratiam; et quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, quod Verbum tuum caro factum est, et habitavit inter homines : procurasti F mihi per quemdam hominem, immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos : et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus; quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in eo, vita est : et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed Verbum Dei. Deus est enim lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Quia vero in sua propria venit, et sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus : non ibi legi. *IX. in quibusdam libris Platonicorum*

168 Item

A. ipso S. Augustino reperit divinitatem Christi,

168 Item ibi legi: Quia Deus Verbum, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Sed quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: non ibi legi. Indagavi quippe in illis litteris varie dictum, et multis modis, quod sit Filius in forma Patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter idipsum est. Sed quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltavit eum a mortuis, et donavit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris: non habent illi libri.

non vero ejus humilitatem,

169 Quod enim ante omnia tempora, et supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus Filius tuus coæternus tibi; et quia de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut beatæ sint, et quia participatione manentis in se sapientiæ
B renovantur, ut sapientes sint: est ibi. Quod autem secundum tempus pro impiis mortuus est, et Filio unico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum: non est ibi. Abscondisti enim hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis, ut venirent ad eum laborantes et onerati, et reficeret eos, quoniam mitis est et humilis corde; et dirigit mites in judicio, et docet mansuetos vias suas, videns humilitatem nostram, et laborem nostrum, et dimittens omnia peccata nostra. Qui autem cothurno tamquam doctrinæ sublimioris elati, non audiunt dicentem, Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris: etsi cognoscunt Deum, non sicut Deum glorificant, aut gratias agunt, sed evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.

et inde velut spolia Ægypti collegit.

170 Et ideo legebam ibi etiam immutatam gloriam incorruptionis tuæ in idola et varia simulachra, in similitudinem imaginis incorruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum; videlicet Ægyptium *c* cibum, quo Esau perdidit primogenita sua, quoniam caput quadrupedis pro te honoravit populus primogeC nitus, conversus corde in Ægyptum, et curvans imaginem tuam, animam suam ante imaginem vituli manducantis fœnum: inveni hæc ibi, et non manducavi. Placuit enim tibi, Domine, auferre opprobrium diminutionis ab Jacob, ut major serviret minori, et vocasti gentes in hereditatem tuam. Et ego ad te veneram ex gentibus, et intendi in aurum, quod ab Ægypto voluisti ut auferret populus tuus, quoniam tuum erat, ubicumque erat. Et dixisti Atheniensibus per Apostolum tuum, quod in te vivimus, et movemur, et sumus; sicut et quidam secundum eos dixerunt. Et utique inde erant illi libri. Et non attendi in idola Ægyptiorum, quibus de auro tuo ministrabant, qui transmutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori.

ANNOTATA.

a *De Vendiciano pauca notavi ad cap. 6 lit. a.*
b *Firminus hic alibi mihi non occurrit.*
c *In Psalmum 46 sic disserit sanctus Doctor:* Lenticulam autem invenimus cibum esse Ægyptiorum, nam ibi abundat in Ægypto; unde D magnificatur lenticula Alexandrina, et venit usque ad terras nostras, quasi hic non nascatur lenticula. Ergo Esau desiderando cibum Ægyptium perdidit primatum. Sic et populus Judæorum, de quo dictum est: Conversi sunt corde in Ægyptum, lenticulam quodam modo desideraverunt, et primatum perdiderunt. *Eodem sensu hic loquitur Sanctus.*

CAPUT XV.

Cognitio Dei et Verbi incarnati clarius ex sacris Litteris ab ipso hausta, quam ex libris Platonicorum, cum in his plura fidei nostræ mysteria omissa sint.

E

x. Tandem divina inspiratione discit,

Et inde admonitur redire ad memetipsum, intravi in intima mea duce te: et potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem et conspicuam omni carni; nec quasi ex eodem genere grandior erat, tamquam si ista multo multoque clarius clarescerct, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam; nec sicut cælum super terram; sed superior, quia ipsa fecit me, et ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam: et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam.

quid sit Deus,

172 O æterna Veritas, et vera Charitas, et chara Æternitas! Tu es Deus meus: tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse, quod viderem, et nondum me esse, qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, et contremui amore et horrore: et inveni me longe esse a te in regione dissimilitudinis, tamquam audirem vocem tuam de excel- F so, Cibus sum grandium, cresce, et manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et cognovi, quoniam pro iniquitate erudisti hominem; et tabescere fecisti sicut araneam animam meam. Et dixi, Numquid nihil est Veritas, quoniam neque per finita neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo, Imo vero, ego sum qui sum. Et audivi, sicut auditur in corde; et non erat prorsus unde dubitarem. Faciliusque dubitarem vivere me, quam non esse Veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur.

xi. quomodo sint et non sint creaturæ,

173 Et inspexi cetera infra te, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt: non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt. Id enim vere est, quod incommutabiliter manet. Mihi autem inhærere Deo bonum est: quia si non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in se manens innovat omnia. Et Dominus meus es, quoniam bonorum meorum non eges.

xii.

174 Et manifestatum est mihi, quoniam bona

et explicat, quomodo inter illas. na sunt, quæ corrumpuntur; quæ neque corrumpi possent, si summa bona essent; neque nisi bona essent, corrumpi possent. Quia si summa bona essent, incorruptibilia essent: si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur, non esset. Nocet enim corruptio, et nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non potest: aut, quod certissimum est, omnia, quæ corrumpuntur, privantur bono. Si autem omni bono privabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt, et corrumpi jam non poterunt, meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt.

omnia sint bona. 175 Et quid monstruosius quam ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono privabuntur, omnino nulla erunt Ergo quamdiu sunt, bona sunt. Ergo quæcumque sunt, bona sunt. Malumque illud, quod quærebam unde esset, non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum utique bonum; aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset. Itaque vidi, et manifestatum B est mihi, quia omnia bona tu fecisti; et prorsus nullæ substantiæ sunt, quas tu non fecisti. Et quoniam non æqualia omnia fecisti, ideo sunt omnia (quia singula bona sunt) et simul omnia valde bona: quoniam fecisti, Deus noster, omnia bona valde.

XIII. *laudentque Deum,* a 176 Et tibi omnino non est malum; non solum tibi, sed nec universæ creaturæ tuæ: quia extra te *a* non est aliquid, quod irrumpat, et corrumpat ordinem, quem posuisti ei. In partibus autem ejus, quædam quibusdam quia non conveniunt, mala putantur: et eadem ipsa conveniunt aliis, et bona sunt, et in semetipsis bona sunt. Et omnia hæc quæ sibimet invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, habentem cælum suum nubilosum atque ventosum, congruum sibi. Et absit jam, ut dicerem non esse nisi ista *b*: quia etsi sola ista cernerem, desiderarem quidem meliora, sed jam etiam de solis istis laudare te deberem: quoniam laudandum te ostendunt de terra dracones et omnes abyssi; ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum tuum; montes et omnes colles, ligna fructifera, C et omnes cedri; bestiæ et omnia pecora, reptilia et volatilia pennata; reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ; juvenes et virgines, seniores cum junioribus, laudent nomen tuum. Cum vero etiam de cælis te laudent, laudent te, Deus noster, in excelsis omnes angeli tui, omnes virtutes tuæ, sol et luna, omnes stellæ et lumen, cæli cælorum et aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen tuum. Non jam desiderabam meliora. quia omnia cogitabam; et meliora quidem superiora quam inferiora; sed meliora omnia quam sola superiora judicio saniore pendebam.

XIV. *et nihil displicere debeat in iis,* 177 Non est sanitas eis, quibus displicet aliquid creaturæ tuæ; sicut mihi non erat, cum displicerent multa, quæ fecisti. Et quia non audebat anima mea, ut ei displiceret Deus meus, nolebat esse tuum, quidquid ei displicebat. Et inde ierat in opinionem duarum substantiarum, et non requiescebat, et aliena loquebatur: et inde rediens fecerat sibi Deum per infinita spatia locorum omnium, et cum putaverat esse te; et eum collocaverat in corde suo, et facta erat rursus templum idoli sui abominandum tibi. Sed posteaquam fovisti caput nescientis, et clausisti oculos meos, ne viderent vanitatem, cessavi de me paululum, et consopita est insania mea. Et evigilavi in te, et vidi te infinitum aliter; et visus iste non a carne trahebatur. A ipso S Augustino.

178 Et respexi alia, et vidi tibi debere, quia sunt et in te cuncta finita; sed aliter, non quasi in loco, sed quia tu es omnitenens manu veritate, et omnia vera sunt in quantum sunt: nec quidquam est falsitas, nisi cum putatur esse, quod non est. Et vidi, quia non solum locis sua quæque suis conveniunt, sed etiam temporibus: et quia tu, qui solus æternus es, non post innumerabilia spatia temporum cœpisti operari; quia omnia spatia temporum, et quæ præterierunt, et quæ præteribunt, nec abirent nec venirent, nisi te operante et manente. XV. *qua Deus creavit,*

179 Et sensi, et expertus sum non esse mirum, quod palato non sano pœna est panis, qui sano suavis est; et oculis ægris odiosa lux, quæ puris amabilis est. Et justitia tua displicet iniquis: nedum vipera et vermiculus, quæ bona creasti, apta inferioribus creaturæ tuæ partibus, quibus et ipsi iniqui apti sunt, quanto dissimiliores sunt tibi; apti autem superioribus, quanto similiores fiunt tibi. Et quæsivi quid esset iniquitas, E et non inveni substantiam; sed a summa substantia te Deo detortæ in infimam *c* voluntatis perversitatem, projicientis intima sua, et tumescentis foras. XVI. *licet aliqua quibusdam non sint apta;* c

180 Et mirabar quod jam te amabam, non pro te phantasma. Et non stabam * frui Deo meo, sed rapiebar ad te decore tuo; moxque diripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu: et pondus hoc, consuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui; neque ullo modo dubitabam esse, cui cohærerem, sed nondum esse me, qui cohærerem: quoniam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Eramque certissimus, quod invisibilia tua a constitutione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus et divinitas tua. Quærens enim unde approbarem pulchritudinem corporum, sive cælestium, sive terrestrium; et quid mihi præsto esset integre de mutabilibus judicanti et dicenti, Hoc ita esse debet, illud non ita. Hoc ergo quærens, unde judicarem, cum ita judicarem, inveneram incommutabilem et veram veritatis æternitatem supra mentem meam commutabilem. Atque ita gradatim a corporibus ad sentientem per corpus animam; atque inde ad ejus interiorem vim, cui sensus corporis exteriora nuntiaret; quousque possunt bestiæ. Atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur judicandum, quod sumitur a sensibus corporis. XVII. *Fatetur, se gradatim ab anima* * al. instabam F

181 Quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, et abduxit cogitationem a consuetudine, subtrahens se a contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret, quo lumine aspergeretur; cum sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili, unde nosset ipsum incommutabile: quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo præponeret, et perveniret * ad id, quod * est in ictu trepidantis aspectus. Tum vero invisibilia tua per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexi, sed aciem figere non valui: et repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, et quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem. *ad aliqualem divinitatis agnitionem pervenisse,* * al. pervenit * al. non est

182 Et

A. ipso S. Augustino.

XVIII.

et in Christo, qui via ad salutem est,

182 Et quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te; nec inveniebam, donec amplecterer mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem et dicentem, Ego sum via, veritas, et vita; et cibum, cui capiendo invalidus eram, miscentem carni; quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Jesum Christum, humilis humilem; nec cujus rei magistra esset ejus infirmitas noveram. Verbum enim tuum æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam: in inferioribus autem ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret a seipsis, et ad se trajiceret, sanans tumorem, et nutriens amorem; ne fiducia sui progrederentur longius, sed potius infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam divinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ; et lassi prosternerentur in eam, illa autem
B surgens levaret eos.

XIX.

non agnovisse divinitatem,

183 Ego vero aliud putabam, tantumque sentiebam de Domino Christo meo, quantum de excellentis sapientiæ viro, cui nullus posset æquari; præsertim, quia mirabiliter natus ex Virgine, ad exemplum contemnendorum temporalium pro adipiscenda immortalitate, divina pro nobis cura tantam auctoritatem magisterii meruisse videbatur. Quid autem sacramenti haberet, Verbum caro factum, ne suspicari quidem poteram. Tantum cognoveram ex iis, quæ de illo scripta traderentur, quia manducavit, bibit, dormivit, ambulavit, exhilaratus est, contristatus est, sermocinatus est, non hæsisse carnem illam Verbo tuo, nisi cum anima et mente humana. Novit hoc omnis, qui novit incommutabilitatem Verbi tui, quam ego jam noveram, quantum poteram; nec omnino quidquam inde dubitabam. Etenim nunc movere membra corporis per voluntatem, nunc non movere; nunc aliquo affectu affici, nunc non affici; nunc proferre per signa sapientes sententias, nunc esse in silentio: propria sunt mutabilitatis animæ et mentis. Quæ si falsa de illo scripta essent, etiam omnia periclitarentur men-
C dacio; neque in illis litteris ulla fidei salus generi humano remaneret.

sed excellentis sapientiæ auctoritatem,

184 Quia itaque vera scripta sunt, totum hominem in Christo agnoscebam; non corpus tantum hominis, aut cum corpore sine mente animum, sed ipsum hominem non persona veritatis, sed magna quadam naturæ humanæ excellentia et perfectiore participatione sapientiæ præferri ceteris arbitrabar. Alipius autem Deum carne indutum ita putabat credi a Catholicis, ut præter Deum et carnem non esset in Christo anima, mentemque hominis non existimabat in eo prædicari. Et quoniam bene persuasum tenebat, ea, quæ de illo memoriæ mandata sunt, sine vitali et rationali creatura non fieri, ad ipsam Christianam fidem pigrius movebatur. Sed postea hæretico-
d rum Apollinaristarum *d* hunc errorem esse cognoscens, Catholicæ fidei collætatus et contemperatus est. Ego autem aliquanto posterius didicisse me fateor, in eo, quod Verbum caro factum est, quo-
e modo Catholica veritas a Photini *e* falsitate dirimatur. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere, quid Ecclesia tua sentiat, et quid habeat sana doctrina. Oportuit enim et hæreses esse, ut probati manifesti fierent inter infirmos.

XX.

185 Sed tunc lectis Platonicorum illis libris, posteaquam inde admonitus quærerem incorpo- D
ream veritatem, invisibilia tua per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexi; et repulsus sensi, quid per tenebras animæ meæ contemplari non sinerer certus esse te, et infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosve diffundi; et vere te esse, qui semper idem ipse esses, ex nulla parte nulloque motu aliter aut aliter; cetera vero ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt. Certus quidem in istis eram, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Garriebam plane quasi peritus: et nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem. Jam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea, et non flebam, insuper et inflabar scientia.

donec in libris Platonicorum excitatus

ad quærendam incorpoream veritatem,

186 Ubi enim erat illa ædificans charitas a fundamento humilitatis, quod est Christus Jesus? Aut quando illi libri me docerent eam? In quos me propterea, priusquam Scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere, ut imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem: et cum postea in libris tuis mansuefactus essem, et curantibus digitis tuis contrectarentur E
vulnera mea, discernerem atque distinguerem, quid interesset inter præsumptionem et confessionem; inter videntes, quo eundum sit, nec videntes qua, et viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed et inhabitandam. Nam si primo sanctis tuis Litteris informatus essem, et in earum familiaritate obdulcuisses mihi, et post in illa volumina incidissem; fortasse aut abripuissent me a solidamento pietatis; aut si in affectu, quem salubrem imbiberam, perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.

XXI.

in sacra Scriptura reperit humilitatem.

187 Itaque avidissime arripui venerabilem stylum Spiritus tui, et præ ceteris Apostolum Paulum: et perierunt illæ quæstiones, in quibus mihi aliquando visus est adversari sibi, et non congruere testimoniis Legis et Prophetarum textus sermonis ejus. Et apparuit mihi una facies eloquiorum castorum, et exultare cum tremore didici. Et cepi, et inveni quidquid illic verum legeram, hac cum commendatione gratiæ tuæ dici, ut qui videt, non sic glorietur, quasi non acceperit, non F
solum id, quod videt, sed etiam, ut videat. Quid enim habet, quod non accepit? Et ut te, qui es semper idem, non solum admoneatur, ut videat, sed etiam sanetur, ut teneat. Et qui de longinquo videre non potest, viam tamen ambulet, qua veniat, et videat, et teneat. Quia et si condelectetur homo legi Dei secundum interiorem hominem, quid faciet de alia lege in membris suis repugnante legi mentis suæ, et se captivum ducente in lege peccati, quæ est in membris ejus? Quoniam justus es, Domine, nos autem peccavimus, inique fecimus, impie gessimus, et gravata est super nos manus tua, et juste traditi sumus antiquo peccatori præposito mortis; quia persuasit voluntati nostræ similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate tua non stetit.

et Platonicis ignotam salutis viam

* *al. et possedisti*

188 Quid faciet miser homo? Quis eum liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia tua, per Jesum Christum Dominum nostrum, quem genuisti coæternum: et creasti * in principio viarum tuarum, in quo princeps hujus mundi non invenit quidquam morte dignum: et occidit eum, et evacuatum est chirographum, quod erat contrarium nobis? Hoc illæ litteræ non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis hujus, lacrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum,

A tribulatum, cor contritum et humiliatum, populi salutem, sponsam civitatem, arrham Spiritus sancti, poculum pretii nostri. Nemo ibi cantat, Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse est Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius. Nemo ibi audit vocantem, Venite ad me qui laboratis: et dedignautur ab eo discere, quoniam mitis est, et humilis corde. Abscondisti enim hæc a sapientibus et prudeutibus, et revelasti ea parvulis. Et aliud est de silvestri cacumine videre patriam pacis, et iter ad eam non invenire, et frustra couari per invia, circum obsideutibus et insidiantibus fugitivis desertoribus, cum principe suo leone et dracone: et aliud, tenere vitam illuc ducentem, cura cælestis Imperatoris muuitam, ubi non latrocinautur, qui cælestem militiam deseruerunt: vitant euim eam sicut supplicium. Hæc mihi inviscerabantur miris modis, cum minimum *f* Apostolorum tuorum legerem, et consideraveram opera tua, et expaveram.

B ANNOTATA.

a *Illud* te *melius videtur expunctum, nam* abest a Mss., et abesse debet, cum sensus sit, nihil esse extra universam creaturam, quod ad perturbandum ordinem a Deo constitutum irrumpat, *ut notant editores Benedictini.*

b *Alii hic legunt;* non essent ista; *alii,* non esse ista.

c *Antverpiensis editio habet,* detortam in infima; *alia,* detortæ in infima.

d *De Apollinari, ejusque hæresi consuli potest S. Epiphanius Hæresi* 77, *qui fuse explicat et refutat, ejusque sectatores* Dimœritas *vocat, qui ab auctore deinde vocati sunt* Apollinaristæ.

e *De Photino, ejusque sectatoribus Photinianis, nis, idem Pater tractat hæresi* 71.

f *Paulum dicit, qui se Minimum Apostolorum vocat* I *Cor.* 15 ℣ 9.

CAPUT XVI.

C *Augustinus exemplis aliorum ad conversionem excitatus; sed adhuc in eo languidum imitandi desiderium, et variæ fluctuantis animi affectiones.*

Lib. viii. Cap. i *Augustinus de Catholica fide certus,* * *al.* delectatione

Deus meus, recorder in gratiarum actione tibi, et confitear misericordias tuas super me. Perfundantur ossa mea dilectione * tua, et dicant, Domine quis similis tibi? Dirupisti vincula mea, sacrificem tibi sacrificium laudis. Quomodo dirupisti ea, narrabo; et dicent omnes, qui adorant te, cum audient hæc, Benedictus Dominus in cælo et in terra, magnum et mirabile nomen ejus. Inhæserant præcordiis meis verba tua, et undique circumvallabar abs te. De vita tua æterna certus eram, quamvis eam in ænigmate, et quasi per speculum viderem. Dubitatio tamen omnis de incorruptibili substantia, quod ab illa esset omnis substantia, ablata mihi erat: nec certior de te, sed stabilior in te esse cupiebam. De mea vero temporali vita nutabant

omnia, et mundandum erat cor a fermento veteri: et placebat via ipse Salvator, et ire per ejus angustias adhuc pigebat. *A. ipso S. Augustino.*

190 Et immisisti in mentem meam, visumque est bonum in conspectu meo pergere ad Simplicianum *a*, qui mihi bonus apparebat servus tuus, et lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam, quod a juventute sua devotissime tibi viveret: jam vero tuuc senuerat, et longa ætate in tam bono studio sectandæ viæ tuæ multa expertus, multa edoctus mihi videbatur; et vere sic erat. Unde mihi ut proferret volebam conferenti secum æstus meos, quis esset aptus modus sic affecto, ut ego eram, ad ambulandum in via tua. Videbam enim plenam Ecclesiam; et alius sic ibat, alius autem sic. Mihi autem displicebat quod agebam in sæculo, et oneri mihi erat valde, non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris et pecuniæ ad tolerandam illam servitutem tam gravem. Jam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua, et decore domus tuæ, quam dilexi: sed adhuc tenaciter colligabar ex femina: nec me prohibebat Apostolus conjugari, quamvis exhortaretur ad melius, maxime volens omnes homines sic esse, ut ipse erat. *S. Simplicianum adire statuit, a*

191 Sed ego infirmior eligebam molliorem locum: et propter hoc unum volvebar in ceteris languidus, et tabescens curis marcidis, quod et in aliis rebus, quas nolebam pati, congruere cogebar vitæ conjugali, cui deditus obstringebar. Audieram ex ore Veritatis, esse spadones, qui seipsos absciderunt propter regnum cælorum, sed qui potest (inquit) capere, capiat. Vani sunt certe omnes homines, quibus non inest Dei scientia; nec de iis, quæ videntur bona, potuerunt invenire eum, qui est. At ego jam non eram in illa vanitate: transcenderam eam, et contestante universa creatura tua, inveneram te Creatorem nostrum, et Verbum tuum apud te Deum, tecumque cum Spiritu sancto unum Deum, per quod creasti omnia. Et est aliud genus impiorum, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. In hoc quoque incideram, et dextera tua, Deus, suscepit me, et inde ablatum posuisti, ubi convalescerem; quia dixisti homini, Ecce pietas est sapientia, et, Noli velle videri sapiens; quoniam dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et inveneram jam bonam margaritam; et venditis omnibus, quæ haberem, emenda erat, et F dubitabam. E *et quamvis adhuc mulierosus,*

192 Perrexi ergo ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua tunc episcopi Ambrosii, quem vere ut patrem diligebat. Narravi ei circuitus erroris mei. Ubi autem commemoravi, legisse me quosdam libros Platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romæ, quem Christianum defunctum esse audieram, in Latinam linguam transtulisset; gratulatus est mihi, quod non in aliorum Philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum et deceptionum secundum elementa hujus mundi; in istis autem omnibus modis insinuari Deum, et ejus Verbum. Deinde, ut me exhortaretur ad humilitatem Christi, sapientibus absconditam et revelatam parvulis, Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romæ cum esset, familiarissime noverat; deque illo mihi narravit, quod non silelo. *II. illum de vitæ statu amplectendo consulit,*

193 Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ confitendam tibi, quemadmodum ille doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique philosophorum tam multa legerat, et dijudicaverat, et dilucidaverat, doctor tot *qui conversionem Victorini rhetoris ei narrat,*

A. IPSO S. AUGUSTINO.

tot nobilium senatorum; qui etiam ob insigne præclari magisterii, quod cives hujus mundi eximium putant, statuam in Romano foro meruerat et acceperat, usque ad illam ætatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps (quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata spirabat *, populusque etiam, et omnigenum deum monstra, et Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam tela tenuerant, et a se victis jam Roma supplicabat, quæ iste senex Victorinus tot annos ore terricrepo defensitaverat) non erubuerit esse puer Christi tui, et infans fontis tui, subjecto collo ad humilitatis jugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium...

* al. inspirabat

V. quam quidem imitari volebat :

194 Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino *b* ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim et ille narraverat. Postquam vero et illud addidit, quod imperatoris Juliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere litteraturam et oratoriam *c*, quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit quam verbum tuum, quo linguas infantium facis disertas; non B mihi fortior quam felicior visus est, quia invenit occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido : et dum servitur libidini, facta est consuetudo : et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.

sed adhuc cum concupiscentia carnis
* al. additur in

195 Sic intelligebam * meipso experimento id, quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Ego quidem in utroque, sed magis ego in eo, quod in me approbabam, quam in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego, quia ex magna parte id patiebar invitus, quod * faciebam C volens. Sed tamen consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat; quoniam volens, quo nollem perveneram. Et quis jure contradiceret, cum peccantem justa pœna sequeretur? Et non erat jam ulla * excusatio, qua videri mihi solebam propterea me nondum contempto sæculo servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis : jam enim et ipsa certa erat. Ego autem adhuc obligatus, militare tibi recusabam; et impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar; et cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est, qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare præstat, differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in membris est, eumque jam displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit; ita certum habebam, esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere.

* al. quam

* al. illa

196 Sed illud placebat, et vincebat; hoc libebat, et vinciebat. Non enim erat, quod tibi responderem dicenti mihi; Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus : et D undique ostendenti vera te dicere, non erat omnino, quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta et somnolenta; Modo, ecce modo; sine paululum. Sed modo et modo non habebant modum; et, sine paululum, in longum ibat. Frustra condelectabar legi tuæ secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, et captivum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur et tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Miserum ergo me quis liberaret de corpore mortis hujus, nisi gratia tua, per Jesum Christum Dominum nostrum?

et prava consuetudine luctabatur.

VI. Pontitianus Afer ei

197 Et de vinculo quidem desiderii concubitus, quo arctissimo tenebar, et sæcularium negotiorum servitute, quemadmodum me exemeris, narrabo, et confitebor nomini tuo, Domine, adjutor meus et redemptor meus. Agebam solita crescente anxietudine, et quotidie suspirabam tibi. Frequentabam ecclesiam tuam, quantum vacabat ab eis negotiis, sub quorum pondere gemebam *. Mecum erat Alipius, otiosus ab E opere jurisperitorum post assessionem * tertiam, expectans quibus iterum consilia venderet, sicut ego vendebam dicendi facultatem, si qua docendo præstari potest. Nebridius autem amicitiæ nostræ cesserat, ut omnium nostrum familiarissimo Verecundo *d* Mediolanensi et civi et grammatico subdoceret, vehementer desideranti et familiaritatis jure flagitanti de numero nostro fidele adjutorium, quo indigebat nimis. Non itaque Nebridium cupiditas commodorum eo traxit (majora enim posset, si vellet de litteris agere) sed officio benevolentiæ petitionem nostram contemnere noluit amicus dulcissimus et mitissimus. Agebat autem illud prudentissime, cavens innotescere personis secundum hoc sæculum majoribus; devitans in eis omnem inquietudinem animi, quem volebat habere liberum, et quam multis posset horis feriatum, ad quærendum aliquid, vel legendum, vel audiendum de sapientia.

* al. degebam
* al. ascensionem

d

sacras Litteras legenti

198 Quodam igitur die, non recolo causam, qua erat absens Nebridius, cum ecce ac nos do- F mum venit ad me et Alipium Pontitianus quidam, civis noster, in quantum Afer, præclare in palatio militans. Nescio quid a nobis volebat : et consedimus ut colloqueremur, et forte supra mensam lusoriam, quæ ante nos erat, attendit codicem; tulit, aperuit, invenit Apostolum Paulum, inopinate sane; putaverat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat. Tum vero arridens meque intuens, gratulatorie miratus est, quod eas et solas præ oculis meis litteras repente comperisset, Christianus quippe et fidelis erat, et sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in ecclesia crebris et diuturnis orationibus.

refert vitam S. Antonii eremitæ,

199 Cui ego cum indicassem illis me Scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo (ipso narrante) de Antonio *e* Ægyptio monacho; cujus nomen excellenter clarebat apud servos tuos, nos autem usque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, et admirans eamdem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, et prope nostris temporibus testatissima mirabilia tua in fide recta et Catholica Ecclesia. Omnes mirabamur, et nos, quia tam magna erant, et ille, quia inaudita nobis erant.

200 Inde

A 200 Inde sermo ejus devolutus est ad monasteriorum greges, et mores suaveolentiæ tuæ, et ubera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat monasterium Mediolani plenum bonis Fratribus extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore, et non noveramus. Pertendebat ille, et loquebatur adhuc, et nos intenti tacebamus. Unde incidit ut diceret nescio quando se et tres alios contubernales suos, nimirum apud Treviros, cum imperator *f* pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos; atque illic ut forte combinati spatiabantur, unum secum seorsum, et alios duos itidem seorsum pariterque digressos: sed illos vagabundos irruisse in quamdam casam, ubi habitabant quidam servi tui spiritu pauperes, qualium est regnum cælorum; et invenisse ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonii. Quam legere cœpit unus eorum, et mirari et accendi; et inter legendum meditari arripere talem vitam, et relicta militia sæculari servire tibi. Erat * autem ex eis, quos dicunt Agentes in rebus *g*.

et narrat, quomodo lectione ejusdem Vitæ

* *al.* erant

B 201 Tunc subito repletus amore sancto et sobrio pudore, iratus sibi conjecit oculos in amicum, et ait illi; Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? Quid quærimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu * istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.

duo aulici imperatoris

* *al.* quando

202 Dixit hoc, et turbidus parturitione novæ vitæ, reddidit oculos paginis; et legebat, et mutabatur intus, ubi tu videbas, et exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit, et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando et discrevit, decrevitque meliora; jamque tuus, ait amico suo; Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui; et hoc ex hora hac in hoc loco aggredior: te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia sua, et sequendi te. Tunc Pontitianus, et qui C cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos devenerunt in eumdem locum, et invenientes admonuerunt ut redirent, quod jam declinasset dies.

ad imitationem excitati fuerint,

203 At illi narrato placito et proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas orta esset atque firmata, petiverunt ne sibi molesti essent, si adjungi recusarent. Isti autem nihilo mutati a pristinis fleverunt se tamen, ut dicebat; atque illis pie congratulati sunt, et commendaverunt se orationibus eorum; et trahentes cor in terra, abierunt in palatium: illi autem affigentes cor in cælo, manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas; quæ, posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem tibi.

et sponsas suas reliquerint;

VII. 204 Narrabat hæc Pontitianus. Tu autem, Domine, inter verba ejus retorquebas me ad meipsum, auferens me a dorso meo, ubi me posueram, dum nollem me attendere; et constituebas me ante faciem meam, ut viderem quam turpis essem, et quam distortus, et sordidus, et maculosus, et ulcerosus. Et videbam, et horrebam; et quo a me fugerem non erat. Et si conabar a me avertere aspectum, narrabat ille, quod narrabat: et tu me rursus opponebas mihi, et impingebas me in oculos meos, ut invenirem * iniquitatem meam et odissem. Noveram eam; sed dissimulabam, et connivebam *, et obliviscebar. Tunc vero, quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam salubres affectus, quod se totos tibi sanandos dederant, tanto exsecrabilius me comparatum eis oderam, quoniam multi mei anni mecum effluxerant, forte duodecim anni, ex quo ab undevicesimo annno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ, et differebam contempta felicitate terrena ad eam investigandam vacare, cujus non inventio, sed vel sola inquisitio jam præponenda erat etiam inventis thesauris regnisque gentium, et ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus.

quibus exemplis auditis,

* *al.* viderem

A. IPSO S. AUGUSTINO.

* *al.* convivebam

205 At ego adolescens miser valde, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram a te castitatem, et dixeram; Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires, et cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri quam exstingui. Et ieram per vias pravas superstitione sacrilega, non quidem certus in ea, sed quasi præponens eam ceteris, quæ non pie quærebam, sed inimice oppugnabam. Et propterea putaveram me differre de die in diem contempta spe sæculi te solum sequi, quia non mihi apparebat certum aliquid, quo dirigerem cursum meum. Et venerat dies, quo nudarer mihi, et increparet me conscientia mea. E

Augustinus erubescebat,

206 Ubi es lingua? Nempe tu dicebas propter incertum verum nolle te abjicere sarcinam vanitatis. Ecce jam certum est, et illa te adhuc premit; humerisque liberioribus pennas recipiunt, qui neque ita inquirendo attriti sunt, nec decennio et amplius ista meditati. Ita rodebar intus, et confundebar pudore horribili vehementer, cum Pontitianus talia loqueretur. Terminato autem sermone et causa, qua venerat, abiit ille. Et ego ad me, quæ non in me dixi? quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur, recusabat, et se non excusabat. Consumpta erant et convicta argumenta omnia; remanserat muta trepidatio; et quasi mortem reformidabat restringi a fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem.

quod contemptum terrenæ felicitatis adhuc differret.

ANNOTATA. F

a *Successit S. Simplicianus S. Ambrosio in episcopatu Mediolanensi, et* Augustinus *sub initium sui episcopatus duos ad ipsum scripsit libros, qui exstant. Plura de S. Simpliciano diximus tom.* 3 *Augusti pag.* 280 *et seqq.*

b *Victorini rhetoris conversio plenius videri potest in ipso* Augustino: *nam multa hic brevitatis causa sunt omissa. De eodem agitur in Actis S. Simpliciani mox laudatis.*

c *Faciebat id Julianus apostata, ut Christianos a litteris avocaret. Vapulat ob eam legem apud Nazianzenum Orat.* 3, *seu prima invectiva in Julianum.*

d *Verecundum hunc* familiarem *suum vocat* Augustinus *epist.* 72 *ad Nebridium. De eo infra rursum agit num.* 226.

e *Vitam S. Antonii dedimus ad* 17 *Januarii.*

f *Maximus tyrannus, opinor, qui Treviris residere solebat.*

g Agentes in rebus *vocabantur, qui mandata principum deferebant ad loca varia, ut probatur in Glossario Cangii.*

CAPUT

A. IPSO S. AUGUSTINO.

CAPUT XVII.

Post diuturnam carnis ac spiritus luctam ignota vox audita, jubens illum legere sacram Scripturam, eaque lecta, firmum vitæ emendandæ propositum conceptum.

VIII. *Memor eorum, quæ narrari audierat,*

Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea in cubiculo nostro corde meo, tam vultu quam mente turbatus invado Alipium, et exclamo; Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti? Surgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine? An quia præcesserunt, pudet sequi et non pudet nec saltem sequi? Dixi nescio
B quæ talia; et abripuit me ab illo æstus meus, cum taceret attonitus me intuens. Neque enim solita sonabam; plus loquebantur animum meum frons, genæ, oculi, color, modus vocis, quam verba quæ promebam.

cum Alipio discedit in hortum

208 Hortulus quidam erat hospitii nostri, quo nos utebamur sicut toto domo: nam hospes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abstulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem, quam mecum agressus eram, donec exiret, qua tu sciebas; ego autem non; sed tantum insaniebam salubriter, et moriebar vitaliter, gnarus quid mali essem, et ignarus quid boni post paululum futurus essem. Abscessi ergo in hortum, et Alipius pedem * post pedem. Neque enim secretum meum non erat, ubi ille aderat. Aut quando me sic affectum desereret? Sedimus, quantum potuimus, remoti ab ædibus. Ego fremebam spiritu, indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum et pactum tecum, tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant, et in cælum tollebant laudibus; et non illuc ibatur navibus, aut quadrigis, aut pedibus, quantum saltem de domo in eum
C locum ieram, ubi sedebamus.

* *al* pede

et sibi indignatur,

209 Nam non solum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quam velle ire, sed velle fortiter et integre, non semisauciam hac atque hac versare et jactare voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente luctantem. Deinque tam multa faciebam corpore in ipsis cunctationis æstibus, quæ aliquando volunt homines, et non valent, si aut ipsa membra non habent, aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoqnomodo impedita sint. Si evulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexatus sum genu, quia volui feci. Potui autem velle et non facere, si mobilitas membrorum non obsequeretur. Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle, quod posse; et non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat, et mox, ut vellem, possem; quia mox, ut vellem, utique vellem. Ibi enim facultas ea, quæ voluntas, et ipsum velle jam facere erat; et tamen non fiebat. Faciliusque obtemperabat corpus tenuissimæ voluntati animæ, ut ad nutum membra moverentur, quam ipsa sibi anima ad voluptatem suam magnam in sola voluntate perficiendam.

IX. *quod Deo servire partim vellet, partim nollet,*

210 Unde hoc monstrum? et quare istud? D
Luceat misericordia tua; et interrogem, si forte mihi respondere possint latebræ pœnarum hominum, et tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam. Unde hoc monstrum, et quare istud? Imperat animus corpori, et paretur statim: imperat animus sibi, et resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, et tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium: et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum? et quare istud? Imperat, inquam, ut velit; qui non imperaret, nisi vellet, et non sit, quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult; et in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique plena imperat, ideo non est, quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret, ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum, partim velle, partim nolle, sed ægritudo animi est; quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuedine prægravatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est; et hoc adest E
alteri, quod deest alteri.

X. *quæ luctatio non probat, esse duas naturas in homine,* a

211 Pereant a facie tua, Deus, sicuti pereunt vaniloqui et mentis seductores, qui cum duas voluntates in deliberando animadverterint, dua *a* naturas duarum mentium esse asseverant, unam bonam, alteram malam. Ipsi vere mali sunt, cum ista mala sentiunt; et iidem ipsi boni erunt, si vera senserint, verisque consenserint; ut dicat eis Apostolus tuus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Illi enim, dum volunt esse lux, non in Domino, sed in seipsis, putando animæ naturam hoc esse, quod Deus est, ita facti sunt densiores tenebræ: quoniam longius a te recesserunt horrenda arrogantia, a te vero lumine illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. Attendite quid dicatis, et erubescite; et accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent. Ego cum deliberabam, ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego eram, qui volebam, ego eram, qui nolebam; ego ego eram, nec plene volebam, nec plene nolebam. Ideo mecum contendebam, et dissipabar a meipso. Et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat; F
nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo non jam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum, de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam. Nam si tot sunt contrariæ naturæ, quot voluntates sibi resistunt; non jam duæ, sed plures erunt.

quarum una sit bona, altera mala;

212 Si deliberet quisquam utrum ad conventiculum eorum pergat, an ad theatrum; clamant isti, Ecce duæ naturæ, una bona hac ducit, altera mala illac reducit. Nam unde ista cunctatio sibimet adversantium voluntatum? Ego autem dico ambas malas, et quæ ad illos ducit, et quæ ad theatrum reducit. Sed non credunt, nisi bonam esse, qua itur ad eos. Quid si ergo quisquam nostrum deliberet, et secum altercantibus duabus voluntatibus fluctuet, utrum ad theatrum pergat, an ad Ecclesiam nostram, nonne et isti, quid respondeant, fluctuabunt? Aut enim fatebuntur (quod nolunt) bona voluntate pergi in Ecclesiam nostram, sicut in eam pergunt, qui sacramentis ejus imbuti sunt, atque detinentur; aut duas malas naturas, et duas malas mentes in uno

A uno homine confligere putabunt; et non erit verum, quod solent dicere, unam bonam, alteram malam: aut convertentur ad verum, et non negabunt, cum quisque deliberat, animam unam diversis voluntatibus æstuare. Jam ergo non dicant, cum duas voluntates in homine uno adversari sibi sentiunt, duas contrarias mentes de duabus contrariis substantiis et de duobus contrariis principiis contendere, unam bonam, alteram malam.

sed unam eamdemque animam

213 Nam tu, Deus verax, improbas eos, et redarguis atque convincis eos, sicut in utraque mala voluntate, cum quisque deliberat utrum hominem veneno interimat an ferro: utrum fundum alienum, illum an illum invadat, quando utrumque non potest: utrum emat voluptatem luxuria, an pecuniam servet avaritia: utrum ad circum pergat, an ad theatrum, si uno die utrumque exhibeatur: addo etiam tertium, an ad furtum de domo aliena, si subest occasio: addo et quartum, an ad committendum adulterium, si et inde simul facultas aperitur; si omnia concurrant in unum articulum B temporis, pariterque cupiantur omnia, quæ simul agi nequeunt.

diversis voluntatibus æstuare.

214 Discerpunt enim animum sibimet adversantibus quatuor voluntatibus, vel etiam pluribus in tanta copia rerum, quæ appetuntur, nec tamen tantam multitudinem diversarum substantiarum solent dicere: ita et in bonis voluntatibus. Nam quæro ab eis, utrum bonum sit delectari in lectione Apostoli; et utrum bonum sit delectari Psalmo sobrio; et utrum bonum sit Evangelium disserere? Respondebunt ad singula, Bonum. Quid si ergo pariter delectent omnia, simulque uno tempore, nonne diversæ voluntates distendunt cor hominis, cum deliberatur, quid potissimum arripiamus? Et omnes bonæ sunt, et certant secum donec eligatur unum, quo feratur tota voluntas una, quæ in plures dividebatur. Ita etiam, cum æternitas delectat superius, et temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima est, non tota voluntate illud aut hoc volens: et ideo discerpitur gravi molestia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit.

XI. Tandem post varias animi affectiones,

215 Sic ægrotabam et excruciabar, accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens ac versans me in vinculo meo, donec abrumpere- C tur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis, Domine, severa misericordia, flagella ingeminans timoris et pudoris, ne rursus cessarem, et non abrumperetur idipsum exiguum et tenue, quod remanserat, et revalesceret iterum, et me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus, Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum. Jam pæne faciebam, et non faciebam: nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam, et respirabam. Et item conabar, et paulo minus ibi eram, et paulo minus jam jamque attingebam et tenebam: et non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, et vitæ vivere: plusque in me valebat deterius inolitum, quam melius insolitum. Punctumque ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: sed non recutiebat retro, nec avertebat, sed suspendebat.

retinentibus hinc seculi voluptatibus,

216 Retinebant nugæ nugarum, et vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant; Dimittisne nos? et a momento isto non erimus tecum ultra in æternum? et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in æternum? Et quæ suggerebant in eo, quod dixi hoc et illud, quæ suggerebant, Deus meus, avertat ab anima servi tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant? quæ dedecora? Et audiebam eas jam longe minus quam dimidius, non tamquam libere contradicentes eundo in obviam, sed velut a dorso mussitantes, et discedentem quasi furtim vellicantes, ut respicerem. Retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, et transilire quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta, Putasne sine istis poteris?

A. ipso S. Augustino.

invitantibus inde Sanctorum exemplis,

217 Sed jam tepidissime hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem, et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ; ibi juventus multa, et omnis ætas, et graves viduæ, et virgines anus; et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum, de E marito te, Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret; Tu non poteris quod isti et istæ? An vero isti et istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas et non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas. Projice te securus, excipiet et sanabit te. Et erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, et cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret; Obsurdesce adversus immunda illa membra tua super terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Ista controversia in corde meo, non nisi de meipso adversus meipsum. At Alipius affixus lateri meo, insusitati motus mei exitum tacitus opperiebatur.

XII. ubertim lacrymas effundens,

218 Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit et congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio: solitudo enim mihi ad negotium flendi F aptior suggerebatur. Et secessi remotius quam ut posset mihi onerosa esse etiam ejus præsentia. Sic tunc eram, et ille sensit *b* nescio quid. Aliquid enim puto dixeram, in quo apparebat sonus vocis meæ jam fletu gravidus, et sic surrexeram. Mansit ergo ille, ubi sedebamus, nimie stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo; et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum: et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi; Et tu Domine usquequo? Usquequo Domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri; et jactabam voces miserabiles: Quamdiu? quamdiu cras et cras? Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? *b*

cœlesti voce jubetur legere sacram Scripturam,

219 Dicebam hæc, et flebam amarissima contritione cordis mei: et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellæ, nescio; TOLLE LEGE, TOLLE LEGE. Statimque mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid; nec occurrebat omnino audivisse me uspiam.

A. ipso S. Augustino.

piam. Repressoque impetu lacrymarum surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem, et legerem, quod primum capitulum invenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur, quod legebatur; Vade, veude omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælis; et veni, sequere me; et tali oraculo confestim ad te esse conversum.

qua lecta, totus ad Deum convertitur,

220 Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt " oculi mei: " Non in comessationibus et ebrietati- " bus; non in cubilibus et impudicitiis; non in con- " tentione et æmulatione; sed induite Dominum " Jesum Christum, et carnis providentiam ne fece- " ritis in concupiscentiis ". Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto B aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indicavi Alipio. At ille, quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit. Petit videre, quid legissem; ostendi: et attendit etiam ultra quam ego legeram, et ignorabam, quid sequeretur. Sequebatur vero: Infirmum " autem in fide recipite ". Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius jam olim valde longeque distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est.

matre ejus plurimum gaudente.

221 Inde ad matrem ingredimur, indicamus: gaudet. Narramus, quemadmodum gestum sit: exultat et triumphat, et benedicit tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim ita me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi hujus, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et convertisti luctum ejus in gaudium multo uberius quam voluerat; et multo charius atque castius, quam de nepotibus carnis C meæ requirebat.

ANNOTATA.

a *Rursus hæc contra Manichæos intorquet.*
b *Benedictini habent,* et ille sensit: nescio quid enim puto dixeram *etc.*

CAPUT XVIII.

Abdicata rhetoricæ docendæ professio, secessus in villam Mediolano vicinam, et ibi præparatio ad baptismum recipiendum.

Liber ix. Cap. i. *Deo gratias agit pro sua conversione,*

O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicant, Domine, quis similis tibi? Dicant, et responde mihi, et dic animæ meæ, Salus tua ego sum. D Quis ego, et qualis ego? Quid non mali ego a, aut facta mea; aut si non facta, dicta mea; aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem, Domine, bonus et misericors, et dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, et a fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum nolle, quod volebas *, et velle, quod nolebas. Sed ubi erat tam annoso tempore, et de quo imo altoque secreto evocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem cervicem leni jugo tuo, et humeros levi sarcinæ tuæ, Christe Jesu, adjutor meus et redemptor meus? Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa Suavitas: ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi atque scalpendi sca- E biem libidinum: et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ, Domino Deo meo.

a

* al. volebam

II. et magisterium rhetoricæ,

223 Et placuit mihi in conspectu tuo non tumultuose abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis; ne ulterius pueri meditantes non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces et bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportune jam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias; et statui tolerare illos, ut solenniter abscederem, et redemptus a te jam non redirem venalis. Consilium ergo nostrum erat coram te, coram hominibus autem, nisi nostris, non erat. Et conveuerat inter nos, ne passim cuiquam effunderetur: quamquam tu nobis a convalle plorationis ascendentibus, et cantantibus canticum graduum, dederas sagittas acutas, et carbones vastatores adversus linguam subdolam, velut consulendo contradicentem, et sicut cibum assolet amando consumentem. Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus; et exempla servorum tuorum (quos de nigris lucidos, et de mor- F tuis vivos feceras) congesta in sinum cogitationis nostræ urebant et absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus; et accendebant nos valide, ut omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare nos acrius posset, non extinguere.

quod Mediolani exercebat,

224 Verumtamen quia propter nomen tuum, quod sanctificasti per terras, etiam laudatores utique haberet votum et propositum nostrum, jactantiæ simile videbatur, non opperiri tam proximum feriarum tempus, sed de publica professione atque ante oculos omnium sita ante discedere, ut conversa in factum meum ora cunctorum intuentium quam vicinum vindemialium diem præveuire voluerim, multa dicerent, quod quasi appetissem magnus videri. Et quo mihi erat istud, ut putaretur et disputaretur de animo meo, et blasphemaretur bonum nostrum? Quin etiam quod ipsa æstate litterario labori nimio pulmo meus cedere cœperat, et difficulter trahere suspiria, doloribusque pectoris testari se saucium, vocemque clariorem productioremve recusare, primo perturbaverat me, quia magisterii illius sarcinam pæne jam necessitate deponere cogebat; aut si curari et convalescere potuissem, certe intermittere.

tere. Sed ubi plena voluntas vacandi et videndi, quoniam tu es Deus, oborta mihi est atque firmata, nosti, Deus meus, etiam gaudere cœpi, quod hæc quoque suberat non mendax excusatio, quæ offensionem hominum temperaret, qui propter liberos suos me liberum esse numquam volebant.

circa ferias vindemiales abdicat,

225 Plenus igitur tali gaudio tolerabam illud intervallum temporis, donec decurreret. Nescio utrum vel viginti dies erant, sed tamen fortiter tolerabantur: quia recesserat cupiditas, quæ mecum solebat ferre grave negotium; et ego premendus remanseram, nisi patientia succederet. Peccasse me in hoc quisquam servorum tuorum fratrum meorum dixerit, quod jam pleno corde militia tua, passus me fuerim vel una hora sedere in cathedra mendacii. At ego non contendo. Sed tu, Domine misericordissime, nonne et hoc peccatum cum ceteris horrendis et funereis in aqua sancta ignovisti et remisisti mihi?

III. quando Verecundus ei villam suam obtulit,

226 Macerabatur anxitudine Verecundus de isto nostro bono, quod propter vincula sua, quibus tenacissime tenebatur, deseri se nostro consortio videbat, nondum Christianus conjuge fideli: ea ipsa tamen arctiore præ ceteris compede, ab itinere, quod aggressi eramus, retardabatur. Nec Christianum esse alio modo se velle dicebat, quam illo, quo non poterat. Benigne sane obtulit, ut quamdiu ibi essemus, in rure ejus essemus. Retribues illi, Domine, in resurrectione justorum, quia jam ipsam sortem retribuisti ei. Quamvis enim absentibus nobis, cum Romæ jam essemus, corporali ægritudine correptus, et in ea Christianus et fidelis factus, ex vita hac migravit; ita misertus es non solum ejus, sed etiam nostri, ne cogitantes egregiam erga nos amici humanitatem, nec eum in grege tuo numerantes, dolore intolerabili cruciaremur.

in quam cum Nebridio, cujus conversionem

227 Gratias tibi, Deus noster, tui sumus: indicant hortationes et consolationes tuæ, fidelis promissor reddes Verecundo pro rure illo ejus Cassiciaco, ubi ab æstu sæculi requievimus in te, amœnitatem sempiterne virentis paradisi tui; quoniam dimisisti ei peccata super terram, in monte incaseato, monte tuo, monte uberi. Augebatur ergo tunc ipse; Nebridius autem collætabatur. Quamvis enim et ipse nondum Christianus in illam foveam perniciosissimi erroris inciderat, ut veritatis Filii tui carnem phantasma crederet; tamen inde emergens, sic sibi erat, nondum ullis Ecclesiæ tuæ Sacramentis imbutus, sed inquisitor ardentissimus veritatis. Quem non multo post conversionem nostram, et regenerationem per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem Catholicum, castitate perfecta atque continentia tibi servientem in Africa apud suos, cum tota domus ejus per eum Christiana facta esset, carne solvisti, et nunc ille vivit in sinu Abraham.

ac felicem mortem narrat,

228 Quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus; tuum autem, Domine, adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam qui alius tali animæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum; et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat * ille, nostri sis memor. Sic ergo eramus Verecundum consolantes tristem, salva amicitia, de tali conversione * nostra; et exhortantes ad fidem gradus sui, vitæ scilicet conjugalis: Nebridium autem operientes, quando sequeretur, quod de tam proximo poterat, et erat jam jamque facturus: cum ecce evoluti sunt dies illi tandem; nam longi et multi videbantur præ amore libertatis otiosæ, ad cantandum de medullis omnibus; Tibi dixit cor meum, quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram.

** al. quo potatur*
** al. conversatione.*
A ipso S. Augustino.

IV. aliisque amicis secessit, ut sibi vacaret,

229 Et venit dies, in quo etiam actu solverer a professione rhetorica, unde jam cogitatu solutus eram. Et factum est. Et eruisti linguam meam, unde jam erueras cor meum; et benedicebam tibi gaudens, profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in litteris, jam quidem servientibus tibi, sed adhuc in superbiæ scholam tamquam in pausationem anhelantibus, testantur libri *b* disputati cum præsentibus, et cum ipso me solo coram te: quæ autem cum absente Nebridio, testantur epistolæ *c*. Et quando mihi sufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, præsertim ad alia majora properanti? Revocat enim me recordatio mea; et dulce mihi fit, Domine, confiteri tibi, quibus internis me stimulis perdomueris, et quemadmodum me complanaveris humilitatis montibus et collibus cogitationum mearum, et tortuosa me direxeris, et aspera lenieris: quoque modo ipsum etiam Alipium, fratrem cordis mei, subegeris nomini Unigeniti tui, Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod primo dedignabatur inseri litteris nostris. Magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros, quas jam contrivit Dominus, quam salubres herbas ecclesiasticas, adversas serpentibus.

et hoc tranquillo loco legeret psalmos Davidicos,

230 Quas tibi, Deus meus, voces dedi cum legerem Psalmos David, cantica fidelia et sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa, cum catechumeno Alipio feriatus; matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, Christiana pietate. Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, et quomodo in te inflammabar ex eis, et accendebar eos recitare si possem toto terrarum orbe, adversus typhum generis humani? Et tamen toto orbe cantantur, et non est, qui se abscondat a calore tuo. Quam vehementi et acri dolore indignabar Manichæis, et miserabar eos rursus, quod illa sacramenta, illa medicamenta nescirent, et insani essent adversus antidotum, quo sani esse potuissent! Vellem ut alicubi juxta essent, ignorante me, utrum audirent tunc; et me nesciente, quod ibi essent, intuerentur faciem meam, et audirent voces meas, quando legi quartum Psalmum, in illo tunc otio quid de me fecerit ille Psalmus.

ex quibus quartum

231 Cum invocarem, exaudisti me, Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei Domine; et exaudisti orationem meam. Audirent ignorante me, utrum audirent: ne me propter se illa dicere putarent, quæ inter hæc verba dixerim. Quia revera nec ea dicerem, nec sic ea dicerem, si me ab eis audiri viderique sentirem: nec si dicerem, sic acciperent, quomodo mecum et mihi coram te de familiari affectu animi mei inhorrui timendo, ibidemque inferbui sperando, et exultando in tua misericordia, Pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos et vocem meam, cum conversus ad nos Spiritus tuus bonus, ait nobis: Filii hominum, quousque graves corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis

A. IPSO S. AUGUSTINO. quæritis mendacium? Dilexeram enim vanitatem, et quæsieram mendacium. Et tu, Domine, jam magnificaveras Sanctum tuum, suscitans eum a mortuis, et collocans ad dexteram tuam, unde mitteret ex alto promissionem suam Paracletum Spiritum veritatis: et miserat eum jam, sed ego nesciebam.

adversus Manichæos explicat, 232 Miserat eum, quia jam magnificatus erat, resurgens a mortuis et ascendens in cælum. Ante autem Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus. Et clamat Propheta; Quousque graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Et, Scitote, quoniam Dominus mirificavit sanctum suum. Clamat, QUOUSQUE; clamat, SCITOTE: et ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, et mendacium quæsivi. Et ideo audivi et contremui, quoniam talibus dicitur, qualem me fuisse reminiscebar. In phantasmatibus enim, quæ pro veritate tenueram, vanitas erat et mendacium. Et insonui multa graviter ac fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ utinam audissent, qui adhuc usque diligunt vanitatem, et quærunt mendacium: forte conturbarentur, et evomuissent illud; et exaudires eos, cum clamarent ad te; quo- B niam vera morte carnis mortuus est pro nobis, qui te interpellat pro nobis.

et præteritam suam excitatem 233 Legebam, irascimini, et nolite peccare. Et quomodo movebar, Deus meus, qui jam didiceram irasci mihi de præteritis, ut de cetero non peccarem? Et merito irasci, quia non alia natura gentis tenebrarum de me peccabat, sicut dicunt, qui sibi non irascuntur; et thesaurizant sibi iram in die iræ, revelationis justi judicii tui. Nec jam bona mea foris erant, nec oculis carneis in isto sole quærebantur: volentes enim gaudere forinsecus, facile evanescunt, et effunditur in ea, quæ videntur et temporalia sunt, et imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Et, o si fatigentur inedia, et dicant; Quis ostendet nobis bona? Et dicamus, et audiant; Signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine. Non enim lumen nos sumus quod illuminat omnem hominem; sed illuminamur a te, ut qui fuimus aliquando tenebræ, simus lux in te.

in hæresi eorum defendenda deplorans, 234 O si viderent internum lumen æternum, quod ego quia gustaveram, frendebam, quoniam non eis poteram ostendere; si afferrent ad me cor in oculis suis foris a te, et dicerent, Quis ostendet nobis bona? Ibi enim, ibi * mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi sacrificaveram mactans vetustatem meam, et inchoata meditatione renovationis meæ sperans in te: ibi mihi dulcescere cœperas, et dederas lætitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris, et agnoscens intus. Nec volebam multiplicari terrenis bonis, devorans tempora, et devoratus temporalibus *; cum haberem in æterna simplicitate aliud frumentum, et vinum, et oleum. Et clamabam in consequenti versu clamore alto cordis mei: O in pace; O in idipsum; O quid dixit: Obdormiam et somnum capiam? Quoniam, quis resistet nobis, cum fiet sermo qui scriptus est; Absorpta est mors in victoria? Et tu es idipsum valde, qui non mutaris; et in te requies obliviscens laborum omnium, quoniam nullus alius tecum; nec ad alia multa adipiscenda, quæ non sunt, quod tu; sed tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Legebam, et ardebam: nec inveniebam, quid facerem surdis mortuis, ex quibus fueram pestis, latrator amarus, et cæcus adversus litteras de melle cæli melleas, et de lumine tuo luminosas: et super Scripturæ hujus inimicos *d* tabescebam, D quando recordabar omnia dierum illorum feriatorum.

* *al.* ubi

* *al.* temporibus

dolore dentium divinitus liberatur. 235 Sed nec oblitus sum, nec silebo flagelli tui asperitatem, et misericordiæ tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentium tunc excruciabas me: et cum in tantum ingravesceret, ut non valerem loqui, adscendit in cor meum admonere omnes meos, qui aderant, ut deprecarentur te pro me Deum salutis omnimodæ. Et scripsi hoc in cera, et dedi eis ut legeretur. Mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expavi, fateor, Domine meus, Deus meus; nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, et gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.

ANNOTATA

a *Illud* ego *delent Benedictini, et sic legunt*, E Quid non mali aut facta mea *etc. Lovanienses*, Quid non mali ego? An facta mea *etc.*

b *Libri scripti in Verecundi villa memorati sunt in Commentario* § 7.

c *Exstant variæ Sancti epistolæ ad Nebridium. Inter scriptas eo tempore recenseri debet* 151, *cui titulus*, Quibus in rebus sita sit vera beatitudo, *ut jam notavit Tillemontius in* Augustino *artic.* 45. *Idem suspicatur ille de epistola* 117, *cui præfigitur titulus;* Quantum profecerit in secessu, contemplatione rerum æternarum. *Neque vero id dubium mihi videtur, cum in ea de* otio *suo agat et* repentina *depositione* onerum *suorum. Reliquæ ad Nebridium epistolæ ad aliud tempus videntur referendæ; maxime* 71, 218, 268, *et* 269 *: id non æque clarum est de* 115 *et* 116.

d *Lovanienses ediderunt :* Et super inimicis scripturis Scripturæ hujus *etc. Alii sensum exprimunt hoc modo :* Et super inimicis Scripturæ hujus tabescebam. *Deinde novum ordiuntur*, Quando recordabor *etc.*

F

CAPUT XIX.

Baptismus ei aliisque Mediolani solenniter administratus ab Ambrosio, illumque brevi secutus S. Monicæ obitus apud ostia Tyberina, et preces Sancti pro anima matris suæ defunctæ.

Consulto prius S. Ambrosio, Renuntiavi, peractis vindemialibus, ut scholasticis suis Mediolanenses venditorum verborum alium providerent, quod et tibi et ego servire delegissem, et illi professioni præ difficultate spirandi ac dolore pectoris non sufficerem. Et insinuavi per litteras antistiti tuo, viro sancto Ambrosio pristinos errores meos, et præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. At ille jussit

A jussit Isaiam Prophetam; credo, quod præ ceteris Euangelii vocationisque gentium sit prænuntiator apertior. Verumtamen ego primam hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitraus, distuli repeteudum exercitatior in Dominico eloquio.

VI. Mediolani cum aliis baptizatur,

237 Inde, ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus. Placuit et Alipio renasci in te mecum, jam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, et fortissimo domitori corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum insolito ausu. Adjunximus etiam nobis puerum *a* Adeodatum *a*, ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat fere quindecim, et ingenio præveniebat multos graves et doctos viros. Munera tua tibi confiteor, Domine Deus meus, Creator omnium, et multum potens reformare nostra deformia: nam ego in illo puero præter delictum nihil habebam. Quod enim cuutriebatur a nobis iu disciplina tua, tu iuspiraveras nobis, nullus alius. Munera tua tibi confiteor. Est liber noster qui *b* inscribitur de Magistro *b*: ipse ibi mecum loquitur. B Tu scis esse sensa omnia, quæ inferuntur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sedecim.

et spirituali gaudio delibutus flet inter hymnos.

238 Multa ejus alia mirabiliora expertus sum. Horrori mihi erat illud ingenium: et quis præter te talium miraculorum opifex? Cito de terra abstulisti vitam ejus; et securior eum recordor, nou timens quidquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi. Sociavimus eum coævum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua: et baptizati sumus, et fugit a nobis solicitudo vitæ præteritæ. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in hymuis et canticis tuis, suavesonautis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua iu cor meum; et exæstuabat inde * affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. ** al. ex ea æstuabat*

VII. quorum originem in ecclesia Mediolanensi

239 Non longe cœperat Mediolanensis ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non *c* multo amplius, cum Justina *c* Valentiniani regis C pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, solicitudinis et vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni et psalmi ut canerentur, secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est: est ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pæne omnibus gregibus tuis, et per cetera orbis imitantibus.

ibique inventionem SS. Gervasii et Protasii martyrum recenset.

240 Tunc memorato antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Gervasii et Protasii *d*, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promeres, ad coercendam rabiem *d* femineam, sed regiam. Cum enim propalata et effossa digno cum honore tranferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum, quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus, sanabantur; verum etiam quidam plures annos cæcus civis civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset atque audisset, exilivit, eoque se ut duceret suum ducem rogavit. *A. ipso S. Augustino.* Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens; inde laudes tuæ ferventer lucentes; inde illius inimicæ animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, a persequendi tamen furore compressus est. Gratias tibi, Deus meus. Unde et quo duxisti recordationem meam, ut hæc etiam confiterer tibi, quæ magna oblitus præterieram. Et tamen tunc, cum ita flagraret odor unguentorum tuorum, non currebamus post te; et ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim suspirans tibi, et tandem * respirans, quantum patet aura in domo fœnea. ** al. tantum*

VIII. Eo tempore ejus mater. e

241 Qui habitare facis unanimes iu domo, consociasti nobis et Evodium *e* juvenem ex nostro municipio. Qui cum Agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est, et baptizatus; et relicta militia sæculari, accinctus est in tua. Simul eramus, simul habitaturi * in placito sancto. Quærebamus quisnam locus nos utilius ** al. habitabamus* haberet servientes tibi. Pariter remeabamus in E Africam. Et cum apud ostia Tyberina essemus, mater defuncta est. Multa prætereo, quia multum festino. Accipe confessiones meas et gratiarum actiones, Deus meus, de rebus innumerabilibus etiam in silentio. Sed non præteribo quidquid mihi anima parturit de illa famula tua, quæ me parturivit, et carne, ut in hanc temporalem, et corde, ut in æternam lucem renascerer *f*... *f*

IX. quæ ferventer cum ipso loquitur

242 Imminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noveras, ignorantibus nobis, provenerat (ut credo) procurante te occultis tuis modis, ut ego et ipsa soli staremus, incumbentes ad quamdam fenestram, unde hortus intra domum, quæ nos habebat, prospectabatur, illic apud Ostia Tyberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo soli valde dulciter: et præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum quam nec oculus F vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ, qui est apud te, ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione sed nec commemoratione quidem digna videretur; erigentes nos ardentiore affectu in id ipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cælum, unde sol et luna et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius, cogitando et loquendo te, et mirando opera tua: et venimus ad mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israël in æternum veritatis pabulo; et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt, et ipsa non fit, sed sic est, ut fuit, et sic erit semper; cum potius fuisse et futurum esse, non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est. Nam fuisse et futurum esse, non est æternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attingimus eam *g* mo- *g*

A. ipso S. Augustino. dice toto ictu cordis; et suspiravimus, et reliquimus ibi religatas primitias spiritus; et remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur et finitur. Et quid simile Verbo tuo Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innovanti omnia?

de cælesti beatitudine, 243 Dicebamus ergo; Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ et aquarum et aeris: sileant et poli, et ipsa sibi anima sileat, et transeat se, non se cogitando: sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua et omne signum, et quidquid transeundo fit, si cui sileat omnino. Quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. His dictis si jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, et loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, nec per sonitum nubis, nec per ænigma similitudinis; sed ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus; sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super B omnia manentem, si continuetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat et recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ *h*, cui suspiravimus: nonne hoc est; Intra in gaudium domini tui? Et istud quando? An cum omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur?

moritur, 244 Dicebamus talia, etsi non isto modo et his verbis. Tamen, Domine, tu scis, quod illo die cum talia loqueremur, et mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis, tunc ait illa; Fili, quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, et cur hic sim nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam; ut te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam, contempta felicitate terrena, servum ejus videam. Quid hic facio?...

XII. pro cujus æterna requie, 245 Quamquam illa in Christo vivificata, etiam nondum a carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus; non C tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra præceptum tuum. Et dictum est a Veritate Filio tuo; Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se omnes* homines; et qui gloriantur, in Domino glorientur! Ego itaque, laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi et tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post Aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte obsecro; ne intres cum ea in judicium. Superexaltet misericordia judicium, quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti misericordiam misericordibus. Quod ut essent, tu dedisti eis, qui D misereberis cui misertus eris; et misericordiam præstabis cui misericors fueris. Et credo jam feceris, quod te rogo; sed voluntaria oris mei approba, Domine.

* al. homines homines

246 Namque illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis, computans delicta nostra, et quærens, quid objiciat, et nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos auferat* ei? Ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. sicut ipsa ante obitum rogaverat, * al. offerat

247 Nemo a protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi nec insidiis leo et draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convincatur et obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, et post quem nulli nupta est; cui servivit, fructum tibi afferens cum tolerantia, ut cum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus et voce et corde et litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge; per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, et fratrum meorum sub te patre in matre Catholica, et civium meorum in æterna Hierusalem; cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu usque ad reditum: ut quod a me illa poposcit extremum, uberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quam per orationes* meas. Deum precatur. E

* al. operationes

ANNOTATA.

F

a *Quamdiu Adeodatus superfuerit post baptismum, non invenio.*

b *De eo libro agitur in Commentario num.* 178.

c *De Justina Ambrosium persequente fusius agitur in Vita Ambrosii, per Paulinum ipsius notarium ad Augustinum scripta, ubi et inventio corporum SS. Gervasii et Protasii refertur, eique subjunguntur hæc verba:* Denique ex hoc tempore sedari cœpit persecutio, quæ Justinæ furore accendebatur; ut sacerdos *(Ambrosius)* de ecclesia pelleretur.

d *De SS. Gervasio et Protasio actum est tom.* 3 *Junii a pag.* 817, *confirmataque ibidem miracula, quæ hic referuntur.*

e *Evodius hic diu adhæsit* Augustino, *factusque deinde episcopus Uzalensis, multa præclare gessit, quæ videri possunt apud Tillemontium tom.* 12 *Monumentorum a pag.* 581.

f *Multa ad S. Monicam spectantia hic prætermissa sunt, licet utcumque pertineant ad Sanctum nostrum, quod illa jam data sint in Vita S. Monicæ cap.* 3, *seu tom.* 1 *Maii a pag.* 478: *prætermittere tamen nolui colloquium Sancti eum matre,*

A *tre, quod aliqui ex eo probare contendant,* S. Augustinum *in raptu vidisse essentiam divinam. At, cum plerique Patres et theologi id sie de Moyse quidem aut Paulo admittant, pro quibus tamen solidiora in sacris Litteris habentur fundamenta, videant illi, quo modo eruditis opinionem suam probare possint ex loco satis obscuro,et qui varias patitur interpretationes.*

g *Nimirum cœlestem beatitudinem, de qua loquitur.*

h *Ex hoc maxime loco evincere conantur, Sanctum vidisse essentiam divinam : verum non asserit* Augustinus, *saltem clare, intelligentiam illam in omnibus similem fuisse intelligentiæBeatorum, seu fuisse intuitivam, ut loquuntur theologi.*

ACTA ALIA,

SIVE
SECUNDA VITÆ PARS, B

Præsertim ab anno trigesimo tertio ætatis usque ad obitum.

AUCTORE S. POSSIDIO, SANCTI DOCTORIS DISCIPULO, EJUSQUE PER ANNOS FERE QUADRAGINTA CONTUBERNALI.

Ex editione Romana anni 1731,*quam cum vetusto Musei nostri codice, signato* P. Ms. 5, *contulimus.*

PRÆFATIO.

C

Causam scribendi — Inspirante rerum omnium factore, et gubernatore Deo, mei memor propositi, quo per gratiam Salvatoris omnipotenti *, ac divinæ per fidem Trinitati servire decrevi, et antea in vita laicorum, et nunc in officio episcoporum, studens ex qualicumque accepto ingenio et sermone ædificationi * prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini Catholicæ Ecclesiæ, de vita ac moribus prædestinati, et suo tempore præsentati * sacerdotis optimi Augustini, quæ in eodem vidi ab eoque audivi, minime reticere debeo *a*. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse a religiosissimis sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ viris legimus et comperimus, qui divino afflati Spiritu, sermone proprio atque stilo, et auribus et oculis scire volentium, dicendo et scribendo similia studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri ex communi Domini gratia *b* in rebus humanis, et vivere et usque in finem obitus perseverare meruerunt.

* *in Ms.* Omnipotentiæ Trinitatis

* *al,* ædificationis

* *al.* præelecti

a

b

et modum explicat auctor. — 2 Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non ficta, qua Domino dominantium omnibusque bonis serviendum et placendum est fidelibus, de prædicti venerabilis Viri et exortu, et procursu, et debito fine, quæ per eum didici, et expertus sum, quam plurimis annis ejus inhærens caritati, ut Dominus donaverit, explicandum suscepi *. Verum summam quæso Majestatem, quo munus hujusmodi a me arreptum ita geram et peragam, ut nec Patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Ecclesiæ filiorum ulla ex parte fraudare videar caritatem. Nec adtingam ea omnia insinuare, quæ idem beatissimus Augustinus in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque jam sumpta viveret, designavit. Hoc enim * facere voluit, ut ait Apostolus, ne de se quisquam hominum supra, quam se esse noverat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret, humilitatis sanctæ more utens, et jam nullum fallens *c*, sed laudem non suam, sed sui Domini, de propria liberatione ac munere quærens, ex iis videlicet quæ jam perceperat; et fraternas preces poscens, de iis, quæ accipere cupiebat. Sacramentum igitur regis, ut angelica auctoritate prolatum est, „ bonum est abscondere; „ opera autem Domini revelare, et confiteri, hono„ rificum est „. E

A. S. Possidio.

* *in Ms.* suscipio

* *in Ms.*autem

c

ANNOTATA.

a Debeo *abest a Ms. nostro. Illud autem ubique designo in lectionibus variantibus ad marginem notatis per litteras Ms.*

b *Notat Joannes Salinas, in Vedastino codice et uno Floriacensi esse,* per communis Domini gratiam, *in Regio,* ex communi Dominica gratia, *uti est in nostro.*

c *In tribus Mss., ait Salinas,* More utique nihilo fallens. *Sic et fere in nostro,* Humilitatis sanctæ more utique nihil fallens.

CAPUT I.

Perversa ejus adolescentia, conversio ad frugem, baptismus, sacerdotium, et acta usque ad initium episcopatus. F

Sancti natales et adolescentia : — Ex Provincia ergo Africana *a*, civitate Thagastensi *b*, de numero curialium parentibus honestis et Christianis progenitus erat *; alitusque ac nutritus eorum cura, et diligentia, impensisque *c*, secularibus litteris eruditus apprime, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam et grammaticam prius in sua * civitate, et rhetoricam in Africæ capite Carthagine postea docuit. Consequenti etiam tempore trans mare in urbe Roma, et apud Mediolanum, ubi tunc imperatoris Valentiniani *d* minoris comitatus fuerat constitutus. In qua urbe tunc episcopatum administrabat acceptissimus Deo, et in optimis viris præclarissimus sacerdos Ambrosius. Hujus interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in ecclesia disputationibus adstans in populo, intendebat suspensus, atque affixus.

a

b

* *in Ms.additur* Augustinus

c

* *in Ms.* propria

d

conversio ex hæresi Manichæorum, et baptismus : — 4 Verum aliquando Manichæorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus : et ideo ceteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur. Et prævenit

A. S Possidio. venit * Dei liberatoris clementia sui sacerdotis cor pertractantis, ut contra illum errorem incidentes Legis solverentur quæstiones : atque ita edoctus, sensim atque paulatim hæresis illa miseratione divina ejus ex animo pulsa est : protiuusque ipse in fide Catholica confirmatus, præficiendi in religione eidem amoris ardor innatus * est, quo propinquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam perciperet. Et factum est divina præstante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium, et doctrinam salutarem Ecclesiæ Catholicæ, et divina perciperet Sacramenta *e*.

* in Ms. provenit

in Ms. injectus

5 Moxque ex intimis cordis medullis conversus ad Deum *f*, spem omnem, quam habebat in seculo, dereliquit; jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores seculi quærens : sed *g* Deo cum suis servire statuit, in illo, et ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens : " Nolite timere pusillus " grex : quoniam complacuit Patri vestro dare " vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date " eleemosynam : facite vobis sacculos non ve- " terascentes, thesaurum non deficientem in cæ- B " lis " et cetera. Et illud, quod dicit iterum Dominus, idem Vir sanctus facere cupiens, " Si vis " esse perfectus, vende omnia, quæ habes, et " da pauperibus, et habebis thesaurum in cælis, " et veni sequere me ". Et super fidei fundamentum ædificare desiderans, non ligna, fœnum, et stipulam, sed aurum, argentum, et lapides pretiosos. Et erat tunc annis major triginta, sola superstite matre *h*, sibique adhærente, et de suscepto ejus proposito serviendi Deo amplius, quam de carnis nepotibus exultante. Nam ejus pater antea defunctus erat. Renuntiavit etiam scholasticis, quos rhetoricam * docebat, ut sibi magistrum alium providerent, eo quod servire Deo ipse decrevisset.

relinquit spem omnem terrenorum, f g h

* Ms. Rhetor

6 Ac placuit ei, percepta gratia *i*, cum aliis civibus et amicis suis, Deo pariter servientibus, ad Africam, et propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, et in quibus constitutus, ferme trieunio, et a se jam alienatis *k* curis secularibus, cum iis, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de is *, quæ sibi Deus cogitanti, atque orau- C ti intellecta revelabat, et præsentes, et absentes sermonibus ac libris docebat. Contigit forte eodem tempore, ut quidam ex iis, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem-regium *l* constitutus, bene Christianus, Deumque timens, comperta ejus bona fama atque doctrina, desideraret atque optaret eum videre, promittens se posse mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, si aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruisset. Quod quum ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare *m* animam cupiens ab hujus vitæ periculis, morteque æterna, ad memoratam ultro atque confestim venit civitatem, et hominem visum alloquutus frequentius, atque exhortatus est, quantum Deus donabat, ut quod Deo voverat, redderet *. Ac * se ille de die in diem faeturum pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit præsentia : sed vacare * utique, et inane esse non potuit, quod per tale vas mundum, et in honore, utile Domino, et ad omne opus bonum paratum, in omni loco divina gerebat providentia.

et cum sociis secedit : venit Hipponem-regium, i k

* Ms his

l

m

in Ms. redderet

in Ms. reddidisset

* al. hæc

* al. vacuum

7 Eodem itaque tempore in ecclesia Hipponensi Catholica Valerius *n* sanctus episcopatum gerebat. Qui quum, flagitante ecclesiastica necessitate, de providendo et ordinando presbytero D civitati * plebem Dei alloqueretur et exhortaretur; jam scientes Catholici sancti Augustini propositum et doctrinam, manu injecta, (quoniam, et idem in populo securus, et ignarus quid futurum esset, adstabat : solebat autem laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantum ecclesiis, quæ non haberent episcopos, suam abstinere præsentiam :) cum ergo tenuerunt, et, ut in talibus consuetum *o* est, episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu et desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio et clamore flagitantibus, ubertim eo flente : nonnullis quidem lacrymas ejus, ut nobis ipse retulit, tunc superbe interpretantibus, et tamquam eum consolantibus ac dicentibus, quia et locus presbyterii, licet ipse majore dignus esset, appropinquaret * tamen episcopatui : quum ille Homo Dei, ut nobis retulit, majori consideratione intelligeret, et gemeret, quam multa, et magna suæ vitæ pericula de regimine et guberuatione ecclesiæ impendere jam, ac provenire spectaret, atque ideo fleret. Et eorum, ut voluerunt, completum est desiderium. E

ubi presbyter ordinatur,

n * Editio Lugd. Civitatis

o

* in Ms. propinquaret

8 Factus ergo * presbyter monasterium intra ecclesiam mox instituit : et cum Dei servis vivere cœpit secundum modum et regulam sub *p* sanctis Apostolis constitutam; maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, et distribueretur unicuique, sicut opus erat : quod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset. Sanctus vero Valerius ordinator ejus, ut erat vir pius, et Deum timens, exultabat, et Deo gratias agebat, suas exauditas a Domino fuisse preces, quas se frequentissime fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei, et doctrina salubri Ecclesiam Domini ædificare : cui rei se homo natura Græcus, minusque Latina lingua, et litteris instructus minus utilem pervidebat.

ac monasterium instituit: * in Ms. fortuque p

9 Et eidem Presbytero potestatem dedit coram se *q* in ecclesia Euangelium prædicandi, ac frequentissime tractandi; contra usum quidem, et consuetudinem Africanarum ecclesiarum : unde etiam ei nonnulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus, in Orientalibus ecclesiis id ex more fieri sciens et certus, et utilitati Ecclesiæ consulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur a presbytero, quod a se episcopo impleri minime posse cernebat. Unde accensa et ardens elevata super candelabrum lucerna, omnibus, qui in domo erant, lucebat. Et postea currente et volante hujusmodi fama, bono præcedente exemplo, acepta ab episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram episcopis, populis tractare cœperunt verbum Dei *r*. F

prædicat etiam coram episcopo, q

r

10 Sane in illa tunc Hipponensi urbe Manichæorum pestilentia quam plurimos vel cives vel peregrinos infecerat et penetraverat, seducente et decipiente ejusdem hæresis quodam presbytero, nomine Fortunato *s*, ibidem conversante atque manente. Interea Hipponenses cives, et * peregrini Christiani tam Catholici, quam etiam Donatistæ adeunt *t* presbyterum, ac deposcunt, ut illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, et cum eodem de Lege tractaret. Quod idem, ut scriptum est, " paratus ad responsionem * omni poscenti " se rationem de fide, et spe quæ in Deum est, " potensque exhortari in doctrina sana, et con- " tradicentes

disputat cum Fortunato Manichæo. s

* Ms. vel

t

* in Ms. confessionem

A « tradicentes redarguere », minime renuit. Sed utrum etiam ille hoc fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes, et exhortantes, ac flagitantes, quod id minime recusaret.

præsente populo.

11 Sane quoniam idem Fortunatus jam apud Carthaginem sanctum noverat Augustinum, adhuc in eodem secum errore constitutum; cum eodem congredi pavitabat. Verumtamen suorum maxime instantia coactus, ac verecundatus, promisit in cominus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Unde condicto die et loco convenerunt in unum, concurrentibus quam plurimis studiosis turbisque curiosis, et apertis notariorum tabulis, disputatio cœpta primo, et secundo finita est die.

eumque superat:

12 In qua ille Manichæus præceptor, ut gestorum continet fides, nec Catholicam assertionem potuit vacuare, nec Manichæorum sectam veritate subnixam valuit comprobare: sed responsione deficiens ultima, collaturum se cum suis majoribus ea, quæ refellere non potuit, prosequutus est; et si sibi forte de his satis minime B fecissent, suæ animæ consulturum: atque ita ab omnibus, apud quos magnus et doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione judicatus est. Qua ille confusione affectus, et sequenti tempore de Hipponensi civitate profectus, ad eam amplius non remeavit: ac sic per memoratum Dei Hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa, quæ gesta sunt, cognoverant *, error ille ablatus, Catholica est intimata ac retenta sincera Religio.

* *in Ms.* cognoverunt

scribit varia contra hæreticos,

13 Et docebat ac prædicabat ille privatim et publice, in domo et in ecclesia, salutis verbum cum omni fiducia adversus Africanas hæreses, maximeque contra Donatistas, Manichæos et Paganos *u*, libris confectis, et repentinis * sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis et collætantibus *, et hoc ipsum, ubi poterant, non tacentibus, sed * diffamantibus. Sicque *x*, adjuvante Domino, levare in Africa Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illic, convalescentibus hæreticis, præcipueque rebaptizante Donati parte, majorem multitudinem * Afrorum, seducta et oppressa * jacebat.

* *al.* repetitis
* *in Ms.* conlaudantibus
* *in Ms.* etc.
* *in Ms.* majore multitudine
* *in Ms.* et pressa et obsessa

libri ejus magni fiunt.

14 Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes *, instructos rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant: et quisquis, ut voluit et potuit, notarios adhibens *, etiam ea, quæ dicebantur, excepta descripsit. Et inde jam per totum Africæ corpus præclara doctrina odorque suavissimus Christi diffusus * et manifestatus est, congaudente quoque, eo comperto *, Ecclesia Dei transmarina. Quoniam sicut, « dum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ita etiam quum glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra *y* ».

* *Ms. addit* omni
* *Ms.* adhibentes . . descripserunt
* *Ms.* diffusa *etc.*
* *Ms.* id comperta

C

ANNOTATA.

a Libentius legerem Africæ, ut Mss. tres codices Vaticani ferunt, *ait Salinas. Ratio illius est, quod provincia Africana proconsularem designet proprie, cum Sanctus in Numidia sit natus. At possidius forlasse ad propriam illam significationem minus attendit.*

b *De sancti patria, urbeque natali actum est in Commentario num.* 16, *et deinde de ejus parentibus, aliisque, quæ ordine quæri poterunt, dum hic brevitatis causa non explicantur aut assignantur.*

c *Duo codices Vatic., ut notat Salinas, habent:* Impensius secularibus litteris eruditus, apprime omnibus disciplinis imbutus. *Quæ lectio forte melior, cum constet, Sanctum Romaniani quoque impensis adjutum fuisse in studiis.*

d *Valentinianus II* Junior *passim vocatur, qui cum fratre Gratiano, ac post ipsum, in Occidente imperavit.*

e *Codex Regius cum nostro* divinum perciperet Sacramentum.

f Conversus ad Deum *omittitur in codice nostro.*

g *In editis aliis* soli Deo. *In uno Vaticano cod.:* Sed Deo servire constituens; *in altero,* sed Deum, cui servus esse constituit.

h *Aliqui codices addunt nomen matris* Monica, *et deinde patris* Patricius, *ut observat Salinas.*

i *In editis aliis additur* baptismi, *non in Mss.*

k *In Mss. variis omittitur* curis secularibus. *Codex Regius* 1025, *ut notat Salinas,* et a se jam E alienatis pristinis vitiis. *Duo alii* alienatus *pro* alienatis.

l Hippo-regius *urbs erat Numidiæ maritima, atque hodieque in ditione Algeriana est sita, ac* Bona *dicitur, ut geographi passim habent. De altero Hippone in Zeugitana sito agit Cellarius in antiqua Geographia Africæ pag.* 102. *De Hippone-Regio idem disputat pag.* 112.

m *Codices duo Vatic. cum nostro,* liberari.

n *Quæ de Valerio episcopo nota sunt, vel hic sequentur, vel dicta sunt in Commentario locis variis. Collegit ea Tillemontius tom.* 13 *Monumentorum in* Augustino *art.* 60.

o *Hujus consuetudinis, qua viros præclaros ad presbyteratum vi pertrahebant, multa exempla affert Salinas: additque ordinationes illas violentas jure merito fuisse prohibitas ab Ecclesia.*

p *Cod. Vat.* 118, *ut notat Salinas*, ab Apostolis.

q *Hinc inferri nequit, presbyteros omnino non prædicasse in Africa ante* Augustinum, *sed solum, id non fecisse præsente episcopo. Videri potest Salinas in notis ad hunc locum, et Tillemontius art.* 62. F

r Verbum Dei *omittitur in Ms. nostro.*

s *Disputatio contra Fortunatum latius exposita est in Commentario num.* 264 *et seqq.*

t *In editis aliis additur,* Augustinum, *uti et in Ms. nostro, licet id abesse a suis Mss. testetur Salinas.*

u *In prioribus editionibus legebatur* Pelagianos, *repugnantibus omnibus Mss., inquit Salinas, qui et observat Pelagianos necdum notos fuisse, dum* Augustinus *erat presbyter.*

x *Cod. Reg. apud Salinas:* Sicque dono Dei pax in Africana ecclesia orta est, apud quam multo tempore *etc. In Mss. Benedictinorum et nostro,* atque Dei dono levare.

y *In editis additur, ait Salinas,* Per idem tempus coram episcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone agebant, de fide et symbolo presbyter adhuc Augustinus disputavit. *Quæ verba ex lib.* I *Retract. cap.* 17 *huc translata, recte observat, cum in nullis habeantur Mss.*

CAPUT

A. S. Possidio.

CAPUT II.

Electio ad episcopatum Hipponensem, et varia in eo gesta adversus Donatistas hæreticos, horumque furor.

Sanctus, agente id Valerio episcopo,

Ille vero beatus senex Valerius ceteris ex hoc amplius exultans, et Deo gratias agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere cœpit, ut est humanus animus, ne ab alia ecclesia sacerdote privata, ad episcopatum quæreretur, et sibi auferretur: nam et id provenisset, nisi et hoc idem episcopus coguito, ad locum secretum eum transire curasset, atque occultatum a quærentibus minime inveniri fecisset. Unde amplius formidans idem venerabilis senex, et sciens se corpore et ætate iufirmissimum, egit secretis litteris apud primatem episcoporum * Carthaginensem *a*, allegans imbecillitatem corporis sui ætatisque gravitatem, et obsecrans, ut Hipponensi ecclesiæ B ordinaretur episcopus, quo suæ cathedræ non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Et quæ optavit et rogavit satagens, rescripto impetravit.

*al. episcopum a

consecratus, eo vivente, episcopus, b c

16 Et postea petito *b* ad visitandum et adveniente ad ecclesiam Hipponensem tunc primate Numidiæ Megalio Calamensi *c* episcopo, et Valerius antistes * episcopis, qui forte tunc aderant, et clericis omnibus Hipponensibus, et universæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem: omnibusque audientibus gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus, episcopatum suscipere contra morem Ecclesiæ, suo vivente episcopo, Presbyter recusabat. Dumque illi fieri solere, ab omnibus suaderetur, atque id iguaro transmarinis et Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, et episcopatus curam *d* et majoris ordinationem suscepit. Quod in se * postea fieri non debuisse, ut vivo suo episcopo ordinaretur, C et dixit et scripsit, propter concilii universalis vetitum, quod jam ordinatus didicit: nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit *e*. Unde etiam sategit, ut conciliis constitueretur episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

* in Ms. Valerio episcopo.. insinuante — d — * in Ms. ipse — e

laborat strenue ad Donatistas

17 Atque ita factum est, ut episcopus multo instantius ac ferventius majore auctoritate, non adhuc in una tantum regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac gnaviter *f*, pullulante atque crescente Domini Ecclesia, prædicaret *, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide et spe, quæ in Deum est. Et ejus dicta atque excepta, maxime Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes civitate, ad suos episcopos deferebant. Quæ quum audissent, et contra forte aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis *, patienter ac leniter, et ut scriptum est, „ cum timore et tremore salutem „ omnium *g* operabatur „: ostendens, quam nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifestumque sit, quod Ecclesiæ Dei fides tenet ac docet.

f — * in Ms. prædicabat — * in Ms. eaque comperta — g

reducendo ad Ecclesiam, h

18 Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter D agebantur. Nam et Epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos *h*, et eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationem venirent. At illi caussæ diffidentia *i* ne quidem *k* umquam rescribere voluerunt: sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem et deceptorem animarum Augustinum esse, et privatim et publice conclamabant; et ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant et tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis *, qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes *l*. Et ut eorum caussæ diffidentia cunctis innotesceret, elaboravit: et publicis gestis conventi, non sunt ausi conferre *m*.

i k — * in Ms. his — l — m

furentibus eorum Circumcellionibus, n

19 Habebant etiam iidem Donatistæ per suas pene omnes ecclesias inauditum hominum genus perversum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui Circumcelliones *n* dicebantur. Et erant in ingenti numero et turbis per omnes pene * Africanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audacia superba, et temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque in caussis * E interdicentes * hominibus: et nisi obedissent, damnis gravissimis et cædibus afficiebantur *, armati diversis telis, bacchantes per agros villasque, usque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes.

* in Ms. fere — * al. incautis — * in Ms. intercedentes — * al. afficiebant

et Catholicos crudeliter persequentibus:

20 Sed dum Verbum Dei sedulo prædicaretur, et cum his, qui oderant pacem, pacis ratio haberetur; illi loquentem debellabant gratis, et quum adversus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant et poterant, sese inde vel eripiebant vel subducebant, et paci atque unitati Ecclesiæ cum suis, quibus poterant, cohærebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant ira gravissima, et intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiæ compacti *o* faciebant; ipsisque *p* sacerdotibus Catholicis et ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium inferebant. Nam et multos Dei servos cædibus debilitaverunt. Aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Unde etiam F suis iidem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

o p

evocati ex monasterio Augustini q

21 Proficiente *q* porro doctrina divina, sub sancto et cum sancto Augustino in monasterio Deo servientes, ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente et clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ *r* prædicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentia, et paupertate profunda, ex monasterio *s*, quod per illum memorabilem Virum et esse et crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere episcopos et clericos pax Ecclesiæ atque unitas et cœpit primo, et postea consequuta est.

r — s

ad cathedras, egregie cum eo laborant: t

22 Nam ferme decem *t* quos ipse novi, sanctos ac venerabiles viros continentes et doctissimos, beatus Augustinus diversis ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque et ipsi ex illo * sanctorum proposito venientes, Domini ecclesiis propagatis, et monasteria instituerunt; et studio crescente ædificationis Verbi Dei, ceteris ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Unde per multos et in multis salubris fidei, spei, et

* al. ex illorum

A et charitatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Africæ partes, verum etiam in transmarinis, et per libros editos atque in Græcum *u* sermonem translatos, ab illo uno Homine, et per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, ut scriptum est, " peccator videns irascebatur, dentibus suis " frendebat *, et tabescebat " : servi autem Dei *, ut dictum est, " cum his qui oderant pacem, erant " pacifici, et quum loquerentur, debellabantur gratis ab eis ".

u

* in Ms. fremebat

* in Ms. lui

Sanctus errore vix evadit insidias hæreticorum :

* in Ms. famulo Dei Augustino

23 Aliquotiens vero etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum * obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendas et exhortandas Catholicas plebes, quod ipse frequentissime faciebat. Et aliquando contigit, ut illi succenturiati hactenus perderent captionem : evenit enim Dei quidem providentia, sed ductoris hominis errore, ut per aliam viam cum suis comitibus Sacerdos, quo tendebat, venisset, atque per hunc, quem postea cognovit errorem, manus impias evasisset. Et quum in * omnibus liberatori Deo gratias egisset, omnino suo more illi furentes *x* et nec laicis nec clericis pepercerunt, sicut publica contestantur B gesta.

* Ms. suis

x

victus a Possidio in disputatione episcopus Donatistarum,

y

24 Interea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Ecclesia Viri studium domusque Dei zelum adversus prædictos rebaptizatores Donatistas gestum, et perfectum est. Quum forte unus *y* ex iis, quos de suo monasterio et clero episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis ecclesiæ diœcesim visitaret, et quæ didicerat, pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret, factum est, ut medio itinere eorum insidias incurrisset, et pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus et rebus, injuriis et cæde eum gravissima affecisseut. De qua re, ne pacis Ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit. Et præceptus est Crispinus, qui eisdem Donatistis in Calamensi civitate et regione episcopus fuit, prædicatus * scilicet et multi temporis, et doctus ad multam *z* teneri aurariam, publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus præsentatus, quum apud proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, ut illi recedente Ecclesiæ defensore, a Catholico episcopo resisteretur, et convinceretur eum esse, quod se fuisse negaverat : quoniam si ab eodem dissimularetur, forte Catholicus episcopus ab ignorantibus hæreticus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur.

* in Ms. prædicator

z

C

Donatistæ mulctati imperatoriis legibus ;

25 Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses episcopi venerunt, et de ipsa diversa communione tertio conflictum secum egerunt, magna populorum Christianorum multitudine caussæ exitum, et apud Carthaginem, et per totam Africam exspectante : atque ille Crispinus proconsulari et libellari sententia est pronuntiatus hæreticus. Pro quo ille apud Cognitorem Catholicus episcopus intercessit, ne auraria multa exigeretur; et ei est beneficium impetratum. Unde quum ingratus ad piissimum principem provocasset, et ab imperatore relationi debitum est responsum solutum, et consequutum est præceptum, nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere, et eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere. Ex quo et judex, et Officium *aa*, et idem Crispinus, quod minime fuerit exactus, præcepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per Catholicos episcopos, præcipue per sanctæ memoriæ Augustinum, ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia : et Domino adjuvante perfectum est. Qua diligentia et sancto studio multum crevit Ecclesia.

A. S. Possidio.

aa

multi illorum conversi post collationem,

26 Et de his omnibus pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus et hic palmam dedit, et apud se justitiæ coronam reservavit : ac magis magisque, juvante Christo, de die in diem augebatur et multiplicabatur pacis unitas, et Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maxime factum est post * collationem, quæ ab universis episcopis Catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum episcopis postmodum facta est, id jubente gloriosissimo et religiosissimo imperatore Honorio *bb*, propter quod perficiendum etiam * a suo latere tribunum et notarium Marcellinum *cc* in * Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnimodis confutati, atque de errore a Catholicis convicti, sententia Cognitoris notati sunt, et post eorum appellationem, piissimi Regis responso juste * inter hæreticos condemnati sunt. Ex qua ratione solito amplius eorum episcopi cum suis clericis et plebibus communicaverunt, et pacem tenentes Catholicam, multas eorum persecutiones usque ad membrorum amputationem et internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, ut dixi, per sanctum illum Hominem, consentientibus nostris * episcopis et pariter satagentibus, et cœptum et perfectum est.

* Lov. per

bb

* abest a Ms. etiam

cc

* Ms. ad

E

* in Ms. injusti

* Ms. non habet nostris

27 Porro autem quoniam post illam, quæ cum Donatistis facta est, collationem, non defuerunt, qui dicerent, permissos non fuisse eosdem episcopos apud potestatem, quæ caussam audivit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam Catholicæ communionis Cognitor suæ favebat Ecclesiæ : licet hoc deficientes et victi ad excusationem jactarent, quandoquidem et ante controversiam iidem hæretici Catholicæ communionis eumdem esse noverant, et quum * ab eodem convenirentur publicis gestis, quod ad collationem occurrerent, se esse facturos prosequuti sunt. Poterant utique suspectum eum habentes recusare congressum.

et Emeritus, multa jactans contra Catholicos,

* Ms. dum

F

in publica disputatione

dd

28 Tamen Omnipotentis Dei præstitit auxilium, ut postea in Cæsariensi *dd* Mauritaniæ civitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus, quo eum venire cum aliis ejus coepiscopis sedis Apostolicæ litteræ compulerant *, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates : hac ergo occasione provenit, ut Emeritum *ee* ejusdem loci Donatistarum episcopum, quem suæ sectæ præcipuum in illa collatione habuerunt defensorem, videret, et cum eodem publice in ecclesia, populo adstante diversæ communionis, ex hoc ipso disputaret, et provocaret gestis ecclesiasticis, ut quod forte, sicut dicebant, prosequi potuit in collatione, sed * permissus non erat, in præsenti sine alicujus potestatis prohibitione aut potentia securus dicere minime dubitaret, et in sua civitate suis omnibus præsentibus civibus fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret *.

* Ms. compulerunt

ee

* Ms. et.

29 Ille neque hac hortatione *, nec suorum parentum et civium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur, se ad ejus redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum salutisque suæ temporalis, si modo Catholicam superaret assertionem. At ille amplius dicere

* Ms. denegasset

ab Augustino confusus.

* Ms. nec hac oratione

A. S. Possidio.

cere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisi tantum: « Jam illa, inquit, gesta continent apud « Carthaginem inter episcopos confecta, utrum « vicerimus, an victi fuerimus ». Et alio loco, dum a notario, ut responderet, admoneretur, et reticeret, ejus cunctis manifestata * diffidentia, Ecclesiæ Dei augmenta ac firmamenta provenerunt. Quisquis ergo diligentiam et operam beatissimæ memoriæ Augustini pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere plenius voluerit, etiam illa percurrat gesta: et inveniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem, et prædicatum hominem provocarit, hortatusque fuerit, ut pro suæ defensione partis, quod vellet, ediceret; illumque victum cognoscet.

* Ms. facta . . manifesta

ANNOTATA.

a *Episcopus Carthaginensis et totius Africæ primas tunc erat Aurelius, qui cum* Augustino *multum laboravit contra hæreticos. Gesta ejus refert Tillemontius tom.* 12 *Monument. Eccl., et* sanctum *vocat. Majores autem nostri nomen ipsius*

B *memorant inter prætermissos ad* 20 *Julii, at tunc ignorarunt, opinor, memoriam ejus annuntiari eodem die in Kalendario antiquissimo ecclesiæ Carthaginensis, edito per Mabillonium tom.* 3 *Analectorum pag.* 398. *Quapropter in Supplemento Operis ad dictum diem de eo erit agendum.*

b Sic Mss., *ait Salinas,* editi vero. « Post quam « petitionem ad visitandum adveniente ».

c *Megalius primum* Augustini *ordinationi restitit, eumque falso accusavit, ut dictum in Commentario num.* 309; *sed, petita falsæ accusationis venia, eumdem consecravit. Porro Calama, cujus fit mentio apud* Augustinum, *urbs erat Numidiæ mediterranea: primas autem Megalius, quia senior inter episcopos Numidiæ.*

d Codices pene omnes, *teste editore, cum nostro omittunt,* et episcopatus curam.

e *De hisce quoque in Commentario* § 22.

f *Apud Salinas codex unus, cui consentit noster, cum editis aliis,* suaviter.

g *Duo codices apud Salinas, et noster,* hominum.

h *Mss. quatuor apud Salinas cum nostro,* Episcopos eminentes scilicet, et laicos dedit.

C i *Editiones aliquæ cum nostro codice habent,* causa diffidentiæ.

k *Codex unus, apud Salinas,* nihil rescribere voluerunt; sed irati furiose loquebantur.

l *Cod. unus, ut notat Salinas, cum nostro,* reverentes.

m *Hæc omnia, quæ gesta cum Donatistis referuntur hoc capite, latius exposita invenies in Commentario* § 30, 31, 32, *et* 33.

n *In codice nostro, et aliquot aliis apud Salinas,* Circelliones, *de quibus varia notata sunt apud Salinas, et in Commentario mox assignato.*

o *Codex* 541 *apud Salinas,* cum pactis faciebant.

p *Ibidem cod. Vat.* 1190, justis Catholicisque sacerdotibus.

q *Aliquot codices apud Salinas,* proficientes.

r Cisterciensis codex, *ait Salinas,* Ecclesia Catholica.

s *De hoc monasterio consule* § 18 *et* 25 *Commentarii.*

t *Salinas hoc loco notat sequentia:* Præter ipsum *(Possidium,)* qui fuit Calamæ episcopus, ex his decem, septem in nostram venere notitiam: nempe Alypius Thagastensis, Evodius Uzalensis, Profuturus Cirtensis Numidiæ metropolitanus, Fortunatus ejusdem successor, Severus Milevitanus, Urbanus Siccensis, et Peregrinus. D *De his et pluribus agit Tillemontius in* Augustino *art.* 63: *at non æque certi sumus de omnibus.*

u *Non audet asserere Salinas, libros per ipsum* Augustinum *translatos fuisse in Græcum sermonem, neque id mihi est verisimile, aut assertum a Possidio; licet Sanctus Græci sermonis non esset ignarus, ut ostensum est in Commentario* § 3.

x Hanc voculam, *quæ in aliis non est,* auctoritate cod. 541 posuimus, *inquit Salinas.*

y *Unus ille est ipse Possidius, ut dictum in Commentario num.* 433 *et* 434.

z *Mulcta hæc erat decem librarum auri. Adi Commentarium num.* 438.

aa Officium *hic designat rei forensis ministros.*

bb *Imperare cœpit Honorius, si prætermittamus annos, quibus titulum imperatoris habuit vivente patre, anno* 395, *obiit anno* 423. *De legibus ab eo contra Donatistas latis quædam dicta sunt in Commentario.*

cc *De S. Marcellino piissimo tribuno et dein martyre egimus ad diem* 6 *Aprilis. Vide etiam Commentarium num.* 456. E

dd *Cæsarea Mauritaniæ urbs erat maritima, cujus antiqua nomina ubi exposuerat Cellarius in Geographia antiqua Africæ, de hodierno nomine pag.* 128 *addit hæc verba:* Plures in eo consentiunt, esse Cæsaream, quam hodie Alger vocant, armis et piratica famosam: quod barbaricum ejus nomen non mediocriter confirmat.

ee *De Emerito plura in Commentario num.* 467.

CAPUT III.

Certamina sancti Præsulis contra hæreticos Manichæos, Arianos, ac Pelagianos.

Scio item non solus ipse, verum etiam alii fratres et conservi, qui nobiscum tunc intra Hipponensem ecclesiam cum eodem sancto Viro vivebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: Advertistis hodie in ecclesia meum sermonem, ejusque initium et finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim? Cui respondimus: Ita nos in tempore miratos fuisse scimus et recognoscimus. At ille: Credo, ait, quod * forte aliquem errantem in populo Dominus per nostram oblivionem et errorem doceri et curari voluerit, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri. Nam quum propositæ quæstionis latebras * pertractarem, in aliud sermonis excursu perrexi; atque ita non conclusa vel explicata quæstione, disputationem terminavi, magis adversum Manichæorum errorem, unde nihil dicere decreveram, disputans, quam de iis, quæ asserere proposueram.

Sanctus in prædicatione abductus a disputatione proposita. F

* quod non est in Ms.

* in Ms. latera

31 Et post hæc, nisi fallor, ecce alia die vel post biduum venit quidam Firmus *a* nomine, negotiator, et intra monasterium sedente sancto Augustino, nobis coram, ad pedes ejus genibus provolutus sese jactavit, lacrymas fundens, et rogans

Manichæum convertit: a

A rogans, ut pro suis delictis Sacerdos cum Sanctis * Dominum precaretur, confitens quod Manichæorum sectam secutus fuisset, et in ea quam plurimis annis vixisset, et propterea pecuniam multam ipsis Manichæis, vel eis, quos dicunt electos, incassum erogasset: ac se in Ecclesia, Dei misericordia, fuisse ejus tractatibus nuper correctum atque Catholicum factum. Quod et ipse venerabilis Augustinus, et nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, et referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes et stupentes, glorificavimus sanctum ejus nomen, et benediximus; qui quum voluerit, et unde voluerit, et quomodo voluerit, et per scientes et per nescientes salutem operatur animarum. Et ex eo ille homo proposito servorum Dei adhærens, negotiatoris dimisit actionem, et proficiens in Ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyterii quoque Dei voluntate petitus et coactus accessit officium, tenens atque custodiens propositi sanctitatem : et forte adhuc usque in rebus humanis vivit trans mare constitu-B tus.

* *al.* suis

32 Apud Carthaginem quoque, dum per quemdam domus regiæ procuratorem, nomine Ursum, fidei Catholicæ hominem, ad quosdam Manichæorum, quos electos vel electas dicunt, præsentes perveniretur, atque ad ecclesiam ab eodem deducerentur et perducerentur, ab episcopis ad tabulas *b* auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ ceteris illam * exsecrabilem sectam noverat, et eorum prodens ejusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, usque ad confessionem earumdem blasphemiarum eos perduxit : et quæ inter se illi suo more malo indigna et turpia facere consueverant *, feminarum illarum velut electarum proditione, illis Ecclesiasticis gestis declaratum est.

turpitudines Manichæorum detectæ.

b

* *in Ms. omittitur* illam

* *in Ms.* consueverunt

33 Atque ita pastorum diligentia, Dominico gregi et augmentum accessit, et adversus fures atque latrones defensio competens procurata est. Cum quodam etiam Felice, de numero eorum, quos electos dicunt Manichæi *c*, publice in Hipponensi ec-C clesia notariis excipientibus disputavit populo adstante : et post secundam vel tertiam collationem ille Manichæus, frustrata vanitate et errore ipsius sectæ, ad nostram conversus est fidem *d* atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura.

et Felix per Sanctum conversus.

c

d

34 Præterea cum quodam etiam Pascentio *e* comite domus regiæ Ariano, qui per auctoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem Catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, et quam plurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate ac potestate exagitabat et perturbabat, interpositis * honoratis et nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo provocatus, coram contulit. Sed idem hæreticus tabulas atque stilum, quod * Magister noster et ante congressum et in congressu instantissime fieri volebat, ne adessent omni modo recusabat. Et dum id pernegasset, dicens, quod metu legum publicarum periclitari tabulis scriptis nollet; atque interpositis id placere Augustinus episcopus cum suis, qui aderant, consacerdotibus videret, ut absque ulla scriptura privatim disputarent, collationem suscepit : prædicens, ut postmodum contigit, quod post solutum conventum esse cuiquam posset liberum * forte dicere, nullo scriptu-

Sanctus cum Pascentio comite Ariano

e

* *al.* præsentibus

* *in Ms.* quas

Lov. liberum arbitrium

ræ documento, se dixisse, quod forte non dixerit, vel non dixisse, quod dixerit.

A S Possidio.

35 Et miscuit cum eodem sermonem, atque asseruit, quid crederet, et ab illo, quid teneret, audivit, et vera ratione atque auctoritate Scripturarum probata * docuit, et ostendit nostræ fidei firmamenta: illius autem asserta nulla veritate, nulla Scripturarum sanctarum auctoritate suffulta docuit, et frustravit. Et ut a se invicem partes digressæ sunt, ille magis magisque iratus et furens, mendacia multa pro fide sua falsa jactabat, victum esse a se ipso proclamans multorum ore laudatum Augustinum. Quæ quum *f* minime laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentium, propter illius metum omissis nominibus conferentium, et in eis litteris quidquid inter partes dictum vel gestum fuerat, fideliter intimavit; ad ea, si negarentur, probanda magnam testium habens copiam, clarissimos scilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque *g* ille ad duo sibi directa scripta, unum vix reddidit rescriptum, in quo magis injuriam facere, quam suæ sectæ rationem valuit declarare. Quod a volentibus et a valentibus legere comprobatur.

eorum multis disputat :

* *in Ms.* prolata

f

g

E

36 Cum ipsorum quoque Arianorum episcopo quodam Maximino *h* cum Gothis ad Africam veniente, apud Hipponem quam plurimis * volentibus atque petentibus, et præclaris interpositis viris, contulit : et quid singulæ asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere curaverint, procul dubio indagabunt, vel quid callida et irrationabilis hæresis ad seducendum et decipiendum profiteatur, vel quid Ecclesia Catholica de divina teneat et prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessisse jactavit, et mentitus est; quæ utique non facile a divinæ legis ignaris examinari et dijudicari possent : a venerabili Augustino sequentis temporis stilo, et illius totius collationis de singulis objectis et responsis facta est recapitulatio, et quam nihil ille objectis referre potuerit, nihilo minus demonstratum est, additis supplementis, quæ in tempore collationis angusto cuncta inferri et scribi minime potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis; ut sua novissima prosequutione multo * longissima, totum, quod remanserat, diei spatium occuparet.

ut et cum Maximino eorum dem episcopo.

h

* *in Ms.* pluribus

F

* *in Ms.* multum

37 Adversus Pelagianistas *i* quoque novos nostrorum temporum hæreticos disputatores callidos, arte magis subtili et noxia scribentes, et ubicumque poterant publice et per domos loquentes, per annos ferme decem *k* laboravit, librorum multa condens et edens, et in ecclesia populis ex eodem errore frequentissime disputans. Et quoniam iidem perversi sedi Apostolicæ per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur, instantissime etiam conciliis Africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto Papæ Urbis, et prius venerabili Innocentio *l*, et postea sancto Zosimo *m* ejus successori persuaderetur, quam illa secta a fide Catholica et abominanda et damnanda fuisset.

impugnat Pelagianos.

i

k

l

m

38 At illi tantæ sedis Antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris et ad *n* Africanas Occidentis, et ad Orientis partis Ecclesias, eos anathemandos * et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum judicium, etiam piissimus imperator Honorius audiens ac sequens, suis

qui damnatur ;

n

* *al.* anathematizandos

A. S. Possidio. * in Ms. damnandos, et

suis eos legibus damnatos *, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, unde resilierant, redierunt, et adhuc alii redeunt, innotescente et prævalescente adversus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.

utilissimi pro Ecclesia labores.

39 Et erat ille memorabilis Vir, præcipuum Dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, prius quidem in Hipponensi ecclesia et regione, cui maxime præsidebat, unitate ac pace perfecta; deinde in aliis Africæ partibus, sive per se ipsum, sive per alios, et quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse, et multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, et Paganos ex magna parte defecisse, et Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudeus; profectibus quoque et studiis favens erat et exultans bonorum omnium; indisciplinationes pie ac sancte toleraus fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum, qui intra Ecclesiam, sive eorum, qui extra Ecclesiam sunt constituti, Dominicis,
B ut dixi, lucris semper gaudens, et damnis mœrens.

et scriptorum multitudo.

40 Tanta autem ab eodem dictata et edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel adversus hæreticos conscripta, vel ex Canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, ut ea omnia vix quisquam studiosorum perlegere et nosse sufficiat. Verumtamen ne veritatis verbi *o* avidissimos in aliquo fraudare videamur, statui, Deo præstante, in hujus Opusculi fine etiam eorumdem librorum, tractatuum, et epistolarum Indiculum adjungere: quo lecto, qui magis Dei veritatem quam temporales amant divitias, sibi quisque, quo voluerit, ad legendum et cognoscendum eligat, et id ad describendum, vel de bibliotheca Hipponensis ecclesiæ petat, ubi emendatiora exemplaria forte poterunt * inveniri, vel unde valuerit inquirat, et inventa describat et habeat, et petenti ad describendum, sine invidia etiam ipse tribuat.

* in Ms. potuerint

ANNOTATA.

C a *Varios Firmos recenset Tillemontius in* Augustino *art.* 96; *at incertum quis ille sit, qui hic dicitur conversus.*

b Ad tabulas auditi sunt, id est, notariis excipientibus, et in tabulas iuferentibus interrogata et responsa, *ut observat Salinas.*

c Hic editi addunt, *inquit Salinas,* Quippe Hipponem venerat eumdem seminaturus errorem.

d *De conversione Felicis plura in Commentario num.* 107 *et* 408. *Porro turpissimi Manichæorum errores late expositi sunt* § 10: *gesta vero Sancti in episcopatu contra eosdem hæreticos* § 29.

e *Adi pro his Commentarium num.* 516 *et* 517.

f Hic editi adjiciunt, *ut notat Salinas,* Illum venerabilem Virum.

g *Cod. Reg.* 511 *apud Salinas sic habet*: Quod audiens hæreticus ad duo scripta sibi directa unum librum reddidit scriptum.

h *Sermo* 140 *novissimæ editionis Benedictinorum hunc habet titulum*: Contra quoddam dictum Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto comite constitutus in Africa blasphemabat. *Cum* D *Possidius dicat cum Gothis venisse Maximinum, et Segisvulto adhæsisse ex verbis citatis liqueat, colligunt inde scriptores, Segisvultum, cui teste Prospero in Chronico cura commissa est belli in Africa cœpti contra Bonifacium Hierio et Ardabure coss., id est anno Christi* 427, *Gothum fuisse et Arianum. De hac vero disputatione contra Maximinum vide Commentarium num.* 518.

i *Pelagiana hæresis, gestaque Sancti contra illam exposita sunt in Commentario* § 34 *et* 35.

k Annos a Pelagiani erroris exortu ad illius per Zozimum condemnationem computat, *inquit Salinas. Nam alioquin contra dictos hæreticos disputavit ad annos facile viginti, ut habet S. Prosper in Commentario num.* 496.

l *Innocentii I gesta apud nos exposita sunt ad* 28 *Julii, quo colitur.*

m *De S. Zozimo agemus cum Martyrologio Romano ad* 26 *Decembris.*

n *In editis quibusdam ante legebatur,* datis litteris ad Africanas Orientis et Occidentis ecclesias. *Codex noster habet*: Datis litteris et Africanis et Occidentis et Orientis *etc.*

o Verbi *in editione Plantiniana et Lugdunensi* E *omittitur.*

CAPUT IV.

Solicitudo ejus pastoralis, et diversæ pro grege suo occupationes.

Cura Sancti controversias audiendi

Secundum Apostoli quoque sententiam, dicentis, " Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari ab iniquis, et " non apud Sanctos? An nescitis quia Sancti " mundum judicabunt? Et si in vobis judicatur " mundus, indigni estis judiciorum minimorum? " Nescitis quia angelos judicabimus, nedum secularia? Secularia igitur judicia si habueritis " inter vos, eos qui contemtibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad judicandum *a*. Ad reverentiam vobis loquor: sic non est inter vos " quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum " dijudicare; sed frater cum fratre dijudicatur " *b*, et hoc apud infideles. " Interpellatus ergo a Christianis, vel a cujusque sectæ hominibus, caussas F audiebat diligenter ac pie, cujusdam sententiam ante oculos habens, dicentis se malle inter incognitos, quam inter amicos caussas audire: eo quod de incognitis, pro quo arbitra * æquitate judicaretur, amicum posset adquirere, de amicis vero unum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus.

* al. arbitrata

et lites dirimendi: * Ms. in

42 Et eas aliquaudo usque ad * horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen noscebat, et dirimebat *c*: intendens in eis Christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide bonisque moribus proficeret, vel ab iis deficeret; atque compertis rerum opportunitatibus, divinæ Legis veritatem * partes docebat, eamque illis inculcabat, et eas, quo adipiscerentur vitam æternam edocebat, et admonebat, nihil aliud quærens ab iis, quibus ad hoc vacabat, nisi tantum obedientiam, et devotionem Christianam, quæ et Deo debetur et hominibus: peccantes coram omnibus arguens, ut ceteri timorem haberent: et faciebat hoc tamquam speculator a Domino constitutus domui Israël,

* al. veritate

A Israël, prædicans verbum atque instans opportune, importune, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate, et doctrina; præcipueque operam dans instruere eos, qui essent idonei et alios docere. Rogatus quoque a nonnullis in eorum temporalibus *d* caussis, epistolas ad diversos dabat. Sed hanc suam a melioribus rebus occupationem tamquam angariam deputabat *e*, suavem semper habens de iis, quæ Dei sunt, vel alloquutionem vel colloquutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis.

intercedendi pro reis, 43 Novimus quoque cum a suis carissimis litterarum intercessum apud seculi potestates postulatum non dedisse, dicentem cujusdam sapientis servandam esse sententiam, de quo scriptum esset, quod multa suæ famæ contemplatione amicis non præstitisset: et illud nihilo minus suum addens, quoniam plerumque potestas, quæ præstat, premit. Quum vero intercedendum esse rogatus videbat, tam id honeste ac temperate agebat, ut non solum onerosus aut molestus non videretur, verum etiam mirabilis existeret. Nam dum exorta necessitate suo more apud quemdam Africæ vicarium, Macedonium *f* nomine, pro B supplici litteris interveniret, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum misit: « Miro modo afficior sapientia tua, et in illis, quæ edidisti, et in iis, quæ interveniens pro sollicitis mittere non gravaris. Nam et illa tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil supra sit: et hæc tantum verecundiæ, ut nisi faciam, quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse, dijudicem, domine merito venerabilis et suscipiende pater. Non enim instas, quod plerique homines istius loci faciunt, ut quodcumque sollicitus petitor voluerit*, extorqueas: sed quod tibi a judice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones subservienite verecundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia est. Proinde statim commendatis effectum desiderii tribui: nam sperandi viam ante patefeceram.

* *Ms. sollicitus volueris*

et assistendi conciliis: 44 Sanctorum concilia sacerdotum per diversas C provincias celebrata, quum potuit, frequentavit *g*; non in eis, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærens; ut vel fides sanctæ Ecclesiæ Catholicæ inviolata maneret, vel nonnulli sacerdotes et clerici, sive per fas, sive per nefas excommunicati, vel absolverentur vel abjicerentur. In ordinandis vero sacerdotibus et clericis consensum majorem Christianorum, et consuetudinem Ecclesiæ sequendam arbitrabatur.

vestitus et mensa 45 Vestes ejus, et calceamenta, vel lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere; ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes: at iste, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Mensa usus est frugali et parca, quæ quidem inter olera, et legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat *h*. Quia noverat, et docebat, ut Apostolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.

qualis: 46 Et, ut idem Augustinus sanctus in suis Confessionum libris posuit, dicens: « Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne genus carnis, quod cibo esset usui, manducare permissum; Eliam cibo carnis refectum; Joannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum: scio et * Esaü lenticulæ concupiscentia deceptum; David propter aquæ desiderium a se ipso reprehensum; et regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmuravit, meruit improbari. » De vino autem sumendo Apostoli exstat sententia ad Timotheum scribentis, ac dicentis, « Noli usque adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum, et frequentes tuas infirmitates. » Cochlearibus tantum argenteis utens, vetera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea fuerunt: non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis.

A. S. Possidio.

* *Ms. et scio*

hospitalitas: lectio in mensa: 47 Sed et hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat. Et contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam *i* noverit esse sibi *.

Et ideo omnem convivam a superfluis, et noxiis fabulis et detractionibus *k* se se abstinere E debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, commotus ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego et alii, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus.

* *in Ms. sui*

usus redituum ecclesiasticorum. 48 Compauperum * vero semper memor erat, eisque inde erogabat, unde et sibi suisque omnibus secum habitantibus *l*, hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte (ut adsolet) de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus magis plebis Dei vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati; et paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi et ministri viverent, quo in vetere Testamento leguntur, altari deservientes de eodem comparticipari. Sed numquam id laici suscipere voluerunt. F

* *al. pauperum*

ANNOTATA.

a Ad judicandum *in duobus codicibus non legitur, ut monet Salinas, sicuti nec in textu Apostoli Græco.*

b *Lovanienses habent,* judicio contendit*: codex noster eum* 1025 *Reginæ* contendit.

c *Audi Sanctum ipsum serm.* 24 *in Psalm.* 118 *in ea verba*, declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei *de his conquerentem*: Maligni, *inquit,* exercent ad facienda mandata a scrutandis autem avocant: non solum cum persequuntur, aut litigare nobiscum volunt, verum etiam cum obsequuntur et honorant, et tamen suis vitiosis et negotiosis cupiditatibus adjuvandis occupemur, et eis nostra tempora impendamus, efflagitant, aut certe infirmos premunt, ut caussas suas ad nos deferre compellant; quibus dicere non audemus: Dic, homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus caussis ecclesiasticos

A. S. Possidio. cos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos.... Ignoscant obedientes fideles, qui pro suis sæcularibus caussis raro nos quærunt, et judiciis nostris facillime acquiescunt; nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potius consolantur. Certe propter eos, qui et inter se pernaciter agunt, et, quando bonos premunt, nostra judicata contemnunt, faciuntque nobis perire tempora rebus eroganda divinis: certe, inquam, propter istos et nobis liceat exclamare in hac voce corporis Christi: Declinate a me, maligni, et scutabor mandata Dei mei. *Conqueritur et aliis locis Sanctus de munere illo difficili lites dirimendi, præsertim de Opere Monachorum cap.* 29, *ubi addit:* Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus, pro spe vitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerentia. Servi enim sumus ejus Ecclesiæ, et maxime infirmioribus membris. *Porro de hac episcoporum jurisdictione, legibus imperatorum variis confirmata, late disputat Thomassinus in Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part.* 2, *lib.* 3, *cap.* 101 *et sequentibus.*

B d *Pro exemplo sit epistola ad Hipponenses suos data in gratiam Fastii, qui, cum urgeretur a creditoribus ad solvendum, primo mutuam acceperat pecuniam ope* Augustini; *cumque illam non posset refundere, scripsit pro eo Sanctus, ut publica collatione juvaretur. Vide epistolam* 215 *editionis Plantinianæ.*

e *Audi de hac apud seculares potestates intercessione Sanctum ipsum serm.* III *de Diversis cap.* 19: Sæpe de nobis dicitur, Ivit ad illam potestatem: et quid quærit Episcopus cum illa potestate? Et tamen omnes nostis, quia vestræ necessitates nos cogunt venire, quo nolumus, observare, ante ostium stare, intrantibus dignis et indignis expectare, nunciari, vix aliquando admitti, ferre humilitates, rogare, aliquando impetrare, aliquando tristes abscedere. Quis vellet hæc pati, nisi cogeremur? . . . . Nolumus habere rationem cum potestatibus. Novit ille, quia cogimur.

f *Miris laudibus ab* Augustino *effertur Macedonius, ut videri potest in epistolis* 52 *et* 54 *ad ipsum datis, quæ responsoriæ sunt ad epistolas Macedonii, cujus verba mox sequentia ex epi-* C *stola* 51 *relata sunt. Laudatæ* Augustini *epistolæ et sapientia divina plenæ sunt, et in* 54 *Sanctus docet, cur episcopi pro reis intercederent, sicut Macedonius in* 53 *rogaverat sic scribens:* Officium sacerdotii vestri esse dicitis, intervenire pro reis, et nisi obtineatis, offendi, quasi quod erat officii vestri, minime reportetis. *Quod ut exponat, amice postulat. Porro* Augustinus *non æque in petendo verecundus erat, cum justitia aliud exigeret. Adi epistolam* 211 *ad Romulum, quem metu divini judicii terret, ne pergat tributa acerbius exigere a pauperibus, atque ita exorditur:* Veritas et dulcis est et amara. Quando dulcis est, parcit; quando amara, curat. Si non recusas bibere, quod in hac epistola offero, probabis, quod dixi.

g *Interfuit Sanctus Carthaginensi* III *anno* 397, IV *anno* 398, *aliisque, Cirtensi* 412, *Milevitano* 416, *variisque collationibus, ut suis locis explicatum est in Commentario.*

h Ulimerius sic legit, *ut observat Salinas*: Propter hospites habebat vel quosque infirmiores. Semper autem vinum bibebat, quamvis modice et temperante, quia noverat. *Lovanienses habent*: Propter hospites vel quosque infirmiores contiuebat. Semper autem vinum habebat, (al. bibebat.) D

i *In tribus Mss.* Hac mensa indignam noverit esse suam. *Ulimerius:* Hac mensam vetitam noverit esse sibi. *Cod. Reg.* 541: Hanc mensam indigne noverit esse suam. *Ita Salinas*

. k Et detractatiouibus *in Ms. nostro omittitur, et in aliis quibusdam.*

l *Consule Commentarium* § 25.

CAPUT V.

Domestica sancti Antistitis conversatio, observantia disciplinæ, morum integritas, et amor erga subditos.

Domus ecclesiæ curam omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat et credebat. Numquam clavem, numquam annulum *a* in manu habens: sed ab eisdem domus præpositis cuncta, et accepta, et erogata notabantur: quæ anno completo eidem recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quid *b* dispensatum remansisset; et in multis titulis magis illius præpositi domus fidem sequens, quam probatum manifestatumque cognoscens. Domum, agrum, seu villam numquam emere voluit. Verum si forte Ecclesiæ a quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suspici jubebat. Nam et aliquas eum hereditates recusasse novimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam justum et æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis *c* vel parentibus vel affinibus magis possiderentur, quibus eo deficientes dimittere noluerunt.

Domus suæ curam temporalem aliis permittit: quo se modo gereret — a — b — E — c

50 Quidam etiam ex honoratis *d* Hipponensium apud Carthaginem vivens ecclesiæ Hipponensi possessionem donare voluit, et confectas tabulas, sibi usufructu retento, ultro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit: cujus ille oblationem libenter accepit, congratulans ei, quod æternæ suæ memor esset salutis. Verum post aliquot annos nobis forte cum eodem cominus constitutis, ecce ille donator litteras per suum filium mittens, rogavit ut illæ donationum tabulæ suo redderentur filio; pauperibus vero erogandos direxit solidos centum: quo ille Sanctus cognito, ingemuit, hominem vel finxisse donationem, vel cum de bono opere pœnituisse, et quanta potuit Deo suggerente cordi ejus cum dolore * animi de eadem defraudatione * dixit, in illius scilicet increpationem, et correctionem: et tabulas, quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas, confestim reddidit, pecuniamque illam respuit; atque rescriptis eumdem, sicut oportuit, et arguit et corripuit, admonens, ut de sua simulatione vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam gravi delicto de seculo exiret.

in admittendis vel recusandis oblationibus piis, — d — F — * *al.* dolenti animo — * *al.* ex eadem refragatione

51 Frequentius quoque dicebat, magis securius, et tutius Ecclesiam legata a defunctis dimissa debere suscipere, quam hereditates forte sollicitas, et damnosas; ipsaque legata magis offerenda esse, quam exigenda. Commendata vero quæque ipse non suscipiebat, sed volentes, suscipere clericos non prohibebat. In iis quoque, quæ Ecclesia

aut legatis: animus ejus a temporalibus liber, et intentus ad spiritualia:

A Ecclesia habebat, et possidebat, intentus amore vel implicatus * non erat: sed majoribus magis et * spiritalibus suspensus, et inhærens rebus, vix aliquando se ipsum ad illa temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat et deponebat. Quibus ille dispositis et ordinatis, tamquam a rebus mordacibus ac molestis, animi recursum ad interiora mentis et superiora faciebat; quo vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, vel de jam inventis aliquid dictaret, aut certe ex jam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, et in nocte lucubrans. Et erat tamquam illa religiosissima Maria typum gestans supernæ Ecclesiæ, de qua scriptum est, quod sederet ad pedes Domini, atque intenta ejus verbum audiret: de qua soror conquesta, quod ab eadem circa multum ministerium occupata non adjuvaretur, audivit: « Martha, Martha, meliorem partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea ». Nam fabricarum novarum numquam studium habuit, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali: non tamen illa volentes, et ædificantes prohibebat *e*, nisi tantum immoderatos.

* al. additur cupiditate
* al. et omittur.

B

52 Interea dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denuntiabat, non se habere, quod indigentibus erogaret. Nam et de vasis Dominicis, propter captivos, et quam plurimos indigentes, frangi et conflari jubebat, et indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorumdam fieri perviderem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, et dixit, et scripsit *f*. Sed et de neglecto a fidelibus gazophylacio *g* et secretario, unde altari necessaria inferuntur, aliquando in ecclesia loquens admonebat: quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in ecclesia tractavisse, nobis aliquando retulerat.

e — *cura pauperum.* — *f* — *g*

53 Cum ipso semper clerici *h*, una etiam domo ac mensa, sumtibusque communibus alebantur et vestiebantur. Et ne quisquam facili juratione etiam ad perjurium decidisset, et in ecclesia populo prædicabat, et suos instituerat, ne quis juraret, ne ad mensam * quidem. Quod si prolapsus fuisset, unam de statutis perdebat potionem: numerus enim erat suis secum commo-

disciplina domestica: *h*

* al. ad modicum

C rantibus et convivantibus poculorum præfixus. Indisciplinationes quoque et transgressiones suorum a regula recta et honestate, arguebat, et tolerabat, quantum decebat et oportebat: in talibus præcipue docens, ne cujusquam cor declinaretur in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis: et dum quisque offerret munus suum ad altare, et illic recordatus fuisset, quod frater suus haberet aliquid adversus illum, relinquendum esse munus ante altare, atque eundum *i*, quo fratri reconcilietur, et tunc veniendum, et munus ad altare offerendum: si vero ipse adversus fratrem suum aliquid haberet, corripere eum debere in parte; et si eum audisset, lucratus esset suum fratrem: sin minus, adhibendum esse unum aut duos: quod si et ipsos contemneret, Ecclesiam adhibendam: sin vero et huic non obediret, esset illi ut ethnicus et publicanus. Et illud addens, ut fratri peccanti et veniam petenti, non septies, sed septuagies septies delictum relaxetur, sicut quisque * a Domino quotidie sibi postulat relaxari.

i

* Ms. unusquisque

54 Feminarum intra domum ejus nulla umquam conversata est, nulla mansit, ne quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit. Sed nec patrui sui filiæ *k*, et fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant: quas personas sanctorum episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore, et neptibus secum commorantibus nulla nasci posset mala suspicio; tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possent, et quod ad eas aliæ etiam a foris intrarent, de his posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus * nasci, et illos, qui cum episcopo vel quolibet clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum personis posse una commorantibus vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certe malis hominum suspicionibus pessime diffamari.

A. S. Possidio. *feminas nullas in domo sua habitare sinit*, *k*

* Ms. infirmis

55 Ob hoc ergo dicebat, numquam debere feminas cum servis Dei, etiam castissimis *, una manere domo, ne (ut dictum est) aliquod scandalum aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus: et si forte ab aliquibus feminis, ut videretur vel salutaretur, rogabatur; numquam sine clericis testibus ad eum intrabant *, vel solus cum solis umquam est locutus, nisi *l* secretorum aliquid interesset.

et cum illis agit cautissime:
* Ms. castissimas

E

* Lov. ad eas intrabat
l

56 In visitationibus vero modum tenebat ab Apostolo definitum, ut non nisi pupillos, et viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret, eisque manus imponeret; sine mora pergebat. Feminarum autem monasteria non nisi urgentibus necessitatibus visitabat.

pupillos, viduas, et ægrotos visit,

57 Servandum quoque in vita, et moribus hominis Dei referebat, quod in instituto * sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam numquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in sua patria petitus iret ad convivum. De singulis rebus reddens caussas, scilicet ne dum inter se conjugati casu jurgarent, ei maledicerent, per quem conjuncti essent: sed plane ad hoc sibi jam illis * consentientibus petitum interesse debere Sacerdotem, ut vel eorum jam pacta et placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus ac *m* male agens ejus culpa suffragatori tribueretur, et ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus *n*, temperantiæ amitteretur modus.

a tribus se abstinet,
* al. institutis

* illis non est in Ms.

m

F

n

58 Indicaverat quoque nobis, se prædicti beatæ memoriæ * viri, in ultimo vitæ constituti, audisse sapientissimum et piissimum responsum, et multum laudabat ac prædicabat. Nam quum ille venerabilis ultima jaceret ægritudine, et a fidelibus honoratis lecto ejus adstantibus, et videntibus eum de seculo ad Deum migraturum, et ob hoc mœrentibus tanti ac talis antistitis Ecclesiam posse privari verbi et Sacramenti Dei dispensatione, rogaretur cum lacrymis, ut sibi a Domino vitæ posceret commeatum *o*, eum illis dixisse: « Non *p* sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus ». Et in his noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur et laudabat verba. Ideo enim cum dixisse intelligendum esse, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus; ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumsisse, Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere. Hoc enim dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens in examen æquitatis divinæ, de bono se dixit Domino magis confidere *q*: cui etiam

Ambrosii laudat sententiam
* Ms. beati

o

p

* in Ms. ad examen
q

A. S. Possidio. etiam in oratione quotidiana Dominica dicebat, " Dimitte nobis debita nostra ".

uti et alterius episcopi. 59 Cujusdam quoque coëpiscopi, et familiarissimi sui amici, in extremis vitæ de talibus frequentissime referebat dictum : ad quem quum visitandum jam morti propinquantem ventitasset, et ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque a se illi esset responsum, adhuc eum Ecclesiæ necessarium vivere posse, illum, ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, ei respondisse : " Si numquam, bene ; si aliquando, quare " non modo " ? Et talem sententiam mirabatur, et laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, verumtamen in villa natum et nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia : contra illum scilicet sensum ægrotantis episcopi, de quo sanctus in epistola sua, quam de Mortalitate scripsit martyr Cyprianus, ita retulit, decens : " Quum quidam de collegis et consa" cerdotibus nostris infirmitate defessus, et de " appropinquante morte sollicitus, commeatum " sibi precaretur, adstitit deprecanti et jam pene " morienti juvenis honore et majestate venerabi- B " lis, statura celsus, et clarus adspectu, et " quem adstantem * sibi vix posset humanus ad" spectus oculis carnalibus intueri, nisi quod ta" lem videre jam poterat de seculo recessurus : " atque ille non sine quadam animi et vocis in" dignatione infremuit, et dixit, Pati timetis, " exire non vultis, quid faciam vobis " ?

* Ms. adsistentem

ANNOTATA.

a Hæc profert Possidius, *inquit Salinas*, ut ostendat Augustino nihil peculiare fuisse, quod suo posset communire signaculo. Veteres enim ad seras domorum, scriniorum, arcularum, vice clavium, obserandis adhibebant anulos. *Verum quidem est in domo* Augustini *omnia fuisse communia ; at auctor hic magis docere intendit, quam perfecte omnem curam rerum temporalium aliis permiserit, ut ipse sublimioribus posset occupari.*

b *Lovanienses, aliique* : Vel quidquid indispensatum vel dispensandum *etc.*

c *Hæc magis exponit ipse Augustinus serm.* 49 *de Diversis cap.* 3, *ubi explicat se non modo* C *legata suscipere, sed hereditates etiam, si filios non relinquerint defuncti ; at non eorum, qui filios voluerint exheredare. Nam, ubi dixerat se laudari ab aliis reprehendi, quod oblata omnia nollet accipere, sic pergit :* Plane suscipio, profiteor me suscipere oblationes, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, et moriens exhæredat eum ; si viveret, non eum placarem ? non ei filium suum reconciliare deberem ? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem ? Sed plane si faciat, quod sæpe hortatus sum ; unum filium habet, putet Christum alterum ; duos habet, putet Christum tertium ; decem habet, Christum undecimum faciat *(legando nempe partem Ecclesiæ)* et suscipio. Quia ergo feci hoc in quibusdam rebus, jam volunt bonitatem meam . . . in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent quam multa susceperim. Quid opus est ea numerare ? Ecce unum dico, filii Juniani hæreditatem suscepi. Quare ? Quia sine filiis defunctus est. Bonifacii hæreditatem suscipere nolui, non misericordia, sed timore. *Et mox :* Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui sus- D cipiat, non Augustinum ; imo Deo propitio neminem inveniat.

d *Observat Salinas,* honoratos dici eos, qui res civiles in urbe vel in provincia gesserant.

e *Serm.* 50 *de Diversis de Leporio presbytero dicit Sanctus :* Habebat Xenodochium ædificandum, quod modo videtis ædificatum. Ego illi injunxi, ego jussi. Obtemperaverit mihi libentissime, et, sicut videtis, operatus est. Quomodo etiam meo jussu basilicam ad octo martyres fabricavit, de his, quæ per vos Deus donavit. *Plura exempla hujusmodi affert Tillemontius in* Augustino *art.* 93, *ex quibus discimus Sanctum non abhorruisse ab exstruendis piis operibus, sed per alios ea curasse facienda, ne illis distraheretur, ut insinuat Possidius.*

f *Idem fecit S. Cæsarius Arelatensis, ut dictum ad diem præcedentem in Vita ejus cap.* 3, *ubi lit.* 1 *id factum ex ipso Ambrosio defendimus.*

g Gazophylacium *est locus, in quo reconduntur vel servantur pretiosa. Hic videtur designari arcula illa, qua eleemosynæ excipiebantur fidelium.* Secretarium *vero designat sacrarium, seu* E *locum, quo servatur quælibet ecclesiæ supellex. Monebat igitur* Augustinus *fideles, quando non erogabant stipem sufficientem ad debitam rei divinæ administrationem.*

h *Vide Commentarium* § 25, *ubi hæc latius deducta.*

i Editi, *inquit Salinas,* Atque eumdem fratrem esse reconciliandum. *At lectio, quam ex ipso damus, est in Mss.*

k Patrui sui filiæ *deest in Mss. Benedictinorum S. Mauri, et in codicibus, quos vidit Salinas, uti et in nostro.*

l *Lovanienses aliique legunt,* nec si secretorum, *vel* secretiorum *etc. Codex noster etiam habet* nec si. *Defendit Salinas lectionem suam aliquot Mss. et editis ; at videtur alia lectio præferenda. Credibile est Sanctum de secretis quidem cum solis feminis locutum esse, ita tamen, ut videri ab aliis posset, licet audiri non possent, quæ dicebantur. Sic enim et honestati, et secreto consulebatur.*

m *Lovanienses, aliique,* suam culpam male agens suffragatori tribueret, *repugnantibus Mss.*

n *Sensus hoc loco est imperfectus, et locus forsan mendosus. In codice nostro sic legitur :* Et ne F per frequentiam in probis conviviorum institutis temperantiæ amitteretur modus.

o *Multa de voce* commeatus *notat Salinas, quæ videri possunt. Significat hoc loco* facultatem *seu* licentiam, *prout vox etiam usitata fuit apud scriptores aurei seculi.*

p *Refert hæc Paulinus presbyter in Vita S. Ambrosii.*

q *Addunt editiones aliquæ,* quam de meritis suis, *quæ non sunt in Mss.*

CAPUT VI.

Scripta ejus circa finem vitæ, extremus morbus, pia mors, ac sepultura.

Ante proximum vero diem obitus sui a se dictatos et editos recensuit libros, sive eos, quos primo tempore conversionis suæ adhuc laïcus,

A cus, sive quos presbyter, sive quos episcopus dictaverat: et quæcumque in his recognovit aliter, quam sese habet ecclesiastica regula, a se fuisse dictata et scripta, quam adhuc ecclesiasticum usum minus sciret, minusque sapuisset *, a semetipso et reprehensa et correcta sunt. Unde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, DE RECENSIONE LIBRORUM *a*. Præceptos etiam sibi quosdam libros *b* ante diligentiorem emendationem a nonnullis fratribus conquerebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam suorum librorum præventus morte dereliquit. Quippe prodesse omnibus volens, et valentibus * multa librorum legere, et non valentibus, ex utroque divino Testamento, vetere et novo, præmissa præfatione, præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit: ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo inobediensve esset, agnosceret: et hoc opus voluit SPECULUM appellari.

* *al.* intelligeret *aut* saperet

* *al.* volentibus

B 61 Verum brevi consequenti tempore divina voluntate, et potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata et bellis exercitata, immanium hostium Wandalorum et Alanorum commixtam secum habens Gothorum gentem, aliarumque diversarum personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset et irruisset: universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens provincias et regiones, omni sæviens crudelitate et atrocitate, cuncta, quæ potuit, exspoliatione, cædibus, diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis.

irruptio Wandalorum in Africam.

62 Et hanc ferocissimam hostium grassationem et vastationem, ille Dei Homo, et factam fuisse et fieri, non ut ceteri hominum sentiebat, et cogitabat: sed altius et profundius ea considerans, et in his animarum præcipue vel pericula vel mortes prævidens, solito amplius, (quoniam, ut * scriptum est, « Qui apponit scientiam, apponit dolorem: et cor intelligens, tinea ossibus »:) fuerunt ei lacrymæ panes die ac nocte, amarissimamque et lugubrem præ ceteris suæ senectutis jam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam. C

ac Sancti de ea dolor:

* *Ms.* sicut

63 Vivebat enim ille Homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum ædificiis villarum habitatores, alios hostili nece exstinctos, alios effugatos atque dispersos; ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras et quosque continentes ubique dissipatos; et in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemtos esse, alios in captivitate, perdita animi et corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire; hymnos Dei et laudes de ecclesiis deperisse, ædificia ecclesiarum quam plurimis locis ignibus concremata, solemnia, quæ Deo debentur, de propriis locis desiisse, sacrificia ac sacramenta divina vel non quæri, vel quærenti qui tradat non facile reperiri, in ipsas * montium silvas, et cavernas petrarum et speluncas confugientes, vel ad quasque munitiones, alios fuisse expugnatos, et interfectos *, alios ita necessariis sustentaculis evolutos, atque privatos, ut fame contabescerent, ipsosque ecclesiarum præpositos et clericos, qui forte Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos, egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subveniri posse: vix tres superstites ex innumerabilibus ecclesias, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, et Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, et earum permanent civitates, et divino et humano fultæ præsidio; licet post ejus obitum urbs Hipponensis incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala cujusdam sapientis sententia consolabatur, dicentis: « Non erit magnus magnum *c* putans, quod cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales. »

miserrima Africæ conditio:

* *Ms.* ipsis silvis *etc.*

* *al.* interceptos

A. S. Possidio.

64 Hæc ergo omnia ille, ut erat alte sapiens, quotidie ubertim plangebat. Accrevitque mœroribus, et lamentationibus ejus, ut etiam adhuc in suo statu consistentem ad eamdem Hipponensium regiorum * civitatem ab iisdem hostibus veniretur obsidendam: quoniam in ejus tunc fuerat defensione constitutus comes quidam *d* Bonifacius cum Gothorum quondam fœderatus exercitu, quam urbem ferme quatuordecim mensibus conclusam obsederunt: nam et littus illi marinum interclusione abstulerunt. Quo etiam ipsi nos de vicino cum aliis nostris * coëpiscopis confugeramus, et eademque omni ejus obsidionis tempore fuimus. Unde nobiscum sæpissime colloquebamur, et Dei tremenda judicia præ oculis nostris posita considerabamus, dicentes, « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » Pariterque dolentes, gementes, et flentes orabamus miserationum Patrum et Deum omnis consolationis, ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur. E

Hipponis obsidio:

* *al.* regionum *male*

* *Ms.* tribus

65 Et forte provenit, ut una cum eodem ad mensam constitutis, et inde confabulantibus nobis diceret: Noveritis me hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certe, ut me de hoc seculo ad se accipiat. Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem et nos, et nostri omnes, et ipsi, qui in eadem fuerant civitate, a summo Deo similiter petebamus.

quid Sanctus Deum tunc oraverit,

66 Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit febribus fatigatus, et illa ultima exercebatur ægritudine. Nec suum sane Dominus Famulum fructu suæ precis fraudavit. Nam et sibi ipsi, et eidem civitati, quod lacrymosis depoposcit precibus, in tempore *e* impetravit. Novi quoque eumdem et presbyterum, et episcopum, pro quibusdam energumenis patientibus ut oraret rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogasse, et dæmones ab hominibus recessisse. Itemque ad ægrotantem et lecto vacantem quemdam cum suo ægroto venisse, et rogavisse ut eidem manum imponeret, quo sanus esse posset: eumque respondisse, si aliquid in his posset; sibi hoc utique primitus præstitisset: et illum dixisse visitatum se fuisse, sibique per somnium dictum esse: Vade ad Augustinum episcopum, ut eidem manum imponat, et salvus erit. Quod quum comperisset, facere non distulit, et illum infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit. F

et impetraverit: miracula quædam ab eo facta:

67 Interea reticendum minime est, quum memorati impenderent hostes, a sancto Viro quoque nostro coëpiscopo Thiavensis *f* Ecclesiæ Honorato *g*, literis fuisse consultum, utrumnam illis adventantibus, ex ecclesiis episcopis vel clericis recedendum esset, necne: eique rescriptis insinuasse quid magis ab illis Romaniæ *h* eversoribus

quid responderit petentibus episcopis, an liceret fugere:

A. S. Possidio.

ribus esset metuendum. Quam ejus epistolam huic scripturæ inserere volui : est enim sacerdotum Dei, et ministrorum moribus valde utilis, et necessaria. Isto modo rescriptum est ad eumdem ab eodem *i*...

i

pietas Sancti in morbo :

* Catholicæ *omittitur in Ms.*

68 Sane ille Sanctus in vita sua prolixa pro utilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ divinitus condonata, vixit *k* annis LXXVI *l*, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme XL *m*. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos, et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit ultima, qua defunctus est, ægritudine : nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, et legebat, et jugiter ac ubertim flebat : et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quam exiret de corpore, a nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent *, vel quum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est : et omni illo tempore orationi vacabat. B

* *Ms.* intrabant

mors sancta et sepultura :

69 Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem impraetermisse, alacriter, et fortiter, sana mente, sanoque consilio in ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro adspectu atque auditu, et ut scriptum est, nobis adstantibus, et videntibus; et cum eo pariter orantibus, obdormivit *, cum patribus suis, enutritus in bona senectute, et nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus *n* est. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret Pauper Dei non habuit.

* *edit. Lov. addit* in pace

n

quibus bibliothecam aliaque reliquerit :

70 Ecclesiæ bibliothecam, omnesque codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid vero ecclesia, vel in sumtibus, vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri *, qui sub eodem domus ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos, vel in proposito vel extra constitutos, in sua vita, et morte vulgi more tractavit : quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et ceteris, erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum continentium * cum suis præpositis plena, ecclesiæ dimisit, una cum bibliothecis, libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Ecclesia fuerit noscitur, et in his semper vivere a fidelibus invenitur. Juxta quod etiam secularium quidam poetarum, suis jubens, quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, programmate * finxit, dicens,

* *al.* fideli presbytero

C

* *Benedict.* continentibus

* *al* pro epigrammate

Vivere post obitum vatem vis nosse viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea est.

quantum profuerint scripta ejus, verbaque et exempla :

71 Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus et carus Sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, recte ac sane, fidei, spei, et caritatis Catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur : quod *o* agnoscunt qui eum de divinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in ecclesia præsentem audire, et videre potuerunt, et ejus præsertim inter homines conversationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno cælorum, de thesauro suo proferens nova et vetera, et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam, quæ habebat venditis, comparavit : verum etiam ex iis, ad quos scriptum est, « Sic loquimini, et sic facite » : et de quibus Salvator dicit : « Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum. » D

epilogus auctoris, qui 40 annis cum Sancto vixit

72 Petro autem impendio vestram caritatem, qui hæc scripta legitis, ut mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, ut hæc in notitiam et præsentium et absentium præsentis temporis et futuri hominum, et vellem deferre, et valuissem, et mecum ac pro me oretis, ut illius quondam Viri, cum quo ferme annis quadraginta Dei dono absque amara ulla dissensione familiariter, ac dulciter vixi, et in hoc seculo æmulator et imitator existam, et in futuro omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar. Amen.

ANNOTATA.

a *De his Retractationum libris plura in Commentario* § 51. E

b *Id Sanctus conqueritur de libris prioribus de Trinitate, ut dictum in Commentario num.* 522. *Quod vero spectat ad scripta, quæ morte præventus perficere non potuit :* duo præcipue Opera, *ut observat Salinas,* imperfecta derelicta sunt, quum morte fuit præventus : Opus postremum contra Julianum, reluctante licet Hieronymo Vignerio. Alterum est Opus de Hæresibus ad Quodvultdeum. *Consule Commentarium num.* 497 *et* 680 : *et adde Retractationum libros.*

c Sola editio Lovaniensis, *inquit Salinas* : Non erit magnum, quod cadant *etc.*

d *Benedictini ex Mss. ediderunt :* Comes quondam Bonifacius cum Gothorum fœderatorum exercitu, *uti in Ms. nostro etiam legitur. De Bonifacio comite multa relata sunt in Commentario* § 52, *ubi et cladis Africanæ occasio exposita.*

e *Nam memoratam quatuordecim mensium obsidionem solvere coacti sunt Wandali. At cum rursus anno* 431 *auctas Bonifacii copias profligassent, non modo Hipponem, sed totam Africam Romanam subjugarunt.*

f *Aliæ editiones habent*, Thabennensis. *At Mss., ait Salinas,* Thiabensis *aut* Tbiavensis. *Incertum est, quænam civitas designetur. Ruinartius in Historia persecutionis Wandalicæ pag.* 362 *notat sequentia :* Inter Catholicos antistes, quos initio de libris Gestis cum Emerito recenset Augustinus, occurrit Palladius TIGABITANUS episcopus. Eidem sedi paullo post præfuit Honoratus, ad quem egregiam epistolam scripsit sanctus Augustinus. *Hæc ipsa et epistola, de qua agitur. Putat igitur laudatus Ruinartius eam urbem esse in Mauritania Cæsariensi : nam inter antistites istius provinciæ* Tigabitanus *recensetur sexagesimus octavus, ad quem hæc notat. Addit ibidem :* In Codice canonum ecclesiæ Africanæ cap. XCVII mentio fit civitatis THIGANENSIS in Mauritania, cui, uti videtur, præerat Primosus; et quidem Ms. codex, ut monet Holstenius, habet TIGAVENSIS, Græcus textus in editis τῆς Θιγαβενσίας πόλεως. Apud Ptolemæum lib. IV, cap. 2 dicitur TIGAVA, codex Palatinus habet PIGAVA. Civitas TIGAVÆ memoratur a Plinio lib. V, cap. 2. TIGAVIAS laudat Ammianus Marcellinus lib. XXIX, cap. V. Porro duplicem nominis istius locum in Mauritania fuisse ex Antonini Itinerario patet, ubi F

A ubi Tigavas municipium, Opidum novum colonia, Tioava castra. Tamen editio Bertii habet Tigavas castra. *Hæc ille. At ejus opinio non omnino videtur certa, cum in eadem Mauritania occurrat episcopus* Tabuniensis, *ad quem varia notat pag.* 373, *et cathedra Tubunensis pag.* 376, *atque in Numidia* Tubuniensis, *de quo agit pag.* 282.

g *Verisimile est, Honoratum episcopum eumdem esse cum Honorato, qui ex monasterio Tagastensi factus erat presbyter* Thianensis *aut* Thiavensis *ecclesiæ. De cujus bonis scripsit* Augustinus *ad Alypium epistolam* 239 *apud Lovanienses, apud Benedictinos vero* 83.

h Romania *hic vocatur, ditio Romani imperii in Africa.*

i *Epistolam nos omittimus, quia prolixior est et cum aliis Sancti epistolis edita. Docet in illa Sanctus, licitum quidem esse fugere, si populus habeat, a quibus pascatur; at prorsus illicitum, gregem sine pastore relinquere.*

k *Ms. nostrum cum aliis apud Salinas,* num vixit.

B l *Exceptis tamen duobus mensibus et diebus sexdecim. Vide Commentarium num.* 692.

m *Annos numerat a suscepto presbyteratu, de cujus initio actum est in Commentario num.* 245. *Deerant ad annos* 40 *menses aliquot.*

n *In epistola supposititia Petri archiepiscopi Mediolanensis, in Commentario num.* 749, *sepultus dicitur* in ecclesia sancti Stephani . . . per manum discipulorum suorum.

o *Noster codex hic tantum habet*, atque cum de divinis *etc.*

PRÆMONITIO

De Indiculo Possidii.

Quandoquidem post libros Retractationum, nullum habemus aptius subsidium secernendi vera et sincera Augustini *scripta a spuriis et supposititiis, quam Indiculum Possidii ejus discipuli, de quo vix ulla esse possit suspicio, vel ali-*
C *quid Indiculo suo inseruisse, quod Sancti non erat, vel Opera multa alicujus momenti prætermisisse; Indiculum hunc non modo edere statui, ut factum est hactenus; sed diligenter quoque illustrare. Quapropter conferam editionem Plantinianam Lovaniensium et Parisiensem Benedictinorum, hac de causa, cum nobis deesset, quæsitam, cum codice nostro Ms. Cum autem advertam, codicem hunc magis cum Pariensi editione convenire, quam cum Plantiniana seu Antverpiensi, Parisiensem recudere placet, atque annotare, ubi vel Lovaniensium editio, vel codex noster dissonet. Præterea assignabo, quibus utriusque laudate editionis tomis singula impressa sint Opera, cum id constat: inquiram vero de iis, quæ dubia sunt, et indicabo deperdita, certe quantum diligenti investigatione consequi potero.*

INDICULUS

SCRIPTORUM *a* OMNIUM

Auctore S. Possidio Calamensi episcopo

Ex editione postrema Parisiensi, collata cum editione Antverpiensi et codice nostro Ms.

CAPUT I.

Contra Paganos.

E

De Academicis, libri tres *b*.
De Ordine *c*, libri duo.
De Utilitate *d* credendi, liber unus.
De Vera *e* religione, liber unus.
De Animæ *f* immortalitate, liber unus.
Quæstio, Utrum anima *g* a seipsa sit.
Quæstio alia, Utrum a Deo authore *h* sit homo deterior.
Item alia quæstio, Utrum corporeis * *i* sensibus percipi veritas possit. (* in Ms. corporis)
Item alia quæstio, Quare Christus de femina natus sit.
Item alia quæstio, de Filio Dei.
Item alia quæstio, de Deo et creatura.
Item alia quæstio, de Patre et Filio.
Item alia quæstio, de Providentia.
Item alia quæstio, Quare Deus mundum facere voluerit.
Item alia quæstio, Utrum aliquid sit sursum aut deorsum in universo.
Item alia quæstio, Utrum rem ullam alius alio magis intelligat; atque ita ejusdem rei per infinitum * eat intelligentia. (* al. per infinita vel infinitam intelligentiam.)
Item alia quæstio, Quemadmodum Dei sapientia Dominus Jesus Christus, et in utero matris fuerit, et in cælis. F
Item alia quæstio, Quare tanto post venit Dominus Jesus Christus.
Item alia quæstio, de Credibilibus.
De Consensu *k* Evangelistarum, libri quatuor.
Quæstiones contra Porphyrium *l* expositæ sex, id est, de Resurrectione. De Tempore Christianæ religionis. De Sacrificiorum distinctione. Ex eo, quod Dominicus dicit, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. De Filio Dei secundum Salomonem. De Jona propheta.
De Divinatione *m* dæmonum, liber unus.
De Civitate *n* Dei, libri viginti duo.

Epistolæ contra quos supra.

2. Maximo *o* Madaurensi.
Fratribus *p* Carthaginensibus.
Madaurensibus *q*.
Dioscoro.
Volusiano *r*.
Marcellino *s*.

60 Macedonio

A. S. Possidio. Macedonio *t* de Intercessionibus episcoporum.
t Item ipsi, de Veris virtutibus.
u Longiniano *u*, duæ.

Tractatus adversus quos supra.

x 3. Exhortatio *x* ad fidem.
y De Timore Dei *y*.
z De Parentalibus *z*.
De Defectu solis.
aa De Epiphania *aa*, duo.
bb Item de Epiphania, contra *bb* quos supra, duo.
cc De Kalendis Januarii, contra quos supra, duo *cc*.
dd De Resurrectione *dd*, tractatus duo.
De lectione Actuum Apostolorum, ubi Epicurei
ee et Stoici *ee* philosophi cum apostolo Paulo con-
ff tulerunt de Testimoniis *ff* Scripturarum, contra Donatistas et idola.

Contra Mathematicos.

gg 4. Quæstio *gg* adversus quos supra.
hh Epistola *hh* ad Lampadium.

B

Contra Judæos.

ii 5. Quæstio *ii* de Judæis.
kk Item alia quæstio de Annis quadraginta *kk* sex ædificati templi.
ll Epistola ad Asellicum *ll* episcopum, de cavendo Judaismo.
mm Adversus quos supra, tractatus *mm* duo.

ANNOTATA.

a *In Codice nostro Indiculus hic Vitæ mox subjungitur sub hoc titulo :* Incipit indicium librorum omnium sancti Augustini episcopi. *Porro idem codex in contextu, cum libros Operum enumerat, plerumque tantum habet per abbreviationem* lib., *quandoque tamen* librum *vel* libros, *ubi in editionibus legitur* liber *vel* libri. *Quod semel observasse sufficiat.*

b *Exstant in utraque editione tom.* I *Operum, et actum de iis in Commentario num.* 97.

C c *Ponitur et hoc Opusculum, et alia quædam sequentia, diverso ordine in editione Lovaniensi: ordo autem codicis nostri etiam alius est, sed in paucis. Eadem tamen Opuscula ubique enumerantur. Exstant libri de Ordine in utraque editione tom.* I. *Vide de iis Comm. num.* 102.

d *Exstat apud Lovanienses tom.* 6, *apud Benedictinos tom.* 8. *Nec minus id Opus est contra Manichæos, quam contra Paganos, de quo in Comm. num.* 261.

e *Habetur in utraque editione tom* I. *Adi Comm. num.* 179.

f *Et hic liber utrobique habetur tom.* I. *De eo Comm. num.* 107.

g *Hæc est prima quæstio paucis verbis absoluta, ut pleræque aliæ, in libro* 83 *Quæstionum, qui exstat apud Lovanienses tom.* 4, *apud Benedictinos tom.* 6. *De hoc libro, quem frequenter assignabimus, actum in Comm. num.* 173. *Addunt inter uncos Lovanienses hæc verba :* libri tres, *quæ superflua sunt.*

h *Tertia hæc est ex Quæstionibus* 83, *item perbrevis. Perperam itaque hic additur apud Lovanienses,* libri quatuor.

i *Hæc in dicto libro est quæstio nona, sequens vero undecima : tum decima sexta, decima no-* D *na, vigesima tertia, vigesima septima, vigesima octava, vigesima nona, trigesima secunda, quadragesima secunda, quadragesima quarta, ac denum quadragesima octava.*

k *Exhibent id Opus Lovanienses tom.* 4, *Benedictini tertio. Consule de eo Comm. num.* 385.

l *Has quæstiones exponit epistola apud Lovanienses* 49, *apud Benedictinos* 102. *De illa in Comm. num.* 389.

m *Exstat liber* de Divinatione *tom.* 3 *Lovaniensium, et tom.* 6 *Benedictinorum. Agit de eo Comm. num.* 388.

n *Implet hoc Opus tomum* 5 *apud Lovanienses et tomum* 7 *apud Benedictinos. Vide Comm. num* 387.

o *Lovanienses,* Ad Maximum Maudarensem Paganum. *Est autem epistola Lovaniensibus* 44, *Benedictinis* 17.

p *In Ms. nostro legitur :* Fratribus Teastagi-nensibus. *At inter epistolas* S. Augustini *nullam reperio simili inscriptione notatam: suspicor ergo excidisse, quibuscumque demum fuerit scripta.*

q *Est hæc in priori editione* 42, *et in posteriori* 232; *sequens vero* 56 *et* 118. E

r *Exstant ad Volusianum duæ Sancti epistolæ: nec dubium esse potest, quin utraque ipsius sit, cum Volusianus in sua ad* Augustinum *epistola* 2, *alias* 137, *prioris mentionem clara faciat, et* Augustinus *in posteriori ad totam Volusiani epistolam respondeat. Prior autem, eaque perbrevis, est apud Lovanienses* I, *nunc* 132, *altera* 2 *et* 135. *Itaque aut Possidius unam ex his omisit, aut ex Indiculo ejus excidit vox* duæ.

f *Duæ item exstant ad Marcellinum, in quibus respondetur objectionibus gentilium, nimirum* 5 *aut* 138, *et* 7 *aut* 143. *Utraque certissime est* Augustini, *ut perlegenti patebit. Exstant et duæ aliæ* Augustini *ad Marcellinum de Donatistis, quas prætermisit.*

t *Prior ad Macedonium est* 54 *aut* 153, *altera* 52 *aut* 155. *Porro in litteris ad Macedonium et supra ad Dioscorum ex professo non agit Sanctus contra Paganos ; sed varia gentilium philosophorum placita in iis rejiciuntur. Quæ causa potuit esse, cur illas epistolas hoc loco posuerit Possidius, licet Dioscorus et Macedonius essent Catholici.* F

u *Prior ad Longinianum est* 20 *vel* 233, *altera* 22 *vel* 235. *Miror in hisce epistolis non recenseri duas ad Nectarium Calamensem Paganum, videlicet* 202 *seu nunc* 91, *et* 254 *nunc* 104, *cum in his gentilium sacra vehementer impugnet Sanctus. Sequentur tamen illæ epistolæ inter reliquas.*

x *Sermo aliquis verosimiliter indicatur : at non est certum quis ille sit : sed designari posset* 27 *de Verbis Apostoli, qui est* 43 *apud Benedictinos, in hæc verba :* Nisi credideritis non intelligetis.

y *Est sermo* 214 *de Tempore apud Lovanienses, in nova editione sermo* 348 *: nam in eo contra Paganos disputat, et eumdem habet titulum.*

z *Hunc, uti et sequentem, assignare nequeo.*

aa *Multi extant* Augustini *sermones* de Epiphania. *Contra Paganos vero utcumque disputat in* 34 *de Tempore, qui in nova editione* 199, *et in* 67 *de Diversis, qui nunc* 374. *Hi igitur forsan designati.*

bb *In editione Lovaniensium solum habetur,* contra quos supra, duo. *Et in codice nostro duæ hæ lineæ sic efferuntur :* De Epiphania contra quos supra. Item de Epiphania, duo. *Hinc ambiguum videtur,*

A *videtur, an quatuor tractatus seu sermones de Epiphania insinuet, an solum duos, in quibus Pagani oppugnentur.*

cc Duo *omittitur apud Lovanienses, et in codice nostro. Porro assignant hic Benedictini Sermonem* 197 *et* 198 *editionis suæ. Uterque est de Kalendis Januarii, in utroque agitur contra gentiles. Sed prioris fragmenta tantum exhibent : alter est ex Sirmondianis* 7. *Desideratur uterque in editione Lovaniensium.*

dd De Resurrectione corporum contra gentiles *titulus est Sermonum* 139, 143 *et* 147 *de Tempore, qui sunt apud Benedictinos* 240, 241, *et* 242. *At etiam sermones de Diversis* 120 *et* 121, *qui apud Benedictinos* 361 *et* 362, *titulum habent* de Resurrectione mortuorum, *in iisque etiam contra Paganos disseritur. Vel duo ergo ex tribus præcedentibus, vel potius posteriores hi duo designati sunt, ut observant etiam Benedictini.*

ee *Clare his verbis indicatur* tractatus de Epicureis et Stoicis, *qui habetur apud Lovanienses tom.* 6, *et apud Benedictinos est Sermo* 150.

B *Dixit quidem Erasmus de hoc tractatu :* Non omnino malus, sed nihil aut quam minimum habens Augustini. *At censuram hanc Lovanienses ac Benedictini rejiciunt. Audi posteriores :* Contra nos quidem judicamus, et omnino bonum sermonem, et nihil habentem nisi Augustini. *Sane non video, quid in toto hoc sermone a dictione aut mente* Augustini *recedat, et illius esse, certissime existimo.*

ff *Hæc apud Lovanienses junguntur præcedentibus, acsi unus esset tractatus. Verum in codice nostro clarissime ab iis separantur, uti in editione Benedictinorum. Verumtamen obscurum est, quis indicetur tractatus.*

gg *Est hæc quæstio* 45 *in libro* 83 *Quæstionum.*

hh *Epistola hæc apud Lovanienses* 213, *apud Benedictinos* 246.

ii *Hic ita Observant Benedictini :* Hic forte lapsus est auctor Indiculi. Nam in libro Octoginta trium quæstionum exstat quædam DE IDEIS quæstio, quæ in hoc Indiculo sola prætermittitur; nulla vero est DE JUDÆIS. *Imo forsan est error describentium, quia omnes alia istius libri* Quæstiones *recensuit Possidius. Quæstio autem* de

C Ideis *est* 46.

kk *Est ibidem* 56.

ll *Epistola est olim* 200, *nunc* 196.

mm *Bernardus Vindingus in Critico Augustiniano pag.* 69 *putat, hic designari sermones* 234 *et* 235 *de Tempore, qui apud Benedictinos sunt* 91 *et* 92. *Ad id probabile non videtur, cum pauca in iis disserantur contra Judæos, et* 91 *memoretur cap.* 8. *Lovanienses tom.* 6 *Operum pag.* 23 *de duobus tractatibus ibidem editis hanc dederunt censuram :* Nonnulli putant ad hanc Concionem, et sequentem Orationem pertinere, quod Possidius habet cap. 1 Indiculi : Adversus quod supra (Judæos videlicet) tractatus duo. *Prioris autem tractatus apud ipsos titulus est :* Concio ad catechumenos, contra Judæos, Paganos, et Arrianos : *Posterioris vero iste :* Oratio adversus Judæos *De posteriori hac Oratione consentiunt Benedictini, qui illam ediderunt tom.* 8 *sub titulo :* Tractatus adversus Judæos : *nec dubium videtur, quin hic tractatus designetur a Possidio. Verum alia est aliorum opinio de Concione ad Catechumenos, quam ne genuinum quidem* Augustini *fœtum esse, contendunt cum Vindingo Benedictini, qui illam rejecerunt ad appendicem tom.* 8.

A. S. Possid.

CAPUT II.

Contra Manichæos.

De Moribus *a* Ecclesiæ Catholicæ, et de moribus eorum, libri duo. *a*
De Duabus *b* animabus, liber unus. *b*
Unde malum *c*, et de libero arbitrio, libri tres. *c*
Acta contra Fortunatum *d* Manichæum, liber unus. *d*
In Genesin contra *e* Manichæos, libri duo. *e*
Contra epistolam *f* Fundamenti, liber unus. *f*
Contra Adimanti calumnias, quæstiones diversæ, numero viginti *g* octo. *g*
Quæstio * de Libero *h* arbitrio. *h*
* Lov. Quæstiones
Item quæstio de Malo.
Item alia quæstio, Utrum corpus a Deo sit.
Item alia quæstio, Non fuisse corpus Domini nostri Jesu Christi phantasma.
E
Item quæstio, Utrum Deus mali author non sit.
Item quætio, Deum non pati necessitatem.
Item quæstio, Utrum et peccatum et recte factum in libero sit voluntatis arbitrio; quod ita esse, omnino verissimum est.
Item quæstio, de Cruce Christi.
Item quæstio, Cum animarum natura una sit, unde hominum diversæ voluntates?
Item quæstio, Quare Filius Dei in homine apparuit, et Spiritus sanctus in columba?
Item quæstio, Quare filii Israël sacrificabant visibiliter pecorum victimis.
Item alia quæstio, De homine facto ad imaginem et similitudinem Dei.
Item alia quæstio, De eo, quod dictum est, Pœnitet me hominem fecisse.
Item quæstio, De auro et argento, quod ab Ægyptiis Israëlitæ acceperunt.
Item quæstio, de eo, quod scriptum est, Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentulæ, quarum non est numerus.
Item quæstio de eo, quod scriptum est, Et habitu inventus ut homo.
F
Contra epistolam Secundini Manichæi, liber *i* unus. *i*
Acta habita cum Felice Manichæo, libri duo.
De Natura boni, liber unus.
Contra Faustum Manichæum quæstiones diversæ, libri triginta tres.
Epistola ad Honoratum.

Tractatus adversus memoratos.

7. De, In principio *k* fecit Deus cælum et terram; et, in principio erat Verbum. *k*
Ex eo, quod in Aggæo propheta scriptum est Meum est aurum *l*, et meum est argentum. *l*
Contra quos supra, Quæstio de *m* sacrificiis spiritualibus. *m*
Contra quos supra, de die Domini secundum Sophoniam prophetam.
Contra quos supra, ex eo, quod scriptum est in Job, Venerunt *n* angeli in conspectu Dei, et diabolus in medio eorum; et ex Euangelio, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *n*

Contra

A. S. Possidio.

Contra Priscillianistas.

8. Ad *o* Orosium, liber unus.

Ad Optatum *p* episcopum, de anima, epistolæ duæ.

ANNOTATA.

a *Exstant in utraque editione tom.* I. *Nos de iisdem in Commentario egimus num.* 127.

b *Editus est hic liber apud Lovanienses tom.* 6, *apud Benedictinos tom.* 8. *De eo Comment. num.* 263.

c *Habetur Opus istud tom.* I *utriusque editionis. Consule Comm. num.* 128.

d *Apud Lovanienses tom.* 6, *et* 8 *apud Benedictinos. Comment. num.* 264.

e *Apud utrosque tom.* I. *Vide Comment. num.* 279.

f *Hoc, uti et sequens, Opusculum Lovanienses exhibent tom.* 6, *Benedictini tom.* 8. *De iis actum* B *in Comment. num.* 402 *et* 267.

g *Apud Lovanienses et in codice nostro legitur* octoginta octo : *at mendose, opinor, cum in libro tantum sint capita viginti octo, et totidem tractentur quæstiones.*

h *Quæstiones hæ sunt in libro* 83 *Quæstionum, videlicet* 2, 6, 10, 14, 21, 22, 24, 25, 40, 43, 49, 51, 52, 53, 55 *et* 73.

i *Desunt apud Lovanienses hæc verba,* liber unus. *Porro hoc Opusculum et tria sequentia ediderunt Lovanienses tom.* 6, *Benedictini tom.* 8. *De omnibus actum in Comment.* § 29.

k *Est Sermo de Diversis* 14 *in editione Lovaniensium, apud Benedictinos* I.

l *Hic vero est* 15 *de Diversis, apud Benedictinos* 50.

m *Hunc tractatum assignare nequeo, nec sequentem.*

n *Sermo est* 16 *de Diversis, apud Benedictinos* 12.

o *Apud Lovanienses tom.* 6, *apud Benedictinos tom.* 8. *Vide Comment. num.* 524. *Apud Lovanienses adduntur hæc verba, sed uncis inclusa:* Quæstio contra Priscillianistas.

p *Una ex his epistolis est* 157 *apud Lovanien-* C *ses, alias* 190. *Altera latet.*

CAPUT III.

Adversus Donatistas.

Psalmus *a* Abcdarius.

Contra epistolam * Donati *b* hæretici, liber unus, (* Lovan. epistolas)

Contra suprascriptos *c*, libri duo *. (* Ibid. liber unus)

Contra epistolam Parmeniani *d* episcopi, libri tres.

De Baptismo, contra *e* suprascriptos libri septem.

Contra partem epistolæ Petiliani, liber unus.

Item contra plenariam ejusdem epistolam, liber unus.

Contra secundam epistolam ejusdem, liber unus.

Contra epistolam Vincentii *f* Donatistæ et Rogatistæ, liber unus.

Contra quo clam hoc sermonis *g* sumptum est a suprascriptis, liber unus.

Contra epistolam *h* Cresconii grammatici, libri quatuor.

Contra quod attulit Centurius *i* a suprascriptis, liber unus.

De unico baptismo contra *k* Petilianum, ad Constantinum, liber unus. D

De Maximianistis contra suprascriptos, libri *l* tres.

Breviationes *m* gestorum de collatione facta contra suprascriptos Donatistas, libri tres.

Post collationem contra suprascriptos Donatistas, liber unus.

De Correctione *n* Donatistarum, liber unus.

Ad Emeritum *o* episcopum Donatistarum, liber unus.

Responsionum contra epistolas duas Gaudentii *p* episcopi Donatistarum, liber unus.

Epistola contra quos supra, ad Catholicos *q* fratres, liber unus.

Januario *r*, primati partis Donati.

Primiano *s* commonitorium.

Macrobio *t*, epistolæ duæ.

Vincentio *u*, una.

Ad Proculeianum *x*, quatuor.

Ad Emeritum *y*, duæ.

Ad Crispinum *z*, quatuor.

Ad Eusebium *aa*, duæ

Thiavensibus *bb*, duæ.

Constantiniensibus *cc*, una.

Donato *dd* Mutugennensi.

Cresconio *ee* Grammatico.

Festo commonitorium *ff* contra suprascriptos.

Epistola ad Maximinum *gg* eorum episcopum.

Clericis *hh*, qui ex parte Donati sunt conversi.

Ad Dulcitium *ii* tribunum, epistola contra suprascriptos. E

Ad Gaudentium, Donatistarum episcopum, epistola una.

Tractatus contra Donatistas.

10. Tractatus tres, de Traditione *kk* in persecutionibus, et falso baptismate.

Item contra suprascriptos *ll*, unus de iis, qui se cogi ad unitatem conqueruntur.

De Bono unitatis *mm* Ecclesiæ.

Item de duabus mulieribus *nn* de parvulo disceptantibus, contra suprascriptos, Siniti habitus.

De testimoniis *oo* Scripturarum, contra suprascriptos; et contra idola.

Contra suprascriptos per natalem sancti Salvii *pp* martyris. F

Contra suprascriptos, Quia non homines baptizant, sed Christus.

De Baptismo contra suprascriptos brevissimus *qq*, liber unus.

ANNOTATA.

a *Exstat apud Lovanienses tom.* 7, *et Benedictinos tom.* 9 *sub titulo,* Psalmum contra partem Donati.

b *Excidit aut latet hic liber, ut dictum in Comment. num.* 273

c *Duos hos libros commemorat lib.* 2 *Retract. cap.* 5, *ac vocat,* Contra partem Donati. *Sed et hi exciderunt aut latent, ut monuimus in Comment. num.* 460.

d *Exstant hoc et sequentia quatuor Opuscula apud Lovanienses tom.* 7, *apud Benedictinos tom.* 9. *De omnibus agit Comment.* § 33.

e Contra suprascriptos *abest ab editione Lovaniensium.*

f *Habetur inter epistolas olim* 48, *nunc* 93.

g *Ita editio Lovaniensium æque ac Benedictinorum. Codex noster habet:* Contra quodam uxor missum est ad suprascriptos *lib.* I. *Duo Mss. apud*

A *apud Benedictinos sensum exhibent paulo clariorem his verbis :* Contra quosdam, a quibus *(vel* a quo) responsum est supra scripto libro, liber I. *At quocumque demum modo locus legatur, latet liber iste. Sed posset esse idem cum eo, quem* Augustinus *memorat lib. 2 Retract. cap. 28 sub titulo :* Contra nescio quem Donatistam, *qui æque ignotus est.*

h *Exstat hoc Opus tom. 7 Lovaniensium et tom. 9 Benedictinorum. Vide Comment. num.* 463.

i *Et hoc opusculum, de quo lib. 2 Retract. cap. 19, latere hactenus, diximus num.* 461.

k *Exhibent hoc Opusculum Lovanienses tom. 7, Benedictini tom. 9. Vide Comment. num.* 465.

l *Notant in margine Benedictini legendum* liber unus. *At, cum nullum afferant codicem, in quo sic legatur, recte legi existimo,* libri tres. *Etenim duo certe* de Maximianistis *libri a Sancto conscripti : nam illos ipse commemorat lib. 2 Retract. cap. 29 et 35. Tertius autem esse potest Opus alio titulo ab* Augustino *memoratum. Certe in libro* de Gestis cum Emerito *multum disputat* B *de Maximianistis, neque de illo Opere meminit alias Possidius. Res tamen est incerta.*

m *Editum ex hoc, uti et sequens Opusculum apud Lovanienses tom. 7, apud Benedictinos tom. 9. Vulgo vocatur* Breviculus Collationum, *de quo in Comment. num. 466, ubi etiam de sequente.*

n *Est epistola ad Bonifacium olim 50, nunc* 185.

o *Excidit hic liber, ut dictum in Commentario num. 467. At exstat apud Lovanienses tom. 7, apud Benedictinos tom, 9, Sermo* ad Cæsariensis ecclesiæ plebem de Emerito, *et coram eodem habitus, de quo non meminit Possidius, etiamsi certo sit* Augustini, *qui de illo loquitur lib. 2 Retractationum cap. 51, ubi commemorat librum* de Gestis cum Emerito, *quem tomis assignatis editores laudati exhibent, quique item prætermittitur a Possidio, nisi forte sit inter tres libros* de Maximianistis *commemoratus, ut jam monui.*

p *Exstant apud Lovanienses tom. 7 et Benedictinos tom. 9 libri duo contra Gaudentium a Sancto ipso memorati, ut dictum in Comment. num. 468. At librum secundum, qui brevis est* C *et in modum epistolæ scriptus, pro epistola habuit Possidius, quantum conjicio. Hinc nec epistola ad Gaudentium, inferius memorata, deperdita est, ut putavit Wertinus in Appendice Censuræ Lovaniensis pag. 180, nec liber secundus hic omissus.*

q *Habetur hoc Opusculum apud Lovanienses tom. 7 sub isto titulo :* Liber seu epistola contra Petiliani Constantiensis episcopi Donatistæ epistolam. *At ex initio statim apparet, idem esse Opusculum, cum sic ordinatur :* Augustinus episcopus dilectissimis fratribus ad nostræ dispensationis curam pertinentibus. *Apud Benedictinos tom. 9 sic inscribitur :* Ad Catholicos epistola contra Donatistas, vulgo, De unitate Ecclesiæ liber unus. *Advertunt autem laudati editores, titulum in Mss. fuisse varium, et in Ms. Floriacensi, finito libro, sic legi :* Explicit epistola Aurelii Augustini episcopi ad Catholicos fratres. *Ex quo recte concludunt, istud esse Opusculum, quod hic memorat Possidius.*

r *In codice nostro, et aliis quibusdam apud Benedictinos,* Januariano. *Est autem epistola Lovaniensibus 68, Benedictinis 88, scripta quidem nomine Clericorum Hipponensium, sed haud dubie ab* Augustino, *cujus in eo stylus relucet.*

f *Latet hactenus istud Opusculum.*

t *Altera est apud Lovanienses 265, apud Benedictinos 106, altera 255 et 108.*

u *Exstat revera epistola ad Vincentium Rogatistam, sed ea nomine libri jam indicata est ad litteram* f, *et* liber *nominari omnino potest. Itaque vel bis idem designavit Opusculum, vel desideratur hæc epistola.*

x *Una solum innotuit ad Proculeianum epistola, Lovaniensibus 147, Benedictinis 33. Tres igitur aliæ desiderantur.*

y *Una item exstat ad Emeritum olim 164, nunc 87. Alia itaque latet.*

z *Ex quatuor his duæ tantum notæ sunt, nimirum 172 et 173 apud Lovanienses, nunc 51 et 66.*

aa *Exstant ambæ, nempe 168 et 169, aut 34 et 35.*

bb *Lovanienses* Thianensibus, *codex noster cum aliis* Thiabensibus. *Nullæ exstant quidem litteræ* Thiaveusibus *inscriptæ ; sed vehementer suspicor, designari epistolas ad Glorium, Eleusium etc., quæ Lovaniensibus sunt 162 et 163, Benedictinis vero 43 et 44 : hæ enim ex professo contra Donatistas scriptæ sunt, et nullibi commemorantur a Possidio, et inscribuntur non solum istis quatuor, quos* fratres *vocat, sed* et ceteris omnibus *Porro civitatem aliquam Thianensem seu Thiavensem in Numidia fuisse, colligitur ex epistola 239 alias 83, in qua Honoratus ex monacho Tagastensi factus dicitur presbyter Thianensis seu Thiavensis. Hosce autem, ad quæ binæ istæ litteræ datæ sunt, non longe Tagasta abfuisse, ex fine secundæ colligitur, ubi invitantur ad conveniendum in villa quadam* sive in Tubursicensi sive in Tagastensi. *Itaque Thiavenses fuisse existimo, quibus scriptæ sunt laudatæ epistolæ.* E

cc *Non dubito, quin hæc sit epistola* 130, *nunc* 144, *quæ* Cirtensibus *inscribitur. Audi Carolum a S. Paulo in Geographia sacra Africæ pag.* 93 : Cirta Pomponio lib. I, cap. VI dicitur Constantina, et metropolis civilis Numidiæ can. LXXXVI codicis Africani, hodie Constantina etiam nuncupatur. *Quod ibidem multis confirmatur in notis, et res est minime dubia.* F

dd *Est Lovaniensibus epistola 204, alias* 173. *Addit Lovaniensium editio* presbytero, *sed inter uncos.*

ee *Excidit aut latet hactenus.*

ff *Est epistola 167, alias* 89.

gg *Lovanienses* Maximiauum. *Est autem epistola 203, alias* 23.

hh *Hæc Lovaniensibus 257, alias* 142.

ii *Hæc vero 61, aut* 204.

kk *Etiamsi varii exstent* Augustini *sermones contra Donatistas ; obscurum tamen est, quosnam ex illis designet Possidius. Nullum certe ex his tribus assignare possum.*

ll *Neque hunc assignare certo possum : attamen sermo seu tractatus de Pastoribus, qui editus tom. 9 Lovaniensium, et apud Benedictinos est sermo 46, utcumque congruit cum hoc Possidii titulo. Porro editio Lovaniensis, cui consentit codex noster, duos hic tractatus exhibet hoc modo :* Item contra suprascriptos, unus. De iis qui se cogi *etc. Sequitur autem in utraque editione post sermonem* de Pastoribus, *sermo* de Ovibus, *contra Donatistas item habitus, qui alter ex duobus esse posset. Sed fateor rem plane est incertam.*

mm *Exstant tres sermones, primum editi a Sirmondo, deinde inter Benedictinos* 357, 358, *et*

A. S. Possidio. *el 359, qui agunt de pace et concordia cum Donatistis. Sed incertum, an alium non designet Possidius.*

nn *Videtur esse sermo apud Benedictinos* 10, *unus item ex Sirmondianis. Porro hæ voces* Siniti habitus *cum sequenti sermone junguntur apud Lovanienses. In codice nostro voces illæ alium a duobus sermonem insinuant, cum sejunganlur, et ibidem repetantur hæ voces :* Contra quos supra.

oo *Hic sermo jam memoratus est cap.* I, *ubi ad* ff *diximus eum latere. Latenl nos et sequentes contra Donatistas.*

pp *Consentit his codex noster. At apud Lovanienses in unum conflantur duo hoc modo :* Per natalem sancti Salvii martyris contra suprascriptos, quia non homines baptizant, sed Christus. *Porro codex noster cum tribus Benedictinorum pro* Salvii *habet* Silvii, *mendose, opinor.*

qq *Codex noster omittit voces,* liber unus.

CAPUT IV.

B

Contra Pelagianistas.

a De Baptismo *a* parvulorum ad Marcellinum, libri duo.

Et epistola ad ipsum de Peccatorum meritis et remissione.

De Spiritu et litera ad Marcellinum, liber unus.

De Natura et gratia, liber unus.

Ad episcopos Eutropium et Paulum, de Perfectione justitiæ hominis, liber unus.

Coutra gesta Pelagii, liber unus.

Coutra Pelagium et Cælestium *, de gratia Christi, et de peccato originali, libri duo, ad Piuianum, Albinam *, et Melaniam.

* *Lov. male* Cælestinum.
* *ibid.* Albinum *mendose.*

b Contra quæstiones Pelagianistarum *b*, liber unus.

Ad Valerium, de Nuptiis et concupiscentia, liber unus.

c Ad Papam Bonifacium *c* coutra suprascriptos, libri quatuor.

Coutra Julianum, libri sex.

d Epistolæ ad Sixtum presbyterum *d*, contra suprascriptos, duæ.

C

e Ad Mercatorem epistola *e* contra eosdem, una.

f Tractatus de baptismo *f* parvulorum.

Ad Valentinum monachum, de Gratia et libero arbitrio, liber unus.

Item ad quem supra, de Gratia et correptione, liber unus.

g Item contra secundam Juliani responsionem, imperfectum *g* Opus.

ANNOTATA.

a *De omnibus his Operibus actum est in Comment.* § 35, *exceptis epistolis ad Sixtum et Mercatorem, de quibus num.* 637. *Omnia quoque, quæ non assignabimus alibi, impressa sunt apud Lovanienses tom.* 7, *part.* 2, *apud Benedictinos autem tom.* 10.

b *Hic Benedictini observant sequentia :* Istud Opusculum vel ipse est liber seu epistola CLVII ad Hilarium, recensita rursus infra cap. VI, vel non aliud forte a libro de Perfectione justitiæ hominis. Nam illud ipsum nonnullis in Mss. notatum reperitur non hoc loco, sed paulo supra, ante Opus contra Gesta Pelagii, proximo videlicet loco post prædictum librum de Perfectione justitiæ, cujus quidem libri titulus a Prospero in lib. contra Collatorem c. XXI, n. LIX profertur hunc in modum : Ad Paulum et Eutropium sacerdotes, contra Pelagii et Cælestii quæstiones. *At sic idem Opusculum bis fuerit recensitum eodem fere loco, quod non est verisimile. Porro, cum exstent duo libri de Nuptiis et concupiscentia, iique non simul sint scripti, sed in secundo respondeatur objectionibus contra primum factis a Pelagianis, suspicio esse potest, secundum ex illis hic designari ; præsertim quia ubique legitur :* Ad Valerium de Nuptiis et concupiscentia, LIBER UNUS, *qui primus erit, si prioribus verbis secundus designetur. Hæc certe conjectura præplacet : nam liber ille secundus vocari ab* Augustino *primum potuit,* Contra quæstiones, *seu objectiones* Pelagianistarum. D

c *Titulus hujus Operis nunc est :* Coutra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium *etc.*

d *Sunt apud Lovanienses epistolæ* 104 *et* 105, *apud Benedictinos* 191 *et* 194.

e *Apud Lovanienses et in nonnullis Mss. legitur pro* epistola *vox* episcopum, *sed mendose. Codex noster cum hac editione habet* epistola. *Est illa* 193 *Benedictinorum, quam ignorarunt Lovanienses.* E

f *Indicat sermonem* 14 *de Verbis Apostoli, qui Benedictinis est* 294.

g *Edidit hoc Opus Vignerius tom.* 2 *Supplementi, sed perperam vocat* Opus perfectum. *Benedictini idem exhibent cum aliis tom.* 10, *et recte vocant* Opus imperfectum. *Non recensuit Possidius libros* de Prædestinatione Sanctorum, *et* de Dono Perseverantiæ, *licet certo sint* Augustini, *scriptique contra Semipelagianos.*

CAPUT V.

Adversus Arrianos.

Quæstio, de Trinitate *a*. a

Quæstio, de semper nato.

Quæstio, de Æqualitate Filii.

Item alia, de eo, quod scriptum est, Tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia. F

De Trinitate *b*, libri quindecim. b

Contra suprascriptos Arrianos, ad Pascentium *c*, liber uuus. c

Epistola *d* ad eundem, contra quæstiones diversas, contra suprascriptos. d

Epistola ad Helpidium *e*. e

Ad Therentianum *f*, una. f

Ad Maximum *g* una. g

Tractatus diversi adversus suprascriptos, qui Filium inæqualem Patri esse contendunt.

13. Ex Euangelio *h* Joannis, Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. h

Ex eodem Joanne, Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei.

Item de *i* Trinitate.

De, In principio erat *k* Verbum. k

Collatio cum Maximino *l* Arriauorum episcopo.

Ad

A Item ad quem supra, libri duo.

m De Hæresibus *m* ad Quodvultdeum diaconum, imperfectum Opus.

n Adversus Apollinaristas, *n* quæstio.

ANNOTATA.

a *Quæstiones hæ quatuor sunt in libro* 83 *Quæstionum* 18, 37, 50, *et* 69.

b *Exstant apud Lovanienses tom.* 3, *apud Benedictinos tom.* 8. *Consule Comment. num.* 520 *et seqq.*

c *Designat epistolam* 164, *nunc* 238, *quæ liber vocari potest.*

d *Rectius hoc loco codex noster habet* : Epistolæ duæ ad eundem contra quæstiones diversas. *Quippe exstant duæ ad Pascentium epistolæ a prædicta aliæ, nimirum apud Lovanienses* 175 *et* 177, *apud Benedictinos vero* 239 *et* 241. *Et sic melius intelliguntur hæc verba*, Contra quæstiones diversas, *quæ singulis convenire vix possunt, at recte congruunt utrique.*

e *Lovaniensium editio,* Helvidium. *Duo Mss.* B *apud Benedictinos,* Ellidium. *Noster vero codex cum tribus Benedictinorum*, *sicut editum est*, Helpidium. *Est epistola Lovaniensium* 150, *Benedictinorum* 242.

f *Codex noster*, Terrentianum, *duo Benedictinorum* Terentianum, *alte* Terentium. *Ignota est hæc epistola.*

g *Est epistola apud Lovanienses* 66, *apud Benedictinos* 170, *scripti Alypii et* Augustini *nomine, ut plures aliæ. Lovanienses hic legunt* Maximinum, *at in epistolæ inscriptione* Maximum.

h *Apud Lovanienses est* 32 *ex Homiliis* 50, *apud Benedictinos sermo* 126. *Sequentem vero tractatum nequeo assignare.*

i *Videtur esse sermo* 63 *de Verbis Domini, apud Benedictinos sermo* 63.

k *Est sermo* 18 *de Verbis Domini,* 117 *apud Benedictinos.*

l *Exstant hoc et duo sequentia Opuscula tom.* 6 *Lovaniensium et tom.* 8 *Benedictinorum. At Lovanienses Collationem jungunt cum duobus libris contra Maximinum, et sic numerant contra Maximinum libros tres, quorum primus est Colla-* C *tio : Benedictini vero Opera illa distinxerunt.*

m *De hoc Opere actum in Comment. num.* 679 *et* 680. *Legitur apud Lovanienses tom.* 6, *apud Benedictinos tom.* 8.

n *Est quæstio* 80 *in libro* 83.

CAPUT VI.

Diversi libri vel tractatus, vel epistolæ, ad utilitatem omnium studiosorum conscriptæ.

De Beata vita, ad Theodorum, liber unus.

a Soliloquiorum *a*, libri duo.

b De Grammatica *b*, liber unus.

c De Musica *c*, libri sex.

d Cæterarum disciplinarum principia, libri *d* quinque, id est, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philosophia.

e De Animæ quantitate *e*, liber unus.

f De Agone Christiano *f*, liber unus.

De Magistro *g*, liber unus. g

De Fide vel symbolo *h*, liber unus. h

De sermone Euangelii *i* in monte, libri duo. i

Quædam expositio Epistolæ omnis ad Galatas, liber unus.

Quæstio *k*, Quæ sit causa, ut sit homo deterior. k

Item quæstio, Utrum animal irrationale beatum esse possit.

Item quæstio, Quæ proprie in animante anima dicatur.

Item quædam expositio in Epistolam ad Romanos, libri duo.

Item quæstio *l*, Utrum anima per se moveatur. l

Item quæstio, de mente mundanda ad videndum Deum.

Item quæstio, Quo documento constet homines bestiis excellere.

Item quæstio, de Intellectu.

Item quæstio, de Scientia Dei.

Item quæstio, de Loco Dei *m*. m

15. Item quæstio, de Differentia *n* peccatorum. n

Item quæstio, Utrum omnia in utilitatem hominis creata sunt.

Item quæstio, Quemadmodum virtutes animæ a Cicerone divisæ ac definitæ sunt. E

Item quæstio, de metu.

Item quæstio, Utrum non aliud amandum sit quam metu carere.

Item quæstio, Quid amandum sit.

Item quæstio, de nutrienda charitate.

Item quæstio, de conformatione animæ.

Item quæstio, de alimentis.

Item quæstio, Cum omnia Deus fecerit, quare non æqualiter fecerit.

Item quæstio, Utrum aliquando cogitationes nostras videre possimus.

Item quæstio de eo, quod scriptum est, Mihi autem adhærere Deo bonum est.

Item quæstio, de centum quinquaginta tribus piscibus.

Item quæstio, de Joanne Baptista.

Item quæstio, de decem virginibus.

Item quæstio, De die autem et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius hominis, nisi Pater solus.

Item quæstio, de eo, quod scriptum est in Euangelio, turbam Dominum in monte pavisse de panibus quinque. F

Item quæstio ad id, quod scriptum est in Euangelio, quod baptizabat Jesus plures, quam Joannes, quamquam non ipse baptizaret, sed discipuli ejus.

Item quæstio, de Verbo.

Item quæstio, de muliere Samaritana.

Item quæstio, de resurrectione Lazari.

16. Item quæstio, de eo, quod scriptum est, An ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor,) quia lex dominatur homini, in quantum tempus vivit; usque ad eum locum, in quo scriptum est, Vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis.

Item quæstio, de eo, quod scriptum est, Existimo enim quod indignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; usque ad id, quod dictum est, Spe enim salvi facti sumus.

Item quæstio de eo, quod scriptum est, O homo tu quis es, qui respondeas Deo?

Item quæstio de eo, quod Apostolus dicit, Absorpta est mors in victoria, ubi est mors contentio tua? ubi est mors aculeus tuus? aculeus autem

A. S. Possidio

autem mortis peccatum est, virtus autem peccati lex.

Item quæstio de eo, quod scriptum est, Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Item quæstio, de temporibus æternis.

Item quæstio de eo, quod scriptum est in Epistola Pauli ad Colossenses, In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis.

Item quæstio, de hæreditate Dei.

Item quæstio de eo, quod apostolus Jacobus dicit, Vis autem scire, o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est?

Item quæstio de timore, utrum peccatum sit.

Item quæstio, de pulchritudine simulachrorum.

Item quæstio, Quare magi Pharaonis fecerunt quædam miracula, sicuti Moyses famulus Dei.

Item quæstio, de Quadragesima et Quinquagesima.

Item quæstio de eo, quod scriptum est, Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit.

B Item quæstio, de conjugio.

o 17. De Doctrina *o* Christiana, libri quatuor.

p Ad Simplicianum *p*, de diversis quæstionibus, libri duo.

q Responsio objectis *q* Hilarii, liber unus.

r Annotationes *r* Euangeliorum, libri duo.

Annotationes in Job, liber unus.

s Ad Inquisitiones *s* Januarii responsio, libri duo

t Concessionum *t*, libri tredecim.

u Catechismi *u*, liber unus.

x De Opere monachorum *x* ad Aurelium episcopum, liber unus.

y Epistola Jacobi *y* exposita non tota, liber unus.

z De vetere Testamento *z*, aliqua exposita.

aa De sancta Virginitate *aa*, liber unus.

De Bono conjugali, liber unus.

bb De Genesi *bb* ad literam, libri duodecim.

cc Quaternio *cc* unus, quem propria manu S. episcopus Augustinus initiavit.

dd Quæstiones diversæ de vetere Testamento *dd*, in libri triginta tribus.

ee Contra Hilarium *ee* de canticis ad altare, liber unus

ff De Gratia *ff* novi Testamenti ad Honoratum, liber unus. C

gg De Fide et *gg* operibus, liber unus.

hh De videndo Deo, ad Paulinam *hh*, liber unus.

ii De Perfectione justitiæ *ii* hominis, liber unus.

kk De Origine animæ *kk* ad sanctum Hieronymum, liber unus.

De sententia Jacobi apostoli ad eumdem, liber unus.

ll 18. De præsentia Dei *ll* ad Dardanum, liber unus.

mm Ad Casulanum *mm*, de Jejunio Sabbati.

nn Ad Victorem *nn* de Natura animæ et ejus origine, libri quatuor.

oo Ad Pollentium *oo*, de Incompetentibus nuptiis, libri duo.

pp Contra Adversarium *pp* Legis et Prophetarum, libri duo.

qq Adversus Mendacium *qq*, liber unus.

rr Ad Laurentium *rr*, de Spe, fide et charitate, liber unus.

ss Psalmi expositi *ss*, a primo usque ad trigesimum

tt secundum. Ex his in populo tractati sunt *tt*, decimus quartus, decimus quintus, vigesimus primus, vigesimus sextus, trigesimus, trigesimus primus, trigesimus secundus, trigesimus tertius.

Item alii dictati, id est, sexagesimus octavus, D septuagesimus primus, septuagesimus septimus, septuagesimus octavus, octuagesimus secundus, octuagesimus sextus, octuagesimus octavus, centesimus quartus, centesimus quintus, centesimus septimus, centesimus octavus, centesimus decimus, centesimus undecimus, centesimus duodecimus, centesimus decimus tertius, centesimus decimus quartus, centesimus decimus quintus, conjunctis sibi centesimo decimo sexto, centesimo decimo septimo, centesimo trigesimo quinto, centesimo quinquagesimo.

Reliqui omnes, excepto centesimo decimo octavo, in populo disputati sunt, numero nonaginta septem. Fiunt ergo omnes tractatus Psalmorum in populo habiti, numero centum viginti tres, quia centesimus vicesimus primus bis * est expositus. * Lov. ibi

Tractatus de Euangelio *uu* Joannis, a capite usque ad finem, in codicibus sex. uu

ANNOTATA. E

a *Duo hæc Opuscula in utraque editione sæpe dicta leguntur tom.* I. *Consule de iis Comment.* § 7.

b *Librum de Grammatica* Augustini *nomine ediderunt Lovanienses tom.* I; *at illum Sancto abjudicari a Benedictinis, dictum est in Commentario num.* 110. *Excidit igitur liber* Augustini *de Grammatica.*

c *Exstant tom.* I, *et Sancto ab omnibus attribuuntur. De iis Comment. num.* 109 *et* 177.

d *Post memoratum de Grammatica librum subjecerunt Lovanienses tom.* I : Principia Dialecticæ, Categorias Decem, et Principia Rhetoricæ, *acsi essent Opuscula tria ex quinque hic recensitis. Verum Benedictini hæc etiam in Appendicem rejecerunt, ac probant esse supposititia. Vide Comment. num.* 108 *et seqq.*

e *Exstat apud editores tom.* I. *De eo Comm. num.* 127.

f *Editus est tom.* 3 *Lovaniensium et tom.* 6 *Benedictinorum. Consule Comment. num.* 540.

g *Habetur in utraque editione tom.* I. *Comm. de eo num.* 178.

h *Apud Lovanienses tom.* 3 *et tom.* 6 *apud Benedictinos. Comment. num.* 279. F

i *Hoc et sequens Opusculum ut et* Expositio in Epistolam ad Romanos *mox memoranda, habentur apud Lovanienses tom.* 4, *Benedictinos tom,* 3, *part.* 2. *De his agitur in Comment. num.* 280 *et* 281.

k *Hic rursum multas enumerat quæstiones ex libro* 83 *Quæstionum, hæc ibidem est,* 5, *et sequens* 7.

l *Est ibidem quæstio* 8, *sequuntur autem* 12, 13, 15, 17 *et* 20 de Loco Dei.

m *Sequitur hic apud Lovanienses :* Item quæstio, de Ira Dei. *Ad observant Benedictini, istud abesse a Mss. Nec reperitur in codice nostro.*

n *Hæc est ibidem* 26, *tum* 30, 31, 33, 34, 35, 36, 38, 39, 41, 47, 54, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 81, 82, 83.

o *Hoc Opus in utraque editione legitur tom.* 3. *Egimus de eodem in Comment. num.* 541.

p *Ediderunt istud Opusculum Lovanienses tom,* 4, *Benedictini tom.* 6. *Consule Comment.* § 38.

q *Videtur*

A q *Videtur esse epistola* 89 *Lovaniensium, alias vero* 157. *Nam, quod putat Tillemontius art.* 114, *id Opusculum fuisse scriptum contra Hilarium tribunum, adversus quem de Canticis scripsit Sanctus, ut inferius videbimus, verisimile non est, tum quia Opuscula hæc disjungit Possidius; tum quia* Augustinus *ipse lib.* 2 *Retract. cap.* XI *commemorat Opusculum de Canticis contra Hilarium, nec meminit alterius.*

r *Exstat tom.* 4 *Lovaniensium titulo Quæstionum Evangelicarum, et tom.* 3 *Benedictinorum sub titulo* Quæstionum Euangelicorum : *iidem quoque tomi exhibent sequens Opusculum. Agitur de utroque in in Comment. num.* 544 *et* 545.

s *Hi duo libri sunt inter epistolas* 118 *et* 119, *vel* 54 *et* 55; *de quibus in Comment. num.* 551.

t *Exstant Confessiones in utraque editione tom.* I. *Vide Comment. num.* 542.

u *Significat haud dubie Opusculum* de Catechizandis rudibus, *quod Lovanienses tom.* 4 *et Benedictini tom.* 6 *ediderunt. Nos de eodem egimus in Comment. num.* 546.

x *Hoc Opusculum habent Lovanienses tom.* 3, B *Benedictini tom.* 6. *Vide de illo Comment. num.* 552.

y *Latet istud Opusculum, ut monuimus in Comment. num.* 581.

z *Videtur designare libros septem in Heptateuchum, seu in septem primos sacræ Scripturæ libros, de quibus egimus in Comment. num.* 640, *ubi Sanctus illos vocat* Quæstionum libros. *Ediderunt Opus istud Lovanienses tom.* 4, *Benedictini tom.* 3. *Forsan simul intelligit* Locutionum libros *item septem, quos tom.* 3 *inseruerunt Lovanienses, Benedictini vero Quæstionum libris præposuerunt. Vide de illis num.* 639. *Certe nisi hic simul designentur, omnino prætermissi sunt a Possidio.*

aa *De hoc et sequente Opusculo actum est in Comment. num.* 529 *et* 530. *Utrumque ediderunt Lovanienses et Benedictini tom.* 6.

bb *Exstant in utraque editione tom.* 3. *Consule de iis Comment. num.* 553.

cc *Ignotum est istud Opusculum, si umquam in lucem fuerit emissum. Verumtamen conjectura aliqua mihi occurrit, quam lubet æquis lectori-* C *bus proponere. Videtur Possidii verbis designari Opusculum aliquod molis non magnæ et imperfectum. Tale autem Opusculum est, quod ediderunt Lovanienses tom.* 4 *sub hoc titulo :* Divi Aurelii Augustini liber Quæstionum Euangelicarum secundum Matthæum. *Itaque, si constet illud Opusculum esse* Augustini, *non improbabile videtur, istud his verbis designatum, quod Sanctus illud imperfectum reliquisset, ac sine titulo. Opusculum idem inseruerunt Benedictini tom.* 3 *sub titulo hujusmodi :* Quæstionum septemdecim in Euangelium secundum Matthæum liber unus. *Omittunt illi nomen* S. Augustini, *quia dubitant, an ejus revera sit Opusculum : Audi initium præfationis eorumdem editorum :* Ut hic exhibeatur, *inquiunt*, inter Agustini germana Opera, nec tamen ipsius, uti solet, Augustini nomine prænotetur, iste alius Quæstionum in Matthæum liber, non temere fit, neque frustra. Nempe STILUM in primis ET RES CONGRUERE AUGUSTINO censent post Erasmum Lovanienses theologi. Deinde fragmenta ejusdem libri quædam cum nomine Augustini profert Rabanus Maurus in libro IV Commentarii super Matthæi Euangelium, quem ipse circiter DCCCXL Christi annum, collectis hinc inde veterum expositionibus, concinnabat. Denique in Indiculo Operum Augustini Possidiano, qui per Johannem Vlimmerium ex Villariensi codice vulgatus est, recensentur pag. V QUÆSTIONES EUANGELIORUM LIB. II, moxque ANNOTATIONES ALIQUOT IN MATTHÆUM LIB. I. *Hisce rationibus, quæ suadent genuinum esse* Augustini *Opusculum, alias deinde opponunt, quibus contrarium videtur insinuari. Accipe illas compendio. Nihil habet* Augustinus *de illo Opusculo in libris Retractationum. Deinde parabola de zizaniis hic quæst.* XI *aliter exponitur, quam solebat exponi ab* Augustino. *Tertio Eugypius abbas nihil ex hoc libro decerpsit, licet ex Quæstionibus Evangelicis varia descripserit. Quarto in quibusdam antiquis codicibus hæ Quæstiones non leguntur post Quæstiones Evangelicas, in aliis post illas sequuntur sine nomine* Augustini. *Quinto demum in Indiculo Possidii hæc non reperiuntur, nisi in solo Vlimmeriano, qui fuit interpolatus. Ita laudati editores. At omnia hæc argumenta vim magnam non habebunt, si* Augustinus *illud Opusculum post Retractationes inchoaverit, et imperfectum reliquerit sine titulo : quale Opusculum designat Possidius per quaternionem illum. Nam sic memorari non potuerit in Retractationibus, et designatum fuerit hic a Possidio : nec mirum erit, in aliquibus codicibus scriptum fuisse, in aliis prætermissum, cum edi debuerit post mortem Sancti, quando alia Opera jam erant in lucem emissa : atque hinc abbas Eugypius illud in suis codicibus non invenerit, licet alioquin illius silentium parum urgeat. Restat igitur una solum solvenda objectio quam laudati editores sic proponunt :* Zizaniorum parabola hic exponitur longe secus, quam soleret ab Augustino, ex tempore præsertim Carthaginensis collationis, in qua Donatistæ, Catholicis reclamantibus, id vehementer affirmabant, quod in hujus libri quæstione XI n. I dicitur, AGRUM IPSUM NON ECCLESIAM, SED MUNDUM, Domino interpretante, intelligendum esse, ut videre est in Actis collationis parte 3, cap. 258, 265 et sequentibus. Qua de re Augustinus in lib., cui titulus : Post collationem ad Donatistas, cap. 8 : « Diu contenderunt, inquit, dicentes zizania, quæ cum tritico simul crescere usque ad messem permissa sunt, non in Ecclesia, sed in mundo esse, contra intellectum martyris Cypriani, qui dixit : Etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas nostra. » Quid quod iste auctor in quæstione XII n. 2 responsum illud Patris-familias, zizania ante messem evelli prohibentis, non modo non torquet in Donatistas more Augustini, sed interpretatur eo pacto, ut in illos torqueri non valeat; quandoquidem de non auferendis ex hac vita hominibus sermonem haberi putat. *Ad duplex hoc argumentum responderi primum potest, varios sacræ Scripturæ locos varie expositos esse ab* Augustino, *adeoque id satis argumenti non futurum, etiamsi omnia recte essent deducta, et* Augustinus *a priori expositione sua hic recessisset. At non video eo esse confugiendum, cum hic nihil affirmasse videatur, quod alibi dictis sit contrarium. Quippe contendebant Donatistæ, zizania non esse in Ecclesia, sed in mundo extra Ecclesiam : hisce cum aliis Catholicis contradicebat* Augustinus, *affirmando non solum in mundo extra Ecclesiam, sed in ipsa etiam Ecclesia reperiri zizania. Idem dicitur in hoc Opusculo quæst.* XI : *nam licet num.* I *probetur, per zizania intelligi posse hæreticos, tamen in conclusione adduntur* hæc

A S. POSSIDIO.

E

F

 hæc verba : Quamquam in hac parabola Dominus, sicut in ejus expositione conclusit, non quædam, sed omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur. *Præterea in Sermone* 18 *de Verbis Domini, qui certo est* Augustini, *et Benedictinis* 88, *per* agrum *intelligit* mundum *universum. Audi pauca verba, cap.* 19 *contra ipsos Donatistas intorta :* Quis est ager? Numquidnam Africa? Non. Quis est ergo? Non interpretemur nos, Dominus dicat.... Quis est ager? Ager est, inquit, hic mundus. *Aliud igitur est, per* agrum *intelligere mundum separatum ab Ecclesia; aliud, interpretari mundum cum Ecclesia conjunctum. Primum volucrunt Donatistæ, alterum* Augustinus. *Porro, quod Sanctus quæst.* 12 *responsum Patris-familias in Donatistas non torqueat, nihil evincit, cum ibidem contra Donatistas non disputet : neque vero negat, responsum istud alio etiam modo exponi posse, atque ita in Donatistas torqueri. Verumtamen audi locum, in quo hanc ipsam expositionem contra Donatistas intorsit. In Epistola* 171, *alias* 76, *eos sic allo-*
B *quitur* : Ipse *(Christus)* dixit, AGER EST HIC MUNDUS; non dixit, Ager est Africa. Ipse dixit, MESSIS EST FINIS SÆCULI ; non dixit, Messis est tempus Donati. Ipse dixit, MESSORES ANGELI SUNT; non dixit, Messores principes Circumcellionum sunt. *Explicat hic locum contra cædes ac violentias Circumcellionum, quia angeli, non circumcelliones, sunt messores. Si igitur hac expositione impeditus non fuit, quo minus contra schisma ipsum explicaret eumdem textum, non video, cur in expositione de non auferendis ex vita hominibus sibi ademerit facultatem alio etiam modo locum exponendi. Hinc demum concludere liceat, recte post Erasmum judicasse Lodovanienses*, stilum et res *in hoc Opusculo contentas* Augustino congruere, *adeoque nihil esse, cur id ipsi abjudicemus, sive verbis Possidii designatum sit, ut dixi verisimile esse, sive id ab eo prætermissum sit, ut alia quædam.*

dd Diversæ *omittitur apud Lovanienses. Assignant Benedictini in margine Opus contra Faustum Manichæum, quod jam memoratum est cap.* 2, *sed iterum memorari potuit, quia omnibus est utile.*

C ee *Excidit hoc Opusculum, ut monuimus in Comment. num.* 543.

ff *Exstat inter Epistolas, ubi olim* 120, *nunc* 140. *Consule Comment. num.* 490.

gg *Habetur istud Opusculum tom.* 4 *Lovaniensium et tom.* 6. *Benedictinorum. De eodem actum est in Comment. num.* 582.

hh *Liber hic inter Epistolas* 112, *aut* 147. *Vide Comment.* § 43.

ii *Hunc librum, contra Pelagianos scriptum, jam recensuit cap.* 4.

kk *Hic liber et sequens inter epistolas sunt* 28 *et* 29, *alias* 166 *et* 167.

ll *Est inter Epistolas* 57, *alias* 187.

mm *Epistola est* 86, *aut* 36.

nn *Exstant hi libri quatuor tom.* 7 *apud Lovanienses et tom.* 10 *apud Benedictinos. Non omnes quidem* ad Victorem, *sed omnes contra Vincentium Victorem sunt exarati. Egimus de illis in Commentario* § 48.

oo *Exstant hi libri in utraque editione tom.* 6 *cum titulo,* De Adulterinis conjugiis. *De iis actum in Comment. num.* 645.

pp *Habentur tom.* 6 *Lovaniensium et tom.* 8 *Benedictinorum. Adi et Comment. num.* 523.

qq *Exstat liber hic, uti et alias* de Mendacio, D
quem Possidius prætermisit, apud Lovanienses tom. 4, *apud Benedictinos tom.* 6. *De utroque actum in Comment. num.* 283.

rr *Apud Lovanienses tom.* 3, *et tom.* 6 *apud Benedictinos. Vide Comment. num.* 646, *ubi diximus vulgo vocari* Enchiridion.

ss *Implet Psalmorum expositio tomum* 8 *Lovaniensium, et tomum* 4 *Benedictinorum. Egimus de illa in Comment. num.* 619 *et seqq., atque observavimus, præfationes non esse* Augustini.

tt *Nititur Possidius assignare, quinam Psalmi coram populo sint expositi, et quinam dictati seu scripto expositi. Verum non dubito, quin multa hic sint mendosa, ut manifeste patet ipsam Psalmorum expositionem diligenter consideranti. Porro congruit quidem editio Benedictinorum cum editione Lovaniensium : at utrique notant varias lectiones aliorum codicum. Noster autem codex dissentit non parum ab editione utraque, nec dubito, quin aliqua ibidem rectius sint expressa. Accipe igitur totum illius contextum :* Psalmi expositi a primo usque ad tricesimum secundum. Ex his in populo tractati sunt XVIII, XXI, E
XXVI, XXIX, XXX, XXXI, XXXII. *Hi omnes certo expositi sunt pro concione, ut ad singulos notarunt Benedictini : sed accedere potuisset* XXV, *qui tamen nec in editis legitur, in quibus mendose habentur* XIV, XV, *et* XXXIII. *qui expositus quidem pro concione, at inter primos* 32 *non comprehensus. Ad codicem redeo :* Item alii dictati, id est, LXVI, *(legendum* LXVII, *non* LXVIII, *ut est in editis)* LXXI, LXXVII, LXXVIII, LXXXII, LXXXVII, LXXXIX, CIV, CV, CVII, CVIII, CX, CXI, CXII, CXIII, CXIV, CXV, conjuncto sibi CXVII, CXXXV, CL. *De Psalmo* ex *et sequentibus omnibus merito dubites, an scripto sint expositi, an viva voce : nam sermonem quandoque dirigit ad populum, ex quo videretur expositio coram populo facta. Contra vero expositio caret digressionibus illis atque exhortationibus longioribus, quibus usus est Sanctus, dum ad concionem dicebat. Quod vero suos quandoque alloquitur, non satis evincit, expositionem illorum Psalmorum coram populo factam : nam idem contingit in expositione Psalmi* CXVIII, *quæ ad populum dicta non est, teste Possidio. Inhærendum igitur judicio verbis Indiculi, præsertim cum editio utraque in posterioribus hisce congruat cum codice nostro, si excipiamus Psalmum* CXVII, *pro quo habent* CXVI. *Quod autem ad Psalmos anteriores spectat, recte omnes recensiti videntur in codice nostro, non item in editis. Subdit præcedentibus codex :* Reliqui omnes, excepto CXVIII, in populo disputati sunt, numero XCXII. *Demptis videlicet ex* 150, *seu toto numero, primis* 32, *et* 21, *quos recensuit.)* Fiunt ergo omnes tractatus Psalmorum in populo habiti CXXIII, quia centesimus vigesimus primus bis est expositus. *Illa iterata expositio unius Psalmi* 121 *efficere non potest, ut tot sint sermones, ita ut hic aliquid vel desideretur, uti in editis, vel locus sit mendosus. Voluit, opinor, insinuare Possidius, varios Psalmos expositos esse vel duobus, vel tribus, vel etiam quatuor sermonibus, uti revera factum videmus, et sic reperiri poterit numerus sermonum hic assignatus.*

F

uu *Leguntur hi tractatus apud Lovanienses tom.* 9, *apud Benedictinos tom.* 3. *De illis nos egimus in Comment.* § 46.

CAP.

A

CAPUT VII.

Epistolæ.

a Ad Nebridium *a*, decem.
b ad Hermogenianum *b*.
Ad Zenobium.
c Ad Firminum *c*.
d Ad Cælestinum *d*.
e Antonino *e*.
Saturnino.
f Thalasio *f* et Valentino.
Eumatio.
g Gaio *g*.
Licentio.
h Desiderio *h*.
i Valerio *i* episcopo.
k Donato *k*.
l Læto *l*.
B Cratoni et aliis Carthaginensibus.
m Maximo *m* episcopo.
n Profuturo *n*.
Præsidio.
o Victori *o* presbytero de campo Bullensi.
p Anastasio *p*.
Sebastiano Monacho.
q Conseutio *q*.
r Bonifacio *r* episcopo.
Romaniano.
Item ipsi.
s 20. Paulo *s* episcopo.
t Plebi *t* propriæ.
Item ipsi.
u Aurelio *u* episcopo.
Item ipsi.
Item ipsi.
x Alipio *x* episcopo.
Item ipsi.
y Deogratias *y* presbytero.
z Ad S. Hieronymum *z*, sex.
aa Ad Paulinum *aa*, octo.
bb Severino *bb*.
C Generoso.
cc Armentario *cc* et Paulinæ.
dd Jovino *dd* et Joviniauo, et cæteris.
ee Evodio *ee*, epistolæ tres.
ff Probæ *ff*, de orando Deo.
Item ipsi, duæ.
gg Item ipsi, et Julianæ *gg*, de velatione Demetriadis.
Julianæ, de sancta viduitate.
hh Honorato *hh*, tres.
ii Flactiano *ii*.
Nectario, quatuor.
kk Cæciliano *kk*.
Publicolæ, duæ.
Orontio.
ll Olympio *ll*.
mm Cornelio *mm*.
Donato.
Item Olympio.
Plebi propriæ, duæ.
nn Paulo *nn* episcopo.
Item Paulo suprascripto.
oo Theodoro præsidi *oo*.
pp 21. Victorino *pp*.
Celeri.
Cæciliano.
qq Severo *qq* episcopo.

Novato *rr* episcopo. A. S Possidio. rr
Felici.
Adeodato.
Catulino.
Eusebio *ss*. ss
Fausto et Pelagiæ.
Aurelio episcopo.
Placentino episcopo.
Seleucianæ *tt*. tt
Severo *uu*. uu
Memori *xx* episcopo. xx
Asello *yy*. yy
Æmilio.
Theodoro et Felicissimo.
Aproniauo et Avitæ.
Florentinæ *zz*. zz
Marinianæ.
Innocentio *aaa* episcopo. aaa
Imperatoribus.
Stiliconi.
Præfectis Italiæ.
Crescenti episcopo.
Alipio episcopo. E
22. Restituto *bbb* diacono. bbb
Macario.
Domnioni.
Viventio presbytero.
Delphino.
Item Innocentio episcopo.
Pammachio *ccc*. ccc
Agrippino.
Plebi Cataquensi,
Item Aurelio episcopo.
Gerontio.
Maximiano *ddd*. ddd
Item Severo episcopo.
Felici et Hilarino *eee*. eee
Item plebi propriæ.
Item ipsi.
Item ipsi.
Item Innocentio episcopo.
Maximo *fff*. fff
Burnio *. * duo Mss. Burnioni
Presbyteris propriis.
Item Macario.
Theodolo.
Concordio. F
23. Item Memorio *ggg* episcopo. ggg
Item Cratoni.
Item Severo episcopo.
Novato.
Mercurio Diacono.
Romano.
Item Æmilio presbytero.
Theodoro et Felicissimo, duæ.
Oratori.
Item Aurelio episcopo, duæ.
Firmo *hhh*. hhh
Muneri.
Repentino.
Lauritio.
Pelagasio et Vagulo.
Ampelio episcopo.
Item Repentino.
Maximo.
Samsucio.
Possidio *iii* episcopo. iii
Protogeni et Thalasio.
Item Protogeni.
Item Thalasio.
Item Protogeni, duæ.
Item Aurelio episcopo.

Clericis

A. S. Possidio. Clericis Carthaginis.
Sebastino monacho.
kkk 24. Cristino *kkk*.
Auisio.
Felici.
Geminiano.
Item Firmo suprascripto.
lll Audaci *lll* Grammatico.
Acatio.
mmm Cresconio *mmm*.
Item Alypio episcopo.
Item Alypio.
Albinæ.
Apringio proconsuli.
Item Cristino.
nnn Albinæ, Piniano et *nnn* Melaniæ.
Romulo.
Panchario.
Florentino.
Cresconio.
ooo Fortunato *ooo* episcopo.
Item Generoso.
Benenato episcopo, duæ.
B Rustico.
ppp 25. Quintiano presbytero *ppp*.
Xantippo.
Item Aurelio episcopo.
qqq Item Clero *qqq*.
Castorio.
Item Alypio episcopo.
Item Severo episcopo, duæ.
rrr Italicæ *rrr*.
Lampadio.
Fabiolæ.
Naucellioni.
Fratribus a Carthagine.
Redempto.
Fratribus Carthaginis.
Item plebi propriæ.
sss Maximæ *sss*.
Ad Ecdiciam, epistola una.
Ad Petrum et Abraham, una.

ANNOTATA.

a *Exstant ex his novem, quæ apud Lovanienses sunt* 151, 117, 72, 105, 116, 268, 269, 218, *et* 115; C *apud Benedictinos vero* 3, 4, 7, 9, 10, 11, 12, 13 *et* 14.

b *Hæc* 213, *alias* 1; *sequens vero* 214, *alias* 2.

c *Unus codex apud Benedictinos habet*, Ad Firmianum. *Excidit illa epistola.*

d *Est epistola* 63, *alias* 18.

e *Duo Mss. apud Benedictinos* Antonio. *Est Epistola* 131, *seu* 20 : *sequens vero* 257, *alias* 142.

f *Excidit hæc et sequens. At ibi pro* Eumalio *Lovaniensis habent* Rumaclio : *duo Mss. apud Benedictinos* Hermatio.

g *Apud Lovanienses* Caio. *Est autem Epistola* 84, *alias* 19. *Sequens vero est* 39, *seu* 26.

h Forte Dario, *notant in margine Benedictini : nulla enim exstat Epistola ad Desiderium; duæ vero supersunt ad* Darium *comitem datæ, nempe* 262 *et* 264 *Lovaniensium*, *seu* 229 *et* 231 *Benedictinorum, quas alibi non recensuit Possidius. Eadem conjectura fieri potest de* Deuterio, *ad quem exstat epistola* 74, *seu* 236, *nullibi item memorata.*

i *Exstat hæc Lovaniensibus* 148, *nunc* 21.

k *Gemina legitur* Donato *proconsuli inscripta, nimirum* 127 *et* 128 *apud Lovanienses, apud Be-* D *nedictinos vero* 100, *et* 112. *Altera memorabitur infra.*

l *Est* 38, *seu* 213. *Sequens vero desideratur.*

m Fossatensis codex, *ut notant Benedictini*, Maximino episcopo. *Nulla exstat epistola ad Maximum episcopum : reperitur quidem una ad Maximinum episcopum Donatistam : at illa jam memorata est cap.* 3.

n *Hæc est* 149, *seu* 38; *sequens* 16, *nunc* 74.

o *Duo Mss. apud Benedictinos*, Victorino episcopo de Campo *etc. Codex noster*. Victori presbytero et ampo Bullesi, *mendose opinor. Porro nulla exstat Epistola* Victori presbytero *inscripta : verum* 122 *Lovaniensium, seu* 111 *Benedictinorum inscripta est* Victoriano presbytero, *nec illa alibi memoratur a Possidio. Exstat quoque Epistola apud Lovanienses* 217, *alias* 59, *ad Victorinum episcopum, item prætermissa a Possidio. Verumtamen ex his neutram designatam existimo, quia* Augustinus *in Epistola* 236, *nunc* 65, *affirmat se scripsisse de causa Abundantii presbyteri* ad presbyterum fundi Armemanensis E in Campo Bullensi. *Hæc igitur Epistola haud dubie hic designata, quæ ad nos non pervenit.*

p *Hæc est* 144, *seu* 145; *sequens* 145, *seu* 248.

q *Exstat gemina ad Consentium, videlicet* 221, *alias* 120, *et* 146, *seu* 205.

r *Est Epistola* 23, *nunc etiam* 98 : *sequens vero* 113, *seu* 15. *Altera ad Romanianum excidit, sed exstat Epistola Paulini ad eumdem data, quæ inter Augustinianas est* 36, *seu* 32.

s *Hæc est* 216, *seu* 85.

t *Exstant tres Epistolæ ad Hipponenses datæ, sed plures infra memorantur a Possidio, nisi easdem repetierit eodem hoc capite, quod minus est verisimile. Ex his* 215, *seu* 268, *soli plebi inscripta est : at* 137, *seu* 78, *et* 138, *seu* 122, *clero simul et populo inscriptæ sunt.*

u *Quatuor reperio Epistolas ad Aurelium Carthaginensem datas : at plures deinde memorat Possidius, ita ut aliquæ videantur excidisse. Prima temporis ordine est* 148, *seu* 22; *secunda* 77, *seu* 41; *tertia* 76, *seu* 60; *quarta præfixa est libris de Trinitate, ac Benedictinis est* 174. *Porro in Ms. nostro hic tantum semel habetur*, Item F ipsi.

x *Quatuor reperiuntur ad Alypium datæ, at sexies ejus nomen ponitur in Indiculo, ita ut videantur duæ deperditæ. Quatuor autem illæ sunt* 29 *Benedictinorum*, *quæ desideratur apud Lovanienses : et* 239 *Lovaniensium, nunc* 83; 224, *seu* 125; *et* 67, *seu* 227.

y *Est prolixa Epistola Lovaniensibus* 49, *Benedictinis* 102.

z *Extant octo ad S. Hieronymum, sed duas ex illis inter libros commemoravit cap.* 6. *Reliquæ sex sunt ordine temporis sequentes*, 8, *seu* 28; 9, *seu* 40; 12, *seu* 67; 10, *seu* 71; 15, *seu* 73; *et* 19, *seu* 82.

aa *Reperiuntur hæ octo apud Benedictinos, apud Lovanienses vero desiderantur duæ. Accipe illas ordine temporis. Prima est* 32, *seu* 27; *sequuntur* 34, *seu* 31; *Benedictinorum* 42; *apud eosdem* 45; *tum apud Lovanienses* 65, *illis* 80; 250, *seu* 95; 59 *seu* 149; *et* 106, *seu* 186. *Porro aliquæ ex his inscriptæ* Paulino et Therasiæ, *aliquæ Alypii simul nomine datæ.*

bb *Hæc est Epistola* 170, *seu* 52. *Sequens vero, quæ Fortunati quoque et Alypii nomine ab* Augustino

A Augustino *scripta est contra Donatistas, est verosimiliter* 165, *seu* 53. *Exstat tamen et alia* Generoso *alteri inscripta, et memoranda inferius. Porro in Ms. nostro pro* Generoso *legitur* Genesio, *mendose, opinor, cum nulla reperiatur ad Genesium.*

cc *Est Epistola* 45, *seu* 127.

dd Fossatens. codex *habet*, Et Johauno. Alii quidam Mss., Et Joviano, *aiunt Benedictini. Codex noster :* Jobiano et Jobiano et ceteris. *At quomodocumque legatur, ignota est hæc epistola.*

ee *Aliquot Mss. apud Benedictinos*, Evodio episcopo tres. *Porro habentur quatuor ad Evodium, ex quibus una ignota potuit esse Possidio, ut fuerunt plures aliæ. Sunt hæ* 100, *seu* 159 ; 101, *seu* 162 ; 99, *seu* 164 ; *et* 102, *seu* 169.

ff *Hæc est apud Lovanienses* 121, *alias* 130. *Ex duabus sequentibus una tantum exstat* 156, *seu* 131.

gg *Est hæc* 179, *seu* 150. *Sequens est liber* de Bono viduitatis *apud Lovanienses tom.* 4, *apud Benedictinos tom.* 6. *De hisce quoque in Comment.* § 45.

B hh *Exstant quidem tres Epistolæ, quæ inscribuntur* Honorato. *Sed una ex illis inter libros computata, jam recensita est cap.* 6. *Nec constat de duabus aliis, an utraque sit memorata : nam diversi videntur Honorati, ad quos illæ datæ. Etenim* 161, *seu* 49, *data est ad Honoratum episcopum Donatistam ; et* 180, *seu* 228, *scripta est ad Honoratum episcopum Catholicum, qui ab altero diversus est, nisi forsan ille fuerit conversus.*

ii Sic tres Mss. Alii vero cum editis, Flactiano exnotario, *inquiunt Benedictini. Codex noster habet cum hac editione,* Flacciano. *Ac deinde :* Nectario quatuor. *Sic hæc genuina sit lectio, excidit Epistola* ad Flactianum, *seu* Flaccianum, *et duæ ex quatuor ad Nectarium similiter exciderunt : nam exstant ad ipsum duæ, videlicet* 202, *seu* 91 ; *et* 254, *seu* 104.

kk *Est Epistola* 60, *seu* 86. *Ad Publicolam exstat solum* 154, *seu* 47. *Epistola vero ad Orontium est* 123, *seu* 257.

ll *Duæ exstant ad Olympium, quæ apud Lovanienses sunt* 124 *et* 129, *apud Benedictinos* 96 *et* 97. *Altera autem mox infra memorabitur illis verbis,* Item Olympio, *quæ desiderantur apud*

C *Lovanienses, sed addita sunt a Benedictinis ex Mss., et in nostro etiam Ms. reperiuntur.*

mm *Hæc* 125, *seu* 259. *De sequente vide dicta ad litteram* k : *de duabus vero ad plebem propriam ad litteram* t.

nn *Ad Paulum una exstat* 216, *seu* 85, *jam superius memorata. Latent aliæ.*

oo *Dubium est, an his verbis duo significentur, an unus, propter varietatem Mss. Audi observationes Benedictinorum :* In tribus Mss. omissum, PRÆSIDI. Hoc tres optimæ notæ Mss. habent : cujus loco in uno Carnotensi codice substitutum, CRESIMI : apud Lov. CRESENTI : in editione Ulim, ERISCORO. Huic autem Theodoro duo Mss. præmittant, CRISINO. *In codice nostro legitur post Theodorum* Cresimi. *Porro exstat Epistola ad Theodorum, quæ Lovaniensium est* 223, *Benedictinorum* 61 : *at ex illa satis liquet, Theodorum non fuisse præsidem. Improbanda igitur videtur lectio hæc,* Theodoro præsidi, *et potius videntur designatæ duæ personæ. Cum autem habeatur Epistola* 83, *seu* 244, *quæ inscribitur* Chrysimo, Chrisimo *vel* Chirssimo, *et nulla legatur* Crescenti *inscripta, legendum suspicor* Chrisimi *aut* Chrisimo, *illamque ipsam epistolam hic designatam.*

pp *Est hæc Epistola* 217, *seu* 59. *Duæ leguntur ad Celerem datæ, nimirum* 237 *et* 210 *Lovaniensium, quæ alias sunt* 56 *et* 57. *In uno codice Carnotensi, uti et in nostro, pro* Celeri *legitur* Celerino. *Epistolam unam ad Cæcilianum assignavi ad* kk : *si sequens diversa sit, latet hactenus.*

qq *Reperiuntur tres epistolæ ad Severum episcopum datæ. At Possidius quinque enumerat interpolatis vicibus, ita ut aliæ videantur excidisse. Quæ exstant, sunt* 241, *seu* 62 ; 240, *seu* 63, *et* 135, *seu* 110.

rr *Est Epistola* 242, *seu* 84. Hic duo Mss. addunt, *inquiunt Benedictini*, Item ipsi. *At nulla alia exstat ad* Novatum. *Sequens est* 217, *seu* 252. *Duæ post hanc sequentes,* Adeodato *et* Catulino *inscriptæ, exciderunt. Pro* Catulino *in Ms. nostro est,* Catulliano.

ss *Ad Eusebium leguntur duæ, sed illæ memoratæ sunt cap.* 3, *et assignatæ ibidem ad* aa. *Hæc forsan est deperdita ; uti et sequens interiit. Porro de Epistolis ad Aurelium vide dicta ad* E *litteram* u. *Quæ notatur ad Placentinum, excidit.*

tt *Lovanienses habent,* Eleusianæ, *sed mendose, opinor. Nam exstat Epistola* Seleucianæ *inscripta, quæ est* 108, *seu* 265.

uu Severo, *non additur,* episcopo, *uti solet in aliis ad Severum episcopum Milevitanum. At Epistola illa nullibi comparet.*

xx *Duo Mss. Benedictinorum cum nostro* Memorio episcopo, *qui infra recurrit. Exstat una ad Memorium* 321, *seu* 101.

yy Forte Asellico, *aiunt Benedictini. Ad Asellicum est* 200, *seu* 196. *Tres sequentes non comparent. At notant Benedictini, pro* Avitæ *legi etiam* Avitatæ *et* Habitatæ.

zz *Hæc est* 132, *seu* 266. *Sequens desideratur.*

aaa *Exstat ad Innocentium Papam Epistola Concilii Carthaginensis nomine ab* Augustino *verosimiliter scripta, uti et altera Concilii Milevitani, et tertia nomine Aurelii, Alypii,* Augustini, *Evodii, et Possidii. Prima est* 90, *seu* 175, *altera* 92, *seu* 176 ; *et tertia* 95, *seu* 177. *Omnes tres videntur esse* Augustini, *et revera bis infra repetitur,* Innocentio episcopo. *Porro qua-* F *tuor sequentes exciderunt. Sed observant Benedictini pro* Præfectis Italiæ *in tribus Mss. legi, uti et in nostro habetur,* Præfectis Italicæ, *et in aliis tribus,* Præfecto Italiæ. *Præterea notant, post vocem* Crescenti *in tribus Mss. omitti* episcopo, *quæ vox in nostro etiam omittitur. De* Alypio *consule dicta ad litteram* x. *Pro* Alypio *codex noster cum uno Carnotensi habet,* Olympio.

bbb *Observant hic Benedictini sequentia : Duo Mss.,* Restituto episcopo. *Unus Carnot.* Restituto diacono *et* Restituto episcopo, *(huic noster consonat,)* Fossatensis, Restito diacono, Restuto, Marario, Domnioni etc. *Exstat Epistola ad Restitutum diaconum, quæ est* 69, *seu* 249. *Nullam invenio ad Restitutum episcopum : nullam item ad Macarium aut Domnionem. Pro* Macario *forte legendum* Macrobio *suspicantur Benedictini : at id verisimile non est, cum duæ ad Macrobium memoratæ sint cap.* 3. *Exciderunt igitur illæ, uti etiam duæ sequentes ad* Viventium, *et ad* Delphinum.

ccc *Fossatensis codex,* Pammatico. *Verum exstat Epistola ad* Pammachium, *quæ est* 134, *seu* 58. *At exciderunt duæ sequentes, et quæ mox sequitur,*

A. S. Possidio. *sequitur*, Gerontio *scripta. De Aurelio jam egimus.*

ddd Forte Maximino, *notant in margine Benedictini. Verum Epistola, quæ exstat ad Maximinum episcopum Donatistam, recensita est cap.* 3. *De sequenti vide ad litteras* qq.

eee *Codex noster cum variis Mss. et editione Lovaniensium*, Hilariano. *Est hæc Epistola* 136, *seu* 77. *De quatuor sequentibus supra egimus.*

fff *In Ms. nostro* Maximiano, *in uno Carnotensi*, Maximino. *Colbertinus vero et Cassaniensis apud Benedictinos, tres titulos conjungunt hoc modo:* Maximo et Burnio (*vel* Burnio) presbyteris propriis. *Exstat ad Maximum Epistola* 66, *seu* 170, *quam putamus hic designatam, alias vero duas excidisse, uti et sequentem ad Macarium, cum duabus subjunctis: nisi forsan illa, quæ* Presbyteris propriis *fuit scripta, sit una ex illis, quæ ad clerum et plebem Hisponensem sunt datæ. Vide ad litteram* t. *Porro infra repetitur*, Maximo, *et ediderunt Benedictini post omnes Epistolas fragmentum Epistolæ ad Maximum, quæ indicari potuit.*

ggg *De Memorio egimus ad* xx. *Sequens excidit. De Severo ad* qq. *De Novato ad* rr. *Quæ deinde sequuntur usque ad vocem* Oratori, *pro qua codex noster cum uno Carnotensi* Aratori, *et alius*, Oratorio, *omnes sunt ignotæ. De Aurelio autem supra ad litteram* u.

hhh *Hæc item excidit cum quinque sequentibus usque ad* Maximum, *de quo mox egimus. Excidit et sequens ad Samsucium. Porro pro* Pelagasio et Vagulo, *codex noster habet*, Pegasio et Bagulo. *Tres vero apud Benedictinos*, Pegasio, *alii tres*, Pelgasio, *unus*, et Vagulo.

iii *Hæc est* 73, *seu* 245. *Quæ deinde post aliquot sequitur, ad Sebastianum monachum est* 145, *seu* 248 *jam superius memorata, nisi una ad Sebastianum lateat. Intermediæ sunt ignotæ, excepta forsan una ad Aurelium, de quo egimus.*

kkk *Lovanienses* Pristino *cum plerisque Mss., ut fatentur Benedictini. At maluerunt sequi duos codices Carnotenses, in quibus legitur*, Cristino, *quia inferius repetitur*, Item Cristino. *Codex noster etiam habet*, Cristino. *Una habetur* ad Christinum 226, *seu* 256. *Excidit igitur una, vel* Pristino, *vel* Cristino *scripta. Latet quoque sequens, cum una* ad Felicem *data, nisi illa, quam ad* rr *assignavimus* Felici *inscripta, hic repetatur. Sequentes deinde duæ exciderunt.*

lll *Codex noster* Addaci grammatico. *Apud Benedictinos alter* Adaci, *alter*, Saddaci, *et deinde*, Grammatico. *Sed præferenda vulgaris lectio. Exstat Epistola ad Audacem, quæ* 140 *est*, *seu* 261; *eique præmittitur Audacis Epistola, ex qua satis colligitur et grammaticum fuisse, et alteram prius ab* Augustino *accepisse Epistolam, quæ latet hactenus; uti et sequens* Acatio *inscripta, apud Lovanienses* Agatio

mmm *Est hæc Epistola* 229, *seu* 113. *Quæ deinde* Albinæ *inscribitur, est* 225, *seu* 126 : *quæ* Apringio, *est* 160, *seu* 134. *De* Christino *mox actum.*

nnn *Hæc est* 227, *seu* 124 : *sequens vero* 211, *seu* 247 : *ad Pancharium est* 212, *seu* 251 ; *ad Florentinum* 228, *seu* 114. *Unam ad Romulum mox memoratam assignavimus: nisi hæc repetita hic sit, altera excidit.*

ooo *Est hæc* 230, *seu* 115; *sequens* 231, *seu* 116 : *alium ad alterum Generosum assignavimus ad litteras* bb. *Ad Benenatum ambæ exstant, videlicet* 332 *et* 233, *seu* 253 *et* 254. *Ad Rusticum quoque legitur* 234, *seu* 255.

ppp *Quatuor Mss. apud Benedictinos cum codice nostro*, Quintiliano presbytero. *Verum vulgaris lectio præferenda: nam exstat ad Quintianum presbyterum Epistola* 235, *seu* 64. *Ad Xantippum vero est* 236, *seu* 65. *De Aurelio actum.*

qqq Unus e Carnot. Mss., *inquiunt Benedictini*, Item Celeri, *quod in nostro etiam codice legitur. Hæc forsan lectio vulgari præferenda, cum duæ exstent epistolæ ad Celerem, quas assignavi ad litteras* pp, *et ex quibus una tantum ibidem memorata. Ad Castorium exstat* 238, *seu* 69.

rrr *Exstat gemina ad Italicam, videlicet* 6, *seu* 92 ; *et* 133, *seu* 99. *Sequens est* 243, *seu* 246. *Ad Fabiolam est* 206, *seu* 267 : *ad Naucellionem* 207, *seu* 70. *Tres tum, sequentes non comparent.*

fff *Hæc est* 141, *seu* 264 ; *sequens* 199, *seu* 262 : *postrema excidit.*

CAPUT VIII.

Tractatus diversi.

De charitate et timore casto *a*.
De spe *b*.
De eo, quod scriptum *c* est, Jugum meum suave est, et sarcina mea levis est.
De placendo et non *d* placendo hominibus.
De eo, quod scriptum est, Ille arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio.
Tractatus de Psalmo trigesimo *e* quarto, non toto.
De generationibus *f* secundum Matthæum et Lucam.
De Jacob et Esau.
De duobus cæcis.
De filio Abrahæ *g* ducto ad sacrificium.
Item de Abraham, vel ejus filiis duobus
De tribus virgis Jacob, et de Psalmo vigesimo primo non toto.
De decem choris *h*.
De utilitate agendæ *i* pœnitentiæ.
De Goliath et *k* David, et de contemptu mundi.
De peregrinatione Christianorum, quæ in hæc vita est.
De centum quinquaginta *l* tribus piscibus, ex Euangelio Joannis.
27. De judicio Salomonis *m* inter duas mulieres meretrices.
Ad *n* juvenes de die octavarum infantium, duo.
De versu Psalmi, Deus *o* canticum novum cantabo tibi.
De cantico Isaiæ.
De cantico *p* Exodi.
De Psalmo decimo septimo, et Joannis apostoli epistola.
De Psalmo vigesimo primo *q*, et epistola beati Petri apostoli.
De responsorio Psalmi, Da nobis auxilium de tribulatione; et vana salus hominis.
Sermo, in quo multæ propositæ sunt quæstiones, sed una soluta est.
Alius, in quo quæstiones propositæ ex Actibus *r* Apostolorum et Euangelio solvuntur.
De vocatione apostoli Pauli, et commendatione Dominicæ orationis.
De eo quod Petrus in mari *f* titubavit.
De Psalmo quadragesimo quarto *t* non toto.

De

A De depositione Cyri episcopi Carthaginis.
De novissimo die.
u De Psalmo septuagesimo primo *u* non toto.
x De natali S. Joannis, de *x* voce et verbo.
De Apostolo, Finis enim legis Christus: et de versu Psalmi nonagesimi.
De Euangelio, Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.
De venatoribus Dei et sæculi.
De versu Psalmi centesimi tertii.
y 28. De muliere curva, decem et octo *y* annos habente in infirmitate.
De eo, quod ait in Ecclesiastico, Omne animal diligit simile sibi, et omnis caro ad similem sibi conjungitur, et si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.
De Apostolo ubi ait, Credenti in eum, qui justificat impium; et, Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, etc.
De versu Psalmi quinquagesimi secundi in natali martyrum.
z De versu Psalmi sexagesimi *z* septimi, Sicut deficit fumus, deficiant, etc.
Ex eo quod Apostolus ait, Secundum justitiam quæ ex lege est, qui fuerim * sine querela; et de versu Psalmi centesimi quadragesimi secun- B di.
* Lov. conversatus
De versu Psalmi vigesimi quarti, Vias tuas, Domine, ostende * mihi, etc.
* Lov. demonstra
De versu Psalmi quadragesimi primi, Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, etc.
De versu Psalmi centesimi noni, ubi ait, Tecum principium in die virtutis tuæ; et de Melchisedech.
De Apostolo, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?
De muliere, quæ fluxum sanguinis patiebatur; et de Jeremia, ubi ait, Accepit lumbare lineum, et abscondit eum in petra.
De Apostolo, Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo.
De depositione Restituti episcopi Carthaginis.
aa 29. De Euangelio, Ecce ego *aa* mitto vos sicut oves in medio luporum, etc.
De obedientia.
bb De utilitate *bb* jejunii.
Item de utilitate agendæ pœnitentiæ, et de versu C Psalmi quinquagesimi, Miserere mei Deus.
cc De quinque *cc* porticibus, ubi multitudo languentium jacebat; et de piscina Siloë.
Ex eo, quod scriptum est in Genesi, Fecisse Deum tertio die.
Item alius, de die quarto.
Alius, de die quinto.
Alius, de die sexto.
Alius, de die septimo.
De ebrietate Noë, et nudatione femorum ejus.
dd De luctatione Jacob *dd* cum angelo.
De virga conversa in serpentem, et manu colorata, et aqua in sanguinem.
Ex eo, quod ait Isaias, Qui autem dediti mihi erunt,
ee possidebunt terram *ee*, et hæreditabunt montem sanctum meum. Et de Apostolo, Has ergo promissiones habentes, charissimi, etc.
Ex Euangelio, de Pastore, mercenario, et fure.
ff De Apostolo *ff*, Nemo umquam carnem suam odio habuit. Et ex Euangelio, Qui amat animam suam, perdet eam.
gg 30. Ex eo, quod Apostolus ait, Nihil *gg* intulimus in hunc mundum; et versu Psalmi quinquagesimi, Miserere mei Deus.
Ex Euangelio, Agite pœnitentiam.

De Regnorum *hh*, ex eo, quod David intravit ad Bersabee, et maritum ejus occidendum curavit. A. S. Possidio. hh
De versu Psalmi trigesimi tertii, Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos: et de muliere in adulterio deprehensa, quæ Domino oblata est.
Ex Euangelio, Ego sum via, veritas, et vita *ii*. ii
Sermo habitus, cum pagani ingrederentur.
De Apostolo, O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei! et de versu Psalmi quinquagesimi noni, Deus repulisti nos, et destruxisti nos; et de versu Psalmi centesimi decimi octavi, Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas.
De versu Psalmi trigesimi, In te Domine speravi, non confundar in æternum.
De operibus misericordiæ.
Ex Euangelio Joannis, ubi regulum increpavit.
De caritate inquieta.
De responsorio * Psalmi centesimi trigesimi primi, Paravi lucernam Christo meo, etc. * Lov. Responsione
De responsorio Psalmi centesimi tertii, Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus, magnificatus es nimis. E
De responsorio Psalmi quinquagesimi primi, Speravi in misericordia Dei *. * Lovan. tua
De lectione Proverbiorum Salomonis, ab eo loco, ubi dictum est, Mulierem *kk* fortem quis inveniet; usque ad finem libri, hoc est, Et laudetur in portis vir ejus. kk
Ab eo, quod scriptum est in Proverbiis Salomonis, Sunt qui divites se affectant, nihil habentes; et sunt, qui se humiliant, cum sint divites: et, Redemptio animæ viri divitiæ ejus, pauper autem non suffert minas.
Item de eo, quod scriptum est in Proverbiis, Fili *ll*, si sapiens fueris, tibi sapiens eris, et proximis tuis; si autem malus evaseris, solus hauries mala. ll
De eo, quod scriptum est in Euangelio, Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum; et *mm* in Salomone, Annuens oculis cum dolo, congregat hominibus mæstitiam; qui autem arguit palam, pacem facit. mm
De Euangelio, ubi Dominus interrogat Judæos; cujus dicerent Christum esse filium *nn*; et de vidua illa, quæ misit duo minuta in gazophylacium. nn
Ex Euangelio Matthæi, de thesauro in agro, et pretiosa margarita, et de reti misso in mare. F
Ex Euangelio, ubi Dominus tangi se noluit a Maria *oo*, eo quod nondum ascenderat ad Patrem. oo
Ex Euangelio, ubi Dominus oves suas Petro commendat.
De responsorio Psalmi quinquagesimi sexti, Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.
Ex Euangelio, ubi de divite *pp*, qui induebatur purpura et bysso, scriptum est. pp
De quadragesima ascensionis *qq* Domini. qq
De quinquagesima per vigilias *rr*, ex eo, quod scriptum est, In principio fecit Deus cælum et terram. rr
Item alius ejusdem diei *ss*, de responsorio Psalmi centesimi quadragesimi, Pone Domine custodiam ori meo. ss
De octo sententiis beatitudinum *tt*, ex Euangelio. tt
Item de die Pentecostes, ex eo, quod scriptum est in Tobia, A die Pentecostes, qui est sancta septimanarum.

De

A. S. Possidio. uu De Euangelio, ubi scriptum est Concorda *uu* eum adversario tuo, cum es cum illo in via.

Ex Apostolo, de homine vetere exuendo, et novo induendo; et de versu Psalmi vigesimi quinti.

Ex Euangelio, Videbo vos iterum, et gaudebit cor vestrum, etc.

ANNOTATA.

a *Quandoquidem exstant varii sermones* Augustini *de Charitate, varii etiam de timore, difficulter hic, ut in multis sequentibus, pro certo affirmari potest, quinam Possidii verbis designentur. Verumtamen verba hæc satis congruunt sermoni* 214 *de Tempore, qui apud Benedictinos est* 348.

b *Videtur designari sermo* 23 *de Verbis Apostoli, apud Benedictinos* 157.

c *Congruit titulus sermoni* 9 *de Verbis Domini, alias* 70; *nisi hic designetur, excidit.*

d *Hic est sermo* 2 *de Verbis Domini, qui apud Benedictinos* 54: *sequens vero* 61 *de Verbis Domi-* B *ni, alias* 144.

e *Hic sermo mihi ignotus, nisi forte sit* 114 *de Diversis, seu* 313 *Benedictinorum, qui ponunt quintum* in Natali sancti Cypriani martyris, *in quo quatuor tantum sermones recensel Possidius cap.* 10. *Certe in illo exponitur pars quædam Psalmi* 134.

f *Hic est sermo* 63 *de Diversis, seu* 51 *Benedictinorum : sequens autem* 44 *de Diversis, seu* 4 *Benedictinorum : tum sequitur* 18 *de Diversis, seu* 88.

g *Est hic* 72 *de Tempore,* 2 *Benedictinis : sequens videtur esse ille, cujus fragmentum dederunt Benedictini pro sermone* 3. *Tum sequens* de tribus virgis Jacob *etc. latel hactenus. Attamen Benedictini duo dant fragmenta, primum ex Beda et Floro* I *Cor.* I, *alterum ex Beda nondum vulgato ad* I *Tessal.* 2, *quæ asserunt ex hoc sermone desumpta. Vide eorum fragmenta sermonibus subjecta tom.* 5 *in fine.*

h *Ediderunt hunc sermonem Lovanienses tom.* 9, *ubi* liber *vocatur: Benedictinis est sermo* 9.

i *Exstant duo sermones hoc titulo insigniti, nimirum apud Lovanienses inter Homilias* 50 *homilia* 27, *seu sermo Benedictinorum* 352; *et homi-* C *lia* 50, *seu sermo Benedictinorum* 351 : *alterum deinde designat Possidius his verbis* : Item de Utilitate agendæ pœnitentiæ, et de versu Psalmi quinquagesimi, Miserere mei Deus. *Difficulter autem dici potest, uter prioribus verbis designatus fuerit, uter posterioribus; cum in utroque sermone quædam exponantur ex Psalmo* Miserere. *Verumtamen duos prædictos sermones designatos putem.*

k *Apud Lovanienses est sermo* 20 *de Diversis, apud Benedictinos sermo* 32, *sequens est Benedictinis sermo* 346, *ab ipsis primum editus.*

l *Apud Lovanienses sermo* 148 *de Tempore, qui Benedictinis est* 248, *huic titulo consonat. Verum sequuntur quatuor alii sermones ejusdem argumenti apud Benedictinos, nimirum* 249, 250, 251, 252, *qui sunt ex Vignerianis* 21 *et* 22, *ac de Diversis Lovaniensium* 4 *et* 5.

m *Exstat hoc titulo sermo Benedictinorum* 10, *ab ipsis primum vulgatus: sed ille jam recensitus est cap.* 3. *Bis ergo idem memoratus est, aut unus excidit.*

n *Hæ voces* Ad juvenes *apud Lovanienses junguntur præcedenti titulo. At in Ms. etiam nostro eum hoc titulo copulantur rectius, ut videtur.* D *Porro dies* octavarum infantium *non designat diem octavam festi Innocentium, sed diem octavam recenter baptizatorum, ita ut Paschali tempore sermones hi sint dicti. Repetit Possidius cap.* 10: De octavis infantium, tractatus duo. *Porro assignant Benedictini in margine sermones editionis suæ* 259, 260, 353 *et forte* 391. *Primus est* 19 *ex Sirmondianis, alter* XI *de Diversis apud Lovanienses, tertius ibidem inter Homilias est* 20, *et quartus eisdem* 246 *de Tempore. Ad hunc autem notant sequentia :* Hunc Lovanienses ambiguum habent, supposititium Verlinus censet ac Verdingus. Iste porro ab stylo Ambrosiano dicit non abhorrere : sed profecto ab Augustiniano priorum annorum haud abhorret magis. *Ita isti. Ad mihi stylus floridior et comptior apparet, quam sit stylus* Augustini *etiam junioris. De hoc igitur sermone merito dubitatur, cum stylus meo etiam judicio Ambrosium magis referat. Posset etiam designari sermo* 160 *de Tempore, seu* 376, *dictus* Dominica in octavis Paschæ, *in quo cap.* 2 *dicit :* Hodie octavæ dicuntur infantium. *Sed et hic dubius est.*

o *Hic est sermo de Diversis* 18, *Benedictinis* 33. E *Sequens mihi ignotus.*

p *Hic ex Sirmondianis* 2, *apud Benedictinos* 363, *sed mutilus, ut videtur. Sequentem assignare nequeo.*

q *Codex noster cum uno Carnotensi*, vigesimo secundo. *At nec hunc sermonem, nec duos sequentes invenio.*

r *Est hic sermo* 26 *de Diversis, Benedictinis* 149: *sequens* 34 *de Diversis, alias* 278.

f *Est sermo* 13 *de Verbis Domini, alias* 76.

t *Tres Mss. apud Benedictinos,* Quadragesimo tertio; *unus Carnotensis cum nostro,* Quadragesimo quinto; *Beccensis,* Quadragesimo sexto. *Idem Beccensis pro* Cyri *habel* Quirini: *duo Carnotenses eum nostro,* Quiri. *Lovanienses cum Ms. nostro pro* Carthaginis, *habent* Carthaginensis. *Porro duos hosce sermones non invenio. At, qui sequitur* de Novissimo die, *videtur esse* 21 *de Verbis Domini, alias* 97.

u *Hic sermo mihi ignotus. Post hunc titulum apud Lovanienses legitur:* De Psalmo octuagesimo primo non toto. *Id videtur redundare.*

x *Lovanienses hunc titulum in duos diviserunt : atque ita dividi videtur in codice nostro.* F *Verisimilius tamen est, non nisi unum esse : nam sermo* 23 *ex Sirmondianis, qui apud Benedictinos est* 288, *clare hoc titulo designatur. Quatuor sequentes ignoti sunt. At ubi hic legitur,* Psalmi nonagesimi, *Lovanienses habent,* Nonagesimi primi.

y *Lovanienses mendose,* Decem et septem annos habens *etc. Est autem hic sermo* 31 *de Verbis Domini, seu* 110 *Benedictinorum. Ignoti sunt tres sequentes. In tertio autem pro* Quinquagesimi primi, *legitur in duobus Mss.* Psalmi sexti, *aiunt Benedictini.*

z *Est hic sermo* 109 *de Tempore, aliis* 22. *Sequens vero* 49 *de Tempore, seu* 170. *Septem, qui deinde sequuntur, hactenus ignoti sunt.*

aa *Est sermo* 119 *de Diversis, Benedictinis* 64. *Sequentem non reperio.*

bb *Exstat hic sermo apud Lovanienses tom.* 9 *pag.* 326, *apud Benedictinos autem tom.* 6. *De sequenti vide dicta ad litteram* i.

cc *Est hic sermo inter Sirmondianos* 15, *apud Benedictinos* 125. *At de sex sequentibus nihil reperio.*

dd *Hic*

A dd *Hic est sermo* I *inter Sirmondianos, Benedictinis* 5. *Sequens est* 17 *de Diversis, aliis* 6.

ee *Lovanienses habent*, Qui autem serviunt mihi, erunt possidentes *etc.* : *dein separant sequentia*, et de Apostolo *etc.* *Verum est unus tantum sermo inter Sirmondianos* 12, *apud Benedictinos* 45. *Sequens est* 49 *de Verbis Domini, seu* 137.

ff *Hic est sermo* 37 *inter Homilias quinquaginta*, *seu* 368. *Lovanienses titulum perperam diviserunt in duos.*

gg *Sermo Benedictinorum* 177 *optime explet primam partem hujus tituli : at nihil habet de versu*, Miserere mei Deus. *Forsan his verbis indicatus fuerit alius sermo, aut illa conjungenda sunt cum sequenti titulo*, Ex Euangelio agite pœnitentiam, *prout conjunguntur in Ms. nostro per* et *interpositum. Quidquid fuerit*, *de aliis istis seu titulis seu ejusdem tituli partibus nihil invenio.*

hh *Lovanienses*, De regno cælorum *habent pro titulo separato* : *at genuina videtur lectio*, De Regnorum, *subaudi*, libro. *Attamen sermonem hunc non reperio, uti nec sequentem.*

B ii *Hunc rursus titulum in duos distraxerunt Lovanienses. At sermo* 55 *de Verbis Domini, alias* 145, *utramque satis implet tituli partem Verum octo sequentes sermones videntur latere.*

kk *Hic est sermo* 45 *de Diversis, apud Benedictinos* 37. *Sequens est* 212 *de Tempore, alias* 36. *In cujus titulo hic pro*, Qui divites se affectant, *Lovanienses habent*, Qui divites se efficiunt.

ll *Hic est sermo* 10 *inter Sirmondianos, apud Benedictinos* 35.

mm *Sequentia verba pro alio titulo ponunt Lovanienses* ; *et pro*, Annuens oculis, *quod in Ms. nostro*, Intuens oculis, *habent*, Intuens oculos. *Porro sermo* 16 *de Verbis Domini*, *qui apud Benedictinos* 82, *totum hunc exhibet titulum.*

nn *Est sermo* 234 *de Tempore, seu* 91, *sed de parte posteriore, seu de vidua illa non agit ille sermo*, *ita ut iis verbis alius forsan designetur. Sequentem sermonem non reperio.*

C oo *Hic est sermo* 6 *de Diversis, seu* 243 : *sequens vero* 62 *de Verbis Domini, seu* 146. *De titulo deinde sequente nihil reperio.*

pp *Huic titulo congruit sermo* 25 *de Verbis Domini, qui est apud Benedictinos* 367. *At dubitant Lovanienses*, *an sit genuinus* Augustini *sermo. Asserunt quidem Benedictini in omnibus Mss.* Augustino *attribui* ; *verumtamen et ipsi dubitant ob stylum, qui cum stylo* Augustini *non concordat* ; *uti et mihi apparet. Itaque malim existimare, designari sermonem* XI *ex Sirmondianis, qui apud Benedictinos* 41 : *nam et huic titulus satis congruit*, *etiamsi alium præferat in editis.*

qq *In Ms. nostro additur,* duos *esse tractatus* : *at* duo *in editis non invenio. Porro per* quadragesimam, *nempe diem*, *intelligitur dies Ascensionis Domini. Exstant autem apud Benedictinos quinque sermones de die illa*, *videlicet* 261 *et quatuor sequentes*, *ex quibus Lovanienses habent tres primos*, *puta* 12, 13 *et* 90 *de Diversis* ; *quartus autem primum a Benedictinis fuit editus, et quintus est inter additos a Parisiensibus* 6. *Itaque si vox* duo *recte addita sit hoc loco in Ms. nostro*, *hosce omnes quinque recensuit Possidius* : *nam cap.* 9 *alterum de eodem die memorat*, *et duos rursum cap.* 10. *Exstat tamen et alius apud Benedictinos, ubi est* 377, in Ascensione Domini *inscriptus, sed ille apud Lovanienses, ubi est* 57 *de Diversis, inscribitur* de Nativitate Domini, *et minus certo est* Augustini. *Prætered sermonem perbrevem* de Ascensione Domini *post fragmenta ediderunt Benedictini.* A. S Possidio.

rr *Hunc titulum in duos distrahunt Lovanienses. Verum idem infra recurrit cap.* 9, *mutatis tantum verbis, hoc modo* : De die Pentecostes *(quod hic*, Quinquagesima) per vigilias, ex eo quod scriptum est, in principio *etc. At nullus comparet sermo de die Pentecostes*, *in quo prima Geneseos verba* In principio *etc. exponuntur, sive unus*, *sive duo fuerint in hanc sententiam dicti.*

ss *Hunc rursus dividunt Lovanienses. Videretur autem designari sermo* 3 *de Diversis, seu* 29, *cum in eo explicentur verba* : Pone Domine custodiam *etc.*, *nisi is clare assignaretur mox cap.* 9 *aliis verbis.*

tt *Congruit utcumque titulus sermoni* 14 *inter additos a Parisiensibus*, *apud Benedictinos* 53. *Nisi hic infra designetur cap.* 9 *his verbis* : Ex Euangelio de beatitudinibus. *Sequens vero non invenitur.* E

uu *Est sermo* I *de Verbis Domini, seu* 109. *Duos sequentes assignare nequeo.*

CAPUT IX.

De Natali *a* Domini. a
De die quadragesima Adscensionis Domini.
Ex Euangelio, quod scriptum est *b*, Messis multa, usque ad id, quod ait, Pax vestra ad vos revertetur. b
Ex Euangelio, de thesauro in cælo condendo.
Ex Euangelio, ubi Jesus dicit discipulis suis, Usque nunc nihil petistis in nomine meo.
De die natali martyrum Casti et Æmilii.
De die Pentecostes, de versu Psalmi centesimi quadragesimi, Emendabit me justus in misericordia.
Item de eodem die, de versu Psalmi centesimi decimi septimi, Confitemini Domino, quoniam bonus est.
De flamma in rubo *c* in Exodo, eo quod non comburebatur. c
Per jejunium quinquagesimæ, de versu Psalmi centesimi quarti, Lætetur cor quærentium Dominum. F
Item de versu per jejunium quinquagesimæ Psalmi centesimi decimi quinti, Ego dixi in pavore meo, Omnis homo mendax.
Ex Euangelio, ubi Jesus non se adscensurum *d* ad diem festum dixerat, et tamen ascendit. d
Ex epistola ad Galatas, ubi Paulus Petrum reprehendit.
Ex Euangelio, ubi Jesus arborem arefecit, et de illo, ubi se finxit longius ire.
De avaritia *e*. e
De Apostolo ubi ait, Qui gloriatur, in Domino glorietur ; et de versu Psalmi septuagesimi, In tua justitia erue me et exime me.
De Euangelio, ubi Domino Martha *f* ministrabat. f
De natali Joannis *g* Baptistæ. g
De natali SS. Apostolorum Petri *h* et Pauli. h
Ex Euangelio, de dilectione *i* Dei et proximi. i
Ex Euangelio, ubi Pharisæi Dominum interrogant, Si licet uxorem quacumque ex causa dimittere.

AUCTORE J. S.

De Apostolo, ubi ait, Quis *k* nos separabit a charitate Christi?

Ex Euangelio, Qui nou odit patrem et matrem, etc.

Per natalem Catulliui.

Per natalem sanctorum martyrum Scyllitanorum, tractatus *l* duo.

Ex Euangelio, ubi ait Jesus, Impleta sunt tempora, et appropinquabit regnum Dei, pœnitemini, et credite Euangelio.

Ex Euangelio, Aut facite arborem *m* bonam et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum.

Per natalem S. martyris *n* Laurentii.

Ex Euangelio, de muliere, quæ decem et octo anuos curvata erat; et de his, super quos turris ceciderat.

34. Per natalem *o* martyrum Massæ candidæ.

Per natalem martyris Quadrati.

Ex Euangelio, Ego sum panis, qui de cœlo descendi; et Operamini escam, nou quæ perit, sed quæ permanet in æternum.

De versu Psalmi decimi septimi, Disciplina tua me direxit iu finem, et disciplina tua ipsa me do-
B cebit.

De versu Psalmi decimi noui, Mittat tibi auxilium de sancto.

De Euangelio, ubi ait, Nolite *p* timere eos, qui occidunt corpus, etc.

Ex Euangelio de beatitudinibus.

De uatali S. *q* Vincentii.

De versu Psalmi quadragesimi tertii, Quoniam propter te morte *r* afficimur etc.

Per natalem S. Agilæi.

De Euangelio, Venite *f* ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam.

Item ex eadem lectione, per natalem Carthæriensium.

De amore Dei *t*.

35. De euangelica lectione, ubi Domino jubente Petrus super mare ambulavit.

De ordinatione dieiu *u*, et depositione episcopi Florentii.

De episcopo eligendo et ordinando iu locum memorati.

De versu Psalmi septimi, Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

C De versu Psalmi septuagesimi tertii, Exurge Domine, judica causam meam, commemorare opprobriorum tuorum.

De versu Psalmi centesimi, Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domiue.

De epistola Joannis ad Parthos, sermones *x* decem.

De versu Psalmi octuagesimi secundi, Deus *y*, quis similis tibi erit? ne taceas neque mitescas Deus.

De natali S. Joannis Baptistæ.

De decem plagis, et decem *z* præceptis.

De lectione Euangelica.

De die natali martyrum.

Ex Euaugelio Lucæ, et de Actibus Apostolorum.

36. De versu Psalmi centesimi quadragesimi tertii, Deus canticum *aa* novum cantabo tibi etc.

De lectione Isaiæ, Domine, quis credidit auditui nostro?

Ex Euangelio, Qui amat animam suam, perdet eam.

De natali S. Joannis, tractatus duo.

De natali apostolorum Petri et Pauli.

De Euangelio, ubi Centurio *bb* Dominum rogat pro puero suo.

De adolescentium luxuria. D

De tribus *cc* mortuis a Domino resuscitatis.

Ex Euangelio, Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.

De eo, quod scriptum est, Quod oculus *dd* non vidit, etc.

De die Pentecostes per vigilias, ex eo, quod scriptum est, In principio fecit Deus cœlum et terram.

De Charitate, tractatus *ee* duo.

De versu Psalmi septuagesimi, Libera me de mauu peccatoris, etc.

De versu Psalmi septuagesimi quarti, Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, etc.

De versu Psalmi centesimi decimi septimi, Confitemini Domino, quoniam bonus est.

De retenta unitate ad senem Maximum.

ANNOTATA.

a *Addit alios septem de* Natali Domini *habitos initio cap.* 10. *Verumtamen plures exstant eo titulo insigniti. Benedictini inter sermones certos* 13 *recenset, videlicet* 184 *et duodecim sequentes, qui apud Lovanienses sunt* 56 *et* 62 *de Diversis*, 19, 27 *et* 25 *de Tempore*, *rursum* 55, 61 *et* E 60 *de Diversis*, 16 *de Tempore*, 58 *de Diversis*, 23 *et* 12 *de Tempore*, *et* 59 *de Diversis. Hisce laudati Benedictini addunt quatuor sermones dubios*, *nimirum* 369, 370, 371 *et* 372. *Primi duo ex illis sunt de Tempore* 5 *et* 20, *alii duo de Diversis* 52 *et* 54. *Assignari non potest, quinam designati sint a Possidio aut omissi: nam aliquos prætermisisse videtur, licet alioquin non omnes, quos inter certos ediderunt Benedictini, certa ab omnibus* Augustino *attribuantur, uti videre est in observationibus Benedictinorum. De sequenti titulo vide dicta cap.* 8 *ad litteras* qq.

b *Est hic sermo* 43 *de Sanctis, seu* 101: *sequens* 50 *de Tempore, seu* 60. *Deinde sequuntur inter editos ex Mss. Cartusiæ majoris*, 3 *apud Benedictinos* 145; 4 *inter editos ex dictis Mss.*, *seu* 285; 5 *ex eisdem Mss.*, *seu* 266; *et* 3 *de Diversis*, *seu* 39, *de quo supra locutus sum. At ibi notant Benedictini*, *legi in Mss.*: Confitemini Domino, quoniam BONUM est. *Noster* F *codex tamen habet cum editis*, quoniam bonus est.

c *Est hic sermo* 6 *inter editos ex Mss. Cartusiæ, apud Benedictinos* 7; *sequens ex iisdem Mss. est* 7, *seu* 28. *Qui deinde signatur*, *non comparet.*

d *Hic sermo inter editos ex memoratis Mss. est* 8, *seu* 133; *sequens latet. At tum subditur ex iisdem Mss.* 9, *seu* 89.

e *Videtur indicari sermo* 28 *de Diversis, seu* 107. *Sequens est* XI *inter editos ex Mss. Cartusiæ, alias* 160 *apud Benedictinos.*

f *Duo exstant sermones, quibus hic titulus congruit*, *videlicet* 26 *et* 27 *de Verbis Domini*, *qui* 103 *et* 104 *in editione Benedictinorum.*

g *De Natali S Joannis, qui ubique Baptista videtur, infra hoc capite recensentur adhuc sermones tres, et unus cap.* 10: *unus etiam reatus est cap.* 8 *cum addito*, de verbo et voce, *quem ibidem assignavimus ad litteram* x. *Ediderunt autem Benedictini inter sermones certos de Natali Joannis Baptistæ sermones* 7, *nimirum* 287 *cum sex sequentibus. Ex his unus est de* VERBO et voce: *sex alii sunt partim apud Lovanienses*, *partim in Supplemento Vignerii*; *apud*

A *apud illos videlicet* 40 *de Diversis*, 44 *inter Homilias quinquaginta*, *et* 23 *de Sanctis; apud Vignerium* 3, 4, *et* 5. *Addiderunt Benedictini inter sermones dubios in Nativitate Joannes Baptistæ duos*, 379 *et* 380, *qui item sunt apud Vignerium.*

h *Repetitur hic titulus inferius : at plures exstant sermones de Natali SS. Petri et Pauli, quam recenseantur a Possidio. Ediderunt Benedictini sermones quinque hujus tituli inter sermones certos, nimirum* 295 *cum quatuor sequentibus; quatuor primi sunt apud Lovanienses de Diversis* 108, 106, 107, *et* 41; *quintus est primum editus ab illis. Hisce apud Benedictinos accedit inter dubios sermo* 381, *qui* 6 *est ex Vignerianis.*

i *Hunc assignare nequeo, nec sequentem.*

k *Videtur esse sermo* 50 *de Sanctis, seu* 335. *Duos sequentes titulos non reperio : et uterque in*
B *Ms. nostro tamquam unus ponitur. Primo tamen ex iis utcumque congruit sermo* 31 *ex Sirmondianis, seu* 344 *apud Benedictinos.*

l Tractatus duo *hoc modo in pluribus est Mss., uti observant Benedictini : illis et codex noster consentit. In editione Lovaniensi vox* duo *omissa est, et vox* tractatus *sequenti annectitur titulo. At nec hi sermones reperiuntur, nec sequens.*

m *Hic est sermo* 12 *de Verbis Domini, alias* 72.

n *Exstant sermones quatuor de S. Laurentio martyre; videlicet* 111, 123, 37 *de Diversis, et* 26 *inter Sirmondianos, qui sunt apud Benedictinos* 302, 303, 304 *et* 305. *De sequenti titulo nihil reperio.*

o *Est sermo* 112 *de Diversis, alias* 306. *Quatuor subsequentes latent.*

p *Est sermo* 13 *inter additos a Parisiensibus, apud Benedictinos* 65. *Pro sequenti titulo vide dicta ad cap.* 8 *lit.* tt.

q *Recensentur bis* duo *cap.* 10 In Natali S. Vincentii, *ita ut sermones quinque videatur designare Possidius. Ex his autem quatuor ediderunt Benedictini, nempe* 272 *cum tribus sequentibus. Sunt hi alias inter additos additos a Parisiensibus* 8 *et* 9, 12 *de Sanctis et* 102 *de Diversis.*

r *Lovanienses*, mortificamur. *At ignotus est*
C *hic sermo æque ac sequens; in cujus titulo pro* Agilæi *alias legitur* Acuellei, Achillei *et* Agelei, *quemadmodum habet vetus Kalendarium Carthaginense* VIII *Kal. Feb., ut notant Benedictini.*

s *Est hic sermo* 10 *de Verbis Domini, seu* 69. *Verum sequens ignotus est. In codice Fossatensi pro* Carthæriensium *legitur* Cartharicnsium, *in nostro* Cartariensium. *In Kalendario Carthaginensi noti sunt Sancti* Cartcrienses IV *Nonas Feb.*

t *Potest esse sermo* 9 *de Verbis Domini, seu* 70, *in quo disputatur de amore Dei : res tamen satis incerta. Sequens videtur esse vel* 22 *de Diversis, seu* 75; *vel* 13 *de Verbis Domini, seu* 76.

u *Duo Mss.* Dei. *At ignotus mihi est sermo uti et quatuor sequentes.*

x *Exstant hi tractatus apud Lovanienses tom.* 9, *apud Benedictinos tom.* 3.

y *Est hic sermo* 6 *ex Sirmondianis, apud Benedictinos* 24. *Pro sequenti titulo actum est ad lit.* g.

z *Hujus fragmentum est sermo* 8 *apud Benedictinos.* De die Natali martyrum *exstant sermones* 10 *apud Benedictinos, nimirum* 326 *cum novem sequentibus. Inter hos ex Vignerianis* 30 *et* 33, *ex Sirmondianis* 27, 29 *et* 28, *de Diversis* 117 *et* 100, *inter Homilias quinquaginta* 14, *ac de Sanctis* 48 *et* 50. *At aliqui ex istis sunt designati aliis verbis.*

aa *Hic est sermo* 18 *de Diversis, alias* 33. *Sequenti titulo fortasse designatur sermo* 36 *ex Homiliis quinquaginta, apud Benedictinos* 44. *At mutilus est parte prima et posteriore. Sequens videtur esse* 100 *de Diversis, seu* 331, *in natali Martyrum habitus. De titulis duobus deinde sequentibus jam actum est supra.*

bb *Congruit titulus primæ parti sermonis* 4 *de Verbis Domini, seu* 62. *Sequens latere videtur, nisi forte designetur* 43 *de Diversis, seu* 86, *in quo de avaritia et luxuria disputatur.*

cc *Est sermo* 44 *de Verbis Domini, alias* 98. *Sequens autem est* 32 *ex Homiliis quinquaginta, seu* 126, *ac jam recensitus cap.* 5.

dd *Videtur esse* 64 *de Verbis Domini, alias* 127. *De sequenti titulo dictum ad cap.* 8 *litt.* rr.

ee *Sermo* 52 *et* 39 *de Tempore, alias* 349 *et* 350, *hic designari potuerunt, cum titulus concordet. Sequentes vero quatuor non reperio.* E
In titulo autem quarti pro voce Maximum, *duo codices Benedictinorum cum nostro habent* Maximinum.

CAPUT X.

De Natali *a* Domini, tractatus septem. a
De Epiphania *b*, tractatus septem. b
De quadragesima *c* ante Pascha, tractatus quinque. c
De Domini passione *d*, tractatus duo. d
Per vigilias Paschæ *e*, tractatus viginti tres. e
De symbolo *f*, tractatus tres.
De oratione *g* Dominica, unus. g
Exhortatorium *h* ad Competentes, tractatus unus. h
De octavis infantium, tractatus duo.
De Adscentione Domini, tractatus duo.
De Eucharistia *i*, tractatus unus. i
De adventu Spiritus *k* sancti, tractatus unus. k
De natali Apostolorum *l*, tractatus unus. l
De natali S. Vincentii, tractatus duo.
De natali episcopi *m*, tractatus unus. m
De natali S. Joannis, tractatus unus.
De natali S. Cypriani, tractatus *n* quatuor. n
De natali Perpetuæ *o* et Felicitatis, tractatus tres. o
De natali S. Salvii, tractatus unus. F
De natali S. Vincentii, tractatus duo.
De natali episcopi, tractatus unus.
De versu Psalmi centesimi trigesimi octavi *p*, Imperfectum meum viderunt oculi tui. p
De eleemosynis rerum spiritalium.
De ministerio rerum carnalium, quod fit in sanctos.
De eleemosynis, quæ fiunt in omnes.
De Samson *q*, et de versu Psalmi quinquagesimi septimi, Si vere ergo justitiam loquimini. q
De natali S. Victoris, et de versu Psalmi centesimi decimi quinti, Pretiosa in conspectu Domini.
De Susanna *r* et Joseph. r
De versu Psalmi centesimi trigesimi primi, Sacerdotes tui induantur justitiam.
De dedicatione ecclesiæ, tractatus *s* duo. s
De blasphemia *t* Spiritus sancti. t
De Cura *u* pro mortuis gerenda. u
Ad Dulcitium, liber unus.
De Continentia sermo unus.
Fient simul..... Ac *x* per hoc, quod memoratus S. Augustinus episcopus spiritu divino actus, x

A S. POSSIDIO. actus, in sancta Ecclesia Catholica, ad instructionem animarum fecit libros, tractatus, epistolas, numero mille triginta, exceptis iis, qui numerari *y* non possunt, quia nec numerum designavit ipsorum.

Explicit indicium librorum omnium venerabilis Augustini episcopi.

ANNOTATA.

a *Consule dicta ad cap.* 9 *lit.* a.

b *Jam quatuor tractatus de Epiphania contra paganos recensuit cap.* I. *Porro sermones sex de Epiphania inter certos ediderunt Benedictini, nimirum* 199 *et sequentes, qui sunt* 34, 30, 31 *et* 32 *de Tempore,* 64 *de Diversis, atque ex Vignerianis* 7. *Addiderunt hisce tres dubios* de Epiphania *similiter inscriptos, nimirum* 373 *cum duobus sequentibus, alias* 66 *et* 67 *de Diversis et* 9 *ex Vignerianis.*

c *Septem exstant sermones* in quadragesima *ante Pascha habiti. Sunt hi apud Lovanienses* 68, 70, 71, 72, 73, 74 *de Diversis, et* 40 *inter Homilias : apud Benedictinos vero* 205 *cum sex sequentibus.*

d *Alter ex his est sermo* 76 *de Diversis, seu* 218; *atterius quædam fragmenta ex Beda et Floro collegerunt Benedictini, post sermones edita.*

e *De Vigiliis Paschæ non exstant tot sermones : at plures simul in Paschate et diebus Paschalibus, de quibus nullam fieri mentionem, mirum apparet Porro quinque de Vigiliis Paschæ ediderunt Lovanienses ac Benedictini, videlicet* 77 *de Diversis cum sequentibus quatuor, alias* 219 *et sequentes.*

f *Quatuor sermones* de Symbolo, *seu* in traditione symboli *habent Benedictini, nimirum* 212 *cum tribus sequentibus : primus ex his est* 75 *de Diversis, alter* 119 *de Tempore, tertius recenter editus, quartus ex Vignerianis* 16.

g *De Oratione Dominica exstant sermones quatuor, nimirum* 48 *et* 9 *de Diversis,* 42 *inter Homilias, ac* 135 *de Tempore, qui sunt apud Benedictinos* 56 *et sequentes.*

h *Hic est sermo* 8 *de Diversis, seu* 216. *De duobus sequentibus titulis vide dicta ad cap.* 8 *lit.* n, *et* qq.

i *Videtur designari aut* 2 *de Verbis Apostoli, qui alias* 131, *aut* 16 *de Verbis Domini, seu* 132 : *in utroque enim disputatur de Eucharistia.*

k *Apud Benedictinos inter sermones certos exstant quinque* in Die Pentecostes *habiti* de Adventu Spiritus sancti, *et sextus* de Sacramento. *Sunt hi quinque* 267 *et sequentes, alias* 186 *de Tempore,* 20, 21 *et* 22 *ex Sirmondianis. ac* 151 *de Tempore. Accedit dubius unus, inter Vignerianos* 24, *apud Benedictinos* 378.

l Apostolorum *Petri et Pauli, opinor. De his actum ad cap.* 9 *lit.* h : *de sequenti titulo ibidem ad lit.* q.

m *Idem titulus mox repetitur. Exstant autem duo sermones sub titulo ;* In die ordinationis suæ, *qui hic videntur designati, cum dies anniversarius suscepti episcopatus vocaretur* Natalis episcopi. *Sunt illi* 25 *inter Homilias et* 39 *ex Sirmondianis, apud Benedictinos* 339 *et* 340. *De sequenti titulo actum est ad cap.* 9 *lit.* g.

n *In codice nostro clare habetur,* tractatus quinque, *et revera exstant totidem. Sunt hi inter additos a Parisiensibus* 12, *et de Diversis* 113, 115, 116, *et* 114 ; *apud Benedictinos* 309 *et quatuor sequentes.*

o *Sunt hi* 103, 104, *et* 105 *de Diversis, seu* 280, 281, *et* 282. *De sequenti titulo nihil reperio : duos vero inde sequentes jam assignavimus.*

p *Latet hic sermo. Tres quoque sequentes difficulter assignari possunt. Inter sermones dubios apud Benedictinos reperiuntur tres* de Faciendis eleemosynis *inscripti, nimirum* 388 *et duo sequentes, qui sunt alias* 19 *inter Homilias,* 40 *ex Sirmondianis, et* 15 *ex Vignerianis. In aliis etiam sermonibus frequenter eleemosynæ commendantur.*

q *Sermo* 107 *de tempore, Benedictinis* 364 *et dubius, inscribitur,* de Samsone, *sed in eo non exponuntur assignata Psalmi* 57 *verba Forsan pars est Sermonis hic designati. De sequenti nihil invenio.*

r *Videtur designari* 2 *inter editos ex Mss. Cartusiæ, apud Benedictinos* 343. *Sequens non comparet.*

s *Ediderunt Benedictini tres sermones,* In dedicatione ecclesiæ *dictos, videlicet* 336, 337, *et* 338. *Secundus ex illis dubius fuit Lovaniensibus, ut notant editores Benedictini, sed ipsi sincerum putant. Sunt alias* 256 *de Tempore,* 16 *et* 17 *inter additos a Parisiensibus.*

t *Est hic sermo* XI *de Verbis Domini, alias* 71.

u *Est liber, uti et duo sequentes. Exstant tria hæc Opuscula apud Lovanienses tom.* 4, *apud Benedictinos tom.* 6. *Adi Commentarium num.* 647 *et sequentibus.*

x Locus *est* mendosus in exemplaribus Mss. *inquiunt Benedictini. In nostro autem codice omnia hæc posteriora ignota sunt.*

y *Ex his verbis satis patet, multas Epistolas, Sermones, ac minora quædam Opuscula prætermissa esse a Possidio. Præ ceteris id mirum apparet de libris* de Prædestinatione Sanctorum, *et* de Dono Perseverantiæ, *quos constat certo esse Augustini, nec tamen hic enumeratos. Hinc collige, argumentum certum deduci non posse contra sinceritatem alicujus Opusculi ex eo, quod non recenseatur a Possidio, aut ab ipso* Augustino *in Retractationibus, cum uterque aliqua prætermiserit. Fateor tamen hujusmodi argumentum esse validum, ubi alia suppositionis concurrunt indicia. Ceterum examen de singulis Sancti Operibus, quæ exstant, aliis relinquo.*



DE

A D

DE S. BIBIANO SEU VIVIANO

EPISCOPO ET CONF.

SANTONIS IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

Sancti cultus antiquus : Acta triplicia : quænam ex illis præferenda et edenda : epistola nomine S. Augustini ad Bibianum edita.

Circa medium sæc. v. Antiquus Sancti cultus,

B

Quamquam nomen S. Bibiani, *seu* Viviani *aut* Vibiani, *episcopi Santonensis, quem* Julianum *quoque mendose nominatum reperias, minus hodie celebre videtur apud historiographos etiam Gallos, illustre tamen olim fuit, et a scriptoribus seculi* VI *celebratum, cultusque* Bibiani *antiquissimus. Memoria ipsius adscripta imprimis legitur Martyrologiis, S. Hieronymi nomine editis, ut videre est apud Florentinium, apud nos tom.* VII *Junii, aliosque, qui antiqua illa Martyrologia ediderunt, ad* XXVIII *Augusti. Deinde Ado Viennensis, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, aliique recentiores suis eum breviter Martyrologiis inseruerunt, uti et Romanum habet nunc usitatum. At, ne quis existimet ex horum brevitate, Acta hujus Sancti omnibus Martyrologis fuisse ignota, duo proferam elogia, quæ certo ex Actis fuere desumpta. Florarium nostrum Ms. ad* XXVIII *Augusti sic habet :* Apud Sanctonas sancti Viviani episcopi et confessoris, cujus inter mira, quæ operatus est, sanguis, qui de naribus ejus effluxit, dæmonibus terrori fuit, et omnibus fidelibus venerationi.

elogium,

2 *Andreas Saussayus ad eumdem diem ex Actis hujusmodi formavit elogium :* Eodem die depositio sancti Bibiani episcopi Santonensis et confessoris : qui regali ortus prosapia, natalium claritatem divinæ virtutis splendore magis, quam ferrum auro decoratur, illustravit. Pastor enim ejus ecclesiæ constitutus, sic Dei placita executus est in gregis procuranda salute, ut pastorum Principis, qui pro ovibus animam posuit, effigiem mira zeli et divinorum actuum imitatione referret. Sæpe enim semet in discrimen dedit, ut afflictis oviculis solatium afferret : qui et euangelicis documentis et gloriosis virtutum progressibus ad veræ beatitatis assecutionem tramitem ostendit. Ipse vero, postquam cœlitus de felici excessu præmonitus, diem suum extremum præsignasset, ad desideratam requiem profectus est. *Hactenus ex Martyrologis.*

C

ecclesia vetusta.

3 *Porro antiquissimus esse Sancti nostri cultum, certissime probatur ex ecclesia in ejus honorem structa circa medium seculi* VI. *Opus inchoavit Eusebius Santonensis ab anno saltem* 533 *episcopus usque ad annum* 549, *quod perfecit Leontius Burdigalensis. De utroque consule Dionysium Sammarthanum in Gallia Christiana tom.* 2, *col.* 793 *et* 1057. *De ecclesia vero ipsa Venantius Fortunatus lib.* 1, *carm.* 12 *cecinit sequentia :*

Digna sacerdotis Bibiani templa coruscant,
Quo, si justa petis, dat pia vota Deus.
Quæ præsul fundavit ovans Eusebius olim :
Ne tamen expleret, raptus ab orbe fuit. E
Cui mox Emerius successit in arce sacerdos,
Sed cœptum ut strueret, ferre recusat onus.
Qui precibus commisit opus tibi, papa Leonti,
Cujus ad hoc votum jugiter instat amor.
Ultro tale decus tibi se servavit agendum,
Nec nisi tu fueras, qui loca sacra dares.
O meritum justi mansurum in luce perenni,
Per quem se cupiunt templa verenda coli.
Sacra sepulcra tegunt Bibiani argentea tecta,
Unanimis tecum quæ Placidina * dedit.
Quo super effusum rutilans intermicat aurum,
Et spargunt radios pura metalla suos.
Ingenio perfecta novo tabulata coruscant,
Artificemque putes hic animasse feras.
Sed cui vos animo donaria tanta dedistis,
Hic agat, ut vobis stet diuturna salus.

* soror, Leontii

miracula : alia ecclesiæ ei ut patrono sacræ.

4 *S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum cap.* 58 *docet, hanc ecclesiam constructam fuisse in suburbio Santonensi, ad quem locum Ruinartius hæc notat :* Ecclesia S. Viviani cum suburbio cognomini hodieque subsistit. *Verum audiamus Gregorium, qui et alia in rem nostram adjungit :* Suburbano quoque urbis hujus (*Santonensis*) Bibianus autistes quiescit : cujus virtutum moles liber, qui jam de ejus vita scriptus tenetur, enarrat. Nunc autem exoratus, crebro languentibus tribuit sospitatem. Unde videtur, ut de tantis miraculis vel unum fari præsumam. Mulier enim, cujus manus aruerant, unguibusque jam sauciatæ, contractis nervis, opus operandi perdiderant, ad Beati sepulcrum devota prosternitur, factaque oratione, manus redintegratas, laxatis digitorum filis, ad agendas Domino gratias meruit elevare. *Duo hic docet Gregorius, primo Sancti Vitam miraculaque in Vita patrata, scriptis fuisse mandata ; secundo multa quoque miracula post mortem Sancti facta, e quibus unum est, quod refert. Posteriora hæc miracula, si aliquando fuere conscripta, ad manus nostras non pervenerunt. An vero Vitam a Gregorio memoratam habeamus, mox disquirendum. Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana tom.* 2, *col.* 1055 *de cultu* S. Bibiani *scribit sequentia :* Exstat adhuc S. Viviani ecclesia Santonis in suburbio, cui nomen dedit, ejusque festum ibi celebratur die XXVIII Augusti. Alibi quoque colitur, et in diœcesi patronus est ecclesiarum de Pontibus, de Chesia, de Ruffiaco, de Brevilleto,

F

AUCTORE J. S.

to de, Valle, de Angiaco, de Chervesi, de Baignesseaux, de Bois, Descoyeux, des Églises, de Coyverts, de Marsaye, etc. Rotomagi habet insignem ecclesiam plebanam seu parochialem sub ejus titulo.

Vita Sancti jam edita, nec valde probatur antiqua,

5 *Vitas* S. Bibiani *tres habemus, quarum duæ ineditæ, una vero nuper luci data. Posteriorem hanc ediderunt ex Ms. Colbertino Edmundus Martene et Ursinus Durand tom.* 6 *Collectionis amplissimæ veterum scriptorum a col.* 757, *ubi inter alia sic præfantur :* An (*hic liber*) idem sit cum libro illo, qui Gregorii Turonensis venit in notitiam, aliorum esto judicium. Certe antiquitatem ipsius duplici ex capite repetere possumus. Primo quod sacram citans Scripturam, alia a vulgata videtur usus versione ..... Secundo cum de Theoderico Gothorum rege loquitur, ob eum non Theodoricum sed Theodorum appellat, quomodo eum appellavere antiqui scriptores Sidonius Apollinaris, Gregorius Turonensis lib. 2 Hist. Francorum, et Fredegarius, qui proxime post eum vixit. *At hæ rationes non satis mihi evincere videntur, antiquius Gregorio Turonensi esse* B *memoratum Opusculum : nam varii scriptores multis, seculis posteriores, dum citant sacras Litteras non minus recedunt a verbis vulgatæ editionis, quod frequenter magis intenti sint, ut sensum sacræ Scripturæ exprimant quam verba ; et quædam verba ad propositum suum immutent. Deinde nomen* Theodorus *Theodorico dari potuit æque post Fredegarium quam ante illum.*

nec sincera est : altera Ms. etiam non satis sincera probatur :

6 *Verum, quidquid sit de antiquitate istius Opusculi, scriptor ille oratorem magis se probat quam historicum, multaque narrat, quæ manifeste supra verum sunt exaggerata, ut observabimus in annotatis ad Vitam a nobis edendam. Alia Vita nobis transmissa est per R. P. Joannem Darde Societatis nostræ, desumpta ex Ms. pervetusto ecclesiæ parochialis* S. Bibiani. *Hæc conscripta est stylo simpliciori quam præcedens. At illius auctor ab initio satis innuit se Sancto coævum non fuisse. Sic enim orditur :* Celebris memoriæ pontifex Vivianus regali oriundus perhibetur prosapia : cujus genitrix Maurelia catholica catholice vixisse memoratur. *Et mox*, Nomen ejus oblivioni datum est, *ait de patre* Bibiani. *Quæ* C *omnia innuunt, auctorem illum coævum aut supparem non fuisse, sed sua hausisse ex aliis. Occurrunt et in hac Vita quædam, quæ nequeunt ut vera admitti, de quibus in annotatis ad Vitam jam memorandam.*

altera melior, et verosimiliter memorata a Turonensi :

7 *Vitæ tertiæ, quæ præcedentibus antiquior videtur et melior, geminum habemus apographum; alterum ex Ms. abbatiæ Blaburensis in ducatu Wirtembergensi, quod* 1649 *majoribus nostris transmisit Gamansius noster sæpe in hoc opere laudatus; alterum ex Ms. Sancti Maximini Trevirensis. Hæc duo exemplaria eumdem ubique verborum sensum exhibent, licet non raro in verbis ipsis leviusculæ occurrant discrepantiæ, quod describentibus imputari potest. Porro satis apparet probabile, hanc illam ipsam esse Vitam, quam exstitisse suo tempore asserit Turonensis. Certe probari non potest, illius auctorem a temporibus* S. Bibiani *longe abfuisse, ita ut credi possit Turonensi antiquior, adeoque ille ipse esse, cujus Opusculum laudat Turonensis. Quin imo ex fine Vitæ hujus colligi videtur, scriptam esse ante templum Sancto ædificatum, id est, ante medium seculi* VI, *cum dicatur etiam tum cultus fuisse in ecclesia, quam ipse struxerat, et in qua ab initio fuerat sepultus. Verumtamen ex eodem etiam loco colligitur, scriptorem hunc Sancto non omnino fuisse* D *contemporaneum. Quapropter conjicere licet, Acta hæc esse conscripta vel sub finem seculi* V, *vel initium* VI, *aut certe seculo* VI *non multum provecto.*

epistola, quæ exstat nomine S. Augustini ad Bibianum, supposititia.

8 *Mabillonius in Appendice ad Liturgiam Gallicanam a pag.* 458 *edidit epistolam, quæ nomine S. Augustini exstat ad* S. Bibianum· *Epistola illa, si genuina foret,* Bibiano *nostro maxime esset honorifica, ex eaque pateret, quam longe lateque Sancti fama fuisset vulgata. Hujusmodi enim habet initium :* Domino vere sancto, palmæ trimphatione decorato, et pontificali officio coronato, Bibiano orthodoxo, Augustinus Dei servorum servus, in Domino salutem. Litteras apostolatus vestri, carissimo filio nostro Trojano vestro diacono deferente, ad nos pervenisse comperite : et dum sospitas vestra nobis fuisset certificata per pagiuam, immensa reddidimus Deo laudis præconia. Et quamvis simus absentes corpore, præsentes tamen florigera caritate, exhilarati sumus valde pro sanctitatis rumore, et excellente culmine sacerdotii vestri, qui louge radiat in orbe, non solum Occidentis et E Galliæ, verum etiam Orientis et Affricæ, meritorum lumine percurrente. *Post hæc ejus se precibus commendat, et respondet quæstionibus propositis ad Officia divina spectantibus. Verum ipse Mabillonius epistolam dicit supposititiam ; idque abunde ex inscriptione et stylo colligitur, quæ ab aliis Augustini epistolis maxime dissonant.*

VITA

Auctore anonymo suppare

Ex Mss. Trevirensi et Blaburensi.

CAPUT I.

Santi patria, parentes, vitaque usque ad episcopatum, quem renitens suscipit. F

Pauca auctor præfatur de utilitate Vitæ scribendæ. a

Convenienter venerabilis Vita sacræ mandatur historiæ, ut cujus claret virtutibus fama, post obitum vivat iu titulis, qui superstes *a* contra mundanas concupiscentias divinis paruit disciplinis ; nec oblitteretur conditione mortalitatis, qui in præceptis secutus est eorum mores, qui sunt Ecclesiæ fundatores. Magnum namque est ad instructionem fidelium, antiquorum patrum ordinem revocare justorum, ut, dum audientium auribus antistitum virtus officio sermonis ingeritur, semper habeat exemplum posteritas, quod sequatur. Reddimus itaque plena fide gestorum ordine Bibiani *b* antistitis genus, mores, vitam, *b* conversationem, conscientiam, disciplinam, ne oblivio tolleret, quod clara * portabat opinio, ut revera tautum proficiat incolis venerabilis recordatio, quantum facit hunc locum honorabilem fidei plenitudo ; ut dum peculiaris Patroni commemoratur actio, quasi præsens dignetur instruere, pro quibus, ut confidimus, Deum non desinit exorare *c*. *c*

* *al. Ms.* declarata

2 Itaque

A 2 Itaque beatissimus Bibianus parentibus incolis genitus Sanctonicæ *d* civitatis, patrem habuit, qui gentili errore detentus, usque in exitum vitæ suæ in nullo esset sacro fidei ordine baptismatis innovatus: matrem vero ejus Maurellam *e* nomine Christianam fuisse relatio manifesta memorat, quod Deo gubernante, multum pro institutione religionis profuisse creditur beatissimo Bibiano. Qui cum ad annos sedecim pervenisset, primam * ætatem suam divinis erudiri cupiens discipliuis, sancti Ambrosii *f* Sanctonicæ * civitatis episcopi devoto se mancipavit obsequio. Quem ille paterna pietate suscipiens, dum sacris Litteris erudiret *g*, in ordine lectorum conversationis ejus initiavit studium.

Sanctus patre gentili, matre Christiana natus, fit discipulus S. Ambrosii, d e

* *in alio Ms.* primævam f

* *in al. Ms.* hujus g

a quo sacris ordinibus initiatur:

3 Quem cum videret perfectæ conversationis cursu semper ad meliora pertendere, per ordinem ecclesiasticum subdiaconum constituit. Sed ibi aliquantum temporis manens competentibus annis in levitæ gradu *h* sancto est unitus altario. Ubi tam in vita quam moribus in omni gravitate resplendens * in anno tricesimo presbyter ordinatur: ut, cui non deerat conversatio laudabilis, per singula honorum tempora annis regularibus militasset, ut per apostolicæ constitutionis ascensum nihil detraheretur ordini, quod non deerat sanctitati.

h

* *in al. Ms.* respondens B

4 Itaque divina providente gratia, ut sanctissimus institutor dignum sibi relinqueret successorem, et ne quid ejus meritis per spatia temporum fraudaretur, beatissimus Ambrosius sancta emigratione de hac hospitali vita decedens dormivit in Domino. Tunc unitæ * et probatæ electionis assensu clericorum, et vicium voto, ad summum pontificii locum sanctus electus est Bibianus. Quod ille, qui sub humilitate quotidie magis virtutibus habebat ascensum, respuens, ne ambiens videretur, dum tanto se ordine reclamabat indignum, elegit ut fugæ latebram quæreret in secrarii abdito, inter sacra ministeria non culpam fugiens, sed meritum prodens, ibi se corpore, urbi mente serviebat, abscondit.

episcopus electus se abscondit,

* *in al.* unicæ

5 Quod Dei dispensatione ad tanti Viri meritum creditur profecisse, ut de sacrario ecclesiæ in altario sancta produceretur oblatio. Quia dum in oratione humo * prostratus incumberet, et inquirentibus ibidem omnimodo latitaret, a quadam religiosa matrona *, nomine Basilia *i*, dum ad ostium sacrarii sedulis precibus Dominum exoraret, se visum esse conspexit. Quam dum rogaret, ut agnitum suo potuisset celare silentio, illa ne offerretur votis quæcumque dilatio, inventum, tacente lingua, motu capitis indicavit. Unde tacita indagatione sic proditus, atque inde publicis laudibus evocatus, pontificalis cathedræ suscepit ascensum *k*.

sed inventus consecratur.

* *in al.* homo

* *in al. additur* nobili i C

k

ANNOTATA.

a *In alios Ms.*, qui Superis junctus, *mendose, ut existimo.*

b *In Ms. Blaburensi ubique vocatur* Vivianus, *uti et in alia Vita Ms.: at in edita apud Martenium* Bibianus, *uti hic ex Ms. Trevirensi.*

c *Hactenus præfatio, quæ simplex est, ut facile videbit lector. Vita a Martenio edita præfationem habet longissimam, multisque verborum phaleris et Sancti elogiis instructam. Unum accipe pro exemplo:* Littoreas enim arenarum minutias, ac grandinum lapillos quis certo valeat comprehendere calculo? Quod sicut mortalibus imperceptibile semper manebit, ita et prædicti Viri insignia nullus morti debitus plectro linguæ sufficienter explicare valebit. A. ANONYMO.

d Santonum civitas, *vulgo* Saintes, *antiquis* Mediolanum Santonum *dicta, caput est pagi Santonici, vulgo* la Saintonge, *et episcopalis sub archiepiscopo Burdigalensi. Fuse de illa agit Valesius in Notitia Galliarum pag. 502 et seqq. Porro Tamayus in Martyrologio Hispanico ad* XXVIII *Augusti* S. Bibianum *ex Hispania oriundum contendit. Refutavit istud Nicolaus Antonius in scriptis posthumis nobiscum communicatis. Verum non tanti est Martyrologium Tamayi, ut ipsum refutare sit necesse, ubi ab aliis dissentit.*

e *In altero Ms.* Maurellam. *In alia Vita Ms. vocatur* Maurelia, *apud Martenium* Maureola. *Nihil hic de nobili prosapia, nedum regia. Attamen orator ille apud Martenium col. 761 de Sancti familia ita habet:* Qui regali exortus prosapia, æterni Regis postmodum secutus est vestigia. Licet enim ex successione patris, qui regia potestate Aquitaniæ regionis jura obtinebat, regis dignitate colendus fuerat; non tamen ad regale imperium, fanaticis erroribus tunc temporis implicitum, aspirare voluit; sed... paternam gentilitatem cum regni solio penitus abjecit. *Fabulosa procul dubio hæc sunt, ac ne verisimili quidem modo conficta. In Vita alia Ms. dicitur,* regali oriundus perhibetur familia, *quod minus aperte falsum est, cum nasci potuisset e familia, quæ ex antiquis regibus descendebat; attamen ne id quidem verisimile propter silentium scriptoris, cujus Opusculum edimus.* E

f *De S. Ambrosio egimus paullo ante ad hunc ipsum diem.*

g *Vitæ aliæ non pauca interponunt, priusquam Sanctum nostrum deducant sub disciplinam S. Ambrosii. Et Vita quidem Martenii primo discipulum facit* cujusdam sanctissimi viri, nomine Marcelli, *sub cujus disciplina multum profecerit; quippe, ait,* de virtute in virtutem conscendens ad sanctitatis usque culmen succrevit, et in ejus perfectione non mediocriter effloruit. *Mox eum comitem facit Santonum, a populo scilicet coactum; ac demum Ambrosii discipulum. Altera Vita Ms. asserit, in aula educatum fuisse* Marcelli, qui Galliarum regnabat in finibus; *deinde fuisse Ambrosii discipulum; ac demum Santonensi provinciæ a rege præfectum. Ex his similibusque abunde patet, scriptores hosce duos facta narrare non verisimilia, adeoque fidem non mereri, ubi dissentiunt a Vita a nobis edita, quam quidem videntur habuisse, cum omnia referant in ista narrata, sed misere corrupisse, dum augere voluerunt.* Marcellus *autem* rex, *qui etiam postea recurrit, mihi plane est ignotus.* F

h *Id est, diaconus consecratus est.*

i Basilia *vocatur etiam in alia Vita Ms., at apud Martenium* Benselia.

k *Hoc factum alii etiam narrant, sed, ut in aliis plerisque, quædam de suo adjungunt. Apud Martenium* vir Dei Marcellus *regem adit, ab eoque impetrat, ut episcopus fiat* Bibianus. *At in Vita Ms.* Marcellus rex *episcopum esse jubet. Utrumque fictitium est, et incongruum moribus seculi v non multum provecti, quo hæc facta sunt.*

CAPUT

A. ANONYMO.

CAPUT II.

Sancti iter Tolosam pro redimendis captivis, mira ibidem erga furem charitas, gestaque cum Theodorico rege, qui Sancti libertate offensus, visione placatur. Civitas precibus liberata ab hostibus.

Gothi cives Santonicos captivos ducunt Tolosam

Cumque pio * moderamine plebem sibi commissam divinis erudiret in omnibus disciplinis, accidit ut Gothorum tempore, rege Theodoro *a* dominante, Sanctonicis *b* civibus intolebilis statueretur iujunctis, ita ut amissis facultatibus subderentur maximæ statum perdere libertatis: cum ablatis operibus, non solum mediocrum personarum, sed etiam cunctorum nobilium præsidium *c* inhiantes, facula cupiditatis accensi statuerunt, ut ad Tolosanam *d* urbem cunctos in vinculis immoderata præsumptione pertraherent, ut cum perrexissent viam *, ambitum rapinæ suæ intolerabili præsumptione complerent, et cessantibus incolis, quidquid inierant, barbari possiderent.

* in al. pro
a b
B
c
d
* in al. Ms. extorsissent vitam

quo Sanctus proficiscitur :

7 Sed cum talia fieri sanctus iuspiceret Bibianus, sacrilegum esse credens, ne Pastore posito oves dominicas lupi detraherent in rapiuam, elegit pius Pater cum filiis commune quoddammodo *. subire periculum, ut in illo his non deesset sed * utilitate solatii, quos non minus optabat tam præsentia quam orationibus custodiri; et Domini misericordia facile absolveret vinctos, ubi tantus Pontifex pro civibus cognoscebatur abjectus. Itaque confractus senio, dum tanti itineris cursum sustinere non posset, cum præcipue esset membra ejus per abstinentiam contrita jejuniis, carri vehiculum, quamvis altus mente, humilis habitu, perquisivit, ut superborum pompam sacratissimus Pontifex sancta quadam * abjectione calcaret.

* in al. quem admodum
* sed redundat
* in al. siquidem
C

fur ibidem, ablatis Sancti bobus, cum e loco abire nequivisset, crimen fatetur :

8 Cum ergo ad urbem *, in qua erat regale solium, pervenisset, beatissimi Saturnini *e* martyris patrocinium quærens, iu vicino villæ * perquisivit hospitium, ut revera facilius liberaret oppressos, cum Deo vacans esset a conventu omnium separatus, et sine intermissione ad memoriam tanti martyris currens, orationum suffragiis pro negotio filiorum peculiarem exoraret lachrymis advocatum. Accidit ergo ut quidam latro diabolicæ suggestionis instinctu boves *, qui pontificis vehiculum ad civitatem usque pertraxrant, furtiva conditione subtraheret. Sed cum latebram, qua celare posset furtum, miserabili vagatione perquireret, suis siquidem * vestigiis impeditus, lucescente die in loco, ubi amiserat furtum, nutu Dei se retentatum esse cognosceus, pedibus beatissimi Bibiani prostratus advolvitur, et facinorosi criminis auctorem se esse illi, qui admissum crimen vindicare non poterat, voce miserabili fatebatur.

* in al. additur Tolosanam
e
* in al. vile
* in al. bovem
* in al. æque

quem ille benigne monitum victu donat diurno :

9 Quod ille mente placabili non tam increpans, quam castigationis verba subjungens, ait: Accipe mercedem pro vigiliis tuis, quamvis inhonesta actione transactis, unde hujus diei possis habere substantiam, et victum labore quære proprio, non rapina. Præceptum tamen * euangelii tenens, ne peccaret ultra commonuit, ne malum perpetraus, quod hic evaserat, possit vindicari.

D
* in al. tantum

mensæ regis Ariani adhibitus, ei poculum offerre renuit.

10 Cum ergo tanti Viri benevolentiam fama celare minime potuisset, præclarum patientiæ factum ad aures Theodori regis familiaris perduxit opinio. Quem præsentari sibi honorabili præcepit obsequio, et gratuita familiaritate receptum, cum reliquis episcopis suo eum precatus est interesse convivio. Ubi dum cum ceteris convenisset, quamvis ipse jejunus mente, inter epulas parca commessatione discumberet, forsitan, ut tunc moris erat, rex offerri sibi poculum ab his, qui aderant, episcopis postulavit. Quod cum singuli perfecissent, ad Bibianum ventum est. Quod ille renueus, ait: Officii mei est locus, ut de sacro altario filiis Ecclesiæ sacratum calicem subministrem: Nam qui mihi alienus est a communione tam secta *f* quam ordine, ejus vile ministerium implere despicio.

f

quod ille ægerrime ferens, visione nocturna terretur,

11 Itaque rex videns se tali recusatione despectum, iracundiæ inflammatus instinctu, contra Sanctum Dei tota mente commotus exarsit, et quasi injuriam suam vindicaturus, statuit in eodem voluntatis suæ exercere vesaniam. Ad quod ille non trepidus, sub sequenti nocte, dum vigiliis et orationibus incubaret, superbi regis iracundiam sacratissimus Pontifex tacens in orationibus perdomuit: cum præsidio martyris actum est, ut superbus rex, qui timeri se credidit, formidaret. Qui tamen *, dum sub silentio noctis quadam fuisset visione perterritus, ad postulandam veniam, deposita furoris insania, arma supplicationis assumpsit.

E
* in al tantum

Sanctoque rursum advocato captivorum liberationem concedit :

12 Quem, ut ad se veniret, denuo jam humilis precabatur, ut petitio ejus pro absolutione civium sortiretur effectum. Affuit, et sic tam proprios cives, quam qui in carceribus tenebantur inclusi, jam auctoritate divina potius, quam supplicatione fretus, cunctos beneficio virtutis absolvit; et cum magnis opibus, ab eodem, qui auferre cupiebat, rebus plurimis muneratus, reduxit patriæ incolumes * cives, et sic virtutibus clarum recepit ecclesia Sacerdotem *g*.

* in al. in locum suum
g

Santones liberati incursione Saxonum prædatorum per Sancti preces

13 Accidit etiam quodam tempore, ut multitudo hostium Saxonum *h* barbarorum cum plurimis navibus ad locum, qui dicitur Martiacus *i*, amore deprædationis incumberet. Cumque loca finitima circuisset execranda barbaries, ut esset civitas tanti Antistitis fulta præsidio, causa absolutionis sacris est ostensa miraculis, ut in oratione incubante Domini Sacerdote, in muris ac turribus miles * cælestis astaret, procederetque inde terror hostium, unde erat occultum et magnum in civitate præsidium, ut miro atque ineffabili modo illi sanctam cernerent visionem, quibus non esse honoris poterat sed timoris; et infideles barbari, qui non constringebantur fide, fugarentur interim visione: sicque adveniente die pacem ultro, divino territi auxilio, petierunt, ut, qui cum furore vastationis advenerant, quos expugnabat cælestis exercitus, sine effusione sanguinis vincerentur, et esset hostium reditus sospes, ubi etiam civitas ab omni parte residebat incolumis *k*. Quod revera ad meritum beatissimi Intercessoris pio refertur ordine, cum ex ea parte vicit, unde Dominum fideliter exoravit *l*.

h
i
* in al. nubila
k
l

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *In alio Ms.* Thedorico. *At in utraque alia Vita* Theodorus *vocatur. Et quamvis rex ille Visigothorum nunc passim* Theodoricus *vel* Theodericus *appelletur; a Turonensi tamen in Historia Francorum lib. 2, cap. 7 et alibi* Theodorus *dicitur, ab Idacio* Theodores, *a Sidonio in panegyrico Aviti* Theudoris *et* Theudorida, *aliisque vicinis nominibus nominatur ab aliis: nam Gothicum ejus nomen erat* Teudere, *ut habet inscriptio edita a Ruinartio post Opera Turonensis col.* 1389. Theodoricum *hunc regnasse ab anno* 419 *usque ad* 451, *quo occubuit in prælio contra Attilam Hunnorum regem, scriptores passim affirmant. Hinc utcumque colligitur, quo tempore floruerit* S. Bibianus. *At incertum, obieritne ante Theodoricum, an post ipsum. Quapropter mortem ejus ex conjectura posui circa medium seculi quinti. Porro dubitari quidem posset, an Theodoricus hic memoratus non sit Theodoricus secundus, primi filius, ejusque post fratrem successor; sed verisimilius est primum designari; cum quia secundus passim* Theodoricus *vel* Theudericus *appellatur, tum etiam quia* S. Bibianus *mortuus videtur ante imperium Severi, qui cum Theodorico II eodem tempore imperavit.*

B

b *In Vita Martenii col.* 763 *dicitur Gothorum rex urbem vi cepisse, quod satis verisimile est, etiamsi hic non dicatur. Varia enim bella Theodoricus gessit cum Romanis, in quibus hæc potuerunt contingere. Certe Salvianus lib.* 7 *de Gubernatione Dei deplorans vastitatem per Gothos Galliæ illatam, ait* opes Aquitanorum luxuriantium *arsisse.*

c Præsidium *significat hic idem, quod* peculium, prædia, bona. *Sensus ergo est,* in prædia nobilium inhiantes; *uti habet Vita Martenii.*

d *Tolosa urbs erat primaria Visigothorum, ipsis a Romanis concessa cum parte Aquitaniæ. Audi Idacium in Chronico ad Olympiadem* 299: Gothi intermisso certamine, quod agebant, per Constantium *(Romanorum in Gallia tunc ducem)* ad Gallias revocati, sedes in Aquitanica a Tolosa usque ad Oceanum acceperunt. *Factum id apparet anno* 419. *Hinc S. Ennodius Ticinensis in Vita S. Epiphanii apud Sirmondum tom.* 1, *col.* 1006 *Gothos vocat* Tolosæ alumnos

C

e *S. Saturninus episcopus Tolosanus et martyr Romanis Fastis inscriptus est ad* 29 *Novembris, ubi de illo disputabitur.*

f *In alio Ms. legitur,* a communione tam sacra quam ordine.

g *Totum hoc factum uberius refertur in Vita Martenii, et in alia nostra Ms.*

h *Saxones eo tempore prædas frequenter egisse in Aquilaniæ maritimis locis, discimus ex Sidonio, qui floruit eodem seculo. Lib.* 8 *epist.* 6 *de iis sic scribit Nammatio:* Sed ecce dum jam epistolam... claudere optarem, subitus a Santonis nuntius: cum quo dum tui obtentu aliquid horarum sermocinanter extrahimus, constanter asseveravit, nuper vos classicum in classe cecinisse, atque inter officia nunc nautæ modo militis, littoribus oceani curvis inerrare contra Saxonum pandos myoparones, quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas; ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari.. Hostis est omni hoste truculentior. Improvisus aggreditur, prævisus elabitur: spernit objectos, sternit incautos. Si sequatur, intercipit; si fugiat, evadit. *De eisdem plura ibidem, et epistola* 9, *uti et in Panegyrico Aviti, ad cujus laudem dicit:* Saxonis incursus cessat.

i *Obscurum est, quis locus voce* Marciacus *designetur, licet in omnibus vox eodem modo scribatur, excepta altera Vita Ms., in qua dicitur* Martiatus. *Locus certo est mari et Santoniæ vicinus: nec ullum invenio, cui cum quadam nominis similitudine omnia magis convenire videantur quam Marantio* (Marans *Gallis,*) *quod oppidum est in tractu Alnetensi intra paludes ad fluvium Separam Niortensem. Illud forsan muniverant Saxones, ut inde excurrerent in vicinas provincias.*

k *Addit altera Vita Ms., hostes tempestate jactatos divinitus, unamque ex eorum navibus periisse. Res quoque non parum amplificatur in Vita Martenii. Verum uterque auctor magis studuit magna quam vera referre.*

l *Inter hoc et sequens miraculum tria alia interponuntur apud Martenium; videlicet leprosus sanatus, uti et puer ex viperæ morsu periclitans, ac demum mortuus vitæ restitutus. Tria etiam narrantur in Vita altera M.; at brevius, et non parum in adjunctis mutata. Potuerunt quidem scriptores illi dicta miracula ex aliis monumentis vel ex traditione discere, ita ut certum* E *non sit miracula illa fictitia esse, tametsi ab auctore nostro non referantur. Verumtamen dubia certe sunt, et circumstantiis iis apud Martenium vestita, ut pateat scriptorem illa non minus exornasse quam reliqua omnia. Ne autem quid lector desideret, illa ex Vita Ms. subjungo:* Ipso itaque in tempore, dum tantis clarus meritis, insignis pontifex Vivianus celebraretur; debilis quidam, utraque manu paralysi deficiens, supplicantibus cum lacrymis ejus genibus advolvitur, petens quatenus sibi remediare dignaretur. Cui Pater, totis miserescens visceribus, signo crucis impresso, utramque manum pristinos in usus solidavit. Contigit etiam ipso in tempore, ut quidam puer, dum parum cautus sacra loca perlustraret, serpenti percussus, aliquantulum post languorem, occumberet. Quem exanimem parentes ejus Patris applicantes vestigiis sustulerunt, et sese supplicantes postraverunt. Quorum lacrymis condescendens ipse, se puero superfundens, et lacrymis manans, redivivum parentibus restituit. *Hic puer ab altero non dicitur mortuus, sed* pene jam F exanimis: *at ille alium feretro jam impositum ad vitam revocatum narrat. Tertium in Vita Ms. sic narratur:* Quidam etiam leprosus, proflua ejus audita munificentia, curari ab eo postulavit, et ille, fusa oratione, protinus eum sospitati reddidit. *Hæc, ut dixi, certa non sunt: at minus etiam sunt verisimilia, prout referuntur, et legi possunt, apud Martenium.*

A. ANONYMO.

CAPUT III.

Sanguis Sancti terrori est dæmonibus ; ecclesia eidem structa. Construit ecclesiam cathedralem et pie moritur, in eaque sepelitur.

Sanguis, qui e naribus Sancti fluxerat.

At vero quia per singula, quæ gessit, replicari fidelibus non creditur onerosum ; hanc etiam rem, quæ ipsum in aliis provinciis notum fecit, et virtutibus publicavit, deducamus in medium. Quodam ergo tempore de partibus Orientis quidam negotiator adveniens in civitatem* Sanctonicam, beatissimi Viri expetivit occursum. Quem ille secundum consuetudinem sanctam familiari collocutione suspiciens, factus est intimus
B conversatione, per quem Deus Servi sui meritum volebat ostendere, ut illuc etiam deduceretur fide beatissimus Bibianus, ubi et corpore ignotus habebatur et nomine. Quadam ergo die, cum sanctus Antistes ecclesias circuiret, accidit ut de naribus ejus sanguis subito in terram proflueret. Quod tamen non infirmitatis fuisse creditur, sed virtutis, ut revera potuisset superstite tali Viro quasi de corpore suspici reliquiarum ejus maxima plenitudo.

* in al. civitate

colligitur delatusque in Orientem, terribilis est dæmonibus ;

15 Attentus itaque negotiator ille fidelissimus, quem ante diximus, de loco, ubi sanguis ejus influxerat, sustulit ex terra pulverum cum cruore; et fideliter domum referens, sanctas reliquias in linteo cum cura conservationis involvit, ut quem diligebat corde, semper præsentem haberet ex pignore. Peracto * itaque, ut cœperat, pro sua utilitate negotio, patriam repetens Orientis, cum venit ad locum, qui erat proximus civitati, antequam in portum vela deponeret, subito confiteri hi, quos maligni agebant spiritus, tanti Viri meritum cœperunt, et quasi ante conspectum judicis, beati Antistitis virtute torqueri; ejus siquidem in confessione tam nomen quam præsentiam
C proclamantes. Quæ res dum redderet cunctos in civitate sollicitos, quod ignotum nomen ora dæmonum faterentur : quibus erat altior mens, ad portum cursu celeri perrexeruut, ut si forsitan aliquis ignotus vir de aliis provinciis adveuerat, digna potuisset veneratione suscipi, quem prius sanctitatis meritum fecerat nuntiari.

* in al. peractum negotium

qua de causa pie ibidem suscipitur,

16 Itaque cum sub hac exspectatione negotiator ille portum introïsset, remeans de occidentali parte, cœpit ab eo sciscitari turba fidelium, quis esset ille vir sanctus, nomine Bibianus, cujus virtutem et opinionem ante cognoverat *, et si cum eodem venisset, ediceret, ut ei honorificus impenderetur occursus. Sed cum ille in nullo eum præsentem esse ore proprio fateretur, quinimo et sospitem ipsum se in urbe Sanctonum reliquisse ; ne diutius sancti Viri quæ erat opinio lateret, subito reduxit in animum, eo quod ab occidentali parte de memorati Antistitis cruore secum reliquias deportasset. Sed cum gesta singulis referret in ordine Deo inspirante perclamavit *, virtutis esse meritum, quod ibi erat fide, ubi non ducebatur et corpore. Quod testimonium gratissimo suscipientes affectu, reliquias sancti Viri protulit, quas habebat.

* in al. Ms. cognoverant

* in al. perclamavit

17 Quas cum summo honore et celebritate D suscipientes, Deo gratias referebant, qui sibi fidelissimos famulos *a* per totum orbem titulis sic præsentat : sicque tantum pignus per gloriosa suspicientes officia *, ad basilicam portaveruut, specialiter gaudentes, se magnum suscepisse præsidium, cum per eum ab obsessis corporibus fugantur dæmones : quem pro sui cruciatione prius adventare clamaverunt confitentes. Cum ergo divina potentia tantam sanctæ opinionis gratiam tribuisset, ut quasi beatissimus Antistes geminas urbes illic virtute possideret, hic corpore; dum multa Deus per ipsum beneficia concessa præstaret, devotio sancta fidelium in Oriente basilicam ejus nomine summa operatione coustruxit: quam Severus *b*, qui erat ejus * temporis imperator, de proprio sumptu perduxit ad cultum. Ubi ita divina misericordia præstat beneficia, ut et cæcis visus, et claudis gressus fideli ex oratione reddatur.

atque ecclesia Sancto conditur.

* In alio, glorioso affectu

* al. tunc

Condit ecclesiam, in qua, pie mortuus, sepelitur.

18 His ergo virtutibus clarens memoratus Antistes, labente jam senio, basilicam sibi propria devotione construxit, et ab urbe beatissimorum Martyrum reliquias qui peterent, suos fidelissi- E mos destinavit. Qui cum essent jam in proximo remeantes, et sacra Martyrum pignora deferentes, sanctum Antistitem Dei inspiratione non latuit. Devotis * itaque civibus osculum singulis tradens, viam etiam sui transitus intimavit, festivitatem nuntians in diem tertium, ut honorabili loco sacræ adventantes reliquiæ conderentur. Itaque fideliter omnibus præparatis, eorum, quos postulaverat patronos, societati meritoque conjunctus, migravit in Domino *c*. Sicque providentia Dei factum est, ut sub uno die ecclesiam, quam fabricaverat, et devotione consecraret * et corpore *d*. Ubi multa Dei beneficia virtutibus declarantur, perfectusque in hodiernum diem sacratissimus cultus, ut habeat fidelium devotio velut præsentem Antistitem, cum venerantur sacratissimum Confessorem ; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* in al. vocatis

* in al. consecrasset

ANNOTATA.

a *In alio Ms. sensu parum mutato,* Quia sibi fidelissimus Famulus.. virtutem.. sic præsentat. F

b *Severus imperator in Occidente factus est post Majorianum anno* 461,*ut habet Tillemontius tom.* 6 *Imperatorum pag.* 326, *ubi de gestis ejus disputat. Mortuus erat Sanctus, ut certe verisimilius est, ante imperium Severi : neque hic auctor affirmat, templum istud viventi adhuc* Bibiano *ædificatum. Alii tamen biographi consueta sibi libertate asserunt templum viventi structum; quod prorsus est incredibile, et ut ipsorum figmentum facile rejicitur. At vero factum ipsum, etiam prout ab auctore nostro narratur, difficultate non caret. Non exprimitur, ad quam Orientis urbem sanguis ille* Bibiani *sit delatus, exstructaque deinde Sancto ecclesia; nec satis concipitur, quo modo Severus Occidentis imperator ecclesiam illam ad culmen perduxerit in Oriente. Varia quidem hic cogitari possunt, at semper aliquid manebit scrupuli. Audi tamen conjecturas. Primum suspicio esse potest,hanc ecclesiam Constantinopoli conditam esse, quia ibidem olim cultus videtur* S. Bibianus. *Etenim in Martyrologio Hieronymi nomine a Florentinio edito ad* 28 *Augusti sic legitur:* In Constantinopoli natalis sanctorum Alexandri episcopi, et Viviani episcopi. *Hæc in textu.*

A *textu. In observationibus autem duo alia exemplaria affert Florentinius, in quibus* Vivianus *episcopus annuntiatur Constantinopoli cum Alexandro. Sunt hæc Martyrologium antiquissimum S. Willibrordi, et Corbeiense, quod sic etiam habet apud Acherium tom. 2 Spicilegii recusi pag.* 17. *Hinc colligi videtur sanctum aliquem* Vivianum, *eumque episcopum, Constantinopoli cultum fuisse, præsertim quod* S. Vivianus *in omnibus rursus commemoretur, ut mortuus cultusque apud Santonas. Putat Laudatus Florentinius* Vivianum *Constantinopoli attributum a nostro alium esse: at id mihi verisimile non est, quia uterque episcopus, uterque confessor, uterque eodem die cultus, et vel maxime quia de* Bibiano *Constantinopolitano nihil quidquam innotuit. Cur ergo, inquies, bis idem memoratur? Id haud dubie ex errore profluxit. Qui noverant* Bibianum *cum Alexandro in veneratione esse Constantinopoli, illum ibidem annuntiarunt: alii deinde, qui sciebant episcopum esse Santonicum, rursus illum commemorarunt eodem die, quod putarent alium esse, qui colebatur Constantinopoli. Hæc ex conjectura, certiora libenter auditurus. Porro si ecclesia illa* B *sit condita Constantinopoli, probabilius est ad culmen perductam esse ab alio quodam Severo, quem biographus imperatorem nominarit per errorem: nisi suspicari malimus imperatorem Orientis id præstitisse, nomenque* Severi *ex errore appositum. Quidquid sit, hæc una fere Actorum difficultas tanti non est facienda, ut Acta ipsa omnino reprobare debeamus. Nam, si quis credere nolit ecclesiam Sancto Constantinopoli aut in alia Orientis urbe structam, potuerit auctor designare urbem aliquam Occidentalis imperii Santonibus ad Orientem sitam, ubi ecclesia per Severum sit condita. Quin imo si admitteremus, biographum in facto illo longinquo errasse, populari fama deceptum: consequens non erit, similiter in aliis fuisse falsum.*

A Anonymo.

c *In Vita apud Martenium obiisse dicitur* 28 *Augusti, quod verisimile est ex festivitate eidem diei affixa.*

d *Postea propriam habuit ecclesiam, ut dictum in Comment. num.* 3. *In Historia autem monasterii Figiacensis, edita a Baluzio tom.* 2. *Miscellaneorum, pag.* 301 *mentio sit* S. Bibiani, *notatque in margine Baluzius, corpus ejus in ecclesia Figiacensi servari.*

E

DE S. FACUNDINO EP. ET CONF.

TADINI IN UMBRIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Loci situs; Sancti vita ante episcopatum; an ad eum scripserit S. Gregorius PP. · episcopatus · fertur canonicus Regularis fuisse.

SUB INITIUM SEC. VII., VEL SEC. IX AUT. X. *Tadinum in Via Flaminia ad montem Apenninum:*

Tadinum, *vel* civitas Tadinatum, *ut infra in Vita Latina hujus Sancti vocatur (Italice* Taino*) urbs quondam episcopalis Umbriæ in Italia, variis notitiis elucidatur a Ludovico Jacobillo ante Vitas Sanctorum ac Beatorum Gualdensium, et tractus Tadinensis, anno* 1638 *Italice* C *excusas. Cap.* I, *pag.* 8 *situm fuisse refert via Flaminia in planitie montem inter Apenninum, et Eugubium, Assisium ac Nuceriam civitates;* S. Facundini *ecclesiam postea inceptam, duobus milliaribus distantem a territorio Gualdensi, quæ extendebat se in planitie ad radices montis, qui est e regione dictæ ecclesiæ eadem via Flaminia, medium illum pertranseunte, sicut e vestigiis et antiquis ruinis colligit idem auctor, et addit, inter alias quas nominat, ecclesias, ibidem nunc esse ecclesiam parœcialem* S. Facundini *episcopi Tadinensis. Pag.* II *memorat, ultimum e pluribus episcopis ibidem fuisse eumdem Sanctum; anno* 546 *civitatem a Totila Gothorum rege destructam; deinde a Longobardis anno* 591 *et* 740, *a Saracenis anno* 840, *ab Hunnis* 920; *ab Ottone III imperatore anno* 996 *ruinas passam: diœcesim illam anno* 1007 *unitam fuisse Nucerinensi, ejusdemque e ruinis ædificatum prima vice Gualdum anno* 1180. *Hæc, et alia plura Jacobillus, in cujus fide superiora retuli.*

2 *Vitæ scriptor apud nos num.* I, In civitate, *inquit*, quæ Tadinatum vocabatur, fuit vir . . . Facundinus nomine, *quibus indicat, ibidem loci illum vixisse. Jacobillus vero antea citatus affirmat in ipsius Vita pag.* 26, *quod ibi natus fuerit. De vitæ, antequam fieret episcopus, instituto hæc tradit anonymus ejusdem Vitæ scriptor num.* F 8 *apud nos:* Hunc, ut antiqui retulerunt, eremitica vita exercitatum . . episcopum Facundinum habuerunt. *Ibidem num.* 15 *dicitur* in cella reclusus, eremita solitarius. *Sed ille scriptor Vitæ indubitatam non meretur fidem. Jacobillus in Vita* S. Facundini, *quæ habetur apud alias modo indicatas. pag.* 26 *et sequentibus, refert, eum a tenera ætate vitam duxisse perfectam atque exemplarem; dumque videret patriam suam remansisse destructam et desolatam a Gothis, ac paullo post a Longobardis, ad solitariam secessisse vitam in quodam Apennini monte prope Tadinum, qui postea Mons sanctus (Italice* Serra santa*) dictus sit; ubi multis annis vixerit cum magna sanctitate. Hæc illi de vita ejus solitaria: quam sicut negare non possumus, sic nec ex antiquiorum verbis confirmare. Procedamus itaque ad alia.*

Sancti vita ante episcopatum:

3 *Jacobillus pag.* 27 *vult, S. Gregorium Papam I, fama sanctitatis Viri motum, annis Domini* 596 *et* 598 *duas ad eum dedisse litteras, quibus ipsi commendarit magnam admodum sanctæ Ecclesiæ indigentiam ex persecutionibus Longobardorum, hæreseos Arianæ sectatorum ac fautorum:*

S. Gregorius Magnus dicitur.

AUCTORE J. P.

torum : ad hæc, eumdem sanctum Pontificem multa Viro contulisse ad divinum cultum spectantia, donarique illum jussisse Crucifixo, ac nonnullis suis tractatibus de pœnitentia, de virtute contritionis et pœnitentiæ, et de dispensatione clericorum, *citatque in principio hujus narrationis ad marginem* Regist, Ep. S. Gregorii lib. 5 ep. 28, lib. 7 cap. 59 : *sub finem vero* Chron. Gual. de Ms. ant. *Sistamus hic tantisper, et hanc Jacobilli historiam expendamus. In apographo nostro Vitæ et miraculorum* S. Facundini, *quod infra typis committemus, inter alia, quæ eidem attexta sunt post dicta miracula, duæ habentur epistolæ, quarum altera ad Gaudiosum episcopum Eugubinum in favorem ecclesiæ Tadinensis; altera ad ipsos Tadinenses missa fuit: in priore sanctus Pontifex Tadinensis ecclesiæ visitationem prædicto præsuli delegat; in posteriore autem Tandinenses monet, ut isti visitatori morem gerant, atque idoneum sibi eligant sacerdotem. Utraque extat in Registro epistolarum laudati Pontificis tomo* 2 *Operum ejus, quæ anno* 1705 *Parisiis edita prænontantur, columna* 995 *et* 996, *inter alias,* B *quibus libro nono* mense Septembri, Indictione secunda, *titulus præfigitur. Indictio vero ista concurrit cum anno Christi.* 599. *Prior itaque epistola ordine* 87 *al.* 88, *ut ibidem signatur, hæc memorat :*

a Jacobillo scripsisse epistolam ad S. Facundinum,

4 Cognoscentes ecclesiam Tadinatem diu sacerdotis proprii regimine destitutam, Fraternitati tuæ ejusdem ecclesiæ visitationis operam solemniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem, a quoquam præsumatur ecclesiæ. Et ideo Fraternitas tua ad prædictam ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum, plebemque ejusdem ecclesiæ admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandus occurrat. Commonentes etiam Fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permit- C tas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri : provisurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet conversationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinationis tuæ, quod absit, incurras.

eademque occasione ad Tadinenses :

5 *Altera vero laudati Pontificis epistola his verbis conscripta est :* Cognoscentes ecclesiam vestram diu sacerdotali regimine destitutam, curæ nobis fuit ejusdem ecclesiæ visitationem fratri et coepiscopo nostro Gaudioso Eugubinæ ecclesiæ solemniter delegare. Cui dedimus in mandatis, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire, et remoto strepitu, uno eodemque consensu talem vobis præficiendum expetere sacerdotem, qui et a venerandis canonibus nulla discrepet ratione, et tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus : provisuri ante omnia, ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem D nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite. Sed omnes, quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et a communione alienos faciendos procul dubio noveritis. *Ughellus tomo* I *Italiæ sacræ columna* 677 *de Gaudioso episcopo Eugubino agens, annum* 590 *signat,* ad quem, *inquit,* Gregorius Magnus scribit, jubetque illum Tadinam civitatem invisere lib. 7, epist. 89.

variis de his epistolis,

6 *Hæ forsitan epistolæ, quod Vitæ* S. Facundini *essent insertæ, occasionem dederunt dicendi, Sanctum hunc duas a Gregorio epistolas accepisse: immo et hiatus quidam in Ms. Vita ipsius num.* 15 *id potuit persuasisse. Nam sic ibidem legitur:* Facundinus in cella reclusus, eremita solitarius, *Post hiatum vero :* a B. Gregorio Papa indutus tunica et litteris confortatus. *Si hæc posteriora verba de* Facundino *sunt dicta, non est cur negemus Gregorium scripsisse ad* Facundinum, *etiamsi non compareant illæ epistolæ. At vero cum biographus variis locis Sanctum hunc aliquot seculis juniorem faciat Gregorio, intelligi non pos-* E *sunt de* Facundino, *nisi dicamus biographum protulisse manifeste pugnantia. Dispiciendum igitur est, an synchronus S. Gregorio Magno fuerit* Facundinus, *uti Jacobillus et Ughellus volunt. Nam si ipsi fuerit synchronus, vix dubitandum videtur, quin promotus sit ad episcopatum vi litterarum S. Gregorii, ab eoque litteris excitatus ad recte obeundum illud munus.*

ac de Sancti

7 *Anonymus Vitæ scriptor num.* 50 *de tempore mortis hæc memorat :* Obiit quinto Calendas Septembris, eo tempore, quo sancta mater Ecclesia in pace repausabat, fugata tempestate Gothorum et Longobardorum, et diversorum tyrannorum a divina potentia per manus Catholicorum imperatorum Justiniani et Justini et Caroli Magni et Ludovici, et successorum ipsorum. *Vaga hæc temporis positio nos deducit ad seculum* 9 *vel* 10, *cum Ludovicus Pius imperaverit seculo* 9, *ejusque successorum fiat mentio. Hisce consentientia scripsit idem auctor variis locis. Quippe num.* 62 *insinuat eum fuisse episcopum post eversum Longobardorum regnum in Italia. Num.* 61 *ait, nullum fuisse Tandinensem episcopum post* Facundinum. *Unde consequens est in ejus* F *opinione, ut aliquot seculis vixerit post S. Gregorium Magnum, cujus opera cultum divinum et episcopatum Tadinensem restitutum refert num.* 71, *hæc subdens :* Per longa temporum curricula *(post S. Gregorium)* et annorum centenaria perseveravit in Tadinato et viguit cultus Dei, et quam plures episcopi præfuerunt ibidem. *Etenim si ultimus episcopus fuit* Facundinus, *uti etiam Jacobillus et Ughellus affirmant, pluresque ibi fuerint episcopi post Gregorium* per annorum centenaria; *aliquot seculis Gregorio posterior fuit* Facundinus. *Idem fit verisimile ex tempore, quo episcopatum Tadinensem Nucerino junctum refert Jacobillus supra num.* I. *Nam quis credat, nullum a tempore fere Gregorii Magni, id est ab initio fermc seculi* 7 *usque ad annum* 1007 *Tadinensibus fuisse episcopum ; et tandem post quatuor secuta episcopatum illum Nucerino fuisse conjunctum? Sed ad Vitæ scriptorem redeamus.*

episcopatu

8 *Verbis modo adductis subdit ista :* Licet per intervalla temporum pluribus vicibus Saraceni, discurrentes per Italiam, populos Umbriæ, et Spoletani et Nucerini comitatus conculcaverunt et

AUCTORE J. P.

A et perturbarunt. Et illis expulsis a Christianis Christiana regio *(forsan legendum* religio) respiravit, et sancta mater Ecclesia requievit de tempestate liberata. In istis temporibus beatus Facundinus fuit episcopus in ipso Tadinato vel Tayno, ubi in multa vixit sanctitate. *Porro Saraceni invadere cœperunt Italiam seculo* 9, *eorumque grassationes maxime viguerunt seculo* 10, *et continuatæ sunt initio* XI. *Itaque opinio illius scriptoris videtur esse,* Facundinum *non fuisse episcopum nisi post instauratum Tadinum ex vastatione et destructione Saracenorum, quam contigisse anno* 840 *ait Jacobillus.*

observationes: 9 *Immo, si anonymus illeplenam fidem mereretur, ex omnibus simul sumptis verisimile appareret,* S. Facundini *mortem contigisse non diu ante destructionem omnimodam Tadini, per Ottonem III factam, quam anno* 996 *innectit Jacobillus. Sic etiam facile intelligeremus postremum illius urbis episcopum fuisse Sanctum illum, atque episcopatum sub initium seculi* XI *Nucerino adjunctum. Hæc, inquam, temporis ratio maxime placeret, si biographus melius fuisset instructus*
B *de tempore, quo* S. Facundinus *floruit. Verum cum vaga temporis determinatione ubique insinuet, ætatem Sancti non satis sibi fuisse cognitam, et aliunde non liqueat, quo fundamento dicat Jacobillus, episcopatum Tadinensem Nucerino tantum anno* 1007 *fuisse junctum, Sancti mortem sub dubio collocandam censuimus sub initium seculi* 7, *vel seculo* 9 *aut* 10.

Editor Italiæ sacræ recusæ Ughelli tomo 10, *col.* 168 *putavit se invenisse sedis Tadinensis episcopum Cyprianum seculo septimo, quem subdit* Facundino, *propterea quod* Cyprianus, *uti vult,* ex hac sede reperiatur interfuisse Romano concilio anno DCXLIX; *sed sine dubio fallitur. In Actis enim conciliorum apud Harduinum tomo* 3, *actione* 2 *concilii Lateranensis, anno jam dicto habiti, col.* 749 legitur Cyprianus . . episcopus sanctæ ecclesiæ Tadduensis. *Inter indices ad concilia apud eumdem Harduinum tomo* XI *columna* 430 *signatur* Cyprianus Tadduensis, in epist. ad Paulum CP., *nullo alio inter plures synonymos ibi comparente, qui ad illud concilium Romanum seu Lateranense anni* 649 *pertineat. Carolus a S. Paulo in Geographia sacra recusa, inter episco-*
C *patus Africæ Proconsularis pag.* 92, *ad nomen* Tadua *hæc scribit :* Cyprianum ejus episcopum habet epist. synod. provinc. Proc. *Hinc fit, ut non possim dubitare, quin prædictus Ughelli editor nominum similitudine* Tadinensis *et* Tadduensis *deceptus fuerit, et Cyprianum episcopum Africanum perperam intruserit in sedem Tadinensem. Dicendum etiam aliquid de vitæ instituto, quod* S. Facundinus *in dignitate episcopali positus fertur esse professus , canonicorum Regularium, prout colligitur ex verbis biographi.*

dicitur professus vitam canonicorum Regularium. 10 *Nam num.* 10 *hæc scribit :* Convivia sumptuosa et delicata cibaria devitabat, grossioribus cibis pauperculis, et potibus limphatis et insipidis sustentans corpusculum , cum Juventuto archidiacono suo et aliis confratribus clericis vivens in communi. *Plus vult Jacobillus : refert enim pag.* 28, *quod in ecclesiam cathedralem et canonicam Tadinensem induxerit canonicos Regulares Lateranenses, institutos a S. Augustino, quodque ejusdem etiam Ordinis emiserit professionem, atque hanc cum illis observans regulam, non eorum tamquam episcopus dumtaxat fuerit, sed tamquam abbas illorum ac Prior, vitam cum ipsis ducens communem. Hippolytus Helyot tomo* 2 *Historiæ Ordinum monasticorum cap.* 2, *pag.* II *multa collegit de origine canonicorum Regularium; cap.* 3 *tractat de canonicis Regularibus ecclesiæ Lateranensis, asserens pag.* 28, *clericos illos vixisse in communi sub pontificatu S. Leonis I, qui sedit ab anno* 440 *ad* 461. *Quæ temporis notatio componi potest cum vita Sancti nostri, exeunte seculo, ut superius dictum est, sexto, vel seculo* IX *aut* X *ad infulas Tadinenses evecti. An vero primæva sancti Patris Augustini institutio fuerit eremitarum, an canonicorum Regularium, res est intricata, et acriter in utramque partem disputata : cui liti decidendæ non volumus nos interponere judices. Consule Commentarium prævium in hoc tomo ad Acta S. Augustini* § 14 *et duobus sequentibus.*

§ II. Sancti virtutes et miracula; cultus; Vitæ scriptor.

Quænam desideremus in biographo, Sancti virtutes, *Viri sancti virtutibus numero multis, genere eximiis, nec non vigilantissimo præsule dignissimis implet scriptor anonymus maximam Legendæ seu Vitæ partem; vellem hoc fecisset brevius et ordinatius. Etenim, etiamsi virtutibus episcopalibus, quas describit post seculares, præfigat* E *titulos, quibus in varias classes dispescere easdem voluit, meliore tamen successu id præstitisset, si alias ab aliis eodem fere spectantibus discrevisset; quo factum fuisset, ut eadem, vel quasi eadem Sancti decora diversis non repeteret verbis ac satis prolixis. Brevius certe hoc præstitit Jacobillus a pag* 28. *Porro nullam e Viri virtutibus singillatim hoc loco commemoro, cum ibidem legi debeant. Si quid tamen observandum occurrat, ratio illius habebitur in Annotatis. Idem esto dictum de miraculis : de quibus hæc subdo. Sicut legendista anonymus non satis opportune sancti Præsulis digessit virtutes, ita in eo genere aliquid apud ipsum desideratur circa miracula. Quippe num.* 58 *et* 59 *duobus relatis, pergit num.* 60 *ad inventionem antiquæ Sancti Legendæ : deinde vero num.* 62 *transilit ad obitum ejus, quem accidisse refert pace Ecclesiæ reddita.*

12 *Hinc denuo num.* 63 *redit ad miracula , quæ ex antiquorum relatione ad suam notitiam pervenere. Num.* 65 *paucula hisce subjungit de sacris lipsanis et mutata ecclesia* S. Facundini, *ac num.* 66 *et sequentibus resumit iterum miracula. Quanto ordinatius ea narrasset sub uno tractu. Prodigia autem multa intercidisse affirmat num.* 61 : Plura, *inquit,* miracula B. Facundini, et curationes infirmitatum.. hic scripta non sunt, quia aut negligentia clericorum, et ruditate et stultitia laicorum non fuerunt scripta et annotata; vel , si aliqua scripta fuerunt , mala custodia perdita et destructa et consumpta fuerunt. *Mira admodum sunt, quæ narrat Legenda num.* 58 *ex antiqua traditione, sicut indicat, videlicet,* quod *sanctus Antistes,* dum in montem ascenderet . . ad orandum , aliquando *contigerit,* ut etiam saxa dura mollificarentur sub plantis ejus, et vestigia impressa pedum in eis velut cera sigillata ostenderent concavitates genuflexionum in monte saxoso, dum oraret genibus flexis.., ad quæ videnda et osculanda per plurima tempora populi concurrerunt, et nos ipsi vidimus et osculati, fuimus. *Mira hæc, inquam, admodum sunt; quæ ego quidem non nego; sed vellem antiquiora pro iis documenta; ut hæc traditio probaretur esse genuina, et non popularis.*

et miracula narrante; F

13 *De*

AUCTORE J. P. *cultus probatur :*

13 *De antiquo ac publico Sancti cultu satis constat : nam, prout refert collector Legendæ num.* 53, *ecclesia in ipsius honorem constructa est, factusque adventantium concursus : quibus mira addit num.* 59. *Deinde num.* 55 *institutum esse affirmat*, ut *ejus* celebris memoria perpetua haberetur in diœcesi et episcopatu suo, et dies festus ejus solemniter celebraretur quinto Calendas Septembris : quam, *ait*, devotam festivitatem per plura annorum centenaria veneratam fuisse audivimus.., et nos eam temporibus nostris audimus solemniter celebrari. *Tertio, num.* 56 *agit de oratione propria. Quarto, perseverasse religiosum Viri cultum affirmat num.* 57 *dicens* : Temporibus quoque nostris circumadjacentium locorum Tadinatæ olim diœcesis habitatores in montem ipsum Serræ sanctæ, pro siccitate et aliis tribulationibus.. vidimus ascendisse. *Quinto, ibidem scribit de translatione corporis, mutata ecclesia, et invocatione illius*, qui ejus Legendam compilavit. *Hæc breviter; textus ipsi possunt inspici in Vita seu Legenda, quam dabimus. Non erit alienum a nostro proposito, si aliquibus ob-*
B *servationibus declararemus dicta de duplici ecclesia sancti Viri.*

ædes sacræ variæ sub Santi nomine :

14 *Earum primam fuisse conditam extra civitatem Tadinensem, indicat Legenda num.* 53, *ubi de ea dicuntur plura. De* IX *Februarii in Annotatis ad Vitæ S. Raynaldi episcopi Nucerini caput* I *littera* f, *pag.* 373, templum illi dicatum *diximus* prope Gualdum oppidum : *de cujus situ etiam meminimus supra num.* I *ex Jacobillo, qui in Vita nostri sancti Præsulis pag.* 33 *et* 34 *locum primæ ecclesiæ ipsius pressius describens, indicat, quod extra civitatem Tadinensem ad vallem se contulerit, Jesum Christum, qui pauper mori voluit atque in loco horribili, imitari cupiens, quæ vallis postea dicta sit* Facundina *, *prope fluvium Castrianum, hodie, prout addit, dictum* de la Vaccara, *quod pagus* di Vaccara *ei vicinus sit. Narrata deinde mira sacri corporis revelatione, et transvectione, de quibus Legenda cap.* 7, *ad radicem collis montis Apennini, indicat primam Sancti ecclesiam ibidem fuisse constructam inter duos fluvios, quibus* Castriano *ac* Moro *nomen, hodie, ait,* della Vaccara *et* del Remo-
C ri *dictos. Idem Jacobillus pag.* 35 *agit de alio* S. Facundini *templo, quod a Rudolfo comitis Monaldi filio, cum civitas Tadinensis, dictaque ecclesia a Saracenis destructæ essent, anno* 1080 *ædificatum memorat in eodem loco, milliare circiter unum distante a civitate Gualdensi, eoque translata fuisse corpora sancti Præsulis, nec non S. Juventini archidiaconi, discipuli ejus. Præter duas hasce ecclesias in tractu Gualdensi ad honorem Sancti erectas, ponuntur a Jacobillo pag.* 38 *aliæ tres, videlicet una in* burgo di Sassoferrato, *ut vocat; altera in* Morano *territorii Gualdensis; tertia denique apud civitatem Nuceriensem. Multum etiam ad probandam Viri sancti publicæ venerationis continuationem conducunt sequentia.*

* *f.* Facundiniana

translationes.

15 *De alia istorum corporum translatione Jacobillus agit pag.* 37, *die* IX *Septembris anno* 1581 *ossa utriusque Sancti inventa fuisse narrans sub altari majore ecclesiæ* S. Facundini *in arca lapidea, solennique cum supplicatione, annuente Hieronymo Mannello, Nuceriensi præsule, translata, ac deinde in capsa lignea sub novo altari majore deposita. Et mox addit citatus auctor, aliquot post annis Virgilium Florentium, ejusdem sedis antistitem, nonnullas ex ista capsa prompsisse reliquias, et ad suam transtulisse ca-*
thedralem, easque populo ostendi in aliquibus fe- D
stivitatibus. Stabilem quoque erga S. Facundinum *venerationem, et antiqui cultus propagationem ad recentiora usque tempora, comprobat Jacobillus ex iis, quæ subdit : affirmat enim, in loco antiquo, ubi quiescebat ejus corpus, et in quo est pars quædam columnæ rotundæ lapideæ cum cruce, tertia qualibet Dominica mensis a clero et populo Gualdensi haberi supplicationem ex antiqua consuetudine ad præsens, ait, tempus, dic* S. Facundini. *Ex his satis superque probatur antiquissimus Sancti cultus, quem proinde merito sic annuntiat hac die Claudius Castellanus in suo Martyrologio universali :* In Umbria S. Facundini, episcopus Tadinensis.

Laudatur Sanctus in Vita S. Raynaldi :

16 *Laudatur apud nos die* IX *Februarii pag.* 374 *in Vita S. Raynaldi episcopi Nucerini, occasione severitatis, quam hic in se exercebat, secundum illius exemplum. En textum :* Imitabatur hac in re B. Facundinum decessorem suum, magna virum sanctitate, ac perfecta virtute eximium, solitum et lecti mollitiem declinare, ut nocturnis orationibus intenderet, et asperam in solitudine vitam ducere, ubi libertate majori pre- E
cibus vacaret. *In Legenda nostra Ms. laudari etiam dicitur a Petro Damiano Sanctus noster; sed hæc ita loquitur, ut non certo constet, an* Facundinus *hic, an alius synonymus episcopus intelligi debeat. Nam num.* 60, Quem, *inquit*, credimus fuisse illum venerabilem episcopum Facundinum Tadinensem, quem verus sacerdos Altissimi Petrus Damiani, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, et Prior postea sanctæ Crucis Fontis Avellanæ, miro commendavit eloquio, et in libris, quos dictavit, adscripsit cum aliis sanctis episcopis.., commendans et ipsum B. Facundinum de admiranda sanctitate sua, et de felicissima populi sui sollicitudine et cura. *Si Legendæ collector distincte indicasset locum Petri Damiani, vidissem, an et quid in rem nostram dicat. Hujus Vita illustrata est apud nos die* XXIII *Februarii pag.* 406 *et sequentibus; ubi de ipsius obitu, qui innectitur anno Christi* 1072; *de eremo jam dicta sanctæ Crucis Fontis Avellani vel Avellanæ; de Beati ibidem præfectura ac sanctis discipulis; de dignitate Cardinalitia, ac reditu ad prædicti Fontis eremum, aliisque rebus ab ipso præclare gestis. Commentario huic finem impo-* F
nam, quando egero de dicta jam sæpissime Legenda.

quædam animadversiones de Legenda, quam edimus,

17 *Apographum, quod habemus, notatur desumptum* ex cod. Vat. 5835, in quæ hæc transcripta de autographo antiquo, quod videtur multis in locis legi vix potuisse, ut patet ex frequenti ejus, qui describi fecerat, correctione et defectibus relictis. *Defectus isti partim constant ex lacunis non paucis, seu hiatibus vacuis : e quibus nonnullos implere conatus sum per voces huic signo* [ ] *inclusas : qui vero sunt majores, non ita potuere supplexi ob defectum alterius exemplaris melioris, quod in promptu non est. Defectus isti partim etiam constabant ex variis vocibus mendose exaratis, et penitus omissis, sed alia manu correctis et adjectis in nostro apographo. An vero, et quantum in dictis defectibus imputari debeat imperito fortassis amanuensi, omnino me latet. At de hac materia nonnulla dicentur in Annotatis. Nec porro possum omittere, quin hisce attexam nonnullas observationes de hujus Legendæ seu Vitæ scriptore.*

ac de ejusdem

18 *Antiqua se usum Legenda indicat biographus num.* 60 *hisce verbis :* B. Facundini.. vitam

A tam sanctam et felicem obitum, sicut ex antiqua ejus Legenda brevi sermone annotatum, quam in libris antiquæ ecclesiæ canonicæ inveniinus cum aliis Sanctorum historiis insertam. *Quomodo autem ea usus sit, mox addit :* Ex ipsa simplici sermone conscripta investigare potnimus, sententiam verborum exprimentes. *Huic alia addidit, ex traditione etiam veridica antiquorum, uti habet ibidem,* hanc, *ait,* copiosam Legendam inde edidimus. *Diu autem valde post Sancti obitum scripsit. Quippe num.* 54 Audivimus, *ait,* quod B. Facundinus episcopus annis decem et octo in episcopatu Tadinensi præfuit. *Et ibidem :* Quem Deus per plura centenaria annorum sic honoravit et honorat in terris. *Et iterum num.* 55 : Quam devotam *ejusdem Sancti* festivitatem per plura annorum centenaria veneratam fuisse audivimus.., et nos eam temporibus nostris audimus solemniter celebrari. *Diu igitur post mortem* S. Facundini *scripsit auctor hujus Legendæ. Quo autem seculo? Non ante B. Petrum Damianum, ex supra allegatis, atque adeo non ante undecimum seculum. An vero, et quamdiu post scripserit, non* B *habeo compertum.*

auctore.

19 *Jacobillus pag.* 32 *quas de Sancto habuit notitias attribuant cuidam patri Franciscano, quem refert auctorem fuisse Chronicorum Gualdensium, ac Vitarum multorum Sanctorum Umbriæ, cumque sua descripsisse documenta anno circiter* 1310, *ac dicere illa se reperisse in antiquo libro ecclesiæ cathedralis Nucerinæ,nec non didicisse e quadam grandæva persona. Hæc documenta exiguæ sunt auctoritatis, habita ratione seculi septimi,quo ineunte sanctus Præsul noster obiisse traditur. An vero Legenda nostra ex hisce documentis etiam transcripta fuerit, nec aio,nec nego, at quid prohibet hoc suspicari? Jacobillus pag.* 35 *alios indicat auctores,qui de eodem Sancto egerint, videlicet* Gregorium Lazzarinm lib. 6 de Vitis Sanctorum, in Vita hujus S. Facundini, *cui addit* Ambrosinm Candidum de Vitis Sanctorum. *Apud Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ columna* 1065 *posterioris editionis sunt ista in notula marginali :* Hujus Sancti Vitam edidit Joseph Valentinus Maceratæ anno MDCLX. *Habes, lector, præcipua, de quibus te præmonendum judicavi: supersunt alia,* C *quæ dabuntur in Annotatis post Vitam, cui in nostro Ms. prænotatur hic titulus :* Incipit Legenda beati Facundini episcopi et confessoris, de perfectione ejus et virtutibus, et de ejus fine et exitu sancto. *Deinde per ejusdem Legendæ decursum sequuntur alii tituli, sed in capita non distributi; quæ si notata fuissent, ac prologus Vitam præcessisset, post hunc transcribi illa potuissent,sicut alias fieri a nobis solet. Tota itaque narrationis partitio nostra est. Secundum characteres chronologicos, quos antea dedi obiisse illum posui sub initia seculi 7, vel secul. 9 aut 10, cum Legenda nostra nullum annum determinatum signet, nec aliunde inveniam,unde illum confirmem vel pressius definiam.*



D

VITA

Auctore anonymo

e codice Vaticano.

CAPUT I.

Sancti virtutes sedulo adversus peccata odio conservatæ; episcopatus meritis ejus exornatus.

In provincia Umbriæ, quæ nunc dicitur ducatus Spoletanus *a*, in civitate, quæ Tadinatum *b* vocabatur, fuit vir vitæ venerabilis, et virtute conspicuus, Facundinus nomine, in verbis et sermonibus Dei facundus et eloquens, vera Dei gratia et humilitate repletus. Hic Vir ab infantia sua timere cœpit Deum, et a sua infantia cum eo misericordia crevit. Tempus autem suum in prima et secunda vigilia in sanctis moribus et operibus transiens, a lascivia et avaritia retraxit animum, et semper se in vera innocentia conservavit. Et cum in hac vita esset, et temporalibus divitiis libere uti potuisset, vana mundi delectamenta despexit, et soli Deo servire desiderans, omnes a se illecebras resecavit, et cœlibem et spiritualem vitam veraciter apprehendens, et juxta sanctam doctrinam et perfectam vitam Domini nostri Jesu Christi, et Sanctorum exempla, vitam suam prudenter et fideliter ordinavit, et tollens super se jugum Domini, quod est suave timentibus eum, et hominibus ejus, quod est leve diligentibus ipsum, cum vera charitate portavit. *Sancti virtutes,* *a* *b* E

2 Et ex hoc veram pacem et requiem animæ suæ invenit, et mandata Dei observare et perficere studebat in sua prima simplicitate et innocentia, totis viribus Christo adhærens, et fidem et spem suam in Deo veraciter firmans, effici meruit filius veræ lucis, et sole justitiæ, qui est Christus, veraciter illustratus, vere famulus Dei Facundinus fidelis et prudens, ædificavit domum suam supra firmam petram, totam intentionem et spem suam in Redemptoris nostri bonitate constituens. Et quia in timore Dei se confixit et tenuit jugiter, numquam subverti potuit a vento inanis gloriæ, et aquæ multæ tentationum et vexationum charitatem ejus firmam in Domino extinguere non potuerunt, quia sicut cæteros Sanctos sicut aurum in fornace probavit Dominus et examinavit, ita et hunc famulum suum Facundinum examinavit et approbavit, et semper firmiorem et fideliorem invenit. *quas ut conservaret,* F

3 Et ne eum hostis vinceret per tentamenta luxuriæ, ipse Dei Servus dura abstinentia, orationibus et vigiliis et disciplinis se affligens, rebellem carnem cogebat servire spiritui. Et ne gulæ vitio et ingluvie vinceretur Dei Famulus, spretis delicatis cibariis, et suavia vina devitans, pane et aqua, herbis et leguminibus madefactis corpusculum sustentabat : et ne æstu avaritiæ auri et argenti, et cupiditate possessionum vir Dei Facundinus deciperetur, aurum et argentum velut lutum *in vitæ austeritate*

A ANONYMO. lutum et pulverem contemnebat, cuncta superflua pauperibus erogans, solo victu modico et vestitu pauperculo contentus, cum Christo paupere Facundinus pauper euangelicus in penuria congaudebat, et propter hoc cæleste regnum feliciter acquirebat. Sed ne quando invidiæ stimulis ureretur, vel livoris vitio, Famulus Dei ex multa orationis assiduitate munitus, affectus divinæ dulcedinis in ejus mente infusus divinitus conferebat, qui omnem amaritudinem odii, et livorem invidiæ ab eo expellebat, et bonum proximi et salutatem animæ sicut suum veraciter sitiebat et intime diligebat.

ac vitiorum exstirpatione 4 Et ne aliquando Vir Dei iracundiæ stimulis turbaretur, ipse prudens et providus benignitate et mansuetudine sibi donata a Deo, incitatam iracundiam, et turbationes sapienter repellebat, omnes occasiones devitans, quæ possent proximos et fratres spirituales ad iracundiam provocare, nec permittebat, quod sol occideret super iracundiam inter proximos concitatam, quin prius eos ad pacem et concordiam revocaret. Si etiam Vir sanctus accediæ vitio et tristitia aliquando quateretur, B statim desidiam et pigritiam ferventi spiritu repellebat, et etiam otium, omnium malarum cogitationum sentinam. Nunc legendo, nunc orando, nunc boni aliquid operando, et proximos exhortando, vir Dei Facundinus vitia otii et accediæ cum fervore spiritus repellebat. Et ne quo Vir Dei superbiæ vitio vel tumore mentis aut elatione quassaretur de sua perfectione et vitæ munditia, et incitaretur ad despiciendum proximos infirmos et peccatores, Vir Dei protinus casum Luciferi recogitans et Pharisæi justi superbiam et reprobationem, et Publicani contriti humilitatem et justificationem, et quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat suam gratiam :

sedulo sese exercuit : 5 Hujusmodi profunde in animo revolvens, divino timore correptus, de suo casu timebat, et indignum se gratia Dei et beneficiis existimans, se peccatorem cum gemitu et suspiriis coram Deo accusabat. Deus autem omnipotens, qui humilia respicit, qui profundam humilitatem ancillæ suæ gloriosæ Virginis Mariæ respexit, et beatam per omnia sæcula prædicare fecit, ad veram humilitatem famuli sui Facundini respexit, et non solum sua gratia et benedictione replevit; sed ipsum pauperem et inopem a terra elevans, et de sterC core mundi eripiens, collocavit eum et sedere fecit cum principibus populi sui Christiani, scilicet cum sanctis episcopis, et solium gloriæ pontificalis tenere eum fecit, ascriptum a Deo in libro vitæ. Vir ergo sanctus liber factus a tentationis vitio, jure factus est magister virtutum, et constitutus fuit a Domino in caput gentium, et pastor et episcopus animarum, ut, qui ante in solitaria vita exercitatus in spiritualibus fuerat, noverat, qualiter inter bella tentationum spiritualiter homo se munire debeat armis virtutum et scuto fidei se protegere, et orationum jaculis inimicos expellere, et quibus remediis animabus languentibus in peccatis debeat subveniri, et vulnera mortalium criminum curari salubriter.

episcopali honore dignissimus 6 Hic autem vir venerabilis Facundinus propter tempestates horribiles et terribiles, et tenebras errorum Arianæ hæresis et schismata periculosa, quibus tota Italia concussa, subplantata et obscurata fuit a Gothis et Longobardis et Wandalis *c*, a quibus Latinorum populi cum suis terris exterminati fuerunt, hic Facundinus quasi stella clarissima in medio nebulæ exorta, reliquiis populorum repertis, et natis et propagatis ex populis mortuis et dispersis, civitatis Tadinati *d* lumen salutis dedit et spiritualis gaudii donum attulit. D Vere in eo adimpletum fuit, quod Salvator dixit : Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

7 Cum ergo iste Vir sanctus esset vera lucerna lucens ante Deum vera devotione et gratia, *ad cathedram* numquam declinans a mandatis Dei, sed propter verba Dei custodiens vias duras, meditando in lege Domini die ac nocte, et prosperabatur * a *f. prosperaretur* Deo in omnibus, quæ faciebat : Deo vero dispensante et inspirante, hic Vir sanctus positus fuit super candelabrum sanctæ Ecclesiæ, ut luceret omnibus, qui in domo Dei in ecclesia Tadinati tunc erant, verbo et exemplo, et exaltatus fuit in ecclesia plebis canonicæ, et in cathedra seniorum episcoporum præcedentium sublimatus a fidelibus, ut ipse Vir sanctus irrigaret et refunderet aquas salutiferas gratiæ Dei, quas ipse Dei Famulus hauriebat cum gaudio de fontibus Salvatoris nostri Jesu Christi orando et contemplando, in mentibus discipulorum suorum et subditorum E immitteret prædicando et exhortando, ut de plenitudine divinæ benedictionis, de qua Vir Deo plenus a Christo receperat, omnes acciperent, quos gubernandos et custodiendos susceperat. Utque Vir Dei Facundinus jam mortuus erat mundo per veram pœnitentiam, crucem Christi ferebat in corpore, et cum Christo per veram compassionem charitatis crucifixus in mente per virtutem sanctæ passionis et crucis Christi multos a morte peccati ad vitam gratiæ resuscitavit, et sibi et multis fructum æternæ vitæ feliciter acquisivit, et sic profuit, quod profuit populis præsentibus et futuris.

8 Cum vero Tadinatum civitas, mortuo episcopo, pastore careret, et, quis dignus esset tanto *Tadinensem* sacerdotio, perquirerent, et clerici et populi Tadinati, Deo inspirante, singulorum mentes et oculi ad procurandum habere Dei Servum totaliter se convertunt. Nam cum clerici et sacerdotes et populus desiderarent venerabilem virum moribus adornatum, sanctitate præfulgidum, et litteris instructum, hunc, ut antiqui retulerunt, eremitica vita exercitatum, Deo providentes, in episcopum Facundinum habuerunt : et cum Vir F Dei se indignum et insufficientem proclamaret et recusaret, tamen insistente populo et clero, ut reciperet; Vir sanctus inspiratus a Domino interius cum grata Dei voluntate, et commotus piis precibus populi sui et cleri, quia ipse erat Vir benignus et pius, eis humiliter condescendit, et episcopatus officium cum multo Dei timore suscepit, et Romam cum devotis fratribus clericis ivit humiliter, et a domino Papa *e* et Cardinalibus charitative acceptus, confirmatus fuit et consecratus in episcopum : et Vir Dei devotus Apostolorum ecclesias, et alia sancta loca devote visitans, et cum reverentia beatæ Mariæ semper Virgini, et beatis Apostolis se recommendans, Tadinatum rediit, et a clero, et ordine * populo cum gaudio et reverentia *f. omni* susceptus est.

9 Qui beatus vir Facundinus sublimatus in *promovetur post vitam solitariam,* episcopum, non in gloria est elatus humana, sed Dei bonitatem in se humiliter recognoscens, camdem morum gravitatem et sanctitatem vitæ, quam prius habuerat, conservavit, et tenuit in vera humilitate. Et cum servo Dei Juventino *f* archidiacono populum sibi commissum fideliter custodiebat et gubernat, et solicite vigilans observabat,

A vabat, ne lupi rapaces hæretici invaderent gregem suum, et ne aliquis malignus infectus hæresi Ariana vel de aliqua hæresi condemnata corrumperet clerum suum et populum, vel alia mala secta hypocritarum. Sicut enim hic Dei Servus in solitaria vita, in abstinentia et vigiliis, et silentio et orationibus sanctos patres Paulum *g* et Antonium *h*, Hilarionem *i* et Arsenium *k* devote fuerat imitatus; ita et beatum Martinum *l* et beatum Nicolaum *m* in caritate et hospitalitate et virtutibus humiliter sequebatur. Nam possessiones dilatare et magna ædificia construere, pompam mundi amplecti recusavit. Post aurum non abiit hic vir simplex et rectus et timens Deum, nec speravit in pecunia, et thesauros congregare noluit, sed pauperibus erogabat, si quid habebat superfluum ultra vestitum religiosum et pauperem et victum tenuem.

ac virtutibus elucet. 10 Convivia sumptuosa et delicata cibaria devitabat, grossioribus cibis paupereulis, et potibus limphatis et insipidis sustentans corpusculum, cum Juventino archidiacono suo et aliis confratribus clericis vivens in communi *n*: cum quibus B religiosam et pauperculam vitam cum pace et tranquillitate totum tempus suum Domino dedicabat. Memor admirandæ humilitatis Domini nostri Jesu Christi, qui verus pauper cum pauperculis Apostolis pauperculam vitam duxit, et ipse Famulus Dei tamquam advena et peregrinus devotus abstinebat perfecte a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, et humilem et tranquillam animam suam . . . semper ab omni vitio conservaret, jejunium acceptabile Domino semper effecit, ab omni peccato abstinens, et corpus suum abstinentia et jejunio non solum in Quadragesimis a sanctis patribus institutis maccrabat; sed omni alio tempore jejunus et vere sobrius permanebat, solicite præcavens, ne a leone rugiente diabolo devoraretur, et maxime illud jejunium devotius peragebat, quod Redemptor sine cibo et potu in deserto inter feras silvestres id quadraginta diebus jejunando peregit.

ANNOTATA.

a Ducatus Spoletanus. *Hunc non ita semper vocatum fuisse, observat Baudrandus ad voces* C Spoletanus Ducatus; *sed provinciam fuisse amplam Italiæ, ubi olim Umbria; viderique ita dictam a Ducibus a Longino Exarcho institutis post Narsetem exauctoratum, nomenque Ducatus a Longobardis sub Alboïno rege anno* 571 *ei relictum: postea autem habuisse Duces etiam proprios usque ad annum* 1198, *servato Ducatus deinde nomine sub dominio Summorum Pontificum usque ad annum* 1440, *quo iterum Umbriæ nomen ei fuisse memorat.*

b *De situ ejus, aliisque ad hanc civitatem spectantibus agit noster Commentarius huic Vitæ prævius num.* I. *Adde sequentia. Vocavi eam supra* Tadinum *cum Baudrando*: Tadinii *nomen est apud Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ in episcopis Nucerinis columna* 1117. *Porro* Tadinum, Tadinates populi, et civitas Tadinatum *apud Jacobillum (quem citavi supra in Comment. prævio) pag.* 10 *magis mihi placet, quam* civitas Tadinati, *vel* Tadinatum *simpliciter, quod scribit biographus inferius num.* 6.

c *Vide Comment. num.* I.

d *Mallem scribi* civitatis Tadinatum, *ut monebam modo lit.* b.

e *Non S. Gregorio Magno, secundum hunc biographum. Vide Comment. Acta ejus illustravimus die* 12 *Martii.* A. Anonymo.

f *Facundinus, Juventinus, Peregrinus et Felicitas MM. signantur apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* 2 *Septembris, et dicuntur tunc coli Arimini ac in ejusdem diœcesi. Verum cum ponantur tamquam martyres; clarum est, duos priores confundi non posse cum hodiernis synonymis. De sancto autem Juventino, qui in hac Vita sæpe memoratur, agetur hac die post* S. Facundinum.

g *De S. Paulo primo eremita egimus die* 10 *Januarii.*

h *Acta S. Antonii abbatis illustravimus die* 17 *Januarii.*

i *Inscribitur Martyrologio Romano ad diem* 21 *Octobris.*

k *Sanctum hunc dedimus die* 19 *Julii.*

l *Pertinet ad diem* XI *Novembris, quo habetur in Martyrologio Romano.*

m *Colitur in Romano* 6 *Decembris.*

n *Lege Comment. prævium num.* 10.

CAPUT II. E

Orthodoxæ fidei custodia; cura et charitas erga subditos, aliæque virtutes episcopo dignæ.

Dum ergo beatus Facundinus Domini nostri Jesu Christi perfectionem sequeretur observando euangelicam et apostolicam vitam, viam mandatorum Dei currens, dilatato corde illustratus sancto Spiritu, habuit lumen vitæ, et vitam acquisivit æternam: quia Christum vere dilexit, habens in corde suo mandata ejus, et servans ea in cunctis operibus charitatis: et quia ipse vere mitis et humilis esse studuit, et hoc a bono magistro Jesu Christo docente didicit, ideo veram requiem et pacem in anima habuit et possedit, et officium ecclesiasticum cum vera tranquillitate tenuit et rexit. Inter pastores bonos et sanctos patres episcopos Italiæ connumeratus fuit a Deo et admixtus, et inter eos multa resplenduit sanctitate, et quasi columna immobilis firmus stetit in vera fide Catholica Domini nostri Jesu Christi, et cum sancta Romana Ecclesia adhæsit firmiter sequens vestigia et doctrinam amplectens sanctorum patrum et doctorum Athanasii *a*, Ambrosii *b*, Hieronymi *c*, Hilarii *d*, Augustini *e* et Gregorii, in sacro Nicæno concilio *f* approbatam, devitans et fugiens mortifera et venenata documenta Arianorum episcoporum, et hæreticorum sacerdotum et laïcorum, quos inimicus humani generis in sinu sanctæ Ecclesiæ seminavit, et produxit velut zizania nociva inter purum triticum veritatis: qui hæretici et schismatici sæpius confutati et quasi extirpati, sufflante diabolo sæpius rena et accensi huc illucque latitando discurrebant, mentes simplicium in suis civitatibus involventes. *Præter alias virtutes fulsit in Sancto* F

ingens cura 12 Beatus vero Facundinus clericos suos et populum suis sacris monitis a perversitate et malignitate illorum retrahens et custodiens, non permittebat aliquam malam hæresim, neque aliquod dogma perversum vel schisma in sua ecclesia et populo commorari et nasci, et si aliquis aliqua inveniebatur tali lepra infectus, a conspectu sanctæ

A. ANONYMO. ctæ Ecclesiæ velut membrum putridum truncabatur. Falsos autem prophetas et hypocritas et simulatos Christianos, qui solo nomine exteriori habitu sanctitatem prætendunt, intus in conscientia pleni vitiis et iniquitate, ventris ingluvici et avaritiæ lucris jugiter intendentes, et variis opinionibus a via Sanctorum et doctrina sæpius declinantes, tales vulpeculas beatus Facundinus sicut viperas perhorrebat, eorum familiaritates et colloquia fugiens, non permittebat aliquam sectam talium hypocritarum et gritonatorum *g*, falsorumque spirituum in sua [ecclesia] et diœcesi intrare et morari. Sciebat enim famulus Dei Facundinus, divinorum secretorum contemplator eximius et in spiritualibus exercitiis veraciter instructus, quia in falsis fratribus et simulatis spiritualibus sunt multa pericula, et quod angeli sathanæ transfigurantes se in angelos lucis, incautos et superbos spirituales falsis revelationibus et visionibus illudunt, et in falsis opinionibus inducunt, et a sinu sanctæ matris Ecclesiæ dividunt.

persequendi hæreticos: bono suo exemplo

13 Et propterea sanctus Vir nullos permittebat solitarios vel alios religiosos in montibus vel inter suos populos conversari, qui alterius opinionis essent, quam sancta Romana docet et tenet B Ecclesia, et qui ullo modo ab unitate sanctæ Ecclesiæ claudicarent. Beatus ergo vir Facundinus sacerdos Altissimi inventus fuit sine macula vitiorum, et mundus a perversitate errorum: qui dum prudenter quinque sensus sui corporis custodiret, ne per fenestras corporis suggestiones malignæ et vitia ad animum introïrent, in vera munditia et pace animam conservabat, et in vera patientia animam possidebat, et præ cordis munditia et puritatis innocentia Deum admirabilem in suis operibus contemplabatur et lumen divinum jugiter ejus animam illustrabat, et regem Deum creatorem omnium in lumine divino spiritualiter videbat. Laudemus ergo eum in Domino, quia fecit mirabilia in vita sua et signa virtutum in plebe: inter quos sicut lumen cæleste refulsit. Ejus vero fama bonitatis est circumquaque diffusa, bonis mentibus dabat odorem devotionis et pietatis, et omnes audientes et videntes sanctam vitam et conversationem, et perfecta opera beati Facundini episcopi, glorificabant Deum, et laudabant in famulo suo Facundino, et movebantur et incitabantur ad bene agendum et vivendum ordinate C sine peccatis, et charitative et ratione cum proximis suis.

subditis prælucet,

14 Vere ergo in eo adimpletum fuit, quod Salvator noster admonuit dicens: Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est; studebat enim fidelis Famulus Dei omnes ædificare verbo pariter et exemplo, infirmos et pauperes visitans et confortans, et pie et charitative eis subveniens, et subveniri faciens juxtaposse, et in tribulationibus et angustiis consolabatur afflictos, et in carceribus detentos pro culpis suis, quos ad statum salutis reducere et ad sanctam confessionem et pœnitentiam inducere suis piis monitis procurabat fideliter. Eos vero, quos videbat per amplam mundi viam sine freno timoris Dei peccando et male vivendo currere, durius increpabat, et eis in malis, quantum poterat, resistebat episcopali auctoritate reformans eos, et malas cogitationes eorum dissolvens et dissipans.

ac prodest

15 Plures vero tales redierunt inducti monitis sacerdotis Dei Facundini, et licet tunc temporis Officialis Romanæ reipublicæ, et Ecclesiæ patritii et proconsules et præfecti, prædictis in urbibus et provinciis constituti, perfectam justitiam conservarent secundum edicta imperialia, episcopi sancti et sacerdotes boni in spiritualibus saluti animarum opportuna et divino cultui condecentia perfectius procurabant, et in cura gregis Apostolorum sibi commissi sollicite vigilabant, ne ullos pauperes necaret inopia ciborum, et nudos extingueret frigus intensum, et nivium et ventorum. Sic beatus Papa Gregoriis pastor sanctæ Ecclesiæ studebat.... omnes spirituales pauperes, religiosos et religiosas, eremitas et solitarios: Facundinus servus Dei in cella reclusus, eremita solitarius, . . a beato Gregorio Papa indutus tunica et litteris confortatus. Omnes vero sancti episcopi in suis episcopatibus pauperum et infirmorum, peregrinorum, pupillorum, orphanorum et viduarum et inclusorum, præcipuam curam habebant, cuncta, quæ habebant, pauperibus erogantes, et etiam ipsi pauperibus et infirmis humiliter servientes, et circa salutem animarum attentius vigilantes. D

egregie

16 Tales autem pastores habebant ecclesiæ, qui recusabant pecunias aggregare, et gloriari E nolebant in equis et vestibus pretiosis, sed vere mansueti et humiles mansuetum et humilem Christum devote sequebantur, et humiliter sequebantur. Beatus vero Facundinus episcopus sanctis pastoribus episcopis adjunctus et numeratus cum eis, quia juste et sancte vixit, et opera sancta misericordiæ in proximos exercuit juxta posse, ideo membrum Christi effici meruit, et veraciter in eo adimpletum fuit, quod ipse Salvator asseruit dicens: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Famulus vero Dei Facundinus innocens manibus et mundo corde, qui vere Christum diligebat, et proximum sicut se ipsum, manebat in Christo conformis per omnia suæ sanctissimæ voluntati, et nil separabat eum a vera Christi charitate. Imo quanto plus exterius vexabatur et persequebatur et affligebatur a malignis spiritibus, et a pravis hominibus, tanto hilarior et ferventior congaudebat in Christo, et accendebatur ejus sanctissima charitate.

animi demissio

17 Multum vero fructum attulit hic Vir beatus, qui in vita sua mitis fuit, et in salutis viam F plurimos sua prædicatione retraxit a malis, et ad Christum reduxit, et multos Christus absolvit in cælis, quos fidelis famulus et sacerdos ejus Facundinus absolvebat in terris. Vere in eo adimpletum fuit, quod ipse Deus per prophetas prædixit dicens: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et timentem sermone smeos. Licet autem beatus Facundinus omni virtute fuit decoratus, præcipue tamen sancta humilitas in eo refulsit, quia fuit in mente vere humilis, timens Deum, et a judiciis ejus jugiter pavendo, omnibus se viliorem reputando, humilia et aspera religiosa vestimenta portando, peregrinus et pauper in hac vita non equis et palafredis * equitans, sed suis pedibus humiliter solus in timore orando, incedendo, et in die cum spiritualibus discipulis de Deo loquendo aliquando ambulabat. Bona autem consuetudo sancti exercitii huic beato Viro ex multa assiduitate et mentis devotione continua, conversa quasi ei fuerat in naturam: nam numquam otiosus stare poterat, quin aliquid boni faceret aut legendo aut orando vel Christianos exhortando, ita quod non transibat

* palafredus est genus equi.

A bat hora vel momentum temporis, quod non totum in Dei laudibus et salute sua et proximorum convertatur.

pia Horarum canonicarum recitatio,

18 Horas vero canonicas beatus frater Facundinus cum multa mentis devotione, elevando et directo ad Dominum intellectu et desiderio cordis, devote dicebat, bene proferens verba, et sollicite audiens, et sic attentus, ut quasi Deus præsens esset, psalmos recitabat et orationes: nam et spiritus Domini Famulo suo præsens erat, et replebat interius ejus mentem benedicens, et veraciter illustrabat, et sic ab omni cura et strepitu terrenorum retractus, cum mentis jubilo Deum, qui fecit omnia, collaudabat jam spiritualiter supernis choris angelicis sociatus. Volebat etiam et monebat clericos suos Horas canonicas dicere devote, et temporibus ordinatis, et, ut melius eos induceret ipse sanctus Pater, cum eis in ecclesia conveniens sæpius cum eis divina Officia devotius persolvebat, benigne et charitative eos monens, ut numquam ullam Horam dimitterent, ne pro qualibet Hora dimissa et perdita mortali crimine ligarentur.

optima monita clericis et sacerdotibus data,

B 19 A perversa vero ventris ingluvie, et ab æstu avaritiæ suos clericos refrænabat, monitis et correptionibus ad sobriam vitam et ordinatam et religiosam eos ordinans et adstringens: a familiaritatibus nocivis, quantum poterat, eos retrahebat, ne in vaniloquio et benevolo mulierum contubernio eorum mentes dissolverentur, et sicut ex devotione et munditia privarentur. Sacerdotes etiam confessores monebat, ne ullam cum mulieribus familiaritatem haberent, et inepta colloquia et superflua, nisi in audiendo confessiones earum, et conferendo eis Sacramenta divina, juxta quod saluti expedit, et congruit honestati, asserens mulierum aspectus infirmis mentibus tremendos, et corda fortia spiritualium sæpius denigrare, et quos in talibus inveniebat vitiosos, puniebat acriter, iudicens eis pœnitentias salutares; incorrigibiles vero tamquam membra putrida ab Ecclesia et Sacramentis separabat.

solicitudo in administrandis digne Sacramentis, ac clericis

20 Hic fuit ergo pastor misericordiarum episcopus Dei Facundinus, neque temporalibus commodis et lucris terrenis oves suas rexit et pavit, sed sine omni vitio simoniacæ pravitatis hic Sacerdos Dei virtutum opifex administrabat ecclesiastica Sacramenta cum devotione et reveren- C tia, quæ ipse gratis a Deo acceperat, Dei amore et humiliter subditis gratis dabat, et virtutis divinæ efficaciam, quam Vir Dei recipiebat a Domino, in sacramentis sacrosanctis debitam in mentibus suscipientium sacrosancta de ejus sanctis manibus, et plurimos a peccatis mundabat, et Christo adjungebat, æternæ vitæ participes effectos. Cum vero Dei Sacerdos et pontifex ordinationis tempore clerici ad suscipiendos ordines venirent ad eum, ipse zelo Dei et salute animarum accensus illorum vitam et conscientiam examinabat, si digni essent; nullo modo permittens, quod ad sacros ordines reciperentur, qui malæ vitæ et carnales erant et incorrigibiles, et certus esse volebat, quod erant bene confessi et dispositi, et bonæ famæ, quos ordinabat, et ad sanctum sacerdotium assumebat.

sacerdotum promovendis,

21 Sciebat enim sanctus pastor Facundinus, quod clerici insigni sacerdotio, indigne tractantes ecclesiastica Sacramenta, reprobantur a Deo, et ad damnationis suæ ruinam sacrata pertractant, et animas proximorum malis exemplis occidunt: et sicut de bona vita sacerdotum ecclesiasticorum et religiosorum, et sanctis verbis et exemplis laici simplices et fideles semper proficiunt, ita de mala vita et exemplis malorum sacerdotum et clericorum, subditorum animæ occiduntur: ita ut ab eis confiteri et Sacramenta Ecclesiæ recipere dedignenter, et ad divina officia accedere: ipsorum malis exemplis amaricati retrahuntur, et quod Christum crucifigunt, indigne sumentes, et ipsum occidunt in cordibus proximorum, æternæ damnationi et igni inextinguibili se obligant æternaliter puniendos. A. Anonymo.

ac singularis ad Missam

22 Quando autem Vir Dei Facundinus Missas celebrare volebat, licet esset vere mundus mente et corpore, et vere castus, quia honestatem et puritatem multa abstinentia, vigiliis, orationibus, et disciplinis acquisierat et conservabat, tamen prius se præparabat vigilando, orando, et pure confitendo, et per sanctam compunctionem et contritionem prius se ipsum et cor suum Domino offerebat in sacrificium, et spiritum ejus contribulatum, et cor contritum et humiliatum Deus mirabiliter acceptabat. Et licet mens ejus pura et innocens et devota Deo vivo quasi jugiter adhæreret per sancta desideria et sanctas meditationes per omnia conformis suæ sanctissimæ E voluntati, in illo tamen altissimo Sacramento, dum Missas celebraret beatus Facundinus, donis cælestibus copiosius replebatur, et agno immaculato Christo Dei Filio perfectius inhærebat, et spiritualiter uniebatur, quem in sancta communione cum vera cordis devotione sumebat.

præparatio laudantur,

23 Et quia ipse de vivo Jesu, qui de cælo descendit, sæpius manducavit reverenter, vita vixit pacifica, et gratia Dei semper fuit in illo. Vere enim dicere poterat, sicut Apostolus ait: Vivo ego jam non ego; vivit vero in me Christus. Hic ergo Dei famulus Facundinus vitam æternam in se manentem, cum verum Panem angelorum manducavit, ipse devotus, iuquam, et multis, pro quibus ipse obtulit hoc sacratissimum sacrificium, remissionem peccatorum, et a Deo gratias impetravit, et animabus, quæ erant in purgatorio, suis meritis et orationibus et virtute corporis pretiosi Domini nostri Jesu Christi impetravit pœnas feliciter terminare, et transire ad gaudia sempiterna. Sacerdotes autem et suos clericos beatus pater Facundinus admonebat, prout decebat, ut ad celebranda divina mysteria se præpararent devote, ut nullus præsumeret sanctum corpus Christi sumere, nisi bene confessus, F et nullo mortali crimine obligatus. Subditos vero et laïcos prædicabat, ne sacras communiones reciperent, et nisi bene confessi prius et dispositi et contriti.

ANNOTATA.

a *Hujus Sancti vita cum ex ipsius tum aliorum veterum scriptis collecta est apud nos die* 2 *Maii.*

b *De hoc sancto præsule agetur die* 7 *Decembris cum Martyrologio Romano.*

c *Habetur in Romano die* 30 *Septembris.*

d *Celeberrimus est S. Hilarius Pictaviensis episcopus, cujus vitam illustrarimus die* 13 *Januarii.*

e *Celebratur hac die, qua rerum ab eo gestarum collectio amplissima exhibetur in hoc tomo.*

f *Celeberrimum concilium, id nominis secundum, anno* 787 *habitum fuit.*

g Gritonatorum. *Quid sibi hæc vox velit, non intelligo; quæ, ut plures aliæ in hoc apographo, male scripta vel descripta fortasse fuerit. Quid si scribi*

A. Anonymo.

scribi debeat gridatorum; *et vox ista barbare formata sit e voce Italica* gridatore, *quod clamatorem significat? Et cur non hic infrunitos quasi rabulas, vel quid simile?*

CAPUT III.

Sancti cura pro monialibus; pastoralis de suo grege solicitudo; colloquia spiritualia; S. Juventinus ejus discipulus; fructus in proximo; vita mixta; castitas.

Reclusas ac moniales carere jubet a familiaritate hominum:

Venerabilis Dei sacerdos Facundinus, et fidelis pastor populorum Tadinati, cum oves sibi commissas fideliter regeret, cum multo Dei timore clericos et laïcos foveret, reclusas moniales et religiosas feminas cura præcipua custodiebat, ne lupus B rapax eas raperet et dissiparet: et ne sènsus earum mobiles frangeret, et veneno falsæ illecebræ et suavitatis earum animas antiquus serpens inficeret et necaret, familiaritates nocivas hominum eis denegabat, ne fragilis sexus femineus a fallaci confabulatione et fraudulenta amicitia traheretur et frangeretur, ne per fenestras quinque sensuum mors ad animas earum ingrederetur, et dum vivere in conspectu hominum in sanctitate putarentur, ante Dei oculos spiritualiter mortuæ in vitiis probarentur. Et quia mens humana quæcumque spiritualiter, nisi in vero Dei timore teneatur, cito subvertitur a vento inanis gloriæ, a laudatoribus exaltantibus vitam rectam, et opera bona per linguas adulatrices, et sicut plures insipientes spirituales et stultæ virgines, eum in laudibus humanis se laudantium extolluntur, et sanctæ videri et teneri gloriantur ante Dei præsentiam, merito privantur a præmio, et cum fatuis virginibus reprobantur, nec ad convivia sponsi et sponsæ intromittuntur.

varia referuntur

25 Eapropter Facundinus, sicut ipse laudes hominum sapienter devitabat, ita spirituales filios inanis gloriæ vitium fugere monebat, ut C cum virginibus sapientibus jungerentur: et ideo per sanctam confessionem per sacerdotes bonos eas purgari a vitiis faciebat, et visitatione disrutas eas corrigebat et reformabat, omnem amaritudinem odii adjicientes, et ad veram pacem et concordiam cum proximis se reformantes. Illis vero, qui rapina et furtis, usuris, et male ablatis illaqueati tenebantur, nullo modo absolutionis beneficium, et Communionis sacræ mysterium dari concedebat, nisi prius perfecte restituentes, vel firmum pactum restituendi componentes. Eos autem, qui in luto luxuriæ involuti, et fœdati fornicationibus, et lepra respersi immunditiæ, Deo et angelis abominabiles, putridi et fœtentes, nullo modo ad sacra mysteria accedere permittebat, nisi prius per pœnitentiam et humilem confessionem et contritionem se lavarent, et per veras et amaras pœnitentias Deo se reconciliarent.

de solicitudine ejus pastorali:

26 Sanctusque Pastor bonus et medicus prudens animarum languentium curabat vulnera, et salutis medelam fideliter eis tribuens, salvatori bono Jesu Christo reddebat incolumes et mundatos. Benigne autem et charitative oves errantes a via mandatorum Dei piis monitis et exhortationibus reducebat ad ovile Christi, et in D sinu sanctæ matris Ecclesiæ sollicite custodiebat: et cum in cura gregis et populi sibi commissi tota die cultor Trinitatis Facundinus quasi in vinea Domini fideliter laboraret extirpando vitia et virtutes inserendo, in Christi nomine ejiciebat dæmonia de cordibus peccatorum, [exstinguens] mala desideria et voluntates et propositum pravum male operandi: ægros etiam spiritualiter a diversis curabat infirmitatibus in nomine Domini, diversa vitia et peccata a mentibus et cordibus evellens plurimorum. Cæcis autem, et obtenebratis in caligine ignorantiæ, verborum Dei et mandati sanctæ Ecclesiæ lumen reddit conscientiæ, Christum in mentibus eorum seminans, qui est lumen verum animas sanctas illuminans, et sol justitiæ, veritatis suæ radio sancta corda illustrans Vir Dei Facundinus sicut erat totus euangelicus et devotus, sic sanctum et euangelicum observabat silentium, ut numquam ab ore suo procederet verbum injuriosum, stultum et lascivum, et quod in corde proximi turbationem et amaritudinem generaret.

colloquia spiritualia:

27 Et sic ipse veraciter bonus homo de bono the- E sauro cordis sui semper utilia et ædificatoria verba proferebat, et etiam cum devoto Juventino archidiacono suo, et aliis devotis discipulis et fratribus spiritualibus, in coloquiis divinis et lectionibus, in mensa dum comederent, et aliis temporibus cum sibi vacarent, a cura et strepitu subditorum retracti, exercitabantur et recreabantur in deliciis spiritualibus mensæ Domini: lascivos vero in verbis, et stulte loquentes, et injuriis proximos conturbantes, et aliorum vitam temerariter infamantes, durius increpabat vir Domini Facundinus, et corrigebat gravi disciplina eos subjectos: incorrigibiles vero omnino devitabat, et in suum consortium et intra suum episcopatum nullatenus admittebat.

Juventinus ipsius discipulus:

28 De opportunis vero et necessariis corpori escis famulus Christi Facundinus jactabat in domino cogitatum suum, quem ipse pius Deus per famulos suos nutriebat sollicite, qui mira devotione afficiebantur ad ipsum, ejus benignitate attracti: inter quos præcipuus extitit famulus Dei, archidiaconus ejus, et aliis devoti fratres, qui exteriora negotia peragebant et neces- F saria procurabant, ut magister eorum et pater Facundinus orationibus et contemplationibus divinis liberius vacaret: qui nimirum Juventinus charissimus discipulus et spiritualis filius beati Facundini vere fuit, et sanctitati ejus conscius et imitator præcipuus inter alios. Felix nimium [ac beatus] erat conventus fratrum canonicorum, et religiosorum conventicula, et clericorum societas ecclesiarum Tadinati, quibus tam Sanctus præsidebat pater episcopus Dei famulus Facundinus benignus et pius, et ipsi filii spirituales in Domino, et discipuli devoti et humiles et honesti, in medio quorum Christus erat Dominus et magister. O quam bonum et quam jocundum erat, tales fratres habitare in unum, qui divinum cultum cum multa veneratione agebant et ad Dei laudes et sanctorum populum attrahebant, et ad bene agendum, et pure vivendum suos concives invitabant plebes, ut pie credimus, tanti Patris, et sic perfecti, et sic sancti discipuli, et confratrum bonorum claris exemplis incitati mundum cum suis vanitatibus contemnebant, et cœlibem vitam agebant se ipsos Domino offerendo.

29 Multos

A *multi per eum cælo adscripti: vita ejus contemplativa et activa :*

29 Multos vero fuisse credimus Dei servos et timentes Deum in eadem civitate Tadinato et clericos et laïcos et per regionem in circuitu, et in ipsis montibus Apenninis *a* : quorum nomina licet nobis incognita sint, iu libro tamen Vitæ Dei et Agni conscripta sunt, cum quibus regnant in æteruum. Sacerdos autem Altissimi Facundinus, qui jam cum beato Paulo cælestis contemplationis arcem ascenderat, et divinæ sapientiæ dona gustaverat, cura episcopali coactus ad dirigenda et sanctificanda matrimonia, [iu] proximorum curas concedebat, et sicut patriarcha Jacob vidit. Aliquando per charitatis zelum, ut alter Helias, ascendebat in Deum, et illius charitate accendebatur, cujus inæstimabilis bonitas Filium voluit incaruari et crucifigi, ut redimeret, quos incaruavit *b*, de morte, per gradus pietatis condescendens ad proximum. Inopiam et tribulationes cum proximis velut suas [proprias] portabat, subvenieus eis, et eorum miserias et penurias relevans, nunc prædicando B nunc visitando infirmos et oppressos ad Christum reducebat in activa vita, velut Martha fidelissima, Domino fideliter et ferventer serviebat. Demum ad mortem Domini... abstergebat lachrymis, vigiliis et orationibus et jejuniis, si quid ei de terreui pulveris vanitatibus adhæsisset.

conservandæ castitati

30 Servus autem Dei Facundinus in se ipso rigidus et severus super custodiam suæ puritatis attentius vigilabat: nam mulierum familiaritates, colloquia et aspectus devitabat prudenter, non audeus respicere, quod concupisci non licet. Et licet sæpius necessitate compulsus curæ episcopalis, loqui mulieribus cogeretur, sicut pius pater eis condescendebat audiendo confessiones carum iu casibus opportunis, et conferendo eis Sacramenta divina, et de salute animæ salubriter eas admonendo, et ita caute, ut in nullius faciem figeret diutius intuitum oculorum suorum, ne serenitatem munditiei animæ suæ in aliquo obnubilaret, et ue iu carue sua edomita et subjecta spiritui igniculum suscitaret, et veram pacem a divina gratia sibi datam iu aliquo conturbaret.

et divinæ gratiæ confovendæ invigilat.

31 Et licet Vir sanctus exterioribus curis pontificalis officii populo sibi commisso obligatus cogeretur ad ejus munia exequeuda, ab interna C quiete orationis et devotionis exterius egredi, tamen semper sollicitus de sua salute, expletis cum pace et charitate curis sui populi, ad suas orationes et iuteruam quietem velociter recurrebat, in cellula se recludens ad orandum patrem suum et creatorem Deum : ideo festinabat sic cito recurrere; ne in anima sua et in corde calorem suæ devotionis extingueret, et meutem suam divina dulcedine et lætitia evacuaret, et tristia negotia et dolorosas curas hujus vitæ miseræ et labilis, quæ pacem et internum gaudium mentis dissipant et confundunt, prudenter devitabat, et declinabat ab eis : sicque fiebat Dei gratia et virtute, ut, dum Vir sanctus sapienter in se Dei gratiam conservabat firmus in fide et spe uostri Salvatoris, flumina vivæ aquæ sanctæ doctrinæ et exhortationis de ejus corde per linguam emanabant in suis discipulis et populis vitæ æternæ per sancta colloquia irrigando.

ANNOTATA.

a *Apenninus mons est Italiæ notissimus et castissimus partem ejus maximam dividens in longitudine : pro cujus descriptione mitto lectorem ad geographos. His adde dicta de isto monte in Commentarii prævii initio.* A. Anonymo.

b Incarnavit, *id est*, carne *seu* corpore *induit. Hac expressione auctor videtur alludere ad illud, quod præcedit :* Filium voluit incarnari.

CAPUT IV.

Singulare orationis donum, et multiplices fructus ex eadem relati.

Vir Dei orat in abscondito

Cum vero sanctus episcopus Facundinus totam diem in Dei laudibus et sanctis operibus expendisset in activa vita, sicut beata Martha, adveniente nocte, exemplo nostri Redemptoris et ascendebat in montem solus orare, et ne faceret justitiam suam coram hominibus, ut videretur ab eis, sollicite præcavebat : nam prius, comite Juventino devoto discipulo, in lectulo se reclinabat, et domicum dormiebat, et dormiens corpore, vigilabat tamen mente, sicut dicit sponsa in Canticis : Ego dormio, et cor meum vigilat. Deinde divino spiritu excitatus, concitus surgens, dum secum fervorem sui cordis exercitare et expendere non valeret in episcopio, ut Juventinum archidiaconum, et alios confratres excitaret a somno, et præcipue, ne eum extollerent et magnificarent in populo; propterea secrete et cum silentio egrediens de episcopatu et de civitate, ad Deum laudandum pergebat. E

ac spiritu fervente :

33 Tantus vero erat in famulo Dei Facundino fervor devotionis et dilectionis in Dominum nostrum Jesum Christum, quod non solum sibi sufficiebat iutra suam ecclesiam laudes et gratias persolvere; sed fervens spiritu per planitiem et montes pergebat Deum laudando, et dilectum suum Dominum nostrum Jesum Christum, quem amor humanavit, quem devote meditando prius in lectulo suo quæsierat per noctes, et per vicos et plateas orando quæsierat, nec invenerat, sicut volebat, timore repressus et abstractus, ne rumor de eo in populo fieret, demum pertransiens eos, dimissa civitate et populis, solus et libere cum psalmis et hymnis genua sæpius flectendo, palmas et faciem in cælum levando, F pertransibat planitiem, et ascendebat in montem solus orare, et per abrupta montium, per concava vallium, et per defossa terrarum cum excessivo fervore spiritus dilectum salvatorem nostrum Dominum requirebat Jesum Christum, cui ex charitate inenarrabili pro nobis crucifigi complacuit.

fructus

34 Et quia ipse famulus Christi Facundinus erat vere innocens manibus et mundo corde, in montem divinæ contemplationis a sancto Spiritu trahebatur, et per sancta desideria levabatur iu excelsis, et mens ejus divino illustrata lumine Deum videbat in speculo puræ lucis intellectualis : et tunc adorabat Deum Patrem in spiritu et veritate : et sicut sanctus Moyses, sic iste fidelis Pastor pro suo populo Deum devotissime exorabat. Accipiebat ergo benedictionem a Domino et misericordiam pro suo populo, et ipse Vir humilis benedictionibus et donis a Domino replebatur, et Deo vivo in orationibus et contemplatione familiaris effectus, quasi amicus cum amico hic fidelis servus cum suo Domino loquebatur,

A. Anonymo. loquebatur, et jam cum Deo unus effectus, solus cum a Deo carnis paries disjungebat.

multiplices 35 Erat beato Viro nox tam devota illuminatio sibi in deliciis suis spiritualibus, et in nocturno silentio dum silerent omnia, sermo Dei omnipotentis a regalibus sedibus de cælis veniéns in mentem sui Famuli, sua gratia replebat, et propter ipsum Tadinensibus multa beneficia tribuebat. Et Vir iste beatus præventus a Domino in benedictionibus dulcedinis, sicut elevatus in excelsis per zelum charitatis, ne a gratia divina caderet, tenebatur a virtute veræ humilitatis. Nam illuminatus a Deo cognoscebat Dei judicia esse justa, dum superbos corde dispergit, et exaltat humiles : et propterea in timore Domini se tenens, iudistanter serviebat Domino in timore, in activa vita, bona opera in proximos operando, et exultabat in Domino, cum tremore in contemplatione orando. Sic ergo iste Vir sanctus in mansuetudine cum fideli cura pastorali consimilis Moysi, et in zelo veræ charitatis et justitiæ sancto Heliæ, beati Petri B humilis imitator in sacerdotio, et sanctis Apostolis in vita apostolica, transfiguratum Christum et glorificatum ad Patris dextram sedentem videre meruit in hac vita in contemplatione perspicua, et ejus gratiosa præsentia sæpius refoveri in monte altissimo Apennino.

et singulares 36 Quantas vero, et quam magnas consolationes, illuminationes et spiritualia dona illa sancta anima beati Facundini in monte illo, et in * f. receperit illis locis desertis a Christo recepit * et repleta fuerit, iste Spiritus sanctus testis est, qui, ubi vult, spirat, et, quos replet, cælestes facit : quæ dona Vir sanctus et spirituales visiones descendens de monte numquam alicui reseravit, a et propterea mons ille Serra *a* sancta appellatus est, quod hujus beati Pontificis, et aliorum servorum Dei et ancillarum orationibus et vigiliis sanctificatus est : in cujus summitate Vir sanctus in defossa in duro saxo cellula in orationibus sanctis et deliciis spiritualibus sæpius permanebat, vera experientia expertus, quod bonum erat ei, ibi esse. Ad tantum vero fervorem sanctus Vir Dei et orationibus ignitis viva charitate Dei et proximi, in quibus Vir sanctus exercebatur, igneo amore seraphico illustratus, multitudo muscarum spirituum malignorum volitantium per aëra appropinquare nullatenus nec residere valebant, sed ad corda tepi- C da hipocritarum inutilium recurrebant, et beatum Verum nil lædere valebant.

ex oratione 37 Sic ergo nocturno peracto silentio in sancta visione et oratione, vir Dei Facundinus descendebat de monte, et ante auroram et solis ortum silenter et absconse intrabat civitatem, et in suum episcopatum; et ut a nemine comprehendi et conspici ista possent, in lectulo, unde prius surrexerat, recubabat. Quia vero tunc temporis plurimæ civitates et castra muris non circumdabantur nec januæ claudedantur, Romanorum magna potentia fultæ et securæ, et in pace permanebant, villæque, civitates et castra, quæ a Gothis, Longobardis erant destructa in præterito tempore, ex ruinis earum reversi cives et renati ex mortuis et fugatis civitates restaurabant, si per gyrum non poterant circumdare * i. e. bello muris, nimia paupertata a guerra * prius oppressi, et cultui terrarum intenti et occupati, ideo ipsam Tadinatum civitatem vetustam restaurantes, ex ruinis antiquis circumdatam fuisse muris, non legimus, nec credimus : et ideo beato viro Facundino erat via libera eundi et redeundi in montem; et quia Gothorum et Longobardorum D vexatio jam cessaverat *b*, et ad Christi fidem b conversi *c* erant, et Romano imperio similiter c jugati, ideo populi libere die ac nocte ad sua negotia ire valebant, et sancti religiosi et sancti eremitæ montium, sacras peragendo vigilias, Deum laudando insimul et divisim, ad sancta loca pergebant, et unusquisque pro suo modulo laudis sacrificium Altissimo offerebat et matutinale officium, et laudibus fideles Christiani interesse ad Deum laudandum. A sanctis prælatis inchoata antiquitus talis consuetudo devota, matutinis et aliis Horis adesse fideles laïcos, duravit per tempora longiora.

38 Vir autem Domini Facundinus secretum in Sanctum sui regis Christi celare bonum existimans, non solum alios clericos et confratres et subditos latere volebat; sed ab ipso Juventino archidiacono suo devoto se occultabat, ne suæ contemplationis devotum statum sentire posset, ne fructus inanes laudis humanæ ab Juventino reciperet. Vere autem hic Dei servus Facundinus in anima sua futuri sæculi inenarrabilem gloriam et suavitatem persenserat, qui ita scienter et E studiose laudes et honores sanctitatis de se audire vitabat, qui nocturno silentio solus et egrediens civitatem, et silvas et nemora penetrans cum Dei laudibus psalmis et hymnis. Quia vero malus timor retrahens homines a Sanctis jejuniis et vigiliis, et retardans ad serviendum Deo, et tepidum et accidiosum * tenet religiosum in * i. e. accidiosum Dei servitio : talis ergo timor non est in charitate, et mentem beati Facundini nullatenus denigravit : sed perfecta charitas, quæ foras mittit timorem, animam viri Dei veraciter illustravit, et admiranda securitate spirituali et constantia roboravit, ut nec turbas et insidias malignorum spirituum pertimesceret, nec feras indomitas in silvis latitantes, et nocturno tempore circumquaque discursantes ad rapiendam prædam, expavesceret; sed, sicut cum animalibus domesticis, cum eis conversabatur, et ad Deum laudandum, ut pie credimus, vir Domini eas invitabat.

39 Ipse autem feræ et animalia, ursi, porci a Deo silvestres, lupi, capreæ, et animalia incognita in nullo virum Dei Facundinum lædebant; sed tamquam oves mansuetæ cum Viro Dei in montibus conversabantur, diviuam virtutem in Famulo Dei juxta suam intelligentiam infusam eis a Deo, F metuebant. Nam benignitas et dulcedo benevolentiæ, a divina bonitate creaturis annexa et infusa, creationis animum, in vera innocentia et puritate viventem, et a Domini voluntate in nullo discordantem, naturali quadam subtilitate cognitionis *d*, qua illustratur a Deo, præsentiebant in d Dei Famulo et rectum vivendi ordinem, et immaculatam vitam, et mira quadam dilectione afficiebantur ad ipsum.

40 Dum ergo vir iste beatus episcopus Fa- cumulati. cundinus non solum inter homines, sed inter feras angelicam et apostolicam ageret vitam, spiritualem conversationem et sacerdotis dignitatem, et perfectionis et sanctitatis vitam cum eis humilitate et mansuetudine conservabat, et a terrenis desideriis retractus cum mente Deo adhæreret, tamquam peregrinus et advena peregrinationes suas devotas continuabat in die, profectibus subditorum intendens et procurans eorum salutem, et in nocte exemplo Christi nostri Redemptoris ascendebat in montem solus orare, et sicut Redemptor noster in excessiva charitate

A ritate pro nobis orabat, ut Deo Patri nos reconciliaret, et regnum nobis cœleste acquireret; sic iste fidelis Famulus ejus et bonus pastor preces devotissimas Deo offerebat pro suo populo tamquam alter Moyses, ut, quos verbo et exemplo gubernabat in Christo, eos suis orationibus defenderet a spiritualibus inimicis, et perduceret ad repromissam patriam salutis æternæ.

ANNOTATA.

a Serra, *inquit Cangius*, pro monte vel colle usurpari cœpit : qua notione Hispani etiam SIERRAS dicunt. *Quibus addi possunt Itali : nam apud Jacobillum in descriptione Tadini pag.* 12 *scribitur* Serra de' Sancti, ò Serra santa. *Plura de dicta voce Cangius.*

b *Pagius ad annum Christi* 554, *num.* 6, *bellum Gothicum in Italia tunc finitum fuisse memorat ex Agathia, quem citat, lib.* 2, *pag.* 49 *et sequentibus, contra alios, qui illud aliquantum differunt.*

c *Gothi in Italia post eversum suum dominium*
B *paulatim conversi sunt. Baronius ad annum* 591 *agit de Agilulpho, Longobardorum rege per Theodolindam reginam, conjugem ejus, Ecclesiæ Christi adjuncto cum subditis suis.*

d *De anima brutorum, ejusdemque functionibus disputant philosophi : quæ qualis sit, sub judice lis est, et erit.*

CAPUT V.

Discoli Sancto invidi; vanæ gloriæ fuga; virtutes aliæ; obitus.

Virtus sancti Præsulis odiosa discolis : vanæ gloriæ

Quoniam noverat fidelis Juventinus, quod maligni aliqui clerici et laïci felicibus actibus beati Facundini invidebant, et eum odiosum habebant, quia eorum vita arguebat, et arcebat eos a malis, libenter eum in aliquo infamassent, ut eis consimilis videretur : quia sancta et recta vita beati Facundini vitam malam et mores pravos
C lascivorum, et clericorum dissolutorum rem reprobam et pravam .... Cum vero Juventinus devotus archidiaconus ejus quadam die calceamenta beati Facundini, quæ in sero bene detersa reposuerat juxta humile stratum, in quo devotus pater repausabat, in mane surgens hora prima accepit, volens ea surgenti Episcopo præparare, ut calceatus procederet in ecclesiam cum discipulis ad divina officia et mysteria celebranda; cumque tactu et visu Juventinus fidelis calceamenta luto infecta videret, cum anxietate cogitare cœpit, quid hoc esset. Verum, quia ipse beati Facundini vitam cognoscebat cœlibem, et et ipsum Sanctis moribus adornatum, et opera sancta et perfecta, et verba cælestia; quid hoc esset, non fuit ausus inquirere a Pontifice venerando, patre spirituali et magistro; sed cum eo in ecclesiam procedens divina officia celebraverunt cum clericis et populo, et nulla murmuratio ab ore Juventini processit, nec a confratribus inquisivit, sed fidelis et devotus alia quadam nocte vigilanter et sollicite observavit, cupiens de hoc certius declarari, nullum alium ad hoc inducens, ne murmur fieret et de Patre episcopo sinistrum aliquid suspicaretur.

A. Anonymo. vitium

42 Cum vero alia nocte beatus Facundinus primo [noctis] conticinio a divino spiritu, qui in ejus mente humili et quieta requiescebat, excitatus, cum silentio episcopio et civitate egrediens, pertransiens planitiem, cum psalmis et genuflexionibus ascendebat in montem, et devotus Juventinus devote et humiliter Magistrum sequebatur cum silentio. Cumque jam pene ad summitatem ejusdem montis beatus Facundinus orando pervenisset, nutu divino conversus post se vidit discipulum sequentem, et Vir sanctus, qui semper optabat secretum, et secreta suorum subditorum, ita occulte et subtiliter investigari noluisset ab illo, intime doluit, se manifestatum cognoscens, timens, ne thesaurum cælestis desiderii et contemplationis, et donum Dei altissimi per auram favoris et humanæ laudis perderet, vel in anima sua aliquatenus impediretur; et charitative indignatus discipulum reprehendit, quod minus bene egisset, et Juventinus perterritus et compunctus timuit valde, et humiliter veniam postulavit, et quare hoc fecisset, dixit bonam fidem et intentionem suam. E

ac laudes humanas vitat :

43 Beatus vero Facundinus culpam discipulo remisit, et bonam ejus opinionem acceptavit. Et quia charitas est patiens et benigna, vir Dei Facundinus charitate plenus, cogitans et patiens, cognoscens sapienter se non posse amplius fervorem sui spiritus occultare, unanimiter cum Juventino Christo servivit, præcipiens ei, ut devotum exercitium sui spiritus nulli manifestaret, et sic in Dei servitio perseveravit usque in finem. Cavebat sibi Vir Dei a laudibus hominum, ne ventus elationis et lubrica fama inanis gloriæ dirueret mentem ejus, et a merito suo eum vacuum faceret ante Deum, et ne in aliqua laude resolveretur animus ejus, et in tumorem cor ejus excresceret, et sicut inter virgines fatuas computaretur veniens in judicio ante Deum, et qua nesciebat qua hora Dominus ejus venturus esset, vigilabat sollicite, ut semper mens ejus attenta esset vitia fugere et apprehendere virtutes, et lampadem plenam oleo devotionis et pietatis, igne charitatis accensam, prudenter conservabat apud se, ut, veniente Christo Sponso, introiret cum eo ad nuptias sempiternas.

varias ejus dotes

44 Regebat ergo populum et nutriebat in Christo fidelis pastor Facundinus, et sacerdos archidiaconus Juventinus, et ad Dei laudes et ad bene operandum confratres suos clericos et religiosos et populum provocabant. Tadinenses vero F et in circuitu regionis habitantes laudabant Deum, et Jesu Christo gratias multas agebant de bono pastore Facundino, et de fideli archidiacono Juventino, quos eis Deus sua benignitate donaverat, qui odorem sanctitatis et perfectæ vitæ in tota regione refundebant, ita quod vere adimplebatur in eis, quod dixit Apostolus Christi : Bonus odor sumus Deo in omni loco : nam et sicut stellæ in medio nebulæ, ita isti relucebant in populo nubiloso in vitiis et involuto peccatis, illuminantes eos sanctis monitis et exemplis, et retrahentes eos a malis. Congaudebant autem sancti confratres episcopi et pastores boni Perusinæ civitatis, Eugubiæ, et Assisinatis *a* Tadinensibus clericis et laicis, et ipsi pio pastori Facundino confratri et coepiscopo : quia licet locorum diversitas et distantia Dei amicos disjungat, et separet, tamen vera Christi charitas unanimes et conjunctos in vero Dei amore ligatos tenet sancta pax et concordia, quæ maxime temporibus illis inter sanctos episcopos et religiosos vigebat

A. ANONYMO. gebat, quia non sua, sed quæ erant Christi, quærebant, cuncta temporalia reputantes sicut stercora, ut Christum lucrifacerent.

sparsim narrat

45 Sanctum enim ordinem monachalem et sanctum præsulatum episcopalem accipiebant tam sancti viri pro solo Dei amore, et ut Christo perfecte servirent, ut ex hoc vitam æternam acquirerent non ut delitiose et lascive viverent, et parentes dotarent, et mundi gloriam in mercedem reciperent : quod multi hodie faciunt in tenebris involuti, et spirituali lumine et gratia privati, qui in numero fatuarum virginum computantur, quibus dicturus est Deus in judicio : Nescio vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. Quia vero sacerdos Dei altissimi Facundinus apud Deum gratiosus et acceptus erat pro innocentia cordis et sanctitate vitæ, et euangelicæ vitæ observantia dignus erat tanto sacerdotio Christum et beatum Petrum imitando, propterea * adimplevit in eum Christus, quod promisit discipulis : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt.

* propterea *intellige sano sensu.*

B 46 Unde, quando sacerdos Dei Facundinus confitentes sibi peccatores absolvebat, Deus in cælo absolvebat eos et absolutos reddebat, quos fidelis Famulus ejus et minister et sacerdos sanctus in terra positus fideliter absolvebat, et pro quibus sanctum Sacrificium offerebat, et Deum devotissime exorabat : et quia ipse verum membrum erat nostri Redemptoris, quodcumque iu Christi nomine Deo Patri petebat, a Deo impetrabat, quia non alia, quam ea, quæ Christo placerent, postulabat. Et ideo multas animas ejus orationibus et absolutionibus credimus esse Salvatas, et plures in peccatis mortuos ejus sanctis monitis ad vitam gratiæ resuscitatos fuisse approbamus. Tanta autem in viro Dei Facundino refulsit mentis munditia et castitas corporis perfectissima, ut vere in eo impleretur quod sanctus doctor Hieronymus dixit : In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cælestis. Unde et in carne angelicam gloriam acquirere, majoris est meriti, quam habere. Quam vitæ puritatem Vir sanctus cum multa custodia sensuum conservabat, ne per fenestras corporeas integritatem animæ violaret et subtilitas intellectus superno lumine privaretur.

biographus.

C 47 Cum vero Facundinus servus Dei totum tempus vitæ suæ in Dei servitio et laudibus et proximorum salute expendisset, Deus omnipotens vitam suam sancto fine conclusit, et quia usque in finem perseveravit perfecte in bonis operibus, ideo salvus fuit. Decurso autem modico tempore, quo sanctus vir Facundinus a Juventino secrete sequebatur, et manifestatus sibi soli fuerat, cum Vir Dei episcopus in monte orationibus vacaret, inspiratus fuit a Domino, et vocatus ad nuptias sempiternas, et servens spiritu, ut mundi gloriam fugeret ad civitatem non rediit, et cum viribus corporis inciperet repente destitui, in vallem Facundianam juxta rivum Castriani *b* oppidi lento gressu descendit, et quia veraciter Dei Famulus Facundinus semetipsum abnegaverat, et crucem portabat Christum sequendo, et perfecte mortuus erat mundo et vivebat in Christo per gratiam.

Sanctus in loca solitaria,

48 Qui tempore mortis, quando etiam solent viri sancti et perfecti proprii corporis misereri, et medicorum et medicinarum subsidia recipere, et fratrum et discipulorum præsentia et allocutione confortari, et in stratu molliori quiescere : hic vero Dei Famulus jam cum Christo spiritualiter crucifixus, cui vivare Cristus erat et mori lucrum, non solum vivendo, sed etiam moriendo magistrum suum Christum voluit imitari : nam sicut Redemptor noster benignissimus in fervore charitatis suæ, qua nos dilexit, pro nobis mori voluit nudus et pauper in loco horribili et extra civitatem a suis discipulis derelictus ; sic iste fidelis Servus et amicus ejus in illis locis, ubi orationibus fuerat exercitatus, et a Domino receperat spiritum gratiæ, illic Deo Patri et creatori suo reddere voluit spiritum vitæ. Nam orando in manus Domini commendans animam suam, super aridam terram et nudum pulverem quasi in oratione prostratus obdormivit in Domino, solo religioso habitu aspero et despecto circumtectus et involutus : ubi cum non humana præsentia alicujus et auxilio foveretur, spiritualis præsentia Dei et sanctorum angelorum ei affuit, et ipsum confortavit, et ab eis cum jubilo ad æterna est perductus. D

et secundum Christi exemplar, derelictus,

49 Et ipse Vir beatus seminudus et pauper in illa hora extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, mendicus et inops cum diabolo constanter pugnavit, et sic de carne sua et mundo et sathana veram victoriam reportavit, et sic ferventer cucurrit ad bravium, rejectis temporalibus, quod incorruptam coronam vitæ æternæ feliciter acquisivit ; et sicut beatus Martinus, ipse vir Dei Facundinus in cinere et cilicio mortuus fuit pauper et mendicus, et cælum dives intravit hymnis cælestibus honoratus. Et quia maligni spiritus nil in eo funestum et mortale crimen invenerunt, ideo perterriti recesserunt. Testamentum nullum fecit beatus Facundinus episcopus, verus pauper Christi, quia non habebat, unde faceret. Non pecunias vel equos et alia pretiosa quæque congregabat, sed per manus pauperum cuncta superflua extra victum pauperculum et vestitum asperum, in cælestem gloriam transmittebat, dum viveret : solum autem paramenta paupercula et libros humiles, et quæ necessaria erant ad divinum cultum, in suo episcopatu et cathedrali ecclesia dereliquit, et suis clericis exemplum veræ perfectionis dimisit, ut spiritualem vitam semper tenerent, ut ad cælestem gloriam migrando transirent. E F

et, sicut S. Martinus, pauper

50 Ex hoc autem intelligimus in quanto culmine sanctitatis et virtutum vir Dei Facundinus erat sublimatus, qui non solum in vita sua de sua sanctitate et perfectione laudari et exaltari ab hominibus vitavit ; sed etiam moriendo mundanos favores et honores veraciter recusavit, migrans ad Christum solitarius et quietus a præsentia clericorum et discipulorum remotus. Obiit autem venerabilis Dei sacerdos et episcopus Facundinus pater et pastor populorum Tadinatensis diœcesis quieto Calendas Septembris, eo tempore, quo sancta mater Ecclesia in pace repausabat, fugata tempestate Gothorum et Longobardorum, et diversorum tyrannorum, a divina potentia per manus Catholicorum imperatorum Justiniani et Justini, et Caroli Magni et Ludovici, et successorum ipsorum *c*.

ex hac migravit die 28 Augusti.

ANNOTATA.

a *De episcopis Eugubinis consuli potest Ughellus tomo* I *Italiæ sacræ a columna* 676 *prioris editionis ; de Assisiensibus col.* 540 *et sequentibus ; de Perusinis a col.* * 70.

b *Consule præmissa in nostro Comment.* § 2.

c *De hoc biographi loco disputatum est in Comm. num.* 7.

CAPUT.

A

CAPUT VI.

Revelatio et translatio corporis; cultus publicus; B. Juventinus apud Sanctum sepultus; miracula; mutata ecclesia; sepulcrum divinitus honorari jussum; Sancti Legenda.

Corpus divinitus revelatum

Corpus autem sanctum beati Facundini volens Deus honore congruo et digna reverentia venerari, cuidam fideli ipsius patriæ revelavit hoc modo: nam eo tempore, quo sanctus vir Facundinus migravit a sæculo, et spiritus ejus redit ad Dominum, qui creavit illum, Dominus noster Jesus Christus per seipsum, sive per angelum suum cuidam fideli Christiano in visione, B sancti Facundini revelavit obitum, et injunxit ei divinus spiritus, ut duos juvencos indomitos ad plaustrum jungeret, ad locum, ubi sancti Viri corpus jacebat, pergeret, et corpus sancti Episcopi desuper reverenter imponeret, et quocumque divina providentia eos dirigeret et distinaret, ibi sepulcrum et oratorium sancto corpori construeretur. Evigilans autem vir ille et admirans, surrexit valde diluculo, et divini oraculi admonitionem adimplevit sicut verus obediens, et juvencos jungens ad plaustrum perrexit ad locum sibi Domino demonstratum: et circumspiciens vidit sanctum Facundinum jacentem in terra, in Domino dormientem: cujus anima iu Deo vivebat, cui omnia vivunt.

et miro modo

52 Et obstupescens cum gaudio adoravit pronus in terram, et Deum in Servo suo devote benedicens et laudans, deosculatus est devote sancta membra sui Episcopi, et reverenter accipiens, in plaustro imposuit, et invocata sancta Trinitate juvencos abire permisit. Dei autem voluntate, cujus nutu omnia disponuntur, illi juvenci mansueti effecti aripientes iter ibant hilares recto tramite: C non recalcitrantes portabant arcam sacri corporis Facundini episcopi: ubi et in qua sacra Dei mandata Legis veteris, et novi Testamenti consilia recondita fuerant et servata sapienter ab ipso sancto Pastore et sacerdote Domini. Cum ergo venissent ad locum quasi medium inter flumen Castriani oppidi, et fluvium muri Castelluli, ibidem immobiles substiterunt, non voce, sed actu demonstrantes illico eodem debere Dei Famulum collocari.

translatum, et extra

53 Homines vero loci illius et per regionem circumpositi ad rumorem tanti miraculi concurrentes utriusque sexus et status congregati sunt, et admirantes et obstupentes Deum et beatam Mariam et beatum Facundinum venerabiliter collaudabant, osculantes sancta membra et cum multa devotione venerantes corpus sancti Episcopi sui et pastoris, et intra se loquebantur et tractabant, qualiter et in quo loco sanctum patrem Facundinum reconderent et collocarent. Et inspirati a Deo tam clerici quam populi, cognita Dei voluntate per illius fidelis viri revelationem, et juvencorum immobilitatem, non fuerunt ausi sanctum Episcopum in Domino quiescentem ad civitatem Tadinatum et suam ecclesiam reportare: et propterea iu loco eodem effossa terra construxerunt sepulcrum et locellum, et cum luminaribus et laudibus et solemnitate et reverentia sanctum corpus sui Episcopi in ipso recondiderunt, et sic ipsam ecclesiam in honorem sancti Facundini episcopi et confessoris construxerunt, et devotæ personæ et clerici et religiosi advenientes et permanentes, vigilias et excubias peragentes, laudes Deo et psalmos devotius persolvebant.

A. Anonymo.

ecclesiam ejus episcopalem sepultum est,

54 Sic factum est, ut sancti Viri fama longe lateque volaret: et ad ejus reliquias multi populi confluebant, glorificante Deo Sanctum suum, et per eum multa . . . A quodam viro spirituali audivimus, quod beatus Facundinus episcopus annos decem et octo *a* in episcopatu Tadinati præfuit, et Tadinensem rexit ecclesiam. Ex hoc cognoscimus et devote pensamus, quod ad inenarrabilem gloriam . . . . animam sancti Facundini Christus assumpserat de ejus corpore colligendo et collocando et venerando; sic curabat et fideli suo [Servo] vere adimplevit Dominus, quod per David manifestavit in hoc famulo suo Facundino, dicens: Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum: nam E immenso honore cum amicis suis Facundinum servum suum Deus honorat iu cælis, quem etiam per plura centenaria annorum sic honoravit et honorat in terris.

transmissa sancti Præsulis ad posteros memoria.

55 Nam cum omnium Tadinensium nobilium et popularium clericorum et laïcorum nomina et facta oblivioni sint tradita, et de nullo memoria habeatur, solum de sancto Facundino nomen et sancta opera recordatum, et de ejus archidiacono sancto Juventino; ita ut vere iu eo impletum sit, quod dixit Psalmista: In memoria æterna erit justus. Ipse ergo iu memoria habetur hominum, qui ad gaudium transivit angelorum. Congruum ergo fuit, ut beati Facundini nomen et memoria, sicut apud Deum est in æternum impertita cum beatis; ita sancta mater Ecclesia, sancto Spiritu inspirata, et boni pontifices cum cœtu fidelium iustituerunt, ut hujus venerabilis episcopi Facundini celebris memoria perpetua haberetur in diœcesi et episcopatu suo, et dies festus ejus solemniter celebraretur quinto Calendas Septembris, quam devotam festivitatem per plura annorum centenaria veneratam fuisse audivimus a Tadinensibus incolis et coutadinis * Nucerinis: et nos F eam temporibus nostris audimus solemniter celebrari ad laudem Domini nostri Jesu Christi: qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* *i. e. rusticis territorii Nucerini*

Sepultus postea in eodem loco B. Juventinus,

56 Servus vero Dei Juventinus archidiaconus beati Facundini, consummatis diebus vitæ suæ in sanctitate et bonis operibus, fideliter migravit ad Dominum associatus cum Patre et magistro in loco dormitionis, et reconditus in eadem ecclesia, sicut tradidit traditio certa antiquorum et oratio ipsorum continet, quæ in eorum veneratione cantatur: hoc dicimus quia ita pronuntiatur: Propitiare, quæsumus, nobis famulis tuis per merita istorum sanctorum tuorum confessorum Facundini pontificis, et Juventini confessoris, qui iu præsenti ecclesia requiescunt, merita pretiosa, ut eorum pia intercessione.

S. Facundinus beneficus: mutata ejus ecclesia:

57 Temporibus quoque nostris circumadjacentium locorum Tadinatæ olim diœcesis habitatores in montem ipsum Serræ sanctæ pro siccitate, et aliis tribulationibus eis irrogatis pro peccatis eorum, vidimus ascendisse, et Dei nostri magna misericordia et benignitate, et meritis et orationibus beati Facundini episcopi eos exau-

diendos

A. ANONYMO. diendos esse, et liberatos cognovimus: et pluviam salutarem tempore congruo, et aëris serenitatem tempore opportuno a Deo patre benignissimo receperunt. In eadem vero ecclesia multa beneficia Dei exuberant populis, et miracula beati Facundini per multa annorum curricula; donec sanctum corpus ejus inde translatum fuit, et mutata ejus ecclesia in superiori loco ad radices montis. De hoc venerabili fratre episcopo Facundino sic scripsit ille sapiens et devotus homo antiquitus, qui ejus Legendam compilavit, sicut certissime notatur, dicens: O beate Facundine, confessor alme, tu fideles tuos deprecantes nunc et semper exaudi. O beate Pontifex mundum reliquisti, Deo totis viribus adhæsisti, justitiæ exemplum præbuisti in omnibus tuis operibus, viam vitæ demonstrasti, convallem frumento Domini abundantem non derelinquebas, et tamen in montem ad Dei contemplationem ascendebas.

vestigia pedum ipsius impressa saxo memorantur:

58 De isto sancto episcopo Facundino magna mirabilia referunt tam clerici quam laïci, qui hoc ab antiquis suis certa fide et relatione audierunt, sicut et illi a suis antiquioribus acceperunt, quod venerabilis pater Facundinus, dum in montem accederet eum fervore spiritus ad orandum, B aliquando in tantam sublimatus fuit gratiam a Christo, ut etiam saxa dura mollificarentur sub plantis ejus, et vestigia impressa pedum in eis velut cera sigillata ostenderent concavitates genuflexionum in monte saxoso, dum oraret genibus flexis, et manibus et oculis directis et elevatis in cælum, repræsentarent: ad quæ videnda et osculanda per plurima tempora populi concurrerunt, et nos ipsi vidimus et osculati fuimus, quando cum clero et populo religionis [causa] cum sacris letaniis ad cellam ejus ascenderamus, Deum pro tribulationibus deprecantes: quoniam per veram devotionem credimus hunc beatum virum Facundinum dura corda hominum peccatorum ad contritionem et pœnitentiam convertisse. Vere Deus benignus et misericors, sub cujus pedibus et genibus dura saxa sic mollificavit.

sepulcrum a transeuntibus honorari jussum divinitus:

59 Aliud quoque grande miraculum de beato Facundino refertur ab antiquis certissime hoc modo; Cum collocatum esset corpus Viri sancti in sepulcro, et multa per eum Dei beneficia largirentur, nulla persona equitando, nec calceamen- C ta portando, nec vestimenta per terram trahendo transire poterat a vena rivi Castri muri usque ad flumen oppidi Castriani, nec e converso, nisi prius de equo descenderet et calceamenta deponeret, et sic cum reverentia ante oratorium sancti corporis pertransiret. Quæ miracula, mutata ejus ecclesia, et translato [in illam] corpore sancto, frigescente populorum devotione, disparuerunt. Nam dum mentes et corda hominum devotione et charitate evacuantur, Dei quoque gratia et benedictione privantur. Sicque, sicut miseri homines, qui sola transitoria appetunt et diligunt, in ipsis mercedem suæ retributionis accipiunt, quia ad æterna præmia pervenire digni non sunt; et dum Sanctorum exempla ei doctrinam obliviscuntur et despiciunt, patrociniis Sanctorum et beneficiis juste privantur; sic miseri Tadinenses cives et contadini renati et propagati ex antiquis Tadinensibus, post duram tempestatem Gothorum et Longobardorum, dum civitatem restaurassent, et beatus pater Facundinus episcopus in eadem civitate pontificatus officium devote perfecisset et migrasset ad Dominum, et Juventinus ejus sanctus archidiacomus post eum, post ejus felicem transitum ipsi Tadinenses obliti D tam sancti Patris monita et exempla, et vitam ejus non sequentes, et Dei beneficiis se reddentes ingratos, exorta inter eos divisione et discordia, intestino bello se ipsos cum civitate destruxerunt, exterminaverunt, sicut firma nobis tradidit assertio *b*.

b Antiqua sancti Legenda:

60 Beati Facundini almi confessoris vitam sanctam et felicem obitum, sicut ex antiqua ejus Legenda brevi sermone annotatum, quam in libris antiquæ ecclesiæ canonicæ invenimus cum aliis Sanctorum historiis insertam; sic ex ipsa Legenda simplici sermone conscripta investigare potuimus, sententiam verborum exprimentes, et ex traditione etiam veridica antiquorum colligere potuimus, hanc copiosam Legendam inde edidimus ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et reverentiam beati patris et pastoris nostri Facundini: quem credimus fuisse illum venerabilem episcopum Facundinum Tadinensem, quem verus sacerdos Altissimi Petrus Damiani *c*, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, et Prior postea sanctæ crucis fontis Avellanæ miro commendavit eloquio, et in libris, quos dictavit, adscripsit cum aliis sanctis episcopis et prælatis et servis E Dei, qui circa illa tempora floruerunt, commendans et ipsum beatum Facundinum de admiranda sanctitate sua, et de felicissima populi sui sollicitudine et cura.

miracula ejus vel non scripta antiquitus, vel deperdita.

61 Plura vero miracula beati Facundini, et curationes infirmitatum, quæ per eum Dominus fecit ad laudem et gloriam sui sanctissimi nominis, et per invocationem sui sanctissimi famuli episcopi Facundini hic scripta non sunt, quia aut negligentia clericorum et ruditate et stultitia laïcorum non fuerunt scripta et annotata; vel si aliqua scripta fuerunt, mala custodia perdita et destructa et consumpta fuerunt. Nam, sicut dixit Salvator de se: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis, ita et bono pastore Facundino migrante de mundo, et in cælum assumpto a Christo, oves gregis sui dispersæ fuerunt circumquaque, civitate consumpta, nec alius post eum in cathedra seniorum præcedentium episcoporum resedit in episcopatu *d*, et hoc causa fuisse videtur, quia ipsa civitas a Gothis et Longobardis ab anno Domini quingentesimo usque ad annum Domini sexcentesimum tertium *e* sæpius F oppressa et conculcata, postea, vivente beato Papa Gregorio reformata *f* et episcopatus in ea, et per annos trecentos Italici repressissent *g* et restaurassent terras, demum Saraceni ex Africa procedentes, et per Apuliam, Siciliam, et Romanas partes discurrentes, Romam oppresserunt, et Spoletanam civitatem . . . et regiones ducatus et Marchiæ supplantantes, habitatoribus occisis et fugatis, ista vetusta civitas Tadinum consumpta fuit totaliter, stetitque ipsa regio [desolata] per annos multos *h*.

obiit Sanctus dum reddita esset pax Ecclesiæ:

62 Illis autem temporibus, in quibus sancta Romana Ecclesia et Christana religio repausabat, et quasi de morte ad vitam respiraverant populi Latinorum, fugata tempestate guerræ, et recedente diluvio et infestatione barbarorum Gothorum et Longobardorum, qui per annos amplius quam trecentos supplantaverant discurrendo, exurgente Deo dissipati fuerunt et fugati, et sicut fumus defecerunt, et in extremis terræ finibus restricti sunt ad imperatoribus Constantinopolitanis et Romanis, qui et solliciti fuerunt civitates restaurare et cultum divinum et ecclesias ubique reformare. In ista ergo pace sanctæ matris

A matris Ecclesiæ et Romani imperatoris in vetusta civitate Tadinato vel Tayno in episcopatu præfuit pacificus Christi servus beatus Facundinus Dei adoptivus filius, et in vera pace migravit ad Deum, et rex pacificus Dominus noster Jesus Christus suscepit usque hinc cum in regno claritatis suæ, ubi est pax individua et charitas sempiterna.

ANNOTATA.

a *Non merentur fidem apud nos illi anni: quia vaga sunt, quæ de Sancti chronologia referuntur. Vide Comm. præv. a num.* 7.

b *Magnus in Ms. nostro hic est hiatus, quem supplere aliunde non possumus.*

c *Multis itaque annis post* S. Facundini *obitum hæc Legenda fuit scripta. Consule Comment. prævium* § 2.

d *An post Sanctum alius ibi non fuerit episcopus, non certo nobis constat. Vide Comm. num.* 9.

e *Gothorum bello in Italia finem impositum anno* 554, *retulimus ex Pagio superius in Annotatis ad cap.* 4, *lit.* b, *contra alios, quibus* B *illud aliquantulum differre visum, sicut ibidem invenies.*

f *Immo id factum fuisse a S. Gregorio PP. ad annum* 595, *colligitur ex ejus epistola ad Gaudiosum episcopum, quam dedi in Comment. prævio* § 1.

g *Forte* repriorassent, *id est*, ad priorem, seu pristinum statum reduxissent: *de qua voce barbara agit Cangius in Glossario.*

h *Variæ Saracenorum in Italia grassationes seculo nono legi possunt apud Baronium et Pagium.*

CAPUT VII.

Alia miracula; reliquiæ; mutatio ecclesiæ.

Miracula alia de Sancto

Sicut firma et vera traditione virorum seniorum, quorum parentes antiqui et propinqui C juxta ecclesiam beati Facundini habitaverunt, audivimus, et ita fuisse nobis attestati fuerunt: qui inter alia, quæ nobis recitabant magnalia de sancto Facundino, ista dixerunt: Regina quædam cum suis militibus per Italiam transiens, dum ad fluvium proximum oratorio, in quo beatus Facundinus quiescebat, pervenisset, ultra progredi non valebant invisibili virtute et potentia retenti. Et cum regina, et sui servi obstupescerent, interrogaverunt homines loci illius, quid hoc esset, et quare. Et a respondentibus admoniti fuerunt, ut de equis descenderent et discalceati pergerent ad oratorium beati patris Facundini, et libere postea iter suum insequerentur. Et ipsa regina spiritu superbiæ inflata dixit: Numquid non transivimus per multa loca Sanctorum, et talia facere nec admoniti et coacti non fuimus?

64 Ibimus ergo viam nostram, sicut consuevimus his diebus præteritis, et sic perurgens equum regina saltu fluvium transiens, statim corruit in terram, et ex gravi casu brachium ejus confractum est, et clamare cœpit cum gemitu et dolore, et in semetipsam reversa et humiliter compuncta, rogabat Deum et beatum Facundinum, ut ei sanitatis remedium dignatur tribuere, et se indignam cum suis militibus ad suam ecclesiam sineret pervenire, vovens Deo et Sancto ejus deinceps sibi esse devotam, et Sanctorum loca ubique venerari. Et statim Dei clementia regina convaluit, et discalceatis pedibus pedester ambulando cum suis vasallis, ad ecclesiam beati Facundini pervenit, et ibi in devotione et oratione permanens, cum multa devotione sacras reliquias beati Facundini reverenter osculata fuit, et dona obtulit ecclesiæ et clericis, et commendantes se Deo et beato Facundino et valefacientes clericis, in pace profecti sunt. A. Anonymo.

65 Hoc miraculum, sicut audivimus ab antiquis, scripsimus, et ipsi etiam antiqui hoc miraculum, quod subjungimus, nobis retulerunt dicentes: Quidam nobilis vir cum suis famulis et militibus dum per regionem pertransiret, pervenit ad fluvium et ab obviantibus præmonitus fuit, ne ulterius procederet, sed pedester et discalceatus ante oratorium beati Facundini devote pertransiret. Sed ille contemneus, equum calcaribus urgere cœpit, et dum saltu fluvium transivisset, statim corruit, et fracto crure cum lachrymis compunctus Dei et beati Facundini misericordiam invocabat, sicque eum sui homines discalceati E pedibus ad ecclesiam, in qua pretiosa ossa beati Facundini erant, perduxerunt, et ibi, precibus crucis emissis, sanitati pristinæ restitutus fuit. Et considerans ille nobilis miram in sacris reliquiis beati Facundini esse virtutem, dari sibi ex ejus sacris membris particulam rogavit efficaciter. Clerici autem et laici ibidem servientes, non valentes tanto viro renuere, partem aliquam ei de sacris reliquiis dederunt, et ille lætus accipiens ad propria remeavit. Particulam etiam quamdam de sancto corpore beati Facundini dicuntur impetrasse, et accepisse ambasciatores * Anconitanæ urbis, qui Roma redeuntes illuc transibant. Et propterea incolæ regionis episcopatus olim Tadinati, et Nuceriui comitatis, timentes ne sacrum corpus eis totaliter tolleretur, transferre in ecclesiam *a* deliberaverunt, et sic cum clericis et laicis Deum timentibus ecclesiam superius ad radices collium construxerunt, ne ita faciliter ad eam adire possent transeuntes per Flamineam, et vias alias.

narrantur: reliquiæ: mutata ecclesia.

* *i. e.* legati

a

66 Cum autem fideles pilum *b*, sive arcam saxeam, in qua sancti Viri corpus jacebat, transferre vellent ad superiorem constructam ecclesiam, F nec funibus, nec instrumentis, nec manibus movere potuerunt inde per tres dies Dei justo et occulto judicio: quia aut illi non erant sine peccato gravi, et indigni erant tam pretiosum munus suis trahere brachiis et manibus; aut quia spiritus sancti Viri Facundini nolebat corpus suum inde transferri, ubi sanctus Spiritus, et ipse Dei Episcopus, et Dominus Jesus Christus locum sepulturæ per juvencos monstraverat, et ubi jam per plura curricula temporum jacuerat, et ubi plurima Deus miracula per eum demonstraverat; vel quia dona Dei et magna beneficia obtineri statim non possunt a Deo, nisi jejunio et oratione devota præmissa, et pœnitentia facta de culpis commissis. Sed cum fideles orationibus cum lachrymis et vigiliis insisterent, quasi coactus Deus donare, quod petebant, et beatus Facundinus victus devotioni suorum fidelium, moveri inde et transferri se permisit cum hymnis et laudibus, et fideles ita ejus tumbam occulte absconderunt in ecclesia, ut inveniri faciliter non posset, et inde tolli. Cessante vero postea devotione populorum, cessavit Deus propter ingratitudinem magna miracula ostendere.

Alia

b

67 Quidam

A. Anonymo. quædam miracula

67 Quidam rusticus parochianus plebis ecclesiæ beati Facundini, dum mira devotione et fide in beatum Facundinum mens ejus intenta esset, et pura charitate beatum Facundinum patrem suum spiritualem diligeret, ad ipsum coguoscendum desideraret, simplicem et puram ejus animam Deus tali et sic jocundo oraculo consolatus fuit et lætificavit. Nam dum idem fidelis rusticus post laborem agriculturæ, de quo vivebat, et labores manuum suarum manducabat, et Dei amore et beati Facundini eleemosynas faciebat, dum fessus dormiret, vidit in visu in illis convallibus montium supra ecclesiam beati Facundini duas cellas eremiticas proximas inter se, quas vallis modica dividebat: et dum miraretur, quæ essent illæ cellæ, et cujus servi Dei, ecce vidit venerabilem Dei servum Facundinum de una cella egredientem, et per modicam vallem exeuntem, et in aliam cellam intrantem.

narrantur.

68 Et post aliquantulam morulam iterum de cella ipsa egrediebatur, et in primam intrabat cellam, et hoc cum aliquantis vicibus fieret et iteraret postremo beatus Facundinus in cella partis dextræ intravit, et in ea permansit: de qua cella tantus splendor radiabat, quod adinstar luminis solis totum parcum *c* decoro lumine illustrabat. Evigilans autem Vir ille simplex et rectus, hoc, quod viderat, cuidam religioso sacerdoti retulit, et ipse sacerdos hæc scripsit. Et per hoc intelligimus, quod vir Dei Facundinus primo quidem a minoribus cœpit Deo servire, postea in tanta gratia et divina charitate sublimatus fuit a Christo, quod verbo et exemplo omnes populos regionis illuminavit, et sicut lucerna ardens reluxit, et relucet præsentibus generationibus et futuris.

His subdit auctor Tadinensium conversionem

69 Civitas vero Tadinatum antiquitus ædificata in planitie sub montibus Apenninis, per cujus medium via regalis rei publicæ Flaminea pertransibat, in qua Romanorum milites transeuntes repausabant et exercitus, quia ipsa civitas amœna, aquis irrigua, amœnis montibus et locis et nemoribus et fructiferis prædita, nobilibus et popularibus repleta, et a Romanis imperatoribus et senatu charius possessa, et per patricios et præsides Romanorum regebatur, et idolorum cultum tenuit Romanorum, eorum falsos deos venerando, et impias leges contra Christianos a Romanis traditas ipsi Tadinenses pagani tenuerunt Christianos persequendo, et Perusini, Eugubini, Assisinates, Roselliani, et Camerinenses, et Nucerinæ arcis incolæ, et Fori Flaminei, et Spellatenses et Spoletini, et Vulsinini, et cæteri ejusdem Umbriæ habitatores, quibus beatus Felicianus *d* fidem Christi prædicavit, et multos convertit tempore Decii cæsariis pagani, anno Domini ducentesimo quinquagesimo secundo.

ad Christi fidem,

70 Cum vero procedente tempore infinita Dei misericordia per beatum Silvestrum Papam, Constantinum convertisset ad fidem Christi sui.. anno Domini trecentesimo duodecimo *e* prædicatores Christiani per urbes et castra Euangelium prædicabant, ei multos convertebant, et Tadinenses conversi fuerunt ad Christum, idola defereutes, et refulsit in Tadinato vera fides et cultus Domini nostri Jesu Christi in clericis religiosis et laicis, constructis ecclesiis. Processu vero temporis circa annos Domini quingentos et sexaginta *e* Gothi primo, et Longobardi postea, Italiam conculcantes *, civitas ista Tadinatum deprædata et oppressa fuit ab eis, sicut aliæ civitates, et cum episcopo diu caruisset..., beatus Gregorius Papa anno Domini DCII *f*, anno ab occisione Totilæ plus quam quadragesimo *g*, istam epistolam transmisit Gaudioso episcopo Eugubino et Tadinensibus *h*.

* est nominativus pro ablativo absoluto.

et ecclesiæ Tadinensis restaurationem.

71 Sicut ergo patet ex verbis epistolæ beati Gregorii Papæ, divinus cultus et episcopus in Tadinato vetusta civitate, restaurata ex ruinis antiquis, de novo reformatus est et restauratus, jubente beato Gregorio Papa, et procurante Gaudioso episcopo venerabili Eugubino, per longa temporum curricula et annorum centenaria perseveravit in Tadinato et viguit cultus Dei, et quam plures episcopi præfuerunt ibidem *i*, licet per intervalla temporum pluribus vicibus Saraceni discurrentes per Italiam populos Umbriæ, et Spoletani et Nucerini comitatus conculcaverunt et perturbarunt, et illis expulsis a Christianis, Christiana regio * respiravit, et sancta mater Ecclesia requievit de tempestate liberata. In istis temporibus beatus Facundinus fuit episcopus in ipso Tadinato vel Tayno, ubi in multa vixit sanctitate *k*.

* f. religio

ANNOTATA.

De ecclesiis S. Facundini *agitur in Commentario num.* 14.

b Pilum *significare sarcophagum, aream lapideam, capsam sepulcralem, Italis* pilo, *inveniet lector in auctiore Glossarii Cangiani editione.*

c Parcus *pro liberiore ac spatiosiore loco, in quo grex totus includitur, apud Cangium accipitur. Vocem hanc ego hic accipio pro spatio vallis modicæ, de qua egerat paullo ante biographus.*

d *De S. Feliciano episcopo Fulginate in Umbria consule tomum* 2 *Januarii, die* 24, *pag.* 581.

e *S. Silvester tunc nondum erat Pontifex, anno videlicet* 314 *ad Petri cathedram evectus.*

f *Pro* anno Domini quingentesimo quadragesimo secundo, *qui perperam fuerat scriptus vel transcriptus in nostro apographo, invenio ibidem positum* DCII ; *sed epistola S. Gregorii, cujus hic fit mentio, non isto anno, sed* 599 *data, secundum dicta in Commentario num.* 3.

g *Totila Gothorum rex fuit ab anno Christi* 541 *(secundum Labbeum in Compendio chronologico, et Pagium ad annum* 542 *num.* 2, *contra Baronium, qui id differt in hunc annum) usque ad* 552, *quo occisus est. Unde sequitur ex proxime notatis lit.* f, *ut hæc epistola missa fuerit anno* 47 *post mortem Totilæ.*

h *Sequitur hic in nostro Ms. utroque hæc epistola : sed eam retuli in Commentario num.* 4 *et* 5.

i *De hoc Legendæ loco potest consuli Commentarius num.* 8.

k *Quæ narrantur hic a num.* 69, *addi possunt aliis, in quibus meliorem ordinem desiderabam, ut monebam in Commentario num.* 12.

DE

A D

DE S. JUVENTINO ARCHID. CONF.

APUD TADINATES IN UMBRIA

J. P.

Forte post initium seculi VII, vel sec. IX aut X. Variæ de hoc Sancto notitiæ.

Sancta Facundino Tadinensi episcopo, quem jam proxime dedi, adjungo hic S. Juventinum, *archidiaconum ejus ac discipulum, in nullis quidem Fastis a me inventum hactenus, sed ab immemorabili tamen tempore adeptum publicam venerationem, sicut conficitur e Vita laudati sancti Facundini, in qua et hic Sanctus sæpe laudatur. Venerationis autem publicæ argumenta ibidem occurunt ista. Cap.* 6, *num.* 56 *narrata ejus morte, ac sepultura in eadem ecclesia, in qua conditus fuit S. Facundinus, recitatur oratio utrique propria,* quæ, *ut ibidem* B *habes*, in eorum veneratione cantatur. *His in nostro Ms. ejusdem Vitæ seu Legendæ S. Facundini præmittitur ille titulus :* De sancto Juventino archidiacono. *In Commentario autem eidem Vitæ prævio* § 2, *num.* 14 *agitur de ecclesia S. Facundini, amborumque corporibus ad eamdem translatis. Sequitur ibidem num.* 15 *alia istorum corporum seu ossium inventio ac translatio solennis, annuente Nuceriensi episcopo facta, quæ sub novo altari deinde deposita narrantur ex Jacobillo.*

2 *Auctor idem post Vitam S. Facundini, de qua dixi in Commentario eodem, subjungit Vitam* S. Juventiui *pag.* 39 *et sequentibus, et asserit, eum fuisse Tadinensem, ac deinde canonicum Lateranensem sub regula S. Augustini, dum factus fuisset S. Facundini discipulus. De virtutibus ejus, quas memorat, consule Vitam S. Facundini. Titulum* archidiaconi, *qui in eadem et apud Jacobillum Sancto nostro tribuitur, superius ipsi reliqui, etiamsi ex antiquioribus documentis illum probare non possim. Ad tempus quod attinet, signat Jacobillus diem* 2 *Septembris anni* 612 *: neutrum arridet, quia ignoro, quare, et quo auctore id ponat. Quoniam vero annus* E *mortis me latet, eumdem signabam superius post initium forte seculi septimi, vel seculo* IX *aut seculo* X, *idque conformiter utcumque ad dicta de S. Facundino. Porro utrumque hunc Sanctum non esse confundendum cum duobus synonymis Martyribus, die* 2 *Septembris a Ferrario annuntiatis, indicavi in Annotatis ad Vitam S. Facundini cap.* 1 *lit.* f.

ex Vita S. Facundini ep. Tadinensis.

DE S. ELMERO VEL ERMELIO EPISCOPO ET CONF.

MOLHANII IN DIŒCESI LEODIENSI

C

SYLLOGE

J. P.

F

§ I. Cultus, loci situs, notæ in Officium proprium, quod datur; tempus vitæ.

Forte seculo VII vel VIII. Locus in quo colitur,

Obscuræ prorsus nobis sunt res gestæ hujus Sancti, si publicum ejus cultum excipias. Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis sic illum refert : S. Elmerus patronus Molhaniensis. *In Natalibus Sanctorum Belgii apud Molanum hæc sunt :* Molhaniæ, natalis sancti Elmeri, episcopi et confessoris. *Adde Ferrarium :* Molaniæ apud Mariæburgum in Belgio, S. Elmeri confessoris : *et Castellanum :* In Hannonia, S. Elmerus confessor, patronus ecclesiæ collegiatæ Molhaniensis prope Mariæburgum, ubi canonici eum honorant tamquam episcopum. *Hæc legimus de Sancti cultu in allegatis modo auctoribus ad diem* XXVII *Augusti; ad præsentem tamen diem distulimus illum, quia tunc solenni festo colitur tam in populo quam in clero apud Molhanienses.*

et ejusdem situs :

2 *Hujus loci situs varie a variis describitur. Ferrarium et Castellanum modo dedimus. Miræus eum ponit* in finibus diœcesis Leodiensis, secundo lapide a Giveto oppido, nec procul a Mariæburgo. *Consonat Molanus, qui de prædictis canonicis locutus,* Habitant, *inquit,* in finibus Belgii, non procul a Mariæ-burgo, duobus milliaribus a Giveto. *Bartholomæus Fisen Historiæ Leodiensis lib.* 5 *ad annum* 752, *num.* 22 *in diœcesi Leodiensi illos ponit, dicens :* Wiberto comiti Lætiense monasterium in Hannonia condenti.. et Adæ ejus conjugi Molhanii in hac diœcesi canonicorum collegium exstruenti, collata symbola non defuit *Pipinus. In mappis geographicis* Givetum *ac* Mariæburgum *collocantur in comitatu Hannoniensi ; quod non obstat, quo minus* Molhanium *spectet ad diœcesim Leodiensem. Unde consequens est, ut hic Sanctus a Castellano etiam recte annuntietur in Hannonia.*

cultus publicus

3 *De cultu ejus publico dabimus ea, quæ ad nostram notitiam pervenerunt. Juvat itaque audire, quæ apud Molanum memorantur* ex literis

AUCTORE J. P.

ris domini Pauli Thonon, superioris in Hastier *(monasterium est Ordinis S. Benedicti inter Dionantum et Givetum oppida.)* De hoc, *inquit*, sancto Patrono suo.. nihil certi aut verisimile habent canonici Molhanienses. Tumba Sancti ostenditur, foris deaurata, sed omnino vacua. Nec quidquam de reliquiis superest, ob crebras bellorum incursiones, expilationes, direptiones.. Hoc unum constat, ecclesiam ipsam vetustissimam esse, et in diœcesi Leodiensi non extremum locum tenere. *Sed plura de hoc Sancto postea huc transmissa sunt. Nam R. A. D. Bertrandus Waseige, canonicus Molhaniensis, una cum perhumanis litteris, anno* 1717 *die* XII *Aprilis ad nostrum P. Janningum datis Molhanii, sequentes de publica Viri veneratione notitias misit :* Quinto, *inquit*, Calendas Septembris in ecclesia collegiata et matrice beatæ Mariæ virginis Molhanii, patriæ ac diœcesis Leodiensis, fundata anno DCCLII ab illustrissima Ada conjuge Wiberti comitis Pictaviensis, fundatoris Lætiensis, pro duodecim B canonicis.., celebratur a clero et populo festum sancti Ermelii confessoris pontificis et doctoris; coliturque ibidem tamquam secundus patronus ritu triplici : cujus habetur etiam ibidem Officium integrum et proprium cum Missa etiam propria.

apud Molhanienses :

4 Quinto Nonas Octobris colitur in eadem villa, ecclesia, ejusque districtu Molhaniensi translatio sancti Ermelii, propter ejusdem reliquias a prædicta Ada fundatrice allatas : cujus pars ibidem recondita est in summo altari consecrato ad Dei optimi maximi, Deiparæ, dictique S. Ermelii honorem : et altera pars dictarum reliquiarum recondita fuit in arca oblonga lignea deaurata, quæ adhuc modo servatur in eadem ecclesia. Incredibile est exprimere, quot et quanta miracula fuerint ibidem perpetrata, et qualis populi circumvicini concursus et devotio semper huc usque fuerit, ut liberetur a febre, peste, et aliis diversis languoribus, non obstante, quod circiter ab anno MDC prædicta arca non amplius publice exponatur, quia hæretici dictam ecclesiam spoliaverunt, ossaque in illa arca seu feretro inclusa, partim combusserunt, et partim sparserunt et abstulerunt; licet adhuc ibidem conserventur quædam parvæ particulæ parum combustæ, et non omC niuo certæ.

quando et quale recitetur ibidem Officium proprium :

5 *Officium proprium, quod* XXVIII Augusti in festo S. Hermelii *prænotatur, habemus. In eo dicitur* Monachorum pater, *atque* monialium dominus; *sed quo loco, et cujus Ordinis, in obscuro relinquitur : idem fit, dum narratur* monachorum manibus in templo reconditus. *Tantumdem habemus ex hisce titulis, qui dicto Officio inspersi leguntur,* Pater, pontifex, doctor, Catholicæ fidei prædicator, abbas. *Frustra itaque ibidem quæsieris vitæ vel mortis tempus; frustra etiam alia rerum adjuncta, quibus historicam de isto Sancto ideam formes. Waseigius supra laudatus scribit ista de ipsius episcopatu :* In antiquis et novis picturis, et imaginibus benedictis depingitur semper idem sanctus Ermelius tamquam episcopus, aliquando cum cappa, aliquando cum casula et cæteris ornamentis episcopalibus, habens mitram in capite, baculum pastoralem in dextera, et librum in sinistra manu aliquando apertum et aliquando clausum. *Sed tametsi ista certo non persuadeant, illum vere episcopum fuisse; nos tamen, sensum vulgarem secuti, illo titulo eum supra annuntiavimus.*

6 *At quid de tempore, quo Sanctus vixit? Non habeo documenta, quibus illud certo definiam. Conjecturam accipe. Jam dictum est, il-* D *lum pingi* aliquando cum cappa; *item* monachorum manibus in templo reconditum, *et vocari* abbatem. *In litteris autem Guilielmi Balduin nobis ignoti,* IV *Decembris anno* 1680 *datis ad D. le Roy (perillustrem, ni fallor, baronem istius nominis, scriptis notum) lego indicari, a viginti annis dealbata ecclesia repertas esse sub antiquis ejusdem incrustationibus humique dejectis, imagines Benedictinorum pietas in muro supra columnas navis. Cur ergo fieri non potuit, ut apud Molhanienses habitarint monachi Benedictini cum Sancto nostro ante fundationem canonicorum, de qua superius num. 3? Quamquam vero apud scriptores Benedictinos nihil legi hactenus de* S. Ermelio *vel monachis ibidem existentibus; non tamen hine sequitur, illos ibidem non habitasse. Secundum itaque conjecturam meam, videtur ex jam dictis affulgere lucis aliquid, ut Sancti obitum innectam seculo septimo vel octavo.* E

Conjectura de tempore, quo Sanctus vixit

Officium proprium :

7 *Superest, ut his, quæ de Officio Sancti proprio præmisimus, per brevem hanc observationem superaddamus. In hoc paucula occurrunt signo parentheseos ( ) inclusa : e quibus colligere licet, idem Officium non in solo festo* S. Ermelii, *sed alio etiam die lectum fuisse. Et vero, si recte instructus fuit Balduinus modo nominatus, legebatur alio quoque die tunc temporis, quando in citatis ante litteris scribens se Officium mittere* S. Ermelii, *significat, quod Molhanii celebretur quotannis, et hebdomadibus omnibus,* quando Leodii fit de Patrono. *Dabimus illud Officium proprium, in numeros more nostro divisum, antiquioribus retentis, qui erant in ejusdem contextu.*

§ II. Officium proprium S. Ermelii apud Molhanienses.

Ad Vesperas I Antiphona. Ave confessor inclyte, ave sydus jam cœleste, decorans, Hermeli, cœlos, nos guberna ut lætemur, triumphantem te patronum venerantes. II. Confessor Domini Ermeli, astantem plebem corrobora sancta intercessione, ut qui vitiorum ponF dere premimur, beatitudinis tuæ gloria sublevemur, et, te duce, æterna præmia consequamur. III. Sancte Ermeli, confessor Domini preciose, adesto nostris precibus pius ac propitius. IV. Quasi stella matutina in medio nebulæ, et sicut sol refulgens in meridie, sic Vir iste resplenduit in domo Domini. V. Pastor bone, Jesu Christe, tuas oves visita, Ermelii chorus iste precatur per merita, nexus solve peccatorum, et dimitte debita, nobis regna dans cœlorum pictate solita.

9 Hymnus. Decantemus alacriter Hermelii præconia, ut pro nobis hic jugiter, peroret voce pia Flamen sacrum, quod digniter permanet in gloria. II. Velut aurum depurgatur fornacis incendio, corpusculum coronatur, sic frequens devotio, fide firmus solidatur vario supplici. III. Egenos vagosque pavit, contra magos dimicavit, ejus labra mel rigavit, plures vulgos sustentavit, hos spe firma adamavit accensus divinitus. IV. Cunctis, quibus depellitur potestas spirituum, surdis, cœcis mox redditur anthidotum mellifluum, sollicitus reperitur in valleque fluctuum.

10 v. Cumque

A 10 v. Cumque corpus inanivit pro placenti ferculo, ex hordei pane vivit, lactucis, et poculo: quare Deus insignivit huuc multo miraculo. vi. Charitate vera fultum senectus incanduit, castitate mera multum provectus refloruit: propter quod adæquari Sanctis Christus voluit. vii. Sui deflent moniales tanti uecem Domini, psalmos legunt feriales supra stratum divini, tristitia coæquales ipsius lugent fini. viii. Angelorum agminibus olympo extollitur: confessorum in sedibus extemplo reponitur: mouachorum et manibus in templo reconditur. ix. Hujus opem imploremus, atque patrocinia, cordis ei præsentemus et oris obsequia, ut cum ipso collocemur in perenni curia. Amen.

11. Capitul. Justus cor suum tradidit, ut in Brev. Leod. de com. unius conf. pont. Responsorium ante Magnificat. Vir præclarus Ermelius in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa æterna patria conversatus est. ℣. Digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit angelorum. In illa æterna etc. Gloria Patri etc. In B illa æterna. ℣. Ora pro nobis beate pater Ermeli, ut digni efficiamur promissionibus Christi. Ad Magnificat antiph. O Confessor gloriose, quem Deus magnificans illustravit in hac carne, diversis languoribus ut oppressos expedires, obsessos dæmonibus, audi servos, qui te colunt, per te apud Dominum ut impetrent quod exposcunt cœleste subsidium. Oratio. Deus, qui beatum Hermelium confessorem tuum atque pontificem, doctorem Catholicæque fidei prædicatorem eligere dignatus es, præsta, quæsumus, ut ipso intercedente peccatorum nostrorum exui malis, et tibi Domino puris mentibus servire mereamur. Per Dominum nostrum.

12. Ad Matutinum invitatorium. Regem regum veneremur mente devotissima: Qui beatum Ermelium illustravit gratia. In i nocturno. Antiph. Beatus vir Ermelius meditabatur die ac nocte in lege Domini: forma virtutis factus est commisso sibi gregi. Ant. Præceptum Domini prædicans sermone, et exercens opere, filios suos erudivit disciplinam salutis apprehendere. Ant. Pro commisso sibi grege clamavit ad Dominum, C et ipse de monte sancto suo ad suam suorumque salutem exaudivit eum. ℣. Amavit eum etc. ℟. Stolam etc. i. ℟. Beatus Ermelius fuit semper tolerans in adversis, mitis in prosperis, cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, egentibus larga miseratione succurrens. ℣. Ex omnibus calcato vitiorum fomite angusti callis tramitem sanctæ conversationis gressu surgente conscendens. Egentibus.

13 ℟. Sanctæ conversationis gressu surgente tramitem conscendens B. Ermelius, quicquid pretiosum fuit rejecit, ut hospes cerneretur in sæculo, et jam possessor esset in cœlo. ℟. Ecclesiastici moris tenorem præcurrens, presbyterii officium electus excepit. Ut hospes. ℟. Ecce Vir prudens, qui ædificavit domum suam supra petram, in cujus ore non est inventus dolus. Quia Deus elegit eum in hæreditatem sibi. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Quia. Gloria Patri. Quia.

14 In ii nocturno. Ant. Sustinuit jugiter diabolo præliante calumniam; sed pervenit victor meritis ad coronam. Ant. Sed cum jam multimodis virtutum fulgeret studiis per diversa orbis spatia, gratia crescente, fama sanctissimæ vitæ ejus emicuit. Ant. Muneribus cœli et donis Regis æterni Ermelius confessor Christi ditatus gaudet in cœlis. ℣. Justus ut palma. ℟. Sicut cedrus.

15 ℟. Sanctus Ermelius, dissoluta hujus habitationis domo, qua sola præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta similis factus in gloria Sanctorum. ℣. Hæc est dies gloriosæ migrationis (commemorationis) ejus, exultemus et lætemur in ea. Similis. ℟. Iste est Sanctus, cui nec virtus, nec gloria deest, pugnavit fortiter, dimicavit viriliter: et sic demum gloria et honore coronatur. ℣. Munimine regio septus nullatenus est ab adversariis superatus. Et sic. ℟. Vir præclarus, ut supra in primis Vesperis.

16 In iii nocturno. Ant. Christi fidelis famulus prudens quoque Ermelius, postquam suo in tempore ejus vixit familiæ, cœlo reddidit animam, terræ carnis materiam. Ant. Terreno (die festi dic hodie) posito corpore pater Sanctus, dives meritis penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Ant. Tam honestæ vitæ cursum, dum viveret, tenuit, et exemplum sanctitatis cunctis in se præbuit. ℣. Justum deduxit Dominus etc. ℟. Et ostendit illi etc. ℟. Hodie (Ermelius) beatissimus E abbas Deo dignissimus a terrenis separatus, conjunctus est cælestibus. ℣. De labore et ærumpna ad requiem, de morte ad vitam transiens. Conjunctus est.

17. ℟. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus et complevit labores illius. ℣. Immortalis est enim memoria illius, quia et apud Deum nota est et apud homines. Honestavit. ℟. O Pater Ermeli, qui factus es incola cœli, virtutum meritis in cœlorum quasi vitis fructificans regnis, non est tibi solvere segnis iste chorus laudes, tecum trahe nos ubi gaudes. ℣. Tu prece nostrorum maculas tergendo malorum. Tecum trahe. Gloria. Ubi gaudes.

18 Ad Laudes. Ant. Vir illustris Ermelius pio semper opere de virtute in virtutem studuit proficere. Ant. Hic ab adolescentia, divina fretus gratia, anhelare non desiit ad regnum vitæ perpetis. Ant. Ut fidelis atque prudens, quem Deus statuerat, monachorum rexit pater insignem familiam. Ant. Ampliavit gentem suam vir justus, F adeptus est gloriam in conversatione ejus. Ant. Laudem Deo decantare ita regulariter providebat, ut mens voci concordaret pariter. Hymnus. Decantemus alacriter ut supra. Ad benedictus. Ant. Almum diem (vel memoriæ) celebrantes Viri sanctissimi, ipsum nobis invocemus, ut ejus suffragiis mereamur, absoluti culparum flagitiis, cœlo frui, in quo conjunctum Supernorum civibus, exultare eum facit benedictus Dominus. Oratio ut supra.

19 In secundis Vesperis Antiphonæ, ut in laudibus. Psalmi ut in communi Conf. pontificis in ii Vesperis. Hymnus: Decantemus ut supra in i Vesperis, sicut responsorium et versus. Ad Magnificat Ant. S. Ermelius digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit angelorum, quia in hac peregrinatione solo corpore constitutus cogitatione et aviditate in illa æterna patria conversatus est. Oratio ut supra.

20 In die festo Prosa ante Euangelium. Salvatori jubilemus et devote collaudemus, Sacerdotem præcipuum doctorem Ermelium. Doctor fuit veritatis et destructor falsitatis, Vas perfectæ

AUCTORE J. P.

fectæ charitatis in plebe fidelium. Hic a Christo sublimatur, ab angelis consolatur, carnis luxus execratur et ritus gentilium. Christum probat argumentis conditorem cunctæ gentis, et confirmat documentis summi patris Filium. Morbos pellit et languores, febres sedat et dolores, cunctos reddit saniores per crucis mysterium. Toga carnis spoliatus ab angelis sursum datus, a Christo fit coronatus in perenne gaudium. Nunc pro nobis intercedat apud Christum, qui concedat nostram pacem cum venia. Amen. dicant omnia Alleluya.

21 *Huic Officio subditur testimonium reverendi admodum et amplissimi D. Decani capituli Molhaniensis in hæc verba :* Officium sancti Hermelii episcopi et confessoris, patroni ecclesiæ collegiatæ Molhaniensis hic *supra descriptum, singulis annis die vigesima octava Augusti, qui natalis ipsius est, ab immemorabili tempore a canonicis ejusdem ecclesiæ cantari et legi solet. Quod testor Joannes Moysez. Dec. et canonicus capituli Molhanicu. D

DE S. FLANNANO EP. ET CONF.

LAONIÆ IN MOMONIA HIBERNIÆ,

J. P.

COMMENTARIUS CRITICUS

§ I. Locus, cultus, Acta fabulosa.

B Seculo forte VII. *Sanctus Laoniæ, cujus situs describitur,*

Momoniam, *Hiberniæ provinciam, ita describit Cambdenus in sua Britannia, Londini excusa anno* 1607, *pag.* 736 : Momonia, hiberuice Mown, et in orationis contextu Wown, Anglice Mounster, Vergivio mari ad Austrum exposita, a Connachiæ nunc Sinco, sive Schanon, a Lagenia Neoro flumine videlicet alicubi discreta ; olim multifariam divisa . . . ; hodie autem bifariam, in Momouiam occidentalem, et Australem. *Præmiserat pag.* 735 *archiepiscopatus quatuor, videlicet Armachanum, Dubliniensem, Cassiliensem, et Tuomensem : quinam vero his subessent episcopatus*, e vetusto Romano Provinciali, ut olim se habuerunt, ex exemplaris fide subjungere *se affirmat. Deinde pag.* 736 *notantur ista :* Archiepiscopo Cassiliensi subsunt Laoniensis de Kendalnan, *et alii, qui non sunt hujus loci. Waræus in Commentario de præsulibus Hiberniæ, anno* 1665 *Dublinii excuso, pag.* 226 *in* S. Flannauo *hæc memorat :* Laonia, vulgo C Killaloa, ad occidentalem Shenani fl. ripam sita (prope cataractam, qua fluvius impeditur, quo minus ulterius navigia deferat) nomen habet a S. Molua abbate, qui ibi aliquamdiu vixit, sub initium seculi texti. *Et mox*, Ejus, *inquit*, discipulus S. Flannanus, Theodorici regis filius, Romæ a Joanne IV Pontifice consecratus circa annum DCXXXIX, primus fuit hujus sedis episcopus. Eo sedente pater ejus Theodoricus ecclesiam Laonensem multis prædiis dotavit, et mortuus tandem annorum pleuus, in eadem ecclesia a Flannano filio solenuiter sepultus est. *De loco hæc satis : nunc de cultu.*

patronus generalis : Missa ei propria

2 *Inter Missas proprias Sanctorum patronorum ac titularium Franciæ et Hiberniæ, auctore Nicolao Antonino o Kenny, anno* 1734 *Parisiis vulgatas, ad diem* XXVIII Augusti, in festo sancti Flanani episcopi et confessoris, nec non Laoniensis ecclesiæ et diœcesis patroni generalis, *habetur Missa ista :* INTROITUS. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et dedit illi coram præcepta et legem vitæ et disciplinæ. PSALMUS. Laudate Dominum, quia bonus Dominus : psallite nomini ejus quoniam suave. Gloria Patri etc. In fide etc. ORATIO. Deus, qui flammas tuæ dilectionis in corde sancti antistitis tui Flanani accendisti, da nobis eumdem charitatis tuæ affectum, ut te unum possidere cupientes, te unum amittere E trementes, omnia mundi prospera et adversa æqualiter despiciamus. Per Dominum etc. LECTIO EPISTOLÆ beati Pauli Apostoli ad Titum : Fidelis sermo. Admone illos *etc.* GRADUALE. Posui adjutorium super potentem et exaltavi electum de plebe mea. ℣. Oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia, alleluia. ℣. Benedicite sacerdotes Domini Domiuo, laudate et superexaltate eum in sæcula † Sequentia sancti Euangelii secundum Lucam : Nemo lucernam accendit *etc.*

3 OFFERTORIUM. Sicut pastor gregem suum pascui *, in brachio congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. SECRETA. Munera tuæ oblata majestati, misericors Deus, benigno, quæsumus, suscipe vultu, ut sancti antistitis tui Flanani precibus salutaria reddantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc. COMMUNIO. Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos. Libentissime impendam, et superimpendar pro animabus vestris. POSTCOMMUNIO. Da nobis, omnipotens Deus, hujus virtute Sacramenti, et precibus sancti Flanani, ut ipsum sinceris operum fructibus imitantes, ad cælestia jugiter aspiremus. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. *Ex his de publica ac solenni hujus Sancti veneratione abunde constat : eaque de causa illum damus hoc die, qui apponitur ad Missam prædictam, etiamsi hic alibi non notetur, alibi incertus ipsi dies assignetur.* F

producitur : * pascet

a die 18 Decembris ad hunc retrahitur.

4 *Nam apud Grevenum ad diem* XVIII *Decembris Præsul noster, ut suspicor, idem annuntiatur, quamvis mutato aliquantulum vel luxato nomine :* In Hibernia, Flamiani episcopi. *In apographo nostro et codice Salmanticensi, de quo mox, apponitur* XVIII Decembris. *In collectaneis nostris Mss. de Sanctis Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ, sub involucro † Ms.* 167 *leguntur* Sancti, quibus certus dies assignari nequit, *et inter eos ponitur* S. Flannanus ep. *Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ ad diem* XXII *Januarii, quo tractat de S. Colmano, Lismorensi abbate et episcopo, in notis pag.* 155 *meminit de* Vita S. Flannani ad XVIII Decembris. *Ex his videmus, loco non uno diem istum Sancto assignari, e quo tamen nos ad hunc diem* XXVIII *Augusti illum retraximus,*

AUCTORE J. P.

A *traximus, ubi jam monuimus. Nunc de qualibuscumque Viri gestis agamus.*

Vita ejus apocrypha :

5 *Habemus codicem Ms. membraneum, quem Rector collegii Salmanticensis Societatis Jesu dono dedit nostro Patri Ægidio de Smidt ; a quo donatus P. Heriberto Rosweydo, ad usum musei nostri cessit, estque codex apud nos* P *Ms.* XI. *In eodem codice exstat* Vita sancti Flannani episcopi et confessoris ; *sed tam male cohærens, rebusque tam multis mirabilibus ac incredibilibus infarta, ut plane non videamus, quidnam et quantum ex eisdem credi possit ; ut verbo dicamus, ad aniles fabulas releganda. Historia satis longa est, in qua etiam comparet Theodoricus rex, ut fertur, ac Sancti pater, de quo inferius dicetur. Porro ne quis inanes de prædicta Vita formari a nobis querelas existimet, specimina nonnulla ex eadem delibare visum est, rem dispescendo in quatuor classes, quarum prima dicet, quod multis post Sanctum seculis scripserit ejusdem Vitæ auctor : secunda tractabit de narrationibus suspectæ fidei ; tertia de miraculis incredibilibus ; quarta de hujus Vitæ scriptore. Expendamus itaque singula.*
B *Ac primo quidem præmittendi nobis videntur characteres aliquot chronologici ex personis, quæ a biographo nominantur. Utar autem nostro apographo ex prædicto codice, quod in capita dividitur, nisi textus sit (prout alicubi est) mutilatus.*

ex personarum eidem insertarum ætate

6 *Cap.* 1 *itaque de* S. Flannani *educatione Vitæ scriptor agens,* Puerum, *inquit,* pater ejusdem sancto Blathmeto *(forte* Blathmaco) commisit alendum ; *ad quem* filii nobilium. . de longinquo mittebantur. . *Deinde autem* ad sanctissimum seniorem Molua. . se transtulit *idem Sanctus. Cap.* 3 Senior antefatus Molua, . *loquitur* juxta sancti patris Brendani vaticinium. *Cap.* 5 Ad sanctum Bracanum pervenit *(S. Flannanus.)* Et is senior multo fervore fidei et caritatis in fletibus et lacrymis juvenes Sanctorum Hiberniæ nutrivit spatio longi temporis, et edocuit. *Alio hujus Vitæ loco sunt ista :* Rex etiam ipse Theodoricus. . ad S. Colmanum Lesmorensem episcopum . . aufugiens *etc. Ex nonnullis autem temporis characteribus colligemus utcumque,* S. Flannanum *vixisse seculo sexto. Varios sanctos* Blathmacos *abbates legimus apud Colganum die* XIX *Januarii ; sed eorum nullus ad dictum seculum pertinet, quia partim ibidem*
C *ponuntur seculo nono, partim decimo. Quid de* Molua? *Usserius in indice chronologico ad Britannicarum ecclesiarum antiquitates pag.* 1146, *ad annum* 580, Claruerunt, *inquit,* apud Hibernos. . Lugidus, qui et Molua, discipulus Comgalli, cœnobii Clonfertensis in Ophalia conditor. *Floruit seculo sexto, secundum ea, quæ in Commentario prævio ad ejus Vitam diximus tomo* I *Augusti, die* IV, *pag.* 341. *Hinc autem videtur vel a biographo designari, vel apte a nobis intelligi posse, donec alius designetur magis opportunus.*

agitur de tempore Sancti, cujus Vita diu post scripta.

7 *Sequebatur supra* S. Bracanus, *quem aliis indagandum relinquimus. De* S. Colmano Lesmorensi episcopo *tractat Colganus die* XXII *Januarii, obitum ipsius innectens anno* 702. *Secundum hæc modo allegata colligimus* S. Flannanum *vixisse seculo sexto, immo etiam septimo, si verum dicat Waræus, qui consecrationem ejus affigit anno* 639, *ut antea vidimus, et* Romæ *quidem* a Joanne IV pontifice *ipsi collatum. Jam vero, quod biographus noster magna plurimorum seculorum intercapedine a Sancti ætate disjunctus scripserit, ostendamus. Postquam cap.* 5 *narraverat,* S. Flannanum *Romam petiturum saxo pro navi per mare vectum fuisse, ista addit :* Insigne miraculum, firmissimum Christianæ fidei argumentum universis australis Hyberniæ populis, tam prælatis, quam privatis omnibus noviter factum, tempore scilicet, quo Fridericus, Romanorum imperator, rex invictus, Mediolanum vi armorum cepit, bellique jure deleverat *etc. Fridericus, primus hujus nominis imperator, cognomento Barbarossa, anno Christi* 1152 *electus est, anno* 1155 *ab Adriano PP. IV Romæ coronatus, et anno* 1162 *Mediolano potitus. Ex hoc igitur biographi loco, in quo agit de Frederico imperatore, conficitur non scripsisse ante medium seculi duodecimi, atque adeo parvam vel ex sola ætate mereri commendationem.*

ac conflata e rebus

8 *Proposueram dicere secundo loco de narrationibus suspectis biographi. En tibi, lector, paucas e pluribus, quæ mihi videntur non mereri historicam fidem. Cap.* 1 *et* 2 *refert ista :* Sed quid regis filius *(Flannanus)* in eadem urbe *(Laoniensi)* paterna coram parentibus, inter nobiliores, inter cognatos et notos fecerit, audiamus. Cum enim Juvenis sanctus vir fuerat summæ obedientiæ, ad omne imperium sancti senioris Moluæ coram rege et regina, et coram omni exer- E citu. . sine ulla erubescentia vultus, præsentem spernens gloriam pro futura, accurate adstabat. Idcirco rigidus senior præfatus Molua eidem Juveni præcepit, quatenus, semota omni occasione, molendinum solus intraret, ac ibidem moleret, cribraret, et more solito propriis manibus panem pistando fratribus præpararet. Molendinum itaque prædictum, ut jussus fuerat, summo diluculo intrans, usque ad crepusculum noctis sequentis, annonam molæ porrigendo solus ministravit : diurna vero luce deficiente, ac nullo sibi lumen aliunde apportante, divino fretus auxilio, ore suo sinistræ manus digitos quinque insufflavit, et ad modum et similitudinem quinque lampadum, totum molendinum divina luce per totam noctem illustravit.

suspectæ

9 *Alio etiam loco ejusdem Vitæ narrat anonymus non pauca de Theodorico rege, Sancti, ut scribit, patre, quæ in tanta regum Hiberniæ obscuritate apud eruditum lectorem non obtinebunt historicam fidem, prout suspicamur, nisi aliunde magis confirmentur :* Rex, *inquit,* etiam ipse Theodoricus . . . gloriam mundi odio habens, F nullo eum comitante, ad sanctum Colmanum, Lesmorensem episcopum, regni diademate spreto, . . monasticum habitum intravit . . Sed quid frater Theodoricus, modicus et pauper jam factus mundo, dives in Christo fecerit, audiamus. Malleos firmissimos, ac cætera ferramenta, frangendis lapidibus aptissima, sibi fieri humiliter postulavit. Locus namque ipse, quem. . . beatus Colmanus sibi elegit ad inhabitandum, in ripa magni fluminis densissima, ac procera nemora ab Austro, ab Aquilone vero aëreos montes habens, scopulis præruptisque rupibus angustæ vallis hinc inde prominentibus, curribus atque vehiculis, et onera portantibus inaccessibilis fuerat. Idcirco beatus Colmanus cum cæteris servis Dei, in via saxa frangere, findere, mutilare. . studebant. Ad quos frater Theodoricus, vir fortissimus, . . cum prædictis et ferramentis accedens, aspera saxa. . ipse solus invadens perfregit, divisit, planavit. . In brevi namque tempore ipse idem solus inter scopulos et prærupta saxa, concavam et planam viam plus fecit, quam multitudo fratrum per multa tempora antea fecerant. In tantum etiam. . laborabat, quod rivuli sudoris de corpore suo. . in

AUCTORE J. P.

in terram defluxerunt. *De miraculo per hunc sudorem facto, quod subdit anonymus, loquemur infra.*

fidei.

10 *Cap. 8 scribit, tribus Theodorici filiis crudeliter interemptis ab inimicis, Colmanum ei suasisse, ut filium superstitem in regnum restitueret: cui,* Non vadam, *inquit*, nisi. . mihi et posteritati meæ benedixeris. . Et cum hoc dixisset, ante pedes viri sancti extendens se projecit: *qui* propius accedens, septem pedes juxta latus Viri jacentis, quasi septem dona Spiritus sancti mensurans, dixerat: Septem reges inclyti de sanguine tuo totam Hyberniam. . regent. . Quod ita factum est. . Quorum primus Brian; secundus filius ejus Donatus Obrian, tertius Brian, quartus Merchterthach Obrian. . A quo primo rege. . Brian cæteri reges, sive ii, qui totam vel dimidiam possederant Hyberniam, sicut Romani imperatores, cæsares; Græci, bazilides; Babylonii, admirabiles; Brianæi omnes dicti sunt. . Sane Brianæi viri in bello invicti. . Et. . omnis nobilitas totius Hyberniæ, ac bellica virtus. . . a Brianæis derivata est. *An credent posteri tam hæc, quam*

B *ibidem sequentia?* Taurus furens. . virum sanctum Theodoricum fratrem cum sociis suis invasit: quem taurum. . tamquam hœdum caprarum discerpsit, ac sociis suis distribuit. . Truncus taxeus. . , quem nullus agrestium securibus findere valebat, jacuit *in via campestri*: quem truncum frater Theodoricus molaribus saxis in partes minutas confregit, ignemque sibi ac commodissimum præparavit. *Fallor multum, si hæc arrideant erudito lectori.*

§ II. Miracula apocrypha; biographus; mors Sancti ac tempus; translatio corporis.

Miracula

Tertium, *de quo antea decrevimus agere, sunt miracula suspectæ fidei, a dicto anonymo biographo conscripta. Cap. 2,* Dum cellerarius, *ait*, recoleret, nullum lumen se ex more Dei Servo *(S. Flannano)* molenti misisse, *de*

C *qua re diximus* § 1, nuntium suum illuc misit, ut. . caute notaret, quid regius Juvenis. . ibidem perageret. Sed idem nuntius. . per fissuras ac rimas ostioli prospiciens, quinque digitos sinistræ manus Amici Dei, ceu quinque luminaria, molendinum totaliter dilucidare præviderat. *Sed Sanctus* hanc Dei virtutem semper latere volens. ., commotus aliquantulum animo, eidem legato celeriter imprecatus ait: Quia. . me, o juvenis, in secreto Dei opere agentem temerario oculo videre præsumpsisti, grus domestica, quæ in cella tecum commoratur, eumdem oculum, cum redieris, tibi eruat. Quod ita factum est. Nam. . grus antelata in ostio cellæ pueri cellerarii unum oculum rostro terebravit: cujus vulneris dolore puer idem clamans ac plangens *etc. Post hæc cap. 3 a S. Molua abbate ad* Flannanum *mittitur*, ut oculum terebratum in pristinum videndi usum ea conditione restituat, quatenus cicatrix, vulneris index, sine luminis diminutione, in eodem oculo semper permaneret: et ea velocitate, sic Deo volente, oculum sanitati restituit, sicut cumdem subita cæcitate lumine privavit. *Ecquis prudens lector hæc approbet tamquam historice vera?*

12 *Saxo per mare fuisse vectum Sanctum nostrum, ex auctore Vitæ indicavimus superius num. 7. Res hunc in modum ab illo narratur gesta inter SS. Bracanum ac* Flannanum *cap. 5*: D

neutiquam

Viri Dei. . ad vicina littora gradientes, Deum sollicitis precibus pro navi obnixe deprecantur. . Dumque ad invicem magno fidei fervore oculos ac palmas ad pium cæli ac maris Dominum extenderent, . . ecce ingens saxum superficie tenus lævigatum et planum littoribus adnare conspiciunt. Hic Sanctus senior prior Juniorem alloquitur: Ecce, inquit, pietas tua, ecce desiderium tuum aures divinæ potentiæ ad te inclinavit. Ecce navis tibi de cælo contra solitum, et contra naturæ debitum cursum data. Impone confidenter sarcinulas tuas, impone socios tuos, dirige navim, quocumque desiderat animus tuus te deducet.

13 *Hæc biographus; quibus conatur fidem conciliare, hæc subdens:* Sed dicet Judæus, dicet paganus, dicet incredulus Christianus: Quid est, quod dicunt, saxa volare, saxa natare, fabulam sapit. Quis talia fando ab initio mundi audivit? Verum, vera fides Christianorum obvians dicit: Uni ac vero Deo omnia possibilia sunt, qui beatum Petrum siccis pedibus super mare fecit ambulare, numquid precibus Sanctorum natile in superficiem mare idem Deus natare efficere poterat? *Respondemus: Poterat enimvero Deus, poterat, qui potest omnia, hoc miraculum efficere, illoque majora. At hic quæritur, an illud reipsa effecerit Deus. Affirmat biographus: negabunt alii: neque enim ei, ut opinor, statim suffragaturi sunt hujusmodi rerum gnari; sed desiderabunt, mea quidem sententia, pro confirmatione tam rari atque insignis miraculi, testimonia auctoritatis majoris, magisque ad persuadendum idoneæ, quam sit unici istius biographi aliunde suspecti. Alibi scribit de Sancti ex Romano itinere in Hiberniam reditu, atque hæc memorat:* Præterea beatissimus Flannanus, divina sibi favente clementia, per eadem oppida, rura, castella Tusciæ, Burgundiæ, Franciæ, ad eumdem portum, quo lapidem navigii sui dimiserat, pervenit. Tunc Vir sanctus intrepidus, in Domino Deo spem ponens, cum sociis et rebus suis omnibus, eidem lapidi insidens, divina potentia lapidem impellente, celerrimo recursu littoribus Hyberniæ paternis applicans, sanctum patrem Bracanum, sicut promiserat, visitavit.

credibilia

E

F

ex anonymo biographo

14 *Cap. 15 idem anonymus nimis mira refert, quam ut sola ipsius vacillante fide admittantur tamquam vera:* Novem jaculatores, *inquit*, viri valde deformes, vultu et habitu horribiles, instinctu diabolico inducti . . , a beato Viro novem nigros arietes mutilatos, Deum ac Sanctum attentantes, joculatoria et incompetenti petitione omnes insimul clamantes sibi dari postulabant. . Et ecce novem nigri arietes sine cornibus. . de mari exeuntes. . . apparebant: quos ipsi tenuerunt. Sed. . . isti filii perditionis, tam ipsi quam verveces in momento, in ictu oculi, ante sanctum Flannanum terræ adhærentes, omnes in lapides transmutati sunt, et sic usque in hodiernum diem visibus humanis evidenter comparent. *Nec credibilia nobis sunt, quæ de Theodorico Sancti, ut fertur, patre, præmiserat biographus cap. 8*: Eodem tempore quidam homo, diutino ac annoso languore depressus, ad sanctum Colmanum, tamquam ad cælestem medicum currens, flebili voce proprii corporis sanitatem rogitabat: *Sed Colmanus,* Vade, inquit, fili mi, ad illum fratrem Theodoricum, qui cæteri

A teris obnixius fortia saxa perfrangit, ac de sudore vultus ejus lavare : confidenter confidens in Domino, valorem corporis recipies. Quod ita factum est. Nam idem homo . . , postquam se de sudore . . servi Dei . . humectaverat, quasi balsamo lotus cælesti, proprium vigorem, pristinamque salutem . . receperat.

referuntur: 15 Iis itaque peractis, postquam per aliquot annos cum sanctis fratribus proclivia vallis hinc inde in plana redegit, viamque ferentibus * oneribus aptam mira virtute peregit; quodam die dum solus unum nativum saxum superficietenus planavit, super eumdem lapidem de cælo, ipso vidente, tres guttæ rubicundissimi sanguinis ceciderant : quod ipse prodigium hoc admirans, sanctum Colmanum, universamque sanctorum multitudinem advocans, diligentissime sciscitabatur, quid hoc mirum . . portenderet *etc. At de his plus quam satis. Neque enim abutemur tempore pariter ac patientia lectoris, describendo prodigia plura, quæ a* S. Flannano *patrata fuisse memorat sæpe dictus auctor, seu potius fabulator: de quo, uti superius constituimus, nunc*
B *tractandum nobis est.*

* f. ferendis

de quo 16 *Imprimis, quæ ad hunc biographum attinent, omnino nos fugiunt, nomen videlicet, patria, vitæ institutum, tempus quo scripsit, et, quod caput est, auctoritas sufficiens documentorum, e quibus res tam mirabiles et incredibiles hausit, cum ipse per se careat idonea auctoritate, ut eisdem fides habeatur. Ex hoc tamen, quod dicit cap.* 3, Notate itaque, viri fratres, *suspicari quis possit, monachum fuisse: uti ex cap.* 8 fratres charissimi. *Illud vero,* Et sic usque in hodiernum diem visibus humanis evidenter comparent, *sicut ex ipso jamjam retulimus num.* 14, *indicat quidem, eum scripsisse post Sancti obitum; sed quo seculo, non item. Ex alio autem ipsius loco, quem supra retuli num.* 7, *jam indicatum est, quod non scripserit Sancti Vitam ante medium seculi duodecimi.*

nonnulla superaddimus. 17 *Atque hæc sunt specimina propter quæ Vitam* S Flannani, *prout jacet, ab Opere nostro arcendam censui: et tametsi omnia in eadem contenta non dicamus esse falsa; cum accidere potuerit, ut veris falsa immixta referat; quia tamen*
C *auctor nullius est auctoritatis, qui tam mira memorat, et non credibilia, ideo nullam in eis meretur fidem. Etenim homini fabulatori, qui consuevit fallere vel falli, non facile vir prudens crediderit etiam tunc, quando verum dicit. Dolemus, meliora de hoc sancto Præsule monumenta non pervenisse ad nostras manus, qui videtur fuisse non vulgaris nominis et sanctitatis, sicut colligere licet e Missa ipsius propria, ac patronatu generali ecclesiæ ac diœcesis Laoniensis, uti dictum est* § 1. AUCTORE J. P

10 *De sancti Antistitis transitu ad cælestem patriam qualisqualis iste biographus nihil novit, cum hæc dumtaxat memoret cap.* 20 : Sed de transitu sancti Patris, ne hoc tam celebre, tam famosum quid silenter transierim, succincte, brevitatis amore pauca ex multis expediam. *Dixisset rectius, se defectu notitiæ de illa silere, quia nihil dicit. Nam statim aliud agens ita pergit:* Interea dum creberrima miraculorum frequentia per fines occidentis Virum sanctum divulgaverant : dum cæci et claudi, cæterique alii variis languorum pestibus ad sepulcrum Viri sancti pristinæ sanitati restituerentur. *Proxime sequitur elevatio corporis, de qua mox agetur. Annum mortis, de quo nihil lego apud biographum, notavi superius* seculo forte VII, *secundum dicta ex Waræo* § 1, *num.* 1; *et num.* 6 *ac* 7 *ex personarum ætate, quæ, ut fertur, vixerunt cum* S. Flannano, *Sed quoniam obscura et incerta sunt, quæ de illo memorantur, tempus restrinxi per adverbium* forte. E

Tempus mortis Sancti,

19 *Quæ anonymus narrat cap.* 20 *de elevatione corporis, ad pauciora contraho :* Totius regni prælati ecclesiarum cum rege ac principibus inito consilio, cum licentia Romani Pontificis, ne thesaurus tam desiderabilis diutius in gremio terræ absconditus delituisset, venerandi Patris ossa . . elevare decreverunt. Cumque timor et reverentia . . tam sancta membra tangere, pene omnes graviter invasere, duo tantum . . sarcophagum . . effoderunt . . ac sancta membra elevarunt. Sed . . vapor . . de sanctis ossibus . . afflans, in tantum afflavit, ut unum illorum æterna cæcitate . . in ævum damnaret: alterum vero membrorum dissolutione . . in tantum enervavit, ut . . aliorum manibus in domum suam deferretur. Post hæc, auro atque argento a principibus collecto, scrinium mira arte compactum, atque . . deauratum super altare locantes, ibidem sancti Patris ossa recluserunt. *Quæ hisce immiscet per vaporem facta, non credimus, nec scimus, an vera sint alia.* F

ac corporis elevatio.



DE

A D

DE BEATA ADELINDE ABBATISSA

PARTHENONIS BUCHOVIENSIS IN SUEVIA FUNDATRICE,

J. P.

COMMENTARIUS HISTORICUS

Conspectus loci; chronologia fundationis correcta; Beata quando mortua; cultus publicus.

ANTE MEDIUM SECULI X. *Parthenonis situs et vitæ institutum*

Buchaugia vel Buchovia canonissarum seu monialium nobilium ac antiquo stemmate, majorumque imaginibus conspicuarum, ab omni tamen ordine, professione ac voto immunium ac B prorsus liberarum collegium potius quam cœnobium, in Suevia ad ejusdem nomiuis amœnissimum lacum, quem vulgo Liberum lacum, vel Plumarum lacum * vocant, nou procul a Biberaco, urbe imperali in Suevis situm : in quod assumi solent tantum comitissæ et barouissæ, quæ ibi sub abbatissa pudice et sobrie educari, ad pietatem et virtutem informari, postea nubiles, et ambitæ aut expetitæ egredi iterum et honeste nubere solent. Quod omnibus concessum et liberum ; soli abbatissæ propter acceptam pontificiam benedictionem, ut vocant, integrum uon est. Idcirco non moniales, sed expectatrices potius, et domus ipsa non monasterium, sed honestissimæ disciplinæ magis domicilium ac sacrarium . . nomiuari debebat. *Hæc Bruschius in Monasteriis Germaniæ centuria prima, fol. 17 verso : qui deinde longam de ejusdem parthenonis fundatione subdit historiam, e qua excerpo ista :*

* Feedersee.

de prima ra...

2 Id . . amplissimum ac pulcherrimum collegium fundatum legitur iu honorem sanctorum Cornelii et Cypriani, a Domina Adelinde . . quæ ibi sepulta est. Tota fundationis historia sic se habet : C Imperabat Suevis ante annos octingentos, Pipini Galliarum regis temporibus, potentissimus quidam rex Marsilius, Laureaci in ducatus Wirtembergensis prædivite cœnobio sepultus : is Pipinum Galliarnm regem a Stephano secundo Pont. Max. in Italiam contra Longobardos provocatum, ac idcirco armata manu Romam profectum secutus, strenue se ibi gessit . . Post adeptam ex Longobardis victoriam et servatam Romam a tyrannide Haystulphi Longobardorum regis, duxerunt Pipinus ac Marsilius inter alios captivos ac datos obsides, duos etiam egregios juvencs Bonosium ac Sophonium, Russonis Longobardorum cujusdam reguli aut, ut aliqui voluut, Græci alicujus Comitis de Tragento (qui in hoc ipso bello occubuerat) filiolos secum in Germaniam.

ejusdem

3 Sophonium decem annorum puerum Pipinus sibi vendicabat : Bonosium vero uno anno majorem natu Marsilius apud se retinuit, et in Laureacensi cœnobio, sacra baptismate ablui fecit . . Venerant tunc recens in Germaniam e Roma nobilissimi comites Montis-fortis : horum unius filiam quamdam dedit Marsilius Suevorum rex huic ipsi comiti Bonosio in uxorem : dotis vero loco provinciam illam, quæ Lacui plumario et Biberacensi pago vicina erat . . . Prodibat aliquando Bonosius cum sponsa sua . . , ut quæreret locum ædificandæ arci idoneum, quem cum in densis nemoribus invenisset commodissimum, dixit inter alia charissimæ nuptæ suæ . . Si Dei bonitate et misericordia in promptu jam uobis essent opes et peeuuiæ, quas Tragenti charissimus pater meus terræ iufodit, cum videret oppugnari urbem et dulcissimam patriam suam, quam ego nobis vellem E *hic* bellam extruere arcem . . Cui mox etiam in honorem æternæ ac omnipotentis Triados . . templum adjicerem . . Montfortia . . animo hylari eum inchoare jubet . . cum arcis tum templi constructionem . . Locum inventum accedunt, et fodere iucipiunt firma spe certi subsidii divini.

4 Cumque foderent invenerunt, favente Deo, *fundatione* mox ahienum sive caldarium amplum, ingens et capax, pecuniis, auro et argento plenum . . arcem una cum templo erigunt, cui titulum ac nomen indunt ab invento lebete, totumque adjacens territorium suum, Caldariensem sive Kesselburgensem comitatum appellant . . Bero filius Bonosi et Montfortiæ, ducta uxore nobili puella de Bodmeu, pater quatuor filiorum Clingoldi, Hussonis, Tallatarii, et Birridonarii . . Tallatarius uxorem ducens comitissam Hillermontanam, filium Godefridum genuit . . Is postea ex Andecensi comitissa Bavarica Hattonem vel Othonem filium suscepit. Hatto sive Otho comes Caldariensis . . dominus opulentus et potens, qui vicinis etiam principibus prudentia et consilio suo proderat sæpe, potentissimi Suevorum Ducis Hildebrandi, et dominæ Re- F gardæ Bavarorum ducissæ . . filiam domiuam Adelindin in arce Andechs natam, sororem Hildegardis reginæ (quæ Carolo Magno desponsata fuerat) uxorem duxit : quæ quatuor ei filios peperit . . Beringerum, Reginoldum, Gerhardum et Hattonem. Accidit vero ut lustris aliquot labentibus irruerent in Germaniam Hunni . . . Admoniti a Carolo Maguo Germaniæ principes prodeunt obviam *eis*.

5 Commissum autem est iugens prælium prope *narrat* Biberacum, in quo Otho iste comes Tragentinus et Caldariensis cum tribus filiis *modo nominatis* occubuit. Locus ipse, in quo pugnatum est, postea Vallis planctus * plauctu dominæ *vulgo Planchtal* Adelindis et accolarum . . . cognominatus est : quem hodie adhuc corrupta voce Planchinam valleu accolæ appellant. Atto vel Otho, quartus filius comitis Othonis et dominæ Adelindis religioni deditus ac diacouus factus, paulo post mœrore auimi contabuit. Fusis vero Hunuis, et ex Germania virtute Caroli Magni cjectis, domina Adelindis trucidata mariti ac filiorum corpora collegit, et in sempiteruam eorum memoriam Buchoviense monialium Augustinianæ primum

A mum professionis cœnobium fundavit : in cujus templo maritum cum filiis honorifice sepeliri fecit. Ipsa postea tædio et odio vitæ, redditis Deo omnibus bonis, possessionibus et facultatibus suis, mundo in universum valedicens, prima sui cœnobii facta est gubernatrix, in quo mortua tandem honorifico mausolæo terræ parenti reddita est.

multa apocrypha

6 *Hæc refert Bruschius, qui etiam agit de secundo laudati parthenonis fundatore, et, dum in cineres fuisset redactum, instauratore Ludovico Pio imperatore, Caroli magni filio, ac de donatione eidem ab ipso facta anno imperii sexto, id est anno Domini* DCCCXXI, *cujus diploma affirmat Bruschius abbatissam prædicti parthenonis sibi exhibuisse legendum :* Ejusdem vero, *ait*, imperatoris Ludovici Pii authoritate et privilegio ab omni professione ac regula exemptum est Buchoviense cœnobium. Unde nunc liberum, immune, ac imperatorium Canonissarum collegium dici solet : *Cujus etiam moderatrices plurimas nominat :* Floret hodiedum insigniter vetustissimum ac principale collegium hoc Buchaugiense tota sacratiori morum disciplina nitidissimum,
B *teste R. D. Francisco Petro in sua Suevia ecclesiastica anno* 1699 *impressa, pag.* 207, *Hæc vero chronologia et historica Bruschii de fundatione parthenonis Buchoviani narratio in plerisque mihi suspecta est, et ideo tam prolixe illam retuli, ut melius refutari possit ex chronologia potissimum, de qua nunc agam.*

Bruschius,

7 *S. Caroli Magni imperatoris et Francorum regis gesta illustravimus tomo* 2 *Januarii, die* XXVIII *ejusdem mensis pag.* 874 *et sequentibus, affixa ejus morte anno* 814. *Unde consequens est, Beatam floruisse seculo octavo. Quod vero supra dicebatur de* fusis Hunnis, et ex Germania virtute Caroli Magni ejectis, *plusculum lucis præbet. Eginhardus in Vita ejus tomo ac die mox indicatis, pag.* 881 *hæc scribit :* Maximum omnium, quæ ab illo gesta sunt, bellorum, præter Saxonicum, huic bello successit, illud videlicet, quod contra Avares sive Hunos susceptum est : quod ille et animosius quam cetera, et longe majori apparatu administravit. Unam tamen per se in Pannoniam, nam hanc provinciam ea gens tunc incolebat, expeditio-
C nem fecit *eo successu, ut pene vacua reddita fuerit eadem provincia. Pannonica vero illa expeditio in Annotatis ibidem pag.* 882 *lit.* b *innectitur a nobis anno* 791. *Vixisset itaque tunc temporis, si Bruschius vera referret,* B. Adelindis. *Matthæus Raderus Bavariæ sanctæ volumine secundo pag.* 122 *has super ea notas chronologicas ponit :* Sub annum Christi DCCC, eoque amplius, Carolo M. imperante. *Ita ille, incautum ducem secutus. Sed volumine* 3, *pag.* 204 *in Animadversionibus se correxit.*

sicut aliunde

8 *Hermanus Contractus in Chronico auctius vulgato apud Henricum Canisium tomo* I *Antiquarum lectionum, systema chronologicum Bruschii evertit, quando ibidem pag.* 561 *narrat ista ad annum* 901 : Ipso anno Beringer, Reginolf, et Gerhart, nobiles Germani fratres, filii Atonis comitis et Adellindæ, non longe ab Buchaugiensi * cœnobio virginum, in pago Alemanniæ Erichewe, a matre per ipsum tempus studiose in honorem sancti Cornelii et sancti Cypriani martyrum constructo, cum sororem virginem nuptum tradere molientes, clam inde abducerent, ab inimicis circumventi et occisi sunt, et a matre sua apud ipsum cœnobium sepulti : ubi etiam ipsa, postquam Jerosolymam aliaque loca sancta causa orationis adiit et rediit, divinis intenta servitiis, et animarum inhians lucris, feliciter hanc vitam finiens condita est. Ipsa filia virgine æquivoca * sua abbatissa inibi constituta est *. *Mabillonius tomo* 3 *Annalium suorum pag.* 310, Erichgewe, *inquit,* seu Erigove, Elgow, nunc decanatus caput est in diœcesi Constantiensi : sed nullum in eo hujus parthenonis vestigium invenio, cujus notitiam ab Hermanno accepimus. *Sed de situ ejusdem parthenonis satis dictum supra, quidquid sit de* Erichewe, *quod tempore Hermanni exstitisse, videtur non imprudenter posse præsumi.*

* l. Buchaugiensi

* l. æquivoca

* Mabil. sine est

9 *Ut ad superiorem chronologiam redeamus ; corruit funditus Bruschiana ex eo, quod a tempore Pipini regis tam multa præmittat superius de progenitoribus Othonis, mariti, uti vult,* Adelindis, *nec non de ejusdem* Adelindis *ac filiorum ipsius morte, ut diu post, quam ponat Bruschius, floruisse debuerit. Ad hæc, tam longa est Bruschii historia, tamque longæ ambages, intexto pariter eisdem stupendo miraculo, ut sine antiquiore teste, et ad fidem historicam faciendam idoneo tota fere ipsius narratio reddatur mihi suspecta. Contra autem Hermannus rem breviter expedit, nec video, cur non vere. Bruschius* Adelindin *facit* sororem Hildegardis reginæ ; *Hermannus utramque ita chronologice distinguit, ut sorores esse haud possint, ista scribens ad annum* 783: E
Hiltigardt regina uxor Caroli *(Magni)* 2 Calend. Maii, et Bertha mater ejus IV Idus Julii obierunt. *Juvat hic in memoriam revocare, quæ de beata Hildegarde regina observata sunt tomo* III *Aprilis, die* XXX *ejusdem mensis, ubi pag.* 788 *mortem ejus etiam affiximus anno* 783. *Ibidem pag.* 791 *de gravi errore accusatur genealogia, quam Bruschius de dicta regina contexuit, sicut ibidem videre licet : ut merito a nobis subjungantur ista :*

ostenditur

a nobis :

10 Porro sicuti fabulosis illis, quibus Munsterus et Bruschius usi sunt monumentis, et jam circa nativitatis annum de fallaciis convictis, nihil credimus circa locum *(qui ex Bruschio ibidem erat præmissus* in arce Andecensi) aut diem natalem ; sic multo minus eidem fidimus circa Hildegardis genealogiam, qua ipsam « Hildebrandus « Sueviæ dux, ex Bavara uxore domina Regar- « de « dicitur genuisse. *Hæc applica loco natali ac parentibus* B. Adelindis *a Bruschio superius assignatis. At quid de diplomate donationis Lu-* F *dovici Pii, quod exhibuisse sibi legendum dicebat Bruschius abbatissam Buchoviensem? Fuisse illud genuinum rotunde a nobis negatur, contra quod clamant argumenta minime dubia, quæ jam proposui. Legi etiam possunt, quæ habentur apud nos pag.* 791 *citata. His itaque adversus fabulosam ac prolixam Bruschii historiam de fundatione Buchoviana, et chronologia Beatæ nostræ hactenus expositis, ego obitum ipsius, ex dictis Hermanni Contracti de fundatione Buchoviensi, posui ante medium seculi decimi. Agendum nunc de cultu ejus sacro.*

referuntur variis hagiologis.

11 *Hagiologi diversis ipsam diebus annuntiant. Molanus in additionibus hac die* XXVIII *Augusti :* Buchaugiæ S. Adelindis abbatissæ. *Ejusdem quoque meminit Martyrologium Germanicum, quod Canisii nomine vocamus, in editionibus anni* 1573 *et* 1599, *quas vidi. Referunt illam monasticei etiam Benedictini Wion ac Menardus ;* Buchoniæ in Suevia S. Adelindis abbatissæ *(apud Wion interseritur* deposito.) *At Dorganius eam refert sine loco : quem ineptissime ponit Ferrarius in suo Catalogo generali,* In territorio Fuldensi, *additque in notis :* Claruit in Buchenia

AUCTORE J. P.

Buchonia regione, cujus Fulda C. diœces. Moguntinæ caput est. *Suspicor, virum esse inductum in errorem ex corrupto nomine* Buchonia, *quod sic etiam scribunt, ut modo vidimus, Wion et Menardus; sed addunt in* Suevia : *extra quam dum Ferrarius regionem* Buchoniam *pro parthenone* Buchovia *præ oculis habuit, tota via aberravit. Est autem* Bochovia, BUCHAW, *seu* BUCHEN, tractus Germaniæ in circulo Rheni superioris juxta Hassiam in ditione abbatis Fuldensis : unde etiam Fulda . . dicitur Buchovia . . Sæpe etiam vocatur Buchonia in titulis, *recte Baudrando. Perperam etiam Arturus* : Buchoviæ in Suevia, diœcesis Moguntinæ prope Biberacum. *Hæc occasione loci : quem non satis fortasse perspectum habuit Castellanus, quando sine erroris periculo ad diem* XXI *Augusti refert ista* : In Germania S. Adelindis abbatissa. *Ex annuntiationibus monasticorum Benedictinorum colligere licet, hanc ab illis adscribi Ordini suo* : Abbatissæ Benedictinæ *nomine refertur etiam ab Arturo. Si Bruschio credimus,* Augustinianæ primum professionis cœnobium fundavit; *sed de hac non constat, nec de ejusdem postea mutatione in vitam a votis exemptam a Ludovico Pio inducta, quod falsitatis convincitur ex dictis de chronologia. Quando autem hæc mutatio acciderit, et an a fundationis initio canonissæ non fuerint dominæ Buchovienses, non habeo, unde definiam. Beatam denique vocavi* abbatissam *cum aliis scriptoribus.*

et publicus ejus cultus probatur.

12 *Porro publicum hujus beatæ Matronæ cultum Bruschius, qui in hac re suspectus esse non debet, fol.* 18 *verso declarat et confirmat his verbis* : Annumeratur Divarum catalogo propter insignem vitæ ac morum innocentiam. Festum ejus celebratur in die S. Augustini, hoc est XXVIII Augusti. Ea die solet in ejus memoriam domina abbatissa distribuere per suas virgines comitissas ac baronissas, omnis generis advenientibus ac accurrentibus ex tota circum jacente regiuncula cum suis, tum etiam peregrinis et exteris, summo et infimo loco natis hominibus, panes divæ Adelindis fundatricis siligineos : quod fieri solet insigni pompa, cujus ego etiam spectator fui anno MDXLVIII, cum distribuerentur panes quatuor mille. *Si aliæ, quas curavi inquirendas apud Buchovienses, de cultu et vita notitiæ ad me perveniant, poterunt dari ad calcem hujus tomi, si fuerit operæ pretium.*

DIES VIGESIMA NONA AUGUSTI

SANCTI, QUI IV KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sancta Serapia V. et M., **S. Sabina M.** — **Romæ.**

S. Adelphus episc. conf. Metis in Lotharingia.

SS. Euthymius conf., et uxor ejus, **S. Crescentius eorum filius** — **Perusiæ in Umbria.**

S. Nicæa, **S. Paulus** — **Martyres Antiochæ in Syria.**

SS. Nongenti Martyres.

S. Albericus eremita apud Balneum in Etruria.

Vide append. pag. 837. aug. n° 13.

S. Hypatius episc., **S. Andreas presb.** — **MM. Constantinop.**

BB. Joannes Sacerdos et Petrus Laicus. MM. in Hispan.

S. Candida V., **Item S. Felix**, **S. Foricia**, **S. Adausia**, **S. Gemellina cum sociis.** — **MM. Romæ.**

S. Basilla V. Sirmii in Pannonia inferiore.

S. Sebbus rex Londini in Anglia.

S. Medericus presb. et abbas Parisiis.

S. Verona V. prope Lovanium in Brabantia.

B. Antonius Ripolanus M. ex Ordine FF. Prædicatorum, Tuneti in Africa.



PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI

Sancti Lupi *ep. Cabilonensis* corpus relevatum IV Cal. Sept., *habemus ex Claudio Roberto in Gallia Christiana pag.* 277. *Legi etiam potest Saussayus ad hunc diem. Sed nos de isto Sancto scripsimus* XXVII Januarii.

Sabiniani *Trecensis* martyris *meminerunt Maurolycus et Ferrarius. Adi* XXIX Januarii.

In pago Tricassino S. Sabinæ virginis, virtutibus et miraculis gloriosæ. *Ita Martyrologium Romanum hodierna die. Vide diem, quo apud nos jam pridem data est,* XXIX Januarii.

SS. Basini et Weomadi *archiepiscoporum Trevirensium* corpora *ad decentiorem locum translata memorat Masenius in Annalium Trevirensium continuatione ad annum* 1621, *pag.* 469, *re solenniter peracta apud patres ad S. Maxi-*
B *minum.* S. Basini *Vitam illustravimus* IV *Martii, et ibidem indicavimus*, S. Weomadum, VIII *Novembris Fastis sacris S. Maximini et aliis insertum. Spectant itaque ad diem* IV Martii et VIII Novemb.

Commemoratio S. Frudulphi confessoris *scribitur in Martyrologio Menardi. Colitur festo solenni Parisiis in ecclesia S. Mederici die, quo agendum de ipso erit in Operis nostri supplemento,* XXI Aprilis.

Sanctæ Elisabeth Taumaturgæ *memoriam ponit Ferrarius* ex Græcis, *sicut addit in notis*, in Menol. De qua iidem in Antholog. seu Brev. Romæ excuso sub Clemente VIII agunt ad diem XXIX *Aprilis. Voluerit scribere* XXIV Aprilis, *quo illam lego in dicto Anthologio, anno* 1595 *ibidem impresso. Habetur apud nos ad eumdem diem* XXIV Aprilis.

Messanæ, plurimorum sanctorum Martyrum sub Tertullo præside. *Annuntiatio est Ferrarii*, ex Martyrol. Siculo, *ut dicit in notationibus, addens:* De eis in Actis SS. Alphii, Philadelphii et Cyrini. De illis tamen Officium ecclesiasticum haud recitatur, quod corpora ubi sint,
C ignoretur. *In Martyrologio Siculo apud Caietanum in Idea Operis de Sanctis Siculis, prædicti Martyres anonymi etiam signantur ex modo dictis Actis, quæ data sunt, et legi possunt apud nos ad diem* X Maii.

S. Helisæi prophetæ *annuntiatio signatur apud Belinum, de quo etiam Galesinius, Molanus, Maurolycus, Canisius. Dedimus eum* XIV Jun.

S. Ethelredæ reginæ et virginis *notatur* Coldinghamæ *a Ferrario. Vide* XXIII Junii.

Decollatio sancti Joannis Baptistæ *signatur hac die in Martyrologio Romano, qua etiam exstat in Fastis Græcis. Consule quæ a nobis dicta sunt ad diem* XXIV Junii.

S. Aureæ virginis et martyris *Ostiensis meminerunt Grevenus et Canisius. Lege quæ habentur apud nos* XXIV Augusti.

In Anglia depositio S. Ebbæ virginis et abbatissæ *est apud Menardum. Inspice apud nos* XXV Augusti.

S. Magini martyris apud Tarraconem in Hispania *meminit Ferrarius. Habetur in Romano ad diem, quo et nos illum dedimus,* XXV Aug.

In civitate Aquila, coronatio beati Petri Cælestini patris nostri, in qua est indulgentia a baptismo. *Ita auctaria ad Usuardum a nobis edi-tum habent e codice Bigotiano. Vide dicta in hoc Sancto, et in B. Joanne Bassando in Annot. ad cap.* 5 *Vitæ* XIX Maii et XXVI Augusti.

Rapatho, Comes Abenbergensis *etc.* . . . postea vero abbas *notatur a Chalemoto. Meminimus de illo inter Prætermissos ad diem* XXVII Aug.

Emoniæ in Istria S. Pelagii diac. et martyris, patroni ejusdem civitatis. *Annuntiatio est Ferrarii in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad hunc diem* XXIX *Augusti. Non de illo egimus hesterno die, quo colitur Martyr synonymus,* XXVIII Aug.

Aleydis Casimiri regis *(Poloniæ)* filia *refertur ab Henriquezio in Menologio Cisterciensi, et tamquam* beata *laudatur. Cupimus discere publicum ac legitimum ejus cultum.*

Gerardus Mutinensis, ex illustrissima familia Rangona *oriundus, titulo* beati *insignitur in notitiis* E
Mss., quas de illo habemus, in eisque celebrari scribitur ipsius festum die XXIX *Augusti, ex Benedicto Mazara, qui citatur in Legendario SS. Ordinis Minorum tomo* 2. *Apud Arturum a Monasterio ad diem* XXV *Augusti laudatur a* virtutibus atque signis admirandis, *et in notationibus*, cujus anima, *inquit*, ob ejus miracula, præclaras virtutes, singularemque sanctitatem, inter cælites ab omnibus beari existimatur. *In supplemento apud Waddingum ad annum* 1251 *tomo* 3 *Annalium Ordinis Minorum secundæ editionis pag.* 277 *sunt ista:* Cujus frequentior est apud antiquos memoria, quam particularis miraculorum, quæ plurima extitisse feruntur descripta. Astra petiit.. anno MCCLI, VIII Kal. Septembris, Mutinæ honorifice sepultus, teste Paulo Pansa supra citato. *Quodnam hic vestigium legitimi cultus? In litteris ad Papebrochium Mutina datis continetur notitia laudati* Gerardi *ac duorum etiam aliorum, quorum corpora ibidem in Conventualium ecclesia S. Francisci cum honore servari scribuntur; et additur:* Quod quidem ad cultum attinet, nullus publice de- F
fertur, præter ornatum radiorum circa caput, quo eorum imagines *(in dicto)* templo coram omnibus expositæ decorantur, et titulum beati, quo eorum nomina præsignantur. *Verum cum* Gerardo *et duobus aliis nullus tunc temporis deferretur publicus cultus, neque noverimus tempus, quo imaginibus istis radiatis sint insigniti, rogamus Patres Minoritas, ut, si postea indultus ipsis legitima auctoritate fuerit cultus, nos de eo certiores facere dignentur.*

Hertinodus de Gotha confessor, Ordinis eremitarum S. Augustini, *titulo* beati *donatur, ac Vita ejus describitur apud Cornelium Dietman ejusdem Ordinis Religiosum, in Vitæ monasticæ norma, quam edidit. Cupimus probari publicum ac sufficientem ejus cultum.*

Joannis et Petri martyrum *annuntiationem* Valentiæ in Hispania *cum titulo* beatorum *ponit Arturus;* qui.., ob Mathumeticæ legis publicam damnationem, variis.. tormentis excruciati, ab Azoto Maurorum rege jussi sunt, capite plecti. *Eosdem signat Ferrarius post Marietam. Prolixum idem Arturus contexit catalogum auctorum, quos operose non consulo, quia in historia*

A *historia martyrii, quam narrat, non lego ea documenta, quibus cultus eorum publicus probetur; atque adeo in Opere nostro eis locum non tribuo.*

Hieronymus Olivarius conf., *Pinciis in territorio Placentino* | *ut* beati *apud Arturum dantur in Martyrologio Franciscano.*
Didacus a Motica conf., *in territorio Syracusano Siciliæ*
Maria Gonsalva virgo Tertiaria, *Toleti*

Præter hos videri possunt plures alii apud Hueberum.

S. Joannis confessoris *mentio fit ex codice Castri Coroli inter auctaria ad nostrum Usuardum.*

Apud Jacam in Hispania S. Joannis eremitæ. *Annuntiatio est Ferrarii,* ex tab., *ut habet in notis*, monast. Rupen., quod vulgo S. Yuau de la Peña, in diœc. Jacen. dicitur. Vixit quo tempore Arabes Hispaniam occuparunt. De quo in Chron. Aragonensib. *Sed nec eorum auctorem, nec locum assignat. De illo etiam scri-* B *bit Marieta in Historia Sanctorum Hispaniæ, sicut lego inter ea, quæ habet de confessoribus non pontificibus; at nullam affert publici cultus notitiam.*

In Hemmenrode (*abbatia est Ordinis Cisterciensis in archiepiscopatu Treviensi*) Meynerus Prior *annuntiatur ut* beatus, *et elogio condecoratur a Chrysostomo Henriquez, et a Chalemoto, referturque in Kalendario ejusdem Ordinis, quod anno* 1617 *Divione impressum est; sed absque titulo* beati, *quem cupimus discere e publica, si habeat, ejus veneratione.*

S. Fiacrius *annuntiatur a Camerario. De illo tractabimus cum Martyrologio Romano* XXX Aug.

In Affrica sanctorum martyrum Vitalis, Satiris, et Repositi. *Ita additiones Mss, Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum Greveni. In auctariis ad nostrum Usuardum scribitur e codice Vaticano* Satoris. *De his videri poterit* I Septemb. D

S. Adelphi abbatis Habensis *depositionem ponit Saussayus in Supplemento. Differimus eum ad diem, quo scribitur obiisse,* XI Septembris.

S. Terentiani episcopi et martyris *memoriam signat Galesinius* Tuderti, *de quo etiam apud Canisium in anni* 1599 *editione. Sunt in Romano* Terentius *et Fidentius* XXVII Septemb.

Natale Felicis episcopi civitatis Tubrozensis (*immo* Tubzocensis) *signat Venusii in Apulia Martyrologium Rabani,* et Januarii presbyteri, et Fortunatiani et Septimi lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magnelliano procuratore XVIII Calend. Julii, inde multis diu vinculis et carceribus macerati, et in Asia et in Sicilia, tandem in occisione gladii consummati sunt. *Molanus et Canisius in* civitate Tubzozense *annuntiant* Januarium *et duos socios modo nominatos; sed* Felicem *sine episcopatus loco ponunt seorsum ab istis Venusii. Florarium quoque nostrum Ms.* in Venusia, *inquit,* S. Felicis episcopi, *sine aliis; quod etiam faciunt Galesinius hac die, cui adde Ferrarium in Catalogo generali. Consule, lector, dicta hoc tomo pag.* 166 *in SS. Fortunato et duobus aliis Martyribus Salernitanis, et exspecta dicenda ad diem, quo de Venusinis agit Martyrologium Romanum* XXIV Octobris. E

S. Edwoldi confessoris et eremitæ translatio *exstat in Martyrologio Anglicano Wilsoni anno* 1608 *impresso. Sed ejusdem Sancti depositio inscribitur utrique ejusdem auctoris editioni die, quo et nos eum daturi sumus,* XXVIII Novembr.

DE SS. SERAPIA VIRGINE MARTYRE

ET SABINA MARTYRE

ROMÆ

C J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS F

Cultus utriusque Sanctæ et reliquiæ : Acta utrique communia : tempus et locus martyrii.

Circa annum CXXVI. Serapia in variis Martyrologiis ad XXIX Julii, quo obiit:

Sanctam *Serapiam, aut, ut alii scribunt,* Seraphiam *virginem et martyrem annuntiant Fasti sacri diebus variis, quod alia die obierit, alia colatur in Ecclesia. Majores nostri in prætermissis ad* XXIX *Julii notarunt sequentia:* S. Serapia signatur hoc die in variis Martyrologiis, quorum aliqua male scribunt Seraphiam. Non est sancta Romana, sciturque hoc die martyrium subiisse; verum festivitas ejus propter rationes, suo tempore explicandas, dilata est in Martyrologio Romano ad III Septembris. *Indicantur hic varii codices Usuardini aucti, quos in Usuardo suo Sollerius citavit ad* XXIX *Julii, et in quibus* Serapia *vel* Seraphia *Romæ annuntiatur. Plerique tamen melioris notæ martyrologi* S. Serapiam *memorant ad* III *Septembris, licet adjungant, passam esse* XXIX *Julii. In Veteri Martyrologio Romano, quod edidit Rosweydus, ad* III *Septembris sic legitur:* Romæ, Seraphiæ virginis, IV Kalendas Augusti passæ, II Kalend. sepultæ, III Nonas Septembris memoria ejus celebrior.

at festivitas ejus celebratur III Septembris.

2 *Hisce vestigiis institit Ado, at prolixum ex Actis adjecit elogium, quod prætermitto. Accipe tamen priora et posteriora ejus verba:* Romæ passio et natalis beatæ Seraphiæ virginis, sub Adriano imperatore, judice Berillo .... Passa est autem quarto Kalendas Augusti, et sepulta juxta arcam Vindiciani in monumento illustris martyris Sabinæ II Kalendas Augusti. Compositum vero et ornatum est venerabile sarcophagum ambarum, et locus orationis condigne dedicatus tertio Nonas Septembris, quando et memoria passionis ejus

A ejus celebrior agitur. *Usuardus ad eumdem diem sic habet :* Romæ, passio beatæ Serapiæ virginis, sub Adriano principe, quæ cum esset tradita duobus lascivis viris, et minime posset illudi, nec postmodum ardentibus lampadibus inflammari, jussu præsidis fustibus est cæsa, sicque gladio decollata. Hujus dies passionis quarto Kalendas Augusti, sepulturæ vero ejusdem in præsenti habetur, quando et memoria ipsius martyrii celebrior agitur. *Usuardus sepulturam non distinguit ab oratione sepulcri, prout distinxit Ado, et cum Adone consentiens Ms. Florarium nostrum.*

qua eamdem annuntiant præcipui martyrologi : corpus Romæ servatum.

3 *Romanum Martyrologium Baronii elogium contextum partim ex Adone, partim ex Usuardo, habet hujusmodi :* Romæ sanctæ Serapiæ virginis, quæ sub Adriano principe cum esset tradita duobus lascivis juvenibus, et minime potuisset illudi, nec postmodum ardentibus facibus inflammari, jussu Berilli judicis fustibus cæsa, dehinc gladio decollata est. Passa est autem quarto Kalendas Augusti, et a beata Sabina in suo monumento juxta aream Vindiciani sepulta; sed memoria ipsius martyrii hac die celebrior habetur, B quando ambarum sarcophagum ibi compositum et ornatum fuit, et locus orationis condigne dicatus. *Festivitatem Sanctæ celebrari in ecclesia* S. Sabinæ, *ibique corpus ejus quiescere, affirmat Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ ad* III *Septembris. Gelenius autem in Opere de Magnitudine Coloniæ Agrippinensis pag.* 571 *ait ibidem apud Capuccinas moniales haberi* caput S. Seraphiæ. *Hæc de cultu* S. Serapiæ *abunde sufficiunt, et juvabunt eadem ad locum et diem martyrii assignandum. Ceterum, etiamsi hæc Sancta colatur* III *Septembris, de ea hic agendum judicavimus, quia Acta ejus Actis* S. Sabinæ *sunt immixta.*

Nomen S. Sabinæ in antiquis Fastis :

4 *Cultus* S. Sabinæ *celeber admodum est et antiquus hac ipsa die* XXIX *Augusti, qua in plerisque Martyrologiis signatur. Apud Florentinium ad diem memoratum in Annotatis annuntiatur ex duobus apographis Hieronymianis. At ibidem in Mss. Reginæ Sueciæ titulus* Virginis *perperam additur, uti etiam fit apud Bedam vulgatum. In veteri Romano sic habetur :* Romæ ad Arcum Faustini, Sabinæ martyris. *Fusius Ado ex* C *Actis dat elogium, cujus initium et finem subjungo :* Romæ in Aventino, in oppido Vindinensi, ad Arcum Faustini, natale beatissimæ et illustrissimæ Sabinæ martyris... Passa est autem beata famula Christi Sabina quarto Kalendas Septembris; et a Christianis sublatum corpus ejus sepultum est in monumento, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ virginem Seraphiam, ad Arcum Faustini, juxta aream Vindiciam, in oppido Vindinensi. *Romæ item* Sabinam *annuntiat Usuardus et alii antiquiores passim.*

ab aliquibus per errorem Virgo vocatur :

5 *De titulo* Virginis *apud Bedam et Wandelbertum addito hæc observat Sollerius in Usuardo suo ad* XXIX *Augusti :* Ponit hodie primo loco Beda : « Romæ, sanctæ Sabinæ virginis atque martyris » : Rabanus solum, « Sabinæ martyris », quomodo verisimile est, primum a Beda scriptum fuisse, cum ex Actis constet, præclarissimi quondam Valentini uxorem fuisse. In veteribus Kalendariis Allatii et Frontonis, uti et in Sacramentario Gregorii, solo nomine signatur. Nec præter Martyris titulum, quidquam adstruxit Romanum parvum, nisi quod locum addat. *Præterea oratio, quæ in Sacramentario Gregorii, et Euangelium, quod præscribitur in Frontonis Kalendario, de viduis est. Vetera itaque instrumenta hæc in re cum Actis concordant, ita ut necesse sit affirmare, non nisi ex errore factum esse, quod* Virgo *ab aliquibus vocetur, cum constet fuisse maritatam, et vidua fuerit, quando coronata est martyrio.*

AUCTORE J. S.

antiqua ejus ecclesia Romæ,

6 *Baronius in annotatis ad Martyrologium de* S. Sabina *memorat sequentia :* Vetus Romæ exstat titulus *(Cardinalitius)* S. Sabinæ in Aventino, cujus est mentio in concilio primo Romano sub Symmacho, et apud Gregorium in Regest. lib. IX, cap. XXII, et lib. XI, cap. 2, quam quidem ecclesiam Eugenius Papa II exornavit auxitque, ut constat ex libro de Romanis Pontificibus in Eugenio. Sunt alia innumera ejusdem vetera monumenta. *Memoratam* S. Sabinæ *ecclesiam conditam fuisse tempore Sixti III scribit Anastasius Bibliothecarius in Sixto. Verum Platina in Sixto III et Baronius in Annalibus ad annum* 432 *num.* 37 *structuram ejus referunt ad tempora Cœlestini I, remque probant ex veteri inscriptione, quæ constat his versibus :*

Culmen Apostolicum cum Cælestinus haberet,
Primus et in tota fulgeret Episcopus Urbe,
Hæc, quæ miraris, fundavit presbyter Urbis
Illyrica de gente Petrus, vir nomine tanto
Dignus, et ab ortu Christi nutritus in aula.
Paupertas locuples, sibi pauper, qui bona vitæ
Præsentis fugiens, meruit sperare futura.

E

In Kalendario Frontonis pag. 33 *notatur feria quarta cinerum solemnis statio* ad sanctam Savinam, *id est,* Sabinam.

de qua narrantur aliqua :

7 *Martinellus in Roma sacra pag.* 296 *ecclesiam hanc ita describit :* S. Sabinæ in colle Aventino, supra Tiberim occasum versus, olim Dianæ, *(quod rectius negant alii)* templum satis splendidum, in uno ordine columnas tredecim, in altero decem habens, olim Pontificum sedes, habuit bibliothecam nobilem, quæ, capta urbe, a milite barbaro cremata est. A Petro Illyrico Cardinali anno CDXXV ædificatum, a Leone III renovatum, ab Eugenio II ad meliorem cultum perductum, et picturis undique decoratum, atque corporibus Alexandri, Theoduli, et Eventii martyrum, ut indicabunt hi versus, extantes in pavimento sub crate ferrea.

Summa Papatus Eugenius arce locatus
Corpus Alexandri Præsulis egregii,
Nec non Theodoli simul et te martyr Eventi,
Juxta Sabinam Serapiamque piam
Æde sub hac posuit, quam Petrus presbyter ædis
Sub Cælestino presbyt. * Roma tuo.
Illis et cunctis sacro baptismate lotis,
Vos Sancti, Dominum esse rogate pium.

F

* lege præsule

A Juliano Cardinali de Cæsarinis reparatum, Fatius Sanctorius Cardinalis hortorum amœnitate eleganti præcinxit, ædibus instauratis. Postremo a Sixto V in præsentem speciem redactum : sub cujus altare majori plura Sanctorum corpora requiescunt. Est titulus Card. sub cura fratrum Ordinis Prædicatorum.

in hac colitur, ejusque corpus servatur : reliquiæ quædam locis aliis.

8 *Laudatus ante Piazza ad* XXIX *Augusti ait, festivitatem Sanctæ in dicta ecclesia solemniter celebrari, ac corpus servari sub ara principe, brachium vero ad venerationem exponi, eademque die indulgentias plenarias esse. Addit festum quoque celebrari in ecclesia S. Laurentii in Damaso, ubi reliquiæ sunt ex humero Sanctæ. Porro* S. Sabinæ *sacra lipsana assignantur et aliis locis. Apud Ughellum in Italia sacra editionis posterioris tom.* 7, *col.* 324 *dicuntur in ecclesia Scalensi conservari* duo ossa S. Sabinæ. *Non additur*

AUCTORE J. S.

ditur tamen hic, an hæc ossa sint S. Sabinæ *martyris, de qua nunc agimus. Laurentius Beyerlink in Theatro vitæ humanæ tom.* 6 *ad vocem* Reliquiæ *pag.* 304 *id nihilo magis exprimit, dum ait Neapoli in ecclesia S. Catharinæ Senensis conservari* caput dimidiatum sanctæ Sabinæ. *Verum* Sabinam *nostram clare designat Rayssius, dum pag.* 212 *asserit asservari in cœnobio Benedictinorum Epternacensi* caput sanctæ Sabinæ viduæ, quæ sub Hadriano imperatore gladio percussa, martyrii palmam adepta est IV Kalend. Septembreis. *Idem scriptor et alibi* S. Sabinæ *reliquias memorat, uti et Gelenius in Opere de Magnitudine Coloniæ Agrippinensis locis variis, at cum non liqueat, hanccine* Sabinam, *an aliam designent, illas visum est prætermittere.*

Actorum exemplaria Ms. et edita:

9 *Acta* S. Serapiæ *et* S. Sabinæ *martyria complexa exstant Ms. et edita. Eadem ediderunt Mombritius et Surius, sed distracta in duas partes, qualia etiam habemus Mss.: attamen dubium non est, quin unum sit Opusculum, quod aliquis divisit, ut ad* XXIX *Augusti collocarentur, quæ ad* B S. Sabinam *pertinent, quæ vero ad* S. Serapiam, *ad* III *Septembris, quibus diebus sic edita leguntur apud Surium. Acta* S. Serapiæ *sic separata Mss. habemus in codicibus duobus admodum antiquis, qui notati sunt* Q Ms. 6, *et* Q Ms. 7, *atque insuper descripta ex codice Fuldensi. Pro parte autem illa, quæ ad* S. Sabinam *attinet, transcripta apud nos sunt ex codicibus tribus, nimirum ex Rebdorffensi et Audomarensi vetustissimis atque ex Bodecensi cum aliqua mutatione, eademque sunt in Ms. nostro* P. Ms. 6, *quod minus est antiquum. Acta vero integra edidit Baluzius tom.* 2 *Miscellaneorum a pag.* 106, *eaque nobis olim transmissa sunt ex codice Trevirensi S. Maximini. Hæc omnia Mss. dum inter se contuli, et cum editionibus Mombritii et Baluzii; deprehendi omnia omnino exemplaria satis consonare, si solam spectemus Sanctarum historiam; at in verbis non parum discrepare. Quin imo, omnibus istis exemplaribus Mss. et editis non segniter consideratis, dubium mihi nullum superest, quin omnia hinc inde mendosa sint aut leviter in verbis mutata.*

C

Baluziana editio melior non est quam Mombritiana: nos editionem dabimus ex omnibus collatis.

10 *Baluzius in annotatis ad hæc Acta pag.* 490 *editionis suæ hasce dat rationes :* Postremam istorum Actorum partem edidit Boninus Mombritius, Surius priorem, *(imo uterque utramque seorsum)* sed valde mutatam ab illis antiquis. Nos cum illa integra et sincera reperissemus in codice CCCXVI bibliothecæ Colbertinæ, existimavimus conjungenda esse cum vetustis Martyrum Actis *etc. Satis adverti ex utriusque collatione, Baluzii editionem non modo aliam esse ab editione Surii, qui stylum correxit, sed etiam dissonare hinc inde ab editione Mombritii, etiamsi hic codicem suum fideliter secutus videatur. At non video Baluzianam editionem Mombritiana meliorem esse : quin potius existimo Baluzii codicem minus purum fuisse, quam fuerit Mombritianus, uti satis patebit ex annotatis nostris. Hæc de causa nullam in omnibus editionem sequar, codicem nullum; sed ex omnibus inter se collatis illa desumam, quæ magis genuina videbuntur, aut plurium consensu præferenda, ita tamen, ut maxime secuturus sim codices nostros, et in annotatis sim indicaturus, ubi quædam in aliis exemplaribus occurrent notatu digna.*

11 *De Sinceritate horum Actorum non idem est omnium judicium. Baronius in observationibus ad Martyrologium die* XXIX *Augusti de parte illa, quæ ad* S. Sabinam *spectat, sic pronuntiat :* Habemus eadem *(Acta)* sincerissima, quæ ex Actis publicis sunt excepta. *Porro non alia designat a nostris Acta tum hic, tum* III *Septembris, ubi affirmat se habere etiam Acta* S. Serapiæ : *at habuit Acta illa separata, ut liquet ex initio utriusque partis, locis citatis assignato. Quin et Papebrochius noster olim, dum erat in Italia, editionem Mombritii contulit cum Actis Baronianis : neque hæc multum ab illa abhorrebant. Tillemontius tom.* 2 *Monumentorum nota* I *in* S. Sabinam *agnoscit,* Acta certo *esse* antiqua : *verumtamen quasdam in iis invenit difficultates, quibus contendit auctoritatem illorum minui, dubiumque reddi, an omnino antiqua sint et non interpolata. Itaque nec plenam fidem iis Actis audet adjicere, nec rursus omnem fidem abrogare. Bailletus in Tabula critica ad* III *Septembris interpolata existimat, et conscripta ab auctore, qui ab ætate Sanctarum erat remotior, idque, ait, propter expressiones paulo duriores, et prodigia quædam non satis cohærentia. At censura hæc severior est quam exactior : nam si Acta sint auctoris ab ætate Sanctarum remotioris, cur insuper interpolata existimat? Cur illa, quæ reprehendenda putat, non æque ab auctore primo Actis inseri potuerunt quam ab interpolatore? Porro ut censuram suam probet Bailletus, remittit ad objectiones Tillemontii, quas singulas examinabimus in Annotatis ad Acta, ubi ostendemus difficultates illas tanti non esse momenti, ut fides Actis sit abroganda, et plerasque objectiones aut enerves esse aut male intortas.*

D

Varia variorum de sinceritate Actorum judicia :

E

nobis non videntur, fide indigna, etiamsi non careant omni nævo.

12 *Baluzius de hisce Actis aliter judicavit, dum pag.* 490 *de illis observavit sequentia :* Magnum autem sinceritatis et antiquitatis argumentum est, quod Sabina dicitur fuisse filia Herodis, « qui « sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma can« didam... dedit Romanis ». Quippe vir doctissimus Henricus Valesius Acta sancti Bonifacii martyris, quæ ab Holstenio edita sunt, hoc magnum indicium vetustatis habere scribit, quod illic de Aglaë dicatur : « Hæc ergo ter candidam ege« rat apud urbem Romam ex præfectura ». Candida autem est editio ludorum, quæ fiebat a prætoribus vel quæstoribus candidatis, sumptu F ipsorum, non ex arca publica, ut idem Valesius observavit ad librum XXVII Ammiani Marcellini pag. CCCXXXII, et in præfatione ad Acta Sanctarum Perpetuæ et Felicitatis. *Hoc judicium præferendum videtur exaggeratæ Bailleti censuræ, quod ipse etiam Tillemontius sequi maluit, non ignarus in Actis maxime sinceris quasdam reperiri difficultates, quæ nequeant omni ex parte amoveri, quod adjuncta rerum nobis sint ignota. Fatendum tamen est, Acta non omnino esse primigenia, nec omni prorsus nævo carere.*

Passæ dicuntur, imperante Adriano.

13 *Restat ut de tempore et loco, quo passæ sunt hæ Martyres, pauca disseramus, quod illa non satis clare in Actis sint exposita, Ado, aliique martyrologi supra adducti, sub Adriano imperatore passas affirmant, addit Florarium nostrum Ms. :* Anno Salutis CXXVI persecutionis tertiæ anno XVIII. *Verum existimo hanc epocham ex conjectura auctoris positam, adeoque non magnam habet auctoritatem. Tillemontius in* Sabina, *seu tom.* 2, *pag.* 246, *ait persecutionem Adriani maxime exarsisse anno* CXXV, *quod cum chronotaxi mox adducta satis congruit. Hæc autem Adriani persecutio ab aliis* quarta *vocata est, ab aliis habita est pro continuatione tertiæ, uti videre est apud laudatum Tillemontium in persecutione*

A *ne Adriani art.* I, *seu pag.* 224. *Porro ex Actis num.* I *satis colligitur, martyrium harum Sanctarum serius collocari non debere, quam sub Adriani imperio. Verum ex iis colligi nequit, cur citius non sint passæ. Quippe sic ibidem de* Sabina *legitur :* Quæ fuit uxor Valentini et filia Herodis quondam Metallarii : quæ sub Vespasiano augusto ter in urbe Roma caudidam dedit Romanis. *Obiit Vespasianus anno* 79; *itaque si credamus* Sabinam, *eo moriente, triginta circiter annorum fuisse, aut aliquot etiam annis juniorem, Septuagenaria major erat anno* 125, *ita ut omnino non videatur serius passa* S. Sabina, *licet pati potuerit citius, vel sub Domitiano, vel sub Trajano, aut etiam sub prioribus annis Adriani. Verumtamen, cum Ado martyrio coronatas hasce Martyres* sub Adriano *scribat, et monumenta forsan habuerit nobis ignota, ejus sententiæ subscribimus, donec certiora quis adduxerit.*

Serapia XXIX *Julii, Sabina* XXIX *Augusti.*

14 *De die martyrii nullum videtur esse dubium, quamvis in illa assignanda mire hallucinatus sit Tillemontius, eumque secuti Bailletus* B *atque auctor novi Martyrologii Parisiensis. Omnes martyrologi asserunt* S. Serapiam *coronatam* quarto Kalendas Augusti, *seu* XXIX *Julii. Hisce consentiunt omnia Actorum exemplaria cum manuscripta tum impressa, si solam excipiamus editionem Baluzianam, in qua legitur :* Passa est autem sancta Seraphia III Nonas Septembris. *Quod signum est manifestum, Baluzii codicem corruptum fuisse, uti et aliunde probabimus in annotatis. Tillemontius in* Sabina *et* Serapia *scribit,* S. Serapiam *passam esse* XXIX *Augusti, et nota* 2 *in* Sabinam *id confirmare nititur auctoritate Surii et Adonis, qui ambo cum aliis habent* quarto Kalendas Augusti. *Ex crassa hac hallucinatione in alium errorem incidit, dum scripsit pag.* 250 *in* Sabina, *Sanctam hanc verosimiliter passam esse sequenti anno, seu uno anno post* Serapiam. *Bailletus ad* III *Septembris in* Serapia *et* Sabina *errores hosce intrepide amplectitur, affirmans utramque Sanctam eadem die* XXIX *Augusti passam, at* Sabinam *uno anno post* Serapiam. *Verumtamen ex Adone et Actis nullum videtur esse dubium, quin eodem anno coronatæ sint Sanctæ, nimirum* Serapia XXIX *Julii,* Sabina *vero* XXIX C *Augusti.*

Martyrologi antiqui scribunt martyrium contigisse Romæ:

15 *De loco rursus consentiunt martyrologi, asserentes unanimi voce Sanctas Romæ passas esse. Verum Acta locum reddunt dubium; ex iisque concludit Tillemontius nota* I *in* Sabinam, *non Romæ sed in oppido Umbriæ martyrium subiisse, quod Bailletus audacter affirmat loco mox assignato. Accipe, quid Acta de loco habeant : Num.* I : Erat sancta virgo Serapia apud oppidum Vendinensium.. in domo Sabinæ. *Et num.* XI : Incisum est caput sanctæ virginis Christi Serapiæ trans arcum Faustini, juxta arcam Vindiciani ducis ducum. *Demum de sepultura* Sabinæ *num.* 15 *sic habetur :* Christiani... corpus ejus... posuerunt in monumento ipsius in oppido Vendinensi, ad arcum Faustini, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ, virginem Christi Serapiam. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ pag.* 566 *ait,* oppidum Vindinense *quondam fuisse* in colle Aventino, *qui nunc urbi Romanæ est inclusus. Consentit Ado, qui* S. Sabinam *annuntiat* Romæ in Aventino in oppido Viudinensi ad arcum Faustini; *et auctor veteris Martyrologii Romani Adone antiquior, qui* Sabinam *memorat Romæ* ad arcum Faustini : *consonant et alii martyrologi ante citati.*

alii Umbriam assignant, levi ratiuncula ducti :

16 *Verum Tillemontius loco mox indicato contendit, oppidum Vindinense in monte Aventino omnibus geographis et historicis fuisse ignotum, ac mavult consentire Baluzio, qui in notis ad Acta pag.* 490 *de oppido Vendinensi aut Vindinensi sic loquitur :* Fuit porro oppidum Umbriæ, cujus incolæ Vindenates dicebantur, ut osteudit Cluverius libro secundo Italiæ antiquæ cap. VIII. *Hisce item subscribunt Bailletus et auctor novi Martyrologii Parisiensis ad* XXIX *Augusti, ubi* Serapiam *æque ac* Sabinam *commemorat, hallucinantem Tillemontium in die obitus* Serapiæ *cæce secutus. Verum nec certum est, quo loco* Vindinates *et* Vindenates *habitarint, ut fatetur laudatus Cluverius, et nihilo certius mihi videtur, utrum* Vendinense *seu* Vendinensium oppidum, *in quo coronatæ dicuntur Martyres nostræ, sit oppidum Vindenatium, quod in Umbria collocat Cluverius : adeoque non video conjecturam Baluzii, quam avide secuti sunt alii, satis firmam esse contra auctoritatem Veteris Martyrologii Romani, Adonisque et aliorum, qui istud sunt secuti. Certe auctor dicti Martyrologii, qui verisimiliter* E *in Italia ac Romæ seculo* VII *aut* VIII *floruit, non videtur collocaturus fuisse* S. Sabinæ *martyrium* Romæ ad Arcum Faustini, *nisi scivisset locum aliquem, sive in urbe, sive in suburbio Romano fuisse, qui sic appellaretur. Si autem ibidem fuit* Arcus Faustini, *fuit et* oppidum Vindinense; *utrumque enim Acta conjungunt.*

at putamus inhærendum auctoritati antiquiorum.

17 *Accedit et alia ratio, quæ studeat Romæ passas esse hasce Martyres. Nam constat, corpora illarum ibidem quievisse a multis seculis, nec ulla translationis fit mentio in Actis aut Martyrologiis. At contra Ado satis insinuat corpora translata non fuisse, sed supra ambarum sepulturam oratorium seu ecclesiam fuisse erectam, dum ad* III *Septembris hæc scribit :* Compositum vero et ornatum est venerabile sarcophagum ambarum, et locus orationis condigne dedicatus tertio Nonas Septembris. *Itaque ob levem conjecturam de oppido Vendinensi ab antiquorum auctoritate recedendum non putem. Nam, etiamsi lubens agnoscam Adriani imperatoris tempore nullum oppidum fuisse in monte Aventino ab urbe Romana distinctum, non video tamen, cur vicus aliquis urbis in monte Aventino sic vocari* F *non potuerit. Fuit Aventinus mœnibus urbis inclusus ab Anco Martio, quarto Romanorum rege ; at solum a Claudio imperatore intra pomœrium receptus, ut probat Alexander Donatus in Roma vetere ac recente lib.* I, *cap.* 5. *Livius in Anco ait,* Aventinum novæ multitudini datum, *populis nimirum victis, eoque translatis. Sic itaque suspicemur partem aliquam Vendinensibus datam, non est, cur vicus ille, in quo illi habitabant, Vendinensium oppidum dici non potuerit. Fateor quidem conjecturam hanc esse incertam : at nihilo certiora esse video, quæ afferuntur de Umbria. Quare antiquorum auctoritati inhærendum censeo, et Acta in tres partes divisa subjungo.*



PASSIO

PASSIO

Auctore anonymo

Ex quatuor Mss., collatis cum editionibus Mombritii et Baluzii.

CAPUT I.

Utriusque Sanctæ cohabitatio : Serapia ad præsidem ducitur, comitante Sabina : ac deinde violanda traditur duobus juvenibus : at liberatur divinitus.

Cohabitans S. Sabinæ S. Serapia, ad præsidem citatur : Cum dies itaque *a* metuendus persecutionis innotuisset Christianis, multi etiam per orbem terrarum subirent in nomine Christi martyria; erat sancta virgo Serapia apud oppidum Vendinensium *b* civis Antiochena in domo Sabinæ *c*, quæ fuit uxor Valentini et filia Herodis quondam *d* Metallarii, quæ *e* sub Vespasiano augusto ter *f* in urbe Roma candidam *g* dedit Romanis. Cum igitur Christiana esset ejus filia, memorata sancta Serapia, secum morabatur *h*, suadens etiam illam *, ut Jesu Christi Domini notitiam gereret. Credens itaque sancta Sabina in Domino Jesu crescebat in fide *i* et bona conversatione; ad quam tunc misit Berillus *k* præses, ut sanctam Dei Virginem *l* raperet ad tribunal. Primum quidem illustrissima * femina sancta Sabina, adhibitis pueris seu puellis, restitit *m* illis. Et post paullulum dixit ad eam sancta Serapia : Domina mea mater, permitte mihi, ut eam, tu tantummodo ora, et fidens esto in Dominum Jesum Christum, credo enim ego, etsi indigna et peccatrix sum, quod dignam me faciat Dominus meus Jesus Christus Sanctis suis *n* ancillam suam. Dicit ad eam Sabina : Filia mea et domina mea, virgo Serapia, aut vivere tecum aut mori tecum debeo *o*, non te dimittam.

* al. illi

* al. illustrissima

illam eo ducit Sabina, secum que, præcipitante præside, domum reducit : 2 Et cum ei satis imminerent, jussit sibi parari basternam, et perrexit ad prætorium. Cumque nuntiatum fuisset præsidi, Sabinam illustrissimam antes fores prætorii stare, habentem *p* etiam secum Christianam illam Serapiam, præses surrexit et egressus *q* est in porticum prætorii honorans *r* eam et dicens : Quid tibi ipsa derogas? aut quare temet ipsam vilem reddis? aut quare non consideras, quæ es, aut cujus filia es? Conjunxisti enim te Christianis, et oblita es natales tuos et memoriam tanti viri, cujus fuisti uxor *s*, et deorum, quorum iram vereor ne incurras. Revertere magis in domum tuam, et dimitte illam nefandam, quæ maleficiis te, et plures demutavit *t* a deorum cultura. Sabina respondit : Illius sanctæ Puellæ maleficiis utinam et tu suadereris, sicuti et ego ab ea juste suasa sum, ut ab immundis recederem idolis, et verum et certissimum agnoscerem Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, et malos in pœnam relinquit perpetuam. Præses tunc quidem reveritus illam recepit se in prætorium. Illa autem cum sancta Dei Virgine reversa est in domum suam.

Serapia rursus ducitur ad præsidem, cui Dei vindictam minatur Sabina : 3 Præses vero post tertium diem paravit lusorium *u* trans pontem super arcum Bini *x*, ubi solebat fieri themela *y*, et jussit officio, ut adduceretur Serapia. Quam cum rapuisset officium, sancta Sabina secuta est eam pedibus, et venit ad lusorium; et cum vidisset se non posse illam adjuvare, exclamavit, dicens præsidi : Canis rabide Asiatice *z*, noli contra salutem tuam sanctam Dei Virginem et dominam tuam contristare injuriis; prope est enim, immo adest Christus Dominus noster, qui te et imperatores *aa* tuos torquebit sempiternis tormentis, qui tanta mala excogitarunt servientibus Deo vivo, et recepit se in domum suam cum magno fletu.

constanter præsidi respondens Serapia, 4 Præses vero jussit coram se sisti sanctam Serapiam, dicens illi : Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant domini imperatores. Serapia dixit : Timeo et colo omnipotentem Deum, qui fecit cælum et terram, et quæ sunt in eis : nam deos, quos jubes me adorare, non adoro *bb*. Non sunt dii, sed sunt dæmonia, et ideo non licet mihi adorare eos, qui Christiana sum. Præses dixit : Accede igitur et sacrifica Christo tuo. Serapia respondit : Ego cottidie illi offero sacrificia adorans illum et deprecans die ac nocte. Præses dixit : Et ubi est templum Christi tui? vel quod sacrificium illi offers? Serapia respondit; Ut meipsam mundam exhibeam per castam conversationem, et ut alios adducam ad illam professionem per ipsius misericordiam. Præses dixit : Hoc est templum Dei et sacrificium Christi tui? Serapia dixit : Majus nihil est quam verum Deum cognoscere et pie vivere et illi servire. Præses dixit : Ergo tu es ipsa templum Dei tui, ut dicis? Serapia respondit : Si ipso juvante munda permansero, illius sum templum, sic enim dicit divina Scriptura : Vos estis templum Dei vivi et spiritus Dei habitat in vobis. Præses dixit : Si ergo violata fueris, desinis esse templum Dei. Serapia respondit : Dicit Scriptura divina : Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.

traditur duobus juvenibus violanda; at divinitus servatur. 5 Præses autem peccatum ignorans, jussit duobus juvenibus lascivis Ægyptiis eam tradi, ut ea per integram noctem uterentur : quam suscipientes horridi juvenes, perduxerant eam in locum secretum, ubi erat cubiculum valde obscurissimum. Tunc sancta Serapia in memorato cubiculo orabat dicens : Sancte Sancte Sancte, et invoco, Domine Jesu Christe, qui es verus custos et conservator. Te invoco, Domine Jesu Christe, qui est lumen et gaudium sempiternum. Te invoco, Domine Jesu Christe, qui sanctos Apostolos in carceris custodia detentos clausis januis visitasti et confortasti. Adesto nunc, precor, et mihi miserere peregrinæ ancillæ tuæ Serapiæ, et libera me a sordida cogitatione juvenum istorum. Obscurentur oculi eorum, ut non valeant me contingere ancillam tuam, in te confidentem; et non contaminent sigillum tuum, tua consecratione signatum. Confunde impudentiam eorum, et munda me a coinquinatione carnis, et ad te jube me transire, et adesto, Domine Jesu Christe, enim ancilla tua Sabina Corrobora eam in tua magnitudine, Domine Jesu Christe, ut non inimicus diabolus exultet super eam, quæ multa sustinuit propter nomen sanctum tuum circa me ancillam tuam. Domine Jesu Christe, exaudi me, qui es benedictus et gloriosus

A riosus et superlaudabilis Filius cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Et cum memorati juvenes circa horam primam noctis cœpissent contra propositum Virginis Christi accedere, subito sonus magnus factus est et terræ motus horribilis ,ita ut per totum oppidum sentiretur. Juvenes autem illi tremefacti cæci cadunt exanimes in terram, membris omnibus resoluti cc : sancta vero Dei Ancilla immaculata videns adesse cæleste auxilium extensis ad cælum puris manibus pernoctavit deprecans Dominum.

ANNOTATA.

a Itaque *non habetur in Ms. Trevirensi, at in aliis omnibus. Verum ex hac voce non certo sequitur, Acta esse initio mutila. Si tamen aliquid desit, ut hinc infert Tillemontius nota* I, *erit præfatio, quæ exciderit.*

b *In Ms. Baronii* Vendiensium. *De hoc loco disputavimus in Comment. num.* 15 *et seqq.*

c *In tribus Mss.* Savinæ, *littera* b in v *mutata, ut alias non raro accidit. Sic* Serapia *in quibus-* B *dam scribitur* Seraphia.

d *Sic cum editione Mombritii tria Mss. exemplaria, duo cum editione Baluzii* cujusdam metallarii. *Metallarius videtur fuisse cognomen Herodis.*

e *Hic sensus varie exprimitur. Apud Baluzium et in Ms. uno Romano pro* quæ *legitur* qui, *acsi candidam dedisset Herodes, non* Sabina : *atque hanc lectionem secutus est Tillemontius. Verum repugnant omnia alia Ms. exemplaria cum editione Mombritii, quæ factum istud ad* Sabinam *referunt. Plures sequor codices, etiamsi alia lectio non displiceat.*

f *In codice nostro Q. Ms. 7 particula* ter *omittitur.*

g *Quid sit* candidam *dictum in Comment. num.* 12 *ex Baluzio, qui edidit,* candidam confessionem, *sed notavit redundare* τὸ confessionem. *quod in aliis non legitur.*

h *Hunc sensum sic exprimit Ms. Trevirense, cui fere consentit Fuldense. At hujus phrasis, uti plerorumque Mss. mendosa est. Mombritius sic habet, nec male fortasse* : Cum ipsa igitur C ejus filia sancta Serapia morabatur, suadens etiam ille *etc. Longius recedit editio Baluzii, in qua sic legitur* : Cum igitur eam memorata sancta Seraphia hortaretur, suadens *etc. Ad omnes codices magis accedunt ad lectionem Mombritii, aut nostram.*

i *Sic plerique codices cum Mombritio. Baluzius cum uno Ms. nostro,* In fidem et bonam conversationem.

k *Sic cum Mombritio pleraque Mss. Baluzius* Virillus, *et duo Mss.* Byrillus.

l *In sola Baluzii editione* Virgines, *et pro* raperet *legitur* apparerent. *Ex hac tamen Baluzii lectione, quæ certo mendosa est, argumentum se habere putavit Tillemontius contra fidem Actorum, dum nota* I *observat nullibi mentionem fieri nisi de una virgine* Serapia. *Verum abstinuisset ab hac argutatione, si quid detulisset editioni Mombritianæ, quæ longe melior est quam Baluziana, ut ex Mss. patet.*

m *Carpit hunc locum Tillemontius loco mox assignato, ubi et reliquæ sunt objectiones, asserens non fuisse morem Christianorum judicibus resistere. Lubens admitto non fuisse hunc Christianorum morem ; sed inde non recte inferemus falsum esse, quod hic refertur. Quippe multa solent fieri in subita perturbatione, quæ non fierent, si tempus suppeteret rem maturius considerandi. Quid ergo miri apparebit, si nobilissima femina, amore erga Virginem incitata, ac momentum restiterit, et deinde cesserit, re maturius expensa ?* A. Anonymo.

n Sanctis suis *deest in sola editione Baluzii.*

o *Sic tres codices. In Ms. Trevirensi* desidero, *Mombritius* volo, *Baluzius* habeo. *Porro* basterna, *ut notat Baluzius, est* vehiculum tectum, quo præcipue utebantur feminæ.

p *Rursum hæc periodus in variis exemplaribus varie exprimitur, et in plerisque mendose : nam in tribus Mss. legitur* habens, *et deinde* quo audito præses. *Verum cum idem ubique sit sensus, expressi editionem Baluzii, quæ magis est Latina.*

q *Apud solum Baluzium* ingressus.

r *Duo Mss.* orans.

s *Mombritius cum uno codice tantum,* cujus fuisti. *Baluzius,* cui juncta fuisti.

t *Sic omnia Mss. Mombritius,* alienavit. *Baluzius,* expulsa demultavit *mendose.*

u Lusorium, *inquit Baluzius ad cap.* XXI *Lactantii de Mortibus persecutorum, est* theatrum, sive amphitheatrum, ubi ludi publici edebantur. E

x *Sic in omnibus Mss. et Mombritio : solus Baluzius* Albini, *hanc pag.* 490 *adjiciens observationem :* Ejus nimirum, ut arbitror, qui rempublicam tenuit cum Severo, et postea ab eo victus interiit. Fuit autem hic arcus trans Tyberim. *At primum non capio, qua consequentia oppidum Vendinense in Umbria quæsiverit Baluzius, si hæc facta putavit Romæ ad arcum Albini. Deinde qua verisimilitudine Albini istius arcus fuisse creditur, ad quem hæc contigerunt sub Adriano aut citius, cum Albinus ille Adriano plus quam quinquaginta annis sit posterior ? Retineamus igitur lectionem communem, et fateamur nos ignorare, cujus arcus ille fuerit, et quo loco.*

y *Vox est satis obscura. In auctiore Cangii Glossario ad vocem hanc* themela *citantur verba hæc, et pro expositione dicitur :* Ubi THEMELA a Græco est θυμέλη ; ara in theatris, ut interpretatur Suidas, vel pulpitum in orchestra, ubi musici canebant in scenis. *Explicat quidem utroque modo Suidas vocem* θυμέλη, *sed difficultatem pa-* F *rit, quod sic Latine deberet scribi* thymela, *non* themela.

z *Displicent hæ voces Tillemontio, quod non videantur decere matronam illustrem aut Sanctam. Neque ego hujusmodi verba imitanda censeo, sed magis miranda, si dicta fuerint. At neque ex verbis hujusmodi durioribus fidem Actorum vacillare, cum in Actis quoque probatissimis occurrant, jam frequenter in hoc Opere ostensum est. Idem dictum esto de aliis, quæ postea sequuntur, et simul objiciuntur a Tillemontio, nimirum de hisce ;* Non facio voluntatem patris tui satanæ, *et,* Non sacrificio, diabole insane. *Incertum tamen puto, an eadem prorsus verba prolata sint a Martyribus nostris, cum scriptor Actorum ea durius exprimere potuerit, quam fuerint dicta. Imo verisimile est, pleraque dicta scriptoris magis esse quam Martyrum.*

aa *Hæc duplici de causa displicent Tillemontio. Primo quod nulla videatur fuisse ratio divinam vindictam intentandi imperatoribus. Secundo quod unus tantum eo tempore esset imperator. At potuit antea præses imperatorum leges allegasse, quibus sacrificare aut puniri jubebantur Christiani : eaque esse occasio minandi ultionem divinam*

A. Anonymo. *divinam non uni tantum, sed et pluribus imperatoribus, licet illi jam essent defuncti. Certe plures imperatores in Christianos leges tulerant. Fateor tamen probabilius videri, ab auctore hæc profecta, qui scripserit, dum plures erant imperatores : idque clarius patet, dum num. 4 præses dicit :* Quibus sacrificant domini imperatores.

bb *Sic Ms. Trevirense. In omnibus aliis solœcismus est, quia omittuntur voces,* non adoro.

cc *Apud solum Baluzium,* resolutis. *In reliquis exemplaria omnia satis consonant.*

CAPUT II.

S. Serapia ad præsidem reducta, precibus ad sensum reducit juvenes : deinde variis modis nequidquam tentata martyrio coronatur.

B *Reducta Serapia illudenti præsidi asserit se intactam,*

Diluculo autem properaverunt missi a profanissimo præside, ut vocarent juvenes, et, si præcepta implessent, maligni interrogarentur. Ingressi autem invenerunt sanctam Dei Virginem orantem, juvenes vero dejectos in terram, velut mortuos, penitus non habentes potestatem erigendi se : sed neque loqui poterant ; tantummodo
a oculi eorum erant aperti corporaliter *a*. Concursus autem factus est non modicus. Præses autem, cum audisset, jussit præparari tribunal, et perduci sanctam Dei Ancillam. Et cum ducta fuisset, præses dixit : Quid est puella? Fecerunt juvenes illi satis desiderio tuo? an delectaris adhuc? Sancta Serapia respondit : Tu quidem secundum perversam mentem tuam, quam pervertit et possedit inimicus diabolus, irridens loqueris ; ego autem juvenes, quos dicis, nec sensi, nec fuerunt mecum. Præses dixit : Quid ergo? Hac nocte tecum non fuerunt? Serapia respondit : Mecum fuit, cujus sum, et ad quem pertineo. Præses dixit : Quis est ille? Serapia
b respondit : Custos et *b* conservator meus Domi-
C nus Jesus Christus. Præses dixit : Quid tantam multitudinem tricas? Dic mihi, quomodo vel quibus maleficiis juvenes enervasti? Serapia respondit : Nobis Christianis non licet esse maleficos, nam quos per maleficia vestra interfecistis noster et omnium Dominus Jesus Christus invo-
c catus vivificat eos *c*.

juvenibus vero illis, omni sensu orbatis, d

7 Præses dixit : Si ergo superat Christus tuus omnem maleficiæ *d* artem, invoca eum propter juvenes illos, ut reddatur illis sanitas pristina, et dicent, si luserunt tecum per noctem aut non.
e Ego certissime scio, quia ideo illos quibusdam *e* maleficiis dementes fecisti, ne te de turpitudine tua detegerent. Serapia dixit : Deus, cujus ego ancilla sum, omnipotens est, et apud illum nihil impossibile est. Præses dixit : Igitur, si apud illum Deum tuum nihil est impossibile, fac ut juvenes illi ad se redeant et loquantur. Serapia respondit : Ut tu suspicaris, maleficia ego ignoro, sed oratio mihi est ad Deum meum, per quam præstat non mihi tantum, sed omnibus invocantibus eum ex toto corde. Præses dixit : et tunc videbimus integritatem tuam. Serapia respondit : Jam tibi dixi, quia maleficia facere nescio, sed orare et exorare Deum, ut annuat. Præses dixit : Perge igitur ad locum, ubi sunt juvenes : D
et precare super eos Deum tuum. Serapia respondit : Ut non alii fraudentur miraculo aut male sentiant, sicut et tu, quid opus est, ut ego illuc vadam? Jube eos huc perduci in conspectum horum omnium. Et jussit Præses perduci juvenes ; quos portantes manibus, perduxerunt ad tribunal. Et erant quasi numquam habuissent linguam, nec pedes ad ambulandum, neque manus ad palpandum : omnibus enim membris erant omnino resoluti.

8 Igitur omnibus mirantibus præses dixit : Serapia, precare nunc Christum tuum super istorum sanitatem. Sancta vero Serapia extendens ad cælum manus, dixit : Domine omnipotens Deus, qui fecisti cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt : qui per sanctos Apostolos tuos mortuos resuscitasti, leprosos mundasti, dæmones fugasti, mutis linguam donasti, surdis auditum præstitisti, nunc, precor, exaudi me ancillam tuam confidentem in te, et ne dissimules propter hunc infelicem et incredulum : sed releva juvenes istos in conspectu omnium exspectantium te per meam orationem ad confusionem E
istius stulti, qui insanit adversum credentes in te. Accelera, Domine, ut cognoscant, quia tu es Deus solus, qui facis mirabilia, et non est alius præter te. Et accedens, tetigit juvenes illos, dicens : In nomine Domini nostri Jesu Christi erigite vos in statu vestro : qui mox, ut audierunt, exsiluerunt, et steterunt, in pedibus suis, et cœperunt loqui. *membrorum usum restituit :*

9 Et cum hæc vidisset populus et miraretur, præses dixit : Videtis, quia non adimplebat artem maleficii sui, nisi eos manibus perpalpasset. Et ait præses juvenibus : Quid faciendo hæc mulier dementes vos fecit et resolutos *f*? Juvenes f
dixerunt : Domine præses, nos secundum præceptum sublimitatis tuæ mox cum ad illam accederemus, ingressus est quidam juvenis decorus *g* g
miræ magnitudinis valde ; et totus splendebat sicut sol, et stetit inter nos et puellam hanc : et præ claritate illius tremor et caligo et defectio nos comprehendit ; et exinde jam non habuimus sensum usque modo. Cognosce autem, domine præses, quia hæc puella aut malefica *h* est, aut h
vere Deus ejus magnus est. Præses ad puellam F
dixit : Dic mihi, Serapia, genus maleficiorum, quibus artibus hæc facis : et mox te dimittam. Serapia respondit : Ego maleficia odi : et omnes, qui Christiani sunt, Christum nominantes, maleficia ad nihilum redigent, et non valebunt nocere eis. *præses arti magicæ hæc attribuens.*

10 Præses dixit : Ecce jam nunc videam, si valebit ars tua. Et, si non sacrificaveris, caput tuum faciam incidi. Serapia respondit : Fac quod vis, non sacrifico dæmoniis, nec facio voluntatem patris tui satanæ, quia Christiana sum. Et jussit ei præses apponi duas lampades ardentes, et cum applicatæ fuissent lampades, mox extinctæ sunt *i*, et qui lampades tenebant, ceciderunt retrorsum. Sancta autem Serapia, elevans oculos suos ad cælum, dicebat : Domine Jesu Christe, erubescant et conturbentur nimis omnes inimici mei ; avertantur retrorsum et confundantur valde velociter. Præses dixit : Sacrifica diis, ne moriaris. Serapia respondit : Ideo autem non sacrifico dæmoniis vestris, ne moriar morte vestra *k*. Præses dixit : Biothanata *l* et malefica, audi imperiale præceptum, et sacrifica diis immortalibus et libera te de cruciatibus et morte. Serapia respondit : Biothanati et malefici vos *jubet eam uri lampadibus, quæ exstinguuntur.* i k, l

vos estis, qui negatis Deum vivum et verum, et dæmonia adorando *m* cum ipsis pariter estis morituri. Deo autem immortali ego meipsam offero sacrificium, si me dignatur suscipere, licet peccatricem, tamen Christianam *n*.

deinde fustibus cæsam capite minui.

11 Præses autem jussit eam fustibus cædi. Et cum cæderetur, subito terræ motus factus est magnus; et quasi astula *o* de fustibus, unde cædebatur sancta Dei Virgo, adtigit dextrum oculum præsidis: quem oculum post triduum *p* amisit. Tunc repletus furore præses dedit sanctæ Dei Puellæ capitalem sententiam, dicens: Quoniam Serapiam non solum imperialia præcepta contemtricem, verum etiam tantis deprehensam maleficiis gladio jussi percuti. Et incisum est caput sanctæ virginis Christi Serapiæ trans arcum Faustini, juxta arcam *q* Vindiciani ducis ducum *r*. Passa est autem sancta Serapia quarto *s* Kalendas Augustas: regnante *t* Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hæc vox apud Baluzium est omissa.*

b *In duobus Mss.*, Qui est conservator meus.

c Eos *omittitur apud Mombritium.*

d *Baluzius*, omnes maleficas artes.

e Quibusdam *in duobus Mss. non legitur.*

f *Sic omnia exemplaria, excepta editione Baluzii, in qua legitur, mutata interpunctione*, Et resoluti juvenes dixerunt.

g *Sic tria Mss. Mombritius cum uno codice*, decore. *Baluzius*, decoræ miræque magnitudinis.

h *Displicet Tillemontio, quod ausi fuerint dubitare de magia. Mirarer ego potius, quod dubitaverint de divina potentia, nisi constaret, ethnicos solitos fuisse magiæ attribuere divina miracula. Et vere miror scrupulos tam inanes incidere posse homini in Martyrum actis versato.*

i *Hæc et alia, quæ sequuntur, prodigia Metaphrasten sapiunt, si credimus Tillemontio. Veruntamen Ado, Metaphraste antiquior, eadem plane narrat in elogio* S. Serapiæ. *Metaphrastes igitur hic commemoratur crisi non satis accurata.*

k *Baluzius*, vera. *Ms. Trevirense*, ne moriatur vita mea.

l *Alias*, viothanata, *quod idem est. Mombritius*, brothanata. *Porro* biothauata, *inquit Baluzius*, id est, vitæ tuæ inimica, quæ te in mortem voluntariam temere præcipitas. *Usurpata fuit eadem vox pro damnatis ad mortem, ut videre est in Glossario Cangii. At data expositio loco huic congruit, et etymo vocis Græco.*

m *Baluzius*, adoratis, cum ipsis pariter morituri.

n *Idem*, Christiana sum.

o Astula *pro* assula. *Sic pleraque exemplaria. Mombritius*, fistula. *Apud Adonem*, astella.

p *Mombritius*, quem postridie amisit.

q *Mendose apud Mombritium*, arcam Vindiciani. *Baronius in notis ad 3 Septembris sic habet*: Arcam hic accipias locum ipsum, ubi sepelirentur defuncti Christiani. *Atque arcam hoc sensu alias accipi, probat ex Tertulliano, et Actis S Cypriani. Verum Baluzius in notis ad hunc locum Baronio non assentitur, licet alioquin fateatur aream interdum sumi pro cœmeterio. Attamen, cum aliam non substituat explicationem, et area dato sensu non raro sumatur, non video, cur expositionem Baronii ut probabilem amplecti non possimus: sed aliæ quoque ejusdem vocis significationes possunt loca huic congruere; nimirum si* locum apertum, forum, *aut* aream domus *designaret.*

A. Anonymo.

r *Titulum hunc a se non intelligi, ait Tillemontius. Fateor parum fuisse usitatum. At suspicor non alio sensu intelligendum, quam quo Seneca dixit in Agamemnone:* Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum: *videlicet pro duce, sub cujus imperio militabant duces inferioris ordinis.*

s *Consentiunt omnia Mss. et edita exemplaria, excepta editione Baluzii, in qua legitur*: III Nonas Septembris, *sed mendose, ut fidem etiam faciunt martyrologi in Commentario citati.*

t *Hæc conclusio non legitur apud Baluzium. At habetur non modo in exemplaribus omnibus, in quibus Acta sunt separata, sed in Ms. etiam Trevirensi, in quo sunt connexa.*

CAPUT III.

Sepultura S. Serapiæ; S. Sabinæ pia opera et martyrium.

Sabina Serapiam sepelit, ac bonis operibus insistit:

Illustrissima itaque *a* femina Sabina, colligens reliquias sanctæ et intactæ virginis Christi Serapiæ, et ex more aromatibus condito corpore *b*, celebratis venerabilibus exequiis, ut thesaurum sempiternum, vel margaritam pretiosam, reposuit in monumento suo, quod ipsa sibi cum summo studio et ornatu *c* fecerat. Et non cessabat ex eo die facere eleemosynas multas, confidens in nomine Christi Jesu, et permanens in fide, quam ei tradiderat sancta virgo Serapia. Studebat autem quotidie visitare infirmos et in carceribus inclusos, præstans eis omnia, quæ necessaria erant, abunde.

adducta ad præfectum, eique constanter respondens,

13 Veniente igitur præfecto Helpidio rapidissimo cane, cæsus animo et corporeis oculis præses *d*, indicavit ei de religiosissima femina Sabina omnia, quæ gesta fuerant. Quam cum exhibuisset, introduxerunt in prætorium, et videns eam præfectus *e*, interrogavit eam, dicens: Tu es Sabina uxor quondam Valentini illustrissimæ memoriæ, et filia Herodis? Sabina respondit: Ego sum. Præfectus dixit: Quare oblita es tui et sociasti te Christianis, quorum vita mors est; et non adoras magis deos, quos adorant domini imperatores et augusti nostri? Sabina respondit: Ego gratias ago Jesu Christo Domino nostro, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Serapiam de multis sordibus et potestate dæmonum liberavit, ut non amplius errem *f*, sicuti vos video errare adorando dæmones. Præfectus dixit: Ut tu dicis, ergo non solum nos, sed et domini nostri et augusti dæmones adorant, et non deos *g*. Sabina respondit: Utinam Deum adoraretis, qui fecit omnia, cujus nutu omnia reguntur et gubernantur visibilia et invisibilia, et non stulta aut insensata simulacra dæmonum adoraretis, quia cum ipsis pariter in gehenna ignis arsuri eritis vos et imperatores vestri.

ac minas contemnens, capite damnatur.

14 Præfectus dixit: Per deos omnes juro, quod si non sacrificaveris, non elongabo te capitalem subire sententiam *h*, sed mox te faciam gladio vita privari. Sabina respondit: Non sacrificabo, diabole insane, dæmoniis tuis *i*, quia Christiana

A. ANONYMO. Christiana sum, et Christum habeo Deum, et ipsius sum ancilla et cultrix, et illi soli oportet me sacrificare. Tunc diaboli minister præfectus protulit in eam sententiam, dicens: Sabinam inobedientem diis, dominos quoque et augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decrevimus, atque omnes facultates ejus publicis titulis præsignari *k*.

martyrium et sepultura.

15 Amputato igitur capite sanctæ et venerabilis famulæ Christi Sabinæ, Christiani *l* cum gaudio magno corpus ejus sustulerunt et posuerunt in monumento ipsius in oppido Vendinensium *m* ad arcum Faustini, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ virginem Christi Serapiam. Passa est autem sancta Sabina IV Kalend. Septembris, et coronata est una *n* cum fortissima virgine Christi Serapia, qui omnibus in se credentibus virtutem dat et præmia sempiterna, ipsi honor et gloria una cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per immortalia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

B

a *Baluzius*, autem. *In Actis separatis omittitur illa particula.*

b *De aromatibus nihil in Baluzio, Mombritio, et duobus Mss. At in omnibus aliis Mss. leguntur datæ voces.*

c *Romani passim scriptores et martyrologi credunt, illud monumentum fuisse in monte Aventino, ubi hodieque est ecclesia* S. Sabinæ. *Video hisce objici posse legem duodecim tabularum, qua vetitum erat defunctos sepelire in Urbe. Responderi tamen poterit, legem illam forsan in usu non fuisse pro Aventino, quod ille diu extra Urbis pomœrium fuerit, multaque in eodem essent monumenta, priusquam Urbis pomœrio esset inclusus.*

D

d *Ita tria Mss. admodum vetusta. Baluzius,* præses indicavit *etc.*, *omissis vocibus*, cæcus animo et corporeis oculis. *Mombritius tantum*, indicatum est ei de illa. *In Ms. Trevirensi*, indicatum est ei de religiosissima *etc. Ex hisce dubium videtur, an verba ista, quæ de Berillo præside dicuntur*, cæcus animo et corporeis oculis, *ad textum sint adjecta, an vero ab aliis exciderint.*

e *Tillemontius nota 3 disputat, qua potestate Berillus primum, deinde Helpidius præfectus hæc judicia exercuerint: multamque sibi parit difficultatem, quod putaverit hæc in Umbria contigisse. At, cum nos existimemus omnia Romæ peracta, res caret difficultate: nam Helpidius secundum Acta erat præfectus Urbis; Berillus vero judex inferioris ordinis.*

f *In Ms. Audomarensi*, et non amplius errare, sicuti *etc. In Rebdorffensi ea omittuntur, et substituitur*, et a cultura eorum.

g *Solus Baluzius*, Deum.

h *In uno Ms.*, non elongabo te capitali sententia.

i *In eodem Ms. Rebdorffensi*, non sacrificabo diabolo, insane, domino tuo. *Baluzius cum duobus Mss., non* sacrifico, *pro*, non sacrificabo. E

k *In Ms. Trevirensi*, præscribi.

l *Apud Mombritium de sepultura solum dicitur:* Christiani corpus ejus sepelierunt cum sancta Serapia, *eodemque modo postrema ibidem contracta sunt.*

m *Apud solum Baluzium* Vindennensi. *In Ms. Rebdorffensi*, Vendenensium. *Duo Mss.*, in oppidum Vendinense. *De loco disputatum est in Commentario a num.* 15.

n *Id est, coronata est, sicut illa non diu ante coronata fuerat.*

DE S. ADELPHO EPISCOPO CONF.

METIS IN LOTHARINGIA,

J. S.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti cultus, et corporis translatio: Acta, quorum pars prima fabulosa: ætas examinata. F

POST MEDIUM AUT CIRCA FINEM SECULI III. *Elogium Sancti apud Saussayum in variis corrigendum:*

Quamvis de cultu S. Adelphi *Metensis episcopi nullum sit dubium, memoriam tamen illius non invenio apud antiquos martyrologos; recentiores vero non omnino consonant in die cultus assignanda. Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XXVIII *Aprilis longum Sancto texit elogium, hisce verbis conceptum:* Ipso die Metis depositio, seu transitus, sancti Adelphi episcopi et confessoris, qui temporibus Apostolorum vicinus, apostolicis moribus et doctrinis gregem sibi creditum rexit ac instruxit: divinæque virtutis operationibus præditus, ethnicos, furentes in Christi caulas, alios deterruit a feritate, alios cælesti luce irradians ad fidelium numerum adjunxit. Clarus denique incruentæ victoriæ trophæis, ad cælestes palmas post exactum quindecim annorum præsulatum evolavit: hisque in tumulo micuit prodigiis, quæ integro libro vix potuerunt recenseri. Decora cujus beatissimi Antistitis eo sermone celebrasse beatum Petrum Chrysologum nonnulli autumant, qui in Adelphi episcopi laudationem ab ipso inscriptus est. *Oratorem hic potius agit Saussayus quam historicum, gesta Sancti æque ac miracula nimis exaggerando, ut ex Actis patebit, dicendisque in hoc Commentario, in quo alia quædam illius dicta corrigentur.*

de translatione corporis, quam aliqui contigisse volunt 29 Augusti:

2 *Idem auctor ad* XXIX *Augusti de translatione Sancti memorat sequentia:* Metis ipso die translatio sancti Adelphi episcopi et confessoris: cujus sacrum corpus, petente Lantfrido corepiscopo Drogonis antistitis Metensis, fratris Ludovici Pii; ad Novum Villare monasterium, cultu potiori repositum est. *In consignandis hisce obitus et translationis diebus Saussayum præcessit Joannes Molanus in additionibus ad Usuardum*

A *dum editionis anni* 1573, *ad* XXVIII *Aprilis et* XXIX *Augusti, uti observatum est in prætermissis ad* XXVIII *Aprilis, ubi additur:* Sed errare Molanum ostendemus, quando ipsum colit Metensis ecclesia, et inscribitur Romano Martyrologio, ipsiusque Molani ad Usuardum additamentis *(in editione priore)* die XXIX Augusti. *Molanum tamen secutus est Meurissius in Historia episcoporum Metensium in* Adelpho *pag.* 38. *At ex ipsis Meurissii dictis facile patebit, ipsum Molano nimium tribuisse, dum ejus auctoritatem reliquis omnibus præposuit: nam nullus adfertur scriptor, qui Molanum hac in re præcessit. Accipe igitur reliqua de cultu, ex quibus colligemus obitus diem.*

dies obitus 29 Augusti, quo Sanctus colitur :

3 *In Usuardi nostri auctariis ad* XXIX *Augusti codex Bruxellensis S. Gudulæ expressis verbis habet:* Mettis, depositio sancti Adelphi episcopi et confessoris. *Consentiunt editiones Lubeco-Coloniensis, Greveni et prima Molani, quæ, uti et Florarium nostrum Ms., Sancti memoriam ad eumdem diem annuntiant. Accedit cum Galesinio Martyrologium Romanum, in quo ad diem memoratum sic legitur:* Metis sancti B Adelphi episcopi et confessoris. *At vel maxime iste obitus dies firmatur ex antiquis episcoporum Metensium catalogis, in quibus legitur:* Adelphus episcopus sedit annis XVII, obiit IV Kal. Sept. *Quin, ipso teste Meurissio, in Martyrologio Metensi, eodem die* XXIX *Augusti clare dies obitus annuntiatur his verbis:* Metis, depositio sancti Adelphi episcopi. *Addit Meurissius, festivitatem Sancti eodem die solemniter celebrari in ecclesia Metensi. Nihilominus contendit laudatus scriptor, certum esse, Sanctum obiisse* XXVIII *Aprilis, et* XXIX *Augusti translationem celebrari: idque se ait didicisse ex Religiosis Novo-Villariensibus, et Molani confirmat testimonio. At mihi nullum apparet hujus certitudinis fundamentum, nulla ratio, cur Metenses translationem suscepissent celebrandam, ad se utique non pertinentem, omisso interim mortis die. Nec intelligo, quod Meurissius ait, se illa ex Religiosis Novo-Villariensibus didicisse, eum in illo monasterio ejus tempore canonici essent, non monachi, ut dicemus. Proinde malim credere Martyrologio Metensi, hunc esse depositionis diem, non solius translationis. Veruntamen, si Meurissius ex Novo-Villariensibus audierit, ipsos* XXIX *Augu-* C *sti celebrare translationem: id verum esse non negaverim. At inde colligam, Sancti corpus ipso depositionis festo die translatum esse, ut sæpe contingit, et factum esse constat de corpore S. Mederici, de quo agemus inferius ad hunc ipsum diem.*

locus, ubi nunc quiescit Sancti corpus,

4 *Seculo* IX, *imperante Ludovico Pio, corpus Sancti translatum est ad monasterium S. Petri in Alsatia, quod* Novam Villam *seu* Novum Villare *nuncupant varii, oppidi nomine Abbatiæ attributo, ut videtur. Quippe* Novum Villare, *seu* Nova Villa, *vulgo* Neiweyler, *oppidum est antiquum, situm in diœcesi Argentoratensi ad confinia Lotharingiæ, inter Tabernas* * *et Liechtenbergam* *, *ad cujus comites, qui erant ex familia Hanoviæ comitum, spectabat etiam Nova Villa. Benedictini scriptores Galliæ Christianæ recusæ tom.* 5, *col.* 833 *de monasterio Novo-Villariensi ita scribunt:* Nova Villa, seu Novum Villare, monasterium Alsatiæ in ingressu montium Vosagi, ad amniculum, qui vallem irrigans, locum peramœnum reddit, suam originem debet S. Pirminio plurimorum aliorum fundatori, dotationem vero et impensas Sigibaldo Metensi episcopo . . . Ecclesia primitus in honorem SS. apostolorum Petri et Pauli a prædicto Sigibaldo condita est, quibus subinde alter patronus accessit S. Adelphus, seu Adolfus, episcopus Metensis, cujus corpus anno DCCCXLVI Drogo sedis ejusdem antistes hanc in ecclesiam transtulit. Mutatum vero cœnobium anno MCCCCLXXXXV in collegium canonicorum secularium auctor est Trithemius MCCCCLXXXXVII R. P. Laguille, curante, inquit, Alberto episcopo apud Alexandrum VI, postquam incassum laboraverat, ut illud reformaret. *Mabillonius tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 79 *similia scribit de fundatione, quam refert ad annum* 727. *Hæc de loco, ubi corpus etiamnum quiescit. Nunc pauca de tempore translationis.*

* Zabern
* Liechtenberg

AUCTORE J. S.

tempus translationis :

5 *Acta edenda cap.* 2 *translationem innectunt anno* 846: *quibus assentiuntur laudati editores Galliæ Christianæ. Verum Acta sibi manifeste contradicunt, nisi mendum irrepserit in numeros. Sic enim habent:* Anno... ab Incarnatione Dominioctingentesimo quadragesimo sexto, regnante gloriosissimo Ludovico imperatore, regente prædictæ urbis *(Metensis)* ecclesiam Drogone ar- E chiepiscopo præfati regis germano *etc. Drogo Metensis episcopus frater fuit naturalis Ludovici Pii. Hic ergo imperasse dicitur tempore translationis. At Ludovicus Pius obiit anno* 840, *ut passim scriptores affirmant. Translatio ergo contigit ante annum* 840, *aut certe post eumdem annum contigisse non potuit. Drogo autem antistes Metensis factus dicitur anno* 823, *ut volunt Sammarthani tom.* 3 *Galliæ Christianæ pag.* 712. *Hinc consequitur, translationem contigisse inter annum* 823 *et* 840. *At determinari non potest, quo anno fuerit facta. Forte in Actis scriptum fuerit, anno* 826, *vel* 836: *verum res est incerta.*

Acta, quorum pars prima fabulosa,

6 *Acta, quæ daturi sumus, edidit anno* 1506 *Jacobus Wimphelingius, dedicata Philippo comiti in Hanauw et baroni in Liechtenberg. Scripta illa sunt post memoratam corporis translationem. Meurissius jam laudatus affirmat, scripta, esse hæc Acta anno* 1197, *ea, opinor, de causa, quod ultimum miraculum eo anno factum notetur. Verum undique manifestum est, Acta fuisse conscripta paucis annis post translationem, nimirum secundo aut tertio post eam anno. Auctor affirmat num.* 7, *se scribere miracula,* quæ aut vidi, *inquit*, aut fideli relatione audivi. F *Quod spectat ad postremum istud miraculum, illud postea ab alio auctore ceteris adjectum est, ut facile vidisset Meurissius, si ipsa videre potuisset Acta, quæ se non habuisse fatetur. Porro ex ætate auctoris jam assignata statui potest, quid fidei his Actis debeatur. Prima pars, qua narratur Vita Sancti, tota fere apocrypha est et fabulosa, ut patet ex anachronismis, quibus scatet, quosque in annotatis assignabimus. Recudetur tamen, ne Opus prodeat imperfectum. Verum pars altera, quæ translationem continet et miracula, hinc fidem non amittit apud nos, cum omnia, quæ in illa referuntur, sub ipsis pene scriptoris oculis gesta sint. Nec est, cur dubitemus de postremo miraculo, quod ab alio postmodum adjectum diximus.*

unde accepta et quomodo edenda :

7 *Laudatus Winphelingius in Epistola dedicatoria, quam omittemus, explicat, cur Acta dedicaverit Philippo comiti Hanoviensi, et unde illa acceperit, dum illum affatur his verbis:* Quippe qui inter cetera religionis officia ad sacras divi

AUCTORE J. S.

divi Adelphi reliquias (qui dominii tui Deus * tutelaris sive patronus est) singularem geris affectum: id quod mihi nuper placabilis benignitas et eximia mansuetudo tua patefecit: dum desiderares sancti Adelphi Historiam (cujus exemplar Jacobus Scheidius capellanus tuus mihi tradidit) a me lectum iri, per capita distingui, impressionique commendari. *Distinxit ille omnia in 27 capita minutissima. Nos ex illis tria tantum capita formabimus. Primum continebit Historiam vitæ apocrypham: alterum translationem cum miraculis: tertium appendicem postea adjectam, seu miraculum ultimum.*

* i. e. Sanctus

variæ opiniones de ætate S. Adelphi,

8 *De tempore, quo floruit* S. Adelphus, *scriptores minime consentiunt. Ineptissime Saussayus Apostolorum temporibus vicinum asserit, cum in catalogis episcoporum Metensium inter illos statuatur decimus. Florarium nostrum Ms.* anno Salutis CCLVII *obiisse vel floruisse enuntiat: nec longe hinc abit Meurissius, qui episcopatum ejus inchoat anno* CCXXX, *et finit anno* CCXLVII. *Martyrologium Parisiense in margine assignat annum circiter 426. In Chronico episcoporum Me-* B *tensium, quod edidit Acherius, tom. 2 Spicilegii recusi pag. 225 sic legitur:* Dicimus Metensium episcopus præfuit Adelphus, qui sedit XVII annis sub Aurelio Alexandro, Maximino, Gordiano, et Philippo Christiano cum Philippo filio; sub episcopis Romanis Pontiano, Antero, et Fabiano. Hic etiam sepultus est in ecclesia sancti Clementis. *Hæ notæ designant medium circiter seculi* III, *ita ut credibile sit, Florarii auctorem et Meurissium ex hoc fonte hausisse. Verum isti Chronici Metensis auctori, qui seculo* XI *scripsit primam Chronici partem, ut ex illius partis fine colligitur, parum aut nihil in hisce fidimus, cum junior sit, quam ut auctoritatem habere possit in rebus tam antiquis.*

et aliorum episcoporum Metensium,

9 *Paulus Warnefridus Forojuliensis diaconus scripsit Libellum seu breve chronicon de episcopis Metensibus. Editus hic Libellus in Corpore Francicæ Historiæ a pag. 172 cum subjuncto catalogo episcoporum a S. Clemente primo Metensium episcopo usque ad* Walam *seu* Walonem, *qui sedem illam rexit seculo* IX. *Similem catalogum* C *ex codice S. Symphoriani Metensis edidit Marcus Antonius Dominicy in Monumentis post Ansberti Familiam redivivam a pag. 23: at hic præcedenti auctior est, subjectis aliquot episcopis, nec in omnibus cum illo consonat. Porro Paulus diaconus scribit, S. Clementem missum esse Metas a S. Petro apostolo. Quod si verum sit, præfuit isti ecclesiæ seculo primo. Deinde memorati catalogi tot fere annos singulis adscribunt episcopis, ut decimus illorum* S. Adelphus *sedere in episcopatu debuerit circa medium seculi* III, *si et Clemens a S. Petro missus sit, et anni singulorum episcoporum recte sint enumerati. Itaque hi etiam catalogi cum opinione Pauli Diaconi de missione Clementis favent opinioni Meurissii et Florarii nostri. Verum cum hoc loco agitare non lubeat quæstionem illam intricatam de primis in Galliam missis episcopis, catalogis istis non inhæreo, præsertim quod non constet an anni episcoporum, priorum certe, in illis recte sint expressi.*

ex quibus illam interim sequimur,

10 *Calmetus Historiæ suæ Lotharingicæ præmisit dissertationem de Episcopis Metensibus cum eorumdem catalogo chronologico, in quo col.* XXI *Victorem I, inter episcopos Metenses quintum, vult interfuisse concilio Coloniensi anni 346 per legatum, per se vero Sardicensi anno 347. Idem cum Paulo diacono asserit, S. Auctorem, in antiquis catalogis XIII episcoporum, vixisse tempore* D *Attilæ Hunnorum regis circa annum 451. At episcopis inter Victorem et Auctorem mediis attribuuntur plus quam 175 anni, ne computatis quidem annis Victoris aut Auctoris. Quæ quomodo cohærere possint, non video. Hesperium deinde, qui passim habetur episcopus XXIII, recte ait interfuisse concilio Claromontano anni 535. At rursum solis episcopis inter hunc et Auctorem mediis adscribit annos minimum 188, qui certe non reperientur inter 451 et 535. Sollerius noster tom.* III *Augusti in S. Auctore pag. 536 cum aliis ibidem citatis existimat, in concilio Coloniensi seu Agrippinensi pro* Victore *legendum* Auctorem, *adeoque Auctorem floruisse circa medium seculi* VI. *Et revera anni circiter 188, qui attribuuntur episcopis inter Auctorem et Hesperium mediis, facile deducent ab anno 346, seu a concilio Agrippinensi, usque ad 535, seu concilium Claromontanum: imo vel sic aliquot anni redundabunt, cum S. Auctor non videatur obiisse statim post concilium Agrippinense, nec Hesperius primo episcopatus sui anni interfuisse Claromontano.* E

11 *Porro, etiamsi non ignorem contra opinionem Sollerii varia objecta esse ab illis, qui duos finxerunt Servatios Tungrenses episcopos, cum quorum secundo Auctorem vixisse volunt Attilæ tempore, sequar interim Sollerii et Henschenii sententiam, unum seculo* IV *Servatium statuentium eique contemporaneum S. Auctorem Metensem, donec alterius sententiæ patroni solidioribus argumentis evertant traditionem ecclesiæ Tungrensis de uno Servatio. Adi pro hac controversia Henschenium ad* XIII *Maii in S. Servatio, et in Exegesi de episcopatu Tungrensi et Trajectensi ante tom.* VII *Maii, uti et Sollerium in S. Auctore ad* X *Augusti. Jam vero si S. Auctor episcopus fuerit anno 346, seu tempore concilii Agrippinensis, cum duo inter ipsum et* Adelphum *statuantur medii in antiquis catalogis, iisque simul tribuantur anni 79 episcopatus, inhærendo dictis catalogis mortem* S. Adelphi *collocare deberemus post medium seculi* III. *At quia suspicatur Calmetus annos priorum Metensium antistitum forsan non parum auctos, ut primus ad S. Petri tempora reduci posset, mortem* S. Adelphi *fiximus post medium aut circa finem seculi* III. F

quæ statuit cum vixisse post medium aut circa finem seculi III.

12 *Restat, ut inquiramus an Sermo 136 S. Petri Chrysologi spectet ad Sanctum nostrum, uti existimare aliquos supra dixit Saussayus, et de quo dubitat Baronius in annotatis ad Martyrologium Romanum die* XXIX *Augusti, ubi sic habet:* Est sermo S. Petri Chrysologi CXXVI *(lege* CXXXVI*)* in natali sancti Adelphii: an autem sit ille, de quo agitur, non audeo affirmare. *Verum sermo iste dictus est* in Adelphum episcopum *præsentem, non* in natali sancti Adelphi. *Hinc ex epocha mortis, posita a nobis, certum est, non spectare ad Sanctum nostrum. Imo ne in illorum quidem sententia, qui S. Auctorem Metensem removent ad Attilæ tempora, adeoque* S. Adelphum *statuunt circa annum 426 cum Martyrologio Parisiensi, sermo iste ad* S. Adelphum *nostrum pertinet: etenim S. Petrus Chrysologus serius ad episcopatum evectus est, licet de tempore non conveniat inter scriptores. Hisce subjungo Vitam Sancti: nam quæ fabulatores quidam Hispani confinxerunt de* S. Adelpho, *refutare non est necesse. Inspice, si lubet, lector, Martyrologium Hispanum Joannis Tamayi Salazar ad* XXIX *Augusti, et ridebis, aut potius miraberis confidentiam hominis in fingendo.*

Sermo 136 S. Petri Chrysologi ad Sanctum nostrum non spectat.

VITA

VITA

Ex editione Jacobi Wimphelingii, qui usus est chartis comitis Hanoviensis.

CAPUT I.

Vitæ historia apocrypha et fabulosa.

Dicitur Santus nobili natus stirpe, ac promissus ab angelo :

In omnipotentis Dei nomine Jesu Christi Domini nostri Filii ejus, Vitam et actus sanctissimi antistitis Adelphii auxiliante Spiritu sancto, qui in ipso requievit, humili stylo edicere aggrediar : confisus in eo, qui dixit : Aperi os tuum et ego adimplebo illud. Non enim reticenda sunt, B quæ in exemplum bonæ operationis divulgata proficere, atque suis sectatoribus procul dubio municipatum cum Sanctis suis in cœlis tribuere possunt. Beatus igitur Adelphus in Aquitaniæ provincia ultra *a* fluvium, qui Liceris dicitur, ex nobilissimis atque in rebus seculi potentissimis natus fuit : quibus tamen ipse sanctitate nobilior, et in fide Christi sublimior extitit. Sicut enim traditur, ex genere regis Constantini, cujus matrem ex Treveri *b* natam legimus, originem duxit. Cujus pater, Felix nomine, ducatus *c* honore insignitus fuit : mater vero Beatrix nuncupata, ex nobili Burgundionum *d* stirpe processit. Quæ quadam nocte Dominicia in extasi angelum cernit sibi assistentem atque dicentem : Ave Deo dilecta, et omne genus tuum. Quæ cum ad hanc vocem expavisset, inquit : Gaude quia concipies et paries novem Paulum Adelphum episcopum, virum prudentissimum et virtuosum, et gratia Dei erit cum illo. His dictis angelus disparuit. Nec mora : illa concepit et peperit puerum, quem Adelphum vocari fecit.

deinde litteris instructus, ac Rufo episcopo adjunctus :

C 2 Qui cum ad eam venisset ætatem, qua jam litteris imbuendus erat, cuidam bonarum litterarum et divinæ legis peritissimo traditur magistro : mire sagax et artium capax omnes coævos et contubernales suos in brevi scientia superans, omnibus tam amabilis quam gratus extitit. Erat enim cunctis secum morantibus subditus, sed fide et caritate sublimior omnibus. Transcursis autem studiis, avunculo suo Rufo *e* Metensis ecclesiæ præsuli sanctissimo, sed subregulo seu rectori palatii ac regis consiliario, in bonis tam secularium quam ecclesiasticorum negotiorum actibus exercitandus committitur. Cui etiam domi militiæque, ceu patri filius dominoque servus, prælato subjectus, humillimus adhæsit. Pro quo gratuitæ subjectionis obsequio, prædestinatus et donatus est illi a Deo successor et hæres, non solum in pontificio, verum etiam ut Helisæus Eliæ in sanctitate spiritus et prophetiæ. Hunc ille cum accepisset, et per multa experimenta sibi, ut in omnibus successor existeret, dignissimum fore probasset, in loco suo regis palatio aptavit. Ubi tanta fidelitate tantaque industria terreno regi legationis munere sæpius Romam et in Græciam *f* fungendo ad nutum servivit ; quod tamen cælestam Regem (licet hoc difficile factu fuerit et perraro fiat) non offendit.

Ex veteri impresso. fit Metensis episcopus : ejus virtutes : g

3 Illo nimirum adhuc in seculari militia regioque servitio existente, B. Rufus *g* tricesimo pontificatus sui anno migravit e seculo. Tunc una fuit vox omnium, Adelphum, regis domesticum et consiliarium, episcopatu fore dignissimum. Ille vero, licet lacrymans et invitus, tamen (quia Deo sic placuit, quod etiam per revelationem ostenderat) sedem episcopalem et urbem Mediomatricem gubernandam suscepit : sic denique curas episcopales gerens, quod tamen primatum palatii licet nolens retineret. Mox autem tali tantaque profusus est munificentia, tantaque in eleemosynis pauperum liberalitas in eo excrevit ; ut de longinquis regionibus et civitatibus (fama ejus ubique divulgata) innumera pauperum caterva ad ipsum refocillanda festinaret. Sed cum jugiter cunctis operibus bonis foret intentus, præsertim tamen in susceptione monachorum et peregrinantium devotissimus invigilabat : ita ut quos hospitio recepisset, eorum pedes propriis manibus ablueret ; illosque vestitos atque refectos deducens, alios refocillandos susciperet. Porro abstinentiæ illius normam narrare quis valeat ? maxime cum interdum post triduana seu amplius protracta jejunia pane hordeaceo ac lymphæ poculo sese recrearet. Indutus etiam sæpius occulte intrinsecus E tunica de cilicio facta, membris jam vigiliis atque jejuniis exesis gemituum ingerebat cruciatum : quippe quæ vestis asperitate et inedia frequenter affligebat.

bonis ecclesiæ donatis pie moritur.

4 Tandem omnipotente Deo pro tantis laboribus mercedem ipse reddere volente, cum sibi jam vitæ suæ finem imminere cognosceret, proprias possessiones, quas ultra fluvium Licerim habuit, ecclesiæ S. Stephani sub scripturæ testimonio contradidit, implens quod Dominus dixit : Vade, vende omnia, quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me. Nec mora, cum infirmitate correptus ad ultimum vergeret diem, fama ægritudinis ejus circumquaque divulgata, adsunt monachi, necnon religiosi canonici, gloriosum ejus præstolantes egressum. Quos alloquens ait : Sancti viri et Deo amabiles, obsecrate pro me : adest enim dies, in quo Judici meo præsentandus apparebo. Quid igitur faciam ? Sicut mihi videtur, nihil boni gessi in seculo, omnibus sceleribus et peccatis vallatus coarctor : pro quibus ut veniam merear, obsecro, supplicate. Hæc Vir sanctus F (quia scriptum est : Justus in primordio sermonis accusator est sui) se inculpando profatus est. Moxque pacis osculo dato, omnibus vale dicens, facie ejus resplendente ut sol, nocte Dominica intra planctus et fletus assistentium anima sancta migravit ad Deum.

Mirabilia in morte, et deinde facta :

5 Statim auditus est cantus angelorum lætantium et Deum laudantium, clangorque campanarum a seipsis ultro sonantium. Fit gaudium magnum procul dubio in cælo et ingens luctus pauperum Christi atque monachorum in seculo. Tandem exequiis digne et rite celebratis, ad latus beatissimi Clementis corpus illius sepultum est. Ubi etiam exuviæ S. Rufi erant reconditæ. Interim omnibus, qui cum illo ad sepulcrum venerunt, odor suavissimus affuit. Ubi dum multo tempore jacuisset, nec aliquis ipsum coleret nec adoraret, nec sanctum quidem Rufum, qui et itidem illic tumulatus fuerat ; quidam vir erat in eadem civitate religiosus, hoc est, Deum amas ac de suæ animæ salute solicitus, qui intempesta nocte (ut se orationibus Domino commendaret) universa, quæ extra muros sita erant oratoria indesinenter circuire solebat cum solo tantummodo

Ex veteri impresso.

modo comite: cum quo, dum medium haberetur noctis silentium, psalmos recitare solitus fuit. Hic itaque *h* vir dum ad eamdem ecclesiam, in qua sancta requiescebant corpora, venisset, nec tamen ingrediendi esset concessa facultas; quia non se manifestari voluit æditui, quo ignotior ejus haberetur devotio; accessit juxta murum forinsecus ad eam partem, qua ipsorum sepultura erat: ibi orationi incumbens humillima mentis intentione sese prostravit. At dum ab oratione surrexisset, et in eorum honorem Sanctorum, quorum e regione sepultura fuit, oraret, psalmique versiculum illum, Exultabunt Sancti in gloria pronunciaret, nullo in sacra, æde manente, subjungentes audivit, Lætabuntur in cubilibus suis. Nam et comes ejus, qui audierat, postmodum de hac re testimonium perhibuit. Denique præfato homine regrediente et ad mansionem veniente, vox divina in visione sibi dixit: Non per tua merita, sed eorum, qui ibi jacent, ubi Deum deprecatus es, vox illa facta est: quoniam nullus eos, sicut dignum et justum esset, veneratur et colit. Hoc ut hominibus patefactum est, venerunt et sicut decebat, eos coluerunt.

Acta quædam miraculorum ab Hunnis combusta.

B 6 Sed et postea per plura signa atque miracula idem Sancti Dei glorificati sunt: ex quibus quam plurima, licet non omnia, quæ Dominus specialiter per S. Adelphum facere dignatus est, in scriptis erant redacta: sed libellus, in quo conscripta fuerant, postea machinante diaboli invidia, ab Hunnis *i* concrematus est. Nec aliquem movere debet quod præfati Sancti aliquanto tempore quasi ignoti jacebant ac velut inglorii: cum idem de B. Stephani secumque quiescentium corporibus inveniatur scriptum, præcipue cum fortasse nullus, per quem revelarentur, inventus est dignus, vel illius temporis homines digni non erant, ut eis tam pretiosus manifestaretur thesaurus: quacumque de causa hæc sint facta, nostrum non est disputare, sed divino judicio debemus relinquere.

ANNOTATA.

a *Aquitania late hic sumitur pro parte Galliæ trans Ligerim fluvium usque ad Oceanum et Pyrenæos montes extensa, prout passim sumebatur illo tempore, quo scribebat auctor. Ligeris au-*C *tem mox vocatur* Lieris, *vulgo* la Loire.

b *Sancta Helena mater Constantini Magni Treviris nata dicebatur a variis, præsertim Germanis, ut ad ejus Acta dictum est tom.* III *Augusti pag.* 549, *licet prælata ibidem sit sententia aliorum, qui in Bithynia natam tradiderunt. Hinc igitur patet, Constantini Magni genus a biographo indicari, sed nulla veri specie, cum non obierit Constantinus ante annum* 336.

c *Neque titulus ducatus congruit cum tempore* S. Adelphi.

d *Burgundiones multo serius, videlicet seculo* V *sedes fixere in Gallia. Hinc videas, quam inepte fabulas hasce congesserit auctor. Nihilo credibilior est, quæ mox sequitur, angeli nuntiatio, in qua clare imitatur Gabrielis ad Mariam legationem Luc.* I.

e *Rufus in Catalogo episcoporum Metensium præcessit* Adelphum: *an autem hujus ille avunculus fuerit, mecum forsan ignoravit auctor. At vero dum eumdem palatii rectorem fingit, respexit ad mores sui temporis, quo et usitata erat, et subinde etiam episcopis collata dignitas illa. Vocabantur illi Majores domus sub prima et secunda stirpe regum Francorum. At tales non* D *erant tempore Rufi aut* Adelphi, *quo Franci Galliam necdum occupaverant, qui et pagani erant iis temporibus.*

f *Æque hæc sunt fictitia quam præcedentia: cum auctor insinuet pro Francorum regibus obitas hasce legationes. Commercium autem eum Græcis tunc nullem habebant Franci.*

g *In Catalogo antiquo viginti et octo episcopatus anni Rufo tribuuntur, atque obiisse dicitur* VII Idus Novembris, *quo die de eo forsan agetur latius.*

h *Hoc factum narrat Paulus Diaconus in Libello ante laudato his verbis:* Rufus vero et Adelfus, qui sunt in numero *(Metensium episcoporum)* nonus et decimus, magnis absque dubio in vita meritis fulsisse credendi sunt: quandoquidem tali etiam post obitum fulsere miraculo. Horum denique corpora cum in basilica beati Felicis martyris essent humata, (sicut ad nos usque decucurrit relatio) vir quidam erat religiosus ac de animæ suæ cura sollicitus, qui nocturno tempore, ut privatis orationibus se Domino commendaret, universa, quæ extra muros ejusdem civitatis sita erant, oratoria indesinenti studio circumire sole- E bat. Hic itaque dum ad prædictam beati Felicis martyris pervenisset basilicam, nec tamen ingrediendi esset concessa facultas, accessit juxta murum forinsecus ad eam partem, qua prædictorum sacerdotum corpora requiescebant, atque ibi se in orationem tota mentis intentione prostravit. Qui dum post effusas preces ab oratione surrexisset, et in eorum Sanctorum honorem, ad quorum e regione sepulcra oraverat, Psalmi versiculum, id est, „ Exultabunt Sancti in gloria „ pronuntiaret; mox ab intus vocem subjungentis audivit, „ Lætabuntur in cubilibus suis. „ *Hæc Paulus Diaconus, nec plura de his Sanctis, quia verosimiliter plura de illis non erant tunc cognita. Hinc collige, quid fidei debeatur ceteris hactenus relatis.*

i *Contingere in potuit circa medium seculi* V, *dum Attila cum Hunnorum exercitu Galliam vastavit.*

CAPUT II.

F

Translatio et miracula ab auctore coævo scripta.

Sacrum corpus Metis Novam Villam transfertur:

Nunc autem quomodo gloriosissimi antistitis Adelphi reliquiæ in eum, in quo nunc reconditiæ sunt, locum devenerint, et quædam ex miraculis, quæ vel in translatione, vel postea, per eum Dominus fecit: quæ aut vidi, aut fideli relatione audivi, ad Dei et ipsius honorem, et legentium vel audientium ædificationem, quanto expeditus potero, scriptis explicare studebo. Anno igitur ab Incarnatione Domini octingentesimo quadragesimo sexto *a*, regnante gloriosissimo Ludovico imperatore, regente prædictæ urbis ecclesiam Drogone archiepiscopo præfati regis germano et sacri palatii summo capellano: Lantfrido vero coëpiscopo: qui Lantfridus Neovillam *b*, quam Romani Novum Villare appellant, singulari coluit dilectione. Hic ergo Drogonem venerandum pontificem obnixè rogavit, quatenus virum Dei Adelphum ad prædictum locum evehi mandaret. Quod hujus rationis auctoritate affectavit, cum quia locus ille bonis S. Stephani inscribitur,

A scribitur, tum quia in regione illa rarissima sanctorum corpora reperiebautur. Præcipue vero cam ob eausam, quia locum ille, ut supra diximus, specialiter gratum habuit. Idcirco autem tauto eum amore amplexus est, quod ibi erat cœnobium Petri Apostolorum principis religiosos habens homines ac Deum metuentes : et loci facies habilis videbatur et pulcherrima. Est etenim Neovilla agris fœcunda, vineis opulenta, arboribus consita, fontibus optimis irrigua, silvis et pratis amœna ; ea videlicet in parte sita, qua mons Scaurus *c* Alsatiam determinat. Et quia, ut diximus, loci qualitatem coepiscopus vehementer adamabat, moresque inibi degentium quam maxime ei complacebant, diligentissime hoc, ut S. Adelphus eo transferretur, agere curabat. O egregium et laudabilem virum memoria et celebritate dignum ! qui tanta opera satagebat ob salutem languentis Alsatiæ Neovillam talem advectare Patronum. Ipse accipiat benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo, eo quod talem nobis suo impetratu Patrem advexit. Præfatus uamque antistes petitioni ejus coutraire B nolens, et temere et inconsulto rem aggredi veritus, triduanum populo iudixit jejunium. Quo peracto, coepiscopi supradicti impetratu, omniumque, qui aderant, consensu beatissimi Viri corpus efferri, feretroque imponi præcepit. Hoc autem bonis et religiosis sacerdotibus injunxit officium, ut videlicet bouus a bonis, etsi non æque perfectis, congrue gestaretur.

miracula in translatione

8 Tanta autem in celeberrima ejus translatione odoris et miraculorum dulcedo vectores exhilaravit, ut quem portabant, non esset eis labori, sed delectationi. O felix valde et salutiferum tempus, quo B. Adelphi reliquiæ in regionem nostram, utpote miraculorum suorum beneficiis exaltandam, allatæ sunt : quia et tunc et postmodum Dominus innumera per ejus meritum signa operatus est. Cæcis namque visum, mutis sermonem, surdis restauravit anditum. Verum de tantis et tot miraculis, quæ gessit, antequam narrandi finem faciam, aliqua memorare libet. Primum denique siguum in hac evectione apparuit, quod silvæ *d*, per quas sanctissimum ferebatur corpus, quasi salutando se ad feretrum incliuabant. Per C hæc et alia, quæ Dominus per ejusdem Pontificis merita divulganda operabatur, multi ex circumjacentibus vicis et villis accurrentes, et quasi obsequium sancto Viro exhibere cupientes, feretro se adjungebant. Inter quos duo compatres spirituales diu iuter se rixantes, nec per aliquem ad concordiam redire volentes, dum se cum ceteris sancti Viri excubiis obsequentibus jungere vellent, ita fixi tenebantur, ut nullo conatu ad feretrum accedere valerent. Tunc demum peccatum suum recognoscentes ac pœnitentiam agentes, ad pacem et concordiam redierunt. Quo facto continuo, quæ antea fuerat clausa, ipsis aperta est via, et liber cum aliis eis patebat accessus.

facta :

9 Interim, cum, sicut dixi, ex agris omnibusque locis ad sanctum Virum deducendum multitudo se congregaret populi, quidam homo in campo demetendo cum ceteris occupatus, solus, cunctis sequentibus atque cum imitantibus, noluit sequi ; insuper et insultans dixit, quod Vir Dei sanctus non esset, sed propter pecuniam congregandam mortuus in feretro deduceretur homo : illusque sanctitatem hypocrisim esse affirmabat. Statim post hujusmodi verba blasphemiæ liugua ejus maledica muta conticuit, totumque corpus illius juste validissima febris corripuit. Econtrario alius quidam homo, qui multo tempore membris debilibus sibi et aliis inutilis exstitit, ad feretrum portandum humilem se submisit : sicque sospitatem, quam desiderabat, continuo recepit. Hæc et alia multa Sancto Dei in via faciente miracula, cum magna prosperitate et lætitia præfatæ villæ appropinquare cœperunt. Mox omnes fratres et fere novem millia hominum cum crucibus et cereis ingenti gaudio obviam veniunt, et Pastorem suum jam in cælo regnantem recipiunt, receptumque cum grandi reverentia et exultatione in locum præordinatum reposuerunt. Hæc nos pauca de pluribus, quæ Dominus per eum in itinere egit, miracula excerpsimus.

Ex veteri impresso.

miracula

10 Nunc restat, ut quæ in proxima post ejus translationem festivitate facta sunt, prolixitatem vitantes, et ideo multa omittentes, brevi et simplici, sed verissima relatione dicamus. Primum itaque, quod in jam dicta festivitate contigit, signum hoc fuit. Puer quidam, manum habens aridam et brachium, sanatus est. Postea homo quidam, nomine Waltmundus, nullam membrorum sospitatem habens, sanus effectus est. Deinde mu- E lier quædam de villa proxima, quæ Buswilre *e* dicitur, cujusdam Wilonis filia, Rumildis nomine, ex multis annis muta loquelam recepit. Cæcus etiam visum accepit. Facta sunt et alia quinque signa, quæ quomodo fierent, brevitati studentes, narrare supersedimus. Mulier etiam quædam a nequam spiritu per tres annos agitata, ad ipsius gloriosam festivitatem vix adducta, loris funibusque constricta trahebatur a suis : ibique per diem et per noctem terribiliter debachans, non minuit furorem, sed auxit. Cur hoc illi evenerit nescio, Deus scit. Peractis autem Missarum solenniis, cum in redeundo parentes ejus milliarium unum peregissent, ita fixa est, ut nec passum pedis progredi potuisset. Caballo etiam superposita plus furere cœpit, seque ocius exinde dejecit. Cumque vidissent parentes ejus illi non licere progredi, inito consilio revertentes, antea non datam acceperunt medicinam a Deo, per Sanctum illius exoratam. Dæmon confusus exhalavit, puellaque sana repatriavit.

plurima

11 Cum de allatis sancto Adelpho ovibus lu- F pus unam raptam more suo devorare vellet, jamque ejus guttur ore suo absorbuisset, venenosi ipsius dentes ita retrusi sunt, acsi nil unquam virium habuissent : ovemque nullum læsionis signum habentem dimittere coactus est. Hinc ergo perpendi potest, ex quanto Deus Sancti sui precibus homines defendat, cum etiam bruta animalia per ejus merita lædi non permittat. Cum populus ad exercendas sacras ob amorem Dei vigilias confluxisset, femina quædam a dæmone obsessa sancti Adelphi testimonio in baptismo, in quo specialia signa acceperat liberata est a vexatione spiritus maligni, manuumque debilium sanitatem recepit. Alia femina, Hiltegundis nuncupata, de villa Otenwylre *f* nata, cum a dæmonio possessa esset, et S. Adelphi adventum angelum nunciasse dixisset, liberata est. Item alia femina a die nativitatis muta loquelam recepit. Alia quædam femina, Regnisindis nomine, de villa Alsatiæ Schildenchen vocata, lumen oculorum, quo diu caruit, recepit. Femina quædam de Brunwylre, contractione debilium membrorum laborans, a Sancto Dei confortationem et medicinam salutis meruit recipere. Item alia femina de Alsatia omnium membrorum, qua diu caruit, sanitatem recepit. Quidam Udalricus de villa, quæ Pressigin dicitur

Ex veteri impresso. dicitur, non valens nisi cum croceis *g* seu brachiorum fulcimentis incedere, erectionem diu negatam recepit.

g *cujusvis generis*

12 Dominica quinta post ipsius festum femina quædam, Diethildis nomine, de quodam oppido Alsatiæ Fridesheim vocato, quæ credendo cæca accessit, videndo recessit. Alia quædam de Metensi civitate, Mutlieba vocata, desiderium habens invisere S. Adelphi pignora, palpando et sine visu et auditu tristis fuit adducta, quæ videndo et audiendo simul et gaudendo remeavit ad sua. Quidam Gualterus nomine, de villa Griesbach, cum in festo S. Remigii, qui etiam in eadem ecclesia, in qua S. Adelphus nunc requiescit, celebris habetur, cum falce ad herbam in prato secandam abisset, falx manui ejus adhæsit, nec absolvi potuit, donec ad S. Adelphum cucurrit. Dominica sexta post ipsius S. Adelphi festum cuidam feminæ de Prumwiler, Adelmudis vocata, gressus incolumitatem, quam debilitas sibi negavit, ejusdem Sancti oratio restituit. Item alia de eadem villa, nomine Hergardis, quam malignus spiritus possederat, sole occumbente diei Dominicæ B adducta, ipso crepusculo subsequente a dæmonio purgata est. Quædam paupercula femina et advena, cui nomen erat Sillaberta, quæ utroque oculo fuit orbata, Sancto Dei donante unum recepit, sed divino, licet occulto, numquam tamen injusto judicio, altero privata remansit.

post translationem

13 Dominica septima quædam Hiltebirdis de villa, quam supra diximus, Buszwilre vocata, brachii dextri diu aridi, manusque contractæ recuperationem recepit. Gundelindis monialis femina de loco, qui dicitur Freistat iu Mortenave sito, in manibus, quæ integro anno debiles permanserant, sanari promeruit. Infans quidam, qui manibus, tibiis, pedibusque debilis erat, omnibusque despicabilis, integritatem recepit. Dominica octava nullum conspicuum peractum est signum, nisi quod quidam pauperculus, ut asserebant, de paupertate sua cum tortam panis super altare misisset, et cum ad socios ad sarcinas, quas ferebat, reversus esset, panem, quem super altare posuerat, panno, quo portaverat, involutum reperiebat. x Kal. Novembris puella quædam Willigota, adhuc materna lambens ubera, de villa, C quæ Hirslanden dicitur, adducta, quæ tribus et eo amplius mensibus cæca fuit, visionis donum recipere meruit. Dominica nona post præfatam solemnitatem monialis femina, Regnisindis dicta, de quadam villa Alsatiæ, quæ Illenkirche vocatur, in manibus et pedibus ac tibiis debilis existens, a Sancto Dei meruit juvamen sentire. Item Gundelindis femina monialis, quam supra curatam diximus, cum domum rediret, in via acrius et deterius quam prius, contrahi cœpit; sed ad nota subsidia recurrens, et intentius se iu orationem prosternens, S. Adelphi interventu curata est. Frousindis puella parvula de Alsatia ex loco, qui dicitur Stille, tibiis per tres annos retro contracta, sospitatem recepit. Item quidam puer, introrsus incurvatis pedibus, legitimam erectionem pedum habere promeruit. Quædam femina, cujus oculos densæ nebulæ texerant, clarum lumen recepit. Alia femina, Herliudis nomine, de Rumoldeswiler, quæ jugiter quatuordecim noctibus dire et acriter cunctis languebat membris, ita ut sæpe in ignem præ doloris magnitudine se jactare vellet, ad S. Adelphum in carro deducta est, ibique per omnia sospitatis salubre recepit auxilium. Quædam puella de partibus Winidorum advenerat, et per annum maligni spiritus vexatione ita cruciabatur, quod etiam teneri non D posset: in quam cum quidam adolescens manum misisset, ut eam constringeret, manum retrahere non valuit, donec jussu astantium ad Sanctum Dei acceleravit: ibique manus ejus, quæ constricta erat, erecta est. Thuribulum etiam ad fumandum miserrimum allatum est: sed cum presbyter in carbones pene extinctos sufflaret, scintilla de turibulo egressa prope altare stantem, cunctis videntibus, candelam incendit. Item quædam femina palpando adducta, videndo et gaudens est reducta.

14 Quodam tempore, cum Fratres ad vespertinum officium persolvendum processissent, lampas cum oleo ibidem dependens lumine divino inflammata est. Quædam mulier de Sarburgo *h* illic etiam illuminata est. Quadam die, cum cellerarius ad vinum fratribus exhibendum promptuarium fuisset ingressus, detracta de dolio brocca *i*, sive ducillo, missoque desubtus ad implendum vase, vocatus est ad aliud quoddam opus exercendum, de quo se cito sperabat reversurum: cumque vasculum impletum esset, nullo nisi Deo agente, stetit vinum, quasi clausum, E duarum fere horarum spatio: donec cellerarius reminiscens, quomodo dimiserit, ingressus est, et reperit ad integrum per omnia salvum, quod timebat perditum vinum. Quædam mulier, dum sacræ Dominicæ noctis solemnia frequentare voluisset, sed temerario ausu sibi necessaria consuere præsumeret; globus, de quo filum ad consuendum sumpsit, manui sinistræ adhæsit; ita ut a nullo abstrahi valuisset: statim coacta ad S. Adelphum venire, ibique per totam noctem consistens, aurora Dominicæ diei inter primam et tertiam rejecit globum. Multum itaque lætata est, populusque mirum in modum in Dei laudibus exultavit. Cumque ad explenda ejusdem diei Missarum solemnia persistere voluisset, candelam in manu interim tenendam accendit. Sed custos ecclesiæ cum luminaria incendere deberet, nec aliam in promptu haberet, illam de manu mulieris tulit, ut ex ea ceteras incenderet. Mox in manu ejus vacua caudela apparuit, concitoque cursu custodi nunciavit; dumque cum ipso de novitate miraculi sermocinaretur, candela, quæ prius iu manu ejus apparuit, vidente custode incensa est. F Sed expletis Missis, cum sine licentia recedere voluisset, ita subito angores eam constrinxeraut; ut formidaret subito expirare. Itaque coacta ad custodem accelerat, quam ille blande consolans, licentiam cum Sancti Dei adjutorio præstat abeundi.

h *intra paucos*

i

15 Quadam nocte cum prima campana sonante Fratres ad noctis vigilias celebrandas convenissent, subito lampas una oleo plena divino lumine mirifice fuit accensa. Sed per hoc Dominus ostendit, eos, qui ad obsequium sancto Viro digne persolvendum conveniunt, cælesti lumine non esse privandos. Quidam homo cum croceis vix valens incedere, audita S. Adelphi fama venit, curatusque et sanus ad propria redivit. Quidam a nativitate cæcus visum recepit. Alius quidam surdus advenit, cui restitutus est auditus. Item duæ mulieres luminibus privatæ visum meruerunt accipere. Similiter quidam, qui ex longo tempore non vidit, lucis beneficium recepit. Quidam diuturna ægritudine laborans, cum multi medicorum omni nisu sibi succurrere voluissent, ad sancti Dei Adelphi suffragia venit, et statim melius habuit. Accidit etiam Sancti ejusdem meritis res quædam magis stupenda magnitudine miraculi

annos *j*

A miraculi quam facti. Mulier quædam paupercula de villa, quæ Hoffeldem dicitur, duos denarios per quemdam vicinum suum misit, ut sibi necessaria compararet. Quos cum ille per negligentiam perdidisset, et ideo infecto negotio cum ingenti tristitia rediret, præcipue cum mulieri fere nihil amplius reliquerit, nec ipse, per quod damnum restituere posset, habuerit : sicque quidnam agere deberet, animo revolveret, ad quoddam venit pratum : ibique genibus fixis Dei et S. Adelphi misericordiam et solatium super hac re postulavit, statimque deorsum respiciens, in herba nummos, quos perdiderat, reperit. Quos etiam ad sancti Adelphi ecclesiam portavit. Quidam de villa Rotbach, cum esset cæcus, per Dei Sanctum recepit visum. De Gengenbach mulier surda venit, quæ auditum recepit. Quidam nauta de Ferstat, Trobertus nomine, cum quibusdam, eo quod ad S. Adelphum ire vellent, dum eos navigio transmittere derogaret *, vindictam propter hoc expertus divinam, cum aliis, licet invitus, ire coactus, et pœnitentiam de injuria Sancto Dei illata agens, gratiam Dei et ipsius electi Adelphi, quam superbiendo perdiderat, se humiliando recuperabat. Mulier quædam de Ruthenhem a dæmonio liberata est. Alia mulier de Wimenawe, fere duorum spacio annorum clauda, sed ad S. Adelphum portata, sanata per se ipsam pergebat ad propria. Item alia mulier de Vendenheim auditum, quo diu caruit, ibidem recepit. Alia quædam mulier, quam pater ipsius claudam ad S. Adelphi reliquias portavit, sana redivit. Quidam de Rumiluingen etiam claudus juxta criptam S. Adelphi per septem hebdomadas jacebat, postea restituta sanitate ad propria remeavit. In die festivitatis ejusdem dilecti Dei Adelphi, quæ facta est secundo translationis ejus anno, multa per eum facta sunt signa. Nam vir quidam et mulier quædam visum ibi receperunt; et alia mulier a corporis debilitate sanari meruit. Nec diu fuit post idem festum, etiam quidam cæcus visum recepit. Mulier quædam lineum drappum *k* seu mappam perdidit, et votum fecit, quod, si reperisset, S. Adelpho deferret. Contigit ut furem, qui abstulerat, comprehensum ligaret, et pannum receptum, sicut voverat, afferret, et omnibus quomodo reperit demonstraret. Alia quædam per septem annos debilitatem corporis passa, ad eumdem Sanctum veniens, sanitatem recepit. Quidam de Rimilingen a nativitate mutus, ibidem loquelam accipere meruit. Alia quædam mulier per quatuordecim noctes sub mortis periculo ægrotabat : sed ex quo se ad S. Adelphum venturam, si convalesceret, promisit, statim ad sospitatem rediit. Quædam mulier de villa in partibus Alsatiæ, Rodeshem vocata, per quatuor annos tanta ægritudine laboravit, quod nec etiam domum egredi potuit : quæ in curru posita venire cœpit, et cum ad S. Adelphum appropiaret, sana facta est et propriis pedibus remeavit. Alia mulier de Sarburgo netum in manu dextra cum fuso tenuit, et sinistra alabrum *l* cœpit circumvolvere : sed nescio quo ejus peccato, sive ut opera Dei et S. Adelphi manifestarentur per illam ; utrumque manibus ipsius adhæsit. Jam vero vesperascente alabrum de manu excrepuit, sed digiti in palma sunt confixi. In crastino ad S. Adelphum festinanter cucurrit, ibique per totam diem in oratione persistens, die declinante et laudibus Dei peractis, ad custodem ivit, eique fusum in manu hærentem ostendit : sed continuo, sancto Antistites ipsius dolori compatiente, de manu ejus resilivit. Eadem vero nocte sinistram manum contractam habuit, sed Deo volente infra Matutinas sanitati restituta est. Quidam die Dominico infra S. Adelphi terminos veniens, cum cujusdam vicini sui, qui cum eo venerat, calceamentum vellet reficere, statim subula manui ejus infixa est. Mox ille ad lectum præfati Sancti cucurrit, ibique oratione Dominica finita, subula de manu ejus exiliit, ipseque per S. Adelphi merita sanus redivit. Alius vir annis decem visu oculorum orbatus, in S. Joannis Baptistæ nativitate ad eumdem Sanctum veniens, lumen recepit. Quædam mulier de Spirckowe trium annorum spacio debilis existens, cum illuc deduceretur et jam appropinquaret, quasi milliario uno distans ab eo, in quo Sanctus Dei quiescit loco, statim sanata est. Hæc de signis et prodigiis, quæ per dilectum suum Adelphum Dominus operatus est, plurima (sicut prædiximus) tum propter brevitatem, tum propter incredulitatem, quomodo videlicet septem mortuos resuscitavit, et multa alia omittentes, prout expeditius potuimus, perstrinximus : solet enim ex hujus temporis hominum fragilitate contingere, ut quæ modo fieri non vident, aliquando facta fuisse non facile credant.

[Margin: * Forte denegaret] [Margin: Ex veteri impresso.]

E

ANNOTATA.

a *Hanc epocham vitiosam esse, probavimus in Comment. num. 5, ubi de Ludovico Pio et Drogone episcopo ejus fratre quædam observata. De utroque plura Meurissius a pag. 189, aliique historici.*

b *De Neovilla seu Novo Villari, monasterioque S. Petri ibidem, cui oppidi nomen dederunt aliqui, egimus in Comment. num. 4.*

c *Indicatur mons* Vosagus, *aliis* Vogesus, *quo Alsatia separatur a Lotharingia.*

d *Hæc forsan intelligenda, ut hyperbolice vel allegorice dicta, quia auctor mira ubique et magna loqui cupit.*

e Busweiler *oppidum notatur in tabulis geographicis Alsatiæ, una circiter leuca a Novavilla seu* Neiweiler.

f Otweiler *oppidum est in limine Lotharingiæ. At loca hujusmodi ignobiliora, quæ sequuntur, non assignabo.*

F

g Croceis *seu* crocis *designantur fulcra subalaria.*

h Saræpons, *seu* Pons Saravi, *est oppidum Germaniæ in limine Lotharingiæ, comitatus titulo insignitum : quod hic videtur indicari, vulgo* Sarbruck.

i Broca, *vel* brocca, *Gallis* broche, *designat epistomium. Idem* ducillo *significatur.*

k Drappus *est* drappum, *Gallis* drap, *pannum designat.*

l *Ad hanc vocem sic habet Calepinus :* Alabrum dicitur instrumentum, quo fila vertuntur. Filum enim a colu ducitur in fusum, de fuso in alabrum, hinc in girgillum, deinde in glomicellum, hinc in pannum, postea in telam.

CAPUT III.

Miracula serius facta, auctore alio item anonymo.

Post multos etiam annos gestum est in basilica ipsius insigne prodigium, quod convenit audire

Ex veteri impresso.

audire devota mente aures fidelium. Nam eo tempore, quo Henricus *a* reverendæ memoriæ Romanum rexit imperium, ortum est inter fratrem præfati imperatoris Othonem *b* scilicet et Conradum *c* Argentinensem præsulem impatiens prælium. In quo comes Otho multitudinem militum congregavit ad adversus fratrem episcopi Huneburg *d* properavit. Cum vero in præsentem villam venisset, et hic multas opes reperisset, placuit sibi, ut istic exercitus pausaret *e*, donec sequens dies adproximaret. Huic exercitui quidam diaboli cliens intererat, qui multa peccata, ut in sequentibus patebit, commiserat. Hic dum S. Adelphi ecclesiam cum sociis suis spe prædæ circuiret, contigit ut ferreum ostium, quo pretiosus thesaurus corporis ipsius claudebatur, inveniret. Quod cœpit irreverenter ac sine pavore pulsare, terribilique voce clamare. Quod videns quidam fidelis presbyter, nomine Ulricus, ejusdem ecclesiæ canonicus, sancti Pontificis patrocinium invocavit, ac deinde, ne pateretur dispendia, ostium clave reseravit. Ille vero, dum nihil invenisset, quod manus ejus rapere potuissent, B egressus monasterium repente cœpit furere, necnon et proprias manus more canis ossa rodentis rodere. Vultum etiam miserabiliter dilaniavit, seseque in S. Adelphum peccasse proclamavit. Insania igitur hæc in illo non diu duravit, nam die sequenti spiritum exhalavit. Comes igitur cum militibus suis, cum comperisset, quod ille tam cita atque crudeli morte periisset, ipse et alii non pauci pœnitentiam de peccatis suis egerunt, multaque, quæ abstulerant, reddiderunt. Taliter hoc signum, Deo teste est peractum, et ideo monasterium ejus tunc et post hæc longum tempus a prædonibus mansit intactum et illæsum. Nam sequenti anno advenit exercitus Suevorum *f*, qui destruxere circumquaque loca Sanctorum: sed nullus accessit ad ejus monasterium nec ad loculum, pariter metuentes incurrere mortis periculum. Innumerabilia quidem et alia signa pietas Domini per eum in Argentinensi civitate multoties dignata est facere, sed ego non spero me ad cuncta dictanda posse sufficere. Hæc autem scripta D sunt ut sciatis, quantæ virtutis sit apud Deum et potestatis. Patratum est igitur istud signum anno ab Incarnatione domini milesimo centesimo nonagesimo septimo, regnante Christo rege piissimo, qui est rector universorum regnorum per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Designantur Henricus VI, filius Frederici I. Obitum Henrici anno* 1197 *illigat Pagius ibidem num.* 3.

b *De hac Ottone Nicolaus Vignierius in Burgundionum Chronico ad annum* 1200, *seu pag.* 141 *hæc scribit :* Otho Frederici imperatoris filius, qui primus Palatini titulo cum comitatu Burgundiæ usus est, hoc anno naturæ concessisse scribitur a Paradiuo : quamvis non desint, qui illum anno MCXCI, undecimo die Julii obiisse contendant. Quorum dissidium, cum vetustiora testimonia desint, non posse facile componi intelligo. *Verum, si anno* 1197, *ut hic refertur, bellum gessit cum Conrado Argentinensi episcopo, non obiit certe anno* 1191. *Licet autem de hac Ottonis expeditione alibi nihil legerim, constat tamen Conradum episcopum Suevis principibus fuisse contrarium.* E

c *De Conrado II vel III Argentinensi seu Argentoratensi episcopo agunt scriptores Galliæ Christianæ tom.* 5, *col.* 800, *ubi episcopatum ejus inchoant anno* 1190, *mortem vero referunt ad annum* 1202.

d *Spectabat is locus ad Conradi familiam, ut videtur : nam laudati scriptores Galliæ Christianæ de Conrado sic loquuntur :* Is ex nobili baronum d'Huunenberg in Alsatia genere ortus.

e *Id est, requieverit.*

f *Contigit hoc procul dubio ob schisma imperii, quod ortum est post mortem Henrici VI. Quippe cum duo essent electi Romanorum reges, Philippus Sueviæ dux, et Otto dux Saxoniæ, posteriori adhæsit Conradus episcopus.*

C

DE SS. EUTHYMIO CONF., UXORE EJUS F

ET CRESCENTIO FILIO MARTYRE

PERUSIÆ IN UMBRIA,

J. P.

Ex Martyrologio Romano et Ferrario.

Tempore circiter Diocletianæ persecutionis. Cultus

Perusia Augusta antiquissimæ originis est, unaque ex duodecim Etruriæ principibus civitatibus, quam hoc tempore in Umbriam plerique rejiciunt, tamquam ejusdem provinciæ caput : unde legatus Apostolicus subjectis Umbris jus dicit, in eaque nobilis academia floret, ubi ad bonas artes, jurisque prudentiam excoluntur ingenia. *Hæc et plura alia Ughellus tomo* I *Italiæ sacræ a columna* 67*. *De illa quoque civitate mentio facta est apud nos tomo* II *Januarii, die* XXIX, *pag.* 924. *Martyrologium Romanum tres hosce Sanctos sic memorat :* Perusiæ sancti Euthymii Romani, qui Diocletiani persecutionem fugiens, ibi cum Uxore et Crescentio filio quievit in Domino. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ solum* Euthymium *annuntiat, et in annotatione dicit :* Hac die Perusiæ tantum fit de illo commemoratio. *At* Crescentius puer *refertur in Martyrologio Romano ad diem* XIV *Septembris, quo die erit agendum de ipsius Actis, quorum*

A *quorum lectiones proprias habemus, in quibus indicatur passus martyrium Romæ* extra portam Salariam. *Baronius in notationibus ad dictum mox diem*, De (*Crescentii pueri*) martyrio, aliorumque sociorum Acta manuscript. legi, *inquit*, quæ ab ecclesia accepimus. *Damus interim, quæ Ferrarius narrat de* S. Euthymio confessore, *excerpta* ex Passione, *ut indicat*, S. Crescentii mart., *his verbis* :

2 Euthymius Romanus, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, in Christi fide una cum uxore et Crescentio filio ab Epigmenio presbytero instructus, ab eodem baptizatus est. Cum autem persecutio in Christianos Romæ ingravesceret, inde Perusiam cum filio profectus est, ut ibi dies in pace sanctis operibus transigeret : etsi enim Christum clam coleret raro in publicum prodiens, diu Perusiæ occulte commoratus; illum tamen veraciter, et ex corde diligebat. Cum itaque filium in fide educasset, et ne umquam ob impiorum minas vel supplicia ab ea excideret, neglectis inanium deorum simulacris, admonuisset, isque jam XI ætatis annum ageret, Euthymius confessor Perusiæ migravit ad Christum IV Kal. Septembris. *Posui superius*, tempore circiter Diocletianeæ persecutionis, *quia sub hoc imperatore eum vixisse indicant quidem datæ modo notitiæ, quarum textum produxi, non addunt tamen annum mortis.*

DE SS. NICÆA ET PAULO MART

ANTIOCHIÆ IN SYRIA,

B

Ex Fastis sacris et Martyrologio Romano.

J. P. E

XXIX AUG.

Multa et varia de his Martyribus Martyrologia meminisse lego; sed pauca ex his produxisse suffecerit. Inter auctaria ad Usuardum a nobis editum ista scribuntur hoc die : In Antiochia Syriæ, sanctorum Niceæ et Pauli. *Apud Florentinium ibidem loci etiam memorantur, notante eodem auctore in suis observationibus :* NICEUM vocant libri nostri, non NICEAM, et NICIUM Martyrol. vetustissimum. *Sunt etiam in nostro Ms. Florario in hunc modum :* In Antyochia Syrie natale Sanctorum Nycee et Pauli. *Martyrologium Romanum ita illos annuntiat :* Antiochiæ in Syria natalis sanctorum martyrum Nicææ et Pauli, *diciturque in notationibus*, de his etiam *agi* in prædicto manuscrip. antiquissimo Martyrologio, et Molan. in addit. ad Usuardum.

DE SS. NONGENTIS MARTYRIBUS

Ex Martyrologiis Hieronymianis.

J. P.

XXIX AUG.

C *Numerosum hoc Martyrum agmen legitur in variis Fastis sacris antiquis, sed non eodem modo ac die. Nam in Spicilegii Acheriani tomo* 4, *in quo exstat Martyrologium S. Hieronymi nomine prænotatum, quod vocatur ibi* vetustissimum, *sunt ista ad diem* XXX *Augusti, post annuntiationem S. Joannis Baptistæ :* Et alibi, natalis sanctorum nongentorum Martyrum, qui eadem die passi sunt. *In Martyrologio, quod Florentinius sub ejusdem Sancti nomine vulgavit, ad diem* XXIX *hujus mensis, eorum natalis connectitur cum natali S. Joannis Baptistæ : nam post hunc scribitur iste :* In provincia Palæstina civitate Sebastia natalis sancti Joannis Baptistæ, et aliorum natalis sanctorum CM Martyrum, qui eadem die passi sunt. *Florentinius in notationibus*, Ita, *inquit*, sancti Martyres nongenti cum celebritate S. Joa. Baptistæ connectuntur, ut non modo eodem die, sed eodem etiam loco videantur adscribi. Tantam Cælitum turbam hic silet Martyrol. Corbeiense, quod eam sequenti die recenseat. Non tacuit tamen Martyrol. vetustissimum, et cum F passione quidem S. Joannis Baptistæ copulavit; non tamen locum signavit, quem Martyr. Corbeiense incertum notat ALIBI sequenti die. Reliqua edita Martyrologia eosdem prætereunt. *Hæc ille; quibus addi possunt dicta in Observationibus ad nostrum Usuardum hoc die : quo Grevenus, ut antiquioribus eum hic superaddamus, S. Candidæ virgini, de qua hodie agimus, sic subdit :* Item sanctorum Martyrum nongentorum, qui eodem die passi sunt. *In textu Florentinii fortasse legi deberet* et alibi *pro* et aliorum, *ut Martyrologium illud valde mendosum est, et sic conformius esset aliis Martyrologiis modo citatis.*

A D

DE SANCTO ALBERICO EREMITA

J. P.

APUD BALNEUM IN ETRURIA

XXIX. Aug.

Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem paucula hæc refert in rem nostram : Albericus eremita ex Hetruria vitam asperam intra Apenninum in agro Sarsinate apud Balneum op. duxit : ubi locus adhuc Cella S. Alberici nominatur, atque ab eremitis usque in hodiernum diem incolitur : cujus corpus in ecclesia S. Anastasii apud vallem Feretranæ diœcesis asservatum hac die religiose colitur, confluentibus eo ad diem festum finitimis populis, balneatoribus maxime, quod S. Albericum balnea illa excitasse fama sit. *Hactenus Ferrarius, indicans ea prodiisse* ex monum. abbatiæ S. Anastasii. *Addit, nondum se vidisse Acta, nec intellexisse an exstent. Utrumque dico et ego, non tamen ideo absterritus, ne Sanctum hunc Operi nostro intexerem in fide Ferrarii, qui affirmat eum publice coli. Adde, si vis, Castellanum, qui in suo Martyrologio universali hæc refert :* Balnei apud Camaldulum in diœcesi Sarsinatensi S. Albericus solitarius. *De* Sassiua *vel* Sarcina *egi in hoc tomo pag.* 189. *Nescitur tempus, quo hic Sanctus vixerit.*

B E

DE SS. HYPATIO EPISC. ET ANDREA

Vide pag 837 not. 12 bis.

PRESBYTERO MARTYRIBUS

J. P.

CONSTANTINOPOLI

Sub Leone Isaurico.

Martyrologium Romanum duos hosce Christi Pugiles ita annuntiat : Constantinopoli sanctorum martyrum Hypatii episcopi Asiani, et Andreæ presbyteri, qui ob cultum sanctarum imaginum sub Leone Isauro barba pice illita atque incensa, et cute capitis extracta, jugulati sunt. *In Menologio Græcorum, quod ex interpretatione Cardinalis Sirleti editum est ab Henrico Canisio ita referuntur ad diem* XX *Septembris :* Eodem die commemoratio sanctorum patrum et confessorum Hypatii episcopi, et Andreæ
C presbyteri. *Sequitur ibidem narratio martyrii in hæc verba :* Hi ex Lydorum regione in gymnasio quodam pueri docentur : Hypatius quidem monasticam vitam amplexus est, Andreas vero sacer
* ἱεροκήρυξ in Ecclesia præco * extitit : non solum autem jejuniis, vigiliis, et orationibus præstantes erant, sed etiam humilitate, modestia et charitate alios superabant. Cum vero eorum virtutes cognovisset, qui apud Ephesum præsidebat, Hypatium quidem episcopum; Andream vero presbyterum ordinavit : quod cum audisset osor sanctorum, Leo impius imperator, ad se accersiri jussos in carcere inclusit, et laniari præcepit, et e capite cutem extrahi, et sanctas imagines quamplurimas supra capita eorum accensas susceperunt, et pice barbas illiti per mediam urbem (*Constantinopolitanam videlicet*) distracti sunt, et [ad] F
partes Xerolophi jugulati, canibus esca expositi sunt. *Baronius illorum martyrium narrat ad annum Christi* 735.



DE

DE S. CANDIDA VIRGINE MART.

ET DE

SS. FELICE, FORICIA, ADAUSIA, GEMELLINA

CUM SOCIIS MART

ROMÆ

J. P.

S. Candida in multis Martyrologiis nota,

Martyrologia multa cum vetustiora tum recentiora memorant hac die S. Candidam virginem: *sed alia titulum* martyris *omittunt, alia adjiciunt. Apographa quædam Hieronymiana* S. Candidam *exhibent aliis martyribus immixtam. Augustanum et Labbeanum apud nos post tomum* VII *Junii nudum memorant nomen* Candidæ, *uti et aliud Ms. apud Florentinium in annotatis* XXIX *Augusti. Apographum Corbeiense ibidem habet,* Candidæ virginis. *Usuardus :* Ipso die sanctæ Candidæ virginis. *Sic etiam Florarium nostrum Ms. Recte tamen in Romano hodierno et* Martyr *vocatur, et Romæ passa dicitur, quia id abunde colligitur ex sociis, quos mox assignabimus. Verba igitur Martyrologii Romani accipe :* Item Romæ sanctæ Candidæ virginis et martyris, cujus corpus Paschalis primus Papa in ecclesiam sanctæ Praxedis transtulit. *Ad hunc locum Baronius observat sequentia :* Reperitur in marmorea tabula, quæ est in ecclesia S. Praxedis, inter ceteros ibi conditos martyres descripta Candida. *Eadem habet Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Piazzæ in Hemerologio sacro urbis Romæ ad* XXIX *Augusti de* S. Candida *refert sequentia :* Sancta Candida virgo et martyr Romana, cui Adrianus I extra portam Portuensem dedicavit ecclesiam, in qua corpus ejus positum fuit, et postea translatum ad ecclesiam S. Praxedis per Paschalem I, ut affirmat Martyrologium Romanum. Pars capitis ejus servatur in ecclesia S. Mariæ in Campitelli, pars altera in Virginis Lauretanæ. *Hæc de* Candida. *Nunc socios Martyres investigemus.*

quæ martyr fuit cum aliis hic recensitis.

2 *Quippe etiamsi* Candida *ab Usuardo, aliisque cum secutis martyrologis sola referatur, quod ex corporis translatione contingere potuit, non dubito quin eadem sit, quæ in Hieronymianis cum aliis quatuor conjungitur. Apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii recusi pag.* 17 *Corbeiense Martyrologium hos ad* XXIX *assignat Martyres :* Romæ, via Ostense *, natalis Sanctorum Felicis, Candidæ virginis, Foriciæ, Adausiæ, Gemellinæ, cum sociis eorum. *Iidem Martyres, ac eodem quidem ordine, reperiuntur in tribus exemplaribus Florentinii, sed luxatis non parum nominibus. In textu ille sic edidit :* Romæ via Hostiensi Felicis. Candidi *. Forigæ. Adausiæ. Gemellinæ cum sociis eorum. *Ex alio Ms. vetustissimo in annotatis :* Romæ Felicis. Candidæ, Furinæ, Adavisæ, Gemellinæ. *Tertium ejus Ms. est Corbeiense jam datum. Ex hisce colligo, hosce quinque Martyres simul Romæ passos in via Ostiensi cum sociis aliis anonymis : et nomina in titulo data ex Corbeiensi Martyrologio proxime ad genuina eorum nomina accedere conjicio. Nec obstat* Candidæ *martyrio, quod Petrus de Natalibus in Catalogo lib.* XI, *cap.* 130, *num.* 229 *dicat,* Candidam *in pace quievisse* IV *Kalendas Septembris : nam, cum fateatur se nihil invenisse de gestis Sanctorum, quos illo capite recenset, ne obitum quidem* S. Candidæ *invenerit : sed in eam opinionem inductus fuerit, quod titulum* Martyris *non reperiret apud Usuardum aut alios. Plura de hisce Martyribus non invenio : neque enim annotata Florentinii, aut recentiores alii martyrologi plus lucis afferunt.*

* *i. e.* Ostiensi

* *pro* Candidæ

DE S. BASILLA VIRGINE

SYRMII IN PANNONIA INFERIORE

J. S.

Sancta Basilla in Martyrologiis varie annuntiata,

Romanum *Martyrologium hodie annuntiat Sanctam aliquam* Basillam *his verbis :* Apud Smyrnam natalis sanctæ Basillæ. *Addidit Baronius annotationem hujusmodi :* De ea tam in veteri Romano Martyrologio, quam etiam in manuscriptis *Hieronymianum haud dubie designat per vetus Romanum, per manuscripta forsan auctos Usuardi codices. Quippe in utrisque reperitur memoria* Basillæ, *sed cum diversitate loci, cui adscribitur, et aliqua etiam nominis. In Hieronymianis a Florentinio editis sic legitur :* In Syrmie natalis sanctæ Basillæ virginis. *In Corbeiensi ibidem in annotatis, (et tom.* 2 *Spicilegii pag.* 17) In Syrmia natalis sanctæ Basilissæ virginis. *Aliud exemplar Florentii :* In Sirmi Basillæ virginis. *In Augustano et Labbeano apud nos post tomum* VII *Junii sine loco ponitur,* Basillæ virginis. *In additamentis ad Usuardum non minor est varietas de hac Sancta, prout videre est in Usuardo nostro. Memoratur ibidem ex plurimis exemplaribus, partim Mss., partim editis. Pleraque autem habent :* In Syrmia, natale sanctæ Basillæ. *Unum Hagenoyense :* In Sirmia, natale sanctæ Basilicæ virginis. *Belinus edidit,*

Basiliæ

AUCTORE J. S.

Basilæ. *Grevenus,* In Sirmio, sanctæ Basillæ virginis. *Molanus,* In Syria, natale sanctæ Basileæ. *Hactenus auctaria Usuardi.*

Sirmio attribuenda videtur.

2 *Allata huc usque Martyrologia non exprimunt, utrum* S. Basilla *sit martyr : at martyrium clare negat Petrus de Natalibus, dum lib.* XI, *cap.* 130, *num.* 231 *ita scribit :* Basila sancta in Syrmio ipso die dormivit in Domino. *Florarium nostrum Ms. tantum habet :* In Syrmia natale sanctæ Basillæ. *Prætermitto recentiores, qui eodem modo de loco variant. Nec lubet adducere Hispanos quosdam, qui ex pseudo-Dextero et Juliano* Basillam *cum Sirmio Hispaniæ suæ adscribere conati sunt : nam ipsi etiam Hispani prudentiores fabulis hujusmodi fidem negant. At solum observo cum Florentinio vetustissima Martyrologia satis convenire in nomine et loco ; nam* Basillam *passim vocant, et* Sirmio *Sanctam attribuunt cum titulo* virginis *non* martyris. *Porro* Sirmium *urbs erat satis celebris in Pannonia inferiore, seu in hodierna Sclavonia ad Savum flumen, ita ut non recte in Romano Martyrologio attributa videatur Smyrnæ, quæ urbs est Asiæ minoris hodieque notissima. De ætate aut gestis Sanctæ altum ubique silentium. Hinc incertum manet, an fuerit martyr : sola enim tituli Martyris omissio non sufficit ad martyrium ei certo abjudicandum.* D

DE S. SEBBO

REGE ORIENTALIUM SAXONUM

LONDINI IN ANGLIA,

B E

J. S.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

De cultu et gestis.

Circa annum DCXCIII aut DCXCIV. Cultus ex Fastis,

Sanctum Sebbi, *aut, si nomen Latine inflectere malumus,* Sebbum, *Orientalium Saxonum in Britannia regem, multum laudavit venerabilis Beda, aliique scriptores antiqui. Memoriam ejus non quidem inveni in Fastis antiquis, sed illum memorant varii recentiores martyrologi, eumque illis Baronius in Martyrologio Romano ad* XXIX *Augusti his verbis :* In Auglia sancti Sebbi regis. *Martyrologium Anglicanum, anno* 1608 *impressum, habet elogium Anglice, cujus hoc est initium :* Londini depositio S. Sebbi regis Orientalium Saxonum et confessoris, qui, ubi regnum istud triginta annis in magna pace et tranquillitate administraverat, in monasterio SS. Petri et Pauli Londini monachus factus est. *Addit insigni sanctitate mortuum, ac sepultum Londini in ecclesia S.* C *Pauli, ibique corpus ejus servari in monumento marmoreo magna cum veneratione. Addit etiam miraculis claruisse, quod in editione anni* 1640 *omissum. Inseruerunt eumdem Sanctum Menologiis suis Benedictini, inter quos Wion in Ligno vitæ ad prædictum diem sic habet :* In Anglia, sancti Sebbi regis, monachi et confessoris.

et corporis elevatione :

2 *Alfordus in Annalibus Anglo-Saxonicis tom.* 2, *ad annum* 693 *num.* 13 *sepulcrum Sancti illustrat, simulque refutat petulantem hæreticum, qui ausus fuerat irridere miraculum a Beda relatum de sarcophago Sancti, quod miraculo excrevit, dum corpus Sancti fuit sepultum. Verba ejus accipe :* Visitur hodieque sancti Sebbi sepulcrum ad septentrionalem Paulini templi parietem, cancellis inclusum : sed sitne idem, cujus hic *(apud Bedam)* mentio, merito dubitari potest. Quod enim ita miraculo excrevit, terræ humandum condendumque, non efferendum et in luce populorum statuendum erat. Illud ergo humilius et e communi lapide ; nobilius istud, quod hodie cernitur, et e divite marmore, eleganter dicit, diversum esse. Unde dicterium et scomma Joannes Spedi, asserentis nunc, sarcophagum miraculo productum, novo miraculo contractum esse,nec quinque pedes in longitudine excedere, in caput cadit cudentis ipsum. Scimus enim Sanctorum reliquias non statim ab obitu, sed post probatam diu testatamque eorum sanctitatem, coli solitas a majoribus. Tunc elata sunt Sebbi ossa et elegantiore theca recondita, nec opus fuit, consumpta carne, formari sarcophagum primæ longitudinis. *Satis hinc colligitur, corpus olim elevatum fuisse ; at quando, aut qua occasione id factum sit, non invenio. Nunc ad Sancti gesta progrediamur.*

Rex fuit Saxonum Orientalium cum Sighero.

3 *Beda lib.* 3 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 30 *sic habet ad propositum nostrum :* Eodem tempore provinciæ Orientalium Saxonum, post Suithelmum, (de quo supra diximus) præfuere reges Sighere et Sebbi, quamvis ipsi regi Merciorum Vulfhere subjecti. *Regnum Orientalium Saxonum, cujus metropolis erat Londinum, breviter describit Malmesburiensis de Gestis regum Anglorum cap.* 6 *his verbis :* Reges Orientalium Saxonum dominabantur in Estsexa, et Middlesexa, et dimidia Hurtfordensi, habebaturque ibidem et habetur episcopus Londinensis. *Est hæc pars maritima Britanniæ, quæ Belgio nostro opponitur.* F

cujus non erat frater, sed patruus.

4 *Genealogiam* Sebbi *idem explicat eodem capite, uti et Sigheri, dum ita scribit :* Eo mortuo *(Swithelmo rege)* Sigherius filius Sigeberti Parvi, et Sebba filius Sewardi tenuerunt reguum. *Ambo hi patres item fuerant reges, sed gentiles ambo. Sewardus autem, qui cum duobus fratribus regnans, idololatriam restituerat apud Saxones Orientales, ac deinde interemptus erat, pater erat Sigeberti Parvi, ita ut* Sebbus *patruus esset Sigheri ; non frater, ut eum perperam vocat Harpsfeldius in Historia Anglicana seculo* VII, *cap.* 12. *Defunctis autem regibus* Sebbo *et Sighero, regnum pervenit ad duos* Sebbi *filios, uti affirmat laudatus Malmesburiensis, ita scribens*

AUCTORE J. S.

A *bens :* Verumtamen Sebbi sociante se defuncto *(Sighero)* ipse quoque XXX anno voluntarie regno decessit, monachus (ut Beda refert) factus: filii ejus Sigehardus et Sefredus post eum regnaverunt.

Sighero ad idola deficiente Sebbus in pietate perseverat :

5 *Hisce observatis, Bedam rursus audiamus.* Quæ videlicet provincia, cum præfatæ mortalitatis clade premeretur, Sighere cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei sacramentis, ad apostasiam conversus est. Nam et ipse rex et plurimi de plebe sive optimatibus, diligentes hanc vitam, et futuram non quærentes, sive etiam non esse credentes, cœperunt fana, quæ derelicta erant, restaurare, et adorare simulacra, quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Porro socius ejus et cohæres regni ejusdem Sebbi magna fidem perceptam cum suis omnibus devotione servavit, et magna (ut in sequentibus dicemus) vitam fidelem felicitate complevit. *Subdit Beda, quo modo Sigherus cum subditis suis ad pietatem sit reductus per Jarumannum episcopum, quem eo destinaverat Vulfherus, seu Wolferus Merciorum rex prædictus.*

incertum tamen an laboraverit ad conversionem Sigheri.

B 6 *Alfordus ad annum* 664, *num.* 37 *affirmat,* Sebbum *suas etiam partes habuisse in dicta Sigheri conversione, ita scribens :* Nec in una regni parte stetit Sebbi pietas: qui porro progressus, Sigherum, regni socium, conatus est ad Christum reducere, fidei, quam coronæ, extendendæ studiosior. Dolebat enimvero piissimus Princeps ejusdem pene corporis ac reipublicæ membra luxari adeo, divellique invicem tam pudendo divortio: et interim deesse doctam manum, quæ posset velletque malo mederi. Igitur Wolferum Merciorum regem monet (nam illi fere Orientales Saxones parebant) periclitari provinciam periculosissimo morbo, et esse ruinæ proximam, ni quantocius submittantur aliqui, qui labantem valerent sustinere. *Hæc Beda non affirmat, adeoque verisimilia quidem sunt ob pietatem* Sebbi, *at pro certis non asserenda, cum antiquorum auctoritate destituantur. Nihilo magis apud antiquos invenio, quod subdit Alfordus de petito Londinensibus episcopo per* Sebbum: *nam de Malmesburiensis, quem citat lib.* 2 *de Gestis pontificum Anglorum, solum refert Winam a Vulfhero Merciorum rege*

C *inductum episcopum sine ulla* Sebbi *mentione.*

Beda narrat Sancti virtutes,

7 *Omisso igitur facto isto, ad Bedam regredior. Nam hic lib.* 4, *cap.* XI *Sanctum nostrum uberius commendat hoc elogio :* Eo tempore præerat regno Orientalium Saxonum, (ut idem etiam libellus docet,) vir multum Deo devotus, nomine Sebbi, cujus supra meminimus. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus, piis eleemosynarum fructibus plurimum intentus; vitam privatam et monachicam cunctis regni divitiis et honoribus præferens, quam et olim jam, si non obstinatus conjugis animus divortium negaret, relicto regno, subiisset. Unde et multis visum, (ut sæpe dictum est) quia talis animi Virum, episcopum magis quam regem ordinari deceret.

vitam ejus monasticam in extremo morbo inchoatam.

8 Cumque annos triginta in regno, Miles regni cœlestis exegisset, correptus est corporis infirmitate permaxima, qua et mortuus est: admonuitque conjugem, ut vel tunc divino se servitio pariter manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo servire non possent. Quod dum ægre impetraret ab ea, venit ad antistitem Londoniæ civitatis, vocabulo Waldhere, qui Erconwaldo successerat; et per ejus benedictionem, habitum religionis, quem diu desiderabat, accepit. Attulit autem eidem et summam pecuniæ non parvam, pauperibus erogandam; nil omnimodis sibi reservans, sed pauper spiritu magis propter regnum cœlorum manere desiderans. Qui, cum ingravescente præfata ægritudine, diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit Homo animi regalis, ne ad mortem veniens, tanto affectus dolore, aliquid indignum suæ personæ vel ore proferret, vel aliorum motu gereret membrorum. Unde accito ad se præfatæ urbis Londoniæ, in qua tunc ipse manebat, episcopo, rogavit, ne plures (eo moriente) quam ipse episcopus, et duo sui ministri adessent.

visionem ei oblatam, et piam mortem.

9 Quod dum episcopus libentissime se facturum promitteret, non multo post, idem Vir Dei, cum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ solicitudinis auferret: insuper et qua die esset hanc vitam terminaturus, ostenderet. Vidit enim (ut post ipse referebat) tres ad se venisse viros, claro indutos habitu, quorum unus residens ante lectulum ejus, stantibus his, qui secum advenerunt, comitibus, et interrogantibus E de statu ejus, quem languentem visitare venerunt; dixit, quod anima ejus et sine ullo dolore, et cum magno lucis splendore esset egressura de corpore: sed et tertium exinde diem, quo esset moriturus, insinuavit: quod ita utrumque (ut ex visione didicit) completum est. Nam die dehinc tertio, completa hora nona, subito quasi leviter obdormiens sine ullo sensu doloris emisit spiritum.

ac sepulturam miraculo nobilitatam :

10 Cujus corpori tumulando præparaverant sarcophagum lapideum; sed cum huic corpus imponere cœpissent, invenerunt hoc mensura palmi longius esse sarcophago. Dolantes ergo lapidem in quantum valebant, addiderunt longitudini sarcophagi quasi duorum mensuram digitorum: sed nec sic quidem corpus capiebat. Unde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut alium quærere loculum, aut ipsum corpus [si possent in genibus inflectendo, breviare] donec ipso loculo caperetur. Sed mira res, et non nisi cœlitus facta, ne aliquid horum fieri deberet, prohibuit: nam subito, astante episcopo et filio regis ejusdem, [ac monacho] Sighardo; qui F post illum cum [fratre] Suefredo regnavit, et turba hominum non modica; inventum est sarcophagum illud congruæ longitudinis ad mensuram corporis, adeo ut a parte capitis etiam cervical posset interponi: a parte vero pedum, mensura quatuor digitorum in sarcophago corpus excederet. Conditus est autem in ecclesia beati Doctoris gentium, cujus edoctus monitis, cœlestia sperare didicerat.

annus mortis non omnino certus.

11 *Alfordus ad annum* 695 *diversas de tempore hujus mortis opiniones refert hunc in modum :* Obscurior est annus mortis sancti Regis, nec potest constanter definiri. Capgravius recensens reges, qui monachi fuerunt, hæc habet de S. Sebbo *(in Curthberto fol.* 78 *:)* Circa annum insuper Domini sexcentesimum septuagesimum Sebba rex Orientalium Saxonum, post tricesimum regni sui annum, monasticam ducens vitam, obitus sui diem angelica revelatione cognovit. *Baronius, ut subdit, mortem* Sebbi *narrat ad annum* 672, *videturque insinuare peste obiisse, quod merito improbat Alfordus, qui sic prosequitur :* Harpesfeldus Sebbum mortuum ponit ad annum Domini DCLXXXIII. Sed longe rectius alii,

AUCTORE J. S.

alii, e Fastis Savilianis, e Londinensium episcoporum rebus gestis, et triginta annorum imperio, mortem consignant ad annum Christi DCXCIII. *Posterior hæc sententia, quam Alfordus amplectitur, confirmatur ex morte S. Erconwaldi Londinensis episcopi, cui supra num.* 8 *dicitur Waldherus successisse. Quippe Henschenius ad* XXX *Aprilis in Commentario prævio ad Acta S. Erconwaldi num.* 4 *probat, Sanctum istum obiisse circa annum* 693, *atque inter alia argumenta allegat, quod Waldherus eodem anno* 693 *consecratus sit episcopus. Itaque cum dicat* D *Beda de Sancto nostro,* Venit, *jam æger* ad episcopum Londoniæ civitatis vocabulo Waldhere, qui Ercunwaldo successerat, *insinuat ex modo loquendi Waldherum non diu fuisse episcopum, dum hæc fiebant, adeoque* Sebbum *eodem verisimiliter anno* 693 *esse defunctum, aut certe non multis annis serius. In Fastis, qui Rerum Anglicarum scriptoribus subduntur, initium regni ejus statuitur anno* 664, *finis anno* 694, *quod ex dictis satis est verisimile.*

DE S. MEDERICO PRESBYTERO ET ABBATE

PARISIIS

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B E

Cultus; reliquiæ; Acta: tempus, quo floruit Sanctus.

Circa annum DCC. *Nomen Sancti in Fastis antiquis:*

Acta S. Mederici *abbatis et presbyteri edidit atque illustravit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* 3, *part.* I, *a pag.* 8; *ubi pro antiquo ejus cultu adducit* vetusta Martyrologia tum ecclesiæ Æduensis, tum ecclesiæ Bituricæ S. Laurentii, *in quibus memoria ejus celebratur his verbis:* IV Kalend. Septemb. Parisius depositio S. Mederici presbyteri. *Hisce consonat Romanum, in quo ad eumdem diem sic legitur:* Lutetiæ Parisiorum depositio sancti Mederici presbyteri. *Memoriam* S. Mederici *in suo etiam Martyrologio annuntiavit Usuardus ad præfatum diem: at necdum convenit inter eruditos, quo Sanctum nostrum exornaverit titulo, cum editiones Usuardi multum ea in re discordent.* Episcopum *ab Usuardo vocatum esse, ait Baronius in Observationibus ad Martyrologium* C *Romanum: atque* episcopus *re vera vocatur in editione Molani, sed mendose.* Abbatis *titulum nihilo rectius habet editio Munerati.*

ab Usuardo memoratur ut presbyter, licet abbas quoque fuerit:

2 *Codex antiquissimus Usuardi, qui servatur Parisiis in abbatia S. Germani de Pratis, ac typis editus est anno* 1718, *sic habet:* Parisius, depositio sancti Mederici presbyteri et monachi. *Verum Sollerius noster in Usuardo suo tantum habet:* Parisius, depositio Mederici presbyteri. *Non ignorabat quidem Sollerius in codice Pratensi addita esse hæc verba,* et monachi; *sed ea pro genuinis Usuardi verbis non agnovit, tum quod abessent a plerisque codicibus nostris, tum quod in codice Pratensi litura esset facta, lituræque inscripta essent hæc verba. Hinc ait in Observationibus:* Medericus... notatus est, non ut monachus, abbas, aut episcopus, ut supra ostendimus, tametsi monachum, et, si vis, abbatem fuisse non diffiteamur; sed ut presbyter, sicut textus noster exhibet. *Verumtamen editor Usuardi Pratensis, Jacobus Bouillart, litem movet Sollerio in Observationibus suis ad hunc locum, atque ita ratiocinatur:* Antequam hinc discedo, nonnihil difficultatis patior, unde se Sollerius expediat velim. Qua in litura S. Medericus, in eadem versatur S. Candida, *(cujus annuntiatio sequitur in textu Usuardino)* eadem utriusque correctionis scriptura est. Tamen de sancta Candida Sollerius sic: « Certe Usuardinam esse, satis evincunt codices nostri. » Quod igitur de Mederico additum fuit, æque Usuardinum est. *Respondeo, argumentum Sollerii non desumptum esse ex sola litura, lituræ enim variis de causis fiunt: sed ex litura simul et dissonantia aliorum codicum. Ratio ergo illius, cur putet Candidæ annuntiationem totam esse Usuardi, etiamsi lituræ inscripta sit, est concordia aliorum codicum: at eorumdem codicum discordia, lituræ adjuncta, arguit, omnia verba, quæ in Pratensi codice habentur de* Mederico, *Usuardi non esse. Et vero non video, cur* Monachum *vocasset Usuardus, non* Abbatem, *licet alioquin cum Vita agnoscamus et monachum et abbatem fuisse.*

colitur præcipue in die obitus:

3 *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XXIX *Augusti* Medericum *annuntiat cum titulo* Abbatis et confessoris, *amplum ei texens elogium, quod Actorum est compendium. Brevius* F *sic illum memorat Martyrologium Parisiense:* Parisiis, sancti Mederici presbyteri, qui Augustoduni in civitate sua abbas, cum vitam austeriorem et remotiorem secessum meditaretur, Parisios orationis causa profectus, annis prope tribus ægritudine detentus, obiit ac sepultus est in suburbana cellula sancti Petri, nunc dicta sancti Mederici. *De cultu laudatus ante Mabillonius addit sequentia:* Ipso die *(*XXIX *Augusti)* solemniter ejus festum celebratur Lutetiæ Parisiorum in ecclesia propria: per totam vero diœcesim pridie Kalend. Septemb. officio semiduplici, ut vocant. Patronus etiam colitur in ecclesia collegiata oppidi de Linaiis (Linays), tertio milliari prope ab urbe Parisiaca; et in ecclesia parochiali de Campellis, de qua postea.

festum translationis:

4 *Præter obitus diem celebratur etiam dies translationis* S. Mederici XXII *Januarii, ut observarunt Majores nostri in Prætermissis ad eumdem diem. Laudatus Saussayus ad* XXII *Januarii sic habet:* Lutetiæ Parisiorum elevatio et translatio sancti Mederici abbatis. *Verumtamen translatio illa, quæ in Actis narratur anno* 884 *facta, dicitur ibidem contigisse* die depositionis S. Mederici,

A derici, *seu* XXIX *Augusti. Hinc ad locum illum Actorum sequentia observat Mabillonius :* Et tamen diem translationis celebrat Parisiaca sancti Mederici ecclesia die XXII Januarii, tametsi ob diem festum S. Vincentii in proximam Dominicam sequentem remittitur. Forsitam aliam translationem eo die factam recolit. *Imo Saussayus etiam ad* 2 *Septembris hæc scribit :* Parisiis elevatio sancti Mederici abbatis et confessoris. *An alia hic rursum elevatio designetur, me latet. Certe una tantum elevatio et translatio corporis descripta hactenus comparuit, quæ sub finem Actorum legi poterit. Hæc satis de cultu Sancti.*

reliquiæ, et ecclesia votivis peregrinationibus clara :

5 *De reliquiis* S. Mederici *hæc memorat Mabillonius in annotatis ad Translationem :* In crypta subterranea recentioris ecclesiæ sancti Mederici corpus sacrum primo tumulatum fuisse aiunt. Ejus reliquiarum pars in argentea capsa altari propriæ ecclesiæ imposita, et mandibula in scrinio peculiari Parisiis; pars Campellis in ecclesia parochiali, cranii nimirum maxima pars cum duabus costis et osse sacro, ut vocant; pars denique in ecclesia collegiata de Linaiis conservantur. *Duæ*
B *priores ecclesiæ, quæ constructæ sunt in locis istis, quæ Sanctus ipse in Vita incoluit, illustrabuntur in annotatis ad Vitam ; tertia, quæ etiam* Mederico *sacra est, jam superius dicta est distare Parisiis tertio fere milliari. Breulius in Antiquitatibus Parisiensibus lib.* 4, *pag.* 1195 *tres ob causas celebrem esse ait hanc* S. Mederici *ecclesiam. Inter has secunda est* ob peregrinatioues. Mirum est eum, *inquit,* videre populum ex tota vicinia et aliis partibus remotioribus concurrere ad invocandum sanctum Medericum, quoniam experientia comperit, quam plurimos infirmos, maxime laborantes dolore viscerum, quem vulgo vocant LA MARY, intercessione S. Mederici sanari, Deo id disponente ad illius sanctitatem et merita comprobanda.

Acta, et variorum illorum exemplaria :

6 *Vita* S. Mederici *scripta est ab auctore anonymo, et quidem post translationem corporis, anno* 884 *factam, sumpta forsan occasione scribendi ex ipsa translatione, qua veneratio erga Sanctum haud dubie fuit aucta. Bailletus in Tabula critica, mensi Augusto præfixa, ad diem* XXIX *ait, forsan hanc Vitam esse exaratam post seculum*
C X, *id est, tribus seculis post mortem Sancti. Verum nihil in illa invenio, quod cogat nos credere, diu post translationem esse scriptam, ita ut verisimilius appareat, scriptam esse circa finem seculi* IX *aut initium* X, *seu ducentis circiter annis post mortem* S. Mederici. *Fatendum tamen est, huic scriptori ab ætate non magnam esse auctoritatem ; sed monumenta habere potuit antiquiora, ex quibus Sancti gesta hauserit. Mabillonius Vitam hanc edidit ex Mss. codicibus bibliothecarum S. Germani et S Victoris Parisiis : at digressiones morales, quibus Vita redundat, hinc inde resecuit. Eamdem Vitam, descriptam ex codice Ms. Rubeæ-Vallis, huc transmisit anno* 1608 *Michaël Jacobs, Ordinis Canonicorum Regularium. Eamdem quoque habemus ex Ms. Chiffletiano. Porro duo hæc nostra Mss. et inter se, et cum editione Mabillonii omnino consonant, si tantum spectemus gesta Sancti ; in vocibus tamen nonnihil subinde discrepant. Præplacet Ms. Chiffletianum, quia alitud in fine est mutilum. Istud ergo collatum cum editione Mabillonii et cum altero Ms., prelo subjiciam cum omnibus digressionibus; notatisque,ubi opus est, differentiis aliorum exemplarium.*

7 *Mabillonius in Observationibus præviis num.* 8 *tempus, quo floruit Sanctus, sic inquirit :* Quo tempore vixerit S. Medericus, ex nullo capite certo definiri potest. Stephanus Ladoneus civis Æduensis in Opere jam citato *(de Antiquitatibus Æduorum)* ait eum floruisse circa annum septingentesimum. Et certe serius vix rejici potest S. Mederici obitus, cum locum habeat in Germano Usuardi Martyrologio, in quo nullus fere Sanctorum, qui post annum DCCXX devixerit, inscriptus reperitur. *Res sane non videtur hinc satis certa. At nihil in Vita, aut alibi se offert, quo magis stabiliatur. Castellanus in Martyrologio universali ad* XXIX *Augusti notavit annum circiter* 750; *at plures sequuntur opinionem Mabillonii, quam et nos sequimur, donec aliquid occurrat certius. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 8, *cap.* 25, *dum obitum* S. Mederici *alligat anno* 984, *obitum videtur confudisse cum translatione corporis, quæ in Mss. quibusdam consignata erat illo anno* 984, *licet acciderit anno* 884, *ut recte legitur in Mss. nostris.*

AUCTORE J. S.

tempus mortis non satis certum :

8 *Apud Bellovacensem in Speculo lib.* 24, *cap.* 92 *compendium habetur Actorum editorum, qualia et duo alia habemus Mss. Sunt hæc Vitæ conformia, ex eaque desumpta, si errores excipiamus chronologicos, qui in illis reperiuntur.* E *Quippe apud Bellovacensem, et in uno compendio Ms. Cœnobii Bodecensis, translatio affigitur anno* 984; *in altero autem compendio Ms. Rubeæ-Vallis mors eidem anno innectitur, ut fit apud Petrum de Natalibus. Idem error de anno translationis occurrit apud Trithemium lib.* 3 *de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, cap.* 231, *ubi sic habet :* Medericus abbas monasterii in civitate Eduæ, vir tam sanctæ conversationis, ut et vivens et mortuus infinitis claruerit miraculis, sicut in Historia vitæ ejus diligenter conscripta reperitur. Jacet sepultus Parisiis : cujus festum agitur quarto Calendas Septembris. Ejus corpus de terra levatum est anno Domini CMLXXXIV, quarto Calendas Septembris. *Hinc colligimus errorem illum de anno translationis, qui in ipsa etiam Vita apud Mabillonium reperitur, antiquum esse. Verumtamen ex apposito episcopo, cujus tempore translatio facta est, certum est contigisse anno* 884.

translatio facta anno 884, licet varii per errorem po suerint 984

9 *Compendiis modo relatis simile est, quod ad* XXXI *Augusti habetur in Breviario Parisiensi, anno* 1636 *impresso, at sine erroribus chronologicis. Accipe istud, ut possit cum Actis prolixio-* F *ribus conferri :* Medericus e civitate Æduensi ortus, spectabili genere, cum tredecim annos implesset, invitis parentibus ad monasterium ejusdem civitatis abiit, religiosumque vitæ institutum amplexus, in ipsis conversationis suæ primordiis, ea vitæ morumque sanctimonia excelluit, qua omnes in sui admirationem raperet : tantæ abstinentiæ, ut in hebdomada nonnisi bis eduli quidquam caperet, idque nonnisi ex pane hordeaceo sumebat : modica aqua temperabat sitim : subtus schema monasticum, quod cæteris gerebat consimile, corpus macerabat asperrimo cilicio : atque nil in verbis et actibus, quod non castigatæ mentis Deoque devotæ speciem ederet, præferebat.

Officium ex Breviario Parisiensi,

10 His cum clareret insigniis sanctitatis, excedente ex stadio carnis cœnobii præfecto, quanto dignior, tanto magis renitens, abbatis, omnium votis sibi impositum, munus sic suscepit, ut non honorem, sed onus, se accepisse cogitans, omnibus suæ curæ commissis, sese non Dominum, sed verum patrem exhiberet. Quibus

quod continet

AUCTORE J. S.

bus sic in Dei timore præfuit, ut non monitis solum et exemplis, sed et supernæ sibi insitæ virtutis opitulatione, mirum in modum prodesset. Monachum enim quemdam facibus libidinis a dæmone inflammatum, tunica sua induens, ab æstu exitioso liberavit. Alius vero ita cum esset illusione diabolica subactus, ut quandocumque divino operi insistere deberet, statim, ut Synaxeos oratio consueta finienda erat, de ecclesia exiret, hacque de re frequenter admonitus, non tamen emendaretur: demum sanctus Abbas panem accepit, et benedicens, eulogias fratri tribuit, moxque ab eo inimicum exclusit.

Vita compendium.

11 Sed vero cum de diversis regionibus, fama ejus diffusa, multi ad eum properarent, Dei Famulus, ut procul ab hominum strepitu et adulatione Christo liberius serviret, desertum locum tandem expetiit, illicque divinis meditationibus totus defixus hæsit, donec non modo fratrum instantia, sed episcopi jussione ad cœnobium revocatus, cum majori signorum gloria coruscaret, relicto iterum monasterio, Lutetiam Parisiorum proficiscens, in sylva urbi vicina se abdidit, postquam in itinere miracula magna fuisset ope-B ratus. Cumque ad sacellum sancti Petri illa in sylva conditum, cellam sibi ædificasset, exactis illic in Christi sedula servitute duobus annis et novem mensibus, vocatis discipulis (quibus suæ migrationis diem prædicavit) in devota æterni Numinis adoratione, sanctissimam emisit animam; signisque admirandis sic post obitum emicuit, ut ædicula ipsa, in qua sepultus fuit, insignem in basilicam ipsius obtentu mutata, pristina exuta nuncupatione, patrocinii ipsius sortita sit appellationem: qua etiamnum fulget, pignoribusque amoris ejusdem fruitur pretiosis.

VITA

auctore anonymo

Ex Ms. codice Chiffletiano, collato cum C *Ms. Rubeæ-Vallis et editione Mabillonii.*

CAPUT I.

Sancti natales, vita monastica, dignitas abbatialis, variæ virtutes ac miracula.

Ratio scribendi hanc Vitam:

Si secularium scriptores literarum famosa quorundam gesta pomposo studuerunt stilo prosequi, famamque ipsorum ad notitiam posterorum prolixam, tam prosatico, quam metrico deducere certaverunt eloquio; suam utique volentes ostentare sapientiam, atque popularem pro ea gestientes umbræ similem captare auram; nos unius veri Dei fidissimi * cultores, ac veræ sapientiæ promptissimi amatores multo magis debemus Sanctorum gesta, utpote plurimum mirabilia, ad fidelium perducere cognitionem; veraci quidem, et compendiosa narratione, incompto quamvis scripto; ut corda audientium ad Sanctorum accendantur * imitationem, et ipsius laudem, qui est mirabilis in Sanctis suis, quique suis non tantum Sanctorum *a*, sed etiam eorum exempla pie imitantium, sui consortium polliceri dignatus est, dicens, ad patrem orando: Pater, volo, ut ubi sum ego, et ipsi sint mecum. Qui etiam omnibus voce desiderabili clamat; Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et invenietis requiem animabus vestris. D

* al. fidelissimi

* Mab. deducamus.

a

natales Sancti nobiles. b

2 Quam vocem audiens Medericus, Eduæ *b* civitatis pago, nobilibus valde parentibus progenitus, cum tredecim annos implesset ætatis, invitis parentibus, non invictis tamen, ad monasterium *c* jam dictæ civitatis abiit, quod quinquaginta quatuor * monachorum comitatu agebatur, expetens Sanctæ illius congregationis cœtibus admisceri: ut tanto scilicet expeditior omnipotentis Dei famulatui insisteret, quanto semetipsum abnegando, et crucem Christi ferendo, ipsumque sequendo, a mundi illecebris dorsum non tantum corporis, quam etiam mentis, avertere maturaret; juxta illud psalmistæ: Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. Cum enim quis a mundanis operibus quiescendo cessaverit, rectius in Deum mentis aciem dirigere valebit. E

c

* in al. Ms. quinquaginta mendose, opinor.

et ingressus in monasterium: d

3 Ubi a parentibus *d* regulariter ac solemniter bonæ indolis adolescens oblatus, quantæ abstinentiæ, humilitatis, obedientiæ, charitatis, castitatisque fuerit, subsequens pagina manifestabit: licet omnia facta illius non lingua, si foret trisulcis *, non vox millesona narrare prævaleat. Sed nobis vel pauca de pluribus dixisse sufficiat; veluti si quis maximam ingrediens sylvam, paucos exinde ramos ferre studeat; aut * uberrimam intrans segetem, vel exiguos hinc manipulos deportare satagat. Sit ergo studioso lectori satisfactio in paucis, ne forte, quod assolet, fastidium incurrat in multis. Quia et sæpe in paucitate alimentorum major extat aviditas sumentium, sicut * et in pluralitate minuitur aliquando appetitus eorum.

* Mab. trisulca

* Mab. ac

* al. sicut omittitur.

austeritas Sancti in jejuniis

4 Ingressus itaque præfatus puer Medericus monasterium, propter nimiam abstinentiam honore non indebito omnibus mirabilis habebatur; Qua ita potitus est, ut in hebdomada non nisi bis edulii quicquam *e* caperet: quod non nisi pane hordeaceo, aut quod vilius reperire poterat, et aquæ modico fiebat; prudenter recolens Vir Dei, protoplasti casum per ligni vetiti contigisse cibum: nec aliter, nisi parsimoniæ studendo, promereri posse æternæ fœlicitatis regressum. Et cum Apostolus carnis curam non in necessitate, sed in desideriis facere prohibeat, religiosus Dei Famulus etiam necessaria sibi, utpote sedulus Dei cultor, abdicabat; ut ipsa ejus supererogatio fieret in reditu justi Judicis exuberans retributio. F

e

et cilicio: fama ejus insignis:

5 Corpus vero illius cilicio asperrimo occulte tegebatur; ac desuper aliis fratribus similis videbatur; eisdem vestibus, eodem habitu, quo alii tegebantur, ut est regularis consuetudinis, indutus: cupiens, si posset, id occulte agere, ne forte aut laude humana, vel favore terreno attolleretur: mente revolvens, quod voce Salvatoris dicitur: Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, sed sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Sed juxta Dominicam vocem, lucerna super *f* montem posita latere non potuit. Nam fama ejus non solum circum manentium, verum procul habitantium ora pervolitans

f

A pervolitans, longe lateque nomen ejus divulgavit, et quis adesset *, apparuit; in tantum, ut de diversis provinciis ad eum profluerent, magisterio illius de sapientia instrui cupientes: imitantes reginam Saba, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: turbam quoque quam plurimam, quæ ut in sancto legitur Euangelio, relictis civitatibus, proprio pedum officio properabant audire Salvatoris doctrinam. Sed quanto micans lucerna radios suos abolere * volebat, tanto Auctor lucis utiliter coruscare faciebat.

* al. esset
* al. abdere

abbas eligitur:

6 Interea pater ejusdem loci molestia corporali arripitur, atque * longa ægritudine laborans migravit ad Dominum. Tunc episcopus ejusdem civitatis, præsulatus sui religione intentus, jussit ejusdem loci habitatoribus pastorem sibi perquirere, qui gregem Christi de morsu lupi rapacis eriperet, atque caulas Christi inviolatas custodiret, ac Domino suo illæsas repræsentaret, lucrum animarum Redemptori reportans. Sicque factum est, ut * ejusdem loci incolæ, ac vicini, qui hujus rei gratia ad monasterium confluxerunt *, beatum Medericum patrem sibi exposcerent, et omnes eum sibi dignum præesse declamarent *. Quoniam idem beatus Vir, juxta quod Apostolus de eligendo episcopo loquitur, bonum B ab his, qui foris sunt, testimonium pro suæ sanctitatis merito habebat; ideoque * omnium in ejus electione per assensus existebat. Quorum vocibus annuens beatus episcopus, regia sibi indulta licentia, beatissimo Viro ipsius cœnobii curam commisit, dicens ei: O lucerna Christi, et vas electum * thesauri Altissimi, accipe mensuram dispensationis æterni Dei, ad alendos greges Creatoris, erudiens eos sanctis tuis monitis pariter et præceptis, ut merito a pio Judice merearis audire: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

* Mab. eaque
* Mab. addit, omnes
* al. confluxerant
* al. acclamarent
* Mab. denique, aliud Ms. imoque
* al. electionis

tunica sua ad monachum missa dæmonem pellit:

7 Beatus igitur Medericus religionis minister effectus, non honorem, sed onus se accepisse considerans, juxta illud Salvatoris: Qui major est vestrum, erit minister vester, seipsum ponens in exemplo; sicut Filius, inquiens, hominis non venit ministrari, sed ministrare, omnibus sibi C commissis pater non solum carnalis, sed etiam spiritualis * studuit apparere. Adeo ut etiam cogitata illorum secrete * redargueret, docens quatinus non solum mala opera resecarent, verum etiam cogitationes iniquas a cordibus suis excluderent. Unde accidit, ut ipso tempore, quo regiminis curam suscepit, quidam monachus ipsius loci incentivæ libidinis graviter æstu ureretur, eumdemque infirmitatis suæ modum Patri sanctissimo notum faceret. Quo comperto, tunicam, qua induebatur, direxit * ad induendum. Qua induta, illico dæmon, incentor ipsius mali, fugiendo delituit, magnis vocibus proclamans: Sancte Mederice, cur me incendis precibus tuis? Vasculum, quod diu possedi *, tulisti *, et me inextinguibili incendio mancipasti. Tunc Sanctus increpans eum divina voce, dixit ei: Obmutesce, diabole, exiens * ab illo; quoniam non possidebis thesaurum, pro quo Christus sanguinem suum fudit. Sicque inimicus abscessit, et monachus postea ita in sanctitate permansit, ut plurimæ ab * eo postea virtutes efficerentur.

* al. spiritalis
* al. secreta
* in alia Ms. additur, ei
* al. possederam
* Mab distulisti
* al. exi vel ei exi
* al. per eum

quod auctor comparat cum miraculis Apostolorum:

8 Agnoscatur ergo operata divinitas in servis suis, quod olim promiserat in Euangelicis verbis: Amen, amen, inquit, dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. Nullum enim umbra Salvatoris, sicut umbra Petri legimus sanatum. Sed ipse operabatur in Petro, qui ait in Euangelio: Sine me nihil potestis facere. Legitur etiam, quia sudaria, vel semicinctia beati Pauli apostoli, a corpore illius super languidos deferebantur; et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. Christi ergo famulus Medericus, quia * propria relinquendo, et ipsum sequendo, imitator extitit Apostolorum, merito etiam particeps fuit operationis illorum, in ostensione signorum. Unde, Jesu bone, immensas pietati tuæ referimus gratias, qui miracula sudariorum, vel semicinctiorum Pauli retulisti nobis in sancti tui fidelissimi tunica Mederici. Idem enim es in posterioribus, qui et in prioribus: et licet sis magnus in magnis, glorificari tamen in minimis ad laudem nominis tui sanctissimi nondesinis. Et quid mirum, si fidelibus tuis Sanctos æquiparari Apostolos permittis, quando etiam te ipsum, ut benignus et clemens magister, non invidens signa tuis discipulis, misericorditer imitari concedis: sicut vociferabantur dæmones de obsessis a te ejecti corporibus, dicentes: Quid nobis, et tibi, Jesu fili Dei vivi, venisti ante tempus torquere nos: E ita in istius Servi tui miracula magnas emittebat dæmon voces, nolens deserere vas diu possessum. Sed illa *, et ista omnia per te, qui quantum in te sis mirabilis, in Sanctis quoque tuis ostendere non dedignaris: agebat talia sanctus Medericus; quia acceperat a te et ea in tuo nomine faciens, a te habere recolebat, ac propterea suis viribus nihil tribuebat.

A. Anonymo.
* al. qui
* al. ita

alium pane benedicto tentatione dæmonis liberat.

9 Sub eodem ferme tempore alius prædicti Patris discipulus ita erat diabolica illusione subactus, ut quandocumque operi divino insistere debuisset, statim ut synaxeos oratio *g* consueta finienda esset, antea quam genua flecteret, ab ecclesia exiliret *. Qua de causa frequenter admonitus, non tamen correctus est. Tunc Sanctus Dei cernens orationis inimicum, monachum ita vexantem, accepit panem, ac benedictione sanctificans, eulogias fratri tribuit; et mox inimicum ab eo excludit *. Bene Dei Famulus ab aliis virtute Trinitatis deificæ dæmones excludebat, qui nullam in seipso eos potestatem habere sinebat. Genus namque dæmonum, ut sanctum loquitur Euangelium, in nullo potest exire, nisi F in jejunio, et oratione. His vero beatus vir Medericus qualiter fuerit intentus, præfatus hujus paginulæ exequitur textus: ideoque dæmonibus recte imperabat, qui sibi præesse per macerationem corporis, et humilitatem mentis, et Creatori subesse per cultum veræ religionis, atque sinceræ famulationis didicerat.

* al. exiret
* al. exclusit

ANNOTATA.

a *Sic in utroque Ms. Verum apud Mabillonium sensus clarior est; nam ita legitur:* Quique suis non tantum Sanctis, sed etiam eorum exempla pie imitantibus, sui consortium polliceri dignatus est. *Per* Sanctos *autem intellige Sanctos agnitos ab Ecclesia: nam alioquin sancti etiam erunt, qui Sanctorum exempla pie imitantur.*

b Ædua, *seu* Augustodunum, *vulgo* Autun, *civitas est satis nota in Burgundia.*

c *Mabillonius in Observationibus præviis num. 4 in rem nostram hæc observat:* Æduæ, seu Augustoduni, urbis prænobilis duo tum erant virorum cœnobia, S. Martini unum, alterum S. Symphoriani, utrumque extra muros, Ordinis S. Benedicti . . . Utrum ex istis monasteriis, S. Symphoriani,

A. ANONYMO.

Symphoriani, an S. Martini, adierit,.. non prodit antiquitas... Censent tamen recentiores omnes Medericum in S. Martini æde monachum et abbatem egisse. Cujus argumentum est, quod Martiniani cœnobitæ ex antiquo jure hactenus cellæ S. Mederici curionem provident. *Cœnobium S. Martini fundatum esse Augustoduni per Brunichildem reginam et S. Syagrium episcopum, diximus ad* XXVII *Augusti in Syagrio num.* 15. *De utroque jam dicto monasterio plura collegit laudatus Mabillonius.*

d *Hæc parentum oblatio non omnino videtur cohærere cum dictis illis prioribus*, Invitis parentibus, non tamen invictis, ad monasterium,.. abiit. *At forsan auctor posuit*, invitis *pro* reluctantibus : *quod initio multum reluctarentur desiderio Filii sui, deinde tamen consentirent, assiduis ejus precibus superati. Hinc ait*, invitis parentibus, non invictis tamen.

e *Hæc tanta abstinentia in anachoreta quodam Ægypti aut Orientis credibilior esset, quam sit in Adolescente, qui seculo* VII *educabatur in cœnobio Galliæ. Fidem quoque scriptoris minuit, quod* B *tanto tempore vixerit post ætatem Sancti.*

f *In alio Ms.* Supra montem. *Confudit hic scriptor duas similitudines Evangelii de lucerna supra candelabrum et civitate super montem posita, nisi forsan voces quædam exciderint. Omisit hæc Mabillonius.*

g *Ita Ms., quod sequimur. Apud Mabillonium et in alio Ms. sensus est imperfectus.*

CAPUT II.

Secessus in solitudinem : reditus ad monasterium : peregrinatio Parisios : miracula : diuturna infirmitas ac beatus obitus.

Amore latendi secedit in solitudinem : a

Præfato itaque tempore, cum jam dictus beatus Confessor votis esset martyr, quia non constat martyrium in sola gladii peremtione, sed etiam in proprii corporis mortificatione *a*, ac vitiorum, concupiscentiarumque crucifixione, non C credens sibi integrum præmium esse, si inter tantam multitudinem vitam duxisset; quia, ut jam diximus, et de propinquis et longinquis regionibus properabant ad eum, desertum locum expetiit, atque sub statu diu desiderato sese conclusit *; ita ut quicquid cibo *b* sumendum esset, propriis manibus elaboraret. Nulli fidelium habetur incognitum, Salvatorem omnium ad humani generis venisse exemplum, in hujus peregrinationis exilium. De ipso legitur in Evangelio, quia cum turbæ vellent eum rapere, et sibi regem facere, dimissa turba, fugerit in montem solus orare, ut suos doceret mundi gloriam declinare, et altitudinem patriæ cælestis appetere. Hoc ergo Christi famulus Medericus exemplo tumultuantes declinavit turbas, solitudinis amicæ desiderio, ut quodam modo secretum mereretur habere colloquium cum Domino. In miraculis etiam, quibus Christi virtute nitebat, omnimodis latere cupiebat, juxta Salvatoris exemplum, qui miraculorum suorum signa reticeri jubebat : non quod inde vanam gloriam, utpote sine peccato existens, incurrere timeret; sed ut formam suis daret voluntatem habere in miraculis latendi; D sed ob utilitatem aliorum aliquando proderentur inviti. Quia et ipsius miracula quo plus videbantur premi silentio, eo amplius proferebantur in publico. Unde cum summa gratiarum actione nobis recolendum est, quia quod in Capite omnium electorum præcessit, in membris quoque ipsius, cooperante ipso, successit : expedit enim ut capiti membra inhæreant *.

* *in alio* reclusit

b

* *al.* cohæreant

ut, petentibus monachis jubenteque episcopo, redit ad regimen suorum :

* *Mab.* absentia

11 Fratres autem ejusdem cœnobii, abscessu * Patris tristes effecti, per vastam eremum longe lateque eum perquiruut, ac crebra sollicitudine tandem inveniunt. Qui valde rogatus ab eis, ut ad pristinum remearet monasterium, dicentibus, eum petiorem coronam accepturum, si aliis vitæ præberet exemplum, quam sibi prodesset ob solius sui meritum; valde repudiavit, ac precibus eorum consultum præbere noluit. Unde factum est, ut beatum adirent episcopum, et perditi Patris flentes intimarent abscessum. Tunc præsul simul * cum illis beatum Medericum inquirens, secum reclusum reperit in eremum, sicque excommunicationis vinculo eum alligans *c*, perduxit ad monasterium: ubi tanta sanctitate post- E modum floruit, ut multis infirmitatibus medicinæ spiritualis impenderet salutem, cæcis reddendo * visum, surdis auditum, debilibus gressum : et omnes, quibus corporalem administrabat curam exterius, verbo salutis curabat interius. Sic gloriosus Confessor Domini vitam virtutibus divinis exornans, regimen ipsius loci recto tramite gubernans, qualiter ultimum diem clauserit, brevi stilo scribere curabimus

* *al.* simul *omittitur.*

c

* *in alio Ms.* redderet

peregrinatus Parisios, æger in Campellensi cœnobio subsistit,

d

12 Sanctus igitur Medericus Eduæ civitatis ordinatus sacerdos, compellente, vel potius exhortante Frodulfo *d* miræ sanctitatis viro, quem ipse sanctissimis manibus de sancto Lavacro susceperat, atque ad totius perfectionis culmen evexerat, dum proficisci voluisset causa orationis Parisium, infirmitate coactus accessit cœnobio *, quod nominatur Campellis *e*. Ibidem autem diu commorans, in infirmitate positus, ac Deo militans, religiose vixit, in orationibus, in jejuniis, et in frequentatione ecclesiæ, diu noctuque Deo vacans.

* *in alio Ms,* cænobium

e

F

Meloduni vinctos carcere liberat :

* *adde* loco, *ut in alio Ms.*

f

* *in alio Ms.* vinctos

13 Interea arduam potius vitam cupiens adipisci, cœpit * circumire, in quibus Domini misericordiam implorare potuisset. Venit ergo ad castellum Milidunum *f*, omnibus orationibus ibidem institutis, peractis, audivit carcerarios * reclusos in carcere : unde desiderans ad judicem venire, sub cujus ditione ibidem positi fuerant, eumdem non inveniens, oratione facta ad Dominum, ostiis apertis exilierunt, et salvi facti sunt. Nulli dubium, in auxilium Famulo Dei advenisse angelum, et carceratis præbuisse egressum; qui olim in actibus Apostolorum legitur aperuisse januas carceris, et Apostolicum inde eduxisse chorum. Hoc patefacto multis adstantibus, et Deo gratia referentibus, iterum reversus, venit ad præfatum cœnobium Campellis.

tendit Parisios, et vehiculum ejus trahunt indomita animalia:

* *adde* cum esset

14 Ibidem etiam diu commorans in eadem debilitate, jussit ædificari vehiculum, sollicitus unde trahi posset Parisium, causa orationis circumeundi, sicut superius retuli. Inde profectus *, obviam ei, audita fama ejus, venit multitudo hominum, offerens ei diversa munera, quæ non respuens accepit, distribuens omnia pauperibus. Inter cætera vero venerunt quidam mutuo cogitantes, et tractantes, ut obtulissent ei animalia, quæ ejus vehiculum traherent. Unde unus quidem obtulit vaccam unam domitam * simplici animo :

* *al.* vox *hæc omittitur.*

g

A animo : alii quasi irridentes, taurum indomitum, volentes probare, cum simul jungerentur, si opinio vera esset, quæ de illo dicebatur, si sponte * traherent illud * illa indomita animalia. Statim vero *, ut juncti fuerunt, sine bubulco (sicut de arca Domini legitur tempore captivitatis et reversionis ejus) volentes venerunt Parisium. Nec mirum, si creatura ancillabatur illi, qui toto cordis affectu obtemperabat Creatori. Tunc etenim bene quis præest inferiori, cum recte didicerit subesse potiori. Legimus enim eremi incolis, beato scilicet Antonio, et Paulo, atque aliis quamplurimis leones, ursosque, ac lupas famulatus obsequium nutu impertiri divino. Heliæ quoque corvi panem, et carnes mane deferebant; similiter et vesperi. Ipse nempe iu adminiculo famuli sui Mederici mansuescere fecit animalia, qui quondam ex silvarum feris, et volucribus cæli sibi obsecundantibus insolita præstitit solamina. Idem enim semper ipse est, eademque virtus temporibus extat modernis, quæ olim extitit in antiquis. Atque ad honorificentiam divinæ operationis * ultima respondent primis.

* al. forte
* aliud Ms. illum
* al. enim
* in alio Ms. Majestatis

patrat diversa miracula :

15 In medio autem itinere obviam beato Mederico venit quidam vir, Ursus nomine, febre nimia afflictus. Dumque ad illum accessisset, restitutus est sanitati. Hinc etiam venit quædam mu- B lier, nomine Benedicta, in infirmitate posita, et a dæmonio vexata. Eodem supplicante Domini misericordiam, sana facta est. In villa etiam Bouoilo *g* audiens duos fures retrusos in nervo a judice, eodem jubente de vinculo carceris sunt absoluti. Interea venturus Pontem Karantouis *h*, audivit quod quidam fur noctu furatus esset, et defecisset pontem, et ob hoc retrusus in carcere foret : autequam transiret, aperto carcere liberavit eum. Hæc pauca de miraculis sancti Viri sufficiant illis, qui plus in Sanctis recolunt interioris vitæ sanctitatem, quam exteriorem signorum operationem. Neque enim Sanctorum miracula sint in exemplum * trahenda, sed potius sanctitatis opera necessario imitanda. Sic quippe necesse est ut cogitemus, qualiter Sancti Dei hujus sæculi peregerunt cursum, quatinus consideremus, quomodo ex eorum imitatione sit nobis etiam peragendum, si ad eorum volumus pertingere consortium. Nec prodet Sanctos colere, et sanctitatem C spernere; quia] non Sancti ante sanctitatem, sed sanctitas ante Sanctos *.

g
h
* al. exempla
* Mab., ipsos

manet in suburbana S. Petri cellula, mortem prædicit :

16 His itaque supradictis sanctus vir Medericus peractis, venit ad suburbana Parisii urbis, in cellula, quæ sub nomine Petri *i* principis Apostolorum fuerat consecrata : in qua jam dicta infirmitate gravatus, Deo militavit duobus anuis, et mensibus novem; bene recolens Vir Dei, ejus se posse foveri tutamine, cujus ope ac merito claudus ex utero matris gressum meruit accipere *; Tabita quoque, ipso dexteram porrigente, post lethale funus ad vitales auras redire. Pulchre etiam in ejus ecclesia finem vitæ est sortitus, cujus exempla secutus, perpetuo est consortio aggregatus. Cumque isdem beatus Vir longæva gravatus ætate, seu infirmitate, finem vitæ carnalis * proximum adesse cerneret, Domino sibi crebrius dicente : Veni care meus, posside præparatum tibi locum a constitutione mundi, quia jam tempus est, ut laboris tui percipias * præmium, epulans cum fratribus tuis, simili labore certantibus, vocatis discipulis indicavit novissimum sui obitus diem.

i
* al. recipere
* Mab. carnis
* Mab. recipias

17 Ecce sanctus Medericus bonum certamen certans, fidelem cursum consummans, fidem rectam servans, repositam sibi coronam justitiæ a Judice justo audire, diemque sui obitus prænoscere meruit. Legitime certavit, ideoque æternæ beatitudinis præmia percepit. Bonam militiam militans probumque * posteris exemplum relinquens, quantam mereretur gloriam in cælis, in fine quoque suo ostendit in terris. Omnibus ergo, quæ ad tam sacratissimum exitum pertinebant, expletis, valedicens eis, inter verba orationis feliciter migravit ad Dominum, die quarto Kalendarum Septembrium, illi junctus in cælis, quem toto corde dilexit in terris, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et gloriatur * Deus in Trinitate perfecta, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

A. Anonymo.
ac pie moritur
* Mab. bonumque
* Mab. regna

ANNOTATA.

a *Hic pauca verba desunt apud Mabillonium. In alio Ms. legitur,* maceratione.

b *Id est, ad cibum sibi acquirendum.*

c *In alio Ms.,* Eum excommunicationis vinculo terrens : *quo sensu locus intelligendus. Porro locum, in quem secesserat Sanctus, illustrat Mabillonius in Observationibus præviis num.* 5 *sic scribens :* Post aliquot annos quam monasterium suum rexerat Vir sanctus, latendi desiderio secessit in desertum locum, tertio milliari ab urbe remotum, quem posteri Cellam * S. Mederici appellavere. De ea ista lusit Stephanus Ladoneus jam citatus pag. 183, præmisso hoc titulo : Ad S. Anianum, in cujus tutela pagus est, Cella vulgo cognominatus.

E
* la Celle

Non ego te tacitum linquam, sanctissime præsul
Aureliæ gentis, tua nec veneranda silebo,
Quæ tibi templa olim Medericus rite dicavit.
Ille ut opes fluxas, et quantum in rebus inane est,
Cognovit, dubito Æduaca discessit ab urbe,
Cœnobiumque potens, trino tria nuncupat uni
Vota Deo. Sibi deinde ducem elegere patremque
Unanimes socii : sed tantos odit honores
Insignis pietate Abbas, nec plura moratus
Cœnobio egreditur, rerumque relinquit habenas.
Tum demum in silvis, interque horrenda ferarum F
Lustra, diu vitam securam inglorius egit,
Atque humilis Cellæ congestum cespite culmen
Monte sub aërio deserti ad fluminis undam
Incoluit. Locus hic Mederici Cella vocatus
Amborum æternam servat per sæcula famam.

Addit his Mabillonius : Cella vicus positus est ad amnem quemdam, qui in Arotium * infra urbem influit.

* l'Arroux

d *Accipe de Frodulpho observationem Mabillonii :* S. Frodulphus, vulgo S. Frou, Flodulfe, festo solemni colitur die XXI Aprilis (olim XXII, qui dies est obitus) Parisiis in ecclesia S. Mederici, in qua cranium ejus cum duabus vertebris et costa adservatur : reliquæ partes habentur in opidulo quodam Burgundiæ, a quo non longe visitur parvum oratorium, ubi S. Frodulfus tumulatus fuisse memoratur. *Hæc in Operis supplemento ad* XXI *Aprilis latius deducenda sunt : nam S. Frodulfus Majoribus nostris fuit incognitus.*

e *Mabillonius in Observationibus præviis num.* 6, Duplex, *inquit,* per id temporis cœnobium erat

A. Anonymo. * le païs de Bese * la Brie

erat in Gallia, Campellæ nuncupatum; alterum in Burgundia, pago Atuariorum *, postea S. Leodegarii dictum; alterum in Briegio * tractu, haud procul a Miliduno oppido ad Sequanam, decimo miliari supra Lutetiam Parisiorum. *Hisce subdit notitias quasdam de priore, quod ad nos proprie non spectat : ac deinde de secundo sic prosequitur :* Aliud Campellense cœnobium Briegii tractus, S. Martino sacrum, in collegiatam ecclesiam mutavit, cui accessit opidum vulgo Champeaux, seu Chauseaux appellatum, habens in suburbano ecclesiam parochialem, quæ S. Mederici nomine, et quibusdam reliquiis illustratur. Nec dubium quin de posteriori loco intelligenda sit B. Mederici Vita : id quod probat tum illa parochialis ecclesia in ejus memoriam erecta, tum vicinia opidi Miliduni, ubi Vir sanctus reos carcere liberasse dicitur, istuc profectus, dum Campellis morabatur.

f Milidunum, Melun, opidum ad Sequanam fluvium, decimo miliari supra Lutetiam Parisiorum, *ait Mabillonius. Frequenter nunc vocatur* Melodunum, *in alio Ms.* Meledunum.

B g *Vicus est, vulgo* Boneil *appellatus, prope vicum mox memorandum.*

h *In alio Ms.* Careutoni, *apud Mabillonium* Carantonis. *Porro* Caranto *(Charenton)* vicus seu opidulum *est* ad confluentes Matronæ et Sequanæ, altero miliari supra Lutetiam Parisiorum, *ait Mabillonius. Notatur in tabulis Blavianis paulo supra confluentes Sequanæ et Matronæ cum ponte super Matronam, ibique etiam vocatur* Pont-Charenton : *quod nomen expressit biographus.*

i *Hunc locum explicat Mabillonius in Observationibus præviis num. 7 hisce verbis :* Cellulæ nomine veteres intelligebant exiguum oratorium seu monasteriolum, quod unus aut alter monachus aut clericus regebat. Quamquam cellulæ vocabulum passim tribuebatur iis dumtaxat locis, quæ ab origine monachis paruerant, quæ postea clericis concessa, retinebant primariam appellationem. Id generis erat cellula S. Petri, tunc temporis extra muros Parisiacæ urbis posita, cui Theodebertus sacerdos sæculo IX præpositus, transferendi seu levandi corporis S. Mederici Gazlino episcopo auctor fuit. Non ergo C ea ecclesia aut parochialis erat, aut canonicis attributa; sed monachorum cellula primum, dein titulus unius sacerdotis, quales simplices prioratus aut capellas vocant. Nunc vero insignis est ecclesia collegiata et parochialis, sub nomine S. Mederici Deo consecrata, urbis pomœrio inclusa.

CAPUT III.

Elevatio et Translatio corporis.

Corporis translatio : a b c

Anno autem Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo *a* octogesimo quarto studiosus Dei cultor, sacerdos memoratæ ecclesiæ, nomine Teodelbertus *b* adiit venerabilem Gozlinum abbatem, atque urbis Parisiacæ antistitem, suggessitque ei, qualiter tanto patrono Mederico digna debuisset exhiberi reverentia in sancto corpusculo. Congruum enim idem sacerdos locum præparaverat, ubi decentissime ponerentur *c* ejus membra sanctissima, a loco translata, ubi juxta maceriam jacebant. Audito igitur hoc, præfatus episcopus gaudio gavisus est, veniensque ipse ad locum, jam dicti sacerdotis gratiando factum conlaudavit, seque beniguum remuneratorem pro talibus repromittens, hoc opus benevole expleturum per se dixit. Adveniente igitur die depositionis sancti Mederici, supra jam taxato *d*, in qua præfatus sacerdos id facere disposuerat, sæpedictus episcopus variis regni utilitatibus occupatus, adesse minime potuit. Præcepit tamen, condigno illuc misso exenio, archidiaconibus suis, et omni collegio servorum Dei, tam monachorum, quam canonicorum Parisius, atque in circuitu commorantium, ut hoc negotium digno perficerent honore : quod illi studiose curarunt implere. Convenientes namque tam clerici, quamque omnis Parisiacæ urbis populus ad præfatam diem, cum omni religionis obsequio accesseruut ad sancta membra, sicut aurum et gemmas rutilantia, levaveruntque ea cum timore magno et tremore, atque cum decantatione hymni, Te Deum laudamus, et reliquorum hymnorum, psalmorumque decantationibus, omni populo magna cordis exultatione gaudente : et E deposuerunt ea in loco olim sibi, ut supra retulimus, præparato, ubi nunc pro nobis, ut credimus, Dominum exoraus, honore quiescit debito *e*. Nec dubitandum est, quia * quanto nobis vicinior est corpore, tanto erit proximior oratione : et quo amplius ei fuerimus devotiores piæ venerationis studio, eo amplius existet nobis, utpote vicinus, uberior in beneficiis, assidue pro nobis orando,

D — d — * — e — * Mab. quin

auctor docet Sanctos colendos, eorumque imitanda exempla : f

19 Hoc *f* tamen magnopere nobis est necessarium, ut, si Sanctos Dei veneramur, eorum limina frequentando, ac solemnitates annuo cursu recolendo, atque suffragia eorum deposcendo, actus quoque illorum imitemur, sobrie, et juste, et pie vivendo. Legimus enim Dominum dixisse prophetæ suo de populo pertinaci, et converti * ad se nolenti : Noli orare pro populo hoc, et ne adsumas pro eis laudem, orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Et rursum : Si Moyses, inquit, et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Hoc exemplo collegimus, quia neque sancti Mederici, neque aliorum Sanctorum pro nobis oratio quicquam apud Dominum valebit, si nos procaciter in peccatis perdurare contigerit. Aliud est F namque peccare per fragilitatem humanam, aliud permanere in peccatis per obdurationem diabolicam. Peccare enim humanum est, persistere in peccatis diabolicum; quia ab initio diabolus peccat. Clamat nobis apostolus Paulus, dicens; Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Imitemur ergo Sanctos, sicut illi imitati sunt Christum.

* Mab. convertere

exhortatio ad Sanctos imitandos, ebrietatemque

20 Ecce audivimus beatum Medericum reliquisse mundum, et Christum fuisse secutum, et humilitati, castitati, sobrietati, et reliquis bonorum fructibus operum fore deditum : cumque mundus in seipso floreret, in corde ejus jam aruerat. Nos igitur si exemplo ejus mundum non sumus idonei relinquere, sic teneamus ea, quæ sunt mundi, ut non teneamur a mundo : ut enim ait Apostolus Jacobus, Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituetur. Sit * ergo nobis res terrena in usu, æterna in desiderio. Utamur cibo et potu in necessitate, non in comessationis * ebrietatis superfluitate; sicut ipse Dominus præcepit : Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate : et Apostolus; Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est

* Mab. sint . . terrena
* Mab. comessationibus

A est luxuria. Salomon quoque ait, quia vinum ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber. Et vere coluber, qui veneno nimiæ potationis facit homines sine gressu, auditu, visu, tactu, et absque omni prorsus naturali sensu. Cumque in foveam luxuriæ, vel homicidii corruerint, excusationem prætendunt, dicentes; Suadente vino fecisse *, cum nullum crimen sit vini, sed culpa bibentis. Similiterque aufert ebrietas regnum Dei, sicut et fornicatio.

* *Mab.* se fecisse

21 Et quod adhuc pejus est, inebriantur homines in nominibus * Sanctorum; et cum debuissent illis debitam reverentiam exhibere, injuriam potius videntur inrogare; quia hoc faciunt bibuli in eorum nomine, quod illi numquam voluerunt facere; sed magis talia suis dictis et exemplis probantur damnare : sicut dicit quidam ex ipsis : Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Quocirca quamdiu degentes in corpore peregrinamur a Christo *, sequamur exempla Sanctorum bene vivendo, ut eis valeamus conjungi in cælesti regno, quorum merita veneB ramur in præsenti sæculo. Quia si compatimur, et conregnabimus. Si socii fuerimus passionis, erimus et consolationis. Si fuerimus participes in mandatorum obsequutione, erimus consortes in præmiorum perceptione, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum æterno Patre, et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

præsertim vitandum.

* *Mab.* in omnibus solemnitatibus

* *Mab.* Domino

A. Anonymo.

ANNOTATA.

a *Si recte in utroque Ms. nostro. Apud Mabillonium legitur,* nongentesimo octogesimo quarto. *At ipse nostram lectionem confirmat, dum ibidem observat sequentia :* Legendum, Octingentesimo octogesimo quarto. Nam Gozlinus, seu Gauzlinus, abbas monasteriorum sancti Dionysii et sancti Germani, simul et episcopus Parisiacus, obiit anno DCCCLXXXVII, Abboni laudatus in carmine de obsidione Parisiaca. *De Gozlino episcopo plura habet idem Mabillonius tom.* 3 *Annalium locis variis, et Sammarthani tom.* I *Galliæ Christianæ in catalogo archiepiscoporum Parisiensium.*

b *Apud Mabillonium vocatur* Theodebertus, *in alio Ms.* Theobertus.

c *Sic in utroque Ms. nostro. Apud Mabillonium vero* poueremus, *acsi auctor adfuisset translationi.*

d *Id est,* XXIX *Augusti.* E

e *Hic desinit Ms. Rubeæ-Vallis.*

f Nec *male legitur apud Mabillonium, ubi et voces quædam omissæ, uti frequenter alias.*

DE SANCTA VERONA VIRGINE

PROPE LOVANIUM IN BRABANTIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

De Cultu ejusque loco et Actis.

Seculo IX exeunte aut ineunte X. *Cultus Sanctæ ex Fastis sacris*

Memoriam S. Veronæ *virginis annuntiant martyrologi varii, non modo neoterici, sed aliqui etiam, qui illo vixerunt tempore, ut de ejus cultu abunde nobis constare possit. Reperitur imprimis in Usuardinis additamentis apud* C *Grevenum et Molanum ad* XXIX *Augusti. Eodem die annuntiatur in Florario nostro Ms. his verbis :* Apud Berchem *(Berthem)* villam Brabantiæ natale sanctæ Veronæ virginis. Hæc regia proles de stirpe Karolidarum procedens, ac patri in hæreditatem succedens, regnum humiliter rexit atque viriliter correxit, vitamque sanctissimam duxit. Quæ civitatem Moguntinam a dæmonio et ab igne malo quadam feria quarta liberavit, ac tandem mortua juxta Lovanium sine vectore vecta et sepulta fuit. *Elogium hoc ex Actis desumptum est, ac majori ex parte fabulosum, ut de Actis dicemus. In Fastis Coloniensibus apud Gelenium pag.* 718 *sic habetur ad eumdem diem :* Hodie etiam S. Veronæ, filiæ Ludovici regis Austrasiæ, fundatricis Verouhoviensis monasterii ad Rhenum.

aliisque ostenditur :

2 *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad eumdem diem magis declarat cultum* S. Veronæ, *ita scribens :* In territorio Lovaniensi natalis Veronæ virginis beatæ. Hæc quiescit inter Lovanium et Furam in ecclesia sanctæ Crucis, quæ modo dicitur ad sanctam Veronam, jam pridem in Cameracensi, nunc in Mechliniensi diœcesi. Natalem habet in die Decollationis Baptistæ, quem etiam in lacero Missali in Egenonis curia antiquissimis characteribus, sequentibus verbis notatum observavi : « Veronæ virginis beatæ in « ecclesia sanctæ Crucis. » Non est tamen, præter morem Gallicanæ ecclesiæ, ex humo elevata, sed in medio ecclesiæ sepulcrum Virginis frequentatur, et extra ecclesiam fons ejus contra fe- F bres potatur. Vide de ea Officium proprium in Lembecana S. Veroni fratris sui ecclesia, ubi a plebeis Veronica nominatur. *Hæc eadem fere Aubertus Miræus in Fastis Belgicis ad* XXIX *Augusti, addens tamen sequentia de Actis :* Ceterum Vita SS. Veroni et Veronæ, quæ in Rubra-Vale, et alibi Ms. exstat, minus authentica mihi videtur, ut supra die XXX Martii monui.

3 *Hac de causa Miræus abstinuit ab iis, quæ referuntur in Actis, uti et Molanus fere. Hic tamen ex Actis sumpsisse videtur, quod S. Veronum vocet fratrem* Veronæ. *Bucelinus in Menologio Benedictino longum Sanctæ texit elogium, quod partim ex Actis, partim aliunde videtur profluxisse. Hæc enim habet ad* XXIX *Augusti :* Apud urbem Lovanium, natales sanctæ Veronæ virginis sanctimonialis, filiæ Ludovici Germaniæ et Austrasiæ regis. Hæc Domini dominantium servitium exambiens, purpuram exuta, pauperemque Christi complexa vestem, cum permittente patre, cœnobium prope Rheni oram, quod ab ipsa deinceps Veronhutæ nomen retinuit, construxisset, illud ipsum ingressa, et sanctimonialis Deo

aliqui Monialem fuisse volunt, et regis filiam :

AUCTORE J. S.

Deo consecrata, ita pie et sancte conversationem suam instituit, ut post mortem Divorum catalogo adscripta, longe illustrior cucullo, quam purpura et diademate evaserit. Sacrum postea ejus corpus translatum ad monasterium sanctæ Crucis, inter Lovanium et Furam, digno nunc illic honore colitur, et mons prope Lovanium sanctæ Veronæ nomine appellatur, cujus memoriam insignibus miraculis Deus commendavit, fonte comprimis prope ecclesiam prodigioso, cujus aqua febribus mire medetur, et a peregrinis et ægris usque hodie frequentatur. *Wion in Ligno vitæ ad eumdem diem similiter scribit, filiam fuisse Ludovici Germaniæ regis, ac monialem in monasterio Veronhoute, corpusque translatum* ad monasterium sanctæ Crucis. *At pro monasterio sanctæ Crucis sacellum substituemus, nec inveniemus monasterium* Veronhoute, *quod forsan nullibi reperitur, ac demum probare non poterimus, aut monialem fuisse, aut filiam Ludovici regis.*

locus, in quo Sanctæ corpus quiescit, ipsaque colitur:

4 *Nunc, missis aliis martyrologiis, locum, in quo Sancta præcipue colitur, quique varie assignatus fuit, paullo distinctius exponam. Inter* B *vicos Berthem et Leefdael situm est sacellum* S. Veronæ, *quod olim dicebatur* basilica sanctæ Crucis, *una circiter leuca Belgica distans Lovanio Furam* * *versus, a qua æquali fere abest spatio. Papebrochius noster anno* 1656, *dum Lovanii sacræ theologiæ studebat, quædam de sacello, aliisque huc spectantibus ad Bollandum perscripsit, prout ea in ipso loco intellexerat. Verba ejus accipe:* Quoad cetera hæc scio,... nec S. Veronæ templum parochiale esse, sed Berthemiense S. Petro sacrum... Quod nunc S. Veronæ dicitur, sanctæ Crucis sacellum fuit : quo ipsa orandi gratia se recipiens, tumulandum atque in honore futuram se, cælitus intellexit : ac deinde a morte miraculose translata est : quæ, ceteraque Sanctæ vita in prædicto templo depicta visuntur. Qui modo pastoratu abdicavit se, novam reliquiis ejusdem Sanctæ ex ligno inaurato, et satis eleganter sculpto, thecam confici curavit, in eamque illas transtulit. Fons sacello adjacet, quem S. Veronen-born * dicunt, ab ipsa, ut aiunt, reficiendis duobus peregrinis siti deficientibus, post orationem fusam, ictu scipionis elicitus. *Hinc quoque habemus, Sanctæ corpus post Molani tempora elevatum, cum* C *reliquiæ in novam thecam translatæ sint circa medium seculi* XVII, *uti ex verbis Papebrochii colligitur.*

* ter Vueren

* i. e. Fons S. Veronæ

Acta prorsus fabulosa.

5 *Acta S. Veroni et* S. Veronæ *habemus ex codice Ms. Canonicorum Regularium Rubeæ-Vallis, atque eadem exstant apud Canonicos Regulares in Corsendonc, sed, ut notatur in duobus apographis nostris, Mss. hæc inter se collata non sunt*, quia omnino conveniebant. *Aliud habemus apographum, a parocho Berthemiensi acceptum, quod desumptum dicitur* ex veteribus scriptis, in Lembeke reservatis. *Porro hæc Acta suspecta habet Miræus, ut jam vidimus. Rationem ille allegat ad* XXX *Martii in S. Verono, cur et sibi displiceant, et Serario nostro, cui exemplar transmiserat, dum ita scribit :* Istud certe, quod inter cetera ibi legitur (S. Veronam Moguntiæ plurimum suo et posterorum ævo, ob liberatam a malo igne civitatem, innotuisse) per litteras mihi significavit Serarius, rerum Moguntinarum scriptor, numquam sibi, aliisve viris Moguntiæ eruditis, auditum fuisse, adeoque minus probari. *Idem de his Actis est judicium Henschenii nostri qui ad* XXX *Martii in S. Verono aliam affert rationem ex Olberto, qui miracula S. Veroni conscripsit. Quippe Olbertus num.* I *affirmat,* D *Vitam et genealogiam S. Veroni ignotam esse, de quibus tamen non pauca habent hæc Acta. Deinde certo falsum est, quod* S. Verona *regnum administraverit, heresque fuerit Ludovici-Bavariæ seu Germaniæ regis, ut ostendam in Annotatis. Ac demum omnia, quæ in hisce Actis leguntur, tam mirabilia sunt, modoque tam parum verisimili relata, ut pronum sit suspicari, pleraque fabulosa esse, aut certe fictitiis adjunctis exornata. Acta tamen edere statui, quia ex illorum cognitione facile colligetur, quam infirmo nitantur fundamento, quæ ex illis relata sunt a scriptoribus quibusdam neolericis.*

VITA

Auctore anonymo

Ex prima parte Hagiologii Brabantinorum Ms. in Rubea Valle. E

PRÆFATIO.

Cum venerabilium patrum Sanctarumque matrum gesta fortia sanctamque Vitam describimus, quid aliud volumus, nisi corda nostra excitare, ut Deo creatori nostro beniguis et humillimis precibus serviant, et in ejus servitio vigilent. Quod nobis præstare dignetur, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in æternum. Amen.

CAPUT I.

Natales Beatæ, et vita usque ad obitum parentum.

Natales Veroni et Veronæ, eorumque pia pueritia :

Post decessum domini Caroli Magni successit filius ejus Ludoicus mitis et humilis, cognomento Pius, sacrosanctæ Ecclesiæ amator, qui pater extitit trium *a* filiorum, quorum unus F Lotharius post obitum patris Italiæ cæsar mansit et Austriæ *b* : secundus Ludoicus vocabatur, cui pater Teuthoniam et Rhenum dedit, ipsumque regem Alemaniæ *c* constituit, tertius Carolus Calvus dicebatur, qui regnabat in Francia *d*. Post Dominicam Incarnationem DCCCXXXI anno Ludoico regi Teuthoniæ, in Alemania regnanti, Christianissimo principi nati sunt gemini *e* diversi sexus, unus masculus, altera puella fuit. Nomen filii appellatum fuit Veron, filiæ quoque Verona : qui Domino concedente bonæ fuerunt indolis, humiles, pudici, mites, benigni, prudentes, modesti, pii, largi et bonæ conversationis. Quid plura? Dum ad quintum decimum annum pervenerunt, perpensantes illud verbum Euangelicum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; non choreas, non amatoria carmina visitabant; sed limina templi, et Davidica carmina frequentabant.

ambo nuptias renuunt : Veronus autem fugit,

2 Præfati vero interim tota mente Deum diligebant, transitoria, vana, et mundanam gloriam annihilantes; et in hoc verbo Apostolico sensu

A su menteque hærentes : Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini. Cum autem hic felix partus ad ætatem sexti decimi anni pervenisset, ac pater utrumque ad Sacramentum matrimonii donare vellet, illi recoluut illud Apostolicum : Possideat unusquisque vas suum in sanctificatione et honore. Veron antem, qui patris voluntatem neglexit, propter immundiciam fugiendam et gloriam inanem, cor suum, quasi sanctificatum Dei templum, mundum et intactum habere voluit. Patre vero filium cogente, Veron, quasi fugitivus, regnum deseruit, et sceptrum despexit, omnes amicos suos latuit, excepta sancta virgine sorore sua Verona, quæ multum doluit de discessu fratris sui.

valedicens Sorori eique obitus sui signum se daturum spondens : f

3 Beata itaque Verona dixit fratri suo : O carissime ac fidelissime frater, quo es iturus? Videbone te amplius? Cui Veron dixit : Tibi, Soror, permanebunt regna *f* et sceptra, quid plus de me vis? Cui Virgo : Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini : tautum volo scire tuum reditum. Cui Veron : De reditu meo ab hinc non erit mentio, sed servire volo Creatori Domino, qui cun-B cta creavit ex nihilo. Ad hæc Virgo respondit : Si sic me demiseris orbatam, signum obitus tui, et in qua parte orbis fueris, mihi, care frater, trade. Cui Verou : Libenter tibi dabo signum, cum arbores hæ ceciderint, versus quam terram se posuerint, ibi mortuus *g* ero : et vale dicto recessit. Erant autem arbores grandes, et steterunt ante portam regis. Igitur beatissima virgo Verona iu palatio regis permansit, speciosa valde, oculis gratiosa, benigna in loquela, prudens et vigilans, et suum sacratissimum Deo habitaculum ab omni sorde custodiens, ac omni simplicitate plena, sicut in verbo Dominico intellexit : Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

nuptias recusat Verona : h

4 Tempore illo fuit quidam rex Hungariæ, nomine Courardus *h*, qui uuicum habebat filium, quem volebat beatissimæ Virgini iu matrimonium conjungere : quod consensit pater ejus. Sed præfata Virgo omnino despexit, dicens : Deum verum, unum in Trinitate et Trinitatem iu unitate adoro et colo, ac illi soli servio, et ipsum sponsum eligo : nullum volo alium. Amorem ejus servo : in Christo confido : omnes alios C negligo. Ad quam pater : Si virgo remanere cupis, quid de nostro regno *i* faciemus? Frater tuus fugit. Cui Virgo : Regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi. Pater vero videns constantiam Virginis, reuuit conjugium, ac dimisit beatissimam Virginem in sua virginitate perseverare.

dæmonem pellit :

5 Beatissima igitur Virgo constanter virginitatem servabat, limina templi visitabat, Dominum orabat, Deum amabat, omnia sua pauperibus erogabat. Quid plura? Contigit autem quadam die, quod quædam puella, matris suæ famula, a dæmone torqueretur, et ita horribiliter agitaretur, quod tota familia regia terreretur. Beata itaque Virgo hæc audiens, ivit ad illam. Dæmon autem videns sanctam Virginem, clamavit, dicens : Verona virgo sancta, recede a me, et discedam : nam tuus adventus me gravavit. Cui respondit Virgo : O immunde sathana, qualiter fuisti ausus ingredi aulam patris mei? Dæmon dixit : Veron frater tuus recessit, et tu, Virgo electa, dives es, et libenter dedissem consilium conjugii tui per hanc famulam tuam : sed viso adventu tuo, non potui. Cui Virgo : Recede velociter, et amplius ne redeas, nec domui, nec palatio, nec alicui homini noceas. Hoc dicto, recessit ille, quasi flamma et fumus. Videntes autem rex et servi ejus potentiam et sanctitatem Virginis, adoraverunt *k* eam. Quæ dixit : Verum Deum, quem colo, invoco et adoro, hunc adorare debetis. His, et his similibus miraculis beata Virgo claruit, Deum amavit, et electum sponsum suum Christum pura mente coluit.

A. Anonymo.

k

Moguntiam a dæmone et igne malo vexatam liberat.

6 Quadam die præfata Virgo Moguntinam civitatem ingressa est, et vidit totam civitatem a dæmone vexatam : et omnes malo igne accensi erant, et omnes primogeniti moriebantur. Tam crudelis plaga inter omnes Moguntinenses erat, quod nullus in tota civitate fuit, quin esset accensus vel defunctus. Veniebat ad prædictam civitatem Virgo Christi quadam feria quarta : et respiciens dolorem ejus, genua flexit, et dixit : O Christe Rex piissime, judex æquissime, conditor benignissime, rector egregie, multiplica super hanc civitatem et has tuas creaturas misericordiam et pietatem tuam, ut te rectore, te duce, sint ab omni vinculo diaboli enodati, recedant E quoque omnes insidiæ latentis inimici, omnis ignis spiritualis nequitiæ extinguatur. Hoc dicto, statim ignis ab omnibus extinctus est, et omnes sanati sunt : dæmones vero, qui eos vexaverunt iu aëre, omnibus visi sunt rugientes, et clamantes, Sancta Verona, quare nos torques? Precibus tuis sumus victi, civitatem tuis meritis servasti. His dictis, fugerunt. Cives vero dictæ villæ audientes verba dæmonum, adoraverunt sanctam Virginem, et illam noctem per annum illum qualibet septimana in honorem ejus celebraverunt, unde semper feria quarta dicta est Nox sanctæ Veronæ usque in hodiernum *l* diem.

ANNOTATA.

a *Cum historia Ludovici Pii imperatoris satis nota sit, solum observo ab omitti auctore unum e filiis Ludovici, Pipinum videlicet, cui pater Aquilaniæ regnum dedit, quando Lotharium secum imperatorem declaravit, et Ludovicum Bavariæ regem.*

b *Non Austriæ hodiernæ, sed illius partis Galliæ, quæ eo tempore* Austria *vel* Austrasia *vocabatur.* F

c *Ludovicum hunc alii Germaniæ regem vocant, alii Bavariæ. Daniel in Historia Franciæ initium regni ejus refert ad annum* 817.

d *In parte primum Galliarum, deinde in tota Francia.*

e *Hi gemini historicis prorsus sunt ignoti, licet regi Ludovico filii filiæque fuerint varii, quos vide apud Sammarthanos in Historia domus Franciæ tom.* I, *pag.*278 *editionis tertiæ. Raderus in Bavaria sancta tom.* 2 *pag.* 240 *vidit hanc difficultatem, et conjecturam suggerit, qua utcumque tolli posset, si nulla alia in Actis occurreret. Verba ejus accipe :* Mihi in his duobus Sanctis illud dumtaxat venit in mentem dubitare, an fuerint revera Ludovici regis Boiariæ, Pii filii, Caroli nepotis, filii, quod nulla horum in ejus Vita, nec in chartis et scriptoribus Francorum mentio sit. Wion hoc affirmat, mihi non ubique certus. Auctores prisci Ludovico Boiariæ regi tres assignant filios tantum, Carolomannum Boiariæ et Italiæ regem, Ludovicum Germaniæ et Boiariæ

A. ANONYMO. Boiariæ, et Carolum III imperatorem. Suspicari Veronum et Veronam naturales fuisse Ludovici, fortasse non improbum sit: nisi fuere Ludovici, nepotis Ludovici Pii, pronepotis Caroli Magni, quod non ausim affirmare. *Posset quidem prior ex his conjecturis apparere verisimilis, si Acta essent meliora, aut scriptores, qui idem affirmarunt, antiquiores: verum, cum Acta aperte fabulosa sint, non ausim affirmare Veronam fuisse sororem Veroni, nedum patrem illis fuisse Ludovicum Bavariæ regem, ejusve filium Ludovicum.*

f *Hæc aperte fictitia sunt, etiamsi crederemus Ludovici filium fuisse Veronum: neque enim Verona discessu Veroni ad regnum pervenire poterat, cum et alii superessent filii Ludovici, et aditus ad regnum feminis semper fuerit interclusus apud Francos.*

g *Hæc risu magis quam fide sunt digna.*

h *Fictitius plane est ille Hungarorum rex Conrardus, cum ne reges quidem seculo* IX *haberent Hungari.*

i *Ineptum rursus commentum, ut patet ex ante dictis.* B

k *Neque hæc hominis sunt sani aut sobrii.*

l *Cum nihil de his omnibus norint eruditi Moguntini, ut dictum in Commentario num.* 5, *fabulis annumeranda sunt, ut alia pleraque.*

CAPUT II.

Vita reliqua: mors et prodigiosa sepultura.

Parentibus orbata monasterium fundat: a

Interea Virginem præfatam parentibus mors orbavit: quæ, exequiis transactis, omnia sua pauperibus erogavit, nihilque nisi solummodo nomen reginæ obtinuit. In quodam loco juxta Rhenum cœnobium sanctismonalium constituit, quod vulgariter Veronhoute *a* dicitur, et ibi per mensem permansit.

mirabiliter intelligit mortem fratris sui,

8 Cum autem post spacium quinque annorum post suam orbationem Moguntiam visitasset, et ante suam aulam venisset, die pulcherrima, mirantibus cunctis, illæ magnæ arbores cum magno sonitu versus occidentem corruerunt. Quod C ænigma præfata Virgo intelligens, amare cœpit flere, dicens: Modo certissime scio, quod Veron frater meus mortuus est. Parate mihi curriculum, in quo ponetis duos boves et unum famulum: non plures volo.

cujus vult quærere sepulcrum:

9 Adeamus quærere tumulum dilecti fratris mei. Multi autem de hoc mirantes, dixerunt ad invicem: Quod modo possit Virgo sanctissima mortem fratris sui ita certissime scire? Ast ubi vellet eum quærere, dubitabant. Quod Virgo in spiritu intelligens, taliter respondit: O altitudo cæli, Rex regum et Domine dominantium, qui mirabilia magna solus, non meis meritis, sed tua sanctissima gratia, hæc me scire fecisti, adsis mihi, Domine, ut fratrem meum famulum tuum invenire merear, quem vagando quærere propono.

veniens ad sacellum sanctæ Crucis, docetur divinitus, ubi sepultus sit frater: b c

10 Interim currus Virginis paratus erat: et cum duobus bobus ac uno famulo recessit. Pervenit interea Virgo præfata in Lotharingiam *b*, pertransivit Rhenum et Mosam. Apud Trajectum *c* villam antiquam una nocte permansit. Facto autem mane, Brabantiam intravit juxta villam, quæ Lovanium appellatur. Cum autem villam pertransiret, haud longe venit in capellam *d* D quandam in honore sanctæ Crucis dedicatam, ad quam cum pervenisset, stantes erant boves quasi fixi, nec ulterius ire potuerunt. Quod sancta Virgo videns, dixit: Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et intravit ecclesiam, et ante Sanctam Crucem se prosternens, oravit, dicens: Salve Crux sancta, quæ in corpore Christi dedicata fuisti precium itineris mei, pax mea, salus mea, spes mea, et gloria mea, sis mihi in adjutorium, ut fratrem meum invenire merear et ad finem laboris mei pervenire. His dictis Virgo Christi obdormivit et audivit vocem de sancta Cruce ad se loquentem: O sponsa mea electa, ego te elegi caritate non ficta, locus, in quo jaces, erit tuus tumulus, villa hæc a te nomen accipiet et patrona ejus eris: surge et vade ad villam, quæ dicitur Lembeka: ibi fratris tui monumentum invenies, ipsoque invento ad patriam tuam reverte-re, donec adventus tuus ad me mihi visus fuerit expedire. His dictis, beata Virgo a somno excitatur, et laudem Deo reddens recessit. E

fontem e terra elicit: e

11 Interea duo peregrini de Alemania juxta villam sanctæ Crucis viderunt sanctam Virginem, et quæsierunt a famulo: Estne domina hæc Alemaniæ regina domina nostra Verona? Cui famulus? Est etenim. Domina, dixerunt, carissima regina, argentum et aurum non est nobiscum, sitim habemus magnam, quid faciemus? Tunc Virgo fixit baculum suum in terra, et dixit: Domine Jesu Christe, qui abscondisti hunc fontem a sapientibus et prudentibus, et revelasti eum parvulæ ancillæ tuæ: fac eum emanare, ut multi hic reficiantur in mei commemorationem. Et statim ibidem fons emanavit. Unde fons ille fons sanctæ Veronæ *e* dictus est usque in hodiernum diem.

pervenit Lembekam ad sepulcrum fratris sui: f

12 Post hæc Virgo currum suum ascendit, et bestiæ recesserunt usque ad villam, quæ dicitur Lembeka *f*, moxque in ejus ingressu omnes campanæ dictæ villæ sonuerunt, et omnes inhabitantes dictam villam exultaverunt, mirantes tamen, quare tam ingens gaudium habuerunt. Videntes vero Virginem sanctam ingredi templum, secuti sunt eam. Cum vero Virgo Dei templum intraret, odor suavissimus omnium aromatum, florum et rosarum in ecclesia redolebat, ex tumba sancti Veronis exiens, ut omnes infirmi, qui ibi venerunt, de diversis languoribus ex ipso olfactu sint sanati. Tumba vero sancti Veronis in adventu sanctæ Sororis suæ aperta est, F ita ut fratrem suum carnalibus oculis quasi viventem prospiceret: quæ flectens genua, dixit: Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui me direxisti ab initio, te jure collaudo, benedico et glorifico, quod servum tuum fratrem meum, pro quo laboravi, te duce inveni. Nunc video, quoniam tu laborem et dolorem consideras, tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. His dictis oravit Virgo super tumulum fratris sui per mensem. Quo finito, omnibus valedicto, tumbam clausit, et repatriavit.

inde ad regnum suum et ad monasterium redit:

13 Reversa igitur ad regnum suum, quod humiliter rexit et viriliter correxit, sanctissimam Vitam apud Veronhoute *h* duxit. In hoc cœnobio mansit per decem annos, postquam venit de tumulo fratris sui, ubi multa miracula fecit semper

A per iu oratione stabilis, in refectorio sobria, in dormitorio modica quasi monialis, et vitam sanctimonialium duxit in jejunando, vigilando, cantando, legendo, orando, abstinendo, et obediendo. Præterea Virgo Dei quinque monasteria virorum construxit, quæ regaliter dotavit.

monialibus valedicens et pallium suum relinquens,

14 Post finem decem annorum Virgo Dei, cognoscens adesse tempus mortis suæ, disposuit regnum suum nepotibus suis, dixitque monialibus suis : Volo visitare fratrem meum, sorores carissimæ, amplius non revertar : sed ubi Deus voluerit, ibi requiescam. Pallium meum vobis relinquo, quod in mei memoriam retinebitis. Quibus flentibus et dolentibus, acceperunt pallium sanctæ Verouæ, ac tenuerunt ipsum pro magnis reliquiis usque in hodierum diem : quod quinquies in anno populis ostenditur, scilicet in Nativitate Domini, in die Paschæ, in die Pentecostes, in die sanctissimæ Verouæ, et in dedicatione ecclesiæ *h* ipsius.

discedit Moguntiam : morbo corripitur et moritur :

15 Post hæc Virgo sancta licentiam petiit, regnum contempsit, iter arripuit, et omne regnum propter suum discessum mœstissimum reliquit. Ni- B hil secum tulit, nec famulos, nec famulas : sed sedebat super curriculum, quem duo boves pulcherrimi vehebant. Nulla alia consortia volebat, nec indigebat, sicque vale dicto recessit. Cum vero ad Moguntinensem civitatem pervenit, adeo magna febris eam iuvasit, quod ibi manere cogebatur, et cum singulis diebus languor ingravesceret, in die post perceptionem Dominicorum Sacramentorum petiit, ut post obitum suum in curru corpus poneretur, et recedere cum bobus permitteretur. Quibus voventibus, dixit : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. His dictis, spiritum exhalavit. O sancta Virgo, beata progenies, partus sanctissimus! nam omnia signa dictæ civitatis sonueruut siue aliquo adjutorio, omnes quoque infirmi de uuiversis languoribus, ipsa moriente, sanati sunt. Obiit sancta Virgo in civitate Moguutinensi *i* anno ab Incarnatione Domini DCCCLXX, IV Kalend. Sept., regnaute Domino uostro Jesu Christo, cui est hon.

Moguntini multis affecti malis, corpus dimittunt,

16 Post decessum beatæ Virginis episcopus et omnes populi sanctum corpus retinere nitebantur, sed nequaquam potuerunt. Invasit autem C tantus terror omnes Moguntiuenses, quod non fuerunt ausi loqui. Interea vexabantur diversis languoribus in tautum, quod omnes mirabantur : quia moriente ipsa omnes iufirmi sanati sunt, modo vero omnes infirmantur : nec tamen eam dimittere voluerunt. Insuper terræ motus magnus factus est, ita quod templum sancti Petri corruit, et omnes cives tautus horror invasit et dolor, ut omnes irent per villam flendo et ululando. Taudem consilio sapientum sanctum corpus in curru suo posuerunt, et vestibus sericis circumvolventes, illud bobus annexis iu pace dimiserunt. Quod cum fieret, omues campanæ sonueruut, et augelici cantus iu aere auditi sunt, cauentes : Veni electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivi speciem tuam : et hæc antiphona cantatur a Moguntinensibus *k* semper in festo dictæ Virginis : qui vestimenta ejus tenent pro magnis reliquiis, per quæ magna fiunt miracula : nam ibi infantes aborsi reviviscunt, leprosi mundantur, febri tantes curantur. Quid plura? Dominus tantam pro ejus meritis operatus est virtutem, quod omnes attingentes fimbriam vestimenti ejus ab omni morbo et dolore curantur.

17 Proinde sanctum corpus in curru jacens cum bobus recessit usque in villam, quæ vocatur Confluentia *l*, in qua omnes campanæ sine aliquo adjutorio sonuerunt : et mirantes cuncti sancto corpori obviam exierunt. Quædam matrona paralytica videns sanctum corpus, ad id cucurrit, et palpando vestimentum de serico, quo erat opertum, sanata est. Cæcus quidam, et claudus, et accensus ante portam sedentes, de odore dicti corporis sanati suut. Quid plura? Tanta miracula per eam Dominus facere dignatus est, ut vix referre valeat lingua carnis. Tandem venit ad villam sanctæ Crucis, quæ nunc dicitur Mons sanctæ *m* Veronæ : et cum animalia cum curru juxta atrium pervenerunt, fixæ permanserunt, et signa sonuerunt, mirantibus cunctis incolis, et vicini ad tam grande spectaculum convenerunt, sanctumque corpusculum de vehiculo detulerunt, et cum magna reverentia et honore in facie ecclesiæ sepelierunt. Eo tempore erat per totam Brabantiam fames iugens, sic quod multi homines fame perierunt, sed veniente sacro corpore tanta copia frugum venit, quod omnes mirabantur. Tantus concursus fuit ad sepulchrum beatæ Virginis et piæ Patronæ, quod in uno die dolium magnum oblationibus impleverunt. E

A. Anonymo. quod pervenit ad locum sepulturæ :

ad...aus desperatione et voluntaria morte liberatus.

18 Circa annum Domini M quidam custos, desperans præ nimia paupertate se suspendere desiderabat, et cum in ecclesia sanctæ Veronæ funem de campana arripiens laqueum præpararet, semper tamen, Saucta Verona adjuva me, clamabat. Venit quædam vox in aëre quasi nubes, quæ dixit : Miser expedias te : quid tardas? festina te; tua Veroua juvare te non potest : pauper es et pauper morieris. Ille fortius desperans, laqueum præparavit : sed semper hoc verbum ruminabat, Sancta Verona adjuva me. Cui vox respondit, ut prius : Festina te, miser, de tua inopia te nullus liberabit *n*. Cumque ille laqueum fecisset, statim affuit sancta Verona cum sancta Gertrude *o* a dextris, et sancta Gudila a sinistris, et statim nubes disparuit. Quæ dictum custodem consolatæ sunt, et in bono statu cum dimittentes, evanuerunt. Qui ad se ipsum reversus, recordabatur, quid sacratissima Virgo pro se fecerit, et gratias ageus Deo et beatissimæ Virgini, monasterium intravit, ubi in bonis operibus vitam finivit. F

ANNOTATA.

a *Hoc monasterium diligenter quidem quæsivi, at de eo non inveni, nisi vagas quasdam notitias, quæ me non omnino certum reddunt, an umquam exstiterit, aut etiamnum existat, cum illæ notitiæ ex hisce Actis oriri potuerint. Gabriel Bucelinus in Germania sacra part. 2, pag. 88 hæc scribit :* VERONHOFEN Benedictinæ professionis nobile virginum monasterium, quod sub annum Christi DCCCXC S. Verona condidit Ludovici regis Bavariæ filia. *Miror sane provinciam non indicari, in qua monasterium istud situm, si aliunde eam notitiam hausit Bucelinus. Nam, etiamsi in Menologio citato num. 3 in Commentario, ubi* Veronhute *nominat, istud collocet* prope Rheni oram, *vagam illam loci designationem ex his ipsis Actis haurire potuit, aut ab aliis accipere, qui illa ex Actis desumpserant. Nolim tamen hinc concludere, monasterium istud fictitium esse, cum et Fasti Colonienses et Wion in Commentario adducti idem referant, et Antonius Jepes in Chronico Generali Ordinis Benedictini ad annum* 908 *dictum*

A. ANONYMO. *dictum monasterium a* S. Verona *conditum affirmet; aliique hisce assentiantur. At mallem ista probari ex documentis melioribus et antiquioribus, ut hæc saltem pars Actorum non vacillaret.*

b *Lotharingia quidem latius olim extendebatur quam hodie, divisaque eral in superiorem seu hodiernam, et inferiorem, quæ ipsam etiam Brabantiam complectebatur, ita ut Moguntia discedere posset in Lotharingiam inferiorem, et sic in Brabantiam pervenire : at inferior Lotharingia trans Rhenum non erat, adeoque ille non erat transeundus, postquam perventum erat in Lotharingiam. Posset tamen utcumque excusari descriptio itineris minus accurata, sic iter ipsum esset credibile.*

c *Trajectum urbs est Brabantiæ ad Mosam satis nota. Distat Lovanio leucis Belgicis circiter quatuordecim.*

d *Sacellum Sanctæ Crucis descripsimus in Commentario num.* 4.

e *Fons ille hodieque frequentatur, et Virginis nomine vocatur, ut dictum in Comment. Addit traditio elicitum esse ictu scipionis* S. Veronæ,
B *quod facile credi potest. At malumus suspicari* S. Veronam *in eodem illo loco, aut in ejus vicinia piam ac solitariam vitam egisse, quam eo fuisse tali itinere, quale describitur, delatam. Nam quod Reginam vocet Alemanniæ, magis aperte* D
falsum est, quam ut amplius refutari debeat.

f Lembeka, *vulgo* Lembeke, *vicus est in confiniis Brabantiæ et Hannoniæ, ubi colitur S. Veronus.*

g *Hic et monialem et reginam facit auctor, nescius verisimilia fingere.*

h *Quid nisi figmentum auctoris et hoc esse suspicer, cum nullibi pallium istud appareat?*

i *Neque id verisimile est, licet neoterici aliqui idem scripserint.*

k *Fictitia hæc omnia, et ab omni specie veri aliena. Terræ motus tamen Moguntiæ varii fuerunt seculo* IX, *ut videre est apud Serarium nostrum in Moguntiacis. Pro tempore mortis Wion designat annum* 908, *at fine fundamento, opinor.*

l *Confluentia urbs est satis nota ad Rheni et Mosellæ confluentes in ditione electoris Trevirensis, ac vulgo* Coblentz *dicitur.*

m *De loco actum est in Comment. Sacrum corpus ibidem quiescere certum est : at non credimus istud eo modo illuc delatum, quod id factum narrat hic fabulator omni fide indignus.*

n *Dæmoniacam vocem dicerem, si constaret de facto ipso.*

o *Actum est de S. Gertrude ad* 17 *Martii, de S. Gudila ad* 8 *Januarii.* E

DE BEATO ANTONIO RIPOLANO MARTYRE

EX ORDINE FF. PRÆDICATORUM

TUNETI IN AFRICA,

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Beati Tirocinium sub S. Antonino, hujus de illo vaticinium; ejusdem Sancti meritis Beati conversio adscripta; translatio corporis; cultus.

C F

ANNO MCDLX. *Beatus Tuneti egregio martyrio functus:*

Tunetum (*al.* Tunis *et* Tunes *dictum) notissima Africæ urbs, regnique Tunetani ab ea dicti caput, præclarissimum posteris exemplum præbuit heroïcæ fortitudinis in* B. Antonio, *qui ibidem fuso sangine pro Christiana fide ad Superos migravit.* Ripulæ *autem, natalis locus hujus Martyris (ut dicetur inter miracula cap.* I, *num.* 8) *et quo sacrum ejus corpus postea translatum fuit, cultuque ac miraculis potissimum claruit, vulgo* Rivoli, *apud Baudrandum sic describuntur :* Oppidum Italiæ in Pedemoutio, cum castro superbo in colle sito, 8 milliaribus a Tauriuo iu occasum, Segusionem versus, prope Doriam fluvium : hinc forsan dicitur ad Octavum, supple lapidem. *Huic locorum duorum notitiæ subdo rationem, cur hic Beatus ab alio die ad hunc dilatus fuerit. Papebrochius noster inter alia, quæ de illo a se scripta nobis reliquit,* Ob hanc, *ait*, informationem *(quam sub nomine notitiarum Ripolensium postea allegabimus num.* 10) huc translatus est Antonius a die Maii, ubi mere per accidens erat a me positus, quia ejus fueram in Aprili oblitus. *Ita ille pro suo candore. Sed felix illa fuit oblivio, tum quia eum dedisset die non suo, tum quia alia de illo postea accepit documenta. Porro nomini ejus* Antonio *aliud adjectum lego. Nam in instrumento Baldesaniano miraculorum postea memorando vocatur* Antonius Molinerius. *Vide etiam inter miracula cap.* I, *num.* 8. *Post ecgraphum autem nostrum Fr. Constantii, de quo pluribus infra, subditur* de præfato B. F. Antonio Neyroto *(quantum lego)...* exastichon *carmen*, *quod deinde dabimus.*

2 *De parentibus* B. Antonii, *anno natali, ac de vita in seculo acta, nihil in promptu habeo, quod scribam. Illustrissimus Joannes Lopez, episcopus Monopolitanus, in Historia Prædicatorum parte* 3, *lib.* 2, *cap.* 63 *indicat eum in Conventu S. Marci Florentiæ, cujus Prior erat S. Antoninus, vestitum habitu religioso, sed ab ipsis tirocinii primordiis magna laborasse inconstantia, indeque profectum esse in Siciliam, consulto eodem sancto Priore, qui frustra eum abducere satagebat* *ejus inconstantia post ingressum Ordinis S. Antonini prædictio.*

A *tagebat ab istis cogitationibus, eumque præmonebat non sine cœlesti revelatione, prout addit idem auctor, si navem conscenderet, de periculo terribili animæ et corporis. Hanc inconstantiam alia pessima subsecuta est, quando Tuneti* Antonius *noster simul cum religioso vestitu fidem Christi exuit, Mahometicam sectam professus. Sed Deus, qui non vult mortem peccatoris, oculis misericordiæ filium prodigum respexit, ac gratia singulari roboravit, ut constantia heroïca crudele martyrium pro orthodoxa fide subiret.*

cujus meritis adscribitur

3 *Mira vero ista beati Viri conversio adscribitur S. Antonini archiepiscopi Florentini meritis, quondam Prioris ejus, ut indicabam, Florentiæ, cujus Acta illustravimus ad diem 2 Maii : ubi inter Analecta ex summario Processuum impresso num. 43, pag. 344 scribuntur ista de laudato S. Antonino, qui ibi et alibi* Antoninus *vocatur.** Frater Bartholomæus de Cavalcautibus de Florentia.. dicit *ista :* Cum recepisset ad religionis habitum Antonius, tunc Prior S. Marci, quemdam Pedemontanum, cui etiam nomen suum indiderat : qui receptus, post aliquod tempus, ad B partes infidelium Africanas cum pervenisset, apud Tunetum barbarorum abnegavit Catholicam fidem. Postmodum audita in conspectu Domini præsulis Antonii pretiosa morte, et qualiter miraculis coruscasset ; apparente etiam illi, juxta quorumdam relationem, B. Antonio, ipsumque fortiter super tam gravi peccato redarguente ; motus ille intus atque compunctus, ac fervore fidei caritate formatæ accensus, sequenti die in publicum prodiens, ubi abnegaverat, iterum publice Christum et fidem ejus constantissime professus fuit, ac revocavit penitus abnegationem illam, mortem non timens, et amicitiam regis, quam contraxerat, et omnes mundanas prosperitates, quibus eum prosequi jam cœperat, et in posterum majores pollicitas contemnens ; iniqui regis impio jussu a Mauris Saracenis, indignantibus et in eum lapidibus irruentibus, orans et in Christi confessione persistens, occisus gloriosum martyrium cum summa constantia consummavit. Cujus corpus etiam in cloaca fuit a Jesu Christo mirabiliter conservatum, et a Januensibus fidelibus inde Januam translatum.

mira Antonii conversio

C 4 De hoc facto, martyrio et miraculis D. Franciscus Castilionensis historiam scripsit, latius omnia continentem. Et Michael Christophorus ann. LXXXII testificatur hoc habuisse a Fr. Baptista, seniore Ord. Prædicatorum, qui ab ipso Antonio tunc priore S. Marci, simul cum prædicto martyrizato, Religionis habitum susceperat. Et Fr. Jacobus Siculus d. Ordinis ann. LXIV idem dicit, et quia vidit martyrii locum, et intellexit historiam. *F. Bartholomæus, qui sic videtur referre S. Antonini apparitionem, et conversionem* Antonii, *quasi hæc ab illa non fuisset remota nisi unius noctis intervallo, non recte rem narrat, sicut planum fiet ex dicendis* § 2. *Papebrochius præter hanc historiam a Francisco descriptam, profert e dicto summario* testem XIV primi examinis, anno MDXVI instituti, *his verbis* : Michaël Christophori, annorum LXXXII testificatur, hoc habuisse a Fr. Baptista, seniore Ordinis Prædicatorum, qui ab ipso Antonio, tunc Priore S. Marci, simul cum prædicto martyrizato Religionis habitum susceperat. *Deinde allegans examen tertium*, de quo, *ait*, anno MDXIX Romæ facta relatio, *refert ista* : F. Jacobus Siculus d. Ordinis, annorum LXIV, testis primus, idem dicit, et quia vidit martyrii locum, et intellexit historiam. Et testis II, annorum LIV, Fr. Robertus Florentinus dicit idem audivisse a Fr. Baptista prædicto, et deinde legisse in historia D. Francisci prædicti.

AUCTORE J. P.

post apostasiam : translatio corporis

5 *Quæ spectant ad Beati apostasiam, pœnitentiam, martyrium ac sepulturam, narrabimus infra ex Fratris Constantii, testis omni exceptione majoris, relatione : e qua etiam discimus, hunc Christi Pugilem sanctum fuisse in veneratione Tuneti post mortem suam, scribente eodem Constantio* : Hactenus quatuor Christiani, omni digni fide, testati sunt, quod, dum universis variisque oneribus morborum laborarent, et se eidem fidelissimo Christi Militi devoti commendarent, facti sunt statim incolumes. *Divinæ autem providentiæ visum est, alium Martyri suo dare locum. Nam, sicut observat Papebrochius in notitiis, quas nobis reliquit sua manu scriptas de hoc Beato, et quas intellectas volumus, quoties infra citabimus Papebrochium, ut semel hoc dicamus ; Papebrochius, inquam, observat ista :* Mansit in Africa sepulcri honor . . ; verum hoc statim ac cœpit miraculis clarescere, non existi- E mantibus tutum Christianis thesaurum istum servare sub oculis barbarorum, translatum corpus Genuam est, et exigui, quo in Africa illud detentum est, temporis nullam habitam rationem vidimus in Processu S. Antonini, aut in diplomate, quo B. Amedeus Sabaudiæ dux indicat translationem ejus secundam ad suas ditiones faciendam. *Duplex apud nos est ejusdem translationis apographum; alterum a Baldesano descriptum; alterum postea submissum, quod notitiis Ripolensibus annumero. Hoc typis subdimus, ita tamen ut varias lectiones prioris non simus omnino neglecturi. Sic itaque sonat :*

annuente Amedeo Sabaudiæ Duce,

6 Amedeus Dux Sabaudiæ etc. Cum quadam singulari affectione illo noviter desuper misso fulgenti radio afficiamur, B. Antonio de Ripolis Ordinis fratrum Prædicatorum, e nostra ditione qui traxit originem, cujus corpus post dira ab infidelibus a [decennio *] citra pro Christi fide illata * reconditum jacuit in Conventu dicti sui Ordinis Januensi, quod in præsentiarum ad nostri * singulares preces ab hinc ad Conventum Ripolarum diœcesis Taurinensis transferri per Priorem et fratres dicti Ripolarum Conventus rogavimus; universis igitur et singulis officiariis, fi- F delibus stipendiariis, et subditis nostris mediatis et immediatis ubilibet constitutis, ad quos præsentes fuerint exhibitæ, ipsorumque locum-tenentibus, cuilibet in solidum strictissime * præcipimus et mandamus sub pœnis indignationis nostræ et centum marcharum argenti.

* *in hoc Ms. vitiose centesimo*
* *f. adden.* supplicia
* *sic et alibi :* f nostras.
* *al.* districte

cujus diploma datur :

7 Ceteros autem officiarios, et alios quoscumque nobis non subditos affectu singulari rogamus, [quatenus] sanctum. * corpus ipsum per ditionis nostræ loca etiam et nobis non subdita libere *, honorabiliterque et decenter transferri permittant, quemadmodum Sanctos decet, opem, auxilium, favorem et reverentiam præstantes, nullumque obstaculum *, impedimentum, aut quodvis aliud, quod absit, præpeditum * seu mali machinationem quovis inferentes modo, cunctos et singulos prælatos, et alios ecclesiasticos affective rogantes, ut litteris nostris fidem adhibeant, et Deum in Sanctis suis honorantes, id ipsum corpus honorifice recipiant, recipique permittant, et libere transferre * ad locum usque * sibi in Ripolensi suo conventu destinatum : quod et singulare ob hoc nobis præstitum obsequium putabimus, et oppositum facientes,

* *al. non additur* sanctum
* *al. non additur* libere
* *al.* transferri permittant, obstaculum
* *al.* præpeditum
* *al.* transferri
* *al. non add.* usque

AUCTORE J. P.

tes, quasi nobis factam injuriam puniendos censebimus, et Dei et Sancti vindictam [in illos] haud dubitabimus. Datum Avilianæ die XII Augusti MCDLXVIII. Lamberti.

nonnullæ

8 *Nomen hoc non invenio in alio nostro apographo; sed post annum* 1469, *qui ibidem, ut mox dicetur, correctionis gratia ponitur pro anno* 1468, *uti habet allatum diploma; post hunc, inquam, annum adduntur ista :* Præsentibus Joanne episcopo Lausanensi cancellario Sabaudiæ, et aliis. *Porro diploma Amedei Sabaudiæ ducis contuli cum alio exemplari ex Baldesano, de quo inferius, et ex hoc apographo transtuli non pauca in aliud, quod recitabam, uncinis tamen [ ] inclusa. Papebrochius antea indicatus vidit difficultatem in dicto mox anno* 1468, *et ad apographum Baldesanum notata reliquit sequentia :* Si inter hunc Joannem et Guilielmum, anno MCDLXVII vita functum, mediavit Rudolphus juxta catalogum Sammarthanorum, brevis admodum fuit Rudolphi episcopatus : error tamen calami fuisse videtur, quo in charta Baldesani notabatur hoc diploma anno MCDLXVIII; cum B decennium initio indicatum non nisi per annum MCDLXIX possit verificari, nec probabile sit inter diem promulgatæ et factæ translationis integrum annum intercessisse.

ut illud observationes.

9 Primum autem.. miraculorum *(quod producetur inferius apud nos)* ita describitur factum Cherii decimo post corporis adventum die, ut in margine notaverit Baldesanus annum MCDLXIX. Quod vero Sammarthani aiunt dictum Joannem anno MCDLXXIV fuisse Cardinalem S. Petri ad Vincula, non consistit cum Ciaconio, qui hunc titulum dat Juliano Cardinali Roboreo, nec ullius Joannis Lausanensis episcopi meminit inter illius temporis Cardinales. *Ceterum Amedeus, cujus pio admodum ac religioso desiderio sacri corporis translatio ista contigit, est nonus inter alios synonymos, morum integritate et vitæ sanctitate spectabilior quam dominatu terreno. De Actis ejus, cultu et miraculis tractavimus ad diem* XXX *Martii.*

Beati cultus.

10 *Hanc vero corporis* B. Antonii *translationem reddidit celebriorem publicus ipsius cultus in Pedemontio, quem discimus e notitiis Ripolensi- C bus ad Papebrochium missis, quæ ex Italico ita sonant :* Corpus ejus est supra altare sacelli ipsius in tumba marmorea. Festum ejus celebratur XXIX Augusti : cantatur Missa, et sæpe dicuntur Missæ votivæ ad istud altare : sed non Missa nec Officium de ipso; quod hactenus permissum non est, nec usus obtinet. *In dictis tamen notitiis indicatur, id non obstare, quo minus erga Beatum pia sit affectio. Et mox adduntur ista :* Antequam sacellum restauraretur, totum erat circumdatum anathematibus, cera, et spoliis infirmorum, qui favores a Beato acceperant, atque etiam tabellulis; sed omnia per antiquitatem corrupta. Ibidem etiam sunt in præsentia tabellulæ aliquæ depictæ etc. *Quibus adde, quæ in antecessum diximus num.* 5. *His publici cultus testificationibus inductus fuit Papebrochius, ut a die* 2 *Maii Beatum differret ad hunc diem. Per* spolia infirmorum *intelligo instrumenta, quibus infirmi utuntur ad supplenda utcumque miseriarum suarum incommoda, quæque Sanctorum altaribus, tamquam gratiarum a suis sospitatoribus obtentarum testimonia appendere solent, qualia sunt fulcra subalaria vel alia ejusdem vel diversi generis. Ex supra dictis conficimus, in cultu beati Martyris hic esse casum exceptum a decreto Urbani Papæ VIII per tempus immemorabile seu* D *satis diuturnum ac legitimum ante idem decretum, ac proinde eum a nobis inseri posse Operi nostro inter alios præsentis diei cœlicolas. Publicam quoque Beati venerationem ac salutarem invocationem patrocinii ejus corroborant miracula, quæ subnectemus post Martyrium ejus.*

§ II. Scriptores, qui de hoc Martyre tractarunt; ejusdem martyrii chronotaxis; Ms. authenticum passionis et miraculorum.

Primus martyrii scriptor,

Primus inter illos atque irrefragabilis auctoritatis scriptor est Frater Constantius ex Ordine eremitarum S. Hieronymi, oculatus videlicet rerum gestarum testis, Beati familiaris ac adjutor etc., ut pluribus declarat in ejusdem Martyrio, quod in epistola, de qua inferius, descri- E *psit. Asservatum illud inveni inter alias notitias Taurinenses, et hoc titulo prænotatum :* Divi ac invictissimi militis Christi beati Antonii de Ripolis, sacri Ordinis Prædicatorum, gloriosum certamen, ac insigne martyrium feliciter incipit. *Et mox sequuntur ista :* In Tunisio die vigesimo Aprilis, millesimo quatercentesimo sexagesimo extitit tractatus de martyrio cujusdam R. P. F. Antonii de Ripolis, Ordinis Prædicatorum, editus per Fr. Constantium Heremitarum sanctissimi Hyeronimi de monasterio S. Raphaëlis de Venetiis. *In epistola vero, quæ hisce subjungitur, ad FF. Prædicatores potissimum scripta, expo-* B. Antonii *martyrium ipsemet* Frater Constantius de Insula Capri, Heremitarum societatis Fr. Petri de Pisiis*, ad præsens captivus regis Tunici. *Hæc ille de sc. S. Petrum Pisanum, fundatorem pauperum eremitarum S. Hieronymi, dedimus tomo* III *Junii, die* XVII *ejusdem mensis, pag.* 531 *et sequentibus. Consuli etiam possunt, quæ de eodem Sancto, ejusque congregatione ac monasteriis collegit e variis auctoribus Hippolytus Elyot tomo* 4 *Historiæ Ordinum monasticorum, religiosorum* F *ac militarium cap.* 1.

* *l.* Pisis

ejusque patria et auctoritas :

12 *Vocabat se laudatus Constantius* de Insula Capri, *secundum apographum nostrum, per quæ intelligo natale ejus solum seu patriam.* Capreæ, *uti habet Baudrandus,* insula Italiæ, Campaniæ adjacens.., CAPRI hodie incolis vulgo,.. insula regni Neapolitani, in mari Thyrreno. *Plura scribit Ughellus tomo* 7 *Italiæ sacræ a columna* 351 *prioris editionis. Quæ porro Frater Constantius commemorat in dicta epistola de certamine ac morte* B. Antonii, *summa cum fide commemorat, ita ut in eadem non tam sit quærenda veritas, quam sponte se offerat, atque statim incurrat, ut ita dicam, in oculos lectoris. Cur autem patriæ istius auctoris modo notatæ addiderim* secundum apographum nostrum, *statim patebit.*

ex hoc prompsit

13 *Aliud exemplar apud nos est* ex Ms. Florentino conventus S. Marci, *hoc titulo :* Vita et Martyrium B. Antonii de Pede montium Ordinis Prædicatorum, qui fuit receptus ad Ordinem per sanctum virum Antoninum postea episcopum Florentinum, martyrio coronatus de anno Domini MCDLIX *(immo* 1460, *ut postea ostendetur.) Scriptor nomen suum ante Prologum exprimit his verbis :* Reverendissimo domino Jacobo Cardinali

A nali Papiensi Franciscus Castilonensis * presbyter S. P. D. *Ex præfato autem Prologo delibo in rem nostram hæc pauca :* Lege igitur hoc novum martyrium, magnæ virtutis exemplar, quod leni stylo ac currenti calamo exercitationis caussa ἐπεξῆλθον *. Sumpsi autem id ex longiori epistola cujusdam Fratris Constantii Cyprii, qui huic rei enarratæ præsens et inspector adfuit. Quam enarrationem ille una cum gravissimorum testium fide et attestatione verissimam esse attestabatur. Hoc autem feci, ut brevior lucidiorque esset oratio. Sed vide, quanta fuerit archiepiscopi Antonii virtus et gratia post obitum, quæ tantum mereretur apud Dominum, ut hominem impietate et scelere deperditum ad pœnitentiam revocarit. Tantum enim valuit illarum sanctarum manuum impositio, ut non possit malo exitu claudi, quod tam sancto principio cœptum fuerat. . Vale.

al. Castilionensis — * *i. e. enarravi*

suam narrationem

14 *Observa primo :* Jacobus Amatus Cardinalis Papiensis dictus ab episcopatu, idem ad quem Pius II, qui ipsum familia et civitate Senensi donarat, assumptus fuerat anno MCDLX, mox anno sequenti donatus purpura cum titulo B presbyterali S. Chrysogoni, obiit MCDLXXIX, *ex Papebrochio. Secundo :* Frater Constantius, *qui supra dicebatur in nostro Ms.* de insula Capri, *hic vocatur* Cyprius. *Et in narratione martyrii dicit Castilionensis :* Frater Constantius, ab insula Cypri oriundus. *Utrum sit verius, non constat certo ; etiamsi negare non possim, illud exemplar, quod antea assignabam, plurimis mendis respersum fuisse. An vero etiam mendose hic scribat* de insula Capri *pro* de insula Cypri, *non est mihi satis exploratum. Est autem* Cyprus *notissima Asiæ insula in mari Mediterraneo. Apud nos quoque est Ms.* epistola Cardinalis Papiensis ad Franciscum Castilionensem presbyterum, commendantis martyrium Antonianum, et hortantis ad veteres Martyrum historias digniori stylo reparandas. *Hic titulus est, qui eidem epistolæ præmittitur. Ejusdem autem contextus sic incipit :* Antonianum martyrium, quod misisti ad me, magna dulcedine sensus omnes complevit : eteuim grande est et mirabile, et his tepentibus seculis inauditum.

Franciscus Castilionensis, ... et alia

15 Refertur etiam a te eo genere orationis, ut non majori fide tormenta illa subierit, quam C tu spiritu expresseris. Fecisti rem consentaneam sacerdoti, placitam Deo, et quæ nobis exemplo esse possit, si non ad eadem suscipienda, saltem at toleranda patientius, quæ contra carnem nos premunt.. Hortor, capessas alia, neque hic finem industriæ facias *etc. Signatur* Romæ ad XXV Januarii MCDLXIX. *Habemus etiam aliam epistolam laudati Francisci ad eumdem Cardinalem,* in qua, *sicut prænotatur,* pulchre se eximit ab injuncto Martyrum opere. *His addi potest alia, quam præ manibus habeo, hoc titulo :* Hieronymus abbas S. Floræ Aretinæ *(Vide Lubinum in Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 26) Francisco suo Castilionensi presbytero S. D. *Sequitur hoc epistolæ argumentum in nostro exemplari :* Commendat Antonianum martyrium. Tres *istæ* epistolæ.. post hanc, *de qua agebam,* Castilionei epitomen sequebantur, *uti colligo ex Papebrochio. Tertio : Alia idem Franciscus de Sanctis scripsit: nam tomo* I *Aprilis nostri, die* V *ejusdem mensis, pag.* 478 *lego, Majores nostros reperisse in conventus S. Marci Florentiæ* codice Vitam S. Vincentii *(Ferrerii)* anno MCDLXX editam per dominum Franciscum Castilionensem presbyterum, sacræ theologiæ doctorem, et in litteris Græcis atque Latinis sui temporis eruditissimum, canonicum S. Laurentii Florentini, et plebanum S. Appiani.

AUCTORE J. P.

16 *Et ibidem a nobis adduntur ista :* Qui anno MCDLXXI conscripsit Vitam S. Petri martyris, ac proxime sequenti Vitam S. Thomæ Aquinatis. *Papebrochius adjungit hisce Francisci lucubrationibus Vitas* S. Marci Papæ, Christophori archiepiscopi Buroniensis, *et* Orlandi archiepiscopi Florentini post S. Antoninum. *Vitam seu potius Martyrium* B. Antonii *Ripolensis, a sæpe dicto Francisco conscriptum, Leander Albertus, qui floruit seculo decimo sexto, inseruit suo Operi de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum libro* 2 *in fine, sed omisso Prologo,* et nos, *inquit Papebrochius ,* insuper vidimus manuscriptam, sed absque Prologo, Mediolani in tomo I Ambrosii Taëgii de Insigniis d. Ordinis fol. 220. *Fuit Ordinis Prædicatorum, vixitque seculo* 16. *Habemus miracula e documentis authenticis, hoc titulo prænotatis :* Aliqua miracula B. Antonii de Ripolis. *Hæc dabimus post Beati Martyrium. Aliud præterea Ms. in manibus habeo, quod continet* miracula a R. D. Guilielmo Baldesano E eruta, ex charta ejus manu scripta. *Fuit is canonicus et theologus metropolitanæ Taurinensis, teste Papebrochio,* a cujus erudito calamo Historiam S. Mauritii et Legionis Thebææ habemus. *Scriptum vero ejus, quod venerat in manus Papebrochii, hoc fuisse exordio addit :* Fr. Constantius Cyprius, Ordinis Eremitarum D. Hieronymi, monachus S. Raphaëlis de Venetiis scripsit martyrium D. Antonii Mulinerii de Rippolis Domini-cani.

scripsit : hunc secutus Leander Albertus.

17 *Auctores varii, qui post Fr. Constantium de hoc Beato scripserunt, lapsi sunt in chronologicos errores. Hujus primum referemus chronotaxim, deinde autem parachronismos illorum ex eo ostendemus.* Captus *est Beatus...* secundo die mensis Augusti MCDLVIII : nono vero ejusdem mensis die idem et reliqui... capti ingressi sunt urbem *Tunetanam, ex cap.* 1 *apud nos num.* 2. *Deinde acciderunt ea, quæ ibidem narrantur a num.* 3. Quo elapso tempore, secundo die Veneris post Paschale festum anni proxime decursi MCDLIX, die vero sexta mensis Aprilis. . Christi nomen . . et fidem Catholicam negavit . . et . . Mahometanam sectam confessus est, *ibidem num.* 6. *Conveniunt calculi chronologici.* F *Anno quippe* 1459 *incidit Pascha in diem* XXV *Martii. In illa vero apostasia* stetit quatuor menses, *ut ibidem sequitur : post quos* resipuit *primo clam, ac deinde palam, exspectans regem Tunetanum,* qui erat in castris, ut coram quo erraverat palam, coram eodem rediret pariter ad fidem.., ac etiam anno revoluto, diem, in quo erraverat, expectaret : quo in proposito circa sex menses constantissime perduravit, *num.* 8. Die Palmarum (XVI *Aprilis) ad martyrium se accingit, regem adit, fidem profitetur, num.* 8 *et* 9. *Denique post promissa, minas et verbera ,* ille sanctissimus dies Jovis affuit, quo Dominus Jesus ultimam cœnam cum discipulis suis egit. Quo die... in superna patria cælestes comedit epulas, *heroïco utique martyrio perfunctus die* XX *Aprilis anno* 1460, *cum Pascha tunc inciderit in diem* XXIII *ejusdem mensis. Hæc Constantii chronotaxis nitida admodum et concinna est ; ut mirum sit, nonnullos scriptores tam misere hallucinatos fuisse.*

Errores chronologici,

18 *Franciscus Castilionensis, qui suam tamen de Beati martyrio lucubrationem ex epistola Constantii*

in quos varii scriptores sunt lapsi :

AUCTORE J. P. *stantii deprompsit, sic secundum nostrum apographum memorat:* Tandem.. frequenti populo, et præsente barbaro rege, gloriosum Christi nomen, sanctamque etiam fidem abnegavit. Hoc fuit VIII Kalend. Aprilis, *seu* XXV *mensis Martii*, prima sexta feria post Pascha Domini, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono. *Et postea,* Aderat igitur, *inquit*, jam dies dictus, quo illi, nisi mutasset sententiam, moriendum erat. Is erat dies Jovis, quo Dominus noster cœnam cum discipulis suis fecerat, IV Idus Aprilis, *(sive decimus ejusdem mensis)* ducitur ad præsidem *etc. Verum neutiquam tunc temporis concurrere potuit cœna Domini cum isto die: nam anno* 1458 *(quem in apographo nostro fuisse scriptum, sed correctum, posito anno* 1459 *invenio) pascha fuit die* 2 *Aprilis: anno* 1459, XXV *Martii: anno* 1460, XXIII *Aprilis, ut modo indicavimus. Castilionensi adde Leandrum Albertum, qui beati Martyris a Christo defectionem ponit accidisse* VIII Idus Martii, *id est, die* VIII *ejusdem mensis: mortem autem signat* die Jovis *sancto,* quarto Idus Aprilis, *ex et cum Castilionensi.* B *Ex dictis corrigendus quoque Lopezius, qui lamentabilem* B. Antonii *lapsum innectit diei* VIII *Martii; ejusdemque sententiam mortis mandatam exsecutioni scribit die Jovis sancto, die* X *Aprilis.*

martyrii 19 *Antequam perveniamus ad editionem Martyrii, dicimus, illud nobis de eodem præplacuisse exemplar, quod supra laudatus Frater Constantius conscripsit in sua epistola, cum sit primum ac genuinum, atque adeo aliis præferendum.* Cupidus, *aiebat Papebrochius,* ad ipsum totius narrationis fontem perveniendi, Taurinum scripsi, et Rupulis curavi quærendam epistolam prædictam: *etiamsi* securos nos, *sicut præmiserat,* de historiæ totius veritate facit, quod Franciscus *(Castilionensis) profiteatur in Prologo..* se totam sumpsisse ex longiori epistola, *jam memorata. Quod vero cupiebat tunc Papebrochius, postea obtinuit, et magno nostro bono, cum Franciscus Castilionensis dicat in sua narratione:* Quam *(epistolam)* nos pro arbitrio nostro amicorumque usu in commentarii formam *redegimus. Epistola vero genuina ab ejusdem commentario quantum* C *differt. Magnam porro meretur laudem in notitiis Ripolensibus huc transmissis R. P. Franciscus de Malines S. J., Rector sæpius collegii Taurinensis: idque conficitur ex hujus ad illum epistola Taurini data* XIX *Decembris* MDCLXXVI, *in qua hæc lego:* Mitto tandem quæ inventa sunt de B. Antonio de Ripolis. Multum debemus bonis patribus Dominicanis Ripolensibus, qui diu siverunt me habere quæcumque repererunt de isto Beato, donec invenirem hominem, qui posset omnia illa legere et describere.

apographa, 20 *In alio autem apographo, quod manu sua scripsit Papebrochius, cuique prænotavit hunc titulum,* Epitome a Fr. Constantio Cyprio teste oculato, subjuncta tractatui de martyrio Antonii, per R. D. Guilielmum Baldesanum transcripta; *in illo, inquam, apographo, quod habebat Papebrochius, quando nondum acceperat prædictam ejusdem Constantini epistolam, subnexam invenio hanc metricam inscriptionem, quæ etiam habetur in alio nostro ecgrapho post epistolam Fr. Constantii.*

Iste Ligur natus Antonius Rippolis exstat,
Cujus mors nostro tempore sancta fuit:
Nam se cultorem Christi dum rite fatetur,
Impia gens saxis enecat Afra Virum.
Ignibus extinctum tentarunt urere corpus: D
Flamma tamen non est viribus usa suis.

Nec plura novi, quibus lectorem hic morari debeam; eorum enim, quæ supersunt, ratio habetur in Annotatis ad Martyrum et miracula, quæ subjicio. Illud autem sicut mendis præsertim contra orthographiam refertissimum est, sic identidem illud emendabo in gratiam lectoris, daboque illud sub nomine Prædicatorum Ripolensium, propter præmissa modo ex epistola R. P. Malinesii, et dividam in capita et numeros. Idem feci in miraculis.

MARTYRIUM

Auctore Fratre Constantio Ordinis S. Hieronymi.

Ex Ms. FF. Prædicatorum Ripolensium.

E

CAPUT I.

Beati captivitas, apostasia ac pœnitentia.

Auctor in epistola ad PP. Prædicatores Universis et singulis Christi fidelibus, et potissime omnibus, et quibuscumque reverendissimis magistris, baccalariis, lectoribus, cæterisque Fratribus Ordinis Prædicatorum, salutem exoptat, et manifestum facit frater Constantius de Insula Capri *a*, Heremitarum societatis Fr. Petri de Pisis ad præsens captivus regis Tunici. Visum est in non modicum interesse mea, singulis vobis notum facere omnibus, quod in urbe ista, omni memoria dignum non sine Dei ministerio nuper contigerit, cum et Christianus, et sacerdos, ac Religiosus, licet omnibus indignus, sim.

exponit 2 Quidam frater Antonius de Ripolis Pedemontensis, Ordinis Prædicatorum, qui ingressus est Religionem superioribus annis Florentiæ in Conventu sancti Marci *b*, cujus erat tunc Prior Frater Antonius *c*, vir quidem integerrimus, qui deinde suas prorsus exposcente virtute et animi F sinceritate ad ejusdem civitatis archiepiscopatum sublimatus extitit, dum Fr. Antonius de Ripolis Pedemontanus e Sicilia ad regnum Neapolitanum *d* migraret in quadam caravella *e*, cui Joannes Sardus præerat, captus per Nardum Anequinum, qui piraticam artem pro rege isto barbaro, contra Christianos (licet Christianus) exercet. Quod quidem actum est secundo die mensis Augusti MCCCCLVIII *f*; nono vero ejusdem mensis idem F. Antonius et reliqui in eadem caravella capti et ligati colla funibus hanc ingressi sunt urbem.

B. Antonii 3 Quibus per loca consueta urbis circumductis, et facto, ut moris est, spectaculo, idem frater Antonius et reliqui ad commune omnium regionum captivorum carcerem missi sunt. Quo ego, quam primum potui, ad eumdem fratrem Antonium visendum accessi: quem plurimis hortatus sum verbis, suæque inopiæ, si non ut debuit, ut valui, subveni; ipsumque diligentissime de confessione audivi, et, dum in eodem carcere degeret, secum familiariter atque amicabiliter

A cabiliter conversabar. Qui quidem cum in ceteris satis bene moratus, et, ut decebat Religiosum, esse videretur, una in re, sed peroptima quidem deficiente, consideravi : hoc est, quod nimis impatienter, et iniquo animo flagellum carceris ferre videbatur.

captivitatem 4 Quapropter perpaucis elapsis diebus ad foras exeundum operam dedit. Nam permisit rex iste captivos, fidejussione præstita, extra carcerem degere. Et dum in hoc laborabat, certe nimis anxie atque impatienter se gerebat. Nam cum super excarceratione ejus scriberet ad spectabilem virum dominum Clementem Cicerum, tunc Januensem consulem, aliqua profecto inepte et scandalose dicebat : qua in re idem D. consul decrevit, non se de hoc homine impedire : sed rogatus atque compulsus precibus cujusdam vener. Fr. Joannis ejusdem Ordinis Januensium capellani, eumdem Fr. Antonium a dicto carcere idem D. consul extraxit, et pecuniam, qua dictæ incarcerationi fuit opus, de suo proprio solvit. Sed priusquam exiret, spectabilis ille ac D. consul Clemens protestatus fuit, dictum Fr. Antonium B esse Januensem, et propterea a captivitate liberandum.

et carcerem, 5 Ad quod petendum ipse differebat, quoniam super hujusmodi ad ducem, remque publicam Januensium scripserat : a quibus responsum expectabat, quo certior factus rem tutius veriusque prosequeretur. Quem quidem Fr. Antonium excarceratum F. Joannes præfatus in domuncula suscepit sua, simulque tam in domo quam in *g* ecclesia in fundaco *g* dictorum Januensium existente degebant : qui, licet sibi fuerint vestimenta Religioso et captivo necessaria, et convenientia impensa, nec quicquam reliquorum ad vitam necessariorum sibi defecisset ; tamen, ut consueverat, satis impatienter se gerebat, ac moleste ferebat ejus sortem, et hoc modo extra dictum carcerem quinque vel circa mensibus mansit Christianus.

abjurationem fidei 6 Quo elapso tempore, secundo die Veneris post Paschale festum anni proxime decursi *h* MCCCCLIX *h*, die vero sexta mensis Aprilis, seu diabolica suggestione superatus, seu ejus incredulitate atque perfidia compulsus, præsente isto rege barbaro, gloriosissimum Christi nomen, sanctissimamque fidem ejus Catholicam et apo- C stolicam negavit, et detestabilem, falsam atque fœdissimam Mahometanam sectam confessus est, et ut perfidus Maurus et Christiani nominis hostis infestissimus stetit quatuor menses pleno semper ore fidem nostram Christianam reprobando, et sectam illam maledictam Mahometi ad cælum miris laudibus ferendo.

Catholica, 7 Quo quidem tempore dictorum videlicet *i* quatuor mensium, librum, quem Alcoranum *i* vocant, transferre cœpit ex lingua barbara in linguam Latinam vel Italicam, adhibito sibi quodam, qui utramque linguam Latinam vel Italicam optime noverat : in quo libro continentur omnia, quæ ad eamdem perditissimam sectam pertinent : quo in libro vidit, clareque cognovit, nihil esse præter errores et falsitates, ac omnia ludibrio penitus habenda, ipsoque auditu vel horrenda vel deri- *k* denda *k*.

resipiscentiam 8 Itaque viso errore, et cognito peccato suo, adjutus a Domino Deo vivo et vero, qui neminem ad se redeuntem respuit, doluit, et percussus, ut mirabiliter sanaretur tamquam Paulus apostolus persecutor fidei, calicem decrevit bibere passionis, et in primis expulit uxorem, quotidieque dicebat Officium tamquam Christianus A. CONSTANTIO. et Religiosus, et reliqua omnia, quæ secreto facere poterat. Nam ad ea, quæ erant facienda palam, fuit sibi consilium, regem istum expectare, qui erat in castris, ut coram quo erraverat palam, coram eodem rediret ad fidem pariter, et ad vitam, ac etiam anno revoluto diem, in quo erraverat, expectaret : quo in proposito circa sex menses constantissime perduravit.

ANNOTATA.

a *Suspicor legendum* Cypri, *sicut scribunt alii : etenim cum hoc exemplar sit valde mendosum, facile etiam hic mendum irrepserit.*

b Quem locum, *uti addit Castilionensis,* Cosmus Medices, vir ea tempestate opibus, auctoritate et prudentia admodum præstans a fundamenta erexerat.

c *Castilionensis :* Recepit ad Religionem atque induit ipsemet habitu S. Dominici. *Beati autem nostri conversionem adscribi meritis S. Antonini, diximus in Commentario prævio num.* 3. E

d *Notissima sunt regna Siciliæ ac Neapolitanum.*

e Caravella, vox Italica, species navigii, *ut dicitur in auctore editione Glossarii Cangiani.*

f *De calculis chronologicis, quos in hoc martyrio ponit Constantius, aliorumque hallucinationibus ex ipso correctis, consule Commentarium num.* 17.

g Funda, bursa, crumena, Italis . . . Proprie vero FUNDAM appellaruut recentiores locum publicum, in quem conveniunt mercatores de rebus suis et commerciis invicem acturi, quod in eo doponatur communis eorum thesaurus vel pecunia ad eadem commercia, atque adeo merces ipsæ. *Hoc autem nomine veniunt* bursa *hic Antverpiæ, et Amstelodami etc.* FUNDICUS eadem notione et origine : Itali etiamuum FUNDACO vocant, quod anteriores FUNDAM, vel nostri FONDE. *Scribitur etiam* funticus, fonticus, fundicus *etc., ex Glossario Cangii, in quo adduntur exempla scriptorum.*

h *Dissonat exemplar Francisci Castilionensis, sed errat. Consule Commentarium.*

i *De initiis Mahometis, ejusque putidissimo libro, quem* Alcoranum *vocant, vide tomi* V *Augusti diem* XXV *in Annotatis ad Vitam tertiam* F *S. Ludovici Francorum regis pag.* 708 *littera* b.

k *Franciscus Castilionensis :* Qua ex re cœpit paullatim resipiscere, cum in eo *(Alcorano)* nihil sanum, nihil cohærens . . , et non nisi fabulas et ineptias reperisset. Sed cum nonnulli ex Italia mercatores eo applicuissent, fertur ab eis, quidnam novi afferrent, quæsisse : cui cum inter alia narrarent, sanctissimum archiepiscopum Antonium vita defunctum esse, ex eoque manifesta signa sanctitatis et miracula fieri, illico perculsus animo immutatus est, pœnitentiaque ductus, cœpit primum uxorem, quam barbarica lege duxerat, a se rejicere *etc.*



CAPUT

A. CONSTANTIO.

CAPUT II.

Publica fidei orthodoxæ professio, martyrium, sepultura, gratiæ per Martyrem aliis collatæ.

Ad profitendam Christi fidem se parat intrepidus :

Et ecce rex adventavit. Bonus autem Christi miles arma ad victoriam suam necessaria se statim induit : cuncta omnia sacratissima accepit Ecclesiæ Sacramenta : quibus peractis omnibus, pauca quidem, sed mira cum gravitate ad detestationem perditissimæ secta et sacratissimæ nostræ fidei commendationem dixit coram omnibus Christi fidelibus, qui illo die Palmarum *a* in ecclesia erat congregati, ubi ego ipse tunc fidem Christi prædicabam, et assumpto sanctissimo habito suo, a dicto F. Joanne concesso, rasoque capite et remanente corona, lætissimo animo inde discessit, et ad locum, ubi regem convenire debebat, velocissimo gradu properabat, ut maximo finalique supplicio suum lueret B errorem, et Jesum Christum verum Deum, et hominem, quem verbis, et sanguine *b* palam negaverat, verbis et sanguine palam confiteretur.

O mira Dei bonitas! O inexplicabilis omnium hominum linguis clementia! quæ numquam servis suis opem ferre negat, quæ omni tempore pulsantibus ostium aperit. Sciebat enim fidelissimus ille Dei Servus crudelissime se moriturum, et ita forti atque securo animo persistebat, quod non ad violentissimam mortem, sed velut ad suave gaudium videbatur accedere, nec ipso oris aliquatenus mutato colore, quod inter cætera potissimum mirabile notavi : nam interfui et vidi.

adit regem,

10 Itaque solus, sed magni Dei consilio sibi comite, castellum adivit, regemque alloquens, magna ibi magnatum assistente corona, alacri atque intrepido animo, alta et clara voce confessus est, se esse Christianum, et confitendo Christi fidem ad moriendum se esse paratum, semper magnificando Christi nomen et suum nefandum C errorem mirabiliter detestando. Quod rex audiens, admirans hominis constantiam et fervorem, cœpit eum placide ac suaviter blandiri, et admonere, ut ad primum suum rediret errorem, alioquin vitam ejus, quam lætissimam atque deliciosissimam agere posset, cum acerbissima morte commutaret, et, si ad Mahometi sectam reverteretur, quod magnis cum muneribus afficere non dubitaret.

ejusque munera spernens carceri mancipatur :

11 Cui regi constantissimus Vir respondit, non egere muneribus suis : sed eum hortabatur atque admonebat, quod pro consequendis divinis æternisque muneribus ad Jesum Christum, uberrimum misericordiæ fontem, concurreret, secumque omnes regniculos * atque subditos suos traheret, et sic optimus esset et rex, et dux, nullamque putaret rectam esse viam, quæ ducat ad patriam, præter Christi fidem. Quæ omnia et multa alia ad idem tendentia rex audiens, hinc stupore confusus, hinc ira ardens, jussit illum ad carcerem duci, causamque ad præsidem, seu primum dictæ sectæ deferri, qui hominem merito supplicio puniret.

* f. regnicolas

12 O felicem hominem! O rem per universa orbis loca prædicandam! Quis est hominum, D qui dicere posset, qua furia, quo fremitu ille tunc captus, quot alapis, quotque verberibus et in facie et in capite crudelissime fuit percussus. Nam illorum omnium, qui crudelius ferociusque secum agere poterat, fortunatiorem se esse credebat. Sed ad dicendum et ad credendum difficilius est, qua constantia atque fortitudine prædicta omnia ille tolerabat semper Christi nomen confitendo et laudando. Itaque introductus est [in] carcerem, et statim ego, non quia opus esset, sed ut tanto negotio aliquid præstarem obsequii, eum hortatus sum meis litteris, et idem fecerunt nonnulli mercatores Jannenses, atque miserunt omnia ad vitam necessaria et ad vestitum : sed ille tantummodo parum panis et aquæ capiebat, reliqua vero pauperibus Christianis, et captivis in eodem carcere detentis impartiebatur.

crudeliter in eum sævitur.

13 Crastina vero die fuit ad præsidem prædictæ sectæ ductus, qui præses mirum in modum conatus est eum ad primum suum deducere errorem modo blanditiis, modo maximis pollicitationibus agendo : et demum terribilem cruentamque mortem, qua vitam finiturus erat, ante oculos ponebat. Sed bonus atque fidelis Miles iisdem armis, quibus regem prius vicerat, hunc præsidem E prosternebat, ac penitus conquassabat : quibus præses resistere non valens, eum ab ejus præsentia auferri jussit, et ad carcerem duci, sibique denunciari, quod si infra triduum ad primum suum non reverteretur errorem, et nomen Mahometi palam non confiteretur, horrendissimo genere mortis sibi moriendum esse, exploratum haberet.

promissis et minis frustra tentatur,

14 Quibus dictis verbis fuit reductus ad carcerem, et inter reducendum alapis sæpius aliisque verberibus lacerabatur. Post quod triduum, ecce subsequens ille sanctissimus dies Jovis affuit, quo Dominus Jesus ultimam cœnam cum discipulis suis egit. Quo die verus Christi Discipulus cum præceptore suo in superna patria cælestes comedit epulas. Illa namque ultima die, et vice, prædicto coram præside fuit ductus. Quem postquam præses frustra monuit atque terruit, censuitque nulla vi nulloque ingenio a suo proposita posse moveri, ad præbendam jugulo * cervicem, atque totum corpus lapidibus conquassandum sua iniqua sententia condemnavit.

et acerbissime casus

* f. gladio

15 Qua sententia promulgata carnifices mansuetum Christi Servum furioso impetu secum trahen- F tes, ad locum talibus deputatum abierunt : quorum carnificum clam aliquibus vocatis, qui et nostram noverant linguam, et majorem vim ingenii habere videbantur, jussit præses idem, ut dum ad locum martyrio præordinatum accederent, non desisterent, quoad possent, ab ejus proposito hominem abstrahere, et si viderent usque ad illud extremum vitæ suæ eum aliquo modo a suo moveri proposito, ad eum illico reducerent, nec deinceps aliquid sibi inferrent molestiæ. Quæ omnia lictores illi diligentissime peregerunt; sed nequaquam * laboraverunt.

capite damnatur,

* nequidquam

16 Nam qui se totum Deo dederat, nec preces, nec minas hominum curabat, et quo asperius vapulabat, et ferventius Deum orabat, et percutientibus ignoscebat. Dumque esset jam loco constituto propinquus apud Christianorum funditos expoliavit se habitum suum, quem lictoribus illis dedit, dicens : Servate hunc habitum ne sanguini involvatur : quem si purum ab omini labe atque sordibus, Christianis dederitis, gratum

ac constantia magna et pietate

A gratum ab eis pretium habebitis; quem illi acceperunt, et sic facturos fore promiserunt atque fecerunt. Et ecce ad proprium locum applicaverunt, ubi fidelissimus Christi miles ipsos spiculatores exoravit Deum orandi spatium, et positis genibus ad terram, manibus vero ad cælum elevatis versus Orientem, cum ingenti fervore orabat, magna ibi Maurorum multitudine aspiciente et admirante, et quam plurimis etiam Christianis, quoniam locus ille prope Christianorum funditus est. Quem sic perorantem * et quasi raptum ad cælum omnes spiculatores illi, ac etiam quam plures aliorum Maurorum ibi astantium magno cum fremitu, vocibus atque tumultu, alii lapidibus, alii gladiis percutere cœperunt.

* f. permanentem

martyrium subit. miris modis

17 O res admiranda atque omnium hominum tenacissima memoria retinenda! quam pie atque benigne Deus agat cum servis suis, quoque * robore eos muniat atque confirmet. Nemo fuit, qui audierit eximium illum Virum vel vociferare vel conqueri, vel inclinatione vel motu, seu nutu aliquo vehementissimos illos ictus et maxime B lapidum fugere, aut illis aliquo modo cedere; imo cum nullis esset aut cateuis aut funibus vinctus, sed toto corpore solutus, ita stabat immobilis, quod non ut vinctus, sed ut clavis affixus esse videbatur: donec vis maxima lapidum atque copia eum prostravit ad terram, totumque obruit, et sic beatissimam illam animam suo Creatori reddidit. Quo facto, eo magna congeries lignorum [allata est] qua accensa fuit corpus illud igni appositum, ut combureretur. Mirabile dictu; sed quod ipse vidi, possum et debeo dicere palam, jacuit cadaver illud longum temporis spatium inter flammas, et postquam illud inde amoverunt, non fuit de ejus capite atque barba unicus capillus igne læsus inventus.

* f quantoque

divinitus honoratum:

18 Magna enim pars capillorum ejus tam capitis quam barbæ a Christianis in præsentiarum detinentur. Quod quidem cadaver flammis subtractum, totum, ut erat laceratum ac ictibus saxorum conquassatum, et vulneribus saxorum seu gladiorum transfixum, per omnia celebriora loca civitatis ad dedecus et etiam ad terrorem circumtuleruut, et demum in quamdam foveam plenam sordibus immundis, ac pessimum fœtorem exhaC lantem projecerunt: unde opera mercatorum Januensium non sine pecuniarum copia eductum fuit, et ad eorum ecclesiam, in eorum fundaco existentem, delatum omnes mercatores Januenses magno cum caritatis et devotionis fervore cereis accensis susceperunt, et in primis limum, ceterasque sordes, quæ hærebant cadaveri, abstulerunt, totumque aqua pura atque sola calida, atque inde frigida, optime redolebat: quod deinde redolentissima rosarum aqua totum aspergi, et in terram sepeliri, fuit omnibus consilium: sicque actum est.

ipsius sepultura:

19 Nam manibus ipse meis cadaver illud indui habitum suum, et in quadam capsa lignea clausa sub pedibus Crucifixi sepelivimus in dicta ecclesia Januensium. Ipse enim illum suo tumulo locum elegerat *d*. Admirantur omnes, qui huic novæ atque maximæ rei interfuerunt, tantam viri constantiam, tamtumque inexpugnabile *: nec aliquis dubitare potest, quin tamquam verus Christi martyr suam diem feliciter egerit extremam, et sua pretiosa morte vitam sit adeptus æternam.

d

* f. addendum volur

20 Quod ita esse jam immensus ille munerum largitor Deus ostendit; cum hactenus quatuor Christiani omni digni fide testati sint, quod, dum universis variisque generibus morborum laborarent, et se eidem fidelissimo Christi Militi devote commendarent, facti sunt statim incolumes *e*. Valete in Domino Patres reverendissimi, domini mei. Sed quod utile aut bonum in hac epistola dixi, non meis, sed sancti hujus Viri meritis imputetur. Si quid vero superfluum et non bonum inest, solum meæ ignorantiæ et negligentiæ hoc accidisse ab omnibus judicetur. Vos autem, Patres, Deum pro me oretis, quæso, ad laudem Domini nostri Jesu Christi per infinita secula seculorum. Amen.

A. Constantino quatuor Christiani per Beatum sanati.

e

ANNOTATA.

a Illo die Palmarum, *qui anno Christi* 1460 *incidit in diem* XVI *Aprilis. Vide Comment., ubi dedimus martyrii chronotaxim.*

b *Hine videtur colligi, quod abjurationem Christi scriptam subnotaverit* Antonius *suo sanguine.*

Baldesanus in epitome martyrii descripta: Eum præsidis Caddi judicio in carcerem tractum demisit. E

d *Quam minore cum emphasi narrat ista Castilionensis, postquam de suavissimo odore corporis egisset:* Tandem, *inquit*, a fidelibus curatum *(corpus)* omni diligentia, pie atque honestissime in arcula conditum, in ecclesia postremo Januensium, quæ in eadem civitate Carthaginis * sita est, sub pedibus Crucifixi est sepultum: is enim adhuc vivens eum sibi sepulturæ locum delegerat. *Satis autem noti sunt Genuenses, qui hic et alibi vocantur* Januenses.

* i. e. Tuneti

e *Hæc Castilionensis:* Nec multo post cœpit Dominus per martyrem suum Antonium non pauca signa et miracula in testimonium tantæ virtutis ostendere *etc., quæ mox inferius hic sequentur. Deinde rem miram singillatim narrat, quam et nos statim dabimus, ubi de miraculis agemus. Denique Beati martyrium laudans, sanctorumque Martyrum collegio eum adscribendum censens, narrationi suæ idem scriptor imponit finem.*

MIRACULA

AUTHENTICA F

Ex tabulis Mss. Ripolensibus PP. Prædicatorum.

CAPUT I.

Mira maris tempestas; sanata surditas, oculus pessime affectus, paralysis.

Miraculis, quæ e dictis tabulis mox daturus sum, rem miram præmitto aliunde. Franciscus Castilionensis sæpissime supra citatus, ista commemorat: Nec multo post *(sepulto Beati corpore)* cœpit Dominus per martyrem suum Antonium

Orta in mari tempestas fertur

EX MS.

Antonium non pauca signa et miracula in testimonium tantæ virtutis ostendere, habeturque adhuc a fidelibus, qui isthic habitant, in honore et reverentia non parva. Quin et quod ipse a Borzanno Janifiglazio cive nostro, viro sane nobili genere opibusque et maritimis laudibus glorioso, accepi, non est prætermittendum. Ipse enim, et alias sæpius mercaturæ gratia, et non multo post obitum hujus B. Martyris eo se contulerat. Dumque ibi aliquot dies moram traheret, accidit, ut nonnulli ex illis infidelibus e portu in altum, magna cum cæli et maris tranquillitate, solverent; nec multo post in eumdem portum, acti gravissima tempestate, redirent. Quam rem admiratus hic noster civis, quæsivit a quodam sibi familiari, qui unus erat ex iis, qui in ea navi fuerant, quid causæ esset, ob quam tam cito remeassent, et quæ fuisset illa maris vexatio, cum nusquam nisi tranquillitas undique cælo marique eo die apparuisset.

ob lapides, quibus Beatus fuerat appetitus, irreverenter habitos.

2 Cui ille respondit, nescire se prorsus, unde id factum esset; verum nusquam hoc proferret admonuit; hanc fuisse eorum, qui in navi fuerant, opinionem, cum tempestatem marisque motum ea de B causa illis exortum esse, quod, cum arenam saxaque in navim inferrent, ut facilioris navigationis causa fieri consuevit, aliquot ex illis lapidibus, quibus Vir sanctus percussus fuerat, se importasse arbitrabantur. Cumque aspera gravique procella subito exorta premerentur; pœnitentia ducti cœperunt inter se scelus, quod perpetraverant, agnoscere et profiteri; sicque veriti, ne in interitum abirent, non progredi, quo instituerant, sed in portum redire decreverunt. Eaque de caussa in eorum etiam cæcis animis, aliorumque, qui id audierant, ortus est timor non parvus, et B. Martyris reverentia.

Surdus auditum recipit:

3 *Miracula sequentia damus e nostro exemplari Ms., quod desumptum est e tabulis PP. Dominicanorum Ripolensium.* Anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo, Indictione tertia, die vigesima quinta mensis Aprilis, actum Ripolis in sacristia ecclesiæ FF. Prædicatorum de Ripolis, præsentibus ibidem N. Valeriano Provana, et Simondino Grande testibus etc. Notum sit omnibus, quod instantibus et requirentibus V. Fr. Laurentio Barsotti, Fr. Claudio Carselli, et C Fr. Martino Rughetti, et fratribus conventus ejusdem loci ecclesiæ ibidem, honesta mulier Catharina uxor Jacobi Pistoni de Cargnauo dixit, et in rei veritate attestata fuit, quod dictus Jacobus Pistoni, ejus vir, de anno præsenli post festum Nativitatis Domini, et ante carnisepium *a* stetit surdus, in tantum, quod nihil audiebat per spatium quindecim dierum, et quod vovit B. Antonio de Ripolis, quod, si posset liberari, quod * veniret vel mandaret ad visitandum corpus dicti B. Antonii, et quod incontinenti, quod vovit, fuit liberatus, in tantum, quod ita bene audivit mediante gratia divina, sicuti numquam passus fuisset surditatem, et ut ante audiebat. De quibus præmissis dicti venerabiles Fratres perceperunt instrumentum etc.

a

** redundat quod, uti etiam infra.*

oculus

4 Anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda, die vigesima octava mensis Decembris actum Ripolis in claustro ecclesiæ sancti Dominici ordinis Fratrum Prædicatorum juxta ostium dictæ ecclesiæ sancti Dominici, præsentibus ibidem Andrea Grassi, Constantino Grayloto, Bartholomæo Batuelli, Gaspardo et Baldusardo fratribus de Bathuellis de Ripolis, ac Matthæo Roda de Malezeto mandamenti *b* Bardoneschiæ *c* *, testibus etc. D

b c

** al. Bardoneschiæ.*

pessime affectus

5 Notum sit omnibus, quod constitutus ante præsentiam ipsorum testium, et mei notarii infrascripti, ac ad requisitionem ven. Fratris Bernardini Allani et Fratribus Prædicatorum de Ripolis, videlicet Andreas Forneri de Malezeto mandamenti Bardoneschiæ, dixit ibidem, et realiter attestatus fuit cum juramento, per eum in manibus mei notarii infrascripti præstito; quod sunt quatuor anni elapsi, vel circa, quibus ipse Andreas passus fuit maximum dolorem in oculis sinistri conversus fuit ad oculum dexterum, in [tantum] quod dictus ejus oculus dexter tantum sibi dolebat, et tantum dabat sibi dolorem, quod non poterat durare, nec illud malum pati, et quod jam sunt plures dies, quod dictus oculus dexter tantum faciebat sibi dolorem, quod nesciebat quid facere, et jam erat totus coopertus de tela, et magnam telatam *d* habebat super eo, nec de eo jam pluribus diebus non poterat videre. E

d

sanatur:

6 Ex quo venit sibi ad notitiam, quod beatus Antonius de Ripolis faciebat multa miracula : quo audito vovit, et fecit devotionem ad dictum B. Antonium, quod, si posset de dicto oculo liberari, quod veniret Ripolas pergere ad visitandum corpus dicti B. Antonii de Ripolis : qua devotione, et promissione facta, illico liberatus fuit de dicto oculo, in tantum, quod quia nihil postea sibi doluit, et ita bene de dicto oculo vidit et videt [in] tantum [tamquam] si nullum malum in eo passus fuisset, ex quo hac de causa huc venit ad dictum corpus B. Antonii visitandum : de quibus præmissis præfatus Fr. Bernardinus nomine præfati conventus percepit instrumentum aut plura etc.

testimonium

7 Anno Domini millesimo quatercentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda, die Martis, vigesima nona mensis Augusti, modicum ante horam nonæ, actum in finibus Ripolarum, in via publica, qua itur versus Beynascum *e* ante pratum nobilis Vincentii Felixi, præsentibus ibidem nobili et egregio domino Philippo de Opeciis de Vico-novo, magistro hospitii illustrissimæ D. D. Mariæ de Sabaudia *f*, ducissæ Mediolani, Ripolarumque et Vigoni etc. domina, et egregio D. Martino de Ripa de Villafranca F castellano Ripolarum, et prælibata illustrissima D. ducissa, nobili et egregio Joanne de Monte majori presbytero, D. Anprea Naxy, Joanne Pegeoqui de Ripolis, et quam plurimis aliis ibidem existentibus testibus.

e

de muliere

8 Notum sit omnibus, quod cum conduceretur corpus beati Fr. Antonii Mullinerii de Ripolis a civitate Januæ ad locum Ripolarum veniendo, [unde] oriundus erat; cumque ibidem pervenisset, et cum certa multitudine gentium *, in qua quidem multitudine inter alios erant duo probi viri de loco Cherii, qui vocantur Bartholomæus, filius quondam Jacobini Bocha, et Joannes Mochani, qui veniebant associatum dictum corpus a loco dicto Cherii usque ad locum Ripolorum, causa manifestandi miraculum, quod fecit dictus B. Antonius.

** i. e. hominum, Gallice gens.*

per intercessionem

9 Ipsi siquidem Bartholomæus Bocha et Joannes Mochani simul concordes ibidem dixerunt, et cum juramento per eos in manibus mei notarii infrascripti præstito juraverunt, et attestati fuerunt in rei veritatem, vidisse quamdam feminam de Cherio *g*, quæ vocatur Helena, uxor Facini

g

A Facini Gaudini de eodem loco Cherii, quæ erat paralytica, nec se juvare poterat de tota sua persona, nisi de tibia sua dextera, nec ire poterat per vias et vicum nisi una croza *h* sive scatia * *i*, et uno baculo, quam scatiam et baculum dicti Bartholomæus et Joannes deferebant post dictum corpus pro manifestando populis, et sic steterat dicta Helena cum dicta infirmitate per spatium trium annorum proxime præteritorum, et quoad ad ejus notitiam pervenerat conductio dicti corporis B. Antonii.

h
* *Gallice eschaces*
i

B. Antonii
k

10 Propter quod fecit devotionem et precheriam *k* suam ad dictum B. Antonium die Sabbati proxime præterita, quæ fuit vigesima sexta mensis hujus Augusti, et die sequenti Dominico fecit se portare cum dictis croza et baculo de nemore circa horam vesperarum ad ecclesiam sancti Dominici Ordinis Prædicatorum de Cherio, ubi repositum erat dictum corpus B. Antonii in sacristia dictæ ecclesiæ, et facta oratione per dictam Helenam, ipsa existente ante cassam *, ubi repositum erat dictum corpus, croza, quam habebat dicta Helena, divina gratia mediante, se B movit a manibus dictæ Helenæ, et saltavit super dicta cassa, remanente ibidem dicta Helena quasi libera a dicta infirmitate coram populo ibidem aggregato, præmissa aperte vidente, et ipsis Bartholomæo et Joanne, qui attestati fuerunt præmissa vidisse.

* *i. e. capsam*

sanata
* *i. e. hesterno*

11 Postmodum vero die herina *, quæ fuit Lunæ, et XXVIII mensis hujus Augusti, volens dicta Helena ire ad visitandum dictum corpus, ivit cum dicto baculo ad dictam ecclesiam de mane, et fecit orationem suam in dicta ecclesia, et ante magnum altare dictæ ecclesiæ, ubi erat dictum corpus B. Antonii in dicta cassa, cum maxima multitudine gentium ibidem existente, et facta oratione sua ibidem stando cum dicto baculo in dicta ecclesia, dictum baculum se movit, divina gratia mediante, a manibus dictæ Helenæ, et saltavit sub dicta cassa, ubi erat repositum dictum corpus beati Antonii, et illico sanata et liberata fuit a dicta infirmitate, et dicta Helena ibat libere coram populo et sana, tamquam si dictam infirmitatem numquam passa fuisset.

a paralysi.

C 12 De quo quidem miraculo asseruerunt fuisse receptum instrumentum per Antonium Besson notarium de Pecetto, et de quibus omnibus præmissis præceperunt fieri publicum instrumentum per Antonium Bolonum, Bartholomæum Capella, Petrum Boxy Bauzani, et per me Joanninum Query, notarios, etc.

Quæ quidem tria instrumenta testificationis surprascripta ego Michaël Garomey notarius de Ripolis subsignatus extraxi a breviaturis quondam Joannini Query notarii de Ripolis. Et in [fide] testimoniorum præmissorum, hic me subscripsi. De Garomey. Extractum per me N. Soleri.

ANNOTATA.

a *Suspicor legendum* carnisprivium *vel* carniprivium, *quæ vox significat* tempus, quo carnibus privari, et ab iis abstinere incipiunt fideles ante jejunia Quadragesimæ. Quandoque sumitur pro primis jejunii diebus, *ex auctiore Glossario Cangii. Nisi fortasse scribendum hic fuerit* carniprium, *quod ibiden dicitur idem significare. Sin vero* carniprimium, *sumitur ibidem pro* Dominica in Septuagesima.

b *Id est*, districtus, jurisdictionis, territorii, *ut sensus indicat. Vide Cangium.*

ex ms.

c *Videtur quidem hic indicari locus* mandamenti *modo expositi, isque in Sabaudica vel Pedemontana ditione: verum, qualis sit, et ubi situs, istarum provinciarum incolis determinandum relinquo.*

d Telatam *hic sumi pro suffusione vel cataracta oculi, colligi videtur ex sensu.*

e Bainasco *scribitur apud Blavium in mappa geographica Pedemontii. Distat autem Ripolis hic locus* 5 *circiter milliaribus, Taurino circiter* 6. *Non dubito, quin idem locus designetur in relatione miraculi, quamquam ibi paulo aliter scriptus.*

f Maria Sabauda, B. Amedei Ducis amita, anno MCDXXVII nupta Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanensium Duci, et post mariti obitum anno MCDLVIII condito testamento in favorem fratris Ludovici Sabaudiæ Ducis, facta Religiosa Taurini ad S. Claræ, *ut notavit Papebrochius. Non videtur tamen stricti nominis* Religiosa *fuisse, ob dicta num.* 7.

g Cherium, *vulgo* Chieri, *Pedemontii oppidum est, quod Taurino distat pari fere interval*- E *lo ad Orientem, quo inde versus Occidentem distant Ripolæ.*

h *Al* crossa : *id est fucro subalari.*

i *Significatio hujus vocabuli patet ex sensu. Vide supra de ejusdem etymo.*

k *Id est*, preces *Italis* preghieria.

CAPUT II.

Leprosus et cæcus, ac alius ex renibus et vesica laborans sospitantur.

Anno Domini MCDLXXI, Indictione IV, die XXVIII mensis Aprilis actum Ripolis in medio ecclesiæ sancti Dominici, Ordinis Fratrum Prædicatorum de Ripolis coram populo ibidem congregato ad audiendam prædicationem ven. magistri in sacra theologia Fratris Francisci Bettory de Raconixio, præsentibus ibidem Petro F Fran. Constantio Giaioti et Stephano Canavery, ac quampluribus aliis de Ripolis testibus ad hæc vocatis et rogatis. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis inspecturis fiat publice manifestum, quod Michaël Rubioni de Trana, commorans Taurini dixit, et in rei veritatem coram dicto populo attestatus fuit, quod jam annis novem vel decem elapsis, vel circa, passus fuit infirmitatem S. Lazari *a*, et quod habuit ex voto diligentiam ponere juxta possibilitatem suam ad construendum unum hospitale in camino *b* prope ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ, ubi dicitur ad S. Lazarum, et quod faciendo istud hospitale perdidit visum de uno oculo jam annis duobus elapsis vel circa.

Leprosus per plures annos

a
b

14 Et antequam perderet visum, erat in tanta infirmitate, quod non potuit quasi se juvare de corpore suo, et quasi non poterat loqui ex ipsa infirmitate S. Lazari. Deinde fecit votum Domino nostro Jesu Christo, beatæque Mariæ Virgini, et sancto Lazaro, ac S. Petro de Roma, ut sibi vellent dare tantam gratiam, quod posset complere opus suum inceptum de dicto hospitali. Quo voto facto cœpit modicum a dicta infirmitate sancti Lazari liberari, in tantum, quod paulatim

et cæcus

Ex Ms. paulatim se juvabat de sua persona. Et postquam fuit modicum liberatus perdidit visum de ambobus oculis.

opem implorat 15 Quibus sic peractis, ad eum venerunt postea quidam homines ac feminæ, qui sibi dixeruut, quod portatum fuerit Ripolis quoddam S. corpus, quod faciebat plura miracula, quod fuerat pro fide martyrizatum, nominatum B. Fr. Antonius de Ripolis Ord. Fr. Prædicatorum, ad quem se voveret, quia forte ab eo aliquam gratiam reportaret. Quibus auditis, recolens quod fuerat servitor S. fidei, se vovit ad præfatum beatum Antouium de Ripolis, preces humiliter porrigendo, quod, si esset pro meliori sui corporis, et animæ suæ, quod, si placeret esse ejus advocatum erga Dominum nostrum Jesum Christum, ut ipsum liberaret a dicta sua infirmitate saucti Lazari, et sibi visum redderet

B. Antonii 16 Deinde duci se fecit super uno equo ad locum *c* Ripolarum ad visitandum dictum corpus B Antonii: ubi fecit certam luminariam *c.* Postea die sequenti quæ fuit dies Veneris, recessit, et ivit super dicto equo versus Taurinum. Alia vero die sequenti, quæ B fuit die Sabbati, ibidem iu Taurino febres ipsum ceperuut, quæ quasi fraugebant omnia ossa sua. Meditatus fui, quod uou erat bene coufessus: subito ivit ad D. Jacobum rectorem ecclesiæ S. Mariæ de Tauriuo, cui, confessus fuit peccata sua: et quod propter ipsas febres habebat totum corpus male dispositum, et remotum: et cœpit incontinenti inflari iu facie sua de dicta iufirmitate saucti Lazari.

Ripolani, et voto 17 Valde fortiter postea ipsa inflatura se viravit *d* *d* in fronte, postea retro caput super capitio, et ibidem ipsa inflatura siccavit et, recessit ipsa in-*f totale* flatura, et cocale * *e* maguæ ipsius infirmitatis, *e* quam habebat in tibiis, descenderunt deorsum per tibias et pedes, iu tantum, quod per tres vel quatuor dies post votum suum factum præfato B. Antonio remansit liber ex ipsa infirmitate S. Lazari, de facie, capite, tibiis, et tota sua persona, salvo quod remansit cum dolore stomachi valde gravati.

eodem facto 18 Qua liberatioue facta, mediante gratia divina, et intercessione præfati B. Antonii fuit sibi visum, quod videret uuam magnam claritatem C ad oculos suos: propter quem dolorem stoma-*f* chi aliquando cavanabat *f*, in tantum, quod cre-** i. e. jussit accersi* debat mori, et misit captum * unum Religiosum pro se recouciliando: qui Religiosus sibi dixit, qualem requisitiouem fecerat præfato B. Antonio. Qui respondit, ut posset aliquid boui operari amore Dei in hoc mundo. Qui Religiosus sibi dixit, quod erat stultus facere talem requisitionem, attento quod erat iu statu gratiæ: quod non debebat quærere de iterum peccaudo iu hoc muudo.

valetudinem recuperat: 19 Qui Religiosus etiam dixit, quod debebat teuere gratum omne id, quod Dominus noster Jesus Christus volebat omuino dare, et quod haberet patientiam. Quibus verbis sic sibi dictis, et auditis, ipse Michaël fuit male contentus, fecisse dictum votum et requisitionem: et cœpit flere: et illico quod pœuituit, nullam vidit claritatem prout supra viderat; sed evanuit ab oculis ejus. Tuuc se sentiit liberum et nitidum de dicta infirmitate S. Lazari tam iutus quam extra corpus suum. Et hæc fuerunt facta de anno Domini MCDLXIX, circa festum S. Michaëlis. De quibus omuibus et siugulis præceptum mihi fuit uotario iufrascripto fieri publica instrumenta, quæ a me fuerunt requisita.

20 *Sequentia miracula in hoc Ms. reddo Latine ex Italico in hanc sententiam:* Auno Domi- D *alius a male affectis renibus et vesica* ni currente millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, et die quinto mensis Octobris, Ripolis ante me Joanuem Franciscum Bo, ducalem uotarium dicti loci, personaliter constitutus D. capitaneus Joannes Franciscus Bogliani Ripolauus, in verbo veritatis, mediaute suo juramento præstito, tactis Scripturis iu meis mauibus uotarii supradicti et infrascripti, dixit et declaravit, dicit et declarat ut sequitur: Anno jam proxime elapso millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, aggravatum me sensi intenso malo reuium cum inflammatione iu vesica, ut vix aut saltem magna cum difficultate urinam emittere potuerim: quod malum quiudecim jam diebus circiter duraverat ante festum B. Antonii martyris, cujus corpus conservatur in ecclesia revereudorum admodum patrum S. Dominici hujus loci, quia hic B. Autonius fuit ejusdem Religionis.

21 Quo malo aggravatus votum feci dicto B. *sospes redditur:* Antouio, et die ipsius festi, quod incidit in finem Augusti quotannis: dumque ejus ope me contulissem ad dictam ecclesiam S. Dominici, et E iuterfuissem ibidem Missæ ad altare dicti B. Antonii, instanterque orassem, ut liberare me vellet dicto malo, quod mortem mihi inferebat, subito, audita Missa, seusi me melius habere a dicto malo, domumque veni per Dei gratiam, et dicti Saucti iutercessionem, a dicto malo liber, et numquam malo illo fui correptus. Et hoc est, quidquid testificari possum. Quas scripturas ego uotarius supradictus et infrascriptus accepi in præsentia reverendi Joanuis Antonii Bariglieti, et Antonii Botesty, adstantibus et requisitis etc. Ego Joannes Franciscus Bogliani declaro et attestor quantum supra.. Autonius Bariglieto testis., Antonius Bo testis. *Et additur*: Sub Bo notario extractum per me N. Soleri.

22 Auuo Domini currente millesimo sexcente-*alter* simo sexagesimo quarto, et die duodecimo Septembris, Ripolis ante me Joaunem Franciscum Bo, ducalem notarium hujus loci, personaliter constitutus magister Michaël Mantano Ripolauus, in verbo veritatis, mediaute suo juramento præstito, tactis Scripturis iu meis manibus notarii supradicti et infrascripti, dixit et attestatus est, dicit et attestatur, se scire, ac verum esse, sicut F sequitur: Memini, quod abhinc anuis circiter quinquaginta, dum essem in consortio Joannis Francisci Mantani, quondam patris mei, quando nondum uxorem duxeram; quod olim dictus meus pater, malo tam terribili agravatus sit, ut per illud manserit immobilis in lecto, in quo movere se uon poterat ullo modo, nisi domestici nostri cum juvarent. Ubi dum idem Joannes Franciscus Mantanus quondam pater meus per hujusmodi infirmitatem suam se vovisset B. Antonio, cujus corpus existit iu ecclesia S. Dominici hujus loci, jussa in ejus honorem celebrari una Missa, quodam die, quem non recordor, portari se jussit in sede ad dictam ecclesiam, ubi, audita Missa, per intercessionem dicti Saucti apud S. D. M. * idem quondam ** i. e. suam Divinam majestatem* meus pater sauitatem recuperavit, liberque domum suam pedibus suis propriis repetiit, relictis fulcris, subalaribus ac baculis, quibus fuerat usus, ut se sustentaret, simul atque erat iu dicta ecclesia.

23 Et illum miraculosum successum scio ego, *gressus restitutus.* tamquam filius ejus, qui in successu præsens fui, qui nunc sum ætatis annorum septuaginta trium. De quibus omnibus reverendus admodum P. Augustinus

A Agustinus Loche, conventus supradictorum patrum requisivit testimoniales, quas ego notarius vicarius supradictus et infrascriptus recepi, præsentibus . . . . reverendo admodum D. canonico Marco Margarina, et Antonio Bo teste. *Et subscribuntur* Joannes Michaël Mantano, Marcus Margarina canonicus test. Antonius Bo test. *Et testatur, notato* sub Bo, *suum* extractum N. Soleri.

ANNOTATA.

a Lazari, leprosi, Gallis LADRES, sic dicti, quod eorum domus seu ecclesia extra muros Hierosolymitanæ civitatis sita, S. LAZARO *dicata esset. Hæc et plura Cangius.*

b *Id est,* via, *Gallis* chemin, *Hispanis et Italis* camino. *Vide Cangium.*

EX MS.

c *Per* fecit certam luminariam, *hic fortasse indicatur, quod instituerit vir ille aliquam orationem seu* preces lucernarias, *ut vocat Cangius ; qui alias quoque habet significationes. Non displicet etiam, et forte hoc intendit scriptor, quod fecerit accendi aliquot luminaria seu candelas.*

d *Fortasse* gyravit : *nisi barbare significetur, quod ista* inflatura *vires suas* fortiter *exseruerit* in fronte.

e *Si scribi debeat* totale, *sunt supra ad marginem notavi, clarus est sensus : sin* cocale, *non intelligo, quid vox hæc significet.*

f Cavanabat *quid sibi velit, ignoro : conjector ex sensu, scriptorem forte voluisse hoc verbo indicare, quod iste infirmus pateretur aliquando animi deliquia, vel extremas angustias.*

DIES TRIGESIMA AUGUSTI

SANCTI, QUI III KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

B

Sanctus Philonides episc. et martyr, Curii in Cypro insula.

S. Felix presb. M. } **Romæ Viâ Ostiensi.**
S. Adauctus M. }

S. Bonifacius } **conjuges** } **Adrumeti in Africa**
S. Thecla }

S. Irenæus M.

S. Or M.

S. Orepsis M.

S. Gaudentia V. et M. Romæ.

SS. Martyres LX Sufis in Africa

C

S. Pammachius senator. et forsan presb. Romæ.

august. Vide append. fol 42. not. 14.

S. Æonius episc. et conf. Arelate in Gallia.

S. Modanus fortassis episc. in Ultonia Hiberniæ provincia.

S. Fermerius Confessor in Gallia.

E

B. Agilus vicecomes conf. prope Magdunum in Gallia.

S. Agilus abbas Resbaci in Bria Galliæ provincia.

S. Fiacrius eremita conf. in teriritorio Meldensi in Gallia.

S. Ameltrudis V. Gemeticæ in territorio Rotomagensi in Gallia.

S. Fantinus monachus confess. Thessalonicæ in Macedonia.

F

B. Ritza V. Confluentiæ in Germania.

S. Bononius abbas presb. in monasterio Lucediensi in Pedemontio.

S. Petrus conf. Trebis in Latio.



A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI

Felicis presbyteri et confessoris *commemoratio signatur* Nolæ in Campania *apud Maurolycum, de quo etiam Ferrarius in Catalogo generali, dicens in notationibus, quod* diversus *sit* ab eo, qui XIV Januarii colitur. *De duobus Sanctis synonymis presbyteris vide dicenda hoc die* XXX *Augusti in SS. Felice et Adaucto MM., et dicta ad diem* XIV Jan.

S. Arduini episcopi Cenomanensis in Gallia *meminit Ferrarius. Vide de* S. Hadoïndo *tomum* 2 *Januarii nostri in Appendice ad diem ejusdem mensis* XX Januarii.

S. Julianus conf., patronus Maceratensis *memoratur hac die in Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ, mittentis lectorem ad* XXIX *Januarii. Janningus noster in suo Diario itineris Romano-Neapolitani Ms. fol.* 7 *verso observat* B *ista :* Maceratæ vidi brachium S. Juliani protectoris urbis inclusum argento, integrum cum sicca carne, sollicite sub quatuor aut quinque clavibus asservatum sub altari, quod cornu Euangelii altaris majoris proximum est. Historica de vita ejus narratio intricata est, ac fere ex vulgi traditione. Festum ejus præcipuum a paucis annis ultimo (ni fallor) Augusti celebrari cœptum est incerta de causa, nisi quod tum populus minus impeditus, quam in Januario (quo inventionis brachii festum agitur) convenire frequentius possit. Credo illo die alium quempiam Julianum coli, quocum suum confundunt Maceratenses. *Litteræ autem anno* 1685 *Laureto huc datæ asserunt* S. Julianum *magna cum solennitate ac populi concursu præcipue die* XXXI *Augusti Maceratæ coli. Cuperus S. J. in litteris ad Papebrochium datis Coloniæ* XXXI *Augusti anno* 1696, *ex illo quæsivit nomine excellentissimi ac reverendissimi D. Paulutii episcopi Maceratensis, tunc ibidem nuntii Papæ, ac deinde Cardinalis*, de sancto quodam Juliano, cujus bra- C chium Maceratæ in ecclesia cathedrali servatur, de quo aiunt, quod fuerit plurimum hospitalis *etc. Nos cum Ferrario mittimus lectorem ad diem, quo de* S. Juliano Hospitatore *egimus,* XXIX Januarii.

S. Stephani fundatoris Ordinis Grandimontensis canonizationem *hac die factam, esse, ejusque memoriam quotannis recoli festo secundæ classis, indicavimus die* VIII *Februarii : in catalogo autem nostro Ms. de Sanctis ad hunc diem* XXX *Augusti citatur* Off. Ord., *id est, Officium Ordinis. Vitam Sancti illustravimus dicta jam die* VIII Februarii.

S. Felicis, Evæ et Regiolæ mart. *memoria habetur in kalendario Carthaginensi apud Mabillonium tomo* 3 *Veterum analectorum pag.* 399 *editionis prioris : ubi in Observationibus pag.* 413 *sunt ista :* Alutinenses illi Martyres in Numidia fuerunt, plurimis aliis conjuncti ; quorum Acta profert Baronius ad annum CCCIII, num. 35 : ubi FUA errore typographico in quibusdam editis pro EVA scribitur. Dies ignotus ex Actis : sed constat eum esse post V Kal. Aug., quo die apud Augustinum in Breviculo collationis diei tertiæ cap. 17 passi dicuntur CONSULIBUS DIOCLETIANO NOVIES, ET MAXIMIANO OCTIES, PRIDIE IDUS FEBRUARII, tametsi in Martyrologiis memorantur III Idus ; hic III Kalend. Septembris. *Prædicti Martyres sunt etiam apud Castellanum. Lege quæ de plurimis Martyribus in Numidia passis dicta sunt* XI Februarii.

B. Robertus de Abruscellis *laudatur a Saussayo in notula, quam pag.* 1216 *dicit referendam ad* XXX *hujus mensis. Lege quæ de hoc Beato scripta sunt apud nos* XXX Februarii.

S. Heriberti archiepiscopi Agrippinensis Coloniæ et confessoris *apud Grevenum ponitur* translatio : *de qua in Florario etiam nostro Ms. inter auctaria ad Usuardum nostrum. Sanctum dedimus* XVI Martii

S. Brunonis abbatis Hirsaugiensis inventio *indicatur a Wione, Dorganio, Menardo, Et Ferrario. Prætermissus est (quem utique Trithemius appellat* venerabilem *dumtaxat* abbatem) E *apud nos ad diem* XXIII Martii.

S. Secundi martyris inventio Astæ in Liguria *refertur a Ferrario,* ex tab., *sicut ait in notis,* Astensis eccl. *Scripsimus de isto Martyre* XXX Martii.

S. Barsanuphrii confessoris *meminit Ferrarius in Catalogo generali,* Uriæ in Salentinis *eum annuntians. De S. Barsanuphio egimus* XI Aprilis.

Translatio S. Adelini episcopi Wltoniensis *est in additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum Greveni. S. Adelmum episcopum Schireburgensem ex abbate Malmesburiensi in Wiltonia Angliæ voluerint indicare ; de cujus translatione apud nos inter Prætermissos ad diem* XXXI *Martii : Acta vero ejus data sunt die* XXV *Maii cum Martyrologio Romano. Videri itaque possunt* XXXI Martii et XXV Maii.

S. Bertrandi episcopi Cenomanis *meminit Ferrarius. Vide* S. Bertichramnum *ad diem, quo gesta ejus illustravimus,* VI Junii.

In Cameraco translatio S. Magnerici episcopi, forte Gaugerici dici deberet *(immo sic debet) ex additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum Greveni. S. Magnericus archiepiscopus Trevirensis, de quo scripsimus die* XXV *Julii, huc non spectat ; sed S. Gaugericus episcopus Cameracensis : cujus Acta illustravimus* F XI Augusti.

Martyres Hydruntini *indicantur a Schmidio in Diario historico ad hunc diem. Sunt apud nos* XIV Augusti.

Memoria sanctorum patriarcharum *(Constantinopolitanorum)* Alexandri, Joannis, ac Pauli junioris (τοῦ νέου) *refertur in Menæis magnis Græcis typo vulgatis, quibus adde Menologium Sirletianum. De* S. Alexandro *agetur hoc die. Joannem habes apud nos* XVIII *Augusti, uti et synonymum prætermissum ad* XXI *Februarii S. Paulum juniorem dedimus* XX *Augusti. Præter ea, quæ diximus in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum* I *Maii, ad* XXVIII *Augusti pag.* XXXX, *legi possunt* XXI Febr., et XVIII ac XX Aug.

Oswinus Angliæ rex *refertur a Schmidio in Diario historico ad hunc diem. Vide quæ de isto S. Rege ac martyre diximus* XX Augusti.

Sanctorum Hipoliti et Saviniani MM., de quibus

A bus in gestis sanctæ Aureæ virginis, *meminit Grevenus. Adi* xxiv Augusti.

S. Rosa virgo Limaua *solenni Officio colitur hac die in Breviario Romano. De illa egimus cum Martyrologio Romano* xxvi Augusti.

Sancti Decimavi martyris *nomen occurrit ex codice Altempsiano inter auctaria ad Usuardum nostrum. Erit, ut suspicor,* Decumanus, *de quo actum* xxvii Augusti.

Hermes, Pelagius, Julianus *in nostro Catalogo Ms. Sanctorum designantur e variis Kalendariis, quæ non nominantur, e solo nomine non satis notis noti. Hermetem celeberrimum martyrem, et ab eo fortasse distinctum synonymum, Pelagios item synonymos, nec non Julianum dedimus* xxviii Augusti

Natalis sanctorum nongentorum Martyrum *scribitur in Martyrologio, cui prænotatur nomen S. Hieronymi apud Acherium in Spicilegio tomo* 4. *Vide apud nos* xxiv Augusti.

Felix *nescio quis signatur apud nos in Augusto Moscorum figurato ante tomum* 1 *Maii pag.* xxxx, *tamquam* martyr, *et observatur :* Hoc ut summum indicat habitus *etc.*

B Colagiæ, *cum titulo* beatæ, virginis, commendatariæ monialium seu beatarum Ordinis sanctæ Mariæ Mercedis redemptionis captivorum Vita *est apud nos manu scripta, in qua dicitur obiisse* xxx mensis Augusti, anno mccxcvi. *Sed nihil in dicta Vita invenio quod probet publicum ejus cultum, qualem nos requirimus, nec aliunde eumdem habeo.*

Sanctorum vi Martyrum Melitinæ memoria *ponitur in nostro Ms. supplemento Græco ad Menæa magna excusa, appositis duobus versiculis, e quibus collige, eos in mari vel submersos, vel eo projectos fuisse. In Menæo Chiffletii non invenio eorum numerum, nec eos novi aliunde.*

S P. N. Sarmatæ et Bryaines memoria *profertur in nostro Ms. Supplemento Græco ad Menæa magna typis edita, et honorantur duobus versiculis; suspicor fuisse ascetas. Non novimus plura aliunde, nisi quod in Menæo Chiffletii sola eorum nomina ponantur* Sarmata et Bryaines.

S. Eulalius in pace consummatus *est in Supple-* C *mento nostro Græco Ms. ad Menæa magna excusa. In Menæo Chiffletii etiam notus est.*

Beatissimi P. N. Alexandri Sivirici Thaumaturgi *mentionem facit Menologium Sparwenfeldianum Slavo-Russicum. De cultu ejus legitimo, e rebus aliis nihil scimus. Ad vocem* Sivirici *notatur ad marginem* Siviria urbs est ; *non additur ubi.*

Erus abbas in Armcutera *ponitur in Kalendario Ordinis Cisterciensis, quod anno* 1617 *editum est Divione. Laudatur ut* beatus *ab Henriquezio et Chalemoto. Probanda est legitima ejus veneratio.*

S. Epiphanius I, episcopus XI, xxx Augusti, ab anno cclxx ad an. cclxxiv. Corp. in Saxon. in urbe Hildesnheim *inscribitur Catalogo episcoporum Ticinensium*, sanctitate fulgentium; *sed illorum*, quorum adhuc. . ecclesia Ticinensis non celebrat Officium divinum. *Catalogus ille impressus est post Breviarium Vitæ Sanctorum ejusdem ecclesiæ episcoporum, quod vulgavit Joannes Baptista de Gasparis : apud quem pag.* 112 *exstat oratio propria* de *S. Epiphanio, primone an secundo istius nominis, me latet. Ughellus tomo* 1 *col.* 2 * *Italiæ sacræ, de secundo confuso cum primo sic scribit :* D Vehemens itaque mihi suspicio est, aliquid hic subesse erroris, huncque Epiphanium cum altero Mirocli coætaneo facile fuisse confusum. *De secundo agit Ughellus col.* 7 *. *Consule quæ de illo habentur apud nos tom.* ii *Januarii, die* xxi, *ubi post ejus Vitam ponitur* translatio Ticino Hildesheimum. *Si eruditi Ticinenses plura nos docuerint de publico* Epiphanii I *cultu, rebusque ab eodem gestis, poterit eorum ratio haberi in Supplemento Operis nostri.*

S. Sigillindis virg. et mart. *apud Saussayum in Supplemento signatur hac die* Coloniæ ad sanctos Machabæos : *quæ cum titulo* beatæ *etiam refertur a Gelenio de Coloniensis urbis magnitudine lib.* 4, *pag.* 718. *At de cultu publico nihil novimus, nec scimus qualis sit illa virgo.*

Ingoberga Francorum regina *laudatur ab Arturo in Gynæceo tamquam* beata. *Fuit uxor Chariberti regis, ab eoque repudiata, insignia virtutum exempla edidit, et pie obiit. Scribit de ea S. Gregorius Turonensis lib.* 4 *Historiæ Francorum cap.* 26 *a columna* 165 *editionis Ruinartianæ; de morte autem ejus ac virtutibus lib.* 9, *cap.* 26, *col.* 450. *Non novi quidquam de publico ipsius cultu.* E

Festum glorificationis B. Virginis in sacro Ordine S. Brigittæ *notat Antonius de Balinghem in Ephemeridibus suis Marianis, ex Breviario ejusdem.*

Imaginis D. Virginis divinitus pictæ festivitas in Valleviridi montis Ætnæ juxta Acim *notatur a Cajetano in Idea Operis de Sanctis seculis.*

S. Gaudentii martyris et sociorum passio *notatur apud Saussayum in Supplemento, addito loco* in pago Convenarum : *quorum* hic anno ætatis duodecimo dicitur occisus. *Majorem de istis Martyribus notitiam desideramus.*

Sancti Junionis, *nescio cujus,* episcopi et confessoris *mentio sit e codice Altempsiano inter auctaria ad nostrum Usuardum.*

Falco Utenhovius canonicus Insulanus *laudatur a Raissio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani.*

Gunterus monachus Novi-Castri in Germania *etiam tamquam* beatus *refertur ab Henriquezio.* F *Utinam nobis constaret de publico cultu ejus.*

S. Fermerius *(S. Fraigne)* confessor *annuntiatur a Castellano* in provincia Engolismensi. *Plura de illo edoceri cupimus.*

S. Dasias conf. *notatur apud Castellanum in* Æthiopia, *aliunde nobis ignotus, præterquam quod in Fastis sacris ecclesiæ Æthiopicæ apud Ludolfum etiam signetur hac die.*

S. Severæ, *nescio cujus*, *nomen occurrit inter auctaria ad Martyrologium Bedæ, prout a nobis vulgatum est.*

S. Florentina, honorata Secusterone *(a Cisteron)* tamquam virgo et martyr, *quam etiam memorat novum Martyrologium Parisiense, ponitur a Castellano. Desideramus ulteriorem, sicubi exstet, de illa notitiam a doctis Gallis.*

Didadicus Mugnosius, Gumiel, et Antonius a sancta Maria, *ab hæreticis occisi, in Gomera insula Canariæ.*

Petrus Toelatus, *Bergeraci in Aquitania, a Calvinistis interemptus.*

Martinus de Sarmiento episcopus, *Populæ de Angelis in India occidentali.*

Omnes cum titulo beati, *quatuor autem primi*

A *occidentali.*

Tres Socii S. Francisci, *Villæ-Francæ in territorio Lugdunensi.*

Nicolucius Senensis tertiarius, *columbarii in Tuscia.*

Cherubinus a sancta Lucia, *Agrigenti in Sicilia.*

Martinus a Carrascola, *Conchæ in Castella.*

Domicilla de Falconinis V., *Volaterræ in Etruria.*

etiam cum titulo martyris signantur apud Arturum in Martyrologio Franciscano, et ultima quoque in Gynæceo.

S. Raymundi Nonnati *celebritas memoratur apud nos tom.* II *Januarii pag.* 981 *ex* Ordine recitandi divini Officii, *quem excusum in Hispania diximus. Acta ejus illustrabimus die proxime sequenti, quo habetur in Martyrologio Romano* XXXI Augusti.

S. Aidanus confessor, Lindisfarnensis episcopus et Anglorum apostolus *laudatur a Camerario. Inscribitur Martyrologio Romano* XXXI Augusti.

S. Firmini episcopi Ambianensis *mentionem faciunt Maurolycus et Ferrarius. Galesinius scribit* Firmi, *tituloque* episcopi *addit* et confes-B soris : *sed in ejusdem, notationibus est* Firmini : *de quo ad diem* I Septembris.

S. Agabii episcopi Novariæ translatio *memoratur a Ferrario. Colitur hic Sanctus* X Septembris.

XVI Martyrem Thebæorum memoria *occurrit in Menæis magnis impressis, et in nostro Græco Ms. supplemento ad eadem Menæa alibi sæpissime memorato. De plurimis Martyribus Thebaidos tractavimus* V *Januarii et* XXVIII *Julii.* S. Mauritius *et alii e legione Thebæorum sunt in Romano* XXII *Septembris. An, et quibus dicti sexdecim sint annumerandi, compertum non habemus. Videri poterunt dies* V Januarii, XXVIII Julii, et XXII Septembris.

SS. Agnetis, Mauritii, Fructuosi, Augurii et Eulogii translationes *narrat Antonius Domenec in* D *Historia generali Sanctorum principatus Cataloniensis edita Hispanice, lib.* 1 *a fol.* 83 *verso. Habentur synonymi Sancti apud nos die* XXI *Januarii, nimirum S. Agnes, et alii jam nominati, excepto Maurilio, de quo Martyrologium Romanum* XXII *Septembris. Videri itaque poterunt dies* XXI Januarii *et* XXII Septembris.

S. Therentiani ep. et mart. una cum Flacco *memoria habetur in Greveno, de quibus et Maurolyeus.* Terentianus *ille ponitur in Martyrologio Romano* I Septembris.

Translatio sancti Donatiani Remensis episcopi, *ex Molano : de qua etiam Canisius, Ferrarius, ac Saussayus in sua Serie. Colitur hic Præsul* XIV Octobris.

Natale SS. Felicis episcopi civitatis Tubzocensis, et Audacti et Januarii presbyteri, et Fortunatiani et Septimini lectorum *in Martyrologio Bedæ, prout a nobis editum est, annuntiatur* in Venusia civitate Apuliæ. *Spectant ad diem* XXIV Octobris.

Willibrordi episcopi translatio, *ex additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum Greveni. In Martyrologio Romano refertur hic Sanctus* VII Novembris. E

S. Ealdwoldi *(seu* Edwoldi) confessoris, fratris beati Edmundi martyris *memoria inter auctaria ad Usuardum a nobis vulgatum notatur e codice Altempsiano, præmisso ibidem loco* Ceucyo monasterio. *Heri inter Prætermissos eum distulimus ad* XXVIII Novembris.

S. Lazari Massiliensis episcopi depositio *exstat in nostro Florario Ms., ubi et laudatur hic Sanctus. Habetur etiam in Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ inter auctaria Usuardi a nobis editi. Inscriptus est in Martyrologio Romano ad diem* XVII Decembris.

DE S. PHILONIDE EP. ET MART.

CURII IN CYPRO INSULA

Loci descriptio, cultus et martyrium e Mss. Græcis.

J. P.

Sub Diocletiano. Topographica Curii notitia :

Curium, *civitas episcopalis in Cypro insula,* nunc Piscopia dicta, *teste Baudrando,* estque, *sicut addit,* casale amplum, *ex* Lusignano, Nigro, et Porcaccio, *quos memorat, sanctum hunc* C *Præsulem et martyrem habuit. De eodem autem loco varia collegit Cellarius Notitiæ orbis antiqui lib.* 3, *cap.* 7, *pag.* 165 : Ab Amathunte, *ait,* proximum Straboni et Ptolemæo est Κουριὰς Curias promontorium : et deinde Κουριον πολις Curium oppidum, inter quod et promontorium Ptolemæus habet Lyci amnis ostia. Oppidum Plinius *(lib.* 5 *cap.* 31) Curiadem vocat communi nomine cum promontorio : « Nea Paphos *, *inquit,* Palæpaphus *, Curias, Citium » cetera. Stephanus tamen, ut Strabo et Ptolemæus : Κυριον, πόλις Κύπρου, Curium oppidum Cypri... Fuit, quod Strabo addit Ἀργείων κτίσμα, Argivorum opus, seu ab Argivis conditum. Ptolemæus deinde promontorium, cui φρούριον, .. id est castellum et munimentum, nomen est : in quo finit latus meridianum. At Strabo et Curium occidentali lateri adscripsit : Ἀρχὴ τοῦ δυσμικοῦ περίπλου τὸ Κούριον : Initium occiduæ circumnavigationis est Curium. Malim vero austrinæ plagæ cum Ptolemæo relinquere, quia figuræ, quam hujus insulæ recentes pictores nobis adferunt, est omnino accomodatius. *Porro conspectum Curii exhibet idem Cellarius in mappa geographica ad libri* 3 *modo dicti caput* I. *Zeno ejusdem episcopus memoratur in concilio Ephesino anni* 431, *ut licet* F *videre apud Harduinum tomo* I *Conciliorum columnis* 1426, 1529, *et* 1617.

* i. e. nova Paphos
* i. e. vetus Paphos

cultus e Fastis Græcis Mss.

2 *Quamquam vero dubitare non possimus, quin* S. Philonides *virtute ac meritis egregie dignitatem suam episcopalem ornaverit, vellemus tamen, ut plura nobis forent ad manum, quam nunc sint, e quibus ea illustrare possemus. Interim de publico ipsius cultu hæc ponimus e Fastis Græcis. In Supplemento nostro Ms Sirmondo-Chiffletiano ad Menæa magna typis vulgata sic annuntiatur ad diem* XVII *Junii (e quo ad hunc dilatus est, ut videre licet ibi inter Prætermissos)* Μνήμη τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Φιλονείδους ἐπισκόπου τοῦ Κορίου. *Id est,* Memoria sancti hieromartyris Philonidis episcopi Coriensis, *pro* Curiensis. *In eodem Supplemento iterum recurrit die* XXXI *Augusti :* Ἄθλησις τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Φιλονίδους.

A λονίδους. *Id est,* Certamen sancti hieromartyris Philonidis. *Refertur etiam in nostris excerptis ex Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani, citato* codice f. N. n. 178, *et additur brevis narratio martyrii. At nos illud damus e dicto nostro Supplemento, in quo habetur e codice Chiffletiano Ms. ad* XVII *Junii :*

martyrium

3 Οὗτος ὁ Ἅγιος ἐν ταῖς ἡμέραις Διοκλητιανοῦ ἀποκεκλεισμένος φυλακῇ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν μετὰ τοῦ Ἀριστοκλέος, Δημητριανοῦ καὶ Ἀθανασίου· κἀκείνων τελειωθέντων ἐν μαρτυρίῳ, οὐ μετὰ πολλὰς ἡμέρας ὁ μιαρὸς Μαξιμιανὸς δόγμα ἐξέθετο τοῦ βιάζεσθαι τοὺς Χριστιανοὺς ὑπὸ ἀσώτων ἀνδρῶν μιαίνεσθαι τῇ φρουρᾷ τοῦ σώματος αὐτῶν Τοῦτο μαθὼν ὁ ἅγιος Φιλονείδης, μὴ θέλων παρανομίᾳ ταύτῃ μιανθῆναι, ἀνελθὼν ἐφ' ὑψιλοῦ τόπου, καὶ δήσας τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ τὸ πρόσωπον καλύψας τῷ ἑαυτοῦ ἀναβολαίῳ, κλίνας τὸ γόνυ, καὶ ἐπὶ πολὺ προσευξάμενος, ἔρριψεν αὐτὸν ὄρθριον κάτω, καὶ πρὶν τὸ σῶμα κατελθεῖν, τῷ Κυρίῳ τὸ πνεῦμα παρέθετο.

e Græco
* προπολίου

4 Ὁδοιπορούντων δὲ τινων προπολλοῦ* τόπου τῆς πόλεως ὤφθη τούτοις ὁ Ἅγιος ἔμπροσθεν αὐτῶν τρέχων γυμνὸς, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐστεμμένος, μύροιστε εὐώδεσι κατηλειμμένος, καὶ βαία κατέχων ἐν τῇ χειρὶ αὐ-
B τοῦ, καὶ βοῶν· Εὐχαριστῶ σοι, Χριστέ μου, ὅτι ἐν σοι νενίκηκα, καὶ ἀπὸ πύλης ἐπιγείου ἐπὶ τὰς πύλας οὐρανοῦ ἀνήγαγές με. Πλησίον δὲ γενομένων αὐτῶν τῆς πόλεως, ἀπέστη ἀπ' αὐτῶν· καὶ ἐπὶ τὸν τόπον ἐλθόντες, ἔνθα ἔκειτο τὸ λείψανον αὐτοῦ, ἐγνώρισαν αὐτόν. Ἐμβάλλεται δὲ ὑπὸ τῶν ἑλλήνων εἰς σάκκον, καὶ ῥίπτεται εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ αὖθις ταραχθεῖσα ἡ θάλασσα ἐρρίπτει ἔξω τὸ τίμιον σῶμα, ὅπερ οἱ Χριστιανοὶ εὑρόντες ἀξίως ἐκήδευσαν. Ἀριστων δὲ ὁ ἐπίσκοπός ποτε κρατηθεὶς, καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως οὐσθεὶς* συνεγράψατο. Quæ sic reddo Latine.

* f. οὐτηθεὶς
Latine

5 Hoc Sancto in diebus Diocletiani incluso carceri propter confessionem Christi, cum Aristocle, Demetriano et Athanasio, illisque consummatis im martyrio, non multos post dies impurus Maximianus edictum edidit cogendi Christianos, ut a viris luxuriosis contaminarentur in custodia corporis sui. Hujus rei conscius sanctus Philonides, hac iniquitate contaminari nolens, altum locum ascendit, caputque suum ligans et faciem tegens pallio suo, flexis genibus, diuque precatus, mane projecit se inferius : quo antequam corpus perveniret, spiritum Deo tradidit. Aliquibus autem loci suburbani iter facientibus ad civitatem, visus est Sanctus ante illos nudus currens, caput coronatus, unguentisque fragrantibus delibutus, ac ramos palmæ in manu sua tenens, et clamans : Gratias tibi ago, Christe mi, quia in te vici, et e porta terrestri ad cæli portas eduxisti me. Dum autem illi essent prope civitatem, discessit ab ipsis : atque ad locum venientes, ubi jacuerat corpus illius, notum fecerunt eum. A gentilibus autem injicitur in saccum, et projicitur in mare : et turbatum mare ejicit rursum venerabile corpus, quod Christiani invenientes, condigne ei justa persolverunt. Ariston autem episcopus aliquando comprehensus, et non scio quomodo occisus, conscripsit. *Hæc narratio videtur fabulosa.*

[illegible] J. P.

E
redditum.

6 *De SS. Aristocle presbytero, Demetriano diacono, et Athanasio lectore scripsimus* XXIII *Junii, ubi signantur passi Constantiæ in Cypro. Nihil tamen ibidem lego de* S. Philonide, *qui superius indicabatur carceri cum eisdem inclusus fuisse, et post illos martyrium consummasse. Modus autem, quo illud confecit, ad singularem Dei inspirationem referri debet, qui tamquam dominus vitæ humanæ ac necis, eo modo hunc Sanctum ad se vocavit, quo plures alios, vehementi videlicet Spiritus sancti flamma accensos, ejusdemque jussu violentas lictorum manus voluntaria morte prævenientes.* Ariston *autem ille* episcopus *aliunde nobis notus non est.*

DE SS. FELICE PRESBYTERO ET ADAUCTO

MARTYRIBUS

ROMÆ VIA OSTIENSI

C F J. S.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

§ I. Cultus horum Sanctorum antiquissimus : Acta ex Adone ; beneficia quædam et reliquiæ locis variis.

Sub Diocletiano.
Memoria horum Martyrum in Fastis antiquis :

Omnibus fere Martyrologiis et Kalendariis inscripta sunt sanctorum Felicis et Adaucti *nomina, neque ullum potest esse dubium, quin cultus horum Martyrum sit antiquissimus. Hieronymiana pleraque eos ad* XXX *Augusti annuntiant, sed aliqua pro* Adaucto *per metathesin litterarum* Audactum *habent. Richenoviense apud nos post tomum* VII *Julii sic habet :* Romæ via Ostiensi, natale sanctorum Felicis et Adaucti. *Rhinoviense vero :* Romæ, natal. sanctorum Felicis et Audacti. *Eodem modo scribitur in veteri Martyrologio Romano per Rosweydum edito :* Via Ostiensi, Felicis et Audacti martyrum : et *in Kalendario Romano, Frontonis cura illustrato.* SS. Felicis et Audacti, *et alibi. Ad quod laudatus Fronto hæc observat :* Porro Audactus et Adauctus idem nomen : sed metathesis est litterarum sat frequens illis temporibus. Vide Glossarium Rosweydi ad finem libri, qui continet Vitas Patrum. *Reperiuntur iidem Martyres in Sacramentario Gregorii* XXX *Augusti, uti et in aliis antiquis Kalendariis, quorum catalogum texere non est necesse. Observo tamen in Kalendario antiquo Gallorum, quod edidit Acherius tom.* 10 *Spicilegii, pag,* 138 *vocari* Felicissimum et Audactum.

2 *Hæc omnia dilucide ostendunt antiquum admodum esse horum Sanctorum cultum. Confirmatur*

illos epitaphio honoravit S. Damasus Papa :

AUCTORE J. S.

matur ille ex carmine 24 Damasi Papæ, quod epitaphium est Martyrum nostrorum, quodque in Operibus Damasi pag. 88 sub titulo, de SS. Martyribus Felice et Adaucto, *recitatur hunc in modum :*

O semel atque iterum vero de nomine Felix,
Qui intemerata fide, contempto principe mundi,
Confessus Christum, cælestia regna petisti,
O vere pretiosa fides, cognoscite fratres,
Qui ad cælum victor pariter properavit Adauctus.
Presbyter is * Verus, Damaso rectore jubente,
Composuit tumulum Sanctorum limina adorans.

** Forte his*

Tillemontius tom. 5 in Persecutione Diocletiani art. 49 loquitur de hoc epitaphio ex Baronio, qui istud in appendice tomi 4 tamquam Damasi recitaverat, uti et Aringhus mox a nobis citandus idem Damaso attribuerat. Verumtamen Tillemontius non Damasum, sed Verum presbyterum, loquentem inducit, acsi ejus essent carmina. Sed B *nullum est dubium, quin Damasi sint, cum cujus stylo optime congruunt, et in cujus Operibus sunt edita. Hæc porro carmina insinuant, jam circa medium seculi* IV, *quo vivebat Damasus, Romanis in veneratione fuisse* Felicem et Adauctum.

antiquum eorumdem cœmeterium cum ecclesia seculo nostro detectum :

3 *Aringhus in Roma subterranea lib. 3, cap. 4 agit de cœmeterio et ecclesia* SS. Felicis et Adaucti, *via Ostiensi olim structis. Cœmeterium autem istud etiam* Commodillæ *nominatum fuisse ostendit. Quo tempore factum fuerit, non constat. Verum instauratum fuit seculo* VI *per Joannem I, in quo Anastasius Bibliothecarius sic habet :* Item renovavit cœmeterium Felicis et Adaucti. *Idem de ecclesia eorumdem Martyrum instaurata hæc scribit in Leone III ;* Itemque renovavit sarta tecta beati Felicis et Audacti martyrum, juxta sanctum Paulum apostolum. *Franciscus Blanchinus in prolegomenis ad Anastasium Bibliothecarium nuper recusum tom. 2, pag. 127, exponens Itinerarium cujusdam anonymi per Urbem et circa Urbem, refert, insignem partem cœmeterii* SS. Felicis, Adaucti *et Emeritæ, cujus nomen postea accessit, inventam esse seculo nostro* C *extra portam Ostiensem loco per dictum Itinerarium designato. Verba ejus accipe :* Insigne hoc cœmeterium paucos ante annos detectum est hoc ipso in loco per Itinerarium indicato, nempe ab ecclesia S. Pauli superato proximo clivo in via perducente ad S. Sebastianum. Primum a clivo prædicto visitur in villa Mandosia, nuper repertum iudicio veterum picturarum, in cubiculo cœmeterii conspectarum, quæ trium Sanctorum nomina sub eorumdem imaginibus distincte referebant. Easdem delineavit et communicavit sæpe laudandus R. P. Joannes Marangonius, uti luculenter descripsit in Observationibus ad martyrum cœmeteria pari cum laude supra recensitus canonicus Boldettus lib. 2, cap. 18, pag. 541. Quare non immerito Bibliothecarius num. 361 in Vita S. Leonis tertii locum hunc Felicis et Adaucti ecclesia et cœmeterio insignem appellat JUXTA S. PAULUM APOSTOLUM.

elogia ex Usuardo et Nothero,

4 *Hisce, quæ antiquissimam Martyrum nostrorum venerationem abunde demonstrant, prolixiora quædam elogia subjungo. Usuardus tale exhibet :* Romæ via Ostiensi, passio beati Felicis presbyteri, sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, qui post equulei vexationem, data sententia, cum ad decollandum duceretur, D obvius ei fuit quidam Christianus. Hic cum se Christianum sponte profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus est. Hujus nomen ignorantes Christiani, Adauctum eum appellaverunt, quod sancto Felici auctus sit ad coronam. *Eadem plane habet Martyrologium Romanum. Notherus ad eumdem diem hoc composuit elogium :* Romæ via Ostiensi, Felicis et Adaucti martyrum. Hic Felix cum ad diversorum deorum imagines duceretur compellendus sacrificare, Serapis, Mercurii, et Dianæ, exsufflans statuas dejecit. Pro qua re suspensus est in equuleum, et de patibulo vivens depositus, jussus est decollari. Cumque eo duceretur, obvius est ei quidam Christianus, qui divino instructu subito exclamavit : Et ego ipsum, quem hic sanctus Presbyter confitetur, Dominum Jesum Christum colo. Mox et ipse comprehensus, cum beato Felice decollatus est. Hunc postea Christiani, quia nomen ejus ignorabatur, Adauctum appellaverunt, quia martyri Felici auctus sit ad coronam ; ipsique pro fidei confessione corona martyrii sit aucta. *Duo hæc elogia desumpta sunt ex Actis, quæ Ado integere descripsit, uti et Florarium nostrum Ms.* E

Acta vero integra recitantur

5 *Audi Adonem :* Romæ, via Ostiensi, milliario secundo ab urbe, natale beatissimorum martyrum Felicis et Adaucti, sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, præfecto et judice Dracco. Fuere autem duo fratres nomine et opere Felices, ambo presbyteri. Horum senior Felix ex jussione imperatorum cum ad secretarium judicis esset perductus juxta templum Serapis, dum cogeretur ad sacrificandum, exsufflavit in faciem statuæ æreæ, et statim cecidit. Item ductus ad Mercurii statuam in aliam ædiculam, simili modo in illam exsufflavit, et mox cecidit. Item ad simulacrum Dianæ, quod pari modo dejecit. Reductus ad præfectum imponitur equuleo, et inquisitus, quibus hæc maleficiis fecisset, B. Felix respondit : Non maleficiis diaboli, sed beneficiis omnipotentis Dei hoc egi. Furore itaque accensus præfectus, jussit eum duci extra Urbem via Ostiensi, quia illic arbor excelsissima stabat dæmonibus consecrata, juxta quam erat templum, ut ibi ad sacrificandum impelleretur. Quo perductus, oratione facta, dixit ad arborem : Præcipio tibi in nomine Domini mei Jesu Christi, ut radicitus corruas, et templum ac simulacrum, vel aram ejus funditus comminuas, ut amplius cultu tuo animæ non decipiantur. Quæ statim ad verba ipsius ita eversa est, ut est templum ac simulacrum comminueret, et quod fuerat, non parceret. F

ex Adone,

6 Quod cum nuntiatum fuisset præfecto, statim jussit eum decollari, et corpus ejus inhumatum canibus et lupis derelinqui. Data sententia, obvius fuit ei quidam vir Christianus, hominibus quidem absconsus, Deo vero manifestus. Hic cum didicisset, quod B. Felix duci fuisset jussus, cœpit clamare et dicere : Et ego ex eadem lege sum, et ipsum, quem hic sanctus Presbyter confitetur, Dominum Jesum Christum colo. Mox et ipse ab officio præfecti comprehensus, pariter dato sibi osculo, cum beato Felice decollatus est. Hujus nomen quia non invenerunt Christiani, postmodum Adauctum eum appellaverunt, quod sancto martyri Felici auctus sit ad coronam, ipsique pro fidei confessione corona martyrii aucta. Christiani itaque noctu venientes, in eodem loco, ubi arbor steterat, quæ cadens nimiam terræ altitudinem aperuerat, eos sepelierunt. Quorum corpora volentes pagani

LUCTORE
J·S

A ni exinde effodere, quicumque manus apposuerunt, a diabolo correpti sunt. Ubi postea pacis tempore basilica fabricata est, et Martyrum memoria digne exculta. Compleverunt autem martyrium suum III Kalendas Septembris.

quorum consonant Mss. codices, exceptis paucis, quæ hic notantur :

7 *Hæc Acta in plurimis reperiuntur Mss. codicibus, editaque sunt apud Mombritium tom.* I, *fol.* 307, *et apud Surium ad* XXX *Augusti. Porro cum Adone quoad verba etiam pleraque consentit Mombritii editio, codice noster notatus* P. *Ms.* 18, *et apographum Trevirense S. Maximini. At Surii editio cum codice nostro* P. *Ms.* 6 *et apographo Audomarensi, quæ cum aliis quibusdam collata sunt, ab Adone et Mombritio in verbis non raro dissentiunt; sed eadem prorsus facta continent. Aliud apographum olim majoribus nostris transmisit D. Andreas Maroquin, quod in verbis magis recedit a prædictis : nam in illo judex non* Draccus, Dracus, Drachus, *ut in aliis, sed* Dracontius *ubique nominatur. Præterea non duo* Felices *initio memorantur fratres, at unus ille, de quo agitur. Demum, præter vocum discrepantias, quæ* B *sensum non mutant, in fine hæc leguntur :* Tandem reddita pace ecclesiis, super Martyrum sacras reliquias fabricata est grandis basilica, et additum cœmeterium, ubi florent orationes eorum usque in hodiernum diem. *Hæc Acta Marbodus episcopus Redonensis eleganti Rhythmo expressit, prout videre est in editione Operum Marbodi, curata per Antonium Beaugendre, post Opera venerabilis Hildeberti Cenomanensis episcopi, ubi legitur sub hoc titulo :* Passio sanctorum martyrum Felicis et Adaucti. *Eamdem nos habemus in codice qui notatur* Q *Ms.* 5, *uti et in apographo aliunde accepto.*

Marbodus episcopus Redonensis eadem Acta Rhythmo expressit : e quo dantur quædam bene ficia.

8 *Marbodi Opusculum, cum jam editum sit, et eadem narret cum Actis memoratis, non recudam : at solum conclusionem subjungo, in qua auctor Sanctos alloquens, quædam refert beneficia ipsorum intercessione impetrata. Itaque sic eos alloquitur :*

Sancte Felix et Adaucte pretiosi martyres,
Qui per fidem superastis sævos mundi principes,
Impetrate mihi vestro peccatorum veniam,
Qui soletis sitienti terræ dare pluviam.
Vidi bis, cum siccitate morerentur segetes,
Arva finderentur siti, desperarent homines,
C Postquam vestra sacro-sancta sunt prolata pignora,
Statim venit de supernis exoptata pluvia.
Rursum vidi, cum natarent arva magnis imbribus,
Premerentur curvæ messes noxiis graminibus,
Postquam vestras sacro-sanctas prompsimus reliquias,
Statim fulsit impetrata cœlitus serenitas.
Vos habetis potestatem cæli portas claudere,
Rursus inde, quando vultis, largos imbres fundere.
Irrigate, quæso, meam sitientis animam,
Non per imbrem, sed per illam, quæ me mundet, gratiam.
Vobis meus deservivit qualiscumque calamus,
Per vos mundi Conservator mihi sit propitius. Amen.

quæ videntur Andegavi contigisse, ubi Martyrum capita dicuntur inventa : hæc tamen

9 *Non omnino certum videtur, an in ecclesia Andegavensi, an in Redonensi contigerint relata modo beneficia, cum Marbodus episcopus fuerit Redonensis, et ante episcopatum diu militaverit in clero Andegavensi. At verisimilius puto Andegavi contigisse, in Breviario enim Andegavensi anni* 1624, *in quo ad* XXX *Augusti festivitas Sanctorum nostrorum celebranda præscribitur Officio semiduplici, de reliquiis eorumdem hæc referuntur lectione* 4 : Eorum capita in ecclesia Andegavensi inventa, cum reliquiis sancti Serenedi recondita sunt per Gabrielem episcopum, anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, die decima Aprilis; ibique religiose venerantur. *Verumtamen capita* SS. Felicis *et* Adaucti *sibi quoque adscribunt colonienses : nam Gelenius de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib.* 3, *pag.* 297 *describens thesaurum ecclesiæ collegiatæ SS. Apostolorum, non modo recenset* reliquias SS. Fœlicis et Adaucti martyrum, *quas* anno MCCXXV, Idibus Julii, Walterus Karliolensis episcopus *cum aliis imposuit sarcophago argenteo gemmis exornato; sed deinde sic prosequitur :* III et IV hermæ *(id est, thecæ)* preciosæ, includentes capita SS. Fœlicis presbyteri et Adaucti martyrum, singulæ singulis sunt inscriptæ versibus, cujus Sancti caput contineant, videlicet :

Sum Fœlix dictus, cole me si vis fore fœlix.
Augeo res auctas, qui nomine dicor Adauctus.

sibi quoque adscribunt Colonienses, uti et Beccenses caput S. Felicis :

10 *Et inferius,* Per quem, *inquit,* Agrippinenses sanctorum martyrum Fœlicis presbyteri, et alterius illi ad coronam fœlicissime Adaucti sacra lipsana acceperint, clerus apostolicus hebdomadatim E commemorat hymno ecclesiastico :

Quorum capita Sanctorum
Clerus hic Apostolorum
Habet in custodia,
Hæc de Roma tulit primus
Pius quondam Piligrimus,
Præsul in Colonia :
Cujus corpus hic decenter
Jacet, et ejus frequenter
Agitur memoria.

De Piligrimo episcopo Coloniensi agitur in nova Gallia Christiana tom. 3, *a col.* 655, *ubi obitus ejus innectitur anno* 1035. *In Usuardo editionis Lubeco-Coloniensis ad diem* IV *Martii de hisce leguntur sequentia:* Item translatio sanctorum martyrum Felicis et Adaucti; scilicet capita eorum nunc Coloniæ habentur in ecclesia SS. Apostolorum. *Jam vero utrum Andegavenses, an Colonienses potiori jure sibi capita horum Martyrum adscripserint, non disputo, sed malim existimare, partem utrisque concessam fuisse, cum nihil frequentius occurrat in sacris reliquiis quam partem corporis aut capitis pro toto sumi. Hæc explicatio tanto magis hic est necessaria, quod* F *etiam in Chronico Beccensi, edito post Opera Lanfranci, ad annum* 1152 *legantur sequentia :* Eodem anno Joannes Romanus, qui a puero fuerat monachus sancti Sabæ, et postea abbas sanctæ Mariæ in Capitolio Romano, et, relicta eadem abbatia, factus fuerat monachus Becci, perrexit Romam, et inde rediens caput beati Felicis martyris, socii Adaucti, attulit secum, et gratuito dono dedit illud ecclesiæ Beccensi.

corpora variis locis adscripta: aliæ quædam reliquiæ.

11 *Corpora horum* SS. Felicis *et* Adaucti *variis attribuuntur. Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* XXX *Augusti hæc memorat :* In monasterio sancti Petri de Ferrariis, diœcesis Senonensis, veneratio sanctorum corporum beatorum martyrum Felicis et Adaucti, hodie extremo agone via Hostiensi peracto Romæ triumphantium, quæ integra huc transvecta ibidemque reposita, cultu præclaro honorantur. *Bucelinus vero in Sacrario Benedictino ad eumdem diem, exposito breviter Sanctorum nostrorum martyrio, ista subjungit :* Quiescunt hi Sancti duo in Andechs *(Monasterium est in Bavaria, quod alias*

AUCTORE J. S.

alias Mons sanctus, *vulgo* Heiligen-berg *dicitur.)* Sed de utroque corpore contendit monasterium Ferrariarum. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 3, pag. 16 scribit de Ermengarde imperatrice :* Hæc sancti Sixti, ac sanctorum Felicis et Adaucti reliquias, a Leone IV sibi concessas, Roma attulisse, et in suo monasterio collocasse traditur, epitaphio non obscure attestante. *Monasterium istud est parthenon Ersteimensis in Alsatia. Insuper* ossicula de sanctis Fœlice et Adaucto *Coloniensi ecclesiæ B. Mariæ virginis ad Gradus assignat laudatus modo Gelenius pag.* 310. *Demum Piazza in Hemerologio sacro Urbis ad* XXX *Augusti* brachium S. Felicis *asserit conservari Romæ in ecclesia S. Laurentii in Lucina.*

B

§ II. Examinantur ea, quæ contra Acta objecta sunt, et disputatur de S. Felice fratre Martyris nostri, quem probamus esse alium a S. Felice Nolano, et nominari Felicem in Pincis.

Acta SS. Felicis et Adaucti repudiant aliqui; sed rationes non allegant.

Tillemontius tom. 5 *Monument. eccl. in Persecutione Diocletiani art.* 49 *rotunde edicit Acta* SS. Felicis *et* Adaucti, *quæ ex Adone recitavimus, nihil prorsus valere. At ne verbum quidem profert, quo censuram tam rigidam probet. Illi tamen inhæret Bailletus ad* XXX *Augusti in Tabula critica Actorum, et in Vita ipsa* SS. Felicis *et* Adaucti. *Fateor quidem Acta non esse auctoris contemporanei; (id enim patet ex illis verbis in fine Actorum :* Ubi postea pacis tempore basilica fabricata est : *) adeoque non eamdem habere auctoritatem, quam habent Acta proconsularia aut scripta ab auctoribus coævis. At non satis percipio, quid in brevibus hisce actis Tillemontio, ejusque sequacibus tantopere displicere potuerit, ut ea omnino repudianda duxerint;* C *præsertim cum sanctus Ado et Marbodus Redonensis antistes, usque adeo eadem Acta probaverint, ut tota pro suis adoptarint : atque ex stylo non barbaro judicare possimus, scripta fuisse non diu post pacem Ecclesiæ datam, nimirum seculo quarto aut quinto. Itaque debuerat Tillemontius rationes quasdam censuræ suæ allegare, ut de illius æquitate facilius judicare possemus. Verum cum rationes illas prætermiserit, ex conjectura subjiciam, quid ei in Actis displicuisse existimem.*

nec revera allegari possunt rationes satis idoneæ.

13 *Statuæ Serapidis, Mercurii, Dianæ solo flatu eversæ, atque arbor evulsa, quæ et templum comminuisse dicitur, non placuerunt, opinor, Tillemontio, qui difficulter hujusmodi prodigiis fidem habere potuit, nisi relata essent a testibus insigni auctoritate præstantibus. At vero si Acta Martyrum abjicienda sint ob prodigia aliqua in iis relata, abjicere oportebit alia multa, quæ pro authenticis habentur ab omnibus, uti egregie probavit Honorius a sancta Maria in Opusculo de Observationibus ad regulas critices Dissert.* 4, *art.* 3, 4 *et* 5, *ubi exhibet varia Martyrum Acta eaque sincera, quæ prodigiis scatent et miraculis. Aliud, quod in dictis Actis displicere potuit, est* Draccus *vel* Drachus *aut* Dracontius *judex, qui vocatur præfectus : neque* D *enim ullus reperitur inter Urbis præfectos eo nomine. Hæc quidem difficultas est aliqua, quæ Acta potest reddere suspecta. Responderi tamen potest nomen* præfecti *forsan sumi improprie, et designari judicem inferioris ordinis; aut nomen* Dracci *fuisse addititium ad nomina, quibus præfecti Urbis illius temporis in catalogo præfectorum sunt designati. Demum, cum plures subinde fuerint præfecti eodem anno, fieri potuit, ut hic in vulgatis catalogis non sit recensitus. Quidquid sit, non sufficit hæc ratio ad Acta prorsus repudianda : nec alia occurrunt, quibus Acta suspecta reddi possent, nisi unum illud, quod prolixiori disputatione nunc examinabo, quia spectat ad distinctionem Sanctorum synonymorum.*

Felici martyri frater fuit alter Felix, cujus Acta dedit Bollandus :

14 *Forsan quoque displicuit Tillemontio, quod in hisce Actis mentio fiat de altero Felice, qui Martyris hujus frater dicitur et presbyter. Verum Acta istius Felicis jam edidit Bollandus tom.* I *Januarii ad diem* XIV, *pag.* 951, *et Acta quidem illa cum hisce tam apte consonant, ut dicendum sit, vel utraque fictitia esse aut utraque sincera. Quippe idem in illis occurrit præfectus* Draccus, *et de eversis per* Felicem *nostrum idolis satis clara in iisdem fit mentio. Accipe* E *Actorum istorum initium :* Factum est post completionem beatissimi Felicis presbyteri, alius Felix germanus ejus, junior nomine et actione, et ipse presbyter, cum adductus fuisset ad iniquissimum Draccum Urbis præfectum, cœpit eum compellere, ut idolis immolaret. Quibus beatus Felix presbyter ait : Puto, quod estis inimici deorum vestrorum effecti, ad quoscumque me duxeritis in deorum templis, hoc eis eveniet, quod illis evenit, ad quos meum Fratrem vos duxisse jam pœnitet. Sed si vultis probare virtutem Domini mei Jesu Christi, ad capitolium ire me jubete, ut ipsum Jovem principem dæmoniorum vestrorum ruere faciam. *Hæc tam clare insinuant, Felicem illum fuisse fratrem* Felicis *martyris, de quo nunc agimus, ut mirer Ruinartium in Admonitione prævia ad Acta S. Felicis Nolani quæsivisse, quo id fundamento affirmaverit Bollandus, cum vix ignorare posset fundamentum id asserendi Bollando fuisse utriusque* Felicis *Acta.*

Felicem illum fratrem fuisse Felicis martyris perperam negat Florentinius

15 *Florentinius in observationibus ad* XIV *Januarii dissentit etiam a Bollando, putatque verbis supra citatis designari Felicem aliquem Nolanum, qui frater fuerit Felicis junioris : ac pro ea opinione adducit auctoritatem antiqui Breviarii Capuani, in quo* XIV *Januarii tres ponuntur* F *Felices. Verum illud ipsum Breviarium Capuanum et opinionem Florentinii prorsus evertit, et confirmat Bollandi sententiam. Nam prima lectio istius Breviarii ad* XIV *Januarii est de* Felice *nostro martyre Romano, ut vel ex his verbis patet :* Interea unus ex ipsis *(fratribus)* nomine Felix, qui erat senior frater, cum ductus fuisset ad templum Serapidis, exsufflavit in faciem ejus; et statim cecidit, atque in pulverem redactum est. *Secunda lectio est de Felice juniore ejus fratre, atque ita inchoatur :* Post hæc alius Sanctus vir venerabilis, memorati Martyris germanus junior, adductus ad Draccum. Jussit eum idolis immolare. Tunc sanctus Felix dixit : Ut video inimici estis deorum vestrorum effecti; ad quoscumque me duxeritis hoc eis eveniet *etc. ut supra. Tertia vero lectio est de Felice Nolano, quem S. Paulinus versibus suis celebravit. Itaque prima lectio est compendium Actorum* Felicis *nostri Romani, secunda Actorum Felicis ejus fratris, tertia Felicis Nolani quædam gesta exhibet. Breviarium igitur*

A *igitur Capuanum ipsam Bollandi sententiam continet, ita ut Florentinius non videatur istud eum Actis contulisse, dum memoratas scripsit Observationes.*

et Ruinartius :

16 *Ado et alii quidam Felicem juniorem* Felicis *nostri fratrem confuderunt cum celebri illo Felice Nolano, quem S. Paulinus carminibus laudavit. At utriusque Acta distinxit Bollandus. Ruinartius ante citatus et Tillemontius tom. 4. Monument. nota 4 in S. Felicem Nolanum confusionem illam admittunt quidem; at tantum non putant tribuendum Actis per Bollandum editis, ut credant Felicem illum juniorem aut fratrem esse Martyris Romani, aut Nolæ obiisse, prout in Actis dicitur. Uterque nititur argumento negativo plane infirmo. Audi Ruinartium :* Felicis et Adaucti sepulcrum suis curis a Vero presbytero compositum fuisse asseverat sanctus Damasus carmine 24 *(quod dedi num. 2)* at de Felice hujus Felicis fratre nulla mentio est. *Verum hinc inferri non potest*, Felici *martyri fratrem non fuisse, cum breve epitaphium non exigeret, ut de eo fieret mentio.*

nihilo rectius Tillemontius plures Felices Nolæ obiisse.

B 17 *Tillemontius nihilo melius ratiocinatur hunc in modum :* Sanctus Paulinus ignorare non potuisset Felicem illum, adeoque aliquid de eo dixisset, ut illum ab alio distingueret : *nam illam ipsam rationem mox ipse refutaverat, dum inquirebat an Felix Nolanus contra hæreticos decertasset, ut de eo asseruerunt aliqui, respondens ad silentium Paulini his verbis :* Numquid credibilius est Paulinum, qui Historiam S. Felicis iu plura divisit poemata, ipsius contra hæreticos certamina reservasse cuipiam ex illis *(poematibus,)* quæ sunt deperdita. Nam ex quindecim, quæ ut minimum composuit, non nisi decem habemus integra, et parum, aut nihil prorsus, ex quinque aliis. *Qua, obsecro, consequentia silentium Paulini intorquet Tillemontius contra Felicem nostri* Felicis *fratrem, de quo non agebat, idemque silentium obesse non vult certaminibus Felicis Nolani, quem unice canebat Paulinus? Argumento huic negativo, quod nullas hoc loco vires habet, manifestum adjungit errorem sub finem notæ 6, ubi ex verbis quibusdam Ambrosii Leonis a Bollando citatis hæc infert :* Videtur igitur hic auctor *(Ambrosius Leo)* nou agnovisse C Nolæ nisi unum S. Felicem, et nullus esset illo hac in re fide dignior. *At non dixisset hæc Tillemontius, si ipsum legisset Ambrosium; nam ille lib. 2 de Nola cap. 13 sex Felices enumerat, ac duos ex illis Nolæ mortuos ac sepultos scribit. Audi pauca ejus verba :* Horum itaque sex divorum *(Felicium)* duo corpora Nolæ habentur. *Hinc igitur concludam rectius, tanti momenti non esse argumenta, quæ contra duos* Felices *fratres, quorum alter Romæ via Ostiensi obiit martyr, alter Nolæ confessor, objecta sunt, ut brevia utriusque Acta, invicem recte consentientia, abjicere debeamus, variaque Kalendaria et Breviaria antiqua erroris arguere.*

Plures Felices recensentur ad XIV Januarii

18 *Porro prædictis lumen accedet, si invenire possimus, ubi Felix ille junior* Felicis *martyris frater cultus fuerit, et quo nomine antiquitus ab aliis synonymis fuerit distinctus. Vetus Martyrologium Romanum a Rosweydo editum ad* XIV *Januarii hæc habet :* Nolæ, Felicis presbyteri, in Pincis sepulti. *Kalendarium Romanum Frontonis ad eumdem diem :* Natale S. Felicis in Piucis. *Kalendarium Romanum Allatii eodem die :* Natale S. Felicis confessoris. *Sacramentarium Gregorii Felicem confessorem eodem die celebrat, de eoque sic canit in præfatione :* Vere dignum et justum est . . . confessionem sancti Felicis memorabilem non tacere, qui nec hæreticis pravitatibus, nec sæculi blandimentis a sui status rectitudine potuit immutari. *Menardus in observationibus pag. 36 affirmat sequentia :* In codicibus Rodradi, Rem. et Rat., atque apud Pamelium additur *(ad nomen S. Felicis)* IN PINCIS. Locus est Romæ, in quo sancti Felicis ecclesia ædificata est. *Michael Monachus in Sanctuario Capuano quinque edidit Kalendaria antiqua. In primo ad* XIV *Januarii si habetur :* Depositio sancti Felicis in Pingis, presbyteri et confessoris. *In secundo :* S. Felicis presbyteri et Felicis *M. Tertium mutilatum est mense Januario. Quartum vero sic habet :* SS. M. Felicis in Pincis presbyteri et M., et Felicis Nolani episcopi et conf. *Quintum :* Felicis et Felicis, et Felicis Nolani episcopi.

auctore J. S.

in variis Fastis, atque unus ex illis vocatur Felix in Pincis :

19 *Usuardus ad prædictum diem in antiquissimo codice Pratensi primo refert Felicem Nolanum a S. Paulino celebratum : deinde alium his verbis :* Item eodem die sancti Felicis presbyteri et confessoris. *Quæ annuntiatio, si Usuardi non* E *est, ut putat Sollerius noster, certe est admodum antiqua. Rabanus eodem die duos admittit Felices : nam celebrato primum Nolano illo Paulini patrono, subjungit :* Eadem die natalis est Felicis germani ipsius *(imo germani* S Felicis *martyris nostri, ut sequentia manifeste docent)* quem Dracus Urbis præfectus idolis immolare coegit, et fustibus cecidit, atque in exilium deportare jussit *etc. Synopsis hæc est Actorum Felicis junioris. Hæc omnia, quæ hactenus adduximus, manifeste probant, alium quempiam Felicem, præter celebrem illum S. Paulini patronum,* XIV *Januarii notum fuisse et cultum. Ut autem lector intelligat, quid probare ulterius intendam, existimo prorsus, Felicem illum, qui toties cognominatur* in Pincis, *esse Felicem juniorem fratrem* Felicis *martyris, illumque Nolæ quidem obiisse, ut habent ejus Acta, sed Romæ* in Pincis *fuisse sepultum, ibique cultum, donec per correctionem Breviarii Romani Felix Nolanus in ejus locum sit substitutus, cujus Vita correctoribus Breviarii melius erat cognita ex S. Paulino et aliis. Hæc ut ostendam, locum* in Pincis *dictum prius oportet investigare : nam alii illum Nolæ statuerunt,* F *alii Romæ.*

ecclesia autem S. Felicis in Pincis Romæ fuit, non Nolæ :

20 *Fronto in observationibus ad locum Kalendarii citati de eo sic disserit :* PINCIS locus est Romæ. Nam palatium Pincianum memoratur in Vita Silverii anno DXXXVI, quod paulo post dicitur palatium IN PINCIS : erat enim palatium Pincii senatoris, a quo collis Pincius dictus est, ad quem erat ecclesia S. Felicis IN PINCIS, ut discere est ex Antiquitatibus Romanis Lucii Fauni lib. IV, cap. XI. In Vita Hadriani, qui sedit anno DCCLXXII, dicitur, quod basilicam B. Felicis positam IN PINEIS instauravit. Legendum IN PINCIS. Nam in Vita Benedicti III, qui sedit anno DCCCLV, legitur clare : Pari modo et in ecclesia B. martyris Felicis, quæ ponitur IN PINCIS, fecit vestem etc. Hæc cum sufficiant ad ostendendum, quod PINCIS locus Romæ est, seu a colle Pincio dictus, seu a palatio Pincii, a quo etiam nunc Pinciana porta : tum sane id evincit, quod Paulinus inter tot carmina, Felici suo recurrentibus annis decantata, numquam Pinciani loci meminit etiam tum, cum describit locum, ubi sepultus est. *Hisce passim assentiuntur*

AUCTORE J. S.

tur nunc eruditi, qui admittunt ecclesiam S. Felicis in Pincis *non Nolæ fuisse, ut olim putarunt aliqui, sed Romæ.*

at hinc non sequitur Felicem illum Romæ obiisse, cum probetur Nolæ mortuus.

21 *Verum non omnes hinc concludunt, Felicem, cui sacra erat hæc ecclesia, non Nolæ obiisse, sed Romæ, prout inferre videtur Fronto, dum carpit vetus Martyrologium Romanum, quia habet:* Nolæ Felicis presbyteri in Pincis sepulti; *acsi Felix iste, quiscumque fuerit, non potuisset mori Nolæ, et Romæ sepeliri, aut deinde Romam transferri. Ego sane non video hac in re errasse auctorem istius Martyrologii, sed potius suspicor insinuare voluisse, Felicem istum Nolæ mortuum esse, et corpus ejus vel statim vel deinde Romam translatum, ibique sepultum. Hæc dicti Martyrologii expositio ex variis confirmari potest. Primo Martyrologia et Kalendaria memoriam* S. Felicis in Pincis *passim annuntiant* XIV *Januarii. At nullus cognitus est Felix, qui eo die Romæ obiisse dicitur: duo autem Nolæ* XIV *Januarii dicuntur defuncti. Unis ergo ex illis a martyrologo Romano designatus. Secundo Ado aliique martyrologi, qui Acta utriusque istius Felicis confuderunt, de Felice suo sic confuso referunt, sepultum esse* in loco, qui dicitur Pincis. *Insinuant igitur alterutrum ex illis, quorum Acta miscuerunt,* in Pincis *sepultum esse. Tertio Felix ille in Pincis ab aliis vocatur* martyr, *ab aliis vero* confessor. *Uterque autem titulus congruit utrique Felici Nolano, cum uterque multa (non tamen eadem) pro Christo tulerit, ac tandem in pace quieverit. Hæ rationes vix dubitare me sinunt, quin S. Felix in Pincis alteruter sit ex Nolanis. Restat igitur, ut investigemus, uter ex his* in Pincis *sepultus fuerit.* B

Celeber ille Felix Nolanus in Pincis sepultus non est,

22 *Tillemontius tom.* 4, *nota* 4 *in S. Felicem Nolanum existimat ecclesiam illam* in Pincis *Romæ fuisse, et Felici Pauliniano sacram. Ratio ejus fuit, quod non agnosceret, nisi unum Felicem Nolæ mortuum. Qua etiam ratione alios, qui idem censuerunt, permotos crediderim. Verum hæc unica Tillemontii ratio jam abunde refutata est. Accipe igitur argumenta et plura et meliora, quæ persuadeant Felicem in Pincis illum esse, quem Acta testantur* Felicis *martyris Romani fratrem juniorem, multaque a persecutoribus passum, ac demum Nolæ in pace defunctum. Imprimis argumento negativo ostenditur Felicem Paulini patronum in Pincis sepultum non esse, cum Paulinus nusquam meminerit de illo loco, licet Sancti sepulturam late describat Natali* 6, *et aliis locis de sepulcro sæpe loquatur, et basilicas ejusdem Sancti recensuerit. Hoc argumentum, etiamsi negativum sit, vehementer hic urget; et solum suffecit Ruinartio, ut Felicem in Pincis a Nolano distingueret. Audi ipsum in Admonitione prævia ad Acta Felicis Nolani:* Nusquam enim Paulinus loci IN PINCIS dicti meminit, quamvis quindecim poematibus Felicis gesta, mortem, sepulturam et miracula perstrinxerit, et quinque basilicas recensuerit ad hujus Sancti tumulum constructas . . . Unde satius est fateri, Felicem, qui Romæ in Pincis celebrabatur, diversum a Felice Nolano fuisse. *Nec jam responderi potest, aliqua adhuc latere Paulini de Felice poemata, cum omnia in lucem vindicata sint a Ludovico Muratorio, et jam recusa in nova editione Operum S. Paulini.* C

at per Felicem in Pincis Fasti antiqui

23 *Secundo frequenter repetit Paulinus Felicis sui sepulcrum Nolæ esse, et Tillemontius fatetur locum* in Pincis *esse Romæ. Itaque vetus Martyrologium Romanum designat alium Felicem, dum ait* in Pincis *sepultum. Hinc colligendum videtur, alium item designari in Kalendariis Frontonis et Allatii, uti et in Sacramentario Gregorii: nam omnes hi Fasti cum sint Romani, eumdem verosimiliter designant cum Martyrologio Romano istius fere temporis, et duo ex illis de loco* in Pincis *faciunt mentionem. Hæc mox firmabuntur, cum dicemus Felicem Nolanum in Breviariis Romanis ignotum fuisse usque ad medium seculum* XVI. *Tertio Michael Monachus in Sanctuario Capuano pag.* 450 *sic habet in observationibus ad Kalendarium quintum:* In Martyrologio Ms. Felix in Pincis dicitur, non qui Nolæ, sed qui Romæ colitur. Habent et alia Martyrologia Mss. D

et Breviaria quædam designare videntur Felicem Martyris Romani fratrem:

24 *In Breviario Ms. antiquo, quod apud nos notatur W* 156, *ad* XIV *Januarii Officium fit de Felice presbytero confessore, et unica lectio, quæ ibidem habetur, est initium Actorum S. Felicis junioris, ac sic inchoatur:* Factum est, ut post completionem beatissimi Felicis presbyteri, alius Felix germanus ejus, junior nomine et actione etc. *Breviarium Spirense anni* 1478 *ad eumdem diem tota fere Acta ejusdem Felicis, sicut edita sunt a Bollando, tribus lectionibus inclusit. Osnabrugense anni* 1516 *sub titulo* Felicis in Pincis *compendium eorumdem Actorum in tribus lectionibus exhibet Accedunt his aliarum quoque ecclesiarum Breviaria ejusdem fere temporis, inter quæ tamen aliqua reperiuntur, in quibus Acta utriusque Felicis sunt confusa; at nullum reperi, quod pura exhiberet Acta Felicis Nolani.* E

olim pro Felice in Pincis Romæ lectiones erant ex Actis Felicis martyris,

25 *Breviaria Romana, seculo* XV *et* XVI *edita usque ad pontificatum Pauli III pro festo S. Felicis in Pincis exhibent tres lectiones ex Actis* S. Felicis *martyris, qui cum Adaucto passus est, in quibus mentio fit de fratre ejus Felice juniore. Hinc Breviarium Spirense anni* 1507 *lectione* 3, *ubi aperte præmittit sententiam nostram, sic habet:* Expletis autem duodecim annis, sanctus Felix junior die Dominico, post peracta sacra Mysteria, et pacem populo datam, prosternens se pavimento in orationem, in pace migravit ad Christum, sepultus in loco, qui dicitur Pincis, unde cognomen adeptus est. Ejusdem junioris Felicis hodie ecclesia Spirensis sub titulo Confessoris, Ecclesia vero Romana Senioris sub titulo Martyris festum faciunt: quos tamen ambos oratio communis in plurali numero simul connectit. F *Breviaria Romana jussu Pauli III correcta Felicem in Pincis penitus omiserunt, nec ullum Felicem memorant* XIV *Januarii. Demum, quæ Pii V et sequentium Pontificum jussu correcta prodierunt Breviaria,* XIV *Januarii commemorare cœperunt S. Felicem Nolanum, ac de eo asserere, sepultum esse in loco, qui vocatur* in Pincis: *nec ante annum* 1569 *ullam in Breviariis Romanis mentionem inveni de S. Felice Nolano.*

quod verisimile non est de Felice Nolano: sed minus mirabile de fratre ejusdem Martyris:

26 *Porro cum Felix Nolanus tam celebres habuerit laudum suarum præcones, ut Acta ejus Romanis non possent esse incognita; nullo modo mihi verisimile apparet aut credibile, lectiones de Felice in Pincis tamdiu recitandas fuisse Romæ ex Actis Felicis martyris Romani, quocum celeberrimus ille Felix Nolanus nullam habuit connexionem, si Felix in Pincis idem fuisset cum Nolano. Id tam mirabile non est in Felice juniore, Martyris fratre, tum quod Acta ejus minus essent cognita, tum quod de eo etiam in fratris Actis ageretur, ita ut suspicari possimus, ex ignorantia ejus Actorum contigisse, ut Acta fraterna in ejus quoque festivitate partim prælegerentur.*

27 *Posset*

A *Felicem martyrem XXIV Januarii Romæ cultum non fuisse, sed fratrem ejus, probatur*

27 *Posset quidem hic quispiam suspicari, ipsum* Felicem *martyrem* Adaucti *socium sub nomine* Felicis in Pincis *cultum fuisse a Romanis, quod supra assertum vidimus in Breviario Spirensi. Verum hæc opinio abunde refutatur ex Fastis Romanorum antiquis, quæ Felicem in Pincis manifeste distinguunt a* Felici Adaucti *socio. Quippe vetus eorumdem Martyrologium Notæ obiisse tradit, et* Martyris *titulum omittit. Sic et Kalendarium Frontonis, et Sacramentarium Gregorii de eo agunt, ut de Confessore. Præterea festivitas* S. Felicis *cum* Adaucto *in iisdem Breviariis, quæ dubitationem hanc ingerunt, celebratur* XXX *Augusti, adeoque verisimile non est rursus celebratam fuisse* XIV *Januarii. Ex omnibus igitur concludere liceat, vix dubium videri, quin S. Felix in Pincis, cui et* confessoris *et* martyris *titulus congruit, sit frater junior* Felicis *martyris nostri; aut certe nullum cognitum esse Felicem, de quo verisimilius id affirmari queat.*

Felix et Adauctus nihil commune habent cum martyribus Africanis.

28 *Priusquam huic Commentario finem imponamus, superest, refutanda crisis temeraria Bailleti, qui ad* XXX *Augusti ex Romanis Martyribus nostris Africanos fingere voluit, quia in Be-* B *dæ Martyrologio eodem die* XXX *Augusti annuntiantur quidam Martyres Africani his verbis :* In Venusia civitate Apuliæ natale SS. Felicis episcopi civitatis Tubzocensis, et Audacti et Januarii presbyteri, et Fortunatiani et Septimini lectorum *etc. Quippe hinc colligit, forsan ex Felice episcopo et Adaucto presbytero confictos esse* Felicem *et* Adauctum *martyres Romanos :* Quod, *inquit*, latius videbimus ad XXIV Octobris, *quo apud alios martyrologos referuntur isti martyres Africani. At pœnituit ipsum Bailletum, opinor, temeritatis suæ, cum ad* XXIV *Octobris in Actis dictorum martyrum ne verbo quidem hæc attingat. Quapropter sufficiet adferre verba Sollerii in Observationibus ad Usuardum* XXX *Augusti, quibus assertionem illam jam refutavit hoc modo :* Certe vetera Kalendaria Allatii et Frontonis sæpe citata, Sacramentarium Gregorii, apographa Hieronymiana, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Notkerus, Wandelbertus æque ac noster *(Usuardus)* disertissime hodie signant Felicem dumtaxat et Adauctum, vel per metathesim Andactum, via Ostiensi, cosque tot præterea characteribus et circumstantiis distinguunt, ut hactenus non videam, quid cum superioribus, Africanis omnibus, commune habere queant. *De Felice illo episcopo Africano ejusque sociis agemus eum Martyrologio Romano ad* XXIV *Octobris,* E *quo etiam memorantur in aliis plerisque Martyrologiis.*

AUCTORE J. S

DE SS. BONIFACIO ET THECLA CONJUGIBUS

ADRUMETI IN AFRICA

J. P.

Sub Maximiano. Ex Martyrologio Romano ; notitia loci ;

Sanctum *illud par Conjugum damus e Martyrologio Romano ita eos annuntiante :* Adrumeti item in Africa sanctorum Bonifacii et Theclæ, qui beatorum duodecim filiorum martyrum parentes fuerunt. *Dicitur* item, *quia ibidem proxime retulerat dictum Martyrologium sexaginta Martyres* Coloniæ Suffetulanæ in Africa, *de qui-* C *bus tractabimus hac etiam die, et dicemus, eos* Sufis *potius, quam* Suffetulæ *annuntiandos fuisse. Ibidem etiam occurret mentio de situ* Adrumetensis *civitatis. R. P. Franciscus Orlendius ex Ordine Prædicatorum, in Orbe sacro et profano illustrato, qui anno* 1728 *et sequentibus Florentiæ in lucem prodiit, parte* I. *lib.* 4, *cap.* 8, *de Africæ provinciis , et aliis rebus ad eam spectantibus scribens num.* 7, *pag.* 345 Byzacena, *ait,* regio fertilitatis eximiæ. Ab Ortu habet fluvium Tritonem : ab Occidente Numidiam : ab Austro Lybiam interiorem. Hujus urbs præcipua est Adrumetum, cujus meminit Plinius lib. 5, cap. 4.

an fuerint

2 *Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum observat ista de hisce Sanctis conjugibus :* Plura de iisdem Martyribus leguntur in Actis sanct. duodecim Fratrum, quæ apud nos manuscripta asservantur. *Martyres hic facit Baronius duos istos Sanctos quos in ipso Martyrologii sui contextu absque martyrii titulo annuntiat ; at quo auctore ? Duplex habemus horum duodecim Fratrum Passionis exemplar Ms., quorum alterum* ex Bodecensis cœnob. Ord. Regular. S. Augustini, diœcesis Paderbornensis Passionali *etc., ad cujus finem video aliqua deesse in nostro apographo : alterum* ex Ms. N. Belfortii *transcriptum notatur, et utrumque servamus pro die* I *Septembris. Bodecense vero sic incipit :* Dum fervor Maximiani imperatoris diversis pœnis Christianos perimeret, Africa regio quamdam Christi militum occultabat cohortem : inter quam vir Christianissimus Bonifacius cum conjuge Tecla F nomine, Drumentina urbe constitutus, duodecim filios suos sacræ fidei documentis cotidie instruebat : pro quibus tam ipse quam mater fideliter preces Domino Jesu effundere non dubitabat, dicens cotidie in orationibus suis : Jesu bone, agne immaculate, qui mundum perditum nativitatis tuæ novo lumine reparasti, fac misericordiam cum filiis meis, ut postpositis omnibus diis te solum Deum cognoscant et adorent, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula. Amen.

martyres; tempus vitæ.

3 His nutrimentis et hujusmodi precibus assiduis dum Bonifacius cum conjuge filios suos in fide solidaret, felices illi nihil eorum, quæ a parentibus audiverunt, obliti sunt, sed sicut terra bona doctrinæ femina receperunt, et multiplicatæ fidei fructum parentum moribus reddiderunt. Nam ad comprobandam fidei suæ integritatem atque constantiam, abnegantes semetipsos . . , licet Christianos ob Dei tamen amorem parentes relinquunt, et ubique per fines patriæ suæ discurrentes, verbum veritatis et baptismum Jesu Christi constantissime prædicare contendunt. *Deinde vero in narratione certaminis eorum nihil invenio de*

AUCTORE J. P.

de martyrio Parentum. Alterum autem, quod memorabam, exemplar tractat solummodo de certamine sanctorum duodecim Fratrum, nulla SS. Bonifacii et Theclæ *facta mentione. Acta porro duodecim istorum Martyrum expendi poterunt ad diem* I *Septembris : an vero eadem occasione fortasse aliquid aliunde sperandum sit de Parentum* D *martyrio, me latet. Signavi illos sub Maximiano cum exemplari Bodecensi, et cum Belfortiano, quod ita incipit :* Maximianus, cæsar crudelissimus, audiens famam sanctorum duodecim Fratrum *etc.*

DE SS. IRENÆO, OR, ET OREPSE MARTYRIBUS

J. P.

SYLLOGE

Cultus, elogium, observationes.

*Tempore imperatorum gentilium. Memorantur in variis Fastis Græcis alio die : * redundat hæc vox*

Annua horum Martyrum memoria recolitur in variis Fastis Græcis die XXII *Augusti. Menologium enim, quod Sirletus Latine reddidit, Canisius vulgavit, ita tunc habet :* Eodem die sancti martyres Irenæus, Orus, et Orepsis, gladio * post ignem, post feras, post suspendia, euse percussi, martyrii palmam acceperunt. *Menæum Chiffletii :* Ὦρ, Εἰρηναῖος, Ὄροψις ξιφει. *Id est :* Or, Irenæus, Oropsis gladio. *Menæa* B *magna excusa :* Eadem die sancti martyres Irenæus, Or, et Orepsis gladio consummantur. *Et mox ibidem his versibus honorantur Græcis, quos Latine sic verto.*

Ξίφει τριὰς τμηθεῖσα τριστάτας πλάνης
Βυθῷ καλύπτει τῶν ἑαυτῆς αἱμάτων.

Hæc quando Trias ense cadit, erroris duces
Operit in imo gurgite cruoris sui.

Allusio est in vocibus τριὰς *και* τριστάτας, *similiter cadentibus. Habemus Martyrium istorum trium Pugilum, illa etiam die notatum, e Græco codice Ambrosiano f. N. n.* 152, *quem jam toties indicavimus. Verum Papebrochius tomo* III *mensis Martii, die* XXV, *pag.* 555 *in S. Irenæo episcopo Sirmiensi ac martyre,* Displicet, *inquit*, .. hæc epitome, eo quod episcopum Irenæum cum Levita C confundat, pridie et probabiliter alibi cum duobus sociis, *quos supra nominavimus,* juxta alios omnes passo die XXII Augusti.

alibi hac die 30 Aug. cum elogio :

2 *Porro eorum elogium, seu certaminis historia habetur hodie in Menæis magnis, et in Synaxario, quod ex Menologio, collecto Basilii imperatoris jussu, exstat, et e quo textum Græcum, a nobis editum ad calcem tomi primi hujus mensis Augusti, de more sic interpretor :* Beatus Irenæus fuit Ecclesiæ minister cum sancto Or, et sancto Orepsi : qui Christum prædicantes ab idolorum cultoribus comprehensi sunt, et adstantes coram præside, variis cruciatibus torti. Deinde in ignem projecti fuere, et simul imbre sursum erumpente, et igne exstincto, illæsi exierunt. Post hæc feris etiam traditi sunt, in cibum : verum Dei providentia ab his etiam liberati sunt : item in ligno suspensi, dum vehementer radulis excarnificati essent, iterum, Christo annuente, sine damno permanserunt. Tunc idololatræ immutabilem eorum mentem conspicati, magnasque in furias acti, consensu unanimi illos aggressi sunt : et hic quidem lignis ipsos cædebat ; hic autem lapidibus conterebat dentes eorum : hic capillis arreptos trahebat : hic calce impetebat, et conculcabat. Denique dum funibus eos ligassent, et extra civitatem traxissent, sacra illorum capita gladio absciderunt.

varia observantur E

3 *En tibi, lector, nonnullas super hoc elogio observationes. Prima sit de officio illorum. In editione Menologii Basilii imperatoris, quæ anno* 1727 *Urbini vulgata est, sed aliunde interpolata ; titulus iste prænotatur eorum elogio, quod ibi datur die* XXIII *Augusti :* Ἄθλησις τῶν ἁγιων μαρτύρων Ἱερέων Ὦρ, καὶ Ὀρέψεως. Certamen sanctorum martyrum sacerdotum, Or, et Orepseos. *Ubi vides, duos e Martyribus vocari* sacerdotes, *et omitti nomen proprium* Irenæi, *pro quo intrusum ibi per errorem fuerit nomen appellativum* ἱερέων, *cum nec in contextu elogii editionis istius, nec in nostra uspiam illud occurrat ; sed in utraque* λειτουργὸς *inveniatur. Titulus autem editionis nostræ ad hunc diem* XXX *Augusti sic habet :* Ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Εἰρηναίου, Ὦρ, καὶ Ὀρέψεως. Certamen sanctorum martyrum Irenæi, Or, et Orepseos. *Vide itaque, lector, in hæc annuntiatione diserte exprimi singulorum trium Martyrum nomina propria.*

de eorum officio F

4 *Secundo. In editione utraque officium* λειτουργοῦ, *uti modo dicebam, tribuitur Martyribus ; in Menæis vero magnis scribitur de* S. Irenæo, λευίτης ὑπῆρχε τῆς Ἐκκλησίας. Levita fuit Ecclesiæ. *In Euchologio, seu Rituali Græcorum apud Goarum in notis ad ordinem sacri ministerii pag.* 12 *hæc observantur de verbo* λειτουργεῖν : Authores ecclesiastici Græci, qui vocem hanc λειτουργεῖν, a cujuscumque ministerii publici, etiam prophani significatione, ad officium Missæ celebrandæ primitus olim et in Ecclesiæ nascentis exordio traduxerunt, non ubique illa in hoc proprio ac rigido sensu utuntur ; sed et eamdem ministerium quodcumque sacrificandi muneri annexum, vel ad illud ordinatum connotare demonstrant : qua ratione diaconus λειτουργεῖν hoc loco dicitur. Quamvis enim Græcorum lingua vulgaris solum sacerdotem hodie λειτουργόν, et sacrificandi munus, quo defungitur, λειτουργίαν nuncupet, indubium nihilominus, subdiaconis et diaconis eamdem appellationem fuisse communem, apud Dionysium de Eccl. Hierar. cap. 3, *cujus (sive alterius, quisquis fuerit auctor) verba citat. Deinde hæc subdit :*

quo functi dicuntur :

5 Imo et lectoris Missæ inservientis ministeria, συλλειτουργικὰ dicuntur : unde et inter ecclesiæ Græcæ Officia separatus est liber τῶν συλλειτουργικῶν

A γικῶν τοῦ ἀναγνώστου, lectoris comministerium. *Hæc sufficiant in rem nostram : plura ibidem tegi possunt. Apud Macros in Hierolexico ad vocem* Levita *notantur ista :* De tribu Levi; apud quos in veteri Testamento erat hereditarium sacerdotium : sed in novo Testamento Diaconum significat. *Quæ cum ita sint, videntur nobis probabilius nostri Athletæ officio diaconi, vel subdiaconi, vel, si vis, sacræ liturgiæ ministri fuisse, quod postremum magis accedit ad nomen λειτουργός, quod per se non determinat, cujusmodi ministerium sacrum illud fuerit.*

6 *Duabus his observationibus addatur tertia. Tametsi in variis aliis Fastis de iis agatur die* XXII *hujus mensis, ac in Menæis magnis, quo sunt etiam apud Castellanum ; nos tamen Basilianum Synaxarium secuti, maluimus illos differre ad præsentem diem. Qua vero gratia in editione Urbinate compareant die* XXIII *Augusti, non satis intelligimus. Quonam autem tempore, quo die, quo loco martyrium suum confecerint, nos latet, deficientibus videlicet notis characteristis, quarum indicio aliquid horum erui a nobis possit. Superius illos posui tempore imperatorum gentilium, ad quod videtur spectare narratio martyrii eorum.*

Lectores J. P. cur dentur hac die.

DE S. GAUDENTIA VIRG. ET MART.

ROMÆ

Cultus ex antiquis Fastis et Martyrologio Romano.

J. P.

B

TEMPORE IMPERATORUM GENTILIUM.

Nomen hujus Sanctæ sic inscribitur Martyrologio Usuardi hac die : Item Romæ, sanctæ Gaudentiæ virginis. *Antiquioribus quoque hagiologis non fuit ignota : nam, ut observatur ad textum ejusdem Martyrologii a Sollerio,* In Hieronymianis primo loco notatur « Gaudentia » virgo cum reliquis tribus. » Hæc in Rabano totidem verbis leguntur, quibus alicunde lucis aliquid afferri velim. Porro GAUDENTIA illa Adoni et Notkero prætèrita est : unde mihi dubium non est, quin Usuardus ex Hieronymianis eam acceperit. *Hæc ibi. Non nomino plurima exemplaria cum Mss. tum excusa, quæ illam memorant, nec cum his Martyrologium Romanum, in quo sic habetur :* Item Romæ, sanctæ Gaudentiæ virginis et martyris, cum aliis tribus. *Vides, lector, Virginem hanc non honorari ubique titulo* martyris : *de qua re observare convenit sequentia. Martyrem fuisse suadet primo, quia tres alii vel aliæ cum illa conjunguntur, tamquam ejusdem, ut ego quidem intelligo, sacræ martyrii laureæ consorte. Apographum Corbeiense apud Florentinium sic memorat :* III Kal. *(Septembris)* Romæ natalis S. Gaudentiæ virginis cum reliquis tribus. *Et ibidem vetustissimum Martyrologium S. Willibrordi eidem consonat. Secundo, in antiquis istis Fastis* natalis *Martyrum solet annuntiari. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ in annotatione,* Usuardus, *inquit,* illam virginem nulla martyrii facta mentione facit : quæ an Romana fuerit, incertum est : cum in libro de Virginibus Romanis ab Antonio Gallonio prætermissa fuerit. *Sed ei respondet Florentinius in notis :* Virginem fuisse peculiari corona notant tam libri nostri, quam reliqui fere omnes : quorum aliqui dum martyrem expresse non vocant, ansam dubitandi Ferrario dederunt, an martyr fuerit, sed ex Mss. et vetustioris M. stylo dubitationi locus non relinquitur. *Tempus martyrii me latet. Videtur tamen ad persecutiones imperatorum gentilium referendum.*

E

C

DE SS. MARTYRIBUS LX

F

SUFIS IN AFRICA

Cultus e Martyrologio Romano: locus, occasio ac tempus martyrii.

J. P.

Anno CCCXCIX. Annuntiatio ex Martyrol. Romano : locus mortis

Hunc Martyrum manipulum annuntiat hac die Martyrologium Romanum : Coloniæ Suffetulanæ in Africa beatorum sexaginta Martyrum, qui furore gentilium cæsi sunt. *Additur in notis :* De his scribit S. Augustinus epist. 276. Passi sunt hi, quando ex edictis Honorii imperatoris, quæ recensentur in Codice Theodosiano titulo de Paganis, jussum est omnia simulacra confringi, quarum quidem legum Augustinus meminit de Civitate Dei lib. 18, cap, 54 *etc. De loco palæstræ hæc colligere risum est. Situm sic describit Baudrandus :* Suffetula, urbs Africæ mediterranea Antonino, olim episcopalis sub archiepiscopo Carthaginensi, inde 172 mil. pass. distans in ortum hybernum, ab Hadrumeto 100, a Veveste 70. An exstet modo incertum. Erat et Sufetensis urbs episcopalis. *Apud Carolum a S. Paulo in Geographia sacra pag.* 102 *posterioris editionis ponitur* Sufes, *et pag.* 103 Sufetula. *Apud Ruinartium vero in notis ad Historiam persecutionis Vandalicæ pag.* 305 *occurrit* Præsidius Sufetulensis : *de quo ista observat :* Laudatur hic antistes apud Victorem Vitensem lib. 2, num. 16, supra pag. 38, et in nota 93 in hunc locum pag. 162.

2 *Et mox*, Privatianus a Sufetula, *inquit*, sedit *illustratur :*

AUCTORE J. P.

sedit in concilio Carthag. sub sancto Cypriano inter Rebaptizantes num. 19. *Plura subdit. Diversa itaque est hæc diœcesis a* Suffetana : *nam sequitur ibidem* Eustratius Sufetanus. . *qui* in concilio Carthag., *prout observat,* sub sancto Cypriano num. 20 sententiam tulit, Privatus a Sufibus : cui et Privatiano Sufetulensi, num. præcedenti memorato, respondet Augustinus lib. 6 de Baptismo contra Donatistas cap. 26 et 27. In Collatione Carthag. cap. 142 cum nominatus fuisset Serenianus episcopus Miditensis, statim Peregrinus Donatista episcopus Sufetanus, qui et sic cap. 187 appellatur, interlocutus est, asserens hunc locum e sua esse diœcesi, ubi presbyterum, nomine Victorem habebat. . Ceterum Sufi memoratur in Antonini Itinerario. In synodo Suphetana beatus Fulgentius patres supplex oravit, ut Quodvultdeo episcopo prior supra se ipsum locus concederetur, ut in ejus Vita narratur cap. 29. Suffectanos Martyres sexaginta memorat Augustinus epistola 50, quos hujus opidi incolæ ob confractum Herculis simulacrum trucidarant. Horum memoriam celebrat Martyrologium Romanum die xxx Augusti. *Utriusque modo dicti loci situm exhibet laudatus Carolus a S. Paulo in mappa geographica ad pag. 77. Videri etiam potest Cellarius in Notitia orbis antiqui lib. 4, cap. 4, ubi agit de Africa propria seu Carthaginensi. Porro Martyres nostros annuntiandos potius censui* Sufis, *(unde formatur derivatum* Sufetanus, *quod coincidit cum* Suffectanus, *quo usus est S. Augustinus) quam* Sufetulæ.

occiduntur a gentilibus

3 *Honorius imperator destrui jussit idola in Occidente; quæ res Martyribus nostris occasionem præbuit consequendi felicem fusi pro Christo sanguinis laureolam. Tillemontius tomo 5 Imperatorum in Honorario articulo 12 et sequentibus varia collegit, quæ ad præsens argumentum pertinent. Articulo autem 14 tractat de Athletis Suffectanis ad annum 399, Honorii imperatoris quintum. At juvat audire S. Augustini epistolam 267 (al: 50)* ad Suffectanos, *monito tamen prius lectore de iis, quæ habet Baronius ad dictum annum 399, num. 71 ex ejusdem sancti Patris epistola 154 (al. 57 :)* Ex quibus intelligis, *inquit idem Baronius,* quam a suis exegerit Augustinus in gentilium superstitione abolenda hoc tempore moderationem. Haud tamen ab omnibus id præstitum est, ut ipsa materia, ex qua idola confecta essent, gentilibus ipsis fuerit restituta : quis enim illam a militum manibus rapacissimis extorsisset ?

occasione destructi Christianis simulacri

4 *Et num.* 72 : Accidit autem tunc temporis illud lugubre in Colonia Suffectana, ut gentiles simulacri sui Herculis jacturam passi, adversus Christianos arma corripientes, ex eis trucidaverint sexaginta : ad quos tunc S. Augustinus exprobrans ista breviter scripsit *in citata modo epistola, reprehendens tragicum illud homicidium, atque inanem cultum deorum Gentilium ante oculos ponens occasione hujus facti. Audiamus nunc ipsius epistolæ verba :* Immanitatis vestræ famosissimum scelus, et inopinata crudelitas terram concutit, et percutit cælum, ut in plateis ac delubris vestris eluceat sanguis, et resonet homicidium. Apud vos Romanæ sepultæ sunt leges, judiciorum rectorum calcatus est terror. Imperatorum certe nulla veneratio nec timor : apud vos LX numero fratrum innocens effusus est sanguis, et, si quis plures occidit, functus est laudibus, et in vestram curiam tenuit principatum. Age nunc, principalem veniamus ad causam. Si Herculem vestrum dixeritis, porro reddemus : adsunt metalla, saxa nec desunt, accedunt marmorum genera, suppeditat artificium copia.

Herculis : factum reprehendit S. Augustinus

5 Cæterum deus vester cum diligentia sculpitur, tornatur et ornatur. Addimus et rubricam, quæ pingit ruborem, quo possint vota vestra sacra sonare. Non si vestrum Herculem dixeritis, collatis singulis nummis ab artifice vestro vobis emimus deum. Reddite igitur animas, quas manus vestra contorsit, et sicuti a nobis vester Hercules redhibetur, sic etiam a vobis tantorum animæ reddantur. *Tillemontius in notula ad articulum 14 supra citatum, examinari, ait, poterit super S. Augustino, quod nonnulli volunt, epistolam ejus die 267 esse falsam. Sed quoniam a monachis Benedictinis qui ejusdem sancti Doctoris opera ediderunt, tamquam vera et genuina fuit admissa, et inter alias recusa; non video, quid cogat movere litem adversus antiquissimam ejusdem possessionem. Hinc reprobo aliam notulam marginalem apud Castellanum, quam ponit ad textum Martyrologii Romani Gallice a se redditum in suo Martyrologio universali, dicens hos Martyres non esse in Kalendario Carthaginensi, sed in una dumtaxat epistola, sancto Augustino male attributa.*

in epistola, quæ est ipsius : tempus martyrii

6 *Itane vero tam rotunde et velut ex tripode damnat istam epistolam tamquam spuriam sine ulla probatione? Prudentior enimvero hic fuit Tillemontius, qui in S. Augustino, ad quem istius epistolæ examen differebat, tomo 13 Monumentorum ecclesiasticorum articulo 34, auctorem quemdam neotericum convenit, qui epistolam illam de seditione Suffectana loquentem rejicit tamquam supposititiam, dicitque se nullum alium scire, qui hoc sentiat, nec sibi videri censuram ejus tam esse fundatam, quam severam. Castellano itaque neutiquam suffragari possum in hac re ; in alia autem habeo, quod de illo conquerar. Annuntiantur enim in ejus Martyrologii Romani textu Gallico* trois-cents bienheureux Martyrs, *id est,* trecenti beati Martyres *pro* sexaginta *dumtaxat, qui signantur in Martyrologio Romano, ut superius dictum est. Circa tempus martyrii nihil occurrit singulare. Tillemontius, ut præmissum est, illud affigit anno Christi* 389 ; *uti et Castellanus : Pagius vero ad istum annum num.* 13 Hoc, *ait,* circiter anno. *Baronium dedimus antea. Nos aliorum exemplo illud factum intexuimus eidem anno* 399.

DE

DE S. PAMMACHIO SENATORE ROMANO

FORTASSIS PRESBYTERO

ROMÆ

COMMENTARIUS HISTORICUS

J. P.

§ I. Sanctus noster a S. Hieronymo laudatus propter virtutes summa cum generis nobilitate conjunctas.

An. CDIX vel CDX. Annuntiatio Martyrologii Romani illustratur.

Paucis multa dixit *Martyrologium Romanum, quando hunc Sanctum ita annuntiavit :* Ibidem *(Romæ)* S. Pammachii presbyteri, qui fuit doctrina et sanctitate conspicuus. *In additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum* B *Greveni die* XXVI *Aprilis mentio fit* Pamachii confessoris, *an hodierni an alterius, non constat. Baronius in notationibus ad idem Martyrologium Romanum allegat plura, quæ magis distinete condueunt ad singulatim illustranda sanctissimi hujus Viri gesta. Non claruit dumtaxat in monasticæ vitæ instituto, quod, calcatis mundi illecebris, amplexus est, verum etiam, antequam eidem nuntium remitteret, illustri generis nobilitate, ac copiosa divitiarum abundantia, quæ ornabat maxime Viri animus, in eisdem pie ac sapienter se gerentis. Vixit cum S. Hieronymo, in cujus scriptis frequens de illo fit mentio. Fuit inter ambos amicitia prorsus singularis, ac communicatio litteraria, nec non magna alterius de altero concepta æstimatio, ac fiducia, ut fieri solet inter intimos in Christo familiares. Hinc, quæ de* S. Pammachio *referam, e S. Hieronymi testimoniis irrefragabilibus præcipue depromam : quo fiet, ut non tam me, quam Sanctum de Sancto loquentem lector auditurus sit.*

ex antiquissima Sancti

2 *Tomo 4 Operum S. Hieronymi in epistola* 53 *(al.* 101*) ad* Pammachium *de Optimo genere interpretandi, columna* 255 *editionis Joannis* C *Martianay, quam posthac citabo, idem sanctus Ecclesiæ Doctor eum alloquitur :* Ostendam tibi, vir omnium nobilium Christianissime, et Christianorum nobilissime *etc. In ejusdem epistola* 54 *(al.* 26*) col.* 584 *vocatur* consulum pronepos et Furiani germinis decus. *Et ibidem col.* 587 *ab eodem sancto Patre vocatur* patritii generis. *Fuit autem familia Furiana antiquitate et nobilitatis splendore spectatissima. Joannus Hofmannus in suo Lexico universali, anno* 1687 *Basileæ edito, hæc de illa memorat tomo* I, *pag.* 667 : Furii, *(subintellige* familia*)* sub Romulo, e Medullia Latinorum urbe, quæ tunc se Romanis dedidit, Romam migravit, atque inter minorum gentium patricias lecta fuit. Nobilissima postea fuit, in multas familias, quarum hæc cognomina, distincta : Medullinus (ab urbe unde orta, cognominis origo quoque) Fusus, Pacilus, Camillus, Purpureo, Crassipes, Philus. Clara admodum et illustris dictaturis septem : consulatibus viginti : tribunatibus militum consulari potestate viginti tribus : censuris quatuor : triumphis septem. *Hæc brevissime e dicto auctore : nam nimis longe me abduceret hoc argumentum, si istarum familiarum decora singillatim enuclearem, et quid cuique conveniat, operose disculerem. Ab Hieronymo in epistola* 31 *(al.* 52*) col.* 244 sancta E Marcella *vocatur* consobrino *Confessoris nostri. Apud Tillemontium in* S. Pammachio *pag.* 567 *dicitur fuisse consanguineus* (parent) *Melaniarum, quarum junior est in Martyrologio Romano ad diem* XXXI *Decembris; senior vero inter Prætermissos die* VII *et* XXI *Januarii. De hac, cui titulum* Sanctæ *tribuit, varia collegit Tillemontius tomo* 10 *Monum. eccl. pag.* 591 *et sequentibus : de illa autem pag.* 603, 610 *et* 611.

atque uxoris ejus nobilitate:

3 *Nec imparem sibi* S. Pammachius *natalibus ac virtutibus duxit uxorem, Paulinam videlicet S. Paulæ Romanæ filiam. De S. Paula egimus tomo* II *Januarii cum Martyrologio Romano, atque hæc ibidem pag.* 713 *diximus in ejus Vita a S, Hieronymo conscripta :* Carpamus igitur narrandi ordinem. Alii altius repetant, et a cunabulis ejus, ipsisque (ut ita dicam) crepundiis matrem Blesillam, et Rogatum proferant patrem : quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est, alter per omnes fere Græcias usque hodie stemmatibus et divitiis ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione delevit. Non nihil laudabimus, nisi quod proprium est, et de purissimo sanctæ mentis fonte profertur. *Inter Scipiones fuere cognomento memorabiles hi tres, nimirum* F *Scipio Africanus, Asiaticus, et Africanus Minor. Titum vero Sempronium* Gracchum, *Caii et Tiberii patrem, bis consulem, semel censorem, bis triumphum meruisse lego. Hæc obiter de his familiis antiquissimis perstrinxisse sit satis : si quis plura de eisdem novisse voluerit, auctores consulat, qui de rebus gestis Romanorum scripserunt.*

cujus dotes natura ac virtutes refert S. Hieronymus

4 *Ita S. Hieronymus de antiquissimo ejus genere : cui Paulina præclarissimas integerrimæ vitæ adjunxit dotes. Audiatur iterum Sanctus idem in epistola* 54 *(al.* 26*) qua* S. Pammachium *consolatur in morte Paulinæ uxoris suæ col.* 582 : Sanato vulneri et in cicatricem superductæ cuti, si medicina colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis quærit, plagam doloris instaurat. Ita et ego serus consolator, qui importune per biennium tacui, vereor ne nunc importunius loquar, et attrectans vulnus pectoris tui, quod tempore et ratione curatum est, commemoratione exulcerem. Quæ enim aures tam

AUCTORE J. P.

tam duræ, quæ de silice excisa præcordia, et Hyrcanarum tygrium lacte nutrita, possunt sine lachrymis Paulinæ tuæ audire nomen? Quis parturientem rosam et papyllatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, et tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immature demessum æquis oculis marcescere videat? Fractum est pretiosissimum margaritum. Virens smaragdi gemma contrita est. Quid boni habeat sanitas, languor ostendit. Plus scusimus quod habuimus, postquam habere desivimus. In agro terræ bonæ tres fructus legimus, centesimum, sexagesimum, et tricesimum. In tribus mulieribus et sanguine et virtute conjunctis, tria Christi præmia recognosco. Eustochium virginitatis flores metit. Paula laboriosam viduitatis aream terit. Paulina castum matrimonii cubile servat. Tali filiarum mater fulta comitatu, totum sibi in terris viudicat quod Christus promisit in cœlo.

laudans etiam S. Pammachium,

5 Et ut quadrigam domus una emitteret sanitatis, et feminarum virtutibus responderent viri, additur comes Pammachius, verum Ezechiëlis Cherubim, cognatus, gener, maritus, imo frater amantissimus, quia sancti consortia spiritus vocabula non tenent nuptiarum. Huic quadrigæ Jesu præsidet. De his equis et Abacuc canit: « Ascende super equos tuos, et equitatio » tua salus ». Impari cursu, pari animo ad palmam tenditur. Discolores equi, sed voluntate concordes, unum aurigæ jugum trahunt, non exspectantes flagelli verbera, sed ad vocis hortamenta ferventes. *Obiter his observa* S. Pammachium *appellari* fratrem, *et infra num.* 17 *S. Paulam* socrum *ejus, imo* matrem *indicari hoc sensu, quem indicabat Hieronymus. Ad Eustochium, modo nominatam virginem, Paulinæ sororem scripsit idem Sanctus epistolam* 86 *(al.* 27*) Epitaphium Paulæ matris : quæ, patrem Rogatum, matrem Blesillam habuit, Toxotio deinde nupta, editis ex eo Blesilla, Paulina, Eustochio, quæ et Juliæ nomen habuit, ac Rufina, nec non uno filio Toxotio, patri cognomine, uti habet synopsis prædictæ epistolæ præfixa. Si quis plura velit, adeat ipsum fontem, e quo paucula ista designasse satis est in rem nostram.*

qui egregie ab eodem prædicatur ob mundi contemptum,

6 *At tunc potissimum eluxit* S. Pammachius, *tum splenduit maxime, quando omnem mundi splendorem conculcans elegit abjectus esse in domo Dei sui. Baronius ad annum* 398, *num.* 15 *eum laudans*, Hic, *inquit*, uxore privatus sanctissima femina, filia S. Paulæ, bona sua erogavit in pauperes, atque monasticum amplexus institutum, una cum vestibus vitæ quoque genus mutans, summum Christianæ philosophiæ verticem attigit. *Sed adeamus denuo S. Hieronymum, qui epistola* 54 *(al.* 26*) sic ad illum scribit col.* 283 : Nobis post dormitionem, somnumque Paulinæ, Pammachium monachum Ecclesia peperit posthumum, et patris et conjugis nobilitate patricium, eleemosynis divitem, humilitate sublimen *Et paulo post ita pergit :* Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani : nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles : quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior : magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιστράτηγος * monachorum. *Fuit pater pauperum, teste ibidem S. Hieronymo* : Talis Paulina morte sua nobis liberos dedit, quos vivens concupiverat possidere. « Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe et » clama, quæ non parturis » quoniam quot Romæ sunt pauperes, tot filios repente genuisti. Ardentes gemmæ, quibus ante collum et facies ornabantur, egentium ventres saturant.

* *i. e. dux sacræ militiæ*

et eleemosynas

7 Vestes sericæ, et aurum in fila lentescens, in mollia lanarum vestimenta mutata sunt, quibus repellatur frigus, non quibus nudetur ambitio. Delitiarum quondam supellectilem virtus insumit. Ille cæcus extendens manum, et sæpe ubi nemo est, clamitans, hæres Paulinæ, cohæres Pammachii est. Illum truncum pedibus, et toto corpore se trahentem, teneræ puellæ sustentat manus. Fores, quæ prius salutantium turbas vomebant, nunc a miseris obsidentur. Alius tumenti aqualiculo mortem parturit : alius elinguis et mutus, et ne hoc quidem habens unde roget, magis rogat, dum rogare non potest. Hic debilitatus a parvo, non sibi mendicat stipem. Ille putrefactus morbo regio, supervivi cadaveri suo.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

pauperibus erogatas :

8 Hoc exercitu comitatus incedit, in his Christum confovet, horum sordibus dealbatur. Munerarius pauperum, et egentium candidatus, sic festinat ad cœlum. Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur : Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum : « Sicut aqua ex» tinguit ignem, ita eleemosyna peccatum ». Quantas vires habeat misericordia, et quibus donanda sit præmiis, et beatus Cyprianus grandi volumine prosequitur, et Danielis consilium probat ; qui regem impiissimum, si se audire voluisset, scit pauperum sustentatione salvandum. Gaudet hujuscemodi filiæ mater hærede. Non dolet opes ad alium pervenisse, quas cernit iisdem, quibus ipsa voluerat, erogari. Quin potius gratulatur absque labore suo sua vota compleri. Non enim substantiæ diminutio, sed operarii commutatio est.

idem sanctus Doctor Pammachii virtutes aliis

9 *Quando autem in pretio haberet idem sanctus Doctor eximias* S. Pammachii *virtutes, pleno ore prædicat epistola* 92 *(al.* 54*) ad Julianum, virum quidem divitem et potentem, sed adversas res passum, dum hunc exemplo ipsius ac S. Paulini ad vitæ perfectionem hortatur col.* 752 : Nec est, *inquit*, quod excuses nobilitatem et divitiarum pondera. Respice sanctum virum Pammachium, et ferventissimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non solum divitias, sed se ipsos domino obtulerunt : qui contra diaboli tergiversationem nequaquam pellem pro pelle, sed carnes et ossa et animas suas Domino consecrarunt : qui te et exemplo et eloquio, id est, et opere et lingua possunt ad majora perducere. Nobilis es, et illi : sed in Christo nobiliores. Dives et honoratus, et illi, imo ex divitibus et honoratis pauperes et inglorii, et idcirco ditiores et magis inclyti, quia pro Christo pauperes et inhonorati. *In Commentariis super Isaïa propheta tomo* 3 *lib.* 17, *cap.* 60, *loquens de his verbis a Christo Domino prolatis,* Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regna cœlorum, *ea sic exponit col.* 450 : Difficultatem rei, *dicit Eustochio sanctus Doctor*, proposuit, non impossibilitatem. Denique sanctæ memoriæ mater tua Paula, fraterque * Pammachius, per foramen acus, hoc est, per arctam et angustam viam, quæ ducit ad vitam,

* *i. e. sororis maritus*

A vitam, transierunt ad regna cælorum, latam viam cum sarcinis relinquentes, quæ ducit ad Tartarum.

proponit imitandas.

10 Imo quidquid habebant, in Domini dona portarunt, implentes illud quod scriptum est: " Redemtio animæ viri, propriæ divitiæ ". Quæ enim apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt. Habentes in muneribus principalia, aurum, incensum, et thus odoris optimi, atque dicentes: " Dirigatur oratio mea sicut incensum " in conspectu tuo ". Et: " Christi bonus odor " sumus in omni loco " exemplo virtutis suæ quotidie nunciant salutare Domini, ut omnes oves Cedar * congregentur in Ecclesia, et de erroris tenebris ad lucem transeant. *Calmetus in Dictionario suo sacræ Scripturæ ad vocem* Cedar *observat ista:* Cedar filius Ismael Gen. 35. 23 (*immo* 25. 13.) pater Cedræorum, seu Cedarenorum.. qui regionem tenebant Arabiæ Desertæ Nabathæis proximum. *Addit tamen, difficile esse hujus populi certum invenire domicilium, et rationem apponit*: In Meridionali tamen Arabiæ Desertæ plaga potissimum versabantur, ad

* i. e. infideles

B Septemtrionem Arabiæ Petræ et Felicis, ex qua plures usque ad Mare Rubrum excurrebant. Cedar nonnumquam a sacra Scriptura Arabia omnis Deserta nuncupatur. *Atque hæc quidem postremo loco memorata virtutum* S. Pammachii *pars apparuit peculiariter e quibusdam litteris ad suos colonos, quos habebat in Numidia Africæ, scriptis eo successu, ut illos a Donatistarum errore ad orthodoxam fidem traduxerit. Rem gestam inferius narrabimus ex S. Augustino.*

§ II. Xenodochium a Sancto erectum : titulus SS. Joannis et Pauli : monita ipsi data a S. Hieronymo ; amicitia cum eodem sancto Patre, et cum S. Paulino.

C

Sanctus erigit xenodochium in portu Romano;

Laudatus jam identidem sanctus Ecclesiæ Doctor in supra dicta epistola 54, col. 586, Audio, *ait*, te xenodochium in portu fecisse Romano, et virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse littore. Quasi Æneas nova castra metaris, et super undam Tyberis, ubi ille, cogente quondam penuria, crustis fatalibus et quadris patulis non pepercit, tu viculum nostrum, id est, domum panis * ædificas; et diuturnam famem repentina saturitate compensas. Euge: noster hinc transgrederis; statum summum tenes; de radice pervenis ad cacumen; primus inter monachos, in prima urbe, primum sequeris patriarcham. Lot, quod interpretatur, declinans, campestria eligat, et juxta Pythagoræ litteram, facilia magis ac sinistra sectetur. Tu in arduis et saxosis cum Sara tibi monumentum para. Juxta sit civitas litterarum; deletisque gigantibus, filiis Enac *, hæreditatem tuam, gaudium et risus excipiat. Dives erat Abraham auro, argento, pecore, possessione, vestibus: tantam habebat familiam, ut ad subitos nuncios, juvenibus electis, armare posset exercitum, et quatuor reges, quos quinque reges fugeraut, in Dan consequutos occideret *, et tamen post tam crebra hospitalitatis officia, dum non refutat homines, suscipere meruit Deum. Non servis, et ancillulis imperabat, ut ministrarent hospitibus, nec bonum, quod exercebat, per alios minuit; sed quasi reperta præda, cum Sara sua humanitati solus incubuit. Ipse pedes lavit, ipse pinguem vitulum portavit humeris de armento. Stetit ut servus peregrinis prandentibus, et Saræ manibus coctos cibos jejunaturus apposuit. *De laudato xenodochio legi etiam potest S. Hieronymi epistola* 84 *(al.* 30*) ad Oceanum de Morte Fabiolæ col.* 662. *Franciscus Orlendius Ordinis Prædicatorum in suo Orbe sacro et profano parte* I, *lib.* 1, *cap.* 4, *pag.* 269 *agens de Portu Romano ejusque demolitione,* Nulla, *inquit,* restant vestigia nobilissimi xenodochii. *Ughellus Italiæ sacræ tomo* I, *col.* 104 *prioris editionis perperam sic scribit:* Symmachus Papa, ut S. Hieronymus narrat, nobile in Romano portu construxit xenodochium *etc. At quomodo Symmachus Papa memorari potuit a S. Hieronymo, qui annoseirciter octoginta obiit ante illius pontificatum? Actum de hoc Sancto apud nos die* XIX *Julii.*

* Bethleem

* V. Num 13. v. 34.

* V. cap. 14 Genes.

AUCTORE J. P.

E

titulum SS. Joannis et Pauli Romæ excitat, cujus datur inscriptio.

12 *Baronius ad annum* 398 *num.* 18 *huic xenodochio adjungit aliud piæ* S. Pammachii *munificentiæ monumentum, dum ista memorat*: Hæc cum S. Hieronymus scribat, tantum abest, ut veris majora descripserit, quin potius etiam grandia prætermiserit. Etenim inter alia Pammachius sanctis martyribus Paulo atque Joanni, qui hoc seculo, tempore Juliani Apostatæ Romæ (ut meminimus) passi sunt prope Clivum Scauri contra Palatinum, nobilem memoriam excitavit, in titulumque erexit, qui usque hodie nomine dictorum Martyrum dictus Pammachii titulus perseverat. *Hæc ibi Baronius, qui tomo* 12 *inter Addenda et emendanda pag.* 893 *recitat inscriptionem præsenti proposito accommodatam. Exstat apud Gruterum in Inscriptionibus antiquis pag.* 1164, *num.* 8, *hoc titulo* In introitu ecclesiæ Johannis et Pauli *præfixo*:

ANTISTES DOMINI CELSA SACRARIA CHRISTI
VESTIBVLVM DECORAT GRATIA PVLCRA LOCI
QVÆ QVIA COMPTA NITET PRIMAQVE IN FRONTE RENIDET
OSTENDIT QVANTVM NVMINIS INTVS INEST
QVIS TANTAS CHRISTO VENERANDAS CONDIT ÆDES
SI QVÆRIS CVLTOR PAMMACHIVS FIDEI.

F

Acta modo nominatorum Martyrum illustravimus tomo V *Junii, die* XXVI *ejusdem mensis, pag.* 158 *et sequente.*

Hortatur eum S. Hieronymus, ut non opes tantum, sed se ipsum Christo offerat.

13 *S. Hieronymus optimis monitis roborabat et accendebat* S. Pammachium *ad solidas virtutes, et sincerum in Christi servitio famulatum. Etenim post ea, quæ superius ex ipso retuli de constructo xenodochio, addit ista col.* 587: Hæc moneo, frater charissime, pietate, qua te diligo, ut non solum pecuniam, sed teipsum Christo offeras, hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium tuum; et imiteris Filium hominis, qui non venit ministrari, sed ministrare. Et quod patriarcha alienis, hoc discipulis et servis magister exhibuit et Dominus. Corium pro corio, et omnia, quæ homo possidet, dare potest pro anima sua. Sed tange, inquit diabolus, carnes ejus, nisi in faciem benedixerit tibi. Scit hostis antiquus, majus continentiæ quam nummorum esse certamen. Facile abjicitur, quod hæret extrinsecus: intestinum bellum periculosius est,

AUCTORE J. P.

est. Conjuncta disglutinamus, uuita discindimus. Zachæus dives erat, apostoli pauperes. Reddidit ille quadruplum, quod rapuerat; divisitque pauperibus medietatem substantiæ suæ, quæ remanserat; suscepit Christum hospitem, salus facta est domui ejus: et tamen quia parvulus erat, et apostolicæ proceritati se non poterat extendere, non fuit in duodecim numero apostolorum. Apostoli autem quantum ad divitias nihil, quantum ad voluntatem, totum mundum pariter reliquerunt. Si offeramus Christo opes cum anima nostra, libenter suscipiet. Si autem, quæ foris sunt Deo; quæ intus sunt, diabolo demus, non est æqua partitio, et dicitur nobis: „ Nonne si „ recte offeras, et non recte dividas, peccasti „?

ejusque exemplo se abjiciat.

14 *Deinde* S. Pammachium *hortatur Hieronymus ad verum contemptum sui ac profundam humilitatem, dum ista mox subdit* : Quod patritii generis, primus inter primos monachos esse cœpisti, non tibi sit tumoris, sed humilitatis occasio, scienti Filium Dei factum Filium hominis. Quantumquumque te dejeceris, humilior Christo non eris. Esto incedas nudis pedibus, fusca tunica vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas: cæcorum oculus sis, manus debilium, pes claudorum; ipse aquam portes, ligna concidas, focum exstruas; ubi vincula? ubi alapæ? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors? et quum omnia, quæ dixi, feceris, ab Eustochio tua Paulaque vinceris, si non opere, at certe sexu. Ego quidem Romæ non eram, et tunc me tenebat eremus: (atque utinam pertenuisset!) quando socero tuo vivente Toxotio, sæculo serviebant.

ac contemnat.

15 Sed tamen audio, quæ immundicias platearum ferre non poterant, quæ Euuuchorum manibus portabantur; et inæquale solum molestius transcendebant; quibus sericas vestis oneri erat, et solis calor incendium, nunc sorditatæ et lugubres, et sui comparatione forticulæ, vel lucernas concinnant; vel succendunt focum; pavimenta verrunt; mundant legumina; olerum fasciculos in ferventem ollam dejiciunt; apponunt mensas, calices porrigunt, effunduut cibos; huc illucque discurrunt. Et certe magnus virginum chorus cum illis habitat. Num hujuscemodi ministeria aliis imperare non poterant? Sed nolunt vinci ab his labore corporum, quas ipsæ superant virtute animi. Hæc dico, non quod de ardore mentis tuæ quidquam dubitem, sed quo currentem impellam, et acriter dimicanti fervorem fervori augeam.

armatque contra humanum respectum

16 *Optime autem gnarus idem sanctus Doctor, humanum respectum, ut vocant, potentissimam esse machinam ad avocandos homines, præsertim generis aviti nobilitate et divitiis præstantes, a via laudabili perfectioris vitæ, ac constanti perseverantia in virtute,* Pammachium *armat adversus hunc acerrimum hostem, his eum monens verbis col.* 584: Quis enim hoc crederet, ut consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se ipse derideret? Est confusio, quæ ducit ad mortem: et est confusio, quæ ducit ad vitam. Prima virtus est monachi, contemnere hominum judicia, et semper Apostoli recordari, dicentis: „ Si adhuc hominibus pla„ cerem, Christi servus non essem „. Tale quid et Dominus loquitur ad prophetas: quod posuerit faciem eorum quasi urbem æneam, et lapidem adamantium, et columnam ferream, ne paverent ad injurias populi; sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent. Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus superat. Et quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. Non est parum, virum nobilem, virum disertum, virum locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adhærere pauperibus, rusticis copulari, de principe vulgum fieri. Sed quanto humilior, tanto sublimior est.

promissis Christi sequentibus se.

17 *Et mox Virum sanctum magnis Christi promissis excitat, ut pergat illum sequi* : Lucet, *inquit*, margaritum in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat. Hoc est quod Dominus repromisit: „ Glorificantes me, glorifi„ cabo „. Alii hoc intelligant de futuro, quando mœror vertetur in gaudium, et transeunte mundo Sanctorum corona non transit: ego et in præsentiarum video Sanctorum promissa compleri. Antequam Christo tota mente serviret, notus erat in senatu; sed multi alii habebant iusulas* proconsulares. Totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos. Præcebat alios dignitate; sed et alios sequebatur. Quamvis clarus honor, vilescit in turba: et apud viros bonos indignior sit ipsa dignitas, quam multi indigni possident. Unde egregie de Cæsare Tullius, quum quosdam, ait, ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. At nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur. Miratur orbis pauperem, quem huc usque divitem nesciebat. Quid consulatu illustrius? annuus honor est, et postquam alius successerit, prior desinit. Latent in multitudine laureæ, et triumphi interdum triumphantium sordibus polluuntur. Quod ante per manus patritias tradebatur, et sola nobilitas possidebat: quo consul Marius, victor Numidiæ et Teuthonum, atque Cimbrorum, ob ignobilitatem familiæ putabatur indignus: quod Scipio ultra annos pro virtute meruit, nunc sola militia possidet, et agrestia dudum corpora fulgens palma circumdat. Plus ergo accepimus, quam dedimus. Parva dimisimus, et grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur. In tali et Isaac quodam agro severat, qui paratus ad mortem, ante Euangelium euangelicam portavit crucem. *Superius* infulas *legendum monui. Editio Erasmi Roterodamensis in scholiis tomo* I *Operum S. Hieronymi fol.* 73 *verso notat* : Tyaræ genus erat, insigne nobilitatis, ut nunc, *ait*, torquem auream collo gestant. *De Caio Mario plura e variis auctoribus collegit Hofmannus antea citatus, a pag.* 997.

* l. infulas

Singularis inter ambos amicitia

18 *Ex superioribus S. Hieronymi monitionibus ad* S. Pammachium *scriptis planum est, nemini dubium esse posse, quin inter ambos arctissimus amicitiæ nexus intercesserit, et consentiens studiorum voluntatumque communicatio. Id perspicue profitetur sanctus Doctor in epistola ad eum sua* de Optimo genere interpretandi, *quando accusatus de epistola S. Epiphanii perperam Latine reddita, et tamquam falsarius publicis latratibus impetitus, causam suam* S. Pammachii *arbitrio permittit* : Excessi, *inquit col.* 256, mensuram epistolæ; sed non excessi doloris modum. Nam qui falsarius vocor, et inter muliercularum radios et textrina dilanior, contentus sum crimen abnuere, non referre. Unde arbitrio tuo cuncta permitto, ut legas ipsam epistolam tam Græcam quam Latinam: et illico intelliges accusatorum meorum næuias, et probrosas querelas. Porro mihi

A mihi sufficit amicum instruxisse charissimum, et in cellula latitantem diem tantum expectare judicii. Optoque, si fieri potest, et si adversarii siverint, Commentarios potius Scripturarum, quam Demosthenis et Tullii Philippicas tibi scribere.

per annos plurimos fuit continuata : S. Pammachius erat etiam amicus

19 *Amicitia autem illa per annos plurimos continuata fuit, cum ab ineunte quodammodo ætate sit incepta, sicut colligo ex his verbis epistolæ* 54 *antea citatæ, col.* 186 : Quod nos quondam adolescentuli, quum a perfecto oratore in præfatiuncula diceretur, risimus. Meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenæum scholasticorum vocibus consonabat : Sat cito, si sat bene. *Hoc etiam exprimit in epistola* 30 *(al.* 50*) quæ inscribitur :* Apologeticus S. Hieronymi presbyteri ad Pammachium pro libris contra Jovinianum, *col* 229, *ubi hæc sunt :* Provocatus dulcissimis litteris tuis, et hujusmodi litteris, quæ me ad philosophiam nostri dogmatis provocarent ; et condiscipulum quondam et sodalem et amicum, obviis, ut aiunt, manibus excipio, defensoremque meorum Opusculorum paro : ita ta-
B men si ante te placatum judicem habuero ; imo si oratorem meum super omnibus, quæ in me arguuntur, instruxero. *In præfatione autem in Abdiam prophetam tomo* 3 *Operum pag.* 1455, *ita Virum sanctum, cui lucubrationem illam scribit, alloquitur :* Hoc est illud tempus, mi Pammachi hac luce dulcior, quo egressi scholam rhetorum, diverso studio ferebamur : quando ego et Heliodorus charissimus pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur. *Clarissimo huic amicorum pari adjungamus S. Paulinum episcopum Nolanum celeberrimum, et egregie* S. Pammachio *addictum, uti liquet ex ipsius epistola, quæ habetur inter Opera ejus anno* 1685 *Parisiis edita, tomo* I, *pag.* 66 *et sequentibus, et ibidem ponitur ordine decima tertia. In hac Sanctus ille consolatur* Pammachium, *mortem Paulinæ conjugis suæ multis lacrymis, et largissimis in pauperes eleemosynis prosecutum, ac ex utroque illo nomine consolandi cum et laudandi materiem desumit. Suffecerit nonnulla inde excerpere de eleemosynis :*

S. Paulini ep. Nolani.

20 Veniam enim jam, *ait pag.* 73, ad prædicationem operum tuorum, et ad pios actus de lacry-
C marum sanctiate transibo . . Itaque patronos animarum nostrarum pauperes, qui tota Romæ stipe * meritaut multi, tu dives in aula Apostoli congregasti. Pulcro equidem tanti operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in amplissimam gloriosi Petri basilicam, . . ut tota et intra basilicam, et pro januis atrii, et pro gradibus campi spatia coarctentur. Video congregatos ita distincte per accubitus ordinari, et profluis omnes saturari cibis *etc. Et pag.* 77 : Tibi igitur, Frater in Christo unanime . . , cujus os benedictione plenum est, cujus divitiæ ubera pauperum sunt, cujus domus hospitium Christi est, qui non jacere mendicum ante januam tuam epulante te sustines ; sed contra tectis tuis lætus inducis aut tecum epulaturum, aut etiam jejunante te saturandum ; tibi felix a peccatis egestas, et beatæ in virtutibus opes sunt *etc.*

* *al.* Roma stipem

AUCTORE J. P.

§ III. Matua SS. Pammachii et Hieronymi pro bono Ecclesiæ navata opera ; laudatur a S. Augustino, et Palladio ; an fuerit presbyter.

S. Pammachius hortatur S. Hieronymum ut refutandas calumnias Rufini :

Sanctus noster et Oceanus hortantur sanctum Doctorem epistola 40 *(al.* 64*) col.* 341, *ut librum Origenis* περὶ Ἀρχῶν *in Latinum sermonem convertat exacte, calumnias Rufini refutet, hominum suspicionibus obviam eat, seque ab Origenistis alienum ostendat :* Quæsumus, *inquiunt*, præstantiam tuam, ut et hoc specialiter non tam nobis quam universis, qui in Urbe habitant, profuturum Opus digneris impendere . . Purga ergo suspiciones hominum, et convince criminantem : ne, si dissimulaveris, consentire videaris. *Paruit Sanctus amicorum monitis, sicut habemus ex ejus epistola* 41 *(al.* 65*) ad ambos* E *data col.* 341. *Verum inter alia plurima, quibus* S. Pammachius *profuit Ecclesiæ Dei, illud est palmarium, quod junctis viribus cum S. Hieronymo hæreticam pravitatem, quæ in urbem Romanam irrepebat, solide ac fortiter impugnarit, teste sancto Patre in præfatione super Joële propheta tomo* 3 *Operum pag.* 1337 : Quæ, *ait*, quum ita se habeant, obsecro, mi Pammachi, qui omni arte pugnandi adversus diabolum dimicas, ut nobis contra Amalec pugnantibus leves cum Moyse ad Dominum manus, et adversarios Israël orationibus superes . . surgat licet scorpio, et arcuato vulnere ferire conetur : tu comes itineris, ex excantator venenatorum morsuum, spiritualem nobis ψυλλέα exhibe : quoque sanctæ ac venerabili Paulæ parenti tuæ polliciti sumus, pius hæres suscipe.

expressio quædam sancti Doctoris perperam alicubi intellecta exponitur :

22 *Ad vocem* ψυλλέα *notantur ista in novissima editione, qua utimur :* Quanta sit depravatio hujus vocis et sententiæ Hieronymi, vix poterit mente comprehendere, qui eum oculis viderit in antiquis editionibus Erasmi et Mariani, qui ab- F surdissimum ostendunt S. Hieronymum, legentes ψηφιστήν, id est, suffragatorem, vel CALCULATOREM, non ψυλλέα, hoc est, PSYLLUM juxta fidem omnium Mss. codicum. Sunt autem Psylli populi Libyæ in Africa, a Psylle rege dicti, quibus est virus ingenitum exitiale serpentibus, et cujus odore eos possunt sopire. Vide Plin. lib. 7, cap. 2. Scribit porro Plutarchus in Catone, eumdem Catonem per deserta Libyæ iter facientem, secum Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, ore trahentes venenum, et ipsos serpentes cantibus mitigantes. Totum hunc locum respicit S. Doctor, qui in Pammachio spiritualem cupit habere PSYLLUM, ad æmulorum atque hæreticorum virus ac venena superanda, ut prudenti lectori manifestum est.

S. Pammachii opera damnatur Jovinianus, et scribitur contra Joannem ep. Hierosolymitanum :

23 S. Pammachii *opera damnatus fuit Jovinianus, cujus erroribus se primus omnium opposuit, teste Baronio ad annum* 390 *num.* 38 : Cum igitur, *ait*, ut dictum est, ejusmodi scripta Jovinianus Romæ vulgasset, primus omnium, qui ex adverso surrexit, et contra deforme monstrum cominus decertavit, egitque ut Apostolica damnaretur auctoritate, Pammachius fuit nobilissimus senator, atque doctissimus Romanorum, qui sanctæ Paulæ gener extitit, Christianæ religionis

AUCTORE J. P.

religionis exactissimus cultor, et fidei Catholicæ ardentissimus propugnator. *Audiamus verba, quæ subdit, S. Hieronymi in epistola ad Pammachium* 39 *(al* 50) *col.* 229 : Denique idcirco, te post Dominum faciente, damnatus est. *(Jovinianus)* quod ausus sit perpetuæ castitati matrimonium comparare. *Quid Sanctus idem fecerit contra Jovinianum pro S. Hieronymo, intelligitur ex ejus epistola* 31 *(al.* 52) *ad* Pammachium *data :* De opusculis meis, *inquit col.* 243, contra Jovinianum, quod et prudenter et amanter feceris, exemplaria subtrahendo, optime novi. Sed nihil profuit ista diligentia, quum aliquanti ex urbe venientes mihi eadem lectitarent, quæ se Romæ excepisse referebant. *Ursit idem Vir magnus sanctum Patrem, ut post longum silentium scriberet adversus Joannem episcopum Hierosolymitanum, sicut intelligimus ex prolixa laudati Sancti epistola* 38 *(al* 61) *ad* Pammachium *contra istius episcopi errores.* Nosti, *ait col.* 306, Pammachi, nosti, me ad hoc Opus non inimicitiis, non gloriæ cupiditate descendere ; B sed provocatum litteris tuis ex ardore fidei, ac velle, si fieri posset, omnes idipsum sapere, nec impatientiæ, ac temeritatis posse reprehendi, si post triennium loquor. Denique nisi ad apologiam, de qua nunc scribere institui, multorum animos diceres perturbatos, et in utramque partem fluctuare sententiam, decreveram in incepto silentio permanere.

studium propagatæ fidei in Africa laudat S Augustinus :

24 *Hunc sancto Doctori adjungamus aliud Ecclesiæ lumen S Augustinum, cujus tomo* 2 *Operum a monachis Benedictinis editorum, est epistola* 58 *(al.* 134) scripta anno CDI exeunte, *ut additur, et* Pammachio *inscripta, col.* 145 *: e qua epistola (de qua vide supra num.* 10) *hæc excerpo :* Huic nunc loquor, huic scribo, dilecto amico meo, qui mihi corpore absenti absens innotuit. Verumtamen jam simul eramus, et conjuncti sub uno capite vivebamus, in cujus caritate nisi radicatus esses, non tibi tam dilecta Catholica unitas foret, nec colonos tuos Afros eo terrarum, unde Donatistarum furor exortus est, hoc est, in media consulari Numidia constitutos, tali admoneres alloquio, tanto fervore spiritus animares, ut devotione promptissima ad sequendum eligerent, quod te talem C ac tantum Virum nonnisi agnita veritate sequi cogitarent, et tam longe a te locorum intervallis remoti irent sub idem caput, atque in ejus membris in æternum tecum deputarentur, cujus præcepto tibi temporaliter serviunt. *Et post alia, quibus sanctus Doctor affectum suum erga* Pammachium *ex plenitudine cordis testatum esse voluit, ita subdit col.* 146 *:* O quam multorum tecum pariter senatorum, pariterque sanctæ Ecclesiæ filiorum, tale opus desideramus in Africa, de quali tuo lætamur! *Ne vero quisquam dubitet de nomine* Pammachii *huic epistolæ inscripto, observant eruditi editores,* In Mss. quatuor scribi PALMACHIO. Porro huic illum esse Pammachium Romanum civem ac senatorem clarissimum non dubitamus, qui fuit gener Paulæ, Paulinæ maritus, et Hieronymo plurimum familiaris. *Nec vero nos videmus, attentis epistolæ characterismis, cur ab eorum sententia discedendum sit ; nec vidit Tillemontius tomo* 10 *in* S. Pammachio *articulo* 6, *ac tomo* 13 *Monumentorum ecclesiasticorum in S. Augustino, articulo* 136 *pag.* 360, *cum ex illa referat rem gestam* S. Pammachii, *de qua modo dictum est. Sed redeamus ad S. Hieronymum.*

epistola Theophili Alexandrini ab Hieronymo ad Pammachium missa :

25 *Mittit.* SS. Pammachio *et Marcellæ epistolam Græcam Paschalem Theophili Alexandrini. Sciebat utique S. Hieronymus, gratissimam fore duabus istis personis publicæ utilitatis studiosis interpretationem suam. In epistola* 87 *(al.* 78) *ita loquitur de illa :* Rursum Orientibus vos locupleto mercibus, et Alexandrinas opes primo Romam vere transmitto. *Et col.* 690 *:* Vos Christiani senatus lumina accipite et Græcam et Latinam etiam hoc anno epistolam ; ne rursum hæretici mentiantur a nobis pleraque vel addita vel mutata : in qua laborasse me fateor, ut verborum elegantiam pari interpretationis venustate servarem, et intra definitas lineas currens, nec in quoquam excedens loco, eloquentiæ ejus fluenta non perderem easdemque res eodem sermone transferrem. Quod utrum consequutus sim necne, vestro judicio relinquo. *Et mox ejusdem epistolæ divisionem subjungit.*

bonum publicum Ecclesiæ

26 *Discimus ex eodem sancto Doctore,* Pammachium *sacræ Scripturæ studiosissimum fuisse, ac communi Ecclesiæ bono intentissimum, quod merito sperabat ex optimis in eamdem explanationibus amici sui. Tomo* 3 *Operum S. Hieronymi in præfatione in Jonam pag.* 1471 *leguntur ista :* Cæterum non ignoramus, Chromati papa venerabilis *etc. ; sed ab eorum editore observantur sequentia :* Sic legunt omnes Mss. codices, sancti Germani a pratis, monasterii Cluniacensis, S. Albini Andegavensis, et S. Cygiranni etc., eodem quoque modo editi libri ab Erasmo ac Mariano. Falsam tamen hanc esse lectionem, et pro Chromatio papa venerabili, nomen Pammachii substituendum non ignoramus : nam ipse Hieronymus præfatione in librum tertium commentariorum in Amos prophetam conceptis verbis admonet lectorem, se edidisse commentarios in Abdiam et Jonam imperante Pammachio, hoc est, rogante expositionem istorum amborum prophetarum. Tertio, inquit, « post longi temporis » silentium, Abdiam et Jonam tibi imperanti edis- » serui. » Ergo eidem Pammachio edisseruit Abdiam et Jonam, non Chromatio episcopo Aquileiensi, cui delegaverat tantum duos libros in Abacuc. Unde autem tam constans error manarit in editos ac Mss. libros lectoris divinationi permittimus judicium. Nisi forte et aliis viris sanctis promiserat expositionem in Jonam, quemadmodum commentarios in Amos et Osee, licet ipsos Pammachio dedicaverit. Vide comment. in Amos Cap. I. Si hoc accidit, habemus exemplar, non Pammachio, sed Chromatio missum ad Hieronymo.

cum eruditione

27 *Præfatione* 2 *in Amos dicit ista pag.* 1395 *:* Quam ob rem, Pammachi cano jam mecum capite imperta mihi a Domino, ut comitem mihi merear habere sapientiam . . , ut ipsa adjuvante et socia, cæptum in Amos Opus expleam. *Et præfatione* 3 *in eumdem prophetam pag.* 1423 *:* Osee, *ait*, et Joël et Amos tibi negare non potui. *Præmiserat ista ibidem :* Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui. *Commentarios in Danielem eidem dedicat ac Marcellæ pag.* 1073 *hæc scribens :* Itaque obsecro vos, Pammachi φιλομαθέστατε *, et Marcella, unicum Romanæ sanctitatis exemplar, junctos fide et sanguine, ut conatus meos vestris orationibus adjuvetis. *Inscribit etiam* Pammachio *Commentarios suos in Oseam, et in eorum præfatione pag.* 1235 *et sequenti,* Ante annos, *ait*, circiter viginti duos, quum rogatu sanctæ et venerabilis socrus (imo matris tuæ Paulæ, illud enim nomen carnis, hoc spiritus

* i. e. discendi cupidissime

A spiritus est : quæ monasteriorum et Scripturarum semper amore flagravit) essem Alexandriæ *etc. Promisit idem sanctus interpres* Pammachio *suo Commentarios in Isaiam prophetam. En tibi ejus verba pag.* 1 *in eorumdem prologo :* Expletis longo vix tempore in duodecim prophetas viginti explanationum libris, et in Danielem Commentariis, cogis me, virgo Christi Eustochium, transire ad Isaiam, et quod sanctæ matri tuæ Paulæ, dum viveret, pollicitus sum, tibi reddere. Quod quidem et eruditissimo viro fratri tuo Pammachio promisisse me memini. *Et in præfatione ad cap.* 65 *Isaiæ, libro* 18, *pag.* 478 *dicit, quod* Pammachius et tunc, *quando nempe vivebat S. Paula*, et postea frequentibus scriptis cogere *se* non destiterit *ad illus Opus.*

conjunxit.

28 *Superiore abunde conficiunt, Sanctum nostrum bono publico Ecclesiæ invigilasse, et singulari eruditionis laude ornatum fuisse, ita ut meritissimo jure eum laudet Baronius ad annum* 398 *num.* 15 *his verbis usus :* Cujus .. si eruditionem spectes, a cunabulis bonis litteris una cum ipso S. Hieronymo assuevit, eminebatque B inter ceteros senatorii ordinis Christianos facile princeps. *Porro excellenti huic doctrinæ adjunxit Vir sapientissimus candidam ac nativam simplicitatem, ex epistola S. Hieronymi* 54 *(al.* 16*) col.* 586 *:* Sentio, *ait*, te divinis ardere doctrinis, nec temeritate quorumdam docere quod nescias, sed ante discere quod docturus sis. Simplices epistolæ tuæ olent Prophetas, Apostolos sapiunt. Non cothurnatam affectas eloquentiam ; nec more puerorum argutas sententiolas in clausulis struis.

Laudatur a Palladio :

29 *Specimina bene multa, quæ ex S. Hieronymi testimoniis de* S. Pammachii *virtutibus identidem inspersimus huic Commentario, nullum dubitandi de illis locum relinquunt. Hasce etiam perspectas habuit Palladius synchronus in Historia Lausiaca, qui cap.* 121 *et* 122 *pag.* 215 *editionis Parisiensis anni* 1570 *narrat ista :* Non parvo autem nos honore affecerunt cum Romam venissemus propter beatum Joannem episcopum . . . Ad eum accessit vir proconsularis, nomine Pammachius, qui cum mundo renunciasset, vitam egit optimam, et suas opes partim quidem C vivus dispersit, partim autem moriens reliquit pauperibus. *S. Hieronymus epistola* 92 *(al.* 34*) col.* 752 *Julianum hortatur ad perfectam vitam, hoc est, ad absolutum mundi contemptum exemplo* SS. Pammachii *et Paulini :* Respice, *inquit*, sanctum virum Pammachium, et ferventissimæ fidei Paulinum presbyterum *etc. Vide supra numero* 9.

an fuerit presbyter.

30 *Vides hic, lector, titulum* presbyteri *dari dumtaxat S. Paulino, non autem* S. Pammachio. *An igitur sicut ille, pariter hic non fuit presbyter? At Romanum Martyrologium supra num.* 1 *talem fuisse affirmabat. Tillemontius tomo* 1 *Monumentorum ecclesiasticorum in* S. Pammachio *articulo* 6 *pag.* 580 *asserit, nullam a Baronio citari auctoritatem pro isto titulo, ac nullum se hujus rei fundamentum invenisse, nec se cogitare, quod S. Hieronymus umquam ipsi attribuat hanc qualitatem ; et ex citata epistola ad Julianum observat, titulum* presbyteri *tribui S. Paulino,* Pammachio *autem* sancti viri. *Nihil etiam habemus de ejus sacerdotio ex Palladio, quem modo designabamus. Nec video hoc sufficienter confici ex eo, quod S. Hieronymus in epistola ad* Pammachium 54 *(al.* 26*) hæc dicat col.* 586 *:* Non magnopere cures, quid imperitorum de ingenio tuo rumusculi jactitent ; sed prophetarum quotidie medullas bibas, Christi mystes, patriarcharum symmystes. *Etenim tametsi tunc esset ita constitutus Vir sanctus, mortua videlicet uxore Paulina, ut sacerdotio initiari potuerit, ac* mystes esse Christi, *sumpta hac voce pro* sacerdote, *qua hodieque utimur, dum sacerdotes novos seu recenter consecratos vocamus* neomystas; *hic tamen a sancto Doctore intelligitur per nomen* mystes *mysteriorum peritus, mysteriorum cultor, indagator, vel quid simile, sicut suadetur ex istis :* sed prophetarum quotidie medullas bibas, *eorum utique* symmista, *consors et socius disciplinæ. Quandoquidem igitur de sacerdotio, de quo hic disputamus, non satis certo mihi constat, eumdem in titulo ante hunc Commentarium restrinxi per adverbium* fortassis. *Quamquam vero hac eum dignitate ornatum fuisse non noverimus, scimus tamen* S. Pammachium *ea præluxisse virtutum præstantia, ut dignus esset sacerdotio, sicut testatur S. Hieronymus epistola* 31 *(al.* 52*) col.* 244 *ita ad ipsum scribens :* Audio totius in te Urbis studia concitata. Audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium, quam mereri. E

§ IV. Epistola contra S. Pammachium perperam S. Hieronymo adscripta : tempus mortis : vitæ chronotaxis.

Epistola inscripta in Sanctum spuria :

Inter lucubrationes S. Hieronymo attributas exstat epistola ad *Pammachium *et Oceanum*, *quæ continet exhortationem vehementem admodum, qualis conveniret hominibus obduratis, et implicitis mundi deliciis, ut ad cor redeant, et vitam ducant religioni, quam profitentur, conformem. Epistola hæc merito rejecta est ad Opuscula sancto Doctori perperam adscripta tomo* 5 *col.* 208, *et hac censura perstringitur :* Quæso, lector, ut de sermonis habitu nihil dicam quid est in hac epistola, quod ad Pammachium aut Oceanum pertinere videatur ? Objurgat eos, quorum pietatem semper alias prædicare solet. Postremo quo signo deprehendas ad duos scriptam potius, quam ad unum ? *Verosimile autem* F *videtur, ab his, qui S. Hieronymi nomen eidem imposuerunt, ad duas istas directam fuisse personas, quia variis vicibus ad illas scripserat. En tibi, lector, pulcros quosdam scilicet ex illa flosculos :* Judaica in vobis testimonia, non Christiana agnosco. Quoniam videntes non videtis, et audientes non vultis audire. *Ut alias invectivas omittam, sic concluditur eadem epistola :* Unum dico quod cupio, quia Christiani cælum debent amare non terram, et verbo Dei plus obedire quam diabolo, et judicium æternum magis timere quam hominum. *Hæc satis.*

disseritur de anno

32 *Absoluta jam collectione rerum, quæ ad sancti Viri vitam pertinent ; de anno mortis ejus disseramus. Baronius tomo* 5, *anno* 410, *num.* 31, *Innocentii Papæ anno nono, imperatorum autem Honorii decimo sexto, Theodosii tertio, quando Roma ab Alarico Gothorum rege (sicut antea dixerat ad eumdem annum) capta est,* S. Pammachii *obitum ponit. Et mox subdit ista num.* 32 *ex S. Hieronymi præfatione in lib.* 1 *in Ezechielem; apud nos tomo* 3, *pag.* 698. Transire (inquit) cupiebam (post interpretationem scilicet

AUCTORE J. P.

scilicet elaboratam in Isaiam, *ut interserit Baronius*) et extremam, ut dicitur, manum imponere Operi prophetali: et ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum et sororum dormitio nunciata est *etc. Pagius vero in Critica Baroniana ad dictum modo annum num.* 17 *citatis ejusdem præfationis verbis,* Quare, *ait*, sanctus Pammachius.. anno superiori e vivis etiam excessit, *cui innectit Romanæ urbis obsidionem ac devastationem, afferens varia argumenta, quibus sententiam suam probare conatur. Longum porro esset rationes ejus omnes hic proponere et examinare, quæ apud ipsum legi possunt. Nec videtur operæ pretium, pluribus lectorem morari in tam parva discrepantia unius anni. Itaque in sententia Pagii vitam clausit* S. Pammachius *anno* 409; *in sententia autem Baronii ac Tillemontii anno* 410. *Hic ultimus tomo* 5 *Imperatorum notatione* 29 *super Honorio disserens de tempore, quo Roma est capta, ponit annum* 410, *quem etiam signat in tabula Chronologica pag.* 844, *et tomo* 10 *Monumentorum ecclesiasticorum in* S. Pammachio *articulo* 6, *pag.* 380. *Ego autem nodum* B *hunc scindendum ratus posui in exordio hujus Commentarii annum Sancti emortualem* 409 *vel* 410.

ac die mortis ejus:

33 *His nonnulla superaddimus de die, quo Vir Sanctus obiisse memoratur. Baronius ad annum* 410 *num.* 32 *ex S. Hieronymo mox citato hæc concludit:* Quibus significat, paulo post expugnatam Urbem S. Marcellam diem clausisse extremum, *eamque indicat adscriptam sacris Fastis die* XXXI *Januarii, non quia tunc obiit, sed quia tunc translata est;* cum Pammachii, qui eodem tempore obiit, dies natalis agatur tertio Kalend. Septembris. *At modo designatus Monumentorum eccl. collector articulo citato in* S. Pammachio, *credi affirmat, quod Romana urbs capta sit* XXIV *Augusti: atque adeo, uti addit,* S. Pammachii *mors poni potest uno circiter mense prius. Ad diem vero* XXX *Augusti, quem signat in Martyrologio* Romano Baronius, *reponit, nullam ab eo allegari auctoritatem, quæ sit nonnihil antiqua. Sed non semper sibi constitit idem collector. Nam tomo* 10 *in tabula chronologica ad an-* C *num Christi* 410 *obitum quidem isti anno affigit, sed addit S. Marcellam et* S. Pammachium *mortuos esse paucis diebus post captam Romam, mittiturque lector ad tomum* 10, *pag.* 580, *et ad tomum* 12, *pag.* 301, 303, 319, 320. *Dies itaque emortualis sancti Confessoris nostri non est nobis comperta: cum tamen hodie referimus Martyrologium Romanum secuti.*

daturque

34 *Non mediocriter conducet ad bonum lectoris, si ea, quæ in superioribus paragraphis narrata sunt, ad rationem chronologicam reducamus, hanc pene totam prompturi e notis temporum, quibus in novissima Operum S. Hieronymi editione Martianæus aptavit ejusdem sancti Doctoris epistolas, et ex serie chronologica Tillemontii in* S. Pammachio, *ubi varia ipsius facta cum annorum ordine copulavit. Sanctus noster et S. Hieronymus fuere ambo condiscipuli in classe eloquentiæ, ut antea dictum est, e qua simul egressos Tillemontius pag.* 567 *ponit anno circiter* 370, *non serius imo vero aliquantulum fortassse citius. Baronius ad annum* 372 *de S. Hieronymi ætate disserit num.* 57. *Tillemontius tomo* 12 *in notatione* 3 *super eodem sancto Doctore pag.* 618 *dicit nativitatis ipsius tempus satis esse incertum, et varia congerit ad præsens institutum, de quo tractari poterit ad diem* XXX *Septembris. Interim* D *quid vetat natales* S. Pammachii *per conjecturam affigere anno circiter Christi* 330: *anno vero* 348 *potuit S. Hieronymi fuisse condiscipulus. Absoluto autem suorum studiorum curriculo diversas inieverunt vitæ instituendæ vias: Hieronymus quippe meditabatur solitudinem, sicut num.* 19 *jam dictum est,* S. Pammachius *autem ad publicam administrationem se accingebat. Non videmus, inquit Tillemontius, quod S. Hieronymus peculiarem amicitiæ usum cum eo habuerit illo tempore, quo Romæ fuit, ab anno* 382 *usque ad annum* 385; *tametsi auctor idem indicet, verosimiliter admodum id præsumi posse, propterea quod* Pammachius *jam tum uxorem duxerat Paulinam S. Paulæ filiam.*

35 *Certum tamen esse addit, quod alter ad* vitæ *alterum non scripserit usque ad annum circiter* 392. *Heresis itaque Joviniani antiquam illorum amicitiam renovavit. Vide superius præmissa num.* 23 *ex epistola* 30 *(al.* 50*) quam Martianæus innectit anno* 394 *vel* 395, *et ex epistola* 54 *(al.* 26*) quæ ab eodem editore notatur scripta anno* 398. *Porro ex epistola ejusdem sancti Doctoris* 31 *(al.* 52*) col.* 243 *et* 244, *ad* E Pammachium *directa, intelligitur, quidnam hic pro illo fecerit adversus Jovinianum. Vide supra num.* 23. *Signatur a Martianæo scripta et missa cum superiore, quæ est* 30 *(al.* 50*) et apologetica contra eumdem hæreticum, anno* 394 *vel* 395. *Memoratus Monumentorum ecclesiasticorum collector pag.* 568 *epistolam* de Optimo interpretandi genere, *Sancto nostro inscriptam, ineunti circiter anno* 396 *(eumdem annum vel circiter signante Martianæo) alligat; qui mense circiter Septembri ejusdem anni S. Hieronymum misisse ad* Pammachium *refert apologiam adversus Joannem Hierosolymitanum, ut videre licet a pag.* 568, *subditque pag.* 569, *sanctum Patrem hoc tempore resumpsisse rogatu* S. Pammachii *Commentarios in Prophetas minores, pro eoque explicationem Jonæ confecisse ineunte circiter anno* 397: *Commentarios quoque Abdiæ ad ipsum transmissos; sed nescire se fatetur dictus collector, an hoc non acciderit aliquot post annis.*

36 *Varia deinde colligens de Sancti conjuge* chronotaxis. F *Paulina, anno* 397 *ad hibernum tempus ac in fine ejusdem anni vita functam refert. Præter elogia ejus superius recitata ex S. Hieronymo, laudatur a S. Paulino in epistola* 13 *ante designata. Quamquam vero* S. Pammachius *ab anno* 393, *quem signat Tillemontius inter ea, quæ de ipso collegit, articulo* 4 *pag.* 573, *vitæ integritate ac virtutum ornatu adeo fuerit spectabilis, ut sacerdotio dignus haberetur, teste S. Hieronymo supra in fine* § 3 *citato, singulare tamen ad ista probitatis decor accedit auctum est incrementum ex largissimis Viri sancti eleemosynis, contemptu mundi, fundatione xenodochii, ac instituto vivendi monastico (quale illud fuerit, compertum non habemus) quod amplexus est. Atque hoc quidem virtutum comitatu stipatus incessit post mortem uxoris, de qua S. Hieronymus epistola* 54 *(al.* 26*) scripta apud Martianæum anno* 398; *apud Tillemontium autem pag.* 576 *anno* 399. *Hic pag.* 580 *magnum illud charitatis opus, supra num.* 24 *a S. Augustino laudatum, quo* S. Pammachius *subditos sibi in Africa colonos ad Ecclesiæ Catholicæ sinum reduxit, referri posse asserit ad annum* 401 *(exeuntem hunc annum ponunt Benedicti num.* 24 *citati:) ac subjungit, S. Hieronymum anno circiter* 305 *decrevisse reliquos vitæ*

A *vitæ suæ dies consecrare explicationi Prophetarum, quod instanter Vir sanctus ab eo petierat, illique dedicasse anno* 406 *Commentarios suos in Oseam, Joëlem et Amos; anno autem verosimiliter* 407 *Danielem ab eodem fuisse inscriptum S. Marcellæ pariter ac* Pammachio, *qui Ezechielem a S. Hieronymo explicatum non vidit, morte præventus anno* 410, *ut ibidem indicat sæpe allegatus collector; secundum nos autem anno* 409 *vel* 310, *ut pluribus antea narravimus, anno circiter ætatis octogesimo, secundum dicta superius. Hæc tibi, lector, de Sancto hodierno proponenda censui.*

AUCTORE J. P.

DE S. ÆONIO EPISC. ET CONF.

ARELATE IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

Cultus: gesta, eorumque chronologia.

Anno DII. Sancti memoria in Fastis diebus variis: cultus 30 Augusti:

Memoria S. Æonii, *vel, ut alii scripserunt,* Eonii, *Arelatensis episcopi diebus variis annuntiatur apud martyrologos. Quippe Castellanus ad* III *Augusti* Æonium *Fatis adscripsit, eodemque die memoratur in Martyrologio novo* B *Parisiensi. Hisce præiverat Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* III *Augusti verbis hujusmodi :* Arelate festivitas sancti Eonii, cujus mors beata incidit colenda in diem XVI hujus mensis. *Hinc apud nos de eo mentio fit in prætermissis ad dictum diem, adjecta hac observatione :* Conveniunt Officia propria Arelatensia, Claudius Robertus, Sammarthani et alii, obiisse Sanctum XVI Augusti, quamvis eo die non colatur, ob tum occurrentem, ut notant Breviaria *anni* 1612, solenniorem S. Rochi festitatem : *ideoque apud nos differtur in* XXX *ejusdem mensis, quo certum est coli apud Aretatenses ritu duplici, ut notatur in Officiis propriis. Eodem die annuntiatur a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum.*

elogium ex Saussayo,

2 *Quin et Saussayus parum sibi constans ad* XXX *Augusti hoc eidem Sancto texuit elogium :* Arelate sancti Eonii episcopi et confessoris, qui totus Dei amore incensus, ejus cultui propagando, ecclesiæque suæ utilitatibus serio invigilavit : C cujus et jura tutatus, decora etiam maximis virtutibus, quibus affluebat, ampliavit : meruitque ob sanctitatis et pastoralis vigilantiæ clara indicia, a summis Pontificibus Gelasio Anastasioque, dignis, quæ iu illorum ad eum rescriptionibus conspicua sunt, honorari præconiis. Deinde beatus Antistes, designato sibi ex cleri suffragio populique assensu sancto Cæsario, quem sacris initiaverat, foveratque ut filium, divino in munere successore, æternam migravit ad requiem.

aliud ex Officio proprio.

3 *In laudatis Officiis Arelatensibus lecti quarta, quæ una ex Vita Sancti assignatur, hujusmodi concepta est verbis :* Eonius episcopus Arelatensis, Leoutii successor, floruit temporibus Felicis III, Gelasii, Anastasii, et Symmachi summorum Pontificum; quorum ad illum extant variæ epistolæ, quæ cum de privilegiis ecclesiæ Arelatensis, deque jure metropoleos ipsi jam dudum quæsito, tum de præclaris Eonii virtutibus fidem adstruunt. Is e vita migraturus, et de successore sollicitus, hortatur cives Arelatenses, ne alium in locum suum assumant, præter Cæsarium. Qua de re, tanti viri confisus meritis, fide accepta a circumstantibus, post ingentes thesauros pro redemptione captivorum et pauperum sustentatione ecclesiæ suæ relictos, supremum diem obiit decimo septimo Calendas Septembris. Sepultus est Arelate in ecclesia S. Honorati. *Sic breviter ibidem : ne plura vere de tanto Viro memoriæ prodidit vetustas. Hæc igitur, paucaque aliunde adjungenda discutere aggredior, et confirmare.* E

Factus est episcopus Arelatensis post Leontium.

4 *Claudius Robertus in catalogo antistitum Arelatentium Leontio præposuit* Æonium, *uti et Baronius in addendis ad tom.* 6, *quæ leguntur tom.* 10, *pag.* 960. *Saxius vero in Pontificio Arelatensi inter Leontium et* Æonium *collocat Joannem I : quem errorem secutus est Pagius in Criticis ad annum* 494, *num.* 8. *Præterea Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 534 *hæc refert :* Touautium Ferreolum, qui præfectus fuerat Galliarum, Leontio successorem esse datum legitur in codice Avenionensi, cui Savaro credit favere Apollinarem Sidonium in epistola XII lib. VII ad eumdem Tonantium. *Rejicit quidem, at non refutat hos errores Sammarthanus. At prior sponte sua ruit ex epistolis Pontificum ad Leontium et* Æonium *datis, quarum meminit; non ita posteriores. Omnes refutabo, dum ostendam Æonium Leontio suffectum. Ruricius Lemovicensis episcopus lib.* I, *epist.* 15 *ad* Æonium *scribens, dolorem suum declarat de morte Leontii, aitque se audivisse successionem et ordinationem* Æonii. *Hæc nullum relinquunt dubium, quin* Æonius *Leontio successerit. Epistolam vide apud Canisium tom* 5. *Antiquæ lectionis pag.* 472. F

sed anno incerto :

5 *De initio episcopatus sic disserit laudatus Dionysius Sammarthanus col* 534 *:* Hunc episcopum accessisse ad Arelatensis ecclesiæ regimen anno CDXCII vix dubitamus; quippe hoc anno Gelasius, electus in Romanum Pontificem mense Martio, de hac electione ad ipsum scripsit, ut eam aliis notam faceret præsulibus intra Gallias. *Epistola hæc exstat apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col.* 1198, *notaturque data* X Kalendas Septembris, Asterio et Præsidio viris clarissimis consulibus, *id est, anno* 494. *At sane non video, qua consequentia inde deduci possit,* Æononium *anno* 472 *factum esse episcopum. Nam, etiamsi verisimile hinc fiat, episcopum factum non esse, postquam Gelasius esset electus Pontifex, quem alias de promotione sua fecisset certiorem, neutiquam hoc argumento probari potest, episcopum non fuisse toto etiam decennio et ultra ante pontificatum Gelasii. Aliunde quoque non probatum est hactenus, episcopum non fuisse jam anno* 480, *imo et citius. Quapropter initium episcopatus ejusdemque durationem incertam relinquere*

re

AUCTORE J. S.

re cogor, donec monumenta alia inveniantur, ex quibus plus lucis enitescat.

interest collationi Catholicorum cum Arianis : lis cum Viennensi episcopo,

6 *Anno* 499, *ut plerique asserunt, (licet Pagius ad annum* 501 *num.* 4 *contendat illo anno rem esse gestam, quod non lubet discutere,) habita est collatio Lugduni coram Burgundionum rege Gundebaldo inter Catholicos episcopos et Arianos. Primas ibidem pro Catholicis partes gessit S. Avitus Viennensis, cujus rationibus resistere nequibant Ariani, ita ut plurimi Ariani fuerint conversi, et res ipse Gundebaldus fidei Catholicæ veritatem satis agnosceret. Adfuit huic collationi* S. Æonius *cum aliis episcopis, quam fuse relatam vide apud Labbeum tom.* 4, *a col.* 1318. *Porro, licet* Æonius *et Avitus conjunctis animis adversum Arianos decertarent, aliquid tamen erat inter eos controversiæ de primatu ecclesiarum suarum. Litem hanc, quæ jam antiqua erat inter Arelatensem et Viennensem ecclesiam, exposui ad* XXVII *Augusti in Commentario ad Acta S. Cæsarii* § 3. *Hic itaque breviter tantum referam, quid contigerit tempore* S. Æonii. *Anastasius II, qui post Gelasium tenuit Pontificatum,* B *aliquid immutaverat in divisione per S. Leonem facta quam in Cæsario narravimus, in favorem ecclesiæ Viennensis. Conquestus est ea de re* S. Æonius *apud Symmachum Anastasii successorem, uti ex Symmachi litteris discimus.*

contra quem ecclesiæ suæ jura tuetur

7 *Exstant hæ litteræ apud Labbeum col.* 1292, *datæ* die III Kalendas Novembris, post consulatum Paulini viri clarissimi, *id est anno* 499. *Jubet illis Symmachus, ut cum Arelatensis tum Viennensis legatos mittant, qui utriusque ecclesiæ jura exponerent. Misit* S. Æonius *Cresentium presbyterum, qui causam ecclesiæ Arelatensis sic defendit, ut Symmachus anno sequenti rescinderet, quæ innovata erant ab Anastasio. Docent id litteræ ejusdem Pontificis apud Labbeum col.* 1291, *data* III Kalendas Octobris *anni* 500. *Audi verba epistolæ posterioræ* : Relegentes ergo veterum antistitum super hac causa ordinationes, quibus ecclesiasticum gravatur scrinium ; dilectionem tuam enixissime commonemus, ut in ordinandis per singulas urbes sacerdotibus cana ac reverenda servetur antiquitas, nec novella constitutio vetustæ sanctionis robur imminuat, quia non aliter inter vos poterit servari concordia, nisi novis cupi- C ditatibus antiquitatis reverentia modus prudentiori adhibeatur consilio.

apud summum Pontificem.

8 *Acquievit hisce libenter* Æonius, *qui nihil prætera postulaverat. Sed non ita Avitus Viennensis, quem de hisce conquestum esse, docent litteræ Symmachi, datæ* III Idus Octobres Avieno et Pompeio consulibus, *seu anno* 501. *Accipe illarum initium :* Non debuit caritatem tuam offendere, quod ad fratrem et coëpiscopum nostrum Æonium nuper rescripsimus. Non enim juri tuo, dilectissime frater, præjudicatum fuit, cum nos, inaudita parte et absque competenti instructione non posse judicare respondimus. Unde fraternitati tuæ salvum est allegare, quod putaverit allegandum, et proponere, quod viderit proponendum. *Hinc quoque intelligimus, de jure utriusque hactenus non judicavisse Symmachum, sed tantum rescidisse, quæ constituta erant ab Anastatio, paratum, ut addit, illa confirmare, si Avitus rationes hujusmodi allegaret, quæ evincerent, esse confirmanda. Totam epistolam exhibet Labbeus a col.* 1311. *Pependit hoc modo controversia, donec S. Cæsarius* Æonii *successor anno* 513 *impetraret, ut antiqua S. Leonis divisio rata haberetur, quemadmodum exposui in S. Cæsarii Actis loco jam assignato.* D

Sanctus popularis et consanguineus est S. Cæsarii,

9 *Hinc progredior ad ea, quæ de* S. Æonio *colligi possunt ex Vita S. Cæsaris ad* XXVII *Augusti edita, ut rerum series persuasit, quamvis ordine temporis eorum multa fuissent præponenda iis, quæ jam disputavimus. In memorata Vita lib.* I, *num.* 19 *refertur, Cæsarium tunc monachum, et valetudinis restaurandæ causa Arelate degentem, innotuisse* Æonio *episcopo per illustres personas Firminum et Gregoriam. Jubet ille Cæsarium ad se perduci, et* præsentatum.. sibi, *ut habet Vita*, venerabilis Eonius episcopus diligentius percunctatur, qui civis esset, quibusve parentibus fuerit procreatus. Cumque incolatum civitatis, ei parentum publicasset originem, congaudens sancta alacritate Episcopus dixit : Meus es, fili, concivis pariter et propinquus : nam et parentes tuos reminiscor optime, et per consanguinitatem parentali recordatione complector. *Ex his verbis discimus et nobili prosapia fuisse* Æonium, *et in Burgundia natum in territorio Cabillonensi, cum, teste Vita num.* 3, *nobili genere natus sit Cæsarius in territorio Cabillonensi, cujus se popularem agnoscit et con-* E *sanguineum.*

quem diaconum ordinat et presbyterum ; dein abbatem constituit :

10 *Subdit Vita* : Cœpit ergo juvenem, non ut peregrinum sive extraneum, sed respectu attentiori intimis cordis oculis contemplari. Mox ergo ab abbate suo sancto Porcario eum expetiit. Rogante igitur beato viro Eonio episcopo, licet ab invito conceditur. Ilico diaconus, dehinc presbyter ordinatur. *Non modica sane Æonii est gloria tantum habuisse discipulum, quantus fuit Cæsarius. At cum eximia in eo suspiceret naturæ et gratiæ dona, non ita lateri suo adhærere voluit, ut ad proximi utilitatem non amandaret. Abbatem igitur constituit in insula Arelati suburbana, priusquam trigesimum ætatis annum compleverat. Audi laudatam Vitam num.* 11 *:* Post hæc autem defuncto abbati in suburbana insula civitatis, dirigitur a sancto Eonio beatus Cæsarius pater, ut monasterium, quod recentius fuerat destitutum obitu rectoris, ipse in eadem reverentiæ auctoritate succedens, ad disciplinam formaret abbatis.

ac tandem efficit, ut sibi in sede eligatur successor :

11 *Deinde* Æonius *non minori humilitate quam charitate eumdem Cæsarium in sede sua successorem habere desideravit, quo vel solo facto optime meritus est de tota Ecclesia, cui sanctitas* F *et doctrina Cæsarii mirifice profuerunt. Res in eadem Vita num* 12 *refertur hoc modo :* Dum ergo autelata insula ultra triennium in abbatis officio conversatur, sanctus Eonius clerum vel cives alloquitur, et ipsos dominos rerum per internuntios, ut, cum ipse, Deo volente, migrasset ad Christum, nullum sibi alterum quam S. Cæsarium eligereut fieri successorem : quatinus ecclesiasticum vigorem, quem querebatur in multis regulis ægritudine sua fuisse mollitum, per servum Christi Cæsarium ad statum suum et vigorem gratularetur revocari fraternitas, essetque subsequentis labor, emolumentum aliquatenus successoris ; ut cum talem posterum relinquebat, augmentum æternæ hereditatis etiam in sanctissimi viri electione perciperet ; et non deesset post transitum socius electionis voto, qui etiam superstes auctor extitit in decreto. Itaque his omnibus divina providentia fideliter ordinatis, securus de successore beatus Eonius migravit ad Dominum.

mors, sepultura, pecunia ecclesiæ suæ relicta, litteræ Ruricii Lemovicensis,

12 *Mors innectenda est anno* 502 *: nam cum passim obiisse dicatur* XVI *Augusti, et Symmachus*

A *chus in epistola mox allegata de Æonio ut vivente meminerit* III *Idus Octobres anni* 501, *citius collocari nequit. Serius quoque mortuum non esse ostendimus in Cæsario* § 2 *num.* 13. *Sepultum esse in ecclesia S. Honorati, prout legitur in Officio, confirmat Historia translationis S. Honorati apud nos tom.* 2 *Januarii pag.* 25. *Quod habet Officium de thesauris ab eo relictis, sumptum est ex Vita S. Cæsarii lib.* I *num.* 23, *sed cum exaggeratione aliqua, cum tantum dicatur ibidem, Cæsarium expendisse pecuniam ab* Æonio *relictam. Ceterum, præter epistolam Ruricii Lemovicensis antistitis, de qua jam memini, exstant duæ aliæ ejusdem ad* Æonium, *altera octava libri* 2, *altera decima quinta. Utraque charitatem commendat; at prior in laudem* Æonii *magis excurrit.*

in quibus laudatur Sancti charitas.

13 *Ex hac igitur pauca delibare juvabit, iisque brevem hanc collectionem concludere :* Ita enim paucis diebus, *inquit,* quos mihi vere et paucos et brevissimos vester fecit affectus, dum contemplatione vestra non solum satiari uoster nequit, verum etiam videndo magis exardescit in- B tuitus; cum nos et desideraremus præsentes, et ad hoc coram positos quæreremus, sensus nostros fonte purissimo benigni pectoris irrigastis, ut quamlibet * nulla deinde sancti oris munera pretiosa perciperem, præsentiam tamen vestram intra mentis meæ arcana possideam, et effigiem vestram in speculo mei cordis intuear, quam illic tua caritas perfecta depinxit, ut nullius ætatis oblivione possit deleri, quia jugi recordatione momentis siugulis innovatur. Illic enim vobiscum ex consuetudine pietatis vestræ secretius conloquor. Illic etiam de vitæ melioris institutione pertracto. Illic vos labiis meutis exosculor, et manibus cordis amplector. Quo fit, ut vera dilectio, quæ in visceribus meis viva vultus vestri figuratione nutritur, et iguiculo caritatis accenditur, amoris vestri vicissitudinem mihi repromittat, et animus meus mihi animi vestri fidejussor adsistat; dum quantum mihi de vobis præsumere debeam, conscium mutuæ dilectionis pectus interrogo. *Plura videri possunt apud Canisium tom.* 5 *Antiquæ lectionis, pag.* 483 : *nam hæc satis insinuant, quanti* Æonium *faceret Ruricius. Subdubitat quidem Canisius an hæc epistola ad* Æonium *nostrum sit data, quia vitio transcribentium* Ænio *inscribitur. Verum ad illum ipsum datam fuisse inde satis colligitur, quod Ruricius in fine* Æonium *rogat, ut ad se mittat* Pomerium, *non alium utique,* E *quam qui Arelate floruit* Æonii *tempore, et S. Cæsarii ibidem magister fuit, ut in Actis Cæsarii narravimus.*

AUCTORE J. S.

* *forte* quanlumlibet

DE S. MODANO FORTASSE EPISCOPO

IN ULTONIA HIBERNIÆ.

J. P.

SECULO FORTE VI VEL VII. *Damus hunc Sanctum*

Apud Colganum in Actis Sanctorum Hiberniæ ad diem* IV *Februarii pag.* 253 *hæc sunt :* Memorantur autem in nostris Festilogiis Hibernicis duo hujus nominis eximiæ sauctitatis viri : unus abbas de Kill-Modain et episcopus de Carnfurbhuidbe iu Connacia; alter episcopus de Aregal-Muodaiu in Ultonia. Prior Modanus floruit anno DLXI, et juxta eadem Festilogia natalis ejus celebratur die VI Martii; posterioris XXX Augusti. Et licet tempus auni DXXII, *(quod* C *pag.* 252 *ex qualicumque Camerarii auctoritate assignaverat S. Modano synonymo, qui ex eodem Camerario dicitur* abbas Driiburgensis *fuisse)* et dignitas abbatis S. Modauo de Kill-Muodiu quadrare videautur; cum tamen videam, *inquit,* natales singulorum esse diversos, non habeo, unde vel ipsum, vel S. Modanum de Airegal asseram cum præsenti, *id est, cum eo, de quo ibidem ex dicto Camerario ex professo agitur,* confundeudum. *Consuli etiam possunt apud Colganum notæ pag.* 253, *in quibus* eadem Festilogia *citantur pro episcopo* de Airegal-Muadain, *quem ex ipso damus hoc die* XXX *Augusti. Hæc autem adduntur in iisdem notis :* Ita Marianus Gormanus ad eumdem diem : « Muodanus, inquit, episcopus de Airegal-Muadhein. » Idem tradunt ad eumdem diem Cathaldus * Maguir, M. Taml., et Dungalleu; sed Tamlacten. et Maguir non vocant episcopum.

* *f* Carolus

2 *Ceterum Modanus, a Colgano datus* IV *Februarii, habetur apud nos cum titulo abbatis* in Scotia, *ut videre licet ad eumdem diem pag.* 497. *De Muadano seu Modano abbate de Kill-Modain, ac ep. de Carnfurbaidhe, ut volebat supra Colganus, consule Prætermissos apud nos ad diem* VI *Martii, ubi etiam indicavimus, de ipsius sanctitate nobis non constare.* Modanum *hodiernum Operi nostro inserendum censui, etiamsi aliunde mihi ignotum, propter Fastos sacros a Colgano indicatos : de quorum ætate* F *scribit idem hagiographus tomo primo, quem edidit de Actis Sanctorum Hiberniæ, ad diem* I *ejusdem mensis, pag.* 4 *et* 5. *Posui, seu potius reliqui eum a Colgano positum in Ultonia, quæ est Hiberniæ provincia ad septemtrionem. Titulum episcopi, quem ipsi tribuunt Marianus Gormanus et Martyrologium Dungallense, ut indicabat Colganus, Tamlactense autem et Maguir non habent,* S. Modano *hodierno supra apposui tamquam dubium. Quandoquidem vero tempus mortis ejus frustra quæsivi, et Modanum synonymum video superius a Colgano innecti seculo sexto, hodiernus eodem fortasse seculo vixerit vel proxime sequenti.*

e Martyrologiis a Colgano citatis.

A D

DE B. AGILO VICECOMITE CONF.

PROPE MAGDUNUM IN GALLIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus Beati et Acta : an fuerit monachus.

Post annum DLXXXVII. *Legitimus Sancti cultus*

Memoria quidem B. Agili seu Agilis, *vicecomitis Aurelianensis adscripta numquam fuit Martyrologiis antiquis : at recentiores martyrologi Beatum memomorant, et alia monumenta antiquum ejus cultum abunde ostendunt. Novum Martyrologium Parisiense in Addendis ad* XXX *Augusti sic habet :* Apud Vicinates * prope Magdunum * oppidum in territorio Aurelianensi, sancti Agilis vicecomitis, qui conversus e sæculo, res suas in alimenta paupe-

* Voisinat * Meun

B rum et ædificationem monasteriorum distraxit. *Consonat Castellanus in Martyrologio universali, sed brevius dat elogium. Saussayus vero in Martyrologio Gallicano ad eumdem diem Actorum dat compendium. Simon de Peyronet in Catalogo Sanctorum pag.* 269 *cultum magis probat, Beatumque monachis quoque adscribit hisce verbis :* Ay, Agilus, aliis Agylus, vicecomes Aurelianensis; postea monachus Miciaci in Gallia, cujus meminit Carolus Saussay Annal. ecclesiast. Aurelian. lib. 3 § 4, dum recenset insignes abbates, monachos et confessores, qui ex Miciacensi cœnobio ab Aureliano non longe dissito prodiere. Colitur in diœcesi Aurelianensi XXX Augusti, maxime in ecclesia sui nominis, quæ olim ab ipso in honorem Deiparæ constructa, hodie S. AY SUR LOIRE vulgo indigetatur.

ostenditur :

2 *Beati quoque memoria habetur in Kalendario Sanctorum Aurelianensium ad* XXX *Augusti cum Vitæ compendio; et apud Ferrarium in Catalogo generali. Præterera Franciscus le Maire in Historia et antiquitatibus Aurelianensibus pag.* 200, *recensens reliquias Sanctorum, quæ seculo* XV *et* XVI *in supplicationibus* C *circumferri solebant, inter illas numerat reliquias* B. Agili. *Demum sub Actis, de quibus mox agemus, hæc notata reperio :* Acta hæc in veteri codice manuscripta servantur in ecclesia sancti Agili prope Magdunum, quotannis ejus die natali legenda ad Matutinum : quibus concordant in verbis ipsis nocturnales lectiones antiqui Breviarii Ms. monasterii sancti Maximini de eodem festo. *Hisce immemorabilem Beati cultum abunde probatum existimo.*

Acta unde accepta et qualia.

3 *Acta* B. Agili *Majores nostri acceperunt a RR. PP. Fuliensibus ex collectione eorum Parisiensi. Auctor eorum est anonymus et incerti temporis, cum nullibi insinuet, se Beato coævum fuisse, et aliunde colligi nequeat, ab ejus ætate multo fuisse remotum. Porro ex annotatis nostris patebit, nihil in illis referri, quod falsitatis aut erroris convinci possit. Carolus Saussayus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib.* 3, *cap.* 40 *hæc ipsa Acta contraxit, contractaque ab ipso edidit Surius ad* XXX *Augusti. Nos integra ex apographo nostro subjiciemus, et de more annotatis illustrabimus. Ex Actis vero facile perspiciet studiosus lector, Beatum nostrum non recte monachis Miciacensibus annumeratum fuisse a Carolo Sausseyo, aliisque quibusdam, cum de Vita ejus monastica in iis non fiat mentio, nec illa aliunde probari possit. Hinc ipse Mabillonius tom.* 1 *Actorum Sanctorum Ordinis sui pag.* 581 *hæc notavit :* S. Agilus *(Aurelianensis)* non videtur fuisse monachus.

E

VITA

Auctore anonymo

Ex Ms. ecclesiæ B. Agili prope Magdunum.

Extitit quidam vir, nomine Agilus, nobilis prosapia ac præpotens gloria, qui in tantum sublimatus est in præsenti vita, ut pagi Aurelianensis fungeretur honore vicecomitis *a* Hic namque tam severus, tamque districtus fuit in malefactoribus, ut vix eum posset evadere reorum ullus. Accidit autem ut quidam servulus illius contra eumdem B. Agilum quoddam committeret delictum : quo perpetrato, desperans idem servus de adjutorio hominum viventium, cœpit cogitare, si usquam Dei occurreret auxilium per alicujus sancti viri meritum. Inter varios autem animi cogitatus, in memoriam venit illi, quanta Deus, sancta Trinitas et simplex unitas, operari assidue illis diebus dignabatur ad tumulum egregii confessoris atque abbatis egregii Maximini *b*.

Cum Agili servulus, qui deliquerat, fugisset *a*

F

2 Illuc ergo prædictus servus cum summa festinatione convolavit, atque mox solo prostratus ad tumulum *c* divi Maximini, suspirans cum gemitu profusis clamabat lachrymis, dicens : O præstantissime misericordia beate Maximine, qui beneficia tua poscentibus minime denegas, subveni mihi, ne violentia proprii domini possit me lædendum abstrahere ab isto loco sancto. Appareat, Sancte, super me virtus tua, quia ad te confugi, nullum sperans fortiorem inveuisse defensorem. Hæc dicens sæpissime, non cessabat deosculari sanctum tumulum. Dominus vero jam dictus Agilus, barbaro utens animo, misit illico apparitores, qui certissime ab illo deducerent eum loco, sibique præsentarent, quatenus ulcisceretur in eum.

b *ad tumulum S. Maximini, mittit ille apparitores,* *c*

3 Illi ergo appropinquantes ad locum, ceperunt paulisper tremere in membris omnibus correpti Dei virtute, et merito sancti Maximini. Et ad se reversi agnoscunt Sancti virtutem, et

ut vi eum tumulo abstrahant : his vero tremore absterritis ipse eo tendit,

A et suam præsumptionem: moxque humiliter accedentes ad tumulum reddunt sua vota Deo per intercessionem ejusdem beati viri, non attingentes profugum illum, quem suus defensabat protector: sicque ipsi sani nuntiant Domino suo, quod ipsis evenisset. Quod audiens minimeque credens, sed furore plenus, ascenso caballo iter suum ad tumulum præfatum dirigere cœpit, ut servulum, quem virtus divina servabat, puniturus vi abstraheret.

sed gravi correptus infirmitate, multa vovet.

4 Sed cum jam in medio positus fere itinere foret, sonipedem nequaquam valuit promovere, percutiens illius utraque latera calcaribus, ipse vero ita subito gravatus, ut caput non erigere posset ullo modo, (cœpit namque incredibili totius corporis vexari cruciatu) nec regredi domum, nec ad locum sepulchri ire valens, in se reversus virtutem Domini, et meritum Sancti coactus est confiteri. Et tractis ab imo corde suspiriis, ad tumulum sancti confessoris servorum suorum manibus se jussit deferri, ibique commorans aliquautulum, cibi potusque inedia tabefactus, cum multis lachrymis et planctu confessus coram Deo et sancto Maximino B peccasse, votum fecit, ut, in pristinum robur membris Deus et S. Maximinus ei restitueret, imminentemque mortem ab eo repelleret, et vitam adduceret, supra sepulchrum beati viri ecclesiam componeret, et famulum, quem B. Maximinus sibi vindicaverat, servitio illius manciparet perpetuo.

si valetudini restituatur: ac restitutus vota sua complet.

5 Clementia ergo Domini omnipotentis Dei citissime voces illius suscepit lachrymabiles: nempe, confestim recepto robore, hilaris Deo benedixit, beato Maximino gratias egit, servulum illum a Deo liberatum et a beato Maximino, ipsi serviturum cum omni sua progenie sub testamenti attestatione tradidit perpetuo: qui etiam ecclesiam *d*, quam voverat erexit. Peracto igitur ecclesiæ ædificio in nomine Domini et beati Maximini, dotavit eam hereditate sui patrimonii, nam curtem, quæ dicitur villa B. Berarii, cum suis appendiciis ipsi ecclesiæ concessit sub testamenti scripto. Regebat tunc Mieiacensem locum beatus Avitus *e*.

Beatus virtutibus

6 Nunc autem dicendum est, quæ conversatio, et qui actus post conversionem hujusmodi beati fuerint Agili. Nam hic sæpe prædictus Agilus, qui prius durus et ultra modum districtus existens, nunc est piissimus et omni suavitate conspicuus. Orationibus vero vacabat et jeC juniis continuis, inter divites autem et pauperes medius sic consistebat, ut pauperes illum quasi pauperem aspicerent, divites vero quasi superiorem sibi divitem æstimarent. Sublimius autem tanto unumquemque honorabat, quanto sanctius vivere didicerat. Erga egenos vero ita sollicitum se exhibebat, ut vere secundum Christi verbum in iis esse crederet Christum. Viduarum, orphanorum, pupillorum paterno affectu causam, et omnem sollicitudinem gerebat. Clericorum vero omnium ita curam tenebat, ut clericos pauperes si vidisset, divitibus sociasset, ut secundum beati Pauli dictum, horum inopiam illorum abundantia sublevaret. Clericorum cura ita illi erat, ut si aliquos inter eos studiosos in lege Dei reperisset, maxima veneratione diligeret, et suis eos amicitiis conjungeret.

variis fulget

7 Erat igitur beatus Agilus sermone facundissimus, justitia præditus, in judicio justis in commisso fidelis, in bonitate conspicuus, in universa morum honestate præclarus, ecclesiarum Dei dilatator atque existens propagator, nonnullas etiam ex sua hereditate fundans, quasdam etiam accrescens in divitiis abundantius ex prædiis sui patrimonii fertur hereditasse, sicuti basilicam proto-martyris Stephani *f*, quæ fundata est Mieiaco. Curtem enim, quæ dicitur Biverias, et aliam, quæ dicitur Andoëni Puteus, perpetualiter sub testamento ab omni dominio immunem dedit. Beati vero Petri principis apostolorum monasterium *g*, quod foris muros Aurelianis ad Orientem est constructum, in quo corpus beati Aniati humanum habetur, beatus Agilus valde ditavit ex suis prædiis, quæ per diversa loca sunt locata.

A. Anonymo.

et miraculis:

8 His et plurimis bonorum operum virtutibus pollens beatus Agilus in laïcali constitutus habitu tam Deo quam hominibus complacebat, temporibus regis inclyti Childeberti *h*, qui imperium gubernabat nobiliter a Deo sibi traditum, propter supra dicta bona. B. etiam Agilus visitator sanctorum locorum erat assiduus: nam et Romam, et alia visenda loca Sanctorum peragrabat sæpissime. Per eumdem vero beatum Agilum ita splendescebat gloria Christi sanitatum plenitudine, ut surdi auditum, cæci visum, muti loquendi officium, claudi gressum, membrorum curationem paralitici perciperent. Talia multis largiebatur Christus per sancti meritum E Agili.

peregrinatur Romam et Hierosolymam,

9 Ipse quippe hominum jactantiam fugiebat remorando in secretissimo loco, ex quo nullatenus egredi volebat, nisi causa expetiisset perspicua. Post multum vero temporis, postquam se toto corde Deo mancipaverat, dum adhuc de perfectione animæ suæ virtus divina animum suum pulsaret, vigilantius vigili mente pertractans dictum Salvatoris nostri piissimi, qui ait: Si vis perfectus esse, relictis omnibus, nudus Deum sequere: æstimans, et valde pertimescens detrimentum animæ suæ fore, si maneret sub tanta dignitate, sicut considerabatur in honore vice comitatus, relictis et dispositis sub eleemosina omnibus suis prædiis, atque rebus aliis mobilibus, commonitionem a Christo sibi aspiratam acceleravit expetere. In qua peregrinatione multum commoratus, Romam primum adiit: ibique diu ad beatorum Petri et Pauli limina consistens, tandem instinctu divino redemptionis nostræ ac venerabilis sanctæ crucis honore Hierosolymam petiit: et ad sepulchrum Domini longo tempore se maceravit jejuniis et orationibus, donec divinitus pro redeundo est admonitus.

ubique loca Sancta visit in reditu.

F 10 Gratia autem Domini ejus gressus dirigente, pervenit usque ad portum maris, in quo navim inveniens præparatam, navim cum suis est ingressus: navigantesque devenerunt Arelatum *i*, ibique relinquens navim, cum suis sociis gratia orationis visitabat omnia Sanctorum loca in itinere posita, expetens a Christo indulgentiam per illorum merita. Sicque tendens suum iter, pervenit usque ad urbem Turonensis *k*, in qua aliquantulum ad beatorum Mauritii atque Martini basilicas commoratus, cognovit divinitus imminere diem vocationis suæ. Transitoque Ligeris amne ad Aurelianensem repedabat civitatem recto itinere, cupiens tumulari in ecclesia, quam ipse fundaverat supra beati Maximini mausoleum.

Febricula tactus de propinqua morte ab angelo monetur:

11 Et cum hospitaretur in prædio sui juris satis amœno, vicino amni Ligeris, quod abest quinque millibus a supradicta civitate Aurelianis: et ibi aliquantulum demoraretur, levi tangitur febricula. Adest autem angelus tempore noctis mediæ per visum conspicuus vultu, qui alacriter

A ANONYMO. ter dixit: O dilecta Deo anima, bonum certamen certasti, opus Christi peregisti, jam nunc idem Christus imponet finem tuo labori. Dominica autem die ad Christum assumendus eris ab angelis sanctis; corpusculum vero tuum in hoc loco jubet tumulari divinitus. Sed citissime, si quid tibi disponendum est, dispone: ita enim fiet tibi, ut a me audisti.

et munitus extremo viatico pie moritur

12 Fama autem vulgante beatum a peregrinatione Agilum revertisse, multorum turba divitum pauperumque illuc lætabunda atque festinanter, ubi cubabat, suum transvolat ingressum. Ipse etiam pro episcopo Austreno *l* Aurelianis, atque pro abbate Miciacensi Maximiuo secundo *m*, qui fuit beati Theodemiri nepos, misit, ut consolaturi eum venirent, atque commendaturi Christo ejus animam. Qui ejus voluntati mox obedientes, adsunt cum magna clericorum, atque monachorum caterva. Petiit autem Dominici Corporis viaticum, et ita plenus dierum post ætatis suæ tempora consummata, meritorum splendore coruscans, terrena terrenis membra commendat, spiritus vero illius cum cælestibus angelorum choris B mansurus celsa conscendit, sub die tertio Calendarum Septembris.

sepultura, et miracula ad sepulcrum.

13 Igitur repente innumerabilium populorum refluxit repente caterva: corpus vero ejus illatum sepulchro in ecclesia, quæ ibi erat dicata in honore sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, retro altare decenter est humatum. Reliquit autem beatus Agilus familiam quamdam servorum illi loco deservituram, et prædium, quod ad ipsum pertinebat, in quo tumulatus est. Et hujus progenies beato adhuc Agilo devote serviendo pertinet. Ad tumulum ejus divina bonitas operari dignatur continue maxima miracula: nam sæpissime frenetici sanantur, morbi vero diversi generis extinguuntur, per invocationem sanctæ et individuæ Trinitatis, et per meritum beatissimæ semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ, et confessoris sancti ibi quiescentis Agili. Amen.

ANNOTATA.

a *De officio et dignitate vicecomitum multa explicantur in auctiore Cangii Glossario, quæ videri possunt.* C *Vicecomites autem Aurelianenses recenset laudatus ante le Maire cap.* 27, *interque eos primum statuit* B. Agilum. *In Actis S. Maximini mox assignandis* Agilus *solum vocatur* dives ac præpotens homo.

b *Sanctus hic Maximinus primus abbas fuit monasterii Miciacensis, duabus leucis Aurelia dissiti, quod ab eo nomen accepit. Quippe dicitur* Miciacense S. Maximini, *vulgo* Saint Mesmin de Micy. *Conditum est tempore Clodovei I, cujus pro eo diploma exhibet Acherius tom.* 3 *Spicilegii recusi pag.* 307. *Fundator fuit S. Euspicius, de quo actum apud nos tom.* 5 *Julii a pag.* 72. *Euspicium item abbatem illius primum statuunt vulgati catalogi, sed Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 33 *S. Euspicium vocat fundatorem, S. Maximinum vero primum abbatem. Hujus autem Acta dedit tom.* I *Actorum a pag.* 580. *De eo in Opere nostro agendum erit ad* 15 *Decembris.*

c *Carolus Sausseyus lib.* 3, *cap.* 40 *de sepulcro S. Maximini, ad quod servum illum fugisse narrat, sic habet:* Quod est in capella sancti Maximini retro altare. *Verum ibi tunc nondum erat Sancti illius sepulcrum, ut mox videbimus.*

d *Locum sepulcri S. Maximini conditæque ecclesiæ explicat utraque S. Maximini Vita, re-* D *ferturque rursum in Miraculis apud laudatum Mabillonium. Vita prima pag.* 589 *sic habet:* Circa Ligeris ripam erat et est mons non multæ altitudinis, habens sub se concavam rupem, et intra eamdem habitantem sævum draconem *etc. Hunc draconem exstinctum narrat locumque purgatum a Sancto, qui et moriens ibidem se sepeliri jussit. Relata deinde Maximini morte, eodem loco sepultus dicitur, sicut mandaverat: atque hæc subduntur:* Qui locus multis... postea claruit miraculorum signis, quamdiu sancta membra tegere meruit. *Tum fuse narrat hoc ipsum miraculum de servo* B. Agili, *ejusque subito morbo ac voto. Ac demum subjungit sequentia:* Nam subito recepto robore constitit (Agilus,) et lætus Deo benedixit, beato Maximino gratias egit, servum, quem ipse sibi vindicaverat, perpetuo ei serviturum cum agnatione successura sub testamenti attestatione tradidit, nec non et basilicam, quam voverat, opere perfecit. Nec est quidquam, quod de ea dici valeat, cum hodieque supersit: in qua basilica cum diu, ut jam dictum est, multi beneficia divina petituri per E interventum sancti Maximini adventarent, et pro voto res pluribus cederet *etc. Refert mox translationem corporis S. Maximini, quæ huc non pertinet. Eadem paulo brevius exponuntur in Vita secunda pag.* 597*: et brevissime in Miraculis pag.* 600 *hoc modo:* Sepultus est vero *(S. Maximinus)* a venerabili Eusebio episcopo et Fratribus in monte transligerino, in quo ipse per Domini virtutem sævum exstinxerat draconem: super cujus venerabile corpus quidam præpotens homo, nomine Agilis, ob sanitatem sibi redditam ædificavit basilicam, et postmodum idem Agilis ad habitum sanctitatis conversus hodie etiam miraculis claret.

e *S. Avitus abbas fuit post S. Maximinum, ut consentiunt omnes. Acta autem S. Aviti data sunt apud nos tom.* 3 *Junii a pag.* 351*: ex iisque æque atque ex Actis S. Maximini idem est hic Avitus cum illo Avito abbate, quem laudat S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum cap.* 99, *cum illud ipsum, quod ibi narrat laudatus Turonensis, in Actis S. Aviti Miciacensis referatur num.* 24. *Mabillonius quidem in Actis seculo* I *Benedict. pag.* 613 *et* 614 *et* F *in Annalibus tom.* I, *pag.* 77 *ex uno hoc Avito duos formare conatus est, eumque secutus est Bailletus ad* 17 *Junii, ubi temere utrique Avito sua gesta assignat: at mihi, expensis Mabillonii argumentis, illa distinctio usque adeo improbabilis videtur, ut credam, non potuisse illam opinionem probari viro erudito, nisi quod non vidisset Acta sincera S. Aviti per Henschenium edita loco jam assignato.*

f *Est hæc ecclesia monasterii Miciacensis, de qua in Actis S. Maximini apud Mabillonium pag.* 585*:* Basilicamque eamdem in honore Dei et sancti Stephani protomartyris consecravit *Eusebius episcopus.*

g *De hoc monasterio, nunc ecclesia collegiata, fuse agit le Maire in Historia ecclesiæ Aurelianensis cap.* 19. *Vocatum est primo* monasterium sancti Petri ad Boves, *deinde* S. Aniani *ab illato istius Sancti corpore paulatim dici cœpit S. Gregorius Turonensis lib.* 9 *Historiæ cap.* 18 *narrat sepultum Namatium episcopum* in basilica sancti Aniani confessoris, *quæ hæc ipsa est ecclesia. De S. Aniano agetur ad* 17 *Novembris, quo colitur.*

h *Childebertus*

A h *Childebertus I obiit anno 558. Hic autem indicari videtur ; licet Beatus etiam vixerit et obierit tempori Childeberti II.*

i Arelatum, *aliis* Arelate *et* Arelas, *vulgo* Arles, *urbs nota est in Provincia ad sinistrum Rhodani ostium.*

k *Turones, vulgo* Tours, *urbs satis ampla et nota est ad Ligerim* * *flumen. Sammarthani tom.* I *Galliæ Christianæ de urbe Turonensi ad propositum nostrum scribunt sequentia :* Basilicas habet insignes, metropolitanam, cujus olim patronus S. Mauritius, et nunc passim divi Gatiani templum nuncupatur..... Nec minoris est prærogativæ ecclesia collegiata regni Francorum opulentissima, quæ S. Martino dicatur, vetustate venerabilis, amplissimis dignitatibus *etc. Fuisse ibidem magna in veneratione corpus S. Martini, vulgo notum est. Reliquias quoque Martyrum Agaunensium, seu Legionis Thebææ, cujus tribunus erat S. Mauritius, ibidem fuisse testatur S. Gregorius Turonensis lib.* 10 *Historiæ cap.* 31, *num.* 19.

* la Loire.

Laudatus Turonensis lib. 9, *cap.* 18, *relato Namatii Aurelianensis episcopi obitu, subjungit :* In cujus cathedram Austrinus Pastoris quondam filius subrogatur. *Carolus Sausseyus lib.* 3, *cap.* 39 *initium episcopatus ejus affigit anno* 590. *Cointius vero episcopum factum existimat anno* 587. *Hac de causa obitum B. Agili notamus cum Martyrologio Parisiensi* post annum DLXXXVII. *At incertum est, quot annis jam sedisset Austrenus, dum Beatus obiit.* A. ANONYMO.

m *Letaldus in Miraculis S. Maximini I (apud Mabillonium tom.* I *Actorum pag.* 600 *et* 601) *docet S. Maximino primo successisse S. Avitum, huic vero Theodemirum, ac Theodemiro nepotem ejus Maximinum II, qui omnes brevi ibidem honorantur elogio ; at quando obierit Theodemirus aut Maximinus II, non exprimitur.*

n *Senem obiisse ex præcedentibus clarum est. Quippe conversus est tempore S. Aviti abbatis, cujus mortem Henschenius fixit circa annum* 527. *Vixerit igitur annis* 60, *ut minimum, post conversionem suam, ita ut octogenario longe major fuisse videatur, dum defunctus est.*

B E

DE SANCTO AGILO

PRIMO RESBACENSI ABBATE

IN BRIA GALLIÆ PROVINCIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Cultus Sancti : scriptores Actorum et Miraculorum.

CIRCA ANNUM DCL. *Memoria Sancti non quidem in antiquioribus Fastis omnibus.*

Quamquam *dubitari non potest de sanctitate ac veneratione satis vetusta* S. Agili *abbatis, plerique tamen antiquiores martyrologi ejus memoriam prætermiserunt. In Pratensi codice Usuardi ad* XXX *Augusti annuntiatur his verbis :* In pago Meldensi, sancti Agili confessoris. *Verum* C *Sollerius noster in Observationibus ad illum diem existimat annuntiationem istam Usuardi non esse, sed Usuardino codici postea adjectam, licet alioquin agnoscat, additionem admodum esse antiquam, cum ex codice Pratensi in duos alios codices, quos Antverpiensem Majorem et Rosweydinum vocat Sollerius, translata sint eadem prorsus verba. Jacobus Bouillart, qui codicem illum Pratensem, suppresso nomine, edidit anno* 1718, *ipsa putavit esse Usuardi verba. At id mihi verisimile non magis est, quam fuit Sollerio, cum longe plures Usuardini codices Mss. et editi,* Agilum *omnino non habeant, aliique non pauciores eumdem quidem memorent, sed verbis plane diversis. Accipe pauca pro exemplo : Muneratus sic edidit :* Resbaco monasterio, cognomento Hierusalem, sancti Agili, qui ejusdem abbas cœnobii multis virtutibus claruit. *Codex Centulensis hæc habet :* Cœnobio Restacensi *, depositio sancti Agili abbatis. *Bruxellensis :* Eodem die in monasterio Jerusalem, depositio sancti Agili confessoris et abbatis. *Aquicinctinus :* In monasterio, quod dicitur Respacis, transitus sancti Agili, ejusdem loci abbatis et confessoris. *Demum, ut alios codices et editiones prætermittamus, editio Lubeco-Coloniensis eumdem Sanctum memorat his verbis :* In monasterio Resbasi, sancti Agili abbatis et confessoris, qui centenarius ac virgo existens, feliciter ex vocatione migravit a seculo.

* pro Resbacensi

2 *Ex hac tanta codicum Usuardinorum in omittendo et memorando* S. Agilo *varietate, quæ latius videri potest apud Sollerium, colligimus Sanctum illum ab ipso quidem Usuardo Fastis* F *insertum non esse, venerationem tamen ipsius a multis seculis longe lateque fuisse agnitam. Primus igitur* S. Agilum *Martyrologio suo adscripsisse videtur Rabanus, qui ad* XXX *Augusti his verbis illum commemorat :* Depositio Agili abbatis. *Florarium nostrum Ms. ad eumdem diem sic habet:* In pago Meldensi Agili abbatis Resbacensis. *Seculi sunt recentiores plurimi, interque eos Benedictini, qui eumdem Sanctum suis Menologiis inseruerunt. Unum subjungo Andreæ Saussayi elogium, quod satis fideliter ex Actis contractum.* Ipso die (XXX *Augusti*,) itidem in agro Meldensi sancti Agili primi Resbacensis abbatis et confessoris, qui ex monacho Luxoviensi, ubi floruit sancti Eustachii * discipulus, revocatus ad patrium solum, ob egregias virtutes et præcipuum religionis studium, a sancto Audoëno prædicti cœnobii fundatore primus illic ætheriarcha * constitutus, germina ibidem pietatis plurima excitavit, collectaque multa operum bonorum segete, candidatus gloriæ centenarius quievit in Domino. *Ætas illa centum annorum, in Actis asserta,*

in quibusdam tamen satis antiquis :

* Eustasii

* *lege* æleriarcha *i. e.* sociis præfectus seu abbas

AUCTORE J. S.

asserta, discutietur inferius. Maurolycus et Felicius in suis Martyrologiis S. Agilum *habent* I *Septembris; at qua de causa, ignoramus.*

præter festivitatem præcipuam translatio quoque celebrata.

3 *Præter festivitatem hanc præcipuam, quæ* XXX *Augusti celebratur, habetur in abbatia Resbacensi alia festivitas de Sancti translatione* XXIII *Januarii. Annuntiatur illa in duobus codicibus Usuardi auctis, adductisque per Sollerium ad diem memoratum. Bruxellensis his utitur verbis:* Eodem die translatio S. Agili abbatis et confessoris. *Augensis vero istis:* Resbaco monasterio, translatio sancti Agili abbatis. *Accedit Florarium nostrum Ms., in quo sic habetur:* Ipso die beati Agili abbatis Resbacensis anno salutis DCC. *Subintelligi forsan debet* translatio, *uti præcedit in alia annuntiatione, et inde utcumque colligitur, quod natalem Sancti idem auctor memoret* XXX *Augusti. Ea quidem explicatio certa non est, cum auctor natalem bis per errorem commemorare potuerit, ipsumque ad* XXIII *Januarii referre, uti revera fecit Bucelinus in Menologio Benedictino: verumtamen annus adjunctus magis translationem quam obitum insinuat. Mabil-* B *lonius in annotatis ad Vitam pag.* 325, *ubi sepultus dicitur* in ecclesia, quæ est in honore B. Johannis Baptistæ ad plagam meridianam, *de reliquiis et festivitatibus Sancti observat sequentia:* Ejus reliquiæ in monasterii sui ecclesia, S. Petro sacra, religiose coluntur. Visitur ejus cenotaphium in B. Joannis Baptistæ ecclesia parochiali, in qua sepultus fuit. Duplicem habet apud suos Resbacenses celebritatem, unam depositionis III Kalendas Septembris, alteram translationis X Kalendas Februarii, qui dies elevationis esse videtur. *Idem omnino existimo. At quo tempore facta sit illa elevatio et translatio ad ecclesiam S. Petri, hactenus non liquet.*

supplicationes cum reliquiis Sancti olim institutæ,

4 *Ad venerationem quoque Sancti ejusque reliquias spectant aliqua, quæ R. D. Nicolaus Belfortius, Canonicus Regularis notavit ad Acta, per eum ex codice Resbacensi descripta, transmissaque ad Majores nostros, ut dicemus. Verba Belfortii hæc sunt:* Interfui etiam supplicationibus publicis, quæ cum reliquiis Resbacensibus a viginti, triginta, seu etiam quadraginta simul, tum villarum tum oppidorum accolis, me puero, C fiebant pro aeris temperie impetranda. Etsi, ut puer tum temporis, minime observavi petitionis effectum (non enim volo sine certa ac vivida memoria in talibus quicquam asserere) tamen præter communem famam, quod sæpiuscule Deus postulata concessit, scio et probe memini D. Romanum Consivet, mei monasterii Canonicum Regularem hujusce rei ingenuum se mihi aliquando testem ingessisse. Sed heu dolor! nuper adeo beati Agili et aliorum cum eo quiescentium Sanctorum corpora fere tota, ipsamque funditus ecclesiam Resbacensium flammis tradidit Vasconum cohors, quæ cum reliquo exercitu juncta ab urbe Agendico ad partes Silvanectenses pergebat, circa annum MDXCII aut MDXCIII mense Septembri pridie Nativitatis beatæ Mariæ. *Hæc ille.*

hymnus in ejusdem laudem compositus;

5 *Lubet etiam huic loco innectere vetustum carmen de* S. Agilo, *quod ex codice* 696 *reginæ Sueciæ descriptum, nobisque olim fuit transmissum. Complectitur istud quædam Sancti gesta hisce verbis expressa:*

Anni revolvens circulus festum reducit Militis,
Qui est ob agiles motus vocatus jure Agilus.
Quem tulit sanguis nobilis, sed fides hausit * meritis:
Omittens fastum seculi, Christo adhæsit principi. D
Attingens annos puberes, actus exercens celebres,
Qualis extabat pectore, mox patefecit opere.
Furenti in se juveni signum crucis opposuit,
Cui statim manus aruit, quam sanam Sanctus reddidit.
Christum in forma pauperis suis subvexit humeris,
Tali donatus munere Christo portatur bajulo.
Adstitit Christus Famulo fesso jam longo senio,
Quem pius pater Agilus voce precatur supplici.
Memento mei, Domine, quem redemisti Sanguine:
Fac me tuorum concivem, gaudiorumque consortem.
Tuere, Pastor maxime, gregem istum continue,
Pro quo affixus es ligno, restitue paradiso.
Jam nunc conjunctus intimis sacer Sanctorum gaudiis,
Nostri memor assidue esto, Pater sanctissime.
O alma Deus Trinitas, venerandaque Unitas, E
Largire tuis servulis, æternis frui præmiis.

* *forsan* auxit

Vita ab anonymo scripta et jam edita.

6 *Hisce de Sancti veneratione disputatis, ad Actorum notitiam progredior. Vitam S. Agili, ab auctore anonymo conscriptam,* ex Mss. codicibus Aecincti et Vallis Lucentis monasteriorum *primus edidit Petrus Franciscus Chiffletius inter instrumenta Historiæ Tornutiensi subjuncta. Eamdem ex hac editione et aliis Mss. recudit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis sancti Benedicti seculo* 2, *a pag.* 316; *Vitæque subjunxit* Miracula sancti Agili, duobus libris scripta ab auctoribus contemporaneis, *usus* codicibus Mss. monasteriorum Resbacensis et Uticensis. *Accepimus et nos prædictæ Vitæ cum libris Miraculorum apographum ex codice Resbacensi. Descripsit illud jam laudatus Nicolaus Belfortius, Canonicus Regularis in monasterio S. Joannis de Vineis juxta Suessiones, ac misit ad Majores nostros, quorum cura idem apographum collatum fuit cum codice* 696 *Reginæ Sueciæ, exceptis tamen miraculis.*

ut rursus edenda ex Ms una cum Miraculis.

7 *Porro quod spectat ad Vitam, gesta eadem referuntur in editis et Mss. exemplaribus. Verumtamen tanta est vocum discrepantia inter apographum Resbacense et reliqua jam dicta exem-* F *plaria, ut hæc mutationis aliquid passa sint aut illud. Facile crediderim Opusculum primi auctoris ab interpolatore aliquo verbis amplificatum fuisse et effatis quibusdam generalibus auctum. Quippe id longe verisimilius apparet, quam Ms. Resbacense, in quo omnia explicantur paulo brevius, fuisse contractum. Hac de causa edam laudatum apographum Resbacense, ita tamen, ut in Annotatis adjecturus sim illa omnia, quæ in editionibus memoratis et in Ms. Reginæ Sueciæ leguntur adjecta. Ex his studiosus lector judicare poterit, an codex ille, qui etiam aliis præferendus videtur, quod ejusdem sit abbatiæ, in qua Sanctus obiit, magis referat primævi auctoris stylum, an alii, ex quibus editiones jam factæ. Post Vitam Miracula subdemus ab aliis scriptoribus exarata: in his autem utemur eodem codice Resbacensi, quem conferemus cum editione Mabillonii, non raro in verbis discrepante. Id factum opinor, quod Mabillonius magis secutus sit codicem Uticensem quam Resbacensem. At malim ego adjuncta ex Uticensi inter annotata exprimere.*

Inquiritur,

8 *De ætate hujusce Vitæ scriptoris variæ ad-* *modum*

A *modum sunt eruditorum sententiæ. Adrianus Bailletus in Tabula critica ad* XXX *Augusti, et Jacobus le Long in Bibliotheca historica Franciæ pag.* 240 *sine ulla probatione asserunt, biographum toto fere seculo vixisse post* S. Agilum. *Cointius vero in Annalibus Francorum tom.* 2 *et* 3 *eumdem scriptorem frequenter adducit, et ubique contemporaneum vocat. Mabillonius inter hos videtur medius, atque in ætatem biographi hujus inquirit. Audi itaque quomodo in Observationibus præviis de notis quibusdam Vitæ chronologicis disserat laudatus Mabillonius :* Hujus Vitæ scriptor auonymus, *inquit*, tres nobis suppeditat ætatis suæ characteres, duos scilicet in præfatione ab episcopo Raguemundo et Aygloaldo abbate, tertium ab ætate S. Donati Vesontionensis episcopi, quo referente miraculum, cap. VII memoratum, se accepisse testatur. Ragnemundum sedis Meldensis episcopum, Aygloaldum vero Resbacensis monasterii abbatem fuisse omnino probabile est. *Verum, ut subdit, uterque in vulgatis catalogis episcoporum Meldensium et abbatum Resbacensium ignotus est, nisi Ragne-* B *mundus forsan idem sit cum* Ragaminato *seu* Ragemario. *At ne quidem de ætate Ragaminati aliquid certi habemus. Duæ igitur hæ notæ chronologicæ nihil subsidii afferre possunt.*

quo tempore

9 *Hinc Mabillonius sic progreditur :* Certior est a S. Donati ætate petita ratio temporis, quam S. Agili encomiastes cap. VII profert. Quippe S. Donatus ab anno circa DCXXV, quo synodo Remensi sub Sonnatio habitæ subscripsit, ad annum DCLI, quo denatus videtur, Vesontionensem cathedram tenuit. *Verba scriptoris, ex quibus argumentum desumitur, hæc sunt infra num.* 10 : Porro, sicut Donat o, tuuc quidem monacho, postea Vesantionensis urbis episcopo, referente didici, qui, quando hæc gesta sunt, adhuc adolescens iutererat *etc. Si hæc verba sumamus eo sensu, quem præferre videntur, S. Donatus hæc ipse narravit Vitæ scriptori sive in privato colloquio, sive in prædicatione publica. Ex quo consequitur, vixisse biographum ante mortem S. Donati. Verum credere non potuit Mabillonius eo tempore vixisse biographum, atque inde fieret ut tertia illa temporis ratio, quam* certiorem *vocabat, prorsus* C *futura esset incerta.*

conscripta sit Vita.

10 *Nam ille ratiocinari pergit hoc modo :* Unde scrupulus nascitur, an S. Agili encomiastes Donatum videre potuerit; anne potius ex Donati relatione, voce aut scripto tradita, narrationem capitis VII acceperit. *Hanc expositionem in annotatis amplectitur ad hæc verba*, Donato referente didici, *sic commentans :* Nempe ex scripto vel traditione : nam ex Douati ore istud accipere auctor non videtur potuisse. Nullibi enim auctor ant se Agilo coævum, aut eum a se visum dicit, cum tamen Donatus ante annum DCLX mortuus, vel paullo post S. Agilum in nostra sententia ; vel in aliorum, ante ipsum Agilum. *Ratio Mabillonii, cur locum ita exponat, ab eo sic exprimitur in Observationibus præviis :* Certe, ne quid dissimulemus, occurruut in ista Vita mendæ nonnullæ, quæ scriptorem seculo VII inferiorem designant. *In his Sadaberga seu Salaberga* virginitatem inviolabiliter servasse cap. XII falso dicitur, cui plures liberos fuisse ex propria Vita constat.... Sententia *(In Vita sæpe asserta)* de centenaria B. Agili ætate cum Vita S. Filiberti conciliari non potest.

11 *Verumtamen hæ rationes non evincunt, tertiam illam notam chronologicam prorsus deserendam, sicut deseritur a Mabillonio, locumque biographi exponendum eo modo, quo ab ipso improprie exponitur. Nam, si biographus scripserit inter annum* 684 *et* 690, *ut nos existimamus et mox probabimus, facile in aliquot errores labi potuit conjecturis nimium indulgendo. Deinde cum S. Donatus vixerit post annum* 656, *et obierit verosimiliter tantum circa* 660, *ut in ejus Actis probatum est tom.* 2 *Augusti pag.* 199, *nulla est ratio, cur miraculum istud ex ipso S. Donato audire non potuerit biographus, sicut naturalis verborum expositio ipsum audivisse insinuat, cum scripserit annis circiter triginta post mortem Donati. Neque hisce obstat, quod ille nullibi asserat se* S. Agilo *coævum, aut eumdem a se visum. Nam, etiamsi Sanctum numquam viderit, nec dicat eum vixisse se puero aut adolescente, inde inferri non potest, natum non fuisse biographum ante mortem* S. Agili : *imo ne quidem hinc satis solide concludes, monachum non fuisse Luxoviensem, dum defunctus est Sanctus. Monachum autem fuisse Luxoviensem suspicor, cum quod plura referat de Sancti gestis Luxovii quam Resbaci, tum quod Donatum testem adducat, qui monachus* E *fuerat Luxoviensis, et episcopus Vesontionensis Luxovio longe vicinior erat quam Resbaco, adeoque suos Luxovienses verosimiliter subinde invisebat, ita ut biographus prædictum miraculum facile ex ipso audire potuerit, vel ante monasticam professionem, vel jam monachus, si monachus re vera fuerit, ut est verisimile.*

AUCTORE J S

et ostenditur, scriptam videri

12 *Error vero a biographo commissus in S. Salaberga, quam virginem putavit, licet maritata bis fuerit, adeo non probat scriptorem esse seculo* VII *posteriorem, ut potius evincere videatur, eumdem non scripsisse post annum circiter* 690. *Observarunt id eruditi Benedictini in Historia litteraria Franciæ tom.* 3, *pag.* 636, *ubi de ætate biographi nostri accurate disserunt. Laudati scriptores solide probant ibidem pag.* 636 *et* 637 *Vitam S. Salabergæ scriptam esse inter annum* 680 *et* 688. *At verisimile non est, aut biographo nostro diu ignotam fuisse Vitam S. Salabergæ, ubi erat conscripta, cum fuisset ejusdem Ordinis abbatissa ; aut eumdem incidere potuisse in errorem de asserta illius Sanctæ virginitate, si ejus vidisset Vitam, priusquam* S. Agili *Vitam exararet ; adeoque dicendum videtur* S. Agili *Vitam scriptam esse ante Vitam S. Salabergæ, id* F *est, ante annum* 688, *aut certe non multo posterius, et prius quam Vita Salabergæ esset vulgata. Hac de causa dixi probabilius scriptam esse ante annum* 690.

ante annum 690.

13 *Jam vero Vitam exaratam fuisse post annum* 684 *sic ostendo cum laudatis mox Benedictinis. Auctor num.* 33 *de S. Filiberto abbate Sancti nostri discipulo ac successore loquitur, tamquam de defuncto : at S. Filibertus probabilius obiit anno* 684, *ut in Commentario ejus Vitæ prævio dictum est tom.* IV *Augusti pag.* 71. *Vita igitur post illum annum* 684 *conscripta. Demum ex tota Vita patet, auctorem non esse omnino contemporaneum : nec quidquam in illa reperitur, quod persuadeat, assignata ætate esse juniorem. Porro in errores aliquot lapsum esse hujus Vitæ scriptorem, jam supra ex Mabillonio diximus : et licet ille ibidem adjungat :* Et tamen suo auctori integram in aliis fidem habemus; *id tantum intellexisse videtur de iis, quibus gravior auctoritas non repugnat. Certo nos alia quædam in annotatis assignabimus, quibus indubitatam fidem habere non possumus. Nunc præcipua Vitæ capita*

et post annum 684 : scriptor illius subinde errori obnoxius.

AUCTORE J. S.

ta ad ordinem chronologicum utcumque reducere conabimur.

§ II. Præcipua Vitæ capita ordine chronologico deducta, et aliunde illustrata.

Locus Sancti natalis non satis certus :

Natum nobilibus parentibus S. Agilum *Vita docet, at nec locum natalem clare, nec tempus ullo modo exprimit. Locum tamen natalem Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* I, *pag.* 306 *describit hisce verbis :* Is est Agilus seu Agilis, nobilissimis natalibus ex primis palatii Burgundici optimatibus, Portensi ad Ararim territorio, et quidem in vico Honorifiaco exortus, patre Chagnoalde (*in Vita* Agnoaldo,) Childeberti regis conviva et consiliario, et Deuteria ejus conjuge ex præclara Burgundionum prosapia. *Verum non omnino hæc mihi videntur certa, cum conjecturis solum nitantur incertis. Asserit quidem Vita Agnoaldum Sancti patrem* Portensi territorio *ortum : at inde certo inferri non potest, natum ibidem filium. Rursum Vita affirmat in villa* Honorifiaco *exceptum ab* Agili *parentibus S. Columbanum : verum hinc pro certo colligi non debet, in eadem villa* S. Agilum *mundo datum. Mallem itaque ut pro conjectura verisimili hæc dedisset Mabillonius, quam narrasset tamquam certa : nam admodum incerta esse magis patebit in Annotatis ad caput* I *Vitæ. Qua de causa locum natalem incertum relinquo, et ad tempus investigandum accedo.*

de tempore ejus natali opiniones variæ,

15 *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 568 *num.* 18 *scribit ortum* S. Agili *incidere* in annum Christi quingentesimum sexagesimum primum. *In eam opinionem, quæ longe abest a vero, abductus est Cointius, quod secutus sit sententiam biographi de centenaria Sancti ætate. Mabillonius in annotatis ad Vitam natum putat circa annum* 580, *septuagenarium enim fere obiisse scribit circa annum* 650. *Porro tempus natale* S. Agili, *quod nullibi exprimitur, colligi utcumque posset ex tempore, quo S. Columbanus abbas ex Hibernia in Galliam venit : ab eo enim septennis benedictionem obtinuit. Verum scriptores de tempore adventus S. Columbani non minus dissentiunt quam de anno natali* S. Agili. *Præterea ignoramus, an statim post adventum suum in Galliam Columbanus ad parentes* S. Agili *accesserit, atque huic bene precatus fuerit. Qua de causa, prætermisso primo Columbani in Galliam adventu, qui in ejus Actis spinosæ inquisitioni dabit materiam, solum inquiram, quo tempore conditum sit Luxoviense monasterium, ut inde tempus natale* S. Agili *utcumque colligi valeat.*

inter quas illa probabilior,

16 *Cointius ad annum* 590 *num.* 36, *Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 212, *aliique scriptores existimant, monasterium Luxoviense conditum anno* 590, *aut certe circa eumdem annum. Rationem allegant satis convincentem, cui acquiescere fas est. S. Columbanus in exsilium missus est anno conditi monasterii vicesimo. Testatur id Jonas in Vita S. Columbani apud Mabillonium tom.* 2 *Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag.* 21 *his verbis :* Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius : *Luxoviensis videlicet, ut confirmat Vita* S. Agili *infra num.* 7, *ubi sic legitur :* B. Columbanus vicesimo anno, ex quo monasterium (*Luxoviense, de quo solo egerat*) instaurare cœperat propulsione Theoderici regis et dolo pessimæ Brunechildis exagitatus, . . natale solum repetere perurgetur. *Hoc autem S. Columbani exsilium contigit anno* 610. *Quippe accidit tribus annis, priusquam Clotarius II solus in Gallia regnare cœpit, morte Theoderici et Theodeberti monarchiam consecutus. Docent id scriptores jam laudati. In Vita Columbani citata pag.* 23 *Sanctus hic prædicit regem Theodericum cum omni stirpe sua intra triennium periturum. Idem pag.* 24 *prænuntiat Clotario,* intra trienii tempus *Galliæ monarchiam ad ipsum devolvendam. Et demum pag.* 28 *ostendit auctor hæc fuisse completa. Consentit Vita* S. Agili, *quæ num.* 12 *habet sequentia :* Per idem vero tempus Lotharius rex anno tertio, ex quo sæpe dictus Columbanus de monasterio recessit, sicut idem prophetico spiritu prædixerat, devictis duobus regibus, solus potitur trium regnorum monarchia. *Itaque cum Clotarius Galliæ monarchiam adeptus sit anno* 613, *prædictio et expulsio Columbani contigit anno* 610, *et constructio monasterii Luxoviensis anno* 590, *aut certe circa illum annum.*

qua natum statuit circa annum 580. *Religionem ingressus circa* 590,

17 *Hisce positis, in quæ eruditi fere consentiunt, natales* S. Agili *collocandi videntur circa annum* 580 ; *benedictio septennis Pueri circa* 587, *ingressus vero in monasterium Luxoviense circa* 590, *aut omnia paullo serius ; prout omnia illa ordinavit Mabillonius in annotatis ad Vitam. Rationes hæ allegari possunt. Quantum ex Vita colligi potest, septennis* Agilus *benedictionem obtinuit a S. Columbano, dum hic apud patrem ejus Agnoaldum agebat, ut per eum a rege impetraret locum condendo monasterio Luxoviensi : paucis itaque annis, antequam in eodem monasterio degerent monachi cum Columbano, ita ut suspicari possimus id factum anno* 587 *aut* 588. *Deinde ex modo, quo Vitæ scriptor num.* 5 *narrat ingressum* Agili *in monasterium Luxoviense, videntur aliquot anni intercessisse inter benedictionem et ingressum. Verba accipe :* Optata dehinc dies advenerat, in qua pius pater (*Agnoaldus*) sacris altaribus charam Sobolem offerret in jam dicto monasterio, ditans eumdem locum supellectilis variæ muneribus . . Sicque ingrediens Agilus ævum pueritiæ, committitur Eustasio sacris litteris erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis. *Ex varia suppellectili monasterio donata conjicio, illud tum non diu fuisse conditum. Ex ævo autem pueritiæ, quo tamen tradebatur sacris litteris erudiendus* Agilus, *suspicor decennem saltem fuisse aut duodennem tunc temporis. At lubens fateor hasce rationes non sufficere ad ætatem* S. Agili *exacte figendam, cum natus esse possit aliquot annis serius aut citius ; non tamen anno* 561, *ut voluit Cointius : nec tam cito, ut ætatem centum annorum compleverit.*

ad Theodericum et Brunichildem pro monasterio suo mittitur anno 610.

18 *Presbyterum deinde ordinatum fuisse* S. Agilum *Vita locis variis insinuat, etiamsi ordinationem ejus nullibi referat, adeoque non constet, quo tempore quave ætate fuerit consecratus. Post exsilium S. Columbani, quod anno* 610 *contigisse jam diximus, ex omnibus electus est* Agilus, *ut Theodericum Burgundiæ regem ejusque aviam Brunichildem adiret, eorumque mitigaret animos, qui etiam post abcessum Columbani contra Luxovienses monachos vehementer erant exacerbati. Missio illa verosimiliter contigit eodem anno* 610, *cum dicatur decreta* eo . . tempore, quo Columbanus dimissus erat. *Quam feliciter exsecutus fuerit Sanctus officium sibi commissum, docet Vita num.* 8 *et seqq.*

19 *Post*

A 19 *Post aliquot annos* S. Agilus *cum S. Eustasio electus fuit ad prædicandum infidelibus Euangelium. De tempore in Vita num.* 12 *nihil dicitur, nisi factum esse, Clotario* in solio trium regnorum sublimato : *additurque electos esse synodica diffinitione. Hinc Pagius ad annum* 617, *num.* 4 *sic ratiocinatur* : Uterque... ad prædicandum Euangelium synodica difinitione missus asseritur, nec illa synodica difiuitio designat alium episcoporum cœtum, quam qui celebratus est hoc anno (617) in villa regia Bonogello, seu Bonogilo *, ad Matronam sita, cujus mentionem facit Fredegarius cap. XLIV anno XXXIV regni Clotarii. *In nova Fredegarii editione per Ruinartium curata synodus illa cap.* 44 *refertur ad annum Clotarii* XXXIII, *id est, Christi* 616. *At editor* XXXIV, id est, DCXVII. *Porro Aimoinus de Gestis Francorum lib.* 4, *cap.* 6 *de illo conventu sic habet* : Anno trigesimo quarto regni sui Clotarius Warnarium palatii comitem de regno Burgundiæ cum universis pontificibus seu primatibus ad se Bonogilum villam evocans, dando, sive petitionibus eorum annuendo, cunctos sibi fidelissimos effecit. *Cum antistites Burgundiæ ad eum* B *conventum vocati fuerint, satis verisimile puto* S. Agilum *cum S. Eustasio in eo electum ad Euangelium prædicandum iis gentibus, quas Vita num.* 13 *nominat, quasque ibidem in annotatis exponemus.*

dirigitur ad Euangelium cum abbate suo prædicandum anno verosimiliter 617.

* Boscuil

20 *Hinc progredior ad investigandum tempus conditi Resbacensis monasterii, cui Sanctus noster primus præfectus est abbas. Vita asserit monasterium conditum esse tempore Dagoberti regis, et* S. Agilum *abbatem constitutum in synodo Clippiacensi. Mabillonius autem in Observatione prævia de tempore sic disserit* : Resbacensis monasterii initia anno DCXXXIV, ecclesiæ dedicationem et Agili abbatis institutionem anno DCXXXVI cum Carolo le Cointe illigamus. Quippe utrumque accidit Dagoberto rege, cum adhuc Audoënus et Eligius laici essent, ut patet ex Vitæ istius cap. 16 et 17, adeoque Agilus ex cap. 19 abbas a Dagoberto institutus est in synodo Clippiacensi, quæ anno DCXXXVI habita est. *Huic chronotaxi congruit diploma Dagoberti pro monasterio Resbacensi, quod edidit idem Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 687. *Etenim diploma datum est post monasterium constructum, et, ut videtur, ante* C *institutionem abbatis, cum nulla abbatis jam instituti fiat mentio. Clauditur autem hac epocha* : Datum sub die Kalendarum Octobris XIV regni ejus, *id est Dagoberti. Porro, cum eruditi passim nunc doceant Dagobertum anno* 622 *regnare cœpisse in Austrasia, annus regni* XIV *convenit cum anno Christi* 635, *adeoque videtur cœptum anno* 634, *absolutum majori ex parte* 635, *dedicatumque et inhabitari cœptum anno* 636, *quo synodum Clippiacensem habitam censemus cum Mabillonio Kalendis Maii, quia Dagobertus Clippiaci fuit anno regni sui* XIV *et* XV, *id est, Christi* 635 *et* 636, *ut ex Fredegarii Chronico habemus cap.* 78.

structo cœnobio Resbacensi abbas præficitur anno 636

21 *Obiisse* S. Agilum *anno* 660 *putavit Cointius ad eumdem annum num.* 14 : *sed ea opinio longe a vero deviat, nec aliud habet fundamentum quam quod Vitæ scriptor dicat centenarium esse defunctum. Quod si verum esset, multis adhuc annis vixisset serius. Mabillonius Sanctum nostrum obiisse existimat circa annum* 650. *Audi rationes, quibus id ostendere nititur* : Quo minus ita de S. Agili prolixiori ætate sentiamus, vetant descripta ab auctore gravi et pæne coævo Acta B. Filiberti S. Agili discipuli, qui post Magistri obitum monasterio Resbacensi abbas suffectus dicitur, priusquam de condendo cœnobio Gemmeticensi cogitaret. Cum ergo Filibertus hoc opus molitus sit vivente adhuc rege Chlodoveo (II,) a quo locum exstruendo asceterio, favente Baldechilde regina obtinuisse fertur; Agilus præreptus dicendus est annis aliquot ante Chlodoveum, qui secundum veriorem calculum anno DCLIV vivere desiit. Annos proinde fere septuaginta Agilo concedimus, ejusque obitum anno circa DCL consignamus, ut variis Filiberti ipsius successoris peregrinationibus et structuræ Gemmeticensi tempus ante Chlodovei mortem relinquamus. Et certe vix sibi quis persuadeat, Filibertum vivente adhuc Magistro sanctissimo tam cito recessurum fuisse a monasterio Resbacensi, ut alia Galliæ monasteria perlustraret, siquidem sub ipso Agilo perfectissime monastica florebat disciplina.

obiit non centenarius, sed septuagenarius circiter.

AUCTORE J. P.

22 *Placent hæ rationes, etiamsi mors Clodovei II ab aliquibus affigatur anno* 655, *ab aliis* 656. *Nam in Vita S. Filiberti, apud nos tom.* IV *Augusti pag.* 76 *de successione S. Filiberti hæc* E *leguntur* : Igitur cum beatus Agilus obiisset in Domino, Fratrum concordante consensu, vir Domini Filibertus suscepit regiminis locum. *Deinde vero refertur, quo modo rexerit monachos Resbacenses, qua cura perlustraverit omnia Ordinis S. Columbani cœnobia,* quæ intra suum gremium Francia et Italia ac tota concludit Burgundia. *Ac demum subditur, locum impetrasse a Clodoveo II ad construendum cœnobium Gemeticense. Regimen autem monachorum peregrinationibus prævium, ac tot peregrinationes, aliquot annos tenuisse videntur. Quapropter mortem* S. Agili *circa annum* 650 *cum Mabillonio collocandam existimo, donec certior temporis ratio aliunde queat inveniri.*

circa annum 650.

23 *Ex hisce, quæ de ordine Vitæ chronologico disseruimus, corrigi poterit etiam Trithemius, qui lib.* 3 *de Viris illustribus cap.* 92 *satis aptum Sancto nostro contexuit elogium; sed in tempore designando a via aberravit, uti alias frequenter. Verba ejus subjungo*; Agilus, primus abbas Resbacensis, quod sanctus Audoënus episcopus fundaverat cœnobium, monachus et discipulus beati F Eustasii Luxoviensis, vir doctus et nobilis, filius fuit Agnoaldi viri nobilissimi, Sigeberti regis consiliarii, tantæ virtutis et sanctitatis fuit, ut in vita multis miraculis effulserit. Erat enim in jejuniis frequens, in orationibus assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatisque amator præcipuus, cujus Vita satis diligenter scripta est. Claruit anno Domini DLXX : et moritur IV Calendas Septembris, anno ætatis suæ centesimo. *Hæc ultima corrigenda. Nunc Acta ipsa subjungimus, quæ Vincentius Bellovacensis in Speculo lib.* 23, *cap.* 101 *et sequentibus magna ex parte descripsit.*

Elogium Sancti ex Trithemio.



VITA

A. Anonymo.

VITA

Auctore anonymo suppari.

Ex Ms. Resbacensi, collato cum editionibus Chiffletii et Mabillonii, ac Ms. reginæ Sueciæ.

PROLOGUS

Ad Aygloaldum abbatem.

Rationes scribendi declarat auctor.

Crebris admonitionibus urges *a* me, venerande abba Aygloalde, suadente domno episcopo Ragnemundo, conscribere vitam B. Confessoris Christi Agili *b*. Licet autem ad hoc peragendum minus sufficiens sim : inobediens apparere magis vereor, ne talenti quantulamcumque mihi creditam quantitatem sudario male ligatam involvam, qui per hanc Domino velut fidelis servus copiose lucrari debuerim. Recolens igitur *c* Sanctorum manifestari oportere triumphos, ut Dei ac Domini nostri Jesu Christi majestas celebretur *d* in terris, quæ gloriosius ab angelis adoratur in cælis, oppido precor (venerabilis episcope et abba) orationum vestrarum suffragiis juvari : quatenus valeam digne scribere de meritis atque virtutibus beatissimi Agili, quæ sagaci studio vero comperi *e*.

ANNOTATA.

a *In Ms. reginæ, et in utraque editione :* Urget me prælativa caritas vestra. *Aygloaldum abbatem ignotum esse, jam diximus in Commentario.*

b *Hic additur in dicto Ms. et editionibus :* Opus quidem compendiosum ac pene difficile, utile tamen Ecclesiæ dignumque celebritatis laude. *Deinde :* Licet enim ad hoc opus *etc.*

c *Apud eosdem :* Quin etiam recolens. *Et mox :* Agones, imo triumphos *etc.*

d *Ibidem rursus :* Immensa Majestas potentissime veneretur a fidelibus.

e *Addunt dicta exemplaria :* Qui donec vita præsens illius vegetavit artus, studuit æternam feliciter promereri gloriam. *Vides, lector, quam multa in brevi hoc prologo addita fuerint in codicibus, quibus usi sunt Chiffletius et Mabillonius. Et vel hæc sola sufficere existimo, ut pateat illos codices interpolatos esse ab aliquo, qui stylum primi auctoris expolire voluit et pleniorem reddere. Neque enim verisimile est tam multa in codice Resbacensi fuisse omissa. Pergam tamen interpolationes illas notare, ne quid videatur deesse editioni nostræ.*

ANTIQUA DIVISIONIS CAPITA, QUALIA SUNT IN MS.

Caput i. De parentum S. Agili nobilissimis natalibus.

Cap. ii. Ut B. Columbanus per Agnoaldum patrem S. Agili ad regem venit.

Cap. iii. Ut B. Columbanus S. Agilum septennem benedixit, et pater cum Deo vovit.

Cap. iv. Qualiter B. Agilus est Deo in monasterio, et Eustasio erudiendus traditus, et de doctrina illius ac sociorum.

Cap. v. Ut communi fratrum consensu ad Brunichildem reginam et Theodoricum pergentem B. Agilum nepos Wandaleni nisus est ense percutere ; et de ariditate brachii ejus et sanatione.

Cap. vi. Ut fama hujus miraculi velocius ad regem pervenit : et de postulata indulgentia a rege et regina, et per eos largitione villarum et ornamentorum.

Cap. vii. Ut Clotarius, devicto Theodorico et Theodeberto, solus potitus est trium regnorum monarchia : et ut synodali decreto B. Agilus una cum Eustasio abbate ad prædicandum gentibus dirigitur.

Cap. viii. De expulso dæmone in porta Metensis civitatis per B. Agilum.

Cap. ix. Quomodo a Gondoïno potentissimo viro benigne sunt suscepti, et de benedictione duorum filiorum ejus ac filia illuminata.

Cap. x. Ut B. Agilus febre correptus a Domino visitatur.

Cap. xi. De obitu Lotharii et successione Dagoberti filii ejus in regno : itemque de viro illustri Authario ac filiis ejus, Adone, Radone, et Dadone.

Cap. xii. Ut S. Audoënus intra Brigiensem saltum locum adeptus, Resbacense monasterium ædificavit.

Cap. xiii. Ut S. Audoënus cum SS. Eligio et Farone B. Agilum expetit in abbatem.

Cap. xiv. Qualiter in conspectum Dagoberti regis B. Agilus venit Compendium, et ad monasterium Ven. Audoëni perficiendum directus est.

Cap. xv. De ecclesiæ ipsius dedicatione : et de marmoris scissura ejusque rejunctione.

Cap. xvi. Ut monasterium illud B. Audoënus locupletavit; et B. Agilus eidem præfectus est.

Cap. xvii. Pastoralem curam B. Agilus pie administrat : et Christum in specie pauperis hospitio recipit.

Cap. xviii. Quomodo eadem nocte in similitudinem draconis apparuit ei diabolus, quem signo crucis idem B. Agilus fugavit.

Cap. xix. Quomodo suis orationibus imbres divisit.

Cap. xx. Multi ex primoribus palatii ac proceribus ejus magisterio se subdunt in tantum, ut ex eis octogenarius compleretur numerus.

Cap. xxi. Hyberni ad limina Apostolorum veniunt, et ad dictum monasterium digrediuntur.

Cap. xxii. Qualiter Dominus ante biennium ei suum denuntiavit transitum.

Cap. xxiii. Quomodo Ado una cum Fratribus audivit choros virginum in aere canentes; et duo ex Fratribus remedia corporis receperunt.

CAPUT

A

CAPUT I.

Parentes S. Agili illustres, ad quos accedit S. Columbanus, quem juvant apud regem pro condendo cœnobio Luxoviensi : Columbanus vero bene precatur septenni Agilo.

Cap. I. Illustres et pii parentes S. Agili,

Agente igitur in sceptris Hildeberto *a* Sigeberti regis filio, qui juventutis flore et sapientiæ decore gubernavit Burgundiam atque Austrasiam ; fuit quidam ex primis palatii optimatibus, Portensi territorio nobilissimis natalibus oriundus, ejusdemque regis conviva et consiliarius, nomine Agnoaldus *b* : cujus conjunx ex præclara Burgundionum orta prosapia, nec non bonitatis laude famosissima, Deuteria vocabatur *c*, ambo generis nobilitate sublimes, sed religionis apice sublimiores *d*, utpote eleemosynarum largissimi dispertitores, hospitalitatum sectatores, pauperum et peregrinorum susceptores tam sollicitii, ut veraciter cum Job dicere potuissent * : Foris non mansit peregrinus : et non negabam, quod volebant, pauperibus. Viduas *e* consolabantur, orphanorum quoque tristitiam indulcabant : et euangelicum illud assidue sermocinabantur, quod dominus *f* in judicio dicturus est : Infirmus fui et visitastis me, atque infirmorum indigentiam magno * studio sublevabant.

B

* *al.* possent

* *al.* ingenti

II. S. Columbanus obtinet per Agnoaldum a rege locum condendo monasterio :

3 Eo *g* tempore vir religione reverendus, Columbanus *h* nomine, ab Hybernia in Galliam *i* advenerat *k*, desideraus *l* a præfati regis *m* serenitate adipisci locum, quo monasterium ædificaret *n* : qui dum sedule meditaretur ac secum quæreret, quem de aulicis palatii adiret, ut *o* regiæ celsitudini suum panderet desiderium ; audito vehementi studio præscripti principis Agnoaldi, se suamque precem illi commendare deliberat. Mox Agnoaldus talis desiderii arcanum quasi divinitus sibi commissum suscipiens, quantocius regi opportunius intimat, eumdemque Columbanum illi gratiosum efficit *p*, et castrum in vasta eremo, quæ Vosacus dicitur, fanaticorum cultui olim dedicatum, sed tunc ad solum usque dirutum, obtinet a rege, ut per scripti seriem Deo militantibus perenniter delegaretur. Interea providentissimus *q* Agnoaldus, quamquam universa palatii officia ejus industria gererentur, et totius regni querimoniæ illius æquissima definitione terminarentur, tamen una cum devotissima conjuge *r* interiorem hominem divini verbi pabulo alere procurabat *s*, inter reliqua colloquia, illud euangelicum dicere solitus : Reddere oportet Deo, quæ Dei sunt, et regi, quæ regis sunt. Disputationem vero spiritalis doctrinæ si quando audire mererentur, tunc sese felices atque a Deo visitatos summa cum exultatione congratulabantur.

C

III. ac bene precatur septenni Agilo.

4 Contigit *t* autem ut B. Columbanum penes se commemorari aliquantisper fecerint in villa, quæ Honorisiacus dicitur. Cumque *u* esset illis chara soboles septennis ac bonæ indolis (quam propter celeres motus infantiæ Agilum nominaverunt *x*) petivit B. Columbani benedictione muniri et orationum munimine illum firmari. Ille data benedictione, præmonstrat veritatis præconio eumdem talem futurum qui *y* gloriosus in Christi militia effulgeat, ut post veritas patescens claruit. Beato namque Columbano tantam gratiam superna concessit Majestas, ut quoscumque sua benedictione sacravit, hos in boni cultus perseverantia dies supremus invenerit. Proinde multiplici hortatu persuadet utrisque parentibus vovere Deo eamdem prolem sub norma religionis monasticæ. Unde factum est, ut divino instinctu illius acquiescentes sermonibus, quem sibi optabant superstitem, heredem *z* Dei et coheredem Christi magis esse vellent.

A. Anonym.

ANNOTATA.

a Hildebertus *communius vocatur* Childebertus, *rex Francorum eo nomine secundus, ac filius Sigeberti I, qui solum Austrasiæ regnum administravit. Mors autem Sigeberti passim ab eruditis affigitur anno* 575, *a quo Childebertus II regnare cœpit in Austrasia. Regnum vero Burgundiæ adeptus est anno* 593 *obitu et testamento S. Guntramni patrui sui ac Burgundiæ regis, qui illo anno defunctus est. Childebertus vero regnum cum vita deposuit anno* 596.

E

b Agnoaldus, *aliis* Agnohaldus, *recentioribus fere* Chagnoaldus, *parum notus est apud historiographos. Oriundus dicitur* Portensi territorio, *quod Mabillonius putat esse in comitatu Burgundiæ. Audi ejus observationem :* Locum signantius exprimere videtur auctor cap. III *(infra num.* 5,) ubi Columbanus Agnoaldum convenisse legitur in villa, quæ dicitur Honorisiacus, forte Villory, qui vicus est medius Luxovium inter et Portum vicum ad Ararim in Burgundiæ comitatu, vulgo Pont sur Saone, uti Franciscus Chiffletius interpretatur. *In diplomate Hugonis I Chrysopolitani, seu Vesontionensis antistitis, quod edidit Chiffletius in Historia Tornutiensi pag.* 355, *mentio sit comitatus Portensis his verbis :* Dedi autem eis *(canonicis Vesontionensibus S. Stephani)*. . de ejusdem scilicet archiepiscopatus beneficio, quam in proprio possidebam dominio, ecclesiam unam, in honore S. Leodegarii dicatam, in comitatu Portensi, in villa, quæ dicitur Vulliacus, sitam. *Favent hæc conjecturæ Mabillonii. Neque ideo tamen eam opinionem tam certam puto, ut suspicio esse non possit, Agnoaldum oriundum fuisse ex Pertensi Campaniæ territorio. Quippe Valesius in Notitia Galliarum pag.* 443 *ostendit pagum illum Campaniæ Gallicæ* Pertensem, Partensem, *et* Portensem *fuisse nominatum. Præterea pagus Pertensis erat in ditione Chitdeberti, cujus* conviva et consiliarius *dicitur Agnoaldus, Portensis vero ad Ararim eo tempore, quo hæc facta sunt, erat in ditione Guntramni, et tantum anno* 593 *Childeberto cessit. Res igitur satis videtur ambigua.*

F

c *In editis et Ms. Reginæ additur :* Quæ a rudimentis infantiæ percepit Catholicæ fidei rudimenta. *Et mox,* namque.

d *Hic rursum adjungitur :* Erant quippe seculi opibus locupletes, sed et, *omisso,* utpote.

e *Interpolator hic :* Viduarum revera mœrentium corda consolabantur, ut cum eodem possent dicere : Cor viduæ consolatus sum. Orphanorum amaram tristitiam mellitis (ut sic dictum sit) affaminibus indulcabant.

f *Alii addunt :* Ad dexteram positis.

g *Apud alios :* eodem siquidem tempore.

h *De S. Columbano variorum monasteriorum conditore in Gallia et Italia agendum erit ad* 21 *Novembris*

A Anonymo. 21 *Novembris, quo Martyrologio Romano est inscriptus.*

i *Interpolator :* Christo ducente in Gallias.

k *Satil constat S. Columbanum venisse in Galliam ante mortem Guntramni Burgundiæ regis, adeoque venisse, priusquam Childebertus Burgundiæ regnum fuerat adeptus. Quod ergo dicit auctor,* eo tempore. . Columbanus. . in Galliam advenerat, *referri potest ad vitam Agnoaldi et Deuteriæ, non item ad regnum Childeberti in Burgundia. Neque verba auctoris exigunt, ut eo referatur, præsertim cum non dicat,* advenit *sed* advenerat. *Mabillonius in annotatis ad Vitam S. Columbani sec.* 2 *Benedictino pag.* 10 *putat Columbanum in Galliam venisse* paullo ante annum Christi DXC. *Idem seculo* 3 *Benedictino part.* 2, *pag.* 451 *in Observatione ad Acta S. Waldeberti probare conatur adventum ejus incidisse in annum* 585. *Verum cum æque antiqui ac recentiores tam varia scripserint de tempore istius adventus, ut maturo examine indigeat, illud remitto ad ejus Acta.*

l *Rursum in editis additur,* nutu divino.

B m *Notat Mabillonius ad hunc locum sequentia :* Non Sigiberti, sed potius Guntchramni, ut ad Vitam S. Columbani probavimus. *At præfatus rex auctori est* Childebertus *non* Sigibertus. *Itaque inquirendum, utrum Childeberti an Guntramni dono obtentus sit locus ad condendum Luxoviense monasterium. Guntramno id nullus antiquorum attribuit, quantum scio. At præter hunc scriptorem, qui clare affirmat locum a Childeberto donatum, scriptor fere coævus, qui Vitam S. Salabergæ composuit, sic habet apud Mabillonium seculo* 2, *pag.* 423 : Venerabilis vir Eustasius abba... ex Luxovio monasterio in Vosago saltu sito advenit, quod vir fama laubabilis et sanctitate pollens Columbanus peregrinus ex Hybernia adveniens, ex munificentia Childeberti regis, summo studio et labore construxit. *Difficulter autem credi potest, duos hosce scriptores ignorasse, a quo S. Columbanus accepisset locum condendo monasterio tam celebri. Accedit, quod locus fuerit obtentus interventu Agnoaldi, qui consiliarius erat Childeberti, non Guntramni, ut ipse eum vocat Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 306. *Attamen locum a Guntramno impetratum* C *vult Mabillonius, quia Luxovium credidit fuisse in ditione Guntramni, non Childeberti. Verum, licet certum sit in hodierno Burgundiæ comitatu situm esse prope Lotharingiæ confinia, non æque certo constare existimo de tinitibus antiquorum regnorum Burgundiæ et Austrasiæ, neque adeo ausim contra auctoritatem utriusque scriptoris Guntramno potius loci donationem attribuere quam Childeberto.*

n *Interpolator addidit :* Monasticæ religionis.

o *In editis :* Qui se præsentiæ regis sisteret, atque celsitudini illius clementiæ suum panderet desiderium, si quando obtineri posset, quod fervore fidei cupiebat.

p *Hoc loco interpolator magis excurrit his verbis :* Nec non ut cooptabilem illius precem exaudiat, summissus efflagitat. At rex magnanimitatis modestia jocundatus super sermone hujusmodi, postulata libentissime indulget, insuper necdum petita largiri magnifice promittit. Castrum namque intra vasta eremi septa, quæ Vosagus * dicitur, fuerat fanaticorum cultui olim dedicatum, sed tunc ad solum usque dirutum, quod hujus saltus incolæ, quamquam ignoto præsagio, Luxovium * nominavere. Illud equidem considerans benignissimus

* la Vosge

* Luxeu

Agnoaldus velocius posse restaurari, et cernens situm loci monachorum agmini aptum; immo intelligens, prærogativa fidei et sapientia illustratus, eumdem locum Deo sacrari oportere, ut, ubi olim prophano ritu veteres coluerunt fana, ibi Christi figerentur aræ, erigerentur vexilla atque celebrarentur Mysteria; obtinuit suis precibus a sublimitate regis, ut per scripti seriem habitaculum Deo militantium perenuiter delegaretur, quo adversus aerias potestates B. Columbano instituente dimicarent superni Regis tirones, quos demum post diversa exercitia virtutum, ut robustos bellatores ac triumphatores, lux perpetua Christus cum palma gloriæ suo * conspicuos redderet paradiso. *Secundum erat hoc monasterium, quod in Vosago condidit Columbanus; præcesserat enim Anagratense, ut ex Vita ipsius Columbani discimus apud Mabillonium seculo* 2 *pag.* XI, *ubi etiam pag.* 12 *de fundatione Luxoviensis monasterii leguntur sequentia :* Cumque jam multorum monachorum societate densaretur *(Columbanus,)* cœpit cogitare ut potiorem locum in eadem eremo quæreret, quo monasterium construeret : invenitque castrum firmissimo munimine olim fuisse cultum, a supradicto loco distans plus minus octo millibus, quem prisca tempora Luxovium nuncupabat : ibique aquæ calidæ cultu eximio constructæ habebantur. Ibi imaginum lapidearum densitas vicina saltus densabat, quas cultu miserabili rituque profano vetusta paganorum tempora honorabant. Ibi residens vir egregius monasterium construere cœpit, ad cujus famam plebs undique concurrere, et se cultui religionis dicare curabant; ita ut plurima monachorum multitudo adunata vix unius cœnobii collegio consistere valeret. Ibi nobilium liberi undique concurrere nitebantur, ut et spreta phaleramenta seculi, et præsentium pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent. *Addit ibidem in annotatis Mabillonius :* Ex quo tamquam ex sacro religionis monasticæ seminario prodierunt viri complures, sanctitate et ecclesiasticis dignitatibus illustres. Illic diu viguit laus divina, quam perennem seu perpetuam vocant, nimirum ab ipso conditu ad Wandalorum stragem abbate Mileto seu Mellino perpetratam. Floret etiam nunc Regulæ Benedictinæ præcipuo cultu, quem RR. PP. Congregat. S. Vitoni feliciter ibidem restituerunt.

D

* al. suos

E

F

q *Interpolator :* Vir prudentissimus : *qui et mox addit :* Quamquam multiplicibus aulæ regiæ foret implicitus.

r *Addidit idem :* Cælitus inspiratus.

s *Et rursus hic :* Atque de doctrina mandatorum Domini assiduis disceptationibus disputabat. *Mox etiam pauca verba leviter mutata.*

t *Hæc facta videntur ante conditum monasterium Luxoviense. Consuli potest Comment. num.* 17.

u *Interpolator :* Nimirum præter cetera dignitatum affluentia erat *etc.*

x *Rursum hic addit:* Super quo etiam sicut herede ac superstite felices lætabantur. Hunc ergo pietatis ducti amore,

y *Idem hisce inserit hæc verba :* Multis viam salutis ostendat, atque *etc.*

z *Interpolator :* Heres esse mereretur Dei et coheres Christi.

CAPUT

A

CAPUT II.

Agilus adolescens Luxoviense monasterium ingressus virtutibus inclarescit : moritur ejus pater, Columbanus relegatur, Agilus vero ad Brunechildem legatus, eam Luxoviensibus reddit benevolam, miraculo prævio adjutus.

B Optata dehinc dies advenerat, in qua pius pater *a* sacris altaribus charam sobolem *b* offerret in jam dicto monasterio : ditavit eundem locum supellectilis variæ muneribus, quin etiam largiens solenniter per titulum testamenti ex propria dictione numerosam copiam fundi ac familiæ. Sicque ingrediens Agilus ævum pueritiæ committitur Eustasio *c* sacris litteris erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis, qui postea ecclesiarum præsules extiterunt, Agnoaldo *d* scilicet et Waldeberto *e* Hagnerici *f* patrui ejus filiis (qui monasterio, quod soror illorum Fara *g* in paterno solo inter Albam *h* et Mucram *i* in loco, qui dicitur Eboriacus *k*, ædificavit, construendi et docendi regulares *l* magistri claruerunt, quorum alter Lugduno elavato *m*, alter Meldensibus *n* est episcopus ordinatus) Achario *o*, qui Virmaudorum, Noviomensis ac Tornacensis antistes fuit; Rachnachario *p*, qui Augustodunensis ecclesiæ pontifex egregius emicuit, Audemaro *q*, qui Bononiæ et Taruanensis oppidi laudabilis pastor floruit.

IV. *Sanctus puer intrat monasterium Luxoviense.*

6 Denique sicut præmemoratum Agilum charius his omnibus commendatum susceperat : ita in eo præ cunctis doctrinæ et religionis acumen resplenduit. Nam liberalibus disciplinis enucleatius imbutus multos sua facundia erudivit, plurimos catholicæ fidei puritate illustravit, nonnullos etiam *r* postposita altitudinis pompa professioni *s* sacræ religionis idoneos reddidit. Ut enim pubertatis attigit annos, confestim *t* ut exercitatus miles *u* vacabat lectionibus, insistebat orationibus, jejuniis carnem macerans, vigiliis affligens, obedientiam cunctis certatim impendens *x* : quibus et hujusmodi studiis castitatis amator nitidus et decorus, efficitur non modo affinibus, verum etiam palatii aulicis amabilis et gratus.

ubi a S. Eustasio instituitur :

C

7 Interea magnanimus Agnoaldus debitum humanæ carni persolvens quievit in pace. Et B. Columbanus vicesimo anno, ex quo monasterium *y* instaurare cœperat, propulsione Theodorici *z* regis et dolo pessimæ Brunechildis exagitatus natale solum repetere perurgetur, atque Eustasius vir totius religionis experientia probatus *aa* successor illius subrogatur invitus. Extat denique libellus de vita atque virtutibus memorati patris Columbani, ad *bb* quem lectorem mittimus, cœpta prosequentes.

V. *moritur pater S. Agili, et relegatur S. Columbanus :*

8 Eo igitur tempore, exigente ratione et suggerente, prudenti fratrum consensu decretum est, ut probus Agilus ad Brunechildem reginam dirigeretur : quæ cum Theodorico nepote morabatur in palatio, quod Bruchariacum *cc* appellant. Nam ea maxime de causa sæpefato Columbano infesta erat, eo quod accessus fœminarum ipsiusque *dd* adeo reginæ, a monasterio propellebat, qua de re fuerat edictum regali indignatione, ut omnes sub institutione pii patris Columbani degentes in monasterio *ee* coarctarentur, ut nemini locus daretur extra eundi.

Agilus vero legatur ad Brunechildem :

A

9 Pergens itaque B. Agilus ad reginam, cum non longe *ff* esset a monasterio, et appropinquaret villæ, quæ Jussiacus *gg* vocatur, supervenit cum magno impetu flagitiosus juvenis nepos Wandaleni *hh* ducis cum satellitibus, qui sub obtentu venationis, accepta relatione, observabant exitus monasterii, more latronum. Is extenso brachio nisus est mitissimum Virum percutere, sed hic subducto terrore vexillum crucis opposuit, moxque brachium illius obrigescens, sicut extensum fuerat, mansit adeo inflexibile, ut nemo gladium valeret de ejus pugno educere, neque ipse pedem a loco movere. Obstupefactis omnibus, infelix ille *ii*, totum se quatiens singultibus lacrymosis *kk*, misericordiam capite submisso petebat.

quem aliquis occidere conatus divinitus punitur,

E

10 Mirabile dictu : sanctus Agilus, flebili commotus prece solamen fidei orationem assumpsit : peractaque mora trium fere horarum, aridum brachium tetigit, continuo pristinus vigor rediit, ac viror omnis revertitur : caro tamen palmæ, capulo sicuti inhæserat, secuta est, et sanguis per ungulas emanavit. Porro (sicut Donato *ll*, tunc quidem monacho, postea Vesantionensis urbis episcopo, referente didici, qui quando hæc gesta sunt adhuc adolescens intererat) saliva cum oratione et signo crucis eamdem palmam B. Agilus perunxit : atque illico caro cum pelle restituta est sanitati, acsi numquam corrupta fuisset. Præsumptor vero hujus sceleris, qui sibi *mm* videbatur audax, pœnitudine correptus, relicta militari toga, Christi vestivit amictum, et sub monastica professione in jam dicto monasterio Deo militavit.

sed ab Agilo sanatus convertitur ;

11 Hujus ergo miraculi fama, qua nihil velocius, ut ait Maro, regia impleverat mœnia : cum præclarissimus Agilus adfuit *nn*, supplicationes fratrum serenitati eorum ingerens : qui ambo *oo*, rex videlicet atque regina, postposita altitudine mundi, contrito spiritu, humi coram vestigiis illius procumbunt, indulgentiam *pp* petentes, humili quoque affatu profitentes se *qq* peccasse, dum servos Dei injuste afflixerant, narrantes insuper miraculum palmæ per B. Agilum pridie *rr* patratum, quod ipse vehementer celare poposcerat, et iucunctanter latere credebat. Quo facto, regiis muneribus ditaverunt idem monasterium, rex quidem villis ac familia, regina vero ornamentis ecclesiasticis mirifico opere elaboratis. Testamenta deinque de sæpefato cœnobio conscripserunt, quibus deinceps quieti servi Dei manerent, in divini cultus obsequio perseverantes, amoto fœminarum accessu.

VI. *rex et regina Sanctum benigne excipiunt, et Luxovienses muneribus ditant.*

F

ANNOTATA.

a *Addidit interpolator :* Voti completor et desiderii possessor, applicans *etc.*

b *Rursus hic :* Devotissime Deo.

c *Idem hoc loco :* Probatæ religionis viro. *Porro de S. Eustasio, qui abbas deinde fuit, ac sæpius memorabitur, actum est apud nos tom. 3 Martii a pag. 784 ad diem 29 ejusdem mensis.*

d Agnoaldus, *in Vita S. Columbani, cujus* minister

A. Anonymo. minister *fuisse dicitur, num.*55 *apud Mabillonium vocatur* Chagnoaldus. *Interfuit Concilio Remensi sub Sonnatio anno* 625, *ut putat Labbeus, apud quem tom.* 5 *col.* 1689 *scribitur* Chainoaldus.

c *Hunc locum Mabillonius in annotatis reprehendit his verbis :* Waldebertus non fuit frater Burgundofaræ, nec Meldensis episcopus, ut infra in ipsius Actis probabimus. *Et revera in Elogio S. Waldeberti abbatis Luxoviensis, eodem tomo pag.* 503 *et* 504 *abunde probat, S. Waldebertum abbatem Luxoviensem nec fratrem fuisse S. Faræ seu Burgundofaræ, nec Meldensem episcopum. Valesius Rerum Francicarum lib.* 18, *seu tom.* 3, *pag.* 73 *similiter Waldebertum abbatem nec fratrem S. Burgundofaræ nec antistitem Meldensem fuisse affirmat : atque his alii subscribunt non pauci, qui nullum plane agnoscunt Waldebertum Meldensium episcopum. Plerique tamen scriptores, qui ediderunt catalogos Meldensium episcoporum, Waldebertum illis inseruerunt ante S. Faronem ejus, ut putarunt, fratrem. Cointius vero ad annum* 672 *num.* 15 *Waldebertum Faroni postposuit. Hi vero omnes*
B *crediderunt ex abbate Luxoviensi factum esse episcopum. Porro Acta S. Waldeberti abbatis edidit Mabillonius in Appendice seculi* III *Benedictini, et Henschenius tom.* I *Maii a pag.* 277. *Ex his, aliisque rationibus per utrumque allegatis, satis certum est, abbatem illum Luxoviensem numquam fuisse Meldensem episcopum. At dubium esse potest, an duo non fuerint Waldeberti, Luxovienses ambo monachi , quorum alter deinde fuerit abbas Luxoviensis, alter, qui frater esset SS. Chagnoaldi, Faronis ac Faræ, Meldensis episcopus. In ea opinione fuit Henschenius in Commentario prævio ad Acta S. Waldeberti num.* 3. *Et sane non modo hic scriptor Waldebertum memorat Meldensem episcopum, sed omnes etiam scriptores Vitæ S. Faronis, inter quos Hildegarius seculo* IX *Meldensis episcopus, Waldebertum seu Walbertum S. Faronis et Chagnoaldi fratrem faciunt, eumdemque Meldensibus episcopis annumerant ante S. Faronem. Accedit Kalendarium quoddam Benedictinum adductum ab Henschenio, in quo ad* 26 *Aprilis duo Waldeberti seu Walberti manifeste asseruntur his verbis :* S. Baldebertus * III abbas Luxoviensis : item S. Walbertus episcopus Meldensis,
C primo monachus Luxoviensis. *Qui negant Waldebertum ullum fuisse Meldensem episcopum, respondent opinionem illam fluxisse ex Vita S. Eustasii male intellecta. Quod satis probabiliter dicitur de auctoribus Vitæ S. Faronis, qui Vitam S. Eustasii citant. Verum auctor Vitæ* S. Agili *nec citat Vitam S. Eustasii, nec tam remotus erat ab iis temporibus, ut plura cognoscere de his non posset, quam in Vita SS. Columbani et Eustasii legerat. Quapropter certum quidem puto, Waldebertum Luxoviensem abbatem non fuisse Meldensem episcopum : an vero alius fuerit Walbertus Meldensis episcopus, ulterius examinandum relinquo.*

* *i. e.* Waldebertus.

f Hagnericus *sic laudatur in Vita S. Columbani apud Mabillonium num.* 50 : Deinde ad Meldense opidum properat *(S. Columbanus.)* Quo cum venisset, quidam vir nobilis Hagnericus, Theodeberti *(Austrasiæ regis)* conviva, vir sapiens, et consiliis regis gratus, et nobilitate ac sapientia vallatus erat. Is virum Dei miro gaudio recepit, seque habere curam ejus spopondit, qualiter ad Theodeberti accederet aulam, et non esse necesse alios comites e regio latere habere.

D *In Vita S. Eustasii apud Mabillonium eodem seculo* 2 *pag.* 116 *et* 117 *vocatur* Chagnericus, *licet idem Jonas sit scriptor utriusque Vitæ. Memoraturque quoque ibidem* Leudegundis *uxor*, Chagnoaldus *filius, et filia* Burgundofara. *In Vita S. Faronis tum edita tum Ms. filii Hagnerici enumerantur Faro, Walbertus ac Chagnoaldus et filia Burgundofara. Verum de Walberto dubitari jam diximus.*

g S. Fara, *alias* Burgundofara *colitur* 7 *Decembris, ad quem diem de ea agemus. Acta ejus jam edidit Mabillonius seculo* 2 *a pag.* 439.

h *Valesius in Notitia Galliarum pag.* 8 *varios hujus nominis fluvios assignat. Exiguus autem est in Briegio fluviolus, de quo hic agitur. Istum sic ille describit :* Hic alba ab angusto alveo dictus est et Albeta ὑποκοριστικῶς, quasi parvus Alba, vel Albula, et nunc, ut audio, vocatur Aubete, alias Aubetin . . . Alba vel Albeta alluit basilicam Basoche, Ameliacum, alias Amiliacum, dictum, vulgo Amilly ; et infra Columbariense castrum in majorem Mucram devolvitur.

i *De* Mucra *hæc notat Mabillonius ad Vitam S. Eustasii pag.* 117 *:* Mugra, seu Mucra, duplex est amnis ejusdem nominis, uterque in Matronam influens, alter supra Meldas, qui minor, infra idem oppidum alter, qui Mucra absolute, vulgo le Morin, dicitur. Ille paullo infra Jotrensem parthenona ad Orientem ; hic itidem paullo infra S. Faræ monasterium, olim Evoriacas appellatum, ad Aquilonem præterlabitur, recipitque ex parte Orientali rivulum, prope idem cœnobium decurrentem, quem Jonas *(auctor illius Vitæ)* sine dubio Albæ nomine intelligit. E *Plura de his Valesius pag,* 364.

k *Mabillonius in Observationibus præviis ad Acta S. Burgundofaræ eodem tomo pag.* 439 *de monasterio Eboriacensi, quod nunc* S. Faræ *dicitur, hæc memorat :* Monasterium Eboriacense, seu S. Faræ, etiamnunc florentissimum ac celeberrimum est, tum numero ac religione sanctimonialium, quæ S. P. Benedicti Regulam districte servant, tum nomine ac opibus. Illic duplex quondam erat, sicut in Jotrensi parthenone, monasterium, puellarum nempe ac virorum.

l *Jonas in Actis S. Eustasii de his sic habet* F *apud Mabillonium loco mox assignato :* Monasterium quoque virginum Christi supra paternum *(patris S. Burgundofaræ)* solum inter fluvios Mugram et Albam ædificat *(Eustasius,)* Fratresque, qui ædificandi curam habeant, deputat : Germanum puellæ Chagnoaldum et Walbertum, qui ei postea successit, ut Regulam doceant, decernit. *Hæc autem verba de Walberto dicta :* Qui ei postea successit, *non leguntur in editione Henschenii, licet notet haberi apud Surium, et in quibusdam Mss. In Surio vero et in editione alia, quæ Surio est antiquior, inter Opera Bedæ tom.* 3, *pag.* 335 *aliqua etiam diverso modo leguntur, atque inter alia habetur :* Germanos puellæ Chagnoaldum et Walbertum, qui ei postea successit *etc. Vides, opinor, lector, quanta sit inter editiones illas diversitas, non in verbis modo, sed in sensu quoque verborum. Itaque ex hac tam incerta periodo erroris convinci non potest biographus noster, qui duobus fratribus S. Burgundofaræ curam attribuit construendi monasterium et docendi Regulam. Imo si omnino constaret de mente Jonæ, dubium adhuc maneret, an non potius ab auctore nostro correctus esset, quam male intellectus, cum Jonas erroribus non careat, et Noster ejus lucubrationem præ oculis*

A *oculis habuerit, et non minori scripserit judicio quam ille.*

m Lugdnnum Clavatum *communius* Laudunum *dicitur, Gallis* Laon, *atque urbs est Insulæ Franciæ episcopalis sub archiepiscopo Remensi.*

n Meldæ, *vulgo* Meaux, *urbs est Briæ provinciæ episcopalis olim sub archiepiscopo Senonensi, nunc sub Parisiensi.*

o *Annuntiatur* Acharius *in Martyrologio Parisiensi ad* 27 *Novembris, quo de eo plura dabuntur. Interim sedes ejus episcopales elucidari possunt ex Vita S. Medardi. Hic electus Veromandensis episcopus, cum Augusta Veromanduorum vastata esset a barbaris, sedem transtulit Noviomum, Gallis* Noyon : *deinde vero, mortuo S. Eleutherio Tornacensi episcopo, coactus est etiam suscipere episcopatum Tornacensem, qui aliquot exinde seculis eumdem habuit episcopum cum Noviomensi. Consule Vitam S. Medardi tom.* 2 *Junii pag.* 90. *Nunc Noviomum, quod alii* Noviodunum *aut* Noviomagum Veromanduorum *malunt nominare, suum habet episcopum sub archiepiscopo Remensi, Tornacum vero, quæ urbs* B *est in Flandria, Belgis* Doornick, *Gallis* Tournay *dicta, suum quoque habet sub Cameracensi.*

p *De hujus episcopatu disputant eruditi. Mabillonius, qui receptam ante sententiam deseruit, remittit ad annotata sua ad Vitam S. Eustasii, in qua idem refertur episcopus. Porro ipse ibidem sic edidit :* Ragnacharius Augustanæ ac Basileæ. *In annotatis vero hæc observat :* Sic legendum cum Mss., non vero Augustoduni, ut apud Bollandum. *In Mss. tamen Henschenii, qui hanc Vitam ad* 29 *Martii edidit, clare habetur* Augustoduni, *in uno saltem ; quod consului, et cui diversæ lectiones ad marginem erant adjectæ. Henschenii Mss. consonat editio jam memorata inter Opera Bedæ, in qua legitur* Augustodoni, *una mutata littera, uti et in Surio. Accedit locus Vitæ* S. Agili, *quam exponimus, ubi ipse Mabillonius edidit* Augustudunensis. *Præferenda igitur videtur lectio antiqua et communis, atque ex ea decidenda controversia, quæ hinc oritur. Audi reliqua Mabillonii :* AUGUSTANÆ nomine intellige Augustam Rauracorum, vulgo AUGT (prope Basileam, Basle) urbem quondam, hodie in vi- C cum redactam. *In hanc Mabillonii conjecturam inclinant novissimi editores Galliæ Christianæ tom.* 4, *col.* 318; *sed perperam dicunt in Mss. Mabillonii, quibus præcipue nituntur, legi* Augustæ, *cum sit* Augustanæ, *quod certo mendosum est. Porro illi ibidem in catalogo episcoporum Augustodunensium post Auspicium, qui anno* 625 *interfuit concilio Remensi sub Sonnatio, collocant* Rachonem, *quem multi eumdem credunt cum* Rachnachario. *Sane tempus apte congruit, et mihi vix dubium est, quin prorsus sit idem, quidquid repugnent laudati scriptores, Mss. Mabillonii sui nimium confisi. Veruntamen hæc latius discuti poterunt ad* 5 *Decembris ; nam eo apud nos remissus jam pridem est Racho vel Rachnacharius. Ibidem quoque examinari poterit, qua de causa a Jona addatur et* Basileæ, *quod omisit noster, et forsan rectius.*

q *Colitur S. Audomarus* 9 *Septembris, quo de illo latius.* Bononia *est civitas Galliæ in hodierna Picardia ad mare :* Taruanna *vero, seu* Teruanna, *vulgo* Terouanne, *in Artesia erat, sed penitus excisa est per Carolum V imperatorem. Utraque erat in Morinis, ac diu eumdem habuit antistitem, qui* Morinorum *vel* Morinensis *episcopus etiam dicebatur.*

r *Addidit interpolator :* Luculentissimis documentis.

s *Idem :* Sub professione.

t *Rursum hic adjungit :* Non ut ignavus, sed *etc.*

u *Et hic :* Spiritualibus incrementis operam dedit.

x *Interpolator :* Humilitatem omnibus præbens.

y *Idem huic loco addidit :* Intra vasta eremi. *De tempore, quo hæc contigerunt, actum est in Comment. num.* 16.

z *Theodoricus Childeberto patri suo successerat in regnum Burgundiæ anno* 596, *et frater ejus Theodebertus administrabat regnum Austrasiæ. Utriusque avia erat Brunichildis, mater Childeberti, quæ nepotem suum Theodoricum in Columbanum ac monachos Luxovienses excitaverat. Interpolator aliqua in sequentibus, more suo addidit et mutavit. Quippe ubi hic legitur* et dolo, *ille habet,* per dolositatem. *Post vocem* exagitatus *additur :* Vi præfati regis ab eo amovetur, ac *etc.*

aa *Hic rursum inseritur :* Licet totis viribus recusare conatus. E

bb *Interpolator :* Ad eum, qui de illius meritis nosse voluerit, lectorem *etc. Libellus autem hic memoratus est haud dubie Vita S. Columbani per Jonam scripta, quam dedit Mabillonius in Actis Ordinis Benedictini seculo* 2 *a pag.* 5.

cc *In dicta Columbani Vita num.* 32 *vocatur* villa Brocariaca, *ubi Brunichildis antea Columbanum excepisse refertur. Valesius in Notitia Galliarum pag.* 101 *de loco hanc ponit conjecturam :* Videtur esse vicus Boucheresse, inter Cabillonum Regiam Theodorici ac Brunichildis et Augustodunum positus.

dd *His verbis interpolator substituit :* Et sibi, quæ regina erat, idem contradixerat.

ee *Ita rursus :* Intra septa monasterii adeo arctarentur.

ff *Idem hæc verba sic mutavit :* Accepto siquidem affabilis Agilus mandato ire perrexit. Cum vero needum longe *etc.*

gg *Locum hunc ita explicat Mabillonius :* Jussiacus, Jussy, in finibus Sequanorum haud procul ab Arari et origine Mosæ fluvii. F

hh *In sæpe laudata S. Columbani Vita num.* 22 *sic habetur :* Erat eo tempore dux quidam, nomine Waldelenus, qui gentes, quæ intra Alpium septa et Jurani saltus arva incolunt, regebat. *Additur S. Columbani precibus liberos impetrasse, interque eos S. Donatum, de quo mox fiet mentio. Plura de Wandaleno seu Waldeleno idem Mabillonius in Annalibus tom.* 1, *pag.* 234 *et alibi.*

ii *Addit interpolator :* Qui digne torquebatur.

kk *Et rursum hic :* Precibus, ut saltem ruboris seu doloris saltem misereretur, *omissa voce,* misericordiam.

ll *De S. Donato Vesontionensi episcopo actum ad diem* 7 *Augusti, seu tom.* 2 *illius mensis a pag.* 197. *De hoc etiam loco actum est in Comm. num.* 9 *et seqq.*

mm *Interpolator addit :* Ac suæ vesaniæ.

nn *Idem hic :* Utrorumque conspectui se præbet.

oo *Interpolator :* Cum repente ambo.

pp *Interponit ille rursum :* Super temeritate, quam sanctis viris ingesserant.

qq *Et*

A. Anonymo.

qq *Et hic inepte addit* : Hac nece.

rr *Idem adjungit* : In virtute Christi, *uti et voculas quasdam deinde, quæ sententiam non mutant.*

CAPUT III.

Agilus cum abbate suo Eustasio mittitur ad prædicandum infidelibus Euangelium : miracula quædam in hoc itinere facta.

VII. *Mittitur Sanctus cum Eustasio ad fidem Warascis et Bajoariis prædicandam :*

Per idem tempus Lotharius Rex anno tertio, ex quo sæpedictus Columbanus de monasterio recessit, sicut idem prophetico spiritu prædixerat, devictis duobus regibus, solus potitur trium regnorum monarchia *a*. Decrevit autem *b* excellentia illius altitudinis synodica definitione dirigere peritissimos viros *c*, qui vicinas gentes, falso errore *d* deceptas, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ *e* revocarent : et, quibus necdum Christus annunciatus fuerat, fulgenti eloquio, euangelizarent. Ex multorum quidem cœtu episcoporum ac sacerdotum eligitur prudentissimus Agilus *f* cum Eustasio abbate.

B

ex quibus multos convertunt :

13 Qui ingressi hujus itineris viam, juvante Christo Waraseos *g* prædicaturi accelerant, qui agrestium fanis decepti, quos vulgo faunos vocant, gentilium quoque errore seducti, in perfidiam devenerant. Fotini seu Bonosi *h* veneno infecti. Quos, errore depulso, matri Ecclesiæ reconciliatos, veros Christi fecere cultores. Deinde directo calle ad Boias *i*, quos terræ illius incolæ Bodoarios *k* vocant, pervenerunt, et multo labore catholicæ fidei dogmate imbutos, plurimos illorum ad fidem Christianitatis converterunt.

VIII. *Sanctus in porta Metensi energumenum liberat :*

14 Quadam vero die, dum B. Agilus in eodem esset itinere, sæpefato abbate vestigia illius prosequente, et psalmorum melos ex more perageret, obviavit in porta Metensis *l* urbis homini spiritus immundi perturbatione vexato. Qui cum procul accederet; deformi vultu, obscenisque nu-

C

tibus, horrendum vociferare cœpit, dicens : Agile miles Christi fortissime, ac superni Regis legate, quid me præjudicas, vel quare meos auges immensos cruciatus? Ecce in tuo adventu populos, quos diu possederam, reliqui, tuas orationes sufferre non valens : et nunc me hinc ejicis? Ad hæc sanctus Vir et veneratione dignissimus, ait : Impero tibi, immunde spiritus, ut recedas ab hoc plasmate Dei, et amplius non habeas locum in eo, in quo Rex et Salvator æternus Jesus Christus per lavachrum regenerationis, habitaculum sibi præparavit. Ad hanc vocem ejulatum emittens horrisonum, e vestigio visus est ab ore illius flatus ebullire sanguinei coloris ac picei cum fœtore horribili. Quamobrem homo exanimis est effectus : sed interventu præclarissimi Agili, fugato dæmone, mox redditus est sanitati.

IX. *excipiuntur Eustasius et Agilus a Gondoino viro nobili,*

15 Cum autem progressi inde ad monasterium Luxoviensium remearent, deveniunt ad quemdam potentissimum virum nomine Goudoinum *m*, qui generositatis fastu ac enormi dignitatis copia splendens, atque beatissimi Agili consanguinitatis nexu propinquus, morabatur eo tempore in villa, quam Mosam *n* vocant, ob amnem, super

D

quem sita est : hic sanctissimos viros *o* Christique Apostolos, quasi munus a Deo missum, officio recepit, secumque morosius retinuit. Cum ingressi fuissent domum, benedictione præmissa, post multa colloquia spiritalis doctrinæ, oblati sunt eis ad benedicendum duo filii *p* ejusdem viri : quos suis benedictionibus sacrantes et sæculi dignitate futurum ut florerent, et ad futuram vitam feliciter migrarent vero vaticinio designarunt : ut post evidentissime claruit.

cujus filiæ Sadebergæ visum restituunt :

16 Erat autem prædicto viro filia luminibus orbata nomine Sadeberga *q*. Cum ergo pater supplici prece deposceret, ut *r* orationis ope ei subvenirent; recolentes se ideo missos, ut virtus Christi amplius per eos manifestaretur, et fides credentium roboraretur, sciscitantur a puella an velit virginitatem suam Deo dicare *s*, si Majestas divina reddiderit illi lumen oculorum. Cum illa annuisset *t* : tunc hi sancti Viri pariter cum puella in orationibus sacris celebraverunt triduo jejunium. Tertia autem die post Missarum solemnia, beatissimus Agilus oleo benedicto oculos illius perunxit, et signo crucis munivit *u*. Mirauda res! In ipso quippe momento eadem vir-

E

go visum *x* recepit, sacrumque velamen devotissime suscepit et virginitatem *y*, quam voverat, inviolabiliter servavit.

X. *Agilus ex periculosa febri*

17 Inde abeuntibus illis, venerabilem Agilum validissime perfudit ignea febris, ita ut supremum exhalare spiritum a cunctis crederetur *z*. Quod cernens Eustasius, opimo studio sollicitudinem illius incommoditati adhibuit, adeo ut priora repetens studia, abbatis nomen eo ferret, quo bajuli non obliteraret. Interim gemino vallatus angore; quippe qui nec Fratrem videret refrigerari *aa*, nec sine illo vellet remeare, tali eum alloquitur affamine : Frater amabilis Agile, quem a puero, nobilium parentum tuorum amore, et pii patris Columbani rogatu, educavi pie, enutrivi caste, docui modeste, nunc moneo abjectis tædiis *bb* hujus ærumnosæ vitæ, soli Deo, cui inhæres, spem totam committas, imo etiam, quo resistere principibus tenebrarum *cc* valeas, magnopere elabores. Non dubitas (credo) quod ille te hac ægritudine potens est liberare, qui Ezechiæ regi ad vitam ter quinos annos auxit.

F

divinitus restituitur.

18 Aurora vero diei incipiente, finitis ex more matutinis laudibus, venerabilis Agilus hanc ex præcordiis fudit orationem : Adesto mihi, Domine, qui in hac lucem eduxisti, et tuo sacro baptismate renasci fecisti, manumque tuæ benignitatis porrigens, libera me ab hac ægritudine, Deus meus, quia tu es regnans in secula, et salvas sperantes in te. Expleta oratione, æstuantia membra sopor occupat, ac semivigilans videt adstare sibi præclarum forma juvenem in veste fulgenti, qui posuit manum dexteram super pectus illius, et infit : Agile chare meus, quem ab utero matris incorruptum ab omni labe noxiæ pollutionis custodivi, atque custodiam, donec pleno ætatis ævo te recipiam, adsum tibi. Age, quod me donante agis, eroque tecum : depulsoque languore surge. Cum hoc dicto, omnis ægritudo ab eo recessit : incolumitate pristina divino medicamine *dd* remeante.

ANNOTATA.

a *Id factum anno* 613 *diximus in Commentario, quem consule num* 16.

b *Interpolator* : Eo quoque in solio trium regnorum

A gnorum sublimato, decrevit *etc. Adi pro his Comment. num.* 19.

c *Inserit rursum* : Pollentes strenuitatis scientia.

d *Interpolator* : Doctrina falsi erroris.

e *Et hic addit* : Auxiliante Domino.

f *Interpolator adjungit* : In opus præfatum una *etc.*

g *Prædicatio hæc apud Warascos et Bajoarios refertur etiam in Vita S. Eustasii eodem ordine, in Vita vero S. Salabergæ ordine inverso. In posteriori num.* 7 *apud Mabillonium sic legitur* : Deinde ad Warascos; qui partem Sequanorum provinciæ, et Duvii amnis fluenta ex utraque ripa incolunt, pergit. *Qui hic* Duvius *amnis*, Dubis *est in comitatu Burgundiæ*, *Gallis* le Doux, *vel* le Dou, *ut vult vocem exprimi Valesius, qui in Notitia Galliarum pag.* 585 *de Warascis latius disputat.*

h *Clarius hæc exponuntur in Vita Eustasii per Jonam apud nos num.* 4 : Quorum alii idololatriæ cultibus dediti, *(rustica nimirum plebs*, B *quæ faunos, seu agrestes gentilium deos, colebat)* alii Photini vel Bonosi errore maculati erant. *Porro Photinus, qui Christi divinitatem et æternitatem negabat, satis notus est inter hæresiarchas, ejusque hæresim exponit S. Epiphanius Hæresi* 51, *vel* 71. *Bonosum* Naïsatanum *fuisse in Dacia episcopum, observat Henschenius*; Narsitanum *scribit Mabillonius. Sirmondus in notis ad Epistolam* 3 *S. Aviti Viennensis, qui Bonosiacos etiam oppugnavit, observat sequentia* : Bonosus Naïssitanæ in Dacia sedis, ut nostra est conjectura, episcopus, Catholicam deserens, ad eorum transiit hæresim, qui Photini venena sectabantur, et Christum Deum negabant, hominen tantum prædicantes. Bonosiacos ejus discipulos vocant etiam concilia Arelatense II, et Aurelianense III. Gregorius vero magnus Bonosianos libro IX, epistola LXI ad Quirinum et alios episcopos Hiberniæ. *Marius Mercator part.* 2 *Operum editorum a Garnerio, pag* 128 *de Bonoso sic loquitur* : Hunc itaque Ebionem philosophum secutus Marcellus Galata est : Photinus quoque, et ultimis temporibus Sardicensis Bonosus, qui a Damaso urbis Romæ episcopo prædamnatus est. *Ex his verbis infert pag.* 130 *et* C *alibi Garnerius, Bonosum Sardicensi in Dacia metropoli præfuisse, ac prædamnatum a Damaso ait in Marcello et Photino, cum alioquin ab Anysio Thessalonicensi et Macedoniæ episcopis damnatus sit tempore Siricii Papæ, ut latius exponit pag.* 315. *At vero quod de Sardicensi episcopatu Bonosi infert Garnerius, etiamsi eruditis quibusdam jam placuerit, nequaquam mihi videtur certum : nam* Sardicensis *vocari potuit a patria, sicut Marcellus verosimiliter* Galata *dicitur, qui Ancyranus erat episcopus in Galatia : et sicut Paulus mox ab eodem Mercatore* Samosatenus *a patria nominatur, licet Antiochenus fuerit episcopus. Prior sententia maxime nititur epistola Innocentii I ad Marcianum Naïssitanum episcopum. Nam ex ea constat multos fuisse in illa diœcesi ordinatos a Bonoso, ex quo consequi videtur, illum ibidem fuisse episcopum. At nec illa consecutio tam certa est, ut fallere nequeat, cum constet ex alia epistola Innocentii multos per vim consecratos a Bonoso atque illegitime. Non erat igitur, cur Tillemontius tom.* 10 *Monumentorum nota in S. Ambrosium* 43 *duos quæreret Bonosos, acsi utriusque opinionis argumenta tam essent firma, ut fallere non possent. Eligat quivis opinionem, ut placuerit, mihi prior præplacet.* A. ANONYMO.

i *Boiorum nomen clarum olim fuit, maxime ante natum Christum, deinde vero prorsus obscurum, ut intelliges ex Historia Boïca Marci Velseri. Bajoarios autem eosdem esse cum Boiis, affirmatur quoque in Vitis S. Eustasii et S. Salabergæ, ita ut illa opinio, quæ Boios et Bajoarios, nunc Bavaros, eosdem facit, communis videatur fuisse seculo* 7. *Verumtamen Hadrianus Valesius Rerum Francicarum lib.* 24 *longa disputatione probare nititur Bajoarios nihil cum antiquis Boiis habuisse commune, miraturque pag.* 463 *Bajoarios non numerari a scriptoribus inter populos transdanubianos*, et plane quasi e cælo ceciderint, aut Spartorum modo repente terra editi sint, non ante eos, quam in Vindelicia ac Norico consederint, ab veteribus auctoribus memorari. *At hoc ipsum, quod ignoti adeo fuerint Bajoarii, favet opinioni communi, quæ eosdem cum Boiis facit. Et sane non iis argumentis illam oppugnavit Valesius, ut suam mihi opinionem probaverit.*

k Bodoarios. *Communius tunc* Bajoarii *vocabantur. In Vita Eustasii apud Mabillonium* : Bavocarii; *in Vita S. Salabergæ* Baicarii. *Iidem quoque nominati leguntur* Boibari, Bajobari *aut* Baibari *apud Jornandem, aliisque vicinis nominibus apud alios, ut fusius docet Velserus pag.* 75 *et* 76, *ubi hæc addit* : Neque hinc obscurum, cum Boji idem Bojeri Bojarique essent, quibus gradibus ad Bajoaros sive Bojoarios et Bajoarios, ab his ad Bajovarios atque Bavaros tandem itum. Si qui enim scriptores paullo vetustiores sunt, Bojoarios et Bajoarios præferunt, Bavariæ nomen posterioribus plene debemus : E

l *Hæc facta existimo in reditu ex Bavaria, uti ratio itineris videtur insinuare. Urbs Metensis ad Mosellam flumen limitibus hodiernæ Lotharingiæ inclusa est et passim nota.*

m Goudoïnus *vel* Gundoïnus *iisdem et pluribus titulis ornatur in Vita S. Salabergæ apud Mabillonium num.* 4, *idemque factum ibidem refertur latius et exactius. Narratur quoque in Vita S. Eustasii num.* 4, *ubi* Salaberga *vocatur* Adalberga.

n *Locum hunc, qui etiam memoratur in laudatis Vitis, sic describit Valesius in Notitia Galliarum pag.* 361 : Mosa vicus in finibus Lingonum pagoque Bassiniaco, a fonte fluminis Mosæ, cui adjacent, dictus, inter Andomatuunum * Lingonum et Tullum * Leucorum positus est, et ab urbe Lingonum quidem duodecim millia passuum, a civitate Leucorum XXX abest, a monasterio Luxoviensi fere quadraginta . . . . Vocatur Meuse en Bassigni. F * Langres * Toul

o *Interpolator* : Visis namque sanctissimis viris Christique apostolis, acsi gratissimum munus suscipiens, officiosissime recepit.

p *Uxor et filii Gondoïni memorantur in Vita Salabergæ num.* 5 *his verbis* : Tunc vir illustris Gundoïnus cum conjuge sua Saretrude, eleganti forma et nobili femina, duos bonæ indolis adolescentulos ob benedictionis percepturam gratiam præsentavit : quorum senior Leuduinus cognomento Bodo, junior vero Fulculfus, qui et ipse alio vocabulo Bodo dicebatur.

q *In editis* Sadaberga *et* Sedalberga, *in Vita Eustasii, ut dixi,* Adalberga, *in Vita propria* Salaberga.

r *Interpolator* : Quatinus sancti viri.

s *Addit idem* : Et idem votum irrefragabiliter

A. ANONYMO. ter custodire.

t *Rursus hic* : At illa profitetur utrumque.

u *Interpolator* : Muniens signo crucis in virtute Christi. *Porro hoc factum in Vitis Eustasii et Salabergæ tribuitur S. Eustasio, non* Agilo, *quod verisimilius est, nisi uterque fecerit idem.*

x *Addit interpolator* : Clarissime fugatis tenebris.

y Fallitur auctor, *inquit Mabillonius*, nam Salaberga . . . secundo matrimonio copulata plures liberos habuit, ut in ejus Vita legitur. *Facta tamen postea est monialis et abbatissa, quæ forsan fuit erroris occasio.*

z *Interpolator* : A nemine cunctaretur.

aa *Idem hic* : Quippe cum nec æstuantis incendia Fratris aspiceret refrigerare.

bb *Rursum hoc loco*, studiis.

cc *Addit hic*, auxiliante eo; *et mox post vocem* credo *adjungit* procul dubio. *Sunt et aliæ quædam vocutæ aut paululum mutatæ aut additæ.*

dd *In Vita S. Eustasii apud nos num.* 6 *sanatio Eustasii precibus attribuitur, et res breviter narratur his verbis* : Qui cum progressus inde B cœptum iter peragerct, quemdam fratrem, Agilum nomine, qui modo Resbacensis cœnobii præsul existit, vehemens febrium ignis corripuit. Quem Eustasius attigit, interventuque orationis sanavit, ac pristinæ salutem sospitatis reddidit. *Hæc parum favent relatæ visioni, et ostendunt biographum nostrum quædam liberaliter nimis* S. Agilo *attribuisse, quæ rectius aliis tribui poterant.*

CAPUT IV.

Constructio cœnobii Jotrensis, Radoliensis et Resbacensis.

XI. Constructio Jotrensis cœnobii, EO tempore Lotharius rex *a* quievit in pace : et Dagobertus ejus filius regnum Francorum *b* suscepit regendum. Quo regnante tres fratres, filii illustris viri Antharii *c* ex præclara Francorum progenie cives Suessionici, illi admodum chari sunt habiti, quos sæpefatus Columbanus jam dudum adhuc infantulos, utrisque C parentibus flagitantibus, dum aliquamdiu penes illos moraretur in villa, quæ Vulciacus *d* vocatur, benedixit. Horum major natu, Ado nomine, non solum se ipsum propriis voluntatibus ac copiis abdicavit, verum etiam in proprio solo intra Joram saltus, ope fratris venerabilis Audoëni *e* super amnem Maternam, monasterium ædificavit, cui Jotrum *f* nomen imposuit, atque ex rebus propriis fœcundissime ditavit : in quo etiam monastice secundum B. Columbani instituta una cum caterva præclaræ religionis maxima superno Regi militavit.

et Radoliensis 20 Porro secundus Rado *g*, thesauros prædicti regis sub cura sua habens, animi redemptam inæstimabili pretio margaritam cælestibus signanter commiserat gazis. Proinde super jam dictum amnem in patrimonio proprio monasterium ædificavit, quod ex suo nomine Radolium *h* nominavit. Junior quoque venerabilis Audoënus *i*, cognomento Dado, præfato regi præ cunctis aulicis amabilis atque referendarius constitutus, gestans ejus annulum, quo signabantur publice totius regni potiora signa vel edicta, dum assidue moraretur in palatio, beatum Elgium *k*, qui inter reliquos proceres sapientia, opere ac D virtutibus enitebat, vinculo sibi unanimæ dilectionis copulavit. Quapropter illius usus consilio, nitebatur *l* intra Brigieusem saltum *m*, in remotis locis, propriis sumptibus monasterium constituere.

XII. ac Resbacensis 21 Cum igitur ardentissimo desiderio votum complere satageret, ac frequenter eamden sylvam ea devotione animi circumiret, comperit tandem inter duas Mucras, adjacentias *n* ex fisco quondam Nautolialinse, sed tunc ad villam, quæ Mailus dicitur, aspicere. Has denique suis petitionibus per confinia sua regis largitione ac munificentia integre adeptus, quod optabat *o*, implere procuravit. Factum est autem, ut quadam die peragrans memorata eremi confinia eo mentis ardore, ut superna gratia situm Ecclesiæ construendæ sibi dignaretur ostendere, deveniret super torrentem *p*, quem veteres incolæ Resbacen dixerunt, atque in eodem loco, qui prisco vocabulo propter geminum lacunar Gemellus Mercasius nuncupabatur.

22 Ibi dum paululum subter pomum arborem substitisset, facto in ea velocius umbraculo, silentium imperat, significans fessa membra quieti E velle concedere, quo secretius posset orationi incumbere. Diutius ergo cum prostratus solus orasset : surgens ab oratione vidit in aere nubem radiis coruscis splendidam, figuram crucis prætendentem, ex cujus qualitate * tantum lumen per tres continuas noctes emicuit, ut ex ejus fulgore vidisset in eodem loco clare omnia, velut in meridie, cum undique esset noctis cousueta obscuritas : per tres etiam dies ros ibidem visus est in modum crucis a mane usque ad vesperam, donec triduano expleto jejunio una cum beato Faroue *q* episcopo ecclesiæ fundamenta locaret. Sicque divina gratia disponente factum est, ut ubi oraus subter pomiferam arborem jacuerat, ibi in schemate crucis templum Domino ædificaretur.

per S. Audoënum. * al. claritate

ANNOTATA.

a *Addit interpolator* : Functo humanæ vitæ termino. *Obiit autem hic Clotarius II pater Dagoberti I anno* 628, *eique successit in monarchiam Dagobertus, jam dudum Austrasiæ rex a patre constitutus.*

b *Rursus addit* : Sicut pater tenuerat. F

c *Apud Mabillonium et Chiffletium* Autharii. *In Vita S. Audoeni apud nos tom.* 4 *Augusti pag.* 806 Andechairus *vocatur, in altera Vita pag.* 811 *rursum* Antharius. *De Authario autem hæc notat Mabillonius* : In vico Vultiaco, vulgo Eussy, tertio milliari supra Meldas oppidum ad amnem Maternam colitur, tum etiam in monasterio Resbacensi VII Kalend. Apriles, quo die nostrates Resbacenses solemne ejus officium in prædicto vico celebrant . . . Et tamen in Martyrologio Gallicano S. Autharii nulla memoria extat. In Martyrologio Resbacensi notatur die VIII Septemb. translatio corporis S. Autharii Conf. facta per reverendum hujus ecclesiæ abbatem magistrum Petrum Palmarium, postea Viennensem archiepiscopum, anno Domini MDXX, nimirum in ecclesiam Resbacensem, in qua S. Autharii plures reliquiæ religiose adservantur. *Majores nostri in prætermissis ad* 26 *Aprilis alia assignant Martyrologia, Anchariumque sive Antharium, sicut ibi nominatur, remittunt ad* 24 *Augusti, ubi in Actis S. Audoëni quædam de eo ejusque uxore Aigia memorantur.*

d *Vicus*

A d *Vicus* Vulciacus, *aliis* Wiltiacus, *jamjam assignatus est. Benedictio hæc filiorum Autharii narratur etiam in Vitis SS. Audoëni et Columbani.*

e *Adonem hunc in quibusdam Martyrologiis memorari, dictum est ad Acta S. Audoëni pag.* 807 *lit.* e.

f *In Vita S. Columbani apud Mabillonium num.* 50 *constructio monasterii sic narratur :* Quorum major natu, Ado nomine, semet suis voluntatibus abdicavit, postquam intra Jurani saltus arva monasterium ex beati Regula Columbani construxit. *Fundationem describit Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 364 *hisce verbis :* Eodem tempore *(id est, anno* 634*)* Ado, Dadonis germanus natu major, postquam in aula Clotarii et Dagoberti floruerat, monasterium, vocabulo Jotrum *, in saltu Jotrensi (Joranum * vocat Jonas) loco eminenti, non procul a Matrona fluvio construxit, atque impense dotavit : ubi, seculi voluptatibus abdicatis, reliquam vitæ partem pie religioseque exegisse ab Aimoino dicitur..... Id factum non dubito in ipso monasterio Jotrensi, ubi duplex de more cœnobium ædificatum sit, præcipuum virginum, alterum virorum, qui puellis sa- B cra ministrarent.

* Joüarre

* *imo* Juranum, *sed mendose*

g *Radonem hunc filium Autharii fuisse negant Valesius et Mabillonius, quorum opinionem breviter refutavit Cuperus noster in S. Audoëno, seu tom.* 4 *Augusti pag.* 797. *Verumtamen non inutile futurum existimo, si hic paullo magis ostendam, quam levibus ratiunculis nitatur adversariorum opinio, quæ aliquibus jam placuit. Collegit argumenta sua omnia Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 365, *eaque sic proposuit, ut multo appareant fortiora quam revera sint. Tota ejus ratio ex eo petitur, quod Jonas in Vita Columbani, et Audoënus ipse in Vita S. Eligii de duobus tantum Autharii filiis meminerint. Quod eorum silentium non dubitat vocare* Audoëni et Jonæ testimonium, *acsi illi aperte affirmarent, Authario non nisi duos fuisse filios, quod nusquam asseruerunt. Etsi igitur argumentum Mabillonii mere negativum. At videamus utrum Jonas et Audoënus de Radone siluerint in iis adjunctis in quibus de eo loqui oportebat. Jonas in Vita Columbani num.* 50 *refert Columbanum ab Authario atque Aiga ejus conjuge exceptum. Tum subdit :* Erantque C his filii *(codex Cochensis addit,* tres*)* intra infantiæ annos decenues *, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. *Deinde narrat Jotrense cœnobium ab Adone, Resbacense vero a Dadone, seu Audoëno, fuisse conditum, nullamque Radonis mentionem facit. Verum hinc non recte contra multorum testimonia infertur, Radonem inter filios Autharii non fuisse : nam mirum non esset, si Jonas homo Italus Radonem omnino non cognovisset. Deinde nihilo magis esset mirandum, si cognitum prætermisisset, quod ad scopum Jonæ præfixum minus conduceret ejus commemoratio. Etenim quid illa narratione intenderet Jonas, declarant hæc verba mox adjuncta :* Tanta in virum Dei gratia redundabat, ut quoscumque sacravit, in boni cultus perseverantia dies suprema invenit. *Cum igitur vellet ostendere, quam efficax esset S. Columbani benedictio, idque non æque pateret in Radone, qui in aulicis occupationibus permansisse videtur, illum forsan nominatim recensere noluit. Certe manifestum est ex proxime præcedentibus, exigui momenti esse illud Jonæ silentium,*

* *al. rectius* detenti

eum ibi referat domum *Hagnerici, cui duo vel* A ANONYMO. *tres erant filii, benedictam ab eodem Columbano, et tamen solam Burgundoforam ejus filiam ibidem nominet. Silentium Audoëni in Vita S. Eligii lib.* I *cap.* 8 *nullius valoris est contra Radonem : neque enim fratres suos ibidem enumerat Audoënus, sed narrat visionem quamdam secreto sibi communicatam a S. Eligio, indeque se excitatum ad virtutes Eligii imitandum, communicato cum fratre Adone consilio. Horum igitur silentio, prætermissis Aimoino aliisque scriptoribus posterioribus, qui tres Autharii filios interque eos Radonem numerant, opponimus primo biographum nostrum, qui Audoënum ejusque fratres nosse potuit : deinde utrumque scriptorem Vitæ S. Audoëni, qui eosdem tres Autharii filios recenset. Accedit diploma Dagoberti regis pro monasterio Resbacensi, editum a Mabillonio tom.* I *Annalium pag.* 365, *in quo iidem tres fratres diserte exprimuntur. Legitimum Mabillonio videtur id diploma, sed, inquit,* in cujus exemplum Rado facile intrudi potuit. *Imo vero perquam facilis* E *est hæc responsio, at non satis idonea, cum nullum diplomatis assignetur vitium, nec contra Radonem gravis militet ratio. Maneat itaque inter filios Autharii Rado, de quo pauca sciuntur, uti et de fratre ejus Adone.*

h *De duobus modo dictis monasteriis et Resbacensi mox referendo hæc observat Mabillonius :* Tria monasteria hic denominata etiam nunc supersunt. Jotrum quidem, Joüarre, nobile virginum Benedictinarum cœnobium quatuor circa leucis supra Meldas oppidum, haud procul a Materna fluvio : cui Radolium, Reuil, modo prioratus Cluniaco subjectus, adjacet. Inde procedendo inter duos amnes, Mucram utrumque dictos, occurrit Resbacense monasterium, Jerusalem quondam appellatum.

i *De S. Audoëno actum est ad* 24 *Augusti.*

k *Colitur S. Eligius Noviomensis deinde episcopus* I *Decembris, ubi ampla erit de eo agendi materia.*

l *Addit interpolator :* Molimine studii irrefragabilis.

m *Saltus Brigiensis, in secunda Vita S. Audoëni num.* 8 Brigiensis Sylva, *nomen dedit pago Brigensi seu Briegio, vulgo* la Brie. *At hic multo latius jam extenditur, uti docet Valesius in notitia Galliarum pag.* 96 *et* 97.

n *Id est, prædia aut loca invicem vicina, quæ olim spectaverant ad fiscum vici Nanteuil* F *in pago Meldensi, sed tunc pertinebant ad villam* Mailus, *vel, ut alii ediderunt,* Mastus. *Villa verosimiliter regis erat, sed illam nullibi memoratam reperio.*

o *Interpolator :* summopere optabat, omissa dilatione *etc.*

p Fluviolus *vocatur in secunda Vita S. Audoëni num.* 8 *et in Vita Columbani num.* 50, *sed* perperam, *ait Mabillonius in Observationibus huic Vitæ præviis,* cum rivulus fere ex pluvialibus aquis in unum confluentibus productus æstate soleat arescere.

q *De S. Farone Meldensi episcopo alia occasione jam meminimus.*



CAPUT

A. Anonymo.

CAPUT V.

Sanctus, id agente S. Audoëno, fit abbas Resbacensis : miraculum in dedicatione ecclesiæ factum.

XIII. *S. Audoënus, multis renitentibus,*

Interea venerabilis Audoënus, comperta laudabili fama B. Agili, quæ universam Galliam repleverat, prudentissimi Faronis consilio assidue satagebat, nunc affatu, nunc scripto, amicitiæ fœdere illum sibi conjungere, quatenus prædicto, quod ædificabat, monasterio abbatem præficeret. Sed hoc revera videbatur impossibile, eo quod Metensium plebs gaudebat quandoque sub illius pontificatu miraculis insigniri : et Lingonensium concio ejus virtutibus decorari : et Vesantionensis populus benedictionibus *a* juvari, quodque majus erat et æquius, cuncta Luxoviensium congregatio concors eum sibi vendicabat alumnum, ut illic pastor existeret, ubi comam deposuerat et miraculis coruscantibus enitebat.

sed rege approbante,

24 Cernens itaque venerabilis Audoënus hoc certamen aliter sedari non posse, nisi regia potestas modum imponeret : adhibitis secum Eligio unanimi amico, ac pontifice Farone, regiæ serenitati verba infert, quatenus posset de tanti Viri jucundari solamine. Qui inter hujusmodi agonem *b* medium se apponens, taliter fatur *c* : Sufficiens Metensibus arbitramur fore miraculum, quod in porta urbis illorum *d* patratum est, quando hominem a dæmone liberavit : et Langonicæ plebi, quod in eorum præsentia claudo gressum restituit ; et Vesautionensium populo, quod inter cætera, quæ coram eis operatus est, muto loquelam *e*, et surdo auditum reddidit, insuper etiam paralyticos curavit : et Luxoviensium fratribus, quod illis præsentibus mortuum suscitavit, qui dum lavaretur in thermis, ab altero submersus *f* est : nobis saltem liceat radiantem virtutibus contemplari illius fulgorem.

XIV. *Agilum, cui structura primum committitur,*

25 Igitur egrediens Luxovio per edictum regis beatissimus Agilus, ingreditur palatium, quod Compendium *g* dicitur, stipatus decore pontificum Amandi *h* et Faronis, fultus nitore procerum celsi Audoëni atque Eligii, qui sub sæculi baltheo pontificale dogma luculentissime præmonstrabant. Aspiciens denique tranquillissimus rex claritatem vultus beati Agili, taliter eum affatur : Propterea, reverende pater et sacerdos Dei, te accersivimus, ut tuo affatu dulcissimo *i* nostrum sitientem spiritum repleamus atque magnificis tuis exemplis populus nobis commissus adjuvetur : quia nosmet tuis orationibus commendantes, ratum censemus per consultum episcoporum ac nostrorum optimatum, dispensatorem te divini verbi in nostro ubique regno fore. Denique persuasi precibus fidelis nostri ac referendarii Audoëni, committimus tibi *k* magisterii operam de cœnobii structura, quod ipse ædificare desiderat *l*. Accessit itaque venerabilis Agilus ad opus jam dictum, juncto sibi in collegio duodeno fratrum numero, et *m* sollicitudine assidua perduxit ædificia ecclesiæ usque ad perfectionem fastigii.

XV. *dedicatione ecclesiæ peracta,*

26 Jam vero magna solennitas, hujus templi dedicationis instabat dies. Et venerabilis Audoënus, qui *n* in honorem B. Petri apostolorum principis eamdem [ecclesiam] ædificabat primam, illo die, quo B. Apostolus primum *o* Antiochiæ sedit, dedicare peroptabat, id est, octavo Kalendas Martii. Proinde accersitis pontificibus prænotatis, una cum Eligio, sicut mos ecclesiasticus obtinet, templum dedicaturi intrant. Aderat autem *p* monachorum decus Ado et modestus Agilus. Cumque petram ex vario marmore decentissime politam cernerent super altare inæqualiter jacere, et eam immutare vellent quatuor columnæ et vera mundi luminaria, et manibus elapsa, terra tenus ruit, et per medium scissa est tam directe, acsi quispiam ferro eam secuisset.

in qua scissum marmor miraculo integratur,

27 Stupenda res et admiranda, præsules cum optimatibus paululum attoniti repente humi se prosternunt, orationi incumbunt, pugnis pectora tundunt, lacrymis faciem rigant, adeo ut pavimenta humectarentur *q*. Cum orassent diutius, surgentes pleni singultibus, signarunt lapidem signo crucis in virtute Christi, qui continuo ita rejunctus est solide, acsi numquam fractus fuisset. Illud etenim usque hodie manet admirabile, quod in eadem petra remansit pro signo *r* per eumdem locum, quo fractus fuerat, velut gracilis fili figura *s*.

XVI. *Resbacensi cœnobio structo et dilato præficiendum curat.*

28 Cæterum quia B. Amandus officium dedicationis solenniter implevit, et super illud altare Missam eo die celebravit : placuit venerabili Audoëno illius nomen in eodem marmore altis cælare litteris : atque propter plurima visionum seu miraculorum prodigia B. Audoënus cum prædictis pontificibus eumdem locum Hierusalem *t* nominavit, desiderans illic haberi collegium pacis, et unanimem fraternitatis contemplationem, ut ipso suo nomine prædicaret locus, quod gremio continebat. His ita completis, fecit venerabilis Audoënus hoc monasterium locupletissime populosum, ditans illud opimis possessionibus, libris, ornamentis ecclesiasticis, atque villis. Quin etiam postposita altitudinis potentia meditabatur *u* in eodem monasterio sub monastica professione Christi militiam gerere : sed cum rex ac cuncti proceres Francorum *x* nollent acquiescere, voluntati eorum cessit, committens potestati regiæ etiam illud monasterium. Proinde in episcopali synodo, quæ Calendis Maii in Clypiaco eo anno est habita, B. Agilum præcellentissimus *y* rex in memorato cœnobio præfecit *z* abbatem.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia nihil aliud significare videntur, nisi episcopum expetitum fuisse a Metensibus, Lingonensibus et Vesontionensibus : sed idem diverso modo expressit auctor. Certe non putem auctorem hic insinuare voluisse*, S. Agilum *subinde Luxovio egredi consuevisse, ut Vesontionenses, Lingonenses et Metenses erudiret, ut Bailletus in* S. Agilo *scribit, Tullenses liberaliter adjungens. Semel id eum fecisse cum S. Eustasio jam vidimus, at deinde ab eo factum non credimus.*

b *Interpolator :* sanctissimum conflictationis agonem medium se in æquitate *etc.*

c *Idem hic addit :* Vestris precibus adquiescentes.

d *Idem pro hac voce substituit :* Divina per eum operante misericordia.

e *Rursus*

A e *Rursus hic addit :* Quam natura negaverat *Et hic :* Necatus.

g *Compendium, vulgo* Compiegne, *antiquissimum est regum Francorum palatium, hodie etiam notissimum.*

h *De S. Amando Trajectensi antistite fuse actum est tom.* I *Februarii a pag.* 815.

i *Addit interpolator :* Divini verbi poculo exuberante.

k *Idem adjungit :* Ex nostra præceptione.

l *Et hic :* Ob amorem Dei, et congregandi illic monachorum agmina. Hac quippe regia deliberatione *etc.*

m *Rursus :* Quocirca insistens cœpto operi.

n *Interpolator :* Quia eamdem ecclesiam *etc. Vox* ecclesiam *omissa erat in Ms. apographo nostro, quam idcirco uncis inclusi.*

o *Addit idem,* cathedram.

p *Interpolator,* huic etiam intererat.

q *Idem adjungit hoc loco,* Nihilominus eos, qui intererant, repentinus stupor invaserat. Porro tamen dum *etc.*

r *Addit hic rursum :* Ad memoriam, ut creditur, futurorum.

B s *Confirmat Mabillonius id factum ex Vita S. Faronis, ubi nominantur SS. Faro, Amandus, Audoënus et Eligius, qui supra vocantur* Quatuor columnæ et vera mundi luminaria. *Narratur idem in Vita S. Amandi apud nos tom.* I *Februarii pag.* 861 *num.* 22, *et inter illos, qui oraverunt pro marmoris scissi redintegratione* Agilus *ipse recensetur his verbis :* Tunc B. Amandus cum beatis Farone et Agilo, spe de Domini pietate præsumpta, cum lacrymis in orationem procumbunt : et affectu penetrante cælestia solatium tristis incommodi de Patris æterni clementia præstolantur. Surgentesque ab oratione, signo super lapide vivificæ crucis emisso, recousolidatum marmor in integritatem pristini tenoris aspiciunt : sed ad signum virtutis signique memoriam virgula subtilis in medio loco scissuræ, tamquam lineare discrimen, apparuit.

t *Hæc de nomine S. Amandi marmori insculpto, ac de nomine monasterii leguntur itidem in modo laudata Amandi Vita Verumtamen cœnobium deinde* Resbacense *vocatum est a rivo, cui adjacet, ut testatur Aimoinus lib.* 4 *Historiæ Francorum cap.* 41. *Porro* Hierusalem *interpretatur* visio pacis, *ad quam etymologiam mox*
C *attudit auctor.*

u *Interpolator,* Assiduis meditationibus moliebatur, abjectis fugacibus sæculi opibus *etc.*

x *Idem addit,* illi in hoc facto.

y *In editis rectius, ut videtur ;* præcellentissimus *legitur, quam* præcellentissimum, *quod est in Ms., cum titulus ille regi magis congruat quam Sancto.*

z *Hæc item leguntur in Vita secunda S. Audoëni num.* 8, *ubi, relata constructione et ampla dotatione cœnobii, auctor sic pergit :* Atque abbatem ex discipulis almi Columbani, virum in regularibus disciplinis apprime eruditum, nomine Agilum, eisdem præposuit. *Addit ibidem scriptor ille desiderium Audoëni Vitam illic amplectendi monasticam. De tempore, quo hæc facta sunt, consule Commentarium num.* 20.



A. ANONYMO.

CAPUT VI.

Curam abbatialem pie administrans, Christum specie pauperis suscipit et dæmonem fugat : imbribus suos liberat : mire augetur monachorum numerus.

Suscipiens igitur regimen pastorale eximius *a* Agilus, regebat gregem optimum, incedens inter fratres discretissimo regimine. Erat enim sicut unus ex illis, et habens in ore splendorem sermonis Euangelici, virtutumque signis coruscans *b*, in jejuniis frequens, in oratione assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatis amator præcipuus. Qua de re, cum quadam die vesperi circumiens officinas monasterii (fuerat enim eatenus nobilium hospitum obsequiis occupatus) pergeret ad xenodochium, quod illius ordinatione ac juvamine venerabilis Audoënus ibidem constituerat *c*, unius E tantum potitus fratris solatio, qui vocabatur Brandolinus ; audivit ad portam monasterii velut plangentis hominis exilem vocem, apertaque fenestra, quæ portæ inhærebat, cernit ante fores pauperem jacere ulceribus plenum (erat enim quiddam adduc diei) petentem recipi hospitio.

XVII. *Sanctus cum aliis virtutibus tum hospitalitate insignis.* a b c

30 Conversus itaque ad fratrem, ait : Ecce, quomodo aliis utilitatibus occupati, tanta neglexímus : perge ergo velocius, et para ei refectionem. Eo quidem abeunte Vir domini, aperto ostio, quod portæ inhærebat, (claves quoque inde habere consueverat, quoniam talis erat consuetudo, quod janitor, ut signum pulsabatur ad Completam, confestim portas monasterii firmans, ei claves deferebat) ait ad pauperem : Veni, frater : et faciemus tibi, prout competit. Eo autem respondente, præ doloribus ulcerum ambulare minime posse (enimvero membra illius, acsi leprosi, inspiciebantur lurida) suis humeris impositum detulit in domum absque ullo pondere, posuitque in sedili juxta focum, hyems quippe erat. Dum accipiens urceum et lintea, super manus ejus F voluit aquam infundere : qui illico disparuit, ac tanta fragrantia jucundi odoris domum replevit, velut si multa ibi odoramenta aromatum redolerent.

Christum pauperis specie suscipit.

31 Illud etiam non oportet silentio tegere *d*, quod tantæ hospitalitati invidens diabolus, B. Agilo in majori ecclesia paulo ante diluculum, post Matutinorum expletionem de more oranti, specie immanissimi draconis apparuit, erecto capite virus adversus eum emittens. At beatus Confessor Domini fide *e* magnificus *f* mysterio crucis se muniens, omnia disperdidit serpentis antiqui spicula, te semper habendo, rex benedicte et Deus Israël.

XVIII. *dæmonem specie draconis apparentem fugat :* d e f

32 Quadam die, dum in segetum collectione messores ex familia monasterii essent occupati, accidit ut junctis sibi quibusdam e fratribus, illo B. Agilus deveniret. Cum autem aliquantisper ibidem morarentur, subito cæli serenitatem nubila occupavernnt, ac tonitru coruscum terribiliter intonuit cum vento valido, adeo ut messores præ nimio pavore turbarentur. Quod cernens B. Agilus signifer Domini, messores

XIX. *imbres in granum messorum dividit :*

A. ANONYMO. fores operi jubet insistere, sese in orationem cum fratribus prosternens. Cum diutius orasset, surgens ab oratione Sacerdos magnus Domini, signum
g in virtute Christi fecit mirabile *g*, sua oratione magnis divisis imbribus, ita ut juxta eos undique nimia tempestas appareret, et super illos unius
h saltem guttæ pluvia non caderet *h*.

XX. *augetur multum sub eo monachorum numerus.*

33 Jam *i* ex primoribus palatii atque proceribus patriæ, ejus illustrati exemplo plurimi, sæculi honorem pro nihilo habentes, peroptabant sub illius regimine *h* monachicam ducere vitam,
i in tantum, ut ex eis octogenarius compleretur
k numerus. Nonnulli etiam semet orationibus illius
l commendantes *l* monasterium illud fecere ditissi-
m mum. Inter quos B. Philibertus *m*, Elisano ter-
n ritorio ortus *n*, venerabilis Audoëni potitus consilio, prædicto Abbati se subdens, muneravit sæpedictum monasterium copiosissimis donis auri argentique ac supellectili varia : atque demum illic coma deposita, sub perfectæ religionis norma Christo strenue militavit.

ANNOTATA.

a *Inseruit interpolator*, Christi miles.

B b *Uti rursum hic*, speculum factus est non solum sibi commissis, sed et mundo. Erat namque *etc.*

c *Rursus interposuit hæc verba*, quo pauperum necessariis subveniretur.

d *Hic magis excurrit interpolator hunc in modum*, sed inter præcipuos Sanctorum triumphos, velut in albo adscribi perpetuo, quod protoplasti persuasor, invidens tantæ hospitalitatis susceptioni, atque sentiens augeri suos cruciatus in Christi serena manifestatione *etc.*

e *Rursum inserit*, apostolici dogmatis.

f *Et hic*, Dum virulenta serpentis antiqui spicula cerneret sub obtutu *(Mabillonius mendose*, sub obtentu) *etc.*

g *Adjungit et hic :* Messoribus commotionem acris verentibus, suis orationibus *etc.*

h *Addit interpolator hoc epiphonema :* O Virum præclarissimum divinis signis prælatum ! cujus in cordis abdita fudit Deus eximia virtutum miracula.

i *Interpolator*, præterea multi *etc.*

C k *Hic inserit*, in sæpe fato cœnobio.

l *Idem hic*, atque illud monasterium rebus ac facultatibus locupletantes *etc.*

m *De* S. Philiberto *seu* Filiberto S. Agili *successore actum est ad* 20 *Augusti, seu tom.* 4 *a pag.* 66, *ubi in Commentario prævio* § 3 *de patria ejus disputatur. In Vita autem num.* 3 *dicitur*, propriis omnibus derelectis *monachus fieri voluisse. Et mox :* Agnito igitur quodam Dei milite, Agilo nomine, qui præerat cœnobio Resbacensi, ... quidquid habere potuit, in eleemosynam idem erogavit. . . . Cumque ad prædictum cœnobium pervenisset, beatus Agilus illum gratanter recepit, ibique Vir Domini Filibertus comam deposuit *etc.*

n *Addit interpolator*, seque suisque omnibus abdicatis.



D

CAPUT VII.

Vinum miraculo auctum : mors Sancto revelata : felix obitus, et facta tunc mirabilia.

Eo *a* tempore plebs ex Hybernia, ferens sua suæque gentis vota principi apostolorum Romæ, ob amorem venerabilis Audoëni (qui sanctum Columbanum præstantissime dilexerat *b*) atque B. Agili laudabilem famam, quem isdem Columbanus apprime in sancta religione nutrierat, divertere ad sæpedictum cœnobium orationis ac hospitalitatis causa solebat. Insuper etiam numerosis pecuniis illud honorabant, ibique suos aut longitudo itineris attrivisset aut debilitas vexasset.

XXI. *Cum hospites Hiberni ad Resbacense cœnobium solerent divertere,* a b

35 Quadam die cum advenissent, B. Agilus officiosissime eos suscipiens prandia jubet parari. Cumque pater *c* monasterii respondisset, adfore satis omnia præter vini copiam, unde non amplius quam tres modii in ministerium Sacrificii servabantur, et illud in magno vase, imperat Abbas *d* fratribus ac plebi propinari. Ministris vero respondentibus, vix unius calicis haustum unicuique in tanta multitudine porrigi *e* posse, ait : In Dei nomine offerte totum fratribus, quin et hospitibus, donec deficiat : potens est Dominus augere illud sua sancta et admirabili potentia, qui in nuptiis, quando defecit, aquam convertit in vina. Sicque factum est ut, aperto vase, usque adeo siut vina secuta, ut fratres sobrie, et populus ubertim satiatus sit : et illud vas, divina virtute operante, usque ad summum vino ita sit repletum, ut desuper emanaret. Quod cum venerabili Abbati nunciatum fuisset ; ministris præcepit, ne cui hoc dicerent, donec ipse huic vitæ superesset in corpore.

aliquando in eorum adventu vinum deerat, quod augetur miraculo : E c d e

36 Denique cum nonaginta *f* esset annorum, post multarum exercitia virtutum, longo jam senio affectus, desiderans sudores suos in cælo conspicere, quos ab ineunte ætate illic posuerat, taliter Dominum humili prece compellasse asseritur : Domine, memento mei, et miserere mei jam senio fatiscentis, et educ me de incolatu hujus vitæ, et qui pretioso sanguine tuo redemisti, fac me participem cum electis tuis cælestium gaudiorum. Commendo tibi gregem istum, Pastor bone, pro quo in ligno triumphasti, quem peto, perpetue custodias ac paradiso tuo reddas.

XXII. *Sanctus senio fractus dissolvi desiderat.* f F

37 Cum complesset orationem, apparuit ei præclarus juvenis, indutus veste nivei candoris, et dixit : Agile chare meus, suscepi preces tuas, biennio expleto te recipiam. Age, quod agis, donec centenarium numerum adimpleas annorum, eroque tecum, non te deseram *g*. Expleto itaque biennio, hac eadem nocte *h*, id est, tertio Calendas Septembris *i* feliciter migravit ad Christum et cum maximo decore est sepultus in ecclesia, quæ est in honorem B. Joannis Baptistæ ad plagam meridianam.

futuram mortem discit, ac deinde pie moritur : g h i

38 Operæ pretium ducimus, annectere huic paginæ, quod venerabilis Ado, qui ad suum transitum venerat, totam noctem ducens pervigilem, cum Matutinorum melos explesset, paululum ante exurgentis lucis crepusculum, atque in

XXIII. *cantus angelorum in ejus morte auditi dicuntur,*

A in ecclesia B. Petri diutius ante altare *k* B. Mariæ orans jaceret, duobus fratribus finem orationis illius præstolantibus, surgens ab oratione audivit una cum ipsis choros virginum, in sublime canentes : Hodie B. Agilus cum summis laudibus pergit ad præmium, hodie angelorum atque archangelorum chori exultant, hodie cum Sanctis in cælo coronatus Agilus triumphat. Felix valde, quia ab infantia servavit castitatem, et virgo centenarius *l* ascendit ad gloriam.

et quidam morbo suo liberati.

39 Dum autem corpus ejus sepulturæ traderetur, quidam ex fratribus validissima febre exæstuans advenit, linteum, quod pavonem *m* tegebat, in fide pro remedio tetigit, moxque febris ab eo recessit. Alter vero, qui dentium dolore torquebatur, maxillam peplo, quasi cervicali imposuit, sicque dolor omnis fugatus est. Multi etiam variis infirmitatibus afflicto, eo die sanitatem recipere meruerunt ad laudem et gloriam domini nostri Jesu Christi. Amen.

ANNOTATA.

B

a *Interpolator*, Veniens etenim eo *etc.*

b *Post obitum maxime, opinor, et in discipulis ejus : nam, licet puer a S. Columbano benedictionem acceperit Audoënus, illum matura ætate numquam videre potuit, ut ex chronotaxi utriusque Vitæ colligere poterit studiosus lector.*

c Non abbas, sed cellerarius, " qui omni " congregationi sit sicut pater " inquit S. Benedictus Regulæ cap. XXXI. *Observatio est Mabillonii.*

d *Interpolator addit*, totum.

e *Idem*, porrigere.

f *Ita apographum nostrum. In editionibus Mabillonii et Chiffletii*, nonaginta et octo, *quod congruit cum sequentibus, ita ut vox* octo *videatur excidisse ex Ms. nostro. At tantæ ætatis Sanctus numquam fuit, ut probatum est in Commentario num.* 21.

g *Addit interpolator sequentia* : O admirabilem Virum et omni laude dignissimum ! cujus in corde Christus celsa secreta reserans, Athletæ suo nobili magnum ostendit miraculum, cui ante biennium suum denuntiavit transitum. Merito C ab omnibus veneratur, quem Dominus tanto miraculo fecit insignem.

h *Idem addit*, media.

i *Rursum hic inserit*, beatus Agilus... centenarius. *Jam monui centenarium non fuisse.*

k *Addit idem*, quod est in honore.

l *Nescio, an multum fidei debeatur visionibus, quæ hujusmodi erroribus vestiuntur: quod de præcedente mortis revelatione etiam dici potest.*

m Id est feretrum, forte a pausando sic dictum, *inquit Mabillonius. Significatio vocis recte assignata videtur; at etymon incertum.*



D

MIRACULA

Auctoribus diversis anonymis.

Ex Ms. Resbacensi, collato cum editione Mabillonii.

LIBER PRIMUS.

Complectens ea, quæ seculo XI *facta sunt.*

PRÆFATIO.

E

Excusat auctor styli simplicitatem.

Miracula, quæ nostris temporibus Dei benignitas ad laudem sancti Agili, populo teste, operari dignata est, scribenda suscepi : optimum fore ratus, rem tam celebrem posteritati dare. Neque inscitiæ arguendus sum, eo quod majora viribus aggrediar : urget enim fratrum devota præceptio : quorum voluntati vel in hoc potissimum contraire, illicitum puto. Sed et si quis movetur rusticitate sermonis, quam *a* minime vitare studui : audiat quia regnum Dei non est in sermone, sed in virtute, neque apud homines bonos interesse, utrum vina vase aureo an ligneo propinentur. Quædam igitur eorum simpliciter exequendo (neque enim omnia narrare mearum virium est) hinc sumam narrationis exordium.

ANNOTATIO.

a *Addit editio Mabillonii* : Solœcismorumque inconcinnitatibus, quas *etc.*

CAPUT I.

F

Corpus Sancti in supplicatione immobile, donec ablata restituantur : varii febribus liberati : cantus cælestis auditus.

Docet Deum ex misericordia flagellis etiam corrigere delinquentes ;

Spem nostram a præsentium rerum volubilitate ad perennis vitæ stabilitatem transferre nos Dominus admonet et suorum institutione mandatorum, et exemplis Sanctorum, ut eorum consortes mereamur esse præmiorum. Nec enim hujus vitæ fragilis et deciduæ delectationibus (quæ nullæ * sunt) debemus implicari, cum simus filii Dei : sed memores generis (quia sunt primordia nobis a genitore Deo, cujus esse * scimur imago) accelerare, ut ei fidei pietate rejungamur. Hac fide Patri misericordiarum rite copulamur ; si mundanis operibus mortificati, per bonorum operum exhibitionem hostia viva Deo facti fuerimus. Verum quoniam in hanc voraginem impietatis humana decidit natura, ut in multis *a* sola vexatio intellectum det auditui : Deus, cujus

* *Mabil.* mille

* *Mab* fore

A. ANONYMO. cujus misericordia plena est terra, consulit filiis suis etiam flagellis, quia corrigi nolunt beneficiis.

Intentare minas, monstrare videtur et iras :
Ut per præseutis ostensa pericla furoris,
b Liberet a stygiis clemens patientia flammis *b*.

cum enim ob prodigia in aëre visa 3 Habemus hujus *c* pietatis exemplum nostris pene temporibus declaratum. Roberto *d* apud Merovingiam, quæ alio nomine dicitur Francia, tenente jus regium, post mille a passione Domini volumina annorum. Ipso milenarii impleto anno, cum peracta quadragesimali observatione, sanctæ Parasceves *e* dies advenisset, visæ sunt multis per loca multa in aëre igneæ acies, prodigioso visu corda se intuentium perterrentes. Extemplo fama (malum, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget) multorum perculit aures. Cui quot sunt plumæ, dicunt et infore linguæ. Quem malorum prospectum ut didicit Rageuardus *f* vir prudentissimus tunc temporis hujus cœnobii abbas, accita Ermingarde abbatissa Jotrensi *g*, de tam horrifica visione tractat cum ea, et ut quæ timebant evaderent pericula, communi consilio, humiliari sub potenti manu Dei hortatur, B et jejunii diem determinat.

solemnis esset supplicatio, 4 Determinato die conveuerunt processiones Resbacensis et Jotrensis monasterii in locum, qui ob insignia virtutis Dei ex tunc Crux sancti Agili *h* meruit appellari, confluente catervatim maxima non ignobilis vulgi multitudine. Cœperunt igitur septem psalmorum pœnitentialium melodiam cum Sanctorum nominibus insonare.

Cum subito eripiunt nubes cælumque diemque,
Fulgura crebra micant, lapidosa grandine mixta,
Pallidus atque timor regnat sub imagine mortis.

Cum nox atra media die densissimas quaquaversum *i* diffudisset tenebras, omnesque subitam præstolarentur mortem, jussu abbatis, et sapientum a quodam viro, apprime litteris liberalibus imbuto, verbum fit ad populum, ut et terrore præsentium commotionum admoniti, suorum pœnitudine agerent commissorum.

quidam Sancti corpus tollere non potuit, donec ablata restitueret : 5 Soluta concione, cum Sanctorum, quas detulerunt, reliquias in sua quique vellent reportare, Rogerus Jotrensis loci præfectus *, S. Agili (cujus rerum pervasor erat) loculum voluit levare, et cui injuriam fecerat, suis humeris portare.
* *Mab.* præpositus

C Non patitur Sanctus hostis cervice levari :
Sed veluti pelagi rupes immota resistit.
Pro pede lingua gemit, premitur si pondere molis.
Nonne suis Agilus sic præstat commoda sanctus *k*?

Quid faceret, quo se verteret, Rogerus nesciebat : donec illi plebs suæ avaritiæ immanitatem ad animum revocat, quia scilicet sibi tenens adjacentes mansiones Veimlio *l* S. Agilo abstulerat. Ille ut vir moderatissimus culpam agnovit, omnia Sancto reddidit, atque ita demum Sancti glebam tam leniter levavit, ut non ipse illum portare, sed ab eo putaretur portari.

varii febribus liberati : 6 Cumque omnes jubilosis laudibus tripudiarent, ne quid Sancti gloriæ deesset, etiam infirmorum per ejus meritum Deus operatur sanationes, et maxime ardentium extinguit ignes. Ex ipsis ab incendio liberatus fuit Frinoldus *, Duensis *m* villæ incola, et Wismannus quidam de sancta Halda. Quem dum presbyter liberatum vellet in sua referre : ut ad sylvam venit, iterum cœpit ardere. Relatus ad gloriosi Agili basilicam, meruit extinctionem : sed tentans domum repedare, denuo incurrit arsionem. Tertio igitur D cruciatus adustione, tertio liberatus est. Hoc videns pater delegavit eum sancto loco, dum adviveret, serviturum : qui donec diem clausit extremum, promissum devotus salvit obsequium.
* *Mab.* Finoldus

audito solemni cantu in festivitate S. Amandi, 7 Et quia semel cœpimus *n*, referemus quomodo Solio *o* hujus loci abbas supra se raptus, spiritualis vocis meruit esse auditor. Solitus erat gallicinii horam, pene omni nocte furtivas quærens orationes, prævenire *p*, stans jugiter secundum prophetam, in specula Domini pro grege sibi commisso. Dum ergo huic laudabili et Deo placitæ fraudi insisteret, carnis suæ claustra transgressus, mentis acumine audit cælestes concentus, carmina, laudes, laudes spirituum Domino præconia dantum. Hymnizant læti, fit summo gloria Patri, cum genito Verbo parili cum Flamine sancto. Sonum quidem audiebat vocum, delectabaturque suavitate melodiæ, sed excepto hymno, quem diximus, nihil poterat intelligere.

illa magis solemniter celebranda decernitur. 8 Ipsa nox tenebris obscurabatur mundum nigerrimo peplo velantibus; micabat B. Amandi meritis radiantibus, quia eadem nocte erat anniversarius natalis, quo defunctus terris, et natus E est in cælis. Cum autem idem sanctissimus præsul hujus loci consecrator claruisset, miro *q* valde, cur non festivo officio ejus natalem recoluerint veteres, et tres solum suo propemodum pastori recitandas sanxerint lectiones? Verum prædictus abbas hujus theoricæ cum meruisset esse visor; accitæ congregationi rei seriem pandit; et ut deinceps ejusdem sui protectoris natalem festive solemnizarent, commonefacit. Monachicus cœtus, plaudens ad talia lætus, mente Creatorem benedicit cuncta regentem : et rogat, ut fiat res, de qua pastor agebat. Sanxerunt igitur indelebili consuetudine observari, sicut alias festivitates XII lectionum *r* a successoribus nostris. Ita jure hoc adscribitur sanctissimo Agilo, dilectissimo nutritori nostro, qui tali hortatu dignatus est commovere suos servulos, ut debitum honorem amantissimo impenderet semper Amande.

ANNOTATA.

a *Mabillonius pro vocibus* in multis *edidit* tantum.

b *Ejusdem editio addit hunc versiculum :* F
Et reddat vitæ, quos non vult morte perire.

c *Additur rursum in illa editione*, incogitabilis.

d *De anno, quo* Robertus, *qui et* Rodbertus *et* Rotbertus *sæpe vocatur, patri suo Hugoni Capeto successit in regnum, deque anno ejusdem emortuali, non omnino quidem consentiunt scriptores : at constat, eum patri successisse ante annum* 1000, *et vixisse post* 1030. Merovingia *a regibus Merovingis seu primæ stirpis, hic vocatur Francia, quod nomen tamen estrarius.*

e *Mabillonius,* sancti Parasceve, id est, crucifixionis Christi dies *etc.*

f *Notat Mabillonius etiam legi,* Rainardus. *Toussanus de Plessis in Historia ecclesiæ Meldensis pag.* 603 *inter Resbacenses abbates recenset hunc Ragenardum, uti et pag.* 590 *Ermingardem inter abbatissas Jotrenses; sed de illis non novit plura quam narrantur.*

g *Mabillonius.* Jotrensi loco præsideute.

h Eodem in loco ob facti memoriam ad hunc usque diem Crux, S. Agili dicta, cernitur, *ait Mabillonius.*

i *In editione Mabillonii additur,* victrix.

k *Post*

A k *Post hæc apud Mabillonium inseruntur sequentia :* Ipse pro nobis apud Deum quodammodo linguæ officium obtinet, et sua sancta intercessione nostræ terrenitatis, qui quasi ejus sumus pedes, sordes diluit ac delet.

l *Ita videtur habere Ms., sed vox ambigue scripta, ita ut posset etiam esse* Venulio. *Mabillonius habet,* Ventulio.

m *Vicus est in vicinia Resbaci, vulgo* Douë *dictis.*

n *Mabillonius,* ingressi sumus.

o *Audi observationem Mabillonii :* In Necrologio Resbacensi iv Id. Julii Solion abbas pater monachorum obiisse dicitur. *Videtur successor fuisse Ragenardi ante memorati.*

p *Inseruntur hæc apud Mabillonium*, et ut eum Dominus a nuptiis rediens, quasi bonum servum vigilantem inveniret, ejus Majestatem profusis lacrymis sibi semper conciliare. *Reliqua vero sic amplificantur,* Stabat secundum Prophetam jugiter totis noctibus super speculam Domini, orans ne adversarius noster diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, laceraret aliquem de grege commisso sibi. B

q *Forsam*, miror. *Mabillonii edito*, mirari non desino, qua surripiente inertia *etc.*

r *Mabillonius,* sicut servabitur in futuris seculis, *pro* xii lectionum. *Post hæc auctor subdidit longam digressionem de translatione SS. Ebrulfi et Ansberti, quam, cum minime spectat ad Sanctum nostrum, omittendam hic censui, et reservandam suo loco, prout etiam fecit Mabillonius, qui illam narrationem dedit seculo 5 Benedictino pag.* 226 *et* 227.

CAPUT II.

Cæco visus redditus : energumeni liberati.

Cæcus divinitus monetur Resbacum adire.

Non sulum suos comprovinciales hic Dei Amicus dignatur liberare, sed et exterarum gentium homines, sicut præsenti miraculo comprobatur. Normanniæ regionis Oximensem *a* villam esse audivimus, in qua degebat, mortemque in fronte ferebat quidam vir cæcus lucis dispendia passus : qui soli præsens ; verum illi sol erat absens. Orbibus obsessis tenebrante caligine noctis, nil sperare miser clara de luce valebat : sed pressus tenebris suspiria longa trahebat, et crebræ lacrymæ suspiria prosequebantur. Tandem assiduis lacrymarum ejus et precum Dominus miserens querelis, dormienti per revelationem jussit, ut Resbacense cœnobium peteret, ac S. Agili præsidium imploraret, Landricum monachum, qui tum forte loci æditũus erat, rogaret, et aquam Sanctorum reliquiis infusam cæcis orbibus apponeret *b*. C

ubi lotus aqua, qua lota erant reliquiæ, lumen recipit :

10 Hac revelatione lætificatus ille actutum surgit, vicinis somnia pandit, somnia promissæ præsagia certa salutis. Hortantur omnes Resbacis ut cito pergat *c*. Post multarum igitur anfractus viarum, ad locum designatum pervenit, et dicto monacho revelationem narravit *d*. Aqua ergo, qua Sanctorum reliquias laverat, mox ut oculos ejus lacrymis altariam *e* rorantis tetigit, clarissima lux réddita est, et, qui duce gressum regente venerat, sine duce repatriavit *f*.

11 Vaningo cuidam de loco, qui nuncupatur Pinnevindus, contigit, sive propter aliquod peculiare commissum, sive propter augendam Sancti gloriam, ut traderetur vexandus sævissimo dæmoni. Parentes ejus primum allusoriis verbis tentant furentem mitigare, verentes ne tam turpi spectaculo populis fabula essent. Sed magis augeutur bacchantis energia monstri : et stringens dentes morsus inferre minatur, qui captivus erat et dæmonis ipse rapina. Si misero panis vescalia grata darentur, et si potus aquæ sævo inferretur in ore : dira beneficiis reddebat vulnera dente, insanos risus aliorum fletibus augens.

A. Anonymo. energumenus apud Sancti corpus, facto voto, liberatur,

12 Absorpti ergo parentes tristitia, quia aliud consilium invenire non poterant, durissimis *g* constrictum loris, ad sacratissimum corpus adducunt B. Agili. Ubi dum aliquantum temporis moraretur, cœpit paulatim mentis sanitatem recipere, ita ut etiam ad votum faciendum B. Agilo idoneus videretur. Suadentibus amicis, voto promisit *h* conferre bovem Sancto, viciuo pecore quam multis meliorem. Facto voto, sanitas ei integra rediit, et *i*, quod ille voverat, reddere non distulit. Imo ut proprios lares attigit, bovem ante se minans ad monasterium rediit. Et veniens sacri pronus Pastoris ad aram, Ecce (inquit) Sancte, devoto defero corde hæc mea vota, tuæ quæ devovi pietati, ut par est grates reddens pro munere tali. Suscipiens igitur thesaurarius bovem, vendidit illum, atque ex pretio ejus, templum cameravit sanctissimum *k*. E

uti et alter Sancto in servum oblatus :

13 Henricum quemdam nimiis furiis alter dæmon exagitabat, ita ut non solum aliena, sed sua quoque, mordicus videretur dissecare membra *l*. Quidam ergo ex cognatis ejus dixerunt, oportere ligari collum ejus cinctorio *m* proprio, et sic cum perpetualem servum B. Agilo tradi, datis ad præsens quatuor pro capite suo denariis : cujus numeri censum ei, dum adviveret, quotannis solveret. Cunctis id laudantibus, qui torquebatur ad altare B. Petri deducitur, et mastigiali vinculo collo ejus innexo, in famulum S. Agilo adducitur, super altare sacrum capitalitium *n* suum quatuor misit denarios : et, si curaretur, tot omni anno a se vovit solvendos. Non fuit ulla mora, sequitur verbum medicina : in mediis votis, diffugit dæmonis ira, et stat liber homo, quem Sancti gratia curat. Reversus est itaque domum, post Deo redditas laudes, et longo post hæc tempore vivens sanissimus, quod voverat cum summa semper reddidit fidelitate. F

alius energumenus primum liberatus.

14 Sicut votum fideliter reddentibus jure collata permanet sanitas, sic sponsionem non servantes merito acrior subigit vindicta. Caziaci pagi, qui conterminus est abbatiæ Caziacensi *o*, erat quidam rusticanus, nomine Walgerus, quem, ut postmodum perfidia ejus declaravit, satis juste arripuit dæmon efferus, nec insanam præsentiam suam diu hostis antiquus abscondit, sed in obvios quosque dentibus et unguibus pervasi hominis, ut arreptitii solent, fremere cœpit, hianti ore horrisonos intonans sermones, ita ut non humanæ voces, sed ferarum viderentur esse fremores, vel tonitruorum fragores. Parentes furentem B. Agilo præsentaverunt, et reluctante vexatore, homini extorquent Sancto dationem offerre votivam, spondere quoque, si liberaretur, thesauro ipsius, dum viveret, quatuor denarios quotannis reddere. Vovet, promittit, purgatur, gaudet, abique, pervenit ad villam, tectis succedit avitis.

fracto voto, rursum a dæmone corripitur.

15 Anno transacto, cum solvere debita voti instaret tempus, meditatur perfidus ille denarios votos

A. ANONYMO. votos Agilo non reddere sancto, omnia mentitus, animoque furente rapaci. Et statim monstro pervasus dæmoniali, pejor quam fuerat ex gestu fit furiali: vincitur, spumat, et ringit naribus iram. Tanta ergo vastatione coactus, peram sumit, per loca Sanctorum quaquaversum posita discurrit: Galliam, Italiam, Germaniam circuit, et quæ, fama volante, nominatissima didicerat, loca Sanctorum adit, sancti Petri, sancti
p Michaëlis *p*.

ANNOTATA.

a Oximus *vel* Oximum, *vulgo* Hiesmes, *oppidum est Normanniæ, a quo nomen accepit pagus Oximensis, vulgo* l'Hiesmois.

b *Addit editio Mabillonii*, et hoc facto optabilissimæ lucis se dona recepturum. *Adduntur et aliæ hinc inde voces.*

c *Ibidem rursum inseruntur sequentia*, ille duci itineris manum dans, Domino supplex lacrymarum flumina fundit. Et licet ignoret Resbacis mœnia vici, fisus divina spe callem carpere
B cœpit.

d *Hic rursus adduntur hi versiculi*: Laudricus lætus tali de famine factus, sumit reliquias, supraque fundit aquas, dum miser exorat lacrymisque altaria rorat, ut promissa Deus det sibi propitius.

e *Forsan legendum* altarium. *Vox autem illa haud dubie hic designat basim thecæ, cui reliquiæ erant impositæ, sicut eam sumi, probatur in auctiore Cangii Glossario ad vocem* altare.

f *Post hæc sequenti miraculo apud Mabillonium præmittuntur ista*: Ne vero a quoquam infelice et perfido possit dubitari super miraculis, quæ recensemus a B. Agilo factis, nomina etiam personarum subinferimus, et, unde orti sunt, loca.

g *In editione Mabillonii quædam mutata, quædam addita hunc in modum*: Durissimis ejus brachia constringunt loris. Et quia patiebatur, nec sentiebat tormenta, ut liberaretur ab hac illum interius vastante plaga, ad sacratissimum corpus adducitur B. Agili.

h *Ibidem rursus addita sunt ista*: Si vinclis
C enucleari pestis dæmoniacæ mereretur, contribuente hoc Agili meritis Domino, qui regnat in astris. *Sequentia etiam paululum mutata.*

i *Rursus hic eadem editio*: Et qui vinctus nolensque venerat ad Sancti tumulum, gaudens et liber ab hoste stygio remeat ad propriam domum. Sed recenti et horribili flagello admonitus *etc.*

k *Apud Mabillonium additur hujusmodi transitio ad sequens miraculum*: Huic simile miraculum operatus est iste fortissimus Christi Miles, expulsor dæmonum, acutissima suæ jussionis cuspide expellens dæmonem etiam ab Heurico quodam, sicut stilus tentabit scribere.

l *Addit Mabillonius*: Quem dum cognati nimium sævire viderent, et vim dæmonicam numquam sedare valerent, consilio accepto, sic decrevere loquendo: Multas virtutes factas audivimus omnes, quis Agilus sanctus solitus curare furentes, impendit miseris solatia magna salutis, notificans meritum, quo fulget in arce polorum. Fusis ergo ad Deum precibus recogitemus, et ipsum, qui mundus corde, qui corpore virgo perennis Agnum prosequitur, quaqua pede virgine pergit, ut mereatur ab hac purgari sorde misellus, quem vexat dæmon tam longo tempore iniquus. Astutiores vero eorum *etc.*

m *Mabillonius*, corrigia cinctorii proprii. *Per corrigiam collo impositam se servos profitebantur, uti monui ad Acta S. Huncgundis, seu tomo* 5 *Augusti pag.* 240. D

n *Per* capitalitium *designatur census, quem domino suo servus persolvere quotannis debet.*

o Caziacum, *vulgo* Chesy, *cœnobium est Ordinis Benedicti* ad Matronam fluvium infra Castrum-Theoderici in diœcesi Suessionica, *uti scribit Mabillonius tom.* 3 *Annalium pag.* 38, *ubi plura de eo videri possunt. Abbatiæ vicinus est ejusdem nominis vicus, quem auctor designavit, ut opinor: sed vox ita misere scripta erat, ut legi commode non posset.*

p *Videntur hic aliqua deesse: et totum hoc miraculum abest ab editione Mabillonii, qui multa deinde subjicit ex codice Uticensi, quæ desiderantur in Ms. nostro Resbacensi, prout etiam notat in suo Resbacensi non haberi. Dabimus ea capite sequenti.*

CAPUT III.

E

Miracula quædam in Ms. nostro non inventa, sed addita ex editione Mabillonii, qui ea dedit ex codice Uticensi.

Mortalitas erat hominum magna in pago Miliduncnsi *a* et in pago Pruvinensi, vehementer imminens nullo medicamine convalente. Nam in costis hominum ipsa lues subito obstinatissima sentiebatur, et in crastino, qui patiebatur, moriebatur. Ob hanc causam quærentes refugium quique per diversa loca commanentes, ad hunc locum confugiunt, vigilias Sabbatorum faciunt, orationibus continuis B. Agili expetunt suffragium. Quid plura? Quicumque veniens cum devotione oravit, patriam incolumis permanens remeavit. Non multo post etiam B. Agili suffragio pestis exstinguitur commotio, quando via arripitur divino quiescente judicio. Ipsa quidem clades per plurima loca sæviit ferme a Pascha usque ad festivitatem S. Johannis Baptistæ, etc. *b*. F *Pestis exstincta: a*

17 Tempore Roberti *e* abbatis mulier quædam, Emelina nomine, perturbatione spiritus immundi vexata, dum multorum fere manibus adducitur, in pavimentum sacratum, quo continetur sub terræ latibulo gleba hujus sanctissimi Viri, licet invita, tamen multis nexibus impedita, soloteuus recumbens obdormire perurgetur, quousque duarum fere horarum transacto spatio, somno excita, virtute Sancti propulsato dæmone, quiescere visa est a tantæ infestationis animadversione etc. *b energumena liberata: c*

18 Alius quidam tempore Philippi *d* abbatis a partibus Flandriarum in hanc villam Resbacensem devenit, et sub beneficio cujusdam Ingenulfi monachi, ex Dei amore necessaria vitæ sibi administranti, longo in ea tempore mansionem habuit. Sed cum per accessum temporis, æstuantis incendii flammas nullateuus videret refrigerare, B. Agilum adjutorem advocat in tantæ arsionis exstinctione. Instante itaque hujus Sancti solemni festivitate, consilio prædicti Ingenulfi adducitur ante S. Petri altare, admonetur voto *quidam ex febri restitutus*

proprio

A proprio seipsum adstringere, quatinus si divina virtus salutem sibi dignetur conferre, deinceps sese servum Dei profiteri non denegct redibitione IV denariorum cujusque anni revolutione. Illi, qui salutis suæ causa majora, quam rogaretur, vellet promittere, omnia sese diligenter spondet observaturum esse: atque ita caro prius exæstuans per meritum Sancti salubre refrigerium meruit obtinere.

Balduinus Flandriæ comes in expeditione militari *e* *f*

19 Illud etiam referre honorificum est de Balduino *e* Flandrensi comite, qui cum militari usu Philippo regi Francorum utpote palatinus *f* comes deserviret, ad retundendam superbiam quorumdam, qui in partibus Galliæ et Burgundiæ præfato regi repugnare cupientes, adversus eum servili ferocitate rebellare contendebant; ad quorum convincendam rebellionem prædictus comes accitus, cum apparatu Flandrensis militiæ optima terræ peragrat opida, villasque depopulat, atque truci facie dum lustrat pervia quæque, concives patres ceu raptat ovilia prædæ. Hic itaque cuncta circuiendo pessumdans, causa prædandi Resbacum villam deveuit: sed divina potentia ferocitatem illius arcens, propria virtute in B tali negotio obstaculo sibi voluit adesse. Nam prædictam villam ingressus, dum subtractis rebus, subtractis et habitatoribus, inhabitabilem, reperit, castra metari exercitum quiescendi gratia præcepit.

subita infirmitate correptus, Sancto invocato sanatur :

20 Ipse autem cum sub obtentu expetendæ orationis monasterium adiret, conspicit eminus avem, quæ vulgo pavo dicitur, super tegulas monasterii residere, ad cujus peremptionem sibi arcum et sagittam protinus jubet parari. Quod cum factum fuisset, præfato comite in pavonis necem arcu sagittam jaciente, illa quidem flamine venti retorta in aliam partem dirigitur, avis autem immobilis permanens nullo terrore concutitur. Comes vero subitaneo morbo perculsus protinus humi prosternitur, oreque sanguineas spumas emittens, quod divina virtus in se pro pavone vindicet, cunctis ostentui habetur. Eo tamen postmodum, dum B. Agili meritum invocat, melius habente, funem propriis manibus in collo circumdans, humilis et dejectus progreditur ad altare, profitetur coram Deo et San- C ctis ejus graviter se peccasse, de cetero spondet se terram S. Petri ab adversariorum impetu illæsam inviolatamque strenue custodire, insuper et pateuam auream decemque caseos, decemque vaccas pro sui facinoris offert abolitione: sicque per virtutem B. Agili plebs Resbacensium defensari meruit ab hostili penitus incursione.

Hugo abbas Crispiensis impetrat g

21 Nec illud silentio prætereundum est, quod quidam Hugo abbas monasterii Crispiensis *g*, monachus autem cœnobii Resbacensis, dum ad diem festum B. Agili anni circulo redeunte deveniret, fores monasterii ingressus eumdem Patrem infimo cordis interpellat affamine, quatinus, si constaret eum eodem anno de hac vita decedere, neutiquam gratia Sancti permitteret illum ad sua remeare: sed sub cujus ducatus regimine dudum professus fuerat habitum religionis monasticæ, illius etiam fretus juvamine Sanctorum in cælestibus perfrui mereretur societate. Quod et factum est.

ut moriatur Resbaci, ac visione recreatur :

22 Nam ipsa die morbo correptus lecto prosternitur, quarto postmodum die debitu mortis exsolvere perurgetur: et ut credimus, orationis suæ vicem Domino sibi rependente, Elisiis sedibus admiscetur. Qui in ipso mortis articulo constitutus, ab adstantibus sibi diligenter investigare cœpit, utrum visus eorum perceperant, quod sibi tunc temporis, ut ipse dicebat, facillimum erat videre, videlicet novitatem cujusdam visionis præclaræ. Quibus respondentibus nil novum penitus se posse videre, reciprocans ille; Ego, ait, video præclaros juvenes hac illacque discurrentes, forma decenti compositos, niveaque facie rutilantes. Eo talia prosequente, visus est non longo post tempore in confessione Domini spiritum feliciter exhalare.

A. Anonymo.

comitissa Blesensis febri liberata. h

23 Adela *h* Blesensis comitissa, mater comitis Theotbaudi, vehementi febrium urebatur ardore. Ad cujus curationem, veluti tantæ feminæ congruebat, conveniunt medici circumadjacentium provinciarum Galliæ et Normanniæ, necnon etiam regionis transmarinæ. Sed cum nulla eorum arte curari potuisset, jamque præ nimia incommoditate mortem sibi comminante desperaret de sua salute, arportari se fecit in oratorium Resbaci: ubi dum sub capsa B. Agili duabus noctibus patrocinium ejus præstolando absque ullius cibi vel potus perceptione pernoctat, occurrente sibi virtute divina ardoris sui sentit inesse refrigeria: et quæ prius obtinere non potuit per multorum medicamenta, per B. Agilum postmo- E dum est celeriter consecuta. Obtulit autem super altare in honorem sui Creatoris pallium condigni pretii, quod hucusque manet in eodem monasterio, et apponitur præcipuis quibusque festis retro lignum Dominicæ Crucis.

ANNOTATA.

a Milidunum, *nunc frequenter* Melodunum, *vulgo* Melun, *et* Pruvinum, *alias* Provinum, *vulgo* Provins, *civitates sunt Briæ provinciæ satis notæ.*

b Quæ sequuntur ab alio scriptore exarata sunt, *ut notat Mabillonius. Idem suspicor de relato jam miraculo.*

c *Mabillonius sic habet ad hunc locum :* Rotberti obitus in Necrologio Resbacensi X Kalend. Febr. collocatur, Philippi vero, qui postea sequitur, XVII Kalend. Junii. *Idem tom 4 Annalium pag.* 604 *huc respiciens observat ista :* Si Rotbertus abbas Philippum præcessit, ut prædicti libri series innuit, alter ejusdem loci abbas Rotbertus post Philippum admittendus est, is scilicet, quem post mortem Walteri Meldensis præ- F sulis episcopus in eadem urbe nominavit Hugo Diensis Romanæ Sedis legatus, absque consensu Richerii episcopi, qui ob id Robertum excommunicavit. *Consecratio illa contigit anno* 1082, *quam narrat tom.* 5 *Annalium pag.* 184.

d *Mabillonius tom.* 4 *Annalium pag.* 603 *ex lempore Balduini Flandriæ comitis, de quo in sequenti miraculo, notat Philippum abbatem fuisse ante annum* 1070. *Hæc æque ac præcedens ejus observatio locum habet, si hæc miracula eo, quo contigerunt, relata sint ordine.*

e *Duo Balduini Flandriæ comites Philippo I Francorum regi fuere contemporanei. Prior* Balduinus Insulanus, *seu* Pius, *obiit anno* 1067; *alter* Balduinus Montensis *prioris filius triennio post, seu anno* 1070, *ut tradit Meyerus in Annalibus Flandriæ. Uter ex his designetur ab auctore, incertum quidem est; attamen verosimilius apparet, agi de Balduino Insulano, qui Franciæ regnum administravit, dum minorennis erat Philippus I.*

f *Titulus hic raro datus legitur comitibus Flandriæ. In auctiore Cangii Glossario tom.* 2, *col.* 805

A. ANONYMO 805 *de illo hæc habentur :* Observandum etiam ex Meyero anno DCCCLXIII, comites Flandriæ interdum sese Comites Francorum et Franciæ inscripsisse. Comites Palatini titulum Balduino comiti tribuit Willelmus Brito in Philippo.

. . . . Et Balduinus honoris
Jure Palatini clarus proavisque superbus.

Alium locum affert idem Cangius dissertatione 14 *ad Joinvillii Historiam, ubi de Arnulpho magno Flandriæ comite dicitur :* In genealogiæ linea sextus computatur comes et Palatinus. *Accedit hic ipse locus in Glossario etiam adductus.* Sed vereor, *inquit auctor*, ne his locis comites Palatini appellentur, quod Pares Franciæ fuerint, quemadmodum Matthæus Paris ann. MCCXLIX ait, episcopum Noviomensem fuisse comitem Palatinum, et unum de duodecim Paribus Franciæ; aut certe quivis comites regum vassalli.

g *De Hugone Crispiensi, seu Crispiacensi abbate hæc observat Mabillonius, locum simul exponens :* Crispeium in Valesia, vulgo Crespy en Vallois opidulum est, habens monasterium S. Arnulfi martyris nomine insignitum, quod Cluniaco subjacet. In Fastis Resbacensibus Hugo abbas, cujus obitus III Non. Septemb. ponitur, non alius ab ipso videtur. B

h *Audi rursus observationem Mabillonii :* Nempe Adela filia Guillelmi nothi Angliæ regis, uxor Stephani cognomento Henrici, qui anno MCI in expeditione Terræ sanctæ ad urbem Roman (*lege* Ramam) occisus est, mater vero Theobaldi IV cognomento Magni. *Relata toto hoc capite sumpta sunt ex codice Uticensi, ut jam monui. Pro sequenti autem libro ipse etiam Mabillonius non citat nisi codicem Resbacensem.*

LIBER SECUNDUS

a

Complectens a miracula tempore Brictii abbatis patrata.

CAPUT I.

C *Fons S. Agili miraculis celebris : claudus et paralyticus aliique infirmi ibidem sanitatem adepti.*

Fons Sancti miraculis clarus :

Anno ab Incarnatione Verbi millesimo centesimo quadragesimo quinto, sanctæ memoriæ domino Manasse *b* Meldensis urbis antistite, abbate autem Resbacensium domino Brictio *c*, cœpit beatissimus Agilus ad fontem *d*, qui ab ipso nomen accepit, rediviva suæ sanctitatis argumenta ostendere. Fons autem ille est, quem (sicut a majoribus accepimus) idem Pater orando prodire e solo fecit, locumque ipsum, dum viveret, amavit, excoluit, miraculis etiam illustravit, quæ narrare poteram, nisi me suscepti oneris necessitas avocaret : sicut autem opinio se habet, miraculorum recens ibi gestorum hoc primum est.

sanatus ibi puer claudus et paralyticus,

2 Puer quidam de Britannia oriundus, quam moderni Angliam vocant, Resbacum devenit, ubi paralysi correptus, sinistri pedis officio privatus est, imo et pube tenus morbus irrepens, natibus immobiliter calcem affixerat. Pridie ergo Nonas Maias, die Dominica, hora circiter octava, baculis annitens, ad fontem prædictum venit. Cumque pueris hortantibus (qui forte convenerant) læsam corporis partem aqua perfunderet: nervi strepere, pes a natibus amoveri, poplesque extendi cœpit, cum magna fumi exhalatione. Richardus (id enim puero nomen erat) semianimis erat * : brevi spatio redditus est animo, redditus et saluti *e*. Ad spectaculum hoc totum Resbacum confluxit, et abstersa omni ambiguitate (claudus quippe cunctis notus erat) in eo glorificavit Deum. D

* Mabil. fuit

e

item tres alii :

3 Facti hujus fama, longe lateque diffusa, multos multis languoribus laborantes ad fontem venire fecit. Inter eos mulier grandis natu, in territori Resbacensi nata genere haud obscuro, cum forte cecidisset, læsa est, nervique, qui manum brachio copulabant, ei miserabiliter dissoluti. Quinquennio vel eo amplius in ea doloris perdurat angustia. Ast ubi ad fontem ventum est, morbusque unda intinctus, nervorum compaginatio cum pristini vigoris integritate secuta est. Præterea puerulus quadriennis (cui Bernardo vocabulum erat) claudus et mutus ab utero ad fontem perlatus est : ubi lotus (mirabile dictu) sub oculis omnium ire et loqui cœpit. Puella *f* nihilominus manum suam (quam paralysis ad cubitum reflexerat) cum aliquoties in unda immersisset, naturalem rectitudinem sospitatemque recepit. E

f

cæcæ visus is redditus,

g

4 Illud quoque recensendum puto, quod circa fæminam de Vezelo *g* didicimus gestum. Illi superabundans sanguis longo tempore aciem oculorum ademerat. Vovit se venturam ad B. Agilum : vovit et venit, recepitque sanitatem. Sed quia redire voluit, Deo ac B. Agilo nequaquam digne laudibus persolutis, ut domum reversa est, recuperatum lumen amisit. Proponit iterum iter ad fontem, pollicens satisfactionem admissi, seque, si lumen recipiat, coram Dominum laudaturam, ancillatumque B. Agilo professuram. Ut primum ergo ingressa est terram S. Petri Resbacensis, paulatim pupillæ detegi, acies oculorum clarescere, sensimque ac per momenta succrescens, plene convaluit. Post, ubi ad fontem ventum est, singula, sicut gesta sunt, coram edisserens glorificavit Deum, seque beatissimi Agili ancillam fecit. F

paralyticæ vires :

5 Bertha de Sanciaco, ægritudinum procellis septennio jactata, totius pene corporis amissionem incurrerat. Audito nomine sacri fontis, perduci se fecit illuc. Res incredibilis, nisi in præsentia populi gesta foret. Ut immersa est, languorem doloremque vis sacri fontis abstersit : et quam ante dolueramus ire, erigi, manusque movere non posse, postea dolore in contraria mutato, euntem, erectam, manuumque officio donatam mirati sumus.

puella incurva gibbo liberatur,

6 Puella quædam gibbo depressa a nativitate non poterat videre cælum, nec erectos ad sidera tollere vultus. Adit sæpedictum locum, aquis respergitur : dein ad reliquias Sanctorum, quas illuc fratres detulerant, provocatur. Quibus deosculatis, subito ab omnibus, qui aderant, quasi aliquo desuper urgente, sensim sursum trahi ac cum quodam strepitu spina erigi videbatur. Quid multa? Quæ cogente gibbi sarcina terram numquam intueri desierat, tunc primum æthera libero vidit aspectu.

alius vermibus viscera misere rodentibus :

7 Quid dicam de quodam Lambertho Flandrigena, cui vermibus ingenitis viscera rodebantur?

A tur? Numquam misero requies, pestis indesinens arcebat somnos, cibi prohibebat appetitum, de loco denique ad locum instabilem migrare cogebat. Herbæ adhibitæ sine viribus erant. Orbe fere pererrato, confugit ad suffragia Patroni nostri ac salubri fonte potatur. Ibi expertus est, quanti meriti S. Agilus haberetur. Vermium multitudo non parvæ longitudinis, capitum cæruleorum, colubri instar corpore variatorum, de ejus ventre processit, isque fuit ad incolumitatem progressus.

lucis radii supra fontem visi.

8 Verum enimvero quadam nocte, aliqui infirmorum, qui urgente infirmitate, noctem ducebant insomnem, videre inter densas noctis tenebras trina vice super fontem aliquamdiu radios miræ claritatis infundi. Mirabilia sunt hæc, sed mirabilibus mirabiliora succedunt.

ANNOTATA.

a *Titulus huic libro in Ms. præfigitur talis:* Item miracula per B. Agilum tempore abbatis Brictii mirabiliter patrata. *Post titulum sequebatur* B *præfatio, quæ primo miraculorum libro præfixa est, iisdem verbis concepta, ut testatur Belfortius, qui hæc descripsit ex codice, et videri potest apud Mabillonium, qui illam hic repetiit.*

b *Manasses II Meldensem ecclesiam regere cœpit anno* 1134, *obiitque anno* 1157, *ait Toussanus du Plessis in Historia ecclesiæ Meldensis pag.* 554.

c *Brictius abbas successit Natali, qui, abdicata dignitate abbatiali, Cluniacum se recepit, ut refert Mabillonius tom.* 6 *Annalium pag.* 189, *ubi de eo addit sequentia:* Idem Briccius quasdam ejus (S. Agili) reliquias dono dedit Henrico Trecensium comiti, qui vicissim aliquot beneficia et prædia monasterio contulit. *Abbatem adhuc fuisse anno* 1161 *affirmat laudatus du Plessis pag.* 604. *Nec initium tamen nec et finem præfecturæ ejus assignat.* In Necrologio Resbacensi legitur, *teste Mabillonio,* VI Idus Martii Briccius abbas pater monachorum.

d *Audi de fonte Mabillonium:* Visitur hodie quoque fons ille uno lapide a monasterio, a fidelibus multum frequentatus: quo in loco exstat oratorium, in quo fons ipse scaturit, B. Agilo seculo C XII consecratum, ut ex sequenti cap. VI patet, *infra num.* 25. *Berfortius in annotatis post Vitam descriptam testis accedit, sic scribens:* De veritate miraculorum suo more dubitent, qui velint, si pusillæ sint fidei, et qui ambulant in magnis et in mirabilibus super se. Ego quod vidi testor, prædictum scilicet fontem etiamnum magni esse nominis. Cui rei testificandæ (si non fallor) idoneus accedo, utpote ortus Firmitate Galcheri *, quæ Resbaco distat duarum tantum horarum itinere: quique non semel viderim tum monasterium ipsum, tum prædictum fontem paulo remotiorem cum adjacente ecclesia a provincialibus undique confluentibus frequentari: nobilissimum sane argumentum et evidens, quod miraculis olim haud dubie floruerint.

*la Ferté Gaucher

e *Addit editio Mabillonii:* Fungebatur officio duorum pedum, abjectisque baculis, quorum adminiculo gradiebatur, benedicebat suæ salutis auctorem. *Sunt et voces aliæ mutatæ, sed quæ alium non faciunt sensum.*

f *Hoc miraculum omissum apud Mabillonium cum multis sequentibus, et substitutum* etc.

g *Vicus verosimiliter est Briæ vel Campaniæ. At omnes illi vici nequeunt assignari ob mutationem vulgarium nominum.* A. Anonymo.

CAPUT II.

Alia sanationum beneficia a variis apud prædictum fontem impetrata.

Mulier infirma,

Matrona quædam, nata Barbonæ, quæ villa sita est in pago Trecensi, incidit in languorem. Infirmitas longo tempore protrahebatur. Horum quæ proficere putabantur nil fuit inteutatum *: verum omnia sine profectu erant. In dies enim morbus magis ac magis convalescebat, manus debiles, latera dolore contracta, nates cum cruribus sine sensu, quidquid virium in genibus, quidquid in pedibus, exhaustum, numquam se in latus aliud declinare valebat. Inter hæc mala mulier bonæ spei virilem gerebat animum, vacabat crebris orationibus, eleemosynis insistebat. E

* i. e. non tentatum

quæ diabolica illusione morbum auxerat,

10 At vero cum quadam die domi sola jaceret: visus est adesse homo ignotus vestibus abjectis, sed reverenda canitie, qui inter cætera eam de infirmitate sua alloquens, sciscitatur an sanari velit, aitque: Os porcinum a, quod vulgo curtum dicitur, sinistri dumtaxat armi, vora: carnes nihilominus, quæ sequentur os, quando ex armo extrahetur, medicinæ ordo consumere te jubet. Sic age, et optatam salutem invenies. Fæmina incolumitatis avida, acceleravit imperata facere, consumptisque carnibus os fatum diligenter comminuit, mixta aqua devorare conatur. Cum inde aliquantulum hausisset, prædictis incommodis, quibus cruciabatur, accessit tumor uteri adeo immensus, ut jamjamque rumpi cutis protensa putaretur. Trahebant autem jam sera crepuscula noctem.

sanatur apud fontem S. Agili:

11 Illa quidem mortis proximitate pavefacta, recurrit ad preces, Jesum obtestatur, Mariam obsecrat, invocat omnes Sanctos, ut sui in hoc articulo recordentur. Dum orat, vox audita est, nusquam tamen authore vocis apparente. Quibus (ait) uteris, mecum communica. Illa miratur, et dum super auditis hæsitat: hæc eadem insonuerant auribus suis. Tum ait: Posce in nomine F Domini, et dabitur tibi. Signumque crucis sæpius repetens, repentinæ lucis radio illustrata est, suspiciensque cernit in fastigio recti velut teterrimum suem, qui signo crucis edito nusquam comparuit. Animus itaque Testæ (id siquidem feminæ nomen erat) tam dolore corporis quam fantasmatum illusionibus miserrime cruciabatur, dolorque per dies singulos ingravescebat. Excitata tandem fama B. Agili, cujus odor per totam Galliam redolebat, fontem adit, immergitur, ventrisque tumore deposito divina clementia persentitur, deinde brevi intervallo sospitatis redintegratio subsecuta est.

multi alii ibidem sanitatem consecuti,

12 Erat et quidam Theodoricus, natus de Mariolo villa, sita in pago Meldensi, cui quoniam pes jam decennio contractus erat, baculi adminiculo utebatur. Sacris lotus laticibus abjicit baculum, geminoque pede innitens ad monasterium venit, et in oculis omnium fratrum, qui ad laudandum pro hoc ipso Deum in chorum convenerant, subsiliens omnibus lacrymas fecit et risum. Eodem die puella simili modo manum recepit

A. Anonymo. recepit. Iterum ipso die mulier quædam tumorem uteri septennio perpessa adeo, ut hydropicam esse jurares, fontem salutiferum esse salutem consecuta cognovit.

alii vero per fontis aquas 13 At vero cum febricitantium, qui ibidem sanati sunt, numerum nequaquam observaverim, illud tamen duxi memoratu dignum, quod femina Meldensis ad urbem secum sacros latices asportavit. Multi varii sexus inde poti sunt, quos febrium anhelarum fatigabant angores. Mira res. Quotquot biberant, ad sospitatem redacti sunt. Siquidem tam femina, quæ aquam detulerat, quam hi, circa quos hoc miraculum gestum est, Resbacum postea venere, et causas suæ salutis in auribus ecclesiæ ediderunt.

alio portatas : 14 Simili modo Garnerus miles Villenovensis *b* didicit, quantam medendi vim fontis potio contineret. Vacabat lecto, languorisque tam diuturnitate quam acerbitate confectus, moveri, ne dicam ire, prohibebatur. De fonte S. Agili spe subnixus sibi potum adferri jubet. Ut bibitum est, nulla temporis intercessio; sed memento eodem aquam et sospitatem excepit. Nec mora: nudis pedibus B venit ad fontem, suosque successus fratribus sigillatim enarrat, et ut mira devotione fervebat, profitetur servitutem B. Agilo, profitetur et censum duodecim denariorum, quos in ipsa hora exolvens, simili modo se quotannis acturum promisit.

amenti sensus restitutus. 15 Non autem solis corporibus fons ille saluber fuit, verum etiam amentibus noscitur profuisse: sicut in sequentibus iudicabitur. Puer quidam, cum in agro forte pecudes custodiret, casu obdormiit. Dormienti visus est homo adesse proceræ staturæ ac vultus horribilis, cujus aspectu tremefactus, in amentiam versus est. Venitur ad Agilum: Agili nomen a parentibus pueri inclamatur, nec frustra: qui enim amens erat, non multo post mentem recepit.

ANNOTATA.

a *Superstitiosum hoc consilium ejus auctorem debuisset suspectum facere mulieri, nisi sanitatis avidior fuisset quam prudentior. Putavit forsan divinam esse visionem: sed malo suo didicit in hujusmodi rebus exquirenda esse prudentum consilia.*

C b *Villenova, vulgo* Ville neuve, *notatur in tabulis prope Firmitatem Galcheri tribus fere leucis a Resbaco. De his omnibus nihil in editione Mabillonii. At sequentia ab eo expressa.*

CAPUT III.

Alia rursum beneficia cum brevi apologia miraculorum.

Mulier, cujus frater a rabido lupo morsus obierat, Quædam femina, Mathildis nomine, quonam modo mente capta, qualiterve patrocinante viro Dei Agilo in naturalem statum redierit, annectere, haud superfluum arbitror, et ut facilius res elucescat, altiore principio repetenda est. Contigit itaque ut lupus a dæmone, aut saltem rabie nescio qua *a*, obsessus, Briensem pagum lacrymabili grassatione turbaret: privatim ac publice armenta diripere, homines etiam impetere non verebatur *b*. At vero hoc maxime mirum, quod quæcumque dentibus vel leviter attrectasset, mori irremediabiliter cogebantur. Plerique autem vulneratorum, antequam morerentur, insaniebant *c*. Et ne longius protelctur oratio, fratrem præfatæ mulieris postremo aggrediens sauciat. Cum ille expirasset *d* exsequiæ hominis, utpote spectabilis tam genere quam virtute, multis gemitibus et lacrymis peractæ sunt.

in phrenesim lapsa menti redditur; 17 Malhildis interea vacabat lecto, sed audita morte fratris, infirmitas ei geminata est: cumque sopor languidis artubus obrepsisset, vidit sub somni imagine velut fratrem recens defunctum, tegimine lupinæ pellis horribilem. Expergefacta desipuit, dubium utrum ab exinanitione cerebri (tum enim ægritudine, tum longo jejunio erat confecta) an ex hac visione *e* istud malum prodierit. Ea demum ad S. Agilum deducta est. O qualis erat, facies pallida, oculi turbulenti, capillus hirsutus, corporis gestus horribilis, os cachinnis ac verbis infulsis perstrepebat. Mulier hujusmodi, cum ad suffragia Sancti nostri diebus aliquot perstitisset, et sensum recepit, et visionem, quam supra retulimus, enarravit, sed his compendiose digestis, alii miraculo manum imponamus. E

alterius, quæ in somno jussa erat fontem adire, 18 Villula est vicina Barbonæ *f*, nomine Blico, cujus accola erat mulier, quæ Mabila nuncupabatur. Ea cum die Sabbathi, imminente jam hespero, legendis herbis inserviret, repente lacertum obriguisse sensit. Occupavit quoque dolor acerbissimus humeros, qui ad pectus usque progrediens, mortis imminentiam, jam jamque minabatur. Audito tandem, quantis Dominus suum Agilum miraculis insigniret, brachium collo suspensum habens tendit ad fontem. Eloquitur fratribus, qui aderant, infirmitatis suæ causam ac modum; et ait: Postquam hac incommoditate teneri cœpi, mihi forte quiescenti visus est adesse homo aspectus angelici, qui me blande alloquens istuc venire jussit recuperandæ gratia sanitatis. Ego igitur hoc somnium pondus habere reputans adveni. De cætero S. Agilus fidem pollicitis adhibere dignabitur.

debile brachium sanatur: 19 Talia dicentem (ut fieri solet) alii arguebant mendacii, alii vera locutam asserebant, neque enim erat cur fallere vellet. Sed certe veracem fuisse conjicimus, si rei pensemus eventum: nam cum, oratione facta, oblationem, quam sinistra manu gerebat, in dextram transferre vellet (ea F autem manu debilis erat) ipso momento cum magno sonitu porrigitur brachium, pulsatur dolor, ac vigor pristinus reparatur, et hæc quidem hoc modo sanata est.

respondet auctor obtrectatoribus 20 Sed interim quorumdam vesaniæ occurrere libet: qui in digito Dei nequaquam hoc fieri æstimantes, dæmoniacæ (proh nefas) attribuunt potestati: cumque miracula diffiteri nequeant, id solum in causam calumniæ assumunt, quod in agresti fiunt loco, ubi nullus Dei cultus (aiunt) nullæ Sanctorum memoriæ. O prudentiam! Verentur homines sublimi ingenio, ne ad ludibrium mortalium, a faunis, nymphis, satyris, cæterisve ruris numinibus res geratur. Sed frustra. Nam ut de fabulis taceam, (neque enim falsa induci decet ad argumentum verorum) apud quos historiographorum *g* legitur, dæmones visum cæcis, mentem amentibus, manus debilibus, gressum claudicantibus restaurasse?

miraculorum, quæ fiebant ad fontem: 21 Verum campestris locus nequaquam mihi accusandus videtur, cum plerumque solitudines Dominus miris rebus insignire dignatus sit. Mons *h* ille, in quo B. Michaëlis memoria maxime celebris

A bris habetur, quamvis non habitaretur, Deo tamen acceptus fuit. Moysi quoque in deserto *i* divinitus dicitur: Locus, in quo stas, terra sancta est. Et quia fontem S. Agili obtrectatores nostri calumniantur, meminerint Naaman *k* in aquis Jordanis lepram abluisse. Sic cæcus, jubente Domino, oculos in Siloë lavit, et vidit. Quid autem diutius immoror exemplis, quorum me turba fatigat? Ex iis, quæ dixi, satis colligi potest, si in loco campestri, si ad fontem, si ubi nullus Dei cultus, nullæ Sanctorum memoriæ *l*, Deus salutem populi sui operetur, non esse mirandum. Et hactenus de his. Nunc ad cœpta stylum vertamus.

loquela mulieri data,

22 Mulier Maria nomine, de Lotharii regno *m* oriunda, angebatur acerbissime, quia nodus grandis in gutture vias vocis obducens, usum loquendi ademerat. Itum est ad sanctum Jacobum *n*. Ibi femina quiddam divinæ pietatis experta, aliquantulum quidem, parum tamen intelligibiliter, loqui cœpit. Exinde venitur ad Agilum. Cumque fere muta ibidem triduum ageret, tertio die, dum balbutiens Agilum nominare nititur, nodus, qui jugulo imminebat, abscedit; et protinus officium vocis pristinæ reformatur. B

claudo gressus post confessionem.

23 Rusticus *o* quidam de villa, cui nomen Ulchiis, decennali pedum ægritudine laborabat. Si quando ei eundum erat, testes infirmitatis baculi vicem pedum adhibebantur. Æger iste, suffragante ter beato Agilo, curandum se æstimans, fontem adit, sæpius inde bibit, sæpius lavit corpus, sæpius iteravit preces: verum nulla curatio. Tum unus de fratribus ad illum: Vide (ait) ne quid intra conscientiam lateat, quod non expiarit syncera confessio. Homo ergo seipsum consulens, confitetur se nequaquam puræ confessionis examine purgatum esse. Nec mora: etiam omnia peccata, quorum recordatione mordebatur, profert in lucem. Res memoratu digna. Ipsa hora languor omnis aufugit, et dum mens curatur, corpus quoque curatum est.

uti et puero.

24 Puer Rohardus nomine, quem Bolorria villa Suessionici territorii curandum misit B. Agilo, nunc mihi dicendus est. Huic pedum tumor dolorque arcuerat incessum, et aliquid durum plantis attigisse tumentibus, dolorem auxisse erat. Eum C tamen ardor incolumitatis ad fontem venire jubet. Itur quoquomodo baculis vix firmantibus iter. Modicum viæ actum erat, manus fatigatæ impotes baculos ultra ferre, pedesque amplius tumentes ad facienda vestigia penitus inertes erant. Humi ergo prostratus, cubitis ac genibus nitens, aliquatenus procedebat. Institores quadrupedanti obviant: et agnita viæ causa, devotionem mirati, vehiculum alimentaque impendunt. Hoc modo tandem ad optatum locum pervenitur. Vix unius diei mora ad fontem peracta, puer, pedum tumore ac dolore suppresso, propriis contentum pedibus se ire miratus est.

ANNOTATA.

a *Hæ voces*, aut saltem rabie nescio qua, *desiderantur apud Mabillonium. Adjungi tamen debent, cum magis verisimile sit lupum fuisse rabidum, quam obsessum a dæmone.*

b *Addit editio Mabillonii,* Id ei audaciæ vis instigantis dæmonis conferebat. *Verum rectius hæc absunt a Ms. nostro ob rationem mox datam.*

c *Illa adeo miranda non sunt, cum vulgo notum sit, morsos a cane rabido ad insaniam immedicabilem passim redigi.*

A. ANONYMO.

d *Hisce tribus verbis sequentia substituuntur apud Mabillonium:* Pro dolor! Non evasit commune malum eorum, qui a lupo vulnera acceperant, sed morbo correptus miserabiliter expiravit.

e *Æque dubium apparet, an vera illa fuerit visio, an potius ægræ et de fratris infortunio dolentis somnium.*

f *Barbonam supra adscripsit pago Trecensi.*

g *Additur apud Mabillonium,* veterum seu modernorum.

h *Garganum Apuliæ montem indicat, apparitione et cultu S. Michaelis celebrem.*

i *Prope montem Horeb in Arabia. Factum refertur cap. 3. Exodi.*

k *Vide hanc historiam lib. 4 Regum cap. 5: sequentem vero Joan. cap. 9.*

l *Nullæ ibi erant Sanctorum memoriæ seu ecclesiæ, quia hæc fiebant ante conditum ibidem oratorium, de quo infra.*

m *Lotharii regnum a Lothario rege, Lotharii imperatoris filio, nomen accepit, indeque dicta hodierna Lotharingia, quæ istius regni pars erat.* E *Quam longe Lotharii regnum se extenderit intra Rhenum maxime et Mosam usque ad oceanum Britannicum, fusius docet Valesius in Notitia Galliarum pag. 284 et 285.*

n *Vel Compostellam, vel ad quamdam aliam S. Jacobi ecclesiam minus dissitam.*

o *Hoc, uti et sequens miraculum, rursus omissum apud Mabillonium.*

CAPUT IV.

Duarum meretricum conversio: alia beneficia.

Conversio duarum meretricum:

Jam exigente materiæ textu, duarum meretricum Aalidis scilicet et Emelinæ conversionem modumque conversionis eloqui libet: quarum prior Cantameolæ *a*, altera Colomarii * nata fuit. Imminente igitur die, quo primum ad templum, quod ad fontem B. Agili construebatur, Missarum solemnia agenda erant, hoc est, IV Calendas Augustas: præcedente nocte, inter reliquam populi multitudinem venit et Aalidis corde et habitu meretricio, neque enim, ut ipsa F postea prædicante didicimus, eam ad sanctum locum devotio trahebat, sed impurus quærendi lenonis affectus. Dumque hic et illic amatorem lubricis auspicatur obtutibus, repentina oboritur ægritudo, quæ paulatim tantum accepit virium, ut pene etiam sermonem adimeret. Fratres, qui aderant, persuadent, reatus confiteri, abrenunciare postibulis, mores corrigere. Miscra nutibus et verbis, quibus poterat, assentiebatur. Vertitur interea polus, et vergente lucifero languet hyperboreus glacialis portitor ursæ. Subito nares, os, et aures mulieris rivi sanguinis inundant, et sic ista mulier meritis beatissimi Agili restituta est sanitati *b*.

a

* *forte* Coulomiers *ad Maceram.*

b energumenta sive dæmonio liberata

26 Quædam puella, quæ nuper dæmonis esca fuerat effecta, de villa, quæ dicitur Mons, non sua, sed alterius fide, est potius ejecta quam egressa, et cum diligenti parentum custodia, velut animal silvestre ligata funibus ad sæpe fatum fontem adducitur. (O fons desiderabilis, potando dulcis et currendo agilis, vere ab illo

vivo

A. Anonymo. vivo Fonte es sanctificatus, quem B. Agilus, dum advixit, suo in corpore jugiter portavit.) Et quid plura? Postquam a suis parentibus, in ipsius Sancti ecclesia sub trina noctium excubatione est vigilatum et oratum, mane facto illa limpidissima aqua lavatur, potatur, et confestim ipsa sibi incolumis redditur.

summo omnium gaudio: 27 Fratres, (sicut a summo doctorum Doctore didicimus) hoc genus dæmoniorum, non nisi in oratione et jejunio ejicitur. Sed quoniam brevitate gaudent moderni, studeamus nunc sub silentio dulciter contemplari, quam bene jejunavit noster Agilus et oravit, qui hoc a Domino in ævum promeruit. Denique in majori ecclesia, hoc idem fratribus nuntiatur, qui statim exoccupatis manibus in chorum conveniunt, simulque cum thuribulis odoriferis clara luminaria accenduut, pulsatis omnibus signis, laudes Salvatori debitas cum lacrymis reddunt. Tunc illa clero et populo fit prævia, quæ antea totius plebis objectio fuerat, sicque ore promens jubilos accurrit, et ante altare Protectoris sui se ipsam devote prosternit. Tua sunt hæc, bone Jesu, qui talibus nostras propassiones coherces, ne in passiones B vertantur.

adolescens paralyticus sanatur 28 Permodico deinde temporis spatio peracto, ecce quidam adolescentulus duarum obsequio feminarum illuc defertur, cujus extremam corporis medietatem paralysis dudum damnaverat, quique juxta pontem Resbaci hospitabatur, et de rebus cœnobii, ut pietas exigit, sustentabatur. Hic quia de familia sancti Petri natus, pene cunctis Resbacensibus satis cognitus erat, hujus patrem et matrem et ego novi. Eodem tempore propter hyemem sic inasperato, ut plus de algore pauperi isti quam de infirmitate curandum videretur, domnus Joannes noster monachus ipsius loci custos habebatur, cujus fidem pia opera satis commendabilem reddunt. Nec mora: pauperem exutum pannis propriis sumpsit in ulnis, et ad ipsius fontis balneum secum tulit lavandum. Et cum ab ipso ibidem tertio mergeretur, a quadam insulsa muliere taliter affatus est: Venerande senex, in vanum laboras, impossibile enim est ut ulterius pergere queat. Cujus verba pro nihilo ducens, ac, si non voce, tamen fide proclamans, Omnia possibilia sunt apud Deum, illico quem debilem merserat, simil- C limum mortuo retraxit, et ad sui patroni Agili asylum confugiens ante ipsius altare semivivum projecit.

miro cum populi applausu. 29 O magnæ virtutis miraculum et apostolicis comparandum! Postquam in oratione monachus paululum substitisset, et infirmum pristino calori redditum sensisset, apprehensa ejus dextra, sic ait: Surge in nomine Domini, et in c honore B. Agili. Qui surgens *c* firmiter stetit et * Mab. firmus firmius * ambulare per ecclesiam cœpit. Et quo- d niam insolita res *d* minime latere potuit, volans fama facti contiguos incolas advocavit. Dies quippe Dominica erat et abbatiales campanæ longe lateque resonabant. Innumeri igitur utriusque sexus convenerunt, et eo præeunte ad monasterium properarunt, hæc et his similia concinentes, et ad invicem confereutes: Agile magne pater, tu es princeps et episcopus noster, e tibi enim gloriosus rex Dagobertus *e* sæcularem potestatem in nobis tradidit, et imperio regiæ dignitatis, ne a quolibet temerario abrumpatur, f corroboravit. Tibi quoque S. Faro *f* Meldensis antistes regimen suæ dignitatis in adjacentibus ecclesiæ tuæ parochiis concessit, et, quod majus est, S. Martinus *g* Romanorum Sedis ponti- D fex summus utrumque cum obtestatione et ana- g thematis innodatione *h* confirmavit. Eamus igi- h tur, curramus, et Domino nostro tam clerus quam populus pro his omnibus devotas laudes reddamus. Ipse enim animarum et corporum noster est medicus: ipse nobis omnibus omnia factus. Et cum simplex turba hoc profiteretur: quid nobis agendum erat, qui in capite stare videbamur. Nihil tandem consultius invenire potuimus, quam nostra et eorum vota B. Mariæ et suæ Virginitatis imitatori Agilo commendaremus, ut eorum interventu divinæ Majestati acceptabilia efficerentur *i*.

ANNOTATA.

a *Mabillonius,* Cautamerle. *At hic locus satis certo assignari non potest.*

b *Sanitati corporis et animæ, ut antea insinuavit. Verum et Emclinæ conversionem ibi se narraturum dixit, de qua nec in Ms. quidpiam invenitur, nec apud Mabillonium, ita ut hinc suspicari liceat excidisse quædam miracula.* E

c *Additur apud Mabillonium,* et consolidatis basibus.

d *Apud Mabillonium,* res in sole facta.

e *Pro hisce consule diploma Dagoberti apud Mabillonium tom.* 1 *Annalium pag.* 687.

f *Audi observationem Mabillonii ad hunc locum:* Fulcoius subdiaconus Meldensis in S. Faronis Vita, quam rogatu Gaufridi abbatis S. Crucis metrice composuit, postquam miraculum de reparato altaris lapide scripsit, immunitatis Resbacensis meminit his versibus:

Hæc sanctus pastor cernens miracula Faro,
Libertate locum nota donavit in ævum,
Regis item Papæ confirmans conditione.

g *Haud dubie S. Martinum I designat, qui ad pontificatum promotus anno* 649, *martyr obiit anno* 655, *ut vult Pagius.*

h *Additur apud Mabillonium,* liberalissimo privilegio.

i *Hic desinit editio Mabillonii, addit tamen* etc.

CAPUT V.

F

Reliqua beneficia apud fontem Sancti impetrata.

Manus paralytica vigori restituitur: Verum quoniam B. Agili memoria devotos devotiores reddidit: congruum mihi videtur de ejus insignibus miraculis adhuc aliquid memorare. Primum quidem negligentes, et quæ apud nos facta sunt, nauseantes moneo ut timeant, quia si in Sodomis facta fuissent, etiam illos emendare et corrigere forsan potuissent. Quadam die Dominica, dum eximia Chananeæ fides in ecclesia recitaretur, fide ipsius Sancti et obtentu unus ex servulis ejus hoc modo sanatus est. Quidam filius Petri de Bollevillare illuc advenerat, qui unicam manum et ad omnia inutilem longo tempore gerebat, cumque ipsam in aquam salutiferam aliquantulum lavaret, subito naturalis vigor rediit, et velut virga manuflexa et statim dimissa ad pristinum statum resilivit. Hoc idem consueto more celebramus, excepto quod cujusdam negligentia, choro psallentium sanatus minime interfuit.

31 Scire

A *paralyticus alter aqua fontis ablutus*

31 Scire volentibus paucis intimavimus, quibus virtutibus fons B. Agili in illa hyeme æstuaret. Nunc paucioribus designabimus, quibus insequenti vere floruit. Multa tamen prætermittimus, quia ad majora et recentiora properamus. Nam, qui capitum, aurium, dentium, viscerum, aliorumque membrorum incommoditates, hujus aquæ aspersione medicatas, describere studeret, prius ei tempus quam copia dicendi deficeret. Prænotato siquidem tempore tanto frequentiora signa de talibus facta sunt, quanto in ipso homines abundantius infirmantur. Audiens hujusmodi famam quædam paupercula de Villare *, quæ, ut vicini asserunt, diu in viduali castitate manserat, septimo die Paschæ hac parte direxit iter pro miseriis suis rogatura. Erat enim pupillorum quinque parens, quorum primogenitus ita omnium membrorum erat impotens, ut limen transgredi vel domi suæ sine adjutorio nequiret: hunc nescio quo modo super asinum locavit, et cum domesticis suis vigilandi gratia huc properantibus adduxit. Cum pervenissent, videntibus cunctis, qui ad vesperas Sabbathi convenerant, infirmus sanctificato illo fonte perfunditur, et in ecclesiæ parvo cubiculo collocatur.

* Villers

B *mane sanus reperitur:*

32 Tunc mater, cujus animus circa sobolem semper idem permanet, ubi lacrymose pernoctavit, orans et petens, quatenus suis necessitatibus Dominus consuleret. Quid amplius cunctamur? Circa horam Dominicæ Resurrectionis juvenis se sanum reperit, matre tamen adhuc ignorante. Cumque dies illuceret, et peregrini vociferantes sæpius dicerent: Deus adjuva, Deus adjuva. Eamus, recedamus, non est morandum amplius, vidua proprios vicinos precatur, ut paululum expectarent, et ad reducendum filium auxilium impenderent, et accedens dixit ad eum: Surge, fili, expectant te vicini nostri. Ad quam ille: Dulcissima mater, amodo noli flere, sanus enim factus sum Dei pietate. Quæ respondit: Ergo da honorem Deo, regendo te. Qui mox seipsum induens, et erigens, firmiter stetit. Hæc omnia dominus Joannes diligenter consideravit, et volenti baculum arripere dixit: Dimitte nunc eum, fili, et ad B. Agili altare cito veni. Qui jussa viriliter complens, illudque deosculans tertio circumivit, et sic deinceps sanus permansit. Tum vero omnes peregrini contuentes, et magnificantes Deum, veram B. Agili divulgatam famam C perhibebant. Plane beatus, qui super egenum et pauperem intellexit, imo adhuc sapienter, dulciter et fortiter intellexit. Igitur sæpe satis custos, capitulo convocato rem ab initio exponit. Unde tota hebdomada vidimus fratres in Dei servitio hilariores.

33 Puer quidam annorum circiter quatuordecim, Burgundia oriundus, cui nomen Garnerius erat, apud Resbacum morbo correptus, nervorum in genibus contractionem incurrerat, adeo ut tibiis et calcibus ad nates inflexis, toto fere corpore glomerato, non nisi scabellulis innitendo, per humum reptans, promovere se posset. Et ita per triennium fere se habens, in hospitio pauperum mansitans mendicabat. Hic quorumdam, cum quibus degebat, adhortatione commonitus, ad tumbam S. Agili, in beati Joannis Baptistæ ecclesia *a* sitam, pro illius ætatis sensu, cum bona fide reptando se conferens, genua dolentia atque rigentia ad illam fideliter applicando Dei misericordiam per Sancti suffragium implorabat.

A. Anonymo. *puer, qui convalescere cœperat apud tumbam Sancti,*

apud fontem integre sanatur.

34 Nec mora: sensit genu dextrum a rigore laxari, et pedem cum tibia aliquantulum extendi, et exinde, cum jam morem sibi fecisset illuc frequenter accedere, cœperunt utraque genua dedolescere et laxari, tibiæque protendi, adeo ut post aliquantum temporis ad tumbam, ut solebat, accedens, nullo tunc sustentaculo nixus, seque paululum subrigens circa tumbam ter girando deambulaverit. Verumtamen needum tunc convaluit, nec adhuc sine scabellis nisi perpaululum poterat promoveri, E donec ad basilicam et fontem S. Agili (cui loco præcipua in talibus gratia inesse cognoscitur) salubri unda se provolvens, in majorem membrorum vigorem confortatus est, et sequenti die absque sustentaculo visus est ambulare, maximumque in populo stuporem et gaudium excitavit *b*.

ANNOTATA.

a *In ecclesia parochiali S. Joannis Baptistæ primum fuisse sepultum diximus in Commentario num.* 3.

b *Ex dictis his auctoris num.* 31: Multa tamen prætermittimus, quia ad majora et recentiora properamus, *post quæ duo tantum referuntur miracula, suspicamur plura ab eodem auctore fuisse concripta, quæ incendio monasterii perierint, uti revera illo multos codices periisse testatur Belfortius in subjunctis notis. Scripta autem fuisse plura miracula ipse ibidem confirmat his verbis:* Promiserat mihi unus e Fratribus multa de iis alia lectu digna mittere, tum præsertim repentinæ mortis genus et modum cujusdam viri, qui abbatis secularis præcepto reliquiarum ipsarum nondum combustarum laminas aureas F et argenteas Parisios deferebat aurifabris distrahendas. Sed temporum injuria obstitit. *Neque ad nos plura pervenerunt, ut finem hic facere cogamur.*



DE

DE S. FIACRIO EREMITA CONF.

IN TERRITORIO MELDENSI IN GALLIA

J S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Celeberrimus Sancti cultus ex frequentia miraculorum ortus.

Seculo VII. Nomen Sancti in Fastis,

Quamquam S. Fiacrius *miraculorum gloria inclaruit a seculo saltem nono, indeque veneratio ejus evasit celeberrima, ut videbimus; nulla tamen de eo sit mentio apud martyrologos antiquiores: quod accidisse suspicamur, quia Acta ejus aut scripta necdum erant, aut prorsus erant ignota. Nomen quidem hujus Sancti reperitur in variis codicibus Usuardinis tum Mss., tum impressis, quemadmodum videre est in Usuardo Sollerii nostri ad* XXX *Augusti, et ad* III *ejusdem mensis, sed illæ annuntiationes Usuardo postea sunt adjectæ, nescimus quo tempore. Unam ex iis omnibus accipe. Codex reginæ Sueciæ signatus num* 428 *sic habet :* In pago Meldensi, beati Fiacrii confessoris, viri vita et miraculis gloriosi. *Florarium nostrum Sanctorum Ms., cujus auctor floruit seculo* XV, *ad eumdem diem* XXX *Augusti*, S. Fiacrium *memorat his verbis :* Item sancti Fiacrii confessoris et heremitæ, ad cujus tumulum quasi continue fiunt gloriosa miracula. *Brevius eo die Martyrologium Romanum :* In territorio Meldensi sancti Fiacrii confessoris.

crebra miracula,

2 *Gloriam Sancti posthumam magis illustrat Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad dictum diem, ubi, postquam gesta ejus ex mente quorumdam recentiorum narraverat, prosequitur hunc in modum :* Innumeris in tumulo claruit miraculis, quæ cum frequentia ad ejus sepulcrum edantur, perpeti devotorum clientum concursu pollet memori ejus celebris. Nec ibi modo, ubi Deo famulatus est et quievit Vir divinus, fulgent meritorum ejus insignia : quæ etiam, postquam corpus ejus Meldas ad sanctum Pharonem delatum fuit, illic perennia perstiterunt : sed et in parthenona Hederensi Parisiensis agri, ubi in Dei Genitricis templi cœnobitico sacrario maxilla ejus in decoro lipsanodochio, quod imago ejus in profert in manibus, condecenti cultu asservatur, iisque rutilat gloriosis virtutum coruscationibus, quæ celebrem ibidem illius et memoriam et festivitatis diem reddiderunt; confluentibus undique devotis supplicibus, qui eum benignum sibi suffragatorem interpellantes, ibidem opitulatorem experiuntur. Usu enim hactenus compertum est, si quis tantillum aquæ, in quam immergitur sacrum pignus, morbo quocumque laborat, eum fide infuderit, optatam continuo medelam consequi beati Confessoris virtute : qua et aqua ipsa, quæ hac benedictione donatur, ad longos annos limpida manet, suavis ac incorrupta.

oratorium ejus peregrinationum

3 *Oratorium, quod Sanctus construxit, et sepultus miraculis illustravit, quod in prioratum Ordinis Benedictini deinde excrevit, describit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis sui seculo* 2 *pag.* 600 *his verbis :* S. Fiacrii cella seu monasterium, tertio fere milliari a civitate Meldica distans, est prioratus monasterio S. Faronis subjectus, a nostris excultus : ubi ob pias fidelium peregrinationes vicus ejusdem Sancti nomine insignitus accrevit. *Cultum* S. Fiacrii *antiquum ibi esse, colligitur ex iis, quæ mox subjungit :* Locum illum, *inquit*, a S. Fiacrii ævo paullulum neglectum, et justo monachorum numero destitutum, restituit Adam Faronianus abbas, ut patet ex his ejus litteris anno MCCCXIII scriptis. *Illas recitat hac modo :* Frater Adam Divina permissione monasterii S. Faronis Ord. S. Benedicti abbas humilis, totusque ejusdem loci conventus devotus, æternam in Christo salutem. Ut in nostro prioratu de S. Fiacrio Meldensis diœcesis Deus et Dominus noster Jesus Christus, sacratissima ejus Genitrix Maria, omnesque Sancti ejus, et præcipue beatus ille confessor Fiacrius devotius, celebrius, et solemnius honorentur, ibique divinus cultus, quem cordis desiderio desideramus augeri, per nos nostris temporibus augeatur; nos in nostro capitulo congregati, habito super hoc diligenti tractatu, cum deliberatione provida dignum duximus ordinandum, quod deinceps in prioratu nostro prædicto novem monachi, de gremio tamen nostri monasterii, ibidem divinis obsequiis mancipati, et una cum eis unus conversus et una conversa, qui eorum insistant obsequiis sub habitu regulari, per priorem, qui denarium numerum faciet (quem abbas dicti nostri monasterii de ipsius monasterii gremio instituet et eis præficiet) sub regularibus disciplinis et observantiis nostri Ordinis gubernando continue resideant, noctu dieque, sicut in nostro monasterio consuetum est fieri, Domino famulantes. . . Volumus et etiam ordinamus, quod prior prædictus pro se et aliis personis prædictis ad opus sustentationis ipsorum una cum antiquis ipsius prioratus reditibus, proventibus et juribus, habeat et possideat et percipiat in futurum omnes et singulas oblationes, quæ prætextu et reverentia capitis gloriosi prædicti confessoris et alias in ecclesia ipsius Sancti de cetero fient. *Veneratio Sancti ab illo tempore magnum haud dubie incrementum sumpsit, eaque ad nostra usque tempora non interrupta perseveravit.*

et miraculorum gloria insigne,

4 *Certe laudatus Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 344 *initio seculi nostri de his scripsit sequentia :* Hunc (Fiacrium) laudant Hildegarius in libro de Vita sancti Faronis, ac Fulcoius poeta et subdiaconus Meldensis, atque ambo Meldicam provinciam ejus signis ac miraculis clarescere ac florere testantur. Sane vix ullus alius etiam

A etiam nunc celebrior miraculorum patrator in Gallia; vix ullus alius locus amplius frequentatus a peregrinis, qui istuc voti causa undique confluunt, id est, in Briolense ejus oratorium, sancti Fiacrii jam dudum appellatum, tametsi ejus corpus, superiori Calvinistarum furente tempestate, in majorem ecclesiam Meldensem translatum sit, nec umquam inde extorqueri a canonicis potuerit. *Quo autem in morbo opem* S. Fiacrii *maxime implorent Galli, exponit Mabillonius in Actis loco mox assignato num.* 13 *his verbis*: Quamvis S. Fiacrium in quibusvis morbis patronum invocent, auxiliaremque experiantur Galli; præcipue tamen visco laborentes quos viscosos appellant, curare consuevit. Hinc affectionem illam vulgari nomine LE FIX DE S. FIACRE, hoc est, VISCUM S. FIACRII nuncupant. Viscus, cancri genus, carnosis partibus adhærere solitus, primo quidem calli instar durescit: postea callus in pus conversus, proximas partes sensim depascitur. *Hæc generatim de miraculis Sancti, quorum* B *aliqua narrabuntur inferius.*

Cultus late per Galliam diffusus:

5 *Ex tanta miraculorum gloria cultus* S. Fiacrii *longe lateque per Galliam diffusus.* Varia, *inquit laudatus Mabillonius num.* 15, ubique locorum in Gallia habet idem Sanctus oratoria, in quibus ob crebra miracula honoratur. *Et in Annalibus pag.* 344: Multæ ubique Galliarum ecclesiæ et plura oratoria in sancti Fiacrii honorem condita sunt. *Hinc Officium de* S. Fiacrio, *aut commemoratio de eodem, multis Galliæ Breviariis ad* XXX *Augusti est insertum. Verum, cum in Officiis istis compendio legantur ea, quæ infra edemus pro Actis, nihil attinet quidquam ex illis hic recitare. Lubet tamen attexere rhythmum satis eleganter compositum, in quo exprimuntur omnia fere, quæ de Sancti gestis referuntur. Edidit illum Thomas Messingamus in Florilegio insulæ Sanctorum pag.* 392, *ubi de eodem sic præfatur*: Videatur et antiqua membrana apud S. Maturinum Trinitariorum Parisiis in sacello ejusdem Sancti in tabula ad parietem appensa, in qua legitur eadem prorsus Sequentia, quæ sequitur, et inveniri potest explicata apud Jodocum Clichthoveum in suo Elu- C cidario ecclesiastico.

rhythmus, in quo habentur pleraque,

6 *Deinde sub hoc titulo,* Sequentia de sancto Fiacrio confessore, ex ejus Officio ecclesiastico desumpta, *rhythmum recitat sed mendis aliquot conspersum. Correctior idem rhythmus habetur in codice nostro Ms., infra memorando, ex quo illum lectorum oculis subjicio:*

Lucernæ novæ specula
Illustratur Hibernia,
Coruscat Meldis insula,
Tantæ lucis præsentia.
Illa misit Fiacrium,
Hæc missum habet radium,
Habent commune gaudium,
Hæc Patrem, illa Filium.
Ad vitam solitariam
Suspirans exit patriam,
Faronem Meldis reperit,
Cui suum votum aperit.
Hunc loco solitario
Locat in solo proprio,
Sic fit Joannis similis,
Cultor deserti sterilis.
Dum locum signat baculo,
Novo nemus miraculo
Tamquam cæsum dejicitur,
Humo non fossa cingitur.
Sic sancti Viri meritum
Loci dilatat ambitum,
Res innotescit fœminæ,
Accusat * ut de crimine.
Dampnat opus malefici,
Diffamat artem magici,
Præsentandus hic præsidi,
Lassus insedit lapidi.
Lapis cedit nec cæditur,
Petræ sedes insculpitur,
Et * fœminæ nequitia
Petræ major duritia:

quæ narrantur de Sancti gestis:

7 Orat ne loci limina
Immunis intret fœmina.
Hæc est causa cur fœminæ
Arceantur ejus limine.
Hic miseris refugium,
Infirmis refrigerium,
Peregrinis hospitium,
Spes lapsis, mœstis gaudium.
Vitam arctat jejunio,
Somno brevi, cilicio,
Se dum occultat latebris,
Mundo fit magis celebris. E
Virtutum fulget titulis,
Medetur cæcis oculis,
Polypo, fico, calculis,
Febribus, morbis singulis.
Fidentem in Fiacrio
Nulla lædet corruptio,
Pia cujus devotio
Purgat ab omni vitio. Amen.

* al. recusat

* al O

cultus ejusdem Sancti multis aliis locis:

8 *Hactenus egimus de celebritate* S. Fiacrii *in Gallia, in qua vivens virtutibus ac defunctus miraculis eluxit. Angli quoque hunc Sanctum in Martyrologiis suis celebrant, et vel maxime Scoti et Hiberni, qui de ejus natalibus inter se contendunt. Martyrologium Anglicanum in prolixo satis elogio inter alia memorat sacellum* S. Fiacrio *constructum Audomaropoli in Artesia, illucque magno celebrari hominum concursu. David Camerarius et Thomas Dempsterus Scotiæ suæ Sanctum adscribunt, et Eugenii IV Scotiæ regis dicunt filium. In Breviario Ms. ecclesiæ Aberdonensis in Scotia exstat Officium ejusdem Sancti, ex quo infra adducemus aliqua. In catalogis vero Sanctorum Hiberniæ, quos multos præ manibus habeo, passim recensetur* S. Fiacrius, *ut* F *oriundus ex Hibernia. Nicolaus Antoninus O Kenny Missas proprias Sanctorum Hibernorum collegit, ac Parisiis anno* 1734 *imprimi curavit. Inter has* XXX *Augusti ponitur Missa* S. Fiacrii confessoris, Hyberniæ principis, ecclesiæ et diœcesis Meldensis in Gallia patroni generalis.

rhythmus alius,

9 *Missa autem illa ante Evangelium continet hymnum, quo certiora Sancti nostri gesta eleganter exprimuntur hunc in modum:*

Nunc festivæ sonent laudes,
Nunc et sacræ plaudant ædes
Celebri Fiacrio.
Subjacentes linquit terras,
In cœlestes fertur oras
Sinu Dei pervio.
Clara quondam stirpe natus,
Res terrenas aspernatus,
Mundi migrat transfuga.
Sed et opes abnegavit,
Et honores conculcavit
Auri manu prodiga.
In secessum dum flagrabat,
Dum in umbras anhelabat,
Excipit hunc Gallia.

Nudis

AUCTORE J. S.

Nudis quoque ministrantem,
Et ægrotos sublevantem
Suscepit Lutetia.
Ad Faronem venerandum,
Mox se præbens imbuendum,
Tyro Christi properat.
Spem pastoris tunc Alumnus,
Ardens votis Deo plenus,
Gressu gygas properat *.
Illibato fit pudore,
Indefesso fit amore,
Par beatis mentibus.
Fugitivus suos amat,
Sibi durus membra domat
Asperis laboribus.

* forte superat

10 O Vir magne, delitescis,
Inter silvas ac splendescis
Jubar admirabile.
Late nomen illustratur,
Manus tua declaratur,
Jus ineluctabile.
Huc vicina plebs currit *,
Peregrinus huc accurrit
Inhians spectaculo.
Hic colonos edocebas,
Hic curabas, hic pascebas
Vili sub umbraculo.
Numquam vacas, terram fodis,
Cœlo gaudes mille modis
Te super assurgere.
Divæ Matri structo templo,
Gentem verbis et exemplo
Sursum mones tendere.
Cœli palma te regali
Tandem Christus immortali
Cingit diademate.
Sub sepulcbro micas signis,
Morbos fugat vis insignis,
Vires patent redditæ.
O Fiacri, qui latendo,
Qui secessu te profundo,
Sic obscuras fugiendo,
Fac nos mundum spernere:
Junge Christo, quem amasti,
Vitæ leges, quas servasti,
Fac tenere; quam intrasti,
Gloriam perquirere. Amen.

in quo narrantur solum gesta certiora.

* f. recurrit vel concurrit

B

§ II. Elevatio Sacri corporis et translationes aliquæ: reliquiæ variis locis in veneratione habitæ.

Corpus S. Fiacrii, quod diu in primo sepulcro mansit.

Laudatus sæpe Mabillonius seculo 2 Actorum pag. 601 *illustrat ea, quæ spectant ad reliquias* S. Fiacrii, *atque ita scribit:* Quod attinet ad ejusdem Sancti reliquias, sacrum ejus corpus in proprio oratorio mansit ad annum MDLXII, quo ob Calvinistarum furorem in civitatem Meldas delatum, in majori S. Stephani ecclesia repositum est *: quamvis fidelium concursus locum Sancti vestigiis et conversatione consecratum frequentare non desinit. *Verumtamen sacrum corpus non semper ibi fuit immotum, sed elevatum solemniter est anno* 1234 *per Petrum de Cuisy Meldensem episcopum, separatumque a corpore brachium in agmine supplicantium circumlatum. Erravit Mabillonius, quem et alii secuti sunt, dum episcopum illum nominavit* Philippum: *at errorem correxit Toussanus du Plessis in Historia ecclesiæ Meldensis tom.* I, *pag.* 214, *ubi docet corpus elevatum a Petro episcopo, petente Raynaldo abbate Faroniano ejusque monachis. Res tota colligitur ex litteris laudati Petri episcopi, datis anno* 1237, *quando summus Pontifex Gregorius IX indulgentias concesserat in die anniversario dictæ translationis. Litteras istas cum insertis Gregorii litteris edidit laudatus du Plessis tom.* 2, *pag.* 133 *hunc in modum:* D

* id factum anno 1568

elevatum ac circumlatum anno 1234,

12 P. Dei gratia Meldensis episcopus omnibus decanis, presbyteris, et cæteris ecclesiarum prælatis in Meldensi diœcesi constitutis salutem in Domino. Noveritis nos indulgentiam domini Papæ de verbo ad verbum diligenter inspexisse sub hac forma: " Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Faronis Meldensis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, etc. . . . Cupientes igitur, ut ecclesia beati Fiacrii, quam ad monasterium vestrum pertinere asseritis, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus et E confessis, qui in anniversario translationis corporis ejusdem Sancti et usque ad octavas ipsius dictam ecclesiam venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia . . . viginti dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani quarto Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno decimo ". Nos vero qui ab Incarnatione Domini anno MCCXXXIV, die festo S. Trinitatis, corpus gloriosissimi confessoris S. Fiacrii de voluntate et petitione religiosorum virorum abbatis et conventus S. Faronis Meldensis, quibus subest ecclesia dicti Sancti, divino invocato auxilio levavimus, et dicti gloriosissimi Confessoris brachium, in vase honorifico repositum, in pratis subtus villam dicti S. Fiacrii deferri fecimus et ostendi, et ibidem universis Christi fidelibus, qui ad hoc apud dictum locum devote convenerant, verbum Domini nunciari, et indulgentiam et remissionem suorum eisdem in multa parte, quantum in nobis erat, concessimus peccaminum; de voluntate et assensu dictorum religiosorum abbatis et conventus ordinamus in hunc modum; quod caput gloriosissimi Confessoris singulis annis anno revoluto in die F festo S. Trinitatis ad locum memoratum processionaliter deferatur, et ibidem cunctis astantibus ostendatur. Et nos de omnipotentis Dei misericordia, et B. Mariæ Virginis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et B. Stephani protomartyris, et omnium Sanctorum meritis et intercessione confisi, licet immeriti, omnibus illis, qui ad dictum locum dicta die S. Trinitatis et usque ad diem octavam translationis ejusdem ad videndum caput dicti gloriosissimi confessoris S. Fiacrii, et ad audiendum verbum divinum pie et devote cum oblationibus suis convenerint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis, peccata oblita, vota fracta, si ad ea redierint, offensionem patrum et matrum sine manuum injectione, quantum in nobis est, misericorditer relaxamus; et universis vobis mandamus, quatenus omnia præmissa, quotiescumque ex parte prædictorum abbatis et conventus S. Faronis Meldensis fueritis requisiti, in ecclesiis vestris solenniter publicetis. Datum anno Domini MCCXXXVII mense Maio.

impositum deinde thecæ argenteæ cum corpore S. Chilleni,

13 *Pretiosam thecam* S. Fiacrio *compositam esse post medium seculi* XV, *colligitur ex apocha viduæ Petri le Maistre aurifabri, quam profert du*

A *du Plessis tom. 2, pag.* 259. *Data est illa anno* 1468, *agnoscitque dicta vidua sibi* a monachis, priore et conventu S. Fiacrii *solutum esse reliquum ex magna pecuniæ summa, quæ marito suo aurifabro fuerat debita, quod majori ex parte fabricasset arcam* S. Fiacrii. *Ornatum hujus arcæ auxit Ludovicus XI Galliarum rex, teste Spondano ad annum* 1478 *num.* 21, *ubi sic habet :* In Gallia rex Ludovicus . . . sacram corporis S. Fiacrii thecam argento cooperuit. *Laudatus sæpe Plessius in Historia tom.* 1, *pag.* 319 *arcam hanc ejusque ornatum describit latius, et pag.* 320 *adjungit, Ludovicum de Melun Meldensem episcopum, ubi de* VI *Junii anni* 1479 *reliquias* S. Fiacrii *et S. Chilleni in duabus thecis ligneis separatis transtulerat, utramque thecam ligneam huic uni argenteæ imposuisse. Hanc vero instauratam deinde jussu Ludovici XIII, novisque ornamentis decoratam, videbimus infra.*

translatum anno 1568 ad cathedralem Meldensem :

14 *Porro qua de causa pretiosissimum Sancti corpus anno* 1568 *ad ecclesiam cathedralem fuerit translatum, exponit Plessius pag.* 372. *Cum diœcesis Meldensis multa pateretur a Calvinistis, qui in Sanctorum reliquias immani debacchabantur odio, videbant monachi* S. Fiacrii *corpus in* B *magno fore periculo, si illud in oratorio ejus relinqueretur extra urbem. Jam anno* 1557, XXVIII *Decembris furto ablatum erat Sancti caput, quod numquam deinde fuit inventum. Hinc anno* 1565, *cum novorum motuum urgeret timor, corpus in tugurio quodam absconderunt : idem deinde transtulerunt ad castrum de Villemareuil. Demum, cum canonicus quidam Meldensis persuasisset monachis, corpus nullibi tutius servari posse quam in ipsa ecclesia cathedrali Meldensi, illudque restituendum promitteret, ubi turbæ essent sedatæ ; sacrum illud depositum canonicis Meldensibus traditum est anno* 1568, *mense Septembri, ibique in medio chori tantisper locatum, donec parata esset pyramis, cui impositum est supra sacellum S. Blasii post summum altare. Hæc Plessius loco assignato et in annotatis pag.* 684 *ex monumentis diversis, additque mansisse ibidem sacrum corpus, etiamsi frequenter illud repetierint Benedictini.*

reserata sæpius theca, et reliquiæ aliis datæ :

15 *Anno* 1627, XVI *Octobris, teste Plessio pag.* 684, *non* VI *Octobris, ut habet Mabillonius, Joannes de Belleau Meldensis antistes* reseravit C thecam S. Fiacrii, ex qua protulit reliquiarum portionem Hetruriæ duci concessam : qui dux in ditione sua egregium templum S. Fiacrio erexisse dicitur, *inquit Mabillonius. Impetratas has reliquias per Mariam de Medicis Franciæ reginam, aliasque anno* 1695 *ab illustrissimo Bossuetio concessas magno Etruriæ duci, observat Plessius pag.* 56, *docens ecclesiam* S *Fiacrio constructam in villa magni ducis, quæ* Toppaïa *nominatur. Anno* 1637 *thecam rursus aperuit laudatus præsul Joannes de Belleau, ut vertebram donaret Cardinali Richelio, eaque occasione modicam particulam impetrarunt Benedictini* S. Fiacrii, *uti habet Plessius pag.* 373. *Anno* 1643, *cum Ludovicus XIII Francorum rex, qui mira pietate venerabatur reliquias* S. Fiacrii, *supremo decumberet morbo, eidem particulam misit Dominicus Seguier tunc Meldensis episcopus, teste rursus Plessio pag.* 373. *Rex vero, qui eodem anno defunctus est, testamento legavit duodecim millia nummorum aureorum, ut theca Sancti magnificentius exornaretur.*

16 *Factum id anno* 1646, *curante episcopo mox laudato, uti intelligimus ex ejusdem litteris Gallicis apud Plessium tom.* 2, *pag.* 365 *et sequentibus. Pauca ex illis compendio accipe. Illustrissimus antistes, accepta memorata pecunia, anno* 1646, *die* III *Januarii arcam argenteam deauratam ex pyramide, in qua erat collocata, deposuit, assistentibus præcipuis personis urbis Meldensis cum ecclesiasticis tum secularibus. Depositam, concinentibus clericis hymnum* ISTE CONFESSOR, *transtulit ad sacrarium, ubi viderunt variis locis ruptam esse. Aperta hac arca, extraxit antistes duas thecas minores ligneas, in quarum altera repererunt ossa* S. Fiacrii, *quæ erant* pulchra, sana, nitida et sine corruptione, involutaque serico multitio * viridi, substrato mantili candido : *in altera vero ossa S. Chilleni eodem modo involuta et incorrupta. Deinde sacræ reliquiæ in alia arca depositæ sunt loco tuto, dum arca argentea instauraretur atque ornaretur magnificentissime. Ubi hæc refecta erat et exornata, antistes die Sabbati* XXIX *Septembris, præsentibus rursum canonicis et optimatibus, sacra ossa in priorem hanc arcam debita cum veneratione reposuit, institutaque die sequenti per urbem solemni supplicatione, arcam circumlatam rursum in eadem pyramide deposuit, in qua* E *eam positam fuisse supra diximus. Mansit ibidem in sacello S. Blasii usque ad annum* 1723, *quo translata est ad aliud ejusdem ecclesiæ sacellum beatæ Virgini sacrum, ut habet Plessius pag.* 373.

AUCTORE J. S

reliquiæ ex arca extractæ, ut illa magnificentius ornaretur, in eaque rursum depositæ :

* taffetas

vertebra concessa monachis S. Friacrii,

17 *Idem episcopus anno* 1649 *aliquid reliquiarum donavit monachis* S. Fiacrii, *qui totum corpus sæpe repetierant.* Vertebram dorsi esse, *ait Mabillonius in Actis tom.* 2, *pag.* 601. *Accipe ipsius antistitis ea de re litteras, quas ex tabulario monasterii* S. Fiacrii *edidit Plessius tom.* 2. *pag.* 375 *hunc in modum :* Dominicus Seguier, Dei, et sanctæ Sedis apostolicæ gratia Meldensis episcopus etc. . . Notum facimus et attestamur, nos particulam de corpore S Fiacrii, in sua pretiosissima et ditissima theca seu capsa in insigni nostra et cathedrali ecclesia Meldensi recondito, ac devotissime asservato et honorato, extractam et depromptam, nec non capsulam argenteam deauratam, crystallisque ornatam, et per duas figuras angelorum etiam argenteas deauratas deportatam, in qua inclusa est dicta particula, donavisse et concessisse monasterio et ecclesiæ S. Fiacrii, Ordinis S. Benedicti, nostræ Meldensis diœcesis, ut inibi . . . a Religiosis dicti monasterii, Christi fidelibus, et peregrinis eo F undique affluentibus semper colatur, sitque perpetuum memoris nostri animi pignus, ob receptam sæpius in gravibus morbis S. Fiacrii meritis salutarem opem. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscripsimus etc. Datum apud sanctum Fiacrium decima tertia mensis Junii, anno Domini MDCXLIX. *Has reliquias eo solemniter delatas fuisse ab ipso episcopo, comitante supplicantium agmine, testatur Plessius tom.* 1, *pag.* 429.

atque aliæ Sancti reliquiæ variis locis servatæ.

18 *Aliis quoque diversis temporibus concessæ fuerunt ejusdem Sancti reliquiæ, de quibus pauca subjungo. Jam seculo* XV *mentum* S. Fiacrii *erat in ecclesia prioratus Montis Louveti, Ordinis Benedictini, ut fidem facit Joannes Cardinalis et Andegavensis episcopus in litteris, in gratiam monasterii* S. Fiacrii *anno* 1468 *datis, editisque a Plessio tom.* 2, *pag.* 259. *Quippe, ubi asseruerat corpus servari in ecclesia ipsius* S. Fiacrii, *hæc addit :* dempta solum quadam parte capitis ejusdem, videlicet mento, in capella de Monte Louveti, Rothomagensis diœcesis. *Plessius tom.* 1, *pag.* 373, *post varia, quæ ex ipso narravimus,*

AUCTORE J. S. — Faremoutier

narravimus, hæc subdit Gallice : Demum abbatia S. Faronis *(Meldis,)* abbatia S. Faræ * *(in diœcesi Meldensi)* aliæque ecclesiæ ex illis (S. Fiacrii *reliquiis)* aliquid obtinuerunt diversis temporibus. *Arnoldus Rayssius in Gazophylacio Belgico pag.* 441 *Sancti nostri reliquias assignat Planciaco, vico prope Duacum, qui vulgo* Planq *dicitur. Verba ejus subjungo :* Planciaci prope Duacum, commonstrantur notabiles corporis partes sancti Fiacrii confessoris et eremitæ signis et virtutibus clari, qui claruit anno DCXL : ad quas fit frequens populi concursus, præcipue ab iis, qui gravissima hæmorroïde corripiuntur. *Idem auctor pag.* 190 *inter sacra pignora, quæ habentur Duaci apud Prædicatores, recenset* reliquias S. Fiacrii eremitæ et confessoris : *et pag.* 118 *inter reliquias abbatiæ Blangiacensis, Ordinis Benedictini in Artesia, numerat* ossicula sancti confessoris Fiacrii. *Non dubito, quin et aliæ in veneratione sint locis aliis.*

B

§ III. Acta Sancti qualia : referuntur et discutiuntur, quæ de eo leguntur apud scriptores recentiores : inquiritur, quo circiter tempore floruerit et obierit Sanctus.

Acta ex codice Ms. edenda,

Acta S. Fiacrii *habemus manuscripta in codice proprio et aliunde transmissa. Verum et auctor illorum est anonymus et adeo ab ætate Sancti videtur fuisse remotus, ut in iis, quæ de gestis ejus referuntur, parum auctoritatis esse, libenter agnoscamus. Miracula tamen, quæ in Mss. nostris post Vitam narrantur, omnino credibilia sunt, et ex monumentis antiquioribus deprompta videntur, aut a scriptoribus synchronis exarata. Codex noster, qui notatur* † *Ms.* 88, *totus de* S. Fiacrio. *Præfatio ad Vitam est elogium Sancti bene longum, oratorie magis quam historice compositum. Huic subjungitur Vita historice utcumque conscripta, et antiquioris auctoris, quam sit præfatio, ut ex postremis præfationis* C *verbis facile colligitur. Vitæ subjunguntur miracula, ac demum Officium et Missa, quæ ex hac Sancti Vita sunt composita, aut forsan ex Actis antiquioribus, ex quibus hæc ipsa Vita potuit esse collecta. Quidquid sit, certe hymni Officii et Missæ eadem de gestis* S. Fiacrii *continent, quæ refert hæc Vita. Congruit etiam hæc Vita cum illa, quam edidit Surius ad* XXX *Augusti, quamque recudit Mabillonius tom.* 2, *pag.* 599, *nisi quod nostra sit prolixior et multo plura contineat miracula, ita ut Suriana hujus appareat compendium. Hanc igitur Vitam, cujus etiam habemus apographum, in quo menda aliquot sunt correcta, edemus ut ceteris meliorem, eamque conferemus cum Suriana et Mss. jam memorandis.*

Acta alia Mss.

20 *Alia* S. Fiacrii *Acta ex Ms. codice Divionensi huc transmisit Chiffletius noster. Vitam hæc continent et miracula partim eadem, quæ in nostro sunt Ms., partim diversa, quæ Divione in sacello ducis Burgundiæ patrata sunt. Vitam et miracula ejusdem Sancti transcripsit ipse Papebrochius ex Ms. Domini le Maire, si recte lego, nam vox ambigue scripta est. Hæ duæ Vitæ a prima dissentiunt maxime in duobus ; nimirum quod velint* Fiacrium *regali Scotorum sanguine genitum, et discipulos eidem attribuant in eremo : de quibus mox agemus. Vitas hasce edere non est necesse : at miracula, quæ in illis leguntur narrata, et prætermissa in Ms. nostro, subjungam post miracula ex prima Vita inferius edenda. Nunc progrediemur ad elucidanda ea, quæ in gestis* S. Fiacrii *occurrunt dubia.* D

Aliqui putant Sanctum nostrum proprio nomine Fefrum fuisse dictum,

21 *De ipso Sancti nomine dubitatio aliqua exoritur : varii enim, auctorem secuti Mabillonium,* Fefrum *nomine proprio vocatum volunt, non* Fiacrium, *quod nomen non nisi post annum millesimum contendunt Sancto datum. Ratio illorum est, quod* Fefrus *vocetur ab auctore Vitæ S. Faronis, quem Hildegarium dicunt Meldensem episcopum, seculi* IX *scriptorem, et a Fulcoïo poeta seculi* XI, *quorum verba dabimus inferius. Audi Mabillonium pag.* 598, *ubi adductis Hildegarii verbis hæc subjungit :* Hic notanda occurrunt nonnulla. Primum, S. FIACRIUM quondam FEFRUM fuisse vocatum : quo nomine etiam Fulcoïus Belvacensis, subdiaconus Meldicensis eum appellat in Vita sancti Faronis seculo XI metrice edita . . . Nomen FEFRI in FIACRIUM ob vocis prioris asperitatem mutatum putamus, quod in aliis sanctis Hibernicis contigit. Sic S. FRIGORIUS socius Caidoci, qui ambo S. Richarium ad sanctiorem vitam adduxerunt, ob rictum vocis nomen accepit HADRIANUS. *Hisce de antiquo Sancti nomine subscripserunt varii, interque eos Plessius, qui pag.* 53 *affirmat nomine Hibernico* Fefrum *fuisse dictum, at in Gallia ab octingentis annis* Fiacrii *nomine innotuisse.* E

quod nobis apparet minus probabile,

22 *Verumtamen non video, cur ob auctoritatem duorum scriptorum, quorum primus Sancto nostro ducentis fere annis posterior est, continuo credere debeamus nomen Sancti nostri* Fefrum *fuisse, et non* Fiacrium, *cum alii omnes* Fiacrium *nominarint. Quippe incredibile videtur, nomen Sancti, qui miraculis diu floruerat et innotuerat, ita universim mutari potuisse apud omnes scriptores, ut prius nomen omnino fuerit abolitum, idemque Sanctus, qui post mortem aliquot seculis* Fefrus *fuerat nominatus, deinde a Gallis, Scotis, Hibernis, cunctisque demum gentibus* Fiacrius *vocaretur : atque ita quidem, ut nullus de mutato nomine meminerit ante Mabillonium. Accedit, quod* Fiacrius *nomen sit satis usitatum apud Hibernos, non item* Fefrus. F *Nec rationes Mabillonii magnopere urgent. Quippe quod dicitur de vocis* Fefrus *duritia, frivolum etiam videtur Plessio, etiamsi ejus opinionem sit secutus. Imo illa mutatio nominis* Fefri *in* Fiacrium *contraria est usui Gallorum, qui nomina Sanctorum in idiomate suo non solent longiora facere, sed breviora. Quod adfertur de S. Frigorio, qui* nomen accepit HADRIANUS, *simile non est : neque enim S. Frigorius ita passim* Hadrianus *vocatur, ut verum nomen sit abolitum.*

et sine sufficienti fundamento assertum.

23 *Hinc magis existimo nomen* Fiacrii *proprium esse Sancto nostro : sic enim in omnibus antiquis orationibus, hymnis, Officiis et Actis vocatur, uti et in Chronico S. Dionysii infra adducendo. Quod spectat ad nomen* Fefri *(si illud ex vitio transcribentium ortum non sit, nam in alia Vita S. Faronis apud nos Ms.* Festus *habetur,) suspicor illud exortum ex vulgari Gallorum appellatione, quam duo laudati scriptores forsan exprimere voluerint Latina terminatione, quod illo tempore vulgare nomen magis esset usitatum. Quidquid sit, idem est Sanctus, qui* Fefrus *nominatur a duobus scriptoribus memoratis (certe prout editi sunt a Mabillonio) quique ab aliis omnibus*

A *omnibus dicitur* Fiacrius, *uti et prioratus Sancti jam vocabatur* S. Fiacrii *seculo* XI *apud Plessium tom.* 2, *pag.* 15, *imo et vicus ibidem exortus.*

Patria Sancti vel Scotia vel Hibernia: quid Scoti tradant de ejus natalibus:

24 *De patria* S. Fiacrii *contendunt inter se Scoti et Hiberni, dum utrique suum esse volunt. Hiberniæ, quæ olim* Scotia *dicebatur,* Fiacrium *attribuunt plures scriptores Galli: at fateor argumenta mihi ad manum non esse, quibus rem satis certo stabilire possim. Audiamus tamen, quæ de Sancto nostro commemorent auctores Scoti. Hector Boëthius Scotorum Historiæ lib.* 9, *pag.* 173 *Eugenii IV Scotorum regis filium esse asserit, atque hæc de eo scribit:* Eugenio in regnum Scotorum successit filius ejus Ferquhardus. Tres enim Eugenio fuere liberi virilis sexus, Ferquhardus, Fiacrius, et Donevaldus. Hi a patre sanctissimo episcopo Sodorensi Connano moribus ac literis instituendi traditi, haud undequaque præceptoris monitis obtemperarunt. Ferquhardus ac Donevaldus præsulem et docentem literas et recta monentem libentes quidem audiere: verum regio tumentes stemmate, tanta animi decoramenta, veluti parum profutura regnantibus, B haud ex animo sunt complexi. Fiacrius pontificem saluberrimum et continentiæ et parsimoniæ exemplar studio imitatus, consilium concepit omnis humani fastigii dimittendi, concedendique aliquo, ubi procul ab hominum frequentia secum gereret bellum, talique sancto conflictu Christo perpetuo militaret. *Joannes Leslæus lib.* 4 *de Rebus gestis Scotorum in Eugenio IV eadem fere habet, sed brevius: atque hisce assentiuntur alii passim Scoti. Hiberni autem ut falsa hæc rejiciunt. Galli vero, ut Mabillonius, Plessius, atque etiam Cointius ad annum* 652 *num.* 54, *narrant tamquam incerta. Sane, ut natales* Fiacrii, *ejusque educatio, sicut referuntur a Boëthio, satis apparerent certa, antiquiora alleganda essent instrumenta, cum ne in Actis quidem, quæ edituri sumus, de iis quidquam habeatur; sed in illis dicatur* nobilibus ortus natalibus in Hiberniæ partibus. *Redeamus ad Boëthium, qui sic prosequitur.*

venit Fiacrius Meldas ad S. Faronem:

25 Ergo humili assumpta veste, quo minus cognosceretur, a patria clam profectus, ubi in Galliam devenit, solitarium quærens locum, a C saucto Pharone Meldensium tunc episcopo, agello, in quo nunc religiose colitur, est donatus. Constans ea in regione fama est, nefas esse fœminam sanctissimi Viri sacellum ingredi: et quæ id aliquando attentaverint, aut oculis privatas, aut actas in amentiam. *Hæc præcedentibus certiora sunt, et aliunde firmantur. In Vita S. Faronis, sub nomine Hildegarii Meldensis episcopi edita, apud Mabillonium seculo* 2 *Actorum pag.* 618 *hæc leguntur:* Similiter quoque ex gente Scottorum quam plurimi amore illius *(S. Faronis)* ad hanc regionem accelerabant.... In tantum vero pro studio vitæ angelicæ diligendo officiosissime eos Scottos excolebat, ut etiam heredes eos de propriis suis rebus faceret: atque ex reliquiis eorum corporum, dum sæcula labentia volaverint, ad protectionem nostram eorum meritis hæc clarior provincia fulgebit, ut ex B. Fefri munere miraculorum hæc nostra Meldica claret. At in quodam territorio suo monasterium, quod dicitur BROILUM, situm retinetur, tribus distans millibus ab urbe Meldis, quod accepit ille vir sanctus Fefrus in possessione copiosissima ab antistite Christi Farone.

26 *Accedit Fulcoïus poeta apud Mabillonium laudatum pag.* 598, *sic scribens de S. Farone:*

AUCTORE J. S.

a quo benigne exceptus loco donatur ad vivendum solitarie:

Heredem Fefrum dedit in quibus esse beatum.
Hic Broilum tribuit, qui templum condidit illic.
Hic duxit vitam, vitam finivit ibidem.
Meldica nunc signis floret provincia Fefri.

In Vita S. Faronis, quam in scriniis nostris servamus acceptam ex Ms. monasterii Accincti de his leguntur sequentia: In quibus quidem Scotis in tantum officiosissimus erat *(S. Faro,)* amore eorum religiosæ vitæ, ut etiam hæredes eos de propriis suis rebus faceret; sicut comperimus beatum Festum in possessione copiosissima, nomine Broilum, ab eo honorifice susceptum, in qua monasterium ædificavit; atque in sanctis moribus vitam ducens probabilem, ibidem requievit, et miraculis hanc Meldicam provinciam illustrat plurimis. *In Chronico S. Dionysii, quod inter Rerum Gallicarum scriptores nuperrime edidit Martinus Bouquet, Ordinis S. Benedicti presbyter, tom.* 3 *dicti Operis pag.* 279 *inter incidentia memorantur ad propositum nostrum sequentia, quæ ex antiquo Francorum idiomate* E *Latine reddo:* Tempore istius sancti Faronis venit ex Scotia dominus S. Fiacrius, sanctisque moribus adeo se notum fecit domino S. Faroni, ut illi donaret locum, in quo solitarius privatim sanctam duceret vitam. Hic locus nominatur Broilum *, qui spectabat ad patrimonium S. Faronis in diœcesi Meldensi. Ibi habitavit dominus S. Fiacrius, dum vixit, obiitque ibidem ut confessor tam gloriose, ut ingens miraculorum copia ad hunc usque diem in terrena hac vita splendeat in memoriam ejus et in testimonium sanctitatis ipsius. *Ex his concludimus, nihil ex gestis* S. Fiacrii *certius esse, quam venisse eum ad S. Faronem, atque in loco, quem ab ipso acceperat, piam vitam duxisse.*

* le Breire

affirmant Scoti, legatos ad Fiacrium missos ex Scotia,

27 *Verum non æque certa sunt, si non prorsus fictitia, quæ Boëthius, ubi narraverat Ferquhardum Scotiæ regno privatum a subditis, de* Fiacrio *subjungit hunc in modum:* Facto inde concessu de regno administrando, ... itum est omnium suffragiis in hanc sententiam, ut legati mitterentur in Galliam, qui Fiacrium ad paternum regnum occupandum in patriam revocarent. Id si nullis suasionibus obtinere ob eo possent: quod monastica vita forte plus æquo delectatus humanum omne aspernaretur fastigium: Clotha- F rium regem, qui tunc Francis imperabat, adirent: peterentque, ut ejus authoritate Fiacrius regni hæres in patriam, summi administratoris defectu multis fluctuantem incommodis, remitteretur. Noverant enim fama referente, quam Deo charus esset Clotharius, quam sacerdotum venerator, quam diligens æquitatis ac religionis cultor: quamque regibus respublicas rite administrantibus amicus. Legati imperia exequentes, in Meldensem agrum post longa itinera deveniunt, ubi Fiacrius Deo serviebat. Facti igitur certiores, ad sanctissimum Virum loci incolarum opera, quod aspectu venerandi viderentur, ocyus sunt adducti.

qui regnum ei offerrent:

28 Fiacrius nunciorum adventus per quietem superne admonitus, Numen cæleste piis lacrymis obsecravit, ne deliciis, ad quas per solitariam vitam Dei benignitas ipsum admiserat, quoquomodo frustraretur. Exaudivit Omnipotens deprecantem, effecitque ut, adventantibus legatis, lepra infecto simillimus hominum aspectui appareret. Nuncii itaque ad Fiacrium venientes, conspectum virum fædissimo morbi genere, ut apparebat,

AUCTORE J. S.

parebat, laborantem frigide rogarunt, cuperetne redire in patriam : ubi nativi alimenti frequentia, potius quam peregrino, opitulante natura, contractam tabem fortassis tandem evaderet : se a Scotorum primoribus ad hoc missos, ut ipsi obtemperantes in iis, quæ cuperet, ad omnia affluenter ministrarent impensas.

illudque a Sancto repudiatum :

29 Ad ea Fiacrius, magistratum omnem non aliter quam tetram pestem aversatus : Cernitis (inquit) opinor, ut ultro in privatam abiens vitam, solitarius agere potius quam hominum frequentia delegerim : tametsi plaga, quam in me cernitis, vitæ potius emendatio atque ad humilitatem incitamentum videtur æstimanda, quam aliquis naturæ error. Satis mihi esse cognoscite, cellam, vestem, olera, his manibus præparata. His enim contentus, nihil est humani fastigii, utut res meæ sese habent, quod præ illis concupiscerem. Ite ergo et germanis, nostræque gentis majoribus renunciate, ut Deum in primis reverentes, religionis observationi incumbant : rectumque colentes, virtute se muniant et pietate : quas nulla hostium vis umquam expugnabit : me impensis, uti cernitis, non indi- B gere : eoque Dei benignitate devenisse, ut meo vivendi generi privata vita magis quam publica deinceps convenerit. *Adoptavit hæc omnia Saussayus in Martyrologio Gallicano. Leslæus lib. 4 in Ferquhardo cetera narrasse contentus, lepram apparentem prætermisit. At hæc omnia, cum antiquorum testimoniis destituantur, et ne Vita quidem de iis quidquam habeat, incerta sunt et parum probabilia.*

an S. Syra sit soror Fiacrii, prorsus incertum :

30 *Nec majori nituntur auctoritate, quæ de sorore Sancti addit Boëthius his verbis :* Erat Fiacrio soror, virgo sanctissima, nomine Syra, quæ, audita Fratris sanctitate, ad eum in Meldensi agro anachoreticam vitam agentem cum majusculo sanctarum virginem comitatu se recepit : quæ ab eo cum sodalibus in sancto proposito confirmata, ad Gallicanam Campaniam se contulit, ubi per vitæ sanctitatem, et clara sanctitatis signa, insignem sui reliquit memoriam. *Mabillonius in Elogio* S. Fiacrii *num.* 17 *de his scripsit sequentia :* S. Fiacrii sororem fuisse aiunt S. Syram, quæ monasticam vitam in Eboriacensi seu S. Faræ parthenone duxerit, et monasterium puellarum C prope Catalaunum civitatem exstruxerit gubernaveritque. Locum conditi cœnobii ostendunt, ubi modo S. Sulpitii parochus suas ædes habet, quem locum S. Syræ claustrum haud ita pridem appellabant, uti Desguerroisius tradit in Vita S. Syriæ matronæ ac martyris Tricassinæ, distinguendæ a S. Syra, quæ a Meldensibus x Kalend. Novemb. colitur, a Catalaunensibus vero x (*lege* VI) Idus Junias : qui dies non S. Syræ, sed S. Syriæ matronæ sacratus. *Non admodum antiqua videtur illa opinio de Syra sorore* S. Fiacrii, *cum in Actis de illa nihil habeatur. Eam tamen ulterius examinandam remitto ad* XXIII *Octobris, quo S. Syra apud Meldenses coli dicitur.*

conjectura de vitæ instituto et mortis tempore.

31 *De aliis quibusdam ad* S. Fiacrium *Spectantibus sic ex conjectura disserit laudatus Mabillonius num.* 16 : Quam Regulam tenuerit Fiacrius, conjicere utcumque licet, certo definire non licet. Demigravit ex Hibernia nondum Benedictinis institutis informata, an jam monachus, incertum. Nullum excoluisse legitur cœnobium in Gallia, ubi S. Benedicti Regula passim recepta erat, nisi forte in sanctæ Crucis asceterio tantisper hospitatus est. In solitudine anachoreticam vitam egit. Illic peregrinos excepisse, non D discipulos habuisse legitur. Ejus mortem ad annum circa DCLXX collocamus. *Unica, opinor, hujus epochæ ratio est, quod S. Faronem circa eumdem annum 670 obiisse putaverit. Verum nec tempus mortis S. Faronis satis certo probatum invenio ; nec constat, an* S. Fiacrius *eodem fere tempore cum S. Farone obierit : nam potuit multis annis citius mori aut serius. Quapropter mortem* Fiacrii *latissime fixi seculo* VII, *quo vixisse eum scimus : nec verisimile est usque ad sequens seculum vitam protraxisse.*

ACTA

Auctore anonymo

Ex codice nostro Ms.

PROLOGUS

E *Præfatio*

Egregius Christi confessor Fiacrius, perfectus euangelicæ institutionis discipulus extitit. Siquidem fidei rectitudini opus bonum studiose maritavit. In sacro enim pectore volvebat assidue, quoniam intellectus bonus omnibus facientibus eum, non audientibus, (quoniam auditores tantum non justificabuntur) nec dicentibus, multi enim dicunt et non faciunt : unde doctrina sana cum morum inæqualitate non cedit eis ad salutem, opus autem bonum reputatur ad justitiam : Qui facit, inquit, hæc, non movebitur in æternum. Ne igitur fides in eo sine operibus moreretur, vel operatio præter fidem facta infructuosa ad salutem persisteret ; quæ in lege Domini meditabatur die ac nocte, in lucem bonæ reparationis perducere studuit ; juxta illud, Luceat lux vestra coram hominibus, ut fontes deriventur foras, et cortina traheret cortinam, et qui audiret, diceret, Veni. Tamquam ergo turtur holocaustomatis ad assellas ora retorquens, et sicut animal mundum in lege, sic quæ subtili discretione decoxerat, bona operatione ruminabat.

Virtutes Sancti F

2 Ab ineunte vero ætate terra suæ nativitatis egreditur, populum suum at domum patris sui obliviscitur, voluntariæ paupertatis suæ strenuus amator, quæ in bonis mentibus custos humilitatis esse assolet. Tentationum turbines et vitiorum incendia egestatis pruina decoxit : multis enim fallaces divitiæ malignandi præstitere occasiones : dum vel ad luxuriem evernant *, vel ad superbiam inflant, vel per aliorum abrupta vitiorum præcipites impellunt. Ut igitur Peregrinus mundi, amicus Dei constitueretur, diabolo et omnibus operibus ejus perfecte renuncians, pauperem Christum pauper secutus est. Christus non habuit, ubi caput reclinaret. Fiacrius spinas divitiarum declinavit, ut Christum lucrificaret. Adhærens quoque testimoniis Dei in custodiendis illis per singulos dies delectabatur ; in eo quippe cytbara virtutum, sanctæ operationis manu tacta, cælicum melos exprimebat, sciens enim quod qui in uno deliquerit, omnium reus est, omnium bonorum fabricam seipsum exhibere studuit.

* *forte enervant*

generatim

3 Nulla spiritualis officinæ supellex ei deesse potuit, in quo castitas rata finaliter perseveravit. In fidei rectitudine Abraham, in fervore Petrum imitari

A imitari satagebat; Moysi mansuctudo, Pauli simplicitas, Job patientia in eo rutilabat. Sicut igitur Apelles simulacrum Helenæ edidit: sic Fiacrius se agrum virtutum plenum odorameutis solerter excoluit. Ambulaus itaque perfecte in mandatis Dei, caput contrivit serpentis antiqui, vicit enim draconem, superavit leouem: draconem vicit per prudentiæ circumspectionem, leonem superavit per tolerantiæ fortitudinem. Calcavit mundum per contemptum et voluntariam paupertatem; perdomuit carnem per vigiliarum et jejuniorum exercitatiouem; omnia, quæ sunt mundi, subjecit sub pedibus ejus: noverat enim quia vauitas vauitatum, et omnis homo vanitas. Sicut ouager contemnit civitatem, sic Sanctus iste sprevit mundum et concupiscentiam. Divitiæ si affluerent, cor non apponebat, sed pertranseunter eis utebatur, memoriter reeolens, quod hic et in futuro delitiari nemo poterit.

commendat

4 Tua sunt hæe, Christe, muuera, qui gratiam prærogas, ut velimus, cujus gratia nos comitatur, ne in interitum curramus: non enim est volentis neque currentis, sed tui miserentis. Quis
B unquam sine gratiæ tuæ adminiculo vel potuit
a bene velle vel bonæ voluntatis opus *a* perficere, sine te nihil potest aliquis facere, sed anima sicut terra sine aqua tibi. Beatus iste Sanctus, quem elegisti, cujus manum dextram tenuisti, et
b in voluntate tua deduxisti eum *b*. Tu ei, scutum et protectio, tu ei adjutorium et exultatio: et ideo fideliter decertavit, legitime triumphavit in valle lacrymarum constitutus. Crebris jejuniis et orationibus puris intentus, flevit malitiam mundi, flevit miseriam exilii, et quouiam irriguum superius et inferius irriguum suscipiebat a Domino, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, totus resolvebatur in lacrymis, cupiens dissolvi et esse cum Christo. Volens itaque Dominus pro tauta labore Sanctum suum coronare, ab æterno electum, in terris mirificatum, hodie de carnis eduxit ergastulo, ut cum fratribus suis epularetur in cælo. Gaudeamus nos in terris, quia hodie gaudent augeli in cælis: si eniu gaudium est angelis super unius peccatoris conversione, multo magis super unius justi assumptione: gaudeat ecclesia nostra tanti Patroni illustrata præsentia.

et miracula.

C 5 Astruunt fidem tautæ sanctitati signorum novitas, et miraculorum magnitudo. Ad sepulchrum enim ejus ægri veniunt, et curantur; desperati, et salutis consolationem recipiunt. Quis enim unquam fida mente et puro corde, devota fide ejus imploravit auxilium, et misericordiæ ejus non sensit beneficium? Certe rutilat sicut stella matutina in cælis, sed sibi devote famulantibus patrocinii et beneficiorum radios extendit in terris. Hujus meritis et intercessione tot mortalibus collata suut beueficia, tot ægritudiuum exhibita remedia, quod in eorum prosecutione præ numerositate Demostenis obmutesceret eloquentia. Verumtamen ne in ejus solenuitate ad præsentiam corporis ejus devote pernoctantibus copia desit lectionis, ex multis pauca, ex omnibus aliqua, licet humili stilo, perstringere curavimus. Horum quidem lectione auditu et relatione in scieutibus ignis devotionis amplius exardescet, nubes ignorautiæ tolletur nescientibus, gloria et honor crescet in laude Dei, et ejus persistentibus. Sancti Spiritus unctio cor nostrum splendore gratiæ suæ illuminet et doceat, linguam regat et os aperiat et impleat verbo veridicæ eloquentiæ. Amen. *c*.

ANNOTATA.

a *Vox* Opus *non est in ipso codice, sed adjuncta erat in apographo, ideoque illam ut necessariam in textu reliqui.*

b *In codice* me, *sed recte in apographo correctum videtur,* eum.

c *Post hæc verba, litteris rubris subditur,* Sequitur legenda festi: *et deinde ad marginem notantur novem lectiones.*

CAPUT I.

Gesta Sancti in vita: ingressus in ejus sacellum mulieribus prohibitus.

Sanctus nobilibus parentibus in Hibernia natus.

Beatus Fiacrius eremita magnificus in Meldensi territorio, sub sanctissimi Pharonis Meldensis episcopi protectione consistens, innumeris apud Deum vigebat virtutibus, sicut actuum E
suorum lectio *a* sacra declarat. Hic siquidem nobilibus ortus natalibus in Hiberniæ *b* partibus extitit oriundus; sed, ut a propinquorum cura solutus et seculi tumultibus expeditus solitariam vitam duceret, parentes patriamque reliquit, et Domino ducente in has exteruas partes advenit.

relicta patria, Meldas venit, ubi benigne excipitur a S. Farone,

7 Eo itaque tempore, quo gloriosissimus Faro *c*, relicta seculi militia, Meldorum pontificatu, anuuente Domiuo, fruebatur, eum beatus Fiacrius cum sociis, quos sibi fortuna donaverat, gratia hospitalitatis expetiit: quem piissimus Faro libeutissime suscepit, et ut piissimum meutis illius affectum familiarius et expressius indagare valeret, quamdiu vellet, secum manere concessit.

ab eoque de patria et parentibus interrogatus,

8 Cujus vultum simplicem et religiosum diligenter intuens, ait: Obsecro, carissime, ut mihi origiuem tuam patriamque, et archauum tuæ mentis affectum, quo tendis, et quo nomine vocaris, iuuotescas. Si deinde consilium tibi congruum præbere queo, teste Deo, libeuter donabo. Cui Sauctus respondit Fiacrius: Reverendissime pater, Hybernia *d* Scotorum insula michi meisque genitoribus dedit originem, et quia solitariam vitam ducere concupisco, patriam parentesque fugieus dereliqui, locum quemlibet F
eremitis congruum expeto, et nomine Fiacrius vocor.

locum petit ad vivendum solitarie,

9 Nunc ergo tuam almificam paternitatem suppliciter efflagito, quatenus, si locellum quempiam nemorosum in his partibus inesse noveris, quo sacris orationibus insistere queam, mihi indulgere non differas. His auditis, B. Faro gaudens effectus ait ad eum: Habeo utique haud procul hinc nemus quoddam in jure proprio et hæreditario, quod incolæ Prodilum *e* vocant, ad exercendam vitam solitariam, ut credo, satis idoneum: quod si contemplari desideras, illuc usque pergamus. Cui beatus respondit Fiacrius: Ut tua pateruitas jubet, ita fieri citius peropto.

quem impetrat in territorio Meldensi.

10 Tunc piissimus episcopus eum quantocius ad peroptatum locum perduxit, et intendens iu eum, ait: Frater bone, locus iste jure hæreditario ad me spectat, et si ad habitandum tibi placuerit, quantum tibi necessum fuerit, devotus offero et alacriter concedo. Quo dicto, beatus Fiacrius mox ad ejus vestigia prorueus et obortis

A. ANONYMO. obortis ejus lacrymis de collato sibi beneficio gratias referens, ait : Beatissime Pater, solo intuitu locus iste nimium me delectat, sacer enim est, et ab omni prorsus hominum frequentia remotus.

ubi oratorium construit :

11 Hiis itaque completis, sese divini pabuli fomentis reficientes, repedatis gressibus ad urbem Meldensem pariter sunt reversi. Postera vero die petita benedictione, et accepta licentia a sancto Farone, ad prædictum locum reversus est Fiacrius et avulso nemore monasterium *f* in honorem B. Mariæ construxit, et exiguam domum scorsum ædificavit, in qua hospites suscipiebat, in qua et ipse manebat.

virtutibus floret et miraculis :

12 Perfectis itaque omnibus, quæ pro tempore idonea videbantur, almificus Dei athleta Fiacrius de die in diem se Christi servitio arctius subdebat, virtutibus accrescebat, sibique austerus hostis effectus, quod corpori famelico quotidie subtrahebat, peregrinis et pauperibus misericorditer erogabat. Si autem quipiam lacertorum robore privati, aut elingues effecti, sive nervorum ariditate contracti, aut maligni spiritus infestatione vexati, vel etiam totius corporis incommoditate detenti, ad eum veniebant, vel ab aliquibus deferebantur, sola manus ipsius impositione, Dei suffragio pristinæ incolumitati reddebantur.

ad eum accedit S. Chillenus,

13 Flagrabat itaque sancti Viri gloriosa opinio, ejusque miracula, fama promulgante, per Meldenses affinitates affluenter cum virtutum rumoribus odoriferis circumquaque magis ac magis cœperunt augmentari. Audivitsiquidem beatissimus Chillenus *g*, qui ex Romanæ peregrinationis itinere in Meldensi territorio applicuerat, famam tanti Viri, ac eum accessit.

quem pie suscipit et familiariter.

14 Sanctus vero Fiacrius benigne et liberaliter eum suscipiens, ut cognovit eum suum esse patriotam et sibi sanguinis affinitate conjunctum, rogabat eum, ut secum aliquot diebus commaneret : quo concesso, de natali solo, de notitia parentum pariter conferebant, et dulcifluis sacræ Scripturæ sententiis sese reficiebant. Postmodum autem alterutrum Domino commendantes, dato pacis osculo, ab invicem sunt divisi *h*.

h Dicitur Sanctus tantum ex nemore impetrasse, quantum fossa posset uno die cingere.

15 Revera quoniam, opinione sanctitatis ejus odorifera circumquaque diffusa, multi ad eum conveniebant undique, ut haberet, unde necessitatibus advenientium subveniret, et de labore manuum suarum inopiam pauperum relevaret, visum est ei, quod amplior et spaciosior locus foret ei utilis et necessarius ad hortum faciendum, ad plantanda olera et alia diversarum herbarum genera. Sed quamvis B. Faro prius ei tantum sui nemoris concessisset, quantum suis necessitatibus conveniret, tamen locum ampliare et hortum facere sine licentia pontificis non præsumpsit humilis Eremita. Accessit igitur ad episcopum, et rogavit eum, ut circa domum suam liceret ei tantum nemorum avellere, quod ibidem horum posset facere. Cui venerabilis episcopus tantum rogati nemoris liberaliter concessit, quantum in gyro circa domum suam propria manu fodiendo in una die fossato * posset circumdare *i*, et quidquid infra fossatum labore unius diei factum fodiens includeret, liberum absque cavillatione quasi hæreditarium possideret.

* i. e. fossa

ac baculum trahendo fossam excavasse, eaque de causa accusatus magix,

16 Quo concesso, Sanctus episcopo inclinato capite gratias agens et valedicens, ad locum dilectæ solitudinis reversus est, et facta oratione baculum *k*, quem manu tenebat, per terram trahebat, et quod est dictu mirabile, ad nutum Viri Dei tactu baculi terra dehiscens patebat, nemus hinc et inde funditus corruebat. Interea mulier *l* quædam advenit, quæ, viso terræ dehiscentis miraculo, rei novitate stupefacta hoc idem episcopo nuntiare festinando celeriter properavit, Eremitam magnificum asserens esse maleficum, non summi Dei cultorem, sed magnum et incantatorem. Reversa igitur mulier cum summa celeritate, sancto Viro convitia, contumelias, blasphemia irrogare præsumpsit, et cum auctoritate episcopi ab incepto opere cessare præcepit, ipsum episcopum advenire nunciavit. Accusatus ergo apud pontificem a muliere Vir sanctus, ab incepto opere cessans, iratus et tristis supra petram resedit.

alio miraculo innocentiam suam ostendisse :

17 Mirabilibus mirabilia succedunt. Petra namque durissima contra naturam divino nutu mollita, ut sessioni sancti Viri esset habilior, sub ipso concavum eidem præstitit locum. Ut autem audientes narrationi huic fidem adhibeant, eadem petra *m* in ejusdem Sancti monasterio servatur, et locus sessionis ejus demonstratur adhuc pro miraculi testimonio, cujus tactu debiles et infirmi restituti sunt sanitati. Provocatus igitur pontifex verbis prædictæ mulieris, advenit, et videns in lapide locum sessionis Viri Dei mirabiliter cavatum, et quasi lapidem, deposita duritia, divino nutu fuisse mollitum : videns etiam tactu baculi ejusdem Sancti terram patuisse, nemus hinc et inde corruisse, fossata profunda subito facta fuisse, intellexit Eremitam almificum magni meriti esse apud Deum : et deinceps, cognitis ejus virtutibus, eum ferventius dilexit, et quamdiu advixit, ei familiarius adhæsit. Fossata *n* vero tactu baculi Viri Dei facta usque in hodiernum diem ab incolis demonstrantur.

mulieres ab oratorio Sancti prohibita.

18 Ab illo igitur tempore, quo mulier sanctum Virum accusavit apud episcopum, usque in præsens, mulieres in monasterium Sancti non intraverunt. Ad iram siquidem provocatus a muliere oravit, ut Deus ultionum Dominus injuriam suam sic vindicaret, quod omnis mulier, quæ monasterium ejus ingrederetur, sui corporis infirmitatem incurreret *o*. Narraverunt itaque patres filiis, quod quædam mulier dives et nobilis cupiens videre, quid accideret mulieri, quæ in monasterium prædictum intraret, in illud ancillam suam manibus impulit. Quo facto, videntibus omnibus, qui aderant, ipsa unum oculum amisit, illa vero illæsa permansit. Moderno autem tempore mulier quædam de Latiniaco *p* in monasterio Sancti unum pedem posuit, qui pes statim intumuit. Tumor vero non solum pedem, verum etiam tibiam, genu et crus ascendendo occupavit. Sunt et alia multa, quæ mulieres ab ingressu monasterii prædicti compescunt. Beatus igitur Fiacrius in eodem loco signis et virtutibus claruit, cursum vitæ præsentis feliciter consummavit : ad cujus sacrum tumulum frequenter membra languentum modo sanitati, quolibet morbo fuerint gravata, restituuntur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum.

ANNOTATA.

a *Per lectionem sacram videtur auctor designare lectiones novem cujusdam Officii antiqui atque has, opinor, mox describit.*

b *His consonant Acta apud Surium et Mabillonium edita. In Ms. Divionensi, quod alium habet auctorem, de patria et natalibus Sancti sic habetur.*

A *habetur*: De Hibernia Scotorum et sanguine regali Scotorum genitus. *In Ms. Dom. Le Maire*: De Hibernia ex sanguine regali Scotorum genitus. *Porro norunt eruditi, Hiberniam olim inhabitatam fuisse a Scotis, ita ut omnia faveant sententiæ eorum, qui* S. Fiacrio *patriam attribuunt Hiberniam.*

c *S. Faronem in aula Theodeberti regis educatum, deinde floruisse in aula Clotarii II, ac tandem clero nomen dedisse, docet Vita apud Mabillonium tom.* 2, *quam consule. De eo in Opere nostro agetur ad* XXVIII *Octobris.*

d *In Officio Ms. Breviarii Aberdonensis sic refertur responsum Sancti*: Scotia, mi pater, mihi meisque progenitoribus originem dedit *etc. At, licet sic revera respondisse constaret, ne quidem inde certo inferri posset, in hodierna Scotia natum esse, cum eo nomine etiam vocaretur Hibernia.*

e *Sic in codice nostro. Apud Mabillonium vero* Brodolium *scribitur: in Breviario Aberdonensi* Brodilum. *Alii* Broilum *vocarunt, ut vidimus in Commentario.*

f *Oratorium intellige seu sacellum: nam id sensus exigere videtur et vox* monasterium *ea etiam* B *significatione gaudebat medio ævo, uti et vox Gallica* moustier, *quemadmodum videre est in Glossario Cangii. Alioqui etiam* monasterium *olim dicebatur, in quo unus degebat monachus, sed domus exigua Sancti mox distinguitur a monasterio.*

g *De S. Chilleno agitur etiam in Vita S. Faronis laudata apud Mabillonium cap.* 100 *et* 101, *ad quem locum observat editor, coli Idibus Novembris. Ad illum igitur diem de eo latius disputabitur: reliquias autem ejus servari in ecclesia Meldensi cum reliquiis S. Fiacrii, jam vidimus in Commentario* § 2.

h *Hic finiuntur novem lectiones. Reliqua ab auctore addita suspicor, et forsan ex fama populari.*

Si consideremus, quam exiguum locum fossa circumducere posset Sanctus uno die, donatio hæc prorsus fiet incredebilis: neque enim verisimile est S. Faronem, qui liberaliter agebat cum Fiacrio, *plura noluisse concedere; neque etiam credi potest,* Fiacrium *ipsum simile quid petiisse, ut miraculo locum sufficientem impetraret, quem natu-* C *rali labore obtinere non poterat.*

k *In aliis duobus Mss. dicitur ab episcopo accepisse instrumentum,* quod Gallice BESSA vocatur (beche, *quod ligonem designat) illudque per terram traxisse. Refertur id ipsum in Breviario Aberdonensi.*

l Mulierem illam, quæ S. Fiacrium apud B. Faronem insimulavit, BECNAUDAM vulgo LA BECNAUDE appellant, eodemque nomine tuguriolum ejusdem feminæ, quod hodie quoque ostendunt, *ait Mabillonius num.* 12. *Plessius in Historia tom.* I *pag.* 54 *testatur hæc facta in arca Sancti reliquiaria fuisse expressa tempore Ludovici XI. Illud, opinor, non fieret hoc tempore, quo facta hujusmodi ægre fidem inveniunt, nisi firmiori nitantur fundamento, et modo magis verisimili sint narrata.*

m *Plessius mox laudatus pag.* 55, *ubi dixerat se hanc historiam non referre ut veram, ad propositum nostrum hæc scribit Gallice*: Verumtamen a multis seculis in monasterio S. Fiacrii conservatur ingens lapis figuræ rotundæ, et in superficie excavatus circa centrum. Positus ille est in navi ecclesiæ... ad manum sinistram intrantis, atque in commodum peregrinorum æque ac decentiæ causa, impositus est cuidam quasi sedili seu stylobatæ ex lapide impolito. Qui laborant hæmorroidibus, modeste se ibi collocant, prout sunt vestiti; et novi ea certitudine, quæ nullum relinquat dubium, multos ibidem, et viros et feminas, integræ perfectæque restitutos esse valetudini. *Hactenus Plessius.* A. ANONYMO

n *In utroque alio Ms. idem asseritur de fossis ad alia usque tempora manentibus. Porro, quæ de fossis illis hic dicuntur, quæque de lapide mox recitata sunt, vehementem quidem ingerunt suspicionem, aliquid miraculi et in fossis et in lapide patratum a Sancto: at difficulter credi potest, omnia peracta esse, prout hic narrantur.*

o *Mabillonius num.* 12 *ad propositum nostrum scribit sequentia*: Quod narrat anonymus iste de vindicta mulierum in S. Fiacrii oratorium sese ingerentium, plurimis testatum manet experimentis. Anno MDCXXIII, cum mulier quædam de suburbio Parisiaco, S. Germani dicto, vulgatum Fiacrii interdictum parvipendens, sacellum eidem Sancto speciatim nuncupatum (quod communi majoris ecclesiæ tecto conclusum, e regione altaris principalis situm est) subiisset, repente in amentiam et furorem versa, postea quidem parentum precibus furorem, sed non amentiam deposuit. *Hinc mulieres hodieque Sancti sacellum non ingrediuntur, sed ex loco remoto preces fundunt. Hanc legem secuta est Anna Austriaca Francorum regina, dum anno* 1641 *sepulcrum* S. Fiacrii *veneratura accederet, teste Plessio pag.* 54. *Constat igitur, ingressum sacelli mulieribus esse vetitum. Verum ratio hujus interdicti, quæ ex calumnia mulieris hic petitur, prorsus incerta est. Laudatus Plessius pag.* 53 *existimat,* Fiacrium *ea in re adhæsisse Regulæ S. Columbani, quæ omnes omnino feminas ab ingressu monasterii arcebat: consuetudinemque in Vita Sancti inchoatam perseverasse post mortem.* E

p Latiniacum, *vulgo* Laguy, *oppidum est Briæ ad Matronam fluvium.*

CAPUT II.

Pater cum duobus filiis ægris Matronæ illapsus, cum iis sanis fluvio egreditur: quatuor pueri diu submersi, deinde ex aqua emergunt incolumes. F

Homo quidam de Montinaco *a* duos habebat filios, qui gravi diu infirmitate laboraverant; quorum pater infirmitati compatiens, cogitavit illos ducere ad sanctum Fiacrium, et imponens eos in jumentum suum, ipse medius insedit, ita videlicet, ut minorem haberet ante se, majorem vero post se. Venit itaque usque ad civitatem Meldensem, quam pertransiens, venit ad pontem, qui dicitur Pons rapidus. Jumentum autem ejus forte pedem offendit ad lapidem, et in fluvium, qui Materna *b* vocatur, de ponte corruens cecidit, cum quo etiam pater et filii pariter corruentes ceciderunt, in ipso casu voce magna clamantes et dicentes: Sancte Fiacri, sancte Fiacri, succurre nobis propitius. *Pater cum duobus filiis infirmis in Matronam incidit,*

A. ANONYMO. pitius. A circumstantibus igitur et eventum rei considerantibus clamor attollitur, Deus invocatur, sancti Fiacrii auxilium imploratur.

invocatoque S. Fiacrio, 20 Nec mora, pater emersit ab undis, emerserunt et filii, de quorum vita omnes, qui aderant, desperabant: maxime quia ibidem prædictus fluvius undis labentibus celeri et nimis impetuoso cursu per arcus sinuosos transitum habebat ad molendina juxta pontem posita. Pater emergens ab undis caput erigebat, sanctum Fiacrium attentius invocabat, fluctuantes filios longe a se videbat, natandi peritiam non habebat, nullum ibi navigium præsens, imminebat periculum. Sed quia de tribulatione invocavit Dominum, exaudivit eum Dominus. Nam mirum in modum, cum aqua tantæ profunditatis esset, quod pertica duorum hominum longitudinem habens tunc temporis ad fundum non posset attingere, quasi contra naturam elementi se calcabilem præbuit sub pedibus ejus.

incolumis cum filiis sanatis aqua egreditur: 21 Super aquæ superficiem caput patris apparebat, qui ad filios accedens, et alterum hinc, alterum vero inde dextra lævaque complectens, B velut unda famulante, sine difficultate cum illis ad ripam usque pervenit. Egressi itaque de aqua pater et filii, dicebant sibi naufragantibus sanctum adfuisse Fiacrium: quod ut manifeste pateret, sicut de mortis periculo, ita de morbo, quo prius laboraverant, in ipso articulo liberati sunt. Fama igitur velox totam percurrit civitatem, et factus est concursus populorum clamantium et dicentium: A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Postea pater et filii ad Sancti monasterium venerunt, Deo gratias egerunt, sanctoque Fiacrio votum fecerunt: deinde læti et incolumes ad propria reversi sunt.

quatuor pueri submersi in Ysara, *c* *d* 22 Apud Novionum *c* in flumine, quod dicitur Ysara *d*, pueri quatuor balneis utebantur, et dum aquæ profunditatem incauti minime vitarent, forte submersi sunt. Mulieres autem ad ripam fluminis vestes lavabant: quæ videntes pueros super undas modo fluctuare, modo submersos non apparere, clamorem attollunt. Quarum clamor auditur, villa, quæ non longe erat a flumine, concitatur: audita clamore plebs adunatur, ad prædictum flumen citius curritur. Nec C mora, piscatores in navibus adfuerunt, aduncis perticis pueros submersos quæsierunt, diu multumque quæsitos invenire minime potuerunt. Prædicti vero pueri filii erant duarum mulierum, quæ, plebe tumultuante, filios suos esse submersos cognoverunt.

ac diu frustra quæsiti, 23 Quo cognito, velut amentes sparsis capillis ad flumen cucurrerunt et lacrymabilem planctum de inopinata morte filiorum fecerunt: genas lacerabant, pectora pugnis tundebant, capillos præ dolore manibus avellebant, lacrymas uberes fundebant, profunda suspiria ex intimo corde trahebant, auras clamoribus implebant. Matribus itaque lamentantibus ab hora sexta usque ad solis occasum, quæsiti pueri non fuerunt inventi.

implorata ope S. Fiacrii, 24 Cum vero, nocte superveniente, de illorum inventione desperarent, una matrum sic ait: Sancte Fiacri venerande confessor, audivi a multis te multum posse apud Deum: quod ipsa experimento didici; nam cum languida, debilis et infirma nuper ad monasterium tuum venissem, tuis suffragantibus meritis, sanitati reddita sum. Peto igitur, quod a misericorde Deo impetrare nobis potes, ut sicut Lazarum quatriduanum de morte revocavit ad vitam, ita per merita tua viventes reddat nobis filios nostros, et hæc dicens D exclamavit et erupit in hæc verba: Sancte Fiacri, ostende nobis, quantum potes apud Deum: sentiamus in præsenti necessitate auxilium tuum, per gratiam tibi a Deo concessam redde nobis filios nostros.

25 Ad hanc vocem prædicti pueri viventes *emergunt vivi.* emerseruut. Vere mirabilia tua, Domine, sunt opera, qui Sanctos tuos ita glorificas, ut deposito carnis onere in cælesti gloria tibi feliciter vivant, et terrigenis patrocinari non desistant. Educti itaque de flumine pueri dicebant se a quatuor dæmonibus ligatos per sanctum Fiacrium fuisse solutos. Viso tanto miraculo, facta est lætitia magna in populo, et omnes, qui adfuerunt, nomen sanctum Domini glorificaverunt.

ANNOTATA.

a Montinaco. *In aliis duobus Mss., uti et in Actis apud Surium et Mabillonium* Montiaco. *Forsan designatur vicus* Montiguy, *inter Meldas et Latiniacum situs.*

b *Adjacet urbs Meldensis Matronæ fluvio*, E *quem* Maternam *vocat auctor, ut multi alii illius temporis scriptores. Gallis* la Marne *vernacule dicitur.*

c Noviomum, *aliis* Noviodunum, *aut* Noviomagus Veromanduorum, *vulgo* Noyon, *urbs est in Insula Franciæ juxta limites Picardiæ, ad quam olim spectabat.*

d Ysara *vel* Ysera, *ac recentioribus* Oesia, *vulgo* l'Oise, *fluvius est, qui ortus in Picardia, interque alias urbes Noviodunum præterfluens, demum Sequanæ se miscet. Hoc miraculum in aliis duobus Mss. refertur eodem plane modo, omisso tamen fluvii et urbis nomine; et brevius narratur in editione Surii et Mabillonii.*

CAPUT III.

Diversæ mulieres ex variis morbis valetudini restitutæ ope Sancti: quidam calculo liberatus, alter gravi pedis malo. F

In territorio Belvacensi apud Britolium *a* mulier quædam multis afflicta doloribus graviter ægrotabat; quæ cum fama volitante cognovisset, quod Dominus virtutum per B. Fiacrium multas operaretur virtutes, sanctum sæpius consuevit invocare Fiacrium, et attentius ejus implorabat auxilium. Quadam igitur die ad Sancti monasterium tendens, peregrinationis iter arripuit. Cum itaque esset in itinere necdum longe a domo propria, quod est dictu mirabile, immanem, enormem, et horribilem aspectuque terribilem evomuit colubrum, et sic meritis et intercessione beati confessoris Fiacrii perfecte et integre pristinæ restituta est sanitati. *Mulier infirma tendens ad S. Fiacrium, evomens colubrum convalescit:* *a*

27 Præterea aliam vidimus mulierem, apud Montem Leheri *b* manentem, infirmitate gravi laborantem, quæ superfluis et noxiis plena erat humoribus, et in tantum venter ejus intumuerat, quasi esset in proximo paritura. Hæc igitur ad sancti monasterium venit stipata vicinarum suarum caterva, et narravit nobis coram vicinis suis, narrationis *alia, voto facto, emittit bufonem et sanatur:* *b*

A narrationis suæ testimonium perhibentibus, quod multis irritata *c* medicaminibus, et a medicis omnino desperata, votum fecit sancto Fiacrio: quo facto statim enormem, et visu nimis horribilem, per secretum naturæ exposuit bufonem, et diu optatam, sancto suffragante Fiacrio, obtinuit sanitatem.

c

tertia, destinata ad Sanctum candela, d

28 In urbe Suessionensi *d* mulier quædam incurrit infirmitatem in tantum gravem, quod de lecto surgere, et ori manum applicare non valebat: omnia enim membra ejus propriis privabantur officiis. Hæc dives erat, et spe recipiendæ salutis multa medicis dona distribuit. Cum vero languore ingravescente de die in diem deterius se haberet, a medicis desperata, membrorum suorum officio privata, attentius et affectuosius Dei misericordiam orando flagitabat. Quadam autem die candelam ad longitudinem sui corporis fieri et ad monasterium sancti Fiacrii deferri præcepit.

ab eo apparente sospitatem obtinet :

29 Qua super altare Sancti a famulo suo oblata, eadem hora mulier ægra in domo sua obdormivit, cui sanctus adstitit Fiacrius candelam tenens, et ait: Ecce venio infirmitatem tuam cu-
B rare, et facto crucis signo, Sanctus disparuit. Mulier vero a sompno excitata, membrorum suorum invaletudine depulsa, surgit a lecto, per domum suam deambulat, vicinos convocat, qualiter eam sanctus Fiacrius curaverit, narrat. In crastinum vero servus ejus, qui candelam Sancto obtulit, reversus est: a quo mulier inquirit tempus et horam, quando candelam super altare posuit; et cognovit, quod eadem hora melius habuit.

mulier Burgunda, audita alterius sanatione Sanctique miraculis,

30 Mulier quædam de Burgundia ad S. Fiacrii monasterium venit orationis gratia, quæ nobis cum multa lacrymarum effusione narravit, quod sanguinis fluxum per septem annos incessanter passa fuerat. Et cum multi medicorum multam ei adhibuissent curam, nullatenus eam curare potuerunt. Quadam vero die quamdam mulierculam pauperem hospitalitatis gratia in domo sua suscepit; cujus relatione cognovit, quod a fluxu sanguinis per merita sancti confessoris Fiacrii ipsa muliercula sanata erat. Interrogavit igitur illam de sancto Fiacrio, cujus esset meriti, et quas infirmitates curaret. Cui illa respondit:
C Experimento didici B. Fiacrium magni meriti esse apud Deum, medicum omnium ægritudinum a Deo terrigenis concessum. Ipse curat ægrotos, ficosos, febricitantes, languidos, diversa imbecillitate laborantes. Ipse fugat infirmitates omnium, qui ejus implorant auxilium.

ejus invocatione liberatur sanguinis fluxu, illiusque frater calculo :

31 Prædicta mulier hæc audiens, ait: Si vera sunt, quæ dicis, potentior et efficacior est omnibus medicis: alium medicum non quæsissem, si de virtutibus ejus aliquid citius audissem: et amodo curam mei corporis non committam alteri medico. Cui muliercula sic ait: Cum fide integra et devotione sincera, invoca illum, et ejus implora auxilium. At illa erumpens in lacrymas, ait: Sancte Fiacri, venerande confessor, miserorum pius consolator, esto infirmitatis meæ medicus, ad te confugio, te invoco, me tibi commendo, curam mei corporis tibi committo. Necdum verba finierat: ecce fluxus sanguinis cessavit, salus advenit, et ita per merita B. confessoris Fiacrii perfectam et diu optatam obtinuit sanitatem. Hæc igitur mulier fratrem habebat calculosum, qui a prædicta sorore sua rogatus et admonitus inter acerrimos dolores votum fecit S. Fiacrio, et statim, intuentibus omnibus, qui aderant, per genitale membrum cum urina calculum non minorem ovo columbino emisit.

A. Anonymo.

cum pes cujusdam ex vulnere putrescens esset præcidendus,

32 Fuit apud Rothomagum *e* mulier vidua, licet in temporalium rerum substantia tenuis, minorum tamen sanctitate et fidei devotione prædives, sicut rei stupendæ patefecit eventus. Hujus filius, dum in silva lignis *f* cædendis studiose intenderet, instrumentum, quo utebatur, minus caute agens pedem suum graviter vulneravit: dolor autem vulneris eo usque invaluit, ut et filium sine modo affligeret, et ipsius matris animam pertransiret. Unde materno mota affectu, sicut pia gestabat viscera, medico, ut credebatur, fideli vocato, curam filii ei commisit. Qui de contingentibus nihil omittens loco vulneris, ut moris est, emplastris tumorem castigare curavit. Sed quoniam non est in medico semper, relevetur ut æger, nec medicinalis opera debitum semper sortitur effectum, pes læsus vehementer intumuit, et cum tumoris enormitate computruit, et quia Scripturæ auctoritate membra præcidenda sunt, quæ fomenta non sentiunt, medicus sub specie consilii, ægrum nullatenus posse sanari nisi pedis mutilatione, pronuntiavit. Mater E
vero, audito mutilationis verbo, singultibus vocem interrumpens ingemiscit, et vicum questibus implens, Me miseram, clamat. Ad cujus clamorem convicanei ejus sub obtentu consolationis confluxerunt.

e

f

consilio mulieris nuper sanatæ

33 Inter quos mulier quædam, quæ nuper ab infirmitate, qua tenebatur, S. Fiacrii suffragantibus meritis, fuerat liberata, cito gressu acceleravit. Hæc autem, ut erat plena fide, quoniam a diversis ad memoratum Sanctum confluentibus stupenda et inaudita, quæ per sanctum Fiacrium patrata fuerant, obiter audierat mirabilia, lacrymantem ita verbis solatur amicis: Noli, inquit, flere, noli dolere, tantum audi verba mea, acquiesce consilio meo, quod tibi et filio tuo erit salutare: devove filium tuum sancto Fiacrio, se servum ejus profiteatur singulis annis, quoad vixerit, quatuor denarios de capite suo ei persolvat, natale ejus solenniter celebret; in fide mea polliceor pro S. Fiacrio; fideliter spondeo, quæ tibi placuerit, cautionem præstitura, quod in brevi filius tuus tibi restituetur incolumis.

F

se devovet S. Fiacrio et sanatur.

34 Hæc æger intenta aure percipiens, ait: Benedicta tu hodie et benedicta verba oris tui. Sanum consilium tuum: et ideo benedicta hora adventus tui. Secundum autem formam consilii, quam acceperat, se voto astrinxit, dicens: Hodie me servum sancti Fiacrii esse profiteor. Et valedicto medico, ad suffragia sæpedicti Sancti se convertit. Suspiria vero ab imo trahens pectore, preces non sine lacrymis affectuosas et uberes in hunc modum fudit: Sancte Fiacri, confessor venerande, summi Dei amice, tu dulcedo pauperum, tu pius consolator miserorum, tu misericors curator languidorum, esto mihi adjutor et consolator in instanti necessitate. Tu solus post Deum de cetero medicus, et medela mei eris: et cum ceteris de quacumque tribulatione ad te toto corde clamantibus in subventione sis munificus; confido in Domino, et veraciter credo, quod ego solus beneficiorum tuorum non ero expers et immunis. Succurre celeriter, subveni misericorditer: me tibi commendo, me tuæ curæ committo. Sicut fuerit voluntas in cælo, et quod bonum est in oculis tuis, hoc mihi fiat. Hiis dictis, in devotione concepta persistens melius et quietius se habuit. Unde factum est, ut, paucis

A. ANONYMO. paucis elapsis diebus, meritis et intercessione sancti Fiacrii plenam et perfectam reciperet sanitatem, nec aliqua postmodum ipsius morbi superfuere vestigia.

ANNOTATA.

a Bellovacum *sæpe dicebatur* Belvacum *medio ævo, Gallis* Beauvais. *Hinc territorium* Bellovacense *seu* Belvacense, *vulgo* le Beauvaisis. *Inter vicos majores Bellovacorum Adrianus Valesius pag.* 80 *Notitiæ Galliarum primo recenset* Britolium, *vulgo* Breteuil. *Hoc etiam, uti et sequens, miraculum in aliis Mss. narratur eodem modo, sed locorum nomina in illis luxata sunt.*

b Mons Letherici, *alias* Mons Lethericus, *vulgo* Mont-Lehery *vicus est in colle prope Castrum oppidum in Insula Franciæ.*

c *Id est, multis medicamentis frustra sumptis.*

d *Urbs Suessionensis, alias* Augusta Suessionum, *et vulgo* Soissons, *nota est civitas in Insula Franciæ.*

e Rotomagus *seu* Rothomagus (Roüen) *urbs* B *est primaria Normanniæ ad Sequanam flumen.*

f *Pro vocibus apographi,* dum in silva lignis, *in codice habetur,* dum insula linnis: *correctionem secutus sum, quia satis videtur certa.*

CAPUT IV.

Morbi diversi ope Sancti depulsi: quidam blasphemi primum puniti, deinde pœnitentes sanati.

Quidam polypo misere affectus, a b

Vir quidam in territorio Ambianensium *a* morbum, quem medici polypum *b* vocant, incurrit. Qui ad quantitatem ovi gallinæ, de naribus ejus erumpens, vultum ejus deformiter dehonestavit, et horribilem aspectu, odoratu fœtidum, auditu terribilem reddidit. Morbus siquidem vias spiritus ita intercluserat, ut cum inspi- C randi et respirandi frequentaret vices, vocem anseris videretur emittere, fœtor etiam exinde corruptione sanguinis et saniei jugiter exinde profluentium, intolerabilis oriebatur. Quod enm non latuit: unde hominum, quantum potuit, declinavit aspectus. Huic soror unica obsequendi gratia et familiariter adhæsit, ceteris ab eo quasi a monstro declinantibus.

ad Sancti sepulcrum curatur;

36 Videns autem se ab omnibus haberi despectui, convertit se ad suffragia sancti Fiacrii, et nudis pedibus iter arripiens, ad sanctum laboravit* Fiacrium. Ad quem locum ex quo accessit, quis gemitus et singultus cordis ejus enucleare, quis lacrymarum profluvium exponere, quis orationum affectuosarum devotionem et puritatem posset evolvere? Sancti itaque reliquias devote invisens, multo mœrore confectus, et labore viæ fatigatus, tandem projecit se ad Sancti sepulchrum et suaviter obdormivit. Misericors et miserator Dominus, qui semper respicit in orationem humilium, et numquam sprevit preces eorum, sed luctum convertit in gaudium, concidendo saccum eorum. Expergefactus namque a sompno carunculam, quam morbus e naribus ejus produxerat, sine ulla læsione membri, cui inhæserat, coram se repperit, et leni attactu labia et nasum palpans, se perfecte curatum invenit. D Egressus itaque foras vultum aqua lavit, et iterum ad monumentum Sancti gratias Deo et sancto Fiacrio relaturus accessit: ubi puræ orationis balsamo aures summi Dei replevit. Sic autem lætus, sanus et incolumis, nullo morbi signo interius exteriusve apparente, repedavit ad propria. O fidei sinceritas, quid non impetras? montes transfers, lapides emollis, a vultu tuo feriua mansuescunt.

* addendum pervenire

alter eodem malo liberatus,

37 A simili morbo, sed dispari modo, juvenis quidam, Odo nomine, ad preces sancti Fiacrii perfecte curatus est. Hunc autem Odonem ruris sancti Fiacrii tunc temporis incolæ, pusilli et magni, universi et singuli videre potuerunt, et testimonium veritati perhibuerunt. Qui sanus effectus, in obsequio monachorum ibidem Deo servientium, per annos aliquot devotus extitit. Postmodum vero apud villam, quæ dicitur Colummes, uxorem duxit, et mansionarius resedit. Vidimus etiam quamplures a simili morbo per intercessionem sancti Fiacrii curatos, de quibus singulis non est nostræ possibilitatis scribere. Multa enim millia E *e* utriusque sexus ad monasterium prædicti Sancti convenient, et singuli gaudentes referunt per ejusdem Sancti suffragia a diversis infirmitatibus se esse curatos. Ad describendum vero modum curationis singulorum non sufficeret Demosthenis eloquentia. O viri sanctitas! Medici a cura deficiunt, et Sancti preces morbos repellunt. Languescit medicina, et piæ orationis subveniunt suffragia. Merita non suppetunt, et sinceræ fidei ardor extorquet. Natura quidem denegat, sed supplet fides beneficium.

Quidam apud sepulcrum partim sanatus ex fico, d

38 Homo quidam morbo, quem vulgariter ficum *d* appellamus, laborabat, nec aliquis medicorum, cum multi multam impendissent operam, cum curare valebat. Desperans tandem de medicis, ut recederent jussit; et totam spem suam in Deo sanctoque Fiacrio ponens, votum fecit, Sanctique monasterium devotus expetiit. Ibi vero, etsi non perfectam, prout desiderabat, adeptus est sanitatem, maximum tamen suæ infirmitatis levamen est consecutus. Recedentem ad propria Joannes monachus, qui tunc Sancti reliquias custodiebat, ut bono esset animo admonuit, et ne sibi medicinas aliquas ulterius adhiberet, diligenter præcepit. F

dum medicum adhibet, deterius habet, eoque relicto integre sanatur:

39 Homo præfatus ad domum suam reversus, et nondum perfecte sanatus medicis iterum se commisit, et de die in diem se molestius cœpit habere. Cum autem die quadam medicus urinam inspiceret, vas vitreum, in quo urina erat, crepuit, et urina cum vasculo per medium scisso huc illucque cum impetu prosiliens erupit, et medicum novitate rei perterritum turpiter humectavit. Quod videns infirmus, corde compunctus erubuit, medicum amovit, votum ampliavit, et sancti Fiacrii monasterium repetens, perfectam sanitatem, quam diu multumque optarat, obtinuit. Sanitate recepta, loci fratribus valedixit, et lætus et hilaris ad propria remeavit.

quidam irridentes socios, quod invisere vellent S. Fiacrium, e

40 Septem peregrini de sancto Dionysio *e* venientes, cum non longe essent a monasterio sancti Fiacrii, quatuor ex illis dixerunt: Eamus ad sanctum Fiacrium, quia prope monasterium ejus sumus. Quibus alii tres responderunt, dicentes: Nos ficosi * non sumus, et non habent necesse ire ad eum, nisi illi, qui ficosi sunt. Ipse non habet peregrinos, nisi ficosos. Ite vos ad eum, qui necesse habetis, qui ficosi estis, et nos ad propria tendemus. Valedicentes ergo discesserunt ab

* i. e. ficis infecti

A ab invicem. Incedentibus illis quatuor supradictis per viam, quæ ducit ad prædicti Sancti monasterium, alii tres clamaverunt irridentes post illos, dicentes : Ite ficosi ad medicum ficosorum. Et hæc eadem verba blasphemantes contumeliose sæpius repetebant. Nec mora, ultio divina cæcitate percussit eos, cæci namque subito facti sunt, ita ut apertis oculis nihil viderent.

excitate percutiuntur, at pœnitentes

41 Dicebant autem ad invicem : Quomodo dies ista paulo ante tam serena, repente nobis in obscuram noctem conversa est? Proculdubio idcirco venit super nos cæcitas ista, quia in sanctum Fiacrium blasphemavimus, et ad ejus monasterium cum sociis nostris ire contempsimus. Agamus pœnitentiam, petamus indulgentiam, vocemus socios nostros. Clamaverunt ergo post illos, vocantes eos. At illi, putantes eos velle sibi illudere, repedare noluerunt. Sed ad jam dictum monasterium perrexerunt, et facta oratione per camdem viam revertebantur properantes, ut socios suos possent consequi.

ad sepulcrum Sancti visum recipiunt :

42 Cum autem venissent ad locum, ubi dimiserant illos, videntes per agros errare, et cæcos esse, dixerunt : Quid vobis contigit ? At illi : Quia
B nos insensati et contumeliosi in sanctum Fiacrium, et in vos blasphemavimus, ideo cæcitate percussi sumus, et quod sponte facere contempsimus, modo ejusdem Sancti suffragia implorare necessitate compellimur. Ducite nos ad ejus monasterium, et satisfaciemus illi, orantes et precantes, ut misericors Deus, Sancto interveniente Fiacrio, hunc reatum nobis dimittat, et amissum lumen restituat. Quo dicto, illi cæcos ad sæpe tactum monasterium duxerunt, qui Sancto satisfecerunt, preces devotas et affectuosas fuderunt, votum feceruut, ibidem visum optatum receperunt : videntes, gaudentes, et Deo gratias agentes ad propria reversi sunt.

æger tendens ad S. Fiacrium,

43 Quidam e fratribus nostris, Milo nomine, visum a se et a pluribus hoc, quod annectimus, miraculum narrare consuevit. Cujus narratio, si propter ipsius testimonium minus credibilis videtur, sufficiat ad testimonium virorum ac mulierum, qui cum eo affuerunt, non minima multitudo. Ego, inquit, cum apud villam, quæ dicitur Ruy, aliquando commorarer, quadam die sedente me in domo et circa rei familiaris curam
C occupato, subito insoliti clamoris horror auribus meis insonuit. Unde turbatus et conterritus processi ad publicum; et inveni hominem, quantum animadverti poterat, annos circiter triginta habentem, sed diuturni languoris molestia macilentum et tenuem, qui hos clamores in cælum, laudans et glorificans Deum, emittebat : Adjuva me, Domine Deus meus : adjuva me, sancte Fiacri.

et in via

44 Hiis vocibus stupefactus, viris et mulieribus, qui simul excitati convenerant, adjunxi me ad hominem, interrogans et scire volens, quid causæ esset, et quid velut mente captus pateretur. Ille autem, interrogationem meam parvipendens, et responsione sua me indignum æstimans, nec ad modicum a cœptis laudibus cessare patiebatur. Cumque ad ecclesiam ejusdem vici, quæ viæ contigua est, propinquaret, ante ostium monasterii in modum crucis sese prosternens, cum grandi supplicatione orationem fudit ad Dominum. Cumque ab oratione surrexisset, ego et alii plures, qui ad hoc spectaculum convenerant, propius accessimus, rogantes ut eventum rei nobis aperiret. Tunc ille, quasi de excessu mentis ad se rediens, ad nos conversus, Quid, inquit, viri fratres, me admiramini? quid me aspicitis hominem, cui datum est videre et audire mirabilia hodie ?

A. Anonymo.

a sociis derelictus, apparente Sancto,

45 Ego quidem in Flandriarum partibus oriundus, longa et molesta infirmitate detentus, audita fama miraculorum sancti Fiacrii, causa recuperandæ salutis, cum sociis ad ejusdem monasterium iter arripui. Qui videlicet socii infirmitatis meæ molestiam non ferentes, et dilationem viæ, quia duobus diebus iter unius diei vix complere poteram, in proxima villa me solo relicto, hodie mane viam suam profecturi recesserunt. Cumque secus viam solus resedissem, et plangerem dolorem meum, peregrinationem, patriæ et sociorum amissionem, subito apparuit mihi persona quædam facie quidem venerabilis, eremitæ prætendens imaginem, qui me hiis verbis alloqui cœpit : Quid hic agis, bone vir? cur ita plangis, et quo tendis? Ad quem ego ; Domine, hic modo resedi, ut plangam dolorem meum, et ad monasterium sancti Fiacrii propero; sed, ingravescente infirmitate, ulterius progredi non possum, sociorum meorum solatio destitutus. E

pergere jubetur, sanatusque

46 Tunc persona dulci et suavi alloquio, Surge, inquit, festinus, noli dubitare, sed prosequere socios tuos; quia, si volueris, poteris eos ad locum, quo tendis, etiam prævenire. Post hanc vocem, cum subito disparuisset, ecce, Deo gratias, quasi cælitus elapsa repente inæstimabilis quædam sanitas, et suavitas per omnes artus meos diffusa est. Sensi remedium mihi advenisse, et genitalia mea, quæ ad utris instar inflata erant, naturalem formam et statum pristinum recepisse. Ego ad subitam corporis mei mutationem expavescens exilivi, et steti super pedes meos, et cœpi currere laudans et glorificans Deum et Dominum, misericordiam et veritatem sancti Fiacrii, qui me visitare, et sanitatem diu desideratam mihi reddere dignatus est.

et exultans socios prævenit.

47 Post hæc cœpit nobis inspicientibus denudare ventrem suum, et nullam habens verecundiam clamosa voce dicere : Videte, videte sanitatem corporis mei : videte et cognoscite, quomodo, qui hodie mane pedem movere non poteram, tam incolumis et lætus repente effectus sum. Et adjunxit : Sinite me, fratres, sinite me abire, et nolite diutius tenere, ut juxta promissionem sancti Fiacrii, so- F cios meos ad ejusdem monasterium prætendere valeam. Cumque valedicens recessisset a nobis, non cessans laudare nomen Domini, et clamitare nomen sancti Fiacrii, non euntem, immo potius celeriter currentem, longo intuitu prosequebamur admirantes et laudantes Deum, qui solus facit mirabilia.

ANNOTATA.

a Ambianum, *vulgo* Amiens, *urbs est Galliæ ad Somonam flumen in Picardia provincia.*

b Polypus, *inquit Gorræus in Definitionibus medicis,* est tumor præter naturam in naribus genitus, polypi carni similis, secundum substantiæ proprietatem. *Quod latius sibi exponit, citans etiam hæc Celsi verba :* Polypus in naribus est caruncula modo alba, modo subrubra, quæ narium ossi inhæret, et modo ad labra pendens narem implet, modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increscit, ut post uvam conspici possit, strangulatque hominem, maximo Austro aut Euro flante, fere mollis est, raro dura, eaque magis spiritum impedit, et nares dilatat, quæ καρκινώδης est.

c *In*

A. ANONYMO.

c *In codice legitur,* mirabilia; *at in apographo correctum,* millia.

d Ficus, *(alias* marisca) est tumor a fici similitudine sic dictus, *ait laudatus Gorræus ad vocem* σύκωσις, *sic enim Græce vocatur. Oritur id malum in variis corporis partibus, sed maxime in pudendis ac difficulter curari potest.*

e *Fanum S. Dionysii, ubi martyr ille solemniter colitur, situm est in provincia Insulæ Franciæ ad Crodoldum * fluviolum, qui paullo inferius Sequanæ miscetur.*

* le Crou

CAPUT V.

Apparet S. Fiacrius cuidam, quem sanat et docet filium ei natum : sanati alii : puella ex castitatis periculo morbo simul erepta.

B

Cuidam, post abjectas medicinas, S. Fiacrium invocanti

* *i. e.* ruricola

Peregrinus quidam venit ad sanctum Fiacrium, ut ab ipso suæ infirmitatis levamen impetrare mereretur, quem ruricus * de sancto Fiacrio hospitalitatis gratia suscepit in domum suam. Vespere igitur facto, cum secus ignem sederent, prædictus ruricus videns cum tenentem sacculum, ait illi : Bone frater, quid habetur in hoc sacculo? Cui ille, Domine, inquit, in hoc sacculo continetur pulvis, quem suscepi a medicis : frequenter enim morbus, quem patior, sanguine madet. Ego vero informatus a medicis, pulverem istum superpono. Cui prædictus hospes sic ait : Si bonus peregrinus esses, curam tui corporis Deo et sancto Fiacrio ex toto committeres, contemptis aliis medicis, et omnibus illorum medicinis. Sanctus enim Fiacrius bonus medicus est; et non indiget potione nec pulvere. At peregrinus mente compunctus, Vere, inquit, dixisti. Quo dicto, sacculum et pulverem projecit in ignem, dicens : Amodo non committam me alicui medico, et morbo, quem patior, ulterius pulverem non adhibebo. Et adjunxit : Misericors et miserator Deus sit mihi medicus, et amicus ejus sanctus Fiacrius.

C

apparet Sanctus, donatumque sanitate docet filium ei natum :

49 Cum igitur nocte illa, aliis dormientibus, ille se sopori dedisset, apparuit ei beatus Fiacrius in veste candida, crucem ligneam gerens, et odor vestimentorum ejus super omnia aromata, et ait illi : Ego sum, frater, Fiacrius, cujus auxilium imploras. Et quia pulverem, quem a medicis acceperas, in ignem projecisti; ecce venio te curare. Noli dubitare, quia fides tua te salvum fecit. Insuper aliud annuntiabo tibi gaudium, quia uxor tua, quam in domo tua gravidam reliquisti, peperit tibi filium. His dictis Sanctus disparuit, et mira odoris fragrantia domum illam plenam reliquit. Peregrinus vero evigilans, et se esse incolumem sentiens, gaudio indicibili gaudens, hospitem suum suscitavit a somno, dicens : Bone hospes, respexit me divina misericordia : collata quidem sunt mihi sospitatis beneficia per sancti Fiacrii pia suffragia, qui mihi dormienti modo apparuit, de cujus vestimentis odor suavissimus processit, quem adhuc ipse sentire potes. Et præterea ipse mihi dixit, quod uxor mea in nocte isto peperit mihi filium. Sit igitur nox ista benedicta, in qua tantum suscepi gaudium, in qua tam magnum, tam dulce, tam ineffabile, desiderabile et incomparabile collatum est mihi divinitus beneficium. Mane igitur facto cum hospite suo in monasterium Sancti venit, ad cujus tumulum cum Deo et sancto Fiacrio gratias egisset, rediit ad propria. Qui singulis annis ad monasterium Sancti cum filio suo venire, et votum debitum solvere consuevit.

D

alter gravi infirmitate, a

50 In territorio Atrabatensi *a* erat homo quidam noxiis et superfluis humoribus plenus, qui adeo turgidus et inflatus erat, ut cutis ejus lucida et extenta cunctis intuentibus esset stupori : viscerum siquidem torsiones anxius patiebatur, et incommodum hujusmodi passus, per quatuor annos medicorum opem quæsierat. Cui cum multi medicorum multam impedissent operam, in vanum laboraverunt. Irritatus ergo a medicis, totam spem suam in Deo sanctoque Fiacrio ponens, proposuit ad ejus properare monasterium. Sed quid infelix ageret? Tanta erat moles sui corporis, quod seipsum portare non poterat. Propterea vehiculum conducitur, cujus adminiculo ad prædictum monasterium præfatus infirmus perducitur.

E

post invisum Sancti sepulcrum, liberatus :

51 Qui introgressus ad Sancti tumbam cum multa lacrymarum effusione preces affectuosas devotus obtulit, et ut mereretur accipere sospitatis beneficium, Sancti suppliciter implorabat auxilium Precibus vero lacrymabiliter insistens, obdormivit ibidem. Qui post paululum evigilans sitim patiebatur. Et egressus venit ad fontem non longe positum a monasterio, de quo cum magna aviditate tantum bibit, quantum in una die numquam se bibisse memorabat. Nec mora, necessitas eum compulit ventrem purgare et in egestione illa mirabiliter infirmitatem et omnes noxios humores pariter exposuit. Consequutus itaque diu desideratam sanitatem, nullum sui corporis sentiens incommodum, circumspiciebat undique membra sua, et crura, pedes, manus et brachia, latera hinc et inde, et invenit se gracilem, sanum et incolumem. Intellexit igitur a misericorde Deo per sanctum Fiacrium se esse sanitati restitutum : et erumpens in lacrymas præ gaudio, debitas gratias retulit Deo, votumque fecit S. Fiacrio.

alius a sociis in via desertus,

F

52 Tres juvenes pariter tendebant ad sanctum Fiacrium, quorum duo dudum diu ægrotaverant, et per intercessionem beati Fiacrii a misericorde Deo sospitatem obtinebant. Unde singulis annis ad jam dicti Sancti monasterium venire et vota sua deferre consueverant. Alius vero, qui cum illis veniebat, infeliciter ægrotabat : morbo enim, quem vulgo appellamus ficum, nimis obsessus erat, et multis anxietatibus cruciabatur. Sæpius quidem in tantum graviter torquebatur, ut non minori dolore affligeretur, quam si corpus ejus gladio transfigeretur. Ibat autem cum illis ut infirmitatis suæ levamen, sancto interveniente Fiacrio, a Domino mereretur obtinere. Erat autem hebdomada, quæ dicitur pœnosa. Illi vero, qui incolumes erant, ad invicem dicebant : Oportet nos in eundo ita properare, ut in die sancto Paschæ ad monasterium sancti Fiacrii pervenire, et divinis officiis et Missarum celebrationibus interesse, et Corpori et sanguini Domini communicare possimus, sicut decet Christianos in pachali solemnitate. Hortabantur itaque illum infirmum, ut citius properaret, sed ille infirmitatis obstaculo præpeditus, citius properare non poterat. Unde contigit, ut relinquerent eum in via.

53 Ille vero juvenis dolebat se esse derelictum

a

A a sociis, quasi abjectum et despectum. Unde profundius suspirans, et uberius lacrymas fundens, attentius et affectuosius sanctum Fiacrium invocabat, et ejus auxilium devotus implorabat. Accidit ergo, ut in tanta mentis amaritudine obdormiret in via. Dormienti vero sanctus astitit Fiacrius, dicens: Ego sum, frater, Fiacrius, quem tantopere invocasti, lacrymas tuas et contritionem cordis tui vidi, et te curare veni. Surge, quia sanus factus es: et si volueris, ad monasterium meum socios tuos prævenire poteris. Hiis dictis, disparuit Sanctus. Ille autem a sompno excitatus, sanus et incolumis factus, gaudio gaudebat, velociter currebat, socios suos præveniens, ad prædictum monasterium celeriter properabat. Quo cum pervenisset, Deo et sancto Fiacrio et gratias egit, et narravit monachis ibidem Deo famulantibus, et peregrinis astantibus, quam misericorditer et quam celeriter sanctus eum curaverit Fiacrius. Cum itaque eventum rei per ordinem astantibus *b* narraret, ecce, qui eum in via reliquerant, supervenerunt, et videntes eum repleti sunt stupore et extasi in eo, quod B contigerat illi.

a Sancto apparente sanatur:

54 Puella quædam secundum carnis putredinem pulchra, sed morbo, quem appellamus ficum, graviter obsessa, ad sancti Fiacrii monasterium tendebat, ut per ejusdem Sancti suffragium suæ infirmitatis obtineret remedium. Dum itaque esset in itinere, fuit ei obviam miles quidam, quem sequebatur a longe adolescens equo residens. Qui videns eam solam, visam concupivit, et concupiscentia subvertit cor ejus. Quanto decorem formæ illius attentius intuebatur *c*, tanto magis libidinis igne succendebatur. Cogitans ergo eam viribus opprimere, apprehendit eam, et elevavit super collum equi sui. Illa autem perterrita, sic ait ad juvenem *d*: Parce michi, obsecro, bone frater, parce infirmitati meæ, parce mihi ad sanctum Fiacrium eunti. Audiens hæc juvenis, verba ejus parvipendebat, et desiderium malignum adimplere satagens, nichilominus vim ei inferre parabat.

puella ægra proficiscens ad S. Fiacrium incidit in periculum castitatis,

55 Tunc puella in articulo tanti mali posita, voce lacrymabili exclamavit, et ait: Sancte Fiacri, amice summe Dei, esto michi adjutor et defensor in C præsenti necessitate. Miles vero audiens clamorem puellæ, reflexit equum, et cum calcaribus urgens, citius illuc usque pervenit et multis increpationibus eum durius corripiens, puellam de manibus ejus liberavit. Illa autem liberata inceptum peregit iter. Pater igitur misericordiarum, qui ubique præsens est, cujus oculi contemplantur in omni loco bonos et malos, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Deus, inquam, totius consolationis misericorditer consolatus est eam. Eadem namque hora, qua per militem liberavit eam de juvenis violentia, liberavit etiam per sanctum Fiacrium de infirmitatis molestia.

quo simul et morbo liberatur, invocato Sancto:

56 Ipse etiam idem Deus ultionum Dominus, qui per prophetam dixit: Da mihi vindictam et ego retribuam; qui facit judicium injuriam patientibus, injuriam puellæ noluit inultam relinquere. Juvenis namque eodem morbo cœpit laborare, quo puella laboraverat. Unde intellexit justo Dei judicio se esse percussum. Puella itaque postquam de manibus juvenis liberata est, nullum sui corporis passa est incommodum, sed per Dei gratiam, perfectam obtinuit sanitatem. Gratias ergo redditura Deo et sancto Fiacrio, ad ejus monasterium pervenit. Præfatus igitur juvenis sequenti nocte, aliis dormientibus, dormire non potuit, sed multis afflictus doloribus, omnes, qui aderant, in domo perturbavit lacrymabili questu, et clamore miserabili.

juvenis vero, qui vim ei inferre voluerat, eodem morbo punitus

A. Anonymo.

57 Mane autem facto, perrexit ad monasterium, in quo sacerdos divinum celebrabat Officium. Quo peracto, ad pedes sacerdotis prostratus humiliter reatus sui culpam confessus est: et quia puellæ sanctum Fiacrium invocanti injuriam violenter irrogare præsumperat, carnem suam virgis cædi, et pœnitentiam sibi injungi postulavit. Quo facto, ad propriam domum non est reversus, sed accepta a sacerdote licentia, nudis pedibus ad sanctum properavit Fiacrium. Ad cujus tumulum cum pervenisset, Sancto satisfecit, votum vovit, et plurimum lacrymatus est, orationem fudit ad Dominum, ut sicut, quia justus, in eo exercuerat justitiam; ita, quia misericors est, cum ipso faceret misericordiam. Adjutus igitur meritis et intercessione beati confessoris Fiacrii perfectam obtinuit sanitatem.

post confessionem et pœnitentiam apud Sancti sepulcrum convalescit.

ANNOTATA.

a Atrebatum, *Belgis* Atrecht, *Gallis* Arras, *urbs est Belgii, comitatus Artesiæ caput.* E

b *Hoc miraculum tam simile est illi, quod narratum est supra num.* 43 *et seqq., ut suspicio esse possit, idem prorsus esse, et forsan bis relatum, quia auctor ex diversorum testimonio illud acceperat.*

c *In codice legitur,* utebatur; *sed in apographo rectius,* intuebatur.

d *In codice videtur haberi,* ad invicem. *At secutus hic sum apographi correctionem.*

CAPUT XI.

Varii morbi depulsi interque eos cujusdam, qui ob blasphemiam in Sanctum laborare cœperat.

Mulier quædam orationis gratia Suessionis advenit, quam videns quidam peregrinus infirmitate graviter laborantem, interrogavit eam, F cujus morbi morbum pateretur. Quæ respondit se esse obsessam interius morbo, quem appellamus ficum. Cui peregrinus ait; Monasterium sancti Fiacrii est situm apud Meldensem civitatem, in quo idem Sanctus tumulatus est, ubi de longinquis regionibus conveniunt languidi, et diversis infirmitatibus oppressi, et per ejusdem Sancti merita frequenter restituuntur sanitati. Vade illuc, quia, si habueris fidem, procul dubio curaberis. Illa respondit: Multa loca Sanctorum peragravi; et in tantum fatigata sum, et infirmitate gravata, quod nec ulterius valeo progredi, nec ad propria reverti. At ille: Fac votum, inquit, sancto Fiacrio, et ego tibi pollicecor pro Sancto quamlibet cautionem præstiturus, quod in brevi te melius habebis. Mulier credidit, votum vovit statim in eodem momento melius se habuit, et ad sancti monasterium iter arripuit. Quæ cum esset itinere, necessitas eam compulit ventrem purgare. Unde ipsa divertit in quoddam nemus: de corpore vero ejus per secretum naturæ expositus est vermis rubeus, qui longior erat et

Mulier sanatu.

A. ANONYMO. et grossior brachio cujuslibet magni hominis. Quo exposito, omnem pariter exposuit ægritudinem. Sancto itaque suffragrante Fiacrio, perfectam consecuta sanitatem, ad ejusdem venit monasterium gaudens et hilaris gratias redditura.

uti et vir unus a

59 Apud sanctum Clodoaldum *a* in territorio Parisiensi ægrotabat homo quidam, qui circa cor gravissimas punctiones patiebatur iu tantum, ut præ nimio dolore sæpius amitteret usum loquendi. Tanta igitur anxietate constrictus, vicinorum suorum exhortationibus instructus et admonitus, votum fecit sancto Fiacrio. Qui statim duos evomuit vermes admirandæ atque stupendæ longitudinis et grossitudinis, et sic per merita et intercessionem sancti Fiacrii pristinæ restitutus est sanitati.

et alter : b

60 In Pruvinensi *b* territorio erat homo quidam, cujus membrum genitale fuit obsessum morbo, quem dicimus ficum. Cui cum multi medicorum multa adhibuissent medicamina, per duos annos nihil profecerunt. Evolutis igitur dúobus annis, homo prædictus ad monasterium sancti Fiacrii venit, membrum cercum simile B membro, in quo patiebatur, fecit et obtulit, votum vovit, sanitatem obtiuuit, sauus ad propria remeavit.

puer calculo graviter laborans

61 Mulier quædam dives et nobilis unicum habebat filium, quem contigit esse calculosum. Mater vero eum præcordialiter diligens, in tautum ejus infirmitati compatiebatur, ut uullo modo permitteret eum secari a medicis. Sciens ergo, quod eum sanctus Fiacrius sine dolore curare poterat, præcepit servis suis, ut præpararent vehiculum et viæ necessaria. Quibus paratis, ascendit cum filio in vehiculum, et ad prædicti Sancti monasterium venit. Ante cujus ingressum cum descendissent mater et filius, puerum necessitas mingere compulit, sed calculus urinæ meatum ita obstruxerat, ut mingere nequaquam posset, unde multis anxietatibus miser iufeliciter cruciabatur: et factum est, ut inter acerrimos dolores velut oblitus et insensibilis factus in terram corrueret. Pallidam habebat faciem, et emortuo corpore solus spiritus palpitabat in pectore. Mater filium morientem videbat et preces affectuosas fundebat, uberius flebat, profundius C suspirabat, sanctum Fiacrium invocabat, gemebat, dolebat: nec tamen de Dei misericordia diffidebat. Dicebat itaque: Saucte Fiacri, credo te tanti meriti esse apud Deum, quod possis mihi reddere filium meum. Tu miseris et afflictis misericorditer subvenire solitus es, per te convalescunt languidi, tu diversis infirmitatibus oppressos restituis sanitati. Quomodo ergo de te possum diffidere, cum tibi a Deo coucessum sit miseris succurrere? Aut quid mihi prodest, quod aliis misericorditer subvenis, si me solam miseram et infelicem beneficiorum tuorum expertem reliqueris?

ad sepulcrum integræ valetudini restitutus:

62 Dum mater sic lamentaretur, servi ejus, qui flentes puero assistebant, inter crura ejusdem pueri invenerunt calculum ovo columbino non minorem, qui per genitale membrum processerat, quod præ grossitudine calculi fissum et disruptum crepuerat. Quod videntes omnes, qui aderant, mirati sunt. Mater vero filium accepit in brachiis, et quia non licet mulieribus Sancti monasterium ingredi, stetit foris et flexis genibus ait: Sancte Fiacri, ecce offero tibi filium meum, ita ut cunctis diebus vitæ suæ singulis annis quatuor denarios de capite suo tibi reddat. Deinde præcepit servis suis, ut offerrent illud ad altare. Factum est, ut imperavit. Postea puer ad D tumbam sancti Fiacrii obdormivit, et sanitatem ita perfectam obtinuit, ut in membro genitali nec fissura quidem appareret exterius, nec aliquam læsionem deinceps puer sentiret interius.

quidam ob blasphemiam primum punitus, dein sanatus.

63 In territorio Parisiensi miles quidam erat, a quo uxor ejus licentiam quæsivit peregrinandi ad sanctum Fiacrium. Cui miles ait: Non habent necesse ire ad sanctum Fiacrium uisi illi, qui ficosi sunt. Et irridens interrogavit eam, utrum ficosa esset. Quæ cum respondisset se non ficosam esse, ille imprecatus est ei subjungens: Crastina die ficosa sis. Sequenti igitur nocte ille percussus est morbo, quem male optaverat uxori suæ: et aliis dormientibus, dormire non poterat: sed infinitis doloribus cruciatus, anxius graviter laborabat. Transacta nocte, mane intelligens se esse a Deo percussum et humiliatum, dixit uxori suæ: Vindicat Dominus in me blasphemiam, quam contumeliose hesterna die dixi in sanctum Fiacrium. Gravi etenim infirmitate laboro in tantum, ut mihi melius esset citius mori, quam iu tanta anxietate diutius vivere. Oportet ergo me ad ejus monasterium pergere. E Uxor ejus gaudens eo quod Deus ultionum Dominus injuriam sancti Fiacrii tam juste tamque manifeste ulcisceretur, suasit et monuit, ut citius Saucto satisfaceret. Qui statim ad Sancti monasterium venit, seipsum humiliavit, indulgentiam petiit, Sanctoque satisfaciens votum fecit, et sanitatis gratiam obtinuit.

ANNOTATA.

a Fauum S. Clodoaldi, (S. Clou) *distat duabus leucis Lutetia Parisiorum, ad Sequanam situm.*

b Proviuum *vel* Pruviuum, *vulgo* Provins, *urbs est Galliæ in Bria provincia.*

CAPUT VII.

Alii morbi, opitulante Sancto, sanati.

F

Canonicus Ordinis Præmonstratensis sanatus : a

Apud Præmonstratum *a* Canonicus quidam graviter ægrotabat, cujus infirmitati fratres ejusdem loci pietatis affectu compatiebautur. Erat enim amabilis valde, honestæ vitæ et bonæ conversationis. Qui cum diu ægrotasset, et de die in diem molestius se haberet, ad visitandum eum venit frater quidam, nomine Wilhelmus, in Meldensi territorio oriundus, qui ad ægrum accessit, dicens: Bone frater, obsecro te, ut me patienter audias, et verbis meis fidem adhibeas. Ecclesia quædam est Meldensi territorio fundata in honore sancti Fiacrii, in qua idem Sanctus tumulatus est, ubi conveniunt languidi, et diversis infirmitatibus oppressi, qui frequenter per ejusdem Sancti suffragia curantur. Confido ego in Domino, quod, si votum feceris ei, de hac infirmitate convalesces. Cui æger respondit: Non licet mihi facere votum siuc licentia abbatis. Vocatus itaque abbas, dedit ei licentiam ut votum facere. Æger igitur votum fecit, et eadem hora melius se habuit, meritisque et intercessione sancti Fiacrii repente quadam inæstimabilis sanitas cælitus clapsa per omnes artus ejus diffusa est, et infra paucos dies perfectam obtinuit sauitatem.

65 Mulier

A 65 Mulier quædam de Anglia cum unica filia sua perrexit ad sanctum Jacobum *b* orationis gratia. Quo cum pervenisset, et facta oratione illuc recessisset, in reditu unica filia ejus decidit in ægritudinem, et ad tantum sui corporis devenit incommodum, quod per tres dies et tres noctes non manducavit neque bibit nec locuta est. Omnes, qui eam videbant, de vita ejus desperabant. Mater igitur super unicam filiam suam plangebat, vitæ suæ solatium, animæ suæ dimidium, senectutis suæ baculum, se amisisse dolebat. Dum itaque mater lamentaretur, filia ejus obdormivit. Cui dormienti senex quidam reverenda canitie astitit, in manu crucem tenens ligneam, quam super pectus ægræ deposuit, cujus tactu miro modo atque inæstimabili puella sanitati restituta est. Cui puella sic ait : Ego ancilla tua obsecro, mi Domine, ut dicas mihi, quo appellaris nomine, qui me visitare dignatus es, per cujus suffragium sentio me suscepisse sospitatis beneficium. Cui senex : Ego sum sanctus Fiacrius et veni infirmitatem tuam curare. Vide ergo, ne ingrata mihi existas, sed pro collato tibi B beneficio gratias Deo reddítura, ad monasterium meum, quod in Meldensi territorio situm est, quantocius properare festina. Postea Sanctus disparuit. Illa evigilavit, matri flenti visionem aperuit statim, manducavit et bibit, et infra paucos dies integram sospitatem consequuta est.

et puella cui apparuit Sanctus : b

66 Item anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi æterni et veri Dei millesimo centesimo octogesimo octavo Odo quidam, sacerdos sacerrimæ virginis Genovefæ *c*, fere novitiorum novissimus, cum in sanctorum Petri et Pauli apostolorum vigiliis ex injuncto sibi, quod archichori *d* debebat officio, cæteros ad exultandum Domino, VENITE canens, concanonicos invitaret, repente cœpit acutissimas in coxa dextri lateris sentire punctiones. Augebat dolor intolerabilis, tolerabat tamen Officii coactione : necessitas stare loci cogebat et ordinis reverentia, cum re vera nihil amplius quam stare vereretur. In angusto posito standi mora crescebat angustia. Dolor inde vehementius affligebat, quod doloris vehementiam causamque simul dissimulare cogebatur. Urgebat dolor sciaticus *e*, quasi clavis infixis ossibus terebratis, acsi coxi vertebrum *f* C terebellum ignitum perforaret : labori cedendum suggerebat infirmitas, affirmabat pudor cedentem argui fictionis. Tantus ardor sentiebatur, ut proprius sentientis calamus calamitatem propriam non possit annotare.

Canonicus ischiade gravi correptus, c d e f

67 Quid igitur hiis morer? Mori cito levius quam morari sic diu judicabat. Vocantur Apostoli, quorum laudibus insistebat invigilans, sed consumpto tempore prece vacua cum gemitu, nec amovit medelam passionis ardori compassio, nec amovit ab impotente potestas Sanctorum indubitata corruptelam. Vocata tota nocte sanctissima sæpius Genovefa, salutem, quam afferre volebat, differre credebatur. Virgo quidem felicissima meritis, potentissima virtutibus, et gloriosa miraculis differebat miraculum, dum sancto Fiacrio deferebat. Audiebatur æger a Sanctis, audiebatur indignus exaudiri. Præcedente namque die gloriosissima beatissimi Confessoris actuum scripta, quæ nuper ad emendandum susceperat, legerat negligenter : legere enim et non intelligere, negligere est. Legit autem et non intelligit, qui capiens constructionem, instructionem non capit. Legit nec intelligit, qui de fide diffidit veritatis. Diffidentia parit incuriam; incuria contemptum. Contemptus autem diffidentiæ nepos, incuriæ soboles, iram provocat contemptorum. Dicit vero veritas : Omnia possibilia sunt credenti. Quod si credentem potentia, persequitur impotentia non credentem, nam contraria contrariis conveniunt; quid igitur mirum, si fiat impotens incredulus, qui virtutes Sanctorum sic transeuntes inspicit, ut non curet curationum Largitorem.

invocata primum aliorum Sanctorum ope,

A. Anonymo.

68 Factus igitur sic impotens, sequenti die, cum aliud non inveniret remedium, nisi lectulo decubaret, pedem, ut impedimentum, non in membrum trahens, vix ad lectum veniens, lectisternio *g* prosternitur. Dum igitur, immensitate doloris acrius insurgente, Fiacrius sanctus ad memoriam rediret; toto corpore per lectulum totum inordinate volutatus, casu manum in fenestram prælibrans librum beatissimi Confessoris ex dexteræ retractione, quam quietam tenere non poterat, in faciem suam cadentem recognovit. Quo viso, velut Orientis ex alto visitatione gavisus, repente Sancto Dei nominatim vocato, sub ipsa nominis beatissimi nominatione recepit sanitatem. Stupens igitur interventus initium accelerati, subventionem invenisse tam celerem, E exiliens et laudans Deum, ad chorum psallentium, quos dimiserat, pede jam non impedito repedavit.

pronuntiato solum S. Fiacrii nomine, mox convalescit. g

69 Ex his discat audientium discretio non esse tutum virtutibus Sanctorum derogare. Si enim laudatur in suorum laude Sanctorum Deus, sicut scriptum est : Laudate Dominum in Sanctis ejus, et in Sanctorum contemptu contemnitur. Audire vero Sanctorum miracula, si non laudes, derogare est; videre, si non prædices, invidere. Si enim invidiæ noxam et crimen detractionis incurrit, qui virtutem videns proximi, laudibus non extollit, quantis pœnis sive quam multis mulctandus est, qui videns miraculosas Dei virtutes dissimulat, et dignis eas laudibus non exaltat. Non enim dissimulare licet, quod ita patens est evidenter, ut quisquis non vult videre, sit invidus; quisquis vult videre, nec videt, cæcus; quisquis videt nec laudat, ingratus; quisquis laudanti contradicit, non tantum insanus, verum etiam immanissime furiosus. Contemptus ergo reus est, qui miracula Sanctorum non exaltat : quorum F uno contempto, contemnuntur omnes glutino charitatis uniti, vivi quidem lapides ut virtutum quatuor, et Evangelicæ quadratura regulæ conquadrarentur, tonsionibus expoliti, coædificati in habitaculum Dei, tamquam membra sub uno capite corporis unius in conjunctione se complectentia. Quisquis ergo Sanctorum unum offendit, offendit et alterum. Membri namque pati pars nulla potest animati, cum sit mœsta malis pars altera collateralis. Quod minime fieret, nisi totus ubique maneret spiritus effusus membris in corporis usus *h*. Sanctum igitur Fiacrium alacres veneremur, infirmorum baculum, anchoram naufragorum, cujus est in benedictione memoria. Cujus meritis et precibus habere mereamur accessum ad lucem immarcescibilem, quam solus inhabitat Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Docet auctor Sanctos colendos et hortatur ad cultum S. Fiacrii. h

ANNOTATA.

a Præmonstratum (Premonstré) *vicus est Galliæ in Picardia provincia, cum abbatia celebri, quæ*

A. ANONYMO. *quæ caput est Ordinis Præmonstratensis.*

b *Compostellam, opinor, in Gallæcia, ubi celeberrima est S. Jacobi veneratio.*

c *S. Genovefa Parisiensium patrona colitur* 3 *Januarii, ad quem diem de illa est actum.*

d Archichorus *est præcentor, qui choro præest, dum sacra liturgia peragitur.*

e Ischiadem *designat, Gallis* schiatique. *Dolor est coxendicis vulgo notus.*

f *Id est, coxæ vertebram.*

g Lectisternium *medii ævi scriptoribus quibusdam est* apparatus lecti *vel* lectus *ipse, ut videre est in Glossario Cangii.*

h *Ultimum miraculum ab alio auctore scriptum existimo, ac præcedentibus deinde additum. Primo quia huic soli tempus additur. Secundo quia præcedentia omnia scripta sunt stylo magis Latino, magisque concinno et sobrio, quam hoc postremum.*

APPENDIX I.

B *Miracula facta Divione in sacello ducis Burgundiæ,*

auctore anonymo.

Ex Ms. Divionensi.

CAPUT I.

Sanationes diversorum morborum variæ.

In sacello ducis Burgundiæ sanati morbi plurimi, a

Mirabilis *a* Deus in Sanctis suis, qui virtutem eis tribuit faciendi miracula, prodigia et signa magna in populo : inter quos beatissimus confessor Fiacrius eremita magnificus, quasi sol refulgens in diebus æstatis, sic ille refulsit in templo Dei. Patet evidentissime, dum coruscat innumeris miraculis, non solum in loco, in quo sanctissimum ejus corpus C honorifice requiescit; verum etiam in capella ducis Burgundiæ Divionensi a venerabilibus viris decano et capitulo, nec non a Christi fidelibus celeberrime honoratur et ecclesia decoratur. Licet omnipoteus Dominus ibidem per ipsius suffragia secreta et stupenda miracula faciat, secreta omnia dicere non possumus; sed ea, quæ certo experimento didicimus et vidimus, sub dissimulatione transire nolumus nec debemus, immo ad Dei gloriam et sancti Fiacrii honorem proponimus declarare.

nimirum Gangrænа puellæ b

2 In parochia sancti Nicolai de Divione quædam puella, Roseta nomine, cancrum *b* habebat in mammilla, ita quod magna pars mammillæ erat consumpta et corrosa. Ignorabat quid de tanta infirmitate posset facere, tamquam desperata de salute. Ivit ad quemdam famosum medicum supplicando, ut pro Dei misericordia sibi placeret dare de infirmitate sua tam gravi consilium opportunum. Medicus infirmitatem puellæ benigne aspexit, vidit locum fœtidum et usque ad costas corrosum; dixit puellæ : Filia charissima, non possum tibi dare aliquod remedium, quia infirmitas est incurabilis et de salute desperata : sed vade cum devotione ad altare beati D Fiacrii, et implora auxilium dilectissimi Amici Dei, et ipse per Dei gratiam adjuvabit te. Puella medico credidit, orationem ante imaginem beati Fiacrii fecit, et votum, quod de cætero in die suæ festivitatis opus manuum *e* non faceret, et vigiliam festi jejunaret, quotidie orationem suam devotam ante altare beati Fiacrii faciebat. Postmodum ad hospitium dicti medici veniebat : medicus semper eidem dicebat : Non demittas beatum Fiacrium in pace, sed semper ora, usque dum tibi reddiderit sanitatem, quia pius est et misericors petentibus se. Quæ fecit, prout sibi a medico injunctum fuerat : tantum ivit et tantum rediit, quod perfectam et integram sanitatem recepit.

3 Quædam mulier habebat mamillam incanceratam *d*, et non poterat consilium congruum invenire. Locuta fuit cum prædicto medico causa petendi consilium et juvamen. Medicus mulieri dixit : Vade ad altare beati Fiacrii, et ipsum devote implora, quia medicus est pius et misericors, et curat infirmitates diversas sine dolore et sine unguentis et emplastris. Huic * credens medico altare beati Fiacrii quotidie visitavit, votum E fecit, et curata est. *et mulieris : d* ** al. nutrix*

4 In parochia sancti Michaelis, in vico és Effrois *e*, Joanneta habebat heresipilem *f*, id est, sacrum ignem, in mammilla : quæ infirmitas dictam mulierem ita perurgebat, quod requiescere non poterat. Audivit miracula, quæ beatus Fiacrius in capella faciebat. Tota de salute desperata, perrexit celeriter ad altare beati Fiacrii, implorans auxilium dicti Sancti, suspirans et gravissimos emittens singultus. Quotidie sine interpolatione aliqua altare beati Fiacrii visitavit, ut de infirmitate sua haberet per sui gratiam remedium opportunum. Beatus Fiacrius, qui non spernit preces pauperum, sed in tribulatione exaudit piissimo, exaudivit preces mulieris : per suffragia beati Fiacrii sanata est. *erysipelas, e f*

5 Uxor Joannis de Sine-muro sellarii habebat fistulam *g* gravem in mammilla et non poterat secundum velle suum invenire consilium opportunum. Hæc mulier sapienti usa consilio ibat quotidie ad altare beati Fiacrii, ac in lacrymis exorabat beatum eremitam Fiacrium : et exaudita est oratio sua, ita quod sine aliquo medicamine perfectam et integram recepit sanitatem. F *fistula mammillæ, g*

6 In parochia sancti Michaelis de Divione Isabellis neptis Haymonini de Moolani *h* aurifabri habebat fistulam in lacrimali *i*. Quæ non poterat invenire consilium, nisi daret decem libras Turoni *k* cuidam chirurgo. Et tamen nolebat eam in cura accipere, sed posse suum facere. Per consilium cujusdam boni hominis quotidie altare beati Fiacrii visitavit : quæ flexis genibus orabat beatum Fiacrium dicens : Sancte Fiacri, gloriose confessor Domini, ergo deformis desperans de salute ad te confugio : audi me miseram et afflictam, et omni solatio destitutam : tu solamen es miseris et levamen doloris. Sic in oratione permansit, et velle suum impetravit, quia curata est perfecte sine aliquo remedio cum Dei auxilio et beati Fiacrii. *fistula lacrymalis, h i k*

7 Quædam mulier de Canabis habebat polypum in naribus fœtidum et horribilem ad videndum. Venit ad consilium cujusdam periti medici, ut de infirmitate sua consuleret et sanitatem præstaret. Medicus videns infirmitatem incurabilem, noluit propter honorem suum in cura accipere, sed remisit ad beatum Fiacrium dicens, *polypus,*

A cens, quod beatus Fiacrius tanti erat meriti et tantæ spiritualis scientiæ et virtutis, quod sanabat languidos, pestiferos et morbidos: Vade in pace ad beatum Fiacrium. Mulier dixit medico: Postquam non possum erga vos invenire auxilium, de vestro utens consilio, ibo ad beatum Fiacrium. Quæ fecit, prout dixit, cum maxima devotione et cordis amaritudine altare beati Fiacrii visitavit, orationem fecit et votum; et sic per merita beati Fiacrii sanitatem recepit.

erysipelas in manu. 8 Quædam mulier de Curia Armilphi habebat herisipilem in manu. Caro erat livida fœtida, nervi fœtidi et corrupti. Non poterat perfecte de cura invenire remedium. Ipsa de salute desperata, cum lacrymis ivit ad altare beati Fiacrii, orationem fecit et votum, se in custodia posuit: sic ad propria revertitur, quæ in paucis diebus sanata est.

hydrops, m 9 Quidam homo de Villarum super Hoichiam *m* erat hydropicus, turgidus et inflatus. Misit uxorem suam ad quemdam famosum medicum. Medicus videns urinam, iudicavit ipsum esse hydropicum: dicensque mulieri: Vade ad altare sancti Fiacrii in capella ducis Burgundiæ, in qua B beatus Fiacrius honoratur et colitur. Pro marito tuo, funde preces erga beatum Fiacrium: magnus est medicus, et facit cum Dei adjutorio mirabilia et miracula magna in istis partibus. Medicus aliquod regimen mulieri *n* docuit pro marito, et remisit ab beatum Fiacrium. Mulier tamquam uxor legalis cum recommendatione recessit a medico, ivit ad altare beati Fiacrii, et ante ejus imaginem amare flevit, orationem fecit et votum: sic maritus infra paucos dies liberatus et sanatus est.

tumor colli, o 10 In parochia beatæ Mariæ de Divione erat quædam puella, quæ habebat magnum botium *o* per plures annos in collo, et semper crescendo ad guttur descendebat. Mater et filia causa petendi consilium ad quemdam famosum medicum perrexerunt: doctum medicum in capella ducis Burgundiæ invenerunt, cui mater dixit: Domine mi, rogo vos et per misericordiam Jesu Christi, ut de infirmitate istius juvenculæ filiæ meæ des ei salubre consilium et juvamen. Medicus respondit: Ite primo ad altare beati Fiacrii preces fundere, et Sancto facere reverentiam et honorem: C et postea venite ad me. Facta oratione a matre et filia extra ecclesiam, venerunt ad medicum: qui medicus botium tetigit, in manu medici crepuit, manum medici et indumenta turpiter humectavit. Medicus matri dixit: Mihi pro certo videtur, quod non placet beato Fiacrio me intromittere de ista infirmitate, ex nunc laudo et consulo, quod filia vestra sit in cura beati Fiacrii. Mater et filia reddentes gratias medico, recesserunt. Filia altare beati Fiacrii visitavit, in oratione et devotione permansit: sic sine aliquo adjutorio de infirmitate convaluit.

fistula in pollice, p 11 Puella quædam de Varangis morabatur in parochia sancti Petri de Divione, et habebat fistulam in pollice. Prima junctura et uncia *p* pollicis erant jam mortificatæ * et corrosæ; nervique corrupti. Ivit ad quemdam medicum causa petendi consilium: cui dixit medicus: Visita primo altare beati Fiacrii, et postea veni ad me. Quæ puella cum matre sua venerunt ad medicum: vidit medicus pollicem corruptum, tetigit ossa corrupta, et nervi corrupti exierunt. Quæ in paucis diebus sanata est. Fecit votum ante imaginem beato Fiacrio quod diem suæ festivitatis observaret et vigiliam * jejunaret.

** i. e. putrefactæ*

** i. e. in pervigilio*

A ANONYMO *et in digito, q* 12 In parochia sancti Petri de Divione erat quædam Beguina *q* de Roura, Jaqueta nomine, quæ habebat fistulam in digito. Ossa jam erant corrupta et nervi corrupti. Venit ad supradictum medicum: quæ de consilio supradicti medici beato Fiaerio fecit hommagium et votum: ossa corrupta et nervi ceciderunt; in parvo tempore curata est.

ac erysipelas in digito. 13 In parochia sancti Michaëlis de Divione Stephaneta relicta Blamcheti custurarii *, habebat herisipilem, id est, sacrum ignem in digito: quæ tota desperata venit ad supradictum medicum causa petendi consilium. Medicus videns infirmitatem furiosam, Deo dimisit et beato Fiacrio. Dicta mulier gemens, et singultus gravissimos faciens pro eo, quod dictus medicus eam dimiserat sine aliquo consilio destitutam ac etiam desperatam; videns digitum suum ardentem et fumantem, recessit a medico pergens celeriter ad altare beati Fiacrii, implorans sanctissimum Amici Dei consilium et juvamen, dicens: O sancte Fiacri, tu in omnibus tribulationibus subvenis omnibus, qui tuum devote implorant auxilium: redde mihi obsecro digitum meum: aliter oportet me isto defectu mendicare: quia potes facere per gratiam, quæ tibi data est a Domino. Si mihi digitum meum reddideris, promitto tibi, quamdiu vixero, festum tuum celebrare, et vigiliam festi jejunare: et nunc de ancilla tua misera et afflicta facias velle * tuum; quia me offero in tuo servitio permanere: sic recessit. Crastina die primo altare beati Fiacrii visitavit, et postmodum medicum in suo hospitio invenit. Quæ sibi * digitum suum ostendit: omnis corruptio nervorum et juncturæ in simul ad terram cecidit. Medicus mulieri dixit: Mulier, beatus Fiacrius in te perficiat, quod incepit; vade in pace. Mulier recessit, et in paucis diebus sanitatem recepit. E

** i. e. sartori Gallice, cousturier*

** i. e voluntatem*

** i. e. ei*

ANNOTATA.

a *In Ms. Divionensi, de quo ante meminimus, præcedentibus miraculis, quæ partim ibi narrantur, partim omittuntur, subjunguntur non pauca sub hoc titulo:* Incipiunt miracula beati Fiacrii facta in capella domini ducis Burgundiæ de Divione. *Ex his nullum habetur in Ms. nostro, sed priora quædam leguntur in Ms. domini le Maire, quod conferemus cum Divionensi Ms. Scriptor horum miraculorum alius est ab illo, qui præcedentia exaravit.* Divio *autem, vulgo* Dijon, *caput est ducatus Burgundiæ.* F

b *Cancer, seu Gangræna, malum est vulgo cognitum.*

c *Duæ hæ voces,* opus manuum, *omissæ erant in Ms. Divionensi, sed leguntur in altero Ms., ex quo phrasim explevimus.*

d *Id est, gangræna infectam.*

e *Nomen est illius loci.*

f *Quod malum hic,* Heresipilis *vocatur, a medicis nominatur* erysipelas, *Græce* ἐρυσίπελας. *Ad hanc vocem de eo sic habet Gorræus:* Est tumor præter naturam in cute a sanguine et flava bile calidoribus, vel a sanguine fervente tenuique proveniens. *Malum istud latius ibi expositum videri potest.*

g Fistula *(Græce* σύριγξ) est sinus angustus, oblongus, callosus, interdum etiam obliquus, os habens, cui cicatrix obduci nequit, per quod humor certis temporibus tenuis excernitur. *Plura ibidem ad vocem* σύριγξ.

A. Anonymo.

h *In altero Ms.* de Nicolai.

i *Hac voce glandulam oculi designat, per quam exprimuntur lacrymæ. Medici fistulam hanc, quæ est in majori angulo oculi,* fistulam lacrymalem *vocant.*

k *In alio Ms.* Turones. *Suspicor legendum,* Turonenses, *referrique ad vocem* libras.

l *Vici cujusdam nomen est, ut in sequenti miraculo* Curia Armilphi : *at difficulter loci illi ignobiles assignare possunt.*

m *Locus hic æque mihi ignotus est, ac præcedentes.*

n *Id est, docuit mulierem, quo se modo maritus regere deberet, ne morbus ingravesceret.*

o *Id est, tumorem.*

p *Per unciam pollicis designat juncturam alteram.*

q *Beguinæ medium quoddam sequuntur vitæ institutum inter monasticum et seculare, et notæ sunt hodie in solo fere Belgio. Quo modo in Gallia esse desierint, dictum est in Actis S. Ludovici, tom. 5 Augusti pag. 502 et 503.*

B

CAPUT II.

Sanationes aliæ.

Sancta insuper fistula in coxa *a*

Quædam puella de Luseya, Stephaneta nomine, nutrita in parochia sancti Petri de Divione, habebat fistulam in scia *a*, ita quod usque ad genu totum erat concavum et abundantissime saniem emittebat. Quæ puella per plures annos infirmitatem sustinuerat, et aliquod remedium invenire non poterat. Ignorabat quid posset facere : usa perito consilio ivit ad altare beati Fiacrii, et frequentavit quotidie implorando ipsius auxilium, votum fecit Sancto et hommagium, et sanitatem integram et perfectam recepit.

ac in pede,

15 Margarita de Salvia habebat fistulam in pede gravissimam : et non poterat invenire consilium ac medelam. Mater ipsius de dolore compatiens, dixit filiæ : Filia mea charissima, ego video te præ dolore languescere et melius diligerem te videre C mortuam quam in tali statu permanere : filia mea charissima, eamus ad beatum Fiacrium domini ducis Burgundiæ : et credo, quod per gratiam, quæ data est sibi a Domino, sanabit te. Filia matri respondit : Mater charissima, nihil aliud desidero quam pretiosum Amicum Dei visitare. Quæ surrexerunt et visitaverunt altare beati Fiacrii : orationem suam fecerunt et votum, et in paucis diebus filia sanitatem recepit.

morbus alius gravissimus, *b*

16 Joannes domicellus *b* de Arcu laborabat in extremis Divione in domo fratris sui decani capellæ : nec sperabatur in aliquo de salute. Omnia erant pro funere præparata, candelabra, luminaria et omnia alia necessaria, prout decet. Videns autem frater suus decanus, quod medici eum tamquam desperatum dimiserant, flevit amare invocando auxilium beati Fiacrii, et exaudita est oratio sua : quia in illa hora dictus Joannes melius se habuit et de infirmitate convaluit, dictusque decanus credidit certissime, quod per merita beati Fiacrii frater suus de infirmitate convaluit.

fistula lacrymalis,

17 Catharina de parochia beati Petri de Divione habebat fistulam in lacrimali gravissimam. Videns autem, quod per quinque annos talem infirmitatem sustinuerat, et aliquod consilium invenire non poterat, sapienti usa consilio, frequentavit altare beati Fiacrii, et orationem fecit D et votum, et in continenti percepit auxilium beatissimi confessoris Fiacrii ; quia in paucis diebus sanata est.

strumæ et gangræna, *c*

18 In parochia beatæ Mariæ de Divione filia Bartholomæi custurarii habebat in collo scrophulas *c* gravissimas : quæ infirmitas vocatur malum regis. Item cancer occupabat pectus et mammillam dictæ puellæ. Itaque de infirmitate jam erat fere corrosa usque ad costas. Aliquod consilium de infirmitate invenire non poterat : invocavit auxilium beati Fiacrii, altare suum quotidie in capella visitavit, cum gemitu et fletu orationem fecit et votum, et sic in paucis diebus sanata est.

sublatum periculum ex nummo gutturi infixo, *d*

19 Filius Griphoneti de Divione puer quatuor annorum habebat unum grossum Turonensem *d* in gutture, et non poterat descendere inferius nec ascendere superius. Jam anhelitum amiserat et loquelam. Mater quasi furibunda clamabat : Heu mihi, Domine, quid faciam ? Sanctissime confessor Domini Fiacri, consolator miserorum, redde mihi filium meum, quia præ dolore langueo : per illam inæstimabilem potestatem, quam Deus tibi contulit, redde mihi filium meum : et ego me et illum tibi E offero in tuo servitio perpetuo permanere. Hoc dicto, in continenti nummus descendit inferius, anhelitum recuperavit et loquelam, et sic de tanto periculo liberatus est.

paralysis,

20 Richardus de Bera, moram faciens in villa de Canabis, erat in tanta infirmitate, quod de manibus et pedibus se adjuvare in aliquo non poterat : quam infirmitatem per longa tempora sustinuerat secundum posse suum : omnia medicamina per viam medicinæ nihil ad incommodum suum valuerunt. Dictus Richardus de tanta perplexitate gemens et suspirans habuit recursum ad beatum Fiacrium, obligavit se in suo servitio, quamdiu vitam duxerit in humanis, festum ipsius et translationem celebrare, et vigilias jejunare. Non est fraudatus a desiderio suo ; de lecto surrexit sanus et hilaris, venit ad altare beati Fiacrii faciendo reverentiam et honorem : et sic perfectam et integram recepit sanitatem.

ischias vel arthritis. *e* *f* *g*

21 Joannes de Fontanis *e* per duos annos gravem infirmitatem sustinuerat : quam infirmitatem sciaticum *f* et arthriticam vocant medici. Dictus Joannes se sustinere super pedes nec ire, nisi cum potentiis *g* poterat. Multas peregrinationes fecit ; et F aliquod consilium nec juvamen invenire potuit. Vicini dicti Joannis eidem dixerunt : Frater charissime, miramur de te, quia tu scis, et certo experimento didicimus miracula, quæ Deus facit in capella ducis Burgundiæ Divione precibus sedulis beati Fiacrii. Vade cum devotione ad altare beati Fiacrii, et invoca ipsius auxilium et pro certo credimus, quod recuperabis perfectam et integram sanitatem. Qui Joannes credidit : quadam die Dominica, prout potuit, altare beati Fiacrii visitavit : facta oratione, fecit votum et hommagium beato Fiacrio, et sensit se allevatum. Qui unam de suis potentiis super altare posuit, et recessit cum sola potentia et quodam parvo baculo. Die sequenti Dominica venit cum sola potentia ad altare beati Fiacrii : ipso existente *h* in oratione et devotione, surrexit magis fortis quam antea : dimisit super altare alteram potentiam, et recessit cum suo parvo baculo. Alia sequenti die Dominica venit iterum ad altare beati Fiacrii. Ipso existente in oratione et devotione, surrexit perfecte curatus baculumque dimisit, et sic sanus et hilaris ad propria remeavit.

22 Quædam puella quatuor annorum de Talento

A lento *i* habebat scrophulas in collo cancrosas. Mater puerulæ, cum non posset de filia aliquod consilium invenire, per novem dies cum filia de Talento venit ad altare beati Fiacrii : mater pro filia fecit votum beato Fiacrio, se et filiam in Sancti custodia posuit : dicta filia sua de infirmitate tam gravi convaluit et perfectam sanitatem recepit.

strumæ, i

fistula manus,

23 Aveliua beguina de Maynis campis de Divione habebat in manu fistulam, ita quod in tribus locis erat totaliter perforata : de brachio non poterat se in aliquo adjuvare. Tota de salute desperata ivit ad beatum Fiacrium, et ipsius altare devotissime visitavit, cum lacrymis beatum Fiacrium exoravit, imploravit ejus auxilium : et exaudita est oratio sua, quia in paucis diebus perfectam et integram sanitatem recepit.

crurum impotentia, k

24 Quidam famulus Noviomensis diœcesis venit cum potentiis de exercitu captivi *k* amiserat potestatem de tibiis. Tibiæ erat turgidæ et inflatæ : sustinere se non poterat nec ire, nisi cum potentiis. Venit cum devotione ad altare beati Fiacrii : postea unam de suis potentiis dimisit, tentando si posset ire cum sola potentia, quod B fecit. Vigilavit orando per totam noctem ante altare, et in mane sine potentiis cœpit ire, et sensit se totum allevatum. Inflatio tibiarum recessit totaliter, perfectam et integram recepit sanitatem.

ficus, l

25 Frater Joannes magister domus Albaripæ *l* de Divione, habebat gravem infirmitatem et horribilem in posteriori parte : quæ infirmitas ficus appellatur. Per longa tempora secrete, prout poterat, infirmitatem suam sustinuerat : sciebat enim miracula, quæ beatus Fiacrius faciebat cum Dei auxilio. Venit ad altare beati Fiacrii cum devotione maxima : et beatum Fiacrium devotissime exoravit. In parvo tempore omnis infirmitas fiscosa *m*, supereminentia et superfluitas sine aliquo gravamine ceciderunt : perfectam et integram sanitatem recepit.

m

demum gangræna et fistula

26 Filius Joannis Pinot habebat cancrum in fronte, et erat in magno periculo : de cura consilium invenire non poterat. Venit ad altare beati Fiacrii, per novem dies stetit * Divione, pœnitentiam fecit in pane et in aqua. Habebat etiam fistulam in pede et in genu. De omnibus istis infirmitatibus curatus est, et sic cum gaudio ad propria C remeavit.

* i. e. mansit

ANNOTATA.

a Scia, *Græcè* ἰσχίον, *coxam hic designat, opinor : licet aliquando pro parte tantum coxæ sumatur.*

b Domicellus *idem fere significat quod vox* dominus, *seu* minor dominus.

c Scrophulæ, *latine* strumæ, *Gallis* escroüelles. *Gorræus ad vocem Græcam* χοιρὰς *hoc malum sic describit :* Est tumor durus glandularum, quæ in cervice, alis et inguinibus sunt, *ut pluribus exponit. Vocatus* malum regis, *quia reges Galliæ infectos eo malo tangere solent, ut sanentur.*

d *Est species monetæ Gallicæ, vulgo* gros Tournois.

e Fontaine *vicus prope Divionem notatur in tabulis Burgundiæ.*

f Sciaticum, *Gallis* sciatique, *ischiadem haud dubie designat, de qua jam egimus. Verum ischias differt ab arthritide, seu morbo articulari, quem per* arthriticam *significare videtur, acsi idem esset malum.*

g Potentia, *Gallis* potence, *fulcrum subalare designat.* A Anonymo.

h *Hac phrasi corrupta, quæ mox recurrit, auctor minus Latine peritus idem significat, acsi diceret :* Postquam fuerat in oratione.

i Talen *vicus non procul ab urbe Divionensi locatur in tabulis.*

k *Phrasis haud dubie luxata est, nec satis certum est, quid auctor significare voluerit. Attamen constat, hominem illum usu crurum fuisse destitutum.*

l Alba Ripa *cœnobium est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Lingonensi, vulgo* Aube Rive *dictum : de quo plura Angelus Manrique in Annalibus Ordinis Cisterciensis ad annum* 1136 *cap.* 7.

m *Voces,* infirmitas fiscosa, *pro malo ipso seu fico adhibentur ab auctore.*

APPENDIX

ALTERA.

Miracula recentiora ex Plessio Latine reddita. E

Plessius in Historia ecclesiæ Meldensis lib. 1, *num.* 70 *multa breviter refert* S. Fiacrii *miracula, quæ in Actis scripta non sunt, iisque aut omnia aut certe pleraque sunt posteriora. Illa igitur hoc loco commemorabo, atque ex lingua Gallica in Latinam transferam, ut omnia, quæ reperimus ad Sanctum nostrum spectantia, hic habeantur conjuncta. Dominicus Seguier testatus est, à se* receptam sæpius in gravibus morbis S. Fiacrii meritis salutarem opem ; *cujus verba jam dedimus in Commentario num.* 17. *Joannes Castillonensis, comes Blesensis, in litteris donationis apud Plessium tom.* 2, *pag.* 174 *de* S. Fiacrio *ait Gallice :* Cujus preces sæpius apud Deum mihi salutares fuisse, iisque sanitatem meam promotam sæpius expertus sum. *Post duo hæc sic prosequitur Plessius citans* S. Fiacrii *tabularium.* *Miracula*

2 Maria de Brichanteau de Senecey, vidua Claudii de Beaufremont, qui... gubernator fuerat urbis et castri Aussonensis, VIII Decembris anni MDCXXII, Seniciaci * in Burgundia, meritis S. Fiacrii sanata est ex malo non vulgari capitis et humerorum, quod immedicabile judicabatur. Domicella Francissa de Vieupont, ipsius neptis, ea intentione vovit pedibus invisere ecclesiam S. Fiacrii : atque ejus preces exaudivit Deus : quod ipsa testata est, tacto sacrosancto Euangelio. *serius facta,* F

* Senecey

Paulus Beauvarlet, parochus * in Pecy, diœcesis Meldensis, XXIX Maii anni MDCXLIII liberatus est ventris fluxu tam immoderato atque intolerabili, ut ex eo mortem sibi imminere putaret.

* prieur-curé

Quædam ... Santonis Religiosa, ubi votum S. Fiacrio voverat, sanata est anno MDCXXII. Nata erat annis triginta et tribus ; et jam annis triginta facies ei oppleta erat scabie aliisque immunditiis, quæ omnem eluserant medicorum artem.

Œgidius du Plessis, Parochus in Yvor, diœcesis Suessionensis, anno MDCXXX ex pectoris inflammatione restitutus est, et ex retentione urinæ anno MDCIX, dum Lutetiæ litterarum studio vacabat.

Nicolaus

Ex Plessio. Nicolaus de Lavernot, adscriptus regii corporis custodibus, anno MDCXXIX Blesis, ubi tunc erat, liberatus est ulcere periculoso, quo mortem sibi inferendam cogitaverat.

seu sanationes plurimæ 3 Jacobus Grenon, parochus in Barbery, diœcesis Silvanectensis, crure dextero captus, integræ redditus est sanitati mense Augusto anni MDCXXVII, post votum S. Fiacrio factum.

Ludovicus de Cervillien, regius utriusque consilii senator, . . . cujus maxilla sinistra loco suo prorsus emota erat per imperitiam evulsoris dentium, sanatus est. Uxor ipsius votum S. Fiacrio vovebat, et maxilla, quæ malam perforare cœperat, sponte concidit, nullo ei creato dolore. Contigit hoc miraculum anno MDCXXVII.

Maria Denis vidua Antonii de Marvaise, scribæ regis anno MDCXIV liberata est sanguinis emissione, qua ab annis sex vexata fuerat, quæque eam ad extrema deduxerat,

** Vaucouleurs* Nicolaus Lefevre, Vallis Coloris * dominus, . . . anno MDCXXVI sanus evasit ex gangræna insanabili, quæ corrodebat malam sinistram, labia, et nasum.

B Filibertus Pelet, dominus de la Plaine, unus ex regii corporis custodibus, anno MDCXLIII sanatus est ex vulneribus, quæ in capite et in bracrio acceperat in conflictu contra Calvinistas Gallos.

personarum illustrium : 4 Carolus Le Comte, parochus S. Vincentii de Bullion, diœcesis Carnotensis, anno MDCXLV liberatus est fluxu sanguinis, quo afflictus fuerat ultra decem menses non interruptos.

Philipus Hadengue, parochus in Mirancourt, diœcesis Noviodunensis, eodem etiam anno eodemque morbo liberatus est.

Margarita Le Roy, uxor Matthæi Paien, qui præerat horreo salario Meldensi, anno MDCXLIII adepta est sanationem mali immedicabilis, quo pes ejus erat affectus.

Petrus de Novion, vir nobilis, dominus de Vey ad Vidulam *(fluvius est Campaniæ vulgo la Vêle)* integræ restitutus est sanitati ex hæmorrhoïdibus et arthritide anno MDCXLVI.

Ludovicus de Malleville, vir nobilis, dominus de Toussue, hæmorrhoïdibus liberatus est anno MDCXLVII.

C Anna Fremyn, vidua Claudii de Vassiere, præfecti regis in territorio Meldensi, sanata est anno MDCXXXV ex vehementi pectoris malo, et anno MDCXLVII ex duobus gangliis ingentibus, qui D super palpebras orti erant, visusque amittendi creabant periculum.

Urbanus Potier presbyter, rector collegii Bajocensis Lutetiæ, anno MDCXLV convaluit ex dysenteria, qua ad extrema erat deductus.

5 Regina Anna Austriaca protectioni S. Fiacrii semper attribuebat depulsionem morbi, in quem rex Ludovicus XIII Lugduni inciderat. Quilibet sanationis gloriam adscribebat patrono suo : verum regina ipsa anno MDCXLI ex vico Monceaux pedes ivit ad S. Fiacrium, prout voverat, ut gratias ageret sancto Briæ Patrono. Experta erat in persona propria, quam potens sit apud Deum illustris hic Eremita, cum ipsam liberaverit molesto sanguinis fluxu, quem nec ars medicorum nec industria chirurgorum potuerant sistere. Credidit etiam fœcunditatem sibi a Deo donatam ejus intercessione ; eaque opinione inducta donavit ipsius ecclesiæ fascias sacratas, quas ei Urbanus VIII transmiserat ad usum infantis principis, qui deinde tanta cum gloria regnavit in Gallia Ludovicus XIV. Demum hæc princeps mittebat annis E singulis quempiam, qui suo nomine suaque intentione peregrinaretur ad S. Fiacrium. Quando instabat magna curatio adhibenda regi Ludovico XIV, Bossuetius Meldensis episcopus venit ad sanctum Fiacrium oraturus pro sanatione istius principis, cœpitque preces novemdiales, quas complerunt Religiosi. *pietas Annæ Austriacæ Francorum reginæ in S. Fiacrium :*

6 *Hisce postremo ex quibusdam historicis adjungit pœnam Henrico V Angliæ regi inflictam, quam Leslæus lib. 7, pag. 279 et 270 refert his verbis :* Postea Henricus divi Fiacrii Scoti regis olim filii agros et vicinas ditiones fœde populatus, in morbum incidit, qui nulla adhibita medicina poterat curari. Ille ergo morbi vehementia acrius conflictatus, in hanc vocem prorupisse dicitur, Scotos eo usque Anglis esse infestos, ut non solum in hac mortalitate vivi, dum per corporis concretionem affectionibus possint indulgere, sed etiam mortui, ac in divorum numerum repositi, in cælis, ubi nullus affectioni locus esse potest, eos aliquo detrimento afficiant. Corbelium ergo dilatus ibique exstinctus *etc. Narrant et alii id factum, scribuntque Henricum fico laborasse. Verum quam certo res hæc nitatur fundamento, mihi* F *non constat.* *pœna, quam dicunt Henrico V Angliæ regi inflictam.*

DE S. AMELTRUDE VIRGINE

J. P.

GEMETICŒ IN TERRITORIO ROTOMAGENSI IN GALLIA.

Forte sec. VII vel VIII. Signa cultus antiqui, Dudo *S. Quintini decanus lib. 2 de Moribus et actis Normannorum ad annum Christi* 876 *hæc memorat apud Andream Chesnium pag.* 75 : Anno igitur octingentesimo septuagesimo sexto ab Incarnatione Domini nobilis Rollo . . . Gimeas venit, vidensque S. Petri monasterium * ** Jumieges* monachilis habitationis domibus adornatum, sanctumque reputans esse locum, morari illic distulit; sed ultra flumen ad capellam S. Vedasti naves applicuit, corpusque cujusdam virginis nomine Hameltrudis, quod secum asportaverat, super altare S. Vedasti posuit, huicque capellæ ex nomine virginis nomen sempiternum inhæsit : diciturque ille locus AD SANCTAM AMELTRUDEM incolis. *Hæc Dudo, quem lego floruisse sub an* 996. *Similia refert Willelmus Calculus monachus Gemeticensis Historiæ Normannorum lib.* 2, *cap.* 9, *ad prædictum annum pag.* 227, *addens tamen, unde hoc sacrum corpus avectum fuerit :* Dani, *inquit,* cum suo duce Rollone . . Gemmeticum veniunt, corpus sacræ virginis Ameltrudæ, quod a Britannia asportaverant,

AUCTORE J. P.

A taverant, in capella sancti Vedasti, quæ transflumen est, super altare ponente. Quæ capella hactenus illius virginis nomen retinet; *usque ad tempora videlicet seculi duodecimi, quo hunc auctorem lego signatum, nimirum anno* 1120. *Consuli etiam potest Matthæus Westmonasteriensis in Floribus historiarum ad annum* 897. *Verum, quam illi* Ameltrudem *appellant, Thomas de Walsingam in Hypodigmate Neustriæ pag.* 415 *vocat* Gertrudem, *uti et capellam* sanctæ Gertrudis.

et observationes de Sanctæ corpore

2 *Alfordus ad annum* 886 *in suis Annalibus num.* 17 *quas vidit in hoc sacro deposito difficultates, ita explanare conatur*: Quid de sacro hoc depositio dicendum sit, hæreo. Quia nec Gertrudis, nec Ameltrudis, in fastis nostris locum habent: nec Gallicani fasti me juvant: ubi tamen exacta sanctorum corporum translatio recensetur. Opinor itaque, Rollonem et Danos, monasteria nostra de more diripientes; cum Anglicanæ Virgines ossa invenissent, ab orthodoxis culta, et auro, argentoque ornata: scirentque ab illis in pretio esse; illa conservasse; ratos a fidelibus ingenti pecuniæ B summa redimenda. Qua spe frustrati; ubi Gemmetici pacem cum Francone Rhotomageusi antistite sanxissent, sacræ Virginis ossa ibidem reliquerunt; cujus nomen, cum Dani ignorarent, Galli vel Gertrudem, vel Hameltrudem vocando suppleverant.

e Britannia

3 Cæterum quod Rollo Sanctorum corpora deprædari soleret, Galliarum episcopi intellexisse videntur, qui hoc ipso tempore, audito quid in Anglia a Rollone fieret, corpora sanctorum Maglorii, Sampsonis, et Maclovii Britannorum, ejus furori subducentes, Parisios transtulerunt, teste Gallicano Martyrologio, ubi *ad diem* XXIV *Octobris sunt ista*: Corpus ejus (*Maglorii videlicet*) multis in sepulchro prodigiis claruit. Quod deinde Salvator, episcopus Alethensis. . . , Rollone Danorum duce cismarinam Britanniam hostili incursu barbaroque impetu invadente, ne profanaretur ab infidæ gentis exercitu, una cum sanctorum Sampsonis, et Maclovii (alias Machuti) pretiosis exuviis mature subductum, Lutetiam Parisiorum, ceu arcem regni, et religionis tutissimam custodiam, detulit. *De jam dictis observo sequentia. Primo.* Gemeticense S. Petri monasterium *est Ordinis S. Benedicti, quod variis locis Annalium suorum memorat Mabillonius. Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 224: Locus est, *inquit*, in pago Rotomagensi ad ripam fl. Sequanæ, quem cum Filibertus a Chlodovæo juniore Francorum rege petiisset ac obtinuisset, nobile ibi permissu ejus monasterium ædificavit octingentorum monachorum, quinque partim basilicas partim oratoria complexum, ac mœnibus quadratis turritisque cinctum. *Pluribus describitur a dicto Mabillonio Annalium tomo* I *ad annum* 655, *pag.* 434. *Secundo.* Rollo, *Normanniæ dux I, Robertus in baptismo vocatus, acquisita Normannia notissimus seculo* 9.

translatio.

4 *Tertio.* S. Maglorius *episcopus habetur in Martyrologio Romano* XXIV *Octobris*, S. Machutus *ep.* XV *Novembris: de quibus plura alias.* Sampson *vero episcopus est apud nos ad diem* XXVIII *Julii; ubi videri potest Appendix, in qua de istius Sancti reliquiis earumque translationibus agitur. Et vero quid de ejusdem sacris exuviis Parisios, ut volebat Saussayus, delatis censuerimus, ibidem inveniet lector pag.* 592. *De aliis autem supra memoratis dispici poterit ad præmissos jam dies.* Salvator episcopus Alethensis *antea nominatus, ab Alberto de Monterelaxo in Britannia sua Armorica pag.* 198 *dicitur consecratus anno* 873, *mortuus* 915. *Denique Sanctam, de qua egimus, annuntiat hac die* XXX *Augusti Arturus in suo Gynæceo, qua die in antiquioribus sacris Fastis illam inscriptam nondum reperi hactenus.* Præfatus autem locus (ad S. Amaltrudam) corrupto, *inquit*, vulgari vocatur EMENDREUILLA. *Annuntiatio autem ejus sic habet*: In territorio Rothomagensi sanctæ Ameltrudæ virginis gloriosæ. *Diu ante annum* 876, *quo facta scribitur translatio corporis, eam e vita migrasse, conjicere liceat ex eadem translatione: verum cum sim ignarus quando, et quamdiu ante illam obierit, fortasse hoc acciderit seculo* 7 *vel* 8. E

C

DE S. FANTINO MONACHO CONF. F

THESSALONICÆ IN MACEDONIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Topographia; cultus sacer; elogia; ætas, qua vixit; quænam Vita a nobis detur.

Forte seculo IX. Thessalonicæ, quæ describitur,

Thessalonica, *clarissima olim Macedoniæ civitas, et apud geographos notissima, sic describitur a Francisco Orlendio Ordinis Prædicatorum, parte* I *Orbis sacri et profani, lib.* 3, *cap.* 2, *pag.* 189: Macedoniæ, imo et totius Illyrici saltem Orientalis metropolis Thessalonica fuit, urbs olim clarissima, ad sinum Thermaïcum sita, haud procul ab Echedori fluminis ostio, quæ, Stephano teste, primum a Cassandro condita dicitur, et Halia, seu, ut aliis placet, Halis nuncupata. Thessalonicæ autem nomen a Philippo Amyntæ filio accepit, cum ille in ejus agro Thessalos ingenti clade profligasset. Amplificata maxime est urbis istius dignitas, cum præfecti prætorio sedes effecta, totius Illyrici negotia ad se traxit. *Theodoretus enim Ecclesiasticæ historiæ lib.* 5, *cap.* 17 *editionis Valesianæ hæc de ea memorat*: Thessalonica civitas est ampla, et incolarum mutitudine abundans, sita quidem in Macedonia provincia, sed quæ caput est Thessaliæ et Achaïæ, et aliarum plurium provinciarum, quæ sunt sub administratione præfecti prætorio Illyrici.

2 *Subit Orlendius*: Alexander Thessalonicæ metropolis

AUCTORE J. P.

S. Fantinus diem suum obiit:

metropolis interfuit concilio Nicæno : Aëtius Sardiensi : Acholius CP. *(id est* Constantinopolitano *)* I. In concilio autem Chalcedonensi primus post patriarchas sedit, et subscripsit Thessalonicensis. *De antistitis auctoritate idem auctor tractat pag.* 553 ; *de privilegiis pag.* 554 *et* 555 ; *de provinciis subjectis pag.* 556 ; *de episcopalis dignitatis defectione, sola videlicet Macedonia, in qua Thessalonicensis præsul metropolitam ageret, relicta, pag.* 559. *Præter hunc neotericum scriptorem potest adire lector anteriores auctores, nimirum Novam topographiam in Martyrologium Romanum a Ferrario editam, Baudrandum, ac Cellarium Notitiæ orbis antiqui libro* 2, *cap.* 13, *pag.* 669 *et* 670. *Laudatam hanc urbem* S. Fantinus, *variis Europæ regionibus peragratis, piissima sua morte, patratisque post eam miraculis condecoravit.*

cultus apud Græcos et Latinos:

3 *De publico ejus cultu hæc accipe. Menologium Græcorum a Sirleto Latine redditum, et a Canisio vulgatum ita ipsum refert :* Eodem die (XXX *Augusti)* natalis sancti miraculorum effectoris Fantini. *Consonant Menæa magna Græcorum impressa :* Sancti Thaumaturgi Fantini. *Apponunt tres versiculos Græcos, quorum sensum Latinum subdam.* B

Καὶ γῆν ὑπελθὼν θαυματουργὸς Φαντῖνος
Ἄνωθεν ἡμῖν μάννα θαυμάτων βρύει.
Φαντῖνος βιότου ἀνεχάζετο ἐν τριακοστῇ.
Miraculorum factor, etiam humi abdite,
Fantine, ab alto manna mirificum pluis.
Fantinum ex oculis movit trigesima nostris.

In codice Ms. Græco Ambrosianæ bibliothecæ Mediolanensis die XIV *Novembris sic notatur :* Τοῦ πατρὸς ἡμῶν Φαντίνου τοῦ νέου. *Id est :* Patris nostri Fantini junioris. *At posthuma Sancti gloria ad longe majorem evecta est honorem, postquam cultus ejus apud Græcos propagatus ad Latinos fuit, Martyrologio Romano sic eum annuntiante :* Thessalonicæ sancti Fantini confessoris, qui multa a Sarracenis perpessus, atque e monasterio, in quo mira abstinentia vixerat, expulsus, cum plurimos ad viam salutis perduxisset, demum in senectute bona quievit.

Græcorum

4 *Parvo ibi sanctus Confessor laudatus elogio, longius habet apud Græcos in dictis Menæis, quod P. Matthæus Raderus noster sic e Græco* C *transtulit :* Phantinus in Calabria Georgio et Bryena natus, ab incunabulis Deo consecratus, monasterio est commissus, in quo ad omnem se virtutem exercuit. Nobilis mandatorum operarius divinis etiam a Deo revelationibus est dignatus. Abstinuit dies viginti ab omni cibo : nuditatem per quadriennium * toleravit : cumque Saraceni regionem invasissent, cum infinitis ærumnis conflictatus est.

* Menol. Sirl. quatuordecim annis

de illo elogium:

5 Ita sexaginta annis transactis, cum suis discipulis Vitale et Nicephoro in Peloponesum trajecit, et Corinthum ingressus, ibique sat diu moratus, multis saluti fuit. Tum Athenas profectus, et in æde Dei Genitricis adorato Deo Larissam concessit : ubi diu admodum ad sepulchrum S. Achillei martyris excubuit. Hinc Thessalonicam adiit, et apud sancti martyris Demetrii reliquias moratus, toto octennio consuetum D ordinem abstinentiæ servavit, et in justa senectute vita excessit. *Similia de illo memorantur in Menologio Sirletiano. Apographo nostro Græco Ms., quod consonat elogio e Menæis jam producto, prænotantur ista Latine :* Compendium vitæ sancti Fantini, quæ in choro solet a patribus Basilianis recitari. *Apud Ughellum tomo* 9 *Italiæ sacræ col.* 237 *prioris editionis, inter confessoris ex Ordine S. Basilii ponitur* Fantinus ; *sed non certo nobis constat, an sit hodiernus, an alius synonymus, de quo actum est ad diem* XXIV *Julii a pag.* 247, *quemque ab hodierno ostendimus pag.* 549 *esse diversum. Ad utriusque autem distinctionem credo hodiernum signari in Fastis Græcis jam allegatis cum nota characteristica* τοῦ νέου, *id est*, junioris.

tempus vitæ:

6 *Quærenti, quando hic vixerit, respondeo, nihil me invenisse hactenus, e quo exacte hoc determinem. Apud Baronium ad annum* 827, *num.* 25 *de Saracenis, quorum facta est modo mentio e Menæis impressis, dicuntur ista :* Agareni .. Calabriam et plerasque Italiæ partes occuparunt, omnia incursionibus ac populationibus devastantes. E *De Calabria et Apulia a Saracenis infestata actum est apud nos in S. Joanne Theriste, Ordinis S. Basilii monacho, ad diem* XXIV *Februarii pag.* 480, *et ibidem indicavimus, ab Africanis Saracenis occupatam fuisse Siciliam ad annum circiter* 828 *: exinde vero Calabriam et Apuliam cum vicinis ditionibus Saracenorum deprædationi patuisse : at post annos circiter ducentos a Normannis, dum rerum potiti essent, Græcos et Saracenos paulatim inde expulsos ; idque potissimum tributum Guilielmo Tancredi filio, cui inditum Brachii ferrei cognomen. Castellanus annuntiationibus Martyrologii Romani a se Latine redditi apponere solitus notas temporis, nullam apponit* S. Fantino *hodierno, qui forte spectat ad seculum nonum. Vide inferius Annotata littera* k.

Vita, quæ hic datur.

7 *Suspicari liceat, pleniorem Sancti Vitam cum miraculis scriptam fuisse Thessalonicæ, ubi refertur obiisse, vel alibi, quod videtur suaderi ex notitia admodum distincta locorum ac personarum, sicut liquet ex Menæis typo vulgatis, et continuo videbitur e sequenti Vita ejus. Dabimus* F *autem illam Latine e Menæis Mss. Græcis bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis. Inter ea vero, quæ inde transcripta asservamus, ad mensem Novembrem prænotavit ista Papebrochius :* Ex præcedentibus, itemque ex Cod. f. O 148 signato. *Deinde vero ad ejusdem apographi locum, qui est* de S. Fantino, *ubi ponitur die* XIV *Novembris, adscribit :* Supplementum vide in Sirmond. *Habetur inter illa collectanea nostra Græca, quibus prænotatur hic titulus :* Supplementum ad Menæa Græcorum excusa ex Synaxario membranaceo antiquo Ms. P. Sirmondi, sive collegii Claromontani Societatis Jesu Parisiis, *ad diem* XIV *Novembris. Quæ inde supplebimus de* S. Fantino, *uncinis* [] *includemus. En tibi nunc ejus Vitam, quam variis observationibus illustrabimus.*

VITA

A D

VITA

Ex codice Ms. Græco bibliothecæ Mediolanensis Ambrosianæ, quod cum alio exemplari collatum est, interprete J. P.

Οὗτος εἷλκε τὸ γένος ἐκ χώρας τῶν Καλαβρῶν, Γεοργίου καὶ Βριαίνης γέννημα. Ἐξ αὐτῶν δὲ σπαργάνων Θεῷ ἀφιερώθη καὶ [ὄγδοον ἄγων χρόνον] μοναστηρίῳ ἐκδίδοται, καὶ τὴν τρίχα καρεὶς πᾶσαν ἀρετὴν προθύμως διήρχετο· καὶ γενόμενος ἐργάτης τῶν τοῦ Θεοῦ ἐντολῶν, θείων καὶ μεγάλων, [καὶ ἀγγέλοις ἁμιλληθεὶς] ἀποκαλύψεων καταξιοῦται [ἐπὶ εἰκοσι ὅλας ἡμέρας μετέωρος γενόμενος τὸν νοῦν, καὶ μηδενὸς αἰσθανόμενος τῶν ἀνθρώπων.] Ἐρημίαις γὰρ καὶ ὄρεσι ἐμφιλοχωρῶν ἐπὶ ὅλας εἰκοσι ἡμέρας πολλάκις νήστης διεκαρτέρησε, καὶ μυρίας περιστάσεις ἐπάλαισεν ἐν ταῖς τῶν Σαρικῶν ἐφοδίαις.

2 Ἐν τούτοις ἑξήκοντα χρόνους διαρκέσας, Βιτάλιον καὶ Νικηφόρον τοὺς αὐτοῦ φοιτητὰς παραλαβὼν τῇ Πελοπονήσῳ προσεπιβαίνει, καὶ τῇ Κορίνθῳ χρόνον συχνὸν ἐπιφοιτῶν [πολλοῖς τῶν ἐκεῖσε γενομένων] πρόξενος σωτηρίας κατέστη. Ἔπειτα ταῖς Ἀθήναις, καὶ τὸ ἅγιον τέμενον τῆς Θεοτόκου προσκυνήσας, ἐν τῇ Λαρίσσῃ γίνεται. Ἱκανῷ δὲ χρόνῳ τῷ τοῦ ἁγίου Ἀχιλλίου ἱερομάρτυρος προσεδρύσας τάφῳ [τὸν συνήθη τῆς διδασκαλίας σπόρον ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς κατασπείρας] ἐν Θεσσαλονίκῃ ἔρχεται, καὶ κατατρυφήσας τῶν τοῦ μεγαλομάρτυρος Δημητρίου θαυμάτων [καὶ τὴν πολυάνθρωπον ἐκείνην πόλιν τῆς αὐτοῦ πολιτείας καὶ ἀρετῆς μέτοχον ἀναδεῖξαι. * Οὗτος ὁ πολὺς ἐν ἀρεταῖς, καὶ μέγιστος ἐν θαυματουργίαις Φαντῖνος ὀκτὼ διαρκέσας ἐν Θεσσαλονίκῃ χρόνους, καὶ πανταχοῦ γῆς καὶ θαλάσσης τὰς αὐγὰς τοῦ ἐνθέου αὐτοῦ βίου μέχρι καὶ τῆς Βασιλευούσης ἀκοντίσας] ἐν γήρᾳ καλῷ [καὶ πλήρης ἡμερῶν] τὸν βίον κατέλυσεν.

B

* *f.* ἀναδείξας

Hic e regione Calabrorum genus traxit, Georgii ac Briænes filius. Ab ipsis autem incunabulis consecratus Deo fuit et [dum octavum annum ageret] monasterio traditur, capillosque tonsus in omni se virtute exercuit alacriter. Damque mandata Dei impleret, divinis ac magnis [angelis non inferior] rerum opertarum revelationibus dignatus est [per dies omnino viginti mente in cælum raptus, nullumque hominum sentiens.] In solitudinibus enim et montibus lubenter habitans, totos viginti dies sæpe transigebat jejunus *a*, innumerisque cum afflictationibus luctatus est in Saracenorum *b* incursibus.

Patria, monachatus, virtutes, ac variæ a b

2 Postquam sexaginta annos in his perdurasset, Vitalium et Nicephorum discipulos suos assumens adiit Peloponesum *c*, et Corinthi *d* multo tempore versatus [multis eorum, qui ibidem erant] salutem conciliavit: deinde Athenas *e* adiit, templumque Deiparæ veneratus, Larissam *f* venit. Dum vero ad sepulcrum sancti Achillei hieromartyris *g* sufficienti tempore consedisset [consuetum doctrinæ semen animis hominum inspergens] Thessalonicam petit, et miraculis magni martyris Demetrii *h* læte fruitus [ac populosam illam urbem suæ conversationis et virtutis participem fecit. Fantinus hic virtutibus dives ac miraculis magnus, expletis Thessalonicæ octo annis, et quaquaversum terra marique divinæ vitæ suæ splendores Constantinopolim *i* usque jaculatus] in bona senectute [ac plenus dierum] vitæ finem imposuit *k*.

peregrinationes: obitus. c d e f g E h i k

ANNOTATA.

a *Supplementum supra indicatum addit ista:* Ἄτροφος ἐπὶ πολὺ καὶ ἄποτος καὶ γυμνὸς ἐπὶ τεσσάροις χρόνοις διετέλεσεν. Ἐν ὅσαις δὲ ἐφόδοις αἰχμαλωσίας.. τοῦ ἀλιτηρίου τῶν Ἄφρων ἔθνους ἐπέπεσεν, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν. Ἑξήκοντα χρόνοις ὑπὸ τοῖς αὐτῶν κακοῖς πιεζόμενος συνήλγει τοῖς κινδυνεύουσι. Μετὰ ταῦτα δὲ ἀπάρας τοῖς ἐνεγκαμένοις, καὶ συμπαραλαβὼν Βιτάλιον... *Quæ sic interpretor:* Sine cibo diu ac siue potu, nudusque annos quatuor C transegit. In quantas vero miserias captivitatis.. inciderit exitialis Afrorum gentis, non est qui memoret. Annos sexaginta sub eorum malis vexatus doluit cum periclitantibus. Post hæc autem patriam reliquit, et assumpsit Vitalium... F

b Σαρικῶν, *quod hic est in textu Græco, mendosum censeo, ac legendum* Σαρακηνῶν, Saracenorum, *cum Menologio Sirleti ac Menæis Græcis. Idem patet ex textu supplementi statim recitati.*

c Peloponnesus *est provinci Græciæ, quæ etiam dicitur* Morea, *aliunde satis nota.*

d Achaïæ metropolis est Corinthus, fere in medio Isthmi Peloponnensiaci sita; ab Ortu Saronicum, ab Occasu Crissæum sinum habens, qui et Corinthiacus appellatur: duobus inclyta portubus *etc. Hæc et plura Orlendius parte* I, *lib.* 3, *cap.* 2, *pag.* 194 *Operis antea designati.*

e *Atticæ urbs est metropolis, armis quondam ac litteris celeberrima, quæ secundum dimensionem Baudrandi vix distat passus mille a Saronici sinus ora.*

f Larissa *Thessaliæ metropolis, Achillis patria, a qua Larissæus est dictus. Sitam esse in confinio Macedoniæ ad Peneum fluvium, et* 28 *milliaribus distare a sinu Thermaïco in Occasum, observat Baudrandus.*

g *Celebrem Larissæ hunc Sanctum martyrem fuisse hic indicatur: sed qualis sit, et quo spectet, non est mihi promptum dicere.*

h S. Demetrius M. *annuntiatur in Martyrologio Romano sub Maximiano imperatore ad diem* 8 *Octobris: ubi in notis agit Baronius de frequenti Christianorum concursu Thessalonicam ad ejus sepulcrum, unguento medico jugiter ex eodem scaturiente.*

i Βασιλευούσης, *ut habet textus Græcus, significat* imperantem *seu* imperatoriam *(urbem) seu* Constantinopolim, *imperatorum olim sedem.*

k *Octennis Deo consecratus fuit, ut supra dicitur: deinde narratur, per Saracenorum captivitatem multa dura pertulisse per annos sexaginta: sequuntur varia ejus itinera, quibus quantum temporis impenderit, non additur. His adjunge annos octo Thessalonicæ transactos, et forte pervenire poteris ad annos ætatis ultra octoginta, et ad finem seculi noni, quo potuit obiisse, secundum superius præmissa in nostro Commentario.*

DE

A D

DE B. RITZA VIRGINE

CONFLUENTIÆ IN GERMANIA

Cultus et miracula.

J. P.

FORTE SEC. X. AUT XI *Colitur Confluentiæ: a Gelenio*

Ab Rheni Mosellæque concursu nomen CONFLUENTIBUS factum, vulgo CONFLUENTIÆ, Germanice COBLENTZ, diœcesis Trevirensis percelebri oppido, medio Moguntiam inter Coloniamque Agrippinam spatio, *jam pridem diximus tomo 2 Februarii, die* XIII, *pag.* 662 *in S. Castore presbytero, qui ibidem colitur isto die, uti et hodierno* B. Ritza *virgo. P. Alexander Wiltheim Societatis Jesu ad P. Godefri-* B *dum Henschenium nostrum scribens,* cujus festum, *inquit,* seu commemorationem canonici S. Castoris agunt XXX Augusti, ut scribit mihi P. Theodorus Idenus *Gelenius de Coloniæ Agrippinensis magnitudine libro 4 in sacris et piis Fastis hac die illam annuntiat :* B. Ritzæ Confluentinæ virginis, *apposito signo, ut distinguatur a venerabilibus dumtaxat vel piis. Præmiserat idem auctor eodem libro pag.* 653 : Et hoc quidem libro solummodo Sanctos hujusmodi dicam, quibus in Ecclesia Catholica sanctitatis titulum dedit canonica apotheosis, vel quos majorum traditio et authentici scriptores eo titulo honorandos duxerunt. Atque ea causa est, cur hunc librum non a solis Sanctis, sed etiam a piis coguomen sumere voluerim, quandoquidem illis citra dubium Sanctis et Beatis, viros venerabiles, pios et religiosos admiscui..

Beata; in antiquo autem instrumento Sancta vocatur: tempus vitæ :

2 Sed hos minoris nominis duces et ductores nostros tum titulo tum indicio topographico ab eximiis illis Sanctis discretos invenies..., quia Sanctis rosas marginales apposui, quibus venerabiles carent : religio namque est sua privatim C authoritate cuiquam beatitatis titulum vel indicium addere : immo in ea re ita moderatus ero, ut quam plurimos, qui ab aliis BEATI compellantur, ego VENERABILIUM et RELIGIOSORUM solummodo sim nomine compellaturus, et uti viros pios ad imitationem positurus. *Ex his patet, Virginem hanc a Gelenio non sine prudentia ac delectu annumerari Beatis. Adde, quod a seculo tertio decimo ineunte manifestatum fuerit sacrum ipsius corpus, variisque deinde prodigiis claruerit, publico testimonio comprobatis : item, quod Sanctæ titulo tunc honorata sit : denique, quod frequens ad Virginis sepulcrum concursus non obscure indicet, eam in publica veneratione jam dudum habitam fuisse, sicut videbitur in antiquo miraculorum instrumento, quod mox subdam. Plura de* B. Ritzæ *cultu ac Vita invenire non potui. Superiora interim me moverunt, ut crederem, hanc Beatam reliquis hujus diei cœlicolis accenseri posse, inoffenso Urbani PP. VIII decreto. At dictum supra diem* XIII *Febr. pag.* 663 *retulimus, corpus S. Castoris Cardona translatum Confluentiam anno* 836 *vel* 837, *ibidemque illud in ecclesia sub ipsius et omnium confessorum nomine consecrata fuisse reconditum. In ecclesia S. Castoris sepultum corpus* B. Ritzæ, *ac inventum, ut mox dicetur. Non igitur ante seculum nonum ibidem conditum. An vero, et quamdiu post illud, in obscuro est. Si conjectari liceat, fortasse obierit et ibidem condita fuerit sec.* X *aut* XI, *et sic accipi volo, quod supra posui, tempus mortis.*

ejus patrocinio sanantur clauda, membris capta, cæca,

** in Germanico Ms. hic et alibi* Ritzheim

3 *Miracula porro accepisse se scribit Confluentia Wilthemius jam memoratus, quæ Germanice exarata huc misit; Latine vero nuper ab alio reddita sic sonant :* Miracula sanctæ virginis Ritzæ*. Notum sit cuilibet, quod anno a Nativitate Christi millesimo ducentesimo quarto, cum placeret Deo sanctitas sanctæ virginis Ritzæ, ejusdem virginis corpus, sepultum Confluentiæ ad sancti Castoris, manifestatum sit orbi.

E

Primo. Die S. Stephano protomartyri sacra venit mulier quædam Benigna nomine ad sepulcrum sanctæ Ritzæ oratura, ubi solemne celebrabatur Sacrum. Erat antea a longo tempore adeo clauda mulier hæc, ut adjumento fulcri subalaris incederet. Orante autem illa ad dictum sepulcrum, præsentes omnes, quorum erat multitudo magna, audiverunt, ejus crus magno cum crepitu suo repoui loco; et postea semper recta incessit.

Secundo. Priore anno mulier quædam dicta Wendelina Moydt, a multis annis omnibus membris capta, postquam quotidie oraverat ad sepulcrum sanctæ Virginis, per intercessionem sanctæ Virginis sanata est.

Tertio. Fuit mulier ex Ehrenbreitstein *a*, cui erat filia cæca. Illa se contulit ad sepulchrum sanctæ Ritzæ, et oblatis quibusdam, oravit sanctam virginem, ut filia sua recuperaret visum. Peractis rite precibus mulier repetiit domum, et invenit filiam visu præditam. Suscepit itaque filiam secum die Dominico subsequenti, duxit eam ad sancti Castoris, ubi filia nullius ductu ad sepulcrum ivit, gratiasque egit et Deo sanctæ virgini Ritzæ. Contigit autem hoc miraculum anno Domini millesimo ducentesimo quinto circa Purificationem.

F

debilis, dæmoniaca,

4 Quarto. Eodem anno, hebdomada Rogationum venit mulier ex Lanstein *b* ad sancti Castoris, debilis adeo pectore, brachiis, omnibusque membris, ut ne ullum quidem potuerit humo tollere. Veniebat illa, et orabat ante sepulcrum beatæ virginis, die Dominico post Ascensionem Domini, et sanata fuit, ita ut postmodum iverit, quocumque vellet.

Quinto. Eodem anno festo apostolorum Petri et Pauli venit mulier ex Virnenborg *c*, Christina nomine, quæ ducebatur ad sepulcrum in templo sancti Castoris, et obsessa erat a diabolo, qui ex ea expellendus erat. Ibi exclamabat alta voce, et imprecabatur sanctæ virgini Ritzæ, et dicebat, se vinctum atque accensum fuisse ab ea. Qui malus dæmon expulsus fuit ex ea die Veneris subsequenti in præsentia plurimorum sacerdotum, studiosorum, aliorumque hominum, et laudavit

A laudavit Deum. Ubi autem exiverunt templo, tantum murmur, strepitus tantus auditus est in aëre, ut plurimi perterriti et in templum retrogressi fuerint.

li clauda, 5 Sexto. Eodem anno, quarto die post festum apostolorum Petri et Pauli venit mulier dicta Elisabeth ab Ochtentungh, quæ a sex annis clauda fuerat, neque se erigere poterat. Ferebatur itaque, veniebat ante sepulcrum sanctæ Ritzæ, et jacebat in oratione, usque ad octavum diem post festum apostolorum Petri et Pauli: et ita illo die, tempore solemnis Sacri sanata fuit, ut surrexerit, et adiverit altaria omnia, quæ sunt in templo sancti Castoris, orans: palam attestata est coram omnibus DD. Canonicis ecclesiæ collegiatæ, se sabbatho illo, quo primum ad sepulchrum venerat in præsentia frequentis populi, post completorium vidisse sepulcrum S. Ritzæ apertum, magnamque in eo claritatem, tamquam splendorem solis; quemadmodum idem splendor visus est a muliere quadam ex Horcheim.

B *crus fractum juvenis, cæca alia,* 6 Septimo. Fuit juvenis dictus Winricus, qui servus olim fuerat præpositi Bruneri; cui trabs in exstructione cujusdam domus crus fregit, ita ut illud nec tollere nec movere posset. Abnuebant medici ei opitulari, et derelinquebant eum. Hic octavo die Apostolorum veniebat ad sepulcrum S. Ritzæ cum aliis infirmis, et incipiebat se melius habere: quinto die Dominico sumebat cereum ex cera candida, et metiebatur eum secundum longitudinem pedis, et ita obtinuit sanitatem precibus suis, surgensque abjecit fulcra subalaria, quibus hactenus incesserat. Et incessit rectus laudans Deum, sanctamque Virginem Ritzam.

Octavo. Eodem anno mulier quædam nomine Agnes, quæ decem annis cæca fuerat, venit ad sepulchrum, ibique per quatuor hebdomadas preces fudit, et visum recuperavit, laudavitque Deum et sanctam virginem Ritzam.

claudus, vulneratus a lupo, sanati: juvat in rebus perditis. 7 Nono. Iisdem diebus homo quidam dictus Gerlacus a Bleide cum uxore sua Susanna tulerunt ad sepulcrum sanctæ Ritzæ filium suum quinquennem, Couradum nomine, qui a nativitate sua per quinque annos mancus et claudus erat, ita ut nusquam comparere posset. Puerum hunc ferebant pater et mater ad sepulcrum sanctæ Ritzæ pridie divisionis Apostolorum: quem parentes ejus quotannis cum decima S. Ritzæ, et dabant quotannis oblationem quamdam *d*.

Decimo. Fuit uxor æditui in Osteubergh, quæ habebat filium quatuor annorum, Henricum nomine, quem lupus graviter sauciaverat. Mater sequens filium magno cum luctu implorabat auxilium sanctæ virginis Ritzæ, et inveniebat filium in agro jacentem saucium. Unusquisque dicebat, eum sanari non posse: mater tendebat ad sepulcrum sanctæ Ritzæ, et in via sanabatur puer per invocationem sanctæ virginis Ritzæ; et singulis annis offerebat aliquid pro filio suo, qui quatuor annorum erat.

Undecimo. Videmus quotidie, omnes eos, qui cum devotione eam invocant, ubi quid perdunt, et aliquid ex voto offerunt, adjuvari. Idem Petrus Koch a Zelle, vice-juratus in Revenach, natus in Zelle ex Hamm *e*.

Item ut omnia miracula vera videantur, in tempore unumquodque miraculum divulgatum est, et testimonium eorum, qui præsentes fuerunt miraculis, exceptum fuit: et ad æternam rei memoriam litteris mandata sunt hæc miracula, et sigillo urbis Confluentiæ munita: quæ litteræ asservantur a dominio præsentis ecclesiæ *f*. E

ANNOTATA.

a *Castrum est prope Confluentiam, quod exhibet Merianus inter ea, quæ habet de archiepiscopatu Trevirensi.*

b *In mappa geographica archiepiscopatus Trevirensis apud Merianum notatur duplex* Lanstein, *fluvio* Laen *inter utrumque medio, ad Rhenum, non multum distans Confluentia.*

c Virnenburg *ibidem notatur, et milliaribus aliquot abest Confluentia.*

d *Sensus ex Germanico sic sonat, sed hiat, et forte ita est intelligendus*: Et parentes obtulerunt quotannis decimam pro filio; pro se autem donum aliquod.

e *Obscura hæc sunt; nec intelligo quo spectet illud* Idem

f *Videlicet* S. Castoris *in urbe Confluentina. Consule diem* 13 *Februarii pag.* 663.

C

F

DE S. BONONIO ABB. PRESB.

ORDINIS S. BENEDICTI

IN MONASTERIO LUCEDIENSI IN PEDEMONTIO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, Vitæ exemplaria, alii auctores.

Anno MXXVI. Sancti patria; Monasterii Lucediensis, *in quo* S. Bononius *seu* Bolonius *obiit, situm pluribus infra describemus. Bononia, Æmiliæ caput, Italicas inter civitates nobilissima, natales ei dedit, vitæque monasticæ docuit rudimenta. Ibidem illum annuntiant Wion ac Menardus; Dorganius autem sine loco. Martyrologium Romanum sic eum refert:* Bononiæ sancti Bononii abbatis. *Antiquissimus autem est sancti Viri cultus. Altare enim super sancti Abbatis tumulo:* transactis aliquot *post ejus obitum* diebus *judicavit* erigendum et dedicandum, *ut dicetur in Vita num.* 8, Ardericus

AUCTORE J. P. Ardericus Vercellensis ecclesiæ venerabilis episcopus: *qui tamen hac super re* Romam adiit, *et a* Johanne *PP. (istius nominis XVIII, dicto XIX)* apostolicam *ad hoc* auctoritatem adquisivit, et inde regressus.. altare crexit et consecravit.

cultus 2 *Huc sine dubio respexit Franciscus Augustinus ab Ecclesia, quando in Historia chronologica Pedemontana S. R. E. Cardinalium, archiepiscoporum, episcoporum et abbatum ista de Sancto memorat pag.* 288: Fuit inter Sanctos relatus a Joanne XX Papa. *Sed hunc errorem corrigit Baronius in Annotationibus ad Martyrologium Romanum:* Verum, *inquit,* si (ut ejus Acta habent) probatio *cultus* facta est paulo post mortem ejus, a Joanne XIX id factum oportuit: nam Joannes XX *(dictus XXI)* diu post Pontifex creatus est, *seculo videlicet decimo tertio, anno* 1276 *ad Petri cathedram evectus, et* 1277 *mortuus, ut in Breviario gestorum Pontificum Romanorum apud Franciscum Pagium tomo* 3 *a pag.* 423, *et alibi licet videre. In eumdem incidit errorem Ferrarius infra citandus. Celsus Falconius, de quo postea, perperam scribit, cum a Joanne XIII Pontifice beatitudinis possessorem fuisse* B *declaratum.*

sacer 3 *Apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* 6, *parte* 1, *a pag.* 266 *scribuntur ista de Sancti cultu et loco:* Sancti Bononii corpus colitur in monasterio Lucediensi prope Crescentium Vercellensis diœcesis insigne castrum inter Padum et Duriam situm, nunc sancti Januarii, olim sancti Michaelis titulo donatum: cujus originem ad tempus Ariperti, Langobardum * regis principatum, id est, ad annum DCXVII refert Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Chronologiæ Pedemontanæ cap. 33. Locus a monachis nigris ad albos Cistercienses, et ab his ad paucos clericos seculares devolutus est. Eadem ferme habet Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ, ubi Locediensem abbatiam hodie ad Casalem diœcesim, quæ ex Vercellensi detracta est, pertinere observat. Hanc sitam esse ait in territorio Montis-ferrari supra fluvium Gardinam, nomenque opido S. Januarii, quod occasione monasterii sensim exstructum est, tribuisse. *Hæc non piguit e dicto hagiographo huc transcripsisse paulo prolixius, occasione sacri corporis, quod ibidem coli testatur. Sed plura* C *alia de publico* S. Bononii *cultu in promptu habemus. Papebrochius noster inter alia, de quibus agit in Reditu suo Ms. ex Italia in Belgium, pag.* 233 *meminit de* spatula S. Bononii *Vercellis apud PP. Prædicatores.*

* l. Langobardorum

variis 4 *Eminentissimus Dominus Prosper de Lambertinis, qui nunc S. Petri cathedræ feliciter præest, in Opere de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione lib.* 2, *cap.* 18, *pag.* 150, In litaniis, *ait,* juxta ritum Eusebianum ejusdem Sancti nomen invocabatur; ut etiam hodie invocatur secunda die Rogationum in litaniis, quæ recitantur a clero Vercellensi: quin immo in quodam vico diœcesis Hyporegiensis, cui nomen Settimo Rotaro, ecclesia parochialis in honorem ipsius Sancti Deo dicata est, in cuque die XXX Augusti Officium recitatur de communi, quemadmodum et apud nos Bononienses efficitur..., pro cujus quidem Officii proprii concessione, Deo dante, mens nobis est preces adhibendi sacrorum rituum congregationi. *In Appendice ad prædictum librum pag.* 625 *ponit* Officium proprium sancti Bononii, quod olim in ecclesia Vercellensi recitabatur; *quodque se accepisse ab Eminentissimo Cardinale Ferrerio Vercellarum episcopo indicarat pag.* 150 *modo citata; ubi et de* recitatione . . ejus omissa anno MDLXXV, quo tempore in eadem ecclesia ritus cessavit Eusebianus: tametsi adhuc multa de eodem referuntur in lectionibus propriis Officii sancti Petri episcopi Vercellensis. D

e documentis 5 *In Appendice itaque jam designata post hunc titulum,* Extracta ex archivio cathedralis Eusebianæ Vercellensis de sancto Bolonio, sive Bononio abbate Leucediensi, *subduntur ista:* In Antiphonario antiquo, in quo leguntur gesta sancti Eusebii, notis musicalibus signato, post antiphonam sancti Bartholomæi apostoli habetur antiphona sancti Bolonii, ut sequitur... " Pastor " insignis meritis, et laude digne Boloni, suppli- " cante populo, clementi pietate subveni, ut plebs " ad te clamans, pium patronum, verumque inter- " cessorem se apud Dominum in quocumque discri- " mine sentiat ". *Deinde ex* Missali antiquo secundum ritum Eusebianum sub die XXX Augusti *recitat sequentia laudatus Cardinalis de Lambertinis:* Rubr. S. Bolonii confessoris. ORATIO. Deus mundi auctor et conditor, qui hodiernam diem præclaræ festivitatis beati Bolonii migratione consecrasti: præsta nobis, quæsumus, ut, cujus annua celebritate devotis exultamus obsequiis, ejus suffragiis tuæ pietatis consequamur auxilium. Per Dominum etc. E

illustratus: 6 SECRETA. Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum sacerdotem, et confessorem tuum Bolonium et sacerdotii officio ex fidei munere sublimasti, tribue supplicibus tuis, ut quidquid peccati contagione contractum est in nobis, ipso pro nobis interveniente, solvatur. Per Dominum etc. POSTCOMMUNIO. Exaudi nos Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, et beati sacerdotis et confessoris tui Bolonii meritis hanc plebem tua solita miseratione custodi, benignitate conserva, pietate salvifica, ut in æterna illi patria jungatur patrono, cujus hic exultat in festo. Per etc. *Ibidem pag.* 626 *proferuntur propriæ de sancto Abbate nostro lectiones ex* vetustissimo codice signato " Breviario secundum " usum ecclesiæ Vercellen. " *quas* in Breviario Eusebiano typis impresso Venetiis anno MDIV cum privilegio canonicorum S. Eusebii Vercel. *legi ait idem Eminentissimus auctor, prout ibi ab ipso subjunguntur. Pag.* 627 *dantur lectiones propriæ S. Petri Vercellensis episcopi, quibus gesta* S. Bononii *inseruntur. Consuli potest dies* XIII *Februarii pag.* 719, *quo de S. Petro tractavimus. Porro gesta* S. Bononii *sufficienter describentur in ejus Vita, ac Miraculis. Varia existunt de illis exemplaria, quorum suggerenda jam notitia est.* F

Vitæ exemplaria collata: 7 *Vita ejus, quæ habetur apud Surium ad diem* XXX *Augusti, uti et Miracula, non sunt primigenii styli, qui aliquantum, ut alibi in isto Opere fieri assolet, mutatus est. Vita Sancti etiam habetur apud Eminentissimum de Lambertinis a pag.* 613, *et* extracta *prænotatur ex archivo capituli* cathedralis sancti Eusebii Vercellen. in codice pervetusto... in pergameno manu conscripto.. *hoc exordio:* Beatus igitur Bononius, Bononiæ orinndus fuit, ibique a pueritia *etc. Finis vero est hic:* Idem memoratus pontifex Romam abiit, a Domino * Joanne summo Pontifice, et universali Papa apostolicam auctoritatem acquisivit, et inde regressus summa gratia et totius plebis lætitia altare erexit et consecravit *etc. Quæ exemplari apud Mabillonium edito consonant. Miracula*

* Mabill. Domno

A *cula etiam, quæ ex antiquo Ms. codice pergameno vulgavit idem Eminentissimus Cardinalis, similia sunt narrationi Mabillonianæ. Nos jam dicta exemplaria Vitæ ac miraculorum contulimus, variasque lectiones observavimus, nonnullas e pluribus assignaturi. Aliud Vitæ apographum apud nos est, quod notatur desumptum* e Ms. membr. Cardinalis Barberini f. 250. *Habet prologum. Sic incipit :* Grandium materiarum explanationem parvorum ingenia comprehendere nequeunt. *Nihil autem in eo occurrit, quod observari debeat. Sequitur historia Vitæ, quæ narrat similia exemplaribus modo designatis apud Cardinalem de Lambertinis ac Mabillonium, sed sine illis miraculis, quæ ipsi vulgarunt.*

observationes

8 *Audiamus nunc observationes, quæ exstant apud eumdem Mabillonium pag.* 266 *in hæc verba :* Sequentes duos, alterum de vita, alterum de miraculis sancti Bononii abbatis libellos scripsit quidam monachus Lucediensis anonymus, qui ætatem suam prodit in libro de miraculis non uno in loco. Nam num. 7 *(qui in nostra editione est* 9*)* ait matrem suam a S. Bononio etiam tunc vivente sanatam fuisse : et num. 10 *(apud nos* 11*)* relati miraculi, quod ipso anno mortis ejusdem sancti Viri accidit, se testem adducit. Confer num. 18 *(apud nos* 19*). His addi possunt ista ex prologo in miracula ad commendandam scriptoris fidem :* Quæ refero, *inquit,* plura ego ipse vidi, et quæ non a me visa, a veridicis et fidelibus viris audivi multorum testimoniis confirmata. *Vellem, ut distinctiorem locorum, personarum ac annorum notionem apposuisset miraculis post Sancti obitum patratis. Verumtamen, quæ scriptor ille narrat de rebus per Sanctum in Oriente gestis, exposita sunt modo tam mirabili, et tam parum verisimili, ut non multum fidei obtinere possint apud eruditos. In observationibus jam assignatis sequuntur ista :* Eruti sunt primum, sed stilo mutato, duo isti libelli a Surio ex Ms. codice monasterii S. Stephani apud Bononiam, nobilissimam Italiæ civitatem, quod Jerusalem appellatur, olim monachorum nigrorum, nunc Cisterciensium. Eosdem indidem acceptos primigenio stilo restituimus.

ad Vitam apud Mabillonium : alii scriptores.

9 Codex ille multas alias vitas continens hanc habet in fine clausulam : Anno ab Inc. Domini millesimo centesimo octuagesimo, abbatiante domino Landulfo abbate discretissimo, Deo et hominibus diligendo, fama sparsim notissimo, anno videlicet abbatiæ ejus XVIII, die scilicet Veneris, qui quarto die post festum sancti Martini episcopi secutus est, completus est in monasterio beatissimi protomartyris Stephani de civitate Bononia, quod vocatur Jerusalem, liber iste, et thesauris armarii jam dicti monasterii aggregatus. Quod utique ad omnium hominum notitiam venire volumus, etc. *Porro Sanctus noster laudatur a Sigonio lib.* 2 *de Episcopis Bononiensibus in Frugerio; de Vita ejus Italice scripsit Celsus Falconius in Memoriis historicis Bononiensibus lib.* 2 *a pag.* 117, *ac Latine Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* XXX *Augusti. Hæc habui, de quibus lectorem præmonerem. Reliqua dicentur in Annotatis ad Vitam a Mabillonio vulgatam, quam dabimus, ac more nobis usitato dividemus in capita, titulos, ac numeros.*

D

VITA

Auctore monacho Lucediensi anonymo, Sancti synchrono,

Ex Ms. codice Bononiensi edita apud Mabillonium inter Acta Sanctorum sui Ordinis sec. VI *parte* I, *a pag.* 267, *quam cum aliis exemplaribus contulimus.*

Patria, vita monastica, peregrinationes per Orientem plurimis utiles; dignitas abbatialis; obitus; altare super ejus sepulcrum. E

Nascitur Bononiæ, ubi factus monachus a b

Beatus igitur Bononius *a*, Bononiæ *b* oriundus fuit, ibique a pueritia se sub monastico prætextu divinæ servituti mancipavit. Inter cujus crepundia plurima claruere virtutum insignia : qui a primæva ætate meditatus quid futurus erat, sicut legerat, utpote omnem vitam sapientis esse meditationem mortis, cotidie moriebatur mundo, ut viveret Christo. Quatuor principales virtutes scripturarum assertionibus noverat appetendas, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, ita sibi invicem nexas et mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat. Quas omnes sic habuit Vir venerabilis, ut tamen emineret in singulis. Mundum et ea quæ in mundo sunt, posthabuit, Domino adhæsit, sæcularia judicia contemsit, et semper apostolicam sententiam ad memoriam studuit revocare : Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem. F

virtutibus fulget : varias c

2 Cumque per annos aliquot in eadem urbe, in monasterio sancti Stephani Protomartyris *c* carnem suam crucifixisset, et ætatis ac morum perfectione adolevisset; charismata meliora æmulatus, excellentiorem vitam est aggressus. De terra, et cognatione sua, et paterna domo exivit, trans maria secessum solitudinis juxta Babylonem *d* elegit. Ibi fræno durioris, et supra modum continentioris vitæ corpus suum perdomuit, omnibusque carnis illecebris triumphator agonotheta repugnavit *e*. Fama igitur ejus boni odoris per totam Ægyptum fragrante *f*, principes Ægypti, et potior pars populi mira dilectione cœperunt eum amplecti, adeo ut darent ei optionem quid vellet faciendi. At cum frequenter hoc facerent, gavisus sanctus pater Bononius Deo gratias egit, per quem barbarica feritas quievit, et in mansuetudinem conversa siluit. Insuper quod inter sævitiam barbarorum intrepidus maneret, ad perficienda opera Christianorum. Primum itaque suarum virtutum spirituale jecit fundamentum laborando ad reparationem ecclesiarum d e f

A. Anonymo.

siarum barbarica vastatione dirutarum. Ibidem quamplurima reparavit monasteria, in quibus abbates et monachos ordinavit *g*, quorum vitam secundum regulam sancti Benedicti instituit.

per Orientem ac valde utiles

3 De loco ad locum transibat, verbum Dei seminabat : fides credentium crescebat, ad quorum informationem multis signorum miraculis coruscans alios ad fidem trahebat, et sicut ager terræ bonæ fructum centesimum, sexagesimum, et tricesimum producebat. Cumque quadam die ingressus navem cum mercatoribus illius regionis Alexandriam *h* peteret, valida et inevitabili procella subito æquore turbato, nullam evadendi spem habentes clamabant omnes in tanto discrimine constituti, dicentes : Serve Dei, ecce miserabiliter perimus et tu nobiscum : sed secundum tuam prædicationem, talem credimus Dominum tuum, ut si oraveris ad eum, liberabit te, et nos tecum : et liberati vovemus nos sacramentum baptismatis a te sumturos, omnino sequi, et perfecte credere in eum. Ad ejus orationem repente vehemens maris commotio sedata præbuit *i*, et navis a Deo directa felici cursu portum Alexandriæ, sicut optaverant, intravit : et statim de navi, et de manu mortis, Deo ministrante, ereptis Vir Dei sæpe memorandus sacramenta baptismatis tradidit. Per totam Alexandriam rumor beatæ ejus opinionis sonuit, quia per eum multa virtutum signa ibi Dominus ostendit. Et ne humanus favor, ut sæpe assolet, ejus mentem nævo insolentiæ obduceret, clam locum deseruit ; pristinam Babylonis solitudinem repetens, vigiliis, jejuniis, orationibus, et universis sanctis operibus vacavit, vias vitæ quamplurimis monstravit, atque ut omnes lucrifaceret Vir justus, omnibus omnia est factus. Non adulationem per potentiam appetebat, nec fastidio aspernabatur superbos et insolentes, memor illius invectionis, qua comminatus est Dominus populi seductoribus, dicens : Væ vobis qui consuitis pulvillos, et cervicalia sub omni cubitu ad decipiendas animas. Ecce ego disrumpam eos de brachiis vestris, ut non ultra capiatis animas volantes : quem nec prospera extollere, nec adversa noverant inclinare. Pauperes sustentabat, divites ad benefaciendum admonebat. Mollia strata non habebat, sed supra duram humum superjecto cilicio et lapide capiti subposito quiescere consueverat, si quies est dicenda, quæ jugibus orationibus dies et noctes continuabat, et membra sua mortificabat secundum illud Davidicum : Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

instituit peregrinationes :

4 Per idem tempus per universam Ægyptum erat ingens luctus, gravissimæ seditionis creverat tumultus, et facto conflictu inter eos plurimi Ægyptiorum occubuerunt : Romani vero multi perierunt, et triumpho Christianis non feliciter succedente, multo plures in captivitatem ducti sunt. Inter eos Petrus *k* divinæ memoriæ venerandus antistes Vercellensis, vinctus et carcere retrusus aderat, qui nimia necessitate coactus cautissime inquirebat, si quem forte Christianum in eadem regione invenire posset, cujus consilio fretus liberari sperabat, et incessanter ex hoc ad Dominum miserabiliter suspirabat. Sed quia certum, immo certissimum est, quod Deus in se sperantes non deserit, sanctum Bononium ibidem esse Domino revelante cognovit. Quem ad se devotissime accersivit, et causam captivitatis ac miseriæ suæ, et cetererorum per ordinem innotuit. Postremo ut sibi et reliquis per misericordiam condescenderet *l* rogavit : videlicet ut paganorum nexibus absoluti, de tam durissima captivitate exirent, et in patriam terram, Deo duce et sancto Bononio, redirent. Tunc Pater sanctissimus magistris carceris pretium dedit, et otium ad captivos consolandos introëundi accepit.

captivos liberat :

5 Cum quadam die rex Babylonis per pomerium, arboribus, quibus balsamum funditur, consitum, nimia jucunditate deambularet, gratiosiores domestici ejus, inspirante Deo, quadam concordiæ regula ad invicem consentientes, supplices rogabant eumdem regem, ut votis sancti Bononii adquiesceret, captivos videlicet Christianos vinculis carceris absolutos eidem traderet, et in patriam redeundi licentiam eis cum eodem beatissimo Dei cultore clementer concederet. Tunc rex uxoris et domesticorum precibus motus, votis sancti Bononii adquievit *m*. Igitur sanctus Bononius navem ingressus Jerosolymam venit, et inde pertransiens in montem Sinaï *n*, locum suæ habitationis elegit : ut, sicut Moyses ibi olim susceperat legem Dei, in eodem loco Christi Confessor adipisceretur gratiam Spiritus sancti. Deinde venit Constantinopolim. Tunc custodes navium videntes tantam multitudinem captivorum, pavescentes speraverunt paratas esse adversus eos insidias inimicorum, et exceptoribus * ad palatium missis, ex imperiali edicto omnes sunt capti, et carcerali custodiæ mancipati. Cumque illius urbis Dei cultores ereptionis eorum causam, eo demonstrante, cognoscerent, apud imperialem potestatem operam dederunt, ut injuste capti absolverentur, et in patriam suam cœpto cursu feliciter reverterentur. Quorum precibus imperialis potestas annuit : omnes enim de carcere eductos absolvit, et ex ærario imperii ditatos, navigio, quo advenerant, cum omnibus quibus indigebant, misericorditer restituit. Inde cum gaudio singuli ad propria sunt reversi. Petrus Vercellensis episcopus pristinæ suæ sedi jure est restitutus, et ibi præfuit multis temporibus.

** f. vectigalium publicorum ex actoribus*

clarescit in monte Sinai: fit abbas Lucedii: Tusciam petit :

6 Interim Servus Dei divinæ legi se mancipaverat in montem Sinaï : ubi tantarum virtutum signis claruit, quibus totam Jerosolymorum viciniam sacro-sanctæ opinionis bono odore replevit. Non multo post Vercellensis diœceseos Locediensis abbas obiit *o* : post cujus obitum Petrus prænominatus pontifex, nunciis ad eum directis, eumdem ad se accersivit, et nimiis et inevitabilibus precibus eum rogavit, ut defuncto abbati succederet, et locum et omnes commissos secundum Deum regeret. Cumque circa se Dei voluntatem intelligeret, nec diutius resistere posset, invitus pater monachorum effectus, multis ibidem cœpit coruscare virtutibus. Sed hostis antiquus, qui omnino, sicut suum est, invidet bonis operibus, adversus sanctum Pastorem pugnæ conflictum assumpsit, et monasterium quodam procellæ turbine commovit. Ille vero memor illius evangelici : Si persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam, scandalum humiliter declinavit, atque inde recedens in partibus Tusciæ *p* interim habitavit : ubi reparato ad plenum monasterio, et secundum legem Dei et sancti Benedicti regulam instituto, sicut consueverat ubivis locorum, claruit multorum indiciis signorum.

redit Lucedium : moritur :

7 Interdum prioris loci commotio sedata quievit, et Domino revocante ad monasterium Locediense rediit, ut ibi plantatus clementia supernæ dispensationis ramos ibidem diffunderet piæ conversationis

A conversationis. Et cum per multa annorum curricula plurima ibi fulgerent virtutum suarum insignia, ille angelicus Vir semper latere quærebat, illud Dominicum commemorans : Cum feceritis quæ præcepi vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. At cum multo tempore ad construendum domicilium Dei vivi ex sensibilibus lapidibus laboraret, et in omnibus irreprehensibilem se exhiberet; et jam tempus immineret, et remunerante Deo sui agonis bravium reciperet, consummato opere valefecit *q*, et spiritum Deo tradidit *r*; post cujus obitum evidenter apparuit qualis et quantus in vita fuit. Nam ad ejus sepulcrum plurimas ægritudines curatas novimus, et de die in diem meritis ipsius fidem credentium informari gaudemus : sicut olim verbo sanctæ prædicationis, ita nunc miraculorum signis dæmonia fugantur, cæci illuminantur, qualibuscumque morbis languidi curantur, et manifeste sanctificatus, sanctis in cælo est coæquatus.

B 8 Post cujus transitum transactis aliquot diebus *s*, Ardericus *t* Vercellensis *u* ecclesiæ venerabilis episcopus, divino Spiritu illustratus, ut debitam devotionem erga tantum Christi Confessorem impenderet, supra sacratissimum ejus corpus altare erigendum et dedicandum devotissime adjudicavit. Clero igitur et populo totius ordinis et ætatis, ac utriusque sexus in unum convenienti ex hac causa verbum fecit, ut conhibentia *x* ac faventis resultatione plebis firmaretur exordium tantæ religionis. Sapientia itaque sacro-sancti pastoris, et plausu totius gregis competenter sancitum est, ut idem pius pontifex, ut rata fieret ejus sententia, et populi obedientia, ex hoc adquireret apostolicam auctoritatem, quæ supereminet sæculi *y* potestatem : ut et religio esset devotior, et beatissimi Bononii commemoratio celebrior, idem memorandus pontifex Romam abiit, a Domno Johanne *z* summo Pontifice et universali Papa apostolicam auctoritatem adquisivit : et inde regressus summa gratia et totius plebis lætitia altare erexit, et consecravit *aa*, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto, vivit et regnat in sæcula seculorum. Amen.

altare ei erectum auctoritate apostolica.

C

ANNOTATA.

a *Ms. Barberin.* Bolonius.

b *De notissima hac urbe obiter dixi in Commentario prævio. Plura dabunt Leander Albertus in Descriptione Italiæ, Ferrarius in sua Topographia. Baudrandus, Cellarius in Notitia orbis antiqui lib.* 2, *cap.* 9, *pag.* 425, *ac Ortendius parte* 2 *Orbis sacri et profani, volumine* 1, *pag.* 772 *et sequentibus.*

c *De hoc monasterio agit Lubinus in Abbatiarum Italiæ notitia pag.* 55, *inter alia sic scribens:* In eam anno circiter CMLXXX introducti fuere Cluniacenses monachi. Ex ea prodiit sanctus Bononius monasterii Lodecensis in diœcesi Vercellensi primus abbas. *Sed cum in alterius abbatis defuncti locum successerit, primus esse non potuit. Vide infra lit.* o.

d Babylonem. *Consule, quæ de* Babylonia *exstant apud nos tomo* v *Augusti in Comm. prævio S. Ludovici Francorum regis pag.* 420.

e *Consonat Ms. Barberin.; sed in editis apud Enim. Lambert. non recte* expugnavit.

f *Rectius hic, quam* flagrante *in Barberin. et Lambert.*

g *Barberin. et Lambert.* Ibidem quam plurimas *(ecclesias)* reparavit, monasterium condidit, in quo abbatem et monachos ordinavit. A. ANONYMO.

h Alexandria, *urbs patriarchalis, et emporium quondam celeberrimum fuit in Ægypto; quod nunc multum de pristino splendore amisit.*

i *Barberin. et Lambert. recte* siluit.

k *De S. Petro episcopo Vercellensi consule Commentarium prævium num.* 6.

l *Ita etiam Barberin.; Lambert. minus recte* consecuderet.

m *Addunt Barberin. et Lambert.* Captivos sibi, quos tenebat, reddidit. Insuper navigium, quo singuli ad sua remearent, et omnia navigantibus necessaria contulit.

n *In Arabia Petræa.*

o *Non ergo ibidem Sanctus fuit primus abbas, uti antea lit.* c *contra Lubinum dixi. Erravit etiam Carolus Sigonius antea citatus, dum hæc scribit :* Bonifacius Montisferrati marchio monasterium ad Locedum in agro Vercellensi construxit, atque ei Bononium.. ob singularem sanctitatis famam, Petri Vercellensis episcopi commendatione præfecit. *Adde, quæ in Comm. prævio retuli num.* 3 *e Mabillonio de origine dicti monasterii anno* 712, *nec non quæ narrat in suis Annalibus ad annum* 1050 *num.* 106. E

p *Regio Italiæ est Tuscia de cujus situ et divisione consuli possunt Ferrarius in sua Topographia, et Baudrandus.*

q *Barberin. et Lambert.* fratribus valefecit.

r *Addit Lambert.* anno Domini MXXVI. *Annus idem cum die* 30 *Augusti habetur inter miracula apud nos num* 11.

s *Barberin. convenit, sed Lambert.* Post cujus transitum Ardericus *etc.*

t *Ughellus tomo* 4 *Italiæ sacræ col.* 1069 Ardericus, *inquit*, ex regia stirpe, patruus Adelaïdis et Othonis, episcopus Vercellensis, anno MXXVII, Resurgenti Christo die sacra, coronationi Conradi imperatoris *(cognomento Salici)* interfuit sub Joanne XX *(immo* XIX) Papa. *Plura deinde ibidem subdit.*

u Vercellæ *urbs episcopalis est in Pedemontio. S. Hieronymus epistola* 17 *editionis novæ (al.* 49) *col.* 23, Vercellæ, *ait*, Ligurum civitas haud procul a radicibus Alpium sita, olim potens, nunc raro est habitatore semiruta. *Quænam vero postmodum illi ejusque diœcesi obtigerint, Ughellus proxime assignatus narrat col.* 1023 *et sequentibus.* F

x *Ita etiam Barberin.; at Lambert.* conniventia. *Est autem* conhibere, cohibere, *quasi* CONNIVERE, *apud* Ugutionem ASSENTIRI, *sicut legere est in Glossario Cangii, ubi plura invenies.*

y *Barberin. et Lambert.* omnem sæculi.

z *Hujus videlicet nominis* XIX, *ut in Comm. prævio dictum est.*

aa *Barberin. addit :* Secundum quod Papa Joannes statuit atque canonizavit.

MIRACULA

A. ANONYMO.

MIRACULA

a

PROLOGUS AUCTORIS *a*.

Stylum excusat, ac fidem suam commendat auctor.

Gratia nostri Redemtoris, qui fideles suos, mundo mortuos, secum viventes et conregnantes in cælestibus, multorum signis miraculorum ostensis perspicue demonstrat; apparet viros fuisse, quorum studio et labore veteris ac novi Testamenti sanctorum Patrum opera, atque virtutum signa per eos cælitus facta, quibus ad divinum amorem excitarentur, posteris scripta relinquerentur. Quisque autem illorum, sancto Spiritu ubi vult spirante, et non omnes suas gratias uni, sed partim cunctis tribuente, pro virium seu ingenii capacitate pauca vel plura studuit, prout potuit, exarare. Ergo fratribus miræ devotionis in Dominum, ut miracula per sanctum Bononium, dum viveret, sive post ejus
B obitum facta schedulis traderem precative rogantibus, atque præfatorum scriptorum mihi renuenti exempla objicientibus, quorum minimo nullo modo me audeo comparare, sciens me modicæ scientiæ, sed in Domino spei maximæ, qui linguas infantium facit disertas; tandem eorum diutina deprecatione devictus, atque in ipsorum obsecrationibus, tantique Confessoris supplicationibus pro me ad Dominum confisus, pauca de multis ultra mearum virum negotium præsumendo, non patiens cuncta esse incognita, conor memoriæ tradere humanæ : quorum si nulla forat descriptio, ne inertis commissum talentum abscondentis in terra particeps essem timeo : cum, testante Scriptura, bonum sit secretum regis celare, et honorificum opera Domini laudare. Unde obnixe oro lectores, ut non sint hujus operis detractores, nec verborum rusticitatem attendant, sed quæ hic habentur, vera fore credant : quia quæ refero, plura ego ipse vidi; et quæ non a me visa, a veridicis et fidelibus viris audivi multorum testimoniis confirmata.
C

ANNOTATIO.

a *Lambert. non habet prologum. Apud Mabillonium, e cujus editione hæc etiam miracula recudimus, ponitur titulus hic :* Incipit Prologus in miraculis sancti Bononii abbatis et confessoris.

CAPUT I.

Miracula a Sancto vivente patrata.

Monachi furtum

Nocturnis igitur hymnis atque laudibus, temporibus peractis mos erat beato Bononio in oratorio remorari : ubi vacans uberrimis flectibus et oraminum obsecrationibus, pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ, et omnibus fidelibus vivis et defunctis, quanto secretius valebat, non humanæ laudis appetitum desiderans, Dominum jugiter supplicabat. Ea vero hora, dum hæc agerentur, frater quidam, nomine Lintefridus, vir magnæ reverentiæ, provectæque ætatis, cupiditate victus, videns pulcram candelam in candelabro, D subripuit et exstinxit, atque in sinu suo reposuit. Quod dum faceret, Dei occulto et justo judicio meruit percuti ab angelo. Hoc autem ipsum latuit tunc temporis nihil mali sentientem. Sed et candelæ ablatio, et angeli percussio beatum non latuere Bononium : cujus purus mentis intuitus, omni luvione *a* pulsa, sedulo in exstasi raptus cælestia penetrabat, quippe ejus vita nec etiam levi famine erat maculata. Mane autem facto, primaque hora diei celebrata, ac facta ex more fratrum collatione, beatus Bononius in eorum resedit conventu : et dictis dicendis, et juste misericorditerque correctis corrigendis, ut pater filium, fratrem præfatum, de candelæ subreptione clementer increpavit, et ut eam custodi ecclesiæ redderet imperavit : qui, licet invitus, reddit * quod fuerat jussus. a

* Lambert. reddidit

punitur :

3 Inde vero egressis, et singulis ad sibi injuncta peragenda occupatis, quibusdam ex ipsis ad se accersitis, quod in eo factum esse cognoverat, Vir Dei mærendo *b* aperuit, dicens : Filioli, scitote fratrem illum modo infirmaturum, et hac de clade vix mortem evasurum. Item et ei lectum E in domo infirmorum construite, eumque cum magna diligentia custodite. Qui suscepto ac peracto jubentis imperio, jam aliquid mali patienti occurrentes, quæ a Dei Famulo audiverant et fecerant, innotuerunt. Ipse namque non multa adhuc infirmitate se videns gravari, sibi relata parvipendit, et non futurorum ipsius præsagio, sed amicitiæ stultiloquio deputavit : qui graviter crescente dolore, ut sententia Viri Dei esset veridica, ita est ea die viribus corporis destitutus, ut de ejus vita funditus desperaretur. Sicque per multos dies mansit : et, ut ipse postea solitus erat referre, numquam ea de infirmitate convalesceret, et procul dubio credi licet, nisi beatus Bononius suis meritis et orationibus pro eo intercederet. *b*

in vinum, a quo abstinere volebat Sanctus,

4 Aliud quod narro miraculum, quod valde exstat venerandum. Beato namque Bononio ab adolescentia sua omni tempore corpus suum cum vitiis et concupiscentiis crucifigente, omnino spretis quatuor præcipuis victibus, scilicet carnis, adipibus, ovis, et caseis, dum morem abstinentiæ vini in Paschali festivitate vellet observare, quo tantum in diebus, in quibus Eucharistiam F accipiebat, propter stomachi eversionem permodicum gustando, vase vix semisse apparente, utebatur, non ei permisit clementia superna : qui dum in præfata die rite celebratis mysteriis divini officii ad mensam accessisset, ei minister juxta consuetudinem in duobus vasis, in uno vinum, in altero aquam bibere detulit. Quod vas videlicet aquæ dum facto signo sanctæ crucis ori admisisset, cam vinum factam invenit; accitoque ministro dixit : Cur mihi solita consuetudine aquam non propinasti? Qui respondens ait : Etiam, Domine pater. Est, inquit, Vir Dei, experire, et, si sit aqua an vinum, per temetipsum addisce. Ille vero bibere non distulit; et inveniens aquam vinum factam, admiratione perculsus obstupuit; et accipiens scyphum foras vinum ejecit, atque ad fontem recurrens, inde aliam lympham beato Bononio reportans dedit : quam signo sanctæ crucis facto, et nomine Trinitatis invocato, cum iterum ad os misisset, inventa est optimi meri saporem habens.

mutatur aqua:

5 Tunc Vir sæpe memoraudus tamquam irato animo dixit : Non tibi, amens, vinum, sed aquam præcepi deferre. Scio, inquit minister valde

A de admirans domine Pater, scio. Testem Dominum invoco, quia illa et hac vice ego ipse ad fontem ivi, et meis manibus aquam extraxi, et huc ad te devexi. Beatus vero Bononius illi non credens rursum aliam imperavit aquam afferri: quæ et ipsa conversa et optimum vinum, in propriam mutavit naturam. Quo viso beatus Vir, cujus voluntas fuit in lege Dei die ac nocte, maximum habuit stuporem, atque recognita Dei pietate circa se miserationem agente, ei grates dignas retulit. O virum vere per omnia laudandum, cunctorumque bonorum laudibus extollendum! Scriptum est enim, ut illicita committentes licitis interdum non utantur. Ipse enim hujus præcepti non immemor, ut cotidie mortuus mundo viveret Deo, hanc auctoritatem transiliens etiam in Resurrectionis Dominicæ, necdum in aliis, acsi illicita committeret, plerisque licitis nullo modo utebatur: maxime cum ea die peccatoribus venia indulgenter conceditur, et animabus jam carne solutis causa purificandi pro commissis supplicio deputatis requies exhibetur. Quin etiam hominum favorem effugiens, ut hæc indulgentia a Deo sibi præstita omnes lateret, eumdem
B ministrum, qui solus hoc noverat, ad se vocavit, et ne, quousque hominem exiret *, divulgaretur, interdixit.

* f. exueret

mira in pane mutatio:

6 Beatus Bononius pro causa monasterii cum suis militibus in itinere directus a quodam rustico in hospitio devote est receptus. Cui, suisque refectis, appropinquante nocte, domus parvitate in ea jacendi facta difficultate, sub divo lecta præparata fuerunt: sed ruentibus cæli imbribus in eisdem quiescere nequiverunt. Domum igitur introïerunt, et utcumque valuit ibi se quisque collocavit. Christi vero servus Bononius super quoddam vasculum, ubi panis solebat confici, sua sancta membra dedit quieti: pro cujus honore vas illud postea veneratione habitum, donum non silendum accipere meruit. Deinde cum panis subcinericius ex usu ibi pararetur, operante divina clementia absque levamine persæpe fermentatus est repertus, ut qualis, ac quantus esset Vir ille, quem sustulerat, insinuaretur. Quod insolitum et inauditum videntes illius domus homines multum admirari cœperunt: sed recolentes beatum Bononium ibi superjacuisse, id ejus
C meritis fieri non dubitaverunt: qui donec in carne mansit, sui Domini acceptam pecuniam non intra abscondendo, sed negotiando, quantum potuit, multiplicare studuit, unde recepta mercede in cælo et in terra honorari et exaltari meruit.

mulier filios obtinet Sancti precibus:

7 Fuit quoque femina liberorum procreandorum aviditate plena, sed a propaginum fœcunditate per multorum annorum curricula aliena: quæ prolem gignendi, medicinis susceptis frustra concipiebat et pariebat, quia sibi justo Dei judicio prohibente diu vivere nequibant. Illa vero suorum pœnitens commissorum, audita sancta opinione beati Bononii, ad eum devenit, et supplex ejus pedibus provoluta, cujus rei gratia advenisset, patefecit. Quam suis sanctis instructam monitis, et indicta pœnitentia, in suis sacris orationibus Dei prædictus Famulus suscepit, eamque cum gaudio ad propria remisit. Et quousque vixit concipiens et pariens, meritis Domini Confessoris, filiis et filiabus non caruit. Nec mirum si tanta ac talia valuit obtinere apud Dominum, cum ipse semper fuisset bonæ terræ ager, qui suscepto semine centesimum obtulit fructum.

A. Anonymo.

aliam febricitantem sanat,

8 Quodam tempore, dum contigit eum iter facere, et in quodam vico ad domum cujusdam causa hospitandi declinare, auditum est a quadam femina febricitante eum ibi adesse; quæ festinans eo venit, et quis esset fusurus aquas ejus manibus, perquirendo invenit. A quo dum peteret aquas ejus manuum (sciebat enim plurimos sospitatem consecutos per haustum earum) responsum est illi: Hoc minime facere audeo, quia coram eo solito more in terram projicio: sed me ei aquas dante prope adesto; et dum in terram fudero, brachialem *c* extendens, non tamquam sponte, sed casu, et tamen quo plus latenter poteris, eas suscipe, domumque regrediens ablue, atque eamdem lavaturam confidenter ebibe, quia sine spe possibilitatis vana est petitio cujuslibet cupiditatis. Quæ siquidem mulier visa non multum distare ab ea, quæ accedens retro tetigit fimbriam Domini, fecit quod sibi fuerat imperatum: et ilico convaluit, atque ei Dominus pristinam sanitatem sui Famuli meritis reddidit. *c*

uti et auctoris matrem:

9 Inter cetera, quæ refero, nec illud silendum puto, quod meæ accidit matri intercessione ipsius, quæ cum esset frigoretica *d*, et nimis *d*
inde laboraret, ad eum venit, atque suis se ora- E
tionibus commendare studuit: quam ipse Vir venerabilis satis benigne gratanterque suscipiens, seque Dominum pro ea oraturum promittens, tali prorupit in voce: Vade, et noli amplius febricitare. Continuo namque melius habuit, et citius inde perfecte convaluit. Alio quoque tempore dum idem beatus Vir iter faceret, contigit ut apud quoddam castrum in quadam domo ad hospitandum declinaret: ubi opacæ noctis tempore tanta lucis claritas super eum refulsit, ut a quibusdam non longe manentibus tota illius domus fabrica, in qua excubaverat, igne consumi putaretur. Qui consurgentes omni subtilitate illuc perrexerunt; sed ab eorum oculis sublato lucis splendore eam inustam invenerunt. Quam videlicet claritatem nulli constat dubium fuisse ob ejus merita. Nec mirum, cum ipse Dei Famulus a puerili ævo toto conanime opera tenebrarum perfecte abjecisset, et arma lucis et fidei optime indutus esset. Hoc idem et post ejus transitum in cellula, in qua, dum corpore viveret, recumbebat, frequenter et a multis visum est. Unde aperte pa- F
tet, quia ibi sancta studia et opera Deo satis placita ab eo sunt peracta.

ficus per miraculum maturæ.

10 Dum idem Dei Famulus alio etiam tempore esset apud quemdam vicum in domo cujusdam matris familias, ab ea multis est rogatus precibus, ut ibidem dignaretur prandere: qui ejus obsecrationum instantiam videns, votis ipsius adquievit. Mensa namque apposita ad prandendum discubuit Ubi autem consumta sunt edulia, quæ haberi poterant, si sicus quivisset habere, inquisivit. Cui quidam suus presbyter, [a] prædicta paullo ante, ut sicus ipsi Dei Famulo colligeret missus, respondit: Eo enim ad colligendum *e*: sed omnibus diligenter circumspectis, et immaturis repertis, neminem *f* sumsi. Cui Vir Dei: Vade, ait, et collige, nobisque huc defer. Presbyter vero sancti Viri præcepto obediens, ad easdem sicus, quas adierat, rediit, et, ut eodem referente cognovi, tot in eis maturas invenit, quot Viro Dei, et omnibus, qui cum ipso erant, sufficere potuerunt. Unde credentium fides informari simul debet et augmentari. Nam Unicus summi Patris omnium Dominus Servo suo præstitit, quod ipse quærens fructum in ficulnea

e
f

A. Anonymo

culnea sibimet non exhibuit. Spopondit enim in se credentibus: Opera, quæ ego facio, facietis, et majora horum. Quoniam aliqua, quæ vivus peregerat, prout quivimus, summatim scribendo pertrinximus: ad recolendum ea, quæ post transitum egit, Domino adjuvante, stilum vertamus.

ANNOTATA.

a *Sic etiam legit Lambert. At forte legendum* lusione *pro* illusione. *Sin minus, non intelligo, quid* luvione *significetur.*

b *Lamb.* inherendo *minus recte.*

c *Lambert.* brachiale. *Hac autem voce significatur* manica, pars illa vestis seu unicæ, quæ ab humero usque ad manum brachia operit, *teste Cangio.*

d Frigoretica, *id est, febricitans, sicut paullo post dicitur*: Vade, et noli amplius febricitare.

e *Lambert.* Cui quidem suus pater a prædicta matrona paulo ante, ut sicus Dei Famulo *(deest* colligeret) missus, respondit: Ego enim ad colligendum ivi.

B f *Ita etiam Lambert., id est,* nullam.

CAPUT II.

Miracula a Sancto post mortem facta.

Vinculis constrictus liberatur:

Anno igitur Incarnationis Dominicæ millesimo vigesimo sexto, tempore dormitionis suæ in Domino accedente, gaudentibus angelis et flentibus populis, beatus Bononius tertio Calendas Septembris ad omnium bonorum Remuneratorem feliciter perrexit, braviumque sui agonis ut optimus athleta accepit. Quo defuncto, ita confestim ejus sanctitatis fama totam per provinciam circumquaque est diffusa, ac si præcones mitterentur, quibus is obiisse, et per eum signa fieri narrarentur Quod audiens quidam validis compedibus ferreis vinctus, atque in carcerali custodia magna cum diligentia positus, cœpit ingemiscere, pectusque pugnis tundere, et ad Dominum toto mentis affectu preces fundere. C Si vera, inquiens, sunt, Christe, quæ de famulo tuo Bononio auditu comperi, ejus, quæso, meritis et intercessione fac misericordiam mihi, ut per me liberatum a tantis, quibus crucior, doloribus, nomen tuum et Servi tui magnificetur, et hoc miraculum tuæ dexteræ potentia factum cunctis intimetur, ut majora his, quæ fieri in præsentiarum perhibentur, ejus interventu futura esse sperentur. Hoc autem eum diu esset oratum, solutus vinculis Dei miseratione, tantique Confessoris supplicatione se exauditum cognosceus, absque mora exivit, et eisdem vinculis sumptis, ad ejus sacratissimi corporis tumulum festinato gressu devenit, et ibi eadem, quæ multo tempore manserunt, suspendit, ac gratias agens Deo, sanctoque Confessori Bononio, qualiter ei accidit, per ordinem nobis narravit.

dolor dentium sedatus:

12 Eodem vero anno, quo ipse sanctus Dei Bononius ex hac vita ad ineffabilem polorum gloriam migravit, quidam frater, cui ipse habitum sanctæ conversationis tradidit, adeo acri dentium dolore torquebatur, ut etiam inediam, diesque ac noctes continuatim insomnes duarum hebdomadarum spatio pateretur, atque ei omni quiete amota, per cœnobii circuitum quasi amens vagaretur. D Nocte autem quadam post multam fatigationem, dum caput in gremio infirmorum servitoris ponens modicum somni caperet, apparuit ei sanctus Bononius: qui festinus surgens, ut sibi per somnium videbatur, ob honorem tanti Patris, ad ejus sacra vestigia osculandum proruit: sed cum Vir venerabilis amiciter per mentum accipiens erexit. Ad cujus tactum ilico omnis dolor est effugatus, simulque frater ille infirmus a somno, quo tenebatur, est excitatus. Hoc autem facto, obsequentem sibi vocavit, dicens: Jam enim sancti Bononii visione et consolatione omni dentium careo dolore: sicque sospitate recepta, in eadem omni vitæ suæ tempore mansit.

mulier fœcundata:

13 Quædam femina ab adolescentia conjugio copulata, videns sibi non nasci filios neque filias, una cum viro suo nimio tædio ac mærore afficiebatur. Hæc autem ut sui uteri sterilitatem amitteret, dum multa illicita, quæ putabat prodesse, faceret, cognovit se in vanum laborare, quod tentaret velle Dei per sua maleficia superare. Meliore siquidem consilio divinitus inspirata, erogans multas eleemosynas pauperibus, ac insistens assiduis oraminum precibus, se funditus vertit ad Dominum, qui solus est unicum, et verum et unicum * miserorum præsidium. E Non multo post tempore evoluto, dum sopita dormiret, vidit in somnis, quod, si ex stillicidiis pluviæ stillantibus a domo, in qua Vir beatus degit, haberet atque potaret, a suo desiderio fraudata non esset. Quæ a somno expergefacta visionem suo non distulit intimare marito. Tempore namque opportuno adveniente, una cum viro suo ad jam memorati Patris monasterium devenit, atque ex aqua, quam desiderabat, per quemdam sibi notum ab ea rogatum accepit. Qua deinque exhausta, domumque regressa, paucis transactis diebus concepit et peperit, atque intervenientibus beati Bononii meritis, utriusque sexus prole deinde fœcunda permansit.

* *Lambert.* qui solus est verum, et unicum

vincto libertas, muto loquela reddita:

14 Homo quidam erat fratricidii *a* pœnitens, qui habebat mucronem cum quo peremerat fratrem, fixum in ferreo circulo circum dextrum brachium strictius posito, cute et carne jam superimminente. Hic cum esset in septimo pœnitentiæ suæ anno, multorum Sanctorum ecclesiarum limina calcando, in die ejus natalis venit, F ubi beati Bononii corpus jacet humatum. Qui flens et ejulans, ex intimo cordis alta trahens suspiria, Dominum precabatur sibi propitium fieri intercessione sui tanti Famuli. Cumque diu orationi instaret, et sanctum confessorem Bononium in suo suffragio invitaret, ei Christi clementia subveniente, coram multa turba virorum ac mulierem circulus repente fractus, et valde abjunctus a brachio cecidit, qui ante ejus altare ad hujus rei memoriam multo tempore pependit. Unde intelligi datur, quia similiter ab animæ reatu eadem hora est liberatus. Eodem quoque die, quidam ab infantia mutus proprii sermonis recepit usus, a cujus ore multum sanguinis decidit, quod signum fracturæ linguæ vinculi exstitit. His namque visis miraculis, quique majorem spem et fidem in Deo, ampliorem que devotionem et venerationem in ejus Confessorem inde habentes, cum gaudio ad propria redierunt. Tua sunt, Domine Jesu Christe, hæc opera: sic sic et mirabilius, cui tu semper vivere fuisti, nunc mortuum magnificas, a quo hac in vita degente fideliter magnificabaris, qui lucerna lucens non sub modio latuit: sed super candelabrum positus omnibus in domo tua nobiliter splenduit.

15 Alio

A *dæmoniaca* 15 Alio vero anno in die natalis ipsius, dum ex multis partibus orbis plurimi ad ejus sacri corporis tumulum confluerent Dominum adoraturi, et, confidentes ejus interventu ab instantibus et futuris malis posse liberari, ipsius suffragia rogaturi; quædam femina a dæmonio vexata, multis ecclesiis pretiosissimorum Sanctorum petitis, nemini illorum ejus depulsione concessa, illuc deducta est: cujus ecclesiam mox ut fuit ingressus, dæmon se graviter torqueri et ardere orationibus Bononii vociferans, incessanter clamabat. Per triduum autem ibi stetit, et sancti Confessoris supplicatu, multis coram præsentibus, ab ea illud vomente cum sanguine pietas divina dæmonium ejecit; a quo plasma Dei jam diu possessum coacte fugiente magnus factus est strepitus. Coronam enim argenteam super altare ejus dependentem percussit, et auditis et visis ictibus, ipso non viso ictore, miro modo in unum collegit, et tamen non eam omnino dissolvit.

sospitatæ: 16 Alia quoque femina, dum jacens in partu sitiret, aquam petiit, eamque, oblita facere signum sanctæ crucis, bibit, sicque spiritus Fu-B mareth, (quo nomine ipse interrogatus se vocari perhibuit,) eam invasit malignus: quam post partus purificationem ad quamdam ecclesiam, in ejus honore dedicatam, perductam, a presbyteris ceterisque fidelibus prius facta oratione, et omnium Sanctorum invocatione, per virtutem Domini nostri Jesu Christi conjuratus, coactus et confusus dæmon sancti Confessoris interventu deseruit, et ut fumus, a quo videtur vocabulum sumpsisse, evanuit, nec ad eam redire ultra præsumpsit.

debita Sancti ecclesiæ reverentia 17 In eadem quoque ecclesia aliud constat esse *b* miraculum, multa admiratione venerandum. Erat quidam villicus cujusdam marchionis, vir *b* multæ crudelitatis, qui ut aliquid sibi quolibet ingenio raperet, ad eas partes, ubi ecclesia beati Bononii sita est, se ire disposuerat. Quem illuc venturum homines, qui ibi habitabant, cognoscentes, quæque sua mobilia fugientes ad supra scriptam ecclesiam detulerunt. Circum quam dum multi sues adessent, et, ut illorum mos est, rimanando *c* per ecclesiæ cœmiterium discurrerent, ipsius *c* C muros tetigerunt. Unde quodam contagio ita in renibus sunt percussi, ut inde funditus omnem vim amitterent; et ea die, excepta una sue, cuncti interierunt. Quam videlicet suem dum rusticus, cujus erat, mirabiliter contractam et moribundam videret, votum vovit Domino et sancto confessori Bononio, quod, si inde convalesceret, unum e prioribus, quos fœtus gigueret, in ipsius ecclesiæ servitium stipendio offerret. Facto autem voto, mox ipsius sus sana efficitur. Quibus villico dictis, non fuit credulus illis.

miro modo servatæ: 18 Nec mora, confestim equum ascendit, et quod cognoverat, anhelitu, ut certius sciret, venit cognoscere. His denique visis, quodam timore et amore divino compunctus, ecclesiam est ingressus; vovitque Domino et sancto Bononio in illius ecclesiæ finibus commorantibus se umquam nil mali facturum, et a pravitate sua deinde cessaturum. Qua ex re evidenter ostenditur, quantæ gratiæ et celsitudinis beatus sit Bononius apud omnipotentem Dominum, qui ejus vitam a quibusque custodivit immundis, cujus sacra loca immundas sues non passus est tetigisse impune, unde quorumdam hominum feritas minueretur, et sub ipsius obtentu viventibus securitas et protectio major tribueretur.

19 Tantorum fama miraculorum longe lateque diffusa, quidam adolescens, Adam nomine, *A. Anonymo.* *eriguntur contracti:* confidens se sanctissimi Confessoris meritis ab infirmitate sua liberari, advehitur. Quippe etiam *d* *d* ab ipsis cunabulis ita erat contractus, ut cohærentibus calcaneis natibus, non plantis passus faciendo, sed scamellis *e* manibus subpositis repcu-*e* do incederet. Tribus denique diebus continuatim et noctibus ad memorati et memorandi almifici Confessoris altaris crepidinem jacens, ipsius suffragia postulans, quod optaverat a Domino, sui Famuli intercessione accipere meruit. Cui hora suæ curationis, redeunte sospitatis vigore, tantus æstuationis calor affuit, ut etiam interulam, quam erat indutus, exueret, et nudus maneret: hiems tamen erat. Sanitate vero concessa, recessit ab eo caloris nimietas: sicque sospitati redditus, in eadem penes nos usque hodie manet, sui Sanatoris ecclesiæ serviens, et Deo et ipsi gratias referens. Per idem tempus, alius quoque æger, nomine Heli, ætate grandævus, miserabili atque diutina sorte diræ pestis damnatus advenit. Qui utrorumque pedum officio carens, genua per terram trahendo et manibus scamella habendo, incedere solitus erat. Hic acce- E dens ad sacri corporis opiferi *f* Confessoris se-*f* pulcrum, ejus postulavit auxilium: cujus adjutus gratia, sanitate est donatus pristina *g*. Qui in *g* eadem adhuc degens, Deo et ipsi sancto Bononio pro sua erectione laudes refert, et quidquid servitii potest, ipsius ecclesiæ servientibus devote exhibet.

20 Quadam die Comitissa quædam, nomine *paralyticus* Waza, Willelmi marchionis uxor, multis stipata militibus venerat oratum ad ecclesiam, ubi beati Viri corpus jacet humatum. Quæ dum super altare ejus Missas celebrari faceret, et præsens ibi cum suis et aliis pluribus adesset, quidam mendicus ferens filium in scapulis, cujus pes et manus sinistri lateris paralytico morbo aruerant, eam adiit, et ab ea alimoniam sibi et nato petiit. Illa pietatis viscere immota, non solum ei non tribuit, verum etiam increpanter et exacerbanter propter suam improbitatem, ut a se discederet, præcepit, Non mihi est, inquiens, tantarum copia opum, quæ mihi, et omnibus a me petentibus sufficere possit. Præstantius etenim esset te ipsius sancti Confessoris rogato suffragio, ut F tuo sanitatem reddat filio, Domini misericordiam implorare, qui dando postulata, non minus thesaurizat, Psalmigraphi præconio impleto dicentis: Tibi enim, Domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor.

21 Homo autem ille quod audivit, facere non *sanitate donatur.* distulit. Filium sequidem de scapulis deponens, prope sacri corporis tumulum prostravit, ac genibus flexis, ac precibus fusis, demum ad petendum eleemosynas hac et illac per ecclesiam festinando discurrit. Interea dum pater abesset, opitulantibus meritis almi Confessoris, præfato puero summi Dei bonitas non tarda fuit; et cui eleemosyna denegabatur, ut claudo ad portam templi sedenti, argento et auro carius, membrorum scilicet sanitas, donatur. Hoc namque viso miraculo, magnus factus est plausus exsultationis ad laudem et gloriam omnem Creatoris, ejusque Confessoris. Mox autem hujus facti fama per cunctorum aures volitante, illuc ab omnibus concurritur, inter quos et pueri pater regreditur: quid vero et qualiter actum sit, exquiritur. Tunc præfata comitissa, quomodo res se habuit, cunctis exquirentibus innotescere non piguit. Taliter vero omnipotens Deus, qui cuncta mira dispensatione

A. Anonymo. spensatione agit, hoc miraculum mundo propalari voluit, ut Servus suus hinc venerantior et celebrior haberetur: et quia, testante Scriptura, signa infidelibus dantur; ut ab infidelitate declinantes discant, sperantes in Domino non deficere omni bono, cui laus est et gloria per cuncta sæculorum sæcula.

ANNOTATA.

a *Tomo* i *Actorum Benedictinorum seculi* 3, *pag.* 120 *apud Mabillonium narratur simile exemplum in libro primo de miraculis S. Bertini.* D *Consule dicta superius num.* 11.

b *Lambert. rectius:* Aliud constat esse actum miraculum.

c *Lamb.* et ut illorum est, rimando. *Suspicor mendose hic scribi* rimanando.

d *Lambert.* Qui pene etiam.

e Scamella *sunt parva scabella, quibus repentes manibus innituntur. Vide Cangium.*

f *Lambert. mendose* operi.

g *Lambert.* cujus ad nutum gratia sanitatis est donatus pristina.

DE SANCTO PETRO CONFESSORE

TREBIS IN LATIO ITALIÆ REGIONE

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B § I. Variæ de Sancto notitiæ: patria, educatio; disciplina sub S. Cleto; E ecstasis; multis in locis verbi Dei prædicatio; tempus vitæ ac mortis.

Medio circ. sæculo xi. *Documenta varia de Sancto unde et a quo huc missa:* Trebarum *oppidum in Latio, pluribus infra memorandum, ejusdemque territorium ac vicini tractus non mediocrem acceperunt splendorem ab hoc sancto Confessore, virtutibus, meritis ac miraculis clarissimo: ad cujus promovendam gloriam egregie nos instruxit P. Dominicus Antonius Pierantonius Societatis Jesu, quando anno* 1711 *Roma huc transmisit varias ac multas de illo notitias, postea latius a nobis laudandas. Inter alia vero, quæ nobis subministravit, documenta, invenio apographum Vitæ antiquæ, de qua postea redibit sermo, in duas columnas divisum, in quarum altera datur ejusdem Vitæ narratio: in altera autem apponuntur* C *Latinæ ad illam notæ; deinde sequitur Ms. Appendix Italice, quam uti et notas ad Vitam, etiamsi diversa manu exaratas, et studiose curioseque elaboratas, adscribo eruditis laudati P. Pierantonii laboribus, et quas proinde sub ejusdem nomine citabo posthac. Quasdam vero e dictis notis inseram huic Commentario; quasdam servabo pro Annotatis post Vitam; utrasque magno nobis usui futuras ad gesta* S. Petri, *et res, quæ ad illum pertinent, elucidandas ac illustrandas. Ordiamur itaque a patrio ejus solo.*

S. Petri patria. 2 *Locus, qui vulgari nomine* Carzoli *nuncupatur, sancto Viro patria obtigit, uti dicet Vita num.* i. *Pierantonius* Carzoli, *inquit*, etiam nunc dicitur, oppidum sub titulo Ducatus in diœcesi Marsorum, milliar. 9 a Sublaco, et 20 ab oppido Treba: olim in Æquicolis celeberrima civitas, facta colonia Romanorum an. V. conditæ cdlv, ex Livio: et ex Valerio Maximo lib. 7, cap. 7 habetur mentio Marci Annæi Carseolani, nobilissimi equitis Romani filii: et in Ovidio Fastorum 4 dicitur:

Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager,

Qui nunc appellatur il Piano di Carsoli. Tria miliaria distat a Roccabotte, et in cacumine vicini montis celebris est ecclesia B. Virginis delli Bisognosi dicta, ibi erecta anno Domini dcx sub Bonifacio IV. *De Marsorum autem regione, origine, oppidis aliquot, ac finibus, aliisque ad istum populum spectantibus scribit Orlendius in Orbis sacri et profani parte* 2, *volumine* 3, *lib.* 4, *cap.* 3. *Hæc de Sancti patria.*

3 *Vitæ auctor eodem num.* i *natum ac educatum scribit* in castro Arcis Vegetis, *agens etiam de morum ejus innocentia. Pierantonius hæc observat de isto loco:* Arcis Vegetis castrum, nunc Roccabotte appellatum, fortasse Arx fortis, cum legatur Arx Samnitum. In Chronica Sublac. legitur Roccavotte sub prædicto ducatu Carseolano, in diœcesi Marsicana, in confinio regni Neapolitani. Olim erat sub ditione abbatiæ Sublacensis, una cum F ipsa Carseoli circa annum ml, 17 milliar. distans ab oppido Treba. Intra mœnia extat domus paterna ipsius S. Petri, in sacram ædem redacta, supra quam cubiculum, in quo ipse natus et nutritus fuerat: et in parochiali ecclesia S. Petri Apostoli, olim monasterio monachorum S. Benedicti, extat sacellum cum reliquiis ejusdem sancti Confessoris, et in proximo monte extra muros oppidi, habetur in veneratione aquæ fons salutaris, qui dicitur ortus ad preces ejusdem Sancti, et dicitur la Fontana di san Pietro. *educationis locus:*

4 *Biographus loco citato subnectit, Sanctum a parentibus compulsum ad conjugium, clam se subduxisse, Tiburque adivisse, atque adhæsisse* cuidam honestissimo viro Cleto, *moratumque ibidem cum eo* per duos annos. *In prædictis observationibus* de Cleto honestissimo viro *sunt ista:* sancti Cleti confessoris diaconi ecclesiæ Tiburtinæ celebratur festum xxiv Octobris, ex Ferrario *(in Catalogo generali, ubi signatur solo titulo confessoris: nec probatur esse idem, de quo biographus, nec satis mihi est notus.)* In platea prope cathedralem extabat olim hospitale S. Cleti civis Tiburtini, *fugit, ut non ducat uxorem, proficit sub S. Cleto, et fit clericus:*

A tini, cujus sacrum caput servatur in sacrario prædictæ ecclesiæ cathedralis Tiburtinæ, ex monumentis Tiburtinis, et ex Philippo Ferrario de sanctis Italiæ, *qui in eorum indice tribuit corpus ipsius ecclesiæ cathedrali, et ponit* XXIV *Octobris. Dum vero idem Cletus videret discipulum suum non mediocris esse expectationis*, detulit *eum* ad Gregorium ejusdem civitatis episcopum, *sicut indicat auctor Vitæ num.* I, *qui* gaudens totondit eum et aptavit quasi clericum. *Audiantur notæ :* Gregorius iste Tiburtinus episcopus unicus ejus nominis in catalogo episcoporum Tiburtinorum ex Ughellio num. 17, florebat sub Leone IX Pontifice circa annum ML : ex quo deducitur tempus vitæ S. Petri, qui clericus factus est ab hoc episcopo Gregorio, ei oblatus a S. Cleto diacono magistroque.

prædicat verbum Dei,

5 *Pergamus cum Vita :* Prædictus vero magister mox ei ferream crucem attulit, *hortatusque illum est ad prædicandum verbum Dei*. Crux *autem* ista, *sicut habetur in notationibus*, ex lamina ferrea longitudinis unius palmi; latitudinis vero unc. sex et I minut. servatur Trebæ in distincto reliquiario : qua cruce multa miracula facta sunt, B ut infra. *Ex eadem Vita num.* 2 *Sanctus ex discipulo jam magister factus*, verbum Dei *in sua patria*, et per universa vicina loca.. duobus annis prædicavit, *videlicet, sicut lego in notis,* oppida et castra in Valle de Nerfa diœcesis Marsicanæ, puta circa Carseolim, Pereto, Riofreddo, Poiocinolfo, Oricola etc., Camerata, Arsoli, Vallinfreda, Colle alto, Tufo, Cerbaria etc. in diœcesi Tiburtina. *Tempus autem biennii, de quo supra, desumitur in eisdem observationibus* ab initio mensis Martii de anno ML ad MLII ejusdem mensis, quando Sublacum venit. *Post verbera vero et irrisiones, a Dei Præcone in prædicta sacra expeditione patienter tolerata, divinæ illum consolationes recrearunt*, septem diebus et totidem noctibus *raptum in ecstasim, ut ibidem subdit biographus, eamque describit.*

raptus in ecstasim per multos dies :

6 Historia *autem* hujus apparitionis, *prout referunt notæ Pierantonii*, visitur depicta in choro collegiatæ S. Mariæ in cornu Evangelii, et in cornu epistolæ consimilis pictura S. Blasii, ejusdem oppidi secundarii patroni. Similis raptus per integram hebdomadam legitur de S. Ignatio C fundatore Societatis Jesu. *Consuli potest Sancti Vita tomo* VII *Julii, die* XXXI *ejusdem mensis*, *pag.* 665. *Inter alia vero, quæ apud nos num.* 3 *refert biographus de* S. Petro, *dicit :* A Virgine *Deipara* virgam manu accepit, in cujus capite frondosum lilium erat appositum. *Quæri potest, qualis fuerit ista virga.* Num. XI sequenti *(qui in nostra divisione est* 12*)* de quadam muliere Trebana dicitur : « quod virgam ejus de « manibus ejecit ». Dubitari potest, an hæc virga tradita a B. Virgine fuerit baculus gestatorius, cujus magna pars servatur in Roccabotte ejus patria inter reliquias ecclesiæ parochialis. Certe baculum gestabat iste Sanctus, ut infra patebit. *Ita sæpe jam memoratæ annotationes : sed dubium illud non decidunt.*

hospitium

7 *Sanctus noster Confessor ad verba Deiparæ ab ecstasi excitatus Sublacum petit, sicut indicat scriptor Vitæ num.* 3, *ubi etiam de ejus hospitio, ac de tempore, quo ibidem egit, nec non de rebus mirabilibus, quas fecit. De castro Sublaco lego sequentia in sæpe dictis notis :* Ex quo loco denominata fuit celebris abbatia Sublacensis, a S. Benedicto fundata in duodecim monasteriis circa annum Domini D, ut scribit S. Gregorius lib. 2 Dialogor. *Castrum autem illud* sic appellatum, *uti memorant notationes Pierantonianæ*, ab antiquo lacu, quem in Aniene flumine excitavit Nero imperator, et ibidem villam habuit, a Tacito et Frontino dicta Sublacensis villa Neronis. Plinius Sublaqueum vocat, Roma distans 40 milliar., Trebis decem, et totidem a Roccabotte : erat in diœcesi Tiburtina, etiam hoc tempore oppidum satis populosum, quo advenerat S. Leo Papa nonus anno MLI, et anno MLXVII in cacumine ejusdem laci erecta Roccha, quæ adhuc visitur, residentia abbatum Sublacensium. *Præter hæc consuli possunt quæ habet Mabillonius tomo* 1 *Annalium Ordinis S. Benedicti ad annum* 494, *num.* 8, *ubi dat Sublaci situm, ac descriptionem.*

AUCTORE J. P.

apud Sublacenses :

8 *Ea vero, quæ refert biographus de Sancti hospitio apud Sublacenses* in ecclesia S. Abundii, *ita exponuntur in eisdem notis :* Ecclesia hæc jacet quasi in ipso fluminis alveo, quæ processu temporis evasit subterranea parochialis ecclesiæ S. Andreæ nunc collegiatæ, et inservit ad usum sepulturæ : in qua anno MDCLXXI reperta fuit hæc inscriptio antiqua : « Die Jovis XIX Aprilis anno E « MDLIV Andreas Cruccius episcopus Tiburtinus « construxit novum majus altare super altare ve- « tus ecclesiæ inferioris sancti Abundii, et in ea « reposuit reliquias SS. Apostolorum Matthæi « etc » Ecclesia vero S. Andreæ una ex quatuor parœciis Sublaci, facta est insignis collegiata cum sex canonicis, et præposito simul parocho, a præfato episcopo Cruccio anno MDLXV. *Hic annus non cohæret cum Ughello tomo* I *Italiæ sacræ col.* * 220, *ubi dicuntur ista de præfato episcopo :* Tiburtinam ecclesiam ad multos annos sapientissime rexit : anno vero MDLIV eo munere se exolvit. Moritur anno MDLXIII.

quamdiu ibi permanserit cum quodam Petro,

9 *In Vita dicitur* hospitatus *sanctus Confessor noster* cum quodam honestissimo viro Petro nomine, et apud eum permansit mensibus quinque. *Quæ sic explicat Pierantonius in notis :* Ex eo, quod Petrus iste nuncupetur eodem titulo HONESTISSIMO, prout nuncupatus fuit S. Cletus, credi potest consimili sanctitate præditus. Et licet num. 4 dicatur PRIOR; non ideo dici debet claustralis monachus, ut alii male interpretantur : quia præfata ecclesia S. Abundii, postea S. Andreæ, numquam legitur sub ditione monacho- F rum, sed semper subjecta episcopo Tiburtino, adeoque PRIOR erat idem ac parochus sive curatus, prout in aliis Sublaci parœciis rectores sub hoc titulo PRIORIS nuncuparentur secundum consuetudinem aliorum locorum. *Mox vero de* mensibus quinque *subdit ista :* Unde corrigitur error, qui irrepsit scribendo SEX, etiam in lectionibus Officii, eo quod in originali leguntur QUINQUE, non vero SEX.

et per quæ loca semen verbi Dei sparserit :

10 *Nec vero* S. Petrus *ita mansit in prædicta S. Abundii ecclesia hospes, ut a procuranda hominum salute desisteret; sed abiit,* vicina locavisitando, et illuc sæpius revertendo, faciens multa mirabilia *teste biographo. Loca ista memorant notæ :* Circa Sublaqueum loca multa, scilicet castra, florebant sub ditione ejusdem abbatiæ, et viginti numerantur in lapide marmoreo juxta januam ecclesiæ monasterii S. Scholasticæ, ab Humberto abbate incisa hoc eodem anno MLII, quo S. Petrus Sublaci morabatur; et sunt Sublacum, Genna, Augusta, Cervaria, Maranum, Anticolum, Ruvianum, Arsolum, Carsolum (patria ejusdem S. Petri, ut supra dictum est) *et alia quæ in eisdem observationibus nominantur,*

AUCTORE J. P.

tur, adduntur que alia castra, nunc diruta, *quorum nomina hue transcribere supersedeo.* Mirabilia *autem sancti Viri, quæ cum in vita, tum post mortem patravit, inferius illustrabuntur. De morte autem ejus tam jejune scribit biographus, ut de illa meminerit dumtaxat, nec modum, nec annum, nec diem mensis exprimens. Sic enim memorat apud nos num.* 17 : His omnibus, multisque aliis in civitate Trebæ expletis, atque ibi in viginti dierum spatio permanente *, de hoc mundo ad cælestem patriam pertransivit.

* l. permanens

tempus vitæ

11 *Pierantonius in notis*, Vita, *inquit*, historica hujus Sancti comprehendit breve tempus annorum quatuor cum dimidio, demptis tamen diebus decem, eo quod in ea narretur, eum moratum fuisse Tibure sub præceptore sancto Cleto diacono annos duos; duos pariter alios in patria sua divinum verbum seminasse, et Sublaci menses quinque idem munus exercuisse, et tandem Trebis viginti dies vixisse sub angusto scilicet tugurio cujusdam scalæ lapideæ, quæ in oratorium seu parvam ecclesiam consecrata est intra muros B oppidi : ubi ad cælum migravit die XXX Augusti, quæ erat Dominica, anno MLII, qui erat bisextilis. *Diem hunc et annum vellem edoceri ex antiquis instrumentis. Superius num. 4 idem Pierantonius vitæ tempus colligebat ex Gregorio episcopo Tiburtino, qui Sanctum totondisse et clericis adscripsisse refertur in Vita, quæ etiamsi insinuet, quod non primo, sed secundo anno istius biennii, de quo jam dictum, hoc contigerit, non video tamen hinc presse determinari posse annum* 1052 *pro Sancti morte, annumeratis eidem aliis prioribus ex Pierantonio.*

et annus mortis.

12 *Obscura quoque et manca admodum sunt, quæ apud Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ col.**216 *prioris editionis in rem nostram memorantur de hisce, quos refert, episcopis Tiburtinis, ubi scribit* : Joannes anno MXXXIX Benedicti Papæ Non. anno septimo nonnulla bona dedit ecclesiæ Sublacensi. *Deinde subdit* : Benedictus subscribit bullam quamdam Leonis noni Pontificis, Bergomati ecclesiæ indultam MXLIX. *De Gregorio habet ista* : Gregorius successit Benedicto, Leone IX sedente. *De Joanne denique, quem huic subjungit* : Joannes C concilio sub Nicolao secundo celebrato assedit anno MLIX. *Deinde in* Maufredo *transilit ad annum* MCX. *Ex his itaque conficere nequeo annum emortualem* S. Petri, *quia obitum Gregorii indictum reliquit Ughellus : in cujus tamen, uti et biographi fide, signavi Sanctum superius medio circiter seculo* XI, *qui et hoc datur die, quo habetur in Martyrologio Romano.* Circumstantia *tamen* famis, *de qua biographus num.* 7 *et* 8, confirmat veritatem historiæ, *sicut lego in notis*, circa tempus et annum, quo iste Sanctus Sublaci morabatur; scilicet anno MLII : quia hoc eodem anno in Chronico Sublacensi narratur, quod Humbertus abbas, adjutus a S. Leone nono, fabricam sui monasterii « explevit immodicis « sumptibus, tempore quo universa Italia re fru« mentaria laborabat, maximaque annonæ cari« tate ».



D

§ II. Sepulcra ; miracula ; Officium proprium ; promotus cultus; translatio corporis ; reliquiæ.

Odor vestis, loca sepulturæ :

Q*uæ biographus apud nos num.* 18 *refert de* S. Petri *exsequiis, odore corporis, ac sarcophago, sic declarantur in notis :* Sepultus in ecclesia collegiata S. Mariæ, scilicet in inferiori ecclesia, quæ est subterranea, et ideo S. Petri ecclesia nuncupatur, a præfato suo oratorio, triginta vel quadraginta tantum passus distante. *Nec vero sacrum cadaver post Sancti obitum dumtaxat odoriferum fuit ; verum etiam* mirificus iste odor, *sicut perhibent Pierantonii notæ*, post secula septem adhuc sentitur et perseverat in ejus veste cilicina, quæ, transparenti velo serico cooperta, osculanda traditur omnibus et singulis, processionaliter ejus sacellum intrantibus, ferreis cancellis circumseptum, in die suæ festi- E vitatis. *De sarcophago autem, in quo Sanctus fuit sepultus, subdunt ista :* Tria numerantur successiva hujus sacri corporis sepulcra : primum ex lapide spongioso satis magno et oblongo cum suo lapideo cooperculo, quod nunc visitur ad sinistram prædicti sacelli : intra quod sepulcrum servantur illæ antiquæ plumbeæ capsulæ, in quibus sacra ossa erant inclusa in prima translatione : secundum erat subtus antiquum altare, in quo fuerat repositum an. MCCXV in sua canonizatione die prima Octobris. Tertium denique extat intra altare novum, in quo fuit collocatum anno MDCXIX ab episcopo Anagnino Seneca, in postrema ejus inventione et translatione facta anno MDCXIX. *Suavis etiam odor remansit in* S. Petri *tunica, ut statim dicetur occasione miraculorum.*

patrocinium contra lupos : miraculum tunica Sancti factum :

14 *Vitæ auctor ea narrabit inferius. Patrata vero sunt partim a Sancto vivente, partim a mortuo. Mirum Viri sancti apud Trebenses patrocinium adversus infestos lupos refertur num.* 21 : Quadam, *ait*, nocte quidam Trebensis in agro jacebat, quando luporum pueros devorantium terror erat maximus, *ac deinde scribitur*, *eadem animalia miro modo fuisse enecata.* Invo- F catur iste Sanctus tamquam protector et defensor, *sicut asserunt notæ*, contra luporum rabiem, quos ideo manu catenatos tenet, ut apparet in imagine æri incisa : *de qua referentur plura inferius. Biographus num.* 23 *narrat miraculum de puero trimulo, qui per* S. Petri *tunicam sibi impositam obtinuit gressum :* Tunica ista, *teste Pierantonio*, adhuc servatur in scrinio seu capsula prænobili, affabre elaborata, et aurata : et in magna habetur veneratione : præcipue quia etiam nunc suavem emittit odorem. Est contexta ex pilis seu lanis valde rudibus, quæ vocantur lanæ canizzæ : unde appellatur cilicium S. Petri. Quare Cardinalis Baronius in modernis lectionibus Officii scripsit : « Carnem quoque cilicio perpetuo « afflixit ». Est vestis satis magna, cum lata sit palmos septem, et uncias duas : alta vero palmos quinque. Et ex tali magnitudine arguitur ejus corporis proceritas quasi gigantea : *de qua inferius. Alia vero* S. Petri *miracula postea etiam memorabuntur.*

hymnus ex Officio ejus proprio Ms. antiquo.

15 *Officium proprium, anno* 1674 *editum, est de communi confessoris non pontificis præter lectiones secundi nocturni, quæ narrant vitam Sancti,*

A *Sancti, et miracula. Missa* Os justi *ex eodem communi. Lectiones novem propriæ olim recitatæ fuerunt, quas vide in contextu Vitæ inferius dandæ. Officium aliud proprium Ms. huc misit Pierantonius, hoc titulo prænotatum :* In solemnitate beatissimi Petri confessoris de Trebis, et in beatissimam festivitatem ipsius. *Præter alia propria, quæ in eodem Officio exstant, duo habentur hymni proprii. In laudibus autem repetendus indicatur ille, qui est in primis vesperis, cujus partem transcribo :*

Petre confessor fidei beatæ
Sancta ter cujus patuit fuisse
Vita cælestis, Domiuoque digna,
Te precor, audi.
Laudibus dignis resonemus omnes
Splendidum festum Famuli fidelis;
Cui dedit vires, relevaret ægros
Conditor orbis.
Lumiuans cæcos, dæmones fugando
Liberans artus febribus gravatos,
Circulos ferri manibus relaxans
Te rogitantes.
B Spiritus sancti pietate plenus
Præcipis panem clibano reponi,
Clibano panis coquitur repostus,
Igne remoto.
Supplici voto varicosus orans,
Claudus ad gressum cupiens sanari,
Vota persolvunt, hilaresque fiunt
Munere sumpto.

Post Officium sequitur Missa Os justi : *paucula vero, quæ habet propria, operæ pretium non est huc transcribere.*

Promovetur Sancti cultus per bullas Pontificum

16 *Memoratus identidem Pierantonius Appendicem Italice scriptam huc misit, e qua libare profuerit varia, quæ ad Sancti miracula, et cultum spectant. Ex tribus itaque bullis Pontificiis, quas in pergameno exaratas conservari confirmat in archivio ecclesiæ collegiatæ Trebanæ, hæc recitat fragmenta. Et prima quidem e dictis bullis est Pauli II, anno* 1470, *die* XXIII *Julii Romæ signata, sicut addit, et continens ista :* Cum pro parte dilectorum filiorum sindici, consiliariorum, et universitatis dicti castri de Trebis nobis fuerit humiliter supplicatum, ut ecclesiam prædictam etc. parochiali ecclesiæ S. Mariæ de dicto castro, in qua C corpus beati Petri confessoris reconditum fore pie creditur, quodque ob quam plurima ibi coruscantia miracula in die festivitatis Confessoris ejusdem multitudo populi illarum partium ad eamdem ecclesiam confluit copiosa, perpetuo unire, adnectere, et incorporare de benignitate Apostolica dignaremur etc.

Pauli secundi,

17 *Bulla secunda est ejusdem Pauli PP., eodem anno* 1470, *die* XX *Augusti data, in qua Sanctum laudans, et novam prædictæ ecclesiæ S. Mariæ fabricam promovere satagens, hæc memorat :* Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia ipsius virginis Mariæ, terræ Trebarum, Anagninæ diœcesis, in qua sepultum asseritur corpus quoddam B. Petri eremitæ, qui, ut fama est, et etiam scripturis apparere dicitur, olim in humanis agens, religiose, exemplariter, et honeste vixit : nec non tam in vita, quam post ejus mortem diversis miraculis claruit etc., singulis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui in festo memoratæ virginis Mariæ Annuntiationis; et trigesima die mensis Augusti, in qua fuit nostra ad hujus Apostolicæ apicem assumptio, annis singulis ipsam ecclesiam devote visitaverint, et ad illius reparationem, ampliationem, fabricam et decorem, manus adjutrices porrexerint, singulis festo et diebus prædictis, quibus id fecerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis ejus * pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris etc.

AUCTORE J. P.

* *l. eis*

et Alexandri sexti, nec non ex piis

18 *Bulla tertia est Alexandri PP. VI, ut legitur in memorata Appendice, quæ ibidem notatur data* XX *Augusti, anno* MDII, *Pontificatus ejus decimo; e cujus verbis in ista Appendice relatis excerpo ista :* Cupientes igitur, ut cappella S. Petri confessoris de Trebis. . congruis frequentetur honoribus et in suis structuris, et ædificiis manuteneatur, reparetur et conservetur, nec non libris, calicibus, et aliis ornamentis ecclesiasticis debite muniatur . . , omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui in ejusdem S. Petri confessoris, qui penultima Augusti [colitur] ac canonizationis et translationis . . ejusdem. . festivitatibus, quæ prima Octobris mensium diebus celebrantur a primis vesperis . . , eamdem capellam devote visitaverint annuatim, *atque ad jam dictas conditiones* manus porrexerint adjutrices, E singulis . . festivitatum earumdem diebus, decem annos et totidem quadragenas . . relaxamus, præsentibus *in perpetuum* valituris. *Hinc gradum facit eadem Appendix ad exempla quædam, singularem erga Sanctum pietatem testificantia. Inter alia vero multa, ut ibidem lego, antiqua et moderna, narrantur sequentia. Primo magnifica domina Miotia Caietana, filia D. Antonii et Jacobillæ pariter Caietanorum, ac soror Benedicti Honorati Caietani comitum palatinorum, et uxor D. Jacobi Caietani, ultimi Trebarum domini, in suo ultimo testamento, quod condidit anno* 1468, *die* X *Januarii, peculiarem suum affectum erga Sanctum Trebanorum tutelarem sic exprimit :* Item voluit et mandavit sepeliri, et sepulturam sibi elegit subtus ecclesiam S. Mariæ de Trebis, videlicet juxta cappellam et altare S. Petri confessoris etc.

donationibus :

19 Item reliquit cappellæ S. Petri confessoris de Trebis Valcatorium (*f.* molendinum, *vel* aggerem, *vel* locum, ubi atque concluduntur *etc. Vide lexicon Cangii auctum)* seu locum Valcatorii, positum in loco, qui dicitur il Ponte delle Tartane, cum cursu aquarum, ac cum omnibus F et singulis juribus, usibus, utilitatibus, adjacentiis, et pertinentiis spectantibus et pertinentibus ipsi Valcatorio, et cum via eundi et redeundi per debitum et consuetum locum etc., *ubi jam est, ut indicat Pierantonius, molendinum communitatis, milliario uno Trebis distans. Ad alia insuper pia legata pro aliis ecclesiis reliquit tres filios suos, Antonium, Nicolaum et Christophorum, ac nonnullis interjectis, additur :* ut ex archivio Trebæ in actis Jacobi Lucæ de Conversis. *Hisce iisdem annis, sicut prosequitur Appendix, Antonius Ronconi Trebanus in suo ultimo testamento bonorum suorum heredem reliquit confraternitatem S. Petri : et quamvis tres ejusdem nepotes prætenderent, ea sibi prius donata, et per annos viginti litigarint, sententia ad castellanum Trebanensem, Ludovicum Spagnoto directa anno* 1486 *et* 1489, *adjudicata tamen fuerunt utilitati pii loci : quin imo anno* 1510 *facta transactio, et confirmata concordia anno* 1512 *a Cardinale Pompæo Colomna, tamquam abbate commendatario Sublacensi, ad instantiam archipresbyteri et canonicorum Trebanorum, nec non supradictæ confraternitatis* S. Petri, *quæ usque ad*

AUCTORE J. P.

ad præsens tempus gaudet domo, in quam convenit concilium publicum, vocaturque domus S. Petri, sita in area collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ, imposita obligatione perpetua Missarum sacerdotibus territorii pro anima benefactoris Ronconi, prout ibidem legi dicitur in longo processu dictæ litis, existente in archivio communitatis. Extracta hæc sunt a me ex Italica Ms. Appendice P. Pierantonii; quæ quoniam characteribus lectu difficillimis exarata est, ignoscet mihi lector, si sphalmata fortasse in meum Latinum ecgraphum irrepserint. Supersunt alia bene multa cultui sancti Confessoris admodum honorifica.

erecta ecclesia, corporis inventio, translatio,

20 *Ineunte enim seculo decimo septimo erecta fuit nova ecclesia, ut perhibet Appendix, perfecta et consecrata anno 1616, sicut legitur in inscriptione, quæ posita est ad latus dexterum portæ principalis, ad partem supremam scalæ, quæ descendit ad subterraneam* S. Petri. *Hæc dicit :* Templum hoc in honorem beatæ semperque Virginis Mariæ, et S. Petri eremitæ, Trebanensium pietate Deo Optimo Maximo dicatum, Antonius Seneca Anagniæ episcopus, maxima cleri et po-
B puli frequentia ac devotione consecravit die IV Octobris, Indictione XII, Pontif. D. N. Pauli Papæ quinti, anno MDCXVI. *Anno 1619 facta est ultima translatio solennis cum inventione sacri corporis ejus, quod ad pedem altaris ipsius antiqui repertum fuit, et in novo reclusum; de qua re fidem facit sequens memoria pergameno inscripta, et inclusa tubo plumbeo; sacra autem ejus ossa omnia integra capsæ plumbeæ, illam cooperiente capsa altera cypressina. Inscriptionem accipe :* S. Petri confessoris corpus hoc anno MDCXIX, feria VI, die IX Augusti, ab Antonio Seneca episcopo Anagnino in altari existent, in ecclesia inferiori S. Mariæ collegiatæ, præsentibus D. Laurentio Jacobutio abbate S. Theodori, D. Donato Brunneri archipresbytero, Olivante Cecconio, et Cæsareo Aurelio notario, et festi ejusdem Sancti dominis repertum est.

et recognitio : * *i. e. medicorum vel anatomicorum*

21 Et adhibita physicorum * opera non semel, sed bis et ter ab eod. episcopo Anagnino, præsentibus reverendissimis Jo. Baptista Tosco episcopo Tiburtino, et Jovita abbate S. Scholasticæ Sublacen., solenni translatione, et communi populi Tre-
C bani et finitimarum civitatum lætitia, in eadem ecclesia inferiori, in altari majori feria VI, trigesima Augusti ejusdem anni MDCXIX honorifice conditum est. *In lapide autem marmoreo incrustato ad columnam sacelli ejusdem Sancti, ad latus sinistrum altaris ejus, legitur hæc publica memoria :* D. O. M. sancti Petri confessoris, et terræ Trebarum patroni corpus summa pietate physicorum arte recognitum, ac per totam terram honorifice delatum ab Antonio Seneca Anagniæ episcopo, una cum reverendissimis *modo nominatis*, cum innumerabili populorum frequentia ad altare hoc, veteri destructo, translatum est anno Domini MDCXIX, die XXX Augusti. Clerus S. Mariæ de Trebis, recognitioni et translationi præsentes, ad rei memoriam posuerunt.

reliquiæ apud Trebanos asservatæ,

22 *Dicta mox inventio, recognitio et translatio corporis sacri vocat nos ad describendas ejusdem reliquias. Multæ sunt, inquit Appendix, quæ in variis distributæ locis conservantur de hoc Sancto. Primo, Trebis præter corpus omnibus olim partibus integrum, intra altare ejus est caput, a reliquis separatum partibus in ultima translatione anni 1619, et reclusum in busto magno argenteo, expensis in illud scutis trecentis, et laminæ metallinæ pone idem incisa hac* D
inscriptione : S. Petri eremitæ, terræ Trebarum patroni caput feria VI, XXX Augusti, anno Domini MDCXIX, in solemni corporis translatione ab aliis membris disjunctum, Jo. Baptista Melis episcopus Anagniensis in hoc simulacro argenteo feria VI, XXX Augusti asservari mandavit. Laurentius Jacobutius S. Theodori abbas ad rei memoriam. *Observo, quod apud Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ col.* 365 *modo dictus episcopus vocetur* Joannes Gaspar Melis . . electus anno MDCXXVI : *atque adeo hoc factum mox non accidit post istam separationem. Hoc observato, redeamus ad Appendicem. Unus digiti articulus magnitudinis extraordinariæ ab immemorabili tempore, a prima fortassis translatione et canonizatione, quæ facta et anno* MCCXV, *reclusus in hierotheca argentea separata admodum antiqua, et circum istum articulum conspicitur filum seu fragmentum longum cilicii ipsius ligatum; quod furtim sublatum cujusdam devoti indiscreti manu fuerat : qui cœlitus percussus improvisa cæcitate, viamque non inveniens, qua exiret e templo, confessus est suum delictum, illudque sacrum pignus,* E
sicut debebat, restituit; atque adeo videtur expositum omnium oculis in memoriam prodigiosi eventus.

et per varia loca distributæ

23 *Cilicium vero idem, sive simplex vestis, qua usus fuit Sanctus, et quæ ad præsentem usque diem post tot secula retinet prodigiosum odorem, conservatur in capsa deaurata, quatuor magnis crystallis clausa, ex dono eminentissimi Cardinalis Caroli Barberini. Anno autem 1602 sublatum ex ejusdem vestis manica magnum fragmentum a clero Trebano, ecclesiæ Roccabottensi cessit, in qua illud pariter cum magna parte baculi ejusdem Sancti in veneratione habetur. Trebis asservatur ferrea crux, a Gregorio episcopo Tiburtino ipsi data per manum S. Cleti diaconi, magistri ejus. Tempore translationis postremæ anni 1619, sequentes reliquiæ a Seneca præsule Anagniensi sunt distributæ : nimirum cathedrali Anagniensi una costa : territoriis vicinis, quorum nomina exprimit sæpe dicta Appendix, in diœcesi Trebensi, nec non territoriis* di Acuto *et* Anticoli *diœceseos Anagninæ, alia ossa et fragmenta costarum : monasterio S. Scholasticæ Sublacensi dens, qui jam conspicitur in magna* F
cruce cum aliis sanctuarii istius reliquiis. Prædicto territorio Roccabottano, quod natale solum Sancti fuit, cessit dens alter : territorio autem Cameratensi eidem confini alius. Sacra pignora aliis locis concessa memorat Appendix : sed superiora retulisse ex eadem sufficiat. Nunc varias notitias ad Sancti cultum spectantes delibabo e laudata Appendice.



§ III.

§ III. Officium novum, ejusdemque extensio, Sanctus Martyrologio Romano adscriptus; imagines et picturæ; statura corporis; an fuerit eremita; varia exemplaria Vitæ; quale hic detur.

Officium cum octava Trebanis concessum; quod deinde sine ea extensum ad clerum Sublacensem.

Anno 1602 *bulla Romæ edita* XIV *Augusti antiquo* S. Petri *Officio, lectiones novem continenti, substitutum est novum conformiter ad bullam S. Pii PP. V., quæ impressa est in Breviario Romano, atque adeo lectiones novem de Sancto redactæ sunt ad tres, a Cardinale Baronio Romæ editas cum octava, nec non cum bulla supradicta Clementis VIII, et epistola dedicatoria populi Trebanensis ad episcopum Anagniensem, qui tunc erat Gaspar Vivianus Urbinas, tamquam diœcesanum suum, hoc titulo:* Officium duplex cum Octava in festo S. Petri eremitæ, oppidi Trebarum Anagninæ diœcesis patroni, ad ejusdem loci usum, in quo sacrum ejus corpus requiescit. Celebratur die XXX Augusti. *Territorio autem Trebano deinde separato a diœcesi Anagniensi, ac unito per bullam Urbani VIII anno* 1638 *abbatiæ Sublacensi, idem illud Officium modernum fuit concessum toti clero terrarum septemdecim modernæ abbatiæ, opera Cardinalis Caroli Barberini abbatis commendatarii, anno* 1674, *atque hoc titulo tunc editum Romæ:* Officium duplex S. Petri eremitæ, patroni et protectoris terræ Trebarum abbatiæ Sublacensis nullius diœcesis, cujus sacrum corpus in collegiata ecclesia ejusdem loci pie asservatur: ex indulto Apostolico fel. record. Clementis Papæ octavi recitari solitum cum octava a clero dictæ terræ in festo ipsius Sancti, quod celebratur die trigesima Augusti: modo autem ex decreto sacræ Rit. Cong. pro universo clero etiam aliorum locorum abbatiæ Sublacensis concessum et extensum, sed sine octava.

et ad diœcesim Marsicanam cum octava:

25 *Anno denique* 1683 *idem Officium, cum octava fuit extensum et concessum territoriis omnibus septuaginta duobus et castellis diœceseos Marsicanæ ad instantiam illustrissimi domini Antonii Corradini episcopi ejus, qui illud imprimi jussit Neapoli, vi sequentis decreti sacræ Rituum congregationis, quod sic loquitur:* Sacra Rituum congregatio ad preces reverendissimi episcopi Marsicani benigne indulsit facultatem, ut in posterum justis de causis semel in anno, die XXX Augusti, in tota sua diœcesi recitari possit Officium duplex cum octava S. Petri eremitæ ab omnibus utriusque sexus tam regularibus quam secularibus, qui ad horas canonicas tenentur, jam approbatum et concessum pro oppido Trebarum Anagninæ diœcesis, et postea extensum ab eadem sacra Congregatione sub die III Martii MDCLXXIV pro universo clero tam terræ Sublaci, quam aliorum locorum abbatiæ Sublacensis. Hac die III Octobris MDCLXXXIII. Nicol. Card. Ludovisius. Lo. † sigilli. Gratis. Bernardinus Casalius sac. Rituum congreg. secret.

anno 1691 Sanctus

26 *Anno* 1691, XXIV *Novembris Sanctus ab eadem sacra Rituum congregatione, recognitis antea authenticis supra scriptis bullis Pontificiis, et suis, quæ jam emanarant, decretis circa Officium ejus, fuit adscriptus Martyrologio Romano per sequens elogium ac decretum Romæ exeusum:* Abbatiæ Sublacen. Elogium die XXX Augusti. « Trebis in Latio, S. Petri confessoris, qui multis « clarus virtutibus et miraculis, ibidem migravit « ad Dominum, et honorifice colitur ». *Et sic deinde insertus legitur ultimis Martyrologiis, quæ Latino et vulgari idiomate recusa sunt Venetiis, ut affirmat Pierantonius in Appendice, anno* 1700, *et Romæ anno* 1702. *In dicto autem decreto sequuntur ista:* Suprascriptum elogium S. Petri confessoris, EREMITÆ nuncupati, terræ Trebarum protectoris (de cujus canonizatione authentica exhibita fuerunt documenta) prout jacet, ad relationem eminentissimi et reverendissimi D. Cardinalis Casanate ponentis, accedentibus piis et enixis precibus eminentissimi et reverendissimi D. Caroli Cardinalis Barberini abbatis commendatarii Sublacen., sacrorum Rituum congregatio approbavit, ac in Martyrologio Romano apponi et imprimi posse censuit, si Sanctissi. D. N. placuerit. Die XXIV Novembris MDCXCI. Et facta de prædictis Sanctissi. D. N. Innocentio Papæ XII per me secretarium relatione, Sanctitas sua annuit. Die XXIX ejusdem mensis Novembris et anni MDCXCI. A. episc. Ostien. Card. Cybo loco † sigilli. Joseph. Vallemanus sacr. Rit. congreg. secret. *Prædicta* S. Petri *annuntiatio primum inserta est editioni Plantinianæ Martyrologii Romani, quæ in lucem prodiit anno* 1701.

adscribi jussus est Martyrologio Romano: picturæ, imagines,

27 *Gratia hæc singularis novum Sancto isti triumphum attulit, nec non lætitiam plane singularem clero et populo Trebano, qui idcirco officiosissimas gratiarum actionis scripsit litteras tam ad Eminentissimum suum abbatem et patronum, quam ad eminentissimum Cardinalem Albanum, postea Clementem PP. XI, qui admodum fervide ac pie causam hanc promovit per singularem devotionem suam, quam, dum esset in minoribus, ut vocant, profitebatur erga hunc Sanctum. Præter superiora, quæ ex Ms. Italica Appendice Pierantonii desumpti, alia in eadem subjunguntur de picturis, imaginibus ac inscriptionibus, quæ et antiquitatem cultus, ejusdemque ad varia secula continuationem declarant et confirmant. In ecclesia S. Nicolai extra muros Trebanos infra Sancti picturam sunt ista:* Anno MCCCLI mensis Julii impensis archipresbyteri. *Alia imago erat in ecclesia alia vicina S. Laurentii, et in ecclesia, cui nomen del Riposo, pariter extra muros annos* 1483: *item in sacello contiguo S. Sebastiani anno* 1486, *et alia similis etc. Anno* 1603 *imago Sancti incisa exhibet eum manu dextera crucem suam tenentem; sinistra vero tres lupos catena vinctos, addita eidem hac inscriptione:* Indomitam sedavit rabiem. *Infra lupos sunt insignia communitatis, quæ repræsentant montes quinque, et columbam superius, scutoque adscribitur lemma illud:* Hoc tuta patrono; *et infra imaginem hoc distichon:*

Qui fera magnanimus vitiorum monstra domarat,
Quid mirum, agrestes si domat ille feras?

in fine subditur hæc dedicatoria: S. Petri confessoris a Trebano eremitæ. Celebratur die XXX Augusti. Jacobus de Carolis Trebanensis Anagninæ diœcesis hoc suæ in optimum patriæ tutorem pietatis, justæque in patriam ipsam observantiæ monumentum, suo sumptu incisum suis civibus exhibuit anno Domini MDCIII. *Quæ in præsenti argumento referuntur acta annis* 1621, 1642

AUCTORE J. P.

1642 et 1700, ex eadem Appendice, uti et alia, quæ sequuntur de ecclesiæ ornamentis; item de schola pia etc. non describo, cum hæc mihi sufficiant, et longum sit memorare omnia, quæ diligentia singulari prosequitur Pierantonius, suamque Appendicem concludit, postquam egerat de Sancti reliquiis, superius ex eadem a nobis relatis, observatione duplici, quarum altera est de ejusdem statura; altera, an fuerit eremita.

miræ proceritatis statura:

28 Statura gigantea eum fuisse, quamquam in ætate juvenili annorum circiter viginti, vel viginti quinque, uti colligitur e tempore, quo vixit, ibidem indicat Pierantonius, dicitque id intelligi ex cranio ejus et capite, supradictoque digiti articulo, qui tametsi fuerit digitus manuum major, nihilo tamen minus anatomicæ proportionis mensuram argumento esse, quod ipsius corporis proceritas fuerit quasi palmorum Romanorum, S. Benedicti patriarchæ proceritati similis, cujus mensuram palmorum novem ostendi affirmat in sacrario specus sacri Sublacensis, nec non in Montecasino. Sic etiam observari indicat e magnitudine vestis supra dictæ vel B cilicio, et ex latitudine ac longitudine manicarum: quibus addit, observatum hoc fuisse e longitudine ossium, quæ in ultima inventione sunt cognita multo majoris fuisse formæ, quam consueverunt in aliis esse.

probabilius non fuit eremita:

29 Quod spectat ad cognomentum titulumque eremitæ, qui sancto adjungitur; observari cupit Pierantonius, hoc accidisse post transacta duo secula a Sancti obitu, nec legi id umquam in authentica ipsius Vita, atque hoc dumtaxat inveniri expressum in relata bulla Pauli PP. II anno 1470, indeque appositum fuisse modernis lectionibus Officii, aliisque posterioribus memoriis. Titulum autem illum videri sibi affirmat vitæ potius repugnare, quæ sane non fuit eremitica nec solitaria; sed activa fuit vita et mixta, ministerio prædicandi verbi Dei applicata annis duobus in solo ejus natali, Sublaci mensibus quinque, in hospitio Petri Prioris S. Abundii, prædicando semper et eleemosynas corrogando in subsidium pauperum: et hujusmodi vitæ modum tenuit viginti postremis vitæ diebus apud Trebanos usque ad mortem. Sic etiam egit duobus primis adolescentiæ suæ annis Tibure sub disciplina S. C Cleti diaconi. His addere potuisset Pierantonius, in annuntiatione Martyrologii Romani non poni titulum eremitæ. Et quamvis in decreto sacræ congregationis Rituum, quo S. Petrus adscribi jubetur dicto Martyrologio, occurrit titulus eremitæ, quia tamen eidem additur nuncupati, indicio id est, quod eidem sacræ congregationi dubitationem vel suspicionem moverit titulus eremitæ, quando indicat, eum non tam a se tribui Sancto, quod talis fuerit, quam quod talis tunc nuncuparetur.

Vita antiqua:

30 Multa et varia sunt, quæ in collectione a P. Pierantonio huc missa lego de Vitæ S. Petri exemplaribus. De antiqua agens, extractam asserit fideliter et de verbo ad verbum ex libro Ms. pergameno multorum foliorum, qui conservatur in archivio collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ Trebensis in Latio. Legitur scripta charactere antiquo, in triginta numeros seu paragraphos distincta: quorum novem primi continent lectiones novem, quæ canebantur in tribus nocturnis antiqui Officii ejus, secundum usum ecclesiarum usque ad reformationem Breviarii Romani, a sacro concilio Tridentino stabilitam; et ideo hymni, antiphonæ ac responsoria propria de Sancto, cum aliis de communi confessorum non pontificum in volumine supradicto et libro extensa adhuc sunt notis musicis cantus Gregoriani, sicut etiam Missa cum oratione propria, Sequentia etc. D

addita eidem post miracula:

31 Vita collecta et scripta pauco post Sancti obitum tempore: cum in lectione quarta Sublacenses aliqui allegentur tamquam testes oculati, super duplici miraculo Sublaci facto, et cum juramento illud attestati. Infra num. 29 narratur ipsius canonizatio celebrata sub Innocentio III anno 1215, die prima Octobris, paulo ante concilium Lateranense. Deinde a num. 26 (apud nos 23) usque ad finem, aliorum miraculorum collectio adjuncta et scripta a Petro abbate præfatæ collegiatæ S. Mariæ, qui saltem vixit ab anno 1260 usque ad 1300, quando ex bulla Bonifacii VIII habetur, quod in provecta ætate abbatiam illam renovarit. Ad stylum quod attinet, rudis est, et non sine erroribus etiam grammaticalibus. Atque hæc quidem Legenda est et historia magis authentica, quæ habetur de isto Sancto

multæ aliæ Vitæ

32 Seculo autem septimo decimo multæ aliæ Vitæ cum typis editæ tum manu exaratæ lucem viderunt, quæ partim mutilatæ atque imperfectæ, partim mutatæ, maleque compositæ, quia cum suo originali non sunt collatæ. Talis fuit Vita Viterbii excusa anno 1621 Latino stylo, alioquin puro et elegante, quam conscripsit Joannes Baptista Piantamuro canonicus Viterbiensis, eamque dicit extractam ex Officio, ac Mss. Trebanis: sed creditur Opus illud compositum fuisse a patre Fabritio de Britiis Societatis Jesu, in Bibliotheca ejusdem Societatis laudatus. Superiora huc usque contracta a nobis sunt e collectione, de qua dicebamus. Vitam hanc ex Viterbiensi editione transcriptam misit huc P. Petrus Possinus noster anno 1671, sed eidem non apponitur nomen auctoris. Anno 1642, uti pergit collectio, Vita ista Latina in linguam vulgarem translata fuit a D. Thoma Belliccione sacerdote, ac Romæ excusa. Anno 1673 Mutius Febonius abbas de Trasaceo Vitam S. Petri inseruit libro Romæ a se edito de multis Vitis Sanctorum Marsicanorum, quem et laudavit in suo Opere Latino Historiæ Marsorum, Neapoli impresso post mortem suam anno 1678. E

seculo 17 conscriptæ.

33 Ab anno 1622 D. Laurentius Jacobucci Trebanus, sacræ theologiæ doctor, et abbas S. Theodori, ad instantiam illustrissimi D. Antonii Senecæ episcopi Anagniensis, cœpit scribere Vitam historicam S. Petri una cum præcipuis patriæ notitiis: sed illo ibidem mortuo anno 1647, mansit Opus imperfectum et vix inchoatum. Porro exactior Vita noscitur esse illa, quam scripsit P. Raphël Pasini Venetus, Ordinis S. Augustini, habitans in Frosione anno 1624, in viginti quatuor capita distinctam cum figuris totidem eleganti calamo et arte elaboratis, et Olivanti Cecconio Trebensi oppidano dedicatam, quæ nunc conservatur in archivio ecclesiæ simul cum originali, quod hic postea transcribitur, additis aliquot brevissimis annotationibus marginalibus ad intelligendas temporum, locorum ac personarum circumstantias. Superiora e dicta collectione contrahere nobis visum est. Annotationibus autem marginalibus partim jam usi sumus supra in hoc nostro Commentario, partim utemur in Annotatis ad Vitam, quam una cum notis et appendice, ac Officio Sancti proprio, Roma ad P. Conradum F

A *Conradum Janningum nostrum bonæ memoriæ misit S. Dominicus Antonius Pierantonius S. J. anno* 1711, *toties et merito a nobis laudatus per hujus Commentarii decursum. Vitam porro istam subinde a nobis correctam, more nobis usitato dividemus in capita, titulos ac numeros, appositis etiam in contextu lectionum antiquarum numeris, qui notantur in apographo, et in quo nonnulla occurrunt, quæ non videntur mihi satis probabilia.*

VITA

Auctore anonymo antiquo,

Ex archivio Trebano in Latio.

CAPUT I.

B *Patria, progressus in virtute sub S. Cleto; clericatus; apparitio ipsi facta; prædicatio verbi Dei; miracu'vl*

Patriam relinquit, adhæret S. Cleto, fit clericus: mittitur

LECTIO I. Beatus igitur Petrus de patria, quæ vulgo Carzoli *a* dicitur, in castro Arcis Vegetis *b* natus et nutritus, a pueritiæ suæ tempore bonus et inuocens fuit. Cum vero ad adolescentiam pervenisset, compulsus est a matre et patre conjugem accipere: qui renuens, patriam occulte dimisit, ac Tiburtum * adiit; ibique cuidam honestissimo viro Cleto *c* nomine, adhæsit: cum quo per duos annos permansit: in quibus totam totam * ejus doctriuam didicit. Ita ut prædicto Cleto plurima bona magis ab illo viderentur fieri, quam a se. Quamobrem detulit prædictus Cletus ad Gregorium ejusdem civitatis episcopum *d*, rogans eum, ut aliquid boni faceret. Audiens autem hoc episcopus, gaudens totondit eum, et aptavit quasi clericum, acsi litteras, quas numquam noverat, sciret. Prædictus vero magister mox ei ferream crucem *e* attulit, et C in illius manibus eam tradidit, dicens; Ite per universum mundum, et nihil aliud, nisi quod Deus nobis docuerit, prædicate: sed patriam vestram primum requirite; ejusque habitarores ad bonum opus impellite; et ut a malis accedant, illos instruite. ℟.

a, *b*, * *i. e. Tibur in Latio*, *c*, * *f. totam non repetitum*, *d*, *e*

ad prædicandum verbum Dei, cælestique visione recreatus

2 LECTIO II. Mandatum namquam * cujus frater Petrus cum gratiarum actione suscepit, et sic ad propria remeavit, ibique verbum Dei, et per universa vicina loca, in quantum illi diviua providentia contulit, duobus annis prædicavit. Quidam autem bene eum audiebant; alii vero, quod ille discebat *, male accipiebaut, et multoties eum in facie ceterisque membris percutiebant, et nimium irridebaut. Quod humilis Frater benigne ac patienter sustinuit. Talia iu sua patria duobus annis perficiens, septem diebus et totidem noctibus adormivit. In hac dormitione autem ei visio revelata est: quoniam Filius Dei, et ejus Mater Maria ante se venerunt; pomumque aureum in manibus detulerunt, et ad os dormientis eum posueruut.

* *l. namque*, * *l. dicebat vel docebat*

varia perlustrat loca:

3 Virgine namque Domini tunc virgam manu accepit; in cujus capite frondosum lilium erat appositum. Cui Virgo Domini præcepit, dicens: Exi de terra tua, et perfice agere quod cœpisti. His dictis, statim excitatus est, et profectus est inde. Pervenit namque ad castrum, quod Sublacum *f* dicitur; ibique in ecclesia S. Abundii *g* hospitatus est cum quodam honestissimo viro Petro *h* nomine, et apud eum permansit mensibus quinque, vicina loca visitando et illuc sæpius revertendo, faciens multa mirabilia in Dei omnipotentis nomine; quorum aliqua ad ipsius memoriam non sunt oblivioni tradenda.

A. ANONYMO. *f*, *g*, *h*

dimicat cum diabolo:

4 LECTIO III. Quodam autem die Dominico, cum prædictus Petrus cum suis sociis, Massaro videlicet, et Joseph, coram ecclesia hærent, viderunt, et apertissime coguoverunt famulum Dei Petrum cum diabolo in ecclesia per tres vices pugnare, et ita eum verberare, acsi bestiam vel hominem percuteret; et ex eis verberibus sonitum redderet. At illi hoc audientes, mirati sunt nimis, et potentiam Domini cognoscentes, egerunt laudes Domino Jesu Christo, cui est honor et gloria iu sempiterua secula. Amen.

miraculum in vase vitreo fracto ac vino restauratis:

5 LECTIO IV. Alio vero die, cum hora comestionis adesset, vinoque ad recreanda corpora indigerent, misit jam dictus Petrus quemdam puerum, nomine Joseph, cum quodam E vase vitreo, ut vinum deferret. In reversione vero accidit, quod, puero intrante domum, casu vitreum vas, in quo vinum erat, fractum est, et totum vinum in terra cecidit: quod videns Petrus, contra puerum cœpit vehementer irasci. Frater Petrus vero hæc audiens humillimis verbis eum alloquutus est, diceus: Domine, recedat iracundia vestra; tantum meis manibus vas apponite: qui vas fractum cepit, et Servi Dei protinus manibus assignavit. Vir namque Dei extra domum exiens, et parum moratus, ac ridendo * rediit, vas restitutum illi plenum vino reddidit, dicens: Noli coustristari; quia nihil est impossibile Deo. Ille vero vas lætus suscipiens, et Deo datori bonorum pariter gratias retulerunt. Hoc totum nobis relatum est a prædicto Petro ecclesiæ saucti Abundii Priore *i*, et a suis sociis, qui prædicta suis oculis viderunt, et propriis auribus audierunt, et cum sacrameuto firmiter affirmaverunt *k*. Multa quippe miracula cum eo Dominus operatus est ibidem; quæ forent cuucta difficilia prænotari.

* *f. arridendo*, *i*, *k*

lectiones tres l

6 LECTIO V. Magnificate *l* Dominum, fratres charissimi, qui ecclesiam suam nova semper sobole fœcuudat; et ejus dilectos reuatos filios sibi facit perpetuos coheredes; quorum unus est iste F confessor Petrus; qui terrenis actibus abnegatis, vexillo sanctæ crucis recepto, Dominum * ad se vere traxit consilium: Non corouabitur nisi qui legitime certaverit. Vir iste Sanctus non clypeo protectus, aut galea; sed sanctis operibus adornatus, hostium victoriam viriliter reportavit, ut præmii a Christo coronam mereretur accipere sempiternam. Duplex corona Sanctorum, fratres charissimi, legitur in Scripturis: una, qua coronantur in via, et altera, qua coronantur iu patria; utraque magna; sed major altera; quia tanto gloriosior * est Sanctis coronari in patria, quam in via, quanto diligentius appetunt habere cælestia, quam terrena. Secundam corouam desiderabat habere Apostolus qui dicebat: " De reliquo reposita " est mihi corona justitiæ " id est, præmium, quod reddetur pro meritis. Unde subjungit, " quam reddet mihi Dominus in illa die justus " judex."

* *f. Dominicum*, * *l gloriosius*

ascetice

7 LECTIO VI. Licet huic sancto Viro corona

A. Anonymo. na in capite minime refulsisset, quia nec litteras didicit, et ad sanctum ordinem temporalium non pervenit; tamen coronam, quam non recepit in capite, servavit in mente. Hæc sunt, quæ ad Sanctorum coronam semper pertinere noscuntur. Quatuor principales lapides pretiosi, et pulcherrimi flores cum margaritis et gemmis. Lapides isti sunt justitia, fortitudo, prudentia, et temperantia. Ab anteriori parte justitia, a posteriori parte prudentia; temperantia a dextris, fortitudo a sinistris Nam quæ sunt ante, sunt certa: quæ sunt retro, sunt dubia: quæ sunt a dextris, sunt prospera: quæ sunt a sinistris, adversa. Justitia duas habet virtutes, discretionem et rectitudinem. Prudentia habet vigilantiam et cautelam. Temperantia, continentiam et abstinentiam. Fortitudo constantiam et magnanimitatem.

circa Sancti virtutes. 8 Lectio vii. Inter hos flores quatuor minores gemmæ constituunt *, id est, quatuor naturales effectus, dolor et gaudium; timor et spes. Justitia utramque dirigit spem; prudentia mitigat dolorem; temperantia format gaudium; fortitudo confortat timorem. Circa gemmas in giro B septem margaritæ resplendent, id est, septem dona gratiæ septiformis, quæ Isaïas enumerat dicens: « Requiescet super eum spiritus Domini, « spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et forti« tudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et reple« bit eum spiritus timoris Domini. » Sub istarum tegumento margaritarum, lapidum et gemmarum protectus Christi confessor Petrus, nulla ei nocuit iniquitas; nec a fide Christi eum separavit adversitas. Igitur cum longum sit mihi miraculorum pondere historiam ejus *, si placet caritati vestræ, pauca de multis volo in præsenti pagina denotare. Cum Vir sanctus Dei in uno tempore, inopia famis cruciatos *m* conspexisset, et quod nihil manducare haberent, sollicite cœpit eleemosynam quærere, ut Christi pauperibus erogaret *n*.

* *f.* consistunt

* *adde referre, vel quid simile,*

Panes multiplicati tempore famis o. 9 Lectio viii. Sublacense monasterium *o* arctius amabat, frequenter ad ipsum ire consueverat. Eodem anno egestatis, uno die venit ibidem: ejusdem monasterii cito ad cellarium perrexit, cui Sanctus dixit: Frater mi, et carissime fili, C ecce cruciatu famis Jesu Christi pauperes jam defectos videmus, in quibus Deus diligitur, et habetur, et pretiosissima charitas cooperatur. Da mihi, quæso, panem, quantum potes, ut valeam esurientibus miserabiliter famulis subvenire. At ille, qui ei veritatem negare nolebat, cum juramento respondit: Deum testem invoco, quia non habeo panes; nisi solummodo quatuor, et nescio quid faciam; quia non habeo hodie, quid super mensam ponam. Et dixit ei: Veni, et vide, Pater, et cum videbis, poteris de me fiduciam inviolabiliter obtinere. Dicit ei Sanctus: Ego de te illibatam firmamque gero fiduciæ puritatem: vade ad arcam, et de panibus, quos tibi Dominus dedit, ego et tu hodie esurientibus pabulum tribuamus.

per ministerium angelorum. 10 Lectio ix. Qui statim perrexit ad arcam, et invenit ibi panes angelicis manibus præparatos. At ille miratus est nimis, gratiam retulit Deo, et almifico Petro. Tunc Sanctus una cum ipso in illo die escam panum abundantem omnibus tribuerunt. Hoc autem legimus in libro Regum, in diebus Eliæ in Israel; quando clausum est cælum annis tribus, et mensibus sex. Cum facta esset fames magna in omni terra, missus est Elias in Sarepta Sydoniorum ad mulierem viduam; quæ fecit omnia secundum præceptum D Eliæ, non defecit lecythus olei, et pugillus in hydria farinæ, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ *p*. p

ANNOTATA.

a *Locum hunc descripsimus in Commentario prævio num.* 2.

b *Vide ibidem num.* 3.

c *De illo ibidem num*, 4.

d *Ex tempore hujus præsulis deducitur ætas* S. Petri, *ut ibidem est præmissum.*

e *De illa cruce agitur in Comm. num.* 5, *uti et de locis, ubi prædicavit, atque exstasi. Vide num.* 5 *et* 6.

f *Huc spectant dicta num.* 7.

g *Locus hic illustratur num.* 8.

h *De quo ibid. num.* 9.

i Prior, *id est, parochus, seu curatus, ut vocant; non vero monachus claustralis, sicut eodem num.* 9 *observatum est.*

k *Ex his,* Hoc totum nobis relatum est, *et sequentibus, commendantur antiquitas scriptoris,* E *et veritas miraculorum. Adi Com. num.* 31.

l *An hæ tres lectiones sequentes ab ipsomet hujus Vitæ scriptore sint compositæ, an ex aliquo alio antiquo auctore desumptæ, non habeo compertum.*

m *Consule Comm. num.* 12.

n *Subditur in ecgrapho nostro illud Responsorium:* Iste homo ab adolescentia sua partem meruit infirmos curare. Dedit illi Dominus charitatem magnam, cæcos illuminare, et dæmones effugare. *Et additur* ℣. Ecce homo sine querela *etc.*

o Est primarum inter illa duodecim, quæ S. Benedictus fundaverat in Simbruinis montibus prope Sublacum, et est sub titulo S. Scholasticæ: quod anno antecedenti MLI prædictus S. Leo Papa personaliter visitaverat, et ad ejus ampliationem multa dona contulerat, ut legitur in supra relato lapide marmoreo ante fores ejusdem ecclesiæ S. Scholasticæ apposito. *Hæc e notis Pierantonii, quarum textum inferius etiam in Annotatis proferam Romanis litteris, et sine nomine, ne identidem sit nominandus.*

p *Vide lib.* 3 *Regum cap.* 17. F

CAPUT II.

Alia Sancti miracula, obitus, exsequiæ, sepultura.

Altera autem die præfati monasterii coquinator *a* monachis refectionem de piscibus præparabat. Postquam vidit Vir Dei, ivit ad Priorem, et pro quodam infirmo de illis suam petiit piscibus portionem. Priore autem hæc audiente, cito hilari et læto animo coquinatori jussit, ut suam partem Sancto liberaliter destinaret. Coquinator autem spiritu malignantis arreptus, duos volebat Sancto de piscibus minoribus tribuere: cui Sanctus dixit: Si placet charitati vestræ, de majoribus mihi da, ut egentem infirmum de ipsis valeam aliquantulum sustentare. Ille autem hæc audiens, iratus est nimis: surrexit repente; alapam Sancto dedit in frontem. Cum pateretur Sanctus ab illo, statim discessit a loco illo: in ecclesiam ingressus oravit

Irrita manus ob impactam Sancto alapam a

A vit pro illo. Mox illi arida apparuit manus: latere non potuit, quod fecit malum: citius quam potuit ad monachos cucurrit, et id, quod accidit, enarravit.

ab eodem sanatur:

12 Hoc audito, monachi tristes effecti sunt nimis; eo quod a monasterio venerabiliter honorari Sanctum appetebant, tunc injuriam ceperant in eodem. Sed quid multa dicam? Dictis et factis promptam gravi delicto, sicut sancta regula docet, ei pœnitentiam non mediocriter injunxerunt: et post hæc ad Sanctum est deductus: statim est genibus provolutus, qui supplicabat Sancto, et ejus suffragia postulabat una cum omnibus humiliter, ita dicendo: Præcipe, quæ agam, Sancte, electe Dei: miserere mei, et succurre mihi, et redde meæ dexteræ sanitatem. Cui tunc Sanctus tale dedit responsum: Misereatur tibi Deus, frater dilecte, et dimittat tibi peccatum hoc, et ejus interveniente gratia, de cetero talia facere alicui non præsumas. Nam pravis hominibus judicium tale est. Et continuo a suis genibus elevavit eum, et signo crucis signavit dexteram ejus, et precibus suis statim tunc gratia reddita est sanitatis. Cernentibus monachis in illa hora, dicere cœperunt: Mirabilis Deus in Sanctis suis, et cætera. B

brachium curatum:

13 Post hæc recessit exinde: dies Dominicus qualiter observandus sit, omnibus prædicabat hominibus. Ascendit Trebam *b*; in qua per eum Dominus divina miracula operatus est; in qua intrante, nolens Dominus, quod lumen illud sub modio, sed supra candelabrum esset appositum, in quadam muliere tale miraculum fecit: eo quod mulier ipsa ejus dicta spernere cœpit, virgamque ejus etiam de manibus suis ejecit, tam maximus dolor super eam irruit, quod brachium ejus dextrum quasi fractum cecidit: omnibus vicinis videntibus, cœperunt dicere: Ideo malum istud ei contigit; quia Sanctum Dei spernere attentavit. Apprehendentes autem eam vicini ejus propinqui, ante illius conspectum adduxerunt, dicentes: Rogamus te, Serve Dei, quatenus, si placet, mulieri isti indulgeas: et pro ea Deum incipe rogare, ut vestris orationibus ab hac infirmitate liberare dignetur. Ille vero statim, ut eorum preces audierat, oravit, et hoc pessimum malum ab ea cessavit, et brachium ejus ita reintegravit, acsi nullum malum haberet. C

panis in clibano non accenso coctus:

14 Fuit quædam mulier, nomine Boniza, quæ die Sabbathi post nonam *c*, ad coquendum panem clibanum calefacere satagebat. Quod Vir Dei reperiens, quod hæc incaute agere præsumpsisset, cœpit arguere eam de facto, quod volebat incipere cum peccato. Sed cum ipsa inciperet, quod optabat, de manibus Sanctus ligna trahebat, et non clibanum ardere permittebat. Mulieres antequam ad locum quasi ad jurgium convenirent, humiliter Sancto ita dicere cœperunt: Pater sancte, si mulieri isti panis coctus non fuerit, nihil ei profuerit, nec alicui utilitas ulla erit. Tunc Sanctus certus de misericordia Dei dixit mulieribus illis: In nomine Domini non calefactum in clibanum panem mittatis: quæ statim impleverunt præceptum: miserunt panem in clibanum: hinc ita crevit, et coctus et pulcher effectus est, acsi esset calefactus clibanus, qui non erat, et panis esset ex nimia veneratione curatus. Nil mirum, quia qui in fornace ardenti tribus pueris refrigerium dedit, ipse pro Famulo suo inclinato calore præstavit *.

* præstitit

15 Et cum sermo divinus splendentem lucem non sub modio, sed supra candelabrum poni præcipiat, ut in domo Domini manentibus beatus Petrus tutor et Trebensis populi defensor, lumen omnibus conferat, ut ubique ejus lumine illustrati, ejusque precibus et meritis protecti, Trebensis clerus et plebs universa Deo omnipotenti, beati Petri cum devotione et famulatu festum celebrare recolentes, gratiarum referant actiones: hinc est, quod quædam de miraculis ejus sitienti gutture cupimus enarrare, ut eorum auditores gratias Deo referant, quod per tanti Viri merita, talia Dominus ostendere dignatus est. Petro namque Christi athleta Basilicæ *d* valvas ingrediente, et Dominicam orationem coram omnibus fundente *e*, crucem, quam in manu gestabat, in marmore fixit, et sic inflexa, cuspide humi fixo sine foramine et aliquo munimine, adeo directa permansit, donec suam orationem finiret. Quod prodigium a cunctis conspectum, gratias omnipotenti Deo innumeras retulerunt.

A. Anonymo. crux miro modo in marmore fixa:

sanantur dæmoniacæ, cæci, claudi etc.

16 Aliud quoque miraculum per compita civitatis factum promimus. Mulier quædam Dominico die, granum causa siccandi ad titanem * sparserat: per quod diversorium Servus Dei iter faciens, pannum cum crocea *f* tetigit: quod mulier in tantum pro malo habuit, quod Deum blasfemare, et Petrum inhonorare cum manu eum E inquietando, furere cœpit. Mox vero ultione divina ejus manus arida facta est; sed interventu bonorum hominum Servum Dei precantium, misericordia Dei motus aridam manum pristinæ reddit sanitati.

* i. e. ad solem

Quamdam vero mulierem hujus terræ habitatricem, diu a dæmonio vexatam, a vexatione dæmonis liberavit, et alias dæmoniacas de longinquis partibus venientes curavit: cæcos illuminavit, gressus claudis restituit, auribus auditum tribuit, et diversas infirmitates capitis, ceterorumque membrorum curavit per virtutem Domini nostri Jesu Christi: cui est honor et gloria, laus et imperium, per infinita secula seculorum. Amen.

Quidam vero puerulus nomine Gualterius trium annorum habens ætatem, et fere per annum oculum perdiderat unum. Parentes vero famam Sancti audientes, puerum ante ejus conspectum protinus adduxerunt, atque cum blandis precibus deprecantes, dixerunt: Domine, ut vidimus et cognoscimus, si vis, potes huic puero sanitatem conferre. Rogamus te, si placet, ut preces ad Dominum fundas, quod oculus istius pueri vestris orationibus pristinam recipiat sanitatem: quorum Vir Dei precibus inclinatus, signo crucis super oculo illius impresso, divina favente gratia statim sanus effectus est. F

imperium in dæmones: obitus apud Trebanos,

17 Fuit quædam mulier nomine Lucia, quæ annis amplius quam viginti a dæmonio vexata fuit; quæ audiens famam sancti Viri, venit ante conspectum ejus, et Sanctus cum dæmone multa verba dicebat: Dæmon autem Sancti virtute ita erat alligatus, quod nullum verbum dicere audebat. His omnibus, multisque aliis in civitate Trebæ expletis; atque ibi in viginti dierum spatio permanente, de hoc mundo ad cælestem patriam pertransivit. In ipso transitu prædictam Luciam a dæmonio liberavit; ipse vero dæmon, dum Sanctus vitam habuit, sæpissime referebat, quod per Virum Dei debebat expelli.

exsequiæ, fragrantia corporis, sepultura.

18 Beato namque Petro migrante ad Dominum, populus et clerici civitatis Trebensis ad faciendas ejus exequias cum veneratione et tremore conveniunt; et cadaver cernentes odore repletum

A. Anonymo. repletum *g*, adinstar nivis, lilio plus redolens, ab
g omnibus perscrutatum, ad sydera palmas tendentes, Deo omnipotenti gratias retulerunt: et sic de
h cætero in sarcophago *h* sepultus, ab illo die usque nunc innumeris miraculis hic ubique coruscare cœpit. O beate Petre confessor, nitidum lumen, ora devote Dominum pro clero et populo, et pro omnibus hujus terræ senioribus, ut tuis almis precibus muniti, eruantur a malis omnibus, bonisque temporalibus perfruantur, et vitam valeant recipere sempiternam.

ANNOTATA.

a *Id est* coquus. *Vide Cangium in Glossario.*

b Treba a Frontino de Aquæ ductibus appellatur Treba Augusta... olim municipium et colonia Romanorum, ut demonstrat Holstenius in notis ad Cluverium: antiquissima civitas episcopalis, et hoc tempore proprium suum habebat episcopum, qui fuit ultimus episcopus Trebensis, quia de anno MLVII a Victore II ecclesia Trebana unita fuit ecclesiæ Anagninæ. In diœcesi sua
B septem tantum numerabat municipia seu castra, scilicet Trebam urbem, Felectinum, Vallepretarum, Gennano adhuc extantia, et alia tria pene diruta, nempe Collealtum, Montem porcarium, et Montem Autolinum. Antiquitus erat sub dominio multorum seniorum Trebensium: ad modum reipublicæ postmodum sub Gregorio IX transivit ad familiam suam de Comitibus Anagniæ: inde sub Bonifacio octavo, ad familiam Caietanam, et tandem ad abbatiam Sublacensem sub Sixto quarto anno MCDLXXXIII unita, ut in diplomate dicti Pontificis in regesto Sublacensi, et Chronica.

c Hora nona *tunc* erat circa XXI *(apud Italos, seu antepenultima ante solis occasum:)* post quam mulieres Trebanæ, secundum antiquam consuetudinem, servilia opera deponunt, usque ad hanc nostram ætatem: prout etiam alibi mos est. Unde post talem horam non licebat clibanum calefacere.

d Eo quod basilicæ nomine veniat ecclesia principalis loci, facile creditur hoc factum evenisse in collegiata S. Mariæ, in qua ipse Sanctus
C post moram XX dierum sepultus legitur, ideoque hoc miraculum pictura expressum visitur supra arcum turris campanariæ, ad caput navis occidentalis ejusdem collegiatæ, juxta sacellum S. Francisci, cum inscriptione facta anno jubilæi MDCO: et hinc rejicitur error Altamuræ, qui mendose reposuit illud in ecclesia S. Petri apostoli, quæ fuit abbatialis extra muros Trebanos, nuncupata abbatia S. Petri de Capo de Prato, unita prædictæ collegiatæ per bullam Innocentii octavi an. MCDLXXXIV.

e *Pro Nominativo ponitur Ablativus; quod contra fit num.* 16: *numero* 17 *occurrit iterum Ablativus pro Nominativo.*

f Crocea *est genus chlamydis, et baculus pastoralis apud Cangium auctum: hic vero videtur accipi pro baculo curvo, seu sustentaculo, quo usus fuerit Sanctus iter faciens.*

g *De perseverante adhuc cilicii ejus odore tractat Comm. noster prævius.*

h *Tria memorantur successiva corporis sacri sepulcra in eodem Commentario* § 2.

D

CAPUT III.

Miracula post Sancti obitum; ejusdem canonizatio.

Miracula namque, quæ post obitum sancti Viri Dominus noster Jesus Christus ostendit vobis, dilectissimi fratres, volumus enarrare. *Laborantes manu, febribus,* Fuit puella quædam cujusdam strenuissimi militis filia, quæ morbo fistulæ, ut ita dicam, fere manum amiserat: quæ cum Sancti famam audivit, mox ad ejus tumulum pervenit. Cum vero Sanctum Dei lacrymosis precibus deprecaretur, gratia concedente divina, et beati Petri meritis statim sanata est.

Post hæc venit quidam vir de castro, quod Porcianum *a* dicitur, qui ita febribus erat oppressus, quod caput totumque corpus fere in doloribus commovehat. Andiens autem ille, quod Trebæ talia per Dei Famulum evenissent, sine dilatione aliqua ad ejus sepulcrum accedere properavit. Qui statim ut venit, corde et ore famulum Dei Petrum non defuit flagitare: cujus preces, et beati Petri intercessionem apud Deum cognovimus exauditas; quia sanus et incolumis ad propria remeavit. E

20 Fuit quidam juvenis de civitate Alatrina *b*, qui tali erat infirmitate oppressus, quæ ab hominibus gutta caduca *e* dicitur; qui sæpe quasi mortuus ubi manebat, in terra cadebat. Statim vero ut ad Sancti Dei tumulum pervenit, pristinam ab eo sanitatem recepit. *morbo caduco, digito arefacto, curantur: oleum salutiferum:*

Quædam de oppido Vici *c* puella orta, digitus manus suæ arefactus ulcere plenus a nemine potuit medicorum curari: sed genitrix ejus ad beati Petri sarcophagum veniens, Deo et beato Petro votum vovit, ut filia ejus possit de sua infirmitate sanari. Quo facto, clementia concedente divina, beati Petri meritis digitus manus puellæ statim sanatus est. Mater vero videns filiam a morbo digiti sanatam, una cum ipsa filia Deo omnipotenti et beato Petro confessori gratias retulere innumeras, et munia laudis indesinenter cum voto persolvunt. F

Aliud quoque miraculum post obitum ejus factum promere volumus. Marmore *d*, quo corpus beati Petri tectum erat, ad pedes ejus manna indeficienter manante, ab omnibus infirmitatem patientibus medelam præbebat, et sic multi hylares et sospites facti tanto oleo perfusi, cum gratiarum actione ad proprias repedaverunt cum tripudio ædes, Dominum benedicentes, qui in Sanctis suis mirabilis extat.

21 Et adhuc quadam nocte quidam Trebensis in agro jacebat, quando luporum pueros devorantium terror erat maximus. Beatus Petrus confessor et defensor æternæ fidei, videns suum populum terrore luporum maxime occupatum, supradicto voluit apparere, una manu lupos retinens cathenatos, in alia vero vas habens vitreum liquore plenum sanctissimo: et semisopito dixit: Quomodo tam securus jaces? nonne times lupos rapaces. Respondit ille sic: Sed me recomendavi Deo, et suæ Matri sanctissimæ, quorum defensione audeo hic jacere. Respondit illi beatus Petrus: Bene dicis: excita te ea somno, et vade et hæc recita populo Trebensi, et dic, quod diem servent Dominicum, quem promiserunt, si volunt *patrocinium contra infestos lupos:*

A luunt a luporum rabie liberari: et ut hoc credas, verte oculos: de liquore vasis vitrei extraxit, et super lapidem projecit. Lapis ille fuit subito liquefactus, sic luporum rabies liquefiet, diem Dominicum, si cœperint observare firmiter. Ille cum hoc populo recitavit, et sacramento sibi a beato Petro concesso pariter confirmavit. Dies autem Dominicus observari cœpit, lupi vero mortui per diversoria sunt reperti *e*.

apparitio columbæ in translatione Sancti:

22 Aliud quoque miraculum promere volumus, ut beatum Petrum vere fuisse Dei famulum cognoscamus. Cum translatus fuisset a suo tumulo *f* ad altare, devote cum clericis et episcopis et cum toto populo, digna voce psallentibus, misit Deus angelum suum specie columbæ, quæ in tumulo, multis videntibus, subsedit et volando per ecclesiam, per fenestras ad æthera transvolavit.

puerulus in sinistro latere pessime affectus

23 Cum pius et misericors Dominus ardentem lychnum non sub modio, sed in alto, ut agat lumen cunctis, poni præcipiat; quoddam miraculum, quod ipse Dominus inter alia meritis beati Petri confessoris, nostris temporibus, B promere voluit, posteros cupimus non latere. Nam cum quidam puerulus Trebensis trium annorum, nomine Liotus, horribili infirmitate superveniente, sinistrum latus ab inguine deorsum fere totaliter perdidisset, ita quod nec pedem de loco aliquatenus movere posset, parentes ejus inenarrabili dolore afflicti, spatio trium dierum continuum gemitum emiserunt. Tandem quippe de meritis beati Petri confessoris consisi, ad ecclesiam beatæ Mariæ de Trebis, ubi corpus ipsius requiescit, puerulum deportaverunt eumdem, voventes beato Petro flexis poplitibus, ac humiliter supplicantes, ut suum filium ab hujusmodi infirmitate liberare dignaretur.

sanatur per tunicam Sancti:

24 At ubi Petrus abbas humilis minister ipsius ecclesiæ, inspiciens suos genitores tanto mœrore detentos, misericordia motus tunicam *g* beati Petri cum reverentia deportans, et eam super ægrum imponens, signo crucis signavit eumdem. Iis vero peractis, prælibatus puerulus pristina sanitate recepta, divina gratia favente, subito crexit se, et devotissime tunicam ipsam extitit osculatus; et suis pedibus una cum genitoribus antedictis ad propria C remeavit. Quo prodigio a populo Trebensi conspecto, innumeras laudes Domino retulerunt. His ergo precibus beati Petri suffragio properemus in urbem, ubi regia fulvis emicat aula tholis; et ubi digna dantur petenti, præstante Domino Jesu Christo; qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

multi a variis malis ad sospitatem ab eo reducti:

25 Mulier quædam præfati loci de postemæ *h* ægritudine, quam in gutture habebat, graviter laborabat; et multa expendit in medicis: et nihil ei profuit; quia nullius incantationibus, nec medicorum medicaminibus poterat penitus recipere sanitatem. Dimisit mulier medicorum consilia, sancti Petri postulavit meritorum suffragia: in Dei Genitricis ecclesiam devote intravit, et ante Sancti altare mœrenti voce oravit. Completa vero oratione, quidam clericus cum sancti Petri reliquiis guttur ejus signavit; repente mulier sanitatem pristinam, quam amiserat, tunc recepit. Multis languentibus, ejus intervenientibus, meritis, sanitas restituta est. Reddit lumen cæcis: circulos *i* de brachiis ferreos cujusdam pœnitentialis ejecit, qui usque hodie super altare dependent *k*, ut ad laudem nominis sui ab omnibus videantur.

26 Lucia quædam mulier, gratia intervenientе illius, a dæmonio liberata est. Diabolica rabies luporum, qui hominum raptores erant, cernitur a quibusdam, quod a nostris partibus sit effugata. Rogemus ergo eum, ut luporum invisibilium, qui sunt diaboli, qui quotidie caulas hominum deprædari non desinunt, nos protecti patrocinio ipsius, ab illorum insidiis liberemur, quod ipse dignetur; qui est super omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

A. Anonymo. dæmoniacæ liberatæ

Cum ad laudes Domini silere non debeat lingua carnis, et beatus Petrus confessor innumeris quotidie miraculis vigere dignoscatur, mirabilia, quæ Dominus, nobis præsentibus, ipsius meritis promere voluit, Christi fidelibus cupimus referari. Nam quædam puella Trebensis, nomine Maria, silentio noctis ab infirmitate, quæ morbus epilepticus *l* nuncupatur, vel ab iniquissimo acerrimo spiritu extitit obumbrata: quæ quidem nudato vertice, laceros crines disrumpens firmis pugnis percutiebat seipsam, nec non suas manus, et latera torquebat enormiter, dæmonosa voce clamando: viciniæ quoque ipsius tumultu et strepitu excitatæ, subito accessere ad eam, suis parentibus ingenti lamentatione motis, lacrymosis oculis conspicientes. E

maligno spiritu.

27 Præfatæ vero viciniæ de Christi misericordia confisæ, quæ meritis beati Petri firmiter fidem habentibus et devote postulantibus suam gratiam diffundere consuevit, dictam Mariam ad ecclesiam *m* beati Petri deferre cum devotione satagebant. Unde cum ipsam renitentem et reclamantem, ad ecclesiam nullatenus intrare volentem, ad altare, ubi corpus ipsius requiescit, cum difficultate maxima humiliter deportarent inhibitæ, lacrymabiliter curvatis genibus pro ea Domino devotissime supplicaverunt. At ubi Petrus abbas ipsius ecclesiæ puellam inspiciens sic vexatam, in turbam mulierum alta voce plorantium indutus veste sacerdotali, accensis candelis, tunicam ipsius Confessoris attulit; et eam super languentem imponens, signo crucis signavit eamdem: quo peracta, statim vocata puella, gratia largitionis ab infirmitate hujusmodi extitit liberata, et supplices laude retulit Creatori.

Solenni ritu S. Petrus

28 Et quia labentium temporum cursus, eorum, quæ geruntur, memoriam suam rapit, adversus oblivionis incommodum de scripturæ suffragio prudentium cautela providit, cum res clara modernis, F sæpe longinquitate temporis, posteris reddatur obscura: unde ego Petris humilis minister ecclesiæ S. Mariæ de Trebis *n*, quædam, quæ gesta per reverendum patrem dominum Ugonem tituli sanctæ Sabinæ presbyterum Cardin. *o*, posteros cupio non latere.

canonizatur anno 1215.

29 Hinc est, quod cum dictus dominus per duos annos fere dicto ætatis * et partim autumni tempore in affectu toto recreationis sui animi, apud ecclesiam sancti Theodori *p*, moram traxerit, perlectis miraculis beatissimi Petri confessoris *q*, ac scito, quod bonæ memoriæ episcopus Anagninus loci diœcesanus *r* cum aliis episcopis Campanis ante tempus concilii Domini Innocentii PP. tertii *s*, prout poterat, ipsius corpus beati Petri solemniter canonizasset, devote ad ecclesiam sanctæ Mariæ, ubi ejusdem corpus requiescit, in festivitate ipsius, una cum patriarcha Hierosolymitano *t*, qui eum visitaverat, cum reverentia accedens, capsellam, quæ pendebat super altare beati Petri, in qua de ejus reliquiis reperiebantur, recepit, et eam processionaliter ad altare, quod est super, deportans reliquias, quæ erant in ea, humiliter adoravit, populo adstanti Dominum

* l. æstatis

A. ANONYMO. Dominum collaudanti devotissime demonstravit easdem. Postmodum vero Sacrificium offerens Domino, quædam de beati Petri miraculis in sua prædicatione narravit, et denunciavit indulgentiam trium annorum, et quatuor quadragenarum, præter quadraginta dies, quos ipse dominus omnibus vere pœnitentibus voluit indulgere. Actum sub anno MCCLX, pontificatus Domini Alexandri quarti Papæ anno VI, Indictione III, mensis Augusti die
u ultima *u*.

ANNOTATA.

a Porcianum castrum nunc dirutum in diœcesi Anagnina, retinet nomen Montis Porciani, sub dominio canonicorum civitatis Ferentinæ, et anno MLXXXV legitur dono datum abbati Sublacensi a D. Trasimundo filio Amati comitis, et Domini Palliani, ex regest. Sublac. anno MLXXXV.

b In civitate Alatrina satis nota, et Trebæ conterminа. Miliaria decem inter se distant, et *sunt* urbes Latinæ, seu Hernicorum, *vulgo* Alatri.

c Exstat adhuc in diœcesi Alatrina, et circa hoc
B tempus Vicenses cives fundaverunt celebre monasterium Trisulti, ad petitionem S. Dominici Soræ abbatis, qui anno MXXXI obiit XXII Januarii: qui etiam Trebam sanctificavit. *Egimus de illo ad dictum diem 22 Januarii a pag.* 442.

d Ex primo scilicet lapideo sepulchro, prout confirmatur in hymno ad Matutinum.. « Liquor e suo « tumulo fluebat ». Ex traditione habetur cessasse tale prodigium ob irreverentiam Dominorum loci, qui hoc sacro liquore tentarunt sanare canem venaticum scabie infectum.

e *Plura de Sancti patrocinio adversus lupos in Comm. prævio sunt num.* 14.

f A suo tumulo ad altare, hoc est a primo, quando anno MCCXV, prima Octobris sub Innocentio III peracta fuit ejus canonizatio, ut infra dicetur.

g *De hac tunica consule Comm.* § 2.

h Postema *vox est Italica pro* apostema *(uti habet Glossarium Cangii auctum.) Latinis* abscessus. *Videri possunt Definitiones medicæ Gorræi.*

i Hoc eodem anno XLII erat in usu, secundum antiquos Ecclesiæ canones, talis pœnitentium affli-
C ctio, prout anno MLV ex S. Petro Damiano refert Baronius: imo ab anno MXXXVIII per merita S. Henrici filii S. Stephani regis Hungariæ, quidam pœnitentialis solutus fuit quinque ferreis catenis, quibus erat obstrictus.

k Circuli.. ferrei, qui dicuntur pendere ex altari, temporis decursu perierunt.

l *Epilepsia, seu morbus comitialis*, est, *inquit Gorræus modo citatus*, convulsio totius corporis non perpetua, cum mentis et sensuum oblæsione. *Ibidem scribuntur de isto morbo plura.*

m Ecclesia ista est inferiora seu subterranea collegiatæ S. Mariæ valde luminosa et ampla, tribus, ut dicunt, navibus sustentata, cum lumen recipiat per tres fenestras a parte meridionali.

n Petrus iste S. Mariæ abbas legitur testis præsens in instrumento possessionis captæ de oppido Trebarum a Petro comite Caietano, nepote Bonifacii octavi, de anno MCCXCVII, et anno MCCC ipse abbatiam renunciavit retinendo sibi canonicatum in eadem eccles., ut legitur in bulla dicti Pontificis, qui prædictæ ecclesiæ S. Mariæ univit aliam collegiatam ecclesiam S. Cosmæ, nunc dirutam prope Roccam Trebarum: ubi dicitur San Cosinato.

o Ugo de S. Sabina, seu de Sancto Charo, fuit Cardinalis primus inter PP. Dominicanos, cele- D
bris scriptor: qui occasione curiæ Pontificiæ Anagniæ commorantis, cum Alexandro quarto Anagnino Trebam accessit ad recreationem animi sui ætatis * tempore, et anno MCCLXII in Urbe veteri defunctum scribunt Ciacconius, et scriptores alii ejus vitæ sanctitate celebris, et singularis doctrinæ etc. *Vita ejus et scripta habentur apud Echardum tomo primo scriptorum Ordinis Prædicatorum pag.* 194 *et sequentibus.*

* l. æstatis

p Ecclesia S. Theodori ad ripam fluminis Anienis, prope lapideum pontem, qui ideo dicitur il ponte de S. Teodoro, ubi erat olim sedes et palatium episcopi Trebensis, cujus adhuc exstant murorum vestigia, et hæc eadem ecclesia creditur fuisse cathedralis, et metropolitana totius diœcesis Trebanæ: postea abbatialis, quæ anno MCCXXVII a Gregorio nono Pontifice Anagnino subjecta fuit Anagniæ episcopo; ut ex bulla impressa in Ughellio in episc. Anagn. num. XXVIII regesto Vaticano, et ex archivio Trebano. Circa annum MD, diruta antiqua hac ecclesia, in ejus locum erecta fuit alia intra oppidum Trebarum etiam nunc abbatialis cum E
decem clericis computato suo abbate, qui tamen anno MDCLXXIII uniti fuerunt octo canonicatibus, et archipresbytero, seu abbati prædictæ S. Mariæ.

q Hinc deducitur, vitam et gesta hujus Sancti tunc temporis satis fuisse nota, et in scriptis expressa, et a prædicto Petro abbate ulterius narrata posteriora miracula et ad posteros transmissa post annum MCCLX, saltem ab anno MCCC.

r Anagninus episcopus unitam diœcesi suæ obtinuerat ecclesiam et episcopatum Trebensem jam ab anno circiter MLVII per bullam Victoris II Pontificis, confirmatum successive ab Urbano pariter II, Alexandro III, et aliis Pontificibus usque ad Gregorium XI: qui tandem præfatam ecclesiam S. Theodori abbatialem immunem relictam etiam eidem episcopo subjectam voluit. Unde bene dicitur loci diœcesanus, ut ex archivio Anagnino: quo refellitur error moderni chronistæ Sublacensis, qui mendose scripsit, episcopatum Trebensem perdurasse usque ad Alexandrum IV, motus ex eo, quod in multis archivii Sublacensis scripturis Treba legatur sub nomine civitatis, quæ olim talis fuerat ratione episcopi F
proprii.

s Exprimitur etiam præcise annus canonizationis hujus sancti Petri: quia concilium hoc celebratum Romæ ab Innocentio III, inceptum fuit die XI Novembris de anno MCCXV, et fuit quartum Lateranense in basilica Lateranensi apertum, et œcumenicum seu generale XIV, ut in tomo I Conciliorum, in Baronio, Spondano et aliis. Dies vero ejusdem canonizationis expressus legitur in bulla indulgentiarum pro ecclesia S. Mariæ de Trebis, concessæ ab Alexandro VI anno MDII, scilicet dies prima Octobris, quæ præcesserat tempus prædicti concilii: quo mense Octobris præfatus Papa Innocentius morabatur in sua patria Anagniæ: ubi episcopo Anagnino Joanne, et aliis episcopis Campanis, scilicet Alatrino, Verulano, Ferentinati, Signino, Tiburtino, et aliis potestatem fecerat prædictæ canonizationis explendæ Trebis in ipsamet ecclesia S. Petri subterranea collegiatæ S. Mariæ.

t Erat *hic* Jacobus Pantaleo ex urbe Trecensi in Gallia; qui Hieronymis Romam veniens ad pertractanda negotia pro Terra sancta, Anagniam usque pervenit; ubi hoc anno et mense Augusti Alexander quartus Pontifex morabatur: ad quem

A quem cum accessisset iste magnus patriarcha, illectus vicinitate loci et amore visitandi amicum, et urbe Anagnina, Trebam profectus est: ubi prædictum cardinalem Ugonem suum comprovincialem, et familiarem salutavit, et una cum eo etiam ipsa præsentia sua sacris S. Petri reliquiis pium obsequium præstitit: quinimo anno sequenti MCCLXI eadem die, qua Trebis moram faciebat in pervigilio ipsiusmet S. Petri confessoris XXIX Augusti, egregius iste vir et patriarcha, licet nondum esset cardinalis, post mortem Alexandri quarti, assumptus fuit ad summum Pontificatum, sub nomine Urbani quarti, qui statim inter alia ecclesiæ universalis negotia, tamquam bene memor Trebani oppidi, ejusque protectoris S. Petri, illud exemit de manibus tyrannorum, et in pristinum statum reposuit, prout narrant Theodosius Vallicolor, et alii scriptores Vitæ S. Urbani quarti, cujus festum ex Ferrario Trecis in Gallia celebratur die XXX Septembris: veneratur enim tamquam Sanctus. D

u Ex circumstantiis temporis, anni scilicet, mensis et diei circa Pontificatum Alexandri quarti, tunc Anagniæ commorantis, confirmatur veritas hujus narrationis; quam scriptis mandavit dictus Petrus abbas S. Mariæ tamquam testis de visu; prout supra relatum est.

DIES TRIGESIMA PRIMA AUGUSTI

SANCTI, QUI PRIDIE KAL. SEPT. COLUNTUR.

SAnctus Aristides philosophus, Athenis in Græcia.

B **S. Theodotus, S. Rufina, S. Ammia — Cæsareæ in Cappadocia.**

S. Syrus episc. Patavinus.

S. Cæsidius presb. martyr, SS. Socii ejus — Transaquis in Marsis.

S. Primianus M. Spoleti in Umbria, ut fertur.

S. Maurentius, S. Urbanus, S. Avitus, S. Maternianus, S. Vincentius — MM. apud Forum Sempronii in Italia.

S. Robustianus M.

S. Marcus M.

C **S. Gaianus, S. Lucianus, S. Rufinus, S. Vincentius, S. Silvanus, S. Vitalica, S. Antiquora, S. Emelinus, S. Florentinus, S. Justa, S. Julia, S. Antineus, S. Maximus, Item S. Vitalica — Ancyræ in Galatia.**

S. Paulinus ep. Trevirensis, in Phrygia.

S. Optatus ep. S. Sanctinus presb.

S. Memorius presb. Autissiodori in Burgundia. E

S. Eanswida V. et abbatissa in Cantio Angliæ regione.

S. Aidanus ep. Lindisfarnensis in Anglia.

S. Victor solitarius, Campiboni in diœcesi Nannetensi.

S. Ebregisilus vel Ebraïsilus ep. Meldensis, in monasterio Jotrensi in Bria Galliæ provincia.

S. Cuthburga regina et abb., Vindogladiæ in Anglia.

S. Amatus ep., Nusci in regno Neapolitano.

S. Raymundus Nonnatus S. R. E. Cardinalis, Cardonæ in Catalonia. F

S. Dominicus puer M. Cæsaraugustæ in Aragonia.

B. Bonaiuncta ex Ordine Servorum B. M. V., in Monte Senario prope Florentiam.

B. Elisabetha seu Isabella virgo regia, propo Fanum S. Clodoaldi in Agro Parisiensi.

B. Benedictus Aretinus ex Ordine FF. Minorum, Aretii in Tuscia.

S. Amatus Episc. Nuscanus. *Vide Apend. Augusti not. 13 pag. 843*

B. Albertinus, Prior eremi sanctæ Crucis Fontis Avellani in Umbria.

A

D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI

Sancti Honulphi Senonensis ep. et conf. translatio *in Florario nostro Ms. memoratur* in territorio Adartensi; *an in* Atrebatensi? *Nam Castellanus, qui in suo Martyrologio universali* Honulfum *refert die* XIX *Decembris, asserit reliquias ejus honorari* prope Atrebatum. *Datus est a nobis* v Januarii.

S. Felicis presbyteri Venetiis, *ex Ferrario. Consule* XIV Janarii.

In loco Blandinium dicto *(prope Gandavum Flandriæ metropolim)* dedicatio et consecratio basilicæ beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, *ex Molano, Canisio, Wione, Menardo. Vide dicta ad S. Amandum* VI Febr.

Calaguri in Hispania SS. martyrum Emeterii et

B Celedonii. *Ita Ferrarius. Adi diem, quo de illis tractavimus,* III Martii.

Sanctæ Chineswidæ reginæ, Winburnæ in Anglia, *ex Ferrario. Sanctam hanc habes apud nos die, quo non reginæ, sed virginis titulo insignitur,* VI Martii.

Bobio monasterio, translatio SS. abbatum, monachorum, et sanctimonialium, qui in eodem cœnobio requiescunt, *ex Wione et Ferrario ad hunc diem. Nomina* sanctorum abbatum ejusdem loci *apud Menardum sic notantur:* Columbani primi, Attalæ secundi, Bertulphi tertii, Bobuleni et Camugelli: monachorum vero Merovei, Agilboldi, Theodebaldi, Baudacarii, Leompardi, et aliorum: sanctimonialium autem Petronillæ, Suniuergæ, et Rotradæ virginum. *De* Columbano I *videbitur ad diem* 21 *Novembris: (de* Bladulpho *consule* 2 *Januarii) de* Attala 10 *Martii; de* Bertulpho 19 *Augusti, de* Bobuleno 26 *Junii, occasione synonymi abbatis Fossatiensis. De hodierno autem non celebratur, quamquam fecerit miracula, ex Chronico Bobiensi Ms. apud Ughellum tom.* 4

C *Ital. fac. col.* 1328. *Nihil quoque lego de ejus cultu tom.* 1 *Annal. Benedict. pag.* 376. *Monachos prædictos ac sanctimoniales aliis relinquo designandos. Adi itaque dies* x Martii, XIX Augusti etc.

Cælestini Papæ Romani sub Theodosio juniore. *Hæc Latine scripta invenio in nostro exemplari Græco ex Ms. Menæo membranaceo Conventus S. Ludovici FF. Prædicatorum Parisiis. Habes hunc sanctum Pontificem id nominis primum in Opere nostro ad diem* VI Aprilis.

Sanctorum Belladii et Aulani episcoporum et confessorum, *apud Grevenum; de quibus etiam Florarium nostrum Ms. In Maurolyco autem scribitur* sancti Helladii, et Auliani præsulum. *(Videri etiam possunt auctaria ad nostrum Usuardum.) Hagiologi citati forte voluerunt indicare* SS. Helladium et Aidanum episcopos, *qui signantur in eisdem auctariis. De* S. Aidano *agemus hoc die; de* S. Helladio *sive* Eladio *ep. Autissiodorensi in Gallia videri potest dies* VIII Maii.

Adulphi episcopi *meminit Grevenus et Canisius. Galesinius:* Atrebuti *(immo* Atrebati*)* translatio S. Adulphi episc. et conf. *Adde Molanum. Scripsimus de illo jam pridem ad diem* XIX Maii.

Justi et Clementis episcoporum et confessorum, *ex Greveno.* Confessorum *tantum titulo indicantur in Florario nostro Ms., sine quo etiam sunt synonymi apud nos* v Junii.

Eracli episcopi *positio occurrit inter Auctaria ad nostrum Usuardum. Si de* Heraclio *Senonensi sermo est, colitur* IX Junii.

Lemovico translatio sancti Martialis episcopi, *ex Maurolyco et Ferrario. De hoc Lemovicensium in Gallia apostolo et ep. vide* XXX Junii.

Gertrudis-Bergæ *(oppidum est in confinio Hollandiæ et Brabantiæ)* passio Guilielmi Galeni sacerdotis et canonici *a Geusiis occisi, a Raissio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani refertur, ubi de ejusdem etiam morte* E *etc.*, ex Martyrio Guilielmi Gaudani, quod intexuit historiæ Gorcomiensium Guiliel. Estius. *Vide apud nos* IX Julii.

S. Brunonis episc. et conf. *notatur* Signiæ *a Wione, Maurolyco, Menardo et Ferrario; de quo etiam Castellanus. Habetur in Martyrologio Romano* XVIII Julii.

SS. martyrum Fantii et Deodatæ *signatur memoria* Syracusis in Sicilia *apud Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Habentur apud nos ad diem* XXXI Julii.

Passio sancti hieromartyris Felicis, et sociorum ejus Januarii, Septemini et Fortiniani *annuntiatur in nostro Ms. Supplemento Græco ad Menæa magna excusa; sed in brevi narratione martyrii, quæ subditur, nulla est mentio loci, nullus character temporis. Vide dicta inter Prætermissos ad diem* XXIX Aug.

SS. martyrum Agnetis, Mauritii, et Fructuosi translatio *ponitur hac die* Minorisæ in Hispania *apud Ferrarium. Consule Prætermissos hesternos* XXX Augusti F

Sanctæ virgines Gazenses septem gladio consummatæ *sunt in prædicto Supplemento. Sed mutatio litteræ Græcæ in nostro exemplari facta, quæ numerum designat, dubium aliquod movet: etenim si legi debeat* ζ', *sunt* virgines septem; *sin vero* ξ', *sunt* sexaginta: *sed magis propendeo in lectionem priorem, quia in Menæo Chiffletii scribitur:* Παρθένοι Γαζαῖαι ζ': *id est,* Virgines Gazenses septem.

S. Juliani confessoris, qui patrem et matrem interfecit: cujus vita et transitus habetur. *Annuntiatio est inter Auctaria ad Usuardum a Sollerio editum. Cupimus plura de illo discere.*

Commemoratio pretiosæ zonæ sanctissimæ Dei parentis Mariæ, repositæ in venerabili ejus æde *etc.*, et factum miraculum per *ejusdem* impositionem, *exstat in Menologio Sirletiano. In Menæis magnis excusis eadem laudatur zona, et Officium de illa peragitur. Græcos imitati Latini eamdem etiam referunt. Molanus in 2 et 3 editione scribit ista hoc die:* Depositio venerandæ zonæ sanctissimæ Deiparæ, *subditque aliis litteris:* In anniversario die dedicationis templi, in Chalcopratiis, *Constantinopoli:*

A *nopoli: de qua Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 4, pag. 85. Legi possunt elogia, quæ habentur apud Surium de zona Deiparæ ad diem* XXXI *Augusti, de qua etiam Antonius de Balinghem in Ephemeride sanctissimæ Virginis Mariæ. Habemus Officium proprium* de cingulo *seu zona ejusdem Virginis, anno* 1623 *Dertusæ impressum*, quod olim, *ut indicat titulus*, ante concilium Tridentinum in ecclesia Dertusensi celebrabatur. *Ante primas autem Vesperas dicitur* celebrandum secunda Dominica Octobris. *Apud Saussayum in Serie Sanctorum, Beatorum ac Piorum, quæ habetur post Martyrologium ejus*, Sanctissimæ Virginis Deiparæ veneratio zonæ et pepli *memoratur* Suessione atque Compendii.

Sancti IV Martyres e Perge in Pamphilia *habentur in ante dicto Supplemento nostro*, qui in ignem substratum currere compulsi, *vitæ finem imposuerunt. Et sequitur duplex versiculus, uti et de aliis martyribus, quos modo dabo ex eodem Supplemento.*

Sancti CCCLXVI Martyres ex Nicomedia gladio B consummati *habentur in memorato Supplemento.*

SS. Menæ, Fausti, Andreæ, et Heraclii memoria *signatur ibidem.*

Sancti martyris Diadochi memoria *notatur ibidem.*

Sanctus martyr Philecrtus gladio consummatus. *Ibidem. Hos dedi, lector, ex dicto Supplemento. Eos autem omnes ad genuinam ac distinctiorem notitiam reducere quis possit?*

In Hispania sancti Guterri Osorii comitis et monachi, miraculorum gloria celebris *annuntiatio est in Wione, qui hæc ponit in observationibus :* Notatur hujus natalis hac die ab Ambrosio de Moralibus in Hist. Hispan. lib. 6 *(lege 16)* cap. 34. Comitatu relicto fit monachus Laurenzanæ, in quo cœnobio moriens sepultus est in capella quadam claustri monasterii, et liber miraculorum ejus ibidem cum magna veneratione asservatur. Floruit anno Domini CMLXX. *De eodem etiam scribunt, et* sanctum *vocant Dorganius, Menardus, et Ferrarius, qui ait de* Osorio *in notis :* Castrum est apud Legionem C urbem, ex quo familia Osoria, et opp. Tarraconen. diœcesis non obscurum. *Ambrosius de Morales supra citatus dicit, anno* 971 *monasterium Laurentianæ (seu ut ipse vocat,* de Lorenzana) *in Gallicia, una leuca Mindonia (urbecula episcopali, vulgo* Mondonedo) *fundatum ac dotatum fuisse a laudato Comite; eumque addit haberi tamquam sanctum, et aliquo modo celebrari ipsius festum ultima die Augusti cum magno populi concursu : at nescire se indicat, qua auctoritate. De miraculis autem, quæ in monasterio conscripta haberi memorat, ista subnectit : Jam dixi aliis vicibus, et semper dicam, quod, sicut miracula certa atque auctoritate fulta multum conducunt ad devotionem, sic illa, quæ parvam habent consensionem et minorem auctoritatem, aliquo cum contemptu eamdem tollunt. Mabillonius in suis Annalibus ad annum* 969 *memorat*, tanta *Virum hunc* religione *in dicto monasterio* vixisse, ut pro sancto habeatur *in eodem,* quod Præmonstratensibus postmodum cessit. *Quia vero dicebat Moralesius*, aliquo modo celebrari ipsius festum, *etiamsi* cum magno populi concursu, *et nos cum illo non sciamus*, qua *legitima* auctoritate, *et an per eam non sit inhibitus vel* D *intermitti jussus; liceat nobis rogare eruditos Hispanos, ut de hac re certiores nos facere non graventur, cum Mabillonius de publica veneratione, quam requirimus, satis perspicue non loquatur.*

Dedicatio ecclesiæ cathedralis *Vicentinæ ;* Alexandriæ Statyellorum dedicatio item cathedralis ecclesiæ; Vercellis consecratio ecclesiæ majoris; Laude Pompeia dedicatio ecclesiæ cathedralis, *uti etiam* Malacæ in Hispania, *notantur a Ferrario : quibus addi potest* Carmelitarum, *sicut indicatur in Ms. catalogo nostro Sanctorum hac die, ex Kalendariis, quæ non nominantur, nec locus ecclesiæ additur.*

Calari, in Sardinia S. Marturii martyris. *Ita Ferrarius in suo Catalogo generali. in Notationibus hæc addens :* Ex libello inventionis SS. corporum, per archiepisc. Calarit. ad Paulum V Pont. Max. scripto. Corpus ejus in templo S. Luciferi repertum est cum hac inscriptione : « B. Mart. Marturius, qui vixit ann. LXII. Requievit in pace prid. Kal. Septembris. *Hæc Ferrarius in dicto Catalogo : quibus cum nihil* E *aliunde addendum occurrat, Sanctum hic indicare visum est.*

Duo fratres, *Choletti in territorio Maleacensi a Calvinistis occisi.*	*Omnes cum titulo* beati, *ac tres primi tamquam martyres signantur in Martyrol. Franciscano apud Arturum.*
Mathurinus de Pulchro-Visu, *apud sanctum Milianum Aquitanorum oppidum ab hæreticis interemptus.*	
Martinus a Valentia, *Flamanalci in India occidentali.*	

Plures laudat Menologium Franciscanum Hueberi hac die.

Ducentorum monachorum. . Ordinis Cisterciensis in Scotia *interemptorum,qui inter alios Religiosos sub persecutione Henrici VIII et Elisabethæ fortiter se gesserunt pro fide orthodoxa, memoriam ponit Chrysostomus Henriquez, titulum* martyrum *eisdem adjungens, a quo rectius abstinuisset; cum non sciamus, illum a Sede Apostolica declaratum fuisse.* F

Beata Gertrudis abbatissa monasterii de Biloca *ejusdem* Ordinis *annuntiatur* Gandavi in Flandria *ab eodem Henriquezio. Vitam describit Sanderus in Hagiologio Flandriæ pag.* 55 *et seqq.*, beatæ *nomine eidem prænotato. Sed nos eam inter feminas venerabiles reponimus, quo nomine appellatur a Chalemoto.*

Depositio B. Arnulphi abbatis sancti Nicasii *notatur* Signiaci in Gallia *a dicto Henriquezio. Memoratur etiam in Kalendario Cisterciensi, anno* 1617 *excuso Divione, sine titulo* beati, *qui apponitur ei apud Chalemotum. Nos virum hunc veneramur.*

S. Ammonis *meminit Kalendarium Syriaco-Chaldaicum, uti apud nos inscribitur. Nomen aliter formatur in alio nostro apographo.*

Octava S. Bartholomæi *refertur in nostro Ms. Catalogo Sanctorum.*

Joannem Orcum Novocomensem istius nominis episcopum primum *hue remisimus ex die* III *Augusti. Quoniam vero interea temporis non invenio ullas submissas ad nos notitias, quibus de ipsius cultu magis nunc constet, quam tunc; cogimur hunc Præsulem prætermittere.*

Ambasius abbas *tamquam* sanctus *memoratur* in Æthiopia

A Æthiopia *apud Castellanum, qui representatur, ait,* insidens leoni. *Quisnam sit, nos latet.*

Comes Agelwinus, id est, Odda, ab Aldredo Wigornensi episcopo ante suum obitum monachizatus, secundo Cal. Septembris apud Deorhyrste decessit; sed in monasterio Persorensi honorifice sepultus quiescit, *sicut refert Florentius Wigorniensis ad annum* 1056 *pag.* 630, *ubi et laudatur tamquam* ecclesiarum amator, pauperum recreator, et pupillorum defensor, oppressorum subventor, virginitatis custos. *Laudatur quoque ab Hoveleno pag.* 444.

Commemoratio templi Sanctissimæ Deiparæ in Neorio *in Menæis magnis excusis habetur cum satis longa historia. De hac æde sacra scribit Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4, *pag.* 88.

Potamiæ virginis *mentionem facit Grevenus, quam non satis novimus e sola positione nominis.*

Virginum plurimarum in Ægypto *annuntiationem signat Grevenus. Vellemus ut addidisset aliquid* B *pro distinctiore earumdem notitia.*

Apud Beneventum sancti Lupi episcopi *mentio fit in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad UsuardumGreveni. Non invenio hactenus ullum hujus nominis præsulem inter Beneventanos apud Ughellum, nec scio, quo spectet. Gratum fuerit, si majorem de illo notitiam subministrare potuerint docti Beneventani.*

Rophili confessoris *nomen habetur in mox dictis additionibus Bruxellensibus. Non novimus illum aliunde.*

B. Ludovici Bertrandi, Ordinis Prædicatorum, Valentiæ in Hispania, *ex Ferrario. Spectat iste Sanctus ad diem* IX Octobris.

Colomanni martyris *memoria habetur apud Grevenum. Est in Martyrologio Romano* XIII Oct. D

Abulæ in Hispania SS. Vincentii, Sabinæ, et Christetæ martyrum. *Ferrarius. Inscribuntur Martyrologio Romano* XXVII Octobris.

S. Aidus, filius Aidi, filii Lugadii, filii Davidis, filii Fiachrii etc. *hac die ponitur a Colgano inter alios ex familia S. Colmani, quos Sanctos vocat; ut in Actis Hiberniæ die* III *Februarii pag.* 248 *videre licet :* Dies, *inquit*, natales, qua licuit colligere, et aliquando conjicere, ex Mart. Tamlactensi, ex Festilogio S. Aengussii, Mariani Gormani, Cathaldi Maguir, Martyrol. Dungallensi designavimus. *Conjectura ejus de diebus ex istis Fastis sacris non probat publicum cultum* Aidi, *qui huc solus spectat ex qualicumque ista genealogia. An forte plus aliquid sperandum sit ad* XXVII *Octobris, ad quem a die* III *Februarii S. Colmanus a nobis remissus, ignoro. Expectari interim possunt dicenda ad eumdem* XXVII Octobris.

Sanctus Vulgisus pater sancti Willibrordi *annuntiatur a Camerario. De S. Willibrordo agendum erit* VII Novembris. E

S. Dionysii Alexandrini insignissimi confessoris obitus *ponitur a Castellano. Vide Martyrologium Romanum* XVII Novembris.

S. Lazari episcopi et martyris, quem Dominus a morte suscitavit, *refertur a Greveno* apud Marsiliam : *de quo et Ferrarius. In Officiis propriis Sanctorum ecclesiæ Massiliensis, anno* 1633 *et* 1662 *impressis, legendum præscribitur die* XXXI *Augusti in ejus solennitate Officium cum octava. Heri eum distulimus ad diem, quo notatur in Martyrologio Romano,* XVII Decembris.

DE S. ARISTIDE PHILOSOPHO

ATHENIS IN GRÆCIA,

J. P.

Cultus publicus, et elogia.

C

Sectio II. *Inscribitur Martyrologiis antiquis.*

Athenæ, *urbs Græciæ in Attica provincia olim memorabilis, ac celeberrimum bonarum artium gymnasium, inter plures alios, quos aluit et excoluit litteratos viros, in lucem produxit* S. Aristidem, *qui non minus antiqua patriæ suæ decora in se expressit singulari sapientia, quam mira animi fortitudine et eruditione Christianam fidem defendit. Nomen ejus inscribitur Martyrologiis primæ notæ (recentiora non memoro.) Romanum vetus seu parvum sic illum memorat :* Apud Athenas, Aristidis, qui Adriano principi de religione Christiana libros obtulit. *Quæ Ado modice amplificavit :* Eodem die (XXXI *Augusti*) apud Athenas, beati Aristidis, fide sapientiaque clarissimi. Qui Adriano principi de religione Christiana libros obtulit, et quod Christus Jesus solus esset Deus, præsente ipso imperatore, luculentissime peroravit. *Eamdem hanc annuntiationem transcripsit Usuardus. His adde Martyrologium Romanum modernum :* Atheuis sancti Aristidis, fide et sapientia clarissimi : qui Hadriano principi de religione Christiana volumen obtulit, nostri dogmatis continens rationem, et quod Christus F Jesus solus esset Deus, præsente ipso imperatore luculentissime peroravit. *Ultima hæc clausula, quæ non est in Romano veteri, post Adonem et Usuardum Romano moderno adjecta, non satis probatur, quia de illa non scribunt antiquiores, quorum hæc sunt elogia in laudem Viri sancti ad posteros transmissa : unde varia de illo discimus, vitamque et ejusdem adjuncta in compendio habemus.*

2 *S. Hieronymus epistola* 83 *editionis recentioris (al.* 84*) tomo* 4 *Operum, columna* 656, Aristides, *ait*, philosophus, vir eloquentissimus, eidem principi *(Adriano imperatori)* apologeticum obtulit, contextum philosophorum sententiis : quem imitatus postea Justinus *etc. Idem sanctus Pater in Chronico, anno* 1606 *excuso, hæc dicit annum Christi* 127 : Quadratus discipulus Apostolorum, et Aristides Atheniensis noster philosophus libros pro Christiana religione Hadriano dedere compositos : et Serenus Granius legatus, vir apprime nobilis, literas ad imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentium nominum sanguinem concedi, et

et laudatur

A et sine ullo crimine, nominis tantum et sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano proconsuli Asiæ scribit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos : cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum. *Egregium itaque hoc sanctorum virorum par elegit divina misericordia tamquam instrumentum, ut Ecclesiæ suæ consuleret.* S. Quadratum *habes tomo* VI *Maii, die* XXVI, *pag.* 357.

a scriptoribus 3 *In iis vero, quæ ibidem recitata sunt occasione istius Sancti de aliis tunc temporis apostolicis viris, vix dubito, quin Eusebius in Ecclesiastica historia lib.* 3, *cap.* 37 *ibi citato, depinxerit inter alios, quos laudat, modum vivendi saltem ex parte* S. Aristidis. *Accipe ejus verba ex editione Valesii pag.* 109 : Eadem tempestate *(imperante videlicet Traiano)* floruit etiam Quadratus, qui cum Philippi filiabus prophetica gratia illustris fuisse memoratur. Præter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt, inter Apostolorum successores principem obtinentes locum. Qui utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane ac divini, ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis exstruxerunt : prædicationem Euangelii magis ac magis promoventes, et salutaria regni cælestis semina per universum terrarum orbem late spargentes. Siquidem plerique ex illius temporis discipulis, quorum animos ardentioris philosophiæ desiderio verbum divinum incenderat, Servatoris nostri præceptum jam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis. Deinde relicta patria peregre proficiscentes, munus obibant Euangelistarum, iis, qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum prædicare, et sacrorum Euangeliorum libros tradere ambitiose satagentes. *De Philippi Filiabus dictum est apud nos in Commentario ad Vitam S. Philippi apostoli tomo* I *Maii, die* I *ejusdem mensis pag.* 9. *auctore J. P.*

4 *Laudatus Eusebius capite* 3, *libro* 4, *a pag.* 116, Aristides, *inquit,* vir fidelis ex religionis nostræ sectatoribus, Apologeticum pro fide nostra, perinde ac Quadratus, Hadriano cæsari nuncupatum reliquit. Qui quidem liber etiamnum servatur a pluribus. *S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis cap.* 20 *similia de illo prædicat, et addit quædam alia his verbis :* Aristides Atheniensis philosophus eloquentissimus, et sub pristino habitu discipulus Christi, volumen nostri dogmatis rationem continens, eodem tempore, quo et Quadratus, Hadriano principi dedit, id est Apologeticum pro Christianis : quod usque hodie perseverans apud philologos ingenii ejus indicium est. *Tillemontius tomo* 2 *Monumentorum ecclesiasticorum notatione* 6 *super persecutione Adriani disserit de tempore, quo S. Quadrati confecta fuit Apologia, et e suo exemplo Chronici S. Hieronymi, præeunte Chronico Eusebii, quod citat, eam affigit anno* 126 ; *ego autem in nostra editione legebam supra annum* 127. *Cum autem modo ex Hieronymo dictum sit, quod Apologiam* S. Aristides *obtulerit* eodem tempore, quo et Quadratus; *nihil videmus absoni, si ponamus* S. Aristidis *Apologiam ad Adrianum fuisse datam anno Christi* 126 *vel* 127. *ecclesiasticis.*

DE SS. THEODOTO, RUFINA, ET AMMIA

CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA

J. P.

Sæc. III.

C Haud *equidem novi Martyrologium ullum, quod hosce signet Sanctos, præter Romanum sic eosdem annuntians :* Cæsareæ in Cappadocia sanctorum Theodoti, Rufinæ, et Ammiæ : quorum duo prium sancti Mamantis martyris parentes fuerunt, quem Rufina in carcere peperit, et Ammia educavit. *Hunc sanctum Martyrem dedi* XVII *Augusti, tomo* III *ejusdem mensis, pag.* 423 *et sequentibus. Cum vero nihil occurrat aliunde circa parentes ejus, ac mulierem, quæ eum educasse dicebatur, quo lectorem utiliter detineam ; superest, ut eum mittam ad Commentarium ac qualiacumque Acta* S. Mamantis : *ubi inveniet, quæ hujus occasione sunt dicta de istis. Videatur itaque ibidem pag.* 424, 435, 436. *Locum* Cæsareæ in Cappadocia *signavi eum Martyrologio Romano, seu potius ab eodem signatum reliqui. Posui eos seculo* 3, *quia S. Mamantem signavi in dicto Commentario sub Aureliano, quod seculum etiam notat Castellanus.*



DE

A D

DE S. SYRO EPISCOPO PATAVINO

J. P.

Cultus, ac tempus mortis.

Sec. III.

Patavium, *de quo mentio facta ad diem* XIII *Junii pag.* 703 *in S. Antonio Patavino, adeo notum est, ut pluribus hic describi non debeat. Episcopalem ejus cathedram ornavit* S. Syrus. *Ferrarius Præsulem hunc refert in utroque suo Catalogo, et in eo, qui est Sanctorum Italiæ, illum sic laudat* : Syrus patria Patavinus, sanctitate clarus, nono loco Patavinam rexit ecclesiam, quo tempore Antoninus Caracalla in Christianos sævam persecutionem exercebat : in qua tamen sanctus Episcopus gregi sibi commisso nulla in re, ut poterat, defuit. Cumque ecclesiæ B Patavinæ annos XXIV præfuisset, denique prid. Kal. Septembris in pace quievit. Qui in pago sui nominis in agro Patavino templo sibi dicato venerationem habet. *Huc usque Ferrarius* ex monum., *prout addit*, ecclesiæ Patavinæ, et Bernardo Scardeonio lib. 2, classe 6 de Antiquitate urbis Patavinæ. *Similia fere de Sancto habet Ughellus tomo* 5 *Italiæ sacræ columna* 397, *ubi initium episcopatus ipsius affigit anno* 191, *præfuisse autem ait annis* XXIV. *Scardeonius loco citato pag.* 105, Obiit, *inquit*, anno salutis CCII. *Calculi isti chronologici non conveniunt. Quis veros suggerat? Duo isti auctores nihil referunt de dicta Caracallæ persecutione, quam tempori* S. Syri *perperam adaptat Ferrarius, quia imperator iste, tametsi aliunde malus, numquam tamen ullam persecutionem movit adversus Christianos. Vide Baronium tomo* 2 *Annalium ad annum* 214 : *diciturque in Indice ad eumdem tomum, quod* Antoninus Caracal. nihil mali molitus *fuerit* in Christianos, quod prope miraculum fuit existimatum. *Diem obitus signabat supra Ferrarius, non vero Scardeonius et Ughellus illum notant* : Quo autem in loco, *ait idem Scardeonius*, corpus ejus jaceat, hactenus ignoratur. Pagus *ille, de quo supra*, de ejus nomine hodie ab omnibus S. Syri Villa appellatur. *Posui eum seculo tertio, ad quod alii eum referebant.* E

DE S. CÆSIDIO PRESBYTERO MARTYRE EJUSQUE SOCIIS

TRANSAQUIS IN MARSIS.

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Locus exponitur, ubi antiqua veneratione gaudet Sanctus : Acta ejus fabulis conspersa : reliquiæ, et tempus mortis, quod incertum.

C F

Sub Maximino I, vel Maximiano. *Transaquis in regione Marsorum*

Marsi, *antiquus Italiæ populus, apud scriptores antiquos Romanæ historiæ noti sunt, quorum regionem nuperrime descripsit Franciscus Orlendius in Opere, cui titulus*, Orbis sacer et profanus illustratus, *part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 3. *Porro Marsorum provincia hodierno regno Neapolitano inclusa inter alia oppida Transaquas numerat, ubi celebri veneratione gaudet* S. Cæsidius *presbyter et martyr, cujus memoriæ consecrata est Transaquensis ecclesia. Laudatus Orlendius in Orbe sacro et profano part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 3, *num.* 12 *loci situm breviter sic describit* : Transaquæ oppidum est Marsorum, vulgo Transacco dictum, ad lacum Fucinum, ab Alba Marsorum 9 mill. pass., totidemque a Talequitio, et ab urbe Roma quadraginta distans. *Putat idem sedem episcopalem Marsorum Transaquis a S. Rufino, quem* S. Cæsidii *patrem multi credunt, fuisse constitutam : quod examinare non lubet, cum incertum sit et prorsus obscurum, ubi Marsorum episcopi olim resederint. Tradunt porro recentiores scriptores cum Actis apocryphis, quæ edemus infra, ecclesiam quamdam a S. Rufino episcopo in eodem oppido conditam, in quo* S. Cæsidius *deinde occisus dicitur et sepultus. Audi Ughellum tom.* I *Italiæ sacræ recusæ col.* 883 : Fama tenet primum Marsorum episcopum fuisse S. Rufinum, qui ex Amasea in Italiam descendit, ut Maximini rabiem devitaret, et hujus regionis renuntiatus fuit episcopus. Tradunt hunc in castello Transacco ecclesiam consecrasse, quam postea S. Rufini vocarunt, ibidemque cum tredecim sociis corpus S. Cæsidii ejusdem filii requiescere. Sub titulo abbatiæ ecclesia hæc collegiata est, omnium ecclesiarum hujus diœcesis splendidissima.

2 *Idem scriptor col.* 886, *ubi narraverat* S. Cæsidium *in eadem ecclesia, truncato primum brachio, fustibus cæsum esse, de sepultura ejus subdit sequentia* : Et Cæsidius quidem seorsum a sociis honorificentiori loculo, nullique alteri usque ad hæc nostra tempora pervio exceptus est, tamquam

antiqua veneratione gaudet S. Cæsidius martyr.

AUCTORE J. S.

A tamquam cujus sanctimonia vitæ celebrior haberetur. *Mutius Phœbonius, qui eidem ecclesiæ præerat abbatis titulo, in Historia Marsorum lib.* 3, *pag.* 150 *ait, ecclesiam illam B. Mariæ Virgini dedicatam fuisse a Rufino, et pag.* 152 *affirmat, destructam fuisse Hungarorum in Italiam incursionibus, sed nobiliorem atque ampliorem resurrexisse,* ac S. Cæsidii *memoriæ sacratam. Porro uti hæc antiquis non probantur monumentis, ideoque minus apparent certa : ita certum est, ecclesiam illam jam seculo* XI S. Cæsidio *sacram fuisse; id enim probant litteræ Berardi Marsorum comitis et Gemmæ ejus matris, qui anno* 1096 *multa donaverunt ecclesiæ* S. Cæsidii, quæ sita est in castro, quod dicitur Transaquæ. *Litteras hujus donationis recitat laudatus Ughellus col.* 891. *Hinc antiquum* S. Cæsidii *cultum apud Transaquenses satis probatum habemus, etiamsi ipsius memoria in antiquis Martyrologiis non occurrat.*

miraculorum gloria illustris Acta vero ecclesia Transaquensis,

3 *Martyrologium Romanum hac die* XXXI *Augusti memoriam* S. Cæsidii *presbyteri ejusque sociorum martyrum annuntiat in hunc modum :* Transaquis in Marsis ad lacum Fucinum natalis sanctorum martyrum Cæsidii presbyteri, et sociorum, qui in persecutione Maximini martyrio coronati sunt. *Ad hunc locum hæc observat Ba-*B *ronius :* De quo *(Cæsidio)* diximus supra tertio Idus Augusti, eum de Rufino episcopo actum est. Celebris est ejus memoria Transaquis apud Fucinum lacum, ubi et multis quotidie miraculis illustratur : inde enim maternum nos genus ducentes, res testatas atque expertas loquimur. *Accipe etiam, quæ notarat ad diem* XI *Augusti de Rufino ac* Cæsidio, *quem cum aliis illius vocat filium :* Legi, *inquit*, tam ejus *(Rufini)* quam S. Cæsidii ejus martyrii Acta ab eadem ecclesia *(Marsorum)* accepta; quæ tamen non levi indigent emendatione. *Id sane verissimum esse experior, si modo emendari possent Acta ecclesiæ Transaquensis, quæ Mss. præ manibus habeo.*

quæ de Rufino agunt et Cæsidio, fabulis sunt plena :

4 *Subdit Baronius :* Reperimus vero alia illis fideliora, sed imperfecta, nobis impartita ab ecclesia Pistoriensi, producta tantummodo usque ad C Rufini carcerem, in quem Romæ detrusus fuit. Cetera autem, quæ desiderabantur in primo exemplari, ab alio aliquo sunt superaddita, qui maluit ea suo ingenio ad finem perducere, quam relinquere imperfecta; quibus tradit Rufinum solutum vinculis quievisse in pace tertio Idus Februarii, Cæsidiumque filium absque martyrio decessisse sexto Idus Aprilis. Quibus quidem tum prædicta Acta, tum etiam vetus traditio prædictæ ecclesiæ, et antiqua monumenta contradicunt : quibus constat sanctum Rufinum una cum Silone et Alexandro apud Reate fuisse truncatum capite, tertio Idus Augusti, Cæsidium autem passum esse Transaquis, apud lacum Fucinum, pridie Kalend. Septemb. Viget ibidem utriusque Martyris religiosa memoria multis miraculis illustrata. *Hactenus Baronius.*

nec probatæ fidei sunt Acta imperfecta ecclesiæ Pistoriensis.

5 *Porro quod ait, Acta imperfecta ecclesiæ Pistoriensis* fideliora *esse, quam sint Acta Transaquensia, non ita intelligi potest, acsi Acta illa fidei essent omnino probatæ. Aut certe si id velit Baronius, ei assentiri nequeo. Habeo geminum apographum Actorum Pistoriensis ecclesiæ, quæ tantum perducuntur usque ad Romanum Rufini carcerem, ita ut dubium non videatur, quin eadem sint cum iis, quæ legit Baronius. Verum non ausim affirmare illa fidei esse satis certæ, cum in iis multa narrentur modo parum verisimili, et clarum sit illorum scriptorem non esse antiquum. Accipe titulum Actis istis præfixum, ex quo abunde patet non admodum vetusta esse :* De sancto Rufino episcopo, cujus corpus in cathedrali civitatis Pistoriensis requiescit, ex antiquis ejusdem ecclesiæ monumentis. *Etenim si ex antiquis monumentis Acta fuere conscripta, illa ipsa necessario ab ætate Sancti longe sunt remota. Itaque dicendum videtur, Acta Pistoriensia minus quidem aperte fabulosa esse quam Transaquensia; attamen certam fidem non mereri. Porro Acta Transaquensia notantur transcripta ex codice antiquissimo ecclesiæ Transaquensis, et majoribus nostris communicata fuerunt a Ferdinando Ughello, qui multa ex illis descripsit in S. Rufino Marsorum episcopo tom.* I *Italiæ sacræ. Multo longiora hæc sunt quam Pistoriensia, et aliorum etiam Martyrum cædem referunt, de quibus nihil in Pistoriensibus. Aliqua fortasse vera continent, sed tot figmentis sunt exornata, ut vera a falsis difficulter discerni possint.*

Acta, licet fabulosa, edenda, quia reliquiæ Sanctorum,

6 *Porro Sollerius ad diem* XI *Augusti de S. Rufino Marsorum episcopo disputavit, adeoque Acta, hæc edere potuisset, eum præcipue agant de S. Rufino. Verum maluit illa seponere in hunc diem, quod communia essent* S. Cæsidio, *de quo* E *hic erat agendum. Gemina igitur de causa judicavi expedire, ut Acta ista, licet fabulis inquinata, hic ederem. Primum ut appareat eruditis, quo nitantur fundamento, quæ de Rufino et* Cæsidio *liberaliter narrant neoterici. Deinde vel maxime, quia reliquiæ Sanctorum, de quibus in Actis fit mentio, servari dicuntur in ecclesia Transaquensi* S. Cæsidio *sacra. De reliquiis autem istis Mutius Phœbonius lib.* 3 *Historiæ Marsorum pag.* 152 *habet sequentia :* Sanctorum Martyrum reliquiis, qui ibidem a Maximini ministris coronari meruerunt, venerabilis *(est ecclesia Transaquensis* S. Cæsidii) quarum major pars in lipsanotheca in cappella ad fornicem in cornu Epistolæ, in effigiatis ligneis uniuscujusque Martyris capitibus, auro argentoque linitis, inter quæ tantum ærea argento dealbata sancti Ruphini episcopi et S. Eutichii capita, illorumque non parvam partem ossium continentia, et ipsius sancti Cæsidii in theca argentea brachium, quod mira odoris fragrantia redolet, inclusa servantur. F

de quibus in illis agitur, servantur in ecclesia Transaquensi :

7 Et sunt aliqua ex illius corpore fragmenta, quæ Alexander abbas anno MDXXV in lignea statua, quam martyri Cesidio cum sacello, ex inciso lapide, auro adumbrato, in aula ad cornu Euangelii sacravit reclusitque. Reliqua tum corporis ipsius, tum aliorum ibidem quiescentium (quorum nec nomina adhuc innotuerunt) nondum Omnipotens permisit publicæ venerationi prodi. *Ughellus tom.* I *Italiæ sacræ recusæ col.* 887 *de iisdem reliquiis hæc memorat :* In ecclesia autem Transaquensi spinale os cum capite sancti Andreæ proconsulis, reliquiisque SS. Niceæ et Aquilinæ martyrum, capitibusque SS. Silonis et Alexandri martyrum honorifice asservantur. Traduntque S. Cæsidium decisum sibi brachium suis ipse manibus in altari ejusdem ecclesiæ condidisse, cedente petra, ut asservandum reciperet. Dirutum altare postea est, cum ecclesiam illam reparare aggrederentur, tametsi usque ad hæc nostra tempora tam grande miraculum haud exciderit mortalibus. Sub majori altari reliquiæ inventæ sunt SS. Vibii, Placidi, Eutychii, aliorumque S. Cæsidii sociorum. *De omnibus autem hic memoratis Martyribus agitur in Actis Transaquensibus, imo et de aliis quibusdam.*

8 *Porro*

AUCTORE J. S. passus est Cæsidius cum aliis sub Maximino I, vel Maximiano.

8 *Porro antequam edamus Martyrum istorum Acta memorata, inquirendum videtur, sub quo imperatore fuerint martyrio coronati. Acta Transaquensia constanter nominant* Maximinum *imperatorem, indeque plurimi dixerunt sub Maximino passos esse hosce Martyres. Hinc infert Tillemontius tom.* 1 *Monument. eccl. in Persecutione Maximini I art.* 2 *rem contigisse sub Maximino I, cum Maximinus II in Italia numquam sit dominatus. In hac sententia martyrium figi debet circa annum* 236. *Acta Pistoriensia* Maximianum *imperatorem designant, nisi incuria transcribentium id sit factum, et legendum sit* Maximinus, *sicut in apographis vox aliquando scribitur et legisse videtur Baronius: nam Acta Pistoriensia ceteris prætulit, et mártyrium tamen sub Maximino collocavit. Verum, si quid fidei Acta etiam Pistoriensia mereantur, dicendum necessario est Martyres non esse passos sub Maximino, sed sub Maximiano. Quippe imperator Romæ fuisse dicitur, eoque ad ipsum perductus Rufinus episcopus. At vero Maximinus imperii sui tempore Romæ numquam fuit, ac ne in Italia quidem, nisi in* B *fine vitæ prope. Aquileiam, ubi a militibus occisus est, dum Italiam rebellantem volebat subigere. Itaque si Actis standum esset, collocandum foret martyrium sub imperio Maximiani. Verum cum Acta etiam Pistoriensia indubitatam fidem non mereantur, dubie sub* Maximino *vel* Maximiano *mortem sanctorum Martyrum figere malui. Nunc Acta qualiacumque accipe; ad quæ suis locis observabimus, quæ supersunt dicenda, et exponenda. Porro pro S. Rufino, de quo Acta præcipue tractant, videri etiam possunt, quæ ad* XI *Augusti disputavit Sollerius.*

ACTA

FABULOSA

Auctore anonymo

ex vetusto codice Transaquensi.

C

CAPUT I.

Capti SS. Rufinus et Cæsidius, ac fidem professi cæduntur: immissæ ad eos pervertendos in carcerem Nicea et Aquilina convertuntur: ac dein Alexander et Silon milites.

Mota persecutione, dum Andreas proconsul erat Amasiæ, a

Triumphales Martyrum laudes, et victrices trophæos sanctorum Ruphini, atque Cæsidii et Sociorum ad gloriam Domini nostri Jesu Christi omnibus fidelibus scribere censuimus. Qui impiissimi Maximiui *a* imperatoris temporibus, sanguinem suum fundentes pro Christi nomine, adepti sunt perennis gloriæ palmam, et laudabilis victoriæ coronas. Ea namque tempestate facta est ingens persecutio Christianorum, et hac lege diffinitum est: quod siquis Christicola non offerret diis libamina, sine audientia capitalem D subiret sententiam. Unde factum est, ut beatus Ruphinus et Cæsidius, collecta Christianorum multitudine, non longe civitate Amasiæ *b* inter latebras petrarum sese latendo absconderent, et diebus et noctibus in vigiliis et orationibus artius vacando insisterent. In eadem civitate erat proconsul nomine Andreas *c*, qui imperatoria ditione hoc fungebatur officio, et infestissimus erat nomini Christiano: qui, ut leo rugiens circuit quærens quem devoret, sic circa Sanctorum frendens ovilia meditabatur, qualiter Sanctorum corpora sub ipsius laniatibus interirent, et variis cruciatibus fatigata perirent. b c

ei sistuntur Rufinus ac Cæsidius, et fidem

2 Et quia lux nequit latere in tenebris, contigit quadam die, ut beatus Ruphinus et Cæsidius a paganis tenerentur, et proconsuli Andreæ præsentarentur: quibus procousul dixit: Relatum est nobis, vos esse imbutos artibus magicis, et nolentes flectere colla diis omnipotentibus. Per salutem Maximini imperatoris, et per magnificentiam et clementiam Dei Apollinis, si eorum nomina contemnendo spreveritis, et turifera sacrificia non obtuleritis, omnia tormentorum genera vestra experientur corpora, et diversis passionibus a vobis hujus vitæ auferentur gaudia. E Beatissimi Ruphiuus et Cæsidius respondentes, dixerunt: Nos præstigiis maleficæ artis nullo modo sumus educati; sed ab ipsis cunabulis verissimi Christiani, credimus Deum Creatorem omnium rerum, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ab utroque procedentem, et confitemur verum Deum unum in Trinitate, et Trinitatem in unitate: et confitendo veneramur Filium Dei unigenitum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, quæ virgo fuit ante partum, et virgo extitit post partum.

libere profitentur

3 Dixit itaque proconsul: Quomodo vos dicitis Virginem ante partum fuisse, et post partum Virginem permansisse? Beati Ruphinus et Cæsidius dixerunt: Videns Deus Pater, quod totus mundus perierat, misertus est humano generi: misit Filium suum in terris, introivit in uterum Virginis, nobis ut appareret visibilis, indutus carne humana sine peccati semine, et exivit per clausam portam, per quam Ezechiel propheta vidit in somnis Deum ante secula procedentem pro salute mundi: et iterum erat clausa, demonstrans Virginem, quæ permansit Virgo post partum: F nam in præsepio positus ab angelo est anuuntiatus, a pastoribus est demonstratus, et a magis adoratus, et cum hominibus triginta annos est conversatus, et in multis miraculorum signis ostensus est verus Deus. Primum iu Chana Galileæ de aqua vinum fecit: puerum centurionis a febribus eripuit, et archisynagogi filiam, et juvenem extra portam delatum resuscitavit, et Lazarum jam quatriduanum de monumento evocavit. Postremo vero post miraculorum signa multa mortis pertulit exitium, quo a nobis tolleret mortis imperium.

et minas contemnunt:

4 Dum hæc et alia multa constanti pectore proferrent, proconsul respondit: Jam ambages vestrorum verborum cessent, et iucunctanter monita nostra accipite, et deos nostros non blasphemando sed sacrificando ad salutem vestram inflectite. Sin autem, faciam vos iu tormentis deficere. Sancti Martyres respondentes, dixerunt: Per virtutem Domini nostri Jesu Christi minas tuas non pertimescimus; quia miuæ tuæ hodie exardescunt, et cras evanescunt, et ideo quidquid vis, in suppliciis excogita, quia præceptis

A ptis tuis obtemperare parvipendimus, et idolorum culturam pro nihilo ducimus.

casi graviter includuntur carceri. 5 Tunc proconsul his verbis nimium commotus, jussit suis satellibus, ut ora amborum cum lapidibus contunderent: qui statim ministri diaboli cœperunt ora eorum contundere: et inter ipsa tormenta sic clara voce dicebant: Christe Deus clemens, disrumpe vincula mortis, ut tibi devota dicamus cantica laudis. Sancti vero Martyres incolumes persistebant, ut ita cæsi minime deficerent. Jussit autem proconsul claudere eos in privata custodia, donec excogitaret, qualibus tormentis, vel blandis suasionibus posset eos revocare ad culturam deorum suorum.

Duæ meretrices in carcerem missæ, ut tentarent Sanctos. 6 Erant autem in ipsa civitate duæ mulieres turpissimæ, quæ ita magica arte erant edoctæ, ut mentes hominum a suo proposito valerent avertere: quas suo conspectui proconsul jussit præsentari, et talibus dictis animos earum allicere: Si vestris dulcissimis suasionibus quiveritis Ruphinum et Cæsidium ad culturam deorum impellere, vos magnæ super terram eritis et ditissimæ, B et a me infinitum pondus auri et argenti recipietis plenissime. Tunc Nicea et Aquilina *d* deceptæ proconsulis promissionibus quærunt satisfacere ejus pestiferæ exhortationi: intrantes autem carcerem, ubi Sancti Dei inclusi detinebantur, tanti odoris fragrantia sunt refectæ, ut omnis balsami illic suavitas videretur adesse: quam tanti splendoris plenitudo secuta est, ut pro nimietate tantæ claritudinis in terram corruerent, ut per dimidiam fere horam surgere nequirent. Accedentes autem beatissimi Martyres, Surgite, inquiunt, sorores, nolite timere. Illæ autem surgentes continuo, et nimio stupore correptæ, stabant nihil dicentes. Sancti vero Ruphinus et Cæsidius interrogantes eas, Unde, inquiunt, estis? Illæ autem respondentes, dixerunt: Ancillæ vestræ mulieres hujus civitatis sumus: misitque nos proconsul, ut illecebris et admonitionibus hortemur vos, quatenus consensum animi vestri ad votum ejus inclinaremus.

ab eis convertuntur, 7 Petimus itaque, ut faciatis nos participes vitæ æternæ. Nos enim confitemur ipsum esse Deum omnipotentem, cujus lumine illuminatæ sumus, cujus gratia factæ sumus salvæ, qui vocavit nos de tenebris ignorantiæ in suum lumen C admirabile. Audientes Christi Martyres verba Niceæ et Aquilinæ, hanc orationem fuderunt ad Dominum pro earum ignorantia: Deus omnipotens, Creator omnium rerum, inspira in eis spirationem vitæ æternæ, et fundamentum veræ fidei corrobora in eis, ut te cognoscant, te laudent, teque adorent et te glorificent: quia tu es Deus benedictus in secula seculorum. Amen. Et conversus beatus Ruphinus ad mulieres, Quæ sunt, inquit, nomina vobis? Quarum una ait: Altera ex nobis Nicea vocatur, altera Aquilina, et hactenus deditæ fuimus idolorum cultibus, et meretricandi voluptatibus. Sanctus Cæsidius ait: Vultis verum lumen, corpus illuminans et animas, percipere? Utræque autem hæc audientes, Nos, inquiunt, nihil terrenum, nihil carnale cupimus, nisi Christum, in quem creditis vos, Ministri ejus. Per ipsum vos deprecamur, ne differatis nos illuminare per lavacrum regenerationis æternæ.

quæ baptizatæ revertuntur ad proconsulem, et fidem profitentur. 8 Tunc beatus Ruphinus et Cæsidius jusserunt afferri aquam, et fontem sacri lavacri benedicentes, utrasque unda sacri baptismatis consecrarunt, et docentes eas omnia, quæ sunt vitæ æternæ, hæc monita salutis dederunt: Vos ergo famulæ Christi, cum steteritis ante reges, et in conspectu principum, nolite pavendo cogitare, qualiter respondeatis; Dabitur enim vobis, dicit Dominus, in illa hora quid loquamini. Et continuo regressæ ad proconsulem, steterunt in conspectu ejus, quas ut proconsul vidit, his sermonibus affatus est eas: Num rebelles deorum consentient diis nostris offerre placita munera? Responderunt Nicea et Aquilina: Qua audacia talem blasphemiam præsumis ore proferre, ut dicatis deos idola manu facta, et adscribas deitatem ligno et lapidi? Non legistis dicentem David? Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum, similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis. Proconsul respondit: Ut video, seductæ estis per maleficia Ruphini et Cæsidii. Responderunt famulæ Christi: Non sumus seductæ, sed reductæ ad fidem veram, et ad lucem inextinguibilem, quæ illuminat omnes homines, qui quærunt vitam æternam. *A. Anonymo.*

ab illis mulieribus convertuntur duo milites, 9 Hæc et his similia illis dicentibus, duo ex militibus Silon et Alexander prorumpentes in vocem, dixerunt: Ergo est alia vita præter istam? Famulæ Christi dixerunt: Ergo ista, qua vivitur, vita est? Quam humores corrumpunt et dissolvunt, tristitiæ consumunt, escæ inflant, jejunia macerant, sollicitudo coarctat, securitas E hebetat. Hæc vita suos amatores fallere non trepidat, edacitatem gulosis præparat, ebrietatem temulentis ingerere festinat: qui istam vitam amplecti desiderat, post dissolutionem caduci corporis ad interitum sine fine perducit. In illa etenim vita numquam esurire permittitur, non sitire, non languescere, nec ullas angustias habere: sed ibi jugiter sonant Sanctorum organa, ibi cinnamomum et balsamum dant virgulta odorifera, ibi angelicus cœtus ante tronum Dei nova depromunt cantica, et adorant viventem in secula. Dum hæc et alia multa Famulæ Christi dicerent, præfati milites Silon et Alexander clara voce dixerunt: Unus est Deus Christianorum, quem istæ ejus Famulæ prædicant: ipsum adoramus et laudamus, qui tanta et talia suis cultoribus præstat beneficia: et confestim miserunt se ad pedes earum, et osculabantur genua earum: et orantes dicebant: Per illum vos adjuramus, in quem F creditis, ut nobis insinuetis, quo ordine purificatæ estis a sordibus idolorum. Tunc Nicea et Aquilina omnem testis * superioris ordinem recensentes, et qualiter consecutæ sunt per beatos Martyres baptismatis mysterium, seriatim curaverunt exponere. ** f. gesti vel rei*

quos S. Rufinus baptizat. 10 His auditis Silon et Alexander concurrerunt ad carcerem, et jactantes se ad pedes sanctorum Ruphini et Cæsidii, clara voce dicebant: Sanctissimi ac beatissimi Christi Martyres, obsecrantes vos precamur emundari fonte baptismatis, et renovari imaginem interioris hominis, et sicuti illuminatæ sunt Nicea et Aquilina, et salvæ factæ sunt unda sanctæ generationis, sic et nos purificari per vos cupimus, et carere idolorum sordibus, et credere in Deum, quem prædicatis vos, famuli Christi. Beatissimi vero Martyres respondentes, dixerunt: Si creditis in Deum Patrem omnipotentem et Jesum Christum Filium ejus unigenitum, et Dominum nostrum natum et passum, et in Spiritum Sanctum, omne, quod petitis, procul dubio merebimini impetrare. Illi autem dixerunt: Jam semel vobis diximus, quia in Christum perfecte credimus, et tantum baptizari volumus, quo purgemur peccatorum fæcibus.

Eadem

A. ANONYMO

Eadem quippe hora jussit beatus Ruphinus venire aquam, et benedicens eam, baptizavit eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et confirmavit eos in fide Christi.

ANNOTATA.

a *Incertum esse, an sub Maximino an vero Maximiano passi sint Sancti, diximus in Comm. num.* 8.

b *De hoc loco Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis tom.* I *sic ratiocinatur :* Hujus nominis duæ esse civitates narrantur ; Amasia scilicet in postrema parte Phrygiæ prope flumen Albim, quod olim Romani imperii terminus, pertinetque ad Germanos, illamque mediam abluit Amasius flumen, unde nomen traxit, hodieque MARPURG vulgo appellant, cujus Abrahamus Ortelius meminit in sua Geographia. *Non pauci hic errores. Etenim* Amasia *quidem, seu* Amasia *oppidum in extrema* Frisia, *(non* Phrygia) *fuit ad flumen Amisiam (aliis Amasium vel Amisium, nunc vulgo* Embs *dictum ;) verum Amisia cum* B *oppidum tum flumen, totaque Frisia longe distat ab Albi flumine, longe etiam a Marpurgo Hassiæ oppido non ignobili, ita ut Marpurgum esse nequeat, si ad flumen Amasium in extrema Frisia fuerit situm, ut satis videtur colligi ex Tacito lib* 2, *cap.* 8, *ubi ait :* Classis *(Romanorum)* Amisiæ relicta ; *locus enim aliquis seu oppidum designatur ad flumen Amisiam, cum ante narrasset classem per oceanum provectam fuisse ad flumen Amisiam. Porro præcedentibus subdit Ughellus :* Altera Amasia Cappadocum jurisdictio est, patriaque Strabonis, ut ipsemet testatur in lib. XII. *Hæc Amasia celebris fuit et archiepiscopalis civitas, et hodie sub Turcarum potestate est, a quibus* Amnesan *vocatur. Vix animum induco, ut credam ex utravis hac urbe oriundum fuisse S. Rufinum, quia nulla est horum Actorum auctoritas. At si constaret natum fuisse in alterutra, id omnino credendum esset de Amasia Ponti seu Cappadociæ, cum fides iis temporibus promulgata necdum esset in Frisia. Nititur quidem Ughellus Amasiæ (quam* Phrygiæ metropolim *perperam vocat, cum oppidum fuerit vix hodie* C *notum in Frisia) honorem istum vindicare. Sed rationes, quas affert, parum sunt efficaces, et partim erroneæ.*

c *De hoc Andrea proconsule alibi nihil invenio nisi quod de reliquiis ejus Transaquis diximus ex Ughello. Quæ vero hic narrantur de ejus conversione et martyrio, ridicule conficta sunt.*

d *In Actis S. Christophori eodem fere modo inducuntur* Nicæa *et* Aquilina *meretrices, in carcerem missæ, ut S. Christophorum tentarent, a quo convertuntur. Vide Acta illa hisce nihilo meliora ad* XXV *Julii, et ea, quæ de SS.* Niceta *vel* Nicea *et* Aquilina *disputata sunt ad* XXIV *ejusdem mensis. Videtur auctor horum Actorum multos Sanctos, qui, diversis temporibus et locis passi sunt, conjungere voluisse, quod eorum reliquiæ quædam Transaquis serventur. Certe nullam merentur fidem, quæ de hisce subjunguntur.*

D

CAPUT II.

Martyrium Niceæ et Aquilinæ : conversio Proconsulis, et fuga hujus et aliorum in Marsorum provinciam.

Ipsa quoque die perrexerunt ad proconsulem, et dixerunt : Audi, proconsul, et pro certo scias, quia Christiani sumus, et ulterius idolis manufactis non serviemus. Tunc proconsul furore correptus, jussit ad se adduci Niceam et Aquilinam, et dixit eis : Ecce mentes hominum immutatis magicæ artis studiis, et doc[e]ndo superstitiosam sectam a cultura deorum abstrahitis ; unum ergo e duobus eligite, aut propriis manibus deorum sacrificia perficite, aut diversis et acerrimis tormentis carnes vestras subjicite, quia E pro deorum defensione, et statu reipublicæ faciam vos sub omni turpitudine deficere. Sanctæ Dei Famulæ dixerunt : Tormenta tua, pro quibus nos putas ad consensum tuum inflectere, omni modo contemnimus, et minas tuas intrepido animo respuimus, quia te expectat æternus interitus. Proconsul itaque dolens a mulieribus illudi, jussit eas expoliari, et diutius ante suum conspectum cædi : et tam diu fecit eas verberibus fatigari, quamdiu in membris earum nullum appareret vestigium sanitatis.

Caeduntur Nicea et Aquilina

12 Alia autem die productæ sunt ante conspectum proconsulis, et ita incolumes perstiterunt salute corporis, ac si in earum membris non fuisset manus percutientis. Dixit eis proconsul : Ut video, confisæ maleficiis vestris minas contemnitis, et omnes cruciatus evaditis. Tunc dedit in eas sententiam, dicens : Niceam et Aquilinam non consentientes monitis nostris, et nolentes sacrificare diis, jubemus capite puniri. Milites autem, data sententia, duxerunt eas foras muros civitatis Amasiæ non longe uno milliaro. A carnificibus decollatæ cum martyrii palma perveuerunt ad ætherea regna *a*. F

et capite minuuntur

13 Et alia die proconsul sedens pro tribunali, sibi præsentari fecit Silonem et Alexandrum, et talibus verbis collocutus est eis : Ut quid, cari milites, in tantam corruistis dementiam, ut immortales negligatis deos, et optetis cruciatus corporeos? Animadvertite ergo, et diligentius prospicite, et meos sermones auribus percipite, ut adoretis propitiatores deos, et solitis servitiis placate eos. Scitote ergo vos atrocissimis pœnis crudeliter succumbere, et tandem capitali sententia vitam amittere, si renueritis diis genua flectere, et sacrificiis et libaminibus assiduis insistere. Respondentes Milites Christi : Audi, Proconsul, si tibi videtur rectum et congruum experiri divinitatem vestrorum deorum, mitte tuos satellites per circuitum civitatis, ut tuo jussu omnis civitas congregetur ad istud spectaculum, et fac tibi in medio omnium aliquem deferri paralyticum, et nominatim dii tui a philosophis invocentur super delatum paralyticum : si ad invocationem nominum deorum vestrorum sospitatis fuerit reditus, dignum est ut adorentur ab hominibus : et si hoc nequiverint perficere, et ad invocationem Domini nostri Jesu Christi æger convaluerit

a Silon et Alexander minis frustra tentati.

A convaluerit, et surget; tale est ut relictis erroribus verissimæ Deitatis existas cultor verissimus.

miraculo ipsum convertunt proconsulem,

14 Tunc proconsul et populus unanimes his consenserunt assertionibus, et jusserunt in foro civitatis deduci paraliticum : et tota civitas ad istud ruit spectaculum. Præcepit ergo proconsul suis philosophis nominatim deorum suorum exprimere vocabula, ut præsenti ægroto in oculis omnium sanitatis afferrent remedia; quatenus per hoc appareret falsa aut verissima lenitatis eorum experientia. Præfati ergo philosophi parentes dictis proconsulis, nomina eorum deorum falsorum invocabant nominibus singulis. Verum nec deitas Jovis suis coruscationibus, nec Apollo suis auguriis et carminibus, nec sol suis splendoribus et luminibus, valuerunt sanitatis conferre præsidium ægroto. Tunc proconsul ira accensus, et rubore perfusus, dixit : Silon et Alexander præsentem propositionem nunc perficiant, et astanti paralitico salutis subsidia Dei sui invocatione, nobis cernentibus, conferant. Ad istam præceptionem Christi Milites perrexerunt ad pheretrum, et prostrati solo hanc orationem fuderunt ad Dominum.

B Rex immense Deus, tellus quem pontus adorant,
Da nobis famulis, quæ pura mente precamur :
Auxilium misero sanitatis confer ægroto,
Omnibus ut pateat Deum te fore salutis,
Poscimus ecce, tibi uotis succurre misellis,
Quatenus hi credant præsentes te omnia posse,
Qui sine fine gubernas secula cuncta per ævum.

Tunc dixerunt paralitico : Surge in Christi nomine, et pedibus tuis domum tuam revertere, et collauda Dei filium omnium rerum conditorem, qui te ex limo ad suam formavit imaginem. Eadem hora surrexit paraliticus, et ad domum suam suis rediit pedibus, magnificando omnipotentem Deum laudabilibus vocibus.

qui etiam a Rufino baptizatur :

15 Proconsul autem, viso hoc miraculo, de loco, in quo sedebat, surrexit continuo, et ad carcerem festinans cursu præcipiti, quo clausi detinebantur Martyres beatissimi, advolvens se eorum sanctissimis genibus, in assiduis utebatur deprecationibus : Oro vos, Athletæ Christi victoriosissimi, ut meis petitionibus annuere dignemini, quatenus, sicuti illuminati sunt Silon et Ale- C xander per vestræ exhortationis monita, sic mereatur illuminari cæcitatis meæ ignorantia, quia hodie procul dubio agnovi lumen verum et incommutabile, quod illuminat omnem hominem venientem in corpore. Respondentes beatus Ruphiuus et Cæsidius, dixerunt : Si credideris ex toto corde tuo, illuminari poteris corde et animo. Respondit proconsul : Ego credo in Deum sine dubio, quem vos prædicatis verbo salutifero, et ad certissimam agnitionem ejus properare desidero. Tunc beatus Ruphiuus et Cæsidius se in terram prostraverunt, et hanc orationem ad Dominum fuderunt : Ave, Rex Christe, Deus gloriosissime, menti hujus proconsulis infunde amorem vitæ perpetuæ, ut, renunciatis cultibus idolatricis, omnipotentia Deitatis tuæ per ipsum manifestetur ceteris incredulis, et cognoscant te Creatorem suum proprium, qui sine fine regnas in perpetuum. Eadem hora allata est aqua, et benedicens eam, dixit proconsuli : Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ? Respondit proconsul, Credo. Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum ex Maria Virgine? Respondit : Credo. Et in Spiritum sanctum, procedentem a Patre et Filio? Et, respondente eo, Credo, baptizavit eum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et dum elevaretur de aqua, cœpit dicere voce clara : Unus est Deus Christianorum in cœlo et in terra. A. Anonymo.

proconsul fidem professus coram populo, abdicato munere, cum aliis fugit ad Marsos.

16 Sequenti namque die proconsul reversus ad palatium, præcepit omnem populum convenire ad publicum spectaculum, et facta concione, allocutus est tali sermone : Clari commilitones, attentius verba mea auribus percipite. Scitote ergo certissime arripuisse me Christianitatis dogma, et Christum Dei Filium omnibus modis colere fide verissima, et ulterius non accedere ad idolorum sacrificia. Ideo vestras legationes ad vestrum imperatorem mittite, et hæc auribus illius intimare satagite, ut officii sui procuratores ad has partes dirigat, qui suæ præceptionis monita custodiant; quia deinceps mei obsequii solatium habere non poterit : quia habeo corporis et animæ verum et perpetuum Dominum. Nam ego cognovi omnipotentem Regem regum omnium, qui propria ditione æternaliter gubernat omne seculum, cujus imperium est in æternum. Audiens autem populus talia, maxima accensus est furia, et arde- E scens in ira, misit per totam civitatem inquisitores, qui servos Dei Ruphiuum et Cæsidium comprehenderent et vivos flammis exurerent. Christi autem Milites timore perterriti, in corpoream fugam lapsi sunt continuo : et ad Marsorum partes confugientes, in loco, qui Transaquæ dicitur, latitantes, ibi ecclesiam cœperunt construere, et laudibus et canticis spiritualibus die ac nocte insistere et Deo omnipotenti sacrificium et oblationes offerre assidue *b*. b

ANNOTATA.

a *Quæ hactenus relata sunt de Nicea et Aquilina, brevius sic expressit Ughellus loco ante assignato :* Niceæ et Aquilinæ meretricum ac sagarum machinas et fraudes admovit (Andreas proconsul) expugnaturus martyrum tolerantiam. Sed vix intraverant carcerem, cum cælestis odoris afflatu luceque perfusæ, positis illecebrarum armis, vinctis ipsis deditionem fecerunt : a quibus fidei edoctæ mysteria, etiam sacro baptismate lustratæ sunt. *Relataque eodem modo conversione* F *militum,* Quod... *inquit,* adeo pupugit proconsulem, ut ira percitus Niceam et Aquilinam minis adigeret ad sacrificandum, renuentes verberibus dilaniaret, divinitus pristinæ redditas sanitati, Amaseæ capite mulctaret. *Sic et alia exprimit compendio Ughellus. Sed, licet ejus relatio concinnior sit et brevior, plus fidei mereri nequit, quam Acta ipsa, quæ secutus est.*

b *Qui consideraverit, quo modo omnes illæ conversiones ac demum fuga ex urbe Amasia ad regionem Marsorum narratæ sint, facile videbit, mera esse figmenta hominis, qui ne quidem noverat vel personis vel rebus vel locis convenientia fingere, ita ut vehementer mirer, hujusmodi nugas Ughello placere potuisse.*



CAPUT III.

Capiuntur Sancti et Romam ducuntur, excepto Cæsidio, qui sponte venit ad carcerem, sed Rufini consilio recedit : Andreæ proconsulis martyrium.

Delati apud imperatorem, ejus jussu capiuntur et Romam ducuntur :

Populus civitatis Amasiæ ad imperatorem celeriter cursores studuerunt dirigere, qui proconsulis delationem deferrent, et malignis accusationibus Sanctos Dei culparent, et talibus alloquiis contra beatissimos Dei Famulos imperatoris iram inflammarent : Sit cognitum piissimæ tuæ clementiæ, quod proconsul Andreas noviter recedendo a proconsulatus officio parvipendit cingulum tuæ militiæ, et sequendo monita virorum B Ruphini et Cæsidii, sprevit deorum nostrorum sacrificia, factusque est verissimus Christicola : et cum aliis Christianis in Marsia degit provincia. Audiens autem hæc imperator nequissimus, congregatis plurimis militibus, præcepit apparitoribus, ut ad Transaquanas partes proficiscerentur quam citius. Venientes itaque milites imperatoris in Transaquanam terram, illico ingressi sunt ecclesiam, ubi beatissimi Martyres Deo offerebant sacrificia pro seculi indulgentia. Comprehendentes autem sanctum Ruphinum cum ceteris martyribus Romam perduxerunt, et nunciantes imperatori, ejus conspectui detulerunt : inter quos Andream proconsulem statuerunt.

interrogatus ab imperatore Andreas,

18 Quem imperator dulcifluis sermonibus ejus cupiens allicere animum, tale protulit interrogationis exordium : Proconsul carissime, quæ vesania exorta est in tuo pectore, ut venerationem deorum relinqueres, et Christianitatis vocabulum usurpares? Noli ergo te tantæ dementiæ errori succumbere, ut cæcatus tenebris ignorantiæ amittas florem mundanæ lætitiæ. Ad hæc Andreas Christi athleta nobilis : Hactenus fui in C tenebris infidelitatis involutus, sed arripiens veræ lucis tramitem, jam incipio hujus seculi decutere caliginem, et aspicere lucem inextinguibilem. Imperator respondit : Qua ratione ista prosequeris, et coram me pandere non vereris? Andreas respondit : Hucusque fui in tenebris erroris perfidiæ, necdum carere valui, quia idola surda et muta adoravi : et Deum omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt, ignoravi : sed quia cognovi veritatem, penitus amisi interioris hominis cæcitatem.

minisque et promissionibus incassum tentatus,

19 Dic mihi, inquit imperator, Andrea, quibus seductoribus vel doctoribus didicisti deos nostros spernere, et nescio quem Deum cœpisti venerando excolere? Si ergo præbueris assensum præceptis imperialibus, ut offeras grata libamina diis immortalibus, ditabo te magnis et præcipuis muneribus et honoribus, ut fruaris hujus vitæ gaudiis cum bonis omnibus : sin alias, diversa pro contemptu deorum patieris supplicia, et tandem pœnaliter amittes gaudia vitæ. Ad hæc Miles Christi intrepido animo, Juxta, inquit, tuæ interrogationis principium accipe meæ responsionis eloquium. Percunctatus et citius magisterio edoctus sum relinquere tenebras erroris et anfractus suggestionis, et figere gressum in rectitudinis statum. D En, hic est magister meus verissimus, cujus hortatu et instructione exutus sum perfidiæ tenebras, et ad agnitionem perductus sum veri luminis.

uti et alii deinde : concluduntur carcere.

20 Tunc imperator dixit : Dic nobis ejus officium et vocabulum, et quæ regio misit illos ad nostrum conspectum. Miles Christi Andreas respondit : si vis scire ejus officium, cognosce ipsum esse episcopum et Ruphinum ejus vocabulum, et Amasiæ civitatis civem esse idoneum. Duo autem isti, qui tuo conspectui videntur assistere, Silon et Alexander vocantur nomine, qui una nobiscum funguntur Christianitatis nomine, atque renati sunt sacri fontis baptismate. Imperator dixit illis : Acquiescite consiliis meis, et adorando deos sacrificia exhibete eis, et præclari atque famosissimi in omni ditione mea eritis. Responderunt ergo beatissimi Martyres : Nos adoramus Deum omnipotentem, qui verbo suo cuncta creavit ex nihilo, cujus Majestas nec incipit nec desinit in seculum. Ipsum quotidie colimus et adoramus, et sacrificium laudis ei offerimus : alium autem Deum præter ipsum respuimus, E cujus virtute ex auxilio omnia tormentorum genera velut lutum platearum contemnimus. Tunc imperator ira commotus, præcepit eos retrudi in carcere, quousque excogitaret, quibus pœnis eos affligeret, et quo cruciatu debitum mortis exciperent. Ministri autem iniquitatis obtemperantes præceptis tyranni, miserunt eos in carcerem vinctos ferro.

S. Cæsidius fuga primum elapsus accedit ad carcerem,

21 Sed Cæsidius filius beati Ruphini in ipsa die comprehensionis beatorum Martyrum in Transaquinis finibus fugam iniit per montem, in quo ecclesia sua erat, ubi beatus Ruphinus incessanter orationum excubias persolvebat. Postera autem die in se reversus, ingemiscendo dixit talia : Vivit Deus, quia non bene operatus sum beatissimum Patrem mortis formidine territus relinquere, et martyrii palmam amittere : et flens et ejulans pervenit Romam, quo beatus Ruphinus cum præfatis martyribus clausus detinebatur in carcere, et tandem festinans abiit ad carcerem, et introgressus cecidit in faciem ante pedes beatissimi Ruphini, et amplexatis ejus genibus, veniam precabatur. F

sed Patris consilio redit ad Marsos.

22 Cui beatissimus Pater, Revertere, inquit, Fili, ad locum, quem sacravimus et quotidianas oblationes offer omnipotenti Domino, donec per triumphum martyrii atria possis adire ætherei cœli. Respondens Cæsidius, dixit : Cur moras martyrii patior, et non profiteor me publica voce Christianum? Beatus Ruphinus respondit : Tempus tuæ vocationis nondum advenit, et interim incensum tuarum orationum assidue dirigatur ad Dominum, quousque per passionis trophæum acquiras regni cælestis bravium. Beatus autem Cæsidius confortatus monitis beatissimi Patris, rediit domum, et in ecclesia, quam sanctus Ruphinus consecraverat, jugiter permanens, vigiliis et orationibus solitæ servitutis pensum non cessabat omnipotenti Domino reddere *a*. a

Andreæ proconsulis martyrium.

23 Transactis vero quindecim dierum spaciis, jussit Maximinus imperator Andream suo conspectui præsentari, et talibus exhortationibus dixit ad eum : Audi me, Andrea, tempus est, ut tuæ vanissimæ religionis instituta deseras; et invictissimo Deo soli adorando venerabilia sacrificia exhibeas; ut amplificatus et divitiis cumulatus, excelsior omnibus factus proconsulatus insulam *b* recipias, et jura magnorum post me obtineas. b

A neas. Miles Christi Andreas respondit: Quid prodest, o imperator, hujus seculi honorifica lucra captare, et parvo intervallo, morte interveniente, ad perpetuos cruciatus festinare? Animadverte Dominum dicentem in Euangelio: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, et detrimentum animæ suæ patiatur? Imperator respondit: Per deos immortales! si obstinata mente meis præceptis non obedieris, et deos non adoraveris, diversis cruciatibus interibis. Ad quem Miles Christi, Virtute, inquit, Domini mei Jesu Christi non vereor tormenta tua; quia iste temporaneus cruciatus ad tempus cito deficit, sed tuus æternalis iuteritus numquam finem habebit. Tunc imperator nimio furore correptus, dixit carnificibus: Suspendite eum in eculeo, et ungulis ferreis carnes ejus dilaniate, et douec deficiat, talibus suppliciis subjaceat. Ministri autem diaboli furiis accensi, iu tantum carnes ejus, sicut eis fuerat imperatum, laceraverunt, ut costæ denudatæ carnibus palam apparerent astantibus omuibus; et sic inter ipsum cruciatum mortiferum sanctum commendatum Domino reddit spiritum.

B

ANNOTATA.

a *Hæc de spontaneo* Cæsidii *ad carcerem accessu et reditu in aliis etiam Actis habentur.*

b Insula *antiquis etiam dicebatur domus ab aliis ædibus separata, ita ut cum iis non haberet parietes communes, qualis haud dubie erat domus proconsulis.*

CAPUT IV.

Martyrium Rufini et sociorum, deinde Cæsidii cum aliis sociis, ac demum plurimorum.

Maximinus, subacta rebelli civitate Assisiensi, a

In ipso autem tempore in Assisii *a* civitate erat proconsul Aspatius nomine, qui excitavit seditionem contra statum Romanæ reipublicæ, et molitus est Romanam potentiam ad nihilum re-
C ducere. Qua seditione imperator commotus, et omnis Romanus populus, congregatis exercituum copiis, obsedit præfatam civitatem per tempus et dimidium temporis. Cives autem fracti bello et obsidione, tradiderunt semetipsos imperatoriæ ditioni, et sic proconsulis interneccione liberata est civitas a Romana vastatione. Imperator vero, subacta civitate, moratus est ibi anuo et mensibus quiuque.

ibidem ad se citat Rufinum et socios; quos promissis et minis frustra urget:

25 In quibus diebus præcepit, ut tota civitas ad suum convenirent spectaculum, et jussit ut beatus Ruphiuus et Silon et Alexander vincti deducerentur ante suum conspectum, quibus allocutus est, diceus: Vos estis, qui magicis artibus mentes hominum evertitis, et malignis suasionibus a cultura deorum abstrahitis. Beatus Ruphinus et Silon et Alexander unanimes respoudentes, dixerunt: Nos non sumus magi, sed verissimi Christiani, et revocamus perditas animas hominum idolorum cultibus ad Creatorem suum, qui regnat in cælestibus; et ostendimus, quod ipse est verus Deus, cujus nutu reguntur universa, quæ suut in cælo et in terra, et cujus dominatione et virtute ac imperio cousistunt omnia visibilia et invisibilia. Ipsum ergo adoramus, prædicamus et pura mente colimus: idola vero manufacta pro nihilo ducimus, quia nec sibi, nec aliis possuut præbere auxilium; sed tantum in suis cultoribus conferunt æternum interitum. Dixit ad eos imperator: Ista vana et superflua verba sunt. Adorate deum solem, et eritis honorabiles et præclari ante meum conspectum: quod si renueritis subdere colla deorum sacrificiis, variis et exquisitis suppliciis peribitis. Sancti Martyres respondentes, dixerunt: Jam sumus Christi amore solidati, nec blandimentis ducimur nec minis terremur: fac, quod vis; quia idola surda et muta nullo modo adoramus.

in ignem conjecti manent illæsi,

26 Tuuc imperator nimio furore repletus, jussit succendi fornacem, ut ibidem sancti comburantur, dicens: Modo apparebit, si Deus vester quiverit vos liberare de manibus meis. Cumque Christi Famuli pervenissent ad clibanum, hanc orationem fuderunt ad Dominum: Domine Jesu Christe, adesto nobis servis tuis in periculo incendii constitutis. Et sicut illæsos tres pueros ex fornacis voragine eduxisti, ita ut nec capillus E quidem capitis eorum esset adustus, et ostendisti alienigenæ regi, quod tu es laudabilis Deus, ita dignare pandere ineffabilem tuam Deitatem omnibus astantibus, ut cognoscant omnes, quia tu es Deus solus regnans in secula seculorum. Tunc ministri apprehendentes Christi Martyres, projecerunt eos iu clibanum collaudantes Jesum Christum omnipotentem Dominum. Et ecce angelus Domini in medio eorum astitit, et illos talibus exhortationibus admonuit, Nolite, inquiens, Milites Christi, formidare, quia manus Domini parata est vos confortare. Mox ergo, ut Christi Famuli ingressi sunt in ardentem clibanum, illico dissolutum est omne flammarum inceudium, et exeuntes illæsi, ita ut nec capillus capitis eorum aliquid pateretur detrimenti, referebant Deo omnipotenti gratias, qui solita virtute semper in servis suis dignatus est osteudere operationes mirificas. Quod miraculum ut astantes populi viderunt, omnes una voce dixerunt: Magnus est Deus Christiauorum, quem prædicat Ruphinus beatissimus, hunc coli oportet ab universis terrarum natiouibus. Nos ergo illi fidem dantes, et iu eum credeutes, abrenuntiamus idolis et dia- F bolicis præstigiis, quibus hactenus dediti fuimus, et ipsum Dominum solum ore et corde confitemur, et pro ejus nomine mori non veremur.

et tandem capite minuuntur; corpora a canibus intacta

27 Commotus autem imperator his et hujusmodi assertionibus, protulit hanc senteutiam in sanctos Dei Martyres: Ruphinum, Silonem et Alexandrum, nolentes parere dictis imperialibus, et præbere consensum cærimoniis augustalibus, jubemus capite puniri. Perducti sunt autem sancti Dei Martyres foras muros civitatis Assisii mense Augusti tertio Idus, ibique decollati sanctas animas Domino commendaverunt: corpora autem eorum jacuerunt ibi quinque diebus ad exemplum Christianorum. Inde ad laniandum et devorandum illa canes, et alias feras pessimas adduci jussit; quæ ferarum genera, ad devorandum prædicta corpora perducta, eis visis, non solum non gustarunt, sed, plurimis populorum præsentibus, personis utriusque sexus cernentibus, ante ipsorum Sanctorum corpora flexis genibus miraculose incliuantur, plurimis signis et ululatibus immensis ipsa lincta corpora adorando.

28 Tunc

A. Anonymo. *Cæsidius cum sociis sepelit Transaquis: quos ideo morti addicit imperator:*

28 Tunc Cæsidius presbyter filius ejus cum Simplicio et Euchitio et Placidio et Vibio et Crescentio et Martiali ac Colliberto Christi martyribus commilitonibus, qui severissimis imperatoris persecutionibus ad Transaquanum locum ierant permansuri, ubi assiduas orationes et sacrificia quotidiana Domino offerebant pro seculi indulgentia, nocte perrexerunt ad locum, ubi corpora sanctorum jacebant: quibus subreptis, reversi sunt ad eorum cubiculum, et in eodem loco *b* ea occulte sepelierunt. Alia autem die perrexerunt quæstionarii, ut viderent, si corpora ibidem jacerent, et non invenerunt. Tunc perrexerunt ad imperatorem, et talia dixerunt: Pissime imperator et semper auguste, notificamus excellentiæ tuæ, quia in provincia Marsorum, in loco, qui Transaquæ vocatur, est Cæsidius Ruphini episcopi filius, qui etiam nocte veniens corpus Patris sui abstulit, simulque cum eo, et aliorum asportata corpora sepelivit in Transaquis cum honore. Tunc imperator, rugiens ut leo, et stridens dentibus super eum, dixit ministris suis: Ite ad locum illum, et sine interrogatione gladio interficite eum, ubicumque poteritis invenire, ac B alios, quos secum inveneritis nostrorum deorum fidem subvertentes.

martyrium Cæsidii et aliorum.

29 Cæsidius autem venerabilis presbyter in eadem ecclesia morabatur cum Placidio et Euchitio *c*, et pluribus venerabilibus, et sanctis fratribus. Ubi autem venerunt milites et invenerunt eum, et alios, Domino sacrificium offerentem, sine interrogatione percusserunt eos gladio, et sic animas sanctas Domino reddiderunt. Corpus autem beati Cæsidii ab aliis occulte et semotim in eadem ecclesia recondiderunt cum hymnis, et canticis spiritualibus pridie Calendas Septembris: ubi florent orationes ejus cum multis miraculorum signis usque in præsentem diem, cum supra dictorum Sanctorum corporibus ibidem tumulatorum, et reversi nunciaverunt omnia imperatori. Martyrizati sunt autem Christi Milites ab imperatore Maximino *d*, et capitalem susceperunt sententiam. Post hæc vero reversus est imperator in urbem Romam, multitudinem autem illorum, qui crediderunt Domino Jesu Christo in Assisii civitate, vinctos perduxit Romam, et cum gloria suscepti sunt a Romanis: et jussit imC perator eos in carcerem recipi. Post quindecim dies præcepit imperator Christi Milites ante suum conspectum præsentari. Quo facto, dixit eis: Eligite vobis de duobus unum, aut mortem aut vitam. Martyres Christi dixerunt: Nos propter Dominum Jesum Christum magis volumus mori, ut obtineamus vitam æternam. Dixit igitur imperator: Si isti extincti non fuerint, multi peribunt: et iratus protulit in eis sententiam, et dixit: Istos sacrilegos et nolentes obedire, et immolare diis meis, jubemus capite puniri. Deportati sunt foras muros portæ Salariæ et decollati ibi numero mille decem et septem *e* Martyres, et sic in pace sanctas animas reddiderunt Christo Domino. Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui est honor, gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Assisium urbs est antiqua Umbriæ cis Apenninum, hodieque nota in ditione Ecclesiæ. Porro hic plane novam orditur fabulam impostor audacissimus, dum proconsulem imperatori rebellem, et urbem Italiæ per sesquiannum obsessam fingit, ut tandem Martyres deducat Assisium, ibique* D *occisos affirmet. At nihil de hac rebellione et obsidione tam diuturna innotuit antiquis scriptoribus, qui res tam memorabiles omittere non potuissent: et dum fingit ea sub Maximino, qui, dum imperator erat, in Italia numquam fuit, magis ignorantiam suam prodit.*

b *Non satis perpendit scriptor ille, quanta sit locorum illorum distantia, cum scripsit Assisio hoc modo delata Transaquas esse prædicta corpora. Si Martyres revera Transaquis sint sepulti, et passos ibidem esse verisimilius est. Reate coronatos esse, scribit Baronius citatus in Comm. num. 4. At ignoro, quo nitatur fundamento, adeoque quam res sit certa.*

c *Ughellus, dicens horum reliquias servari Transaquis,* Placidum *vocat et* Eutychium.

d *Ad marginem Ms. notatur,* Alias Dagno. *Dagni illius tamquam Amasiæ in Cappadocia regnantis meminit etiam Jacobillus in Rufino. Præterea in quodam apographo, quod Assisio nobis missum fuit, quodque agit de inventione corporis S. Rufini Assisinatis, quem cum Rufino Marsorum episcopo confundunt, notatur Fulginii apud Jacobillum haberi passionem quamdam* E *Rufini, quæ inchoatur his verbis:* Temporibus Dagni imperatoris, qui in urbe Amasiæ regnabat, in eadem civitate erat proconsul Andreas Statilates. *Idem Dagnus occurrit in Actis fabulosis S. Christophori, quæ data sunt ad 25 Julii, nec in ullis historiis notus est.*

e *Digna sane totius fabulæ catastrophe! Videbit satis studiosus lector, quam multa in his Actis ab omni etiam verisimilitudine recedant, etiamsi id ubique non notaverim.*

APPENDIX

Auctore anonymo

De miraculis S. Cæsidii post mortem, ex Ms. Lucæ Holstenii a.

F

Cum ecclesia S. Cæsidii combusta esset a paganis,

Post hæc venientes Christiani, sepelierunt corpus B. Cæsidii cum honore in ecclesia, sepultis cæteris aliis corporibus simul. Et inde multa donantes prædia, suisque opibus valde eam ditantes, ob amorem beatissimi martyris Cæsidii aliam decentiorem disposuerunt fabricare ecclesiam. Post multa vero annorum curricula omnipotentis Dei judicio supervenientes Pagani *b*, igne vel gladio totam Marsorum devastaverunt provinciam, venientesque in Transaquanam terram similiter gladio peremerunt, quos capere potuerant: qui etiam ad ipsam beatissimi Martyris basilicam accedere non titubantes, eam incendio consumpserunt: insuper et mœnia diruerunt. Quod increduli concives videntes, aliquantulum detrahere cœperunt inclytum Cæsidium agonothetam. Sicut enim aliquando inimici Judæi, insultantes Domino Jesu dicebant: Alios salvos facit, se ipsum non potest salvum facere; ita isti profani Christi Famulo aiunt: O Cæsidi, ubi sunt minæ tuæ, quibus tenebas impios? Ubi sunt gaudia, quæ promittebas nobis? Et si tantum dilexisti Dominum, ut pro eo morti succumberes: ergo

A ergo in cælis cum ipso regnas, ut tu fatus es: quare ecclesiam tuam diruere permittis?

illi excæcantur; et ecclesia restituitur.

2 Non igitur immemor Dominus verbi, quo fidelibus ejus promiserat, Si credideritis, majora horum facietis, virtutes innumeras per suum dignatus est ostendere Famulum, ut unde primitus detrahere inceperant, inde et gratulari inciperent. Quicumque ergo ad debellandam vel devastandam non tantum suam basilicam, sed, ut ita dicam, totam sibimet commissam provinciam, voluisset accedere, ad milliarium fere dimidium c ab ejus basilica, transitum orbatus lumine *c*, ac membris attractus, minime habere poterat. Hoc miraculum Christiani cernentes, Cæsidium non tantum animarum, verum etiam corporum optad bant habere patronum. Mœnia *d* protinus illius basilicæ, quæ olim, ut diximus, diruta fuerat, tam valido restaurare cœpere pectore, ut pauco in tempore multitudo sit ibi Domino servientium e advocata clericorum *e*. Unde quis dubitat hoc factum fuisse voluntate beatissimi Martyris, qui, quando voluit, se permisit incendi atque deleri, et tunc, cum voluit, fecit se instaurari, veraciterque fecit excoli.

B

Claudus gressu donatus,

3 Igitur quanta et qualia per suum dignatus est Dominus ostendere Famulum, nec ipsa vox vel eloquens lingua retexere sufficiat. Sed quod nostris nuper temporibus gestum, a viris venerabilibus, quorum vita frugi venerandaque canities fingere aliquid non sinit mendacii, cognof vimus, et quod a Telesphoro *f* Romanæ Sedis Pontifice verum approbatum est, fidelium auribus ob amorem ejusdem satagimus intimare. g Claudus quidam, Joannes nomine, de Alba *g*, qui ita totus erat membris confractus, ut crura natibus, brachiisque manus adhærentibus, nullum sibimet poterat ferre solamen. Hic dum ad sacrum Cæsidii tumulum querula fuisset voce deductus, et inter preces validosque singultus fessus jaceret, immanis super eum irruit sopor. Clerici vere et omnes, qui ibidem orationis causa fuerant, foras egressi erant, januis ex more seh ratis *h*. Non longo post intervallo is, qui claudus fuerat soporatus, evigilans cœpit stare rectus, et voce, qua poterat, laudes gratiasque Cæsidio indesinenter dicebat. Æditus vero templi, his C auditis, cursu validissimo ad valvas templi properans, magisque dirumpens quam aperiens, invenit stantem incolumem, quem reliquerat jacentem attractum.

cæca visu:

4 Alio quoque tempore in provincia Campai niæ erat quædam mulier ex Alatro *i*, quæ, amisso lumine, per multa fuerat corpora Sanctorum deducta: sed cum sibi nullum fore cerneret remedium, quasi jam desperata de lumine, ad proprium reversa est solum. Huic nocte quadam in parvulo quiescenti tugurio, secumque volventi, quare Sancti, quorum circuierat corpora, nullum ei præstassent luminis remedium, adest in visu invictus athleta Cæsidius, qui dixit: Quot anni sunt, quod non aspexisti lumen poli? Cui illa respondit: Septem sunt anni, quod amicum perdidi lumen. Et Sanctus: Quantum est tempus, quod circuisti Sanctorum limina? Cui mulier: Multum satis itineris est, quod peregi, Pater: k sed, ut video, minime talia possunt *k* peragere Sancti. Ad quam paucis ita responsum reddidit Heros: Ista nefanda nec modo tuo ore resones, sed accelera quam citius, et perge ad oppidum, cui Transaquæ vocabulum est, et ecclesiam intra meam; ibi lumen recipies tuum. Ad quem illa: Quis ergo es tu, domine Pater, qui mihi tanta promittis? Et Sanctus: Cæsidius vocor nomine, servus Trinitatis. Mane vero surgens mulier, sicut monita fuerat, ad domum se produci fecit. Omnibus vero in natalitiis ejus vigilias in ecclesia celebrantibus, et mulier cum ipsis erat, promissionem B. Martyris appetens: cumque diu multumque Cæsidium lacrymis precaretur; subito aspiciens videt cereum, quod ante illius sanctum ardebat sepulcrum. Sed cum per multa annorum cæca fuisset curricula, trepida timuit adhuc omnibus dicere: tantummodo ad se vocans presbyterum, dixit: Domine venerande mi, faculam ardentem video. Hoc audiens presbyter, innumeras Domino cœpit promere laudes, suosque ad se vocans fratres, verba feminæ dixit ea. Igitur, carissimi, Dominum voce laudemus, qui maxima suis famulis miracula dignatur ostendere. En quam heri orbatam suo lumine vidistis, nunc clare videntem suumque Dominum laudantem aspicite. Quorum dum auribus tam mira sonarent, statim ad cœlum erigunt palmas, canoraque voce cœperunt canere TE DEUM LAUDAMUS TE DOMINUM CONFITEMUR. Quid plura? Per merita S. Martyris lumen mulieri est redditum, ut ipsa diceret se numquam clarius vidisse. E

hostes fugati et cæsi ope Sancti.

5 Per idem tempus, quo Odorisius *l* sæpius memoratam regebat provinciam, eamque sibimet auferre Balduinus Bellicosus valde vir an- l xius quærens, quadam die cum nimio belli apparatu ex improviso irruens, invenit urbem Messisgrana *m* nimis fore relictam: quia, ut dictum m est, cum nimia foret armorum ditatus copia, et urbani pugnam ferre nequirent, in fugam protinus versi, portisque præ metu apertis, apertum inimicis dedere ingressum. Qui jam a minimo usque ad maximum Cæsidium clamare cœperunt beatissimum, ut in tanto constitutis periculo dignaretur subvenire quam citius. Extemplo apparuit invictissimus miles Cæsidius cuidam, præ nimio stupenti timore, per plateam civitatis niveis indutus vestibus, niveumque *n* sedere caballum, n virgamque auream in manu gestantem, huc illuc discurrendo inimicos fecit ejicere, suosque urbanos, ut eos perimerent data gratia omnipotenti Deo... Cives vero, his visis et auditis, statim ad arma recurrunt, et ita effecti sunt victores, ut F infra unius horæ spatium quingentos vel amplius nequiter necarent ex hostibus. Nocte igitur insequuta, cum vir ille, cui primo sanctus apparere maluit, inter concives esset, adest signifer invicti Regis Cæsidius eo habitu, quo in certamine visus est protegere suos; cui dixit: Num vidistis heri, quomodo vobis protector factus sum in bello? Cumque vidisse se et optime nosse profiteretur, ait: Quacumque igitur hora meum fideliter petieritis auxilium, ut hesterno die visibiliter, ita semper invisibiliter vobis assisto patronus. Cui ille respondit: Quis ergo es, Domine, qui nos ita reddidisti victores? Ad quem sanctus: Ego sum Cæsidius, cujus in bello quærebatis auxilium: et hæc dicens, velut aura tenuis ab oculis mirantium evanuit.

ANNOTATA.

a *Ante hanc Appendicem Papebrochius noster, qui eam post præcedentia alio charactere exarata descripsit, hunc posuit titulum:* In octava die miracula post mortem B. Cæsidii ex Ms. D. Lucæ Holstenii, in quo totum officium. *Plura non descripsit, opinor, ex illo officio, quia aliæ lectiones eum Actis modo recitatis congruebant. Quid-quid*

quid sit, miracula ista, non ejusdem videntur esse scriptoris, quia stylus est diversus, et plusculum fidei merentur; quia aliunde constat S. Cæsidium *miraculis claruisse, et quia auctor illa facilius scire potuit.*

b *Quinam sint illi Pagani, et quo tempore id factum sit, non exprimit auctor. Mutius Phœbonius Historiæ Marsorum lib.* 3, *pag.* 152 *Hungaris attribuit combustionem ecclesiæ* S. Cæsidii, *et annum notat* 937. *Certe Hungari, antequam fidem Catholicam suscepissent, variis vicibus seculo* X *vastaverunt multas Italiæ provincias, et nominatim anno* 937.

c *Idem sic memorat loco citato Phœbonius :* Unde illud mirabile refertur, ut, qui postmodum propius accederent, obcæcarentur. Quare Marsi, juncti Pelignorum armis, in barbaros irruentes, gladio pene omnes consumpserunt, spoliisque, quibus onusti incedebant, spoliarunt.

d *Muros ecclesiæ designat per illam vocem, opinor.*

e *Ecclesiam illam phrasi obscura sic describit Phœbonius :* Ecclesia ipsa tota concamerata arcua-
B to opere, quatuor aulis distincta, duobus atriis : unum ante faciem, alterum in latere comitatur, cujus postremum ad abbatis canonicorumque habitationem erectum, per circuitum cubiculis officinisque ad communitatem necessariis vallatur : ostium, per quod ad eam aditus aperitur, ex lapide pene pario figuris mirifice effigiato.

f *Ita vox in apographo scripta, at mendose, quantum existimo. Quippe nullum novi Telesphorum inter Romanos Pontifices, nisi unum, qui Ecclesiam rexit seculo* 2, *de quo auctor id scribere non potuit; et mendis scatet istud apographum, ex quibus correxi aliquot.*

g *Alba olim erat Marsorum, vel, ut alii volunt, Æquorum civitas inter lacum Fucinum et Apenninum, ut habet Orlendius part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 3, *ubi situm describit his verbis:* In colle Apenninum versus sita erat, tertio circiter a lacu *(Fucino)* milliario distans. *Passim* Alba Marsorum *vocabatur, ut distingueretur ab aliis ejusdem nominis oppidis. Plura ibidem memoratus auctor, qui docet vetus nomen hodieque superesse, licet urbs excisa jaceat.*

C h *Id est,* clausis; *nam serare medio ævo dicebant pro* sera claudere.

i *Locum in Campania non reperio. At est* antiqui Latii civitas in Hernicis, *et* Alatrium *vel* Aletrum *ab antiquis dicebatur. Etiamnum episcopalis est et* Alatri *vulgo dicitur. Consule laudatum Orlendium part.* 2, *lib.* 3, *cap.* 8, *num.*12, *ubi eam describit latius.*

k *Existimo colloquia ejusmodi commenta esse auctoris, qui videtur sic exornare studuisse miracula, uti etiam in primo miraculo observari potest, ubi blasphemantes inducit ob eversam Sancti ecclesiam. Certe blasphema verba viam non sternunt ad obtinendam miraculi gratiam.*

l *De Oderisio Marsorum comite mentio fit in Chronico Vulturnensi apud Muratorium tom.* 1 *Scriptorum Italiæ part.* 2; *videlicet pag.* 465, 468 *et* 484, *quibus locis recitantur diplomata spectantia ad annum* 981, 983 *et* 995; *et in Chronico Farfensi tom.* 2, *part.* 2 *ejusdem Collectionis col.* 511 *vocatur* Oderisius comes, filius Raynaldi comitis, *et resedisse dicitur ad judicandum* in villa Transaquas, *tempore Joannis Papæ XVI, sub initium seculi* XI. *De eodem Oderisio Marsorum comite et patre ejus Raynaldo meminit Chronicon Casinense circa finem seculi* X *et initium* XI. *Vide tom.* 4 *laudatæ Collectionis* D
pag. 347, 355, 360 *et* 404. *Idem Chronicon ibidem pag.* 423 *laudat* Oderisium Oderisii Marsorum comitis filium, *tunc monachum Casinensem ac deinde abbatem et Romanæ Ecclesiæ Cardinalem : et pag.* 473 *memoratur* Balduinus.. comes, filius Oderisii Marsorum comitis, *qui hic vocatur* Balduinus Bellicosus, *ut opinor. Hoc ergo factum referendum videtur ad seculum* XI *sed de bellico illo tumultu nihil alibi se mihi offert.*

m *Vocem male transcriptam opinor. Certe nullam ibidem invenio istius nominis civitatem.*

n *Hic tota phrasis corrupta est usque ad hiatum proxime sequentem, nec facile potest restitui. Patet tamen satis, quid miraculi referat auctor.*

ACTA ALTERA

IMPERFECTA

auctore anonymo E

Ex duobus Mss. apographis Pistoriensis ecclesiæ.

Mota persecutione, dum in Marsis degebant Rufinus et Cæsidius,

Erat in regione Marsorum, Maximiani *a* imperatoris tempore episcopus quidam, nomine Rufinus. Hic nimirum cum filio suo Cesidio presbytero divinis assidue officiis insudabat, et commissum sibi populum salutaribus monitis instruens, multas per Dei gratiam virtutes operabatur. Habitabat autem episcopus ipse in civitate Marsorum *b*; Cesidius vero presbyter in municipio Messino *c*, inter quod et civitatem stagnum illud nobile, quod lacus Fucini *d* dicitur, habebatur. Accidit autem ut Lucianus quidam, a Piceni *e* provincia Romam veniens, per Valeriæ *f* regiones transitum faceret; et siquis in partibus ipsis Christiani manerent, sollicitus indagaret. Proposuerat siquidem Maximinus *g* imperator consularitates vel honores cæteros his, F qui Christianæ fidei cultores, et præcipue sacerdotes inquisissent, et ad suam notitiam detulissent, ut delati punirentur, nisi deorum sacrificiis consentirent.

Lucianus quidam de ipsorum prædicatione edocetur,

2 Hic itaque cum in Marsorum fines venisset ad Arcum Augustæ *h*, qui locus a Roma urbe plus minus septuaginta quinque millibus distare dicitur, magnam populi multitudinem in campo obviam habuit. Cujus multitudinis tanta erat et tam constipata frequentia, ut equo calcaribus tuso per tres fere horas transgredi non valeret. Fixit ergo gradum : e quodam de turba seorsum ac cito interrogare cœpit, cujusmodi esset iste conventus. Qui respondens ait : Nundinas hodie Marsorum populus celebrat, propterea tanta hæc in locum istum multitudo conveuit. Ad hæc Lucianus ait : In cujus honore dei nundinæ, quas cernimus, celebrantur, et præsens populi multitudo convenitur *. (Homo nempe ille jam Christi Domini nostri fidem per episcopum Rufinum acceperat et ecclesiasticæ disciplinæ rudimentis fuerat institutus.) Respondens autem homo ille Luciano, dixit : Cum persona tua sapientiæ ac nobilitatis insignia præ se ferat, miror te sic fuisse locutum : non est enim Deus alius præter Deum

* convenit

A Deum Christianorum, sicut a nostris sacerdotibus edocemur, sicut per Rufinum episcopum et ejus filium Cesidium presbyterum instructi sumus. Isti quippe Viri sancti sunt et eorum verba veritatis assertione subnixa, quia quod verbis loquuntur, operibus ostendunt: et multa per eos mirabilia Christus Deus noster operari dignatur.

ipsosque defert ad imperatorem,

3 His auditis, Lucianus graviter indignatur, equum avertit, et gradu concito ad urbem Romanam properare contendit. Quo cum pervenisset, protinus ad palatium furibundus accedit, et tyranni præsentiam nactus, statim post salutationis verba indicat, se festinanter ea de causa urbem accessisse, palatium introisse, et ipsius expetisse colloquium, quia cum a Piceni provincia per Marsorum regionem iter faceret, magnam in campo secus Arcum Augustæ multitudinem populi offendisset, quæ in honorem Christi Dei nundinas celebraret, Illic, ait, per unum aliquem ex ipsis didici, quod in Marsorum civitate Rufinus quidam episcopus commoratur, qui una cum filio suo Cesidio Christi doctrinam divulgare non desinunt; et a deorum cultura, quotquot B potest, viros aut mulieres conatur avellere. Quorum profecto doctrina, si intra provinciam ipsam diutius convaluerit, et hac illac cœperit latius divulgari, nimirum in brevi cærimoniæ deorum contemnerentur.

qui utrumque capi jubet Romamque duci. * *in alio Ms. Maximinus* *i*

4 His auditis, Maximianus * furoris nimii stimulis excitatus est, et protinus Ascanium cornicularium *i* evocans; Vade, ait, festinanter in civitatem Marsorum, et illic sacrilegos illos, quos vir spectabilis Lucianus indicat, Rufinum videlicet episcopum et filium ejus Cesidium, sollicitus investiga, et inventos eos nostris aspectibus repræsenta. Eia age diligenter, ut infra quinque dierum spatium in nostram præsentiam perducantur; nisi enim juxta præceptionis nostræ tenorem maturius egeris, ipse pro eis, ut reus, capite punieris. Assumptis igitur de numero militum quibusdam officialibus, Ascanius cornicularius ad urbem Marsorum gradu concito proficiscitur.

Rufinus divina visione discit futura adversa,

5 In nocte sequenti beato Rufino quædam visio divinitus ostensa est. Apparuit siquidem ei persona quædam venerandæ imaginis, dicens ei: C Confortare, dilecte Domini Rufine, confortare et viriliter age, multa siquidem tibi divino judicio adversa contingent; sed noli timere, neque paveat cor tuum, quia ex divino adjutorio victoriam consequeris. Eos etiam, qui tecum sunt, consolare et commone, ut viriliter agant, et de Majestatis divino præsidio certi semper existant. Ille enim, cui servitium devoti cordis semper exhibuisti, cujus [legem] in omnibus tuis operibus meditaris, tecum est semper. Quidquid ergo contingat, tu illum semper attendas, qui in servis suis mundum furentem et diabolum frementem vincere consuevit.

Cæsidius vero per os energumeni, quem liberat,

6 Porro ad B. Cesidium, qui, ut superius diximus, in Messiuo oppido morabatur, dæmoniacus quidam adductus est. B. autem Cesidius, oratione facta, cœpit in nomine Christi urgere dæmonium, ut exiret. Dæmon autem per os patientis multa vociferans, dicebat: Cesidi, usquequo persequeris me? cur me de possessione mea, quam annis jam quindecim possedi, violenter expellis? Et ergo vos de vestra possessione projiciam, nec vos ultra quietos vivere in Marsorum regione permittam: si hinc me ejicis, Romam ibo, et ibi contra te per ministros meos acrius dimicabo. Sed eum in energumeno B. Cesidius manum imposuisset, divinæ misericordiæ munere liberatus est. A. Anonymo.

Capitur S. Rufinus

7 Interea veniens in civitatem Marsorum Ascanius cornicularius cum multitudine militum, cœpit Rufinum episcopum diligenter inquirere: quem cum invenisset, custodiæ mancipavit: et dixit ad eum: Indica nobis prophanum Cesidium filium tuum, ut una tecum præsentetur imperatoris aspectui. Rufinus episcopus respondit: In quem locum a facie tua declinaverit nescio: cæterum existimo, quod trans stagnum in mansione aliqua requiescat. Quod cum audisset Ascanius, ipse quidem cum B. Rufino Romam celerius regrediens, eum imperatoris aspectui repræsentare deliberat: quia eum, ut sæpius dictum est, ad revertendum infra dies quinque præceptio imperatoris urgebat. Quosdam vero de militum, quos adduxerat, numero trans stagnum ire præcepit, et Cæsidium presbyterum diligentius quærere.

et carceri traditur, non invento Cæsidio. *k*

8 Fecerat sane in supradicto municipio (quod a Claudio *k* cæsare ædificatum dicitur) C. Cesidius mansionem parvulam, et juxta eam oratorium exiguum, ubi Missas et divina Officia cætera privatE celebrabat. Pro multitudine tamen paganorum latenter agebat: nec a multis ejus mansio sciebatur. Milites itaque, qui pro requirendo Cesidio missi fuerant, inefficaces reversi sunt. Festinabant enim vehementer, ne sine ipso Ascanius Romam reverteretur. Eum igitur attentius subsequentes, in monte Carbonario *l* prandentem invenerunt. B. vero Rufinus seorsum sub arbore in custodia positus orabat. Cumque in Romanam urbem die altera pervenissent, nunciaverunt Maximiano imperatori, dicentes: Sicut majestatis vestræ jussionem accepimus, Rufinum episcopum ex Marsorum regione adduximus: Cesidium autem invenire nequivimus. Si jubet majestas tua, Rufinus ille sacrilegus recipiatur in carcere. Ad hæc imperator respondit: Famam de illo accepimus, quod multa miracula operetur, propterea nolumus eum publicæ carceris custodiæ tradere, quia ibi multi sunt Christiani, ne forte suis eos mirabilibus valeat confirmare, sed in Ascanii domo privatam custodiam sortiatur.

Hic amore Dei incitatus

9 Inter hæc B. Cesidius presbyter, cum patrem suum captum et ad tribunal imperatoris ductum cognovisset, vehementer tristari cœpit; F et hæc intra se tacitus reputabat: Heu mihi misero! per tanta temporis spatia quid feci? Domini mei Jesu Christi vocem in Euangelio audivi dicentem: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Ecce pater meus ad confessionem divini nominis et martyrii palmam deductus est, et ego in desertis locis latebras foveo. Nonne idem Dominus ait? Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego illum coram patre meo, et angelis ejus. Quid mihi prodest tanta contra diabolum bella gessisse, si modo, quod absit, in fine deficiam? Sed in ipso confidam, in ipso sperabo, quia me a charitate Christi nec angustia nec tribulatio separabunt. Ipso adjuvante famem vincam, ipso præstante vincula superabo.

sponte venit ad carcerem.

10 Mox intempestæ noctis silentio iter aggrediens, Romam ire, et patrem suum, ubilibet teneretur, visitare contendit. Quo itinere profligato, Romanæ urbis mœnia introgressus cœpit per plateas et vicos Ascanii cornicularii domum

A. Anonymo. domum quærere, si forte illic patrem suum inclustodia inveniret; et eum cum caute ac sollicite inquisitum, quorumdam tandem indiciis invenisset, ad ejus colloquium, sicut optaverat, clandestina indagatione pervenit. Beatus itaque Rufinus Cesidium filium suum per fenestram intuitus, dixit ad eum: Absconde te, et nocte venies ad me. Cumque se Cesidius paululum subtraxisset, vespere facto, rediit, et inter noctis tenebras pedum suorum fasciolis sursum jactatis sese medium cinxit. Pater autem ei tabulam a superioribus projecit pedibus supponendam. Quo utroque adminiculo eum clam custodibus in cubiculum inferius suæ custodiæ sublevavit. Cujus postquam societate potitus est, cœpit eum vocis strepitu psalmorum hymnis et orationibus jubilare *m*.

ANNOTATA.

a Maximiani *hic habet utrumque Ms. Et sic imperator sæpius vocatur in utroque. At in eo, quod est correctius, semel; in altero bis* Maximi-

B nus *scribitur, de quo egi in Commentario num.* 8.

b Transaquas *designari putat Orlendius part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 3, *num.* 12 *et* 14.

c *In alio Ms.* Mesino. *Laudatus sæpe Phœbonius lib.* 3, *pag.* 150 *ait Transaquas originem habuisse* a Misino oppidulo in cacumine montis posito. *Fuit igitur in monte, ad cujus radices nunc sunt Transaquæ.*

d *Lacus Fucinus antiquis notissimus nunc* Lago di Celano *vulgo nominatur.*

e Picenum *seu* ager Picenus *est provincia Italiæ satis nota ad mare Adriaticum, quæ nunc* Marchia Anconitana *dicitur.*

f *Via Valeria ducebat per Marsos. Itaque forsan intelligit auctor regiones, per quas via Valeria transibat. Si tamen regio quædam designetur, ipsa Marsorum provincia intelligenda, quam multi Valeriam vocatam fuisse Longobardorum tempore existimant: imo et ante Longobardos sic vocata fuit, ita tamen ut Valeria regio se latius extenderet quam Marsorum, ut scribit Orlendius part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 3, *num.* 4, *quem consule.*

g *Hic in utroque Ms. legitur* Maximinus, *quod,*

C *ut in re incerta, relinquendum duxi.*

h *Locum in Marsis non reperio, cujus forte mutatum est nomen.*

i *De munere cornicidariorum Cangius in Glossario sic disserit:* Cornicularius, officium ac munus, cujus frequens mentio in Notitia imperii et D apud alios scriptores .... Salmasius ad Solinum cornicularios dictos ait a corniculo, seu apice galea, qui κεραία Græcis nuncupatur, eosdemque esse, qui κεραιοῦχοι Hesychio: quasi vero cornicularioram munus fuerit militia. Quin potius constat cornicularios fuisse exceptores et commentarienses: iis enim excensentur a Firmico lib. 3, cap. 6: „ Erunt . . exceptores earum sententiarum, quæ de hominum capitibus proferuntur, aut cornicularii aut commentarienses „ . . . Eorum autem munus fuit ad cornua secretarii stare, et ministrare judici agenti, loquenti, scribenti, rescribenti, cujusmodi fuit caniclinorum apud Byzantinos. *Sic ille. At videtur militare munus hic designari: nam mox cum militibus dicitur profectus Ascanius.*

k *Phœbonius loco mox assignato affirmat, domum ibidem a Claudio imperatore ædificatam,* quæ *ex adventantium numero* in oppidum crevit. *Illam ipsam domum a Rufino in ecclesiam conversam, scribunt cum ipso alii quidam. Ughellus tom.* I *col.* 883 *de Transaquis sic loquitur:* E Ibi domum Claudii cæsaris aliquando fuisse, tum marmora, tum inscriptiones produnt, præter Taciti Suetoniique narrationem. *Orlendius part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 3, *num.* 12 *idem asserit, hæc scribens post Ughellum:* Illic *(Transaquis)* Rufinus haud ignobile oratorium construxit, in ruinis domus Claudii imperatoris, quam ibi quondam munificentissime condiderat, ut inde eum Agrippina uxore navales ludos spectaret, eum absolveretur emissarium *Fucini lacus, quod factum a Claudio probat ex Suetonio, uti et naumachiam. At ex Suetonio non ostenditur, domum ibidem a Claudio constructam, ita ut oratorium a Rufino in ruinis istius domus structum sola populi traditione videatur niti, et forsan quibusdam inscriptionibus ibi inventis.*

l *Mons Carbonarius ille ipse est, ad cujus radices est oppidum Transaquæ.*

m *Habes hic, lector studiose, Acta SS. Rufini et Cæsidii imperfecta, quæ Baronio* fideliora *videbantur, quæque non displicuere Ughello, qui ex hisce æque ac Transaquensibus multa de Rufino compendio tradidit. Verumtamen ego Acta illa pro sinceris non ausim obtrudere, cum omnia,* F *quæ ab initio usque ad finem in iis referuntur, modo exponantur parum verisimili; ideoque talia non sunt, ut fidem historicam mereantur.*

DE S. PRIMIANO MARTYRE

SPOLETI IN UMBRIA, UT FERTUR,

J. P.

Ex Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ.

Sub Diocletiano, et Maximiano.

Spoletum, *civitas episcopalis Italiæ in Umbria, hunc sanctum Martyrem veneratur: cujus cultus asseritur apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die, ubi in brevi narratione martyrii* ex monum. ecclesiæ Spoletinæ, quæ ibi legimus, *inquit Ferrarius, sunt ista:* Ejus reliquiæ in ecclesia majore asservantur. *Deinde in Annotatione:* Primianum Spoleti passum, antiquæ illius imagines in parietibus depictæ, ac mos pervetus illius natalem in ecclesia Spoletina celebrandi, persuadere videntur. *Porro martyrium ejus sic narrat Ferrarius:* Primianus (quem Spoleti natum, ibique pro fidei confessione martyrium subiisse tradunt) in Diocletiani et Maximiani imperatorum persecutione ob Christianam religionem comprehensus, diversa tormentorum genera expertus est. Primum enim in equuleo suspensus, ungulis ferreis excarnificatus est. Deinde

AUCTORE J. P.

A inde ardentes lampades ad ejus latera admotæ sunt. Denique cum neque his cruciatibus a fidei proposito dimoveretur, capite truncatus martyrium consummavit pridie Kal. Septembris. Ejus reliquiæ in ecclesia majore asservantur. *De loco natali, martyrii genere, palæstra, atque imperatoribus nihil quidquam aliunde comperti habeo, quo confirmem vel infirmem ea, quæ de his retuli ex Ferrario.*

DE SS. MAURENTIO, URBANO

AVITO, MATERNIANO, ET VINCENTIO MM.

APUD FORUM-SEMPRONII IN ITALIA.

Cultus et martyrium.

J. P.

B *Sub Diocletiani persecutione Publica eorum veneratio:*

Forum Sempronii, *vulgo* Fossombrone, *civitas episcopalis*, ad sinistram Metauri Via Flaminea in Umbria ad meridiem.. sita est, *uti habet Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ columna* 909, *alia addens col.* 910, *e quibus delibo ista :* Cathedralis sub invocatione sanctorum Maurentii martyris, ac Aldobrandi episcopi constructa est, cujus (*lege* quorum) ibidem corpora requiescunt.. Antiquam cathedralem temporibus Bonifacii IX, dum novæ civitati nova pararentur præsidia, demoliti sunt (*canonici videlicet Foro-Semproniensés*) ecclesiamque sancti Maurentii, quæ in vicis erat, crexerunt in cathedralem. *De S. Aldebrando episcopo Foro-Semproniensi scripsimus die* 1 *Maii a pag.* 158 *: ubi hæc sunt dicta :* Translatum fuit etiam S. Aldebrandi corpus, atque ex tunc, vel saltem post dictæ Maurentianæ ecclesiæ restaurationem, nescio quando factam, cœpta est dici cathedralis ecclesia SS. Maurentii et Aldebrandi, ejusque ambo communi jure censeri patroni. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem de supra dictis Mar-* C *tyribus agens annotat ista :* Horum commemoratio quotidie fit in eccl. Forosemproniensi cum hac antiphona : « Maurentius præpositus, miles « Christi fortissimus, cum fidelibus sociis mira- « culis splendet in Marchia » *videlicet* Anconitana. *Idem præterea auctor observat sequentia :* Acta non exstant : nomina sociorum depravata in tab. ejusdem eccl. leguntur : festum horum cum Octava celebratur. *Nomina superius expressi, sicut Ferrarius ea format in brevi narratione martyrii* ex Monum. eccl. Semproniensis, et Vita S. Paterniani.

narratio 2 *De S. Paterniano episcopo Fanensi consuli possunt ea, quæ dedi tomo* III *Julii, die* XII *ejus-* E *dem mensis pag.* 295 *et sequentibus. His prænotatis, accipe perbrevem martyrii historiam ex eodem Ferrario :* Maurentius, S. Paterniani episcopi Fanensis discipulus, una cum Urbano, Avito, Materniano, et Vincentio in cœnobio inter Fanum et Forum Sempronii sub ipsius Paterniani disciplina degebat.

martyrii. 3 Verum cum S. Paternianus Fanensis episcopus creatus fuisset, ipseque Maurentius cœnobio præpositus esset; ab idolorum cultoribus, vigente adhuc Diocletiani et Maximiani imperatorum persecutione, tentus pro Christi confessione una cum sociis martyrio affectus est prid. Kal. Septembris. Quorum corpora a Christianis sepulta, postea in ecclesiam Semproniensem delata sunt; ubi caput ejusdem S. Maurentii ab aliis reliquiis separatum religiose asservatur. *Castellanus in suo Martyrologio universali solius* S. Maurentii *meminit, cujus, inquit, reliquiæ sunt honoratæ in loco isto, nimirum ad Sancti-Paterniani, ubi eum annuntiat. Crudelissima sæviit persecutio sub Diocletiano et Maximiano adversus Christianos anno* 303, *quæ hic per* τὸ vigente adhuc *videtur* F *indicari. Cum vero hinc presse determinari non possit annus martyrii, posui illud sub Diocletiani persecutione. Vocatur* S. Maurentius cœnobio præpositus : *sed dubitare liceat, an exeunte seculo tertio, vel ineunte quarto cœnobia ac præpositi in Italia fuerint.*



A D

DE SS. ROBUSTIANO ET MARCO

MARTYRIBUS

J. P.

Cultus ex Martyrologio Romano; an Robustiani plures.

xxxi. Aug. *Annuntiantur a variis hagiologis et Martyrologia Romano :*

Quæ *ad duos hosce Martyres spectant, magna in ignoratione delitescunt, si cultum publicum excipias, quem ab antiquissimis temporibus habuisse illos, credere velim potius, quam probandum assumere, cum non norim vetusta Martyrologia, e quibus hoc evincam. Recentiora tamen eosdem annuntiant hac die. Belinus habet ista :* Item sanctorum martyrum Robustiani et Marci, *eodem modo illos referentibus*
B *Molano, Maurolyco ac Canisio, nec majorem de iis notitiam suggerente Galesinio :* Eodem die, sanctorum martyrum Robustiani et Marci. *At publica illorum veneratio recolenda præscribitur in Martyrologio Romano, quod eosdem refert sicut Belinus, nulla ab omnibus istis hagiologis addita loci mentione. Ferrarius autem in Indice ad suum Catalogum Sanctorum Italiæ in littera* R *hæc scribit :* Robustianus, et Mart. in Sard. (*id est* Sardinia) xxxi Augusti ; *qua vero auctoritate illos ibidem loci signet, ignoro. Duos hosce Martyres spectare ad ecclesiam Mediolanensem, colligo ex cultu, quem ad eumdem diem eisdem attribuunt Missalia hujus ecclesiæ, quæ anno* 1522 *et* 1560 *sunt excusa, nec non Breviarium anni* 1539, *licet in Breviariis posterioribus sint omissi. Si autem in Sardinia fuerint passi, credere liceat, aliquas eorum reliquias Mediolanum translatas olim fuisse, et ideo ibidem cultos.*

nullum Mediolani Robustianum admittimus

2 *In Prætermissis ad diem* xxiv *Maii proposuimus difficultatem de uno an duobus martyribus* Robustianis *Mediolani. Unum hodierno Romano ad istum diem indicavimus inscribi ex fide uniusGalesinii allegantis* Annales Mediolanenses;
C *ac Baronium nullos istos invenientem maluisse in notis allegare* tabulas ecclesiæ Mediolanensis, *quæ non possint ullæ esse aliæ, quam præfixa antiquis Missalibus ac Breviariis Kalendaria : verum hæc ad* xxiv *Maii non meminisse hujus Martyris, sed sanctorum* Marci et Robustiani Martyrum *hac die* xxxi *Augusti habere nomina. Visum itaque tunc nobis fuit* Robustianos *duos, donec certior nobis præluceret auctoritas, non distinguere intra urbem eamdem. Hæc ibi jam pridem proposita sunt, nulla interea temporis a me reperta auctoritate inter documenta nostra Mss., quæ suadeat duos* Robustianos *istos. Hodierno igitur acquiescimus. At quid de synonymo Martyre?* E
Ferrarius ad diem xxviii *Februarii in dicto Catalogo agens de translatione S. Augustini e Sardinia ad urbem Papiensem, annotat cum hujus corpore etiam translata fuisse* SS. Martyrum Robustiani, Ciselli et Luxorii *corpora,* idque, *ait*, marmoreæ in prædicta S. Petri *in Cœlo aureo* basilica inscriptiones, et monumenta antiqua testantur.

præter hodiernum.

3 *De corpore S. Augustini Ticinum translato egimus in hoc tomo ad diem* xxviii *Augusti pag.* 363 *et sequentibus; de Luxorio autem, Cisello et Camerino MM., ad diem* xxi *ejusdem mensis, ubi pag.* 415 *dictum est Pisanos, Ticinenses et Sardos sibi vindicare eorum corpora, inter quæ* Robustiani *et* Marci *corpora apud Ticinenses locata a Luitprando Longobardorum rege, vult Gualla in Sanctuario Papiæ ibidem citato. Sed cuinam competitorum parti potior conveniat possessio, in medio tunc reliquimus ; nec jam sufficientem habeo rationem asserendi, quod admitti debeant duo* Robustiani, *alter apud Mediolanenses, alter apud Ticinenses, quodque* Robustianus *ille, qui hoc die cum* Marco *annuntiatur in Martyrologio Romano sine loco, sit diversus a* F
synonymo Ticinensi apud Ferrarium die xxviii *Februarii.*



DE

A D

DE SS. GAIANO, LUCIANO, RUFINO, VINCENTIO

SILVANO, VITALICA, ANTIQUORA, EMELINO, FLORENTINO

JUSTA, JULIA, ANTINEO

MAXIMO: ITEM VITALICA MM.

ANCYRÆ IN GALATIA,

Ex apographis Hieronymianis.

J. P.

XXXI Aug. Fasti Sacri.

Quatuordecim horum Martyrum manipulum refert Florentinius hac die in annotationibus e Martyrologio Corbeiensi, in quo eorumdem natalis *ponitur* Ancyræ Galatiæ, *additurque in* B *eadem ipsorum annuntiatione :* Et depositio S. Elladii episcopi, Syrgi, Florentini cum sanctis sociis eorum. *Et mox sequitur :* Autisiodoro depositio S. Optati episcopi et confessoris ; *apponente Hieronymiani apographi textu ante notas alio charactere ,* cum sociis suis. *Perturbata hic sunt , uti alias solent , Hieronymiana apographa : nam quatuordecim Martyres in superiore titulo designatos ponit textus seu codex Florentinii in* Ancyra Galliæ , *et plurima nomina profert in masculino genere , quæ sunt feminini in citato Corbeiensi. Audiamus Florentinium in notis, qui de suo codice varia animadvertit, e quibus nonnulla contraham.* Ancyra Galliæ. Nostrum , *inquit,* codicem * Gallicus antiquarius , in geutem suam propensus , sæpe pro Galatia Galliam scripsit, ut sæpe monuimus. Galitiam etiam male posuit pro Galatia librarius Martyrologii vetustissimi *(cujus annuntiationem , ubi* Ancyra Galytiæ *scribitur , idem Florentinius citat.)* Optime vero scripsit exceptor M. Corbeiensis, et Ms. reginæ Sueciæ Ancyræ Galatiæ.

** Nostro in codice*

C 2 Immutato autem nomine Vitalici aut Vitalicæ *(pro quo scribitur* Italicæ *in dicto Martyrologio vetustissimo apud Florentinium)* quod constanter retinent libri , *ait ,* nostri cum Corbeiensi , in Italicam , ad ambages nos deduxisset , an Italica pro martyris nomine , an loci vel urbis accipiendum esset , quod Italica Hispaniæ Bæticæ oppidum Ptolemæo et aliis sit. Si enim pro oppido acciperetur , non omnes numerati Martyres Ancyrani essent , sed primi tantum quinque sub Gaiano corum duce. Tutius tamen existimavi , plures et bonæ notæ codices amplecti, quam uni tantum insistere, præsertim quia Ms. reginæ Sueciæ omnes hic enumeratos Martyres , quamvis singillatim non exprimat , collectim Ancyræ ita tribuit : „ Ancyra Galatiæ „ natalis SS. Gaiani, Juliani , Rufini cum aliis „ XI „. Quorum numerus ad Elladium usque episcopum , omnes in libris nostris nominatim explicatos Ancyranos Martyres complet, quemadmodum etiam quotquot in Corbeiensi Martyrologio, et vetustissimo eodem recensentur. In hoc tamen desunt Antiquirius sive Antiquira et Maximus. Neque hic negandum est , nomina aliqua (ut passim etiam alibi) quæ in aliquibus codicibus sanctorum virorum martyrum sunt , in aliis sanctarum mulierum propria esse, idque evenisse E librariorum oscitantia, qui male postremas nominum syllabas signaverint.

et quibus dantur hi Martyres,

3 *De hac etiam mutatione ut nonnulla addam, in textu , quem edidit idem auctor , scribitur* Vitalici, Antiquiri, Emiliani, Florenti, Justi, Julii : item Vitalici. *Sequitur* depositio Elladii episcopi, *quæ interpolationis videtur suspecta , quia aliis characteribus exarata. Post hanc occurrunt nomina* Syrgi , Florentini cum sociis suis. *Ac denique aliis iterum litteris:* Autisiodoro civitate sancti Optati episcopi et confessoris cum sociis suis. *Maurolycus :* SS. Helladii et Aulani episcoporum et confessorum. *Spicilegii Acheriani tomo 4 in Martyrologio , quod dicitur* vetustissimum *et* S. Hieronymi presbyteri nomine insignitum, *pag.* 669 *Martyrum quatuordecim nomina eodem modo efformantur,quo sunt in Martyrologio Corbeiensi , cumque eodem subditur :* Et depositio sancti Elladii episcopi , Syrgi, Florentini cum sanctis sociis eorum. *Fallor , si in hisce tribus non irrepserit confusio : nam* depositio *videtur potius indicare confessorem quam martyrem ; per hos vero qui adjunguntur* cum sanctis sociis eorum,*quid intelligas, nisi martyres? An Ancyranos in Galatia ? Mihi id non compertum. Forte ab Ancyranis avulsi fuerint per interpositionem* S. Elladii. *Non mirum palpare nos in tenebris , ubi obscura nox est.* Elladium et Aulanum *cum titulo* episcoporum et confessorum , *jam notavi supra : de quibus plura in Prætermissis hodiernis.* S. Optatum *episcopum Autissiodorensem damus hac die. An Vitalica secundo loco posita, et per τὸ item a priore distincta, ad Ancyram in Galatia spectet, etiamsi mihi certo exploratum non sit,ad eumdem tamen veluti palæstræ locum, Florentinium secutus,præsertim cum aliunde nihil obstare norim , quo minus ad aliorum Martyrum præcedentium manipulum pertinere possit. Et hoc sensu apposui eam Ancyranis supra in catalogo Sanctorum ante hunc diem.*

admodum perturbati.

F

DE

A D

DE S. PAULINO EPISC. TREVIRENSI

IN PHRYGIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus ex Fastis sacris; natales, educatio, initium episcopatus; acta pro S. Athanasio contra pseudo-synodum Sirmiensem.

Anno ccclix vel ccclx. Inscribitur sacris Fastis hac die,

Treviri *seu Augusta Trevirorum, urbs Belgicæ primæ, antiquitate, Sanctorum plurimorum hospitio ac martyrio memorabilis, longiore descriptione non indiget, satis utpote nota, sicut indicavimus ad diem* xxv *Julii in S. Magnerico ejusdem urbis archiepiscopo, ubi pag.* 168
B *copiosissimas de illa notitias assignavimus. Inter alios vero præsules suos, quos sacris Fastis inscriptos pie veneratur, occurrit hac die* S. Paulinus. *Annua ejus memoria annuntiatur in plurimis Martyrologiis, e quibus nonnulla dumtaxat referam antiquioris notæ. Ado sic eum memorat et laudat:* Treviris, natalis sancti Paulini episcopi confessoris: qui tempore Arianæ infestationis, à Constantio imperatore ob catholicam fidem exilio relegatus, et usque ad mortem, etiam extra Christianum nomen, mutando exilia fatigatus, ad ultimum apud Phrygiam defunctus, beatæ passionis coronam percepit a Domino. *Similia habet Usuardus. Wandelbertus metricum hoc panxit de* S. Paulino *elogium*:

Paulinus pridie Treverorum mœnia lustrat,
Exilio antistes vero pro dogmate clarus.

Rabanus hunc Præsulem etiam refert. Sollerius in observationibus ad Usuardum notat eum exornari passim a Martyrologis, præsertim Hieronymianis, in eisque hodie positum, In Treveris depositio sancti Paulini episcopi et Confessoris, *iterum repeti ad diem* iv *Septembris*: Treveris depositio sancti Paulini.

et 4 Septembris. 2 *Florentinius in notis ad eumdem diem* iv *Septembris*, Cur, *inquit*, S. Paulini episcopi
C Trevirensis depositionem hic repetant tam libri nostri quam Martyrol. Corbeiense, cum eamdem indicaverint pridie Kal. Septembris, difficile est affirmare: nisi pro depositione aliqua veneneretur translatio, utpote translato corpore ab exilio Phrygiæ, ubi martyr obiit. *Verosimile nobis videtur, satis convenientem duplicis hujus annuntiationis rationem assignari, si ad modo dictam relationem, vel ad aliam translationem, aut elevationem vel inventionem corporis recurratur. Nescio, cur Notkerus, ex Adone pleraque sua passim describere consuetus, ducem suum non satis fideliter sit secutus, quando dixit*, Apud Africam beatæ passionis accepit coronam. *Ceterum* S. Paulinus *habetur etiam in Martyrologio Romano, et iisdem fere verbis, quæ recitavimus ex Adone et Usuardo. Superius eum annuntiavimus in Phrygia, quia in ea Asiæ minoris regione virtutum ac laborum suorum coronam a Deo accepit. Nunc res ejus gestas illustrare conabimur.*

3 *Ex Aquitania oriundus dicitur, et apprime nobiles habuisse natales. Browerus Annalium Trevirensium tomo* I, *lib.* 4, *pag.* 236, *num.* 73 *editionis secundæ memorat ista in rem nostram*: Eum veteres etiam ortum ex Aquitania, parentibus prima nobilitate; educatum vero et disciplinis Christianæ sapientiæ excultum a B. Maximino, atque una cum ipso, superstite etiamnum Agritio, profectum in Treviros: nec plura ferme de ipsius adolescentia tradunt. *De Sancti autem nobilitate sic disserit*: Non vereor equidem ad E Paulinam gentem in Aquitania nobilem cumprimis, ejus referre genus: quia tam constanter majores eum prodidere natione ac domo Aquitanum, prosapia nobilissima. Et vero sine commendatione opum, et autoritatis senatoriæ, in externa et ambitiosa Republica vix alias credibile, tantum meruisse fastigium. Paulinam quoque gentem, etsi non desint eruditi *(vide Baronium ad an.* 394, *a num.* 78 *)* qui senatoribus admisceat Romanis, de quibus Prudentius *contrà Symmachum scribens, et agens de senatus ad Christum conversione lib.* I:

In Aquitania natus dicitur; nobilitas, educatio sub S. Maximino,

Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Prompta fides dare se Christo,

Lubentius tamen amplectar notionem eam, quæ Burdigalæ florens Pontii prænomen tulit, a qua hodieque regionem urbis superesse volunt, Paulinis cognominem: cujus antiqua stemmata Venantius Fortunatus in Leontio illius urbis episcopo mirifice extulit, *dum lib.* I, *Carmine* 15 *ipsius laudes cecinit. Pergit Browerus*: Eadem intuitus Appollinaris Sidonius, de alio quodam ejusdem gentis *hæc scribit lib.* 8 *epist.* 12: Ecce F Leontius meus, facile primus Aquitanorum; ecce jam parum inferior parente Paulinus. *Et mox ab eodem Browero Sidonius affertur ista canens de burgo Pontii Leontii Carm.* 22:

Quem generis princeps Paulinus Pontius olim
Cum Latius patriæ dominabitur, ambiet altis
Mœnibus, et celsæ transmittent aëra turres.

Hisce ex locis satis colligitur, *ait idem Annalium scriptor*, claram in Aquitania extitisse Paulinorum prosapiam. *Ex hac, si scriptori Vitæ* S. Paulini *nostri credimus, qui referet num.* 2, *eumdem Præsulem* ex Aquitanicæ regionis partibus nobilissima prosapia. . esse procreatum, *potuit natales traxisse Sanctus; quamquam non possim dissimulare, majore cum fiducia me præsenti materiæ adhæsurum esse, si aliunde eam viderem confirmari.*

4 *Melioris etiam notæ testimonio, quam sit Vita S. Agritii episcopi Trevirensis apud nos ad* XIII *Januarii edita, stabilita vellem, quæ in eadem memorantur de S. Maximino et* S. Paulino, *discipulis ejus, pag.* 780: Dubitabile itaque non est, fratres mei, spiritu prophetico hunc virum sanctum *et S. Agritio.*

AUCTORE J. P.

A sanctum fuisse prædoctum, quantum in domo Dei forent necessarii tales agonistæ, quibus tam præcipuum disciplinæ studium scitur impendisse. *Utriusque elogium ibidem habetur. Quo autem anno* S. Paulinus *ad illum accesserit, non habeo exploratum. De morte ejus agit Browerus ad annum* 335 *: quem nos sequendum rati in Commentario prævio ad mox indicatam Vitam pag.* 773, *obitum ipsius eidem circiter anno innexuimus : ultra quod proinde tempus differri non potest secundum hanc notationem chronologicam accessus* S. Paulini *ad disciplinam ejus; immo hic aliquot annis fortasse citius acciderit, quia S. Maximinus, Agritii in sede Trevirensi successor, circa annum* 332 *signatur apud nos ad diem* XXIX *Maii pag.* 19 *in Commentario ipsius Vitæ prævio : mors vero ejus anno* 349. *Legi etiam possunt quæ habet Tillemontius tomo* 7 *Monumentorum ecclesiasticorum in nota* 2 *super S. Maximino ; ubi pag.* 695 *utrumque hunc annum ex nobis adoptat. Apud hos itaque sanctos magistros Agritium et Maximinum diu versatus* S. Paulinus, *opportunitatem habuit, unde ex eorum monilis atque exemplis instrueretur* B *ac roboraretur ad prælianda prælia Domini adversus Arianos. Atque hæc quidem sunt decora, quibus Vir celeberrimus episcopalem suam sedem potissimum exornavit, jacturam, quam Ecclesia Catholica fuerat passa per obitum S. Maximini, egregie reparans.*

Dissertatio 5 *Anno* 349 *incepit* S. Paulinus *suum episcopatum, qui non videtur posse ulterius differri propter obsequium ab ipso præstitum in causa S. Athanasii, quod cum dicto anno chronologice connexum est. Eidem quippe anno affigenda est Valentis et Ursacii palinodia, qua, ut admitterentur in communionem Ecclesiæ, edito a se instrumento propria manu subscripto, declarabant omnia adversus S. Athanasium a se objecta, esse meras imposturas. Rem paullo latius declaro. Tomo* I, *parte* I *Operum S. Athanasii a monachis Benedictinis editorum, in Apologia, quam scripsit contra Arianos, pag.* 177 *dicunt ista laudato Sancto :* Sane habere nos locum tecum et communionem ecclesiasticam, his litteris scito. *In epistola ad Julium PP. ibidem pag.* 176, Quoniam, *inquiunt*, constat nos antehac C multa gravia de nomine Athanasii episcopi litteris nostris insinuasse, . . profitemur. . omnia . . falsa nobis esse insinuata. *Sanctus vero Athanasius ibidem præmiserat sequentia.* Hæc cum viderent Ursasius et Valens *(egerat Sanctus de se ecclesiæ Alexandrinæ restituto)* sua se damnante conscientia, Romam sunt profecti, peccatumque suum pœnitentia ducti confessi sunt, ac veniam postularunt, Julioque Romæ veteris episcopo, itemque nobis hæc scripserunt : quorum exemplaria mihi sunt a Paulino Trevirorum episcopo transmissa. *In Græco est* Τριβέρων. *Consuli etiam potest Historia Arianorum ad monachos ejusdem sancti Patris loco citato pag.* 359, *ubi eadem vox Græca occurrit. Tillemontius nota* 3 *in S. Maximinum observat, alibi legi* Τιβέρων, *eademque occasione multa congerit de lectione* Τιβέρων *et* Τριβέρων *: priori autem modo nomen illud formari indicat in editione Parisiensi anni* 1627, *et sine dubio etiam haberi in aliis, cum Baronius ad annum* 350, *num.* 20 *eum appellet* Tiburis episcopum *(Tibur autem est urbs in Latio.)*

de anno, 6 *Et vero Baronius ad eumdem annum numero* 28 *adeo non credidit* Paulinum *hunc fuisse episcopum Trevirensem, ut loco* Maximi *episcopi substituat S. Maximinum* S. Paulini *decessorem, qui jam obierat, ut statim probabitur :* Hoc eodem tempore, *inquit*, missa est a Magnentio tyranno ad Constantium imperatorem legatio. Fuerunt autem ad hoc opus delecti . . Servatius et Maximinus, ille Tungrensis, iste Treverensis civitatis antistites *etc. Vide Apologiam S. Athanasii ad Constantium imperatorem pag.* 300, *et notas ibidem, ubi inter alia sunt ista :* In omnibus editis et Mss. Athanasii Apol. contra Arianos pag. 150 legitur Τιβέρων vertitque Nannius « Paulino episcopo Tiburis » quem secutus est Baronius. At Parisienses editores suo marte « episcopo Trevirensi posuerunt ». Vero sane similius est Tyburensem, quam Trevirensem episcopum litteras Julio Romano datas Athanasio transmisisse, licet res omnino explorata non sit. *Propter hanc sine dubio rationem, sicut advertitur apud Tillemontium loco citato, Benedictini, qui imprimi curarant in sua nova editione* Τριβέρων, *calamo id correxerunt, ut ibi relinquerent* Τιβέρων. *Hæc quidem ille ; sed in meo exemplari istius editionis pag.* 176, *quæ assignatur apud* E *Tillemontium, et a me jam paullo ante indicata est, nihil lego mutatum. In Vita S. Athanasii, quam ipsius Operum editores ponunt post præfationem, dicuntur ista pag.* XLVII : Reversi ad suas sedes *(Ursacius et Valens)* necdum posita formidine, litteras pœnitentiæ suæ testes mittunt ad Julium Papam : quarum exemplar Athanasio per Paulinum Tiburensem episcopum transmissum fuit.

7 Tiburensem enim, non Trevirensem hic *quo S. Paulinus* legi oportere propalam est : quando in Mss. Τιβέρων, et episcopus Tiburensis apud Photium vocatur *(non additur ubi)* ἐπίσκοπος Τιβέρων. Sane verisimilius est, Tiburensem episcopum Italum, quam Trevirensem, litteras valentis et Urfacii ad Julium Athanasio misisse. *Refragatur Tillemontius : nam cum constet, errorem irrepsisse in locum alterutrum (pag.* 176 *vel* 300 *:) ac ipsimet Benedictini ponant* Τριβέρων *in loco ultimo, videtur, inquit, tam supponi posse error in loco primo quam in secundo : deinde addit : magis esse verosimile, quod S. Athanasius Græce in numero singulari positurus fuisset nomen* Tibur, F *ut Latini faciunt, quodque usus non fuerit numero plurali, nisi ut se conformaret usui Latinorum, qui numero plurali nuncupabant civitatem, de qua hic loqui volebat. Hæc ex illo. Quod ad Photium attinet ; ex eo dumtaxat sequitur, ut ille seculo nono sic legerit, non vero ut recte legerit, vel sic legi tunc debuerit, vel nunc debeat. His itaque consideratis, probabilius nobis apparet,* S. Paulinum *a S. Athanasio supra nominatum, non esse a nostro diversum.*

8 *Baronius ad annum* 350, *num.* 2 *concilium Hierosolymitanum sub S. Maximo celebra- cathedræ Trevirensi tum affigit eidem isti anno, atque adeo post mortem Constantis imperatoris, qui obierat mense Martio, ut putat Baronius, quin immo mense Januario secundum Tillemontium tomo* 4 *Imperatorum in Constantio imperatore articulo* 16, *et Pagium ad annum* 350, *num* 2. *Deinde idem Baronius palinodiam seu retractationem Ursacii et Valentis refert num.* 18 *anni jam dicti* 350 ; *ac num.* 16 *agit de S. Athanasio ecclesiæ Alexandrinæ reddito ; sed Pagius num.* 3 *rem innectit anno* 349, *uti et Tillemontius nota* 64 *in S. Athanasium pag.* 693. *Synodus enim ista sic scribit in Apologia S. Athanasii contra Arianos*

AUCTORE J. P.

rianos pag. 175 : Dignas universorum Deo gratias agere non valemus . . , quando . . Athanasium vobis restituit. *Epistola synodi inscribitur populo Alexandriæ et aliis :* Vestri, *inquit*, autem Officii est pro pietate religiosissimorum imperatorum orare.

præesse cœpit :

9 *Vivebat itaque etiam tunc Constans, post cujus mortem agnovit Oriens unum dumtaxat imperatorem usque ad annum* 351, *ut observat Tillemontius pag.* 694, *quo Gallus creatus est cæsar. Hanc synodi epistolam dum recitarat S. Athanasius, ponit eorum nomina, qui subscripserunt ; et mox subdit pœnitentiam Ursacii et Valentis :* Hæc cum viderent *etc.*, *quæ supra recitabam. Dici itaque non potest, retractationem illam fuisse missam prius a* S. Paulino *ad Athanasium, quam hic restitui jussus esset anno* 349. *Idem confirmatur ex ordine narrationis in Historia Arianorum ejusdem sancti Patris ad monachos, in qua gaudio Ægyptiorum exposito in suo adventu, subdit pag.* 359 *Ursacii et Valentis pœnitentiam* per hasce litteras, quas Julio episcopo Latine scriptas misere, quæque Græce B translatæ sunt. Quarum exemplar Latine nobis a Paulo *(ita ibi vocatur)* Trevirensi episcopo transmissum est. *Res itaque hæc accidit ante synodum Hierosolymitanam, ac post reditum S. Athanasii ad Alexandrinos, atque adeo ante mortem Constantis imperatoris, et ante finem anni* 349 ; *atque adeo eodem anno* 349 S. Paulinus *erat Trevirensis episcopus. Epistolam Ursacii et Valentis Julio PP. oblatam innectit Pagius eidem anno, ut videre ibidem licet num.* 5,*ubi addit,* Pannoniæ, et Mœsiæ *episcopos fuisse. Sed jam ad alia progrediamur.*

acta in causa fidei

10 *Synodus Sirmiensis contra Photinum anno* 351 *habita est, ut collector Monumentorum eccl. in notis super Arianis tomo* 6, *pag.* 766, *et Pagius ad istum annum a num.* 10 *memorant contra Baronium, qui ad annum* 357 *num.* 1 *et sequentibus concilium illud* (dicendum, *inquit*, potius conventiculum satanæ) *eidem anno innectit, quod etiam fit in Labbei et Harduini collectione conciliorum. Browerus ad annum* 351 *num.* 75, Religionis, *ait*, res, Arrianis tunc cuncta miscentibus, fluctuabant in incerto : quippe in eumdem hunc annum conventiculi Sirmiensis acta C eruditis referre placuit, sine veritatis, ut arbitror, dispendio : quibus Socrates et Sozomenus ambo tam diserte patrocinantur *etc.* Quin et Paulini Trevirorum episcopi eum in hac Sirmiensi caussa insignis enituerit constantia, ac sententiæ gravitas, nisi hoc constituto tempore vix reperias, quo scriptionem et censuram Paulini de Sirmiensibus actibus, quam Sulpitius Severus celebrat, ante beati Præsulis exsilium bene colloces.

et S. Athanasii.

11 *Hujus orthodoxam fidem laudatus Severus Sulpitius lib.* 2 *Sacræ historiæ a pag.* 165 *editionis Lovaniensis sic commendat :* Ea tempestate Arriani perfidiam suam occultabant, non ausi palam erroris sui dogmata prædicare : Catholicos se gerebant, nihil sibi prius agendum rati, quam ut Athanasium ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat : quo remoto, reliquos in libidinem suam cessuros sperabant. Sed pars episcoporum, quæ Arium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit : pars coacti metu et factione in studia partium concesserant : pauci, quibus fides chara, et veritas potior erat, injustum judicium non receperunt. Inter quos Paulinus, episcopus Trevirorum, oblata sibi epistola, ita subscripsisse tra- D ditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare *. *f. præbere *Atque hoc quidem facto Episcopus sanctissimus quasi proludere visus est aliis pluribus, quibus et magna agens et multa patiens in causa fidei Catholicæ et S. Athanasii, in utraque invictum se adversus Arianos pugilem comprobavit.*

§ II. In exsilium relegatur Sanctus a conciliabulo Arelatensi ; a S. Athanasio laudatur ; locus et annus mortis ; an fuerit martyr, sacra ejus crypta Treviris.

Sanctus Arianis adversus

Conciliabulum *Arelatense*, *pessimis machinationibus et dolis adversus orthodoxam fidem ejusque propugnatorem S. Athanasium infame, anno Christi* 353 *publicum exstitit theatrum,* E *in quo* S. Paulinus, *episcopis aliis ibidem congregatis condemnationi Photini, Marcelli et S. Athanasii consentientibus, et solus quidem, ut refert Tillemontius in Indice chronologico ad tomum* 6 *suorum Monumentorum pag.* 833, *invictum se murum posuit pro eodem viro sancto, et in exsilium relegatus est. De hoc concilio varia ex variis auctoribus scribit supra citatus Monumentorum ecclesiasticorum collector articulo* 45 *inter ea, quæ habet de Arianis pag.* 357. *S. Hilarius Pictaviensis episcopus in Fragmentis, quæ anno* 1598 *edita sunt Parisiis,* Incipiam, *ait*, ab . . eo tempore, quo primum in Arelatensi oppido frater et comminister meus Paulinus, ecclesiæ Trevirorum episcopus, eorum se perditioni, simulationique non miscuit, et qualis fuit illi sententia exponam, a qua referens voluntatem, indignus ecclesia ab episcopis, dignus exilio a rege est judicatus. *Hæc ibi sanctus ille Pater pag.* 6 : *in Operum autem S. Hilarii editione, a monachis Benedictinis vulgata, Fragmento* 1, *num.* 6, *col.* 1282 *et* 1283. *Laudatus sanctus Pater lib.* 1 *ad Constantium Augustum, num.* 8, *col.* 1222, Venio nunc, *inquit*, ad id quod recens gestum F est. . Eusebius Vercellensis episcopus est vir omni vita Deo serviens. Hic post Arelatensem synodum, cum Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus contraisset *(anno videlicet* 353 *)* venire Mediolanum *(anno* 355 *)* præcipitur. *Ante concilium igitur Mediolanense* S. Paulinus *restitit Arianis, ex hoc Hilarii loco : ex altero autem modo citato in exsilium abire jussus fuit in concilio Arelatensi.*

mittitur in exsilium, quod et alii subierunt : sed non

13 Sanctorum virorum exsilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii *refert S. Hilarius in libro uno contra Constantium imperatorem col.* 1238, *ubi plura, ut vides, simul conjungit : ne vero ea commisceantur, observant ista editores Benedictini ad hunc Hilarii locum :* Paulinum ab Arelatensi synodo anno CCCLIII desinente e sua sede pulsum esse constat tum ex libello I ad Constautium n. VIII, tum maxime ex fragmento I, n. VI ; Luciferum autem, Eusebium ac Dionysium a Mediolanensi an. CCCLV. Neque ignoravit Athanasius, quid utraque illa synodo gestum sit, de quibus scribit ad Solitarios pag. DCCCXXIX. Cum autem esset (imperator) Arelate, et Mediolani omnia pro hæreticorum adhortatu suggestioneque

AUCTORE J. P.

A gestioneque faciebat, vel potius illi ipsi agebant insultabantque in omnes cæsaris potestate succincti. Quia tamen ille Apolog. pag. DCXCII, quemadmodum hic noster Hilarius, Paulini exsilium una cum exsiliis Eusebii, Luciferi ac Dionysii memorat; factum est, ut Socrates lib. II, cap. XXXVI, et Rufinus lib. I Hist. eccl. c. XIX, Paulinum cum ceteris ab una synodo Mediolan. in exsilium trusum esse existimarint. Immo his addit Rufinus Hilarium atque Rodanium: qui a Sulpicio Severo pariter superioribus adjunguntur. Unde Blondellus Hilarium anno CCCLIV relegatum scribit. At hos omnes exsilio conjunxit, non tempus, sed causa una, Athanasii scil. ac fidei Nicænæ defensio. *Horum meminisse juvabit ad caput* I *Vitæ num.* 8.

eodem tempore.

14 *Hinc corrige Browerum, qui ad annum* 355, *num.* 83 *de concilio Mediolanensi agens confundit prædicta exsilia, et* S. Paulini *tamquam in isto concilio præsentis constantiam laudat his verbis:* Qua re audita, Dionysius Mediolanensis, Paulinus Trevirorum, et qui pro Liberio B aderant, Eusebius Vercellarum, Lucifer Caralis * Sardiniæ episcopi, præcipuam iu fidei Nicænæ defensione constantiam sumere, palamque ibi denuntiare, prius de episcoporum fide quæstionem inferri, quam de Athanasii caussa cognosci placere. *At fortissimum nostrum Pugilem non exsilio dumtaxat, sed aliis præterea calamitatibus, ac etiam blanditiis ab eodem Constantio imperatore tentatum fuisse pro optima S. Athanasii causa, docet S. Hilarius modo citatus, ubi col.* 1246 *sic in illum invehitur:* Aut tu Paulinum beatæ passionis * virum blandimento sollicitatum relegasti, et ecclesiam sanctam Trevirorum tali sacerdote spoliasti. Edictis fidem terruisti. Ipsum usque ad mortem demutasti exsiliis et fatigasti: extra Christianum quoque nomen relegasti, ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montanæ Maximillæque antro profanatum exspectaret. Mediolanensem piissimam plebem *etc. Baronius ad annum* 355 *num.* 29, Hæc, *ait*, idcirco dicit de Paulino Hilarius, quod prius relegatus fuerit in Phrygiam, ubi erant Cataphryges hæretici, Montani Maximillæque sectarii, inde vero ad barbaros amandatus. *Addunt ad hunc* C *Hilarii locum editores in notis:* Quasi diceret: Parum erat Constantio, Paulinum inter Cataphrygas amandasse, eum etiam extra Christianum nomen expulit. Quod hic MONTANÆ legitur, librariorum lapsum putamus, præsertim cum lib. 2 ad Constant. exstet MONTANUS, non MONTANA.

* l. Calaris

* al. confessionis

elogium eorum

15 *Tam multa vero sunt, quæ* S. Paulini *et aliorum Catholicorum episcoporum exsilium illustrant, ut ea memorari, mereantur ex S. Athanasio in Historia Arianorum ad monachos a pag.* 363, *ubi hæc scribit:* Ejus enim *(Constantii imperatoris)* auctoritate freti Christi adversarii, quæ placent omnia arbitratu suo perficiunt. Porro cum sese putant plurimis ejus opera insidias parare, non advertunt sane se multos efficere confessores. E quorum numero sunt viri, qui jam claram edidere confessionem, ipsique religiosi ac probi episcopi, Paulinus Trevirorum Galliæ metropolis episcopus, Lucifer metropolis Sardiniæ episcopus, Eusebius Vercellorum Italiæ urbis, Dionysius Mediolani: est autem et ipsa metropolis Italiæ. Accitis enim illis præcepit imperator, ut contra Athanasium subscriberent, ac cum hæreticis communicarent. Quibus rei insolentia stupentibus, ac dicentibus, id ecclesiastici non esse canonis; statim ille: At quod ego volo, id pro canone, inquit, habeatur: me quippe ita loquentem Syri episcopi tolerant. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque extorres futuri estis.

ex S. Athanasio:

16 His auditis episcopi, remque summopere miranti, manibus ad Deum tensis, compellare virum, docereque, non suum esse imperium, sed Dei, qui tradidisset: rogare, ut eum timeret, ne derepente datum adimeret: interminari judicii diem, suadereque, ne ecclesiasticas res pessumdaret, neu Romanum imperium cum ecclesiasticis statutis commisceret, vel Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum ille neque audivit, nec eos plura dicere permisit; quin et acrius districto adversum illos gladio comminabatur, imo ex iis nonnullos ad supplicium abduci jusserat: sed postea, uti Pharao, sententiam mutavit. Excusso itaque pulvere Sancti illi, erectisque ad Deum oculis, neque minas imperatoris reformidarunt, neque stricti gladii metu veritatem prodidere: sed exilium pro ministerii sui officio habuerunt. Dum enim per loca perque civitates transirent, etsi vinculis constricti, nihilominus euangelizabant, ac piam fidem prædicantes, Arianam hæresim anathemate damnabant, traducebantque Ursacii atque Valentis pœnitentiam. Quod contra, quam rati erant, cessit insidiatoribus: nam quanto longiore intervallo distabat exsilii locus, tanto majus in illos odium concitabatur, Sanctorumque virorum commigratio, vera fuit prædicatio adversus illorum impietatem. Quis enim, dum peragrantes cerneret, non admiratus illos ut confessores, Arianos non tantum ut impios, sed etiam ut carnifices et homicidas non aversatus exsecratusque est, et non quovis potius quam Christianorum nomine appellavit? E

17 *Gloriosa itaque exsilia laudatissimi isti veritatis Catholicæ propugnatores acceperunt pro bravio. Quos inter* S. Paulinus *amandatus est in Phrygiam Asiæ minoris regionem, impio Constantio imperatore id agente, ut, mutatis exsiliorum ipsius locis, Virum sanctissimum fatigaret usque ad mortem, prout referebat S. Hilarius modo citatus, qui nullum tamen exsilii locum in Phrygia nominat, nobis aliunde etiam incompertum. Ibidem quoque invictissimus ille Pugil illustrium suorum pro orthodoxa fide cum Arianis certaminum metam ac vitam posuit anno* 358, secundum Chronicon S. Hieronymi, *inquit Tillemontius Monum. eccl. tomo* 6 *in Arianis articulo* 50, *pag.* 361, *anno* 1658 *Amstelodami editum: hac enim editione se uti indicat in tabula citationum ante eumdem tomum. In editione autem Lugduno-Batava anni* 1606, *qua utor, sic lego ad annum* 359: Paulinus Trevirorum episcopus in Phrygia exulans moritur. *Eumdem annum signat Baronius in Annalibus (vide ibi num.* 109*) citans etiam Chronicon Hieronymi. Sed editio Pontaci scribit annum* 362. *Browerus obitum ejus ponit anno* 358, *uti etiam Baitletus in ipsius Vita. Fuit vero hic annus nonus episcopatus; exsilii quintus, secundum dicta superius. Ex his apparet, non satis constare inter auctores de anno emortuali Confessoris nostri presse sumpto. Nos mediam quasi viam tenentes eum antea num.* I *affiximus anno* 359 *vel* 360. *Creditur autem obiisse hac die* XXXI *Augusti.* F

locus exsilii, et annus

18 *His ita expositis, quis non miretur Florentinium hac die in notis ista scribere potuisse?* Præter ea, quæ hac ipsa die adducit pro sancto exule ac

mortis S. Paulini:

AUCTORE J. P.

ac confessore Paulino Treverensi Cardinalis Baronius, videndus est Mersæus in Annal. archiepiscoporum Trevirensium : ubi docet S. Paulinum a S. Martino Turonensi consecratum, et a D. Ambrosio dilectum et excultum. *S. Martinus ad Turonensem cathedram evectus est anno* 371, *vel probabilius* 372, *ut affirmat Tillemontius tomo* 10, *articulo* 3, *pag.* 315, *inter alia plurima, quæ de hoc sancto præsule collegit. Annus vero* 371 *præplacet Longuevallio in Historia ecclesiæ Gallicanæ lib.* 2, *pag.* 301, *qui addit, hunc esse ætatis ejus circiter* 55. *Sanctus autem Ambrosius tomo apud Tillemontium mox citato, articulo* 3 *in eodem S. Ambrosio, pag.* 82, *ponitur natus anno circiter* 340; *qui etiam placet Pagio ad annum* 369, *num.* 13. *Hinc liquet, quam inepte Florentinius mittat lectorem ad Mersæum, ut hujusmodi parachronismos discat.*

non fuit

19 *Clarissimum* confessoris *nomen a gravissimis scriptoribus* S. Paulinus *accepit. At cur non martyr vere dici possit; cui causa fidei exsilium; exsilium vero mortem intulit? Vide Annotata ad cap.* 1, *lit.* o. *Sunt tamen qui volunt violenta morte*
B *pro Christo interemptum. Florarium enim nostrum Ms. ista habet hac die :* Præsul vero et martyr Christi Paulinus a Constantio imperatore Arriano veræ fidei causa in Phrygiam exul destinatur, ibique pro nomine Christi decollatur et sepelitur. Dum enim veram fidem instantius prædicaret, gentilibus accensis in rabiem cæsus est. *Ab hac sententia non abhorret Browerus ad annum* 358, *num.* 97 *et* 98 : Sunt inter domesticos, *ait*, qui B. Paulinum capite truncatum, non confessione aut ærumnis exilii tantum, sed profusione sanguinis martyrium etiam obiisse tradunt : quorum autoritatem nequaquam ego defugero, vetere quodam et marmoreo B. Paulini pro ipsis loquente cenotaphio, quod hodieque in basilicæ stat odeo commissum præcipuo altari.

martyr strictissimi nominis,

20 *Quibus deinde hæc subjungit* : Ferunt autem, cum B. Paulini cineres in humiliore sub odeo crypta servari minime dubium sit, marmoreum id, quod dixi, saxum ex tabulis sepulchri in morem compositis, Caroli magni ævo, ab Amalario Fortunato Trevirorum antistite, cineribus sacris eo transferen-
C dis exstrui cœptum; sed opere needum perfecto Fortunatum jam exstinctum, quem B. Paulino pararat, ipsum adeptum fuisse tumulum. Hæc domestici : *(citato ad marginem* Ms. de reliquiis eccles. S. Paulini.) *Sed pergens*, At Metensium, *ait*, literæ in veteri jamque abolita S. Arnulphi basilica conditum hunc Amalarium Fortunatum, et Sancti honore cultum olim fuisse testantur. Cæterum incisus marmori character quamvis scitus, et ipsa vetustate blandiens, serie temporum valde tamen est impeditus, objectoque altari versus Occidentem, parte quadam interruptus. Est porro ejusmodi : ANNO III IMPERII CONSTANTII B. PAULINUS OB CATHOLICAM FIDEM EXTRA CHRISTIANUM NOMEN [relegatus, et usque ad mortem exsilia mutando fatigatus, Phrygibus] ET MICONIBUS * PRÆDICAVIT, ET FRACTIS DIIS GENTILIUM, ECCLESIAS FUNDAVIT, AD ULTIMUM APUD PHRYGIAM MULTIS TORMENTORUM GENERIBUS EXQUISITUS, CAPITE CÆSUS EST II KALEND. SEPTEMB. AN. CCCXCV INCARNATI VERBI, ET MIRACULIS MAGNIFICE CLARIFICATUS A S. FELICE [Trevirim ex Phrygia translatus, cujus) GRATIAM ET INTERCESSIONEM, MARTYRUM QUOQUE SUB RICTIOVARO * GLORIAM ET CORONAM FIDELIUM POPULUS HIC ADORAT, ET VOTI COMPOS VENIAM EXORAT. D

* f. LYCAONIBUS

* PASSORUM

21 *Sed hæc inscriptio, diu admodum post* S. Paulini *obitum exarata, non habet sufficientem antiquitatem, ut multa illa tormentorum genera, et capitis amputationem persuadeat, quæ utpote scripta non sit ante Dionysium Exiguum, qui floruit seculo sexto, primusque annos numerare cœpit a Christi Incarnatione, sicut sit in prædicta inscriptione. Videri potest Baronius ad annum* 527 *num.* 71 *Sed alia quædam circa eamdem inscriptionem animadvertenda occurunt. Vides inæquales in eadem characteres, uncinis* [] *inclusos : quod ideo fit apud Browerum, ut restituerentur ea, quæ legi amplius non poterant. Sed* an. cccxcv *inscriptionem illam reddit etiam suspectam. Nec vero martyrium violenta morte consummatum suadent verba, quæ Browerus præmiserat ex Luciferi Calaritani libro, quo docet* moriendum pro Filio Dei, *Constantii crudelitatem increpantis :* Mactasti quamplurimos in Alexandria, laniasti certos toto in orbe, dispersisti resistentes tibi variis in locis; sed hi omnes, quod tu audire minime vis, martyres sunt. Illos omnes E beatissimos tuo mactatos gladio, in paradiso esse quidem credimus. . Dicatos Deo homines torques, interficis, exterminas, et cur hæc geras, caussas odiorum reddere non vales. *E quibus concludit ista :* Non igitur a Constantii more, nec horum temporum conditione alienum, ut B. Paulinus persecutoris gladio caderet. *Verum ex his dumtaxat concludi potest, nihil obstare, quo minus id fieri potuerit : quod vero factum sit, inde non satis probatur. Ego enimvero nec morte violenta, nec capitis amputatione sublatum Præsulem possum credere, cum ea de re taceat genuina scriptorum antiquitas.*

ut nonnulli volunt :

22 *Laudatus Annalium Trevirensium conditor num.* 98 *de Sancti sepulcro agit*, Hodie, *inquiens*, quo loco B. Paulini corpus in crypta quiescens, præstantissimorum corona Martyrum cingitur, literis vetustis inscripti desuper laqueato cælo opere musivo versus, qui per cavos ducti fornices egregio artificio compositis tessellis, et vario colore ac pictura illuminatis, solenne illud Xi, nominis Christi symbolon, ductu suo repræsentant :

locus corporis depositi apud Trevirenses.

QVAM BENE PONTIFICVM DVX PATRICIVSQVE COHÆRENT. F

GALLICA PALMACIVS, THEBÆA DAT AGMINA TYRSVS.

DVCIT VTERQVE SVOS, ET DVCIT VTRVMQVE SACERDOS.

Cernitur etiam in medio laqueati cœli fastigio, quia fornices hemicycli figura columnis marmoreis nixi superne coëunt, orbis ejusdem artificii, Agnum Dei cum crucis vexillo repræsentans, hac inscriptione TV REDEMISTI NOS DEO. *At de sacra ista crypta, quam hoc loco Browerum secutus obiter descripsi, plura dicentur inferius.*

§ III.

A

§ III. Corpus e Phrygia Treviros translatum ; a Normannorum profanatione conservatum, ac deinde inventum.

Corpus Treviris honorifice depositum, quod Normanni

Browerus *ad annum* 396, *num.* 209 *de corpore* S. Paulini *e Phrygia Treviros translato hæc narrat*: Per id quoque tempus cum Felix Trevirorum episcopus. . civitatis obstrinxisset sibi studia, . . facile consecutus est, ut publico provinciæ sumptu B. Paulini. . corpus. . ex Phrygia, qua detentum fuerat hactenus, transferret in suam sedem. . Postquam *autem* rediit Felix. . eleganti opere basilicam posuit in urbe cum monasterio; quam votam dicatamque Virgini beatæ Dei Genitrici, tum Martyrum Treverici Thebæique nominis sacratis ossibus tamquam gemmis B quibusdam distinxit, tum B. Paulini corpore, in crypta religiose catenis suspenso . . communivit. Corpori loculum aptavit æterno, et, ut reor, cedrino ligno, ignotum sibi genus confessi majores; byssinisque ac sericis induto orbem pectori imposuit argenteum cum solenui tunc Christi nominis inscriptione, quod et in capite tumbæ, atque ad Martyris pedes forinsecus expressum: *cujus schema a Browero ibidem exhibetur*: Et situs ac veneratio, *sicut pergit num.* 210, pignori sacro usque ad Normanuorum irruptionem inviolata mansit: qui iterato facibus illatis, *sed frustra; divinitus a violatione sanctissimi Præsulis fuerunt prohibiti non sine insigni miraculo, quod postea referam e Ms. Trevirensi una cum dictæ translationis historia, aliisque prodigiis deinde subsecutis. De ecclesia* S. Paulini *facta apud nos mentio die* XIII *Januarii in Vita S. Agritii pag.* 775.

seculo nono

24 *Magnitudinem operis memorat Browerus*: Basilicæ veteris molem, *inquit*, a Felice collocatam longitudinem, aiunt, collegisse quadringentos decem pedes; at latitudine centum viginti. Atque hæc. . . origo et ornamenta basilicæ: quæ varias post hostiles experta clades, nec non cre- C bris afflicta incendiis, priscæ sedis vix ulla vestigia tuetur. *De istius ædis sacræ antiquitatibus scribitur apud eumdem Browerum in Proparasceve ante* I *tomum Annalium Trevirensium pag.* 40. *Porro in eisdem sic asseritur ad an.* 396 *num.* 210: Translationis ac depositionis hujus fama celeberrimæ memoriam III Iduum Maii conservat: *de qua consuli possunt Fasti sacri eodem die a nobis citati inter Prætermissos pag.* 187. *Quæ autem dicebam modo de profanatione a Normannis tentata adversus sacrum depositum* S. Paulini, *ita declarantur et confirmantur apud Acherium in Spicilegio tomo* 12, *pag.* 217, *ubi in Historia Trevirensi narrantur sequentia*: Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX defuncto Ludovico imperatore *(notat editor ad marginem*, scilicet rege Germaniæ Ludovici regis Germ. filio, qui tamen anno DCCCLXXXII mortuus est) Normanni, audita ejus morte, cum omnibus viribus exeuntes, urbem Treberorum Nonas Aprilis die sacratissima cenæ Domini occupaverunt, Bertolfo episcopo cum quibusdam civibus fuga lapso.

25 In qua usque ad diem sanctum Paschæ fessa ab itinere corpore recreantes, omne territorium urbis circumquaque utique ad solum demoliti sunt, omnesque, quos intra et extra urbem repererunt, gladio occidernnt, ipsamque urbem et monasteria omnia igne succenderunt. Cumque monasterio etiam sancti Paulini ignem multotiens injecissent, sed divinitus exstingueretur, catenas ferreas, quibus sarcophagus ejus pendebat, confregerunt, sed tamen sarcophagus catenis confractis nequaquam altius terræ insedit, sed in aere pendens remansit: donec post multos annos a quibusdam infidelibus depressum subsedit, non sine vindicta in eos transfusa: quicumque enim huic sacrilegio manibus deservicruut, singulas infirmitatum plagas susceperunt. *Browerus Normannorum Trevirenses grassationem, ac Ludovici regis mortem, hostilemque in basilicam* S. Paulini *invasionem, nec non patrata tunc ibi mira intexit anno Christi* 383. *Ibidem autem num.* 7 *affert aliud miraculum*: Eadem, *ait*, in æde immanis suæ crudelitatis ediderunt *(Normanni)* exemplum, vivo homine in sacophagum incluso, atque omni illi aeris usu intercepto: qui tamen D. Paulini suffragatione, dum Normanni inde movent, servatus et incolumis ibi repertus est. *Pro qua re citatur ibi ad marginem* Sigehardus monachus in S. Maximini Vitæ memoria. *Hoc miraculum narratur etiam in Vita cap.* 2, *num.* 19. E

AUCTORE J. P. frustra conantur profanare:

26 *Idem Annalium Trevirensium auctor ad annum* 1070, *num.* 18 ex Ms. D. Paulini *hæc narrat*: Porro eodem tractu temporum Trevirensem clerum acris incessit cupido, Divorum reliquias, quas vesanus Normannorum furor ad huuc usque diem celaverat, e latibulis atque conditoriis, quibus majores barbarorum metu eas abdiderant, eruendi, atque in antiquum venerationis locum restituendi. Sed abolita prorsus loci memoria uegotium id iu primis arduum atque difficile faciebat. *Fusis deinde precibus pro sacrarum reliquiarum inventione, ad earum conditorium investigandum prævia fuit duplex apparitio, quarum altera Folberto cuidam cæco, ibidem num.* 18; *altera Frideburgæ moniali facta sit, num.* 19, *prout pluribus refert Browerus, et modo quidem satis miro.* De inquirendis, *ait*, in æde B. Paulini reliquiis anno postero agi intentiore cura cœptum. *Et mox pergens ad annum* 1071, *hæc subnectit*: Itaque re Udoni archiepiscopo nuntiata, ejus auctoritate cryptam atque altaria quædam, refossa humo, demoliendi potestatem fieri postulant. Quæ impetrata, constituto die, præstantissimos quosque tam ex clero quam episcopi comitatu viros, quorum sub oculis res tota gereretur, adhiberi visum. Hi igitur cum spectaculo intenti, plenique venerationis adstarent, ibi tunc incredibili omnium lætitia tredecim inventa, partim ex sacra Thebæorum militia, partim ex senatorio corpore Trevirorum Augustæ sacrosancta Martyrum pignora. F

idem corpus seculo undecimo quæritur

27 Quin altius retectis cryptæ fundamentis, etiam ad pretiosum B. Paulini corpus fodiendo deventum; apud cujus loculum tabula reperta marmorea, jam inde a Normanuorum illuvie terris obruta, atque alia item subter eam plumbeæ, quæ ceterorum corporum positum atque collocationem, tum Martyrum etiam certamina atque nomina his omnino verbis edebat. *Sequitur apud Browerum num.* 21 *harum rerum inscriptio; quam huc non transcribo, sed mitto lectorem ad Vitam S. Felicis archiepiscopi Trevirensis, quæ habetur tomo* III *Martii, de* XXVI *ejusdem*

et invenitur, addito ipsius crypta

AUCTORE J. P.

ejusdem mensis, e qua ibidem pag. 623 *delibo ista, quæ ad* S. Paulinum *spectant:* In medio vero ipsorum S. Paulini clarissimi Trevirorum archiepiscopi corpus est ferreis catenis suspensum, quod ibi S. Felix hujus sedis episcopus, e Phrygia totius regni viribus translatum, III Idus Maii honorifice suspendit.. Is ergo, qui in dextero S. Paulini latere est positus, Palmatius vocabatur.. Ad caput autem S. Paulini septem jacebant hujus urbis senatores.. Ad pedes vero S. Paulini altrinsecus positi sunt quatuor viri, genere et virtute clarissimi.

novo splendore.

28 *Sigebertus scriptor synchronus prædictam inscriptionem contractius refert ad eumdem annum* 1071. *Porro de Martyribus Trevirensibus agetur ad diem* VI *Octobris cum Martyrologio Romano; de Thebæis autem die* XXII *Septembris cum eodem Martyrologio.* Hujus tam inexspectatæ, novæque rei deinde fama, *ut memorat auctor Annalium Trevirensium num.* 22, cum late per Germaniam vicinamque Galliæ oram hominum sermone percrebuisset, atque animos omnium sancta quadam religione ac pio visendi studio excitasset, placuit archiepiscopo basilicæ cryptam, B humilem illam quidem, ac temporum injuria tunc obscuram, magnificentiore opere mox explicare, dignumque Sanctorum majestate ei addere splendorem: *quæ postea rerum adversarum vicissitudines passa pristinum illum splendorem amisit, et cum obsoletis ruderibus commutavit, ut videbitur paragrapho proximo. Ecclesiæ autem* S. Paulini *seculo duodecimo ille honoris titulus accessit, quod ab Eugenio PP. III Treviris degente consecrata sit, prout refertur inter Gesta Trevirensium archiepiscoporum apud Edmundum Martene in Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectione tomo* 4, *columna* 204, *his verbis:* Consecravit ecclesiam S. Paulini Domnus apostolicus secundo Cal. Februarii. *Factum narratur pluribus, et isto modo accidisse refertur apud Browerum ad annum* 1148 *num.* 68: Divi Paulini basilica annis abhinc quatuor et quinquaginta sub Egelberto perniciosi incendii casu vexata, et inde in annos non paucos deserta, restitutaque, rogatu Alberonis pridie Kalendas Februarias anni ineuntis ab Eugenio C Dei Genitricis nomini dedicata, et amplissimis exceptionum et indulgentiarum ornamentis ab eodem de novo condecorata. Subserviit cæremoniæ Balduinus Cæsareæ Palæstinæ, qui cryptam S. Paulini sepulchro nobilem, divi Mari item præsulis aram, et aliam, quam Novam appellant, præstantibus quibusque Divorum reliquiis condendis eodem die sacravit. *Tomo* II *Januarii, die* XXVI *ejusdem mensis, pag.* 730 *tractavimus de* S. Maro *Trevirensium episcopo.*

§ IV. Alia corporis inventio; inspectio ejusdem; caput ab eo separatum magna cum veneratione colitur; ecclesiæ S. Paulini vicissitudines; Sancti Acta.

Schavartius ineunte sec. 15

Seculo decimo quinto ineunte alia corporis S. Paulini *accidit inventio, quam sic ad posteros transmisit Browerus tomo* 2 *ad annum* 1402, *num.* 103: Primo vere ineuntis anni, nono D Kalend. Aprilis reclusum gloriosissimi Trevirorum antistitis Paulini sacrum sepulchrum; et privatis modo ad spectaculum admissis arbitris, inventum corpus, suis adhuc ossibus et commissuris integrum, et peripetasmatis decore involutum. Auctor hujus inventionis Fridericus Schavartius Trevir, ecclesiæ S. Paulini præpositus; qui cum voluntate sua in tanti patroni studium ac honorem propensus, tum sermonibus hominum adductus, qui caput S. Paulini in Phrygia relictum contendebant, quia cæsum capite martyrio istic perfunctum obtinebat fama, diligentius eam in rem inquirendum sibi putavit. Itaque ipsa die parasceves, animo ad religionem composito, ubi cryptam subiens, sarcophagi ferramenta revelli jussit, operimento tumbæ sublato, conditorium plus solito longius apparuit, sericis diversi generis instratum pannis.

corpus Sancti

30 In hoc tumba stabat ex ligno formæ ignotæ, sed elegantis sic fabrefacta, ut retiaculis argenteis decore vincta, in horum superficie imagines eminentes haberet, et inter bina retinacula argenteæ relucerent sphærulæ, imaginibus quoque suis affabre signatæ. Revincta quoque tumba cupreis erat ligaminibus argento vermiculatis, ex E quorum ansis creditum est olim fuisse suspensam, cum ferreis ligata catenis, sublime pependisse traditur. Denique versus caput patefactus aditus, ubi seris argenteis venuste eadem tumba clausa cernebatur. Impositus pectori erat orbis item argenteus, cum inscriptione veteri Christianorum X et P. Christi nomen, hoc fere modo referens. *Hæc eadem est orbis istius forma, inscriptio eadem, de qua actum supra* § 3. *Præter sepulcrum vero jam descriptum ex Schavartio, refert etiam Browerus inspectionem sacri corporis publicamque ejusdem venerationem, ita pergens num.* 104:

inspicit, ab eoque caput separat,

31 Jam cætera prosequitur ipse Fridericus eo in commentariolo, quem super urbis Treviris commendatione, sancti Paulini inventione, et ejus templi religione, viginti quinque capitibus digestum posteritati reliqui. Tumba igitur aperta, jacuit in eadem corpus beatissimi Viri, magna quidem diligentia etiam sericis pannis diver- F sorum colorum involutum; quos cum nostris indignis dissolveremus manibus, vidimus stupentes hoc nudum corpus humano more compositum, velut hominem integrum cum ipsius capite, et absque membrorum corruptione. Cum autem hoc beatissimum tangeremus corpus, desiderantes in primis ipsius caput elevare, humaniter dubitantes, si ob tanti temporis vetustatem minaretur collisionem, tetigimus primum nares, mox verticem, demum occiput. Et quia gratissima divinitus constabat durities et capitis, ipsum compago de corpore * præcipua semper veneratione colendum, cum ingenti excepimus animi gaudio, sarcophagum ferro ac cæmento summa, qua potuimus, recludentes diligentia.

** l. et capitis compago, de corpore ipsum*

ac publicæ venerationi exponit,

32 Porro excepto hoc pretiosissimo capite, ciero et populo urbis honorifice congregatis, die videlicet, qua sancti Paulini translatio colitur, quæ celebris haberi solet, Dominica proxima ante ferias beati Gangolphi, post ductam de more circuitu supplicationem, et divinis ad gratias laudesque Deo dicendas rite peractis, tunc primum sancti Paulini, et sancti Simeonis monachi Græci, cujus anno superiore caput fuerat elevatum, tum sancti Maximini capita, cum multis aliis reliquiis, palam populo ad spectandum oblata.

AUCTORE J. P.

A oblata. *De* S. Gengulpho *martyre, uti apud nos vocatur, vide tom.* II *Maii, die* XI, *a pag.* 642. *De* S. Simeone *recluso in porta Trevirensi egimus tomo* I *Junii, die* 1, *pag.* 87 *et sequentibus. Audiamus, quæ de annua solennitate instituta subjungit Browerus, num.* 105 :

fundata in perpetuum pro Sancti cultu

33 Commemorat inde tacito nomine de se Fridericus, ad rei gestæ perennem gratamque memoriam, et ad cultum venerationemque Cœlitum, qui in eadem basilica quiescunt, propagandam, effecisse non neminem, patrimonio eam in rem profuso, ut pervigilio ejusdem diei, tres quotannis congregationes, canonicorum una sancti Simeonis, monachorum duæ sancti Maximini et Dei Genitricis ad Martyres, sancti Paulini ædem frequententt, solemni Vesperarum, certoque cantu antiphonarum, tum ipsa die translationis eædem in unum conveniant, et capitis circumferendi pompam cohonestent, prosequente senatu, constituta perenni in præsentes pecuniæ distributione : pridie vero honoraria vini propinatione.

B *memoria* :

34 Atque ab hoc tempore caput S. Paulini statuæ thorace tenus ex argento ductæ, parergis auro gemmisque venuste factis, inclusum, magna religione spectari consuevit, et nostra quidem memoria sacrilegas Judæorum manus vix fuit, ut evaderet, etsi argentum potius, quam pignus sacrum eo furto quæsitum videbatur, cum projecto capite thorax sublectus, vel ablatus est, mox tamen redititius ad dominos, sed non illibatus. *Hactenus Browerus e Frederico Schavartio, cujus lucubrationem, de qua superius, viginti quinque capitulis constantem, in Ms. habemus.*

seculo 16 et 17 adversa patitur S. Paulini ecclesia : status sacræ

35 *Porro ecclesiam* S. Paulini *passam postea humanæ miseriæ vicissitudines indicat Browerus tomo* 2, *ad annum* 1552, *num.* 84, *pag.* 381 *et* 382 : Kalendis, *ait,* Septembris marchio *(Albertus Brandeburgicus)*.. eruptionem in Macheram, Mosellæ ripis impositum oppidulum tentavit, et incolis adventu repentino oppressis, Epternacum .. ad Suram amnem oppidulum inde cepit.. Decimo die Septembris Pauliniana et D. Maximini basilicæ ære campano spoliatæ :.. XXV vero die Septembris, sole jam merso, D.

C Paulini septa, sancti Maximini et Martyrum monasteria suburbana subjectis facibus,. præfecti jussu *(de Dailbergero egerat auctor)* ferali flamma concremata. *Quibus hæc addere licet, quæ refero ex litteris P. Sixti Hesselmeir e Societate Jesu, Treviris ad P. Cuperum scriptis die* XXIX *Augusti anno* 1738 : Notum est R. V. quod prope hujus urbis mœnia steterit S. Paulini templum, varias olim injurias expertum, anno MDCLXXV solo rursus æquatum, ut canonici in contiguo parochiali templo divina peragere debuerint; ingens vero sacrorum pignorum thesaurus sub terra jacuerit sepultus.

crypta.

36 Hoc demum anno Eminentissimus Elector (qui locum, cujus est præpositus, magna veneratione prosequitur) rudera jussit removeri, ipsum forte templum repositurus. Cum egesta sit terra, apparent in crypta variorum Sanctorum corpora eo fere ordine, quo deposita esse dominus Enen refert. Lapideis inclusa sunt loculis; quorum unus et alter, incumbente saxorum mole, fractus fuit, ut extrahi debuerint Sanctorum ossa. Nonnullis inscripta sunt Martyrum nomina : Constanti et Hormisdæ titulus consulis adjicitur. Obiter hæc observavi, nec licuit examinare cætera, cum altera vice clausum invenirem aditum; quem tamen non difficilem fore credo, si conveniantur DD. canonici. ALIA SARCOPHAGA (de quibus auctor) in circuitu cernuntur XIV. Tres archiepiscopi diversis inclusi loculis quiescunt in crypta minore, quæ a memorata superius separatur per gradus lapideos ad utramque descendentes. *Epitome, alias medullam gestorum Trevirorum, a Joanne Enen Teutonice seu Germanice editam, Latine vulgavit Scheckmannus anno* 1617. *Agens autem de Sanctis, qui in ecclesia collegiata S. Paulini sunt reconditi, fol.* 51 *verso,* In crypta, *ait,* hujus ecclesiæ requiescit archiepiscopus martyr Treverensis, a quo nomen indepta est basilica. *Superiores autem notitias e dictis litteris transcripsi, ut lector novissimum hujus sacræ cryptæ, ac* S. Paulini *in eadem reconditi statum cognosceret.*

Sancti Acta,

37 *De Actis hujus sancti Præsulis, eorumque exemplaribus Mss. aliquibus sequentes suggero notitias. Apographo uni prænotatur hic titulus :* Excerpta quædam ex Vita S. Paulini, e bibliotheca S. Matthiæ Treveris. *Incipiunt :* Sanctorum patrum memoriis inservire, dignum arbitrantes *etc. Desinunt in his :* Antecessores nostri E culpandi sunt, qui visa beati Patris miracula non ea literis vel memoriæ tradere studuerunt; sed potius negligentia oblivioneque dilabi passi sunt. *Apographum aliud desumptum notatur* ex Ms. S. Martini Treviris : *cujus prologus est :* Sanctorum patrum memoriis inservire *etc. Sub finem vero post ista verba* per totum vitæ spatium penitus non caruit, *apponitur parergon, quod, in nostra ejusdem apographi editione omittam. Exemplar aliud* ex Ms. S. Maximini Treveris *præfert hunc titulum :* Passio sancti Paulini archiepiscopi et martyris. *Incipit :* Congregatis nobis, fratres dilectissimi, in præclara sancti Paulini sollempnitate, vita ejus ad recitandum jocunda, ad audiendum dulcis, ad imitandum quoque probabilis et gloriosa, multa et in præsenti seculo Christi fidelibus confert solatia, et ad spectanda futura præmia, multa adhibet documenta *etc. Finis est,* per totum vitæ spatium penitus non caruit.

et observationes nostræ.

38 *Nec præteriero exemplar alia manu exaratum, ad quod apponitur diverso charactere :* Est Vita in Ms. S. Mathiæ Treviris; *idemque habet exordium cum ecgraqho Maximiniano :* Congregatis nobis, fratres dilectissimi, in præclara S. Paulini solemnitate. *Mortem vero ita refert :* Ad ultimum apud Frigiam capite cæsus, beatæ passionis coronam pridie Kalendarum Septembris percepit a Domino : *et diverso iterum charactere notatur :* Finit Ms. S. Mathiæ. *Deinde autem narrantur in dicto Ms. corpus e Phrygia ad Trevirenses translatum, flamma exstincta sub Normannis, et miracula alia : de quibus vide exemplar, quod prælo dabitur e Ms. Martiniano Trevirensi, quia brevius est, quam Maximinianum. Plurimis autem post* S. Paulini *obitum seculis Acta ipsius conscripta fuisse, ac proinde non magnæ auctoritatis esse, illud argumento est, quod in eisdem fiat mentio de Normannorum in Trevirenses grassatione, quæ ex dictis* § 3, *num.* 25 *a Browero intexitur anno Christi* 883, *Sigeberti Chronico ad eumdem annum* 883 *sic memorante :* Nortmanni urbem Treverim incendunt. *Acta vero eadem non fuerint litteris mandata post annum circiter* 1071, *quandoquidem nihil in illis lego de inventione sacrorum pignorum sub Ugone archiepiscopo, cujus mentio incidit supra num.* 26. *Unde conjicio, eorumdem lucubrationem*

AUCTORE J. P.

nem referri posse ad illa tempora, quæ inter jam dictam grassationem ac translationem sunt interjecta. Hæc præfatus subdo Santi Acta, numeris, titulis et capitibus de more distincta, quibus variæ etiam adduntur notationes.

VITA

auctore anonymo

Ex Ms. Trevirensi sancti Martini, ad aliud collato.

PROLOGUS

Auctor pauca e multis de Sancto refert :

Sanctorum patrum memoriis inservire, dignum arbitrantes, non omnino reticere cupimus, quæ ex antiquitatis auditu facta comperimus :
B miracula namque Sanctorum patrum propalare magnificum est, ut in eo certius scire possimus, qui et quanti sint, quorum meritis nos commendare debeamus. Unde venerabilis patris nostri Paulini scilicet Trevericæ urbis episcopi gesta quædam ex relatione majorum audita, quædam in exemplaribus sanctorum patrum passim inventa, volumus nostris innotescere successoribus, ne virtutum ejus memoria penitus oblivioni tradatur : non modica quippe apud Trevericos ejus gestorum exstabant voluminа, quæ in ipsius incendio *a* urbis, Domino permittente, dicuntur esse consumpta. Et nunc pauca de pluribus locuturi, ipsius nos auxilio commendamus, cujus operis titulus vobis est præsentibus prænotatus.

ANNOTATIO.

a *Intelligo hic incendium seu grassationem Normannorum : unde colligitur auctorem hunc post illa scripsisse. Adi Commentarium prævium num. 24 et 38.*

C

CAPUT I.

Natales, educatio ; profectio ad Trevirenses ; acta pro S. Athanasio ; exsilium.

Natus in Aquitania, parentes, educatio sub S. Maximino :

Paulinum igitur Trevirorum archiepiscopum, ut ferunt historiæ, ex Aquitanicæ regionis partibus nobilissima prosapia constat esse procreatum. Parentes siquidem ejus Catholicæ fidei decorati nomine *, filium suum baptismatis fonte, ut mos est, immersum, beatissimum Maximinum *a*, ut cum ex lavachro suscipere debeat, humillime deposcunt : quorum ille obtemperans voluntati, cum sibi spiritualem filium non inscius futurorum, Domino demonstrante, adscivit. Crescens itaque puer ablactatus est, atque prædicto patri traditur, sacrarum litterarum paginis imbuendus *b* : quarum ille memoriam (nostræ necessitati sua subveniat pietate, confringat infernum, aperiat paradisum, perpetuæ retributionis concedat nos esse participes, qui vivit et D regnat Deus in sæcula sæculorum) fideliter retinens, jam nunc tempore puerili seu apes prudentissima colligere non distulit, quæ postmodum fidelibus, infidelitate Arriani dogmatis desudantibus, per eum Dominus erogаnda præscivit.

* f. lumine

uterque Treviros profectus degit apud S. Agritium,

3 Porro Maximinus dominicam cupiens sequi doctrinam, una cum charissimo filio genitale solum relinquens, Galliarum partes adiit atque Treverim, Domino duce, pervenit, ubi nunc sanctus Agricius *c* ecclesiam apostolica sibi authoritate commissam strenuissime rexisse dignoscitur. Venerandus igitur Maximinus ab eo honorifice susceptus, ejus contubernio in tantum familiarissime usus est, ut provectioris ei ætatis viros privilegio amoris postponeret.

cui succedit in episcopatu S. Maximinus

4 Sanctus quoque Paulinus suum spiritualem, quem secutus est, non parvi pendens patrem, ei cum omni humilitatis subjectione horis cunctisque momentis non incommodus adhæsit. Sæpe dictus autem pontifex jam nimio gravatus senio angelicis per quemdam presbyterum, nomine Quiriacum, ammonitus indiciis, beatum Maximinum, consentientibus turbis populorum, pontificalis E apicis dignitate sublimavit, atque non post pauca, terrena relinquens, spiritum de sui operis remuneratione securum ad æternitatis gaudia, Domino jubente, transmisit.

eique vita functo S. Paulinus :

5 Interea Arriana hæresi per ecclesias Dei pullulante, Constantii imperatoris *d*, filii Constantini patris Augustorum, contra Catholicos infestissima exoritur indignatio. Nam ubicumque auditus vel visus est hujus sanctissimæ fidei custos, ab eo statim aut præsenti morte punitus aut longi exilii damna perpessus est. Hujus faciem declinans beatissimus Pontifex, ad propriam scilicet Aquitaniæ regionis patriam suosque revisendos ire disposuit, atque non post pauca inibi vitam finivit *e*. Post cujus discessum beato Paulino miræ sanctitatis viro pastoralis sollertiæ cura committitur *f*. Hic itaque dilectissimi magistri sui corporis non immemor, collecta multitudine Trevirensium, eos ad hoc investigandum unanimes ac sinceræ dilectionis amore ferventes, versus Aquitaniam tendere præcipit.

F

qui translatum Treviros corpus ejus sepelit, et fortiter

6 Cui obtemperantes ignotæ regionis arripiunt iter, atque angelicis adjuti indiciis pretiosissimum, Domino duce, Treveros reportavere thesaurum : quibus obviam factus præsul Domino dignissimus Paulinus, cum gloria et psalmorum melodia in suburbio Trevirorum urbis sancti patris corpus in beati Joannis Euangelistæ basilica sepelivit *g*. Ipse vero, utpote fidelis pastor, commisso sibi divinitus gregi pervigili sollicitudine intentu, incursantium undique luporum impetus gladio spiritus arcebat, opprobrium videlicet eorum longe declinans, quibus per prophetam a Domino dicitur : Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini. Siquidem in sancto certamine cursum consummavit : quippe qui usque ad vincula laboravit, usque ad sanguinem restitit. Namque pro assertione fidei Catholicæ quibus pulsatus injuriis, quantis fuerit objectatus periculis, sic nos tripartita ecclesiastica docet Historia *h*.

se opponit Arianis

7 Porro Constantius prædicta Arriana hæresi jam ex omni parte infectus, statuit hoc ad pravitatis suæ cumulum, ut omnium Orientalium Occidentaliumque partium episcopi indubitanter suæ sectæ subscriberent : convocansque omnes, synodum

A synodum Mediolani *i* fieri constituit, atque eos inibi suæ pleuiter præcepit adesse præsentiæ. Orientalium ergo venere non multi [quoniam] plurimos eorum aut senectus aut itineris lougitudo prohibuit. Occidentalium vero ultra trecenti affuere præcepta principis facientes, scilicet ut supradicti loci synodus celebraretur : ubi convenientes Orientales ante omnia contra Athanasium *k*, fortissimum fidei defensorem, fieri commune decretum poscebant, ut hoc facto penitus aditus Alexandriæ clauderetur *l*.

in causa fidei et S. Athanasii :

8 Quod etiam dum Paulinus *m* Gallicanæ Trevereos, Dionysius albæ * *n* metropolis Italorum, et Eusebius Vercelleusis *o* episcopi sensissent, quia ad destructionem fidei Orientales contra Athanasium agere molirentur, surgentes magna voce clamabant dolum et circumventionem per ea, quæ gerebantur, Christianis dogmatibus irrogari : non enim veras culpas contra Athanasium esse dicebant, cum ad retractionem fidei talia probarentur inventa. Illis igitur talia proclamantibus consilium tunc solvitur episcoporum : deposito siquidem Athanasio, aliam B hæretici fidei exponere sunt visi doctrinam : sed ueutrum horum perduci potuit ad effectum, dum præsente principe clamaretur, quod injuste agebatur impie. Quo facto et ipsi ecclesiis sunt expulsi, et in ultimis terræ finibus habitare præcepti.

* *f.* almæ

mittitur in exsilium

9 Tuuc enim ecclesiis pacem habentibus et populis per collectas orantibus, Pontifex, qui Romanæ sedis Liberius *p*, et Paulinus Galliarum metropolitanus episcopus, et Dionysius Italus, Lucifer metropolitauus insularum Sardiniæ *q*, Eusebius ex Italia, omnes episcopi boni et prædicatores veritatis abripiuntur et traduntur exilio, nullam habentes culpam, quia* in Arrianam noluerunt consentire vesaniam, neque iu calumuiis subscripserunt nostris. Eusebius quoque Cæsariensis *r* eadem hæc in libris Ecclesiasticæ, quam scribit, historiæ commemorans, Constantius, inquit, cum ob vindictam fraternæ necis *s* regnumque recuperandum* ad Occidentis partes venisset, et extincto tyranno *t* regui solus arte * potiretur, fatigare Occidentales episcopos et per deceptionem ad consensum Arrianæ hæresios cogere adgreditur, Athanasium prius, con- C demnatione præmissa, et velut obicis validissimi objectione sublata.

* *Ms. S. Maximini Trev.* nisi quia

* *ibid.* arce

una cum aliis episcopis :

10 Ob hoc apud Mediolanum episcoporum concilium convocatur. Plures decepti ; Paulinus *u* vero Treviorum archiepiscopus, Eusebius, Dionysius vero * et Lucifer dolum esse in negotio proclamantes adserentesque, quod subscriptio in Athanasium non aliam ob causam, quam destruendæ fidei moliretur, in exilium trusi sunt : quos tamen omnes præter Paulinum Julianus Apostata *x* postmodum revocavit, magis ut regni sui primicias artificiosæ pietatis velamine commendaret, quam ut recta intentioue, quod brevi post innotuit, ecclesiasticam calamitatem corrigeret. Pauliuum vero communi beneficio vel excepisse videtur, quod cum suæ, quam mente jam [parturiebat,] vesauiæ acriorem, si reductus foret, adversariuu metuebat, vel certe in primo edicti sui impetu immemor præterisse, utpote iuter uationes barbaras relegatum, et conspectu imperii præ cæteris remotissimum.

* *expunge* vero

ANNOTATA.

a *Id non probo : de aliis vide Commentar. num.* 3 *et* 4.

b *Ms. S. Maximini :* A quo sacræ Scripturæ paginis sufficienter imbutus, sanctæ moralitatis habitu decenter indutus : unde idem pater ejus Maximinus spe futuræ strenuitatis, futuræ dignitatis et sanctitatis ipsius, divinitus animatus, non alium nisi hunc egregiæ indolis filium sanctæ peregrinationis suæ in Belgicam Gallicam pro Christo destinatæ, in Christo ordinatæ, elegit commilitonem et socium. *Vides, lector, alium hic narrandi modum et non sine affectato dictionis ornamento comptum.*

c *De quo ibidem num.* 4. *An autem fuerit* patriarcha Antiochenus, *qualis vocatur in Ms. S. Maximini, vide ad diem* 13 *Januarii pag.* 773.

d *Imperavit ab anno* 337 *usque ad* 361. *Plura de illo historici.*

e *De anno mortis ejus scribit. Comm. num.* 4.

f Per beatum Martinum episcopum divinæ benedictionis oleo *perfusum eum vult M. S. Maximini. Vide Comm. num.* 18. E

g *Mira sunt, quæ de hac translatione referuntur in Vita S. Maximini ab anonymo Sanmaximinianensi scripta seculo* 8, *et apud nos edita ad diem* 29 *Maii ; quæ pag.* 22 *consuli potest.*

h *Quæ Sanctus contra Arianos in causa fidei orthodoxæ et S. Athanasii egit, satis exposita sunt in Comm.*

i *Concilium illud anno* 355 *innectit Labbeus in Compendio chronotogico : eumdem signat Tillemontius tomo* 6 *Monumentorum in tabula chronologica pag.* 833, *Pagius ad istum annum, et Harduinus in Conciliorum collectione tomo* 1, *columna* 697.

k *Invictissimum hunc orthodoxæ fidei pugilem illustravimus ad diem* 2 *Maii, pag.* 186 *et sequentibus.*

l *S. Athanasius jam ab anno* 349 *erat restitutus cathedræ Alexandrinæ, ex dictis in Comm. num.* 9 ; *etsi post ex illa extrusus.*

m *Non interfuisse eum synodo Mediolanensi, ibidem indicatum est. Vide num.* 13 *et* 14.

n *De hoc Sancto episcopo scripsimus die* 25 *Maii pag.* 369 *et sequentibus. A Theodoreto Ecclesiasticæ historiæ lib.* 2, *cap.* 15, *in quo agit de synodo Mediolanensi, pag.* 91 *editionis Valesianæ, dicitur* Dionysius metropolis Italiæ. F

o *Inscribitur Martyrologio Romano ad diem* 1 *Augusti : ubi inter Prætermissos agendum de illo indicavimus die* 16 *Decembris, quo colitur publico Ecclesiæ Officio tamquam martyr. Exsilium ibi legitur, et multa alia passus ; deinde ad cathedram suam* reverti permissus .. Vercellis migravit *ad Dominum. Potest igitur et* S. Paulinus *vere martyr dici.*

p *In Prætermissis ad diem* 27 *Augusti distulimus eum ad* 23 *Septembris.*

q *Acta ejus illustravimus die* 20 *Maii, tomo* 5 *ejusdem mensis, pag.* 197* *et seqq.*

r *Loquens hic indicitur a biographo et a Ms. Sanmaximiniano Eusebius iste occasione synodi Mediolanensis, quam anno* 355 *habitam modo diximus lit.* i ; *eum vita sanctum anno* 340 *lego in Bibliotheca chronologica scriptorum a Labbeo edita pag.* 31, *Caveo heterodoxo mortem ejus* circa *eumdem* annum *signante in Scriptoribus suis ecclesiasticis pag.* 92, *ne Baronium et Pagium memorem, qui anno* 340 *obiisse scribunt.*

s *De*

A. Anonymo

s *De Constante imperatore occiso a Magnentio, qui imperium sibi vindicabat, anno 350, tractat Baronius ad eumdem annum num*].

t *Magnentii tyranni cladem, illatamque sibi mortem memorat Baronius ad annum* 353, *num.* 6.

u *Hic iterum comparet perperam* S. Paulinus, *uti et statim sub Juliano imperatore.*

x *Imperavit ab anno* 361 *usque ad* 363.

CAPUT II.

Mors in exsilio; corpus Treviros translatum; miracula.

Sanctus in exsilio laboribus apostolicis,

Denique beatus Paulinus in captivitatem pro Christi nomine positus, gentibus circumquaque degentibus, divini verbi eloquia prædicando aperire non distulit, et quod in episcopatu proprio agere permissus non est, hoc devotus ac Deo dignus in peregrinatione implere curavit. B Unde et Salvator omnium magnarum ei virtutum gratiam conferre dignatus est, ut quos verbis converti * nequisset, eos ad conditoris sui agnitionem per diversa miracula perduceret: quia ut beatus Apostolus dicit: Signa infidelibus, non fidelibus data sunt.

* *f.* convertere

et miraculis clarus moritur:

12 Concessum namque est ei a Domino cæcos illuminare, leprosos mundare, dæmones ab obsessis corporibus sanctæ Trinitatis invocatione confestim depellere: et ut talium mereretur fieri compos donorum, studuit creberrimis eleemosynarum largitionibus, viduarum, orphanorum atque omnium egentium pater humillimus existere, illud semper sapientis satagens implere præceptum, quo dicitur: Absconde eleemosynam in sinu pauperis. His igitur aliisque bonitatis suæ amminiculis sultus, usque ad mortem, etiam ultra Christianum nomen, mutando exilia fatigatur, et ad ultimum apud Phrygiam defunctus beatæ passionis *a* coronam percepit a Domino *b*.

a b

Trevirenses in Phrygiam tendunt

13 Igitur Treverici ejus obitum comperientes satis condoluerunt, quod eum, quem [in] vita degentem possidere non licuit, saltem in morte debitis exequiis venerari non contigit. C Congregati itaque non solum hi, verum circumadjacentium urbium populi ob piissimi Pastoris illorum reliquias tam longissima terrarum spatia libentissime se peragare professi sunt, utpote qui immanissima persecutionis Græcorum *c* rabie nuper vastati atque afflicti, per ejus tandem interventum, Christum totius boni largitorem sperarent tantæ cædis finem fore facturum.

c

ad obtinendum corpus sui episcopi:

14 Adeuntes itaque Phrygiam Asiæ finitimis sitam, cœperunt cum omni perquirere sollertia, ubi gleba beati Pontificis jaceret humata: quam dum Dei nutu invenissent, Dei ipsius clementiam implorare non desistebant, quatenus urbs illorum scilicet Treveris tanti Patris non fraudaretur patrociniis. Asiani ilico illorum desiderium cognoscentes, eos a finibus suis arcere conati sunt; suosque conatus sequeretur effectus, nisi forte suis intervenissent, qui gravitatis signa * potius, vel * levitatis vel contentiositatis sequerentur machinamenta. Treverenses ergo jam propriæ voluntatis proditores dicebant, se nullam aliam ob causam advenisse, nisi propter expetendas pii Pastoris sui reliquias.

* Ms. S. Maximini Trev. *in* signia
* *ibid.* quam

15 Illis itaque hoc fieri viriliter recusantibus, corpusque Pontificis retinere cupientibus, Treverim nullo modo se abire sunt professi, nisi tanti pignoris fuissent compotes effecti. Certatum namque diu ab utrisque populis est: sed illud certamen vertit pietas Sancti in caritatis adunationem. D Consilio siquidem inito glebam venerandi Pontificis in medio collocantes, ejus implorabant clementiam, ut, cui adhærere vellet, ab eo se asportari permitteret: cui vero nollet, ab eo penitus submoveri non posset. Accedentes ergo Asianorum quam plurimi loculum quidem sublevare nitebantur, sed nulla motionis res in eo peracta est. Igitur Treverici nil morantes gratia sui Pontificis cum omni celeritate feretrum sublevantes, læti rediere in sua gaudentes *d*, relictis tamen inibi paucis de corpore ejus reliquiis propter amorem fraternitatis, titulumque Christianitatis.

sed cum Asiatici eisdem se opponerent, divinitus res deciditur,

d 5

16 Adest itaque obviam salutifero corpori ex adjacentibus urbibus una cum clero innumerabilis populus cum gloria illud excipiens, insuper et Dei perennis Filium benedicens, qui urbem Trevericam diu multumque desiderato noluit privare Patrono. E Exstat ergo non longe ab oratorio beati Maximini basilica in honore sanctæ Dei Genitricis dedicata admodum præclara, in qua deponentes corpus sanctissimi Pontificis, locum inibi decrevere fieri sepulchri, exstruentesque cryptam *e*, ossibus ejus satis habilem, in sarcophago cum catenis ferreis * in cryptæ medio pendere fecerunt, quod ita pendens usque ad tempora Normannorum *f* mansit, et ab ipsis fractis catenis sarcophagum * non altius terræ insedit.

et corpus ad Trevirenses delatum sepelitur.

e

* *Ms. S. Maximini Trev. addit* tertio Idus Maii

f

* sarcophagus

Miracula plura non scripta:

17 Multa sane beati Paulini miraculorum insignia tunc temporis gesta, etsi litteris non sint tradita, quamvis ex parte minima, tamen non nos præteriere auditu comperta, nimiumque nos inertes esse credimus, si hoc, quod benignitas Domini erga nos indignos ad laudem et gloriam nominis sui vel per se vel per Sanctos suos agere dignatur, quasi parvipendendo posteris nostris provalere * negligamus: in quo hoc antecessores nostri culpandi sunt, qui visa beati Patris miracula non ea litteris vel memoriæ tradere studuerunt, sed potius negligentia oblivioneque dilabi passi sunt. Verum his omissis, ad certum nostræ sententiæ tramitem redeamus.

* *f.* propalare

F

flamma adi sacræ Sancti injecta

18 Prædicta namque Northmannorum gens Dei permissu Christianorum exigentibus culpis emissa, tanta per Sanctorum domicilia cæde bacchata est, ut penitus non esset locus, ubi væ non audiretur et planctus. Multarum igitur destructione urbium gaudentes, eadem facturi, hanc quoque urbem nihilominus sunt agressi: circa quam dum Sanctorum habitacula concremassent, contigit eos quoque oratorium, ubi sacratum corpus depositum fuerat, adiisse, in cujus tectum cum volasset flamma, ita fertur extincta, acsi vim ignis numquam fuisset experta.

mirifice extinguitur: quidam morte liberatur

19 Denno autem alia in tecta, et ipsa simili modo extincta est: sæpius autem id ipsum repetentes, et nihil eorum, quæ improbe moliti sunt, adimplere valentes; postremo suam cernentes nil prævalere vesaniam, arrepto homine, sarcophagum in eadem ecclesia miræ magnitudinis aperientes, medium eum intrinsecus collocantes, pondus cooperculi desuper cadere fecerunt, sicque suæ vesaniæ satisfactum esse putantes, ad alia loca vastanda properabant. Qui tamen post illorum abcessum, quod dubitandum non est, meritis et adjutorio sæpedicti Pontificis sanus atque incolumis repertus est. Alio quoque tempore

A tempore fuisse * in eadem basilica vespertinis horis occultantes, intempestæ noctis silentio de latibulis surgunt, atque ea, quæ inibi reperiebant, arripere conati sunt. Cumque se deprehensos ab ecclesiæ custode sensissent, malis suis cumulum addentes in ipsum consurrexerunt, eumque miserabili morte peremerunt; cujus interitum mox divina ultio subsecuta est.

* f. fures se

fures puniti :

ibid. perculsis

20 Nam cæcitate percussis *, et per totam noctem hunc illucque girantibus, licet patentibus foribus, tamen facultas eis exeundi nullo modo accommodata est. Circa pullorum vero cantum cum jam nocturnarum vigiliarum tempus instaret, nullusque signum ad hoc opus pulsaret, excitati undique degentes clerici, monasterium adeuntes, eos, sicuti prædictum est, apertis foribus errantes repererunt : quibus comprehensis et primo mane judici urbis assignatis, legali dictante sententia, in formis nodum fecit ligni animadversione temeritas sortita est *g*.

quidam usu pedum ac membrorum privatus sanatur :

21 Plurima et his similia in eadem basilica a beato Paulino olim ostensa sunt miracula; sed (pro dolor!) a majoribus nostris, sicuti prædictum est, oblivioni potius quam memoriæ sunt
B tradita : ex quibus unum, quod ad nostram, fama ferente, perlatum est notitiam, indicare curabimus. Quidam ejusdem monasterii præpositus *h*, quem multi adhuc superstites noverunt, quemdam gressu pedum, cæterorumque membrorum motione carentem cum carruca suscipiens, ejus ut in curte *i* publico stipendio aleretur, dispensatori præcepit : qui cum multis annis inibi degeret, in festivitate beati Joannis Baptistæ ad ecclesiam deportatus, cum matutinalium finiretur laus hymnorum, meritis beati Paulini lætus et alacer ad propriam sine alicujus sustentatione rediit casam : et ut talis miraculi notitia cunctis pateret, ipsa carruca præ foribus ecclesiæ in oculis omnium suspensa est : quæ ibidem tam diu pendebat, donec destitit esse quod fuit.

mulieris furtum

22 Alio quodam tempore peregrini quidam, adventantes ob peccatorum suorum remissionem, Sanctorum habitacula circumquaque posita adire gestiebant; sed ignorantia situs eorum aliquatenus prohibiti sunt. Unde ab eis mulier quædam mercede conducta est, quæ ipsis per ecclesias deducendis satis idonea esse comprobata est.
C Quæ cum eos per Sanctorum domicilia sæpe dictæ urbis valle consistentia duxisset, contigit eos quoque ad ecclesiam prædicti Pontificis ejus ducatu advenisse : in quam cum fuissent ingressi, et altaria orando circuissent, devenere ad fenestram cryptæ, in qua corpus Pontificis jure clauditur sepulchri. Qui cum hujus rei notitiam ab ipsa fæmina comperissent, ob devotionis illorum excellentiam tres argenteos immittentes recesserunt.

A. Anonymo

punitur.

* *ibid.* reconditis

23 Mulier autem paululum retardata eosdem furtim abstulit, sinuque recondito * cum celeritate rediit : mirum in modum necdum monasterii limen attigit, cum subito vesana exclamans, væ ingeminare atque iterare per plateam discurrendo cœpit, nescientibus cunctis, unde ei tam subita insania advenisset. Parentes itaque ejus, hoc rumore concitati, convenientes, vix reatus sui culpam ut detegeret impetrabant : qua tamen detecta cum eisdem, quos furata est, nummis aliisque oblationibus denuo ad sanctum Paulinum reducta, paululum quidem ejus meritis ab ipsa vesania postea quievit; sed per totum vitæ suæ spacium penitus non caruit *k*.

ANNOTATA.

a *Sunt, qui violentæ mortis martyrium ei tribuunt, contra quos consule dicta in Commentario num.* 19.

b *Addit Ms. Sanmaximinianum* anno Incarnationis Dominicæ trecentesimo LXII, *sed perperam, ex Comment. num.* 17. E

c Græcorum *non lego in eodem Ms. Quænam vero sit* immanissima *ista* persecutionis rabies, *relinquo aliis elucidandum.*

d *Translationem hanc memorat Comm.* § 3.

e *De hac sacra crypta pluribus agit Comm.*

f *Hinc liquet, Vitam hanc non fuisse scriptam ante seculum nonum. Vide supra num* 38.

g *Ms. Sanmax.* informis nondum leti digne animadversa temeritas sortita est. *Si pro* nondum *legamus* nodum, *videtur ita restitui posse, ut intelligi queat, fures istos suspendio mulctatos : sin vero legi debeat* modum, *morte nescio qua plexos.*

h *Bucelinus in sua Germania sacra part.* 2, *quæ habetur apud nos post Annales Germaniæ, pag.* 69, *de* S. Paulini *monasterio agens, hæc scribit :* Pervetus Benedictinæ professionis apud Treveros cœnobium, præmature tamen divo Benedicto ereptum, communicatumque in collegium canonicorum sæcularium. *Vellem, ut addidisset tempus, quo id contigit, et scriptorem.*

i Cortis *vel* curtis *significationes dat Cangius. Hic vero videtur indicari villa vel hospitium, in quo alebantur pauperes publicis eleemosynis.* F

k *Parergon, quod in hoc Ms. sequitur, omitto, indicavi in Comm. num.* 37.



DE

A D

DE SS. OPTATO EPISCOPO, SANCTINO ET MEMORIO PRESB.

AUTISSIODORI IN BURGUNDIA

J. S.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

De gestis, cultu, et corporum translationibus.

Circa annum DXXX. De gestis S. Optati Sanctini et Memorii pauca olim relata,

Pauca admodum de gestis *S. Optati Autissiodorensis episcopi ejusque presbyterorum* Sanctini *et* Memorii, *qui cum eo sacra veneratione honorantur, ad posterorum memoriam sunt perlata. Referuntur illa in Historia episcoporum Autissiodorensium apud Labbeum tom.* 1 *Bibliothecæ manuscriptorum, pag.* 419 *in hunc modum :* Optatus sedit annum 1, menses 8, dies 5. Hic construxit basilicam in honore sancti Christophori martyris juxta basilicam sancti Germani ab orientali parte, cooperantibus duobus presbyteris suis Sanctino atque Memorio. Hic sanctissimus Pontifex, excurso vitæ suæ tempore, pridie Kal. Septembrium, cum eisdem sanctis Presbyteris suis vitam finivit temporalem, et adeptus est sempiternam, cum quibus pariter et sepultus est in eadem, quam construxerat, basilica. Postmodum vero, labentibus annis, consilio nobilium ac sapientum translata sunt eorum sacra corpora in ecclesiam beati Germani, tam officiose, tam solemniter, ut in omnibus Martyrologiis et maxime vetustis dies translationis eorum insertus habeatur VI Non. mensis Maii. Transitus autem vel depositio eorum pridie Kal. Sept., ut prædiximus, annotatur. Uno eodemque sane sarchophago omnes pariter requiescunt. Fuit civitas sine episcopo anno uno. Extitit autem temporibus supra dicti Vigilii Papæ, imp. adhuc Justiniano augusto, regnante vero Clodo. Fr. rege. *De translatione corporum ad ecclesiam S. Germani eadem prorsus narrantur in Miraculis S. Germani Autissiodorensis episcopi ab Herico monacho, cujus verba erunt recitanda inferius.*

quibus in novo Breviario additur gemina corporis translatio :

2 *In novo Breviario Autissiodorensi, quod anno* 1725 *Senonis impressum est, ad* XXXI *Augusti, quo festivitas sancti* Optati *celebranda ritu semiduplici præscribitur, præcedentibus additur gemina corporis* S. Optati *translatio. Nam lectio* 3 *his verbis concepta est :* Optatus Autissiodorensis episcopus felici cura gregem rexit annum unum, menses octo, dies quinque. Juxta basilicam sancti Germani, minorem alteram in honorem sancti Christophori martyris ab orientali parte construxit, cooperantibus duobus presbyteris Sanctino ac Memorio. Sanctitate conspicuus obdormivit in Domino die Augusti ultima, circa annum quingentesimum trigesimum secundum, et in eadem, quam exstruxerat, ecclesia cum iisdem presbyteris sepultus est. Sancti Præsulis duorumque presbyterorum corpora labentibus annis in ecclesiam sancti Germani translata sunt tam solemni pompa, ut in omnibus Martyrologiis, iis etiam, quæ nono seculo vetusta erant, translationis hujus dies inserta habeatur die Maii secunda. Ab hujus translationis tempore, uno eodemque sarcophago conditi pariter quiescebant. Verum beati Optati corpus, desinente nono seculo, ad vetus sancti Petri Doverensis monasterium in agro Bituricensi delatum fuit : atque hinc ad novam monasterii Virzionis ecclesiam, in qua tamquam patronus colitur, ac translationis ejus solemnitas die decima sexta Februarii celebratur.

natalis horum Sanctorum in antiquis Martyrologiis.

3 *Posteriores translationes hic assertæ aliquid controversiæ pepererunt, de quo mox agemus. At prius aliquot Martyrologia adducemus, in quibus horum Sanctorum natalis et prior translatio leguntur annuntiata. Hieronymiana, apud Florentinium ad* XXXI *Augusti sic habent :* Autisiodoro civitate sancti Optati episcopi et confessoris cum sociis suis. *Alia pleraque Hieronymi nomine insignita Martyrologia ad eumden diem annuntiant* S. Optatum; *at in illis sociorum nulla mentio. Habent istum apud nos tom.* VII *Junii sub finem, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Reginæ Sueciæ, et apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii recusi pag.* 17 *Corbeiense : demum apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1559 *memoratur in antiquissimo Martyrologio monasterii S. Germani Autissiodorensis, et col.* 1589 *in Fragmento Martyrologii Turonensis. Ex Hieronymianis, ut notat Sollerius, Usuardus* Optatum *memorat his verbis :* Autisiodori, sancti Optati episcopi et confessoris. *Consentit Romanum, aliaque plurima, quæ recensere non est necesse. Grevenus natalem horum Sanctorum perperam commemorat* 2 *Maii, neque rectius Molanus ad* III *ejusdem mensis.*

uti et corporum translatio :

4 *Laudata Hieronymiana apud Florentinium ad* 2 *Maii translationem enuntiant hoc modo :* Autisiodoro translatio corporum sanctorum confessorum Optati episcopi. Memori presbyteris * et Sanciani * presbyteri. *Varia ad locum hunc mendosum observat Florentinius, testaturque memoriam hujus translationis reperiri in variis Mss. admodum antiquis, sed etiam non sine mendis. Apud Acherium ex laudato Ms. Corbeiensi sic legitur :* Autisiodero, translatio corporum sanctorum confessorum Optati episcopi, Memorii presbyteri, Sanctini presbyteri. *Martyrologium antiquum ecclesiæ Autissiodorensis apud Martenium tom.* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 702 *solum habet :* Autissiodero Optati episcopi, Memorii presbyterii et Sanctini presbyteri. *Veruntamen translationem innuere videtur, cum* XXXI *Augusti depositionem* S. Optati *memoret. Alia etiam quædam apographa Hieronymiana translationem hanc memorant* 2 *Maii, ut observatum*

* Memorii presbyteri.
* Sanctini

AUCTORE J. S.

A *servatum est apud nos ad eumdem diem. Saussayus et Galesinius eamdem male commemorant 2 Martii. Ex dictis collige, variis quidem Martyrologiis antiquis insertam fuisse translationem Sanctorum* Optati, Sanctini *et* Memorii, *at non omnibus, ut nimis generaliter asseritur in novo etiam Breviario.*

celebratur festivitas 31 Augusti, translatio prima 2 Maii, altera 16 Februarii.

5 *Ante novum Breviarium, quod supra citavimus,* XXXI *Augusti Officium de* S. Optato *Autissiodori dicebatur simplex cum commemoratione* SS. Sanctini *et* Memorii, *prout videre est in antiquis Breviariis Autissiodorensium, atque etiam in Directorio anni* 1720. *Nunc vero eodem die fit Officium semiduplex de* S. Optato; *et 2 Maii fit commemoratio translationis Sanctorum* Optati, Sanctini *et* Memorii. *In abbatia Virzionensi Ordinis S. Benedicti, de qua mox agemus, celebratur* XXXI *Augusti festivitas* S. Optati, *ut patroni minus principalis, ritu duplici primæ classis et secundi ordinis cum octava. Translatio vero* XVI *Februarii ritu duplicis majoris et tertii ordinis. Verum hæc alia est translatio a præcedente, ideoque alia die celebratur.*
B *Præterea die* XXXI *Augusti arca, in qua* S. Optati *corpus depositum est, fidelium venerationi exponitur. Hæc ex litteris Prioris Virzionensis, de quibus mox plura dabimus.*

Controversia de gemina translatione et corporis S. Optati possessione :

6 *Porro hæc verba novi Officii,* Verum beati Optati corpus, desinente nono seculo, ad vetus sancti Petri Doverensis monasterium in agro Bituricensi delatum fuit, atque hinc ad novam monasterii Virzionis ecclesiam, *non placuerunt omnibus. D. Joannes Bretagne, monachus Benedictinus S. Germani Autissiodorensis anno* 1730 *scripsit ea de re ad D. Lebeuf canonicum et succentorem Autissiodorensem epistolam bene longam, in qua variis argumentis translationem Doverensem oppugnat, ac probare nititur corpus* S. Optati *Autissiodoro numquam amotum. Verum respondit ad omnia illa argumenta D. Lebeuf per epistolam una cum præcedente nobis submissam. Hisce adjuncta est epistola D. Royer Prioris Virzionensis, qui adduxit monumenta omnia, ex quibus possessio corporis* S. Optati *abbatiæ Virzionensi asseritur. Juvabit monumenta illa lectorum oculis objicere, prout in epistola*
C *sunt relata, et breviter saltem expendere difficultates, quæ contra moveri possunt. Verum prius exponam loca, ad quæ corpus translatum dicitur.* Virsio *vel* Virzio, *vulgo* Vierzon, *oppidum est in Bituricensi provincia ad confluentes Avariei amnis in Carum. In hujus oppidi vicinia conditum erat Doverense cœnobium. At, cum dicta abbatia in nihilum pene redacta esset incursione perversorum hominum, ad ipsum oppidum Virzionense seculo* X *translata est. Hæc latius deducit Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 133 *et sequentibus.*

in variis chartis asseritur corpus S. Optati

7 *Nequeunt ostendere Virzionenses, quo tempore, qua occasione, aut per quem corpus* S. Optati *Autissiodorensis ad abbatiam Doverensem sit delatum. Id satis aperte fatetur laudatus Prior Virzionensis, dum in prædicta epistola ait sibi alia argumenta non esse, nisi traditionem ab immemorabili tempore, et loca quædam ex chartulario abbatiæ, quibus corporis possessio probari possit. Ex dicto autem Chartulario pag.* 5 *adducit hæc verba :* Sanctæ basilicæ sancti Petri Doverensis monasterii, quæ est constructa in honorem apostoli * principis Petri et intemeratæ Virginis Mariæ; ubi etiam Sanctorum corpora quiescunt, Obtati confessoris et perpetuæ martyris; ubi etiam Americus * abbas præesse dignoscitur. Signum Karoli regis. *Pag.* 6 *sequentia :* Summo Factori etc. beato videlicet Petro sanctæ Doverensis basilicæ: quæ in ejus honore constat dicata: quo *(lege* in qua) etiam Sanctorum corpora quiescunt humata, Optati scilicet venerabilis Autisioderii pontif. et Perpetuæ martyris; ubi Americus abbas præesse dignoscitur. Ego Ambranus etc. Signum Karoli gloriosissimi regis.

* *forte Apostolorum*

* *forsan Aymericus*

circa medium IX seculi fuisse in abbatia Doverensi,

8 *Hæ chartæ circa medium seculi* IX *scriptæ esse debuerunt, cum jam circa annum* 853 *Aimericus abbas successorem habuerit Asinarium, ut discimus ex Mabillonio, qui tom.* 2 *Annalium pag.* 641 *adducit partem litterarum, anno* XIII *Caroli Calvi regis datarum, quando Asinarius erat abbas. Verba ipsa litterarum accipe, cum non minus faciant ad propositum nostrum quam præcedentia :* Sacrosanctæ basilicæ sancti Petri Doverensis monasterii, quæ est constructa in honore Apostolorum principis Petri, et intemeratæ Virginis Mariæ, ubi etiam sanctorum Optati confessoris et Felicitatis martyris corpora quiescunt, ubi etiam Asinarius abbas præesse dignoscitur *etc. Tria allata fragmenta, si quid* E *evincere possint, necessario probabunt corpus* S. Optati *ante medium noni seculi fuisse in abbatia Doverensi.*

in aliis dicitur fuisse in abbatia Virzionensi ante medium seculi XI ;

9 *Recenset deinde laudatus Prior fragmenta quædam chartarum, quæ pertinent ad seculum* X *et* XI. *Priora duo, quæ in Chartulario habentur pag.* 9 *et* 10, *mentionem non faciunt corporis* S. Optati, *sed corporum Bisencii confessoris et Perpetuæ martyris, adeoque non prosunt traditioni Virzionensi. At pag.* 12, *eodem teste, hæc leguntur :* Ubi Sanctorum corpora quiescunt humata, Optati confessoris (Bisensi) videlicet et Perpetuæ martyris; ubi etiam Martinus abbas præesse dignoscitur. *Dein sequentia pag,* 21 : Ubi etiam Sanctorum corpora quiescunt humata, Optati confessoris, necnon Bisencii confessoris, seu Perpetuæ martyris; ubi etiam Martinus abbas præesse dignoscitur. *Præfuit Martinus abbas Virzionensis anno* 1031, *ut videre est apud Dionysium Sammarthanum tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 137 : *hæc igitur duo fragmenta spectant ad illa tempora. Porro laudatus Sammarthanus recitat ibidem chartam ad idem monasterium attinentem, datamque sub* F *Christiano abbate, qui Martinum præcesserat, in qua de Sanctorum corporibus in abbatia Virzionensi servatis tantum hæc leguntur :* Ubi etiam sanctorum corpora quiescunt humata, Bizenesi confessoris et Perpetuæ martyris. *Ex hisce observo, in fragmentis chartarum Doverensium asseri sacrum* Optati *corpus abbatiæ Doverensi circa medium seculi* IX : *in prioribus vero chartis Virzionensibus, quæ spectant ad seculum* X *et partem seculi* XI, *de illo corpore taceri, de eoque Virzione servato mentionem non fieri ante Martinum abbatem, seu annum circiter* 1030. *Infert hinc Prior Virzionensis in laudata epistola,* S, Optati *corpus non statim cum abbatia ipsa Virzionem delatum esse, at solum sub Martino abbate.*

in eaque etiam num quiescere:

10 *Antiquis hisce monumentis aliam probationem adjungit laudatus Prior ex Historia domus suæ, in qua testatur legi sequentia :* Sanctus Obtatus (aut Optatus) episcopus Autissiodorensis in basilica Virzonensi requiescit. *Vide de eo Chronicon episcoporum Autissiodorensium, editum in R. P. Labbeo. In ecclesia S. Germa-*ni

AUCTORE J. S.

ni Autissiodorensis, ad quam sacræ ejus reliquiæ asportatæ fuerant ab ecclesia S. Christophori, jam non asservari fatetur cruditus noster domnus Georgius Violle in schedis suis, quas penes dominum Gaucher, regium apud Virzionem advocatum volvi : notatque anno MDCXXXIV, quo visitata fuere ossa Sanctorum in basilica Sangermanensi recondita, reliquias S. Optati non inventas fuisse, licet in crypta, in qua diu jacuit, hactenus legatur hæc inscriptio : « Cy gist le corps « monsieur St. Optat, qui fut evesque de cette « cité le XIV, qui trepassa le dernier d' Aoust. » Quo pacto, die, annoque ad Doverense et Virzionense monasteria hujusce sancti Optati facta sit translatio, nulla docent monumenta, sed sola traditio. *Hactenus argumenta, quibus Virzionensibus corpus* S. Optati *Autissiodorensis asseritur.*

at Hericus monachus scripsit contraria,

11 *Hisce monumentis præcipue opponitur auctoritas Herici monachi in Vita S. Germani, et Historia episcoporum Autissiodorensium. Hericus in Miraculis S. Germani tom.* VII *Julii pag.* 281 *sic habet :* Requiescit in eadem basilica *(S. Germani Autissiodorensis)* sanctus Optatus episcopus cum duobus presbyteris, Sanctino et Memorio ; cum quibus primo sepultus fuit in ecclesia sancti Christophori martyris, quam ipse extruxerat ; postmodum, annis labentibus, translata sunt eorum corpora in ecclesiam S. Germani tam officiose, tam solemniter, ut in omnibus Martyrologiis, et maxime vetustis, dies translationis eorum insertus habeatur sexto Nonas tertii mensis * : transitus autem vel depositio illorum pridie Kalend. Septemb. annotatur. Eodem sane sarcophago omnes pariter requiescunt. *Porro Miraculorum libros non diu absolutos obtulit Hericus Carolo Calvo circa annum* 876. *Si itaque vere dicat de* S. Optato *episcopo,* Requiescit in eadem basilica, *non poterat circa medium ejusdem seculi translatus esse ad abbatiam Doverensem, uti habent chartæ supra adductæ. Verba Historiæ episcoporum Autissiodorensium, quæ dedimus num.* I, *idem innuere videntur ; cum et illa Historia scripta sit post tempus, quo corpus jam esse debuisset in abbatia Doverensi, et de illa translatione prorsus sileat. Accedit silentium Historiæ abbatum S Germani ac Chronici abbatiæ, et demum scriptorum omnium : nullibi enim translatio illa memorata legitur apud ullos scriptores synchronos, suppares, aut longe etiam posteriores. Ex hisce sequi putat laudatus D. Joannes Bretagne* S. Optatum, *qui colitur in abbatia Virzionensi, alium esse ab* Optato *Autissiodorensi. Adjicit et alias rationes, et has deducit latius. Verum satis me facturum judicavi, si præcipuas proponerem breviter, eademque brevitate responderem, ne hæc disputatio prolixior evadat, quam sit necesse.*

* i. e. Maii

nec locus ejus de interpolatione potest esse suspectus :

12 *Præcipuam difficultatem habet auctoritas Herici, qui inter eos etiam fuit, qui sub Wala episcopo cœperunt conscribere Historiam episcoporum Autissiodorensium, ut videri potest apud Labbeum in Bibliotheca tom.* I, *pag.* 434. *Locum Herici de interpolatione suspectum reddere conatur D. Lebeuf. Verum totus ille locus sine lituris vel additionibus legitur in codice nostro Lugdunensi P. Ms.* 4, *quem nullus de interpolatione suspectum habebit, qui ipsum codicem lustraverit, aut legerit, quæ de illo codice verissime dicta sunt apud nos tom.* VII *Julii pag.* 192 *in S. Germano. Quapropter non video, cur fateri non debeamus, Hericum credidisse, corpus* S. Optati *suo tempore adhuc fuisse in ecclesia S. Germani Autissiodorensis. Restat igitur, ut consideremus, an falli hac in re non potuerit ipse Hericus ; atque utrum verisimile non sit, re vera deceptum fuisse.*

sed errare potuit Hericus : cum corpus S. Optati verisimiliter sit Virzione :

13 *Qui per translationem reliquiarum sacro ditantur thesauro, acquisitionem suam magis annotare solent, quam jacturam suam illi, qui eumdem thesaurum amittunt. Hinc translationem ad ecclesiam S. Germani in schedis monasterii sui invenire potuit Hericus, et tamen non invenire translationem ad abbatiam Doverensem, etiamsi certo esset facta, vel quia monachi S. Germani non curaverant annotare amissionem sacri corporis, vel quia translatio forsan clanculo facta fuerat, adeoque litteris non consignata. Cum igitur Hericus sciret corpus* S. Optati *ad ecclesiam monasterii sui translatum fuisse, et non inveniret idem deinde amotum, existimare potuit illud ibidem adhuc superesse. Certe ignorasse videtur Hericus, qua ecclesiæ parte* Optati *et Sociorum corpora essent deposita. Quippe de omnibus aliis Sanctorum corporibus, quæ ibidem memorat, locum diligenter describit, in quo erant deposita : de solis corporibus* SS. Optati, Sanctini et Memorii *id prætermittit. Nec video cur locum non assignasset, si illum habuisset perspectum. Locum porro videtur non ignoraturus fuisse Hericus, nisi corpora dudum alio fuissent translata. Hæc mihi sane apparent maxime verisimilia, tum propter chartas Doverenses et Virzionenses ante adductas, tum quia Autissiodorenses fatentur, se ignorare, ubi modo deposita sint sacra illa corpora, quod videntur ignorasse ab Herici tempore ; Virzionenses vero celebri cultu venerantur* S. Optatum *ejusque arcam publicæ venerationi exponunt. Ex omnibus, quæ disputavimus, colligo, corpus* S. Optati *probabilius esse in abbatia Virzionensi, prout affirmat Officium novum : at istud delatum non esse ad abbatiam Doverensem desinente nono seculo, sed citius et incerto tempore.*

pauca de anno emortuali

14 *Demum pauca veniunt notanda de tempore, quo floruit* S. Optatus. *Historia episcoporum Autissiodorensium, num.* I *allegata, ait, eum floruisse temporibus Vigilii Papæ, Justiniani imperatoris et Clodovei Francorum regis. Verum hæc secum minime concordant : nam Clodoveus multis annis obierat, priusquam Vigilius Pontifex aut Justinianus esset imperator. Itaque hæ notæ chronologicæ plane sunt deserendæ. Novum Officium Autissiodorense mortem* S. Optati *figit circa annum* 532. *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 531 *num.* 19 *sic habet :* Sanctus Optatus Autissiodorensis episcopus obiit hoc anno pridie Kalendas Septembres, quo die colitur in tabulis ecclesiasticis. *Verum non tam certus apparet hic annus emortualis, ut sine ulla dubitatione sit asserendus. Nam serius quidem collocari non debet obitus* S. Optati, *cum episcopatus uno anno vacasse dicatur, deindeque successerit Droctoaldus, ac post hunc S. Eleutherius, qui anno* 533 *concilio Aurelianensi subscripsit apud Labbeum tom.* 4, *col.* 1783. *At nondum perspicio, cur aliquot annis citius mortuus esse non potuerit Sanctus, ideoque obitum ejus figere malui circa annum* 530. *An eodem tempore defuncti sint* Sanctinus *et* Memorius, *qui* Memorianus *a quibusdam vocatur, ex monumentis antiquis non liquet.*

DE

D

A

DE S. VICTORE CONF. SOLITARIO

CAMPI-BONI IN DIOECESI NANNETENSI IN ARMORICA

J. P.

Sylloge de cultu ac miraculis.

Sec. vi. *Cultus ex Proprio Nannetensi, ac Martyrologiis:*

De *publico et antiquo hujus Sancti cultu constat ex officiis propriis Sanctorum Nannetensium, sicut infra videbitur. Refertur etiam in Castellani Martyrologio universali :* In diœcesi Nannetensi S. Victor Campibonensis solitarius. *Consonat martyrologium Parisiense, anno* 1727 *editum :* In diœcesi Nannetensi, sancti B Victoris Campibonensis solitarii. *His præcesserat Ferrarius, qui perperam Sanctum hunc facit episcopum, in Catalogo suo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ita eum annuntians :* Nannete S. Victoris episcopi ejusdem urbis. *Præterquam enim quod nullum hujus nominis præsulem inveniam inter episcopos Nannetenses; clarissime indicat in sua annotatione, respexisse se ad* S. Victorem *eremitam : Is, inquit,* apud Campum-bonum, pagum urbis prædictæ, in parvo oratorio aliquandiu vixit, prout in ejus Vita legitur. *Saussayus in Supplemento refert eum, abdicato episcopatu Nannetensi, apud Campumbonum se reclusisse.*

memoria Sancti obliterata, ædes sacra destructa,

2 *Albertus de Monterelaxo in Sanctis Britanniæ Armoricæ de hoc solitario scribit ad* XXXI *Augusti, relataque generali ejusdem provinciæ calamitate, seculo nono a Normannis aliisque gentilibus misere desolatæ, narrat inter alia adversus Sanctos ac orthodoxam fidem ibidem patrata, Normannos fuisse depopulatos totum comitatum Nannetensem, interque alia loca sancta destruxisse ædem sacram ac eremum* S. Victoris, *combussisse ecclesiam parœcialem Cam-* C *pibonensem, ejusdemque in ruinis sepelivisse Sancti memoriam, cujus ecclesiam et eremum frequentabant Britanni propter magna miracula, quæ Deus ibidem, Sancto patrocinante, operabatur. Deinde autem seculo decimo renovata est erga hunc Sanctum pietas.*

quæ deinde post punitam profanationem

3 *Factum describit citatus Albertus, quod compendio referam. Mortuo Conano I, Rhedonensi dicto, Gaufridus filius ejus natu major successit. Princeps ille adversus Judicaëlem comitem Nannetensem collecto magno exercitu, comitatum illum depopulatus est. Gaufridus autem dum nocte quadam in vico Campibonensi hospitaretur, sed non satis capaci hospitii loco ad excipiendos equos et homines, hi vident oratorii* S. Victoris *muros exstare, ratique ruinas esse alicujus ædificii profani, texerunt illud opere extemporaneo posueruntque tot in eo equos, quot locus posset capere.*

restaurata est:

4 *Sed Deo hanc irreverentiam puniente, omnes isti equi postridie reperti sunt mortui. Res ad Ducem defertur : miratur ac dolet valde : sed pastor Campibonensis de loci sanctitate, de magno Dei Famulo in eodem sepulto, nec non de peregrinorum ad ejus sepulcrum visitandum adventu laudatum principem instruxit : qui locum istum expurgari jussit, Sancti sepulcrum invisit, ibidem oravit, magnamque pecuniæ summam dedit parocho ad reædificandam hanc eremum. Hanc historiam excerpsi e prædicto Alberto, de qua inferius nonnulla notabo. De bello supra memorato* Gaufridi *contra* Judicaëlem, *agit Guido Lobineau, de quo infra, ad annum* 992. *Pergamus interim cum eodem Alberto ad miracula.* E

5 *Restituto loco a parocho, undique ad Sancti sepulcrum accurrisse memorat infirmos ad consequendam sanitatem, multaque Deum fecisse miracula per ejusdem Sancti patrocinium. Hoc videns, ut pergamus eum Alberto, homo quidam, nomine Chambennus, qui diu militaverat,* S. Victoris *ossa lavari fecit aqua benedicta, quam lagenis ac vasis hujusmodi impositam distribuebat infirmis, qui ob suam invaletudinem non poterant per se invisere* S. Victoris *reliquias : quam aquam simul atque potassent, sanabantur : pergebatque vir iste longo tempore portare hanc aquam per Britanniam superiorem ac inferiorem, per provincias Andegavensem, Pictavensem. ac Normannicam.* *impetrati per Sanctum favores:*

6 *Erat in parœcia Campibonensi vir quidam honestus, nomine Vivianus, erga* S. Victorem *pie admodum affectus, qui, mortua uxore, factus est sacerdos, ac clericos juniores, qui aspirabant ad sacerdotium, instruebat, cantum ecclesiasticum illos docens. Erat inter discipulos filius ejus, nomine Jamgonus, juvenis nequam, qui die quodam, absente patre, condiscipulis suis dixit : Volumusne experiri, an* S. Victor, F *cujus reliquiæ habentur in tanta veneratione ab omni populo, vere tantus sit Sanctus, quantus creditur? Ignem accendamus ossaque ipsius eidem injiciamus, ut videamus, an illis sit parsurus ignis. Socii ejus omnes talem detestati impietatem, nihil horum ut faceret responderunt; se de meritis* S. Victoris *neutiquam dubitare, facinus tantum punituri. Verum miser, perversi sui propositi tenax, voluit repetitis vicibus illos inducere, ut malitiæ suæ essent participes; sed frustra : illam executioni mandare decrevit, claribusque hierothecæ furtim sublatis, venerabilia Sancti ossa surripuit, et in magnum ignem injecit. Sed statim ex eo resilierunt tanto cum fragore, ut omnes, qui aderant, fuerint attoniti, et aufugerint.* *punitum sacrilegium*

7 *Miser autem ille, in malitia sua persistens, iterum illa in ignem projecit : e quo iterum cum fragore magis horribili, quam ante, sunt egressa : miserque cecidit supinus, rigidus, surdus, mutus, ac omnibus sensibus privatus. Pater ejus reversus, reique peractæ certior factus, nec non gravissime ferens cum injuriam Sancti reliquiis illatam a suo filio ; tum horribilem punitionem, quam* *sacris ossibus illatum, et sanatio sacrilegi:*

AUCTORE J. P.

quam sibi conseiverat, corpus illud ad sacellum S. Victoris *deferri jussit, et extendi apud ejus sepulcrum : ubi, fusis ad Deum precibus, Sanctoque invocato, filius ejus integræ redditus est sanitati, ac Sancto valde addictus fuit : cujus sacellum conspicitur ad extremum vici Campibonensis, a fidelibus frequentatum propter favores, quos Deus impertiit invocantibus patrocinium ejus. An miraculum illud sic narratum invenerit alibi Albertus, an hisce rerum adjunctis vestiverit, ac adornarit suo marte, ignoro : longe enimvero brevius narrabitur infra ex Proprio Nannetensi.*

nonnullæ de Sancto notationes ;

8 *Idem scriptor Vitam* S. Victoris *a se collectam affirmat ex antiquis legendariis Mss. S. Petri Nannetensis, ubi tres de illo lectiones esse indicat. Addit Breviaria antiqua Nannetensia de eo meminisse* XXXI *Augusti, uti et Proprium Nannetense eodem die. Tempus Vitæ ac mortis non lego apud Albertum. Castellanus ac Breviarium Parisiense ponunt eum seculo sexto, quo et ego illum signavi supra, dum alia mihi desunt documenta, quibus hanc temporis notatio-* B *nem probem vel improbem. Subjungo nunc pauca de Sancto ex Proprii Sanctorum Nannetensium parte æstivali, quæ edita prænotatur anno* 1623, *dum jam dictis attexuero hoc de illo elogium ex Supplemento Saussayi ad præsentem diem :* Apud Nannetum in Armorica sancti Victoris episcopi ejusdem urbis, qui populo suo in Dei timore multa diligentia erudito, apud Campum bonum in territorio urbis prædictæ, purius ac liberius Christo serviendi amore se reclusit : ubi extructo parvo oratorio cum secretus a seculi conturbationibus in summa animi tranquillitate aliquamdiu vixisset, angelicæ puritatis æmulator, meritis locupletatus innumeris, finem sic mortalitatis invenit, ut ad beatæ immortalitatis gaudia pervenerit.

miracula

9 *In proprio Nannetensi, præmisso hoc titulo,* Sancti Victoris confessoris Nannetis, *et oratione de communi confessoris non pontificis,* Deus qui nos beati Victoris confessoris *etc., sic de illo legitur :* Victor apud vicum Campi-boni in territorio Nannetico in parvo oratorio reclusus, admirabili sanctitate vixit : ibique post mortem sepultus, multis miraculis claruit. Omnes enim C infirmi, qui devotionis causa huc adveniebant, sani et incolumes revertebantur. Northmani vero totam patriam devastantes, hoc etiam oratorium destruxerunt : in qua desertione permansit usque ad tempus Roberti regis Francorum, quo multis signis ostensum, reædificatum est. In ea nocte quadam, cum pascerentur equi militum Gaufredi comitis Rhedonensis, adversus Judicaëlem comitem Nannetensem dimicantis, singulos, illucescente die, mortuos invenerunt : quo miraculo exterriti milites omnes fugerunt. Juvenis quidam cum hujus sancti Viri ossa in ignem projecisset, statim supinus in terram, surdus, mutus, et omni corporeo motu privatus cecidit, sicque permansit, donec patris opera ad locum trausportatus, cordis pœnitentiam egit, et tunc per sancti Victoris preces et merita omnimodæ sanitati restitutus fuit. Multa alia miracula per illum operatus est Dominus. D

et observationes

10 *Ad hanc lectionem juvat observare sequentia. Primo ,* Campus-bonus, *Gallice* Cambon, *apud Albertum de Monterelaxo* Campbon *vocatur : in quo Sancti sacellum, ad extremitatem ejusdem vici situm, ut num. 7 dictum est.* 2°. *De tractu Nannetensi a Normannis devastato* E *scribit Guido Lobineau in Historia Britanniæ tomo* 1, *lib.* 2, *ad annum* 843, *et* 877 : *libro autem* 3, *num.* 1, *ad annum* 907 *etc. refert desolationem Britanniæ Armoricæ illatam ab eadem gente, ac ab illa interceptam quarta vice civitatem Nannetensem.* 3°. Robertus *Francorum rex, Hugonis Capeti filius, solus post obitum patris regnavit ab anno* 997, *postquam in regni consortium a patre assumptus esset anno* 988 ; *obiit* 1032, *prout licet videre apud Pagium. Labbeus in Compendio chronologico mortuum fuisse scribit anno* 1031 : *de qua discrepantia disputare, non est hujus loci.*

nostræ

11 Equis militum Gaufredi comitis Rhedonensis *accidisse mortem, sacræ ædis* S. Victoris *profanatæ ultricem, dicebat lectio superior ; quem et Albertus supra indicabat num.* 3. *Laudat eum pag.* 377 *tamquam* unum e religiosissimis principibus sui temporis. *Consuli tamen potest Lobineau pag.* 87. *Laudatus Lobineau ad annum* 992 *scribit de morte Conani I, ejusque liberis Gaufrido comite Rhedonensi, ac* Judicaële *comite Nannetensi. Ea hic breviter indicasse sufficiat in rem nostram.* F

DE S. EANSWIDA VIRG. ABBATISSA

IN MONASTERIO FOLKSTONIENSI IN CANTIO

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Locus, publica veneratio ; vitæ institutum ; tempus mortis.

AN. DCXL. *Loci notitia :*

Cantium, *vulgo* Kent, *olim regnum, nunc autem regio in Anglia satis nota, ab antiquissimis temporibus habuit monasterium, quod hæc sancta ac regia Virgo fundavit, ac virtutibus illustravit. Camdenus in sua Britannia, anno* 1607 *excusa, pag.* 246, *de hoc loco sic scribit :* A Dubri cantes ex creta, veluti serie cohærentes, per V milliaria perpetuum habent dorsum usque ad Folkstone, quod olim floruisse Romanorum numismata quotidie inventa persuadent ; quo autem nomine incertum. Ex illis turribus fuisse probabile est, quas Romani ad Saxones arcendos (Theodosio juniore reguante) per intervalla (ut inquit Gildas) ad meridianam Britanniæ plagam in littore collocarunt. Anglo-Saxonibus religionis nomine celebre fuit, a monasterio, quod Eanswida Eadbaldi regis Cantii filia virginibus consecravit : nunc vero viculus est, ejusque

A ejusque partem maximam abrasit oceanus. Baronia tamen fuit familiæ de Abrincis, a quibus ad Hamonem de Crevequer, et per ejus filiam ad Joannem de Sandewico, cujus e Joanne filio neptis Juliana eamdem Joanni de Segravio iu dotem attulit.

cultus : 2 *De publico autem et antiquo* S. Eanswidæ *cultu constat ex Vita ejus, quam dabimus. Merito itaque hagiologi recentiores retulerunt eam in Fastos sacros. Molanus in additionibus ad Usuardum suum, anno* 1573 *impressum, ita illam memorat :* Ibidem *(nimirum in Anglia)* depositio sanctæ Eanswindæ, virginis et abbatissæ. *Monastici Wion, Dorganius, Menardus ac Bucelinus illam etiam annuntiant : quibus adde Ferrarium in Catalogo generali, Arturum in Gynæceo, et Wilsonum in Martyrologio Anglicano primæ editionis, qui tamen in secunda Sanctam ponit* XII *Septembris; qua de causa, nescio. Eamdem Sanctam tunc etiam repetit idem Ferrarius. De illa etiam mentio fit inter Auctaria ad Usuardum nostrum. Asservatur apud nos Ms., cui titulus :* Collectæ et antiphonæ de va-
B riis SS. : *(sunt autem* SS. Angli, *ut annotatur ad marginem) in quo ad nomen* S. Canswida, *quod, ni fallor, eo irrepsit mendose pro* Eauswida, *sunt ista :* Virginale collegium, ecclesia fidelium convocentur in gaudium. Alleluia. Consonet plebs angelica, flos Canswida adquisivit Agnum sponsum : cum quo vivit alleluia. Ave nostrum, ave pium, dulce, dignum solatium : pro servis tuis ora Dominum. Alleluia. ℣. Diffusa est gratia etc. Deus, qui beatam virginem Causwidam Ecclesiæ tuæ honorabilem exhibuisti, et pretiosam supernis civibus reddidisti; ipsius meritis et precibus sic nos facias tibi in hac vita placere, ut in futura partem mereamur habere. Per.

an abbatissa Benedictina : 3 *Titulum* abbatissæ *dant illi passim martyrologi : monastici hagiologi supra citati videntur tacite indicare, Ordinis Benedictini institutum professam fuisse. Id non satis compertum fortasse habuit Mabillonius tomo 2 Actorum Benedictinorum, ubi pag.* LIX *ponit eam in indice Sanctorum prætermissorum, cum titulo tamen* abbatissæ. *Alfordus in Annalibus ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ad annum* 640, *num.* 6 *eumdem et titulum tribuit :* Hanc regiam, *ait*, virginem,
C monialem et abbatissam vel ab Honorio Doroberneusi, vel saltem a Romanis monachis velatam esse, nullum dubium est, et monasticum institutum ab eisdem edoctam : quod licet a nemine assertum inveniam; tamen cum monasterium illud nigrarum sanctimonialium vocetur, ab Eanswida, et qui illam consecrarunt, colorem illum appellationemque accepisse, credendum est. *Hæc Alfordus : cujus opinio videtur mihi probabilis, etiamsi inter Auctaria ad nostrum Usuardum notetur dumtaxat* virgo *e codice Rosweydino et Altempsiano.*

tempus mortis. 4 *Floruit hæc Sancta seculo septimo. Mabillonius supra citatus assignat ejus tempus* circa aunum DCXXX. *Maihewius hac die in suis Trophæis*, Claruit, *inquit*, anno Christi DCXXX. *Alfordus mortem ipsius affigit anno* 640 : *quem et ego secutus sum superius in exordio hujus Commentarii, dum aliunde nihil habeo magis compertum, unde ejus obitum certius definire queam. Laudatur ab Harpsfeldio septimi seculi cap.* 10, *ac Maihewio supra citato : adde Arturum in Gynæceo.*

D

VITA

auctore anonymo

Ex editis apud Capgravium a folio XCVII.

Ethelbertus rex Cantiæ *a*, per sanctum Augustinum episcopum ad fidem conversus, genuit Edbaldum et Ethelburgam virginem *b*, quam pater suus Ethelbertus dedit Edwino regi Northanhumbrorum in uxorem, sicut inferius in Vita ejusdem Sancti regis clarius patet. Edbaldus *c* vero ex Emma, regis Francorum *d* filia, genuit Ermenredum et Ercombertum *e*, et filiam Eanswidam. Quæ ab infantia pompis sæcularibus renuncians, Deo servire studuit, pretiosa quæque mundi calcavit, et ad vitam regni cæ- E lestis, tota virtute sanctam amplexata doctrinam, jugi desiderio suspiravit, et sanctimonialis vitæ regulam subire deliberavit. Ad cujus observantiæ opportunitatem commodum elegit locum a vulgi frequentatione remotum, Folkstan nominatum, ubi et pater ejus Edbaldus in honore beati Petri apostoli ecclesiam construxit *f*. *Regia Sancta stirps; vitæ professio,* *a* *b* *c d* *e* *f*

obitus : 2 Ibi ergo ex parte maris, quæ remotior dicitur esse ab ipsis ruricolis, hujusmodi competentem fundavit ecclesiam cum officinis sibi suisque comitibus, professioni ejus necessariis, a pleno tunc maris gurgite septem jugerum latitudine, id est viginti octo perticarum distantem. Quæ hodie nusquam apparet : terra namque a mari paulatim consumpta, post longum seculum corruit, et ripa maris cimiterium hausit. In qua castimoniam virginalem sub regulari habitu ducens, die nocteque Dei famula tui * dedita, ad beatum finem perveuire meruit pridie Kal. Septembris. Cujus reliquiæ, ruina ipsius ecclesiæ imminente, in vicinam ecclesiam beati Petri translatæ sunt *g*. * *f. suis* *g*

conatur pater ejus 3 Cum enim ad annos nuptiarum perveuisset beata virgo Eanswida, pater ejus jugi ammonitione crebris precibus ad nuptias Virginem invitavit. Cui beata Virgo, Spiritu sancto inspirata, immobili mentis devotione in hæc verba respondit : Genitor charissime, si dilectionis constantiam interminabilem, fructum nuptiarum perpetuum, sponsum immortalem, lætitiam sobolis infinitam virginitati meæ properare sufficitis, consilio vestro gratulanter adquiescam. Sin autem amicitiam odiis immixtam, nuptias steriles, fructum in illis transitorium, maritum mortalem, lugubrem filiorum interitum, et in omnibus virginitatis corruptionem studetis apponere, potiori adhærere, etiam patris consilium intimabit, nisi patrem velit exuere. F

nuptias 4 Maria namque optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Cum igitur in humanis jura mortis universa possideant, Sponsi cælestis et immortalis amplexus sitio : illi meæ virginitatis florem reservo : quem cum amavero, casta sum, cum tetigero, munda sum, cum accepero, virgo sum. Ad hujus Sponsi talis obsequium oratorium michi construi deposco, pater. Motus igitur Virginis precibus, locum orationis sibi pater suus Edbaldus construere cœpit. Quod cum construeretur,

A. Anonymo. *h* retur, rex Northanhumbrorum *h* prosapia nobilis, beatam Virginem in conjugem adoptavit. Pater vero Puellæ filiam suam blandiciis convenit et tam illustris mariti consortium extollit *i*.

illi suadere ; sed frustra : miraculum

5 Contigit tunc ad opus oratorii inter cæteras trabem adductam, reliquis trium pedum longitudine minorem, quæ sui brevitate operi inutilis habebatur. Adducto autem rege Northanhumbrorum multis comitantibus, talibus patrem suum affatur verbis : Regis hujus nobilitas me Christi ancillam comitem sibi suspirat, conjugem queritur *. O quam stulta commutatio, quam detestanda stulticia, quam intolerabile dampnum, si pro cælestibus terrena, pro æternis transitoria suscipiam. Hunc tamen licet transitorium, licet terrenum, conjugem accipiam, si in Dei sui potestate hoc lignum, quantum opus est, elongare orando sufficiat. Sin autem, intactam me relinquat. Rex autem conditioni congratulans, leviter in dei sui potestate hoc patrare speravit, sed nequaquam ullus deorum suorum *k* hoc facere, licet plurimum invocatus, valuit. Accessit enim et capite ligni elevato preces coram diis suis prolixius B in vanum effudit, et omnibus intuentibus verecundus abscessit.

* f. quærit

hac occasione factum : alia

6 Virgo igitur sancta mente congaudens, cælesti manifestatione ab illicito conjugio se liberatam exclamavit. Et accedens ad lignum, facta oratione, pars ejus opposita se sursum elevans in tantum producitur, ut cæteris æqualis aut major longitudine videtur, et quæ prius cæteris nequaquam adaptari poterat, tunc aptior operi habebatur. Oratorium enim suum rupibus suspensum, mari supereminens, aquæ dulcis suffragio caruit. Et cum de longinquo ministrorum labore aqua deferretur, ministrantium miserata labores liquorisque penuriam, perrexit ad fontem, per spatium miliarii unius, aut eo amplius in villa, Swectonum nomine.

mira

7 Baculo præcedente ejus ductum quasi vivæ vocis jussione ab infimis ad summa, per rupes et saxorum vertigines ad oratorium suum perduxit, et hominibus, et jumentis poculi largitatem dare abundanter non cessavit : sicque precibus Virginis sanctæ aqua contra sui naturam ascendit, et, quod vehementius est mirandum, per aquam alie- C nam rivus transiens prorsus quasi intacta et immixta perducere cernitur. Mira res : Virginis precibus, quam Creator suis jusserat a mundi principio aquam descendere, Ancillam sequitur etiam contra naturam, Dominum oblita etiam in natura, Ancilla Domini jussit, ut sequeretur, et hæc audivit secuta jubentem.

de Sancta

8 Contigit enim agros suos multiplici avium genere et fructus eorum absumi, et sic labores hominum denudari. Inter cæteras vero aves, quæ gantæ *l* vocantur, plurimum agris nocere præsumebant. Virgo autem Christi aves jussit congregari, et in nomine Domini in domo quadam includi. Et ecce aves, quæ volare poterant per naturam, jussu Virginis manus hominum quasi domesticæ sequuntur. Sub illius vero noctis custodia, novæ carnis gaudentes edulio, tres sibi ministri parare non metuebant. Mane vero pietatis commota visceribus Famula Christi ad locum, ubi inclusæ erant, processit, et omnibus evolandi libertatem exhibuit. Quæ statim a carcere egressæ, inauditum planctum circa domum volitantes ediderunt ; alas reverberant, questus ingeminant, et neglecto recessu pro modo quærentium inusitant *, ac si aliquid amisissent. Miratur Dei Famula querimoniam, miratur et moram. Causam a ministris inquirit, et D omnes unanimiter se excusant : jussu tandem Virginis sanctæ, factum confitentur licet inviti. Jubet igitur ossa colligi, et in ejus præsentiam collecta deferri. Allatis itaque ossibus, cum preces devotas ad Dominum fudisset, quod volucrum ossa collegerant, tot repente volatilia prodierunt, ut numerus deficientium in nullo sentiret detrimentum *m*. Avibus in hunc modum reparatis, hoc illis adjunxit interdictum, ne territorio suo insiderent in æternum. Et factum est ita. Hæc enim Virgo sancta suis meritis mulierem cæcitate percussam illuminavit, dæmoniacum sensui reddidit, et multos alios a diversis morbis salute recepta lætari fecit.

* f. invisitant pro inquirunt

a biographo

9 Erant enim quatuor fratres, rebus mundi abundantes, qui decimas in contemptu ducebant, nec eas dare volebant. Elapsis in tali errore annis multis, dixerunt tres fratres ad quartum : Frater, si dudum Deo injuriantes oberravimus, resipiscere tempus est, ut quod maligna deliquit præsumptio, defleat pœnitentia, corrigat satisfactio. Accedamus ad corpus sanctæ Eanswidæ, et frugum nostrarum decimas Deo et sanctæ Virgini offeramus. E Et cum ille non acquiesceret, ecce inimicus in eum ingressus, eum insanire, et huc illucque discurrere et discerpere seipsum fecit. Qui a fratribus vinculis astrictus ante altare sanctæ Virginis adducitur, et sanitate recepta decimas Deo et sanctæ Virgini deinceps subtrahere non præsumpsit.

memorantur : quibus additur parergon rei mirabilis

10 Vir quidam continuis pressus doloribus carnis et tabescens, nulla tamen in carne vel carnis superficie læsionis vestigia apparebant : huic astitit mulier speciosa nimis, dicens : Vir bone, cur animam tuam tantis doloribus affligis, cur doloribus dolores accumulas? Perge apud Folkstanum ad ecclesiam virginis Eanswidæ, cujus precibus noveris te pristinæ saluti restituendum. Quo facto, Virgo quædam venerabilis sibi apparens, primo doloris loca lavit, post linteo tersit, et carnem prorsus a dolore purgavit. Narratio *n*. Circa annum Domini sexcentesimum septuagesimum octavum, conserto gravi prælio inter reges Merciorum et Northanhumbrorum Ethelredum et Egfridum *o*, miles quidam nomine Ymma, inter cadavera occisorum similis mortuo jacens, recepto spiritu revixit, et vulnera, ut potuit, alligavit. F Inventus autem ab inimicis et captus, ad quemdam comitem regis Ethelredi adducitur, et interrogatus quis esset, rusticum et pauperem se esse fatetur. Quotiens enim vinculis ferreis ligatus erat, totiens vincula soluta reperta erant. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tuuna, abbatem cœnobii in civitate, quæ hactenus ab ejus nomine Tunacester * vocabatur, qui eum mortuum credens, Missas pro ipso crebro celebrabat. Quarum celebratione factum est, ut nullus eum vincere * posset, quin continuo solveretur. Interrogatus a comite, quare ligari non posset, ait : Habeo, inquit, fratrem in provincia mea, et scio quia ille me interfectum putans, pro me Missas crebras facit, et si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones ejus a pœnis solveretur.

* al. Tunnacestir

* l. vincire

de sacrificio Missæ.

11 Requisitus a comite intentius, unde esset, promisit se nichil ei mali facturum, si simpliciter sibi, quis fuisset proderet : quod dum ille faceret, militem se regis fuisse manifestans, respondit. Et ego, inquit comes, per singula tua responsa cognoveram, quia rusticus non eras, et nunc

A nunc dignus es morte, quia omnes fratres, et cognati mei in illa sunt pugna occisi, nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi prævaricem. Vendidit ergo eum Londoniis cuidam Freso, sed nec ab illo, nec, cum illuc duceretur, ullatenus ligari potuit, cum alia atque alia vinculorum genera hostes imponerent. Tertia vero hora, quando Missæ fieri solebant, vincula ejus soluta erant. Pretium demum redemptionis suæ persolvens ad fratrem rediit, et cuncta, quæ sibi evenerant, narravit. Multi enim hoc audientes, accensi sunt in fide ac devotione pietatis ad orandum vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Deo victimas sacræ Oblationis pro suorum ereptione, qui de hoc seculo migraverant.

ANNOTATA.

a *Regnum* Cantii *describitur tomo* III *Februarii, ad diem* 24 *ejusdem mensis, pag.* 470 *et* 471 *in hoc* S. Ethelberto *ejusdem rege: cujus Vitam illustravit Henschenius ad dictum diem.*

b *S. Ethelbertus inter posteros suos et longa serie reges Cantiorum et plures sanctitate vitæ emi-*
B *nentes habuit. Vide apud nos tomo mox citato pag.* 473, *ubi agitur de Edbaldo, S. Edeburga, S. Edwino rege etc.*

c *Ibidem pag.* 473 *dicitur* post apostasiam, per S. Laurentium revocatus, teste Beda lib. 2, cap. 6 „Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus con„sulere et favere curavit„. *De S. Laurentio archiepiscopo Cantuariensi egimus* 2 *Februarii a pag.* 289.

d *Alfordus ad annum* 640 *num.* 2 *meminit de* Emma *Edbaldi* conjuge, Theodoberti Austrasiæ regis filia.

e *De filiis hisce, Sanctæ hodiernæ fratribus, scribit Alfordus ad annum* 640, *num.* 2.

f *Alfordus ad annum* 618 *num.* 2 *narrata Edbaldi regis conversione ab idolorum cultu ad Christi fidem, num.* 3 *subdit ejusdem regis chartam, in qua leguntur ista:* Ego Edbaldus in solio paterno confirmatus, patris vestigia imitans.., monasterio apostolorum Petri et Pauli, in suburbio Dorovernia civitatis fundato et.. terris ac variis ho-
C noribus ditato, ad honorem Dei, et SS. Apostolorum, sanctique Augustini, pro remedio animæ patris mei, meæque, parentumque meorum, grataner concedo, et amicabiliter dono quandam partem regni mei, triginta aratorum, nomine Northborne, in
* *f.* usum ipsum * monachorum ibidem Deo famulantium: ubi ipse pater Augustinus, et pater meus requiescit, ubi etiam archiepiscopi et reges sibi succedentes requiescere decreverunt: ubi etiam corpus meum sepeliri præcipio *etc.* Actum est hoc anno sexcentesimo decimo octavo, Indictione
* *immo* sexta quarta *.

g *Alfordus ad annum* 640, *num.* 6 *dicit, hanc ecclesiam* hodie in sanctæ Eanswidæ nomen concessisse.

h *Alfordus ad annum* 640, *num.* 3 *rem ita refert:* Edbaldus pater, sanctioris consilii ignarus, uni e Northumbriæ principibus filiam tradere in uxorem, animum induxerat.

i *Quod hic dicitur de isto rege, factum modo insinuabat Alfordus in uno e Northumbriæ principibus, nescio quo. Utrum sit verius, me fugit. Porro Edbaldi Cantii, ac Edwini Northumbriæ regum exordia notantur apud Alfordum ad annum* 617.

k *De Edwino ab idolorum cultu ad Christum converso agit idem auctor ad annum* 626; *de morte ejus ad annum* 633, *ubi illum vocat* Sanctum *et* martyrem, *qualis vocatur in Martyrologio Anglicano Wilsoni ad diem* 4 *Octobris. Castellanus in Martyrologio suo universali ad diem* 12 *ejusdem mensis tamquam Sanctum refert, et injuste occisum, sed sine titulo martyris. Verum de illo alias videbitur.*

l Gantæ *sunt anseres silvestres, vel etiam do-* E *mestici apud Cangium in Glossario. Plura ibidem licet videre. Hic autem indicari anseres silvestres, colligitur ex sensu.*

m *Requirimus majorem auctoritatem pro tam miro prodigio.*

n *Beda lib.* 4, *cap.* 22 *sequentem refert historiam, et ex eo Baronius ad annum* 679: *quæ etiamsi nihil habeat cum* S. Eanswida *commune, ponere tamen hic illam visum est pro sacrificio Missæ, vivis atque defunctis proficuo, contra heterodoxos. Historia hæc plenior et melior est apud Bedam: quæ hic abbreviata, et non satis bene connexa.*

o Anno regni Ecgfridi nono, conserto gravi prælio inter ipsum et Æthilredum regem Merciorum juxta fluvium Treanta, occisus est Elfwini, frater regis Ecgfridi; juvenis circiter decem et octo annorum, utrique provinciæ multum amabilis. Nam sororem ejus, quæ dicebatur Ostridi, rex Æthilredus habebat uxorem. Cumque materies belli acrioris et inimicitiæ longioris inter reges populosque feroces videretur exorta, Theodorus Deo dilectus antistes, divi- F no fretus auxilio, salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium, adeo ut pacatis alterutrum regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, sed debita solummodo mulcta pecuniæ regi ultori daretur. Cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem reges eorumque regna duraruut. *Ex Beda lib.* 4, *cap.* 21. *Porro* Theodorus *archiepiscopus Dorovernensis inscribitur Martyrologio Romano die* 19 *Septembris, quo plura de illo dicentur.*



DE

DE S. AIDANO EPISCOPO LINDISFARNENSI

IN ANGLIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Nomen Sancti in Fastis et cultus antiquus ; gesta ejus descripta a venerabili Beda.

An. DCLI. *Memoria Sancti non quidem in Fastis antiquissimis,*

Quamquam veneratione admodum antiqua gaudet S. Aidanus *primus Lindisfarnensis in Anglia episcopus, ejus tamen memoria apud antiquiores non reperitur martyrologos, Bedam nimirum, Adonem, Usuardum, aliosque his suppares. Varii quidem codices Usuardini cum Mss. tum editi nomen Sancti hujus ad* XXXI *Augusti continent, sed illæ annuntiationes Usuardi Martyrologio postea sunt adjectæ, adeoque incerti temporis. Accipe ex additamentis istis geminum elogium : nam reliqua in Usuardo Solterii nostri videri poterunt ad diem prædictum. Aquicinctinus codex sic habet :* Eodem die, sancti Aidani episcopi, cujus animam sanctus Cuthbertus in cælum ab angelis ferri vidit. *Grevenus vero hoc edidit :* In Anglia sancti Aidani episcopi Lindisfarnensis et confessoris. Hic, ut testatur Beda lib. III, vita et miraculis clarus, nil ex omnibus, quæ in Euangelicis sive Apostolicis sive Propheticis litteris facienda cognoverat, prætermittere, sed cuncta pro viribus implere curabat.

in aliis tamen satis antiquis celebratur : et veneratio ejus antiquissima ;

2 *Florarium Sanctorum apud nos manuscriptum ad eumdem diem hujusmodi verbis Sancti memoriam commendat :* Item sancti Aidani episcopi et confessoris. Hic sancti Columbæ abbatis discipulus a Stochia * veniens, apud Anglos clarebat sanctitate et doctrina. Obiit anno salutis DCLI. *Accedunt martyrologi recentiores, quos enumerare non est necesse, et Romanum Martyrologium, in quo Sanctus annuntiatur his verbis :* In Anglia sancti Aidani episcopi Lindisfarnensis, cujus animam cum sanctus Cutbertus ovium pastor in cælum ferri vidisset, relictis ovibus, factus est monachus. *Porro ex reliquiarum translatione colligimus, Sanctum in veneratione fuisse eodem, quo obiit, seculo. Nam Beda lib.* 3 *Historiæ, cap.* 26 *refert, partem reliquiarum* S. Aidani *a S. Colmano translatam fuisse, partem in ecclesia Lindisfarnensi relictam. Verba ejus accipe :* Abiens autem domum Colman assumpsit secum partem ossium reverendissimi patris Aidani ; partem vero in ecclesia, cui præerat, reliquit, et in secretario ejus condi præcepit. *Contigit ille Colmani ex Anglia recessus post celebrem de Paschate disputationem, quæ anno* 664 *habita fuit, ut passim scriptores affirmant.*

* *forte* Scotia

uti probatur ex translationibus ejus reliquiarum :

3 *Porro reliquiæ illæ* S. Aidani, *quæ in ecclesia Lindisfarnensi relictæ sunt, postea Dunelmum delatæ videntur, quo sedes ipsa episcopalis ex urbe Lindisfarnensi translata est, ut dicemus. Certe in Historia translationis S. Cuthberti, Lindisfarnensis item antistitis, tom.* III *Martii pag.* 139 *refertur, Dunelmi cum corpore S. Cuthberti aliisque ossibus sacris inventas quoque reliquias* S. Aidani, *quod contigit anno* 1104, *prout latius ibidem exponitur. Idem de ossibus* S. Aidani *narratur in Historia Dunelmensi, edita primo loco inter decem Angliæ Scriptores, pag.* 67, *ubi sic legitur :* Inventa sunt quoque cum corpore ipsius Sancti patris *(Cuthberti)* ossa sancti Aidani *etc. Apud Capgravium in S. Patricio fol.* 264 *dicuntur reliquiæ* S. Aidani *etiam Glastoniam delatæ per Tictam abbatem, qui* illam ecclesiam anno Domini septengentesimo quinquagesimo quarto abbatis jure rexit. *Et Monasticon Anglicanum enumerans reliquias ecclesiæ Glastoniensis tom.* I, *pag.* 4 *inter illas recenset sacra ossa* S. Aidani *his verbis :* Illic requiescunt ossa S. Aidani Lindisfarnensis episcopi, cujus animam beatus Cuthbertus vidit in cœlum transferri. *Hisce de legitima veneratione sacrisque Sancti reliquiis breviter expositis, ad notitiam Actorum progredior.*

gesta Sancti scripsit Beda, ex qua hauserunt alii

4 *Gesta* S. Aidani *memoriæ posterorum commendavit scriptisque consignavit venerabilis ac sanctus Beda, scriptor sane omni fide dignissimus, Sanctoque nostro suppar. Vitam tamen Sancti nostri seorsum Beda non conscripsit, sed præcipua ejus gesta libro* 3 *Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum inseruit, prout singula cum illa Historia erant connexa. Ex Beda hauserunt Angli scriptores medii ævi, quæ de* S. Aidano *in scriptis suis commemorarunt. Ex eodem desumpta est Vita* S. Aidani *gemina, altera impressa apud Capgravium in Nova Legenda Angliæ fol.* 4 *et sequentibus, altera vero manuscripta, et ad nos olim transmissa per R. P. Joannem Gamansium, qui illam descripsit in cœnobio Bodecensi Canonicorum Regularium diœcesis Paterbornensis* ex Passionali pergameno Ms. insigni mensis Augusti fol. CXXVI, *uti superius notavit. Utraque hæc Vita ipsis passim Bedæ verbis descripta est: neutra quidquam adjungit ad Bedam; imo neutra complectitur omnia, quæ ille commemoravit. Relictis igitur hisce rivulis, fontem adibimus, et ex ipsa Bedæ Historia, adjunctis aliunde subsidiis, Commentarium historicum de vita* S. Aidani *contexemus.*

§ II.

AUCTORE J. S.

A

§ II. Sancti vita monastica in cœnobio Hiensi : qua occasione episcopus consecratus in Northumbriam missus fuerit : erectio episcopatus Lindisfarnensis et monasterii.

S. Aidanus monachus erat in Hiensi insula,

Quibus natalibus quave in urbe aut provincia mundo datus sit S. Aidanus, *quidve egerit in pueritia, nullibi expositum invenio. At monasticam vitam duxisse in celebri monasterio Hiensi, indeque ad episcopatum eductum, docet S. Beda lib.* 3 *Historiæ cap.* 3, *simul commendans dictum monasterium his verbis :* Monachus ipse episcopus Aidanus, utpote de insula, quæ vocatur Hy *, destinatus : cujus monasterium in cunctis pene Septemtrionalium Scottorum et omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat,

** mendose in editis Hydestinatus*

B regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet insula ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, jam dudum monachis Scottorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperunt. *Insula ila, quam* Hy *vocavit Beda (prout legitur in Ms., teste Alfordo in Annalibus ecclesiasticis Britanniæ ad annum* 565 *num.* 2. *ubi ulterius probat sic legendum)* Hy, *inquam, vel* Hu *exigua est hodiernæ Scotiæ insula ad ejus Occidentem sita, satis ab Anglia Hibernia in Septemtrionem remota, multisque olim nominibus insignita, at nunc passim* Jona, *et vulgo* Colnmbkil *dicta.*

de qua notantur varia,

6 *Santus Columba insulam illam accepit, in eaque Hiense monasterium fundavit, teste Beda cap.* 4. *Hinc Baertius noster tom.* 2 *Junii in Commentario prævio ad Acta S. Columbæ plura de insula ipsa monasterioque Hiensi exposuit, ex quibus pauca huc transfero :* Jona insula, *inquit pag.* 180, adjacens Mulæ, quæ una est ex Ebudis, seu Hebridibus, venerabili Bedæ Hii nuncupata, aliis Hya, Hu, Ioia, Ithe, I, Eo etc., nunc a Sancto incola suoque apostolo Co-

C lumba vulgo nominatur Columbkil, id est, Cella Columbæ : quia scilicet in ea cellam seu monasterium idem Sanctus exstruxit, quod celeberrimum evasit inter omnia monasteria hodiernæ Scotiæ, propter monasticæ disciplinæ severitatem et monachorum sanctitatem. *Addit venerabilis Beda cap.* 4 *sequentia :* Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri et omnis provincia et ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi doctoris illius *(Columbæ)* qui non episcopus, sed presbyter extitit et monachus... Nos hoc de illo certum tenemus, quod reliquit successores magna continentia ac divino amore regularique iustitutione insignes. *Hisce subnectit quædam de modo celebrandi Paschatis, de quo agemus postea, docetque ex laudato monasterio missum* Aidanum *ad prædicandum Anglis Euangelium.*

quando S. Oswaldus Northumbriæ rex petebat prædicatorem ;

7 *Occasio missionis fuit pietatis S. Oswaldi Northumbriæ regis, de quo egimus tom.* 2 *Augusti a pag.* 83. *Verumtamen non statim ad postulationem Oswaldi missus est* Aidanus, *sed primo alius quispiam,quem* Cormannum *vocarunt aliqui, ut habet Alfordus ad annum* 635 *num.* 14. *Audi Bedam lib.* 3, *cap.* 3 *:* Idem ergo Oswaldus, mox ubi regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cœpit, gentem fidei Christianæ gratia imbui, cujus experimenta permaxima in expugnandis barbaris jam ceperat, misit ad majores natu Scottorum, inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his, qui secum erant, militibus consecutus erat, petens, ut sibi mitteretur antistes, cujus doctrina ac ministerio gens, quam regebat, Anglorum Dominicæ fidei et dona disceret, et susciperet sacramenta. Neque aliquanto tardius, quod petiit, impetravit : accepit namque pontificem Aidanum, summæ mansuetudinis et pietatis ac moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quamvis non plene secundum scientiam. *Postremum hoc dicit ob diversum Paschatis celebrandi ritum, de quo addit aliqua inferius exponenda.*

cum alius quispiam in Northumbriam missus nihil proficeret, eligitur Aidanus,

8 *Idem cap.* 5 *de alio ante* Aidanum *misso sic habet :* Ferunt autem, quia cum de provincia Scottorum rex Oswaldus postulasset antistitem, qui sibi suæque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primo alius austerioris animi vir : qui cum aliquamdiu genti Anglorum prædicans, E nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit in patriam, atque in conventu seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, protuisset : eo quod essent homines indomabiles, et duræ ac barbaræ mentis. At illi, ut perhibent, tractatum magnum in concilio, quid esset agendum, habere cœperunt : desiderantes quidem genti, quam petebant, salutem esse, sed non recepto, quem miserant, prædicatore, dolentes. Tunc ait Aidanus (nam et ipse concilio intererat) ad eum, de quo agebatur, sacerdotem : Videtur mihi, frater, quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, et non eis juxta apostolicam disciplinam primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei ad capienda perfectiora, et ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent. Quo audito, omnium, qui considebant, ad ipsum ora et oculi conversi, diligenter quid diceret, discutiebant, et ipsum esse dignum episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos et indoctos mitti debere decernunt : qui gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus : sicque illum ordinantes ad prædicandum miserunt. Qui ubi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum et cæteris F virtutibus ornatus apparuit.

qui episcopus consecratur anno 634 vel 635,

9 *De anno, quo episcopus consecratus et in Northumbriam missus est* S. Aidanus, *scriptores non omnino consentiunt. Alfordus omnia refert ad annum* 635, *quem item statuit Eduardus Maihew in Trophæis Ordinis Benedictini in Anglia ad* XXXI *Augusti, seu in* Aidano *pag.* 1412. *Bailletus ad* XXXI *Augusti ad marginem notat annum* 636, *qui contrarius est auctoritati Bedæ, ut mox videbimus. Mabillonius in Annalibus Ordinis sui tom.* I, *pag.* 365 Aidanum *scribit episcopum ordinatum anno* 634. *Mihi vero satis certum apparet, episcopum factum vel anno* 634 *vel* 635, *at incertum, utro ex illis duobus. Rem paucis expono. Omnes consentiunt obiisse Sanctum* XXXI *Augusti anni* 651. *At Beda lib.* 3, *cap.* 17 *sic habet :* Obiit autem decimo septimo episcopatus sui anno, pridie Kalendarum Septembrium. *Si igitur episcopus ordinatus sit sub finem anni, seu post* XXXI *Augusti, contigit ea ordinatio anno* 634 *; si vero consecratus ante diem*

AUCTORE J. S.

diem prædictum, consecratio facta est anno 635. *Objicit tamen Bailletus contra allatam rationem nescio quam conjecturam, nulla certe auctoritate nixam. Videtur, inquit, Beda annos episcopatus* S. Aidani *numerare a recessu S. Paulini Eboracensis episcopi. Contigit autem ille recessus, de quo Beda lib.* 2, *cap.* 20, *anno* 634 *aut præcedente : indeque sequi existimat,* Aidanum *primum tribus annis Eboracensem fuisse episcopum, dein vero annis* 14 *Lindisfarnensem. Verum omni prorsus fundamento caret hæc conjectura, quæ ex dicendis sponte corruet, cum nullibi Eboracensis antistes dicatur* Aidanus, *sed statim cathedram suam posuerit in insula Lindisfarnensi.*

et cathedram statuit in insula Lindisfarnensi,

10 *Beda lib.* 3, *cap.* 3 *de erecta cathedra sic loquitur :* Veniente igitur ad se Episcopo, rex locum sedis episcopalis in insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit : (qui videlicet locus, accedente ac recedente reumate *, bis quotidie instar insulæ, maris circumluitur undis, bis renudato littore contiguus terræ redditur) atque ejus admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auscultans, Ecclesiam Christi in regno B suo multum diligenter ædificare ac dilatare curavit. *Westmonasteriensis lib.* 3 *de Gestis pontificum Anglorum pag.* 275 *de his ita scribit :* Ex omnibus, qui quondam in Nortanhimbria * episcopatibus positi, principatum Eboracensem suspiciebant, solus ille, qui apud Lindisfarne fuit, remansit. Lindisfarne est insula exigua, quæ nunc a provincialibus HALIELAND *(nunc* Holy-iland, *id est,* insula sancta) vocatur, quam sanctissimus Aidanus, appetitor silentii et sanctæ paupertatis, in sedem episcopatus, spreta illa Eboracensis frequentiæ pompa, elegit. Viri tenuitatem et modestiam secuti sunt successores ejus : *donec videlicet ob incursiones Danorum, quibus insula Lindisfarnensis maxime erat exposita, episcopatus Dunelmum fuerit translatus. De episcopis Lindisfarnensibus et Dunelmensibus videri potest laudatus Westmonasteriensis. Plura quoque de insula et diœcesi Lindisfarnensi in S. Cuthberto tom.* III *Martii pag,* 93.

* *i. e. fluxu marino*

* *i. e. Northumbria*

licet alioquin totius Northumbriæ esset antistes.

11 *Porro, etiamsi Eboracensis episcopus non esset* Aidanus, *totam tamen Northumbriam excolendam et Christiana fide imbuendam suscepit,* C *quod Eboracensis ecclesia antistitem non haberet. Audi Simeonem Dunelmensem in Epistola de archiepiscopis Eboracensibus, edita inter Historiæ Anglicanæ scriptores decem col.* 77 : Recedente Paulino *(anno* 633, *ut præmittit)* Eboracensis ecclesia per triginta annos proprium non habuit episcopum, sed Lindisfarnensis ecclesiæ præsules, Aidanus, Finanus, Colmannus et Tuda Nortanimbrorum provinciæ administraverunt pontificatum. *Jam vero mox ut ecclesiam illam regendam accepit* Aidanus, *ut plures sibi adsisceret cooperatores, monasterium instituit, probante atque opem ferente Oswaldo rege.*

Monasterium erigit, juvante rege,

12 *Narrat id Turgotus in Historia Dunelmensi lib.* I, *cap.* 2 *his verbis :* Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCXXXV, . . . piissimus rex Oswaldus secundo imperii sui anno venienti ad se Aidano sedem episcopalem in insula Lindisfarnensi constituit, ubi et ipse Antistes, jubente, suffragante et cooperante rege, monachorum, qui secum venerant, habitationem instituit, hoc illis rege scilicet et Episcopo procurantibus, ut et pontificali auctoritate fides roboraretur novella, et monachica institutione semper in posterum caperet augmentum religionis observantia : unde sicut legimus et seniorum D traditione percepimus, ad ipsius ecclesiæ præsulatum monachi solebant eligi, exemplo nimirum primi antistitis Aidani, qui et monachus erat et monachicam vitam cum suis omnibus agere solebat. Quod ab anno Incarnationis Dominicæ DCXXXV observatum est usque annum Incarnationis ejusdem MLXXII.

13 *De his venerabilis Beda lib.* 4 *Historiæ cap.* 27 *sic agit :* Siquidem a temporibus antiquis ibidem *(in insula Lindisfarnensi)* et episcopus cum clero, et abbas solebat manere cum monachis, qui tamen et ipsi ad curam episcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus ejus loci episcopus fuit, cum monachis illuc et ipse monachus adveniens, monachicam in eo conversationem instituit. *Et in Vita S. Cuthberti cap.* 16 : Neque aliquis miretur, quod in eadem insula Lindisfarnea, cum permodica sit, et supra episcopi, et nunc abbatis et monachorum esse locum dixerimus : revera enim ita est. Namque una eademque servorum Dei habitatio utrosque simul tenet, imo omnes monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus ejusdem loci episcopus fuit, monachus erat, et monachicam E cum suis omnibus vitam semper agere solebat. Unde ab illo omnes loci ipsius antistites usque hodie sic episcopale exercent officium, ut, regente monasterium abbate, quem ipsi cum consilio Fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores, cæterique gradus ecclesiastici monachicam per omnia cum ipso episcopo Regulam servent. *Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 416, *narrans erectionem hujus monasterii, de Regula sic habet :* Hiiensium monachorum Regulam principio sectabantur Lindisfarnenses : at Benedictinam post prædictum concilium *(Streaneshalense, anno* 664 *celebratum)* susceperunt.

et cum clero suo vitam monasticam

14 *Quam austeram vivendi rationem cum suis servaverit* S. Aidanus, *collige ex Simeone Dunelmensi, qui in Historia de gestis regum Anglorum ad annum* 864, *relato ingressu S. Ceolvulfi regis in monasterium Lindisfarnense, subjungit :* Hoc rege jam monacho facto efficiente, data est Lindisfarnensis ecclesiæ monachis licentia bibendi vinum vel cerevisiam : ante illud tempus non nisi lac vel aquam bibere solebant, secundum antiquam traditionem sancti Aidani primi ejusdem ecclesiæ antistitis et monachi, qui cum illo de Scotia venientes, F ibidem donante rege Oswaldo mansionem acceperant, et cum magna districtione, futuræ vitæ servientes, degere gaudebant. *Præibat omnibus ipse Antistes, teste Turgoto jam laudato cap.* 2 : Aidanus ipsius ecclesiæ primus et præsul et monachus, omnibus sibi successuris et episcopis et monachis, in via Domini, qua præcesserat, se sequendum præmonstravit. *Hisce expositis, ad virtutes Sancti, operaque ejus apostolica uberius memoranda progredimur.*

ducit, et austeram admodum.

§ III

AUCTORE J. S.

A

§ III. Virtutes sancti Episcopi et opera apostolica : prædictiones de Oswaldo et Oswino regibus.

Egregiæ Sancti

Beda lib. 3, *cap.* 5 *præcipuas Sancti virtutes recenset, innuens simul ex celebri cœnobio Hiensi illas fuise exortas, dum hæc scribit :* Ab hac ergo insula, ab horum collegio monachorum ad provinciam Anglorum instituendam, in Christo missus est Aidanus, accepto gradu episcopatus, quo tempore eidem monasterio Segenius abbas et presbyter præfuit. Unde inter alia vivendi documenta, saluberrimum abstinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit : cujus doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter, quam vivebat cum suis, ipse docebat. Nihil enim hujus mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta, quæ sibi a regibus vel divitibus seculi donabantur, mox pauperibus, qui occurrerent, erogare gaudebat. Discurrere B per cuncta et urbana et rustica loca, non equorum dorso, sed pedum incessu vectus, nisi si major forte necessitas compulisset, solebat. Quatenus ubicumque aliquos, vel divites vel pauperes, incedens aspexisset, confestim ad hos diverteus, vel ad fidei suscipiendæ sacramentum, si infideles essent, invitaret; vel si fideles, in ipsa eos fide confortaret, atque ad eleemosynas bonorumque operum executionem et verbis excitaret et factis. In tantum autem vita illius a nostri temporis segnitia distabat, ut omnes, qui cum eo incedebant, sive adtonsi sive laici, meditari deberent : id est, aut legendis Scripturis, aut psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius, et omnium, qui cum eo erant, fratrum, ubicumque locorum devenissent.

virtutes,

16 Et si forte evenisset (quod tamen raro evenit) ut ad regis convivium vocaretur, intrabat cum uno clerico aut duobus, et ubi paululum reficiebatur, accelerabat ocyus ad legendum cum suis, sive ad orandum exivit. Cujus exemplis C informati tempore illo religiosi quique viri ac fœminæ, consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione Quinquagesimæ Paschalis, quarta et sexta sabbati jejunium ad nonam usque horam protelare. Numquam divitibus honoris sive timoris gratia, si qua deliquisseut, reticebat; sed aspera illos invectione corrigebat. Nullam potentibus seculi pecuniam, excepta solummodo esca, si quos hospitio suscepisset, umquam dare solebat : sed ea potius, quæ sibi a divitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in usus pauperum (ut diximus) dispergebat, vel ad redemptionem eorum, qui injuste fuerant venditi, dispensabat. Denique multos, quos precio dato redemerat, redemptos postmodum suos discipulos fecit, atque ad sacerdotalem usque gradum erudiendo atque instituendo provexit.

fides dilatatur in Northumbria ejus cura, et cooperante rege,

17 *Magnopere dilatatam esse in Northumbriæ regno fidem Christianam, prædicante* S. Aidano *et pie cooperante Oswaldo rege, insinuant Bedæ verba cap.* 3 *:* Ubi, *inquit*, pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, ut euangelizante antistite, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse rex suis ducibus ac ministris interpres verbi existeret cœlestis : quia nimirum tam longo exilii sui tempore linguam Scottorum jam plene didicerat. Exinde cœpere plures per dies de Scottorum regione venire in Britanniam, atque illis Anglorum provinciis, quibus regnavit rex Oswaldus, magna devotione verbum fidei prædicare, et credentibus gratiam baptismi, quicumque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Construebantur ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones et territoria ad instituenda monasteria, imbuebantur præceptoribus Scottis parvuli Anglorum una cum majoribus studiis et observatione disciplinæ regularis.

qui ex pia Antistitis institutione multum proficit :

18 *Quantum rex ipse ex pia sancti Præsulis institutione profecerit, docet idem Beda cap.* 6 *his verbis :* Hujus igitur reverendissimi Antistitis doctrina rex Oswaldus cum ea, cui præerat, gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna cælorum sperare didicit, sed et regna terrarum plusquam ulli majorum suorum ab eodem uno omnipotenti Deo, qui fecit cælum et terram, consecutus est. Denique omnes nationes et provincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas (id est, Britonum, Pictorum, Scottorum, Anglorum) divisæ sunt, in ditione accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus quod mirum dictu est, pauperibus et peregrinis semper humilis, benignus et largus fuit. E

et cujus manum non corrumpendam prædicit.

19 Denique fertur, quod tempore quodam, cum die sancto Paschæ cum præfato Episcopo consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, jamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subito ministrum ipsius, cui suscipieudorum inopum erat cura delegata, et indicasse regi, quia multitudo pauperum undecumque adveniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ a rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, et discum confringi, atque eisdem minutatim dividi præcepit. Quo viso, Pontifex, qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram ejus, et ait : Numquam inveterascat hæc manus. Quod et ita juxta votum benedictionis ejus provenit. Nam cum, interfecto illo in pugna, manus cum brachio a cetero essent corpore resectæ, contigit ut hactenus incorruptæ perdurent.

F

Sanctus equum ab Oswino rege acceptum dat pauperi :

20 *Cum anno* 642 *occisus in prælio esset S. Oswaldus, partem Northumbriæ, seu Deirorum provinciam regere cœpit S. Oswinus, de quo apud nos actum est tom.* IV *Augusti pag.* 57 *et sequentibus. Quid cum pio illo rege, ejus et mortem prædixit, egerit Sanctus noster sic narrat Beda lib.* 3, *cap.* 14 *:* Donaverat equum optimum antistiti Aidano, in quo ille, quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret, viam peragere posset : cui cum parvo interjecto tempore pauper quidam occurreret, eleemosynam petens, desiliens ille, præcepit equum, ita ut erat stratus regaliter, pauperi dari : erat enim multum misericors et cultor pauperum, ac velut pater miserorum.

regemque id ægre ferentem corripit, ita ut ille veniam humiliter petat :

21 Hoc cum regi esset relatum, dicebat Episcopo, cum forte ingressuri essent ad prandium : Quid voluisti, Domine antistes, equum regium, quem te conveniebat proprium habere, pauperi dare ? Numquid non habuimus equos viliores plurimos, et alias species, quæ ad pauperum

AUCTORE J. S.

rum dona sufficerent, quamvis illum cis equum non dares, quem tibi specialiter possideudum elegi? Cui statim Episcopus: Quid loqueris, inquit, rex? Num tibi carior est ille filius equæ, quam ille filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum, et Episcopus quidem residebat in suo loco. Porro rex venerat de venatu, et cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris. Et repente inter calefaciendum recordans verbi, quod dixerat illi Antistes, discinxit se gladio suo, et dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes Episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, Quia numquam, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut judicabo quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas. Quod videns Episcopus multum pertimuit, ac statim exurgens levat eum, promittens se multum illi esse placatum, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret.

mortem prædicit S. Oswini.

22 Dumque rex, jubente ac postulante Episcopo, lætitiam reciperet: cœpit contra Episcopus tristis usque ad lachrymarum profusionem effici. Quem dum presbyter suus lingua patria, quam B rex et domestici ejus non noverant, quare lachrymaretur, interrogasset, Scio, inquit, quod non multo tempore victurus est rex: numquam enim vidi antehac humilem regem: unde animadverto citius illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna est hæc gens talem habere rectorem. Nec multo post dira Antistitis præsagia tristi regis funere, de quo supra diximus, impleta sunt. Sed et ipse antistes Aidan, non plus quam duodecimo post occisionem regis, quem amabat, die, id est, pridie Kalendarum Septembrium de seculo sublatus, perpetua laborum suorum a Domino præmia recepit. *Verum de morte ejus infra agetur latius.*

§ IV. Miracula quædam et mors Sancti: virtutes et error in celebrando Paschate.

Tempestatem prædicit, datque oleum sacratum,

Spiritu prophetiæ et miraculorum gloria claruisse S. Aidanum, *magis deinde ostendit Beda, hæc referens cap.* 15: Qui cujus meriti fuerit, C etiam miraculorum signis internus Arbiter edocuit: e quibus tria memoriæ causa ponere satis sit. Presbyter quidam nomine Utta, multæ gravitatis ac veritatis vir, et ob id omnibus etiam ipsis principibus seculi honorabilis, cum mitteretur Cantiam, ob adducendam conjugem regi Oswini *, filiam videlicet Eduini regis Eanfledam, quæ, occiso patre, illuc fuerat adducta: qui terrestri quidem itinere illo venire, sed navigio cum virgine redire disponebat: accessit ad episcopum Aidanum, obsecrans eum pro se suisque, qui tunc iter erant aggressuri, Domino supplicare. Qui benedicens illos, ac Domino commendans, dedit etiam oleum sanctificatum: Scio, inquiens, quia ubi navem ascenderitis, tempestas vobis et ventus contrarius superveniet: sed tu memento, ut hoc oleum, quod tibi do, mittas in mare, et statim, quiescentibus ventis, serenitas maris vos læta prosequetur, et cupito itinere domum remittet: quæ cuncta, ut prædixerat Antistes, ex ordine completa sunt.

* Oswino

24 Equidem in primis furentibus undis pelagi tentabant nautæ anchoris in mare missis navem retinere, neque hoc agentes aliquid proficiebant. D Cumque mergentibus undique et implere incipientibus navem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, jam jamque adesse viderent, tandem presbyter reminiscens verba Antistitis, assumpta ampulla, misit de oleo in pontum, et statim, ut prædictum erat, suo quievit a fervore. Sicque factum est, ut Vir Dei per prophetiæ spiritum tempestatem prædixerit futuram, et per virtutem ejusdem spiritus hanc hanc exortam, quamvis corporaliter absens, sopiverit. Cujus ordinem miraculi non quilibet dubius relator, sed fidissimus mihi nostræ ecclesiæ presbyter, Cynimund vocabulo, narravit, qui se hoc ab ipso Utta presbytero, in quo et per quem completum est, audisse perhibebat.

quo illa sedatur

25 *Aliud prodigium subdit cap.* 16 *hunc in modum*: Aliud ejusdem Patris memorabile miraculum ferunt multi, qui nosse potuerunt. Nam cum tempore episcopatus ejus hostilis Merciorum exercitus, Penda duce, Nord-Humbrorum regiones impia clade longe lateque devastans, pervenit ad urbem usque regiam, quæ ex Bebbæ quondam reginæ vocabulo cognominatur: eamque cum neque armis, neque obsidione capere poterat, flammis absumere conatus est, E discissisque vinculis, quæ in viciniа urbis invenit, advexit illo plurimam congeriem trabium, tignorum, parietum virgeorum, aliarumque rerum. Et his urbem in magna altitudine circumdedit a parte, quæ terræ est contigua. Et dum ventum opportunum cerneret, illato igne comburere urbem nisus est. Quo tempore reverendissimus antistes Aidan in insula Farne, quæ duobus ferme milibus passuum ab urbe procul abest, morabatur. Illo enim sæpius secrete orationis et silentii causa secedere consueverat. Denique usque hodie locum sedis illius solitarie in eadem insula solent ostendere. Qui cum ventis furentibus globos ignis ac fumum supra muros urbis exhalare conspiceret, fertur elevatis ad cælum oculis manibusque cum lachrymis dixisse: Vide, Domine, quanta mala facit Penda. Quo dicto, statim mutati ab urbe venti, in eos, qui accenderant, flammarum incendia retorserunt, ita ut aliqui læsi, omnes territi, impugnare ultra urbem cessarent, quam divinitus juvari cognoverant.

flammas urbi injectas absens precibus suis in hostem retorquet.

26 *Demum cap.* 17 *mortem Sancti, quam jam supra perstrinxerat, refert his verbis*: Hunc cum dies mortis egredi e corpore cogeret, completis annis episcopatus sui septemdecim, erat in villa F regia non longe ab urbe, de qua præfati sumus. In hac enim habens ecclesiam et cubiculum, sæpius ibidem diverti ac manere, atque inde ad prædicandum circumquaque consueverat exire, quod ipsum et in aliis villis regiis facere solebat, utpote nihil propriæ possessionis, excepta ecclesia sua et adjacentibus agellis, habens. Tetenderunt ergo ei ægrotanti tentorium ad occidentalem ecclesiæ partem, ita ut ipsum tentorium parieti hæreret ecclesiæ. Unde factum est ut acclivis *, destinæ*, quæ extrinsecus ecclesiæ pro munimine erat apposita, spiritum vitæ exhalaret ultimum. Obiit autem decimo septimo episcopatus sui anno, pridie Kalendarum Septembrium. *Defunctum esse Sanctum anno* 651, *consentiunt omnes; idque testatur Beda in Epitome ad eumdem annum* 651.

pius Sancti obitus:

* *f.* acclinis

* *id est,* fulcro *vel* columnæ

27 *Huic loco inserenda sunt ea, quæ laudatus Beda narravit in Vita S. Cuthberti cap.* 4 *in hunc modum*: At ubi gubernatrix vitæ fidelium

animam ejus ad cælum deferri videt S. Cuthbertus:

A lium gratia Christi voluit famulum suum *(Cuthbertum)* arctioris propositi subire virtutem, altioris præmii gloriam promereri, contigit eum remotis in montibus commissorum sibi pecorum agere custodiam. Qui dum nocte quadam, dormientibus sociis, ipse juxta morem pervigil in oratione duraret, vidit subito fusum de cælo lumen, medias longæ noctis interrupisse tenebras, in quo cælestium choros agminum terras petisse, nec mora, rapta secum anima claritatis eximiæ, supernam redisse ad patriam. Compunctus est multum hoc visu Deo dilectus adolescens ad subeundum gratiam spiritualis exercitii, ac promerendæ inter magnificos viros vitæ felicitatisque perennis, confestimque Deo laudes gratiarumque referens actiones, sed et socios ad laudandum Dominum fraterna exhortatione provocans: Heu miseri, inquit, qui somno et inertiæ dediti, non meremur semper vigilantium ministrorum Christi cernere lucem. En ipse cum modico noctis tempore pervigil orarem, tanta Dei magnalia conspexi: aperta est janua cæli, et inductus illuc angelico comitatu spiritus cujusdam Sancti, qui nunc, nobis in infima caligine versantibus, B supernæ mansionis gloriam, ac regem illius Christum perpetuo beatus intuetur: et quidem hunc vel episcopum quemlibet sanctum, vel eximium de fidelium numero virum fuisse existimo, quem tantæ splendore lucis, tot ducentium choris angelorum cælos allatum vidi. Hæc dicens vir Domini Cuthbertus, non parum corda pastorum ad reverentiam divinæ laudationis accendit, agnovitque mane facto antistitem Lindisfarnensis ecclesiæ Aidanum, magnæ utique virtutis virum, per id temporis, quo viderat, raptum de corpore cælestia regna petisse, ac statim commendans suis pecora, quæ pascebat, dominis, monasterium petere decrevit.

corpus sepultum in cœmeterio monachorum: dein ad ecclesiam S. Petri translatum:

28 *Redeamus ad Bedæ Historiam, qui memorato cap.* 17 *post superiora sic prosequitur:* Cujus corpus mox inde translatum ad insulam Lindisfarnensium, atque in cœmeterio fratrum sepultum est. At interjecto tempore aliquanto, cum fabricata esset ibi basilica major, atque in honorem beatissimi Apostolorum Principis dedicata, illo ossa ejus translata, atque ad dexteram ejus altaris juxta venerationem tanto Pontifice dignam condita sunt. Successit vero ei in episcopatum Sinan *, et ipse illo ab Hii Scottotorum insula ac C monasterio destinatus, ac tempore non pauco in episcopatu permansit. *De S. Finano* S. Aidani *successore egerunt majores nostri ad* XVII *Februarii, seu tom.* III *illius mensis, ubi pag.* 22 *refertur ecclesia ista Lindisfarnæ a Finano constructa. Videtur igitur ab eodem Finano corpus* Aidani *in illam illatum, licet ecclesia serius dedicata sit S. Petro per S. Theodorum Cantuariensem antistitem, uti ibidem additur. Nam noluit, opinor, Beda insinuare illationem corporis* S. Aidani *dedicatione posteriorem esse.*

* lege Finan

ecclesiæ fulcrum, cui incubuerat Sanctus moriens, ab igne illæsum.

29 *Post prædicta tale miraculum subjungit Beda:* Contigit autem post aliquot annos, ut Penda Merciorum rex cum hostili exercitu hæc in loca perveniens, cum cuncta, quæ poterat, ferro flammaque perderet, vicusque ille, in quo Antistes obiit, una cum ecclesia memorata flammis absumeretur. Sed mirum in modum sola illa destina, cui incumbens obiit, ab ignibus circumcincta vorantibus absumi non potuit. Quo clarescente miraculo, mox ibidem ecclesia restaurata, et hæc eadem destina in munimentum est parietis, ut ante fuerat, forinsecus apposita. Rursumque, peracto tempore aliquanto, evenit per culpam incuriæ vicum eumdem et ipsam pariter ecclesiam ignibus consumi, sed nec tunc quidem eamdem tangere flamma destinam valebat: et cum, magno utique miraculo, ipsa ejus foramina ingrediens, quibus ædificio erat affixa, perderet, ipsam tamen lædere nullatenus sinebatur. Unde tertia ædificata ibi ecclesia destinam illam, non, ut antea, deforis in fulcimentum domus apposuerunt, sed intro ipsam ecclesiam in memoriam miraculi posuerunt, ubi intrantes genu flectere ac misericordiæ cælesti supplicare deberent. Constatque multos ex eo tempore gratiam sanitatis in eodem loco consecutos, quin etiam assulis ex ipsa destina excisis, et in aquam missis plures sibi suisque languorum remedia conquisisse.

Beda laudans Sancti virtutes,

30 *Demum quædam adjungit Beda, ne laudando personam laudare videretur ritum Scotorum istius temporis in celebrando Paschate:* Scripsi hæc, *inquit*, de persona et operibus Viri præfati, nequaquam in eo laudans, aut eligens hoc, quod de observatione Paschæ minus perfecte sapiebat: imo hoc multum detestans, sicut in libro, quem de Temporibus composui, manifestissime probavi. Sed quasi verax historicus E simpliciter ea, quæ de illo sive per illum sunt gesta, describens, et, quæ laude sunt digna, in ejus actibus laudans, atque ad utilitatem legentium memoriæ commendans, studium videlicet pacis et charitatis, continentiæ et humilitatis, animum iræ et avaritiæ victorem, superbiæ simul et vanæ gloriæ contemptorem: industriam faciendi simul et docendi mandata cælestia, solertiam lectionis et vigiliarum, auctoritatem sacerdote dignam redarguendi superbos ac potentes, pariter et infirmos consolandi, ac pauperes recreandi vel defendendi clementiam. Qui (ut breviter multa comprehendam) quantum ab eis, qui illum novere, didicimus, nil ex omnibus, quæ in Euangelicis, sive apostolicis, sive propheticis Litteris facienda cognoverat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus operibus explere curabat. Hæc in præfato Antistite multum complector et amo, quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. F

non approbat tamen ritum Scoticum in celebrando Paschate, quem ille sequebatur:

31 Quod autem Pascha non suo tempore observabat, vel canonicum ejus tempus ignorans, vel suæ gentis auctoritate, ne agnitum sequeretur, devictus, non approbo nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur et prædicabat, quam quod nos: id est, redemptionem generis humani per passionem, resurrectionem, ascensionem in cælos Mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi. Unde et hanc non, ut quidam falso opinantur, quartadecima luna in qualibet feria cum Judæis, sed die Dominica semper agebat, a luna quartadecima usque ad vicesimam, propter fidem videlicet Dominicæ resurrectionis, quam una sabbati factam, propter spem nostræ resurrectionis, quam eamdem unam sabbati, quæ nunc Dominica dies dicetur, veraciter futuram sancta Ecclesia credebat. *Ritum Scotorum improbabat quidem Ecclesia, benigne tamen tolerabat, donec illi rectius instruerentur. Sic antea diu toleraverat ritum Quartadecimanorum, quorum error demum damnatus in Nicæno concilio. Hinc* S. Aidanum *aliosque istius temporis Scotos a dictis hæreticis, qui* Tesseradecatitæ *seu* Quartadecimani *vocabantur, distinguit Beda; a ritu tamen*

AUCTORE J. S.

men communi Ecclesiæ aberrasse observat, illudque sic reprehendit, ut simul excuset Sanctum nostrum.

in quo ritus ille differet a Catholicorum ritu, et unde in illum errorem lapsi Scoti.

32 *Porro Scoti in eo differebant a Quartadecimanis, quod Pascha semper celebrarent die Dominica, illi vero id celebrarent Luna decima quarta, in quamcumque diem incideret. A Catholico autem ritu distabant Scoti, quod alia subinde Dominica Paschale festum haberent. De causa, progressu et fine hujus erroris Scotici egit Baertius noster in Commentario ad Acta S. Columbæ* § 2, *seu tom.* 2 *Julii a pag.* 190, *ubi et alios assignat, qui eadem materiam pertractarunt. Mihi igitur, ne actum agam, sufficiet pauca observare. Sequebantur Scoti, ad investigandum Paschatis tempus, circulum* 84 *annorum, teste Beda lib.* 2 *cap.* 2. *Hic autem circulus paulatim prævertebat, quod ignorabant Scoti, qui cyclum illum non emendabant. Hinc de Scotis ait Beda lib.* 3 *cap,* 4*:* In tempore quidem summæ festivitatis dubios circulos sequentes, utpote quibus longe ultra orbem positis, nemo synodalia Paschalis observantiæ decreta porrexerat. *Putabant haud dubie cyclum, sibi a primis suis Apostolis traditum, bonum esse, ideoque illi omnino inhærebant, ignorantes tutiorem Paschatis inquirendi rationem. Qua de causa sic eos excusat Beda cap.* 4 : Sciebant enim (ut Christiani) Resurrectionem Dominicam, quæ prima sabbati facta est, prima sabbati semper esse celebrandam : sed ut barbari et rustici, quando eadem prima sabbati, quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minime didicerant. Verum quia gratia charitatis fervere non omiserant, hujus quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt. *Plura de his vide apud Baertium laudatum, scriptoresque ab eo assignatos.* D

DE S. EBREGISILO vel EBRAISILO

B E

EPISCOPO MELDENSI

IN MONASTERIO JOTRENSI IN BRIA GALLIÆ PROVINCIA

J P

Locus, cultus, tempus, sepulcrum, sacra lipsana.

SECULO VII VEL VIII

Jotri situs, Sancti cultus :

Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* 2, *pag.* 286 *in elogio historico* S. Theodechildis, abbatissæ Jotrensis primæ, *situm hujus monasterii,* parthenonis illustris *nomine,* Ordinis S. Benedicti *illud nuncupans, ita describit :* Jotrum * .. INTRA JORANI SALTUS ARVA (uti Jonas in Vita S. Columbani, et anonymus in Vita S. Agili abbatis loquuntur) situm in pago Briegio, sexto milliari supra Meldas opidum, haud procul a fluvio Matrona, sua debet primordia Adoni nobilissimo Franco : *de quo ibi plura. Toussanus du Plessis in Historia ecclesiæ Meldensis, anno* 1731 *Parisiis Gallice edita, tomo* I, *nota* 25, *pag.* 663 *collegit varia de hoc monasterio agens.* Meldæ *autem (vulgo* Meaux) *urbs est episcopalis in Gallia, ac Briensis provinciæ caput,* 10 leucis a Parisiis distans in Ortum, Rhemos versus 18, *ex dimensione Baudrandi. Hæc de loco; de cultu autem hujus Præsulis occurrunt ista. Molanus, Canisius ac Ferrarius eum signant, et* Ebraisilum *vocant ; Castellanus vero* Ebrigisilum, *addens nuncupatum* Evrele : *Martyrologium novum Parisiense scribit* Ebregisili, *et sic illum annuntiat :* Jotri in Bria, sancti Ebregisili Meldensis episcopi, cujus corpus in ecclesia monialium Jotrensium religiose asservatur. *Hujus sancti Episcopi memoriam honorari hac die apud Jotrenses, ac in tota diœcesi Meldensi, Plessius indicat tomo* I, *num.* 52, *pag.* 40. *Ex Castellano in Ahemeris pag.* 749 *habemus, eum coli hac die cum Octava in abbatia Jotrensi.*

* Jouarre

C

lectiones de illo propriæ

2 *In Breviario Meldensi, quod anno* 1640 *excusum est, præscribitur hac die colendus ritu semiduplici, habetque duas lectiones proprias in hæc verba :* LECTIO IV. Ebrigisillus nobilissimis ortus parentibus, circa annum Domini septingentesimum quinquagesimum, eximiæ sanctitatis merito in episcopum Meldensem electus fuit, et in sancti Pathusii (qui nondum consecratus fuerat) locum suffectus. Quo in munere gerendo tantam diligentiam adhibuisse fertur, ut nihil omitteret, quo plebis suæ fidei a Christo commissæ salutem facilius promoveret. Intelligebat enim Pastor bonus suam administrationem coram justo judice æquis librandam ponderibus, et villicationis rationem sigillatim esse reddendam. Itaque alios divinis pascebat eloquiis, alios injecta terrore a vitiis abducebat : aliis viam excellentiorem monstrabat, exemplo sancti Pauli omnibus factus omnia. F

3 LECTIO V. Cum autem diu piis illis operibus animo vere paterno vacavisset, ecce moritur, et quidem anima cælum petit beatis angelorum choris inserenda : corpus vero in monasterio Jotrensi, in quo decesserat, et cui Aquilberta ejus soror præerat, deponitur, ubi ad nostra usque tempora occultum fuit, et circa annum Domini millesimum sexcentesimum vigesimum ab episcopo Nannetensi levatum e sepulchro, in loco honoratiori fuit collocatum : particulam vero illius corporis Meldensis episcopus inclusit, cum saucti Sanctini reliquiis, in theca argentea, quæ nunc in insigni ecclesia Meldensi asservatur. *Utinam loco lectionum istarum licuisset mihi dare Sancti Vitam, quam hactenus in museo nostro non inveni.*

dantur

4 S. Patusius *habetur apud Castellanum, et in*

una cum variis

A *in novo Martyrologio Parisiensi ad diem* III *Octobris, de quo tunc videri poterit. In Parisiensi præter titulum* presbyteri Meldensis *(addit Castellanus* S. Stephani) *dicitur* : Qui electus episcopus ipso die obiisse traditur. *Apud Sammarthanos in Gallia Christiana tomo* 3, *pagina* 696 *exstat inter episcopos Meldenses ante* S. Ebregisilum, *non apposito utrique, ac septem sequentibus aliis anno. Post hos sequitur Romanus qui* anno DCCXLI nominatur in epistola Zachariæ PP. sub an. DCCXLIV. *Castellanus in suo Martyrologio* S. Pathusium *ponit seculo* VIII; *Martyrologium novum Parisiense anno circiter* DCXCVII. *Hæc neutiquam cohærent cum anno circiter* DCCL *in præmissis jam sectionibus signato.* Ebrigisilus *autem in dicto Parisiensi Martyrologio signatur hac die* XXXI *Augusti anno circiter* DCC, *apud Castellanum autem seculo* VII. *Ego vero, illis præeuntibus, superius illum tantisper adscripsi seculo septimo vel octavo in magna Meldensium Præsulum obscuritate chronologica : cui plus fortasse lucis præferent editores novæ Galliæ Christianæ, dum videre dabitur archiepiscopos eorum Parisienses, quibus suffraganei sunt Meldenses.*

B 5 *In prædictis lectionibus dicitur* Aquilberta *(al.* Aguilberta, Agilberta, et Agliberta) *sancti Præsulis nostri fuisse* soror. *Tomo* 2 *Augusti, die* XI, *pag.* 656 *pauca diximus de sancta ista virgine, abbatissa Jotrensi, et ibidem etiam indicavimus, de gestis ejus nihil plane compertum esse. In elogio autem ipsius ex Saussayo fertur ibidem* illustri regum sanguine procreata, patre Abobino, Pientia matre, sancti Abregesili gloriosissimi episcopi Meldensis germana. *Menardus in Observationibus ad Martyrologium suum Benedictinum similia habet lib.* 1., *pag.* 300, *suamque notationem de eisdem Sanctis sic concludit* : Quæ comperta habeo ex veteribus monumentis ejusdem abbatiæ. *Vellem addidisset, cujus ætatis illa fuerint, quæ vocat* vetera, *ut aliquid magis explorati hic statui posset. Porro de corpore* S. Ebregisili, *ut referebant superiores lectiones,* levato e sepulchro, et in loco honoratiori collocato, *juvat ista observare ex Plessio, qui lib.* 1, *num.* 55, *pag.* 43 *scribens de translatione sanctorum corporum Jotrensium ad ecclesiam magnam istius*

in easdem

C *abbatiæ, narrat cæremoniam hanc solenniter fuisse factam die* XIII *Octobris anno* 1627, *præsente regina Maria de Medicis Ludovici XIII regis matre, a Philippo de Cospean, tunc episcopo Nannetensi, ac postea Lexoviensi. Tria dumtaxat tunc temporis aperta fuisse sepulcra memorat, videlicet* S. *Theodechildis (de qua agetur apud nos* X *Octobris) et alia duo, quæ credebantur esse* S. Ebregisili, *et* S. Aguilbertæ.

6 *Agit etiam de nonnullis ornamentis pontificalibus, in sepulcro sancti Episcopi repertis, ex Historia ecclesiæ Parisiensis edita a Gerardo du Bois, tomo* 1, *cap.* 7, *pag.* 205 *et* 206; *ubi hæc dicit de tumulo Agilberti episcopi Parisiensis* : Scribit Andreas Saussayus, anno Christi MDCXXXI repertum ejus corpus apud Jotrum in ea crypta sepultum cum pontificiis indumentis textis ex serico, ubi fimbriæ aureæ, quæ ipse viderat et tetigerat, ubi et annulus aureus, cui agathe lapis, in quo est insculpta effigies S. Hieronymi pectus silice percutientis ante Christum cruci affixum : ait elegantis artificii fuisse, additque circulum annuli adeo latum, ut utrumque pollicem in eum facile induceres. *Deinde laudatus Gerardus du Bois, interjecta narratione, quæ dictis Saussayi non omnino consonat;* Credibile est, *inquit,* hallucinatum esse Saussayum, et S. Agilbertum pro S. Ebregisilo episcopo Meldensi, qui in eadem crypta sepultus est, et cujus corpus inventum cum iis indumentis et cum annulo, incautius assumptum. *An stricti nominis cultus conveniat* Agilberto, *quem* sanctum *vocabat citatus auctor, ubi et Saussayus* E *ad diem* XI *Octobris, inquiri poterit alias. Idem Saussayus meminit ibidem de sepultura istius præsulis : sed nihil horum ibi habet, quæ ei modo imputabat Gerardus du Bois : quæ et alibi quæsivi frustra in ipsius Martyrologio. Cum igitur historicus ille non apponat ibi locum Andreæ Saussayi, in quo ista invenerit, cogor ea relinquere fidei referentis. Castellanus in suo Martyrologio universali pag.* 744 *inter Ahemeros ponit* venerabilem Agilbertum episcopum Parisiensem, *de quo varia deinde colligit. Plessius pag.* 43 *refert cryptam* S. Ebregisili *ornatam esse columnis quindecim Corinthiacis, quarum quinque e marmore, quæ sanctuarium sustentant; aram, quæ ante annum* 1704 *ibidem videbatur, non amplius existere. De loco tumuli in sacrario isto, factaque anno* 1610 *mutatione in eadem crypta etiam scribit loco citato.*

AUCTORE J. P. *observationibus*

7 *Postremo, in lectionibus narrantur ista* : Particulam istius corporis Meldensis episcopus inclusit cum S. Sanctini reliquiis in theca argentea, quæ nunc in insigni ecclesia Meldensi asservatur. *Anno* 1658, *die* XXX *Octobris illustrissimus Meldensis episcopus Dominicus Seguier inter varia sacra pignora, quæ transtulit, et hierothecæ argenteæ* F *inclusit, memorat ossa duo* S. Ebrigisili, *quæ ecclesiæ suæ donata asserit ab abbatissis Jotrensibus suæ diœceseos, ut patet ex instrumento super hac re confecto, et excuso apud Plessium tomo* 2, *a pag.* 384, *facta etiam mentione sacri lipsani* S. Sanctini, *qui habetur in Martyrologio Romano die* XXII *Septembris.*

nostris.



DE

A D

DE S. CUTHBURGA REGINA

ET ABBATISSA WINBURNENSI

VINDOGLADIÆ IN ANGLIA,

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Legitimus Sanctæ cultus : ejus stirps et proximi consanguinei : an cum marito virginitatem servaverit.

INTER ANNUM DCCXX ET DCCXXX, UT FERTUR. *Nomen Sanctæ annuntiant martyrologi,*

Martyrologi Angli aliique non pauci celebrant hac die XXXI *Augusti* S. Cuthburgam, *quæ regio orta sanguine regique primum nupta, monasticam deinde vitam professa est et saeris virginibus præfuit abbatissa. Martyrologium Anglicanum de ea sic habet ad diem memoratum :* Eodem die Winburnæ in comitatu Dorcestriæ
B depositio S. Cuthburgæ abbatissæ, sororis Inæ occidentalium Saxonum regis : quæ, ædificato propriis impensis monasterio Winburnensi, ipsa illud ingressa est, religiosam vestem assumpsit, ac abbatissa illi præfuit. Hæc omni virtutum genere monasticaque disciplina excellens, uti et operatione multorum miraculorum, spiritum Sponso suo cælesti tradidit circa annum Christi DCCXXVII. *Arturus a Monasterio in Sacro Gynæceo ad eumdem diem annuntiat Sanctam his verbis :* Vindogladiæ *(ita locum a Romanis vocatum putant multi)* in comitatu Dorcestriæ, sanctæ Cuthburgis virginis, reginæ Northumbrorum in Anglia, deinde monasterii Wiburnensis, ejusdem Ordinis *(Benedictini)* fundatricis et abbatissæ, *(quæ)* miro virtutum ornatu vixit, et Christum sponsum læta processit. *Consentiunt Ferrarius, Menardus, Wion, Castellanus, aliique recentiores martyrologi. Verum, cum horum auctoritas non sufficiat ad an-*
C *tiquam Sanctæ venerationem ostendendam, ad antiquiores accedo.*

et legitimus ejus cultus probatur.

2 *In Usuardo nostro ad* XXXI *Augusti codex antiquus, quem* Rosweydinum *nominavit Sollerius, Sanctam nostram sic breviter annuntiat :* Eodem die, sanctæ Cuthburgæ virginis. *Ejus quoque memoria reperitur in tribus Usuardi editionibus, nimirum in Lubeco-Coloniensi, Greveni et Molani. Verumtamen ab ipso Usuardo aliisve illius fere temporis martyrologis memorata non fuit* S. Cuthburga. *At auctor Florarii nostri Ms. Sanctorum de ea sic habet :* In Anglia Cuthburgæ virginis. *Et ad cultum legitimum demonstrandum vel solum sufficit Breviarium Sarisberiense, quod de Sancta nostra* XXXI *Augusti præscribit Officium trium lectionum de Communi unius virginis non martyris cum hac oratione :* Deus qui eximiæ castitatis privilegio famulam tuam Cuthburgam multipliciter decorasti ; da nobis famulis tuis, ejus promerente intercessione, utriusque vitæ prosperitatem, ut, sicut ejus festivitas nobiscum agitur in terris, ita per ejus interventum nostri memoria apud te semper habeatur in cælis. Per Dominum *etc. De eadem Sancta apud nos mentio facta est in prætermissis ad* XV *Martii ex Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Usuardum, in quibus leguntur sequentia :* S. Cuthburga uxor Alcfridi, in Anglia apud Northanhumbrorum provinciam regis, quæ E ab eo dimissa, apud Berkengum sub abbatissa Hildelida, dein Wiuburnæ Deo placitam vitam transegit. *Hæc quidem omnia confirmabimus ; at cur ibi annuntietur* XV *Martii, prorsus ignoro, nisi forsan aliqua corporis translatio illo die facta fuerit.*

Acta non magni momenti :

3 *Acta* S. Cuthburgæ *edidit Joannes Capgravius in Legenda Angliæ, eaque ex ipso recudemus. Verum, cum non omnia Sanctæ gesta ibidem referantur et scriptoris auctoritas non sit irrefragabilis, auctores Anglos consulemus, partim ut discutiamus atque exponamus, quæ in Actis sunt relata, partim ut adjungamus aliqua, quæ in illis sunt prætermissa. Facem mihi hac in re prætulerunt Henschenius noster, qui variis locis quædam de* S. Cuthburga *memoravit, et Mabillonius, qui seculo 3 Actorum Ordinis sui Sanctorum a pag.* 445 *de eadem Sancta structoque per ipsam monasterio varia collegit. Hisce igitur aliisque, qui se obtulerint, ducibus vitam Sanctæ discutere aggredior, ab ipsis natalibus ducturus exordium.*

Sanctæ frater Ina rex, pater Kenredus,

4 *Fratrem* S. Cuthburgæ *Inam Occidentalium Saxonum regem scriptores passim nominant, at patrem ejus aliqui prætermittunt. Henschenius* F *autem ad* VI *Februarii in Ina Saxonum Occidentalium rege num.* 1 *et* 2 *probat, eum ex regibus Occidentalium Saxonum genus duxisse, et de patre ejus subdit hæc verba :* Patrem habuit Ina Kenredum tempore regni sui adhuc superstitem, cujus suasu et instituto præfatur se leges suas... subditis tulisse. *Verum Kenredus ille pater Inæ et* S. Cuthburgæ *rex fuisse non dicitur, nedum Merciorum rex, ut habent Acta, antiquorum auctoritate hac in re destituta, et aberrantia, uti notabimus. Alii tamen* Cissam *vocant Inæ patrem, quem et Occidentalium Saxonum regem dicunt. Hinc num.* 3 *Henschenius subdit, sequentia :* En qui pater aliis Inæ est, hic *(apud Cambdenum)* Occidentalium Saxonum rex habetur, inter subregulos, qui juxta Bedam divisum inter se regnum tenuerunt, forte numerandus, et patruus vel patrinus potius quam pater Inæ censendus, nisi binominem agnoscamus Kenredum, quem cum Chronologia Saxonica, Wigorniensi, Cestrensi, Westmonasteriensi, Huntindoniensi, aliisque ipse Ina suum scribit

A scribit patrem esse, *in Legibus nimirum, ibi num.* 23 *datis.*

alius frater Ingelsus, soror S. Cuenburga:

5 *Præter Inam alius fuit* S. Cuthburgæ *frater Ingelsus, cujus mortem refert Chronographus Saxo ad annum* 718, *simulque Sanctæ nostræ sororem et maritum memorat hisce verbis :* Hic Ingelsus, Inæ frater, obiit : quorum sorores erant Cuenburga et Cuthburga. Hæc autem Cuthburga in vitam monasticam monasterium apud Winburnam instituit. Hæc data numptum fuit Northanhymbrorum regi Alfrido, sed ab eo adhuc vivente sejuncta fuit. *Quod spectat Sanctæ fratrem et sororem, hisce passim consentiunt alii scriptores Angli, atque utramque sororem* Sanctam *vocant.* Colitur *autem* S. Quenburga, aliis Cuenburga, Cneburga, Kineburga XII Septembris, *ut observat Henschenius: quo die de illa agetur latius. Verum de marito* S. Cuthburgæ *non idem est omnium sensus, ideoque quædam hic examinanda sunt et exponenda magis quam probanda, cum solide probata jam sint ab Henschenio, cujus sententiam secutus est Mabillonius.*

B

quatuor Oswii Northumbriæ regis filii distinguendi,

6 *Oswio Northumbriæ regi quatuor erant filii. nimirum Alfridus natu maximus, qui regnavit cum patre Oswio, ante quem est defunctus ; alter Egfridus, qui patri defuncto in regnum Northumbriæ successit anno* 670 ; *tertius Elfwinus, qui anno* 679 *occisus est in prælio ; quartus demum Alfridus junior et nothus, qui anno* 685, *aut, ut alii dicunt,* 686 *regnum adeptus est, cum nullus ex fratribus ejus esset superstes. Hi quatuor Oswii regis filii memorantur a venerabili Beda locis variis, ut ostendit Henschenius tom.* I *Martii in SS. Kineburga et Kineswitha pag.* 441 *et* 442, *ubi Egfridum aliquoties* Egbertum *vocat lapsu calami, et pag.* 436 *et* 447 *latius probat Alcfridum seniorem distingui ab Alfrido notho, de quo solo poterat esse dubium. Hanc utriusque Alcfridi vel Alfridi distinctionem tam diligenter stabilivit Henschenius, quia Alfordus in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum* 713 *num.* 1 *et* 2 *ex utriusque confusione in errorem inciderat, ac contra antiquorum omnium auctoritatem scripserat,* S. Cuthburgam *non fuisse nuptam Alfrido, aut Egfrido, (quem aliqui nominant, ut videbimus) sed Osredo*

C *Alfridi filio, a quo ob ejus incontinentiam separatam contendit, qui alter est error ex priore natus.*

nam ex confusione duorum ex illis in errorem incidit Alfordus :

7 *Audi Alfordi ratiocinium, quod agnitæ antiquorum auctoritati opponit, quodque sponte concidit, sublata confusione utriusque Alfridi :* Verum, *inquit num.* 3, cum supra Egfrido regi conjunxerim matrimonii lege sanctissimam virginem Ethelredam, sive Ediltrudem, Annæ Orientalium Anglorum regis filiam ; et Alfrido Kineburgam, e pagano Penda natam : restat, ut Cuthburga, Inæ regis soror, Osredo regi juncta, ab eo juvene, et alios amores quærente, separata sit : non eo modo, quo aut Ediltrudis ab Egfrido, aut ab Alfrido Kineburga, qui mutuo consensu discesserunt ; sed lege repudii, quia Osredus rex matrimonii jura violaverat. *Hanc conjecturam, de qua dubitationem suam mox ipse subjungit, non protulisset Alfordus, si juniorem Alfridum cognovisset : nam nullus antiquorum* S. Cuthburgam *Osredo nuptam fuisse dixit. Nec ullo modo cum ætate utriusque hæ nuptiæ conciliari possunt. Quin potius* Cuthburgam *verisimiliter Osredi matrem fuisse, dicemus infra.*

8 *Accipe nunc, quæ de* S. Cuthburga *memorarunt scriptores Angli probatiores, partim ut dicta confirmentur, partim ut reliqua, quæ occurrent dubia, eorum auctoritate dirimantur. Chronographus Saxo num.* 5 *jam dixit Sanctam Alfrido nuptam fuisse, sed ab eo vivente sejunctam ; et monasterium Winburnense ab illa fundatum. Consentit hisce omnibus Florentius Wigorniensis ad annum* 718 *sic scribens :* Ingelsus frater Inæ regis Westsaxonum vitæ modum fecit. Quorum sorores extitere sancta Quenburga et sancta Cuthburga, quæ monasterium virginum Deo devotarum in loco, qui dicitur Winburnam, construxit. Hanc autem Aldfridus rex Northanhimbrorum in conjugem habuit, sed ante finem vitæ suæ connubio carnalis copulæ ambo pro Dei amore renunciavere. *Eadem plane habet Ranulphus Higdenus monachus Chestrensis in Polychronico ad annum* 716. *Addit præcedentibus aliquid Matmesburiensis lib.* I *de Gestis regum Anglorum cap.* 2, *ubi hæc scripsit :* Habuit sane Ina sorores Cuthburgam et Quenburgam. Cuthburga Alfrido regi Northanimbrorum nuptui tradita, sed non post multum conjugio diducto, primum apud Berkengum sub abbatissa Hildelida, mox ipsa magistra Regulæ, Winburuæ Domino placitam vitam transegit.

AUCTORE J. S

scriptores Angli Cuthburgæ maritum attribuunt Alfridum regem,

E

exceptis paucis, qui refutantur:

9 *Alium tamen* S. Cuthburgæ *conjugem attribuit Henricus Huntindoniensis lib.* 4 *Historiarum pag.* 338, *sic scribens :* Circa hoc tempus Cudburg, soror Cneburg, constituit abbatiam apud Wineburn. Quæ data fuerat Egferdo* regi Nordhumbre, sed eo vivente separata. *Hunc plane secutus est Matthæus Westmonasteriensis ad annum* 720, *dum scripsit sequentia :* Anno gratiæ DCCXX Ingilsus frater Inæ regis diem clausit extremum. Quo utique tempore Cuthburga, soror Inæ regis et Keneburgæ, apud Winburnam abbatiam construxit. Hæc Cuthburga data fuit in conjugem Egfrido regi Northanhumbrorum, sed eo vivente separata est. *Licet horum duorum auctoritas inferior sit auctoritate aliorum omnium, quos supra adduxi, dubitationis tamen aliquid injiceret, nisi temporis ratio aperte militaret pro conjugio Sanctæ cum Alfrido. Nam primo Ina rex factus est anno* 689, *id est, quatuor circiter annis post mortem Egfridi, anno* 685 *defuncti ; debuisset igitur* Cuthburga *multis annis ante regnum fratris nupta fuisse Egfrido, cum a marito adhuc vivente separata sit : at vero id minime est verisimile. Deinde* Cuthburga *monialis facta est in Berkingensi cœnobio circa annum* 700, *ut videbimus, separata ergo est ab Alfrido tunc regnante ; non ab Egfrido quindecim annis defuncto. Accedit ante allegata ratio Alfordi, quod uxor Egfridi nota sit, nimirum S. Etheldreda : et licet alteram deinde duxerit Egfridus, illamque usque ad mortem habuerit, ut patet ex Beda in Vita S. Cuthberti apud nos tom.* III *Martii pag.* 109 *et* 110 : *alia hæc omnino est a* S. Cuthburga, *ut ibidem videre licet.*

* Egfrido

F

virginitas Sanctæ a quibusdam asserta, parum videtur probabilis.

10 *Hæc firmiter stabilire volui, quia et aliud hinc colligere licebit. Imprimis parum probabilis videtur virginitas Sanctæ in matrimonio servata, quam cum Actis varii scriptores neoterici asserunt, uni et Mabillonius ipse in* S. Cuthburga ; *sed absque auctoritate antiquorum. Quippe scriptores antiquiores, quorum verba dedi, testantur quidem unanimi voce,* Cuthburgam *a vivente adhuc Alfrido fuisse separatam : verum non dicunt, id factum ante consummatum matrimonium. Contra vero* certum

AUCTORE J. S.

certum est, Alfrido filium fuisse Osredum; nec apparet, quam illi matrem assignaremus, nisi S. Cuthburgam. *Audi Bedam in Historia lib. 5 cap.* 19: Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinto Alfridus rex Northanhymbrorum defunctus est, anno regni sui vicesimo necdum impleto. Cui succedens in imperium filius suus Osredus, puer octo circiter annorum, regnavit annis undecim. *Quapropter matrem Osredi fuisse* S. Cuthburgam *existimo cum Henschenio. Et sane hæc verba Wigorniensis,* sed ante finem vitæ suæ connubio carnalis copulæ ambo pro Dei amore renunciavere, *cum virginitate Sanctæ nostræ ægre componi possunt. Ceterum separationem conjugum factam mutuo consensu, ut ait Wigorniensis, verisimile est ob probatos mores Alfridi, quem passim laudant Angli, eamque contigisse paucis annis post natum regni heredem, seu circa annum* 700, *conjicimus ex iis, quæ mox dicemus de ingressu monasterii.*

B

§ II. Vita monastica in Berkingensi cœnobio: constructio cœnobii Winburnensis cujus fit abbatissa; tempus mortis ignotum.

Sancta se recipit in monasterium Berkingense,

Jugo matrimonii liberata S. Cuthburga *in Berkingense cœnobium se recepit ut supra num.* 8 *audivimus ex Malmesburiensi. De initio dicti cœnobii agit Beda lib.* 4 *cap.* 6 *sic scribens:* Hic sane *(S. Erconwaldus)* priusquam episcopus *(Londinensis)* factus esset, duo præclara monasteria, unum sibi, alterum sorori suæ Æthilburgæ construxerat: quod utrumque regularibus disciplinis optime instituerat:... Sorori autem in Orientalium Saxonum provincia, in loco, qui nuncupatur Bercingum, in quo ipsa Deo devotarum mater ac nutrix posset existere fœminarum. Quæ, suscepto monasterii regimine, condignam se in omnibus episcopo fratre, et ipsa recte vivendo, et subjectis re-

C

gulariter et pie consulendo, præbuit; ut etiam cælestia indicio fuere miracula. *Deinde, relatis aliquot miraculis, secundam abbatissam, sub qua monasterium istud ingressa est* Cuthburga, *cap.* 10 *memorat his verbis:* Successit autem Æthilburgæ in officium abbatissæ devota Deo famula, nomine Hildilid, multisque annis, id est, usque ad ultimam senectutem, eidem monasterio strenuissime, et in observantia disciplinæ regularis, et in earum, quæ ad communes usus pertinent, rerum providentia præfuit. *Hæc abunde declarant regulari observantia floruisse abbatiam Berkingensem sub S. Hildelitha abbatissa; atque existimare possumus hac de causa eo se recepisse Sanctam nostram. Porro de S. Hildelitha apud nos actum est ad* XXIV *Martii, seu tom.* III *illius mensis a pag.* 184, *ubi etiam de loco hæc notantur num.* I: Est Berkingum seu Bercingum in comitatu Essexiæ prope Tamisim fluvium, haud longe a Londino, in quo usque ad infelicissima tempora Henrici VIII Angliæ regis celeberrimum viguit monasterium.

quod regulari disciplina maxime florebat:

12 *Dum* S. Cuthburga *degebat in monasterio Berkingensi, S. Aldhelmus ad abbatissam et moniales scripsit librum de Laudibus virginitatis, quem orditur his verbis:* Reverendissimis Christi virginibus, omnique devotæ germanitatis affectu venerandis, et non solum corporalis pudicitiæ præconio celebrandis, quod plurimorum est; verum etiam spiritualis castimoniæ gratia glorificandis, quod paucorum est; Hyldilithæ * regularis disciplinæ et monasticæ conversationis magistræ, simulque Justinæ ac Cuthburgæ, nec non Osburni mihi contribulibus; necessitudinum nexibus conglutinatæ Altgidæ ac Scholasticæ, Hidburgæ et Berngidæ, Eulaliæ ac Teclæ, rumore sanctitatis concorditer Ecclesiam ornantibus, Aldhelmus segnis Christicola crucis, et supplex Ecclesiæ vernaculus optabilem perpetuæ prosperitatis salutem. *Easdem sacras virgines sæpe laudat in Operis decursu, iisdemque valedicit hunc in modum:* Valete, o flores Ecclesiæ, sorores, monasticæ alumnæ, scholasticæ Christi margaritæ, paradisi gemmæ, et cælestis patriæ participes. *De tempore scripti hujus Opusculi sic loquitur Mabillonius in Actis seculo* 3 *pag.* 300 *in S. Hildelitha:* Scripsit porro Aldhelmus hunc librum post synodum, cujus jussu edidit Opusculum contra errores Britonum: at vero ante annum DCCV, quo ex abbate Maildunensi seu Malmesburiensi factus est Sciréburnensis episcopus.

D

al. Hildelithæ

E

condit deinde, opitulante fratre Ina et sorore Coenburga,

13 *Postquam Sancta nostra disciplinam regularem egregie didicerat in celeberrimo hoc cœnobio, eamdem docere cœpit in abbatia Winburnensi, quæ interim erat exstructa. Porro constructionem Winburnensis monasterii alii attribuunt* S. Cuthburgæ, *alii etiam aliis. Citati antea scriptores Angli, Wigorniensis, Huntindoniensis, Westmonasteriensis, illisque antiquior Chronographus Saxo fundatricem nominant* S. Cuthburgam *solam. Hisce accedit Cambdenus in Britannia pag.* 158, *ubi describit comitatum Dorcestriæ: ac demum Acta edenda, aliique plurimi recentiores. In Monastico Anglicano tom.* I *pag.* 163 *additur soror Coenburga ex Joanne Tinemuthensi, cujus hæc citantur verba:* Anno Domini DCCXVIII sancta Quinburga et sancta Cuthburga, sorores Ynæ regis West Saxonum claruerunt, quæ monasterium apud Winburnam construxerunt. *Verum his omnibus antiquior est Rudolfus monachus Fuldensis et presbyter, qui seculo* IX *scripsit Vitam S. Liobæ, editam a Mabillonio seculo* 3, *part.* 2, *a pag.* 246, *ubi ille de cœnobio dicto sic habet:* In Britannia insula, quam natio Anglorum inhabitat, locus quidam antiquo gentis illius vocabulo Winbrunno vocatur,... in quo duo monasteria antiquitus a regibus gentis illius constructa sunt, muris altis et firmis circumdata, et omni sufficientia sumptuum rationabili dispositione procurata, unum scilicet clericorum *(id est monachorum)* et alterum feminarum: quorum ab initio fundationis suæ utrumque ea lege disciplinæ ordinatum est, ut neutrum eorum dispar sexus ingrederetur. *Hinc collegit Henschenius monasterium ab Ina rege maxime structum esse, cooperante tamen* S. Cuthburga, *cui et sororem ejus Coenburgam Mabillonius adjungit. Quæ eo magis fiunt verisimilia, quod Berkingense cœnobium, in quo degebat* Cuthburga, *longo esset intervallo remotum a loco, in quo structum est Winburnense, adeo ut illa commode non potuerit simul Berkingi degere et simul curam habere monasterii Winburnæ exstruendi.*

F

14 *Itaque de loco, tempore, aliisque conditi hujus monasterii adjunctis recte meo judicio ratiocinatur*

cœnobium Winburnense, quod recte instituit et regit abbatissa :

A *tiocinatur Mabillonius in Annalibus tom. 2, pag. 10 in hunc modum :* In condendo illo cœnobio *(Cuthburga)* adjutores habuit Inam et Coenburgam, fratrem ac sororem, ibidemque abbatissæ munere functa est. Positum erat hoc monasterium in pago Dorcestrensi ad fluvium Winburniam, quem recentiores Stourum vocant, haud procul a castro Badburiensi, quæ regum Westsaxonum sedes erat Ejus monasterii primordia referenda sunt ad hunc annum (704 aut insequentem, uti colligitur ex eo, quod Aldhelmus Sciréburnensis antistes hoc posteriori anno (705) creatus, proximo epistolam scripsit de libertate a se concessa monasteriis in sua diœcesi constitutis, in quibus memorat Winburnense, cui jam tum Cuthburga, regis Inæ germana, præsedisse dicitur. *Epistolam hanc vide in Annalibus Alfordi ad annum 705. Pergit sic Mabillonius :* Duplex eo in loco monasterium erat, teste Rudolfo, in Vita sanctæ Liobæ abbatissæ, unum clericorum seu monachorum, alterum feminarum. Ea vero lege
B utrumque monasterium ordinatum erat, ut neutrum eorum dispar sexus ingrederetur, exceptis solummodo presbyteris, qui in ecclesias feminarum ad agenda Missarum tantum officia ingredi solebant. Feminarum vero quæcumque sæculo renuntians earum consortio sociari vellet, numquam exitura intrabat, nisi causa rationabilis vel magnæ cujusdam necessitatis id exigeret. *Addit conjecturam de triplici monasterio ibi constituto, quam prætereo.*

tempus mortis ignotum.

15 *Quamdiu Sancta nostra dicto monasterio præsederit abbatissa, quoque anno ad Superos emigraverit, prorsus incertum est. Porro ex tempore conditi cœnobii Winburnensis per conjecturam probabilem colligimus,* Cuthburgam *intrasse monasterium Berkingense circa initium seculi* VIII, *cum paucis annis ibi vixisse videatur. Matrimonio forsan juncta fuit cum Alfrido rege circa annum.* 690 *quia frater Ina anno* 689 *regnum est adeptus, et Alfridus ab anno* 685 *vel* 686 *regnaverat. Verum lubens fateor annum initi matrimonii incertum esse. Magis quoque obscurum est, quo circiter tempore nata sit ac defuncta, licet Mabillonius mortem ejus con-*
C *signet circa annum* 724, *et Martyrologium Anglicanum circa* 727, *cum nulla detur ratio, ideoque latius obitum ejus consignavi inter annum* 720 *et* 730, *quod ne quidem satis est certum.*

ACTA

ex Capgravio fol. LXXIX.

Sancta ad nuptias petita, consentit imperio fratris;
a
b
c

Kenredus rex Merciorum *a* genuit filium nomine Yne et sanctam Cuthburgam et Queneburgam *b* : quarum Cuthburga a diebus adolescentiæ suæ soli angelorum Domino complacere elegit. Cumque fama bonitatis et pulchritudinis ejus circumquaque divulgaretur, multos reges et nobiles ejus amore illexit : et a multis in conjugium petebatur. Illa vero solius cælestis Sponsi gaudens inhærere complexibus, hominum horrebat aspectus, ut sine offendiculo vitam præsentem transigere posset. Interea rex Northanhumbrorum Alfridus *c* misit legatos suos ad regem Yne Westsaxonum, rogans, ut
D ei suam sororem Cuthburgam daret in conjugem. Advocans igitur rex Sororem suam, regis legationem indicavit ei. Cui Virgo respondit : Si michi ad votum meum vivere licet : nullus certe in tota Britannia rex michi placere potest. Sed quia Scriptura dicit, quod qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit : quæcumque tua majestas de me ordinaverit, me sibi obedientem, quamvis non voluntarie, inveniet. In Domino enim confido, quod humilitatem ancillæ suæ respiciet, nec patietur violari claustra pudicitiæ meæ, neque umquam sequestrabit me a castis complexibus dilectionis suæ. Potens est Dominus et Sponsus meus me sibi etiam sub matrimonio custodire incorruptam : et quamvis alicui secundum leges hominum nubam, potest tamen me sibi conservare inviolatam.

nupta orat Deum, ut virginitas sibi servetur illæsa:

2 Cumque virgo sancta regi Alfrido desponsata fuisset, cubicularem ingressa thalamum, talem orationem dicitur fudisse ad Dominum : Domine Jesu, universæ creaturæ dominator, inclina pias aures tuas ad preces Ancillæ tuæ : intende, quæso, orationi meæ, et ascendat deprecatio mea in conspectu majestatis tuæ. Te solum E
Sponsum michi elegi, tibi me totam a juventute mea devovi, tu michi super omnia complacuisti. Custodi ergo, Domine, quod tuum est ; conserva tibi partem tuam, et dignare me vocari sponsam tuam. Non sinas corpus meum, quod tuum est templum, aliqua carnis corruptione contaminari, nec michi detrimentum inferri. Fac etiam, Domine, ut in corde sponsi mei hujus regis terreni spiritum infundas gratiæ salutaris; quatinus, despectis seculi hujus vanitatibus et carnis illecebris, michi in castitatis proposito consentiat, ut ad te, qui omnium bonorum dispensator es, recto itinere perveniat.

regi Alfrido conjugi vanitatem rerum humanarum proponit,

3 Et enim sola cum rege in cubiculo constituta esset, opportunum sibi considerans loquendi tempus, talibus regem verbis affari cœpit : Amantissime domine, ne indigneris, quæso, si loquar tibi sponsa tua et ancilla. Si enim aliquid dixero, quod saluti tuæ majestatis fore cognoveris necessarium, ne cuncteris libenter verbis meis præbere assensum. Omnium creaturarum Dei naturale et proprium est Creatorem suum super omnia diligere, et quicumque voluerit F
amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur. Studendum est ergo omni homini, qualiter possit esse amicus Dei. Dicit enim Jacobus : Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Mundus enim transibit et concupiscentia ejus. Cur ergo diligetur, quod quasi in momento in nichilum redigetur? Considera, quæso, quot reges hoc regnum ante tempus tuum obtinuerunt. Dic ergo, ubi sunt, vel quo devenerunt? Nonne omnes sicut fumus evanuerunt? Tu quoque, cum diu forsitan regnaveris, mortem certe nequaquam effugere poteris : sed mortis debitum solves, velis nolis.

ac petit ab eodem ut virginitatem servent,

4 Et quamvis centum annorum spacio vixeris : tunc eris tamquam numquam fueris, immo etiam multo pejus, quam si numquam natus fueris, si male vivendo diem ultimum clauseris : quia æterna tormentorum, quod absit, pœna cruciaberis. Hinc ergo collige, quam caduca, quam fallax sit hujus mundi gloria, quam contemptibilia, quam vana sunt hujus carnis gaudia. Considera insuper, rex, quod fallaces sunt seculares divitiæ, quæ possessori suo non possunt conferre sufficientiam : sed magis solent augere concupiscentiam. Concupiscentia autem parit

A parit peccatum, peccatum vero generat mortem. Perseveremus ergo in corporis castitate et cordis puritate, nulla carnis corruptione polluamus corpus nostrum, ut sancti Spiritus mereamur effici sacrarium : ut pro voluptate carnis, quæ quasi in momento pertransit, mutuari possimus gaudium illud, quod nullo fine concludi poterit.

quod rex ei assentitur :

5 Audiens rex tantam verborum in beata Virgine prudentiam, et admirans, sic respondit, dicens : Universa, quæ loquendo prosequeris, Sponsa dulcissima, cognosce te prorsus veraciter disseruisse, nec aliqua possunt contradici ratione, et sicut ex tuis verbis colligi potest, virginitatem tuam Deo consecrasti, et, ut michi videtur, virginem permansuram se proposuisti. Injustum igitur est, me aliquam tibi contra tuam voluntatem inferre molestiam, et mentem tuam a tam sancto proposito revocare. d Permitto tibi propositam tenere pudicitiam *d*, concedatque tibi Deus talem inchoatæ religionis habere perseverantiam, ut post hujus vitæ peregrinationem ad gloriam possis perveuire æternam. Pro me etiam assiduis precibus Deum interpellare nou desistas, ut præsentis vitæ su- B perare valeam illecebras, et ut juste et sancte vivens in hoc seculo, Dei consequi valeam misericordiam.

monasterium Winburnense condit et regit :

6 Cumque de renuntiatione hujus mundi Sponsa regi multa disseruisset, annuit rex petitioni ejus, et semetipsum spopondit, relictis e omnibus *e*, velle Deo famulari. Impetrata itaque licentia, beata Cuthburga, postposita omni f gloria mundi, locum, qui Wimburnia *f* nominatur, ædificavit, ecclesiam beatæ Mariæ construxit, carnem suam ibidem maceravit jejuniis, et vigiliis vacavit sine intermissione. Erga Deum et homines erat humilis, et erga omnes mansueta et mitis, virgines multas in eodem loco congregavit, nullam corpori suo requiem habere permisit, sed importune die ac nocte pias Dei aures obsecrationibus pulsabat.

morbo correpta, sorores ad pie vivendum

7 Infirmitate tandem longe decocta, intelligens diem depositionis suæ imminere, indesinenter cœpit gratias Christo agere ; et vocatis sororibus inter cætera dixit : Videte, charissimæ sorores, vocationem vestram, quomodo caute ambuletis redimentes tempus, quoniam dies C mali sunt. Considerate quam fallax sit mundus, quem corpore et habitu deseruistis, et ideo in Ægyptum, unde existis, corde reverti ne velitis : sed omni custodia cor vestrum custodite, quoniam ab ipso vita procedit. Christo desponsatæ estis, cui angeli serviunt, ad cujus nutum universa cælestia et terrestria tremiscunt. Si igitur tanto Sponso placere desideratis, necesse est, ut ejus legem et mandata sollicite custodiatis, et quæ odit et prohibet, cum omni diligentia caveatis.

hortatur, et sancte moritur.

8 Ipsum Christum Sponsum Virginum super omnia amate, vosmet ipsas mutua charitate diligite, honore vos invicem prævenite : ad æternæ beatitudinis præmia indesinenter suspirate. D Ego jam mortis debitum me persolvere gaudeo, victura postmodum sine fine cum Sponso meo dulcissimo. Vos autem imitatrices mei estote *g*, g et quæ vidistis in me et audistis, hoc agite : et Deus pacis erit vobiscum. Propter discessum meum polite flere, nec gemitibus vestris exitum meum aggravare. Non enim moriar, sed vivam : quia de corruptione transibo ad immortalitatem, de miseria vado ad gloriam, de peregrinatione revertor ad patriam. Sicque locuta, et sacro viatico munita, pridie Kal. Septembris, relicto terræ corpore, anima cælos penetravit.

ANNOTATA.

a *Fuit quidem* Kenredus *vel* Coenredus *aliquis rex Merciorum, sed antiquorum nullus ipsum dixit patrem Inæ Occidentalium Saxonum regis. Et vero Coenredus rex Merciorum factus non est ante annum* 704, *cum Ina rex fuerit ab anno* 689. *Quod mirum appareret, si Coenredus cum Kenredo Inæ patre idem esset. Verum omnem dubitationem tollit stirps utriusque Kenredi. Alter genus du-* E *xit ex regibus Occidentalium Saxonum, ut diximus in Commentario, alter ex regibus Merciorum : nam,ut videre est apud Malmesburiensem lib.* 1 *de Gestis regum Anglorum pag.* 28, *Kenredus Merciorum rex filius erat Wlpheri Merciorum regis et nepos Pendæ.*

b *De Queneburga vel Coenburga sorore* Cuthburgæ *ejusque fratre Ina, actum est in Comment. num.* 4 *et* 5.

c *De Alfrido consule Comm. num.* 6 *et seqq.*

d *Totam* Cuthburgæ *orationem regisque responsum haud dubie meditatus est auctor taliaque ei verba attribuit, qualia convenire judicabat sponsæ, quæ maritum ad virginitatem servandam inducere vellet. Verum in Comm. num.* 10 *ostendi, non satis probabilem videri virginitatem hic assertam.*

e *Conjugem quidem dimisit Alfridus, at regnum non deseruit ante mortem.*

f *De hoc oppido, quod* Vindogladia *dictum fuisse putatur, sic habet Baudrandus in Geographia :* Vindogladia oppidum Durotrigum F in Britannia magna Antonino, nunc Winburn, sive etiam Wiburnminster *(a monasterio,)* oppidulum Dorsettensis comitatus, ad collis ramentum, teste Camdeno, juxta fluvium Stowre, in limite Hantoniæ provinciæ, et 16 mill. pass. a Dorcestria in ortum. *De monasterio ibi erecto agit Comment.* § 2.

g *Hæc Apostoli verba, aliaque morienti Sancta congrua judicavit auctor. An omnia humilitati, quæ virtus est Sanctis propria, satis congruant, aliis judicandum relinquo.*



DE

A D

DE S. AMATO EPISCOPO

NUSCI IN REGNO NEAPOLITANO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Cultus Sancti antiquus, præsertim in ecclesia Nuscana, et in Ordine Eremitarum Montis Virginis.

Anno MCXCIII. Memoriam Sancti annuntiant martyrologi:

Principium Ordinis Montis Virginis in regno Neapolitano fuse describit Papebrochius tom. V *Junii a pag.* 134, *ubi hunc in finem composuit Appendicem ad Acta S. Guilielmi, qui prædictum Ordinem seculo* XII *instituit sub Regula S. Benedicti. Laudatus* B *Ordo festivitatem* S. Amati *episcopi Nuscani hac die celebrat, tamquam Alumni sui. Verum ecclesia Nuscana Episcopi sui festum diem agit* XXX *Septembris. Martyrologium Romanum, quod passim hac in re sequimur, Sanctum annuntiat cum Ordine Montis Virginis* XXXI *Augusti paucis hisce verbis :* Apud Nuscum sancti Amati episcopi. *Consentiunt in hunc diem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi dat Vitæ compendium : ac Wion in Ligno Vitæ, qui eum hunc in modum celebrat :* Apud Nuscum, sancti Amati episcopi, Ordinis monachorum Montis Virginis, sanctitate celebris. *Assentiuntur hisce et alii. At initio hujus seculi vita Sancti monastica graviter oppugnata est, aliæque ea occasione natæ controversiæ, de quibus agemus inferius.*

cultus admodum antiquus: cathedralis ecclesia ei ut patrono sacra:

2 *Cultus Sancti inchoatus videtur triginta circiter annis post mortem. Quippe in Vita edenda num.* 17 *dicitur :* Successor ejus D. Rogerius... magnificam ecclesiam (ut nunc conspicitur) ædificavit, ædificatam in honorem sancti C Amati consecravit, *(quod factum dicitur anno* 1223 *)* et hodie sanctus Amatus *(id est, ecclesia* S. Amati) est titulus episcopatus. *Ughellus tom.* I *Italiæ sacræ col.* 532, *post civitatem Nuscanam breviter descriptam, de cathedrali ecclesia sic habet :* Cathedralis ecclesia eidem sancto Amato civitatis patrono dicata est, rebusque ad divinum cultum necessariis satis instructa. Ibi numerantur duodecim tenuioris fortunæ canonici, e quibus quatuor dignitate eminent, archidiaconus secundus ab antistite; archipresbyter, qui curam animarum gerit; primicerii duo, major et minor, aliique presbyteri et clerici, qui divinum Officium persolvunt. *Deinde col.* 534 : Sacræ Amati exuviæ in cathedrali jacent. *Corporis ejus translatio celebratur* XXVIII *Maii.*

antiquum Sancti Officium a Renda editum, de quo varia notantur,

3 *Felix Renda, qui Vitam Sancti infra edendam conscripsit, una cum Vita Officium edidit, quod videtur antiquum, et multa Sancti gesta complectitur, ita ut suspicio mihi nonnulla oriatur, biographum, dum Vitam exaravit, pleraque hausisse ex illo Officio. Verumtamen nullibi explicat, quo tempore compositum sit, aut per quem. Franciscus Noja, de cujus Discursibus criticis paullo post agemus, in præfatione pag.* XII *asserit Rendam in libello suo solum impressisse* hymnos, responsoria, reliquaque ex Officio Sancti, quod olim usitatum erat ab ecclesia Nuscana, atque exscriptum ex Octavario Francisci de Ponte. *Hæc sane critici hujus verba non satis percipio. Etenim si hymni responsoriaque illius Officii legebantur in ecclesia Nuscana. prout a Renda sunt edita, agnoscebant olim Nuscani monachatum* S. Amati, *quem tanto conatu oppugnat Noja, ut omnia, quæ disputa-* E *vit, ad hanc controversiam referantur. Officii Nuscanæ ecclesiæ mentionem etiam facit Paulus Regius in Vita* S. Amati, *quam conscripsit Italice inter Vitas Sanctorum regni Neapolitani: nam pag.* 417 *de Vita* S. Amati, *sic habet:* Quam collegi ex Officio proprio, quod recitatur in ecclesia Nuscana, et ex Vita Latino sermone scripta per P. D. Felicem Rendam. *Sandullus in Apologia, qua Discursus criticos Nojæ refutavit, pag.* 238 *hæc intelligit de antiquo Nuscanorum Officio, quod diversum putat ab Octavario Francisci de Ponte, sed nullibi ostendit, quantæ antiquitatis sit Officium editum a Renda, et non inquirit, utrum idem Nuscanis fuerit usitatum.*

quodque vetustius apparet Octavario Francisci de Ponte;

4 *Porro suspicor Franciscum Noja, dum dicit recusos a Renda hymnos, aliaque ex Officio Nuscanæ ecclesiæ, insinuare voluisse, id non factum sine interpolatione, quemadmodum dicit lectiones ejusdem Octavarii descriptas in Vita per Rendam composita, sed ita, ut multas immiscuerit fabulas. Verum, etiamsi dubitationem aliquam mihi ingerat silentium monachorum Montis Virginis de antiquitate Officii sui, vehementer tamen suspicor, Officium istud ipso Francisci de Ponte Octavario* F *antiquius esse, adeo ut malim existimare Franciscum de Ponte hymnos aliasque Officii sui partes, mutatis quibusdam, ex hoc desumpsisse Officio, quam auctorem hujus Officii sua mutuatum esse ex Francisci de Ponte Octavario. Duæ rationes hanc mihi injiciunt suspicionem. Prima petitur ex forma Officii, quia hæc antiquitatem præferre videtur, et quia Officium eadem methodo compositum est cum antiquo S. Guilielmi Officio, quod verosimiliter aliquem ex monachis Montis Virginis habuit auctorem. Altera desumitur ex hymno Vesperarum, cujus partem dedit laudatus Sandullus pag.* 240. *In Officio Montis Virginis sic habetur :* Carnem afflixit jugiter cum labore multiplici, viam sequens humiliter PATRISQUE GUILIELMI. *Eadem sunt apud de Ponte, exceptis ultimis vocibus ,* patrisque Guilielmi, *pro quibus habetur,* Patrisque sui Stephani. *Recte Guilielmus et pater* S. Amati *vocatur et exemplar pœnitentiæ. Neutrum convenit S. Stephano. Quis igitur non suspicetur illud,* Patrisque sui Stephani, *interpolationem esse ab homine indocto sine judicio factam? Quidquid sit, quæ de gestis et virtutibus Sancti in illo Officio leguntur*

AUCTORE J. S.

leguntur, hic subjiciam. Cum autem scateat mendis, clara corrigam, pro dubiis conjecturam suggeram.

hymnus in primis Vesperis.

5 *Hymnus in primis Vesperis hic est :*

Christe, serena gloria, superna
Virtus, amœna vita, lux æterna,
Suscipe vota, tibi nempe nota,
Conditor alme
Solvimus ora decus ad eorum
Voce sonora, gloria Sanctorum,
Qui te tulerunt, per te perceperunt
Gaudia palmæ.
Numero quorum, rutilat Amatus,
Aucto bonorum, cælitus afflatus :
Cujus in festo, Christe, nobis esto
Pacis amator.
Hic aquæ potum, Domini vigore
Vino permotum *, optimo sapore,
Dum fabricatur, mansio testatur
Virginis almæ.
Anno claudum gressu religatum
Cælica virtus solvit in Amatum.
Tempore bino operi divino
B Hic famulatur
Carcere nexus erat, ut cornla :
Ille confessus, hostium ab aula
Venit ligatus. Fecit hoc Amatus
Nusci patronus.
Organa vocis erant uni clausa,
Sanctum adivit et pro tali causa :
Sed reformavit verba, quæ rogavit,
Sanctus Amatus.
Templa divina Matri Salvatoris
Instruit bina ope Creatoris,
Prope Licenum, flumen et amœnum
Juxta Caloris.
Plura prædictis mirabiliora
Factis et dictis, horum et majora
Signa pro certo Sanctus in aperto
Mundo patravit.
Laus Trinitati, gloria solennis
Sit Deitati unice perennis *etc.*

* i. e. mutatum in vinum

Nihil prætorea in Vesperis occurrit, quod opus est describere.

responsoria quædam,

6 *Ad Matutinum, in quo idem hymnus repetitur, varia sunt, quibus Sanctus generatim laudatur et invocatur. At illis prætermissis, singularia quædam subjungo. Post lectionem primam responsorium istud sequitur :* Inter cetera Scripturæ divinæ mandata menti ipsius illud Davidicum stylo divino inscriptum est : Dispersit dedit pauperibus. *Secundum his verbis exprimitur :* Pullulabat in eo radix charitatis melliflua, qua in pauperum compassione totis misericordiæ affluebat visceribus. Virtutum flores in fructus operum producebat humilitate. *Tertium :* Euangelicæ lectionis auditor non vacuus, manu missa ad aratrum, retro semper præcavebat aspicere : se in anteriora oculos in Dei agricultura dirigebat ; nec usquam exorbitans recto festinabat itinere. *Quartum:* Pueritia sancte et Deo digne decursa, adolescentiæ suæ viam perseverantius ad suum convertit Anthorem, assiduis insistens vigiliis, totus in Dei cultu.

antiphonæ et responsoria alia,

7 *In secundo nocturno hæc est Antiphona prima:* Postquam ad sacerdotis gradum pervenit, immensa ejus excrevit religio. *Secunda :* Florem innocentiæ, quem in tenera ætate protulerat, infructum bonæ operationis produxit. *Tertia:* Populi desiderio immenso archipresbyter factus, animarum regimen accepit. *Quarta:* Dimisso archipresbyteratus officio, sacræ religionis fuit habitu indutus. *Quinta :* Ut habitu indueretur monastico, ad sanctissimum Guilielmum cum socio Joanne evolavit. *Sexta :* Monastico jugo submisso *, in divinis fervebat alloquis. *Responsorium primum :* Pater sancte, magnifica locum patriæ tuæ ; quo Nuscia civitas tua humilitate erit in gloriam : sit per te celebris pontificali dignitate præfulgens. *In tertio hæc dicuntur :* Monasterium magnum ædificat ad Lacinii montis radicem Fontilianum ad Virginis gloriam. *Quartum hoc est :* O per omnia Pastorem laudabilem ! qui cum monachis vivens, totus in Dei dilectione et proximi versabaris ; mori paratus pro Deo animam ponis.

* f. submissus

responsoria et antiphonæ aliæ,

8 *Responsorium primum tertii nocturni:* Iste homo ab adolescentia sua partim * meruit infirmos curare: et dedit illi Dominus claritatem magnam cæcos illuminare et dæmones effugare *etc. Secundum :* Iste fons pietatis irriguus, unde aleum misericordiæ incessanter distillat: qui fœcunda cælestis Regis oliva, luminis et pacis alimento fundit oleum. O res inæstimabilis ! O signum cunctis gentibus declarandum ! Animarum curam aufugit... ad monasterium fugit, ut totus se Deo dicaret, et pontifex eligitur. *Tertium :* Vivebat antistes Amatus in ecclesiastica cura ; et populo serviens, Deo erat intentus: foris agens populo, intus vero Deo erat intentus. *Pro Laudibus habentur antiphonæ sequentes. Prima:* A teneris annis sacro moderamine mentis Christi Confessor carnis compescuit ignes. *Secunda:* A puero mundum sanctus contempsit Amatus, infirma despiciens, sola superna petens. *Tertia:* Et nunc divinis precibus, nunc laudibus instans, artus spiritui semper servire coëgit. *Quarta:* Ad jussum Sancti mox pallida lympha colorem mutavit, largita merum dulceque. *Quinta:* O Christi Famule, ex toto corde colendus : cujus sentit opem, devote qui petit illum *.

* f. partem

* f. illam

hymnus in Laudibus,

9 *Hymnus hic canendus in Laudibus assignatur :*

Festum insigne præsulis Amati
Colimus digne, sanctæ Trinitati
Solvere vota surgimus in tota
Devotione.
Hic Deo gratus claruit honeste,
Corde beatus, actione teste :
Pauperum vera mansit mente pura
Dilectione.
Festo præsenti sancti Confessoris
Sumus intenti, gaudia canoris
Carmine * damus, tibi jubilamus
Petitione.
Sanctum Amatum cuncti veneremur,
Cælo ditatum laude præconemur
Miraculorum, probitate morum :
Fama feratur.
Quidam omnino pergere nequibat
Claudus, et miser ibat et redibat :
Reddidit gressum vinculis annexum
Præsul Amatus.
Alto suspensa, casu faciente,
Lampas accensa, populo vidente,
Corruit vento : stat in pavimento
Sine fractura.
Clerico chori languor inhærebat ;
Cupiens mori sedule mœrebat :
Mox sanitati meritis Amati
Redditur ille.
Hostibus quidam ductus et ligatus,
Verbera, pœuas, tulit cruciatus.

* f. versibus

Constat

A Constat Amato, ipso liberato
Carcere duro *etc.*

et in secundis Vesperis.

10 *In secundis Vesperis ponitur hymnus sequens :*

Adest Amatus nobilis,
Festumque cæli curiæ;
Ut rosa delectabilis
Offertur Regi gloriæ.
Amatus fide claruit,
Carens parentum nebula;
Deo servire studuit
Sub Regula monastica.
Carnem afflixit jugiter
Cum labore multiplici,
Viam sequens humiliter
Patrisque Guilielmi.
Præsul Amatus humilis
Christo se totum dedicat,
In Lege Dei docilis.
Verbis, exemplis prædicat.
Præsul Amatus floridus,
Et virtutum sacrarium,
B Nullum mortalis criminis
Sensit unquam contagium, *etc.*

Hæc demum antiphona ad Magnificat : O sacratissime Amate, qui regulari normæ traditus puerum a morte liberasti, paralyticum et cæcum in sanitatem pristinam reduxisti, deprecare pro nobis Dominum Jesum Christum.

§ II. Acta S. Amati a quibus scripta, et quænam inde exortæ controversiæ.

Prima Sancti Vita est Octavarium Francisci de Ponte,

Vitam S. Amati *nullam habemus a scriptore coævo aut suppare exaratam. Verum illa, quæ habetur antiquior, composita dicitur anno* 1461, *id est, plus quam duobus seculis et dimidio post mortem Sancti, impressa vero anno* 1543. *Secunda edita est tantum anno* 1581. *Hæ duæ* S. Amati *Vitæ in variis dissentiunt capitibus, et suos singulæ habent sectatores. Priorem Vitam conscripsit Franciscus de Ponte, presbyter ecclesiæ Nuscanæ, illam-* C *que sic ordinavit, ut dictæ ecclesiæ in festivitate et Octava Sancti servire posset pro lectionibus divini Officii. Qua de causa* Octavarium *non raro dicitur. Usitatum olim fuisse id Octavarium ab ecclesia Nuscana asserit Franciscus Noja, sed de usu illo dubitant alii. Hanc lucubrationem secuti sunt Ferdinandus Ughellus et dictus Noja, de quibus mox plura.*

Vitam aliam scripsit Felix Renda, vir pius et doctus,

12 *Alterius Vitæ scriptor est Felix Renda, monachus et prior monasterii Montis Virginis, qui Vitam etiam S. Patris sui Guilielmi, aliaque non pauca exaravit. Huic insigne dat elogium Carolus Tapia marchio Bellomontensis in tractatu de Rebus monasticis, quod ex eo recitat illustrissimus Sandullus in Apologia sæpe memoranda pag.* 197 *hunc in modum :* Congregatio Montis Virginis pluribus efflorct doctis viris, inter quos, ut dixi, fulget D. Felix Renda, qui, præter narratas aliasque virtutes, multa scripsit, quorum aliqua jam in lucem prodiere, nonnulla sub typis sunt, alia tamdem tradenda sperabimus. Scripsit etiam super Symbolum libros quindecim : in quibus omnia, quæ ad nostram fidem pertinent, doctissime explanavit : de Theologia mystica libros duos; super Summam D. Thomæ libros quatuor; Enchiridion terminorum theologalium; Breviloquium generationis rerum naturalium; librum Sermonum ad Patres in clausura; Vitam S. Guilielmi, et aliorum Sanctorum sui Ordinis; Sermonem in festivitate S. Benedicti; et plures Regulas de regimine spiritus.

AUCTORE J. S.

quem secuti sunt alii.

13 *Paulo ante eum laudarat his verbis :* Dum hæc scriberem, legebat duas lectiones, theologiæ scilicet et philosophiæ, doctissimus et religiosissimus D. Felix Renda, quam inter ceteros hujus congregationis religiosos agnovi theologica, philosophica ac juris Pontificia doctrina, et spiritualium scientia præcellere. *Hæc recitanda duxi, ut deinde facilius refutentur, quæ contra hunc scriptorem iniquiori calamo intorta sunt. Ejusdem Sancti Vitam postea scripserunt Italice Thomas Costus Ordinis Montis Virginis ex collectis per Vincentium Veracem instrumentis, et Paulus Regius episcopus Vici Equensis in Opere de Sanctis regni Neapolitani. Horum lucubrationes Italicæ conformes sunt Opusculo Latino Felicis Rendæ, cui et alii scriptores, qui de* S. Amato *egerunt, passim consentiunt.* E

Francisci Noja Discursus critici super Vita S. Amati,

14 *Franciscus Noja archipresbyter Cusanus anno* 1707 *Opusculum edidit Italico sermone conscriptum, cui hunc præfixit titulum :* Discursus critici super Historia vitæ S. Amati presbyteri et primi episcopi civitatis Nuscanæ. *Relatum est istud Opusculum in Indicem librorum prohibitorum decreto sacræ Congregationis* XV *Januarii anni* 1714; *idemque deinde diligenter refutatum. Hic scriptor curiose inquisivit in gesta* S. Amati, *et nihil admittendum putavit, quod non haberetur in Octavario Francisci de Ponte, aut in testamento* S. Amati, *quod infra examinabimus. Hinc multa temere tamquam fabulosa repudiat, quæ a Felice Renda de gestis Sancti sunt narrata. Præterea variis locis multa immiscet, in Ordinem Montis Virginis acerbiori stylo intorta, nec fide satis bona ubique procedere videtur. Hæ forsitan præcipuæ sunt causæ prohibitionis Opusculi; quæ et nobis persuadent, dicta ejus non temere et sine examine amplecti. Quod spectat ad gesta* S. Amati, *Nojæ præluxisse videtur Ferdinandus Ughellus tom.* 7 *Italiæ sacræ col* 534 *editionis novæ, ubi recitato* S. Amati *testamento, hæc subdit :* Ex quo indubitato monumento clare patet, quam portentose plura enarrasse visi sunt hi, qui nuper F Vitam ipsius scripserunt, emiseruntque in lucem post Franciscum de Ponte, qui ante annum CXX vixit ab illis. Amati conscripsit Vitam rudi quidem stylo, ad veritatis tamen calculum eam evulgavit : quæ olim una cum hymnis et responsoriis in Nuscana ecclesia in die festo ejusdem Divi tutelaris legebatur. *Hæc Ughellus. Quæ autem paucis dixit Ughellus, pluribus probare conatus est Noja.*

contra quos Apologiam scripsit Paulinus Sandulli.

15 *Contra memoratum Nojæ Opusculum Apologiam Italicam scripsit illustrissimus dominus Paulinus Sandulli ex Ordine Montis Virginis episcopus Castoriensis. Hæc edita est Neapoli post mortem auctoris anno* 1753. *Refutare conatus est illustrissimus Sandullus omnia argumenta, quibus Noja in Opusculo Felicis Rendæ multa reprobare conatus erat, multaque contra Ordinem Montis Virginis intorserat. Non spectant ad propositum nostrum omnes illorum scriptorum controversiæ, sed illæ tantum, quæ Vitam* S. Amati *attingunt propius. Hinc, prætermissis aliis, has solas discutiam : neque id faciam ea prolixitate verborum aut sententiarum, qua usi sunt prædicti scriptores; sed eam adhibere conabor brevitatem*

AUCTORE J. S.

brevitatem, ut nec fastidium pariam lectori, nec tamen prætermittam illa, quæ ad majorem rei elucidationem utilia judicabo. Accipe paucis omnes, quæ de S. Amato *inter eos tractantur controversiæ.*

Capita inter Nojam et Sandullum controversa,

16 *Præcipua est, utrum* S. Amatus *ante episcopatum adscriptus fuerit Ordini Montis Virginis, quod Noja confidenter negat, affirmat vero cum aliis omnibus sui Ordinis Sandullus. Ad hanc reducitur controversia de ætate Sancti, quem Noja vixisse contendit seculo* XI, *et primum fuisse ecclesiæ Nuscanæ episcopum, priusquam institutus esset Ordo Montis Virginis, qui originem suam debet seculo* XII; *at Sandullus cum suis probare nititur Sanctum floruisse seculo* XII, *et alteri in episcopatum Nuscanum successisse. Tertio monasterium Fontilianum ante episcopatum ab* Amato *fundatum narrat Renda : id impugnat Noja, propugnat Sandullus. Quarto Renda* S. Amato *attribuit generis nobilitatem, quam ei Noja detrahere, asserere conatur* B *Sandullus. Quinto Sanctum gravi vulnere in capite affectum, vulnerisque vestigium in cranio defuncti relictum, affirmat Renda : hoc legibus anatomicis repugnare vult Noja ; at iisdem non esse contrarium ostendit Sandullus.*

ac lis eorum de auctoritate documentorum.

17 *Verum hisce prævia est disputatio de instrumentis, ex quibus sua singuli probare nituntur. Noja scriptum aliquod adducit, tamquam originale* S. Amati *testamentum, quod inter reliquias ecclesiæ Nuscanæ conservatum asserit : negat Sandullus scriptum istud authenticum esse Sancti testamentum, negat inter reliquias umquam conservatum. Octavarium Francisci de Ponte unice sequendum, longeque præferendum Vitæ per Rendam scriptæ, omnino sibi persuasit Noja : at Sandullus Rendam non minoris debere esse auctoritatis quam laudatum de Ponte, multis evincere satagit. Habes, studiose lector, compendium controversiarum, quas exponere aggredior, ducturus exordium a discussione testamenti, quod sane multum faveret Nojæ, et plerasque decideret controversias, si satis videretur authenticum.*

§ III. Examinatur scriptum, quod circumfertur sub nomine testamenti S. Amati.

C

Scriptum, quod aliqui dicunt testamentum S. Amati:

T*estamentum Noja recitat pag.* 58 *hunc in modum :* In nomine Dei æterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus millesimo nonagesimo tertio, temporibus Domini nostri Rogerii gloriosi ducis, mense Septembri, et tertia Indict. Ego Amatus Apostolicæ Sedis gratia Nuscanæ episcopus, quod laudavi, qui dum jacerem in stratu meo in valida infirmitate detentus, et ante me adstante Urso vicecomite, et alios idiotos homines, qui me ad visitandum venerunt, declaro me, quia gratias Deo, si divina misericordia mihi obviaverit, et ejus a vita e vita dimissurus sum, et idcirco cogitavi omnipotenti misericordia, ne subitanea mors mihi eveniat, et causam vitæ judicatam relinquam : in primis quidem pro Christi et Salvatoris nostri misericordia, et propter remedium et salutem animæ meæ, et de ipso genitore, et genitrice etiam judico, atque trado in ecclesiam sancti prothomartyris Stephani, quam nobis et nostris parentibus, atque consortibus constructam habemus intus supradictam civitatem, et ego eam de propriis causis meis dotavi omnibus rebus stabilibus et mobilibus, quæ pro parte supradictæ ecclesiæ paravi, ubicumque exinde inventum fuerit intus, vel extra supradictam civitatem hoc fuisse,... et pannis sericis, et lineis, et casaline, et case, et hortis, et vineis et antris, insertata, castanetas, et alio apparatu, omnia in supradicta ecclesia judicavi, atque tradidi ad faciendum de eo propter dictæ ecclesiæ omnia, quæ ipsi rectores, atque consortes ejusdem eclcesiæ voluerint eam paraudam, vel gubernandam, et de omni quod superius dictum est in supradicta ecclesia firmandum. Ego Amatus gratia Dei episcopus primus supradictæ civitatis gratia Dei vobis olim presbyteri, et godivi et cet. quod Amatus ecclesiæ et Romoaldi, quod Alfetus, et Munitus, qui multa bona dedit, et fidejussorem exinde posuit, precique preces, et hoc etiam addimus, modisque omnibus constituimus, ut si quæ persona magna, vel parva contra hæc, quæ superius scripta sunt, agere attentaverit, aut ea dis- E rumpere voluerit, si maledictus a Deo Patre, qui fecit cælum et terram, et unico Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, sanctoque Spiritu, et cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi participet, et in perpetuum condemnetur, et taliter tibi Amatus Dei, ac hanc notam scribere præcepi.

† Signum manu positum supradicti Ursi vicecomitis.

† Ego Joannes presbyter.

† Ego Petrus presbyter me subscripsi.

quodque in brachio argenteo inter reliquias servari ait Noja.

19 *Habes hic, lector, scriptum istud, quod Noja se habere dicit* tamquam fundamentum bene solidum et firmum, *supra quod, inquit,* consistit hoc opus ædificatum. *Ante dixerat, se non locuturum de indubitata ejus fide, cum id minime judicaret necessarium, quod nihil contineat, quo reddi possit suspectum. Addit se istud per lineas singulas considerasse criticæque subjecisse, sed semper invenisse tale, ut in controversiam vocari nequeat. Ughellus etiam jam adductus vocat* indubitatum monumentum. *Autographum hoc testamentum, exaratum in membrana, conservari ait in theca reliquiaria ecclesiæ cathedralis Nuscanæ, reclusum brachio argenteo, inter alias reliquias, ubi asserit inventum a se in visitatione illius ecclesiæ, jussumque describi per Fran-* F *ciscum Antonium Moncelli notarium Nuscanum. Id tamen non congruit cum dictis Ughelli, qui tom.* 7 *col.* 533 *de eodem testamento dicit :* Cujus in episcopii Nuscani tabulario originale summa religione servatur. *At vero Sandullus nec fidem testamento habuit, nec magnificis Nojæ assertis, ut videbimus. Observationes Nojæ huc adducere non lubet : inutiles enim sunt ad fidem testamento asserendam.*

Scriptum istud adeo alienum a legibus Grammaticis et testamentorum,

20 *Audiamus igitur aliqua ex iis, quæ Sandullus merito huic scripto opposuit: neque enim omnia adducere lubet, ne disputatio hæc nimium excrescat, neque id necessarium censeo.* Non est, *inquit,* intentio nostra tempus operamque perdere, et minutim notare manifestos errores, quibus scatet scriptum istud, etiam contra primas regulas infimarum scholarum. Nec dicemus, quanto legum notarum et vulgarium contemptu in illo enuncientur bona stabilia sine suis confiniis, terræ nullis circumscriptæ limitibus, bona mobilia non enumerata. *Oculos modo intendat lector, et mirabitur non solœcismos tantum aut*

A *aut barbarismos, sed nullas Testamentorum, quæ clara esse debent, leges aut consuetudines in hoc scripto servatas. Quis mortalium, non dico episcopus, sed vel sanæ mentis homo in testamento sic bona sua enumeret, sicut in hoc scripto enumerantur?* Trado in ecclesiam S. prothomartyris Stephani, quam nobis et nostris parentibus atque consortibus constructam habemus intus supradictam civitatem, et ego eam de propriis causis meis dotavi omnibus rebus stabilibus et mobilibus... et pannis sericis, et lineis, et casaline, et case, et hortis, et vineis, et antris, insertata, castanetas, et alio apparatu *etc.*

ut credi nequeat pro testamento compositum ab episcopo :

21 *Plura non enumero, quia omnia æque sunt vitiosa et a testamenti legibus aliena. Qua de causa vehementer assentior Sandullo, qui hæc subdit Italice :* Sane quis umquam credere poterit, testamentum tam male formatum scripto mandandum in aliqua civitate, idque nomine Episcopi, qui, uti venerationi est propter morum probitatem, sic arguendus non est ignorantiæ litterarum? Quis testamentum Episcopi credat, B scripturam ad propositum non accommodatam, sine arte, qua temperetur, sine legibus, quibus ordinetur, sine ordine, quo distinguatur? *Id mihi, fateor, nec verisimile apparet nec credibile. Etenim licet fateamur litterarum studia parum floruisse seculo* XI, *non tamen credere poterimus hujusmodi scriptum ab Episcopo pro testamento compositum, nisi cogeret gravissima auctoritas. Hujusmodi autem auctoritas non affertur : sed contra multa afferuntur a Sandullo argumenta, quæ vehementem ingerunt suspicionem, scriptum esse supposititium ac plane fictitium. Ex pluribus pauca tradam compendio.*

testamentum S. Amati ignoravit Franciscus de Ponte, et antiqui omnes :

22 *Nullus scriptor antiquus meminit de testamento* S. Amati : *ne quidem Franciscus de Ponte presbyter Nuscanus, qui Vitam Sancti scripsit seculo* XV, *vel verbum habet de testamento isto, quod ignorare vix poterat, et memorare debebat, si illo tempore in ecclesia Nuscana fuisset servatum inter sacras reliquias, ut vult Noja. Narrat de Ponte fundatam a Sancto ecclesiam S. Stephani protomartyris, in cujus favorem conditum fuisset testamentum istud : de eo tamen verbum nullum. Deinde, ut recte obser-* C *vat Sandullus, dum mortem* S. Amati *narrat laudatus scriptor, infirmitatem in testamento relatam non attingit, et annum emortualem refert, quasi subdubitans his verbis :* Dormitionis tempus S. Amati computatur anno MXCIII. *At, si testamentum illud vidisset de Ponte, haud dubie de morbo aliquid dixisset, et annum emortualem enuntiasset certius, ipsaque testamenti auctoritate confirmasset. Hæc paullo latius illustrissimus scriptor, qui adjungit alia quædam, ut ostendat, non potuisse incognitum esse Francisco de Ponte testamentum, si ab immemorabili tempore servatum fuisset inter reliquias Nuscanæ ecclesiæ.*

illud multa continet, ex quibus supposititium dici posit :

23 *Varia quoque in testamento observat Sandullus, ut ostendat esse supposititium.* 1°. *Non convenit seculo* XI, *quo conditum dicitur, hic titulus, qui in testamento ponitur :* Apostolicæ Sedis gratia Nuscanæ episcopus, *uti colligitur ex Mabillanio lib.* 2 *de Re diplomatica cap.* 2 *num.* 10. *Notat* 2°. *inconstantiam, dum titulus Sancti mox exprimitur alia modo, his nempe verbis :* Ego Amatus gratia Dei episcopus primus hujus civitatis. 3°. *Observat testamentum subscriptum non esse nec a cancellario episcopi nec a publico notario. Advertit* 4°. *cum Urso vicecomite duos legi subscriptos presbyteros, qui certo nequibant nomen subscribere, nisi essent præsentes. Attamen de personis præsentibus ita loquitur :* Ante me adstante Urso vicecomite et alios idiotos homines, qui me ad visitandum venerunt. *An forte per* idiotos homines *intelligendi etiam presbyteri? Id sane non est verisimile, ut fuse ostendit. Ad hæc argumenta addit potest vitium Indictionis, quod Noja ipse vidit et longa ratiocinatione amovere conatus est, sed frustra. Currebat anno* 1093 *Indictio prima, et mense Septembri a Græcis inchoabatur secunda, non tertia. At Noja, postquam multa disputaverat de differentia inchoandi Indictiones, tandem pag.* 18 *ridicule concludit, mense Septembri anni* 1093, *inchoatam esse apud Græcos Indictionem tertiam, quæ notatur in Scripto.*

Sandullus rogavit Nuscanos, ut scriptum ostenderent,

24 *Narrat demum laudatus Sandullus, quantam adhibuerit diligentiam, ut ipsum testamentum, quod autographum dicunt Nuscani, liceret intueri, ut membranam, in qua scriptum dicitur, formamque litterarum attente considerare posset. Sic enim cognoscere potuisset, utrum characteres ipsaque membrana congruerent seculo* XI. *Profectus est* E *hac de causa Nuscum, et tam apud illustrissimum antistitem Hyacinthum Dragonetti quam apud capitulum Nuscanum vehementer institit, ut hoc testamentum sibi ostenderetur. Verum aliæ quidem ostensæ sunt chartæ, quæ servabantur in palatio episcopali ; at episcopus ipse Nuscanus obtinere non potuit a capitulo, ut testamentum ostenderent canonici, qui istud custodiebant, et respondebant,* se decrevisse communi consensu arma non ministrare adversario. *Hæc enimvero responsio, quam refert Sandullus pag.* 265, *non est hominum causæ suæ fidentium. Aliæ quoque eumdem in finem sollicitationes factæ sunt per marchionem Navarette, sed frustra.*

interposita auctoritate sacræ Congregationis, et dein Cardinalis Ursini; sed frustra :

25 *Non quievit hic Sandullus, sed per procuratorem generalem Ordinis sui recurrit ad sacram Congregationem, cujus jurisdictio in episcopos et religiosos, ut Eminentissimi Cardinales juberent ostendi testamentum cum aliis quibusdam membranis a Nojo adductis. Scripsit hunc in finem sacra Congregatio ad episcopum Nuscanum, cujus responsoria, data* XX *Aprilis, anna* 1716, *legitur apud Sandullum pag.* 268. *Lubet quædam ejus verba Italica La-* F *tine hic reddere, ut confirmentur jam dicta, et magis pateat Nuscanorum cura abscondendi scriptum istud :* Expono, *inquit,* humiliter Eminentiis vestris istud *(testamentum)* characteris antiquissimi in membrana ab immemorabili tempore ab hoc capitulo semper conservari inter alias reliquias in lipsanotheca argentea, qua etiam brachium Sancti recluditur : id sæpius fuit a me observatum, et claves illius custodiebat archipresbyter Mongelluzzi. Dum autem in lucem emittebantur Discursus critici super Vita S. Amati, ea occasione D. Paulinus Sandulli Congregationis Montis Virginis precibus institit, ut recognosceret dictum testamentum. Nata hinc sollicitudine non minus hujus capituli quam totius populi, supradictus archipresbyter illius custos, timens, quantum mihi dicitur, ne ille ad tuendam causam propriam eidem aliqua non vera opponeret, illud amovit a lipsanotheca, et absconditum apud se retinuit, ut creditur. Idem deinde defunctus est, et nescitur locus, in quo illud abscondit. *Hæc ille, addens testamentum quæri et mittendum ad sacram Congregationem, si fuerit inventum. Idem postea respon-*

AUCTORE J. S.

sum fuit eminentissimo Cardinali Ursino (ad summum Pontificatum deinde evecto sub nomine Benedicti XIII) cujus auctoritatem imploraverant monachi Montis Virginis, uti subjungit Sandullus, qui hasce tergiversationes merito suspectas habet, et valide contra auctoritatem istius scripti intorquet.

ex aliorum tamen testimonio satis ostendit esse apocryphum,

26 *Non obstante tanta Nuscanorum cautela, effecit eximia Sandulli diligentia, ut facile intelligere possimus, cur scriptum istud tantopere celatum vellent Nuscani. Profert pag.* 273 *Italicum testimonium Alphonsi Muscetta, ex quo abunde discere poterimus, scriptum istud nullius esse valoris, adeoque merito a nobis negligendum. Verba Italica fideliter reddam Latine :* Testor ego infrascriptus protonotarius Apostolicus, magister sacræ theologiæ et presbyter Neapolitanus, etiam cum juramento, quoties opus fuerit, quod, cum præsenti anno MDCCXIX essem *(Balneoli)* ad prædicandum per Quadragesimam in ecclesia collegiata Balneolensi diœcesis Nuscanæ in principatu ulteriori, et sæpius agerem cum doctore D. Fabritio Tisci
B de eo, quod dicitur testamentum S. Amati et allegatur a D. Francisco Noja in libro suo, cui titulus, Discursus critici super Vita S. Amati, dixerit iste Fabritius, se illud libere habuisse in domo sua ad annos multos, et esse characteris Longobardici. Adhuc testor, quod, interrogans hac super re Dominum D. Savinum Cella canonicum dictæ collegiatæ, ille mihi etiam asseruerit, se illud vidisse in aliqua parte corrosum a muribus, atque habuisse in sua potestate multo tempore sub regimine illustrissimi domini *(Fulgentii)* Arminii : rasuramque murium proprie esse in annis millenarii, quam resarcire jussus est peregrinus amanuensis. Ea autem expresse cernitur, quia est extra lineam, et annus nonagesimus tertius superimpositus est post millesimum. Sic adhuc testor me audivisse ex multis aliis sacerdotibus, dictum testamentum ineptum et apocryphum esse, ideoque canonicos Nuscanos ab aliquo tempore huc usque inter se statuisse nemini istud ostendere. *Addit se dare illud testimonium jussu illustrissimi domini Nicolai Rota canonici et vicarii ecclesiæ metropolitanæ Neapoli. Subscribit demum*
C Neapoli XIII Septembris anni MDCCXIX, ego Alphonsus Muscetta testor, ut supra. *Accidit testimonium Dominici Antonii Avellone notarii Neapolitani, qui testatur hæc scripta et sub scripta ab Alphonso Muscetta propria manu. Ex hisce autem concludit Sandullus, et recte, non alia de causa scriptum istud tantopere abscondi, quam quia vanum est et apocryphum.*

et servatum non fuisse ab immemorabili tempore inter reliquias Nuscanas :

27 *Idem toto cap.* 17 *late probat, scriptum istud servatum non fuisse inter sacras reliquias ecclesiæ Nuscanæ, uti asseruerat Noja. Verum necesse non est omnia ejus argumenta huc transferre : at pauca ex iis seligam, ex quibus id abunde patebit. Ex mox dato testimonio Alphonsi Muscetta scriptum illud multo tempore apud se habuit Savinus Cella canonicus sub regimine Fulgentii Arminii, id est, ante annum* 1680, *quo Arminius episcopatu abiit. Idem in domo sua habuit Fabritius Tisci, ex eodem testimonio. Ughellus vero jam adductus num.* 19 *dicit servari* in episcopii Nuscani tabulario, *idque Ughello perscriptum est ab ipso episcopo Nuscano Michaele Resta, dum illius scripti apographum eidem transmittebat. Accipe verba laudati antistitis, quæ recitat Sandullus Italice pag.* 280 *ex ejus ad Ughellum epistola :* Testamentum S. Amati conservatur in tabulario nostro ; apographum illius authenticum habebis hisce inclusum D
etc. *Plura ad hoc propositum affert Sandullus ; at allata mihi videntur sufficere. Etenim, si scriptum istud ante annum* 1639, *quo illustrissimus Resta ab episcopatu Nuscano transiit ad Asculanum in Apulia, custodiebatur in tabulario Nuscano ; si sub episcopatu Arminii ante annum* 1680 *versabatur in manibus canonici Cella, si deinde in domo fuerit Fabritii Tisci, vana sunt, quæ scribit Noja de testamento inter sacras reliquias conservato ab immemorabili tempore.*

nullum verosimiliter testamentum condidit S. Amatus :

28 *Non modo evincere nititur Sandullus, scriptum illud, cujus non meminerunt antiqui, non esse testamentum* S. Amati, *sed etiam probabili ratione ostendit, nullum umquam testamentum verisimiliter a Sancto conditum. Adducit ad hunc finem non solum silentium Francisci de Ponte, cujus jam meminimus, verum et verba ejusdem, quæ non satis cohærere videntur cum testamento. Quippe laudatus de Ponte sic habet die* I *lect.* 6 : Et ut multa concludam brevibus, omnem possessionem suam quandam pauperum effecerat rempublicam.... Nihil proprium habebat ; cum enim omnia ero- E
gasset pauperibus, divina largitio ei affluenter necessaria propinabat. *Si* nihil proprium habebat, *si* omnia *erogaverat* pauperibus, *numquid omnino verisimile est*, S. Amato *convenire verba Possidii de S. Augustino prolata in hoc tomo pag.* 440 : Testamentum nullum fecit, quia unde faceret Pauper Dei non habuit. *Noja quidem pag.* 60 *persuadere nititur, majorem Sancto nostro gloriam tribui, si dicamus eum in mediis vixisse divitiis eo animo, ut illis non adhæreret, sed eas largiter erogaret pauperibus. Verum hæc illius opinio forsan probari poterit iis, qui solum ratiunculas quasdam humanas naturali ingenio considerant ; at illis nequaquam placebit Christianis, qui audiunt Christum ipsum Matth.* 19 *veridico ore dicentem :* Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me.

ex omnibus concluditur, testamentum istud esse suppositium.

29 *Ex omnibus hactenus dictis concludere liceat cum illustrissimo Sandullo, scriptum istud, quod sub nomine testamenti* S. Amati *Ughellus et Noja recitarunt, tale esse, ut vir prudens ei fidem adhibere nec possit nec de-* F
beat. Hinc istud deinde negligam, tamquam monumentum nullius fidei, quod verosimiliter ab impostore quodam olim procusum est, et postea ab aliis nimium credulis pro testamento Sancti habitum, et pro tali tandem sine sufficienti examine in lucem productum. Lubet subdere verba doctissimi Muratorii, qui in Antiquitatibus Italiæ tom. 3, *col.* 5 *ad propositum nostrum sic disserit :* Itaque primo statuendum est, nullum sæculum, nullum regnum litteris utens olim in Europa exstitisse, quod immune se ab impostoribus jactare potuerit. Immo ne ultima quidem sæcula, atque ipsa nostra ætas, abominando hoc hominum genere caruit. Exempla afferre et supervacaneum eruditis, et molestum quibusdam ineruditis foret. Sed longe commodius atque in promptu olim fuit falsariis adulterinos suos fœtus procudere, atque audacter in publicum effundere, quod spem imposturæ numquam detegendæ faceret ignorantia litterarum, et præsertim imperitia criticæ artis, qua universi ferme eorum sæculorum homines laborabant. Poterant infulsa, et undique falsitatem spirantia diplomata confingi : hæc bona gens eodem obsequio, parique credulitate excipiebat ac

A ac firmissima et authentica monumenta. *Pluribus hæc exponit vir in monumentis Italicis medii ævi versatissimus: at ex allatis facile videbit lector, nos nihil dicere, quod inusitatum sit, cum dicimus testamentum istud nomine* S. Amati *ab impostore confictum.*

§ IV.. Utrum Octavarium Francisci de Ponte de S. Amato præferri debeat Vitæ ejusdem per Rendam scriptæ.

Noja contendit pro gestis S. Amati unice sequendum Octavarium Francisci de Ponte.

Franciscus Noja in præfatione Opusculi sui pag. 7 ait, se unice secutum pro duce lucubrationis suæ Franciscum de Ponte, quem multis locis mirifice laudat, Rendæque præferendum contendit, licet fateatur pag. 9 se nullum, excepto Ughello, vidisse scriptorem, qui in B *referendis* S. Amati *gestis Franciscum de Ponte præ oculis habuerit, cum Renda multos habuerit sequaces. Pag. 14 affirmat Franciscum de Ponte tam pauca de Sancto commemorasse, ut facta particularia, quæ refert, quatuor lineis includi possent ; Rendam vero plura narrasse agnoscit pag. 15, atque utrumque scriptorem invicem conferens se cognovisse dicit,* quod, ubi Franciscus de Ponte pauca scripsit de eo, quod fecit Sanctus, Renda scripserit multa de illis, quæ non fecit. *Hæc ubique mens istius Dissertatoris, reprobantis fere omnia, quæ non invenit in rejecto supra testamento, aut in Opusculo Francisci de Ponte. Hinc examinandum est, an auctoritas Francisci de Ponte revera tanti facienda sit, quanti faciendam vult Noja; et, an ex solo illius silentio reprobanda sint facta per Rendam relata.*

prima ratio ejus ab ætate scriptoris admodum frivola,

31 *Audiamus rationes Nojæ, quibus inductus solum Franciscum de Ponte sequendum contendit:* Ille imprimis, *inquit,* est omnium, quos habemus, antiquissimus: et, licet antiquitas illius non perveniat usque ad duo secula cum dimidio *(scripsit ante Nojam annis fere 246)* nihilominus comparatione aliorum certo C est antiquissimus. *Hæc prima ratio nec ullius valoris est, nec satis clare exposita. Si Nojæ credimus, obiit* S. Amatus *anno* 1093, *et scripsit Franciscus de Ponte anno* 1461, *itaque secundum ipsius asserta annis* 368 *post mortem Sancti hæc Vita conscripta. In aliorum opinione Sanctus toto seculo posterius defunctus est ; adeoque scripsit de Ponte annis* 268 *post Sanctum. Hanc distantiam scriptoris a morte Sancti ex sua opinione metiri debebat Noja; adeoque fateri Franciscum de Ponte tribus seculis et plusquam dimidio seculi quarti Sancto posteriorem esse. Nunc, lector, attende, quam frivola sit hæc ratio. Etenim, sive annis* 268, *sive* 368, *post mortem Sancti scripserit de Ponte, certum est ac manifestum, gesta virorum illustrium tanto temporis spatio incorrupta non servari in sola hominum memoria, adeoque Franciscum de Ponte nihil certi de* S. Amato *scribere potuisse, nisi ex monumentis antiquioribus. Itaque, etiamsi sit centum et viginti annis antiquior Felice Renda, id ei majorem auctoritatem conciliare non potest, sed unice inquirendum, uter illorum meliora habuerit monumenta antiqua, sine quibus neuter quidpiam recte scribere poterat de* S. Amato.

AUCTORE J. S.

altera de traditionibus et scripto antiquiori nihilo est melior,

32 *Alteram rationem sic exprimit Noja:* Præterea ille scripsit eo tempore, quo poterant Nusci sciri ea, quæ nos nescimus, tum per traditiones istius populi, quæ necdum erant inquinatæ fabulis, sparsis ab eo, qui deinde scripsit; tum quia poterat ibidem tunc esse aliquod scriptum magis antiquum, cujus hodie non habemus notitiam, sicut et aliorum multorum, quibus olim plenum erat tabularium episcopale Nuscanum, a tempore Francisci de Ponte toties cum reliqua civitate direptum combustumque. *Nihil hic dicit Noja pro suo Francisco de Ponte, quod pro Renda suo dicere non possint adversarii ipsius, et forsan majori cum fundamento. Si traditiones de* S. Amato *fabulis inquinatæ non erant, quando scripsit Franciscus de Ponte ; si hic vera scripserat, ut vult Noja ; æque dicere possunt monachi Montis Virginis traditiones illas fabulis inquinatas non fuisse , dum Vitam* S. Amati *conscripsit Renda. Quippe multo majus periculum est, ne traditiones de gestis alicujus Sancti fabulis conspergantur, antequam illius Vita conscripta est, quam illud sit, postquam Vita vere est exarata. Verum, ut jam monui, major est distantia inter mortem* S. Amati *ejusque Vitæ scriptores, quam ut hæc recte enarrari potuerit ex solis traditionibus. Quod addit de antiquiori scripto et de tabulario Nuscano, monachi Montis Virginis æque rursum aut rectius pro Renda suo afferre possunt. Quin Sandullus cap 14 ostendere conatur, tabularium Montis Virginis Nuscano longe præferendum. At necesse non est hisce diutius insistere, ut mox patebit.* E

tertia ab usu ecclesiæ Nuscanæ plane imbecillis:

33 *Tertiam igitur rationem accipe, quam subjungit his verbis:* Insuper liber ipsius consecratus est ab usu ecclesiæ Nuscanæ in divinis Officiis, ut dictum est; neque credibile est, episcopos antiquiores permissuros fuisse, ut in choro legeretur liber, qui approbatus non esset ab hominibus istius temporis, ut conformis ipsorum traditionibus. *Hæc ratio per se infirma est: alioquin enim omnia essent ut vera admittenda, quæ in quibuslibet Officiis particularium ecclesiarum hodie leguntur, aut aliquando fuere lecta. Deinde usum illum istius Octavarii fidenter quidem asserit Noja, et non probat. Sandullus vero pag.* 259 *non admittit illam assertionem, sed impugnat. Demum tantumdem dicere poterunt monachi Montis Virginis de Officio Ordinis sui, quod edidit Renda: in illo enim Officio asseruntur omnia fere, quæ controversiis occasionem dederunt, eaque tantum prætermittuntur in Octavario Francisci de Ponte.* F

ex his male infertur, plura de Sancto cognita non fuisse, quam habentur in Octavario.

34 *Ratiocinium istud suum Noja concludit hunc in modum :* Tandem ex eo, quod liber ille tanto in pretio fuerit istis temporibus, intelligimus nihil tunc cognitum fuisse illorum, quæ de Sancto isto postea publicarunt scriptores recentiores. *Imprimis non video magno in pretio fuisse librum illum, qui contemptus potius videtur ab ipsis Nuscanis, cum imprimendum non curaverint, nisi demum post annos octoginta duos. Certe neglectus fuit ab aliis scriptoribus, cum illi Rendæ Opusculum sequi maluerint. Deinde, si revera fuisset in pretio, non perspicio quam justa sit collectio : multa enim quotannis legimus de Sanctis Officia, in quibus non referuntur omnia gesta, quæ aliunde de iisdem Sanctis habemus cognita probeque perspecta. Secundo si plura non noverant tunc Nuscani de Sancto suo, quia plura non inveneral Franciscus de Ponte ; cur diligens veterum monumentorum eruderator alia quædam*

AUCTORE J. S.

quædam invenire non potuisset, eaque fideliter scribere? Hinc nequaquam assentiri possum iis, quæ idem Noja habet pag. 14, *ubi, postquam dixerat paucissima facta particularia relata esse a Francisco de Ponte, sic infert :* Ita ut ex ipso potius colligere potuerim, quid Sanctus non fecerit, quam quid fecerit. *Etenim quanto pauciora retulit ille scriptor, tanto minorem vim habere potest ejus silentium ad reprobanda ea, quæ ab aliis sunt narrata.*

Quæ contra Opusculum Rendæ objicit Noja,

35 *Itaque ex hisce Nojæ rationibus non evincitur, Franciscum de Ponte majorem fidem mereri quam Felicem Rendam. Videamus, an id magis colligatur ex iis, quæ contra Rendam idem dissertator protulit pag.* 12 : Ex quo fonte, *inquit,* umquam hauserit illa, quæ ibidem refert, dicere non possim; nec ausim affirmare ipsum esse auctorem nugarum et fabularum, quas scribit, quia malim credere, aliqui quempiam impostorem eas ante ipsum composuisse. Nihilominus primus est ipse, qui eas typis vulgavit; antiquissimus enim scriptor, qui allegatur ab ipsius gregalibus, ille ipse est. Verum, quidquid sit hac de re, non solum noverat
B Opus Francisci de Ponte, sed illud etiam exscripsit, utens passim ipsis ejus verbis, ita ut, nisi immiscuisset fabulas suas, ejusque opiniones etiam multis in partibus adulterasset, de duabus istis Legendis dici posset, non nisi unam esse. Quin etiam idem Renda in libello suo impressit hymnos, responsoria, reliquaque ex Officio Sancti, quod olim usitatum erat... ab ecclesia Nuscana, et exscriptum ex Octavario Francisci de Ponte. *Sic ille, vel Rendam non lædens, vel Franciscum de Ponte eodem perstringens vulnere.*

contra Octavarium Francisci de Ponte etiam objici possunt :

36 *Quippe si Noja nescivit, unde sua hauserit Renda: idem nescivit de Francisco de Ponte. Si gesta quædam primo narrat Renda : idem fecit Franciscus de Ponte. Hæc ergo vel neutri obesse debent, vel utrique. Jam vero si tam fideliter in multis Franciscum de Ponte secutus est Renda, ut ipsis ejus verbis uti voluerit, probabile videtur, alia etiam, quæ refert, fideliter ex aliis monumentis desumpta. Si opinionem Francisci de Ponte in quibusdam capitibus deseruit, id verosimiliter fecit, quia illam cum aliis suis monumentis non*
C *poterat conciliare. Quod ait nugas et fabulas vulgasse, discutiemus ad singula, quæ impugnat. Porro dissimulare non licet, varia se mihi offerre, quæ aliquid dubitationis ingerunt, utrum Opusculum Francisci de Ponte purum ad nostra tempora pervenerit, et sine interpolatione aut resectione. Possem ea de re rectius et securius ferre judicium, si ipsum videre licuisset Opusculum ; sed, etiamsi nec laboribus nec sumptibus pepercerim, ut illud impetrarem, meque revera impetraturum speraverim opera amici Neapolitani, hactenus ad manus meas non pervenit. Quapropter rationes dubitandi de fidelitate editionis, anno* 1543 *factæ, breviter accipe.*

de hoc etiam nescimus an fideliter sit editum ob rationes

37 *Primo in fine hujus Vitæ, teste Noja in præfatione pag.* 10, *leguntur sequentia:* Dominus Jancola de Janvilla, comes S. Angeli ac dominus civitatis Nusci, ad laudem, gloriam et devotionem beati Amati confessoris, scribi fecit hoc Opus a me domino Francisco de Ponte, sub anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, octavæ Indictionis. Impressum Neapoli anno Domini MDXLIII. *At hæc verba non videntur scripta a Francisco de Ponte. Nam Sandullus, ad quem brevitatis gratia lectorem remitto, cap.* 12 *contendit stirpem de Janvilla* D
comitatu S. Angeli et Nusci dominio privatam fuisse ab anno 1413; *eaque dominia anno* 1461 *fuisse in familia Caracciolorum. Prælerea anno* 1461 *non currebat octava Indictio, sed nona. Non satis etiam intelligo, cur Franciscus de Ponte se dominum potius vocaret quam presbyterum ; et cur verba illa* impressum anno... MDXLIII *sic citentur, acsi ipsius etiam essent de Ponte. Quo igitur modo præcedentia anno* 1461 *scribere poterat Franciscus de Ponte?*

38 *Secundo Noja pag.* 13 *præfationis hæc scribit Italice :* Legenda, quæ hodie magis cognita est, est illa, quam scripsit Renda, abolita quasi memoria libri Francisci de Ponte, qui tam rarus est, ut in tota diœcesi Nuscana ne vel unus quidem inveniri potuerit : hujus defectus solam causam non credo, quod denuo non fuerit impressus; sed existimo intervenisse diligentiam alicujus, qui illius exemplaria colligere studuit, ut illum aboleret, ut non raro contigit, ubi comparuerat liber, qui non placebat. *Hæc quidem in Monachos Montis Virginis oblique intorquet Noja; at vel sic librum sibi charum suspectum facit. Etenim si liber ille fideliter erat editus anno* 1543, *si magno in pretio habitus, et in divinis Officiis usitatus, quo modo tam negligentes fuere episcopi omnesque ca-* E
nonici Nuscani, ut librum de Vita Patroni sui penitus fere aboleri sinerent, præsertim cum eodem seculo Renda scripserit, cujus Opusculum omnes certatim secuti sunt? Itaque magis verisimile est Nuscanos ipsos librum abolevisse, vel alienis oculis subduxisse, aut quia non probabatur, prout erat editus ; aut quia nolebant arma adversariis subministrare, sicut contigit in scripto illo, quod testamentum vocant.

varias, quæ recensentur.

39 *Tertio Sandullus in Apologia cap.* 15 *observat, in toto Opusculo Francisci de Ponte nihil narrari de* S. Amato *ab anno circiter trigesimo usque ad septuagesimum primum, quo creatus dicitur episcopus a Noja. Tantum Vitæ spatium, vacuum relictum non caret suspicione resectionis, maxime quia illud ipsum est tempus, in quod secundum alios incidit vita ejus monastica. Suspicionem hanc non omnino tollet, si quis dicat, scriptorem præ inopia monumentorum id fecisse. Nam Franciscus de Ponte varia narrat de Sancti adolescentia, de qua non videtur plura scire potuisse quam de ætate ejus virili. Quarto jam* F
num. 4 *adduximus partem hymni ex secundis Vesperis, sicut legitur in Opusculo Francisci de Ponte, et sicut idem legitur in Officio Montis Virginis. Idem et hymnus, sed mutatione unius vocis alterutro loco corruptus : nec dubitandum videtur, quin corruptus sit in Officio, quod exhibet Opusculum Francisci de Ponte Verum dubitari potest, an ipse Franciscus de Ponte hymnum mutaverit, an ejus editor. Nata ex hisce corruptionis suspicio augetur, quia infra videbimus diploma aliquod ecclesiæ Nuscanæ revera corruptum fuisse. Opusculum igitur Francisci de Ponte auctoritatem idoneam non habet ad improbanda ex eo gesta relata per Rendam, licet alioquin fateamur, non omnia illa pro indubitatis haberi posse propter ætatem scriptoris nimis a Sancto amotam. Hinc aliqua in annotatis ad istud Opusculum assignabimus, quæ magis videntur dubia.*

quæque suspicionem ingerunt corruptionis.

§ V.

A

§ V. Utrum Sanctus floruerit seculo XI, an. XII.

Renda vult Sanctum vixisse seculo XII. et episcopum factum sub Adriano IV:

Renda omnesque scriptores ipsum secuti totam S. Amati vitam includunt seculo XII, mortem affigunt anno 1193. Noja vero cum Ughello (cui nuper adhæsit Franciscus Orlendius in Orbe sacro et profano part. 2, lib. 4, cap. XI) contendit Sanctum floruisse seculo XI, et obiisse anno 1093. Controversiam hanc magno conatu tractavit Noja discursu I, quod ex illa dependeant reliquæ. Si enim probare poterat Sanctum vixisse seculo XI, necesse erat collabi omnia, quæ de vita ejus monastica apud Rendam leguntur, cum Ordo Montis Virginis institutus non sit ante seculum XII. Præcipua ejus argumenta sunt Octavarium Francisci de Ponte et testamentum, ut vocat, S. Amati; in utroque enim mortuus dicitur anno 1093. Verum ista monumenta jam excussa sunt, et B rejecta tamquam fidei suspectæ, ita ut opus non sit ad ea amplius respondere. Addit tamen et alia argumenta, quæ excutienda sunt hoc loco. At notandum, episcopatus S. Amati initium collocari a Renda sub Adriano Papa IV, qui sedit ab anno 1154 fere finito usque ad Kalenda Septembris anni 1159. Ostendere enim conatur Noja alios episcopos sedisse Nusci inter Pontificatum Adriani IV et annum 1193.

Noja contra hæc disputans primo ratione inanis,

41 Argumenta Nojæ deprompta sunt ex catalogo Nuscanorum episcoporum, quem texuit Ughellus tom. 7 a col. 533. Objicit primo Rogerium II, de quo Ughellus hæc tantum col. 536: Rogerius II vixisse narratur sub Cælestino III. Aiunt præterea (Renda et de Ponte) hunc in nova ab eo exornata cathedrali ecclesia S. Amati corpus nobiliori in loculo extulisse, in ejusque honorem consecrasse. Cœlestinus autem pontificatum adeptus est anno 1191, eumdemque cum vita deposuit anno 1198. An sub Cœlestino revera sederit Rogerius II, incertum est. Verum fingamus ita esse, quid hinc contra assignatum S. Amati annum emortualem sibi C vindicare possit Noja, sane non video. Etenim si anno 1193 mortuus est S. Amatus, ut ait Renda, mortuus est Sanctus sub Cœlestino, et sub Cœlestino succedere ei poterat, vel statim, vel post alium intermedium, Rogerius II. Inania igitur jactat Noja pag. 3, et nihil dicit ad propositum, dum contendit episcopatum Rogerii esse contrarium tempori episcopatus S. Amati.

altera falsa,

42 Nihilo melius est, quod observat ibidem Noja de ecclesia a Rogerio dedicata S. Amato, quod perperam asserit fieri debuisse intra sextum aut septimum annum a morte Sancti. Ecclesiam hanc Sancto revera consecratam a Rogerio scribit Renda, sed anno Domini MCCXXIII, Honorio III sanctæ Sedis Pontifice maximo, id est, annis triginta post Sancti obitum. Contra hanc epocham objicit Noja sequentem episcopum Lucam, quem fidenter asserit episcopum fuisse anno 1200, ut probaturum se ait in Catalogo episcoporum Nuscanorum. Verum ibi nihil probationis adducit, nisi verba Ughelli. Audiamus igitur, quid habeat Ughellus loco citato: Lucas, inquit, qui S. Amati lipsana thecis argenteis conclusit. Quo autem anno vixerit, non habemus, neque Acta illius. Post annum tamen MCC a nostra salute episcopus Nuscanus fuit. Post hunc plures desiderantur episcopi. Nescit Ughellus annum, quo vixit Lucas, solumque novit episcopum fuisse post annum 1200. Interim Noja ex Ughello concludit episcopum fuisse anno 1200, quod Ughellus aperte negat. Quis patienter ferat hominem, qui aliorum errores corrigendos suscepit, hoc modo ratiocinantem? Renda num. 18 de Luca episcopo sic loquitur: Multis post annis elapsis, D. Lucas Nusciæ civitas successor episcopus prædicti Sancti corpus in vasis argenteis mirifice collocare volens, a loco, ubi erat, ad propriam ædem sive sacellum transmutari præcepit. Ex his verbis illa translatio statuenda videtur circa, aut post medium seculi XIII: nec ulla occurrit ratio, cur Lucas tunc non potuerit esse episcopus, qui forsan circa annum 1230 aut etiam 1240 Rogerio successerat. Imo non video, cur episcopus esse non potuisset usque ad annum 1285, quo Jacobus ex Ordine Minorum ad episcopatum Nuscanum elevatus est, ita ut incertum appareat, an plures post Lucam desiderentur episcopi, quos desiderari ait Ughellus.

tertia ratio duobus instrumentis, nixa,

43 Majorem difficultatem haberent ea, quæ objicit Noja pag. 5 de Guilielmo episcopo, si instrumenta satis viderentur authentica, quæ E afferuntur apud Ughellum, ad confirmandum tempus, quo volunt Guilielmum ecclesiæ Nuscanæ præfuisse. Accipe, quæ de Guilielmo habet Ughellus col. 534 et 535: Guilielmus florebat anno MCLXIV, quo abbas de Fontignano ad solvendum censum, Nuscanæ ecclesiæ ipsique Guilielmo episcopo debitum, juridice adstringitur, ex instrumento tabularii ecclesiæ Nuscanæ... Præsens fuit donationi Rogerii de Medonia, elargitæ monasterio S. Salvatoris de Giulito, cujus diploma notatur anno 1167. Si hæc satis essent firma, per necessariam consecutionem admitti deberet, Sanctum episcopum creatum non esse sub Adriano IV; at potuisset episcopus fieri post Guilielmum circa annum 1170, ita ut hac de causa necdum remittendus esset ad seculum XI. Verum discutiamus, quam solida sint fundamenta, quibus nititur assignatum tempus episcopatus Guilielmi.

sed instrumentum primum apertæ corruptionis.

44 Instrumentum primum, in quo sit mentio Guilielmi Nuscani episcopi, editum est in Opere Ughelli recuso tom. 7, col. 534, et insignitur hac epocha: Anno ab Incarnatione ejusdem Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, regni autem felicissimi Domini nostri Guilielmi Siciliæ, ducatus Apuleæ, et principatus Capuæ regis magnifici, mense Augusti, Indictione duodecima. F Sandullus in Apologia cap. 18 vehementer exclamat contra hoc diploma, quod se vidisse testatur, quodque corruptum contendit. Ait se legisse hoc modo: Anno ab Incarnatione millesimo centesimo.. agesimo quarto etc. Tum subdit: Non opus est hic magno studio, ut quis comprehendat, quod, deletis tribus litteris, olim conati sint intrudere SEXAGESIMO pro NONAGESIMO. Et clare percipitur, quod, erasa non nimium syllaba NON, deinde scripserint solum X, (quod forsan putabant sufficere) sed tam male formatum et tam inepte accommodatum, ut, dum formaretur, primus pes infortunatæ litteræ impletus sit diverso atramento, ita ut satius judicarint, illam relinquere sectam et truncatam, quam perficere fraude magis aperta et periculo majoris infortunii. Addit et ipsam mediæ litteræ formam, et suspicionem suam aperit his verbis: Cum hujusmodi corruptionibus adulteratum sit verum, quis non videat id fieri non alium in finem, quam ut alii episcopi introducantur illis præcise

AUCTORE J. S.

præcise annis, quibus a Sancto nostro fuit gubernata ecclesia ista? *Hæc ille contra prædictum instrumentum, nec plura. Veruntamen mirum etiam apparet, non dici, sub quo Pontifice res fuerit peracta, nec quoto anno regnantis Guilielmi, licet illius regni fiat mentio. Porro annus* 1194, *quem pro* 1164 *in diplomate fuisse asserit Sandullus, congruit etiam cum Indictione duodecima, et cum regno Guilielmi III Siciliæ regis, sicut* 1164 *convenit cum regno Guilielmi I. Itaque secundum dicta Sandulli debuit Guilielmus episcopus, cujus fit mentio in memorato instrumento,* S. Amato *succedere in cathedram Nuscanam, et successorem habere Rogerium II, de quo jam egimus.*

alterum suppositionis arguit Sandullus.

45 *Ex altero instrumento, quod æque impugnat Sandullus, hæc solum verba adduxit Ughellus:* In nomine Domini Dei æterni, et Salvatoris Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejus MCLXVII. Ego Rogerius de Medonia Dei et regia gratia Acerrarum comes et Nusci dominus, præsentibus D. Guilielmo Nuscano episcopo, comite Matthæo de Petro, et Berardo Beneventanis,
B
Lotardo de Apice, Joannes Friderico, Joanne judice Comp. etc. Et concedo terram unam etc. monasterio S. Salvatoris de Giulito, et potestatem incidenti ligna ad comburendum etc. *Non indicat Ughellus, unde id acceperit. Hinc Sandullus sic ratiocinatur pag.* 295: Dicat nobis humaniter Noja, sive Ughellus. Ubi unquam legerunt tale instrumentum? Ex quo tabulario illud acceperunt? Quas inter scripturas invenietur in commentarios forsan relatum? Ingens illius donationis infortunium, quod locum non habeat, quem assignent! Et vero ubi tandem illius memoria haberi poterat, nisi in ipso monasterio Guletensi, in cujus favorem dicitur facta? Verumtamen inter illius scripturas, quas omnes diligenter perlustravimus, ne minimum quidem reperitur. Deinde quis non perspiciat, quantum a recta regula deflecteret istud instrumentum? Nullum in eo verbum de rege, sub quo fit stipulatio: non assignatur terra, quæ conceditur, non est limitata quantitas, non describuntur confinia. Quæ igitur terra donatur? At præstat dicere, rem belle inventam ad substituendum ibi Guilielmum, ut S. Amatus ab istis
C
temporibus abstrahatur. *Hactenus Sandullus.*

ita ut ex his colligi nihil certi valeat; nedum inferri Sanctum vixisse seculo XI:

46 *Hæc igitur duo instrumenta non satis authentica videntur ad probandum ex illis solis, Guilielmum Nuscanæ ecclesiæ præfuisse anno* 1164 *aut* 1167. *Et, licet hoc verum esset, perperam hinc inferret Noja pag.* 6, *removendum a toto seculo* XII S. Amatum, *cum ipse contra Ughellum, qui initium episcopatus statuit circa annum* 1048, *ostendat pag.* 187 *initium episcopatus* S. Amati *scrius collocandum, et quidem post annum* 1071, *neque ideo tamen Sanctum amovere velit a seculo* XI. *Etenim si in opinione Nojæ tempus episcopatus ita contrahi potest, ut totum comprehendatur inter annum* 1071 *et* 1093, *cur in aliorum opinione totum non posset comprehendi inter annum* 1167 *et* 1193? *Hæc paucis observare volui, ut ostenderem Nojam ex allegatis instrumentis nihil evincere posse pro controversia præcipua, etiamsi fingeremus illa quammaxime esse authentica.*

quarta nihil probat.

47 *Aliud argumentum sumpsit Noja ex verbis Ughelli de Guidone Nuscano episcopo circa initium seculi* XII. Guido *(inquit Ughellus col.* 534) potuit successisse Amato. Hujus mentio extat anno MCIV, quo in abbatem sanctæ Mariæ de Fontignano benedixit Pesticum monachum ejusdem monasterii. Benedictionis documentum extat in episcopii tabulario ad rei memoriam. D
Hinc Noja pag. 8 *sic fere ratiocinatur: Fatentibus Renda et Verace,* S. Amatus *ecclesiam et monasterium Fontilianum S. Mariæ construxit monachisque implevit. Itaque* S. Amatus *episcopus fuit ante Guidonem, adeoque seculo* XI. *Hæc ibi pluribus verbis Noja. Verum homo nimia carpendi libidine sibi non constans, quod hic struxit, destruxit ipse pag.* 217 *et seqq., ubi docet monasterium Fontilianum diu exstitisse ante* S. Amatum, *ab eoque non primo constructum, sed instauratum, dilatum, auctumque monachorum numero, carpens Rendam, quod Sanctum vocet istius monasterii fundatorem. De monasterii hujus instauratione disputabimus infra; at hic solum observo, argumentum Nojæ nullius esse momenti, cum monasterium facile adhuc abbatem habere potuerit ineunte seculo* XI, *et circa medium ejusdem seculi desertum esse, instaurarique a* S. Amato.

§ VI. Utrum S. Amatus fuerit primus episcopus Nuscanus? E

Noja contendit S. Amatum fuisse primum episcopum Nuscanum.

Noja discursu 6 a pag. 176 *probare nititur* S. Amatum *primum fuisse episcopum ecclesiæ Nuscanæ. Negant id ejus adversarii, quia Renda clare dicit electum esse, dum defunctus erat Nuscanus episcopus. Argumenta, quæ adfert Noja, partim ex supposititio testamento, in quo vocatur* Episcopus primus, *deprompta sunt, partim ex suspecto Opusculo Francisci de Ponte, in quo idem videtur dici, licet Sandullus allatos textus id aliam significationem pertrahere conetur. Ad testamentum nihil amplius respondendum judico. Audiamus ergo, quid alleget ex Francisco de Ponte. Die* I *Octavarii lect.* 9 *hæc citat verba Nuscanorum, qui Sanctum hortabantur, ut acceptaret dignitatem episcopalem:* Eritque civitas hæc per te in posterum famosa et celebris, et pontificali prædita dignitate. *Sandullus pag.* F
305 *asserit se in Octavario legisse,* pontificali prædives dignitate: *idque ita exponit, acsi Nuscani dicere voluissent,* Erit civitas nostra famosa, celebris, et prædives dignitate episcopali Civis sui tam præclari. *Deinde alium Octavarii locum allegat Noja die* 3 *lect.* I, *ubi hæc testatur legi:* Populi petitionem sua auctoritate confirmantes in superna gratia venerabiles viri, *(dominus Nusci et archiepiscopus Salernitanus)* quam nusquam amplius habuerat, Nuscensi civitati cathedram pontificalem concesserunt. *Eodem modo hæc exponit Sandullus pag.* 307, *videlicet quod Civi Nuscensis civitatis concessa sit episcopatis dignitas, qua nullus eatenus illius civitatis ornatus fuerat.*

quod probabilius negant alii, ob rationes varias:

49 *Renda num.* 9 *affirmat* S. Amatum *episcopum factum* tempore, quo Nuscanus episcopus ab hac vita migravit, *idque contigisse, deprecantibus civibus apud Guilielmum Siciliæ regem, ut hic eum apud summum Pontificem commendaret. Ut existimem* S. Amatum *non fuisse primum Nuscanorum episcopum, aliquot rationes me movent. Primo quia certi sumus Rendæ Opusculum, quod editum est vivente auctore,*

A …re, *corruptum non esse; Opusculum vero Francisci de Ponte suspectum est de interpolatione. Secundo quia multa, quæ narrat Renda de* S. Amato, *consistere non possunt, si primus fuerit Nuscanus episcopus seculo* XI ; *at verisimile non est, virum probum et doctum, qualis fuit Renda, tam multa confinxisse de Sancto, cujus vitam breviter conscripsit. Tertio Renda nullo modo in alium sensum pertrahi potest; at Octavarium Francisci de Ponte exponitur alio sensu a Sandullo. Et sane, etiamsi explicatio illa primo intuitu videri possit impropria et contorta, non desunt rationes, quibus satis fit verisimilis, præsertim quia Franciscus de Ponte non raro improprie loquitur, et Sanctum nostrum nullibi primum Nuscanæ civitatis episcopum nominat, ac demum quia plane ridicula apparent, quæ narrat de electione Sancti, si intelligenda sint de erectione novi episcopatus.*

electio Sancti sic narratur ab ipso Noja. * *forte* numquam

50 *Audi itaque quomodo electionem ipse Noja exponat ex Francisco de Ponte. Pag.* 178 *refert, dignitatem episcopalem frequenter oblatam* S. Amato *a Nuscanis, adducitque hæc verba* B *ex Octavario, die* 1 *lect.* 8 *:* Quamvis umquam * in territorio Nuscensi tam dignus pontificali infula inventus est, attamen, quo alii cum magna aviditate abusive se intrudunt et ingerunt, iste multis annis exoratus recusavit introire. *Hinc quodam die (ut Noja habet pag.* 179 *ex lectione* 9*)* omnes voce consona et unanimi proclamant: Pater sancte, magnifica locum nativitatis et habitationis tuæ. Quousque Nuscum, urbem tuæ protectioni deputatam, et humilem et patieris ingloriam? Si tantummodo consensum voluntatemque adhibeas, archiepiscopi favor, et domini terræ assensus non deerit, eritque civitas hæc per te in posterum famosa et celebris, et pontificali prædita dignitate. *Hæc populus et clerus, si credimus Nojæ, in civitate, in qua nullus umquam fuerat episcopus.*

ut populus erexisset episcopatum, si primus fuisset episcopus:

51 *Hisce quoque permotus* S. Amatus, *ut vult idem Noja pag.* 180, *sic respondit apud de Ponte:* Si voluntas Dei est, non recuso laborem, fiat voluntas Dei et vestra. *Audita hac responsione, Nuscanus populus manus vocemque levat ad sidera, atque exclamat:* Benedictus Creator et gubernator omnium, qui non derelinquit sperantes in se. *Subdit Noja, aliquot ex* C *præcipuis missos fuisse ad dominum terræ, ut ab eo obtinerent consensum; alios vero ad archiepiscopum Salernitanum, ut confirmationem electionis peterent. Utroque autem impetrato, Sanctum miserunt Salernum, ut ab archiepiscopo consecraretur; indeque cum gaudio Nuscum reduxerunt ordinatum. Hæc ubi narraverat, subjungit rursum Noja:* Ecce quomodo fuerit electus Sanctus noster ad episcopatum. Elegit eum populus, consensit princeps, confirmavit eumdem archiepiscopus Salernitanus. *Ex ejus igitur sententia populus erexit episcopatum, consentiente deinde principe, ac confirmante archiepiscopo. Quin et affirmat se tuto credere rem ita peractam, non modo quia eam sic narravit Franciscus de Ponte, sed etiam,* quia eo modo, et non alio, fieri debebat, ex usu et disciplina istius temporis, et privilegiis ecclesiæ Salernitanæ. *Audiamus igitur, quomodo hunc usum, hanc disciplinam, hæc privilegia Salernitanæ ecclesiæ in erigendis novis episcopatibus probet Noja.*

52 *Ostendit primo pag.* 181 *et seqq., electiones episcoporum olim factas a clero et populo, de quo non dubitamus. At probare debuerat, erectiones episcopatuum factas seculo* XI *per clerum et populum, accedente solum consensu principis et confirmatione archiepiscopi: nam sic episcopatum Nuscanum non modo esse erectum, sed erigi etiam debuisse, et non aliter, satis aperte insinuat, dum electionem* S. Amati *describit. Privilegia ecclesiæ Salernitanæ, quæ affert, tantum evincunt, Salernitanis archiepiscopis concessum fuisse episcopos ordinare ad omnes episcopatus suæ provinciæ; non æque probant, iisdem permissum fuisse novos episcopatus sua auctoritate erigere. Erexit quidem S. Alphanus episcopatum Sarnanum, sed auctoritate Apostolica summi Pontificis, non sua. Audi Ughellum tom.*7 *col.* 571 *:* Risus primus Sarnensis episcopus constitutus est ex auctoritate Alexandri II Papæ, anno MLXVI ab Alphano primo Salernitano archiepiscopo, cujus institutionis monumentum autographum, litteris Longobardicis conscriptum in pergameno, extat in tabulario ejusdem ecclesiæ. *Sic Ughellus, cujus judicium maximi facere solet Noja, intellexit S. Alphani litteras, quas recitat. Innuunt id verba ipsius Alphani sub finem litterarum, ubi dicit:* Unde auctoritate Apostolica vobis præcipiendo mandamus *etc. Qua, obsecro, auctoritate Apostolica, nisi Romani Pontificis?* E

auctore J. S. electiones episcoporum olim factæ a clero et populo, non erectiones episcopatuum:

concessum archiepiscopis Salernitanis ordinare episcopos sibi suffraganeos.

53 *Verum audiamus privilegia archiepiscoporum Salernitanorum, vi quorum episcopatus novos ab iis erectos contendit Noja. Plerasque litteras Pontificum, quibus illa continentur, edit Ughellus tom.* 7 *in Catalogo archiepiscoporum dictorum, videlicet Joannis XV, Sergii IV, Clementis II, Leonis IX et Alexandri II. In tribus prioribus nihil habetur, quod ad rem nostram attinet, nisi quod Salernitanus episcopus consecrare debeat episcopos sibi suffraganeos, qui enumerantur. Accipe verba Clementis II huc spectantia:* Et insuper licentiam damus et potestatem ordinandi et consecrandi episcopos in his subjectis vobis locis, hoc est, Pestanensem episcopatum cum parochiis et adjacentiis suis *etc*... Et non habeant potestatem successores nostri, in cunctis prædictis episcopatibus, quos vobis Apostolica auctoritate concessimus, deinceps episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. *Ex his certe extundere non possum facultatem erigendi novos episcopatus.* F

atque ordinare episcopos in locis congruis provinciæ suæ:

54 *Obscura magis sunt verba Leonis IX in litteris anni* 1051 *ad Joannem archiepiscopum apud Ughellum col.* 380 *:* Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum cum sibi adjacentibus parochiis suis. Et insuper licentiam et potestatem damus ordinandi et consecrandi in his subjectis vobis locis, hoc est, Pestanensem episcopatum cum parochiis et adjacentiis suis, et Nolanum, et Consanum cum parochiis et adjacentiis suis, nec non Malvitanum, et Cusentinum, simulque episcopatum Bisinianensem, atque episcopatum Aceruntinum cum omnibus parochiis et adjacentiis eorum. Nec non liceat tibi ordinare episcopos super congruentia loca secundum regulam SS. Patrum, in ipsa integritate Salernitani archiepiscopatus, et non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis episcopatibus, quos vobis Apostolica auctoritate concessimus, deinceps in perpetuum episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. *Hæc verba,* Nec non liceat tibi ordinare episcopos super congruentia loca, *de erigendis novis episcopatibus intelligit Noja pag.* 185 *; uti et verba Alexandri II in litteris anni*

AUCTORE J. S.

ni 1067 *ad Alphanum, quæ hujusmodi sunt apud Ughellum col.* 382 : Fraternitati tuæ confirmamus, ut liceat te intra scriptam provinciam episcopos juxta sacrorum canonum statuta congruis in locis ordinare. *Assentitur quoque huic opinioni Sandullus pag.* 309, *additque facultatem illam ordinariam fuisse, et perseverasse usque ad seculum* XII ; *nititurque probare eam nihil prodesse in rem Nojæ.*

at id non videtur intelligendum de novis episcopatibus propria auctoritate erigendis,

55 *Verumtamen vehementer dubito, an facultas erigendi novas cathedras sic concessa sit archiepiscopis Salernitanis, ut illi eas possent erigere sine ulteriori approbatione et consensu summi Pontificis. Audi rationes dubitationis meæ. Thomassinus in Opere de veteri et nova Ecclesiæ Disciplina part.* 1, *lib.* 1, *cap.* 54, 55, 56, 57 *et* 58 *fuse agit de erectione novorum episcopatuum, ostenditque auctoritatem summi Pontificis passim requisitam fuisse, præsertim post annum millesimum, ita ut verisimile non sit Pontifices seculo* XI *eam sibi auctoritatem abstulisse per totam provinciam Salernitanam. At, si allata Pontificum verba intelligenda sint de novis episcopatibus, si archiepiscopis Salernitanis* B *æque licebat novos erigere episcopatus, sicut licebat episcopos consecrare ad cathedras sibi suffraganeas, uti contendit Noja ; Leo IX sibi suisque successoribus auferebat potestatem erigendi episcopatus in provincia Salernitana, quemadmodum sibi licentiam eripiebat suffraganeos Salernitanæ ecclesiæ consecrandi : Pontifex enim clare suis successoribus adimit, quod concedit archiepiscopo Salernitano. Itaque si æqualem concessit consecrandi et erigendi potestatem, utramque sibi æqualiter ademit, quod nec verisimile est, nec cohæret cum gestis istius temporis, ut ostendam.*

tuti et ostenditur ex erectis tribus cathedris ad dignitatem metropoliticam,

56 *Inter suffraganeas sedes metropolis Salernitanæ erant* Consana *seu Compsana,* Acheruntina *et* Cusentina, *supra a Leone IX enumeratæ. Atqui tres illæ cathedræ ad metropolitanam dignitatem erectæ sunt circa Pontificatum Leonis IX, suasque singulæ acceperunt suffraganeas. De Compsana Ughellus tom.* 6 *col.* 798 *sic loquitur :* A quo vero ex Romanis Pontificibus Compsa dignitatem receperit metropoliticam, incompertum mihi est. Crediderim tamen eam accepisse vel ab Alexandro C II, vel a successore Gregorio VII ; namque anno MLI sub Leone IX episcopus Compsanus suffraganeus erat Salernitani archiepiscopi, ut ex privilegio Leonis (*quod supra dedimus*) liquet ; sub Gregorio VII Leo archiepiscopus Compsanus vixit ; *ita ut archiepiscopus factus sit intra Leonem IX et Gregorium VII. Idem tom.* 7 *col.* 6 *et* 7 *late descripsit promotionem Acheruntini , eumque archiepiscopum creatum putat , vel ab ipso Leone IX. vel ab uno ex ejus successoribus : et col.* 25 *ostendit de Geraldo primo archiepiscopo Acheruntino mentionem haberi anno* 1063. *Idem rursum tom.* 9 *col.* 184 *de Cusentino hæc memorat :* Fuisse aliquando episcopum Cusentinum archiepiscopo Salernitano obnoxium scribit Gaspar Musca in lib. de Episcopis Salernitanis in Alfano primo, quod habemus etiam ex bullis Joannis XV anno CMXLIV*, et Sergii IV anno MXII, *imo et Leonis IX*) quas in archiepiscopis Salernitanis dedimus. Archiepiscopalis vero sedes quo anno, et a quo Romano Pontifice Cusentina constituta sit, non constat; habemus tamen ante annum MLVI illam hujusmodi dignitate exornatam fuisse, cum eo anno Petrus Cusentinus archiepiscopus discesserit. *Hæc ibi. At col.* 191 *dicit, Petrum primum archiepiscopum creatum a Leone IX. Quod* D *vix dubium videtur, cum creari debuerit archiepiscopus post annum* 1051, *quo recensetur inter suffraganeos Salernitani, et anno* 1056 *defunctus dicatur.*

* imo 995

erectisque intra eas multis episcopatibus circa idem tempus

57 *Porro, dum hæ metropoles erectæ sunt, aliquot haud dubie instituti sunt episcopatus novi, ut satis colligi potest ex cathedris, quæ archiepiscopo Compsano fuere subjectæ. Recenset eas Ughellus tom.* 7 *a col.* 829, *et nullam ostendit antiquiorem, quam sit dignitas metropolitica Compsani. Ex quinque suffraganeis archiepiscopi Acheruntini, Anglonensis et Tricaricensis tunc instituti primum videntur, tres vero alii nullum ducentis et amplius annis leguntur habuisse episcopum, ita ut videantur tunc e cineribus resuscitati, sicut videri potest apud laudatum Ughelllum tom.* 7. *Hæc cum circa Leonis IX et Alexandri II tempora contigerint, nequeo eorum privilegia sic intelligere, ut existimem eos archiepiscopo Salernitano permisisse omnem potestatem erigendi novos episcopatus in sua provincia. Quin suspicor per facultatem ordinandi* episcopos super congruentia loca *tantum designari facultatem illos etiam ordinandi episcopos,* E *qui cum approbatione summi Pontificis intra Salernitanam provinciam congruis in locis instituerentur.*

in provincia Salernitana per summos Pontifices.

58 *Quo minus id aliter intelligam, faciunt tres metropoles, pluresque cathedræ in provincia Salernitana erectæ, non ab alio utique, quam a Romano Pontifice, qui metropolitanis suos assignavit suffraganeos. Diminutionem illam provinciæ Salernitanæ utcumque reparavit Urbanus II in litteris anni* 1099 *ad Alphanum II, quibus hæc inserta sunt col.* 394 : Veterum etiam ecclesiæ vestræ privilegiorum rationibus informati, tibi deinceps tuisque successoribus, super Consanam et Acheruntinam ecclesias, et earum suffraganeos primatum gerere ex apostolicæ Sedis liberalitate concedimus. *Manebant tamen illæ metropolitanæ, sed agnoscere debebant primatum Salernitani, ut pluribus ibi exponitur. Hæc omnia persuadent, non tam absolutam potestatem ad erigendos episcopatus concessam fuisse* F *præsulibus Salernitanis, ut omnia illi ordinarent auctoritate propria.*

Admisso etiam privilegio Salernitani, incredibilis est Nojæ relatio.

59 *Verum, etiamsi ea de re nullum esset dubium, ne sic quidem verisimile foret, omnia peracta esse, sicut referuntur a Noja ex Francisco de Ponte, cum omnia fieri deberent* secundum regulam SS. Patrum, *seu* juxta sacrorum canonum statuta. *At vero canonibus consentaneum non est, ut clerus et populus, qui numquam habuit episcopum, aliquem ad episcopatum eligat, pro eoque solum exquirat consensum principis, et confirmationem archiepiscopi, sicuti hic factum narrat Noja, et fieri debuisse contendit. Unde auctoritatem eligendi episcopum, priusquam erectus erat episcopatus, acceperat populus Nuscanus? Quomodo electioni tam inordinatæ consensum præbere poterat Sanctus ipse, et dicere,* Fiat voluntas Dei et vestra, *si ante erectus non erat episcopatus, cujus institutio a voluntate populi non dependebat? Quomodo populus spem habere poterat tam certam de consensu archiepiscopi, si limites futuræ diœcesis non erant descripti, reditus antistiti non assignati, aliaque non ordinata, quæ episcopatus novi institutionem debent præcedere? Enimvero, si omnia facta credimus, prout narrantur a Noja, populus ipse Nuscanus erexit episcopatum, consentiente deinde principe et confirmante archiepiscopo, quod certo est ridiculum.*

AUCTORE J. S.

A *tum. Possem quidem existimare, omnia legitime ordinata fuisse ab archiepiscopo Salernitano, priusquam eligerent Nuscani, illaque omissa a Francisco de Ponte: sed obstat rursum, quod dicat Sanctum multis annis frustra rogatum a populo Nuscano, ut episcopatum acceptaret. Quippe sic multis annis ante electionem hanc debuerat omnia ordinare archiepiscopus, nec verisimile est Nuscanos, qui haud dubie desiderabant episcopum, multis annis episcopo carere voluisse, ut exspectarent consensum* S. Amati. *Nec archiepiscopus ipse, si episcopatum erigere statuerat, multis annis exspectasset unius hominis consensum. Quocumque igitur modo rem considero, relatio Francisci de Ponte non apparet verisimilis, si dicere voluerit Sanctum fuisse primum Nusci episcopum: adeoque magis assentior Rendæ, qui affirmat electum fuisse in locum alterius defuncti.*

§ VII. Natales Sancti et Vita usque ad assertum ingressum in monasterium discutiuntur: vita monastica in dubio relinquitur.

B

Sancti patria Nuscum, quod describitur,

Cum præcipuas de vita Sancti controversias modo tractaverimus, reliquas prosequemur ordine chronologico, et brevius expediemus. Renda Vitam S. Amati *sic exorditur:* Amatus nobili Nusciæ civitatis prosapia ortus. *Consentiunt omnes de patria Sancti, quam sic describit Ortendius part. 2 Orbis sacri et profani lib. 4, cap.* XI, *num.* 15: Nuscum parva civitas est provinciæ Principatus ulterioris *(in regno Neapolitano)* ad radices Apennini montis sita, inter Calorem et Sabatum amnes, infra apud Taburnum pagum confluentes. A Benevento 17 * mill. pass. distat in Eurum, Compsam versus, Fano sancti Angeli Longobardorum et Vico finitima. Nulla ejus apud veteres occurrit mentio, ac proinde ejus originem, etsi ea lateat, non admodum antiquam esse C oportet.... Episcopatus titulo insignita fuit hæc civitas anno MXLVIII. *Hæc ex Ughello desumpta sunt. At errore non caret, quod dicitur de erecto ibidem episcopatu anno* 1048; *cum Leo IX in bulla sæpius memorata anni* 1051 *enumeret episcopatus tunc subjectos archiepiscopo Salernitano, et nullam Nusci faciat mentionem. Crediderim tamen ejus cathedram erectam esse ante finem seculi* XI, *tum quia multi alii eo tempore erecti sunt episcopatus in provincia Salernitana, tum quia Guidonis episcopi Nuscani mentio exstat ab anno* 1104, *uti testatur Ughellus tom.* 7, *col.* 534.

* *Ughellus viginti*

ubi nobili dicitur natus stirpe: nobilitatem illam impugnat Noja,

61 *Nobilem Sancti stirpem sine scrupulo admisit Ughellus. Verum nobilitatem illam impugnat Franciscus Noja disc.* 2, *et pro stirpis nobilitate amplas Sancto attribuit divitias. Duas affert rationes non magni momenti, videlicet silentium Francisci de Ponte, et obscuritatem oppidi Nuscani, in quo habitasse viros nobiles credi non vult Noja. Primo non urget vehementer silentium Francisci de Ponte, cum tanto tempore post Sanctum vixerit, ut facile ignorare potuerit, nobiline natus sit stirpe an ignobili. Altera ratio, quam late deducit Noja, plane frivola est, cum experientia quotidiana doceat, aliquando contingere, ut viri nobiles degant in oppidis obscurioribus; vel quia malunt esse inter primos in loco obscuriori quam multis cedere in claris urbibus, vel quia facilius ibi alere possunt familiam suam, vel ob causas alias sexcentas. Deinde Noja ipse in præfatione pag.* 48, *ubi Nuscum describit, affirmat ex ruderibus apparere, civitatem illam meliorem olim fuisse quam sit hoc tempore. Certe non adeo fuisse videtur ignobilis, dum episcopali dignitate primum fuit insignita, ut nullum in civibus suis numerare posset nobilem.*

quæ revera parum certa videtur:

62 *Verumtamen neque auctoritas Rendæ tanta hic est, ut nobilitatem* S. Amati *indubitatam credamus, cum sciamus natales nobiles Sanctis subinde attribui ex levi conjectura, et nullo fere fundamento. Thomas Costus, qui Vitam Sancti Italice edidit ex monumentis collectis a Vincentio Verace, non modo stirpem nobilem* S. Amato *adscribit, sed eam quoque designat, asserens natum ex stirpe* Forma, *quæ corrupto vocabulo* Formari *illo dicitur. Fuse hanc assertionem impugnat Noja, neque pro ea vehementer pugnat Sandullus, qui nobilitatem* S. Amati *defendit cap.* 23, *magis rejiciendo argumenta adversarii sui, quam adducendo argumenta, quibus Sancti nobilitas stabiliatur. Tædet me diutius hærere in re, quæ plane incerta est, quamque, quod spectat ad assignatam stirpem, parum judico verisimilem.* E

tempus natale: revelatio gravidæ matris incerta: pia pueritia et adolescentia:

63 *Si chronologia Rendæ non aberrat, natus fuerit Sanctus anno* 1104 *aut* 1105: *nam eum obiisse dicit anno* 1193, *ætatis* 89. *Ughellus ætatem Sancti producit usque ad annum nonagesimum sextum, sed nullas affert rationes, ita ut satius sit Rendæ acquiescere. Asserit hic num.* I *nomen* Amati *gravidæ matri revelatum. Eam revelationem multis impugnat Noja disc.* 3, *et nos requirimus majorem auctoritatem, quam sit Rendæ, ut hujusmodi revelationes pro certis habeamus. De pueritia et adolescentia Sancti varia memorat Franciscus de Ponte apud Nojam disc.* 3, *quæ ex eo subjungam, cum ipsum auctoris Opusculum ad manus non sit:* Ab ipsis, *inquit,* primæ diebus ætatis simplicitatis et sanctimoniæ, castitatis iter ingressus est.... In lectione et oratione crebrescendo, diatim Deo et hominibus F magis acceptus magisque fiebat amabilis.... Sicque Deo annuente contingebat, ut secundum corporis incrementum, incremento prudentiæ virtutumque omnium de die in diem proficeret. *Studia quoque ejus celebrat Noja, sed nihil adducit ex Francisco de Ponte, qui de fama ejus sanctitatis hæc profert:* Collimitaneas quoque civitates et oppida tantæ sanctitatis odor ascendit; nimirum in conspectu principum mirificavit Dominus Sanctum suum, adeo ut in magna veneratione nomen ejus ubicumque auditur fuisse omnibus.

verisimile non est Sanctum annos natum quatuordecim omnia abdidisse:

64 *Renda num.* 2 *affirmat Sanctum, cum quatuordecim esse annorum, parentibus orbatum esse, ac totum patrimonium suum distribuisse pauperibus, ut clero adscriptus ex bonis ecclesiæ viveret. Suspectum id merito habet Noja citatus, condenditque et tempus obitus parentum incertum, et plane fictitium esse, quod dicitur de patrimonio in pauperes distributo. Sane, quæ ille adducit ex Francisco de Ponte de liberalitate Sancti erga pauperes, magis innuunt eum bona temporalia adhuc retinuisse, dum sacerdos erat et archipresbyter. Verba accipe:* Factumque est, dum in Lege Dei die ac nocte meditaretur, inter cætera Scripturæ divinæ mandata, menti ipsius illud

AUCTORE J. S.

illud Davidicum stylo divino inscriptum esse revolvebat: DISPERSIT, DEDIT PAUPERIBUS, illud attendens præcipue, illud assiduo interni luminis contemplans intuitu. *Ex hoc loco in eam opinionem adductum Rendam, existimat Noja, idque admodum mihi apparet verisimile. At, si id inde collegit, male collegit Renda. Abdicationem enim bonorum verba non innuunt et solum intelligenda sunt de liberalitate in pauperes, de qua rursum Franciscus de Ponte post relatum Sancti sacerdotium sic habet, teste Noja:* Et de suis facultatibus eorum sublevabat inopiam;... et ut multa concludam, brevibus omnem possessionem suam quamdam pauperum effecerat rempublicam. *Habebat igitur adhuc facultates et possessiones suas, dum jam erat sacerdos, neque iis se exuerat annos natus quatuordecim.*

Noja contendit Sanctum non esse ordinatum presbyterum ante ætatem triginta annorum,

65 *Quo ætatis suæ anno presbyter ordinatus sit Sanctus, non exprimunt Vitæ scriptores. Noja disc.* 3 *ex sacris canonibus et consuetudine seculi* XI *ostendere conatur, ordinatum non esse ante annum trigesimum ætatis, ut sic refutet Rendam, qui num.* 4 *asserit, Sanctum anno ætatis vigesimo septimo deposuisse archipresbyteratum, et monasticam vitam amplexum: si enim id factum ea ætate, presbyter consecrari debuit annos circiter natus* 25 *aut* 26. *Adducit ad propositum suum ex concilio Tolosano anni* 1056 *canonem secundum, sed mutilum, forsan quia posteriora verba non favebant. Canon apud Labbeum tom.* 9 *Conciliorum col.* 1084 *sic habet:* Item placuit confirmare, sicut scriptum est, ut episcopus, vel abbas presbyter ante triginta annos, diaconus vero ante viginti quinque non ordinetur: nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati, providentia episcopi simul et cleri promoveantur. Et eadem ordinatio non fiat, nisi temporibus secundum canones statutis: aliter quidem irrita fiat ordinatio. *Adduxit priora verba dissertator, sed ea,* Nisi aut studio sanctitatis *etc. caute prætermisit.*

sed illud ex canonibus nequit evincere:

66 *Lubet nunc rogare an* studio sanctitatis *ornatus non esset* S. Amatus, *ideoque episcopus eum promovere non posset sine scrupulo peccandi in canones? Sic S. Malachias, teste S. Bernardo in Vita cap.* 3, *presbyter ordinatus est seculo eodem* annos natus quasi viginti quinque. *Sic et alii ante præscriptum tempus ordinati sunt Sancti, ut videre est apud Thomassinum part.* I, *lib.* 2, *cap.* 68 *et* 70 *de S. Remigio et S. Hugone Lincolniensi episcopo. Addi potest, usum illum ordinandi presbyteros ante annum ætatis trigesimum adeo invaluisse seculo* XII, *ut in legem abierit, et Alexander III in concilio Lateranensi* III *anni* 1179 *non requisiverit ad presbyteratum nisi annos ætatis viginti quinque, uti videre est apud laudatum Thomassinum cap.* 70, *num.* 3. *Itaque omnia, quæ adduxit Noja, non probant,* S. Amatum *consecratum non fuisse circa annum ætatis* 25 *aut* 26, *neque Rendæ assertionem erroris convincunt. Nolim tamen pro re indubitata amplecti totam Rendæ chronotaxim, sed illam sequendam putem, donec documenta certiora proferantur.*

sacerdos et archipresbyter factus, curam animarum suscipit.

67 *Eodem forsan tempore, aut certe non diu postquam sacerdos ordinatus est, archipresbyter quoque factus est Sanctus, et curam animarum suscepit. Virtutes tunc exercitas celebrat Franciscus de Ponte apud Nojam disc.* 3 *his verbis:* Postquam autem ad sacerdotis gradum promotus est, in immensum ejus excrevit religio, et ipse tamquam lignum, quod secus decursus aquarum plantatum est, florem innocentiæ, quem in tenera ætate protulerat, in fructum bonæ operationis sub temporis maturitate produxit... Populi enim immenso desiderio archipresbyter effectus, artem artium suscepit, id est, curam et regimen animarum. *Deinde de cura animarum quædam suis verbis subjicit Noja, hæc vero ex de Ponte:* Siquis diabolica suggestione abiisse in invium, ipsum benignus Dei Famulus dulci et veluti angelico mulcebat eloquio... sicque ovem, quæ perierat, extraticam * ad gregis Dominici pius Pastor reducebat collegium; et cum ad bona singula tota mentis intentione anhelaret, ad hoc nitebat præcipue, quomodo animas Deo lucrifaceret, quomodo oves commissas Pastori æterno reddere posset ad numerum. *Addit Noja curam pacificandi discordes, sublevandi oppressos, juvandi viduas et orphanos, ac demum immensam in egenos ac miseros quoslibet misericordiam. Hæc porro usque ad episcopatum continuavit, si credimus Nojæ, at si Rendæ ejusque sequacibus malumus fidem adhibere, curam animarum deposuit, ut securius lateret in vita monastica. De hac controversia nunc agendum breviter, cum præcipua Nojæ argumenta jam discussa sint et improbata, et pauca restent examinanda.*

* *forte erraticam*

Noja disputans contra monachatum S. Amati, nihil solidi offert,

68 *Noja discursum suum* 4, *in cujus initio vitam monasticam* S. Amati *se refutaturum dicit, deinde in tres partes dividit, nihilque fere conatur ostendere, nisi duos Sanctos, ambos nomine Joannes, Nuscanos ambos, quos monachi Montis Virginis Ordini suo attribuunt, istius Ordinis non fuisse, et monasteria aliqua, laudato Ordini similiter adscripta, alterius semper fuisse instituti. Vitam quoque antiquam S. Guilielmi fundatoris Ordinis Montis Virginis, quam dedit Papebrochius tom.* V *Junii a pag.* 114, *fœtum esse supposititium et nullius fidei contendit. Respondit ad omnia Sandullus in Apologia totis decem capitulis primis, et ita respondit, ut saltem ex tota Nojæ disputatione nihil concludi possit contra vitam monasticam* S. Amati. *Quapropter verbosas illas temerariasque magis quam solidas Nojæ digressiones sequi non lubet, tum quod spectent ad alios Sanctos, tum quod abunde in rem nostram refutatæ sint. Hinc prætermissa disputatione de iis, de quibus in Vita* S. Amati *non fit mentio, solum expendam argumenta ad* S. Amatum *spectantia, et de personis in Vita Sancti memoratis breviter agam in annotatis.*

solumque antiquorum silentium difficultatem parit, quam Sandullus non satis amovet.

69 *Noja disc.* 4, *part.* 3, *pag.* 143 *objicit silentium antiquorum, et nominatim observat, in Vita antiqua S. Guilielmi nullam* S. Amati *fieri mentionem, nullam quoque in antiquo Montis Virginis Breviario. Nihil responsi ad hoc argumentum reperi in Apologia Sandulli: neque tamen omnino videtur contemnendum, præsertim cum affirment scriptores Ordinis Montis Virginis auctorem illius Vitæ esse Joannem Nuscanum, quem Renda ad S. Guilielmum accessisse dicit cum* S. Amato, *quemque Sandullus cap.* 4 *episcopum Montis Marani deinde factum contendit. Fateor eo silentio utcumque me hærere suspensum, tantoque magis dubium reddi de monachatu* S. Amati, *quanto studiosius quæsivi, cum in Apologia diligentissimi Sandulli, tum in omnibus monumentis scriptisque recentibus et antiquis, in quibus me aliquid inventurum sperabam, quo vita Sancti monastica solide stabiliri posset. Officium quidem* S. Amati, *quod edidit Renda, monasticam vitam Sancto asserit, sed nullus*

AUCTORE J. S.

A nullus docet, quam antiquum sit istud Officium, adeoque et nos ignoramus, quantam illi auctoritatem tribuere debeamus. Cum igitur neque argumenta satis solida reperiam in Noja, quibus evincatur monachum non fuisse; nec monumenta satis antiqua, quibus monasticam Sancti vitam firmiter adstruam, ac pro indubitata compertaque affirmem, possessionem quidem Ordinis Montis Virginis impugnare nolim, sed nec inficiari ausim me documenta non habere, quibus omnem dubitationem eximere valeam. Hisce observatis, discutiam facta, quæ Renda Sancto attribuit, dum erat monachus.

§ VIII. Quæ Sanctus gessisse dicitur, dum erat monachus, examinantur.

Monasterium Fontilianum,

B *Quandoquidem Renda asserit* S. Amatum *vitæ monasticæ se tradidisse anno ætatis vigesimo septimo, id ex ejus calculo accidere debuit circa annum Christi* 1131. *Primum autem, quod gestum ab eo dicitur in vita monastica, est constructio vel instauratio monasterii Fontiliani; cujus epocha figitur post mortem S. Guilielmi, defuncti, ut passim creditur, anno* 1142. *De hac re scribit Renda num.* 5 *hunc in modum :* Annis vero sequentibus e vita seculi hujus S. Guilielmus, ad Dominum migrando gloriose discedens *(id est*, ubi discesserat,) ad Lacinii montis radicem Fontilianum proprio nomine dictam, sanctus Amatus pergens, in honorem sanctissimæ Virginis, (ut ad præsens extat in esse) ecclesiam erexit, ac multorum monachorum monasterium magnum de diocesani licentia construxit et auxit, ubi virorum multitudo confluens, ei bona prædiave non pauca ob ejus sanctitatis merita benigne donabat. *Idem affirmatur in antiquo Montis Virginis Officio, citato num.* 6.

quod desertum erat,

71 *Tria in hac relatione corrigenda censet Noja disc.* 7, *pag.* 217 *et seqq. : primum in tempore, cum velit rem peractam, dum Sanctus erat episcopus; secundum, quod Renda videatur dicere monasterium istud tunc primo erectum,* C *cum sit antiquius; tertium, quod insinuet datum monachis Montis Virginis, cum ab initio fuerit Benedictinorum. Ad duo priora probanda adducit ex Francisco de Ponte die* 5 *lect.* 4 *hæc verba :* Eratque ad radicem montis Lacinii in loco, qui Fontilianum nuncupatur, in honorem beatæ Virginis Mariæ monasterium quoddam jam diu desertum, quod ipse vastationi et ruinæ expositum condolens, a Domino terræ illud sibi donari postulavit. Quod impetratum obtentumque feliciter magna sollicitudine reparavit; ecclesiasticis vero ornamentis, et universis utensilibus officio Dei aptis honorifice præmunivit; pari modo prædiis et stabilibus, nec non et animalium gregibus prædītavit : monachorum conventu * qui in Dei servitio, et sanctæ Dei Genitricis honore jugiter insisterent, ibi constituit.

* *lege conventum*

probabilius ante episcopatum,

72 *Ex hisce Noja sic ratiocinatur. Narravit hæc Franciscus de Ponte diu post relatam Sancti dignitatem episcopalem, interque gesta tempore episcopatus. Non contigerunt igitur, dum erat monachus. Respondit Sandullus pag.* 327 *et* 328 *Rendæ auctoritatem præferendam, ubi dissentiunt; at ne dissentire quidem hoc loco, cum Franciscus de Ponte rerum gestarum ordinem non servaverit, sed singula narraverit, prout se offerebant, quod non scriberet historiam vitæ, sed tantum elogium Sancti in sacris officiis recitandum. Certe scriptor plures fundationes simul narravit, atque in epitomen contraxit sub finem vitæ Sancti; nec credibile est omnes fundationes eodem fere tempore peractas. Huic responso, quod alioquin videtur sufficere, aliud superaddo. Franciscus de Ponte, prout editum est ejus Opusculum, monachatum Sancti non narravit, adeoque fundationem dicti monasterii ad tempus vitæ monasticæ referre non potuit. Idem ergo hic occurrit dubium, quod de ipso Sancti monachatu insinuavimus; videlicet utrum hic male omissus sit a Francisco de Ponte aut ab ejus Opusculo resectus, an vero ex conjecturis male fundatis perperam assertus ab aliis. Porro si ipsam inspiciamus fundationem, prout refertur ab utroque scriptore, probabilius est, monachum habere auctorem, quam modicæ diœcesis episcopum. Quippe ingentes istius fundationis sumptus insinuantur, dum præter constructionem ædificiorum data leguntur ornamenta ecclesiæ, supellex monasterii, prædia, et animalium greges, ita ut hos sumptus ferre solus nequiret episcopus Nuscanus, præsertim qui pau-* E *perum simul erat pater, et aliis intentus ecclesiis construendis. Credere ergo debemus et alios concurrisse benefactores ad illam fundationem, uti asserit Renda, eosque bona prædiaque sua non dedisse episcopo, ut is ea redderet monachis, quod fieri non solet, sed monachis ipsis, seu* S. Amato *eorum præfecto, ut res explicatur a Renda.*

instaurat :

73 *Desertum fuisse istud monasterium, prout affirmat de Ponte, consentit Sandullus pag.* 326. *Verum idcirco errorem in Renda non admittit, contenditque illum agere de instaurato potius quam constructo monasterio, quia dicit,* ut ad præsens extat in esse, *ac deinde* et auxit. *Fateor, possent Rendæ verba etiam intelligi de construeto monasterio in loco, ubi nullum antea fuerat; at cum necessario sic sumi non debeant, interpretabimur illa sensu meliori, nimirum de instauratione deserti monasterii, cum utraque pars dicat, instauratum dumtaxat fuisse; idque satis videatur certum, cum Guido Nuscanus episcopus abbatem ibi consecraverit anno* 1104, *ut ante dictum. Verumtamen illa instauratio talis fuit, ut parum differat a prima fundatione, ideoque levis fuit error Rendæ, si voluerit forsan fundationem* F *novi monasterii insinuare. Porro abbatem hujusce monasterii fuisse* S. Amatum *ait Renda, at contendit Noja, Ordini Montis Virginis monasterium numquam fuisse adscriptum.*

quod suis haud dubie dedit monachis, si ipse fuerit monachus :

74 *Ut id probet memoratus scriptor, tria affert argumenta, quæ rem reddunt dubiam, licet non sufficiant ad monasterium hoc Ordini Montis Virginis prorsus abjudicandum. Primo Ughellus tom.* 7, *col.* 537, *dum refert monasterium Fontilianum mensæ episcopali unitum a Pio II, vocat abbatiam* nigrorum monachorum, *et in bulla ipsa Pontificis, edita in Opere Ughelli recuso, dicitur* monasterium sanctæ Mariæ de Fundigliano Nuscensis diœcesis Ordinis sancti Benedicti. *Auctoritas Ughelli non potest hic esse magni momenti, cum ex Benedictinis videatur nigros monachos, seu monachos Casinensis congregationis formasse. Benedictini Ordinis certo erat monasterium : at monachi Montis Virginis, etiamsi albo induerentur habitu, etiam erant Ordinis S. Benedicti. Secundo, asserit Noja, monachos istius monasterii etiamnum ibi videri pictos in habitu nigro. Respondet Sandullus pag.* 331

imagines

AUCTORE J. S.

imagines illas non pictas esse, sed sculptas, lapidisque vitio contigisse, ut habitus sit niger æque ac vultus : Ejusdem formæ reperiuntur statuæ in alio antiquo monasterio S. Mariæ Longæ prope Fontilianum, *inquit,* neque idcirco dici potest, suo tempore inhabitatum non fuisse a monachis Virginianis. Plenam istius rei fidem faciunt authenticæ scripturæ, idque confirmat in hac ipsa ecclesia effigies antiquissima Dominæ nostræ, quæ ad latus dexterum habet patrem S. Guilielmum, et ad sinistrum episcopum S. Amatum. *Tertio objicit Noja, ostendere vel minimo argumento non posse monachos Montis Virginis, Fontilianum umquam inhabitatum fuisse a monachis sui Ordinis. Verum sic nullum quoque affertur documentum satis idoneum, quo evinci possit, alterius congregationis monachos ibidem habitasse. Itaque idem hic est dubium, quod diximus nobis esse de ipso Sancti monachatu : si enim monachus fuerit Montis Virginis, suis haud dubie dederit monasterium.*

muto loquelam reddit, ut fertur :

75 *Relata constructione hujus monasterii, Renda narrat loquelam muto a* S. Amato *redditam,* B *eidemque Ordinis ingressum flagitanti nomen* Guilielmi *impositum, tandemque ipsi Sancto successisse in abbatis officium. Oppugnat factum istud Noja pag.* 154, *quia mutus ille vocatur* puer, *ita ut nequaquam sit verisimile ipsi Sancto post paucos annos in regimen monasterii successisse. Respondet Sandullus pag.* 332 *Rendam de puero isto non dicere ,* immediate successit; *dicitque Sancti revera successorem fuisse, sed post unum aut plures intermedios. Idem Noja pag.* 150 *et* 151 *tum contra hoc factum tum contra alia quædam objicit silentium Francisci de Ponte. Verum, ut antea jam insinuavi, magis dubitari potest, an gesta Sancti in vita monastica ab Opusculo Francisci de Ponte non sint studiose refecta, quam suspicio esse possit male conficta esse a Renda. At objectiones hujusmodi leviores sufficiet in annotatis breviter expendere, ut hic aliquas majoris momenti discutiamus.*

percussio Sancti in capite, cujus adjuncta non sunt verisimilia;

76 *Laudatus sæpe Renda num.* 7 *factum narrat mirabile, quod Noja disc.* 5 *fuse refutat, nec minori conatu defendere conatur Sandullus cap.* 22. *Rem paucis expono. Sanctus, ut plausum fugeret, statuerat ex monasterio Fontiliano redire in Montem Virginis. Noctu ab angelo monetur, ut subsistat. Sed, propositi tenax, iter ingreditur, ac in venatores quosdam incidit, qui adeo eum feriunt* ferreis jaculis, *ut* os capitis, *id est, cranium perforarint :* Prout his oculis vidi, et ab aliis videri potest ad præsens , *inquit. Nimirum quia foramen etiamnum apparet in cranio Sancti, quod servatur in ecclesia cathedrali Nuscana. Vulneratus ad monasterium suum revertitur Sanctus et sanatur. Percussor interim captus damnatusque ad mortem, Sancti viventis opem invocat precesque fundit, ac prodigiose, eo apparente, vinculis liberatus et carcere, vitam monasticam amplexus est. Fateor lubens adjuncta omnia hujusce facti mihi non probari. Neque enim facile crediderim Virum sanctum, ubi ab angelo jussus esse in loco suo manere, mox sequenti die discessurum. Liberatio etiam percussoris relata est modo mirabili magis quam credibili, præsertim cum ad similia credenda non cogat auctoritas gravior. Attamen non video, cur vulnere relato affici non potuerit Sanctus, vulnerisque locus apparere in cranio.*

77 *Noja pag.* 157 *et seqq. fatetur percussionem illam Sancti tam firmiter credi passim ab omnibus, ut timeat ne rideatur a multis, si id* D *factum moliatur refutare. Attamen non modo factum aperte negat, sed etiam contendit anatomicis legibus repugnare, quod dicitur de loco vulneris relicto in cranio. Ejus ratiocinium, quod nimis prolixum est, paucis expono. Ex constitutione capitis ostendit vulnus esse periculosissimum, quando ex percussione cranium in aliqua parte perforatur; fatetur tamen non raro sanari arte periti chirurgi. Hæc utrimque admittuntur. Jam vero, ait Noja, simile vulnus sanari nequit, nisi apertura cranii claudatur, ita ut vivere non possit homo, quin conjungantur rursum solidenturque confractæ cranii partes. Ex hoc principio sic ulterius ratiocinatur. Atqui vixit.* S. Amatus *plurimis annis, postquam sic percussus esse dicitur in capite, ideoque ante mortem ejus apertura illa cranii omnino clausa esse debuit solidataque. Non potest igitur post mortem apparere foramen in cranio, cum illud in vita jam debuisset esse solide clausum :* Quippe, *inquit,* si ei non poterat remanere foramen, dum vivebat, quo modo post mortem ipsi superfuisset? *Addit mox rationem alteram, quæ huc redit. Quando duo* E *ossa confracta rursum solidantur, callum, seu aspera quædam superficies, in loco vulneris relinquitur. At ejusmodi callum non apparet in cranio* S. Amati. *Hæc fusius Noja, liberaliter dicam, an illiberaliter? ridens illos, qui credere possunt foramen, quod in cranio Sancti cernitur, relictum esse ex percussione accepta in vita.*

negat Noja foramen ex percussione apparere posse post mortem,

verum, cum ossa cranii rupta, tantum solidentur per callum abditum.

78 *Respondet ad hæc Sandullus cap.* 22, *atque ita dissolvit adducta ratiocinia, ut nullus superesse possit scrupulus, quin foramen, in vita acceptum in cranio, etiam possit apparere post mortem. Ex multis ab eo adductis seligam pauca. Galenus lib.* 3 *Art. medic. affirmat ossa fracta sanari non posse* ad intentionem primam, *sed aliquo modo sanabilia esse* ad secundam. *Verba Galeni exponit interpres ejus Lucas Tozzi tom.* 5, *cap.* 8, *fol.* 157 *hoc modo :* Et sensus est, quod os fractum restitui in pristinum non potest per medium ejusdem generis, sicut unitur caro soluta, quæ per medium carneum ejusdem naturæ restituitur. Addit tamen Galenus in textu, coalescere posse ossa fracta in pueris per primam intentionem , quoniam per eam ætatem mollia sunt. Neque enim alia ex ratione in adultis ossa F per primam intentionem nequeunt agglutinari , nisi quia progressu ætatum evadunt duriora : unde nequeunt admittere in sui substantiam mollis alimenti agglutinationem.. At quoniam ossa per callum, qui est medium differens ac difforme, agglutinantur; idcirco dicuntur per intentionem primam insanabilia, licet per secundam intentionem sanari possint. Quamobrem, ut notat Galenus, ossa confracta per callum unita, veluti vinculo quodam circumducto constringuntur in superficie, in profundo vero minime agglutinantur.

callumque post mortem corrumpatur, foramen tunc rursus apparebit.

79 *Adducit et alias auctoritates Sandullus, at verba recitata mihi sufficiunt. Etenim callum istud, quo solo agglutinantur ossa confracta, tam durum non est, ut post mortem hominis non corrumpatur, sicuti caro corrumpitur et dissolvitur. Corrupto autem callo, quo cranium perforatum ante fuerat solidatum, foramen in vita acceptum, ac deinde sanatum, rursus necessario apparebit, sicut apparent foramina in loco oculorum, aliaque multa, postquam caro cadaveris in pulverem abiit. Hæc fere Sandullus, subjungens pag.* 345 *sequentia, quibus simul respondetur ad secundum Nojæ argumentum :* Si illa

AUCTORE J. S.

A illa considerasset parum prudens archipresbyter, neque factum existimasset fabulosum esse, neque repugnare legibus machinæ corporalis. Vel certe poterat inspicere venerandum Sancti caput; quia sine dubio observasset extuberationem illam, quæ excrevit et adhuc cernitur in margine cicatricis; indeque prudentiori ratiocinatione conclusisset: Vere igitur Sanctus in vita fuit percussus, cum tumor ille crescere nequiverit post mortem, quando pars illa non erat animata. *Hisce factum ipsum abunde vendicatum putamus: at omnia adjuncta, maximeque inobedientia Sancti, ex qua percussionis occasio nata dicitur, non æque apparent verisimilia.*

§ IX. Discutiuntur ea, quæ Renda narrat de occasione, modo et tempore, quo Sanctus creatus est B episcopus: gesta quædam in episcopatu.

Breviter perstrictum a Renda, et oppugnatum a Noja

Mentem Rendæ paucis expono. Num. 8 *et* 9 *hæc refert. Cum sanatus esset ex vulnere* S. Amatus, *anno* 1156, *imperante in Oriente Emmanuele Comneno, Guilielmo I utriusque Siciliæ regnum obtinente, ac summo Pontifice Adriano IV, imperator Emmanuel Apuliam repetebat, Guilielmus rex illam retinere conabatur. Movit tunc Guilielmus Beneventum, ut illam urbem obsideret, transeuntique circa Nuscum aliquis, confisus* S. Amati *meritis, prædixit victoriam de Beneventanis. Qua de causa, cum victor esset, multas reliquias misit ad monasterium Montis Virginis, et petente populo Nuscano,* S. Amatum *Pontifici commendavit ad episcopatum, ac demum monasterium Ordini Montis Virginis erexit in Sicilia. Hanc Rendæ narrationem non recte exposuit Noja pag.* 166: *nullibi enim Renda asserit, Beneventum occupatum fuisse ab Emmanuele imperatore, uti eum asserentem inducit Noja. Hinc contra Rendam non facit, quod* C *affirmat pag.* 169, *bellum circa Beneventum non gessisse Guilielmum contra Emmanuelem imperatorem, sed contra Pontificem. Nam id quidem verum est; at contrarium a Renda non dicitur.*

bellum Guilielmi Siciliæ regis contra imperatorem Græcum,

81 *Verum, quod ulterius vult Noja, nullibi bellum fuisse inter Emmanuelem et Guilielmum, falsum prorsus est. Quippe scriptores varii illorum temporum bellum istud referunt, omnesque affirmant Emmanuelem imperatorem subsidia non contemnenda misisse principibus fœderatis contra Guilielmum, sed Græcos rebellesque principes prope Brundusium superatos a Guilielmo, quo factum, ut amissas recuperaret provincias. Audi Romualdum Salernitanum episcopum, tempore et loco rebus gestis maxime propinquum, cum jam episcopatum gereret, dum hæc contigerunt. Hic igitur tom.* 7 *Scriptorum Italiæ, ubi narraverat Adriani IV cum Guilielmo discordiam, multorumque nobilium in Apulia et Sicilia rebellionem, sic prosequitur col.* 197: Papa..., congregato exercitu, cum Roberto Capuano principe, et Andrea de Rupe-Canina Terram Laboris ingressus, eam violenter obtinuit, et a Beneventanis est cum honore receptus. Interea Emmanuel Constantinopolitanus imperator, inventa opportunitate, quod de injuriis sibi a rege Rogerio illatis vindicaret in filium, Palæologum virum quemdam nobilem cum multa pecunia ad comitem Robertum et barones Apuliæ transmittit, ut de ea milites retinerent, et Guilielmo regi guerram * inferrent. Misit etiam Comminianum, Sebastum, et alios potentes viros cum suo stolio *, qui venientes Brundusium ceperunt, præter castrum, in quo regis militia se recepit. Barum autem, et reliquæ civitates maritimæ Græcis, et Roberto comiti adhæserunt. Sicque factum est, quod partim a Roberto Capuano principe, partim a comite Roberto tota terra occupata est, præter Neapolim, Amalfiam, Salernum, Trojam, et Melfiam, et quasdam alias civitates, et castra munita.

* i. e. bellum

* i. e. classe

exponitur latius, uti et victoria Guilielmi,

82 Quo cognito, rex Guilielmus, prout melius potuit, per mare et terram congregavit exercitum, et recto itinere Brundusium venit; in quo Sebastum et Comminianum, et reliquos potentes Græcorum cum multo exercitu et stolio congregatos invenit, qui castrum Brundusii et gentem regis vehementer impugnabant. Comes E autem Robertus, adventu regis cognito, Brundusium reliquit, et Beneventum se contulit. Rex vero Guilielmus Brundusium per mare et terram potenter obsedit, et per mare et terram viriliter impugnando, in ore gladii debellavit, cepit Græcorum nobiles et stolium, pecuniam multam et plures de baronibus Apuliæ, qui ei rebelles extiterant, de quibus multos suspendi et excæcari fecit. Quo facto, Barum venit, et eam cepit; et, quia Barenses castrum regis destruxerant, rex ira commotus civitatem a fundamentis subvertit. Deinc per maritimam Apuliæ rediens, omnes civitates maritimas cepit, et totam terram, quam perdiderat, sine bello recuperavit. Ipse autem recto tramite Beneventum venit, quo inimici et rebelles ejus ad auxilium domni Papæ confugerant. Robertus vero Capuanorum princeps dum præ timore regio vellet aufugere, et jam Garilianum fluxium pertransiret, Riccardus de Aquila comes Fundanus..... ipsum cepit, et regis bajulis assignavit..... Rex autem prædictum principem incarcerandum in Siciliam transmisit. Comitem Robertum, Andream de Rupe-Canina, et reliquos inimicos suos, qui Beneventum ad domnum Papam confugerant, F ejusdem Papæ precibus liberos et illæsos cum rebus suis de regno exire permisit. Ipse vero, multis nunciis intercurrentibus, et capitibus pacis hinc inde dispositis, cum Papa concordatus est.

non tantum de imperatore,

83 *Ex hisce, quæ narrantur a multis aliis scriptoribus, certum est primo, bellum fuisse inter Emmanuelem et Guilielmum in Apulia, idque continuatum deinde in ipsa Emmanuelis ditione. Post pauca enim sic habet idem scriptor:* Non multo post tempore magnum stolium præparavit *(rex Guilielmus,)* et ipsum cum Stephano ammirato in Romaniam misit. Qui ad Egrippum veniens, maximum stolium Emmanuelis imperatoris ibidem præparatum invenit; cum quo viriliter decertavit, et ipsum devicit, multos de Græcis cepit, stolium combussit, Egrippum, et vicinas civitates exspoliavit, et sic victor in Siciliam rediit. Imperator autem cognoscens multos de suis a rege Siciliæ captos, nec posse cum eo de pari contendere, missis frequentibus nunciis, cum rege concordatus est, et pacis fœdera sunt hinc inde jurata. *Certum est secundo, Guilielmum victorem regressum esse ab expeditione*

AUCTORE J. S.

expeditione Beneventana, etiamsi armis non interceperit Beneventum. Id temere negat Noja pag. 170, *indeque infert victoriam non prædictam, nec translata Sanctorum corpora.*

sed etiam de Beneventanis, seu de principibus, qui eo fugeran.

84 *Etenim principatus Capuanus, totaque fere Terra Laboris ab hostibus fuerat occupata : totam recepit Guilielmus. Robertus Surrentinus comes, (ut vocatur ab aliis, qui supra* Capuanorum princeps, *quia principatum Capuanum sibi vendicaverat) erat in vinculis , aliique nobiles multi :* Robertus eomes Lorotelli, *qui hic dicitur* Robertus eomes, *et comes Andreas de Rupe-Canina, qui magnam regni partem invaserant, ut supplices dimittuntur e regno , idque precibus Pontificis :* Papa ipsum *(Guilielmum)* per unum vexillum de regno Siciliæ, per aliud de ducatu Apuliæ, per tertium de principatu Capuæ investivit... Rex autem plures de inimicis suis de regno expulit, quosdam in carcere posuit, *teste laudato Romualdo. Demum totum regnum, quod ante fere amiserat, recuperavit. Immerito igitur victoriam de Beneventanis Guilielmo negat Noja, cum Beneventum hostes ipsius amB plius tueri non potuerit; recteque de eo scribit Romualdus :* Ipse vero tanta potitus victoria, cum ammirato in Siciliam rediit. *Confirmat hæc Hugo Falcandus in Historia Sicula, eodem tomo edita, qui col.* 269 *plenam Guilielmi victoriam paucis verbis sic exprimit :* Rex autem, Græcis devictis, fugatoque comite Roberto, reliquos hostes suos persequens, cum omnes ante faciem ejus fugitarent, totius Apuliæ, ac Terræ Laboris tumultum compescuit; ac demum, prospere gestis omnibus, Pharum transiens, Panormum rediit.

Translata sunt Benevento in Montem Virginis multa corpora ; at incertum a quo,

85 *Verum, cum Beneventum non occupaverit Guilielmus, non æque certum videtur, quod dicitur de sacris corporibus, ab eo ad Montem Virginis transmissis. Fuit inter illa sacra lipsana corpus S. Januarii, quod deinde ex Monte Virginis delatum est Neapolim. Antonius Caracciolus de Sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 20, *sect.* 14 *varias recenset opiniones de tempore et auctore translationis horum corporum, de qua sic loquitur :* In hunc ergo sacrum Montem D. Januarii *(et aliorum)* ossa translata C fuisse, certum est; incertum quo tempore, qua occasione. *Prima opinio, quam refert , uti et secunda, translationem Guilielmo revera attribuunt, adeoque et Rendæ consentiunt. Tertia opinio est, corpus a Neapolitanis eo delatum, dum Beneventum interceptum est a Caroto Andegavensi post victum Manfredum anno* 1266. *Ipse demum Caracciolus præfert opinionem quartam, suspicaturque corpora eo delata ab ipsis Beneventanis, dum Fredericus II imperator sæviebat in urbem Beneventanam.*

non probatur, id factum non esse a Guilielmo, ut habet Renda.

86 *Porro hactenus non video, cur recedendum sit a Rendæ sententia : nam Sandullus pag.* 324 *profert ex archivio Montis Virginis partem instrumenti anni* 1225, *in quo de monasterio Montis Virginis dicitur :* Ubi multa Sanctorum corpora requiescunt. *Si hæc, ut verisimile est, de iisdem dicantur corporibus, erant dudum in Monte Virginis, priusquam Fredericus II, aut Carolus Beneventum vastarent. Demum potuit Pontifex ipse aliquot corpora Sanctorum Guilielmo donare, ut regem potentem sacris hisce muneribus sibi redderet amicum, Romanæque ecclesiæ faventem : præsertim cum Guilielmus ipse non exigua munera Pontifici donarit. Fateor tamen, hisce rationibus rem non fieri omnino certam, illiusque examen remitto ad Acta S. Januarii, ad quem hæc spectant propius.* D

Sanctus episcopus eligitur,

87 *De promotione* S. Amati *ad episcopatum sic scribit Renda :* Rex vero Salernum revertens tempore, quo Nuscanus episcopus ab hac vita migravit, a Nusciis civibus deprecatur, ut ejus favore ab Adriano sanctæ Sedis IV Pontifice maximo, in episcopatus officium sanctus Amatus esset electus. Pontifex precibus regis assentiens, Sanctum prædictum in suæ civitatis episcopale regimen creavit. *Modus hic eligendi , petendique regis consensum, tempori erat accommodatus. Nam inter pacis conditiones, quas Guilielmus pepigerat cum Adriano Papa, hæc statuta erant de electione episcoporum apud Baronium ad annum* 1156 *num.* 5 : De electionibus quidem ita fiat. Clerici conveniant in personam idoneam, et illud inter se secretum habebunt, donec personam illam excellentiæ nostræ pronuntient, et postquam persona celsitudini nostræ fuerit designata, si persona illa de proditoribus aut inimicis nostris vel heredum nostrorum non fuerit, aut magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, vel alia in ea causa non fuerit, pro qua non E debemus assentire, assensum præstabimus. *Noja hanc Rendæ narrationem multis impugnavit, sed ejus argumenta jam expensa sunt; nec invenimus, cur Rendam falsitatis arguere debeamus, nec aliunde habemus monumenta idonea, quibus asserta ejus magis confirmemus.*

consecratus que ab archiepiscopo Salernitano, a suis honorifice suscipitur :

88 *Sanctum ordinatum esse ab archiepiscopo Salernitano,magnoque suorum gaudio exceptum, consentiunt omnes. Franciscus de Ponte apud Nojam pag.* 177 *voces lætantis populi sic exprimit :* Benedictus dominus Deus Israel, quia visitavit nos, illuminavit vultum suum super nos, et misertus est nostri; misit suis humilibus Angelum pacis, sani ministrum consilii, fidelibus suis misericorditer salutare contulit præsidium , patrem patriæ , rectoremque civitatis nostræ præcipuum ... Hucusque fuimus quasi oves errantes, modo autem , Deo propitiante, conversi sumus ad Pastorem animarum suarum *. *Renda , relato introitu Sancti consecrati in urbem, duo refert miracula, alterum de primicerio Nuscanæ ecclesiæ liberato e carcere, alterum de puella lunatica valetudini restituta. Primum narrat Franciscus* F *de Ponte post mortem* S. Amati, *alterum prorsus omittit. Verum, ut jam monui, non est, cur ei potius credere debeamus quam Rendæ.*

* *forte, nostrarum*

ecclesiam cathedralem in honorem S. Stephani ædificat, gregem summa vigilanter regit,

89 *Postquam episcopatus regimen aggressus est* S. Amatus, *animum adjecit ad ædificandam ecclesiam novam, in qua cathedram suam collocaret. Franciscus de Ponte, Rendæ hic consentiens, ea de re sic scribit apud Nojam pag.* 195 : Lapicidas idoneosque artifices ad fabricandum conduxit ecclesiam , quam consummatam et perfectam feliciter in honorem beati protomartyris Stephani consecravit, in eademque sedem episcopii sui stabilivit basilica. *Amorem vigilantiamque pii Pastoris pro grege suo idem celebrat apud Nojam pag.* 204 *et* 206 *hisce verbis :* Mori paratus pro Deo, animumque ponere, si necesse esset pro populo, semper insomnis, semper nulla præoccupatus inertia, necessarias adversus hostem humani generis faciebat vigilans præcipuus excubias... Numquam in ejus tempore ille insidiator antiquus se gloriatus est aliquid, quod ad sancti Amati custodiam pertineret, de grege sustulisse Dominico. Eo vero dolentior, et in malum promptuosior, tendebat insidias, laqueos abscondebat, foveas fodiebat præcipites : inflammabat

A mabat odia, litigia incitabat, furtum, adulterium, iram, cupiditatem, invidiam, cæteraque suæ iniquitatis semina cordibus hominum toto suo nisu imprimebat perfide ; contraque Gloriosus Dei clypeum jejunii, loricam patientiæ, galeam humilitatis, lanceam fortitudinis, gladiumque opponebat justitiæ. *Verbo, ut habet pag.* 210 : Populo sanæ exhortationis disciplinæque salutaris pocula ministrabat.

et miraculis claret.

90 *Fulgebat etiam Sanctus miraculorum gloria. Ex his multa singillatim narrat Renda, quæ partim omissa sunt a Francisco de Ponte, partim post mortem Sancti relata. Verum non pauca contigisse etiam in Vita Sancti, satis insinuat idem scriptor, sic habens apud Nojam pag.* 216 : Confluebant ad eum de remotis locis et proximis diversa sustinentes infirmitatis genera, surdi, muti, paralytici, claudi, cardiaci, febricitantes; et quibuscumque depressi doloribus sancti Viri opitulatione, interventu, et manus impositione curati abibant, revertentesque ad mansiones incolumes glorificabant Domini *, sanctique confessoris sui Amati merita, atque hujuscemodi magnificabant præconia. *Unum a Renda prætermissum narrat Franciscus de Ponte apud*
B *Nojam pag.* 220 *his verbis :* Dumque ecclesiam, quæ sancta Maria Nova dicitur, faceret fabricare, et propter vini inopiam aqua operariis apponeretur in prandio, sicut in Jesu Christi signorum patratum est initio, aqua in vinum mirabiliter conversa est. *De hac fundatione, uti et de aliis quibusdam, mox agemus § sequenti. Illa vero, quæ adversus miracula quædam relata a Renda objecit Noja, in annotatis ad Vitam examinabimus.*

** forte Dominum*

§ X. Quædam fundationes ecclesiarum : mors Sancti, mortisque adjuncta.

Constructio trium locorum sacrorum :

Præter *monasterii Fontiliani instaurationem et constructionem ecclesiæ cathedralis, Renda num.* 13 *et* 14 *refert tria alia loca sacra a Sancto erecta, nimirum* ecclesiolam, *seu sacellum S. Leoni*, *monasterium* sanctæ Mariæ Novæ *olim vocatum, et ecclesiam S. Laurentio dicatam. Fun-*
C *dationes hasce nullibi negavit Noja, quod eas in Octavario itidem assertas inveniret. De duabus posterioribus sic habet Franciscus de Ponte apud Sandullum pag.* 212 : Fundavit et aliam ecclesiam B. Laurentii. Rursus aliam ædificavit basilicam, quæ S. Maria Longa nominatur, juxta fluvium Caloris. *Eadem hæc est, quæ* sancta Maria Nova *vocatur ab ipso de Ponte num.* 90 *citato. Hæ ecclesiæ, quæ non simul, sed per intervalla a Sancto sunt constructæ, jam videntur fuisse destructæ, dum scribebat Opusculum suum Renda, cum de iis non loquatur ut adhuc integris et exstantibus; at solum vestigia memoret monasterii S. Mariæ Longæ.*

mors Sancti; annus emortualis, in quo Rendæ opinio præferenda ;

92 *Franciscus de Ponte post verba mox citata, sine ulla morbi commemoratione, mortem Sancti subjungit hoc modo :* Dormitionis igitur tempus S. Amati confessoris atque pontificis computatur anno Dominicæ Incarnationis MXCIII, mense Septembrio, ultimo die ejusdem mensis. *Observat Sandullus, ista non recte connecti cum præcedentibus,indeque augetur suspicio de interpolatione seu corruptione Opusculi. Hæc sane epochæ mortis corruptio facillime fieri potuit, cum auctor, prout editus est, nullam umquam tempus, nullam nominaverit personam, quacum vixerit, aut rei quidpiam gesserit* S. Amatus, *ita ut sine periculo contradictionis epocha mortis, etiamsi nulla indicata esset ab auctore, fingi posset ab editoribus, qualis placebat ipsis, aut qualem colligebant ex supposititio Sancti testamento, si idjam tum in eorum manibus versabatur. Hæc præcipue ratio me movet, cur epocham Rendæ præferendam censeam ; ille enim et personas non paucas nominat, et facta utcumque suo ordine suisque temporibus distinguit ; atque ita hæc præstat, ut subinde quidem relatio difficultate non careat, et fortassse erraverit non raro in adjunctis, attamen manifesti erroris, nedum imposturæ convinci nequeat. Hinc Rendæ assentimur, donec certiora proferantur documenta ; uti etiam fecit Mabillonius tom.* 6 *Annalium Benedictinorum,*Amatum *laudans brevi hoc elogio :* Amatus apud Nuscum ortus, ad radicem montis Laceni monasterium exstruxit; factusque ab Hadriano IV Nuscanæ civitatis episcopus, aliud monasterium sub titulo beatæ Mariæ novæ ædificavit. Obiit pridie E Kal. Septembris anno MCXCIII, miraculis ante et post obitum clarus.

ætas, et anni episcopatus ;

93 *Annos ætatis octoginta et novem attribuit Renda* S. Amato, *episcopatus vero circiter triginta et septem, quandoquidem episcopum creatum dicit anno Christi* 1156. *Ughellus, nescio quæ secutus documenta, certe non ea, quæ laudat ceterisque præfert, de his omnibus sic habet :* Ceterum cum clerum populumque sibi commissum ad salutem Amatus instituisset spatio quinque et quadraginta annorum, miraculis clarus in pace quievit anno MXCIII, die ultima Augusti, ætatis suæ anno XCVI, condito testamento quarto die ante obitum,... in quo.. annos præsulatus sui XLV... nominat. *Quot verba, tot fere hic errores. Quippe nulla vox in suppositiio testamento, prout ab ipso Ughello dein editum est, de quadraginta quinque episcopatus annis. Deinde, cum testamentum signetur mense Septembri, si illud quarto ante obitum die sit conditum, qua consequentia ab Ughello asseritur Sanctus obiisse die ultima Augusti? Nos quidem illa die obiisse putamus, quia eadem die colitur; sed Ughellus id dicere non poterat, si cohærentia volebat scribere. Unde acce-* F *perit annos ætatis, verosimiliter nihilo rectius signatos, et cur asserat testamentum conditum quarto die ante obitum, nec exprimit, nec divinare valeo. Ceterum non videtur dubium, quin obierit Sanctus in ætate decrepita, cum id omnes asserant, omnesque imagines talem eum exhibeant, teste Noja pag* 233.

corpus elevatum structumque Sancto sacellum in cathedrali,

94 *Duplex commemoratur in Actis corporis translatio. Prima facta dicitur a Rogerio II, ex abbate S. Salvatoris de Guleto in episcopatum Nuscanum* S. Amati *successore. Annum huic translationi* 1223 *adscribit Renda ; ad Franciscus de Ponte, nullum designans tempus hæc solum habet :* Cum autem venerabilis episcopus Rogerius successor ejus recolendæ memoriæ in eodem loco, ubi sacrum corpus ejus præfati Sancti requiescebat, basilicam instrueret, et dilatare vellet, accidit ut paries ecclesiæ per illum locum, ubi tumulus ejus situs erat, erigeretur. Remoto inde corpore, tanta odoris fragrantia totus locus repletus est *etc. Verba hæc,* cum... basilicam instrueret et dilatare vellet, *de instauratione ecclesiæ cathedralis intelligo, cum haud dubie in ea Sanctus jaceret sepultus, uti affirmat*

AUCTORE J. S.

mat Renda num. 16. *Ubi ergo ille dicit de Rogerio primum* basilicam construxit, *intellige ecclesiam cathedralem instauravit et ampliavit. Quæ vero deinde dicit, acsi de alia loqueretur ecclesia,* magnificam ecclesiam... ædificavit, *de sacello intelligenda existimo, quandoquidem non puto* S. Amato *tunc exstructam ecclesiam a Cathedrali diversam, sed sacellum in ejus honorem cathedrali adjunctum. Plura quidem insinuare videntur Rendæ verba, et forsam plura significare voluit. Attamen quidquam præterea tunc factum vix credidero, nisi certiora accederent monumenta, cum nullibi dicatur Sancti corpus ab una ecclesia translatum ad aliam, nec verisimile sit ecclesiam cathedralem aliam umquam fuisse ab hodierna; ac demum quia, teste ipso Renda, corpus* S. Amati *collocatum est cum brachio S. Stephani, non in alia utique ecclesia, quam quæ S. Stephano dudum sacra erat, quæque vel tunc, vel paulatim* S. Amati *ecclesia dici cœpit.*

idque contigisse dicitur anno 1225 :

95 *Facta hæc anno* 1223 *asserit Renda, nec sine documentis quibusdam, uti credere debemus, licet illa ipse more suo non assignet. Verum Noja pag.*
B 237 *asserit se scire, Rogerium II, a quo hæc peracta fatetur, obisse ante annum* 1200, *quo Lucas Rogerio successit. Attamen nihil scivit Noja, ut observavimus num.* 42, *nisi ex Ughello, qui fatetur se nescire, quo tempore episcopus factus sit Lucas, quique nec Rogerium II, nec Lucam ullibi commemoratos invenisse videtur, nisi in Actis* S. Amati. *Ridenda igitur jactata illa Nojæ scientia, et sequenda Rendæ epocha, donec quis certiora adducat. Nam, etsi certum esset, Rogerium statim post mortem* S. Amati *ipso anno* 1193 *creatum esse episcopum, quod nequit pro certo affirmari, nihil esset, cur anno* 1223 *superesse non posset, et corpus* S. Amati *decentiorem ad locum transferre. Hinc vanum quoque est, quod pag.* 4 *ex hisce objicit Noja contra annum Sancti emortualem. Vult ibi probare, sequi ex asserto per Rendam anno emortuali et dedicatione ecclesiæ per Rogerium facta, hanc contingere debuisse intra sex aut septem annos a morte Sancti, idque ait incredibile. Verum hæc sibi somnia finxit, aut lectoribus suis obtrudere voluit, ex falsa epocha mortis Rogerii, cum translatio totis triginta annis post mortem Sancti*
C *contigisse dicatur. Melius contra Nojam disseri poterit ex eadem hac corporis elevatione hunc in modum. Nulla ante hanc corporis elevationem videtur fuisse Sancti veneratio publica. At incredibile videtur, Sanctum, qui tanta sanctitatis fama, totque miraculis splendescebat tam in Vita quam post mortem, toto seculo fuisse sine legitima veneratione eo tempore, quo multi colebantur paucis post obitum annis : probabilius igitur est, Sanctum non obiisse anno* 1093, *sed* 1193.

altera translatio, in qua caput et brachia a corpore separata.

96 *Altera translatio, qua* caput et brachia *a reliquo corpore sunt separata,* multis post annis *contigisse dicitur per Lucam episcopum successorem. Franciscus de Ponte in Officio translationis de hac scribit sequentia :* Tempore siquidem domini Lucæ venerabilis successoris ejus a loco, ubi requiescebat, sacrum corpus præfati sancti Amati extitit transmutatum, cujus mutationis solemnitas quinto Kalendarum Junii celebratur. *Consentit Renda in diem assignatum, qui est* XXVIII *Maii. Quo tempore sederit Lucas, ignorat Ughellus; incertumque est, an statim successerit post Rogerium II. Certum tamen videtur ecclesiæ Nuscanæ præfuisse seculo* XIII, *et ante annum* 1285, *quo ex Ordine Minorum ad episcopa-* D *tum assumptus est Jacobus. Conjicere igitur possumus, translationem hanc peractam esse circa aut post medium seculi* XIII. *Porro reliquias, tunc a reliquo corpore separatas, etiamnum* in brachio et capite argenteo *servari, testatur Noja pag.* 241, *ubi addit, quotannis in die hujus translationis Sancto offeri a Nuscanis oves suas, ideoque singulos pastores ad ecclesiam cathedralem venire, ut ibidem offerant dona sua.*

§ XI. Miracula quædam post mortem facta, relataque a Francisco de Ponte : brevis observatio ad Vitam edendam.

Mira odoris fragrantia in prima corporis elevatione ac claudus sanatus :

Noja post discursus suos pag.* 244 *quædam edidit ex miraculis* S. Amati; *prout ea in Octavario suo die 6 conscripsit Francisus de Ponte. Ea hic lectorum oculis exhibebo, breviterque observabo, quænam eum Rendæ relatione consentiant, quæ vero ab ea differant. Sic ille ordi-* E *tur a prima corporis elevatione :* Cum autem venerabilis episcopus Rogerius, successor ejus recolendæ memoriæ in eodem loco, ubi sacrum corpus ejus præfati Sancti requiescebat, basilicam instrueret, et dilatare vellet, accidit, ut paries ecclesiæ per illum locum, ubi tumulus ejus situs erat, erigeretur. Remoto inde corpore tanta odoris fragrantia totus locus repletus est, qui cuncta exsuperabat aromata, et in eadem hora quidam claudus ibi adveniens, virtute Dei, et interventu hujus gloriosi Sancti, pristinæ sanitati restitutus est, qui cum universo populo ibi assistente gratias Deo agens, per biennium in ipsa ecclesia ad honorem sancti Amati famulari studuit. *Eadem habet Renda num.* 17 *de suavi corporis odore et claudo tunc sanato. Alia jam exposui supra num.* 94.

primicerius carcere liberatus.

98 Est et aliud miraculum. Dum quidam præstiteretur * primicerius ipsius episcopi, qui tota mente ipsi Sancto devote famulari consueverat, dum in carcere iu quodam castro finitimo captus detinere- F tur, auxilium Dei, et opem ipsius Sancti per noctem invocans, statim carceris pars, tamquam si manu hominis tantum factum esset, in partem alteram erupit, et idem Sanctus illum per magnum accipiens, a truci custodia carceris eum liberavit *Renda num.* 10 *hoc narrans miraculum, contigisse ait in vita Sancti, dum consecratus erat episcopus et Nuscum ingressus.*

* forte presbyter

muto loquela impetrata,

99 Non post multum vero tempus, dum quidam puer umbra fantastica depressus, oris organum amisisset, et sermone insanus careret, ad ejus sacratissimum corpus adveniens, et ibi per noctem excubans, statim loqui meruit, et oris organum, quod amiserat, gratia divini muneris, et merito hujus præcipui Sancti recuperavit. *Renda de muto post mortem Sancti sanato nihil habet. At puerum mutum loquela donatum a Sancto, dum hic abbas erat Fontiliani narrat num.* 5. *Suspicor vehementer idem esse miraculum; et potius in vita Sancti factum esse quam post mortem, cum non videam, cur Renda tempus mutare voluisset; ab aliis vero tempus miraculi mutari potuerit, ut monastica Sancti 'professio nullibi appareret.*

100 Accidit

auctore J. S.

A 100 Accidit autem, ut quidam æger, qui diabolo premente incessum amiserat, et totus claudus factus erat, in grabato a parentibus suis in sacrum tumulum ejus delatus est: qui nulla mora protracta, dum ejus patrociniis se commendaret, ab ipsa contractione meruit liberari, et propriis plantis suis ad propriam cum gaudio repedavit. *Hoc miraculum apud Rendam non invenio; sed in Officio idem duobus sequentibus præmittitur, uti hic fit. Vide hymnum num. 9 datum.*

claudo gressus:

101 Quodam vero tempore in annua solemnitate beatissimi Amati, dum sacrista ecclesiæ lampades ante tumulum ejus appararet, accidit ut lampas una oleo plena, quæ a superiori pavimento ecclesiæ per funem pendebat, casu faciente, nimis ex alto in terram caderet: virtute hujus sanctissimi viri Amati, neque confracta, neque oleum aliquatenus fuit effusum. *Renda num. 15 refert hoc miraculum in ipsis Sancti exequiis contigisse. Dubitari potest, uter tempus rectius designaverit; sed exigui id est momenti, modo constet de facto.*

lampas lapsa non frangitur, nec extinguitur, nec evacuatur:

B 102 Quidam vero clericus, cujus domus ab ecclesia ipsa non longe erat, dum peccatis exigentibus angustia corporis sic permeretur, quod, quasi truncus et lignum, corpus ejus rigidum et immobile esset, et multo tempore in tali miseria persisteret, sic quod anima ejus in extremo posita erat, et ejus parentes magis de morte quam de vita gauderent, cum in locum ejus sacratissimi corporis deduceretur, et ibi tempore noctis unius in oratione factis excubiis, meritum hujus sanctissimi viri Amati eum liberavit, et sanitati donavit. *Renda num. 13 idem narrat miraculum; sed Sancto viventi attribuit.*

clerico paralytico vigor redditus,

103 Cum quadam igitur die universam faciem civitatis mœnia ex improviso hostes præoccuparent, multosque ex civibus nostris vinctos et captivos ducerent, accidit, ut inter ipsos caperent virum quemdam, cujus opinio bona et laudabilis erat, et in famulatu prænominati sanctissimi viri Amati præcipuus cultor extiterat: qui dum ab ipsis captivus duceretur, ubi ipsi hostes ad castra sua devenerunt, ipsum pedibus et manibus post C terga ligantes, et in corporis tormentum quasi in eculeo positum suspendentes, lapidem immensum suis humeris ad majorem corporis cruciatum imposuerunt. Sed dum ipse patrocinium gloriosi Confessoris interpellaret, tantam ei præbuit constantiam, ut de martyrio nihil sentiret, et ipsum tormenta illa nullo modo contererent; factumque est, ut dum ipsi inimici, qui eum affligebant, eum de tormento deponerent, et sese ad cibum sumendum discumbentes pararent, accenso magno igne in domo, ubi manebant, eum vinctum a ministris servari faciebant. Qui dum noctis silentio corpora sua quieti traderent, et ipse captivus in oratione sine intermissione maneret, subito apparuit ei visio candida et valde gloriosa, quæ eum a vinculis eripiens splendorem ignis *(exstinxit)* in ipsa parte, ubi hostes in tenebris manebant, et ex altera parte, unde ei aditum evadendi reserato pariete administrabat, cum multa odoris fragrantia serenum lumen effundunt *. Non enim dubium est apud nos, quod visio illa, quæ ei apparuit, Sanctus cui servierat, et quem sedulo orabat, extitit: quem per manus articulos accipiens, de medio hostium, ipsis in caligine noctis sopitis, eduxit, et a vinculis absolutum, sanum, et incolumem ad propria restituit. *Idem miraculum narrat Renda num. 16, sed minus recte, uti ibidem observabo. Quod autem supra dicitur,* Et in famulatu prænominati sanctissimi viri Amati præcipuus cultor extiterat, *sic recte intelligi potest, sicuti a Renda sumitur, ut Sanctum magna in veneratione habuerit viventem. Noja pag. 239 intelligi vult de cultu Sancto post mortem.*

vinctus miro modo liberatus,

* *lege effudit*

104 Accidit autem, quod quidam ex nostratibus hostilitatis tempore in captivitatem ductus, ubi ab inimicis in vinculis detineretur, corde et ore Dei misericordiam, et dicti Sancti opem jugiter invocabat: qui dum graviter arctis ferreis compedibus vinciretur, prima noctis hora Deum, et sanctum Amatum sine intermissione ad sui auxilium invocaret, subito ligamina ipsa ferrea ab ejus vestigiis, quasi propria hominum manu enodata fuissent, penitus decidere. Et tamquam divino spiritu admonitus, a carcere exiens, paravit illi Dominus in densis tenebris lucem, ut inter caliginosa discrimina, quibus ejus hostes et custodes præoccupati fuerant, ipsum requirendi aditum non habebant, et illi prævia luce evadendi libera occasio patuit; qui securo ductu a E Domino sibi proviso, ad proprios lares redit, et ad certam cognitionem præfatæ rei ipsos ferros *, quibus vinctus fuerat, adduxit, qui usque in præsentem diem ante tumulum, ubi ejus sacræ reliquiæ sitæ sunt, ad memoriam in posterum dependent. *Vide etiam Rendam num. 16, ubi idem refert cum aliqua differentia.*

uti et alius:

* *i. e. ferreas compedes*

105 Fuit autem apud nos mulier quædam, quæ dum solito more in occultiorem partem ædis suæ ingrederetur, antiquus hostis, qui semper hominum gressus præpedire conatur, ipsam ad terram prostravit, eique formidinem non modicam inferens, sibi vocem ademit: ejusque os, dum loqui vel ridere conaretur, ultimas aurium partes repetere videbatur. Quæ igitur mulier divino consilio inducta mausoleum prædicti Sancti adiit, eodemque venerabili loco ad honorem Dei, et memoriam sui Missam solemnem celebrare faciens, osculato brachio corporis sui, nihilominus sed bibens de aqua, quam ejus sacræ reliquiæ tinxerant, et corpus ejus mulieris inde aspersum extitit, illico recte loqui meruit, et sui corporis pristinum sanitatis officium cum integritate liberavit. *Dubitari potest, an hoc miraculum idem sit cum eo, quod narrat Renda num. 14 de muliere Acernensi, sic fatigata a dæmone, ut loqui non posset. Magna quidem in utriusque relatione est differentia, sed non tanta, ut necesse sit affirmare diversa esse miracula.* F

mutæ loquela restituta.

106 *Quæ hactenus dedimus, edita sunt ex Octavario, nunc vero alia quædam dabimus ex Officio translationis, quod eumdem dicitur habere auctorem, et hunc titulum apud Nojam pag. 247:* In translatione sancti Amati episcopi et confessoris, de qua fit Officium XXVIII die mensis Maii. Omnia dicuntur sicut in alio festo præter lectiones et orationes. *Translatio, de qua egimus num. 96, cum miraculis narratur in hunc modum:* Tempore siquidem domini Lucæ venerabilis successoris ejus a loco, ubi requiescebat, sacrum corpus præfati sancti Amati extitit transmutatum, cujus mutationis solemnitas quinto Kalendarum Junii celebratur. Cum autem suum corpus de area, in qua reconditum erat, in basilicam mutaretur *, sic ipse miraculis effulsit, velut jam pene fulgore * nitentis radii renitescunt. Accidit, quod ejus dens, et vertebrum in area eadem remanserunt, ex qua tanti odoris exibat fragrantia, quæ cunctas indifferenter spe-

Sacri corporis translatio, et separatio capitis et brachiorum:

* *i. e. transferretur*

* *forte addendum solis*

cies

AUCTORE J. S.

cies aromatum superabat, qui donec non fuerunt inventi, et in basilica positi, eadem ab aliquo non poterat reserari *. Quibus inventis atque reconditis, sic reserata * extitit in instanti, velut infinitorum mechanicorum manibus seraretur. *Narrat hæc etiam Renda num.* 18.

* i. e. sera rursum claudi

* clausa

paralyticus sanatus

107 Tertio vero die post sui pretiosissimi corporis mutationem virtus Dei benignissima in ejus se voluit nomine altius ostentare. Dum enim quidam de Turella, Dominicus nomine, in lecto jaceret paralyticus, per viginti dies lingua, sensu, et motu voluntario carens, ac in extremis quasi in extasi positus laboraret, Sancti hujus cogitans patrocinium gloriosi, subito apparuit ei beatus Amatus vestimento indutus candido, qui eum a prædicta ægritudine liberatum, in statum reduxit pristinæ sanitatis. Qui exurgens ocius, exclamavit dicens: Magna est potentia Domini, et coæqualis majestas; interventu enim gloriosissimi confessoris Dei Amati, licet immeritus, sum sanitati pristinæ restitutus. *Eadem habemus infra in Vita num.* 19.

B

cæco visus restitutus,

108 Octavo vero die suæ mutationis aliud miraculum fuit cuidam, in oculum cujus festuca maxima subintravit, ex cujus introitu per duos menses lumen amiserat in totum. Divinæ placuit majestati, quod mater ejus voveret, ut cum ipso mausoleum beati Amati peteret, et machinam ceream apportaret. Post cognitionem voti, illico suus filius visum recuperare dignoscitur, quem amisit. *Renda hoc miraculum habet num.*19, *quem consule.*

confractum brachium mulieris sanatur.

109 Illo nempe tempore quædam mulier Capitis-Silicis, habitatrix ejusdem loci, dum quibusdam negotiis imminentibus peteret, cecidit præpediente per fidei inimicum, ex hoc casu illa fracturam brachii sic passa est fortiter, quod nullis fere poterat chirurgicorum auxiliis adjuvari. Demum limina gloriosissimi petiit Confessoris, et juxta tumulum, in quo tumulatum tunc temporis extiterat pretiosissimum corpus suum, per noctem assidue cum orationibus vigilavit sic devotissime, quod properantibus sociis, ut ad lares proprios verteretur, relictis omnibus, nolebat se a loco pristino removere, habens devotionem incomparabilem circa Sanctum. Ad ultimum circa meridiem, videntibus omnibus astantibus, ibidem in præfati Confessoris exaltatione consolidatum est brachium. *Hoc miraculum nullibi habetur apud Rendam. Phrasis initio vitiosa est aut luxata, nec facile restitui potest. At satis intelligitur brachium mulieris confractum fuisse et sanatum.*

C

puer sub ruina labentis portæ illæsus.

110 Erat in episcopio civitatis ex latere superiori quidam locus, qui vocabatur brachium sancti Stephani, ad honorem, et gloriam ejusdem protomartyris Stephani gloriosi locus etiam nuncupatur, ubi ædificatur altarium, et est ostium ex directo versus illud, in quo porta lignea erat immanis, et satis procera, cujus cardo propter crassitudinem sui, ponderositatem, et molem in utroque limine ferrea compede jungitur, et est descensus per diversos gradus lapideos satis magnos in ecclesiam ad altarium adeundo. *Locus ille erat in ecclesia cathedrali S. Stephano olim sacra, uti habet Renda num.* 20. *Porro phrasis mendosa forsan restitui potest, si pro vocibus*, qui vocabatur brachium *etc., substituatur*, ubi erat (*aut* servabatur) brachium *etc.*, *ne bis idem dicatur. Subdit de Ponte*: Die quodam in natalitio Confessoris, dum Missarum solemnia agerentur, et populus civitatis ad hoc universus concurrit, et nihilominus civitatibus ex diversis D sexus promiscui turba mirifica properasset, et quædam mulier in prædictis gradibus sedens et sedula moraretur, gerens in brachiis puerulum filium et biennem, lecto Euangelio, incepto symbolo et finito, subito venti impulsu circumsonat æther, et flamine venti validi prædicta porta ruinam faciens, non sine magno sonitu corruendo defecit. Mulier vero sonitum audiens, dimisit filium, fugam accipiens, luctu æstuans, omnibus audientibus clamare cœpit vociferando; Mortuus est filius meus. Ad cujus clamorem (quæ mirabiliter crinibus, et facie fuerat dilacerata) occurrit populus universus, et multis nitentibus præfatam portam magno conamine levaverunt, subter quam conspexerunt puerulum non læsum, non vulneratum, non lugubrem, nec aliquam in persona læsionem habentem, sed tenentem portam dextero brachio, acsi fortium virorum multitudine regeretur, congaudentes omnes in Domino Jesu Christo, qui per famulum suum sanctum Amatum tantum et tale miraculum ostendere dignatus est. *Apud Rendam hoc miraculum postremo item loco ponitur, additurque mulierem invocasse pro puero suo opem* S. Amati, *ex quo patet, cur huic Sancto attribuatur istud beneficium. Dissentit etiam Renda in* E *die facti miraculi: asserit enim contigisse in festivitate translationis reliquiarum, quæ celebratur* XXVIII *Maii.*

Observatio ad Vitam edendam.

111 *Porro ex iis, quæ observavimus aliter relata esse a Renda, quam antea fuerant narrata a Francisco de Ponte, colligimus Rendam habere debuisse ad scribendum non solum Opuscula Francisci de Ponte, sed alia etiam documenta. Quippe nefas esset suspicari a viro pio tam multa fuisse conficta, ut* S. Amatum *Ordini suo sic facilius adscriberet. Quin imo in multis a priore scriptore dissentit, quæ nullo modo conducere possunt ad finem memoratum, ita ut suspicio prædicta in Rendam cadere non posset, etiamsi de probitate ejus non constaret. Hinc facile mihi persuadeo, Rendam non nisi vera, aut saltem probabilia scribere voluisse, gestaque* S. Amati *ex variis documentis sic enarrasse, sicut ea verisimiliter contigisse existimabat. Veruntamen dubitari potest, an sufficientem adhibuerit crisim, an non* F *indulserit nimium conjecturis incertis, indeque dubia pro certis non narraverit, ac falsa quædam pro veris. Dubitari item potest, an ex conjecturis semel formatis ad alias rursum conjecturas non sit progressus, multaque facile crediderit facta, quia facta cupiebat. Non ausim igitur Vitæ mox edendæ eam attribuere auctoritatem, quam merentur scriptores coævi aut suppares: ac ne illam quidem, quam habent scriptores gestis, quæ narrant, longe posteriores; sed qui exacta crisi et diligentia conantur supplere, quod deest ætati; cum tanta crisis aut diligentia in Rendæ Opusculo non appareat. Ceterum, cum Vita illa, prout edita est anno* 1581, *innumeris fœdata sit mendis phrasibusque vitiosis, sive quod auctor ipse non satis fuerit Latine peritus, sive quod corrector typorum vel supina laboraverit negligentia, vel sermonis Latini ignorantia, quædam restituam ex editione altera anni* 1643, *quædam ipse corrigam; aliaque, quorum correctio clara non est, vel in margine vel in annotatis observabo.*

VITA

A

VITA

auctore Felice Renda

Ex gemina editione inter se collata.

CAPUT I.

Sancti patria, natales, adolescentia, vita clericalis ac monastica.

B

Sancti stirps nobilis, nomen ab angelo acceptum, sancta pueritia : *a* *b*

Amatus, nobili Nusciæ *a* civitatis prosapia ortus; literalibus a suis traditus studiis, ne mundiali sordesceret pulvere; sed Majestatis æternæ lucentia lumina amans, noctu diuque a teneris annis Sanctorum vestigia sequens, castitatis amator, sanctimoniæ bonorum operum est iter ingressus. Tanti in Deum erat futurus amoris, quod gravida mater in somnis ab angelo, filium paritura, Amati *b* nomen accepit. At nomine et re a Deo et hominibus amatus Amatus litteralibus et ecclesiasticis disciplinis iuhærens, tam lectioni et orationi erat intentus, ut magistro et hominibus magis acceptus magisque fiebat amabilis : et quæ magistrali eruditione disceret, ac perspicacitate ingenii coguosceret, conferens in corde, memoriæ couservabat.

distributis in pauperes opibus, fit clericus, *c*

2. At Davidis dictum diligenter attendens, et luminis iuterni intuitu contemplans assiduo, Dispersit dedit pauperibus, ut ad quietem futuræ gloriæ perveniret, cum quatuordecim esset annorum, parentibus orbatus, hæreditario jure in patrimonialibus succedens, cunctas facultates pauperibus erogavit *c* ac clericali habitu indutus, de bonis Ecclesiæ viveus, assidue ecclesiastico servitio erat intentus. At in eo melliflua charitas, qua in pauperum compassioue totis misericordiæ

C

affluebat visceribus, pullulans, pueritia et infantia sancte ac Deo digne decursa, adolescentiæ suæ viam perseverantius ad suum convertit Authorem. Assiduis assistens vigiliis, totus in Dei cultu ac Sanctorum tali fervebat obsequio, quod probabili vita refulgens, ad proximas civitates et oppida tantæ sanctitatis Viri odor eveuit, ut ejus nomen, ubicumque fuisset auditum, in veneratione nou pauca haberetur a cuuctis, sicque Deo anuuente contigit, ut secuudum corporis incrementum virtutibus iu dies proficeret, ac Euangelici dicti : Si quis posuerit manum ad aratrum, prospicieus retro, non est aptus regno Dei, non vanus auditor retro aspicere præcavens, in anteriora mentis et corporis oculos in Dei agricultura dirigens, recto ad Dominum festinabat itinere.

deinde sacerdos et archipresbyter : virtutes variæ. *d* *e* * *al. electus*

3 Postquam autem ad sacerdotii gradum *d* Confessor Christi pervenit, tauta in eo exerevit sancta religio, ut populorum cousensu, cum magno civitatis episcopi desiderio, archipresbyter *e* fuit effectus *. Ac animarum regimen adeptus, præceptis obtemperando Dominicis, tramitem æquitatis iucedeus, nobiles iu nobilibus; divites in opibus, nullam molieutes injuriam fraterno venerabatur affectu, et de eorum facultatibus pauperum sublevabat inopiam. Quos * vero diabolica suggestione erant inimici, benignus Dei Famulus dulci, ac veluti angelico, pacificans mulcebat alloquio; et laborantibus adens *, oppressis in judicio succurrens, viduis cousulens et orfanis, peregrinantibus hospilalitatem impendens, aliquibus eleemosynæ donum, aliis consilii, cum ad singula bona tota mentis intentione anhelaret, donum conferebat officii : afflictos consolans, ut ovem, quæ errando perire videbatur, ad Dominici gregis * pius Pastor reduceret citius, orationi semper intentus, quomodo sibi commissam Pastori æterno redderet, Deum orabat assidue.

A. Felice Renda. * *i. e. Qui* * *i.e. assistens* *adde ovile*

Ingreditur religionem Montis Virginis cum socia Joanne : *f* *g* *h* *i*

4 Sed animarum curam grave onus esse consideraus, et ad Dei servitium totum se tradere sæpe in mente revolvens, florem puritatis, quem in tenera ætate protulerat, in bonæ perfectionis sub maturitatis tempore fructum producere voluit. Statim enim cum sanctissimi Guilielmi *f* sanctitatem, et ejus miraculorum famam increbrescentem intelligeret sanctus Amatus, anno ætatis suæ XXVII *g* archipresbyteratus officium deserens, ad prædicti sanctissimi religionis institu- E toris, ad sancti Salvatoris monasterium *h*, quod milliaribus duobus distabat a patria, ut sacræ suæ religionis habitu indueretur, velocius evolavit. Die quadam uua cum Joanne *i* concive simplici seculari associatus, ad præsentiam sanctissimi patris Guilielmi se contulit, diceus : Pater sancte, ecce reliquimus omnia, et nos ad tuam religionis normam ut suscipias, supplici voce deposcimus. Ad quos Christi confessor : Fratres, melius est non promittere, quam in promissis deficere; ac non incipere, quam ab incepto desistere. At ipsi : Si nos digneris accipere, sperantes in Domino in iucepto proficere cupimus. Quos hilari vultu, ut erat, dulciter amplectens, monastico jugo submisit, ac sanctum Amatum sibi elegit socium.

condit monasterium Fontilianum, muto loquelam donat, *k*

5 Annis vero sequentibus e vita seculi hujus S. Guilielmus ad Domiuum migrando, gloriose discedens, ad Lacinii montis radicem Fontilianum *k* proprio nomine dictam, sanctus Amatus pergeus, in honorem sanctissimæ Virginis (ut ad præsens extat in esse) ecclesiam erexit, ac multorum monachorum monasterium magnum de diœcesani licentia construxit et auxit, ubi virorum multitudo F confluens, ei bona prædiave non pauca ob ejus sanctitatis merita benigne donabat. Iuter quos puer mutus advenieus, quem sanctus Amatus interrogans, et ut iuterrogationi responderet, jussit. At mutus alta voce respondens, ait : Gratias ago Deo meo, qui per servum suum Amatum monasterii hujus patrem, loquelam præstitit mihi : et ad pedes Confessoris Christi se projicieus, habitum suæ religionis humiliter petiit. Quo per manus sancti Viri vestitus, ab eodem (ut * memor sanctissimi primi patris) D. Guilielmi *l* nomen fuit impositum, qui, postquam ad episcopale regimen a Deo vocatus fuit sanctus Amatus, in prædicti monasterii sanctæ Mariæ Fontilianæ in abbatis successit officium.

* *adde, erat* *l*

claudo gressum, *m*

6 Istius miraculi per convicinas regiones fama crescente, paucis diebus elapsis, quidam Montellæ *m*, qui incessum amiserat, a suis in grabatum, ad sancti Patris præsentiam supplici voce poscentibus, ut claudo redderet sanitatem, fuit asportatus in monasterium. Quod audiens Chrissti Confessor, nulla mora protracta in ecclesia, una cum fratribus genibus flexis, et manibus elevatis in cælum, quam mutis loquelam, et claudis

A Filice Renda.

dis incessum dedit in terra, ad gloriam suam concederet fidelibus, oravit attente. Orationeque facta, ad claudi grabatum accedens, ut propriis plantis ad majus altare *, ut Christo de sanitate gratias ageret, hilariter imperavit. Quod cernentibus Fratribus fervorem in Dei servitio crevit *, et aliis: ac omnibus factus magis amabilis, tantus fuit hominum, et mulierum concursus ad Dei Virum, quod suum imitando Magistrum, popularem auram fugere volens illinc, et ad Virginis Montem iter arripiens discedere statuit.

* *adde*, incederet

* *i. e.* crescere fecit

Sanctus in itinere afficitur gravi vulnere, cujus in cranio adhuc apparent vestigia.

7 Cum nocte sequenti angelus *n* Domini apparuit, dicens se illic, et patriæ suæ usque ad ultimum vitæ diem Domino famulari. Mane sequenti, quod primo proposuerat, exequi cupiens, per montana iter arripiens, in valle Serpici *o* oppidi in venatores castri prædicti incidit. Quem calumuiose opprimentes ferreis jaculis taliter feriunt, quod capitis os (prout his oculis vidi, et ab aliis videri potest ad præsens) ictu perforaruut. At Dei Famulus præceptum angeli B cogitans, et inobedientem se fuisse cognoscens, ad suum monasterium est statim reversus. A suis patribus sic vulneratus benigne suscipitur, et medetur. Nec sanus effectus, *p*, quod per tale vulnus venator aufugiens in curiam incidit et magnis tormentis affectus delictum Cassani *r* præsuli succincte narravit: quem præsul, cum Dei Servum feriisset, morti condemnat. At catenis in carceribus vinctus, se, de delicto maxime pœnitens, vertit ad sanctum Amatum, cui multum se commendans in noctis crepusculo Dei Virum, ut lumen refulgens, aspexit, et ut Dei Sanctum adorans, statim a ligaminibus et carceribus liberatum se videns, mane sequenti a sancto Amato se absolutum publice prædicavit: ac miraculum manifestat. Quod audiens præsul *s*, monasterio sub famulatu illius traditum misit: ibique Dei, et sancti Amati præceptis, dum vixit, humiliter et devote servivit.

ANNOTATA.

a *Nuscum descripsimus in Commentario num.* 60, *ubi num.* 61 *et* 62 *de stirpe Sancti disputavimus.*

C b *Incertam videri hanc revelationem, impugnarique a Noja, monui in Comm. num.* 63. *Erat nomen* Amatus *satis commune eo tempore, ita ut sine revelatione imponi posset infanti.*

c *Id parum esse verisimile, ostendimus num.* 64.

d *Sacerdotio initiatus esse debuit anno circiter ætatis* 25 *aut* 26, *si Rendæ chronotaxim sequamur. Vide hac de re Comm. num.* 65 *et* 66.

e *Forsan simul cum suscepto sacerdotio. Quin etiam illud officium causam præbere potuit, cur ordinaretur citius presbyter.*

f *S. Guilielmus Vercellensis Ordinem Montis Virginis instituit circa annum* 1123, *obiit anno* 1142. *Vita ejus data est tom.* 5 *Junii a pag.* 112.

g *De impugnata et defensa vita* S. Amati *monastica vide Comm. num.* 68 *et* 69.

h *Hoc monasterium, quod duplex erat, virorum nempe et mulierum, illustrat Papebrochius in appendice ad Acta S. Guilielmi* § 2. *Si autem eo venit* S. Amatus *anno ætatis vigesimo septimo, ex chronotaxi Rendæ id factum circa annum* 1131, *quo monasterium aiunt conditum. Idem Renda in Vita S. Guilielmi accessum* S. Amati *ejusque socii Joannis refert ad tempus, quo* D *S. Guilielmus hoc Guletanum S. Salvatoris monasterium condebat, ita ut omnia invicem recte consonent. Porro monasterium istud, quod maximum fuit, nunc paucos habet monachos, exstinctis monialibus.*

i *Joannem hunc,* S. Amati *socium, fuisse scriptorem Vitæ antiquæ S. Guilielmi ac Montis Marani episcopum, ostendere conatur Sandullus in Apologia cap.* 3 *et* 4, *eumque distinguit ab alio Joanne Nuscano contra Nojam, qui temere scripsit utrumque Joannem Nuscanum hominem esse fictitium, quamvis revera tantum ostendere conatus sit, fictitium esse, quod alter fuerit episcopus Montis Marani, alter abbas Panormi. Porro S. Joannis episcopi Montis Marani Acta apud nos edita sunt tom.* 3 *Augusti a pag.* 510, *ex quibus Sanctus videtur pertinere ad seculum* XI, *cum dicatur episcopus creatus jussu Gregorii Papæ VII, ita ut non potuerit esse ex Ordine Montis Virginis. Verumtamen apud Ughellum in episcopis Montis Marani tom.* 8, *col.* 338 *datur alter Joannes istius ecclesiæ episcopus, qui subscripsit concilio Lateranensi* III *anno* 1179. E *Apud Rendam in margine hæc notantur:* Hic Joannes postmodum sanctus effectus est, de quo supra meminimus in Vita S. Guilielmi, veneratus a Siculis. *Verum notulam illam marginalem repudiat Sandullus pag.* 57, *tamquam a mente scriptoris alienam. Candide edico, me nihil reperire nisi tenebras in utroque illo Joanne Nuscano.*

k *De constructione, seu instauratione potius, hujus monasterii actum in Comm.* § 8.

l *Miraculum modo relatum oppugnat Noja, defendit Sandullus. Occasio est asserta Guilielmi successio, in qua errare potuit Renda, etiamsi miraculum vere contigisset. Vide Comm. num.* 75.

m Montella oppidum titulo comitatus insigne *memoratur a Leandro Alberto in Samnitibus pag.* 407, *ponitur aliquot milliaribus supra Beneventum, ad dexteram partem Caloris amnis,* ad montes collesque flectentis, *ubi quoque notatur in tabulis geographicis inter Nuscum et Salernum. Noja disc.* 5 *contra hoc, uti et præcedens miraculum objicit silentium Francisci de Ponte. Sed silentium istud parum probat, cum* F *miracula Sancti viventis generatim narraverit.*

n *Hanc apparitionem angeli, cujus mandato morem non gessisset Sanctus, verisimilem non esse observavi in Comm. num.* 76.

o *In tabula Principatus Ulterioris apud Blaeuium* Serpico *vicus notatur inter Montellam mox memoratam et* Avellinum *seu* Abellinum *non procul ab amne Sabbato.*

p *Quod ante conquestus sum, phrasim hujus Vitæ non cohærere, ubique fere experior. Hæc igitur verba, quæ sensum non faciunt, sic intellige:* Necdum sanus effectus erat, *dum accidit, ut venator incideret in curiam, id est, in manus prætoris Cassanensis, qui designatur voce* præsul.

r Cassanum *oppidum est prope Calorem amnem paulo infra. Montellam. Proprium non habet antistitem, ita ut vox* præsul *de episcopo nequeat intelligi, sed subest Nuscano episcopo.*

s *Si carcere erat liberatus, quomodo adhuc manserat in potestate judicis? Dici quidem potest, miraculo confisum atque ope Sancti, fugere noluisse. At hujusmodi adjuncta non facile creduntur, nisi majori nitantur auctoritate. Porro*

A *ro percussionem ipsam Sancti non negamus, ut videri potest in Comm. num. 77, 78 et 79, ubi refutavimus male fundatas Nojæ objectiones : at suspicamur Rendam, ex levibus forsan conjecturis, factum præcipuum exornasse adjunctis minime veris.*

CAPUT II.

Occasio, qua sanctus electus episcopus, ipsaque electio : gesta in episcopatu ac pia mors.

Sanctus innotescit Guilielmo Siciliæ regi, cujus ope B Anno autem domini MCLVI, ætatis vero suæ LII, Christi Confessor a vulnere sanus *, Emanuële Græciæ imperatore *a*, sanctæ Sedis Adriano IV, ac Guilielmo, Filio Rogerii regis sanctissimi Patris *b* veneratoris magnifici, secundo Siciliæ rege, regnantibus; dum ab imperatore prædicto prætenderetur regimen Apuliæ, et rex Guilielmus patris patrimonium defenderet, Beneventum volens accipere, non modico exercitu de Salerni *c* partibus per Nusciæ civitatis regiones transiens, nonnullos, ut cum eo præliarentur, secum vinctos adduxit. Qui ad sancti viri Amati vertentes clementiam, ipsiusque meritis remittendo *, unus ex eis regi Beneventi *d* victoriam prædicit. Cui rex : Quam de hoc certitudinem habes? At ille : Ecce ego eum sociis iu Famulo Dei, discipulo tui genitoris sanctissimi Guilielmi dilecti, confisus Amato, te victorem prædicimus esse. Quibus rex; Mihi, quæ scitis de his Sanctis, præterita cuncta narrate. Et illustri *e* de primi patris cum suo genitore famulatu continuo non pauca recensentes, rex eis sic alloquens ait : Si Deo placuerit, de victoria Montis Virginis ecclesiam participem faciam At post modicos menses, de Benevento triumphans *f*, majorem Sanctorum corporum reliquiarumque numerum, qui adhuc in Virginis Monte reperitur *g*, quam devote remisit.

* *adde, cum esset*

* *forte, innitendo*

episcopus eligitur : C 9 Rex vero Salernum revertens tempore, quo Nuscanus episcopus ab hac vita migravit, a Nusciis civibus deprecatur, ut ejus favore ab Adriano sanctæ Sedis IV Pontifice maximo in episcopatus officium sanctus Amatus esset electus. Pontifex precibus regis assentiens, Sanctum prædictum in suæ civitatis episcopale regimen creavit *h*. Rex autem Messinæ *i* Siciliæ regni de victoriæ triumpho non immemor factus, * ibi ad sanctissimæ Virginis laudem monasterium magnum (hodie S. Leonardus vocatum) construi fecit. Sanctus vero Amatus * ita mira, circa qualibet depressos molestia compatiendi erat sedulitas : quod communis omnium ei tanto ardentius inhærebat dilectio, quanto attentius in suum cernebat vigilare subsidium. Et in monasterio existendo prædicto, a suis nunciatur *k* concivibus : Tu es, quem super Christi gregem indefessus * nocturnas oportet custodire vigilias : et annis jam multis quod recusasti rogatus accipere animarum regimen, nunc sanctæ Sedis Pontificis jussu ut suscipias, non potes aufugere; ac omnes consona voce proclamant : Pater sancte, tuæ nativitatis locum præsentia, qua tui omnes reddis amabiles *, ipsa ad Dei gloriam ac animarum salutem magnifica semper, nostrumque tuo consensu magnifica votum. Quibus Sanctus : Deo ac sanctæ Sedis apostolicæ Pontifici maximo semper fui obedire paratus. Ad hoc onus me indignum existimans, pluries recusavi : nunc Deo, Christique Vicario obtemperare malo.

* *l. S. Amati*

* *indefessum*

* *amantes*

A. FELICE RENDA.

consecratus Salerni, abbatem sibi substituit : honorifice suscipitur Nusci : duo miracula : 10 Ut vero consecraretur ad Salerni archiepiscopum associatus a concivibus proficiscens, mirifice suæ patriæ ingenti cum gaudio ab eo fuit consecratus Nusciæ episcopus : et tali dignitate ornatus, ad monasterium, quod propriis construxerat manibus, properans prius, et a monachis susceptus hilariter, dulci sermone ad observantiam cœnobiticæ normæ strictissime admonuit, ipsisque successorem multæ sanctitatis D. Guilielmum *t* nomine abbatem elegit. Post episcopalis ecclesiæ Nusciæ civitatis patriæ suæ fuit possessionem adeptus. Quem ocius omnes in Dei laudem cum manibus vocem dicentes extulerunt ad æthera : Benedictus, qui cuncta creavit et regit, qui pro nostro regimine sanctum dedit Amatum. Deum autem episcopali cathedra Christi confessor ornaretur, magnifice populorum ad eum undique concursus adveniens *; primicerius *m*, qui erat in quodam finitimo castro detemptus, auxilium Dei, et opem ipsius sancti Episcopi nocte invocans, ut adesset cum ceteris, E statim carceris pars, acsi artificiose esset factum, rupit in alteram partem. A carceribus liberatus, mane coram omnibus hoc sibi evenisse publice manifestavit. Et cum multitudine quædam puella lunatica *n* assistens, a morbo meritis sancti Præsulis liberatam agnoscens, ad Sancti pedes ejecta Deo gratias egit.

* *concursu adveniente*

constructio ecclesiæ cathedralis : virtutes ac pia Sancti opera : 11 Sanctus præsul Amatus in habitaculo suo tranquille commorans, sculptores artifices ad novam sub titulo prothomartyris Stephani construendam conduxit ecclesiam *o* : et constructam in honorem sancti Stephani basilicam consecravit, sedem sibi stabiliens. Vigilanter in psalmis, hymnis, lectionibus et orationibus assiduis vacans, ut corpore cum habitaret in terris, in Dominico obsequio cum presbyteris et clericis suis spiritu conversaretur in cælo; etsi alebatur in mundo, ad mundanas non titubans illecebras, nec ad sæculi vanitates ac falsas respexit insanias; sed vivens vita vivebat in Christo, intus cum Deo, foris cum populo agebat justissime. Diebus vero festivis populum in Dei amore et proximi charitate, in divinis eloquiis ac operationibus sanctis exorabat assidue, cujus precibus sanctis Nuscanus populus ab iuimicorum turbine liberabatur continue. F Tantam Dei Famulus perfectionem adeptus est, quod in nulla occupatus * inertia. Hostis antiquus per cujusdam dæmoniaci os, cum a prædicto Sancto ejiceretur, vociferans ait : Dolet quam maxime, neminem ad sancti Amati custodiam pertinentem de grege sustulisse Dominico : et eo dolentior *, cum promptuosior insidias tenderem, odia inflammarem, litigia incitarem, furtum, adulterium, iram, et cetera varia vitia astute suggererem, ab hujus Sancti viri jejunii clypeo, patientiæ lorica, * fortitudinis lancea, justitiæ gladio *p*; sed magis ab humilitate profunda a suis ovibus expellor assidue.

* *adde esset*

* *adde, sum*

infirmi varii sanati : 12 Talibus enim armis divinæ militiæ Christi Miles insignis, diabolicam impugnabat tyrannidem, et diaboli tentamenta consumendo, gregem Christi, nil de sua præsumens fiducia, sed in Dei sperans auxilio, conservabat immunem, seduloque a sancto non desistens proposito, aspectum hominum dum fugeret, in ecclesiæ angulis, aliisque Deum pro grege sibi commisso exorabat

A. Felice Renda.

bat latibulis. Nec quoquomodo superari poterat, cum quo virtus æterna manebat; nec impugnari valebat, quem acies concomitabatur angelica. Peractis non mensibus multis, de longinquo et proximo multas sustinentes infirmitates, surdi *, muti, claudi, paralitici, febricitantes, ad Sancti præsentiam venientes oratione ad Deum primo facta, curabat in Christi nomine: at illi incolumes revertentes Deum Jesum Christum, qui sui Servi dilecti precibus redderet sanitatem, vocibus glorificabant in Sanctis suis.

* surdos *etc.*

sacellum S. Leonis constructum, et monasterium S. Mariæ Novæ: clericus sanatus:

13 Sanctus Antistes popularem audiens famam, ut eam aufugeret, ad declivium montis, ubi civitas erat, ad honorem sancti Leonis *q* construxit ecclesiolam, ad quam persæpe, ut ad heremiticum oratorium confugiens, hominum laudem evitabat. Ac illic existens antiquus serpens invidens, ne per hoc Sanctus proficeret magis, imaginationes varias, occultas insidias parans *r*, extremo flagellis oppressit. Sed Sanctus, velut fortis athleta, in Christi nomine superabat. Sæpe monasterium *s* duobus milliaribus fere distans a se constructum visitans, veluti filios suos monachos admonebat. His operibus vigilans Dei B Servus, et concursum virorum ad sui habitus susceptionem dum videret, ad gloriam Virginis, sub titulo sanctæ Mariæ Novæ, (hodie sancta Maria Longa, a longitudine monasterii, ut vestigia ostendunt, dicta) monasterium aliud ædificat *t*. Ac quibusdam annis elapsis, clericus quidam, cujus hospitium ab episcopali ecclesia non longe distaret, peccatis exigentibus suis, corporis ita premeretur * angustia, acsi lapis corpus ejus evasit immobile. Diu in miseria tali persistens, acsi anima exhalaret e pectore, quod parentes mortuum magis, quam vivum tenerent, ad sancti Præsulis a suis adductus præsentiam, tali fuit voce locutus: Pater sancte, si gratia Dei multos a variis sanasti languoribus, et me clericum tuum sanare digneris. Cui Præsul: Deus sanat, ego sanatum amplector; orationeque facta, clerico jubet, ut de grabato ad ecclesiæ famulatum accedat. At ille obediens, sanus efficitur, et sanus ecclesiæ servivit.

* premebatur

C *ædificata S. Laurentii ecclesia: duo miracula: mors Sancti.*

14 Post sanctus Dei Amatus ad venerationem sancti Laurentii, aliam construxit ecclesiam *u*: et in consecrationis solemniis mulier a paralysi fuit liberata. Item alia civitatis Acerruii *x*, a dæmone fatigata, quod loqui non poterat, ad Sancti pedes ejecta; diabolus alta voce prorupit: Amate a nobis odite, cur nos expellis ab homine, et ad tartara mittis? Et Sanctus: Non ego, sed ille, qui te de cælo ejecit, expellit ab homine. Sed cum senex efficeretur, sua in cathedrali ecclesia Deo serviret, continue vigiliis et orationibus intentus, suæ ætatis ad ultimum diem venit: ad ecclesiam jussit adduci, pontificali diademate ornatus, Sacrum volens celebrare; ea facta, orando Deo spiritum *y* commendavit suæ ætatis anno LXXXIX, Incarnationis MCXCIII, Cælestino III Pontif. Max. existente.

ANNOTATA.

a *Imperium Manuëlis, seu Emmanuëlis Comneni imperatoris Græci, orditur Pagius ab anno* 1143, *producitque usque ad annum* 1180, *quo defunctus est. Adrianus IV Pontificatum gessit ab anno* 1154 *usque ad* 1159. *Guilielmus I Siciliæ rex, cognomento* Malus, *patri suo Rogerio in regnum successit anno* 1154, *illudque cum vita deposuit anno* 1166, *ut habet laudatus Pagius.*

b *S. Guilielmi nimirum, quem patrem nominat* D *Renda ob Ordinem fundatum.*

c *Salernum est nota civitas regni Neapolitani ad mare Mediterraneum, et caput Principatus citerioris.*

d *Beneventum item satis notum est in Principatu ulteriori: at sub ditione summi Pontificis. Eo confugerant principes, qui regi bellum istud moverant cum Adriano IV.*

e *Locus haud dubie mendosus est. Suspicor legendum:* Et illi de primi patris *(S. Guilielmi)* cum suo genitore *(Rogerio)* famulatu continuo non pauca recensentes, *pro* illis recensentibus: *nam hic solœcismus Rendæ familiaris est. Potest etiam per* primum patrem *intelligi* Amatus, *et per* genitorem *Guilielmus.*

f *Triumphasse revera Guilielmum etiam de Benevento, quod, licet interceptum non sit, pacis conditiones assumere debuit a victore impositas, diximus in Commentario num.* 84. *At num.* 85 *observavimus non æque certam esse translationem reliquiarum hic assertam eodem contigisse tempore, cum varia sit variorum de tempore istius translationis opinio.* E

g *Caracciolus ante laudatus pag.* 252 *translationem corporis S. Januarii ex Monte Virginis Neapolim contigisse ait anno* 1494. *Non igitur omnia corpora usque ad Rendæ tempora manserant in Monte Virginis, nisi forsan corpus S. Januarii non numeraverit inter translata per Guilielmum.*

h *De electione Sancti ad episcopatum egi num.* 87 *et* 88: *de eadem non pauca dicta sunt toto* § 6. *Ostendi quidem locis illis nihil in illa occurrere, cur certi mendacii arguamus Rendam, nolim tamen sic inhærere omnibus, quæ narrat scriptor ille de hac electione, ut inficier de adjunctis quibusdam dubitari posse.*

i Messana, *vulgo* Messina, *urbs est notissima Siciliæ. De condito ibidem per Guilielmum monasterio consentit Paulus Regius in Vita* S. Amati. *At istud apud alios scriptores non reperi.*

k *Voluit auctor hæc dicere. Cum esset in monasterio Fontiliano, venerunt ad ipsum Nuscani, similia dicentes:* Tu es etc.

l *Num.* 5 *narraverat puerum mutum a Sancto sanatum, eique Guilielmi nomen una cum habitu monastico datum. Addit ibidem Sancti in abbatis* F *officio fuisse successorem, ita ut eumdem hic videatur designare Guilielmum. Id tamen negat Sandullus pag.* 332, *vultque hunc Guilielmum ab altero distinctum. Verum de neutro nihil quidquam dicit ex antiquis documentis.*

m *Franciscus de Ponte refert id miraculum post mortem Sancti. Vide Comm. num.* 98.

n Lunatici *iidem passim sunt, qui alias* epileptici *dicuntur, seu morbo caduco affecti. Hoc miraculum non habet de Ponte, ut observat Noja pag.* 195.

o *De constructione ecclesiæ cathedralis egimus num.* 89.

p *In Comm. num.* 89 *similia recitavi verba ex Francisco de Ponte, sed non sic ibi prolata, acsi dicta essent a dæmone. Observat eam verborum similitudinem, differentiamque narrationis Noja pag.* 205, *suspicaturque non immerito, Rendam dæmoni attribuisse verba, quæ ad commendandum Sancti vigilantiam meditatus erat Franciscus de Ponte. Hinc ipsa dæmonis expulsio suspecta haberi potest.*

q *De sacello hoc S. Leonis, uti et de monasterio S. Mariæ Novæ, atque ecclesia S. Laurentii*

A *rentii mox memorandis, pauca diximus in Comment. num.* 91.

r *Hæc etiam, teste Noja pag.* 217, *habet Franciscus de Ponte, qui tamen, inquit, non dicit Sanctum molestia et verberibus a dæmone affectum.*

s *Fontilianum designat, de quo antea actum.*

t *Ad marginem notatur,* Anno MCLXIV Alexandro III Pontifice maximo regente.

u *Rursus in margine,* Anno Domini MDLXXI.

x Acernum, *vulgo* Acierno, mediterranea est civitas Campaniæ Felicis, in provincia Citerioris Priucipatus, *inquit Ughellus tom.* 7, *col.* 446, *ubi modicam hanc civitatem describit latius, texitque catalogum episcoporum, qui illi præfuerunt sub archiepiscopo Salernitano. Pro hoc miraculo consule Comm. num.* 105, *ubi idem forte narratur modo diverso.*

y *In secunda editione hujus Vitæ, additur dies emortualis hoc modo :* Die ultima Augusti. *Porro non dicit clare hic auctor, Sanctum obiisse in ipsa ecclesia; sed tantum affirmat, infirmum ad ecclesiam portatum, ut sacrosanctum Missæ offer-* B *ret sacrificium; nec addit, utrum deinde relatus sit domum. Noja tamen pag.* 226 *sic locum exponit, acsi in ipsa ecclesia diceretur mortuus, quod incertum puto. Idem carpit Rendam, acsi diceret obiisse sine morbo præcedente, quod rursum aperte non dicit; sed morbum prætermittit, sicut illum etiam prætermisit Franciscus de Ponte. Tertio reprehendit, quod dicatur ductus ad ecclesiam* pontificali diademate ornatus, *cum non soleant episcopi in quotidianis Sacrificiis uti indumentis pontificalibus. At potuit ad ecclesiam portari ornatus diademate episcopali, ac deinde sine illo Missam peragere. Hæc dici possunt, si quis nolit admittere, varia de Sancto asserta per Rendam, quæ sunt præter consuetudinem morientium. Fatendum tamen est, sic loqui Rendam, acsi dicere voluisset, Sanctum Missam celebrasse pontificali ornatu, (quo casu vehementer ægrotare non poterat) statimque post Missam obiisse in ipsa adhuc ecclesia orantem. At, uti mens auctoris utcumque incerta, ita multo incertiora sunt ea, quæ sensu obvio videtur affirmare.*

CAPUT III.

C

Miracula varia, geminaque corporis translatio.

In Sancti exsequiis facta duo miracula:

Dum sanctus Pontifex ab hoc seculo ad regna migrasset cælestia, in ejus funere populorum factus est concursus, et suæ religionis maxime patrum. Accidit, præsentibus omnibus, ut lampadum, quæ erant ante cadaver, una oleo plena et accensa nimis ex alto in pavimento ecclesiæ cadens, præsentia sancti corporis nec frangeretur, nec lumine extincto, oleum esset effusum *a*. Quod cum cernerent, omnes Deum in Sanctis suis glorificarunt. Sed inter funeralia, quidam a dæmone oppressus *b* adeo, quod oculis tortis, niger colore effectus, spumam evomeret, adductus ligatus a suis ad ecclesiæ fores, inquit : Ille me ejici jubet mortuus, qui vivus a se, et ovibus suis sæpe ejecit. Et dum hæc pluraque miracula faceret, corpus mirifice in cathedrali ecclesia conditum servabatur.

a

b

A. Felice Renda.

captivus per Sanctum liberatus, uti et alter :

16 Civitatis vero Nusciæ facies ex improviso occupatur ab hostibus, ut de civibus multi ducerentur captivi. Quorum unus sancti Præsulis familiaris, cum ad inimicorum castra pervenit, pedibus et manibus post terga ligatus, in tormentis eculeo suspensus, ad majorem corporis afflictionem in humeris immenso lapide cruciatur. Et dum tantam pateretur afflictionem, in sancti Antistitis meritis constantiam præbuit, et illi commendans, factum est, ut inimici, qui eum affligerent, gravi corporis morbo percuterentur *c*, et suspensus nullo dolore torqueretur, quibus detemptus, sui familiaris sancti Amati precibus evenire ait; quem statim deponentes * vinctum. A ministris detinebatur, in noctis crepusculo, Dei Sancto commendans, cum multa odoris fragrantia visio candida, ut serenum lumen effulgens, venit : et a loco liberum, per medium hostium, vinculis absolutum sanumque adduxit. Mane valde diluculo hostes omnes hoc audientes, ipsum miserunt *d* ad propriam patriam. Cujus vincti liberatio ad auras cujusdam captivi perveniens, qui pro criminibus suis in carceribus erat, de delictis pœnitens sancto Præsuli se commendavit. E Nocte sopori datus, cum compedibus solutis ad Sancti sepulcrum *e* se jacere invenit; et liberatus, ad gloriam sancti Amati, compedites * in muro defixit, ut videtur ad præsens. Hæc multaque miracula, dum magna veneratione in domuncula quadam corpus condebatur, sunt patrata.

c

* deposuerunt

d

e

* compedes

elevatum corpus ac sacellum Sancto ædificatum.

17 At successor ejus D. Rogerius *f*, qui tempore mortis suæ abbas ejusdem religionis in monasterio sancti Salvatoris de Guleto reperiebatur, prædictæ civitatis a sancta Sede apostolica episcopus factus, in eodem loco, ubi sacrum recolendæ memoriæ corpus jacebat, basilicam construxit : et dum paries per locum, ubi tumulum * erat, erigeretur, ac corpore inde remoto, odoris tantam fragrantiam sentiit, ut cuncta exuperaret aromata; ibique claudus meritis sancti præsulis Amati Dei virtute evasit incolumis *g*. Quod successor ejus D. Rogerius videns, magnificam ecclesiam (ut nunc inspicitur) ædificavit, et ædificatam in honorem sancti Amati consecravit, (et hodie sanctus Amatus est titulus episcopatus) et pro capituli cleri sigillo, Sancti F præfati figuram, cum duabus ovibus juxta pedes hinc inde, ut ovium veri Pastoris, posuit. Corpus vero cum brachio prothomartyris Stephani in propria ara sub pavimento stabilivit, anno Domini MCCXXIII, Honorio III sanctæ Sedis Pontifice maximo vivente.

f

* tumulus

g

Translatio corporis, separatis capite et brachiis :

18 Multis *h* post annis elapsis, D. Lucas, Nusciæ civitatis successor episcopus, prædicti Sancti corpus in vasis argenteis mirifice collocare volens, a loco, ubi erat, ad propriam ædem, sive sacellum, transmutari præcepit. Et ipse, præsentibus populo et clero, de arca, in qua recondebatur, miraculose effulgentibus radiis, cuncti nitentes *i* odoris fragrantiam senticrunt. Et vertebre cum dentibus ibi remansa *, arcam reserare numquam potuit. Stupens dum cerneret intus, et prædictam partem capitis, statim reseravit, ut prius. Hilarescentibus omnibus, processionaliter caput et brachia, distincta a corpore, cum præsul ad sacellum adduceret, (ubi hodie in vasis argenteis summo venerantur honore) corpus ab ædicula amovere non potuit. Ac illud in arca prædicta mirifice collocavit, (ut ad præsens servatur.)

h

i

* relicta

19 Tribus

A. Felice Renda.

paralyticus sanatus et cæcus :

19 Tribus post diebus finitis, quidam Dominicus nomine, terræ Torellæ *k*, dum paralyticus in lecto jaceret, et per dies fere viginti lingua ac voluntario motu carebat; ac sancti Amati merita volvens, quem suppliciter exposcebat; nocte ei candida veste indutus Sanctus apparuit, et ab ægritudine ad sanitatem pristinam reducit : qui sanus mane de lecto consurgens, publice miraculum prædicavit. Octavo autem a translatione die quidam de oppido Morræ *l*, lumine visus carens, a suis ad Sancti tumulum ducitur, et continue orabat, et sic orans visum, quem amiserat, recuperavit.

puer sub ruina portæ illæsus.

* translationis

20 Anno sequenti, dum translationem * reliquiarum celebraretur solemnis dies pontificaliter, e superiori loco cathedralis ecclesia ingens lignea porta erat, et prope eam dum sedula mulier existeret, juxta se filium parvulum tenens, accidit, ut dum a turbine venti super puerum caderet ostium, mater afflicta vociferans : Oh Amate sancte, auxiliare, homines non sine labore portam auferentes puerum invenerunt illæsum *m*. Hæc multaque alia Sanctus miracula B fecit in Christi nomine. Et benedictus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui fidelibus suis gratiam affluit per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat in seculorum secula. Amen. Celebratur Translatio sancti Amati quinto Calendas Junii.

ANNOTATA.

a *Idem narrat Franciscus de Ponte in Commentario num.* 101, *cum hac tamen temporis differentia, quod dicat miraculum contigisse* in annua solemnitate beatissimi Amati; *hic vero accidisse dicatur in exsequiis.*

b *Hoc miraculum alibi clare non reperio. Attamen de dæmonibus ope Sancti expulsis mentionem facit Officium, adductum in Commentario num.* 8. D

Vide app. pag. 845 not. 15.

c *Vide in Comm. num.* 103 *hoc factum relatum a Francisco de Ponte, qui nihil habet de percussione illorum.*

d *Nec hoc additur apud de Ponte, nec verisimile est; non enim poterat dimitti, qui jam evaserat.*

e *Idem miraculum narrat de Ponte in Comm. num.* 104; *sed liberatum recta domum deducit, non primo ad sepulcrum* S. Amati.

f *Hæc omnia, quæ sequuntur de Rogerio, discussimus in Comm. num.* 94 *et* 95.

g *De suavi odoris fragrantia, claudique sanatione consentit Franciscus de Ponte in Comm. num.* 97.

h *Ante hanc quasi appendicem alteram ponitur hic titulus :* Miracula facta in translatione capitis et brachiorum. *De Luca episcopo, factaque per eum translatione consule Commentarium num.* 96.

i *Mendosus est locus, seu imperitia scriptoris seu editoris : at sensus hic est. Cum episcopus coram omnibus arcam aperuisset, emicantes inde* E *radios viderunt præsentes, suavemque perceperunt odorem. Arcam claudere deinde voluit, sed non potuit, priusquam vertebram et dentes inadvertenter in ea relictos etiam ex arca elevasset, quam deinde facile conclusit. Vide hæc omnia in Comm. num.* 106, *ubi Franciscus de Ponte pro dentibus in arca relictis dentem tantum habet.*

k Torrella *oppidulum in tabulis geographicis notatur prope Nuscum.*

l Mora *aliquot leucis Italicis Nusco dissita prope Fanum Angeli Longobardorum notatur in tabulis, ut vicus.*

m *Refertur idem miraculum in Comm. num.* 110.



DE

A D

DE S. RAYMUNDO NONNATO

CONF. S. R. ECCL. CARDINALE,

EX ORDINE B. MARIÆ VIRGINIS DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM,

CARDONÆ IN CATALONIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Incertum, quando prodierit in lucem; nobilitas; educatio; vocatio ad Ordinem monitu Deiparæ; labores apostolici; iter Italicum ac reditus.

B E

Anno circiter MCCXL. *Tempus,*

Cardona, *inquit Baudrandus*, castrum Hispaniæ in Catalonia, ad amnem cognominem Cardoner vulgo, ubi salisfodinæ celebres, et ducatus titulo insignitur antiquæ familiæ Folcorum, de Folchs dictæ, tribus leucis distans a Celsona in meridiem Minorissam versus, et Montem Serratum septem. *Locus hic est, in quo Sanctus noster post exantlatos plurimos labores apostolicos ad cælum migravit. Annus ac dies, quibus vidit primam lucem, varii a variis statuuntur: nam auctori Vitæ Latinæ, quam dabimus, placet mensis Decembris anni* 1200. *Apud Alfonsum Remon *, qui dicti Ordinis alumnus fuit, ac Historiam ejusdem generalem Matriti editam anno* 1618 *Hispanice vulgavit, tomo* I, *lib.* 3 *a folio* 91 *verso nullum annum reperio. Philippus Colombo ex laudato Ordine Vitam* S. Raymundi Nonnati *sermone Hispanico imprimi curavit Martriti anno* 1676, *in qua lib.* I, *cap.* 2, *pag.* 6 *meminit anni* 1200, 1204, *vel* 1198; *sed fatetur nihil de hac re constare certi. Bailletus in Vita Sancti habet annum* 1204. *Ego vero, quem ex his annis tamquam veriorem eligam, non habeo compertum.*

* al. Ramon

C

quo prodiit in lucem:

2 *Columbus citatus observat in suo Prologo ad lectorem, quod Bernordus de Vargas, quem allegat lib.* I, *cap.* 32 *Historiæ Latinæ, posuerit Sanctum nostrum anno* 1279 *prodiisse in lucem ac eum carpit tamquam a communi sententia deflectentem, quæ asserit,* S. Raymundum *vixisse sub S. Petro Nolasco, primo Ordinis Generali. De die natali nihil habeo satis certi: nam pro mense Decembri modo notato ponitur apud Colombum cap.* 4 *Vitæ, lib.* I, *pag.* 24 *dies Veneris, in quem incidisse indicatur festum Purificationis Deiparæ, ex illustrissimo Fr. Melchiore Rodriguez de Torres lib.* 3, *cap.* 25, § 2.

nobilitas generis: mira quædam in prima Sancti ætate.

3 *Generis nobilitatem describit biographus, quem in lucem damus, num.* I, *Remondus antea designatus aliquid se lucis invenisse in chartis archivorum affirmat, quod Sanctus fuerit ortus ex illustri genere Folchensium et Cardonensium; multique e nostris, ait, scriptoribus, quibus addit auctores antiquos et modernos, hoc scripserunt: fatetur tamen, alios ex iis esse, qui aliter senserint, magisque humilem ipsi originem tribuerint. Colombus lib.* I, *cap.* I *indicat fuisse editum regio sanguine jam dicti generis, multisque agit de nobilitate ipsius. Verum, quo pacto tantus generis splendor cohæreat cum humili officio pastoris ovium, quo Sanctus perfunctus fuisse jussu patris sui traditur, non equidem satis intelligo. Huic difficultati conatur respondere Colombus pag.* 3; *sed, quandoquidem inter scriptores de hac nobilitate non convenit, sicut indicabat Remondus, optandum fuisset, ut Colombus proferre potuisset unum vel alterum locum ex scriptore synchrono, et aptæ auctoritatis ad hanc rem comprobandam: etenim tametsi tantus generis splendor et munus pastoritium non ita pugnent, ut simul conjungi in nostro sancto Juvene non potuerint, manet tamen quæstio, an revera conjuncta sint. Pro illustri autem nobilitate ipsius nominat idem Colombus pag.* 3 antiquissima instrumenta; *pag.* 4 chartas antiquas archivi Cardonensis, *et* librum magnæ, *ut vult*, antiquitatis *etc. Nos itaque Sanctum relinquimus in possessione dubia nobilitatis, quæ a scriptoribus ei tribuitur. Paucis hic addimus, quæ in prima ætate evenisse ei circumferuntur. Colombus lib.* I, *cap.* 4 *narrat Infantem nutricis ubera non suxisse diebus Veneris ac Sabbati; sed admisisse tamen ad finem eorumdem dierum. Item palmis manuum ejus expressa fuisse dulcia Jesu et Mariæ nomina, singula singulis. Sed mirabilia, quæ memorantur loco citato, concludit Colombus fide Melchioris Rodriguez de Torres episcopi Rossensis in Hibernia, quem Nicolaus Antonius in Bibliotheca scriptorum Hispaniæ vocat* titularem Rossensis ecclesiæ in Hibernia episcopum. *Non potest autem commendari ab antiquitate, cum addat, illum vita functum anno* 1641.

F

4 *De Sancti juventute, summa cum integritate morum transacta, singularique ejus erga virginem Matrem religione, ac cælestibus hujus erga illum favoribus scribunt auctores, qui etiam memorant,* *tirocinium vitæ Religiosæ*

AUCTORE J. P.

memorant, eum Deiparæ monitu ad Ordinem de Mercede redemptionis captivorum adjecisse animum. Remondus a fol. 97 *verso indicat, non convenire inter scriptores de modo, quo Sanctus propositum suum exsecutioni mandarit; nonnullis dicentibus, quod, suadente dynasta Cardonensi, a patre missus Barcinonem ad studia fuerit, priusquam Religionem ingrederetur : aliis contra sentientibus, eum artibus liberalibus ac theologiæ operam navasse post assumptum ejusdem Ordinis habitum. Pro prima opinione allegat Remondus codicem Ms., quem vocat antiquissimum, Vitam Sancti complexum. Collatis autem annis ætatis* S. Raymundi *cum rebus ab eo gestis idem historicus censet eum Barcinone studia præmisisse ingressui Religionis. Hujus vero habitum quando acceperit, et a quo, an videlicet a S. Petro Nolasco, an a Priore conventus Barcinonensis, compertum non habet. Colombus lib.* I, *cap.* 18 *indicat vestitum fuisse Sanctum anno* 1221. *Remondus fol.* 102 *verso affirmat professionem emisisse in manibus Prioris Barcinonensis: Columbus autem lib.* 2, *cap.* 2, *pag.* 121 *vult id factum in manibus S. Petri Nolasci anno* 1222. *At de hoc, vel alio*
B *anno vide Annotata ad cap. primum Vitæ Latinæ littera* m.

virtutes in illa exercitæ; professio :

5 *Varias Sancti virtutes describit Remondus a fol.* 101. *Deinde memorat fol.* 103, S. Raymundum *admodum in amoribus fuisse Serapioni : dumque inter colloquia sæpe hic ageret de desiderio moriendi pro Christo in terra infidelium ac prædicandi ejus legem ac Evangelium, et declarasset, quanti opus hoc esset meriti, Sanctum nostrum rogasse, ut eumdem sermonem sæpius sibi ille repeteret, atque ad illud tempus avidissime anhelasse, quo sibi liceret comitari Serapionem ad redimendos captivos. Narrat etiam dictus historicus fol.* 102 *verso, Serapioni in orationibus continuis corporisque afflictionibus perseveranti revelatum fuisse, quod* Raymundus, *etiamsi non iret tunc in terram infidelium, profusurus tamen esset sanguinem suum pro Christi nomine, additque, eumdem Serapionem sæpius institisse apud Ordinem, ut permitteretur secum ire ad redimendos captivos, sibique persuasisse, magnum e Sancti præsentia fructum in animis quibuscumque secuturum : verum quia ætate juvenis videbatur, illud officium ei non fuisse datum tunc temporis,*
C *et occupasse se in administrando pœnitentiæ Sacramento, dicendo ad concionem, aliisque piis operibus, idque tanto cum fervore, ut aliud per totam Cataloniam non haberet nomen, quam Fratris sancti. De B. Serapione scribit lib.* 4, *cap.* 5 *et sequentibus. Colitur tamquam martyr, sicut patet ex decreto sacræ Rituum congregationis die* XX *Martii anni* 1728 *dato, cui sanctissimus Dominus benigne annuit die* XIV *Aprilis ejusdem anni. Colitur autem die* XIV *Novembris, ut Roma ad me scriptum est.*

labores apostolici

6 *De apostolicis Sancti expeditionibus in Africa ad redimendos captivos dicet Vita Latina, quam hoc nomine posthac citabo, et est illa, quæ apud Ciaconium edita legitur. Antonius Bernat del Corral in Catalogo magistrorum Generalium sui Ordinis, qui habetur ante ejusdem Bullarium anno* 1696 *excusum,* § I, *pag.* 2 *hæc scribit :* Pluries exercuit redemptionis munus : nam præter expeditiones duas, in quibus est socius adscitus sancto parenti Nolasco, tres alias ut primus redemptor explevit : primam Valentiæ anno MCCXXVI redemptis CXL captivis; secundam Algariæ * anno MCCXXIX, in qua CL captivos libertati restituit; tertiam Tuneti anno MCCXXXI, ubi, D remissis in Hispaniam CCXXVIII captivis, manens, animarum zelo fervens, ob Christi nominis promulgationem, et quamplurium infidelium conversionem carceri mancipatus, variis pœnis afflictus, et labiis sera ferrea perforatis et clausis, crudele martyrium diu sustinuit.

* Algeriæ

ac cruciatus in liberandis captivis.

7 *Novum illud martyrii genus Remondus narrat inter ea, quæ scribit a fol.* 105, *accidissse Algerii, quo indicarat fol.* 104 *verso missum fuisse Sanctum anno* 1233. *Locus itaque et annus non conveniunt cum dicto Catalogo. Colombus lib.* 2 *cap.* 12, *ubi acciderit ista redemptio, non concordant nostri, inquit, auctores, aliis Tuneto, Algerio aliis illam attribuentibus. Uter autem locus sit præferendus, determinandum aliis relinquo. Vita Latina locum neutrum determinat, indicans hoc in Africa contigisse.* Algerium *porro vel* Algeria, *Hispanis* Alger, *urbs est Africæ piratica infamis, regni cognominis caput in Barbaria ad mare Mediterraneum. Tunetum, Gallice* Tunis, *ejusdem regionis urbs, satis nota est. Quam strenue autem se gesserit Sanctus noster in promovenda captivorum salute, quamque heroice persliterit in opprobriis, injuriis ac cruciati* E *bus cum eam ob causam, tum ob aliorum conversionem ad finem Christi sibi illatis, commemorat Remondus cap.* 8, *quæ huc singillatim transcribere supersedeo. Hæc dicta sunto de expeditione sacra Algeriensi vel Tunetana : cui Colombus lib.* 2 *cap.* 8 *et sequentibus præmittit multas ac varias de Sancto historias, de quibus ipse viderit.*

iter Romanum, varia in eo

8 *Capite enim jam designato refert, Romam fuisse missum a S. Petro Nolasco tamquam Ordinis procuratorem, a Gregorio PP. IX in magnaque æstimatione habitum, sacrisque suis prædicationibus Ecclesiæ magnopere fructuosum. Cap.* 9 *affirmat dixisse ad concionem in curia Pontificia; a summo Pontifice destinatum fuisse tamquam concionatorem apostolicum in Franciam ad promovendam expeditionem pro Terra sancta; e dicta curia discessisse anno* 1235; *profectumque Parisios invisisse S. Ludovicum regem : dum vero tam illum quam alios invenisset adeo distentos expeditione sacra, ut non videretur Sancto necessarium manere in Francia, accepta ejus benedictione, rediisse in Cataloniam. Hæc pauca e pluribus, quæ in compendium coegi ex Colombo. Cap.* F 10 *narrat* S. Raymundum *missum fuisse Romam a S. Petro Nolasco, ut Ordo ab ipso institutus militare posset sub regula S. Augustini; et vult Bullam apostolicam de hac re* Raymundum *obtinuisse a Gregorio PP. IX, quæ habetur in Ordinis Bullario citato pag.* 2, *eademque occasione longam admodum texit disputationem eodem cap.* 9 *et* 10, *quod Breve illud sit diversum a Bulla, qua idem Ordo confirmatus est a sede Apostolica.*

ac reditu

9 *Unde omnia ista hausit Colombus, et quæ fide nituntur ? Enimvero iter illud Italicum, cui res aliæ tamquam fundamento superstructæ sunt, debili ratione ab ipso asseritur. Etenim cap.* 8, *pag.* 149 Doctor, *ait,* Barbosa, *quem ab alio citari dicit,* iter hoc affirmat, et ex libro antiquo illud affirmarunt duo testes, unus sacerdos, qui hoc legit; alter vero a quinquaginta annis et amplius audivit hoc legentem abbatem Celsonensem, cui serviebat, et ambo concordant *etc. Verum non invenio hic antiquitatem sufficientem, quam desidero. Nec vero magis acquiesco iis, quæ referebat de* Raymundo *apud S. Ludovicum, quæque, prout supra exprimuntur, non*

A *non cohærent cum anno* 1235, *quo sanctus ille rex ne quidem scitur cogitasse de sumenda a se cruce, seu de expeditionis sacræ a se instituendæ negotiis, ita propriis per tempora ista distentus curis in Francia, ut rerum suarum satageret. Consule Commentarium Vitis S. Ludovici prævium die* XXV *Augusti*, *tomo* V *ejusdem mensis a pag.* 342. *Crucem vero ad expeditionem transmarinam sumpsit anno* 1244, *eamque promovit anno* 1245. *Vide ibidem dicta pag.* 389 *et* 390.

adjuncta enumerantur :

10 *Parum etiam consuluit fidei historicæ Colombus cap.* 9, *quando hæc aut similia ad curiam Pontificiam ab ipso dicta commemorat, quæ isti consessui, Sancti modestiæ et professioni, ætatique ac prudentiæ ejus neutiquam conveniunt. En verba, quæ ex Hispanico in hanc reddo sententiam :* Supremæ curiæ aulici, quoniam in scholis nutriti estis, respondete mihi ad hunc syllogismum, quo in nomine veritatis divinæ vos arguo. Ego vobis dedi legem meam (dixit Deus) cum pœna æternæ damnationis in transgressione ejus. Vos illam violatis: pœna mox vos manet æterna. Prima propositio est evidens. B Secunda, quod Romæ accidit, et hodie sic agitur in ista curia, est certa et notoria : utinam negari posset! Unde fit, ut consequentia, quæ vestram concludit condemnationem, sit necessaria. Quisnam respondebit? Non est, qui respondeat. Itaque, filii sanctæ Ecclesiæ, solicite peto vestram emendationem, et vestram nolo desperationem. *Plura sequuntur ; sed hæc satis pro specimine. Idem biographus pag.* 154 *Sanctum in civitate Reatina fuisse anno* 1234 *affirmat in canonizatione S. Dominici, illisque diebus heroicas ejus virtutes expendisse ad concionem. At redolent hæc potius episodium, quam veram narrationem historicam. Vita Latina indicat quidem Sanctum Romæ fuisse; sed de hujusmodi parergis nihil memorat.*

§ II. Cardinalitia dignitas ; miraculum ; Romanum iter obitu præventum ; Eucharistia ante mortem divinitus Sancto allata ; lis de ejus corpore cælitus decisa, sacellum S. Nicolai donatum Ordini FF. Mercenariorum.

C

Cardinalatus a quo Pontifice

V*ita Latina* Gregorius, *inquit*, Romanus Pontifex, qui inter Cardinales Raymundum cooptaverat, eumdem, ut apud se illum retineret, Romam vocaverat. *Remondus fol.* 108 *errare indicat illos, et merito, qui dicunt, Cardinalem fuisse creatum a Bonifacio VIII. Etenim cum hic præfuerit Petri cathedræ ab anno* 1294 *ad* 1303 ; *Sanctus vero noster obierit anno circiter* 1240, *pugnat id cum tempore. Remondus fol.* 108 *verso hac eum dignitate honoratum indicat a laudato Gregorio Pontifice in creatione tertia Cardinalium Romæ facta mense Decembri anno* 1237. *Apud Wion in Ligno vitæ lib.* I, *part.* I, *cap.* 87 *dicitur* a Gregorio Papa IX in tertia Cardinalium creatione, anno Domini MCCXXXIV, Pontificatus sui octavo, mense Decembri Romæ facta, S. R. E. diaconus cardinalis tituli S. Eustachii renunciatus. *Remondus fol.* 109 *auctorem hunc errare affirmat in anno et in creatione, propterea quod creatio ultima, quam iste Pontifex fecit Romæ, fuerit quarta, anno* 1237 : *antea tamen posuerat id factum* in creatione tertia, *prout modo retulimus.*

et in qua creatione collatus :

12 *Apud Ciaconium in Vitis ac rebus gestis Pontificum Romanorum ac S. R. E. Cardinalium, ab Oldoïno nostro accessione ingenti productis, tomo* 2, *columna* 86 *leguntur ista :* Anno a partu Virginis ex Ciaconio MCCXXXI, Pontificatus V, mense Septembri, Reate ; ex Panvinio vero MCCXXXIV, Pontificatus VIII, mense Decembri, Romæ Gregorius IX.. tertio creavit Cardinales : *inter quos ibidem nominantur* Romanus, *et* Raynaldus. *Deinde subduntur duorum aliorum res gestæ : de* Roberto *autem* Ummarcote seu de Somercote Anglo, *uno ex illis, hæc notantur col.* 88 : Panvinius hujusce meminit non expresso nomine, sed tantum nominis litera prima hoc modo R..... DIACONUS CARDINALIS S. EUSTACHII, *et scribitur ibidem obiisse sub Cælestino. In quarta vero creatione, quæ ibi sequitur, quæque signatur facta anno* 1237 *ex* E *Ciaconio ; ex Panvinio autem* 1240, *unus duntaxat nominatur Gaufridus. Sed plurium sub eadem creatione positorum dantur notitiæ, eisque annumeratur* S. Raymundus Nonnatus *col.* 90, *ac Vita ejus datur.*

ejusdem tituli.

13 *Magna autem ex dictis hic occurrit difficultas. Si enim* Robertus *ille, de quo actum, in tertia creatione fuerit factus* Cardinalis S. Eustachii, *et obierit* sub Cælestino IV, *Gregorii IX successore, qui sedere cœpit anno* 1241 ; *quomodo* S. Raymundus *creatus est Cardinalis sub titulo* S. Eustachii, *cum apud Ciaconium col.* 94 *ponatur inter Cardinales sub Gregorio IX mortuos, signato mortis anno* 1240 ? *Enimvero ibidem col.* 89 *in Guidone sunt ista :* Hunc Ciaconius nominat diaconum Cardinalem S. Eustachii. At cum viveret, ut diximus, his temporibus Robertus de Somercote Anglus diaconus cardinalis S. Eustachii ; Guido hic diaconus S. Eustachii præesse haud potuit, cum in usu non fuerit, ut duo simul cardinales eamdem ecclesiam eodem tempore regerent. *At nonne eadem hæc difficultas solvenda est, secundum præmissa, in* S. Raymundo Nonnato? *Equidem non video* F *modum, quo ex his me tricis expediam. Verum quidquid sit de titulo cardinalitiæ dignitatis ejus; ex dictis tamen non sequitur, de hac dubitandum esse contra communem auctorum consensionem.*

Miraculum Sancti in resuscitato infante :

14 *Colombus lib.* 2 *cap.* 18 *insigne refert miraculum, quod a Sancto vivente patratum affirmat, ibique illud ponere se dicit, quod non signetur annus, quo accidit. Factum summatim intellige. Mulier quædam rustica pepererat infantem; cumque alium non haberet, tenere eum diligebat. Maritus ipsius quadam die surrexit mane, ut ad laborem se conferret : mulier vero consurgens ad præparandum jentaculum præ festinatione non cogitabat de infante, eumque reliquit ita positum, ut, dum rediret, illum invenerit suffocatum. Mulier afflicta accepit infantem mortuum, ac Barcinonem profecta, Deo ita disponente, advenit eo tempore, quo* S. Raymundus *egrediebatur ad celebrandam Missam. Accessit ad aram lacrymis perfusa, infantemque eidem superimponens frigidum, rem gestam ei referebat, dicens, quod, si ullum non revocaret*

AUCTORE J. P.

ret ad vitam, in mare se projectura esset e rupe, ne mariti sui crudelitati se exponeret. S. Raymundus *lacrymas afflictæ istius mulieris Deo obtulit, quæ, lacrymis eum Sancti intercessione conjunctis, læta rediit cum suo infante vivo. Condilio adjecta ab ista muliere videtur nimis cruda, et tempus minus probabile videtur.*

annus ac dies mortis:

15 *Remondus a fol.* 114, *Colombus cap.* 18 *et* 19, *ac Vita Latina scribunt sanctum Confessorem a Gregorio PP. IX Romam evocatum, Cardonæ correptum morbo, ac morte præventum fuisse, modoque mirabili, antequam exspirarel, accepisse sacrum Viaticum. Quo anno, el quo die obierit Sanctus non certo constal. Breviarium Romanum,* 1240; *sed Vita Latina* circa *dictum annum Colombus pag.* 207, *ac Bailletus scribunt annum* ad superos evolasse *illum affirmat. Remondus fol.* 115 *verso nullum ponil annum. Ego supra signavi circiter* 1240. *Nec diem ipsius mortis annum novimus. Breviarium Romanum, Remondus, ac Colombus notant Dominicam ullimam Augusti;*
B *Bailletus autem* XXXI *Augusli; Vila Latina nullum diem habet.*

a quo acceperit sacrum Viaticum:

16 *De sacro Viatico, quo sanctus Cardinalis noster refectus est ante mortem non sine raro prorsus ac stupendo miraculo, nonnulla occurrunt observanda. Breviarium Romanum scribit hoc esse factum* angelorum ministerio, sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium. *Vita Latina* angelicis manibus *hoc miraculum evenisse memorat. Colombus pag.* 206 *refert mullos esse auctores, qui affirment, Christum Dominum noslrum suis manibus porrexisse* S. Raymundo *pretiosum ac gloriosum corpus suum, antiquissimis picturis, sicut indicat, ita rem gestam exhibentibus. At præplacet mihi sententia, quæ angelorum ministerio id factum memorat.*

lis de ejus corpore miraculose decisa:

17 *Exortam litem inter dynastas Cardonenses, apud quos obierat Sanclus, et Barcinonense cœnobium Ordinis S. Mariæ Virginis de Mercede, in quo religiosam induerat vestem, de ejus corpore, quod Cardonenses suum esse volebant, Bar-*
C *cinonenses vero suum; hanc, inquam, litem Deus mirabili prorsus modo diremit, teste Vita Latina aliisque auctoribus. Remondus fol.* 116 *controversiam hanc per dies quindecim et amplius durasse refert, ita ut necesse fuerit regis, episcopi Barcinonensis, ac S. Petri Nolasci auctoritatem interponi, donec rei decisio Dei judicio commissa est, et miraculoso mulæ ministerio composita. Res gesta sic narratur in Breviario Romano:* Mortui corpus, cum circa locum sepulturæ contentio orta esset, arcæ inclusum, et mulæ cæcæ impositum, ad sacellum sancti Nicolai Dei nutu delatum fuit, ut ibi tumularetur, ubi prima jecerat sanctioris vitæ fundamenta. *Colombus cap.* 20 *tradit, S. Petrum Nolascum veneratum esse ipsius corpus, curamque habuisse, ut de vita ejus et miraculis fierent informationes: addit etiam sacellum seu eremitorium S. Nicolai ab illo obtentum, ut esset conventus Ordinis sui.*

locus, quo illud mirifice delatum, Ordini Mercenariorum

18 *De hac donatione Colombus profert ibidem sequens instrumentum:* Universis hominibus pateat, quod nos Geraldus Dei gratia Celsonensis ecclesiæ præpositus, et omnis conventus ejusdem, per nos et omnes successores nostros præsentes et futuros, auctoritate præsentis paginæ damus et concedimus semper Fratri Petro Nolashe, magistro Ordinis Captivorum, et vobis Fratri Bertrando, ejusdem Ordinis, gerenti vices dicti Fratris Petri Nolashe in diœcesi Ur- D gelensi, et omnibus Fratribus ejusdem Ordinis, ecclesiam sancti Nicolai, quæ est sita intus terminos castri de Mediano, et omnem locum, et omnem constructionem..... construere poteritis. Quæ ecclesia est locus ille in parochia ecclesiæ de Portel: quam ecclesiam et locum cum omnibus suis terminis, et pertinentiis, et omnibus juribus suis damus et concedimus vobis Fratri Petro Magistro, et dicto Fratri Bertrando, et vestris successoribus præsentibus et venturis, ut ea omnia prædicta, et singula habeatis, et teneatis et possideatis semper in pace, excepta cura animarum, et sepultura, quæ expectat * ad jus ecclesiæ de Portel, salva et retenta tamen vobis et successoribus vestris sepultura Fratrum vestrorum, et familiarium, et nuntiorum vestrorum, nunc et semper: et vos, et successores vestri, semper faciatis pro hac occasione et donatione, nobis et successoribus nostris duas libras ceræ in festo sanctæ Resurrectionis Dom. inexcusabiliter annuatim semper.

* *l.* spectat

datur.

19 Actum est hoc sexto Idus Junii anno Dom. MCCXLV. Ego Geraldus Celsonensis Præpositus subscribo. [Ego Ben. de Balian Prior, subscribo.] Ego G. de Catano, subscribo. Ego P. Miravall, subscribo. Camerarius, subscribo. Ego P. de Conciliis *, subscribo. Ego G. de Pampa Celsonens. sacrista, subscribo. Ego G. Geraldus Cellariis *, subscribo. Ego P. de Condus *, subscribo. Ego G. Reanaldus firmo. Benedictus de Font presbiter, qui hæc scripsit, in hoc signum † apposuit. *Uncinis* [ ] *inclusa, el hic ad marginem posila desumpsi ex Hispanica versione præcedenlis inslrumenti apud Colombum.* E

* *in Hispanico* de Conciliis.
* *f.* cellarius
* *in Hisp.* Condens

§ III. Publicus Sancti cultus; an Sanctorum canoni adscriptus.

S. Petrus Nolascus eum invocat, et diem mortis suæ intelligit:

Colombus *lib.* 2, *cap.* 21 *multa scribit de* S. Raymundi *cultu, e quibus sequentia contraho, el produco in fide ejusdem biographi. S. Petrus Nolascus, Ordinis fundalor, sæpe visitavil ædem sacram dilecli Filii sui, lætus quod videret annis tam paucis venerationem ejus adeo accrevisse, ul parietes non sufficerent ad capienda analhemala, quæ fideles offerebant pro miraculis, quæ, Sancto patrocinante, adepti erant a Deo.* F *Festum Nativitatis anno* 1255 *celebrare voluit laudatus Ordinis fundator apud sanclum Filium suum, dumque orationi vacaret ante reliquias ipsius, integras impendebat nocles cum recrealione, qua perfundebatur animus ejus. Rogabal pater Filii patrocinium apud Deum, ut liber timore, quem semper habuerat de sua salute, servum se judicans inutilem, mererelur in pace. Petebat intercessionem ipsius, ut Deus remitteret peccata sua, plorans ex vera pœnitentia, quod Domino tam bono non servivisset, prout debebal. Quando autem signum dabatur ad Matutinum in vigilia Nativitatis, apparuit ei* S. Raymundus, *certiorem illum faciens divinitus de sua salute, et addens, ipsum ex hoc migraturum mundo ad æternam requiem ista post annum hora. Vide tamen quæ de hac re dicentur in Annotatis ad Vitam Latinam cap.* 2 *littera* e.

ecclesia, propagatio cultus, mirabilia:

21 *Postquam obierat* S. Raymundus, *cœpit populus eum facultate episcoporum Urghellensium venerari illum tamquam Sanctum, ac nomen ecclesiæ mutatum: verum dum anno* 1255 *accidit, quod diclum est modo, S. Petro Nolasco, lunc habebat*

A habebat dumtaxat nomen sancti Cardinalis, sicut affirmat ex Domenecco: tantumque cepit incrementi, ut venerationis, quæ ad hunc usque diem habetur erga S. Raymundum, non sit par exemplum in Hispania: Dominica utique ultima Augusti, qua festum ejus semper celebratur, convenientibus hominum utriusque sexus plus quam duodecim millibus. Dictus biographus refert, in conventu S. Raymundi duos esse libros, in quorum primo annotari asserit omnes eleemosynas, eorumque nomina, qui illas apportant; in alio autem mirabilia, quæ ad hanc peregrinationem illos adstrinxerunt; a meridie convenire omnes ad locum, qui est ante conventum, et haberi sermonem; prælegique mirabilia, quæ isto anno Deus per S. Raymundum patravit; nuncupatis locis et nominibus testium, qui adsunt.

altare, reliquiæ:

22 *Ecclesiam asserit esse antiquissimam, eamdemque esse credit, quam exstruxit S. Petrus Nolascus, excepto sacello majore, quod secundum testium declarationem magis est recens. Pauculis vero interjectis, de altari mentionem etiam facit idem Colombus; ac de arca magna lignea deau-* B *rata, intra quam indicat esse arcam æream, ita fabricatam, ut aperiri haud possit nisi frangatur, quam elaborari jussit excellentissimus dominus D. Frater Joannes Cebrian, archiepiscopus Cæsaraugustanus, prorex Aragoniæ, et ex concilio status, dum esset Magister Generalis Ordinis, non sine animi sensu videns, magnam reliquiarum partem deesse per enixas petitiones dominorum Hispanorum, Gallorum, et Italorum peractas semper apud Superiores Ordinis ad consequendum aliquod sacrum lipsanum pro conjugibus in partu afflictis, propter magna miracula, quæ experientia docet operatum esse Deum per* S. Raymundi *reliquias in istis angustiis. Habet arca cancellos in medio, et in parte interiore crystallum, per quam in festo Sancti universis solatio est conspectus hujus pretiosi thesauri. Altare majus coronat antiquissima imago Deiparæ, Filium in brachiis tenentis, a quibus tantos ibidem loci Sanctus obtinuit favores.*

Jubili, qui Sancto accinuntur:

23 *Cap. 22 agit allegatus biographus de jubilis (sic nos vocamus Hispanicum* Gozos, *quo utitur) qui Sancto accinuntur in Catalonia. Mox, inquit,* C *dum die, quem diximus, fideles devoti offerunt eleemosynas, intrant ecclesiam, positique ante corpus sanctum, magno religionis affectu cantant Sancti jubilos idiomate Catalano; qui autem ignorant, curant illos cantari a duobus Religiosis. Verum non est vir, nec mulier, nec puer in istis locis, qui illos ignoret. Porro, sicut postea, ait, videbimus inter miracula mulierum prægrantium; nobili Elvira Charol, cive Gerundensi phrenesi laborante, cantati sunt* S. Raymundi *jubili, quibus furiosum malum fuit temperatum. Cantant eosdem per plateas et in ecclesiis, in quarum plerisque est altare vel imago Sancti. Qui vero in ejus festo, vel in angustiis suis non possunt adire sanctam ipsius ædem, quia longe abest, conferunt se ad conventum Ordinis magis propinquum, et in Sancti sacello cantant illos magno pietatis affectu. De eorumdem principio traditio est, non sciri quando sint compositi. Post hæc Colombus producit jubilos istos: sed his omissis ego cum eo ad alia progredior.*

24 *Domus* S. Raymundi *fuit multis annis prioratus cœnobii Barcinonensis. Huic ille adjunctus est, ut dicti cœnobii indigentiæ subveniretur: donec suprema Ordinis præfectura per reliquas se extendente provincias, mutatus est in conventum: quem dum visitaret Magister Generalis Petrus de Salazar, construi jussit sumptuosam ecclesiam, cujus initium magno subsidio juvit. Sæpe dictus biographus etiam refert, in quadam arcula ferrea, quæ anno 1626 reperta est in conventu Barcinonensi occasione ruinæ cujusdam antiqui parietis, inter alias chartas inventam esse antiphonam, teste illustrissimo domino Fratre Gabriele Adarço de Santander, archiepiscopo Hydruntino in epistola ad Magistrum Generalem Ordinis scripta anno 1673, eaque Sanctum fuisse honoratum paullo post mortem indicat. Inscribitur:* Pro sancto Raymuudo Nonuato, *et sic sonat.*

AUCTORE J. P. domus ejus in conventum mutatur, ecclesia, antiphona.

Levameu miseris S. Ramon impetra:
Te Deus vivum traxit ab utero matris extinctæ,
Ut ferres in partu laborantibus opem,
Et Christi fideles ab iupiorum captivitate
Et periculis animæ liberares.

Antiquam etiam picturam pluribus ibidem describit Colombus.

Non probatur canonizatus a pseudo-papa Benedicto XIII,

25 *Idem auctor meminit antiquæ disputationis ea occasione renovatæ, quam memorat pag. 230, sub quo videlicet Pontifice* S. Raymundus *fuerit adscriptus catalogo Sanctorum, aliis uni, aliis vero alteri rem gestam tribuentibus. Illorum* E *autem sententiam magis prævaluisse scribit, qui affirmarunt, Sanctorum canoni adscriptum fuisse a pseudo-papa Benedicto XIII: quem dicit ecclesiam ejus visitasse, multasque eidem indulgentias concessisse; sed repugnare vult Wionem, supra a nobis citatum, dum dicit:* Ita vixit, ut post mortem catalogo Sanctorum adscribi dignus fuerit. *Cur vero chartæ tanti momenti et antiquitatis non reperiantur in archivo Barcinonensi, dixisse se memorat Columbus, dum tractaret de canonizatione S. Petri Nolasci, ac de Bulla prima confirmationis Ordinis, quæ cur non inveniatur, narrat in Vita* S. Raymundi *lib. 2, cap.* XI. *Sed non probat, quod Bulla canonizationis ejus umquam exsisterit in dicto archivo, vel in rerum natura. In eodem autem libro cap. 22 refert, S. Petrum Nolascum informationes de vita et miraculis* S. Raymundi *in Catalonia per Ordinarios factas misisse Romam ad Gregorium PP. IX, una cum litteris regis Aragoniæ, S. Ludovici regis, ac civitatum, Prælatorum, ecclesiarumque Cataloniæ. Alia quæ superaddit, non merentur transcribi, cum rem non evincant magis quam an-* F *tecedentia,* Raymundum *canoni Sanctorum fuisse adscriptum a Gregorio IX, sicut ex jam præmissis concludit idem biographus; sed non solide. Et vero Remondus lib. 3, fol.* 117 *verso,* Non invenio, *inquit,* in particulari manifestam rationem et lucem, quod Gregorius IX, vel Cælestinus IV, vel Innocentius IV., jusserint eum poni et scribi in numero et catalogo reliquorum Sanctorum.

nec ab alio legitimo Pontifice,

26 *Nullam igitur hactenus stricti nominis canonizationem hujus sancti Cardinalis novimus; sed scimus æquipollentem, ut vocant. Audiamus Eminentissimum Cardinalem Prosperum de Lambertinis, nunc Benedictum PP. XIV, in erudito suo Opere de Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione, tomo* I, *lib.* 1, *cap.* 41, § 5, *pag.* 536 *ista scribentem:* Sanctus Raymundus Nonnatus, qui habitum Ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum recepit a sancto Petro Nolasco, quique dignitatem cardinalitiam obtiuuit a Gregorio IX, ex hac vita migravit anno MCCXL. Ferunt quoque uonnulli,

AUCTORE J. P.

nonnulli, eum fuisse canonizatum a Benedicto XII seu XIII, illegitimo pontifice, tum in concilio Constantiensi canonizationem fuisse approbatam, atque a subsequentibus legitimis Pontificibus numquam revocatam. Ita nempe habet Baillet in ejus Vita; et eodem insuper modo res exponitur in Catalogo Magistrorum generalium Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, typis impresso ante Bullarium particulare ejusdem Ordinis § 1 num. IX et X.

canonizatione stricti nominis,

27 Pater autem Joannes a sancto Felice in Supplemento ad Flores Sanctorum Ribadineiræ testatur, nonnullos in ea esse opinione, quod cultus fuerit in ejus honorem concessus a Gregorio IX. Sed, cum peracta per Benedictum canonizatio fidei Philippi Guimeræ innitatur, memoratus porro Baillet in Tabula critica merito de eadem suspicatur: etsi de sancti Raymundi æquipollenti canonizatione a Romanis Pontificibus facta dubitandum esse nequaquam videtur, si Romanorum ipsorum Pontificum constitutiones, atque decreta in citato Bullario relata legantur. B Urbanus etenim Papa VIII prævio consilio Congregationis sacrorum Rituum, anno MDCXXVI indulsit Ordini recitationem Officii de communi, et Missæ celebrationem. Alexander Papa VII die XX Octobris MDCLV benigne annuit ad preces Cardinalis Virginii Ursini, tituli ecclesiæ sancti Eustachii, ut in ea festum celebrare posset sancti Raymundi cum officio, et Missa de communi, eo quod ferebatur, Sanctum ipsum fuisse ejusdem diaconiæ titularem, dum Cardinalitio honore frueretur.

sed æquipollenti.

28 Ejus nomen sub eodem Pontifice descriptum fuit in Martyrologio Romano. Sub Alexandro quoque Papa VII sacrorum Rituum Congregatio lectiones, et orationem propriam recitandas a Religiosis Ordinis beatæ Mariæ de Mercede approbavit. Clemens Papa IX recitationem Officii, et Missæ celebrationem sub Ritu semiduplici ad libitum ad universam propagavit Ecclesiam die XIII Augusti MDCLXIX. Innocentius denique Papa XI die X Martii MDCLXXXI Ritum de semiduplici ad duplicem elevando, recitationem Officii, et Missæ celebrationem præceptive universæ Ecclesiæ demandavit.

C

§ IV. Extensio cultus concessa a Sede apostolica; ejusdem litteræ hunc in finem datæ.

Extensio cultus, pro qua enixe varii laborarunt,

Q*uæ paragrapho* 3 *referebat Eminentissimus Cardinalis Prosper de Lambertinis de publica* S. Raymundi *veneratione, ejusdemque extensione, singillatim declarare hic visum est. Colombus cap.* 23 *agens de statu, in quo hodie est cultus istius Sancti affirmat a tempore Gregorii PP. IX usque ad annum* 1612, *etiamsi ipsius festum celebraretur in ejus ecclesia, non fuisse actum de cultu extendendo ad totam Religionem: sed in capitulo generali intermedio, quod isto anno Murciæ celebratum est, venerabilem magistrum et dominum Fratrem Philippum de Guimeran, postea episcopum Jaceensem, qui eidem capitulo præsidebat tamquam Ordinis Magister Generalis, toti capitulo dixisse, quod esset Dei voluntas, ut cultus* S. Raymundi *extensio promoveretur, seque hac de re sensisse internam quamdam inspirationem (aliis communis fuit sensus, claram revelationem habuisse.) Atque hoc quidem gloriosum fuit principium. Peractæ sunt in regno Aragoniæ probationes, agente Magistro Fratre Ambrosio Machin, qui obiit archiepiscopus Calaritanus: in Castella autem, quantum spectabat ad miracula, D. episcopo Rossensi.* D

tandem obtinetur,

30 *Rebus Romam delatis, et per sacram Congregationem approbatis, hoc negotium sub variis dominorum Ordinis Generalium præfecturis dilatum memorat Columbus, nimirum Guimeranni, qui illud incepit; addit biennium reverendissimi Fratris Francisci de Ribera, qui vitam clausit episcopus Mechoacanensis: ac triennium reverendissimi Machin, qui informationes instituit: donec tandem rem consecutus est a Sanctissimo D. Urbano VIII reverendissimus Pater Magister Frater Gaspar Prieto, quondam prorex et supremus militiæ præfectus, dum esset episcopus Alguerensis in Sardiniæ insula, opem non segniter ferente domino Cardinale Borja, Ordinis protectore, multumque allaborante V. Patre Didaco de Sancto Raymundo, ejusdem Ordinis excalceato, qui ispi erat a sacris confessionibus.* E

sicut patet

31 *Bulla Urbani VIII, quæ habetur apud Colombum, continet sequentia, correctis a me nonnullis mendis:* Urbanus Papa VIII ad perpetuam rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quam ob rem fidelium quorumlibet, præsertim vero dum numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo famulantium * votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

* *f.* famulantur

e litteris

32 Sane dilectus filius Joannes de Quintanilla, procurator generalis Ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captivorum, totius Ordinis hujusmodi nomine, nobis nuper exponi fecit, quod universus Ordo prædictus pro eo, quem erga sanctum Raymundum Nonnat, ejusdem Ordinis, dum vixit, professorem ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem gerit, devotionis affectu; ac ad augendam Christi fidelium erga illum devotionem, Officium, et Missam de eo, ut infra, recitari, et celebrari posse, summopere desiderat. F Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut piis hujusmodi votis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Apostolicis.

33 Nos igitur Ordinem præfatum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares ejus personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis, quo supra nomine, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, sacris Ritibus præpositorum, consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, in universo Ordine * præfati sancti Raymundi hujusmodi eum Officio, et Missa de communi confessoris non pontificis, juxta rubricas Breviarii et Missalis Romani celebrari libere et licite possit et valeat,

* *f.* add. festum

AUCTORE J. P.

A leat, Apostolica authoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, et impertimur :

quæ hic dantur.

34 Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aut quateuns opus sit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, et consuctudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, sigillis alicujus personæ in dignitate ecclesiastica positæ vel constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, acsi forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die Maii MDCXXVI, Pontificatus nostri anno tertio. Scipio Cobellutius. *Neque hic stetit religiosa affectio, qua Pontifices heroicam* S. Raymundi *sanctitatem prosecuti sunt. Alexander quippe VII nomen ipsius una cum Cardinalitia dignitate jussit apponi Martyrologio Romano die* VII *Augusti anno* 1657, *approbando decretum sacræ Congregationis diei* XIX *Junii anni* 1655, *Or-*
B *dinem gubernante R. P. M. Fratre Alfonso de Solomayor, ac rem promovente admodum R. P. M. Fratre Michaële de Alcantara, procuratore generali totius Ordinis, et sacri Indicis consultore.*

Nomen Sancti

35 *Autographum Congregationis exemplar de inscribendo Sancti nomine in Martyrologio Romano ante me habeo, his verbis expressum :* Barcinonens. Sanctissimus Dominus anno MDCLV die XIX mensis Junii decretum olim sacræ Congregationis approbavit, quo nomina sanctorum Petri Nolasci, Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum fundatoris, et Raymundi Nonnati S. R. E. Cardinalis, ejusdem Ordinis professoris, confessorum in Martyrologio Romano apponi posse sacra eadem Congregatio censuerat, ea scilicet sub verborum structura ab ipsis Eminentissimis Patribus eidem Congregationi præpositis mox approbanda. Quare ad relationem eminentissimi D. Cardinalis Brancaccii re pluries discussa, tandem Reverendissimi Patres convenerunt, ut nomen sancti Petri Nolasci sub his verbis octavo Kal. Januarii post sanctam Anastasiam, scilicet post verbum CELEBRARUNT, recenseatur :
C Barcinonæ in Hispania Natalis sancti Petri Nolasci confess., Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum fundatoris, virtutibus et miraculis clari.

jubetur inscribi Martyrologio Romano :

36 Et pridie Kal. Septembris de sancto Raymundo Nonnato S. R. E. Cardinale, in ipso Martyrologio infrascripta initio lectionis addantur : Cardonæ in Hispania sancti Raymundi Nonnati Cardinalis et Confessoris Ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, vitæ sanctitate, et miraculis clari. Die IV Augusti MDCLVII. Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, tributa insuper impressoribus facultate Martyrologiis deinceps imprimendis addendi prædicta Sanctorum nomina sub præsenti tamen forma, nec unico verbo adjecto, sublato, vel immutato. Die VII ejusdem, eodemque anno MDCLVII datum. J. episcopus Card. Sabinen. Sacchettus. *Loco † Sigilli.*

peculiaris cultus

37 *Anno autem dicto* 1655, *die* XX *Octobris, per supplices preces eminentissimi Virginii Ursini, tituli sancti Eustachii Cardinalis, Sanctitas sua concessit, ut in ecclesia sancti Eustachii de Urbe, annis singulis celebraretur festum ipsius cum Officio et Missa. De his datur apud Colombum sequens diploma :* Alexander PP. VII ad perpetuam rei memoriam. Ineffabili Divinæ bonitatis abundantia, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, in Sede Principis Apostolorum constituti, piis Christi fidelium, præsertim sublimi Cardinalatus honore fulgentium, votis, quibus virtutum Dominus in Sanctis suis glorificatur, libenter annuimus, prout in eodem Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicut dilectus filius noster Virginius, S. Eustachii diaconus cardinalis Ursinus nuncupatus, nobis nuper exposuit ipse pro eo, quo * erga sanctum Raymundum Nonnatum, Ordinis Fratrum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, dum vixit, professorem, et S. R. E. Cardinalem, qui (ut asseritur) diaconiam ecclesiæ ejusdem sancti Eustachii pro denominatione sui cardinalatus obtinuit, gerit devotionis affectu, Officium, et Missam de eo in dicta ecclesia S. Eustachii recitari et celebrari posse summopere desideret :

* quem

ecclesia S. Eustachii Romanæ conces sus :

38 Nos eumdem Virginium cardinalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ejus super hoc humiliter porrectis [precibus] inclinati;
E quod de cætero perpetuis futuris temporibus in prædicta ecclesia S. Eustachii, festum ejusdem S. Raymundi, cum Officio et Missa, de communi confessoris non Pontificis, juxta rubricas Breviarii et Missalis Romani celebrari libere et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, facultatem concedimus, et impertimur : non obstantibus *, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die XX Octobris MDCLV. Pontificatus nostri anno primo, G. Gualterius. *Pergamus cum Colombo.*

* constitutionibus

indulgentiæ

39 *Non his acquievit pius eminentissimi Cardinalis affectus; sed pretiosam Sancti imaginem elaborari jussam voluit in dicta ecclesia collocari magna cum solennitate, die* XIV *Novembris ejusdem anni. Excitavit ejus pietatem certa notitia, e Galliis allata, multorum mirabilium, quæ tunc temporis in urbe Tolosana accidebant peste infectis, dum potarent aquam, quæ* S. Raymundi *lipsano tacta fuerat. Sua Sanctitas diem istum ad majorem celebritatem evexit, indulgentias plenarias concedens omnibus visitantibus dictam S. Eustachii ecclesiam a vesperis diei* XIII *usque ad occasum solis in festo, quod fuit e solemnioribus*
F *Romanis propter piam religionem erga Sanctum, et invitatos ab eminentissimo domino principes ecclesiasticos et seculares, qui erant Romæ. Decretum Sanctitatis suæ sic subditur :*

ibidem plenariæ,

40 Alexander Papa VII universis Christi Fidelibus, præsentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem, cælestibus ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam S. Eustachii de Urbe, in die, qua imago S. Raimundi Nonnati, Ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, dum vixit, professoris, ac S. R. E. Cardinalis diaconi (ut asseritur) ejusdem ecclesiæ, solemniter collocabitur in eadem ecclesia, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer

AUCTORE J. P.

misericorditer in Domino concedimus; præsentibus pro una vice tantum valituris. Volumus autem, quod si pro impetratione, etc. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXIX Octobris MDCLV, Pontificatus nostri anno primo.

Oratio propria et Officium

41 *Religionem gubernans, sicut pergit Colombus, noster reverendissimus Pater M. Fr. Josephus Sanchiz lectiones obtinuit peculiares historiæ* S. Raymundi, *a toto Ordine recitandas, et a D. Cardinale Brancatio approbatas, decreto sacræ Congregationis indicante, quod id acciderit per instantiam R. P. Magistri Fr. Mathiæ Cubells, procuratoris generalis totius Ordinis,* XIX *Septembris, anni* 1665. *Anno sequente* 1666, X *Aprilis propria obtenta est oratio, a D. Cardinale Azzolino revisa, et a sacra Congregatione approbata :* Deus, qui in liberandis fidelibus tuis *etc., ut in Breviario Romano. Mense Aprili anno* 1669, *generalatus laudati Josephi Sanchiz penultimo, preces ejus supplices id obtinuerunt, ut* S. Raymundi *Officium* ad libitum *apponeretur in Breviario Romano, per concessionem Clementis IX ad preces* B *sacri Collegii Eminentissimorum Cardinalium, pro tam illustri Socio rogantium, ut in universa Ecclesia libere et licite recitari possit de Sancto cum lectionibus vitæ, ac oratione ut supra, Sacræ Congregationis decretum subditur apud Colombum his verbis :*

apponi jubetur in Breviario Romano.

42 Urbis et orbis. Sanctissimus D. N. Clemens Papa IX ad preces Catholicæ Majestatis, ac etiam sac. collegii eminentissimorum, et reverendissimorum DD. Cardinalium, benigne inclinatus, indulsit, ut officium S. Raymundi Nonnati, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ultimo loco a San. mem. Alexandro VII dictæ Religioni concessum, describatur in Breviario Romano, ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, utriusque sexus, recitandum sub ritu semiduplici ad libitum. Hac die XIII Augusti MDCLXIX. *Hoc itaque in statu erat cultus* S. Raymundi Nonnati, *quando Vitam ejus Colombus edidit : quænam autem postea eidem cultui adjecta sint, aliunde referam.*

C

§ V. Officium ad majorem solennitatem evectum; Missa propria ac Officium Ordinis ; Scriptores, qui de Sancto tractarunt.

Missa et Officium proprium, e quo

Innocentius PP. XI die X *Martii anno* 1681 *Sancti Officium e ritu semiduplici ad duplicem evexit, illudque pariter ac Missam ab universa Ecclesia celebrari præcepit, prout supra num.* 28 *dictum est. Missa propria excusa est, quæ prænotatur* a sac. Rit. Congr. approbata; et universo Ordini . . concessa XXIII Septembris MDCLXXXIV. *Habeo ante me Officium proprium* S. Raymundi Nonnati . . pro omnibus utriusque sexus ejusdem Religionis tam calceatis quam excalceatis, qui ad Horas canonicas tenentur, a S. R. C. recognitum et approbatum, *de typis Venetis excusum anno* 1685. *Ex tribus hymnis eidem intextis præplacet mihi ille, qui ponitur ad Matutinum his verbis :*

Pennis amoris excitus, D
Quas nulla frænant æquora,
Ad Barbarorum littora
Servus Mariæ navigat.
Captiva solvit agmina,
Quæ pressa vinclis ingemunt,
Dum deficit pecunia
Se libere dat pignori :
Ut eximat discrimine
Salutis almæ proximos
Sui libenter prodigus
Fit charitatis victima.
44 Legis nefandæ plurimos *datur hymnus.*
A servitute liberat
Pendentis e ligno crucis
Divinitatem prædicans.
Tormenta ridet horrida
Longaque morte jubilat,
Dum labra claudit impium
Seræ ligamen ferreæ.
Gliscente fama, Pontifex
Virtute tam clara Virum
Inter Duces Ecclesiæ
Ostro nitentes aggregat. E
Uni superno gloria,
Trinoque Personis, Deo,
Qui per Raymundi preces
Nos a reatu liberet. Amen.

Etsi vix operæ pretium est addere sequentia, addo tamen. In Ephemeride (Italice Giornale) *sacra Panormitana, anno* 1680 *Panormi edita, die* XXXI *Augusti notatur Sancti festum apud Mercenarios ad Caput (Italice* al Capo) *cum indulgentia plenaria, additurque, senatum interesse Sacro solenni, ac per totum ordinem post meridiem fieri supplicationem a dictis FF.*

Recensentur

45 *Nec prætereundi a nobis sunt auctores plurimi, qui de hoc Sancto scripserunt. Vita Latina e variis collecta est, quorum nomina ad marginem apponuntur. Sunt autem isti :* Hippolytus Maraccius in Purpura Mariana. Alphonsus Remon in Historia B. Mariæ de Mercede : Marcus Salmeron in Memoriis historicis ejusdem Ordinis : Franciscus Zumel in vitis Patrum : Petrus Marinus in Vit. F. Petrus Amerius in Vita S. Petri Nolasci : Bernardus de Vargas in Chronico Ordinis : Alphonsus de Roxas de Viris illustribus Ord. B. Mariæ de Mercede : Ludovicus de Aparicio in Centuria Martyrum hujus Ordinis : Ciaconius : Ferdinandus Ughellus in Addit. ad Ciaconium : Arnoldus Wion in ligno vitæ : Franciscus Guillen in SS. Ordinis B. Mariæ de Mercede : Lucas Castellinus in Catalogo Sanctorum canoniz. *Ex his itaque scriptoribus compilata est Vita, quæ habetur apud Ciaconium, utinam ex antiquioribus! Sic enim plus habitura fuisset auctoritatis ac fidei. Et vero vix ullum e scriptoribus modo enumeratis scio obiisse ante seculum decimum septimum. De Hispanis consuli potest Nicolaus Antonius in Bibliotheca scriptorum Hispanorum.* F

scriptores varii,

46 Quartus M. Generalis . . V. P. Fr. Petrus Amerio . . anno MCCLXXII . . *signatur in Catalogo Generalium Ordinis, edito anno* 1696, *pag.* 6, *diciturque novas compilasse Constitutiones ad annum* 1301. *Ex his Colombus lib.* 2, *cap.* 3, *pag.* 22 *profert ista de nostro Sancto :* Quocirca Nonnatus vocatus fuit, et appellatus, cum vere non eo naturæ partu prodierit ex utero, sicut alii, naturæ, inquam, legibus solutus. Et idcirco semper a pueritia id cognomen accepit, ut vocaretur Raymundus Nonnatus. *Utinam Vita, vel*

A *vel plura saltem de rebus ab ipso gestis ad nostram notitiam transmisisset laudatus ipse Generalis, qui* S. Raymundo *fuit synchronus. Hippolyti Maraccii Lucensis, e congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, compendium Vitæ anno* 1655 *Italice editum apud nos est: Purpuram Marianam non vidi. Castellinus et Ughellus, uti et Ciaconius satis noti sunt eruditis, quibus adde Arnoldum Wion Gallobelgam, qui Lignum vitæ edidit anno* 1595.

qui de hoc Sancto tractarunt. 47 *De* S. Raymundo Nonnato *scripsit etiam præter auctores alios Hispanos superius allatos Fr. Philippus de Guimeran, qui inter alia edidit Historiam Ordinis de Mercede, ac nonnullorum Sanctorum, atque illustrium personarum ejusdem Ordinis: cujus supremam administravit præfecturam. Laudatur in Catalogo Generalium pag.* 28, *ac scribitur obiisse anno* 1617. *Antonius Domenec in Historia generali Sanctorum Cataloniæ lib.* 2 *a fol.* 70 *Vitam vulgavit ex constitutionibus Ordinis de Mercede, et ex libro Philippi Guimeran, quem composuit de Deipara* del Puche. *Tamayus in Martyrologio Hispano ad* B *diem* XIV *Novembris Latine vulgavit Sancti nostri Acta ex variis scriptoribus. Columbus non pauca ex hisce Actis fragmenta inseruit Vitæ* S. Raymundi. *Postremo, Michael de Vlate anno* 1704 *Vitam et miracula metrice edidit. Visum mihi est Vitam edere, quæ exstat apud Ciaconium, et Annotatis elucidare. Varia quidem in ea memorantur, ad quorum confirmationem afferri vellem auctores synchronos vel suppares, ad faciendam majorem fidem accomodatos: sed cum illi ad me hactenus non pervenerint, dabo ea in fide auctorum, e quibus sunt collecta. Miracula autem post Vitam proferentur. Reliquum est, ut eamdem hic subjungam, in capita, titulos ac numeros a me divisam.*

VITA

Ex variis auctoribus collecta,

Et apud Ciaconium edita inter Vitas et res gestas Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium tom. 2 columna 90 et sequentibus. C

CAPUT I.

Sancti nomen; natales; educatio; pietas in Deiparam; hujus erga illum favores; dæmonis insidiæ; vita Religiosa; expeditiones ad redimendos captivos.

Sancti nomen, origo et educatio: Raymundus Nonnatus (ideo Nonnatus dictus, quod cæso defunctæ matris utero prodiit *a*) natione Hispanus, patria Portelensis, diœcesis Urgellensis *b* in Catalonia *c*, mense Decembri anno nostræ salutis MCC ex nobilibus parentibus natalem *d* habuit suum. Illos enim ex antiquis familiis Fox, et Sarroi *e* genitos, atque Cardonæ Comitibus sanguine junctos fuisse scimus, hodieque Cardonæ Duces in summum sibi honorem assumuut cognatione tantum Virum attingere. In baptismo dictus Raymundus, Raymundi Comitis Cardonæ ergo, qui hujusce pueri patronum ex hoc tempore se nominavit: prima literarum rudimenta in patria didicit, a quibus quam citissime expeditus, humaniorum literarum primum, philosophiæ deinde, ac theologiæ studia felicissime cucurrit *f*. Major factus, ut a studiis literarum, quibus propensissimus erat, utque a propensione ad ecclesiasticam vitam arceretur, in villam relegatus, oviculas aliquot ex propriis gregibus pascere adactus cum esset, divina providentia factum est, ut in agro, in quo Raymundus suum pusillum pascebat gregem, parva ecclesia, seu eremitorium S. Nicolao Myrensi episcopo dicatum foret, in eoque perpulcra Deiparæ Virginis Mariæ imago, quam ipse genuflexus intimo cordis affectu, summoque devotionis studio sæpe sæpius E venerabatur.

Ex Actis apud Ciaconium. a b c d e f

mirifica pietas erga Deiparam: 2 Ante hanc imaginem dum Raymundus cor suum aliquando effunderet, post suavissimum cum eo colloquium, hæc a Virgine audire meruit: Ne timeas, Raymunde, ex nunc enim te in meum recipio filium; quocirca ore pleno me poteris appellare matrem, de meique in posterum patrocinio, et protectione confisus, securus esse. Exinde licet augustissimæ cælorum Reginæ servus esset humillimus, ac ejus sese mancipium infimum candide confiteretur, quotiescumque tamen imaginem Deiparæ Virginis conspiciebat, se ipsum haud continere poterat, quin illam elatam voce matrem suam amantissime appellitaret; asserens disertis verbis, nec aliam sibi matrem aliquando fuisse, nec fore, ut esset cordis sui domina, et tutelaris, nisi ea, cui in filium, ipsa misericorditer annuente, se totum devoverat, et a qua anima, et gressus sui in Dei mandatis jugiter dirigebantur. Singulis diebus ante hanc sacratissimam Dei Matris imaginem precatoriam calculorum seriem, quam Rosarium *g* vocamus, religiosissime percurrebat. Quoties Raymundus ad F sacram ædem se conferebat, toties angelus ejus tutelaris, pastoris munere ejus vice fungebatur, quem in speciem pulcherrimi juvenis, Raymundi genitor propriis oculis aspexit, super oves invigilare. *g*

Victoria de diabolo, ac votum virginitatis: 3 Malus dæmon nostri boni semper invidus Raymundum ab hoc Virginis cultu removere studuit; quare falsam pastoris formam, speciemque gerens, aliquando Raymundo apparuit, eique suadere conatus est, vitam illam rusticam juvenem nobilem dedecere, et celebres potius, quam illum solitarium locum, ætati ejusque æqualibus aptos esse. Huic ergo pseudo-pastori Raymundum non aliud respondisse scimus, nisi se non aliam posse apprehendere doctrinam, nisi eam, quam imago sanctissimæ Virginis Mariæ illic in æde D. Nicolai sita illum docebat. Vix talia protulit, cum sacrosanctum Mariæ nomen dedignatus dæmon fragore præcipiti fumum evaporans stygium, sese dedit in Tartara. Quapropter, cognita hostis fraude, Raymundus nihil cunctatus, ad consuetum sibi asylum, ad Divæ scilicet suæ imaginem se contulit, dulcique affectu laudes, gratesque Virgini liberatrici dixit. Cumque iterum sui omnia jura corde liberalissi-

Ex editis apud Ciaconium.

mo Deiparæ Virgini resignasset, visa sibi illa est, hilari vultu servitutem sui, ac mancipatum acceptare. Dissolvebatur Raymundus in lacrymas cælesti dulcedine redundantes, ac miris consolationibus, et spiritualibus deliciis a consolationum ac spiritualium deliciarum Matre cordis ejus intima replebantur. Aucta tamen Raymundi pietas in Virginem est: cumque ab illa intellexisset *h*, se rem gratissimam eidem Deiparæ facturum, si in ipsius honorem virginitatem suam Deo sacrasset, continuo in ipsius Deiparæ præsentia virginitatis votum emisit, et quod Deo voverat, se usque ad mortem perfectissime impleturum, a Domina sua certitudinem accepit. S. Nicolaum Myrensem episcopum, cujus ædiculæ incola erat fere assiduus, sæpe sæpius summo affectu deprecabatur, ut suus intercessor esse dignaretur apud Reginam, et Dominam illam, a qua tantis gratiis, ac favoribus indesinenter cumulabatur.

tirocinium

4 Familiari B. Virginis colloquio jussus, pascuis ac saltibus relictis, Barcinonem proficisci, suoque Ordini de Mercede Redemptionis captivorum recenter ex revelatione ejusdem Virginis instituto nomen dare, læte se obsecuturum respondit, nisi de patris sui displicentia formidaret, verum patris licentia per virum principem, Cardonæ scilicet Comitem *i*, qui eadem loca venationis causa frequentabat, beatæ Virginis admonitu obtenta, Barcinonem, ut jussus fuerat, concedens, post navatam illic variis pietatis studiis operam, per manus S. Petri Nolasci fundatoris, Barcinone in palatio regio candidum ejusdem B. Virginis habitum summa cum animi sui jucunditate suscepit. In sacrum Marianorum clientum numerum conscriptus, relatu incredibile est, quam grato animo beneficium a beata Virgine acceptum prosequeretur. Sæpe cor augustissimæ cælorum Reginæ lætanter offerebat, atque in tantæ Dominæ cultu' et obsequiis alacriori ac ferventiori studio se ipsum exercere nitebatur. In eadem urbe Barcinonensi Religionis tyrocinium posuit sub disciplina beati Serapii Scoti, ejusdem ordinis alumni, qui pro Christiana Religione sanguinem deinde fudit, quique longe prospexit, et aperte prædixit ærumnas, quas Raymundus subire in Africa pro Christi nomine multis post annis debebat *k*.

ac professio Religiosa, sacerdotium, ac ejusdem fructus:

5 Elapso tyrocinii tempore non modo tribus, paupertatis scilicet, castitatis, et obedientiæ votis se obstrinxit, sed etiam quartum emisit proprium alumnorum sacri ordinis B. Mariæ de Mercede, videlicet ad Redemptionem Christifidelium captivorum, quando necessitas urgeret, ultro Sarracenorum servum se reddere, et eorum manibus, si opus fuerit, se committere. Saeris deinde ordinibus initiatus, certis diebus conciones habebat ad populum Barcinonensem non sine fructu; quam plures enim ab impudentia, peccandique consuetudine ad melioris vitæ rationes traduxit, atque ad frugem correxit; quæque e suggestu auditoribus verus hic Euangelii Præco in dies proponebat, omnium primus perficiebat. Raymundo nemo diligentior in corrigendis aliorum vitiis, nemo illo aptior visus est; at omnibus præire exemplo ac sanctitate, corpus suum verberum acerbitate sæpissime castigare, breves somnos abjecto humi stramine capere, pane dumtaxat extremam famem sustentare, noctes in divinas precationes transigere, quia communia aliis sanctitate claris viris, ut brevitati consulam, prætermitto.

iter Romanum, expeditiones ad redimendos captivos,

6 Bis in Africam se contulit jussu S. Petri Nolasci ad redimendos captivos Christianos *l*. Romæ primus Ordinis sui procuratoris generalis munere functus est, quod munus exercebat anno nostræ salutis MCCXXX, quo Gregorius IX Romanus Pontifex XVI Kalen. Februarii Ordinem B. Mariæ de Mercede, seu de Misericordia Redemptionis captivorum a S. Petro Nolasco ex revelatione B. Virginis Mariæ institutum confirmavit *m*, instante, nomine serenissimi Jacobi regis Aragoniæ cognomento Debellatoris *n*, Raymundo de Pegnaforte *o*, tunc temporis Ordinis Prædicatorum alumno, novæque Religionis nomine Bernardo Corbaria *p*, et Raymundo Nonnato sacerdotibus, et Arnaldo Aymericio equite laïco. Prælatorum suorum mandato relicta Romana curia in Hispaniam rediit Raymundus, et inde tertio in Africam navigavit, ad redimendos ex sui Ordinis instituto captivos. Cum autem illorum multos ibi reperisset, ad quos omnes liberandos cum rei nummariæ difficultas maxime obstaret, sponte captivum se reddidit, ut illos miseros liberaret. In hac captivitate *q* verberibus sæpe cæsus, et ejus labia repagulo ferreo occlusa sunt, ne verbum Dei effunderet: expeditius tamen loqui non sine Barbarorum admiratione auditus est.

et cruciatus in eisdem tolerati.

7 Nec sine fructu verbum Dei sparsit; nam decem Hebræorum primi, ac duo nobiles Sarraceni Euangelica luce illustrati, e cæcis perfidiæ tenebris ad splendorem veritatis educti, suavissimo fidei jugo dura colla submittere non dubitarunt. Quare iratus Sarracenorum princeps Raymundum verberibus cæsum, catenisque vinctum ad perobscurum carcerem damnavit, quem octo mensium spatio, ore fere semper illo repagulo ferreo occluso, æquo animo sustinuit, solo pane et aqua vitam toto hoc tempore in illis miseriis traducendo. Sæpissime animo a sensibus evocato, tres integros dies sine cibo transegit: res mira dictu, aliquando coram ipsis Barbaris catenæ, quibus vinctus Raymundus jacebat in carcere, et ferreum ipsum repagulum sponte, non sine miraculo corruerunt. Quare Barbarorum aliqui relicto Mahumeto ad Christi signa transierunt. Interea sacri ordinis B. Mariæ de Mercede alumni nonnullos in Africam destinaverant cum pecuniis ad redemptionem Raymundi; et Gregorius IX Romanus Pontifex, qui optime norat tanti Viri virtutes, ut lumen istud super candelabrum in Ecclesia omnibus luceret, mense Decembri anno a Christo nato MCCXXXVII Raymundum diaconum *r* Cardinalem sancti Eustachii renunciavit.

ANNOTATA.

a *Cognomen illud semper a pueritia Sanctum habuisse, indicatum est in Commentario prævio num.* 46. *Remondus fol.* 92 *scribit aliud ei cognomentum tribui a modernis, Casseno videlicet, quem citat in Vita Gregorii IX, fol.* 558, *ac Wibon (immo Wion) in libro, qui inscribitur* Arbor (*immo* Lignum) *Vitæ, tom.* I, *libro, uti male indicat,* 57. *Cassenum non invenio in nostro museo. Wionem inspexi lib.* I, *cap.* 87, *pag* 122, *et vocatur ibi:* Frater S. Raymundus Nonat: *in aliis vero, quæ ibidem de illo adduntur, non comparet nomen* Liconatus. *Cogitat autem dictus Remondus, nomen* Nonat *transmutatum esse in* Liconat, *cum, inquit, hujus nominis nulla sit notitia, et* Nonat *non familiæ, sed*

A *sed eventus sit nomen. Illud autem asscrit se non invenire inter appellationes antiquas et modernas, nobilesque et communes, perlectis bene multis familiarum Catalanarum, Aragonensium, Navarrarum ac Valentinarum scriptoribus, quos ibidem nominat, additque,* Liconates *e Cantabria transmigrare potuisse in Cataloniam. Plura cum ibidem, tum apud Colombum in prologo Vitæ.*

b *Remondus fol.* 92, Sequendo, *ait,* sententiam et opinionem eorum, qui sunt ejusdem patriæ ac territorii, publicamque inter eos vocem ac famam, dico, S. Raymundum natum fuisse iu Catalonia, in territorio, quod appellarunt Abbatiam de Celsona, iu parvo loco, cui uomen Portel, diœcesis Urgellensis. *His consentiunt ea, quæ habentur in litteris illustrissimi episcopi Barcinonensis, inferius proferendis post Vitam occasione miraculorum, ubi legentur ista :* Quem communi omnium seniorum et populorum, vulgo dictorum de la Sagarra, consensus et traditio affirmat fuisse ortum in loco de Portell. *Colombus lib.* I, *cap.* I, *pag.* 2 *de loco* de B Portell *Sancti patria loquens indicat, illum* tunc temporis fuisse diœceseos Urgelleusis, mediaute abbatia Celsonensi, et nunc episcopatum per se. *Domeneccus alio modo rem refert, dum scribit, fuisse* oriuudum e loco del Portell in episcopatu Celsonensi.

c *Catalonia, provincia in Hispania, principatus titulo insignis, et ad mare Mediterraneum sita, satis nota est.*

d *De anno ac die, quibus in lucem prodiit, non convenit inter auctores. Consule Comm. prævium in principio; ubi et de generis nobilitate num.* 3. *Nomina parentum indicat Colombus lib.* I, *cap.* I *esse occulta.*

e Sarroi. *Colombus in Prologo Vitæ agens de familiæ Sancti* Surrons *vel* Sarroy *appellatione, debile indicat hujus rei esse fundamentum; idque certum esse, quod non constet. A duabus hisce familiis* adhuc permanet illa, *si Tamayo in Vita a se compilata credimus,* quæ dicitur Segers. *Sed Colombus in prologo asserit eos falli, qui affirmant, illos hodiedum appellari nomine* Segers, *qui ab earumdem descendunt prosapia.*

C f *Censent alii studiis Sanctum navasse operam post ingressum Ordinis Mercenariorum. Adi Comm. prævium.*

g *De Rosario Deiparæ plurima apud nos collecta sunt ad diem* 4 *Augusti in Comm. prævio Actis S. Dominici fundatoris FF. Prædicatorum* § 19 *et seqq.*

h *Virginis Matris, ejusque Flii, ac angelorum collatos in* S. Raymundum *favores pluribus memorat Colombus cap.* 9; *et cap.* 11 *scribit, Mariam descendisse ad eum de cœlis, spiritibus cœlestibus comitatam; Sanctumque ipsius jussu manibus suis inter Deiparæ manus positis, emisisse votum castitatis, ejusque verba dictasse Deiparam* S. Raymundo. *Sed hæc pluribus non transcribo, quæ magis pie credi possunt, quam historice probari. His adde, quotidianum pueruli Jesu descensum e brachiis imaginis Deiparæ : de quo ibidem cap.* 12. *Et cap.* 13 *scientias omnes ab angelis didicisse dicitur.*

i *Colombus cap.* 2 *eum vocat* vicecomitem, *cap.* 3 comitem, *et alibi utroque utitur nomine.*

k *In Comm. prævio num.* 4 *indicatum est, Remondum non habuisse exploratum, an Ordinis vestem acceperit a S. Petro Nolasco, an a Priore conventus Barcinonensis, et quo anno id contigerit. De anno quid scripserit Columbus ibidem invenies. Quod hic dicit Vita,* in palatio regio... habitum suscepit, *non cohæret cum sententia Colombi, lib.* I, *cap.* 17 *affirmantis, fundato conventu S. Eulaliæ anno* 1222, *sicut in Vita S. Petri Nolasci probasse se indicat, non exstitisse Religiosos in palatio regio; additque, ecclesiam, quam Mercenarii hodiedum possident in palatio regio cum titulo S. Agathæ, multis post annis fundatam fuisse a rege Martino, Religionique datam a rege Alfonso V : Superiorem vero istius conventus non habuisse nomen Prioris usque ad tempus secundi Generalis Ordinis etc. Hæc ille contra Remondum. De* Scrapio Scoto, *quem in Comm. prævio* Serapionem *appellavimus, agitur ibidem num.* 5 : *an vero* sub *Beati hujus martyris* disciplina *tiro fuerit* S. Raymuudus, *perspectum non habeo.*

l *Varias Sancti expeditiones in redimendis captivis dat Comm. prævius num.* 6.

m *In hac periodo animadverte primo : Dicitur* Romæ primus Ordinis sui procuratoris generalis munere functus... anno MCCXXX, *et consule quæ contra Colombum diximus a num.* 8. *Apud* E *eumdem auctorem lib.* 2, *cap.* 9 *indicatur Sanctus in Italia fuisse annis* 1234 *et* 1235. *De itinere autem Romano, quod Sanctus dicitur suscepisse, nihil invenio in Remondo tomo* I *Annalium lib.* 3, *cap.* I *et seqq., ubi res ab eo gestæ describuntur. Secundo : annus* 1230, *quo hæc Vita Latina refert confirmationem Ordinis, pugnat cum tempore, quod signatur apud nos tomo* II *Januarii, die* XXIX *ejusdem mensis in S. Petro Nolasco pag.* 980 : Anno demum MCCXXXV, duodecimo a prima illius institutione, legitime a Gregorio IX approbatus est Ordo XVII Januarii, pontificatus illius auuo VIII, ut e Laërtii Cherubini Bullario patet : unde plerosque Annalium ejus Ordinis scriptores corrigas, qui initia ejus ad annum MCCXVIII referunt : cum neque auno MCCXVIII in S. Domiuici familiam adhuc cooptatus esset Raimundus *(a Pennaforti)* nec nisi anno MCCXXVII, XX Martii ad Poutificatum evectus sit Gregorius; cum Honorius III triduo ante decessisset : ut proinde annus Christi MCCXXX uon potuerit esse ejus pontificatus octavus, quo Perusii XVI Kal. Februarii data est Bulla. *Bulla autem ista, seu Breve, dicit :* Vobis auctoritatem concedimus, ut, cum nondum aliqua sit a F vobis regula ex Religionibus approbatis assumpta, beati Augustini possitis Ordinem profiteri. *Colombus lib.* I, *cap.* 19 *indicat hoc instrumentum non esse confirmationis, sed concessionis profitendi dictam regulam; ac bullam confirmationis datam anno* 1230, *Gregorii noni tertio : sed hæc bulla nec apud Cherubinum, nec in Bullario Ordinis de Mercede, nec apud Colombum usquam comparet. Quomodo igitur supra illam fundari solide potest confirmatio ejusdem Ordinis? Ad primam vero illius fundationem seu initia quod spectat; idem Colombus pro anno* 1218 *profert ibidem varia instrumenta, quibus non ausim refragari; quæ tamen, ne longior sim, videri apud ipsum possunt a lectore, et expendi. Lib.* 2, *cap.* XI *a pag.* 167 *conatur se extricare ex difficultate, quod sæpe dicta bulla confirmationis non compareat.*

n *De illo scribit Hieronymus Curita tomo* I. *Annalium Aragonensium lib.* 2 : *ubi et de institutione Ordinis de Mercede cap.* 71.

o *Vita ejus edita est apud nos die* 7 *Januarii. Additur in hac, quam damus, Vita :* Tunc temporis

Ex editis apud Ciaconium. ris Prædicatorum alumno. *Habitum Ordinis induisse anno* 1222, *diximus ibidem in Annotatis pag.* 409 *littera* a.

p *Laudatur in Catalogo Magistrorum Ordinis antea indicata pag.* 3. *Inter alia autem dicuntur de ipso sequentia* : Tandem plenus dierum atque virtutum Barchinone patratis miraculis in pace quievit : cujus corpus post quatuor secula e tumulo extractum mira gaudet incorruptione.

q *In qua Africæ urbe sustinuerit illud, quod mox hic subditur, labiorum tormentum, non consentire auctores, indicavi in Comment. prævio num.* 7.

r *Difficultates circa titulum Sancti cardinalitium proposui ibidem* § 2.

CAPUT II.

B *Misericordia; Christi ac Mariæ apparitio; miraculum; vaticinia; contagia sanata; Viaticum sacrum; obitus; lis de corpore cœlitus dirempta; mira in ejusdem translatione; ædes sacra; apparitio; propagatio cultus; beneficia.*

Vitæ perfectio in dignitate cardinalitia: miræ post tectum pauperem apparitiones; Ex Africa reducem Raymundum diaconum Cardinalem Barcinonenses solemni pompa, ac extraordinario apparatu exceperunt : ille tamen habitis gratiis, relicta domo, quam comes Cardonæ illi ornaverat, recto tramite tendit ad sui Ordinis cœnobium, in quo tamquam Religiosorum minimus semper ex Prælati more vitam traduxit suam. Cum die quadam imbribus madido, et hiemis tempore in Barcinonensis urbis via, pauperem ætate et canitie venerandum, sine capitis tegumento frigori ac pluviæ expo-
C situm deprehendisset; compassione motus, statim pileum sibi detractum cano senis capiti libenti animo ac summa voluntate imposuit; quod quam gratum Deiparæ Virgini acciderit, ex hoc facile agnoscere quisque poterit; nam Raymundus domum rediens, atque orationi juxta morem enixe incumbens, in extasim raptus, vidit se ad pulcherrimum deduci viridarium, in eoque conspexit speciosissimam Reginam cum frequenti Virginum comitatu, quæ varios colligens flores, atque ex iis pulcherrimam contexens coronam, talia proferebat : Dignus hac corona ille est, qui seni pauperi pileum dedit suum. Hæc audiens Raymundus, non florum coronam sed Jesum Christum, in suarum actionum præmium se velle respondit. His dictis, ante se illico stantem Christum Dominum pileo illo, quo pauperis caput paulo ante ille texerat, ornatum vidit, spineam in capite, ac florum coronam præ manibus gestantem, ambasque sibi deferentem. Spinarum coronam, quæ dolorum tolerantia contexta est, sibi concedi cum instanter postulasset, et obtinuisset Raymundus, capitis dolore, qui ab eo tempore ad obitum usque perduravit, continuo voti compos effectus est *a*. a

9 Neque hoc tantum prodigiosi accidit Raymundo cardinali in urbe Barcinonensi commoranti. Vir D quidam nobilis sine ullo doli sensu plagas plures inflixerat innocenti uxori, quam nonnulli ex domesticis probri injuste accusarant; animum deinde ille advertens errori commisso, ad Raymundum confugit. Qui innocentem uxorem novo miraculo defendens, ad propria illum statim remisit dicens : Sicut crimine accusatio, ita vulnera inflicta sanguine vacant; scias uxorem fidem tibi semper servasse, qui illius nomen apud te detulerunt, quam primum pœnas dabunt pravi. Domum ille repetens, conjugem salubri esse corpore invenit, illos vero, qui eam ream fecerant, uti conscios et participes multorum facinorum brevi suspendio extinctos vidit. Dum Hispaniæ citerioris provincia pestilentia hominibus æque, ac pecudibus exitiali affligeretur, misericordiarum Pater de more rationibus prospiciens, ad levandum dolorem, eodem punitionis tempore ipsismet afflictis medicamentum anodynum *b* b submiuistravit : nam Raymundus omnes ad se deductas pecudes solo signo crucis sanitati pristinæ reddebat. Quare illius provinciæ incolæ in tanti beneficii memoriam singulis annis die, qua E S. Raymundi festum celebrant, ad ecclesiam, in qua tanti Viri corpus jacet, pecudes multas deducunt *c*. c

prædictio; sanata contagia:

10 Gregorius Romanus Pontifex, qui inter cardinales Raymundum cooptaverat, eundem, ut apud se illum retineret, Romam vocaverat, at dum se ad iter pararet, in morbum incidit, in quo angelicis primum manibus sacra synaxi refectus, circa annum nostræ salutis MCCXL inter sui Ordinis alumnos e stadio hujus mortalitatis vix quadragenarius ad superos evolavit. Cujus corpus cum suum esse vellent Cardonæ comites, in quorum domo obierat, suum vero Barcinonense cœnobium ordinis S. Mariæ de Mercede, in quo religiosam vestem induerat, litem exortam Deus diremit, dum illud ad ædiculam S. Nicolai, in qua Raymundus adhuc puer pietatis lac suxerat, per mulam oculis captam aperto miraculo deportari permisit; voluit enim ille, ac suavissima ejus Mater, ac benignissima mundi Regina servum suum Raymundum præcipuo religionis cultu eo in loco honorari, in quo ille a pueritia teuerrimo semper, summoque filiali affectu se ipsam studuerat honorare. Ab eo namque F tempore prædicta ædicula S. Nicolai in celeberrimum conversa est templum *d*, ipsius S. Raymundi Nonnati nomini consecratum, quod ad hodiernam usque diem, præsertim vero ultima Dominica mensis Augusti, qua ejusdem S. Raymundi festum quotannis solemnissime colitur, permagno, et incredibili populorum concursu, ob crebra, quæ ibi exhibentur, miraculorum beneficia frequentatur. d

viaticum sacrum ab angelis acceptum; mors, ædes sacra:

11 Dum mula luminibus orba sacrum Raymundi corpus ad S. Nicolai ædiculam asportabat, res admirabiles patravit Deus. Ante domum paternam sancti Raymundi genuflexa mula, locum illum, natali talis Viri spectabilem in transitu venerata est. Funerantium more exequias cum cereis funalibus accensis ingens fidelium turba comitata est ad duodecimum milliarium. Res mirabilis in toto illo itinere, illorum nec unum quidem, licet truces efflarent venti, largusque imber e cœlo efflueret, extinctum quisquam vidit. Demum totum æs campanum urbium omnium, oppidorum, aliorumque locorum per quos mula sacro illo cadavere onusta iter habuit, sonum, se ipso, supra naturæ vim atque ordinem, fudit.

mula cæca indicat ubi deponendum corpus: alia mira apparitio:

Gregorius

A Gregorius IX, audita Raymundi morte, in hæc prorupit verba : Sacer Ordo B. Mariæ de Mercede patrem ac patronum, Catalauniæ provincia filium, Ecclesia Catholica Virum sanctum una hora amisit. Elapsit nonnullis a tanti viri obitu annis, anno scilicet a Christo nato MCCLV, S. Petro Nolasco apparens Raymundus, pervigilium feriarum Natalis Christi proximi anni, tamquam ultimum ac postremum ejus vitæ diem prædixit : res item evenit, uti Raymundus prædixerat : nam anno MCCLVI, nocte illa, cui dies festus Natalis Christi illuxit, sanctissimus patriarcha mirandis operibus editis supra hominum conditionem in vita nobilitatus, ad superos evolavit *c*.

varia de Sancti cultu, ac beneficiis

12 Sanctorum catalogo ob egregiam vitæ sanctitatem, et miraculorum copiam ab Apostolica sede Raymundum adscriptum scimus *f* anno reparatæ salutis MDXIV. Urbanus VIII anno MDCXXVI Ordinis beatæ Mariæ de Mercede Religiosis, et Alexander VII anno MDCLV precibus Virginii Ursini diaconi cardinalis S. Eustachii, canonicis B aliisque ejusdem ecclesiæ ministris die Raymundo sacra Psalmos divinos recitandi, atque in ejusdem honorem Hostias Deo immolandi facultatem concessit, jussitque Raymundi, uti etiam S. Petri Nolasci nomina in Martyrologio Romano describi, et amplissimam delictorum indulgentiam proposuit iis, qui die XIV Novembris ejusdem anni MDCLV ecclesiam sancti Eustachii de Urbe visitasseut, qua die solemnissime in eadem ecclesia ejusdem sancti Raymundi diaconi Cardinalis effigies magna populi Romani frequentia ac lætitia collocata est *g*. Innumera sunt beneficia, quæ Deus mortalibus sancti Raymundi precibus indulsit, quæ omnia hic recensere haud possumus. In archivio cœnobii Barcinonensis Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede tabulæ extant authenticæ, in quibus multa supra naturæ vim atque ordinem per S. Raymundi deprecationem, nonnullorum annorum spatio mortalibus facta, enarrantur. Placet hic, illis omissis *h*, rescribere literas, quas III Octobris anni MDCLV Massilia Galliarum urbe Hyacinthus Carral Ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum Romam misit reverendissimo Patri Magistro Michaëli de Alcantara, ejusdem Ordinis vicario generali in C Italia, et in Romana curia primo procuratori, et sunt tales :

per eum obtentis.

13 " Perjucundum mihi in primis fuit a vestra " Reverentia XL horarum in festo S. Raymundi " Nonnati petitum et obtentum Breve : cum " hoc pacto Tolosatum in eum devotionem " propagandam in dies arbitror, qui superiori- " bus annis MDCLIII, et MDCLIV ejus ope, et " pia intercessione a Deo optimo summa peste " et febribus laborantes innumera propemodum " accepere beneficia. Et sane certam vestram " Reverentiam velim, si mihi fidem adhibere " dignetur, supra viginti mille utriusque sexus " homines a febribus liberatos fuisse, ne refe- " ram hydropicos, et a medicis desperatos, et " jamjam morti proximos, invocato S. Raymun- " di Nonnati solo nomine, vel aquam in ejus " honorem benedictam degustantes, vires pristi- " nas recuperasse. Quæ curationum miracula " omnibus Tolosanis tantæ erant admirationi, ut " quotidie summus populi concursus sacram ejus " aram frequentaret, vixque ullus Tolosæ *i*, et " in aliis vicinis oppidis esset infirmus, qui ejus " operam* et auxilium summa cum veneratio- " ne et fiducia non imploraret, ac remedium " et solatium in infirmitate non reciperet. Cer- " tum et fidele hujusce veritatis possum red- " dere testimonium : quippe qui tunc temporis " in eodem conventu Tolosano degerem, ac in " eo confessiones fidelium audirem, qui quoti- " die nostram ecclesiam, gratias Deo omnipo- " tenti, et sancto Raymundo Nonnato pro ob- " tenta salute soluturi adibant, et ad illum sani- " tatem suam referebant. Missa etiam facio, quæ " quotidie gravidis, et in partu laborantibus mu- " lieribus confert beneficia. Credo equidem hæc " miracula vestræ Reverentiæ, quinimo et toti " Religioni non minori, quam nobis admirationi " futura etc. *k* ".

f. opem

Ex editis apud Ciaconium.

ANNOTATA.

a *Columbus mirabiles hasce apparitiones narrat lib.* 2, *cap.* 17 *post opus misericordiæ erga pauperem, et addit, biographos omnes convenire in substantia rei a se narratæ.*

b *Græce* ἀνόδυνον, *i, e.* leniens dolorem, *ex alpha privativo, ut vocant, et* ὀδύνη, dolor.

c *Consule Commentarium prævium num.* 21. E

d *Ibidem num.* 21 *et* 22 *invenies quæ huc spectant.*

e *Anni iidem indicantur ibidem in principio paragraphi* 3 : *sed non conveniunt cum anno emortuali S. Petri Nolasci apud nos ad diem* 29 *Januarii pag.* 981 : *nam posito ibi ex aliis anno* 1249 *adduntur ista :* Sed cum eum velint XXXI annos Ordini præfuisse, qui anno demum MCCXIII institutus est ; fatendum esset non ante MCCLIV decessisse, si illud de præfecturæ intervallo constaret.

f *Non probatur Sanctus canonizatus a Benedicto XIII pseudo-pontifice, nec ab ullo alio Pontifice legitimo adscriptus fuit Sanctorum canoni proprie loquendo. Plura Comm. num.* 35 *et sequentibus.*

g *Lege Comm. prævium* § 4.

h *De miraculis tractabimus post Vitam.*

i Tolosa *urbs est perampla Galliæ in Occitania provincia ad Garumnam fluvium, aliunde satis nota.*

k *Post hæc nominantur auctores varii : sed nos per decursum Comm. de scriptoribus tractavimus, ac præsertim* § 5. F

MIRACULA.

Præfatio interpretis P. Conradi Janningi, hagiographi quondam Antverpiensis.

Dantur hæc miracula a codice Ms. Hispano.

Sequentia S. Raymundi miracula ego Conradus Janningus Romæ anno salutis MDCLXXXV Latina feci ex codice Hispano, particulares processus, in variis Cataloniæ diœcesibus legitime atque authentice factos, complexo, et in monasterio Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum Romæ ad radices montis Capitolini conservato, et mihi petenti a R. P. Magistro Ferdinando de Carvajal et Ribera, vicario et procuratore generali dicti Ordinis benigne commodato. Processus porro omnes instituendos curavit R. P. Fr. Ambrosius Machin *a* S. T. M., atque in provincia Aragoniæ definitor ejusdem Ordinis,

INTERPRETE C. J.

b

Ordinis, ad hoc specialem facultatem habens ab adm. R. P. Magistro Generali Ordinis sui Fr. Philippo de Guimeran *b*; cujus litteras, in conventu Mucriæ anno MDCXII, die XVI Junii datas, Ordinariis locorum passim exhibuit una cum interrogatorio testibus proponendo; quod fere circa antiquitatem cultus, et eo spectantia, nec non miracula inquirit; uti ex ipsis depositionibus clare satis colligi poterit, ac præsertim ex litteris illustrissimi Barcinonensis episcopi Ludovici Sans, utpote complectentibus responsiones ad quælibet interrogata, et depositiones testium fere omnium, si particularia miracula excipias. *Hactenus Janningus. Rem ego dividam in capita, titulos ac numeros, et addam mea Annotata. Pars hæc erit prima miraculorum; hujus supplementum erit secunda, aliunde deprompta. De miraculis etiam scribunt Remondus et Colombus sæpius antea citati: hic libro* 3; *ille lib.* 3, *fol.* 118 *et sequentibus.*

ANNOTATA.

a *Vide Commentarium prævium* § 4.

B

b *De illo ibidem, et* § 5, *num.* 47.

MIRACULORUM PARS I

CAPUT I.

Raymundi sanctitas, locus mortis ac sepulturæ; cultus; mortuus ab eo ad vitam revocatus.

Testis juridice interrogatus, a

Coram R. D. Francisco Solzona, presbytero villæ Cardonæ *a*, et officiali villæ et officialatus ejusdem pro illustrissimo et reverendissimo domino D. Fratre Bernardo de Salva, Urgellensi episcopo et regio consiliario, ad instantiam reverendi P Fr Ambrosii Machin S. T. magistri, Ordinis B Mariæ de Mercede captivorum, ac in provincia Aragoniæ ejusdem Ordinis definitoris, ad infrascripta ab adm R. P Fr. Philippo de Guimeran, in S Theologia magistro, Generali totius dicti Ordinis B. Mariæ, specialem licentiam et facultatem habentis etc. *b* Die Veneris XVIII mensis Octobris, anno a Nativitate Domini MDCXII in castro Cardonæ deposuit testis sequens ill. et adm. R. Dominus Franciscus Farran, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia abbas collegiatæ ecclesiæ S. Vincentii castri Cardonæ, ac etiam Prior B Mariæ castri Folliti de Rivo Lutosi, ætatis, ut asserit, LXXVII annorum, parum plus vel minus, testis citatus et debite compulsus, qui juravit super pectus suum, more Prælati, ad Dominum Deum, et ejus sancta quatuor Evangelia, se dicere et deponere omnimodam veritatem in et super his de quibus fuerit interrogatus.

C

b

varia deponit de Sancti virtutibus, loco mortis, c d

3 Et interrogatus super contentis in præinserta supplicatione, per dictum P. Fr. Ambrosium Machin oblata *c*, eidem testi lecta de verbo ad verbum, dixit *d*, quod super contentis in supplicatione deponere potest, id esse, quod a parentibus, avis, aliisque civitatis Cardonæ provectioribus ætate personis semper audieverit, S. Raymundum Nonnatum in vita sua fuisse hominem eximiæ sanctitatis, castitatis, fidei et morum cælestium. In particulari vero, fuisse a confessionibus vice-comitibus Cardonæ, diemque supremum obiisse in castello Cardonæ, quod erat habitatio præcipua vice-comitum, modo ducum Cardonæ. Auditu similiter crebro didicisse, mortuum esse S. Raymundum in cubiculo prædicti castelli, contiguo majori porticui, quod nunc appellatur cubiculum PEROT CALL: demortui autem manum tam firmiter clausam fuisse, ut aperiri nullo modo potuerit. D

ac sepulturæ, nec non de cultu,

4 Porro ut sepulturæ locus deligeretur, corpus in arca imposuerunt mulæ, quam vice-comes domi suæ cæcam alebat, solutis frenis quo luberet ituræ. Ecce autem nullo manum aut aliud admovente, recta processit Portellam, natale solum Raymundi, dissitum Cardona leucis quatuor grandioribus: utque eo pervenit, deflexit * iter, nullo ducente, recta ad locum, ubi modo sepultus suum habet sacellum atque domum Raymundus: et mula continuo crepuit ac mortua est: manum quoque Sancti facile aperuerunt inveneruntque in ea schedulam manu ejus propria scriptam, qua mandabat, istic loci ut sepeliretur. Ex illo porro tempore singularis semper extitit populi erga ipsum devotio, alio cum nomine non appellantis quam sancti Raymundi Nonnati. Et quotannis ultima Augusti Dominica concurrunt ad prædictum locum amplius decies mille hominum, et quater mille jumentorum, illis hæcce circum templum ducentibus, et eleemosynam monasterio impertientibus; aliis quidem dimidiam, aliis vero integram mensuram * frumenti, sic ut quadringentæ amplius tritici mensuræ, et in pecunia totidem, aut certe trecenti ducati afferautur, idque propter grandia miracula, quæ Raymundus quotidie patrat, semper pro Sancto et habitus et cultus.

* *In Hispanico Ms. bueltas al lugar de Portell.*

E

* *Hisp. quartera*

eleemosynis promoto ac miraculis.

5 Ad hæc episcopi concedunt Fratribus istius monasterii facultatem petendi quotannis per episcopatus suos stipem pro sacello ejus, addito titulo Sancti: neque reperire facile erit per omnem Cataloniam, qui non putet ipsum propter miracula quotidiana jam Sanctis rite adscriptum esse. Et ego testis memini, in archivo dominorum Cardonæ reperiri scripturam, quæ tractat de vita S. Raymundi Nonnati. Atquæ hæc, ait idem testis, scire sese ex relatione parentum, avorum, aliorumque ætate grandium, et quia eadem vidit in archivo dominorum ducum Cardonæ; F et omnia sunt publica atque notoria in civitate hac etiam ipsis puerulis; nec est cujusquam memoria in contrarium *e*.

e

Alius testis

6 Venerabilis Philippus Salamo, presbyter villæ Cardonæ, ætatis LXXV annorum, testis citatus et debite compulsus etc., die XXIII Octobris anni MDCXII deponens, dixit; viginti duos circiter clapsos esse annos, cum agenti sibi in rectoria de Copons nobilis quidam, vocatus dominus Valbuona *, dedit libellum manu exaratum et ob vetustatem pene consumptum, sum maque in æstimatione à D. Valbuona habitum. Erat autem conscriptus lingua Lemosina, dice batque Religionem de Mercede a non multo tempore fundatam esse. (Unde cognoscere licet, prædictum libellum exaratum fuisse aut ipso, quo obiit S. Raymundus, tempore, aut certe non multo post) et continebat totam S. Raymundi vitam: inter alia; appellari Nonnatum, quia natus non erat nisi quatenus per apertum demortuæ

* *Colombus Vallbona*

A tuæ matris latus extractus esset in lucem. Deinde in puerili ætate curam ovium * sui patris agens, cum aliquando in eremitorio S. Nicolai, quod est in finibus Portellæ, oraret; visibilem oculis suis habuit Beatissimam Virginem Mariam, jubentem, habitum ut indueret Fratrum Religionis de Mercede, paulo ante a rege Jacobo Barcinone fundatæ. Respondenti autem, pauperculum esse se, et habere neminem, qui se adjuvet; dixit eadem Virgo fore, ut intra horæ unius spatium illac transeat vicecomes Cardonæ, ejus nomine suo opem illum in finem imploraret. Atque ita accidit; transeunti namque vicecomiti puer mandata B. Virginis exposuit, ac ipso patrocinante habitum Ordinis in monasterio Barcinonensi suscepit.

* una obejas

varia etiam

7 Post hæc dicitur quoque inter Cardinales fuisse adscriptus, et vicecomitum de Cardona confessarium egisse: quo tempore cum in gravem incidisset infirmitatem, Fratres aliquot ejusdem Ordinis, habitu percandido induti, et a nemine cogniti advenerunt ad castellum Cardonense; quorum unus dignitate majestateque præ ceteris verendus, quam portabat sacratissimam Eucharistiam infirmo manu sua communicavit: atque B illico omnes disparuerunt. Posteaquam vero spiritum reddidit Raymundus, contentio gravis orta est inter Cardonam, Portellam, et Barcinonense monasterium, cujus horum defuncti corpus foret. Cardona sibi vendicabat, qui istic animam efflaverat: Portella suum esse dicebat, quia istic in lucem prodierat: Ordo de Mercede idem exigebat quia suus extiterat Religiosus. Tenente hac contentione, homo quidam simplex id consilii suggessit, oculos ut eruerent alicui mulæ, eique impositum cum arca sua corpus portari sinerent, nemine ducente, istic reponendum loci, ubi ipsum, volente Deo, mula deposuisset. Probato consilio, mula cum imposito corpore, et sola, et cæca discessit Cardona, transivitque partem Urgellensis, partem Ilerdensis, partem Vicensis episcopatuum, et in omnibus, qua transibat parochiis, sponte sua sonabant campanæ, nec prius gradi desiit, quam S. Nicolai sacellum, ubi pridem Raymundo B. Virgo apparuerat, attigisset; ibique corpus reliquit, ubi modo ejusdem domus et sacellum visuntur.

C 8 Alia plura de vita et morte Raymundi idem liber narrat, quorum ego longi temporis lapsu memoriam perdidi. Continebat quoque miracula nonnulla particularia, quorum me similiter, ut verum fatear, memoria fugit, præter unum; quod scilicet homo quidam de parochia, quæ vocatur Fraxinet, mortuus, parentibus suis gloriosum Patrem S. Raymundum Nonnatum invocantibus, in vitam rediit. Porro ab undecim circiter aute duodecim annis quidam frater Ordinis S. Dominici (cujus quidem nomen ignoro, nisi quod ex signis aliquibus conjicio esse P. Fr. Dominicum) per monasterium de Sarrateix prope rectoriam Viverdensem *, ubi ego tunc vicarium agebam, transiens, et ubique in scripturas de Sanctis Cataloniæ diligenter inquirens, ipsum librum instantissime petitum a me dono accepit. Denique omnia a me dicta, præterquam quod in isto libro legerim, audivi sæpius a longævis hominibus, et sunt tam publica atque decantata, ut in hisce partibus nemo quispiam sit, qui ignoret *f*.

ex antiquo libello, additque mortuum a Sancto resuscitatum.

* rectoria de Viverde

f

9 Honorabilis Joannes Blanck, alias Xiol, de Ortoneda, ætatis CXVIII annorum *g*. In particulari operatus est S. Raymundus miraculum in filio meo: qui nomine Machaël, ætate decennis, lapsus e jumento *h* ruperat sibi ilia tam graviter, ut omnia humana remedia curationi nequidquam adhibuerimus, nec aliud reliquum fuerit, quam ut confugeremus ad opem divinam et intercessionem sancti gloriosique Raymundi: cui invocato votum vovimus, si gratiam sanitatis a Domino impetrasset filio nostro, daturos nos ipsi tantum frumenti, quantum filio pondere par foret. Promisimus insuper conducturos ipsum ad ecclesiam Sancti, uti et re ipsa conduximus, ac dedimus duas cistas unamque [fiscinam *i*] frumenti: curavimus quoque celebrari Missam in honorem sancti patris Raymundi, et frumentum obtulimus. Et ecce filius noster perfectæ sanitati restitutus est, nullo mali signo superante: dictique miraculi memoriam istic reliquimus *k*. Exinde autem prædictus filius meus semper mansit integre sanus, et ruptura evanuit acsi nulla umquam fuisset *l*.

g

INTERPRETE C. J.

h

i

k

l

ANNOTATA.

a Cardonæ, *ubi hic processus sanctus est, et e quo sequentes depositiones sunt depromptæ, situm indicavi in exordio Commentarii prævii.* E

b Nota beue, *inquit Janningus*, simili fere modo in omnibus processibus exordium sumi, curante semper P. Machin jussu Magistri Generalis. Depositionibus semper præmittitur fere, ut sequitur Latine *in ipso textu*: Die Veneris *etc.*

c Ejus contentum, *sicut observat Janningus*, satis innotescit ex depositionibus testium, ut necesse non sit, hic illam describi.

d Hactenus Latine, reliqua Hispanice, quæ sic verto, *sicut hic monet Janningus*.

e *His suddit interpres*: Hactenus ex Hispanico: tum Latine subjungitur, proposita testi esse quæ proponi solent, E. G. an inductus prece, pretio, minis etc. deposuisset: et ad omnia respondit, quod non. Denique reliquorum omnium (qui fere viginti sunt) depositiones nihil quoad substantiam ab his duobus diversi habent.

f *De his Colombus a pag.* 278.

g *Interferit interpres*: testificatus eadem fere, quæ duo prædicti, subjungit: " In particulari " *etc. Sed longa et diversa est depositio ejus, antequam ad particulare perveniat, apud Colombum pap.* 280: *illud vero declarat pag.* 281.

h *In codice Hispanico est* cayò de un Rocin, *Gallis* roussin; *Dictionarium Gallico-Latinum, anno* 1704 *Trevoltii editum, indicat hac voce significari equum strigosum: ubi et de vocis etymo post Menagium, qui in suo Dictionario etymologico consuli potest. Hic forte est strigosus mulus.* F

i *In cod. Hispano* dimos dos cestas y una pañera de trigo. *In Latina hac interpretatione non invenio vocem* pañera, *et ideo uncinis eam includo*, fiscinam *appellans ex conjectura vocis Gallicæ* panier: *cum aptam in Hispanica ad rem præsentem non reperiam significationem.*

k *Videlicet, ut notatur ad marginem ex codice Hispanico*, una cucudia *(vel* ancudia, *littera enim prima dubiuscule expressa est)* de çera y quebradura, *i. e.* ex cera, et herniam. *Colombus pag.* 281 *scribit* ancudia, *quam vocem nec intelligo, nec invenio alibi.*

l *Subdit Janningus*: Idem miraculum, et eodem fere modo testificata " Eulalia Blanca, uxor " Joannis Blanck prædicti, nata annos circiter " sexaginta quatuor " aliud subjunxit in hunc modum: *quod ego ibi non invenio; sed videri potest*

INTERPRETE C. J.

test Colombus pag., 281 *et* 282, *ubi postquam depositionem Joannis prædicti confirmasset* Isabel *(ut ibi vocatur, id est* Elisabeth) Blanch, *ipsius uxor addit, mulum e lapsu mortuum, invocato Sancto et facto voto ad vitam revocatum. Dabo illud in parte* 2, *cap.* 4, *num.* 101.

CAPUT II.

Quidam a rotis illæsus ; curata febris ; Sancti cultus ; puerperis hic propitius.

A rotis obterendus servatur illæsus :

R. P. Fr. Antonius Ferret, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, ætatis XXVII annorum, testis juratus dixit : Anno MDCXI, die XVIII Martii iter faciens a civitate Cuizena *a* * in regno Aragoniæ ad civitatem Oscanam *b* in eodem regno, perveni eques ad torrentem quemdam fundo stabili et saxis pleno ; in cujus transitu subsistenti ad bibendum equo B appropinquavit proprius carrus quidam arena onustus, quem volens declinare, inhibui frenum, et manibus ponticulum istic quemdam apprehendi ; sed cingulo, quo ephippium adstringitur, fracto, cecidi ex equo in medium torrentem, ubi carrus aut potius rota carri per pectus jacentis transiit. Quapropter existimantes, qui aderant, sub pondere me crepuisse, extulerunt lamentabiliter voces suas ; et ego in tanto discrimine loqui prohibitus, invocavi corde cum fiducia magna sanctissimam Dominam nostram, et S. Raymundum Nonnatum ; atque evasi periculum tam immunis damni, ut non modo nullum os aut costa læsa sint, sed omnis etiam : a carne livor, macula, vestigium oppressionis et dolor abfuerint : meque ita sanus ac integer erexi, acsi nihil hujusmodi accidisset, stupentibus, qui aderant, omnibus, et fieri naturaliter non potuisse judicantibus. Sed potuit per intercessionem S. Raymundi ; supra cujus reliquiam e collo meo in sacculo pendulam rota pertransiit, quemadmodum ex vestigiis clavorum ibibi relictis observatum deinde fuit *c*.

a * Colombus Quiccna

c

C

alius torminibus ac febri liberatur :

11 Illustris D. Michaël Joannes Taverner et Montornes domicellus Barcinonæ domiciliatus, annos XXII natus, testis juratus, dixit : Quatuor abhinc menses, cum gravi adeo febri et torminibus angebar, ut somnum triduo nullum capere possem, et quidquid manducabam mox evomerem, nullam afferente opem, quidquid medici adhiberent. Cognito igitur discrimine confugi ad S. Raymundum Nonnatum, cujus reliquiam opportune attulerunt Patres duo de Mercede, et aliquantum aquæ, injecto saxo de sepulcro Sancti benedictæ, bibendum obtulerunt : qui potius etiamsi contrarius esset tali morbo, tantam nihilominus mutationem attulit mihi, ut statim fugiente dolore, eo ipso die liber omnino ac sanus fuerim, quod singulari Dei favori per intercessionem S. Raymundi adscripsi, promisique sanctam ejus domum et ecclesiam Sagarreusem visitare, oblaturus ventrem argenteum *d*.

d

refert quidam spectantia ad S. cultum :

12 Die XVII Decembris anno MDCXII in quadam aula palatii episcopalis Barcinonensis coram illustri et reverendissimo in Christo patre et domino D. Ludovico Saus episcopo Barcin, testis juratus illustris dominus Franciscus Villalba, dominus baroniarum de Momagustre et de Guspi, annorum XXXV, dixit ; quod ubicumque depictum vidit Raymundum, Nonnatum, vidit eum cum diademate ; præcipue vero et specialiter in tabula antiquissima, ab omni hominum memoria depicta ; ubi repræsentatur cum diademate in capite, subscripto ad pedes titulo litteris præ vetustate fugientibus, qui ait : Beatus Raymundus Nonnatus. Circum eamdem vero imaginem expressum conspicitur, quomodo per demortuæ parentis apertum latus in auras vitales extractus fuerit ; quomodo miraculose sacram Eucharistiam a tribus sui Ordinis Religiosis susceperit ; quomodo mula candida et cæca corpus ejus Cardona adusque eremitorium S. Nicolai, nunc domus S. Raymundi Nonnati vocitatum, in finibus Portellæ situm, portaverit, prosequente ipsam, supplicantium more, populo Cardonensi. Et hanc tabulam ipse testis vidit in prædicta S. Raymundi domo, quæ admodum prope abest ab ejus baronia Guspensi. D

E

mulieribus parturientibus

* Remond. Ybarra

* idem Cirera

13 Eodem die illustris D. Franciscus de Jvorra * dominus baroniæ de Cervallo et Bellera, dominus villæ sancti Vincentii, et loci ac termini de la Ciura * *etc.* ætatis XL annorum, testis juratus, dixit, quod reliquia etiam S. Raymundi Nonnati portetur passim ad infirmos, et mulieres parturientes per multos dies, ad cujus præsentiam continuo sanantur ac liberantur : quodque, curante se, sæpissime allata sit domum suam pro suorum necessitatibus, tum quod tenerrime erga Sanctum istum afficeretur, tum quod intelligeret per ipsum multis divinitus reddi salutem, ut præcipue patuit anno MDXCIX mense Augusto vel Septembri in castello Manresanæ *, ubi tunc filiolus suus triennis, Don Dalmau appellatus, eo per morbum adductus fuit, ut domina Manresanæ, matertera ipsius testis, dixerit filioli matri : Abisis hinc, domina ; Deus alios tibi concedet filios, de hoccc enim jam actum est. Simul mater ad fenestram advolat [ecclesiam] S. Raymundi respicientem, quo jam allatum reliquias ejusdem miserat, viditque re ipsa apportati : et statim observarunt adstantes ægrum aperire oculos, eumdemque intrantibus in castellum reliquiis, movere sese ; intrantibus vero in cubiculum, se erexisse adorandi causa, etiamsi nullius Religiosi conspectum ferre posset propter metum, qui animum ejus ad cujuslibet præsentiam incessebat. F Nec diu adoravit, cum ilico melius habere, et mox integræ saluti restitui : quamquam doctor Saura de Cervera jam a diebus aliquot eum mortuis annumerasset : et opinione sua fallendum non fuisse, credit ipse testis, nisi intercessio S. Raymundi interveuisset *e*.

* de la Maurcsana

e

cum esse propitium

f

14 Domina Mariana Ripoll, uxor magnifici Bartholomæi Ripoll secretarii adm. illustris nobilis D. Prioris Ordinis et militiæ S. Joannis Hierosolymitani *f* in principatu Cataloniæ, ætatis XX annorum, testis jurata, dixit ; Mense Maio proxime elapso biennium fuit, quod ipsa testis sex menses gravida, ex magna devotione erga S. Raymundum Nonnatum obivit novenam in sacello ejus in monasterio S. Mariæ de Mercede hujus civitatis : et quamvis domus sua procul absit a dicta ecclesia, non solum se lassabat eundo, verum videbatur sibi per floridum hortum incedere cum magna sui consolatione ; videbatur similiter depicta in sacello imago Sancti arridere sibi, quoties in illam oculos intendebat : genibus autem nixa, etiam per duas horas, tametsi

A metsi infirma, nihil fatigabatur: atque ex illo tempore suus erga Sanctum affectus et fiducia valde singularis fuit.

exemplis

15 Adjunxit, quod finita novemdiali devotione, incepit sentire dolores partus per XXIV dies parturiens tanto cum discrimine, ut tractaretur de accersendo chirurgo, qui incisione exitum fœtui panderet, cum matri certa mors judicaretur imminere: præterquam enim quod parere nequibat; nequibat etiam, debilitata et mentis impos, cibum ullum sumere, nisi quis aperto ori imposuisset, quem tamen ipsum, simul atque acceperat, ejiciebat. Tali in statu mortuæ quam vivæ similior, audivit a famulo quodam suo, nomine Jacobo Garau *, dici: Non recordabitur domina nostra S. Patris Raymundi Nonnati, neque liberari tantis ærumnis ab ipso petet? Et statim ad Sanctum conversa cum toto corde imploravit opem ejus, ut, quoniam editus ipse esset per matris demortuæ latus, intercederet apud Deum pro liberatione sua.

* Colomb. Garaco

variis

16 Quo dicto, sopore gravari oculos sensit, B cum toto illo ærumnarum suarum tempore somnum oculis suis non vidisset, jussitque in sacello seu oratorio quodam suo domestico volenti sibi quiescere poni sedile cum pulvinari. His ita compositis, jussisque recedere domesticis omnibus somnum captatura, derepente ad se intrare vidit duos Religiosos, album indutos habitum, quorum alter manu dextera præferens ciborium Eucharisticum, quocum depingi ut plurimum solet S. Raymundus, manu elevata signum sibi perterritæ dare visus est surgendi; et eodem momento ipsa se exerit omnino sola, quod prius sine duarum personarum auxilio non poterat; et altum inclamavit domesticos foris ad portam excubantes, intrantibusque, et quid rei esset quærentibus respondit; visos sibi esse Religiosos duos modo supradicto, interrogans num et ipsi vidissent; jam enim disparuerant.

probatur.

17 Et, quod mirum est, eodem ipso momento sine dolore aut sensu ullo peperit infantem, pedibus antrorsum (qui partus vulgo letalis existimatur) prodeuntem, mortuum et marcidum, tutoque ventre luridum, et [inflatum] sine pelle, ita ut judicatum fuerit, quindecim amplius dies mortuum in utero materno fœtum latuisse. Nihilominus affirmavit ipsa testis, tam se doloris expertem fuisse in partu, ut nescia percunctaretur, C num peperisset; atque admiraretur, ubi affirmari audivit, obstupescentibus cunctis domesticis et vociferantibus, S. Raymundum Nonnatum apparuisse atque dominam suam miraculose liberasse. Liberata autem ut fui, mihique restituta, sacellum Sancti actura gratias adivi, jubens Missam celebrari et in tabula miraculum depictum appendi. Atque ita vere se habent, quæ narravi *g*.

g

ANNOTATA.

a *In mappa geographica Hispaniæ, quam ante me habeo, invenitur* Xixena, *idem, ni fallor, locus, qui supra notatur, ad fluvium* Isuęlam, *decem circiter milliaribus Hispanicis communibus Osca distans.* Quinsena *scribitur apud Remondum mox citandum.*

b *In Ms. Latino vacuus hic erat locus, ponitur ad marginem* de Huerca *pro* Huesca *sine dubio, Latine* Osca *ad Isuelam fluvium in Aragonia, et urbs episcopalis sub archiepiscopo Cæsar-Augustano.*

c *Miraculum hoc etiam est apud Colombum a pag.* 302, *cui subduntur ista, quæ ex Hispanico sic reddo:* Quod dictum est, confirmavit cum juramento pater frater Joannes Davit, ejusdem cum illo Ordinis, qui eum comitabatur. Idem confirmavit pater Præsentatus Fr. Laurentius de Arbustante, qui erat Oscæ, ab iisque hoc audivit, qui fuerant præsentes, et qui vidit clavos rotæ impressos capucio et scapulario dicti Religiosi. Idem scribit pater magister Antillou Epitome vitæ S. Raymundi, dicens: Vidi multis post annis clavorum signa in pectore dicti Religiosi, dum ei essem a secretis Romæ. *Hoc quoque miraculum refert Remondus fol.* 119.

d *Remondus miraculo huic, quod etiam refert pag.* 303, *subdit pag.* 304: Confirmavit istud miraculum illustris Don Hieronymus Tabarner Ordinis ac militiæ S. Jacobi *(vulgo)* de la Espada. *Raynaldus in Annalibus eccles. tomo* 13 *ad annum* 1210, *num.* 6, *quæ huc pertinent, redigens in compendium, scribit ista:* Comprobavit etiam (*Innocentius PP. III*) sancti Jacobi militiam, vulgo de Spatha nuncupatam, privilegiaque ab Alexandro III illi concessa corroboravit. Plura hic innocentius affert de optimis hujus Ordinis legibus: quas si cupias, ipsum consule; hujus enim anni ac trium sequentium proximorum Pontificis regesta, ut diximus supra typis mandata sunt, quæ Franciscus Bosquetus notis illustravit, deque illo religioso equestri ordine dignissima memoratu adducit. *Deinde idem Raynaldus ex litteris Apostolicis laudati Innocentii scribit de equitum S. Jacobi institutione etc., quæ ibi legi possunt.* E

e *De hoc facto scribit Remondus fol.* 118. *Apud Colombum pag.* 300 *et* 301 *longior est narratio.*

f *De Hospitalariis Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, qui deinde equites Rhodii, et nunc equites Melitenses, scribit Hippolytus Helyot tomo* 3 *Historiæ Ordinum monasticorum, religiosorum, ac militarium, cap.* 12 *et* 13 *Eorumdem equitum Historiæ partem* 1 *et* 2 *Romæ edidit Jacobus Bosius italice anno* 1594, *tertia fuit postea impressa.*

g *Videri possunt Remondus a fol.* 118 *verso, et Colombus pag.* 254 *et* 255, *qui addit:* D. Angela ejus mater confirmavit declarationem præmissam, adjungens, filiam suam diebus viginti quatuor in doloribus partus fuisse, jurans quidquid dictum est. Idem declaravit Jacobus Garaco, *supra memoratus.* F

CAPUT III.

Infans redivivus, oculus male affectus, infirmus, mula et equus morti proximi, puerperæ, puella in gravissimo lapsu per Sanctum adjuti.

Infans mortuus

Die IV Decembris anno Domini MDCXII in villa de Tarrega *a* diœcesis Celsonensis coram adm. R. D. Francisco Ferrer decano villæ et decanatus Tarregæ, testis jurata comparuit Elisabeth Barbara, uxor Petri Barber, cultoris villæ Tarregæ, ætate circiter XXX annorum, et dixit: Domine vicarie, a mensibus fere sex peperi

a

INTERPRETE C. J.

peri ego filiolum cum tanto dolore, ut ad extremum adducerer. Quapropter misi illico ad monasterium S. Mariæ de Mercede hujus villæ, qui diceret laudes * *b* S. Raymundi Nonnati: cumque jam debebant pervenisse, ac imperata facere, enixa sum filiolum mortuum; quippe sine spiritu os, sine lumine oculi clausi, caput sine robore pendulum, nihil subesse vitæ indicabant, et transeuntes per plateam feminas ipsa audivi dicere: Barbara peperit filium mortuum.

* unos gozos

b

ad vitam revocatus:

19 Et dicto modo tenuit infans per quinque aut sex horæ quadrantes, donec ipsum mater mea Elisabeth Beneta sinu exceptum luci propius admovit, et S. Raymundum Nonnatum, ut ipsa mihi postea dixit, multa cum devotione invocavit, promisitque, si miraculum in infante operaretur, se ipsum Sancti habitu vestituram atque apportaturam ad sacram ædem, ubi corpus ejus quiescit. Et eodem, ait, momento respiravit infans, et plorare cœpit, inventusque est tam sanus acsi nihil sinistri actum fuisset; et modo perfecta sanitate fruitur, indutus sacro habitu S. Raymundi, uti videtur, ad complendum votum B quod fecit, ut dixi, mater mea. Eadem testificantur quinque aliæ testes, scilicet ipsa mater supra memorata, Elisabeth Beneta, quæ et obstetrix filiæ adfuit, annorum LX, Francisca Gamis, Hieronyma Selva, Elisabeth Joanna Quadras, Elisabeth Martines *c*.

c

oculus male affectus et infirmitas,

d

20 Anno MDCXII die VIII Novemb. coram magnifico D. Laurentio Granell, bayulo *d* et judice oppidi de Torregrossa diœcesis Ilerdensis, deposuit Esperanza Capella, uxor Antonii Capellæ villæ de Torregrossa, testis jurata et dixit: A biennio fere filiolus meus trimestris gravi oculorum morbo laborabat, crumpente ter quaterve copioso sanguine, ut dubium nobis nullum relinqueretur, quin perditurus visum esset. Invocavi tamen S. Raymundum Nonnatum, promittens adituram me nudis pedibus sacram ejus domum, quinque leucas magnas distantem, si miraculum in puero, reddita videndi facultate, operaretur. Vix autem promiseram, ecce aperit puer oculos hactenus clausos, et sanguinolentos: deinceps vero semper sine ullo sanguinis fluxu perfecte curatos et sanos; quod naturali virtute fieri non potuisse, factum vero superna- C turali per intercessionem Sancti a me invocati, pie credo. Adde, quod Augusta mense nuperrimo idem filius, ex infirmitate vix ossibus hærens, desperatam a nobis salutem suam, post invocationem ejusdem S. Raymundi, integram recuperavit tam exiguo temporis spatio, ut decimo inde die, S. Raymundo sacro, ipsum portaverimus ad ejus domum. Quod ego, familia mea tota, aliique pro manifesto habemus miraculo. Eadem deponunt pueri pater Antonius Capella, et frater Raphaël Capella *e*.

e

mula deficiens,

21 Gaspar Escola, agricola villæ de Torregrossa, testis juratus dixit: Octo aut novem anni fluxerunt, ex quo mulam quamdam meam, torminibus infirmam, Arbeçam *f* ad veterinarium adduxi, qui cum remedia nihil proficerent, suasit eam in lacum remotiorem ex oculis subducerem *g*. Subduco igitur, et ecce in via repente corruit humi, atque incipit jactare pedes, et dentibus stridere, tota frigida stupens *h* *; sic autem dimidiam circiter horam, inspectante me, permanenti sine motu ac halitu abstuli capistrum, et Arbeçam redii: cum per viam venit mihi in memoriam B. Raymundus Nonnatus, ac promisi daturum me sacræ ejus domui sex mensuras *

f

g

* Ms. hierta

h

* Ms quarteras

tritici, si mulam miraculo ad vitam revocasset. D Ut promisi, mulam respicio, et caput sustollentem video: recurro et virgula percutio jacentem, quæ mox erigit se tali alacritate acsi nihil incommodi passa fuisset: et ego promissionem meam solvi *i*. Paria his deponunt Thomas et Antonius Capella *k*. Joannes quoque de Villagrassa simile miraculum in mula sua testatur accidisse coram bayulo et judice ordinario oppidi de las Borjas diœcesis Ilerdensis.

i

k

puerpera,

l

* Colomb. de Boixo

m

22 Coram *l* adm. R. doctore Monserrate Boixo * archidiacono Vallespirensi, canonico sanctæ ecclesiæ Elnensis *m*, officiali civitatis Perpiniani pro adm. reverendo capitulo ecclesiæ Elnensis sede vacante episcopali.

Die XIII Augusti anno MDCXII coram prædicto archidiacono et officiali comparuit vocatus et juratus se dicturum veritatem, Martinus Soler, juris doctor, assessor gubernatoris hujusce Comitatus Rusciniouensis *n* *, et Cerretaniæ *o*, annos natus, ut dixit, XLIII *p*, hæc in particulari; quod uxor sua in partu periclitans, dum S. Raymundum Nonnatum, quem devote solebat colere, invocat, ejusque sacram reliquiam ad se E allatam adorat, illico feliciter enixa est.

* Gallice Roussillon

n *o*

p

desperate ægrotus, equus morti proximus,

q

23 Fuit quoque eidem testi filius, nomine Raphaël, ad medicorum desperationem ægrotus, qui, invocato eodem Sancto cum voto visitandi per novem dies ejus sacellum *q*, continuo salutem miraculose recuperavit cum adempletione voti. Adde, quod eidem fuerit equus percommodus, quem ob morbum nullo remedio curabilem veterinarius jam jusserat ex equili abduci; cum ipse testis invocans S. Raymundum Nonnatum; apposuit collo equi numisma *r*, quod dare solent Patres de Mercede, promisitque curandam dici Missam unam in ejus sacello: nec mora intercessit ulla, sed eodem plane momento equus se erexit in pedes, comedit, salutem adeptus est integram, nullo morbi vestigio relicto.

r

mulier in partu

24 Domina Emerentiana de Oms et Joli, uxor nobilis domini Guilielmi Oms, ætatis suæ anno XXXV, dixit in particulari, quod ipsa religiose veneretur S. Raymundum Nonnatum, ex quo divina bonitas per ejus intercessionem secum operata est duo miracula, quæ sequuntur. Alterum, quod, cum ipsa prægnans, completo F tempore, duos tresve dies laboraret in partu, nullum motum aut vitæ indicium ostendente fætu, imploraverit opem S. Raymundi, quo tam præsenti periculo defungeretur. Cumque statim ivisent quæsitum reliquiam Sancti, eamque imposuissent pectori parturientis, continuo fœtus movere se cœpit, et paritus est.

duplici,

25 Alterum miraculum fuit, quod alias gravida, majores in partu dolores, quam in supradicto sustinuerit, jamque pro mortua haberetur: cum prædicti miraculi memor, oculos in imaginem S. Raymundi e pariete pendulam conjecit, ad eamque his ipsis verbis usa dixit: Ah! sancte Raymunde Nonnate, non me adjuvas?.. et mox allatam imaginem posuerunt supra pectus infirmæ, quæ statim peperit infantem grandiusculam ita duplicatam, ut dorsum prodiret primum: extractus tamen fœtus est sicut erat duplicatus sine sui atque matris læsione; quæ defuncta tanto periculo devote venerantur Sanctum, et quotiescumque Perpiniani versatur, recurrente ejus festo, sacellum ejusdem visitat *s*.

s

puella in gravissimo lapsu sospitantur.

26 Catharina Torres, uxor Josephi Torres fabri lignarii annos XL nata, dixit in particulari, fuisse sibi annos ab inde duodecim filiam, annorum

t * braças INTERPRETE C. J.

A rum tunc septemdecim t, nomine Rosam, quæ in ambulacro, octo et dimidia circiter ulnis * a terra elevato, cum puero ludens, decidit inde humi, rupitque colli spondylos, cranium capitis, et brachium alterum: unde miserabiliter læsa, instar mortuæ jacuit sine usu linguæ per duas horas. Mater interim, viso periculo filiæ, fidem atque spem firmam posuit in S. Raymundo Nonnato fore, ut per ipsum liberaretur: vixque Sancto promiserat amicturam se filiam habitu S. Mariæ de Mercede, cum filia fari cœpit dicens: Mater cecidi. Interea vocatus chirurgus hujus civitatis Joannes Auger adfuit, visaque filia impossibilem asseruit ejus curationem. Placuit tamen Deo, mederi intra tridui spatium omnibus omnino vulneribus filiæ ex lapsu acceptis sic, ut tam sana permanserit, ac ante fuit, sine læsione ulla in brachio, in collo, in capite. Id quod prædictus chirurgus plurimum miratus fuit, negans fieri potuisse sine intercessione alicujus Sancti.

ANNOTATA

B a Tarrega *ad fluvium Cerveram sita est, et* 10 *circiter milliaribus Hispanicis communibus distat Celsona.*

b *Vox* gozos *Hispanica proprie significat Latine* gaudia; *hic autem elogia vel* laudes, *vel jubilos. Vide Commentarium prævium num.* 23.

c *Colombus pag.* 253. *Remondus fol.* 120 *verso, rei gestæ præfigit locum* En Tarragona, *id est,* Tarracone, *quæ est urbs archiepiscopalis et portus maris in Catalonia: perperam, ut mihi videtur: cum in Ms., et apud Colombum legatur* Tarrega, *quæ superius scribitur esse* diœcesis Celsonensis.

d Bayulo, *quod interpres hic ponit ex Hispanico, al.* bayle *et* baylio, *significat præcipuum justitiæ ministrum.*

e *Vide Colombum pag.* 292, *et Remondum fol.* 121, *qui nihil addit de filii salute desperata, et per Sanctum recuperata.*

f *Locus hic abest Ilerda, vulgo Lerida, sex circiter milliaribus communibus Hispanicis.*

g *Colombus pag.* 292: Le dixo la sacasse al C campo, y preveniesse quien la dessollasse, porque si moriria muy presto. *Id est:* Dixit ei, ut illam traheret in campum, ac procuraret aliquem, qui eam excoriaret, quia cito admodum moritura esset.

h Hierta *quid proprie significet nondum inveni: videtur autem plus aliquid indicare quam* stupens, *si jam* tota *erat* frigida.

i *Colombus a pag.* 292.

k *Consuli possunt quæ ex Colombo referam inferius num.* 116.

l *Sequentia sunt ex Processu Perpiniani instituto. Perpinianum vero est urbs Galliæ, Ruscinonensis comitatus caput,* antea juris erat Hispani, *uti observat Baudrandus,* sed anno MDCXLII fortiter expugnata fuit a rege Francorum, et ab eo tempore *ipsi subdita*.. Sedes est episcopi Elnensis ab anno MDCIV, *jacetque ad mare Mediterraneum.*

m *Al.* Heleua, *Hispanis* Elna, *civitas in jam dicto Comitatu non procul a Perpinianensi. Episcopalem fuisse sub archiepiscopo Narbonensi, sed anno* 1640 *ipsius sedem translatam Perpinianum, annoque* 1640 *e regis Hispaniæ domino transiisse ad regem Franciæ, et ante* Illiberim *nuncupatam, invenies apud Baudrandum.*

n *Est provincia Galliæ satis nota inter Occitaniam et Cataloniam ad mare Mediterraneum.*

o *Provincia est regi Hispaniæ subdita, et comitatu Ruscinonensi terminata ab ortu, a quo Comitatu separatur Montibus Pyrenæis. Ejusdem caput est* Cerretanorum jugum, *al.* Puigcerda.

p *In versione Latina Janningi interponuntur sequentia, et aliis characteribus efformanda indicantur, verosimiliter quia ipse illa e longiori textu Hispanico contraxit:* Deposuit præter communia de devotione populi versus Sanctum, de concursu ad ejus sacellum, de tabellis et anathematis ibidem appensis, de reliquiis ad infirmos delatis, et miraculis passim patratis, *deinde sequitur:* Hæc in particulari *etc.*

q *Sacellum illud erat in conventu S. Martini Ordinis FF. Mercenariorum. Perpiniani, prout indicat Colombus pag.* 282.

r *In Hispanico textu apud Remondum fol.* 119 *verso, et Colombum pag.* 283 *legitur* una medida. *Etiamsi autem substantivum illud proprie significet mensuram, sumitur tamen etiam ab Hispanis pro vitta seu tænia, quæ attigit reliquias, teste Francisco Sobrino in suo Dictionario Hispano-Gallico, ubi addit, ea mulieres ligare frontem ad sanandum capitis dolorem. Hanc item, de qua hic agitur, scribit Colombus esse benedictam, et in Sancti nomine distribui ab antiquis temporibus in conventu, in quo sunt ejus reliquiæ.* E

s *Remondus fol.* 119 *verso, et Colombus* 249. *Hic mulierem ejusque maritum vocat* Dons; *ille autem* Douns.

t *Remondus modo citatus, et Colombus pag.* 284 de siete anos, *id est,* septem annorum.

CAPUT IV.

Religiosus ex altissimo loco lapsus: alii in febribus sospites.

Die IX Novemb. MDCXII coram bayulo et judice ordinario oppidi de las Borjas diœcesis Ilerdensis deposuit jurata testis Catharina Bertran, vidua Thomæ Bertran agricolæ, et dixit: Viginti quinque aut sex abhinc annis filius meus Petrus Antonius molestis febribus ad vitæ terminum deductus, cum ipsa jam morte luctabatur: unde, data ipsi benedictione mea, ne morientem coram intuerer, proripui me ex cubiculo, lacrymis perfusa. Cum vicina quædam mea, Margareta Ginera, mulier pia, jam mortua, jussit filium me meum promittere S. Raymundo Nonnato, in omnes sese ex corde invocantes benefico. Obedivi, et statim intra duodecimam et primam noctis horas, quo tempore filium pro mortuo reliqueram, invocavi magna cum fiducia prædictum Sanctum, suppliciter rogans vitam filio, addita promissione mittendi sanatum ad sacram ejus domum dissitam ab oppido de las Borjas quinque ac dimidia leucis, ibique curandi Missam unam offerri. *Quidam febribus ad extrema deductus* F

28 Facta tali promissione perstiti, quoad lucesceret, in oratione, cum lacrymis commendando filium Sancto. Ubi autem illuxit, ecce conjux meus (qui modo gloria, ut spero, cælesti gaudet) accurrens plorare me vetat, filium quippe *sanatur; uti et puerperæ adjutæ:*

INTERPRETE C. J.

quippe vivere et valere. Quæ verba ego, aliter atque ipse volebat accepta, de vita per mortem acquisita intelligens, in cubiculum me intuli suspenso gradu. Audiens tamen intrantem filius; Mater, exclamat, affer mihi panem, quia esurio, et surgere cupio, quia bene sanus. Inter hæc proprius lectum aggressa, vidi lætum vultu, corpore sanum, febri omnino liberum, cognovique miraculum in ipso operatum esse S. Raymundum Nonnatum: nolui tamen, ut e lecto se statim proriperet ob corporis debilitatem: qua succedentibus viribus depulsa, misi ipsum ad S. Raymundi, quod promiseram, impleturum. Et inde summa in veneratione semper habui prædictum Sanctum, cui vitam et salutem filii agnosco deberi. Simili modo hæc deponunt ipse Petrus Antonius Bertran, ejusque soror Joanna [a]. Porro [b] in partu periclitantes præter narratos casus, aliæ plurimæ cum juramento deponunt, se invocato S. Raymundo, aut ejus reliquiis ad se allatis feliciter enixas esse, videlicet D. Hieronyma uxor magistri Petri Berdu architectoris: D. Angela Casanova, uxor Juliani Casanova
B
Carderii, D. Anna uxor discreti Narcisci Estrada notarii: quæ omnes Perpiniani a XII Octobris MDCXII, ut supra deposuerunt juratæ.

Religiosus in altissimo lapsu [c]

29 Anno Domini MDCXII die Veneris quinta Octobris in quadam aula palatii episcopalis Vici [c] R. P. Fr. Gabriel Sagarra, presbyter Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, et præsidens monasterii et conventus B. Mariæ de Mercede civitatis Vici, ætatis (ut dixit) XXXVII annorum parum plus vel minus, testis citatus et debite compulsus, qui more sacerdotali juravit ad Dominum Deum et ejus sancta quatuor Euangelia in posse ejusdem reverendissimi D. episcopi dicere veritatem omnimodam, quam sciet in et super his de quibus inferius interrogabitur. Et dixit: Vigesima Decembris anni MDXCVIII cum essem ego sacrista monasterii S. Mariæ de Mercede civitatis Vici, commodaveram per dies aliquot longiores scalas ejusdem monasterii domesticis palatii episcopalis, ut illud in adventum D. Francisci Robusta * Sala bonæ memoriæ episcopi Vicensis decore instruerent. Cumque ego iisdem iudigerem pro ornando tem-
C
plo nostro, ad palatium eas quæsitum abii, reperique elatas in summum tabulatum aulæ, a S. Bernardo nomen sortitæ, superans altitudine muros civitatis, et adæquans viginti perticas de Mompeller * (quarum quælibet octo palmorum est) et quartam unius partem, ut ex dimensione cujusdam fabri lignarii constat.

* Colomb. Robuster
* i. e. Montis Pessulani

mirifice a morte servatus:

30 Cum vero capere prædictas scalas non possent gradus palatii, easdem, necubi impingerent, dirigens in ambulationem muri demittere volui: verum pondere victus, decidi ex dicto tabulato usque in memoratam ambulationem, incontinenter incessanterque, dum per aëra circumagebar, inclamans: S. Raymunde Nonnate adjuva me, S. Raymunde adjuva me: sicque decidens impegi dorso in saxa per ambulationem sparsa. Neque tamen quidquam inde mali sensi, sed continuo in pedes surrexi, numeroso concurrente populo, videre cupido, num in partes comminutus, aut per intercessionem S. Raymundi, protegente Deo, servatus essem. Qui arreptum me ad monasterium deportarunt, unde egredi nisi triduo elapso permissus non fui: tum vero exii per civitatem, acsi nihil quidquam mihi evenisset, bene sanus: triduo vero domi detentus fui propter dorsum ex lapsu aliqualiter passum. Atque isthæc ita accidisse scio et vera sunt. Eadem et expresse de altitudine loci deponunt jurati magnificus D. Christophorus Vilantia * medicinæ doctor LXVII annorum (qui addit, mensurari altitudinem se vidisse, et fieri non potuisse sine manifesto miraculo, lapsum inde vivum ac illæsum mansisse;) magnificus D. Franciscus Martinus item medicinæ doctor, Balthazar Pla faber lignarius; Jacobus Morlans apothecarius. D

* Colomb. Vilanera

alii

31 Die XVIII Sept. Esperanza Clara, vidua relicta Michaelis Clara, quondam paratoris Gerundæ [d], ætatis suæ XXVI annorum dixit: Anni quinque vel sex elapsi fuerint [e] quod coujux meus Michael Clara continua et pervehementi laboraret febri; quæ cum die quodam, fugiente jam frigore, multum invalescebat, obtuli sitienti aquam, attactu reliquiæ S. Raymundi Nonnati, quem uterque singulari veneratione prosequimur, benedictam, et a P. Fr. Mates æditno in vasculo nobis submissam: quam simul atque bibit, febri, dum re ipsa vires intendebat, liberatus fuit, et hacteuus manet. Quamobrem dictus maritus meus gratias acturus, novenam instituit in sacello Sancti [f]. E

febribus [f]

32 Die XVIII Septembris in locutorio inferiori ecclesiæ monasterii monialium S. Danielis Ordinis S. Benedicti, extra et prope muros Gerundæ deposuit testis sequens illustris Paula de Mala * monialis ibidem professa, et dixit: Sex circiter anni sunt [g], cum tertiana febri infestata, adveniente paroxysmo cruciabar gravi dolore femorum, augebar, et vomitabam. Quibus in ærumnis S. Raymundo Nonnato, cui valde devota eram, promisi Missam unam celebrandam, et eleemosynam domui ejus erogandam singulis per unum annum septimanis: tantaque mihi fuit in Sancto fiducia, ut certo mihi persuaderem, visa ejus reliquia morbum aut omnino curandum, aut certe leviorem et sine paroxysmo fore.

* Remond et Colomb. Malla

liberati,

33 Cum eadem similiter spe mulierem quamdam, cui nomen Nomat, id beneficii rogavi, ut conventum S. M. de Mercede adiens [peteret] a Patre æditno S. Raymundi, quam istic conservant, reliquiam, per ipsum aliumve afferendam. Ivit illa, sed reliquia domo aberat, ad alios per civitatem ægros apportata. Non tamen desii in sancto confidere; et eodem plane die dereliquerunt me dolores et febris, idque, ut credo, per intercessionem S. Raymundi; cui etiam ut fidem meam solverem, celebrandam curavi Missam, et anno solido quot hebdomadis eleemosynam conventui ejus dedi. F

ac puella surditate.

34 Item eadem dixit: A tribus circiter annis sub potestate mea habui puellam quamdam annorum quinque, cognatam meam, nomine Mariam Joannam *, quæ per tres hebdomades tam surda fuit, ut quantumcumque vocata nihil omnino perciperet. Invocavi etiam pro ipsa S. Raymundum, promittens, curaturam me ad aram fieri semel, et oblaturam auriculam ceream, et postera statim a promissione die vis magna puris ex altera puellæ auricula erupit, et acutum deinceps perpetuo auditum habuit. Quod ipsum credo firmiter per S. Raymundi intercessionem evenisse, et mox ad aram fieri, et aurem ceream e sacello ejus suspendi, ut promiseram, curavi. Hoc ultimum surditatis curatæ miraculum confirmatur simili depositione Marianæ Vilæ-Major * [h], annos XXVI natæ.

* Colomb. addit Domenega

* Colomb. Villa-Major [h]

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *Remondus fol.* 121, *et Colombus a pag.* 293.

b *Sequentes depositiones sunt factæ* Perpiniani, *ut mox dicetur.*

c *His verbis inchoat declarationes Colombus pag.* 304: Vici declararunt testes coram domino don Gallart episcopo suo. Primus declaravit Joannes Rexada *etc. Ac pag.* 305: Secundus, Pater Michaël Sagarra *etc., de quo etiam Remondus fol.* 121 *verso. Alia, quæ in nostro Ms. non invenimus, aliunde postea supplebimus. Est autem* Vicus, *Hispanis* Vique, *urbs parva in Catalonia, et episcopalis sub archiepiscopo Tarraconensi, sita prope Teram fluvium, ab urbe Barcinonensi leucis duodecim versus Cerretaniam: a maris Mediterranei ora decem, Gerunda novem distans secundum dimensionem Baudrandi.*

d *Sequentes depositiones factæ indicantur* Gerundæ *in nostro Ms., coque spectant, donec aliud monuero. Est autem* Gerunda, Girone *Gallis, urbs* B *Ducatus titulo insignis, aliquot leucis a mari Mediterraneo, et a confinio Galliæ et Comitatus Ruscinonensis dissita.*

e *Remondus statim citandus infirmitatem istam affigit anno* 1597; *sed non recte, si subsistat hæc depositio: debuit enim aliquot annis serius accidisse, quia Processum depositiones anno* 1612 *sunt institutæ.*

f *Remondus fol.* 122 *verso, Colombus pag.* 276.

g *Remondus modo indicatus morbum innectit anno* 1597; *non recte ob rationem mox datam littera* e. *Rectius Colombus anno* 1606.

h *Addit Colombus pag.* 278: Quæ tunc temporis erat ancilla dictæ Religiosæ, et dicit, quod ipsa duxerit puellam ad sacellum Sancti, quodque ambæ audierint Missam, quæ dicta fuit in gratiarum actionem.

CAPUT V.

C *Sanctus in gravi ruina conservator; ac puerperis variis beneficus; alius a lethargo sanatus.*

Quidam sub ruina stabuli *a*

Benedictus Pons agricola parochiæ de Aquaviva Gerundensis diœcesis, annos quinquaginta natus, dixit *a*: Hoc ipso Septembri mense, iu quo agimus, triennium fuit, quod Michaël Pons, filius meus, tunc XXI aut XXII annorum, quadam die ingressus stabulum domus D. Raphaëlis Joannis Belloch, civis bonorati Gerundæ, quam ego conduxi, et cum familia mea inhabito in parochia de Aquaviva episcopatus Gerundensis: cum, inquam, ingressus prædictum stabulum filius, alligaret ibidem boves quatuor et duos tauros ad trabem principem, quæ reliquas trabes magnas parvasque cum toto tecto susteutat; memorata trabs in instanti temporis facta ruit cum tota structura in filium meum Michaëlem pariter ac jumenta intus consistentia.

36 Quo viso, repente inclamavi ego, qui prope aberam, sanctissimam Dei Matrem et S. Raymundum (intelligendo S. Raymundum Nonnatum, quem singulari devotione venerantes quot sabbatis [placentam] *b* pro eleemosyna impertimur) moxque adhibita in amovendis lignis diligentia, comperimus delapsas trabes omnes per boum tergora distensas quidem, nullum tamen intulisse damnum aut bobus ipsis aut filio meo, protegente ipsos, ut pie credimus, misericordi Deo per intercessionem S. Raymundi, cujus opem imploraveram ego, et mecum filius quoque, uti postmodum ex ipso intellexi: neque deinceps jumenta quidquam nocumenti passa sunt *c*.

INTERPRETE C. J. cum jumentis sine damno servatus. *b* *c*

37 Die XVII Septembris MDCXII magnifica domina Mariana Campmany et Alziua, uxor relicta magnifici Joannis Raphaëlis Campmany, quondam civis honorati Gerundæ, ætatis suæ XXVI annorum, dixit: Circiter octavus agitur annus, ex quo D. Anna Paula Ribes et Alzina, soror mea germana, quoudam uxor nobilis domini Petri Pauli Ribes, tunc temporis Gerundæ parturiens cum summo labore ac dolore, tum quod ipsa complexione debilis, atque ratione unius costæ dorsique læsi manca esset; tum quod fœtus grandior, et, quod caput est, præpostero modo duplicatus exitum quæreret. Cum E igitur parere nequiret, ipsa atque ego, quæ istic prope adstabam, imploravimus devotissime opem S. Raymundi Nonnati, singulariter a nobis semper culti, rogantes Patres B. Mariæ de Mercede, reliquiam Sancti ut afferrent; quod et factum est. Pater vero ille, qui attulerat, benedixit aquam, et contactu ipsius reliquiæ sacratam obtulerunt laboranti tertio bibendam intra modicum tempus.

Puerpera potu aquæ, quam Sancti reliquiæ attigerant,

38 Et continuo fœtus exitum promovere cœpit, et mater doloribus liberari, destituta tamen viribus, non secus acsi mortua esset: prodiitque brevi in lucem infans (licet duplicatus, uti dicentem obstetricem audivi) grandis, formosus et sanus, vixitque inde multos menses. Mater autem statim a partu ita recuperavit vires, ut, non obstantibus supradictis, sese in culcitras collocaret, indeque erigeret sine alicujus ope, quam nec impendi sibi volebat, ac brevi omnino convaluerit. Quæ omnia pie credo sic evenisse per intercessionem S. Raymundi Nonnati, quem ipsa in labore partus mecum devote invocavit: et pro actione gratiarum domicella quædam, consobrina Danielæ Camaleras, novemdiale pietatis F opus nudus pedibus obivit in honorem, ut mihi videtur, S. Raymundi; et D. Ribes maritus Marianæ pro altari ejusdem Sancti fieri curavit frontale ex tela subtili * *d*. Eadem testificantur Daniëla Camarelas obstetrix annos LVIII, et Antica Fustera annos XLVIII natæ *e*.

feliciter fœtum enixa:

* de telilla *d*

39 Die XVIII Septembris magnifica Casilda Vedruna, uxor magnifici Hieronymi Vedruna, civis honorati Gerundæ, ætatis suæ XXIV annorum dixit: A biennio circiter domina Victoria Aas, uxor D. Joannis Raphaëlis Bas, civis honorati Girouæ, cognata mea, male peperit, et inde superveniente febri continua, eo deducta fuit, ut de salute ejus desperantes medici, ad patrocinium Sanctorum recurrere juberent, cedentibus malo remediis humanis. Quo audito, infirmam ergo statim commendavi sancto meo Raymundo Nonnato, promittens, si dominæ Victoriæ sanitatem a Deo impetrasset, fore ut ipsa habitum Ordinis de Mercede se indueret, anno integro gestandum: et continue observatum fuit, sensim illi animum, vires, salutem redire. Etiamsi autem intra mensem domo non exiverit,

e *alia post infelicem partum sanata a febri lethali:*

INTERPRETE C. J.

exiverit, credidi tamen et credo, recuperatam salutem S. Raymundo, quem invocaveram, deberi. Porro promissionem, quam feceram, significavi prædictæ dominæ Victoriæ; et ipsa, ubi sanata fuit, religiose solvit, non anno tantum uno, sed haetenus semper habitum illum induta. His similia deposuit quoque ipsa D. Victoria *f*.

alia uterum ferens,

40 Die XVIII Septembris Magnifica Joanna Civera et Charol, vidua relicta magnifici Hieronymi Civera et Charol, quondam honorati civis Gerundæ, ætatis anno LV dixit: Festa Circumcisionis Domini nostri luce, prima Januarii proximi quartus annus implebitur, ex quo D. Anna Helena Charol, conjux D. Lazari Mouer et Charol, incidit in febrim continuam, quæ septima inde die capiti debilitatem, vacuitatem, ac phrenesim cum gravi dolore intulit, per dies omnino quinquaginta tenentes. Adde, quod quarto jam mense uterum gestaret. Interea viso, quod omnia, quæ adhiberi potuerunt remedia, eluderet malum; ego infirmæ admodum mihi caræ noverca (est quippe filia D. Hieronymi Civera, mei quondam mariti) ipsam commendavi plurimum glorioso Raymundo Nonnato, supplicans ut salutem impertiretur.

facto voto,

41 Cumque quadam vespera insanius deliraret, adivi ego D. Lazarum ejus maritum, dicens, magnam mihi esse in S. Raymundo Nonnato fiduciam: voveret ipsi quidpiam pro infirma: hoc modo ægritudinem curandam: et continuo vovimus, ipse quidem D. Lazarus, infirmam D. Annam amore Dei et S. Raymundi quotannis festa ejus luce prandium apposituram duodecim pauperibus; ego vero, gestaturam scapulare Ordinis de Mercede; et continuaturam utrumque quoad vita superesset, si sanitatem pristinam consequeretur. Invocavi ego præterea eumdem Sanctum, ut quatuor mensium fœtum, qui jamjam præpropere enitendus pluries ex certis signis videbatur, conservaret saltem dum baptismo renasceretur. Placuit porro Deo utrumque concedere, et infirmæ salutem, et infanti salutarem baptismum. Inter hæc autem reminiscor rei notabilis, videlicet quod non raro infirma, in majori æstu morbi posita, cuipiam gesta * Sancti forte canenti auscultabat *g*, et, si quid erraret, emendabat.

* los gozos

a gravi phrenesi:

42 Denique ita perfecte sanata fuit, ut ne indicium quidem phreneseos in ipsa animadversum deinceps sit, integris sensibus atque intellectu usa semper, et hodiedum utente. Quapropter D. Lazarus Moner festo S. Raymundi quotannis prandio excipit duodecim pauperes hoc modo. Primum congregatos domi suæ ipse et uxor conducunt ad ecclesiam, ubi sacrificio Missæ, quod in sacello Sancti offerendum curant, ipsa cum prædictis pauperibus interest; eosdem, finito Sacrificio domum reducit, manibus eorum aquam affundit, accumbentibus cibos comiter ministrat, remota mensa singulis osculatur manum, et eleemosynam impertit. Gestat quoque scapulare Ordinis, et sciendum est, primum, quod induit, a me emptum fuisse *h*. Eadem brevius deponunt ipsa D. Anna Helena, ejusque soror germana Hieronyma Cerera*.

* Colombus Sebiera

alter a lethargo

43 Die XVII Septembris nobilis domina Magdalena Carriera et de Doms, uxor relicta nobilis D. Joannes Carriera et de Gurp, in civitate Gerundæ et Barcinonæ quondam domiciliati, anno ætatis suæ LV dixit *i*; quod die illo, quo rex noster Philippus anno, ni fallor, MDXCIX *k* Barcinonæ juramentum præstitit, frater meus D. Raymundus Doms tam periculose ægrotabat continua febri, quam dicunt lethargum, ut pro mortuo jam habitus, extremis sanctæ ecclesiæ Sacramentis muniendus esset: verum ab ecclesia sua curatus aberat propter juramentum, quod majestas regia die illo faciebat, quo tota civitas confluxerat. Aderant tamen nobiscum in conclavi decumbentis duo Patres Ordinis de Mercede *l*, et duo discalceati Carmelitæ, qui videntes dictum D. Raymundum Doms ad vitæ terminum properare, flexis circum lectum genibus, orationi pro ipso vacabant: et suggerentibus Patribus de Mercede, domina Mariana Doms, uxor infirmi, plorans cum animi compunctione, et ego, et quotquot aderant, imploravimus omnes devote S. Raymundum Nonnatum.

curatus a Sancto, qui præsens apparuerat,

44 Moxque egredientem me cubiculo subsecutus alter e Patribus de Mercede; Bono, inquit, sis animo, domina, frater tuus hoc morbo non morietur; idemque prædixit D. Marianæ, ægrotantis uxori. Neque vero multum fluxit temporis, cum æger tam copiose cœpit sudare, ut sexto septimove mutare indusium necesse fuerit: et dignum est admiratione, quod ad singulas indusii mutationes melius habere, viribusque auctior semper inventus, ac tandem sanitati omnino restitutus sit. Post triduum autem quatriduumve Pater ille, qui me bono animo esse jusserat, non moriturum fratrem meum, dixit D. Marianæ: Gratias Deo agite, ac S. Raymundo Nonnato, qui nobis pro infirmo orantibus, in ejus lecto præsens apparuit.

persoluta ei gratiarum actione.

45 Quod executa domina prædicta, curavit plures Missas pro actione gratiarum in sacello S. Raymundi celebrandas, et pro memoria beneficii accepti suspendit tabellam, infirmum [ac] S. Raymundum Nonnatum repræsentantem.

Idem miraculum testificatus est Barcinonæ coram episcopo istius loci die XVII Decembris MDCXII ipse adm. rev. P. Fr. Laurentius Alvata S. T. M. Ordinis B. Mariæ de Mercede, annos LX natus, sine nomine indicatus supra, additque quod, cum prædictus D. Raymundus Doms morti proximus, jamque linguæ, oculorum et aurium usu destitutus esset, ipsi testi ad extremum lectum genibus flexo, et reliquias S. Raymundi Nonnati manibus tenenti, multisque Sanctum pro infirmo interpellanti, apparuerit ipse visibilis, multo splendore circumfusus, qua repræsentari a pictoribus solet forma; et, junctis prius manibus, benedictione sua ægrum impertivit, simulque videri desiit. Æger autem ad se reversus in hasce primum voces erupit: Ora pro nobis, B. Raymunde Nonnate, et brevi totus convaluit *m*.

ANNOTATA.

a *Janningus interserit ista:* Quod et ipse filius, in quo contigit miraculum, aliquanto fusius testatur. *Depositio ejus jurata, in qua nonnullas addit et corrigit circumstantias, dabitur in parte* 2 *ex Colombo.*

b *Vocem hanc interpres vacuam reliquit, ponens ad marginem* damos una torta de limosna. *Vox* torta (*Gallis* tourte) *non Hispanis dumtaxat, sed Latinis etiam nota, significat placentam, vel panem. Plura de hac voce Cangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, ubi et multa exempla profert. Suspicor vocis hujus etymon referri posse ad Latinum* tortus, a torquendo. *Hoc affirmat Menagius in Dictionario suo etymologico*

A *logico ad nomen* tourte, *ubi plura etiam invenies.*

c *Colombus pag.* 275.

d *Alibi lego per vocem* tetillas *significari parvos pannos vel texta ex lana et exigui valoris.*

e *Colombus pag.* 246.

f *Colombus pag.* 276.

g *Ad marginem invenio se* assessagava,*quod nec intelligo, nec alibi invenio, quid proprie significet. Columbus pag.*247 se sossegava,*id est,* quiescebat.

h *Idem biographus a pag.* 247.

i *Columbus pag.* 271 *agens de hac historia præmittit ista* : Quamvis miraculum, quod sequitur, accidit in civitate Barcinonensi ; declaratio facta est in Gerundensi, quia illic degebant testes, tamquam ambarum civitatum incolæ.

k *Fuit hic Philippus III, qui patri suo Philippo II, die* 13 *Septembris anni* 1598 *in monasterio Scorialensi S. Laurentii, regia magnificentia a se condito, vita functo successit.*

l *Declaratio juxta R. P. M. Fratris Laurentii Altavæ, qui fuit unus e duobus istis Mercenariis, profertur apud Colombum pag.* 301 *et se-*B *quente.*

m *Præter Columbum mox citatum agit brevius de hoc facto Remondus fol.* 118 *verso.*

CAPUT VI.

Puer læsus curatur; litteræ illustrissimi episcopi Barcinonensis.

Puer læsus Honorabilis Michael Guardiola chirurgus, civis Gerundæ, ætatis suæ L annorum, dixit : Octo circiter anni sunt, cum vocatus ad domum Michaelis Subira, virgarii * *a* magnificorum dominorum hujusce civitatis Gerundensis, ibidem inveni filium prædicti Michaelis Subira sexennum aut septennem, lecto detentum, ob confractum sibi crus *b* sinistrum, quod et inspiciens ipse, tale deprehendi, et juxta artem chirurgicam partes loco suo inter se coaptavi, coaptatisque applicui [linamenta] *c* et nonnullos asserculos; sicque recte obvolutum crus reliqui non tamen C sine gravi dolore pueri. Post hæc transacto biduo redii visum ac reperi cum magna admiratione meum crus, alio plane se habens, quam reliqueram, modo : quapropter interrogavi parentes, num alius quispiam chirurgus aliave persona manum curatricem admovisset ; atque ambo negaverunt. Tum ego : Qui fieri id potest, cum alia prorsus ratione applicata modo sint involucra, atque ego applicui?

(* *Colomb. macero*)

a Sancto apparente curatur 47 Tum vero puer ita infit : Nemo unus crus tetigit, nisi S. Raymundus Nonnatus, qui hoc mane in hocce cubiculo adstans illud medicatus est ; neque ullus modo dolor inde mihi superat. Ego nihilominus applicui denuo, quæ talibus rupturis apponi solent, cum iisdem asserculis, et conformiter chirurgicæ crus denuo obvolvi, idque examinaturus tertio reverti. At puer intra brevius multo spatium temporis, quam ejusmodi plagæ curari solent, sanus ambulavit ac cucurrit ; quod ego plurimum admiratus fui : quia sic læsi tenere lectum diebus quadraginta solent ; et tum quoque diebus aliquot affecto pede consistere nequeunt ; cum tamen præfatus puer quindecim non amplius dies usu cruris destitutus fuerit. Idem deponunt simili modo ipse, qui crus fregerat, Raphael Subira, annorum quatuordecim, ejusque pater annos quinquaginta quatuor natus *d*.

INTERPRETE C. J.

d litteræ 48 Nos Don Ludovicus Sans, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Barcinonensis, regiusque consiliarius, universis et singulis has literas visuris et inspecturis, seu quibus fuerint quomodolibet præsentatæ, salutem in Domino. Cum P. Fr. Ambrosius Machin S. T. Magister, Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, ac in provincia Aragoniæ ejusdem Ordinis definitor, ex peculari commissione reverendissimi Generalis dicti Ordinis designatus ad inquirendas res mirabiles, quæ quidquam possunt afferre momenti ad insignem divi Raymundi Nonnati vitam et sanctitatem probandam, ac pervulgatum in hoc Cataloniæ principatu cultum, et pietatem erga eum maximam, ad ceterasque probationes, quas prædictus Generalis et suum capitulum generale injunxerunt ei faciendas a nobis, et postulaverit, ut ex his, quæ gravissimi testes in informatione coram nobis ad ejus instantiam recepta, deposuerunt nobis, nota et comperta forent, his etiam litteris testaremur, nostræque auctoritatis testimonio, quo haberent E majorem roboris ac ponderis firmitatem, confirmaremus: placuit nobis tam justis postulatis annuere, cum emergat præclarior et illustrior Dei gloria in Sanctis suis.

Ludovici Sans, episcopi Barcinonensis, 49 Igitur dicimus, affirmamus et fidem facimus, inter alios Sanctos, quos principatus Cataloniæ immemoriali traditione veneratur, unum esse divum Raymundum Nonnatum, quem communis omnium seniorum et populorum, vulgo dictorum de la Sagarra, consensus et traditio affirmat, fuisse ortum in loco de Portell Urgellensis diœcesis mirabili sane modo : etenim emortua ejus matre, cum ipse adhuc in ejus visceribus clausus permaneret et latitaret, dissecto parentis utero et latere fuit extractus : quocirca. Nonnatus vocatus fuit, quia non solito naturæ partu et legibus in hanc lucem prodiit Rursus ejus vitam ab ipsis incunabulis fuisse virtute et sanctitate perspicuam et illustrem ac cælestibus portentis approbatam tria præcipue confirmant.

50 Primum, quod cum adolescentulus paucalas oves parentis pasceret, ac soleret illis relictis sæpius quoddam eremiticum sacellum, situm in termino ejusdem loci de Portell, divo Nicolao F episcopo dicatum, ad orandum invisere, beatissima et deipara Virgo ipsi apparuit, simulque ut Ordinis de Mercede ab ipsa instituti togam et habitum indueret, imperavit. Cujus dictis sanctæ indolis Adolescens sedulo paruit, et habitum d. Ordinis Barcinonæ suscepit. Secundum, quod cum in gravem et letalem morbum Cardonæ incidisset (erat enim vicecomitum illius oppidi confessarius) tres Religiosi d. Ordinis apparuerunt, qui postquam refecerunt cum cælesti cibo Eucharistiæ, ab omnium oculis repente evanuerunt.

post testium 51 Nec tertium est minori admiratione dignum. Nam cum post ejus obitum, ejus venerandum corpus in arca clausum, et cuidam mulæ albæ, prius erutis oculis, fuisset superimpositum, ut illud deferret, quo divina voluntas designaret, post varia loca peragrata, tantum divino nutu ad prædictum sacellum divi Nicolai, quod distat ab oppido Cardonæ unius fere diei itinere, pervenit, eoque ter circuito, ante fores januæ flexis genibus mula crepuit media, ibique Sanctum corpus divi Raymundi Nonnati reliquit,

INTERPRETE C. J.

reliquit, ubi usque in præsentem diem (mutato tamen nomine sacelli divi Nicolai in divum Raymundum Nonnatum,) magna veneratione servatur et colitur. Hæc autem omnia sæpius a senioribus loci de Portell, et aliis communi fama avorum et parentum in filios et nepotes traducta audivimus.

in processibus

52 Nam cum multis annis ecclesiæ Solçonæ præfuerimus, cujus domini temporalis est locus de Portell, crebrius ipsum adire necessum erat, et cum eis familiariter sermonem de his facere delectabar. Vidimus etiam ex his præcipua depicta in antiquissima tabella et in imagine altaris constituti in templo ejusdem divi Raymundi Nonnati; in cujus medio cernitur ipse Divus depictus cum diademate in capite, et sub ejus pedibus hic titulus litteræ formæ antiquissimæ: Beatus Raymundus Nonnatus: et circumcirca depicta historia ortus post obitum matris, mirabilis communionis et asportationis sui corporis per mulam cæcam et albam, cujus picturæ et imaginis antiquissimæ nulla extat hominum memoria quomodo aut quando fuerit facta. B

depositiones

53 Itaque divi Raymundi Nonnati invocatio, cultus et populorum erga ipsum devotio a priscis seculis ortum habuit, nec fuit temporis antiquitate antiquata, sed aucta in dies magis et magis: quod probant ubique extructa sacella, crebra, quæ ad ejus intercessionem miracula perpetrantur, ingens populorum erga ipsum pietas et incredibilis concursus ad ejus templum, præcipue Dominica ultima mensis Augusti, quotannis ejus solemniis cum Missa et Oratione propria (quas non solum privatas, sed etiam solemnes celebrare semper fuit consuetum) dicata. Confluunt namque religionis et voti causa ex tota fere Catalonia undique populi: ejus prætcrea sacellum inspicitur ornatum lampadibus, tabellis depictis, sudariis, aliisque muneribus, a Christi fidelibus ex voto delatis et appensis.

exaratæ.

54 Nec illud videtur prætermittendum, sacras ejus reliquias et imagines, ab ægrotis postulatas, desperatam sæpe non solum ipsis sed etiam brutis salutem conferre: omnesque hujus principatus episcopi et antistites, et nos cum illis, singulis annis Religiosis *d*. Ordinis scriptas licentias concedere ad legendas per suas diœceses a Christi fidelibus eleemosynas ad divi Raymundi Nonnati templum exornandum, ejusdemque cœnobii et domus opus perficiendum, nec non ad pauperes et advenas peregrinos, illuc pietatis et voti causa adventantes, hospitio excipiendos, cibo potuque reficiendos. Quæ omnia quia et vera esse et nobis comperta protitemur et attestamur, præsentes fieri jussimus, manu nostra subscriptas et sigilli nostri impressione munitas, datas Barcinonæ die quarta mensis Januarii anno a Nativitate Domini MDCXIII *e*. L. Episcopus Barcinon.

ANNOTATA.

a *Est* apparitor, *vel* bedellus, *ut vocant, (Gallice* bedeau.) *Plura habet Glossarium Cangii auctum.*

b *Remondus fol.* 122, *et Colombus pag.* 274, el muselo izquierdo en redondo.

c *Ad marginem notatur* las estopadas; *significationem Latinam uncis a me inclusam, sic describit Dictionarium Calepini:* Linamentum *est* penicillis ex linteo decerptus, qui vulneri imponitur ex linteolo, vel spongia, vel lana ad exsiccandam saniem, et purulentiam extrahendam.

d *Rem gestam deponit Michaelis prædicti filius, cui hæc sanatio evenerat, apud Remondum et Colombum lit.* b *designatos.* D

e *Litteræ itaque istæ sunt datæ post Processus ac testium in eisdem depositiones, quæ anno* 1612 *contigerunt, quæque brevi hic compendio perstringuntur.*

PARS II

Ex editis Hispanice apud Philippum Columbum, interprete Joanne Pinio.

CAPUT I.

Singularia Sancti beneficia erga mulieres prægnantes ac puerperas in variis Cataloniæ locis. E

Columbus libro 3 *Vitæ* S. Raymundi, *qui totus est de cælestibus favoribus, eodem Sancto patrocinante impetratis, cap.* 1 *et sequentibus agit de mulieribus gravidis, quæ in periculo puerperii opem ejus singularem sunt expertæ. Textum Colombi Hispanicum redde Latine in hanc sententiam:* Etiamsi ex iis, quæ desunt, constabit, S. Raymundi protectionem extendere se ad universas necessitates, quas patiuntur pii erga illum clientes; nihilominus ostendit experientia, memoriam, quod mater ejus amiserit vitam, quando ipse in lucem prodiit, efficere, ut intercessio ejus patrocinetur matribus, quæ in hujusmodi angustiis constitutas se vident. Quia vero miracula jam adeo frequentia sunt, non describuntur. Illa, de quibus authentice constitit Gerundæ ex formatione, quam de eis instituit doctor D. Franciscus de Americh, canonicus, et in dignitate positus istius sanctæ ecclesiæ, nec non vicarius generalis diœceseos, ad instantiam patris magistri fratris Ambrosii Machin, definitoris provinciæ Aragoniæ, et ex commissione illustrissimi domini D. Onofrii Reart episcopi, sunt sequentia; in capitibus autem reliquis dabuntur cetera, quæ ad Cataloniæ principatum spectant *a*. F

Hoc Sancti patrocinium probatur

a ex declarationibus,

56 Circa mulieres prægnantes, quæ in suorum partuum periculo prodigiosam erant felicitatem consecutæ, declararunt doctores D. Hieronymus Pinguen archidiaconus Emporiens *b*, D. Joannes de Crudillis canonicus et in dignitate positus istius sanctæ ecclesiæ, ac D. Michael Audreu, nec non D. Franciscus Quadros de Villela, etiam canonici, quod esset publica vox, mulieres, quæ in ista civitate se commendabant S. Raymundo, non periclitatas esse, omnesque hunc in finem habuisse vittas, imagines, et aquam benedictam, sacri ejus lipsani tactu consecratam. Sciebant hoc, quia comprobatio similium miraculorum coram se fuerat transacta, ut testimonia deferrentur ad conventum S. Raymundi festa ejus luce. Curiæ isti adeo cognitum est Sancti auxilium in illa pressura, ut vix invenienda sit mulier, quæ, dum ad ultimum pervenerit mensem,

b

A sem, pignore sacro, baculo, galero, candelis, vel imaginibus gloriosi Sancti, sibi non prospiciat.

quæ 57 Decima quarta Septembris anni MDCXII declaravit Michaël Villa, scriba publicus Gerundensis, dum quadam die festo S. Raymundi Nonnati interesset concioni, dixisse sacrum præconem : Quænam mulier, in suo partu invocans S. Raymundum Nonnatum, periclitata umquam fuit? Dum hoc dicerem domi meæ, uxor mea et ego magnam erga Sanctum concepimus pietatem, atque adeo dum bis deinde uterum ferret, quodam antea mense ibamus ad ejus sacellum omnibus diebus Dominicis ac festis, magnaque cum fiducia imploravimus præsidium ejus, vicibus singulis curantes cantari ipsius jubilos ante altare ejus : et ex quo habuimus id pietatis genus, conjugis meæ tam felices fuere partus, ut, habita consideratione fœtum edi non posse sine dolore, partus ipsius fuerint tales, ut ex animi sententia non potuisset habere meliores. Uxor mea et ego id attribuimus piæ affectioni, quam habuimus et habemus erga gloriosum S. Raymun-
B dum, facto proposito numquam deserendi illam, continuata adeo videntes miracula domi nostræ, postquam majori cum devotione Sanctum invocamus : cum, priusquam ego audivissem quæ dixit concionator, in partubus antecedentibus subiisset magnum admodum laborem, in nonnullis ad instantem mortem deducta.

in variis 58 Venit *c* ad illum uxor ejus admodum anxia, quia malam admodum prægnationem habuerat : timoresque ipsius magis auxerunt periculum. Videns itaque vehementiores esse dolores quam in aliis occasionibus, ac multo post tempore non posse se parere, clamavit, dicens se mori, suosque metus fuisse præsagia finis sui. Maritus ejus in hisce illam angustiis conspicatus, ad sacellum Sancti se contulit, ut Deum pro illa oraret, Religiosos rogans, ut sacrum ejus lipsanum ad illam deferrent. Vix illud venerata fuit, cum Domino nostro placuit mitigare dolores ejus, partumque admodum felicem ipsi concedere.

Cataloniæ 59 Declaravit Jacobus del Pas, civis Perpinianensis, magnam domi suæ pietatem esse erga gloriosum Cardinalem S. Raymundum Nonna-
C tum propter multa miracula, quæ in illa operatus est, succurrens sibi in omnibus necessitatibus, in quibus illum invocavit, præsertim in partubus uxoris suæ, qui eam exponunt magnæ pressuræ, post multum temporis parere non valentem : donec Sancti reliquias ad eam deferunt, et statim periculo liberatur. Peculiariter in quadam occasione jam moritura erat, et sic credebat ipsa, quia Sancti lipsanum non erat ad se delatum, quod in alia civitatis domo, ubi simile erat periculum, existebat. Et mulier magna cum angustia dicebat : Vult Deus ut moriar, cum mihi ademerit tutelam vitæ meæ : et maritus promisit, quod, si pareret, fœtusque viveret, illum induturus esse veste Virginis de Mercede.

locis 60 Ex mox voluit Deus, ut domum ejus intraret sanctum pignus, quod afferebat Religiosus, a quo illud petierat, tantumque fuit gaudium conjugis ipsius, ut illud pectori suo imponens recuperarit vires, ac filium pepererit, per quem Deus mirabilem se ostendere voluit per Sanctum suum, immittens ei symptoma, quod vultum ipsius pingebat colore violaceo, quo moriebatur, latente mali causa. Inclamarunt Sanctum, ut rogaret Deum, ne tam cito ipsorum filius se desereret, quo per intercessionem ejus gaudebant, vota aliquot Sancto facientes; quibus peractis, adeo instantanea fuit ipsius sanitas, ut omnes illam attribuerint S. Raymundi miraculo. Et concludunt, tam devote se affici erga eum, ut filiis et filiabus, quotquot habuerunt, S. Raymundi nomen indiderint. *INTERPRETE J. P.*

61 D. Hieronyma Berdu, habitans Perpiniani, declaravit, se anno MDCX partui proximam inverso situ habuisse fœtum : unde per multum tempus inter illas angustias ac dolores versata fuit, fœtum unum dumtaxat brachium extrahente. Multa malo adhibita sunt remedia; sed nullum suffecit : unde vita ipsius ad ultimum periculum deducta est. Maritus ejus Petrus Berdu ivit ad conventum Virginis de Mercede, oravitque pro ipsa ad altare S. Raymundi, et petiit reliquias Sancti, quas secum tulit pater frater Joannes Raymundus, conventus vicarius : quæ vix venerata sacrum pignus, sensit magnis se animis et viribus esse, prodiitque fœtus, matre liberata periculo. *publica*

E 62 Declaravit Angela Casanova, se, tempore Quadragesimæ illo ipso anno MDCXII gravidam, multis affectam fuisse morbis : unde suborta ei fuit hydropisis, eo ipsam redigens, ut die Virginis Deiparæ mensis Martii elapsi, qui erat partus sui tempus, desperarint eam medici ac deseruerint, quia plura remedia non habebant, quæ ipsi adhiberent, dicentes ut de rebus suis disponeret, quia cito admodum moreretur. Dum in hoc esset statu, dixerunt ei, ut gloriosum S. Raymundum invocaret, afferrique curaret ipsius reliquias : multas mulieres in hujusmodi pressuris per intercessionem ejus sanatas fuisse. Magno pietatis affectu id fecit, allatoque sacro lipsano melius habere cœpit ab hydropisi, ac peperit. Verum vivusne esset partus, an mortuus, ignorabant; sed illis commendantibus eum dicto Sancto, vivebat, materque cito convaluit, atque ad sacellum ipsius ivit ad gratias agendas, afferens cereum, et feralem amictum *d* ad rei memoriam. *auctoritate* *d*

63 D. Anna de Estrada, habitans Perpiniani, declaravit, anno MDCIX tam adversum sibi fuisse partum, ut per dies tres totidemque noctes niti eum non potuerit acutissimis torta doloribus ac letalibus angustiis : et obstetrix, quæ semper lateri ejus adhærebat, dixit illi, ut invocaret S. Raymundum Nonnatum, votumque ipsi aliquod offerret. Vovit, fœtui, qui nasceretur, nomen Sancti se daturam, curaturamque, ut ad ipsius aram dicantur aliquot Sacra. Petiit sibi afferrent reliquias, quas magno pietatis affectu venerata fuit, votaque sua renovavit, dicens, ut accinerent ei jubilos ante altare sacelli ejus : quibus nondum cantari cœptis, renuntiatum iverunt, eosdem recitarent in gratiarum actionem, quia jam pepererat, multumque erat sublevata. Quæ omnia evenerunt simul atque ipsius domo egressum est Sancti lipsanum. *fuerunt datæ,* F

Michael Llario, incola Castelonensis *e* Ampuriarum declaravit, conjugem suam in primo partu anno MDCVI ad tales fuisse redactam angustias, ut cogitarent morituram propterea quod parere non posset per aliquot dies. Curavit ad eam deferri reliquias S. Raymundi, et Patres benedixerunt modicum aquæ, sacrumque pignus eidem injicientes, infirmæ porrigunt, magnaque cum devotione illam bibit : et mox eodem instanti

INTERPRETE J. P. stanti peperit, et sana statim surrexit, infantique nomen Raymundi inditum fuit in signum ac memoriam miraculi.

64 Franciscus Buigert, chirurgus Castelonensis declaravit, se festo S. Lucæ abhinc annis sex vel septem ad ædes nobilis Spei * Fabrega, simul cum magistro Michaele Texidor etiam chirurgo accitum fuisse, ut dictæ dominæ expirantis corpus aperirent, fœtumque extraherent, quia moriebatur ex abortu absque remedio. Ambo adhibuerunt aliquot remedia isto tempore pomeridiano, sed frustra : partum quippe eniti haud poterat. Remanserunt ibidem illa nocte cum multis aliis, ut viderent, an partum, illa moriente, vivum extrahere possent : et hora tertia matutina mulieres nonnullæ, quæ illic aderant, letales angustias, quas patiebatur, miseratæ, S. Raymundum invocarunt, multis votis ac promissis, si pareret, ac sanaretur, ipsi editis. Hora quarta miserunt ad conventum S. Bartholomæi Ordinis de Mercede, ut afferrentur sanctæ reliquiæ ejus : Religiosi eas attulerunt, et modicum aquæ benedicentes, eidem illam immiscrunt, infirmæ-B que bibendam porrexeruut, appositis pectori reliquiis : eodemque temporis puncto peperit, bene habuit, propediem ivit ad conventum Virginis de Mercede, Deo et Sancto actura gratias pro miraculo.

et hic * Esperanza

65 Rem confirmavit venerabilis Bartholomæus Matthæus sacerdos ac beneficiatus ecclesiæ parœcialis Castelonensis, quem accersiverant, ut dictam Spem Fabregam disponeret ad bonam mortem, quippe eum in finem illic remanserat cum chirurgis atque aliis multis personis ista nocte; refertque id quod declaratum est, addens, infantem vivum et tam exiguo cum sensu cuixam fuisse, ut hunc, donec ille prodierat in lucem, non nosceret : et sic dixerunt, quemadmodum ipsamet postea declaravit isti sacerdoti, qui sibi erat a sacris confessionibus : ad quod sine dubio induxerat eam status, in quo se versatam fuisse meminerat.

referuntur.

Antonius Morera e loco Montefalco territorii Cardonensis declaravit, Elisabetham Armengolam, ibidem loci habitantem, quadam occasione triduum exegisse in parturiendo, magnis cru-C ciatam doloribus, quia fœtum non poterat dare in lucem : dumque audiret declarans, eam pro mortua haberi, ex commiseratione ivit, et curavit afferri sacrum lipsanum S. Raymundi Nonnati, eodemque instanti, quo venerata illud fuit, peperit, et convaluit.

Andreas Llibragos, præcipuus justitiæ minister, et judex ordinarius loci de Olujas, annorum ætatis octoginta, confirmavit e majorum suorum traditione quidquid de Sancto scriptum remansit; descendensque ad miracula particularia, dixit, conjugem suam in duabus occasionibus habitam fuisse pro mortua ex malis partubus : et in occasionibus ambabus, allatis ad eam e conventu S. Raymundi, qui media leuca inde distat, reliquiis ejusdem Sancti, in momento liberam mansisse; ac innumera esse miracula, quæ Deus patravit per sacrum pignus benedicti S. Raymundi in similibus pressuris.

ANNOTATA.

a *Observa, lector, plurima a me omissum iri mirabilia, quæ narrat Colombus, quandoquidem de illis facta est mentio superius in parte prima. Quæ autem ex ipso proferam, in novos titulos, capita ac numeros dispescam, et notationibus illustrabo.* D

b Emporiæ, *sicut scribit Baudrandus*, urbs Hispaniæ Tarraconensis in Indigetis Polybio et Ptolemæo, Emporium Straboni et Stephano, a Phocæensibus condita, et olim ampla et episcopalis sub archiepiscopo Tarraconensi, nunc AMPURIAS, oppidulum Cataloniæ in ora maris Mediterranei, et in diœcesi Gerundensi, paucis constat incolis, contra Medam insulam parvam, sub dominio Hispanorum, tribus leucis distat a Rhoda in Meridiem, Palamum versus septem, et totidem a Gerunda in ortum æstivum : ab ea tractus adjacens dicitur l'AMPURDAN : non procul ab ipsa Marcus Cato Hispanos devicit : ejus meminit Silius lib. 3.

c *Quia parte* 1, *cap.* 2, *num.* 22 *brevissime perstringitur declaratio* Martini Soler *circa partum uxoris suæ, suppleo ibidem dicta, et ex Colombo cap.* 2 *profero plura.*

d *In Hispanico habetur* una mortaja, *quod nomen sæpius postea recursurum significat* feralem amictum : *id est, linteum, cui involvuntur mortuorum cadavera ante sepulturam.* E

e *In Hispanico est*, de Castellou de Ampuria. *De hoc loco Baudrandus ista memorat* : Castellon, oppidum Hispaniæ eiterioris amplum, nunc ex veteri inscriptione interpretantur CASTELLON D'AMPURIAS, oppidulum Hispaniæ in Catalonia, in ora littorali maris Mediterranei prope Emporias oppidulum, quinque leucis a Gerunda in Ortum æstivum, et octo ab Helena in Meridiem.

CAPUT II.

Aliæ a Sancto gratiæ puerperis præstitæ in variis Hispaniæ locis.

Vici declaravit nobilis domina D. Eleonora de Monrrodon, uxor illustris domini Joannis de Monrrodon, id quod sequitur : Anni erunt quatuor, ex quo periculosus mihi fuit partus : et horis quatuor supra viginti in magnis doloribus constituta, dum viderem non posse me eniti fœtum, dominam matrem rogavi hanc mihi gratiam, ut juberet accersi patrem Commendatorem de Mercede *a*, qui recitatum ad me veniret orationem S. Raymundi Nonnati, atque afferret Sancti lipsanum, erga quem ego testis pie admodum afficior, magnaque habebam fiduciam, et certa eram, me, dum diceretur dicta oratio, in momento liberatum iri, sicut videram in multis aliis. Venit P. Commendator, dumque dimidia orationis pars *b* esset dicta, statim peperi infantulum, qui, Deo sit gratia, hodie vivit : et in memoriam gestavit Sancti vestem, donec pauco abhinc tempore illam deposuimus : et talis est nostra in Sanctum fiducia, ut visus nobis fuerit, quamdiu vestitus ibat isto habitu, probata admodum ac multa fuisse valetudine : ex quo autem tempore illum deposueruut, non recte se habet, nec integra gaudet sanitate illa, qua fruebatur ante.

Vici F *a* *b*

67 Et declaravit, quod, dum infans lactaretur, die quodam sibi eum attulerint quasi mortuum

in Catalonia

A tuum in infecto laete, quo nutrix illum alebat; quodque, imposito ipsi scapulario Sancti, ejecerit multum lactis per os, ac recte valuerit. Addebat denique : Tantam ego habeo in glorioso S. Raymundo fiduciam, ut nihil ab ipso petierim, quod per intercessionem ejus uon coucesserit mihi Deus. Sic juravit ac signavit coram domino episcopo *c*.

principatu, 68 Facta declaratione dominæ Eleonoræ de Monrredon, magister frater Joannes de Antillon secundum Commendator fuit Vici, comperitque, dominam istam quotannis S. Raymundi festum celebrare magna cum solennitate, quæ illi causam sciscitanti respondit, se repetitos a Deo accepisse favores in partubus suis, Saucto patrocinaute, post illius ex ista urbe discessum, eosdemque in duabus occasiouibus adeo fuisse arduos, ut eam reliquerint tamquam mortuam : vidisse cubiculum iugredi gloriosum patrem S. Raymundum : animo inde erecto familiam advocasse, et facile peperisse. Quod vero eam obstrinxit ad vovendam celebrationem ipsius festi quotannis, fuit omnium opinione quasi resurre-
B ctio, quia jam erat quasi mortua, ac chirurgi erant parati, ut aperirent corpus ejus, quando nosceretur expirasse. Tunc autem visa fuit spectare (nescit quomodo, quia destituta erat sensu) Religiosum de Mercede sibi benedixisse, et iu momento factam sui compotem peperisse, ac recte valuisse, et sic, dum vixerit, festum ejus se debere celebrare, et induere filios suos Saucti veste, quia sic educabat illos sanos; habere se hujus rei experientiam abhinc anno MDCIX, id est, miraculi, quod antea retulimus.

Tutelæ d 69 Tutelæ *d* in Navarra anno MDIV P. frater Valerius Marcus, vir Religiosus admodum zelosus, pingendas curavit multas Sanctorum Ordinis nostri picturas, quæ hodie existunt in parvo claustro conventus nostri Cæsaraugustani. Quaudo ibat visum easdem elaborari, historiam singulorum sciscitabautur ab illo : quo factum, ut retulerit historiam gloriosi cardinalis S. Raymundi Nonnati, multaque miracula, quæ Deus operabatur per intercessionem ejus, præsertim in mulieribus gravidis. Coutigit, ut pictoris coujux uterum ferret, et, antequam advenisset tempus, invaserint eam dolores partus adeo vehementes,
C ut moreretur, iis ita judicantibus, qui opem illi ferebant, propterea quod sæpius iu cruciatu destituebatur sensibus per triduum, quo conflictabatur isto tormento. Noverant omues, mortuum esse fœtum atque adeo condemnarunt illam ad necessarium chirurgiæ rigorem, quo per partes extraheretur fœtus. Verum tam erat illa exanimis, ut cognosceret, remedio isto accelerandam sibi mortem.

in Navarra, 70 Tunc mulier meminit sancti illius Thaumaturgi, cujus historiam audierat ex P. Fr. Valerio commendatore conventus Virginis de Mercede, sed non sciebat ejus nomen. Fecit, ut suus maritus iret ad S. Nicasium, qui est conventus Ordinis in ista civitate, rogaretque P. Commendatorem, ut Sancto isti tam prodigioso se commendaret, cujus nomen non recordabatur, condemnatam utique ad crudelem mortem. P. Commendator afferebat ei reliquias S. Raymundi, et vix collo illas apposuerat, cum cessarunt dolores, cœpitque fœtum ejicere per partes adeo corruptas ac fœtentes, ut tolerari non possent. Cito admodum convaluit, adivitque Sancti sacellum, ubi celebrari jussit Sacrum, tota sua familia magno pietatis affectu eidem addicta : Sanctusque pictas multas suas imagines persolvit marito, quæ ita distrahebatur per devotionem erga Sanctum, ut pictor meliori fuerit in re *e*. *INTERPRETE J P* *e*

71 Dominus episcopus Rossensis *f* in Vita S. Raymundi, quam scripsit in sua Centuria, affirmat tamquam testis oculatus, in civitate Optana *g* conjugem thesaurarii regii, partui suo timentem propter periculum, cui se expositam viderat aliis vicibus, instituisse mensibus ultimis novenam S. Raymundo, ac sancta ejus imagine domum delata, magna fiducia sperasse. Tempus aderat pariendi, sed cum hujusmodi symptomatibus, ut de vita desperaret. Invocavit, in tanto se conspiciens periculo, Sanctum, ipsoque patrocinante peperit, pressuris, prout in aliis partubus solebant, non ingruentibus, quæ ultimis periculis eam exponebant. Hinc grati animi causa complevit aliquot promissa, ut quæ S. Raymundo Nonnato fecerat. *Optæ f g*

72 In eadem civitate uxor Joannis Alvarez, scribæ ex numero *h*, eo redacta e partu fuit, ut alios edere non posset, sicut annorum quindecim experientia comprobavit, fœtu, quem conceperat, immature prærepto *i*. Patronum igitur sibi assumpsit S. Raymundum, multas eleemosynas in ejus nomine erogans, et offerens, se celebraturam ipsius festa cum magna solennitate. Eodem autem, quo id incepit anno, gravida facta est, filiamque edidit absque terrore mali successus : nec affligebant propter devotionem magnam, quam habebat de protectione S. Raymundi, symptomata aliquot, quæ iu prægnando supervenerant. *in Castella nova, ac Matriti h i* E

In nostro conventu Matritensi venerationi exposita est in sumptuoso sacello imago miraculosa sancti Cardinalis, opus mirabilis istius sculptoris Gregorii Hernandez. Inter alia signa, quæ ibi gratiarum actio pro favoribus Dei per Saucti intercessionem obtentis reliquit, legitur in tabula, quomodo anno MDCX Augustina Alameda, habitans Matriti, ad mensem septimum prægnationis suæ cœperit non sentire fœtum : adhibita sunt remedia, sed nullius motus signum dedit : reputabatur mortuus, multis ac continuis remediis, quæ adhibita fuerant, hoc suadentibus. Adjudicatur illa crudeli remedio torni *k*, ad extrahendum, quoad poterant, fœtum : pie admodum afficiebatur erga Sanctum, fretaque ejus patrocinio, in occasionibus hujusmodi probato, inchoavit novenam in sacello ejus. Primo die fœtum sensit : idem accidit diebus ceteris, ac proinde liberata jam illo terrore primo, speravit cum fiducia in sancto Protectore suo : partus fuit difficillimus, cum horis amplius quinquaginta tribus cruciata fuerit doloribus et angustiis mortiferis : renovavit quæ Saucto promiserat : sacrum ejus lipsanum petiit, quod dum veneraretur, prodiit fœtus liber periculo : nobisque reliquit penicillum *, grati animi sui signum. *k* F ** f. picturam tropice.*

73 Anno MDCLVIII postquam Sanctus dominam Magdalenam de Espinosa liberaverat difficili partu, uno exinde mense invasit puerum tremor artuum, quo secundum signa et judicia medicorum exspirabat. Mater anxia jussit eum deferri ad aram S. Raymundi, flexisque genibus dixit ei : Si tua intercessio liberarit illum in nativitate, patrocinium tuum debet resuscitare eum. Divinam pietatem movit fides matris, et sancti Cardinalis intercessionem consecuta est, domum rediens cum filio sano ac valente, omnibus publice dicentibus fuisse revocatum ad vitam. *in eadem l*

74 In eadem curia Matritensi anno MDCLX operatus *Castella*

INTERPRETE J. P.

operatus est Deus per merita sancti Cardinalis unum e suis miraculis in domina Augustina Carrillo. Sexto prægnationis suæ mense comperit, quod se non moveret fœtus : unde afflicta fuit, mortuum judicans. Timores ejus confirmati sunt, dum videret, quod se affligere inciperent acutissimi dolores, ac mortiferæ angustiæ, quæ una cum remediorum applicatione crescebant. Certo itaque sibi presuadebat, fœtum esse mortuum ac proinde dum videret, se non posse illum ejicere; ut vitæ ipsius consuleretur, tractarunt de fœtu extrahendo per partes. Illa tam crudele verita tormentum venit ad sacellum S. Raymundi, jussaque ei diei Missa, toto illo die perstitit ante ipsius aram. Illic desierunt dolores, domumque suam rediit sine sensu ullo. Sic permansit, donec complerentur novem menses, tam libera angustiis, quam si prægnans non fuisset.

nova,

75 Sed tunc irruerunt turmatim omnes cum symptomatibus talibus, ut præceperint eam muniri Sacramentis *m*. Hisce in angustiis implorans opem gloriosi S. Raymundi, ad se afferri curavit reliquias ipsius, et simul atque eas venerata est, fœtum ejecit corruptum et fœtentem, vitæ B periculum non passa, quod medici atque obstetrices minati fuerant in tam diuturna corruptione; cum in diebus paucis tam recte valere se senserit, ut venerit gratias actura Dei in sacello Sancti.

favores,

76 Pietas in Deum et Sanctos, ad repetendos eorum favores, exigit devotam agnitionem illius, qui eos accipit. Multæ fuerunt demonstrationes in Sancti obsequium factæ pro bono successu, quem acceperat in miraculo præterito domina Augustina Carrillo : et sic postquam idem ipsi evenisset infortunium in prægnatione sequente, quamquam longiore cum periculo, quia vixerat menses quinque, in ventre fœtu mortuo; advenit partus, sed absque spe vitæ in matre. P. Dominicus de Hispania, istius conventus concionator, qui erat ipsi a sacris confessionibus, accessit ut eam compararet ad extremam luctam, quoniam deposita erat a medicis: Sancti reliquias ipsi applicuit, dicens ut se commendaret ei, cum in periculis hujusmodi fuisset ipsius sospitator : fecit hoc, eumdemque adepta est successum, quem in pressura præte- C rita. Venit cum ipsa, tum Joannes Baptista Esperone, maritus ejus, ad agendas Deo gratias in sacello S. Raymundi.

nec non Burgis in Castella veteri

77 Episcopus Rossensis citatus refert alium eventum, qui in civitate Burgensi accidit dominæ Mariæ de Miranda, uxori Zoyli *n* de Sanzoles, illustris equitis Burgensis. Annos aliquot, postquam fuerat nupta, transegerat in sterilitate et tristitia : per intercessionem gloriosi cardinalis Raymundi Nonnati obtinuit fœcunditatem, qua gaudens quietos matrimonii sui ducebat dies, grataque pietatis suæ rationibus accensuit expensas diei S. Raymundo sacri, præcipuas illustris civitatis istius mulieres invitando, et multas lucrando pro Sancto devotas, mirabilibus ejus divulgatis; religiosæque pietatis suæ fructum consecuta est. Etenim dum gravi infirmitate, multisque in sua prægnatione superveuientibus periculis laboraret, quæ talia erant, ut multa et fortia remedia ad conservandam vitam matris derivarentur in fœtum, ad maxime crudam mortem condemnabant eam. Compertum fuit, mortuum esse fœtum : adhibita repetitis vicibus singularis diligentia; sed omnia frustra, quia eniti eum non poterat.

78 Rem expedivit Deus, ut agnosceret illa ac confiteretur, quantum suo Sancto deberet. D Condemnarunt eam ad brevem mortem, quia ad remedium torni non habebat vires, fœtorque fœtus corrupti jam sentiebatur : serio admodum se commendavit S. Raymundo, pictura ejus collocari jussa e regione sui lecti : hanc acceperunt e nostro conventu. Vix illam aspexit, quando bono ejus desiderio videbatur Sanctus in sua imagine tenere compati : unde majore cum desiderio illum invocavit : aliquo modo inquietam se sensit, famulasque advocans fœtum mortuum edidit, corruptum ac fœtentem, tamque horrendis sordibus involutum, ut nemo remanere posset in cubiculo : dixitque postea, novum fuisse miraculum, quod magnus ille fœtor mortem sibi non attulerit. Nec minus in prodigio mirabile fuit, quod senserit exiguum dolorem. Rei coronidem imposuit repentina sanitas ejus. Personæ qualitas, pressura magna, multæque miraculi circumstantiæ, dum statim valeret tam bene, acsi nullo laborasset malo, commoveruut civitatem totam ad religiosum pietatis affectum : et sic multæ novenæ, quæ diebus istis sunt Sancto factæ in suo sacello, solatium attulerunt ipsius gratiarum actioni. Neque in hoc dum- E taxat eventu ac supra memorato stetit Sancti favor erga feminas steriles; sed duo sequentes comprobabunt idem.

singulare Sancti erga puerperas ostendunt patrocinium.

ANNOTATA.

a *In Hispanico*, à el padre comendador de la Merced. *Per nomen* Commendatoris *significatur* officium seu dignitas in ordinibus Militaribus Religiosis, *uti dicitur apud Cangium. In Conciliis Hispaniæ, ab Eminentissimo Aguirrio editis, tomo* 4, *pag.* 290 *sunt ista :* R. Commendator monasterii beatæ Mariæ Virginis de Mercede civitatis Valentinæ. *Et ibidem pag.* 453 *habes* P. Fr. Joannem Garcès, Commendatorem domus Dominæ nostræ de Mercede.

b *Hisp.* eh ser mediada la oracion.

c *Colombis his subdit :* Omnia ista miracula habeo in libro Ms., auctoritate judicum et Ordinariorum Catalanorum munita, et e Catalano versa Matriti per secretarium D: Thomam Gratianum Dentisum, cum sua originali ad cujuslibet informationis finem subscriptione.

d *Hisp.* Tudela : *sita est ad fluvium Iberum.* F

e *In Hispanico :* Mejoro su caudal.

f *Nomina ejus dedimus supra.*

g *In Hispanico est* de Huete, *Latine* Opta.., urbs Hispaniæ in Castella nova, a Concha septem leucis, Toletum versus viginti, inter urbes haud obscura, in planitie cum castro, *teste Baudrando.*

h *In Hispanico* del numero : *id est, ex determinato numero personarum, quæ hoc officio funguntur. Sic dicitur* academicus ex numero, *qui utique in eo differt ab illo, qui est* supernumerarius, *ut vocant, quod assumatur in absentiæ alterius, qui est* ex numero.

i *In Hispanico* malograndose sin tiempo el feto.

k *In Glossario Cangii aucto sunt ista :* Tornum, machina ad extrahendas naves ascendentes in fluviis, a Gallico Tourner, quod instar rotæ versatilis esset, sic dicta. *Applicari cum proportione metaphorica hæc posse videntur instrumento chirurgico, de quo hic est sermo.*

l *In Hispanico* alferecia : *morbus non tantum parvulorum infantium est; sed etiam in adultis personis habet locum, ut videre licet infra num.* 85. *Consuli etiam possunt Annotata ad cap.* 10 *lit.* b.

m *In*

A m *In Hisp.* sacramentar, *id est*, extremo viatico et unctione muniri, *prout indicavi in mea versione, vel* sacro viatico *dumtaxat.*

n *In Hispanico quidem habetur* del Zoyl, *unde suspicio esse posset nomen esse cujusdam officii. Verum cum vocem non inveniam ; et S. Zoilus colatur Burgis, existimo esse nomen proprium.*

CAPUT III.

Steriles fœcundatæ ; reliqui favores prægnantibus ac puerperis præstiti expediuntur.

Steriles per Sanctum fœcundatæ Burgis, ** i. e. Rossensis, de quo paullo ante*

In eadem civitate Burgensi, ut refert venerabilis dominus episcopus *, Maria de Valencia, cujusdam nobilis uxor, nomine Ferdinandi de Udobro, anno MDXCIII post multos annos sterilitatis, quæ acciderat e lapsu quando erat puella, medicinas et remedia humana nihil sibi prodesse videns, divina adhibuit, sibi apud Deum assu-B mens patronum gloriosum cardinalem S. Raymundum Nonnatum, obtulitque, se nomen ejus daturam filio vel filiæ, quos Deus sibi concessisset. Gravida mox facta est, peperitque filium vivum, et nominabatur Raymundus de Udobro, dum anno MDCXIII informationem juridicam instituit miraculorum ductus dominus episcopus.

et in Navarra: a

80 In oppido Portugalete *a* mulier præcipua et dives, exspes habendi filios postquam multis annis nupserat, narravit suam tristitiam cuidam Religiosæ *, consanguineæ suæ in conventu sancti Turcii *b* in Biscaia, qui media leuca distat a Portugalete consuluit ei, ut se commendaret glorioso S. Raymundo thaumaturgo e Religione sua. Obtulit illa, si faveret sibi, constructuram se ipsi altare in isto conventu, et collocaturam in eodem imaginem ejus ; talemque ipsi Deus dedit securitatem animi, ut statim inchoari opus curarit : quod priusquam absolveretur, pretium pietatis tulit, dum prægnantem se vidit, et ante temporis finem herede dona-C tam.

** i. e. Ordinis de Mercede b*

Ulyssipone c

81 In ecclesia Dominæ nostræ de Gloria urbis Ulyssiponensis *c*, Ordinis nostri hospitio, in veneratione erat anno MDCXXX gloriosi cardinalis sancti Raymundi imago, multasque gratias acceperunt fideles pro isto cultu. Quas obtinuerunt ei devotæ in angustiis suorum partuum, ponemus : de reliquis erit postea dicendi locus. Domina Mariana Maroso, uxor Petri Baez, Ordinis Christi *d*, in parœcia Magdalenæ, timorum suorum ingressa fuit mensem, qui erat nonus suæ prægnationis, quia fuerat experta, sese in antecedentibus fuisse in periculo mortis, debitum ejusdem solventibus filiis, quos paucis post nativitatem diebus amisit. Prospexit sibi per dies viginti pietate novemdiali ad ejus aram, et Sacrificiis ac precibus nostrorum Religiosorum Pervenit ad partum, et tametsi illum inchoaverit cum fiducia de Sancti patrocinio, præcedentium tamen pressurarum experientia non desinebat eam affligere. Verumtamen timoribus ipsius evanescentibus baculo utique Sancti nixa, et ad collum pendulo galero ejus, ad primum dolorem peperit parvulam, quam grati animi causa vocavit Catharinam de S. Raymundo, et aliquot post annis vivebat, dum hujus, et aliorum Sancti miraculorum facta est informatio.

d

82 In parœcia ecclesiæ cathedralis prænobilis domina D. Antonia de Meneses, illustris benefactrix sacræ nostræ Religionis, passa est multa symptomata non sine magno periculo in sua prima prægnatione : unde, ut vitæ ejus securitati consuleretur, necesse fuit adhibere violenta remedia : sed his vitam fœtus periculo exponebant, id quod magnis illam afficiebat timoribus, præsertim quando appropiuquante partu crescebant angustiæ, invalescebant dolores : et omnia fiebant magis acerba, quando non sentiebat fœtum, omnibus illum mortuum judicantibus. Confugit in sua tristitia ad S. Raymundum, allatumque sibi sacrum ejus lipsanum magna cum pietate apposuit collo, serio admodum Sancti intercessioni se commendans : ac patrocinium ejus obtinuit : per sacrum utique pignus mitigati sunt ei dolores, ac feliciter peperit. Verum ut experiretur favorem sancti Raymundi, prodiit infans omnia mortui indicia præseferens : caput erat gibbosum ; oculi maculis cooperti, sine fletu, et ullis vitæ indiciis. In angustias acti sunt omnes; fœtumque absconderunt, satagentes ne videret E eum mater. At sicut jam cruciatibus et furente periculo erat liberata, sola eam coquebat cura, quale esset, quod pepererat. Necesse itaque fuit manifestare ei veritatem, et adducere infantem. Non cecidit animis, etiamsi illum videret cum tam paucis vitæ indiciis; sed potius reliquias e collo depositas fœtui applicuit, et statim aperuit oculos, suxit uber, felicemque matris partum lætitia implevit.

83 In parœcia vulgo de Santos a Boa-vista *mira* Hieronyma Molina vulgavit S. Raymundi gloriosi mirabilia in prospero suo partu. Audivit Sancti miracula, ejusque voluit suffragio se præmunire ad pressuras, quibus vita sua fuerat exposita in similibus periculis. Pingi jussit Sancti imaginem, ponique in suo cubili, timens ne apprehenderetur tunc temporis, quando non potuisset habere ejus reliquias, eoque magis, quod passim non essent in hospitio : frequentia quippe miracula ab uno urbis tractu ad alium deferebant eas in tam populosa civitate : et sic prospiciebant sibi cives imaginibus ejus, quas, cognita pietate, magno numero fecerunt omnes Ulysipponen- F ses pictores : et sic nobis asseveravit fide dignissima persona, quod ad fores ejus viderentur annis istis imagines Sancti, sicut Matriti Virginis Solitariæ *e*. Tribus ante hebdomadibus quam exspectabat partum, eodem se laborare vidit. Poni jussit luminaria ante Sancti imaginem, opem ejus imploravit, nonnulla ipsi promittens, et ad primos dolores feliciter peperit, et intra paucos dies adivit ecclesiam de Gloria ad agendas Deo gratias, et complenda sua vota.

e

84 Anno MDCXXIX in parœcia Magdalenæ Agnes *confert* Mendez, uxor Francisci Diaz de Leon, videns minas mortis in partu rigido, quo multas horas intensissimis cruciatibus, mortisque angustiis fuit conflictata, propterea quod fœtu liberari non posset ; amica quædam periculo ejus compatiens, dixit ei, ut se commendaret glorioso cardinali sancto Raymundo ex Ordine Virginis de Mercede, qui in ecclesia Virginis de Gloria, istius Ordinis hospitio, erat in veneratione, Deo per lipsanum ejus sacrum atque imagines faciente multa miracula Ulyssippone. Attulerunt ei candelam cum imagine ipsius; dumque se commendasset Sancto ex toto corde, simul atque incenderunt funale, Deus illam feliciter

INTERPRETE J. P.

ter illuminavit, et, doloribus cessantibus, in lucem edidit formosum admodum partum, postquam sensisset, quamquam sine vehementibus cruciatibus, eum inverti, quia partus prodibat tortus. Hinc grati animi causa egit cum insigni magistro, ut sibi pingeret Sanctum in lamina, quam instruxit pretioso ornatu ex ebeno et argento, ac sub umbella posuit ad caput lecti. Pietatem persolvit ei Sanctus, ut videbimus.

Illustrissima domina D. Helena de Castro, uxor domini Hieronymi de Altayde, qui insignes fuere benefactores Religionis, ac domini sunt domorum nostri hospitii, et nostræ ecclesiæ Virginis Matris de Gloria patroni, fuit experta quam liberalis erga se fuerit Sanctus in felicissimo partu. Ut vero majoris esset ponderis miraculum, talibus eam periculi adjunctis circumdari permisit, ut omnes de ea desperarent, vitæque ejus nihil esse remedii reputarent, etiamsi nobilis domina semper magnam posuerit fiduciam in Sancti patrocinio, quod communi cum admiratione fuit adepta. In familia ista illustri magnæ fuerunt grati animi significationes, nec minores, quos Sanctus B rependit, favores: de qua re dicemus aliquid suo loco.

in parturientes beneficia,

85 In eadem urbe Ulyssiponensi Elisabethæ Henriquez anno MDCXXX, tempore partus sui appropinquante, tam vehementes erant dolores, ut mentis esset impos, ac per triduum loqui non posset, invadentibus eam aliquoties symptomatibus paralyticis. Malum denique degeneravit in tremorem artuum *, quo identidem luxabatur per continuos motus: unde fiebat, ut, fœtus immemores, toti essent in remediis, quibus matri prospicerent. Verum ubi cognoscerent nullum superesse, dederunt ipsi extremam unctionem. Dum in hoc esset statu, persona quædam S. Raymundo devota dixit marito, in Deiparæ de Gloria, hospitio patrum de Mercede, dari sacrum lipsanum gloriosi cardinalis S. Raymundi Nonnati, quo visa fuerant in hujusmodi pressuris magna fieri miracula in ista civitate: illuc se conferret, celebrarique juberet Missas aliquot in ejus altari, ac sacrum pignus peteret: Religiosos esse admodum affabiles, et statim venturos. Sic fecit, missique a Prælato Religiosi duo: vix collo ejus apposuerunt sacrum pignus, cum C ad se reversa peperit infantem vivam, medicis et obstetricibus mirantibus, quod remedia tam violenta, qualia pro matris vita erant adhibita, non abstulissent vitam infantis. Paucis post diebus surrexit, et die quodam tota familia venit domum nostram ad persolvendas grates Deo et Sancto. Georgius Lopez maritus ipsius pingi in lamina Sancti imaginem jussit, quam et retinet splendide exornatam.

* alferecia

uti etiam Burgis, f

86 Sicut in urbe Burgensi *f* fuit magna pietas, quam venerabilis episcopus Rossensis introduxit erga sanctum Cardinalem, sic multa fuere mirabilia, quæ Deus fecit etiam iis, qui ipsum non invocabant. Uxor Josephi de Campo, post unius diei ac dimidii periculum, tales sustinuit cruciatus, ut derelicta fuerit tamquam mortua. Viribus defectam statuerunt aperire, credentes exspirasse, ut fœtus baptizaretur: tulerunt ad illam S. Raymundi imaginem, et statim aperuit oculos, ac peperit etiam priusquam ad se rediisset. Obstetrix ac medici affirmarunt revocatam fuisse ad vitam.

Idem accidit uxori hominis condimentarii, qui habitabat in suburbio S. Stephani, cum, Sacro dici jusso in nostro conventu, expedita est et peperit eodem tempore. Idem effecit in ædibus D Vallis de Somorostro apud Portugalete imago Sancti delata ad mulierem, quæ per quatriduum fuerat in isto periculoso conflictu: Sanctum invocavit, spem suam in eo posuit, oculosque in imagine ipsius fixit, et e tanto periculo evasit incolumis.

Azuagæ g

87 Imago sancti patris nostri Raymundi in summa veneratione est in nostro conventu oppidi de Azuaga *g*, perque illam Deus operatus est magna mirabilia. Accidit anno MDCXL, ut domina Maria Chacon, dum parturiret spatio quatridui, ad vitæ extrema adeo perductam se repererit, ut advocarit bubulcum * ad fœtum, qui in partes erat divisus, sectione extrahendum; quia judicabat, sic conservatum iri vitam matris: quæ in isto posita conflictu commendavit se S. Raymundo, varia promisit, et inter illa, si fœtus nasceretur vivus, sancto ejus habitu vestiendum; si masculus, ei impositum iri nomen ipsius: et statim peperit parvulam, quæ etiam tunc vivebat, quando scribebatur relatio, nupta D. N. de Sancta Cruce, S. Jacobi Ordinis equiti, uno ex equitibus Sorianis *h*. Domina vocatur D. Anna de S. Raymundo. E

* baquero

h

in Extremadura, ac Ecijæ

88 D. Anna Ortiz de Vara in eadem civitate parturiens, a medicis derelicta, et munita sanctis Sacramentis, S. Raymundo se obtulit, votum faciens, se induturam partum sancto ejus habitu: et peperit illico, a laboribus, quos passa fuerat, sanitati reddita. In lucem vero edidit parvulum, gestavitque diu habitum nostrum, et ex illa hora tam religiose fuit affecta mater, ut sanata condiderit testamentum, corpusque suum sepeliri voluerit in nostro templo, ecclesiæ parœciali istius oppidi relinquens splendidam humationem.

Habeo me penes authenticam informationem, XII Novembris anno MDCXX factam in loco de Alocayna circa civitatem Ecijam *i* ante Franciscum Martinum Doria, prætorem ordinarium, et ante Alfonsum Barranquero, dicti loci scribam, ad petitionem patris concionatoris fratris Petri de Heredia, Ordinis nostri Religiosi, et conventus Ecijensis conventualis, qui iverat verbum Dei prædicaturus in dicto loco. Accidit, ut memoratus Religiosus, cum dicto die, qui erat Jovis, esset in ædibus Bartholomæi Alfonsi incolæ F dicti loci, audierit, mulierem, nomine Catharinam Vasquez, uxorem Didaci Chicon, qui erant incolæ loci ejusdem, derelictam fuisse, quia quatuor horas supra viginti parturiebat immensis cum doloribus, neque liberari poterat fœtu, viribus illam ad hoc jam deficientibus. Tunc Religiosus dixit puellæ, nomine Ludovicæ, quæ filia erat Mariæ Ruiz ac Martini Michaëlis, habitatorum dicti loci, ut adiret domum mulieris parturientis, eique diceret, ut ex toto corde invocaret nostrum gloriosum patrem S. Raymundum Nonnatum, et se commendaret ei.

i

in Andalusia

89 Dumque ivisset puella, et rem renuntiasset coram aliquot mulieribus, opem ferentibus pressuræ parturientis; illa se commendavit Sancto magna cum fide, et vere ex animo. Idem, positis humi genibus, fecerunt mulieres circumstantes, et statim, sentiens inverti fœtum, peperit, nemine illum tenente, nullaque alia diligentia adhibita, quam quæ in hujusmodi occasionibus adhiberi solet. Dixit autem Maria Gonzalez, quæ parienti opem tulit, gloriosi S. Raymundi auxilium vix imploratum fuisse, quando mulier, quæ antea erat sine viribus, testis istius prehendit

A prehendit brachium, dicens, se velle parere, surgensque admiuiculo lintei, quod ibidem prope aderat, isto brevi momento temporis peperit infantem, dicens fuisse miraculum S. Raymundi, cum nullum iu illo edendo sensisset dolorem. Omnes egerunt Deo gratias de miraculo, ac Religiosus rei conscius multo cum populo adivit ecclesiam, testificaturus gratum animum erga Deum, infanti, qui erat natus, ad prodigii memoriam imponens nomen Raymundi in baptismo, et mater cito admodum surrexit sana. Idem testantur dicta Catharina Vasquez, cui res accidit, et Maria Ximenez, aliæque personæ præsentes.

provincia 90 Quamvis sequens miraculum annis quadraginta novem acciderit post præcedens, conjungo ea, quia eodem tempore accepi informationem illius, ac testimonium hujus, quod se habet, prout sequitur. Septima Februarii anni MDCLXIX, hora tertia pomeridiana intravit afflictus admodum conventum beatissimæ Virginis de Mercede civitatis Ecijensis dominus Christophorus Castrillo *k* et Tamaris, eques Calatravanus *k*, dominus locoB rum vulgo de las Cuevas de Vecerin, Montuxaque, et Veraujan, dicens, dominam Antoniam de Sanvitores filiam vice-comitis de Cabra, sancti Christi *l* *l*, conjugem suam mori ex partu, eamque a se relinqui sine spe vitæ, quia fœtus erat inversus, et mater exanimata vigorisque expers a biduo: recursumque fuisse ad Deum, et ad omnia remedia humana, medicorumque et obstetricum judicio advenisse horam ejus.

sigularem Sancti 91 Consolabatur eum reverendus pater magister frater Matthias Tamariz, qualificator sancti Officii, ac istius conventus commendator, dicens, ut speraret de misericordia divina per suffragia S. Raymundi, cujus mirabilia in urgentioribus etiam periculis erant visa. Jussit illico ad eam afferri picturam, medium sancti Cardinalis corpus exhibeutem, quæ erat in cella domus commeudatoriæ, monens, ut Saucto se commeudaret, et speraret a Deo bonum exitum e conflictu per patrocinium ejus. Sic factum; et maritus ei dixit, ut offerret se valde impense sancto Cardinali, ac promitteret illi se facturam festivi aliquid, si eam eximeret e mortali ista afflictione.

C 92 Præstitit hoc magna pietate: et mox instan- *opem expertis.* tanee sensit moveri fœtum, prodiitque in lucem absque novo dolore infans valde grandis, qui hodieque vivit, dum hæc scribuntur, ubi tameu mater erat juvenis admodum ac gracilis. Celebratum fuit prodigium magno cum gaudio populique coucursu, quoniam parentes erant e nobilibus civitatis istius illustris, quæ in Hispania adeo nota est. Addit testificatio, innumerabilia esse miracula, quæ operatus est Deus, et operatur quotidie per intercessionem gloriosi cardinalis S. Raymundi in ista civitate: sed negligentia parum adhibet curæ annotandi ea. Certum est, in archiepiscopatu Hispalensi, reguisque Cordubensi et Granatensi, magnam haberi religionem erga gloriosum Cardinalem; et hic gratias refereus pie sibi affectos audit, favoribusque prosequitur, ut publica fama est.

ANNOTATA.

a *Utor voce Hispanica istius loci. Baudrandus de illo sic disserit:* Amauum portus, ubi postea Flaviobriga, colouia civitatum septem, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in ora littorali Autrigonum Plinio, in Cantabris, nunc est PUERTO DI VERMEO oppidum Biscaiæ, quinque leucis distans a Bilbao in ortum æstivum, teste Garibaio: sed aliis omnibus est oppidulum PORTUGALLETTE * in eadem provincia paulo infra Bilbaum urbem Biscaiæ primariam, et ad ostia Nervæ fluvii in occasum Cantabricum. INTERPRETE J. P. * Portugalete

b *Quisnam sit iste* S. Turcius, *frustra quæsivi.*

c *Incolis* Lisboa, *sedes regis Portugalliæ, et celebre emporium.*

d *Hisp.* de el habito de Christo. *Institutus est hic Ordo in Lusitania anno* 1317 *a Dionysio rege, prout refert Hippolytus Elyot tomo* 6, *cap.* 8, *pag.* 72 *obtentamque scribit confirmationem ejusdem Apostolicam sub nomine* Militiæ Jesu Christi *anno* 1319, *et plura addit. Raynaldus Annal. eccl. tomo* 15 *ad annum* 1319, *num.* 29 *scribit de illo equestri ordine religioso, eumque* cruce rubra, linea candida intersecante, distincta decorum, *ac illi* prædia ædesque Templariorum attributa *memorat.*

e *In Hispanico est,* de la Virgen de la Soledad. *Imagunculæ illæ, in parvis lamellis cupreis pictæ, tam intra quam extra Hispaniam celeberrimæ sunt, magnaque in veneratione habentur.* E

f *Burgi, Burgos incolis, urbs archiepiscopalis est in Castella Veteri de qua plura Baudrandus.*

g Azuagua oppidum Hispauiæ iu Extremadura *notatur apud Baudrandum:* quinque leucis distat, *sicut addit,* a Regiana; cum castro iu planitie. *Rodericus Mendez Silva in Populorum Hispaniæ descriptione generali, Hispanice vulgata, agit pluribus de isto loco fol.* 80, *et inter alia,* Ordo, *inquit,* militaris sancti Jacobi.. *ubi* parœcia, et conventus Fratrum Mercenariorum. *Hic itaque videtur esse locus a Colombo nominatus.*

h *Soria est urbs Hispaniæ in Castella veteri prope Darium fluvium, et non longe distans a ruderibus Numantiæ urbis antiquæ.*

i Ezija *civitas est episcopalis in Andalusia, ut refert Franciscus Sobrino in suo Dictionario Hispano-Gallico. Plura Rodericus Mendez Silva a fol.* 90 *verso.*

k *Hisp.* Cavallero de el habito de Calatrava. *Est autem* Calatrava *Hispaniæ urbecula in Castella nova ad Anam fluvium, et milliaribus aliquot Hispanicis communibus distat a Civitate regia. Hinc equitum dictorum Ordo nomen traxit: de quibus Hippolytus Helyot tomo* 6, *cap.* 4, *a pag.* 34. *Raynaldus Annal. eccles. tom.* 13 *ad annum* 1199, *num.* 72, Alterius, *inquit,* religiosæ familiæ, cui Calatravæ nomeu erat, instituta ac pias consuetudiues confirmavit *(Innocentius PP. III)* vitæque rationem definivit, ut una cum bellica virtute, quam in Sarracenos explicabant, monasticæ vitæ pietatem conjungerent. F

l *Hisp.* Hija de el vizconde de Cabra de el Santo Christo. *Credo hic designari Ordinem militarem de quo supra lit.* d.

CAPUT

INTERPRETE
J. P.

CAPUT IV.

Declarationes Gerundenses de Sancti beneficiis, puer herniosus a nativitate sospitatus; juvenis sub ruina stabuli etc.

Quænam hic dentur mirabilia

Relatis hactenus ex Colombo Sancti mirabilibus erga afflictas in prægnando ac pariendo mulieres, gradum facimus ad alia diversi generis. Omittemus ea, quæ antea dedimus, interprete P. Janningo, et sic pergimus Latine e textu Hispanico Colombi. Sicut a mirabili ejus morte tanta fuit in veneratione in principatu Cataloniæ, quemadmodum vidimus, sic majora illic semper fuere mirabilia, quæ per ejus intercessionem operatus est Dominus noster. Et relictis antiquis, quæ inscripta sunt libris domus ejus, et B quorum sufficeret peculiaris notatio; nihilominus ea dumtaxat ponemus, quæ inveniuntur in documentis, anno MDCXII et proxime sequente factis, quia jurejurando illa deponunt homines, quibus acciderunt, vel qui ea viderant, et sufficiunt, ut ostendatur, quam mirabilem se Deus demonstraverit in suo Sancto, cum ad universos extendatur protectio ejus, et secura sit in omnibus necessitatibus erga ipsi devotos intercessio.

ex aliis,

94 Incipiemus a civitate Gerundensi, ubi informationes inchoatæ sunt, quæ ponunt declarationem D. Geraldi de San Marti, istius sanctæ ecclesiæ canonici, die XI Septembris dicti anni, quam testatam esse voluit per declarationem sui fratris D. Raphaëlis de San Marti: Scio ego illud, quod in conventu Deiparæ de Mercede hujus civitatis sit sacellum et altare S. Raymundi, plenumque sit sacellum variis donariis ac anathematibus, quæ obtulerunt fideles pro favoribus ab illo acceptis: ubi multæ celebrantur de Sancto Missæ, et fui ego et sum valde erga eum C affectus, sæpiusque me contuli ad dictum sacellum ad peragenda in eadem novemdialia pietatis exercitia, ut peterem ejus patrocinium pro salute matris meæ, curans sanctas ipsius reliquias ad eam perferendas (quibus comperit sublevari se per annos complures, quibus infirma erat) pieque credens, quod Deus illam servaverit ad meum solatium aliquot annis inter senectutem et graves infirmitates, per intercessionem ejus, ac ob illam multaque ipsius mirabilia, quæ vidi et audivi, magna teneor pietate erga Sanctum, et habeo eum tamquam patronum, peculiaremque ad illum dirigo orationem, ut sit mihi advocatus apud Deum Dominum nostrum, cumque in necessitatibus meis invocavi pio admodum affectu, et semper audivi, eum a multis temporibus Sanctorum canoni adscriptum esse.

quæ sunt innumerabilia:

95 Duodecima dicti mensis dominus de la Nuza et Mombuy, dominus oppidi de Siret, et castri Lorcio, habitans Gerundæ, declaravit, tanta fuisse miracula S. Raymundi in ista civitate et in vicinis locis, ut quidam Sancto addictus, vir valde curiosus, dum vellet ea conscribere, quæ vulgabantur in dies, non perrexerit, quia erant tam multa tamque frequentia. Quod si superviveret conjux ejus D. Elisabeth, valde Sancto devota, D multa referret, quæ sciebat: ac singulariter recordari se dumtaxat ex ipsa audivisse, quod in primo suo matrimonio habens filium exiguæ ætatis valde infirmum, petierit ad eum deferri reliquias S. Raymundi, quoque per illas melius habuerit, statim utique sanatus.

quidam refert majoribus suis præstita.

96 Dominus Ludovicus Alemanès de Alemany, habitans Gerundæ, eadem die declaravit, pietatem erga S. Raymundum hereditariam esse domui suæ, in agnitionem multarum gratiarum, quas Sancto debebat: et omissis miraculis, quæ patraverat in majoribus suis, dum viverent, Sanctum repetiisse miracula in sua domo: cum in variis infirmitatibus rogarim Patres de Mercede, ut mihi apportarent sanctum ejus lipsanum, semper credidi, suffragantibus ipsius meritis, compotem me factum salutis: idemque evenisse conjugi suæ D. Annæ Allemany: quo fiebat, ut auxilium expertus, quando domi suæ habebat aliquem infirmum, ante curarit afferri sacrum lipsanum, quam advocaret medicum; et hoc quadam vice non fuit necessarium, quia per illud sanabatur infirmitas: atque ita in gratiarum actio- E nem, quotannis jubebat celebrari Missas aliquot de Sancto in altari ac sacello, quæ habet in ista civitate.

Puer variis morbis,

97 In eadem civitate, eademque occasione declaravit Damianus Matès, pictor Gerundæ, dum anno MDCII filium haberet, nomine Hieronymum, ætatis trium annorum, in gravi infirmitate desperatum, ita ut tamquam mortuum jam eum haberet, confugisse se ad gloriosum S. Raymundum Nonnatum, erga quem pie admodum erat affectus, ut peteret ab eo solatium, supplicans ipsi per libentiam, qua pingebat sanctas ejus imagines, ut rediret filius iste, quem jam habebat tamquam mortuum. Finita oratione magna cum fiducia petiit a Religiosis, ad se ut portarent sacrum lipsanum ejus: quando venerunt, loqui infans non poterat, nec videbat: tetigerunt illum sacro lipsano, erantque ibi unam circiter horam, Sancto illum commendantes: et observavi (ait) quod isto tempore, quo Patres illic fuerunt cum dicto sacro pignore, dictus Hieronymus filius meus recuperaverit visum, loquelam, et aliquantulum virium: ac ab isto tempore melius F habere perrexit: et Anna Matès mater ejus ad Sancti sacellum deduxit illum, ubi in gratiarum actionem curavit celebrari multa Sacra. Aliud miraculum postea fecit Sanctus in eodem meo filio, qui illud dicet, cum sibi acciderit, et sequetur post hanc declarationem, illud confirmantibus Patribus, qui ejusdem fuere conscii, nova declaratione sua.

et hernia, quam habuerat a nativitate, liberatus:

98 Eodem die fecit declarationem suam Hieronymus Matès, annorum ætatis tredecim, dicti filius, dicens: Recordor, me hernia laborasse, meique parentes dixerunt mihi, quod sic natus essem: pejus habere perrexi usque ad ætatem annorum octo, afflictusque magnis doloribus, quos sentiebam, novendialia pietatis exercitia obiturus me contuli ad ædem glorioso S. Raymundo sacram in conventu Deiparæ de Mercede: quia mihi dixerant parentes mei, quod, dum essem parvulus, benedictus iste Sanctus magnum in me patrasset miraculum: diligebam eum impense, ac credebam me ab illo sanandum. Novendiali illa pietate peracta, quæ triplex fuit vel quadruplex, quamvis malo meo tenerer ac doloribus meis, uno die post alterum perrexi adire sacellum ejus, egrediens e studio: ac

A ac in memoria habeo, me cecidisse quodam die, dum ad studium irem, ante ædes Domini Francisci de Cruylles, apertamque fuisse herniam magnis adeo cum doloribus, et adeo exiisse intestina, ut non potuerim surgere, meque abduxerint ad ædes meas, invocantem per viam benedictum S. Raymundum. Decubui dies tres vel quatuor multis cum cruciatibus : surrexi, et ivi ad sacellum S. Raymundi, sanusque mansi ac valens, elapsisque annis circiter quinque numquam sensi malum, nec sentio me ruptum fuisse. Quæ omnia confirmarunt in sua declaratione Patres.

juvenis sub stabulo obterendus sospitatur :

99 *Ad depositionem Benedicti Pons, cujus filius in gravissima stabuli ruina simul cum jumentis, Sancto patrocinante, conservatus est, addo ex Columbo declarationem ejusdem filii, ut monui in Annotatis ad partem* I, *cap.* 5, *littera* a, *ad eamdem depositionem prædicti Benedicti, quæ in isto capite data est* : Idem, *inquit Columbus*, juravit eodem die Michaël Pons, cui accidit; addens, dum legeret quæ dixit pater suus, aliquot rei adjuncta, quorum ille, quia jam tres elapsi sunt anni, et senex est, non recordabatur ; seque

B eorum apprime memorem esse, videlicet : Dum irem ad ligandos boves, audivi crepare trabem præcipuam, atque adeo timens id, quod evenit, non ligavi illos ; sed cucurri, stabulo deorsum lapso, et post me boves quatuor, ac tauri, qui erant tres : sed non potuimus pertingere ad portam, quia ruina prævenerat : et sensi accedere trabes ad tangendum pileum meum, sensique pedes et crura diversis lignis et tabulis contecta, atque animalia etiam magnis cooperta trabibus, quæ judicavi tamquam mortua : labente tecto invocavi S. Raymundum, credoque nos liberatos tam manifesto periculo per intercessionem ejus.

declaratio juridica Gerundensis de miris a Sancto patratis :

100 *Mirabilia alta, quæ relata sunt superius in parte prima, hisce concludit Colombus* : Sequitur in informatione Gerundensi declaratio juridica Juratorum quatuor civitatis, qui affirmant, S. Raymundum Nonnatum, a majorum memoria usque ad illa tempora, in omnibus necessitatibus esse remedium territorii istius, et propterea tam longe lateque a fidelibus invocari in necessitatibus suis ob experientiam, quam habent omnes de auxilio ejus. Idem declaravit eccle-

C sia et capitulum Gerundense universali promulgatione ad omnes fideles, solicitando religiosam eorum pietatem erga S. Raymundum pro beneficiis, quæ, ipso intercedente, omnes accipiunt, mulieres præsertim prægnantes in pressuris suorum partuum, dominis omnibus, Decano, in dignitate positis *a* et canonicis signantibus, ac officio secretarii fungente Jacobo Pla, dictæ ecclesiæ canonico. Idem declarat dominus D. Onufrius Recart episcopus Gerundensis, gratias agens fidelibus de pia erga S. Raymundum propensione, approbans et indicans qualia sint ista miracula.

mulus vitæ redonatus.

101 *In Annotatis ad partis primæ caput primum littera* l *indicavi aliam rem mirabilem, quam uxor Joannis Blanch, alias Xiol, confirmata mariti sui depositione, refert* ; addidit *enim* quod æstate præterita elapsus fuisset annus, quo dum domesticus suus famulus adveheret fasces mulo, cujus pellis erat coloris murini *b*, quique constiterat quadraginta ducatis, onustus mulus ceciderit per rupem, et sic quidem, ut mortuus illic fuerit : miseruntque Celsonam, ut vocaretur magister Romanet, qui eum excoriaret. Moras hic traxit tempore isto pomeridiano : testisque ægre ferens, quod non veniret, S. Raymundo magna cum pietate dixit, quia viderat in similibus eventibus miracula, quod, si multum sanum sibi reddidisset, promitteret, delaturam se ad ecclesiam ejus mensuram tritici *c*. Et postridie mane ivit visum, an mulum jam excoriasset ; erectumque reperit ac pascentem : illique et omnes, qui erant in loco, ac viderant mortuum, laudaverunt Deum, et gratias egerunt S. Raymundo, solvitque votum, quod Sancto promiserat, imposita hac ei coronide, quod mulus ab eo tempore melius habuerit, ac talis fuerit, qualis numquam fuerat ante.

ANNOTATA.

a *Hisp.* dignidades, *quales sunt archidiaconus, cantor etc.*

b *In Hispanico* con pellejo de raton.

c *In Hispanico est*, una quartera de trigo, *quod et occurrit supra in prima parte. Qualis sit ista mensura, et quantum tritici contineat, etsi non habeo compertum; suspicari tamen liceat, esset quartam partem mensuræ tritici integræ, vel unius sacci.*

E

CAPUT V.

Declarationes Perpinianenses de variis malis Sancti patrocinio sublatis.

Mulier in periculo vitæ, alius in quodam malo adjuti :

Declaravit Michael Bonet presbyter, doctor in theologia, et rector ecclesiæ parœcialis S. Matthæi Perpinianensis, magno se affici ab ineunte ætate erga S. Raymundum affectu propter multa miracula, quæ in ista civitate Sanctus patravit tunc temporis, quorum singillatim non erat memor : unius dumtaxat meminit, quia admodum fuit famosum cum propter qualitatem mulieris, cui accidit, tum propter periculum vitæ, quo tenebatur ex abortu, fœtum eniti non valens, quem dicebant esse mortuum. Sancti reliquias ad eam detulerunt, quas vix venerata fœtum edidit, vivumne an mortuum, nesciebatur : sed femina illico convaluit.

Et sic etiam recordatur, litteratum quemdam, nomine Joannem Pellizer, ad Sancti sacellum, F misisse facem ceream albam, in ejus altari arsuram ; seque audivisse dici, quod hoc egerit propter magnum miraculum, quod sibi fecerat ; quale autem illud fuerit, non recordabatur, quia multis annis præteritum. Vident omnes, ejus sacellum esse plenum anathematibus aureis, argenteis, figuris cereis, linteis feralibus, quæ omnia sunt miraculorum signa, quæ Sanctus fecit.

mulus mirifice e puteo extractus :

103 Josephus de Torres, pater puellæ, *de qua vide superius parte* I, *num* 26, confirmavit declarationem uxoris suæ, et aliud addidit mirabile, quod S. Raymundus operatus fuerat pro eo. Mulus ipsius decidit in puteum, qui est in campo prope Cabestanum : quæsierunt homines ad eum extrahendum ; repertisque dumtaxat uno viro ac muliere una, tentatum est a tribus simul cum una juvene, filio ejus, sed frustra : nam viri viginti, et admodum fortes, non sufficerent ad extrahendum e puteo mulum ; dumque videret se afflictum, accersitum ivit plures homines, timens ne redux inveniret suffocatum : verum pluribus, non repertis, adhibuit patrocinium gloriosi patris sancti Raymundi, et mox

INTERPRETE J. P.

tantam concepit fiduciam, ut crederet, Sancto adjuvante, quod extracturus illum esset e puteo cum paucis istis, sospitem et sanum. Dum rediit, vidit filium suum genibus flexis invocare opem benedicti Sancti : qua re talem adeptus fuit spem, ut invocatione S. Raymundi resumptis animis vir ac mulier, qui adjuvabant, funes probe plexos projecerint : unusque descendens ligavit mulum, quem extraxeruut sospitem et incolumem tam feliciter, ut cognosceretur S. Raymundi miraculum fuisse : et sic depingi illud curavit in sacello ejus.

alius mulus sanatus :

104 Joseph Marcell chirurgus, habitans Perpiniani, declaravit, se emisse mulum valde egregium, sicut compertum fuit e pretio magno, quod pro eo dedit. Paucis post mensibus in morbum incidit, ut tribus diebus non manducavit, nec bibit, nec surgere potuit, adeo ut necesse esset eum levare ut veterinarius curaret illum, et habere multos homines, qui eum tenerent; sin minus, cadebat. Remedio destitutum videns, trahi jussit in campum, ut moreretur. Tunc soror uxoris ipsius, angustiam, in qua versabatur, non B sine sensu conspicata, commendavit eum S. Raymundo, dixitque, ut ipse idem faceret : et adhibito flagello fecerunt eum stare pedibus, Sanctoque invocato, mandavit ancillæ ut soluto fune abduceret ad parvum pratum conventus sanctæ Mariæ de Mercede; ubi posuit eum, ut comederet, postquam sanctum Cardinalem orasset. Videns autem, quod carpere nollet herbas, quæ prope Sancti sacellum erant, flere cœpit, judicans esse tamquam mortuum. Tunc accessit Religiosus e conventu, qui angustiam ejus miseratus, sciensque cur fleret, ac fidem miratus mulieris (cum videretur ipsi, si mulus comederet ex herbis, quæ erant circum sacellum ipsius, statim sanandus) accepit e sua cella vittam una cum Sancti numismate, colloque apposuit; et mox Deo placuit, ut mulus surgeret et manducaret. Cucurrit ut declarantem advocaret, qui venit hilaris, visoque miraculo ecclesiam intravit, actisque Sancto gratiis reliquit eleemosynam, ut celebrarentur Sacra in altari ejus.

periculosum vulnus

105 Declaravit Joannes de Ortega, scriba civitatis Perpinianensis, et notarius major reverendæ cameræ apostolicæ in tota diœcesi Elnensi, quod anno MDCIV humor magnus et durus invaC serit pedem dextrum filiæ suæ, Cæciliæ de Ortega nuncupatæ, quodque, remediis ad molliendum malum eidem applicitis, chirurgis intempestive illum aperuerit : e quo exivit gutta sanguinis, et exiguum puris. Parentes ejus benedicto S. Raymundo illam commendarunt, quod et ipsa fecit. Unius anni spatio eam curarunt, non mollito tubere : dumque patrem multa solicitudine afficerent, medicorum et chirurgorum consultationem instituit ad dispiciendum, quidnam remedii posset dari, ut sanaretur filia sua. In eam omnes abierunt sententiam; etiamsi nesciretur tempus, quo molliretur, quia frigidus esset humor; tunc tamen pericula expositum iri, vel futurum saltem, ut deberent amputare pedem ejus, propterea quod illa humoris tenacitas anni unius et amplius, consumptura et corruptura esset nervos pedis, atque adeo ad rem examinandam oportere incidi pedem per superiorem partem.

curatum,

106 Et ego periculum videns, quia pars tam nervosa est hac difficilis, dubius hæsi in executione, ac proinde spatium trium dierum petii, ut Deum consulerem. Magnorum miraculorum, quæ Dominus noster operatur per intercessionem S. Raymundi suis piis clientibus, memor, omnibus- D que domesticis meis pie admodum erga eumdem affectis, et filia mea dum Sancto se commendasset cum fiducia se ab illo sanandam, ad sacellum ejus me contuli, curavique celebrari aliquot Missas, ut patrocinio ipsius Deus mihi inspirasset quod magis esset conveniens. Votum feci vistandi ejus sacellum, per dies novem, ipsique offerendi pedem argenteum, si mea filia sanaretur : et illic videbatur Sanctus mihi inspirare, ut medicinæ rem permitterem, hac sanandam filiam meam. Mox executioni mandari curavi quod medicorum ac chirurgorum consultatio præceperat, postquam uxori meæ atque infirmæ dixissem, credere me a S. Raymundo id fuisse inspiratum. Aperuere pedem a superna parte, fecerunt incisionem in formam crucis, impeusque illum contemplati, admirati sunt, nervos repertos sine læsione, quæ timebatur, post defluxum humoris intra pedem anno uno et amplius : quod attribuimus pio affectui, quo filia mea quotidie se commendabat S. Raymundo. Curarunt illam, et non sine admiratione chirurgorum intra dies viginti tam fuit sana et valens, ut pede suo E ire potuerit ad agendas Sancto gratias in suo sacello.

uti et filius agricolæ pro mortuo habitus :

107 Galceranus de Geli, agricola Perpinianensis, declaravit, anno clapso MDCIX obiisse, secundum opinionem medicorum, parvulum filium suum nomine Josephum : dumque videret, quod se jam non moveret, extraxit e lecto, posuitque supra capsam, nulla re infra posita, ut sepelirent eum : et cubiculo egrediens, ut se conferret in atrium, rediit recitaturus orationem ad imaginem S. Raymundi, quæ exstabat supra ostium cubiculi, in quo quiescebat filius ejus. Et tunc interiorem sensit impulsum petendi a glorioso Cardinale vitam ejus, promittens eum a se annis septem vestitum iri habitu Religionis ipsius, ac se curaturum ut suis expensis arderet per annum unum lampas ante ipsius altare : atque uxor ejus, quæ illic aderat, vovit se repturam statim genibus ad ecclesiam S. Martini, quæ est Ordinis ejus conventus, qui prope aberat : et sic ego ivi cum illa ad recitandas benedicto S. Raymundo aliquas orationes. Mansimus ad portam, quia, cum tam sero esset, jam erat clausus conventus. Dum illic essent, venerunt, qui eis renuntiarent, quod se moveret eorum filius. Iverunt illuc, viderunt- F que ipsum aperientem oculos, et loqui; et propere sanitatem consecutus est; atque ille promissa complevit.

Sanctus in gravi infortunio,

108 Juravit etiam, quod a quatuor diebus, dum juvaret ad attollendum saccum uvarum, ut injiceretur in cupam pedibus quatuor ligneis suffultam, unoque e pedibus quatuor fracto, cupa, quæ continebat novem gravia onera uvarum, supra se caderet, benedictum invocaverit Sanctum, sibique visus fuerit ad aliud latus esset remotus, certo obterendus, si decidisset supra ipsum cupa; sed apprehendit crus juvenis, qui attollebat uvarum saccum, et clamavit, judicans illud in frustra diffractum. Testis dixit, ut se commendaret S. Raymundo : quod fecit, pedemque extraxit illæsum, dicens, quod visa sibi sit, dum pronuntiaret, S. Raymunde, ne me relinquas, auferri cupa, et crus reliqui concavo ossis commissum : amboque iverunt ad Sancti ecclesiam, ut gratias ei agerent.

ac variis

109 Antonius de la Pedra, incola Perpinianensis, juravit, anno MDCXI in infirmitate deductum se fuisse ad statum accipiendi extremam unctionem

A ctionem et a medicis derelictum. Uxor ejus videns eum destitutum remediis terrenis, ad cælestia recurrit, et guara, in ista civitate multos a glorioso S. Raymundo Nonnato, suffragantibus ejus precibus, sanitatem consecutos, qui iu ista erant pressura, invocavit eum, petens, ut, si ad ipsius conduceret salutem, redderet sanitatem suo marito, factis Sancto aliquot votis. Curavit etiam afferri ad illum reliquias Sancti, quas magna cum pietate veneratus est, promisitque, se curaturum aliquot Missas celebrari in altari ejus, seque easdem auditurum, ac deferri funebre linteum suum: et mox reliquit eum febris: nec voluit advocare medicum, quia sentiebat se recte valere: statimque uxor ejus abiit, ut curaret Sancti accini jubilos; maritus vero iutra paucos dies, ut persolveret votum.

morbis

110 Onufrius Costa, mercator Perpiuianensis, declaravit, quod a mensibus circiter octo infantem filium suum ætate biennem jam morti proximum ex tremore artuum, S. Raymundo Nonnato obtulerit, promittens, si salutem ei donaret picturum se in ipsius sacello miraculum, ac
B induturum per annum unum sancto ejus habitu. Afferri fecit lipsanum ejus: quod simul atque fuerat veneratus, sensimus melius habere, et intra paucos dies convaluit.

Juravit, idem accidisse isto anno MDCXII in sua conjuge, eodem in periculo constituta, etiamsi non in eadem infirmitate: quæ Oleo sacro uucta, vitæque exspes per reliquias S. Raymundi salutem recuperavit, ipsaque et filius ejus bene valebant, quando fiebat informatio.

sospitator.

111 Franciscus Vich olitor, incola Perpinianensis, declaravit, se hoc præsente anno laborasse infirmitate, quæ tali angustia cum opprimebat, ut medicus, qui curabat illum, petierit accersi socios: erat enim infirmitas singularis admodum, ac mortis prænuntia ex signis. Uxor valetudinem ejus desideraus vocavit quatuor medicos, qui per mensem, quo illum curarunt, præter mensem alium, quo antea fuerat iufirmus, perdiderunt valetudinem ejus et pecuniam, et declararunt denique, se non invenire malo curationem, nec remedia saluti ejus. Illi, dum relictos se viderent
C in terris, confugerunt ad cælum, implorarunt opem S. Raymundi, editis ipsi quibusdam votis, adduxerunt sacrum ejus pignus, et cum eo venit sanitas: quoniam ab illo tempore melius habere cœpit, et sine medicis fuit cito sanus et bene valens.

CAPUT VI.

Sanctus in miseriis sospitator ex declarationibus Gerundensibus.

Multæ

Ex commissione domini episcopi Gerundensis eodem anno MDCXII facta fuit informatio miraculorum in oppido Castelonensi Ampuriarum, ubi declaravit nobilis Franciscus de Boix doctor in jure, quatuor circiter abhinc annis venisse se cum familia sua ad illud oppidum, ubi territorium ita eum probavit, ut quasi plerique ex illa inciderint in morbum: verum uxor ejus, unus filius, ac filiæ duæ admodum opprimebantur. Ille ex magno pietatis affectu, quo feruntur omues erga S. Raymundum, valde afflictum se videns, invocavit illum, idemque faciebant iufirmæ; et placuit Domino nostro, ut nemo periculum incurrerit, sed potius recuperarint salutem, Sancti lipsano ad ipsos allato a Patribus conventus S. Bartholomæi, qui sunt ejusdem Religionis: et mox ivimus omnes acturi Sancto gratias in suo sacello, et vota aliquot persoluturi.

Addidit, ab auno habuisse se puerum valde infirmum, cui medici, qui eum curabant, declararunt, nullum malo ejus esse remedium: morbus erat virium defectio. Sed ego magis fretus experientia, quam de Sancti favore conceperam, quam eorum sententia, invocavi Sanctum magna fiducia, ejusque patrocinium consecutus sum: nam eodem die, quo medici cum reliquerunt, feci afferri sacrum pignus Sancti, et infans cœpit habere melius, et cito sanus evasit, et talis est hodie.

113 Illustris Hieronymus de Lluch, incola Perpinianensis, declaravit, uxorem suam laborasse febribus continuis uua cum tam ardentibus paroxysmis, ut magnus medicos incesserit metus. Ille erga S. Raymundum semper devotus, petiit a Religioso de Mercede vitam Sancti, qua infirmæ brachio alligata cessavit ab isto momento febris, et cito admodum potuit adire sacellum Sancti ad agendas ei gratias. E

ac variæ

Magnificus Petrus Paulus Perpiuia, doctor juris et assessor in comitatu Ampuriarum declaravit, quod, dum Michael Davia, procurator Castelonensis, haberet filium moribuudum, commendarit illum S. Raymundo: apportarunt ei sacrum ejus lipsanum, et statim convaluit: et in signum miraculi posuerunt linteum funebre in sacello ejus cum candela ex cera candida, quæ pueri altitudinem æquabat.

Elisabeth Joncar, habitaus Castelone, juravit, filiam suam sanitati restitutam repente ex solo contactu sacri pignoris S. Raymundi in dicto loco, quando jam ad ultimam vitæ luctam pervenerat.

infirmitates

114 Thomas Domenec, pharmacopola Castelonensis, declaravit, quod a duobus mensibus filia sua nomine Vincentia, ætatis duorum annorum ac dimidii, postquam passa esset magnam stomachi cruditatem, orta inde corruptione lumbricorum, et profluvio ventris, nec non accedentibus malo febribus, derelicta fuerit a medicis. Uxor ipsius adduci curavit S. Raymundi lipsanum, quod dum esset venerata, ad se rediit: deseruerunt eam febres, tamque fuit hilaris, ut isto tempore pomeridiano lusui se dederit cum aliis puellis, dicens se jam bene valere, et a S. Raymundo sanatam se esse: quamobrem iverunt ad ejus sacellum, cantari fecerunt Sacrum cum ipsius jubilis, quia pristina utebatur puella sanitate. F

Jacobus Llorente Cubells, incola Castelonensis, declaravit, anno MDCX correptum se fuisse inflammatione capitis, quæ descendens a cerebro usque ad humerum, immensos ei creabat dolores, eoque se augustiarum deductum esse, ut magna ex parte sectionem ipsi adhibuerint. Verum id non tantum non profuit, sed illum potius ad hunc reduxit statum, ut medici desperariut de vita ejus. In hac se pressura conspicatus invocavit gloriosum S. Raymundum, voto se obstringens, si Deus per ejus intercessionem restitueret salutem, positurum se in ipsius sacello caput cereum: et vix votum fecit, cum dolor cessavit, vulnusque valde cito coaluit, votumque completurus abivit.

115 Superiora confirmat Maria Llaurente, uxor

INTERPRETE J. P. *per invocationem Sancti curantur :*

uxor ipsius, declarationi adjungens, se post annum, quo miraculum accidit suo marito, habuisse infantem, quem lactabat, valde infirmum, tribusque diebus, quibus non sugebat ubera, transactis, cognoscebatur mori. S. Raymundo illum obtulit, promittens, si sanaretur, uno anno se induturam eum habitu Sancti. Patres de Mercede attulerunt lipsanum S. Raymundi, eodemque momento, quo illud puero applicuerunt, suxit, et convaluit.

Hieronymus Marca, incola Castelonensis, dixit, ab octo circiter mensibus uxorem suam tam magna laborasse infirmitate, ut, deficientibus remediis humanis ad ejus restaurationem, medici enuntiarint eam mori: atque adeo dederunt ipsi Sacramentum extremæ unctionis: et tunc simul cum illa promisit glorioso S. Raymundo Nonnato, rogans eum, ut dignaretur supplicare Deo, ut vellet eam liberare infirmitate, qua laborabat, in grati animi tesseram pro favore delaturos se in sacellum ipsius amictum funebrem: factoque voto, statim fuit compertum, quod infirma valeret melius: et cito admodum convaluit: unde Deo ac Sancto habuerunt gratias de miraculo.

B

jumentum mansuefactum :

116 *Parte prima, cap. 3, num. 21 deponit singularem gratiam in muta per Sanctam sanata Gaspar Escola* incola loci de las Borjas, *de quo adduntur ista apud Colombum :* Declaravit etiam, quod jumentum pepererit domi suæ, interque pariendum cœperit morsibus ac pedibus impetere pullum, eumque occidisset, si ab illo non fuisset separatus. Et advocantur homines, qui jumentum tenerent, ut præberet ubera, quod dum videret, actum est in furias, et prosternebat omnes, qui tenebant, ruptis funibus, quibus ligabatur: hinc, dum non adesset, qui pullum lactaret, sine remedio moriebatur. Promisit declarans S. Raymundo duas mensuras tritici *, et statim magna in Deum fiducia fretus accessit, et jumentum cœpit lambere pullum et lactare, non amplius illum deserens. Quod omnes habuerunt tamquam miraculum. Ille votum implevit. Rem gestam confirmarunt Thomas Capella, et Antonius Capella, ægricolæ ejusdem loci, qui fuerunt testes.

* de dos quarteras de trigo

Parte prima, cap. 4 mentio facta rei gestæ in C *eodem loco* de las Borjas, *ut ibi vocatur; apud Colombum* de Borjas, *qui plura suggerit superiori facto addenda:* In isto eodem loco, *inquit*, Sanctus remedium attulit necessitati Joannis de Villagrasa, sanata mula, quæ jam habebatur tamquam mortua, sicut supra diximus.

puer pro mortuo habitus reviviscit.

117 Petrus de Fors agricola, incola de Borjas, juratus declaravit, filium suum, nomine Petrum, a viginti circiter annis correptum fuisse tremore artuum ex cruditate stomachi, quia comederat multa amygdala recentia: unde omnium judicio moriebatur. Dumque invenirent omnia in illo defuncti indicia, admoto diligenter speculo, et viderent non respirare, vultum cooperuerunt, et abiverunt acturi de sepultura ejus. Tunc domina Valls popularis dixit patri, quem videbat adeo afflictum ob mortem filii, et quia illum reddebat solicitum iter magni momenti, ut istum puerum offerret glorioso sancto Raymundo Nonnato; scire se, quod Deus fecisset, illo patrocinante, similia miracula (quæ si vidisset, declararet) atque hoc ut facerem cum multa in Deum fide, ac fiducia in Sanctum ejus. Feci, ac nonnulla promisi, et statim * *(uti indicat declaratio ejus)* dum dicta feceram vota, discooperui puerum, aperuitque oculos et dixit: Pater; ac tam bene habuit, acsi numquam mali aliquid D sensisset. Quod pro magno habuimus miraculo, quia vidimus, quam repente a morte transierit ad vitam. Vota implevi, ac miraculum fuit inscriptum libro ad Sancti ædem sacram spectanti. Rem confirmavit Petrus de Mora, incola dicti loci, qui juravit, quod viginti circiter abhinc annis, dum exiguum iter esset facturus cum Petro Fores, adierit illum, sibique dixerit, non posse, quia moriebatur filius ejus; quodque eodem die redierit hilaris, ac dixerit, jam proficisci ambobus licere: quoniam a se commendatus glorioso patri sancto Raymundo Nonnato, prompte redierat e morte ad vitam; addebat, audiisse se statim miraculum vulgari in loco. Idem juravit Joanna Pellicer, pueri amita *a :* quodque hic viveret declaravit: et sic audierat dici ab iis, qui adfuerant illi: eaque de causa multum se affici erga S. Raymundum Nonnatum.

* Hisp. incontinente

a

ANNOTATIO.

a *In Hispanico* tia. *Significat amitam, id est patris sororem, aut matris, seu matertera.* E *Utrum nomen hic poni debeat, est incertum : et ideo eum hic, tum postea utar voce* amita. *Adde, quod id nihil mutet in substantia rei, quæ narratur.*

CAPUT VII.

Sancti erga afflictos beneficentiam ostendunt declarationes Portellenses.

Homines

Quamquam declarationes aliquot Portellenses scripsimus supra, tam multæ tamen sunt, quæ in informationibus habentur, ut de illis solis exarari posset liber. Nonnullas dumtaxat ponemus. Antonius Manuellas, agricola Portellensis, ætatis sexaginta annorum, ab ineunte ætate audierat dicere senes mirabilia, de quibus scripsimus in Sancti Vita: et quomodo præcipui vitæ ipsius passus essent depicti in tabulis antiquæ picturæ, quæ erat in ejus altari. Confirmat etiam E quod e testibus retulimus circa concursum populi ad sanctam ipsius ædem; et quomodo deferantur ejus reliquiæ ad infirmos istorum locorum; tamque esse multa miracula, quæ de Sancto vulgantur quotidie per illos, qui veniunt ad agendas ei gratias, ut meminisse eorum nequeat dictus testis, quæque possunt legi in libris, qui scripti de illis exstant in archiviis conventus ipsius. Illud testi occurrit, quod, dum haberet amitam * in loco Santa Fe *a* admodum infirmam, quam aiebant mori, attulerit ei parum aquæ benedictæ et Sancti lipsano tactæ, ac simul atque eam biberat, reliquerint illam febres, dicique audierit, idem multis aliis personis Portellensibus accidisse.

* Hisp. tia
a

et jumenta sanantur: sublata siccitas : multa alia

119 Recordatur peculiariter salutis, quam, eo patrocinante, consecuta est Elisabeth Solera puella, oriunda ex isto loco; quia percrebuit valde illud miraculum propter nonnulla rei adjuncta, quæ cum illo concurrerunt, et quorum non meminit. Multum quoque addit boni accipere a Sancto agricolas istius territorii per miracula quæ operatur in jumentis, atque adeo omnes se præmunire vittis, numismatibus, et imaginibus

A imaginibus Sancti fuisse aunum, quo festa ejus luce ultra viginti hominum millia confluxerint, atque in tota Sagarra eum honorari ac haberi tamquam peculiarem patronum; dumque multis abhinc annis accideret siccitas, qua fructus exarescerent, Sanctum ipsius corpus delatum fuisse ad oppidum Cerveræ cum crucibus et vexillis universi territorii, vixque eo pervenisse, cum cecidit tanta pluvia, ut multi fructus fuerint percepti.

Iu Mauresana declaravit Nicolaus Michaël, præcipuus justitiæ minister et judex ordinarius loci istius, fuisse sibi bovem, qui jam reputabatur tamquam mortuus; et patrem suum flexisse genua ac direxisse oculos versus Sancti ædem, opemque ejus implorasse, oblata tritici mensura *, ac in ipso temporis articulo surrexisse bovem sanum et valentem : triticum ad Sancti ædem apportasse, visumque esse circumagi aliquoties * ad ejus ecclesiam : casus hujumodi esse innumerabiles, quos oculis suis vidit : a multis annis generalem esse patronum istius territorii propter magna miracula sua, ac Manresanum voto se obstrinxisse, quod totius loci incolæ quotannis sint ituri cum supplicatione ad ipsius ecclesiam die decima quinta Maii.

* una quartera de trigo

* Hisp. dar algunas bueltas

B

mirabilia

120 Et illustris D. Carolus Copons et Aymerich, dominus Mauresanæ et Monroz, declaravit, vidisse se domi suæ multiplicata S. Raymundi miracula iu famulis atque animalibus; seque designare non posse unum solum miraculum; sed explicare se dumtaxat posse prodigia, quæ Deus patrat per S. Raymundum, ex multitudine populorum, qui festo ejus concurrunt, et major eorum pars ex voto alicujus beneficii a Sancto obtenti : in eo positum se fuisse loco, ut e suo castello Manresanæ conspiceret populum advenientem per vias quatuor, quæ respiciunt quatuor mundi partes, et per aliquot horas nihil aliud visum quam homines et animalia, quæ venirent ad ecclesiam Sancti : patrem suum, dum ipse adesset, anno quodam ex eodem castello numerasse per viam, qua exitur Barciuone, et per quam minor pars populi venit, quiugentas mulas albas; atque hinc colligi, quam multæ essent aliæ : et concludit, quod, si miracula omnia, quæ de S. Raymundo audivit, scribenda essent, multi libri ea non caperent.

C

in curatis jumentis.

121 Petrus Joannes Posalgues, incola loci de las Olyjas in episcopatu Urgellensi, ætatis octoginta duorum annorum, declaravit e notitiis parentum suorum et avorum, nec non aliorum admodum antiquorum, a quibus audivit juvenis, quique, ut sibi videtur, pertingerent ad centum et quinquaginta et amplius annos, quæ de Sancti vita scripsimus, et ab eodem tempore descendere memoriam continuorum miraculorum ejus, e quibus multa expertus est domi suæ : meminisse se, quod, dum mula quædam infirmaretur domi suæ, accitusque esset veterinarius, post multas curationes, tempore quodam matutino * hic dixerit, ut educerent illam in campo morituram : nihil superesse remedii. Rem ille, qui jacebat in lecto, audiens, surrexit, flexit genua, et, oratione ad S. Raymundum benedictum directa, obtulit ei, se, si mula convalesceret, per eam ad ipsius ædem vecturum semimensuram tritici *, seque comitaturum nudis pedibus : et statim mula comedit, et convaluit. Declaravit etiam, quod mulus, quem habebat, fruges conterens *b* in Manresana, correptus fuerit tam vehementi ventris dolore, ut tamquam mortuum reputantes projecerint in fimetum. Ille rei conscius ædem sancti Raymundi adivit, oravitque eum, proponens necessitatem suam, vittamque Sancti afferens, collo muli illam alligavit : statimque surrexit quasi nihil habuisset mali.

* in Hisp. una mañana f. una mañana, ut verti

* Hisp. media quartera de trigo

b

INTERPRETE J. P.

122 Petrus Rocha licentiatus, presbyter et rector loci vulgo Gospi, annorum sexaginta sex, e majorum suorum traditione confirmans illa, quæ de vita et miraculis dicta sunt generatim, declaravit, puellas septem e sua parœcia, dum gravi oppressus esset infirmitate, ad Sancti ædem ivisse nudis pedibus, et orasse pro eo, Deoque placuisse, meritis S. Raymundi suffragantibus, ut, dum redissent, sanum invenerint, quia reliquerat eum febris : declaratque cum juramento, dum tam antiqua res est, uihil audiri frequentius per totam Sagarram, quam nova miracula sancti Raymuudi.

Sacerdos a gravi infirmitate liberatur,

123 Josephus Canaleta agricola, e loco Gospi, declaravit, miracula, quæ Deus per sanctum Raymundum fecit in Sagarra, immensum esse pelagus; atque adeo numquam inveniendum finem, si quis ea singulatim numerare voluerit : et sic ea dumtaxat hoc loco dicet sub juramento a se præstito, quæ domi suæ acciderunt. Spatio unius mensis uxorem habuit valde infirmam : ad eum fuit deducta statum, ut vitæ horas illi definirent : afferunt itaque ei Oléum sacrum, quo ubi illam uugerent, ille magno cum conatu invocavit gloriosum sanctum Raymundum Nonnatum, promittens, si salutem ei redderet, iterum se nudis pedibus ad sacellum ipsius, curaturum celebrari in ejus altari Missam, cantarique ejus jubilos : et mox compertum fuit, habere se melius, dumque cito admodum convalesceret, iverunt ambo ad impleudum votum suum.

ac mulier desperata: de jumento ac homine infirmo.

E

Alia vice, quando declarans veniebat e Monmagastre abhinc viginti circiter anuis, jumentum suum in via infirmabatur; venieusque ad terminum Gospi, cecidit in medio viæ tamquam mortuum, ut videbatur, ac pro tali habitum dejeceruut deorsum e rupe. Illi domum reduci venit in mentem invocare gloriosum patrem sanctum Raymundum, promisitque ei mensuram tritici *, si per ipsius intercessionem recuperaret vitam : voto edito verti caput, vidique animal surrexisse ac sequi post nos recte valens et sanum. Egi Deo gratias, votumque implevi.

* una quartera de trigo

F

Alia occasione habui filium tam male affectum, ut noctibus aliquot apud eum vigilarint, in horas mortem ejus exspectantes : quem postquam obtulissem glorioso patri sancto Raymundo, et nonnulla promisissem, placuit Deo, patrocinantibus ejus meritis, reddere ipsi salutem : multaque alia bona domui ejus collata sunt per intercessionem, quam in Saucto habebant.

124 Venerabilis Franciscus Porta presbyter, incola Cerveræ, declaravit, a puero magna se affici pietate erga gloriosum sanctum Raymundum, a quo singulares obtinuit favores : et hoc peculiare dixit, quod, dum Januario præterito pervenisset sero ad Sancti ecclesiam, permanserit in oratione, et benedicto Saucto se commendarit. Dum exivisset, quia erat sero, pervenit ad castellum de Malacara, ut ibidem dormiret, clamaretque ad portam, cumque non cognoscerent in aperiendo, servi quinque in illum irruunt sclopis armati : opem imploravit benedicti Sancti ; et licet duo ex illis laxarint sclopeti rotam, ignem tamen illud non concepit. Factum cum hic tum illi cognoscentes, Sancti miraculo illud attribuerunt : etenim quandoquidem sclopeta erant bona

Sacerdos miro modo a morte servatus :

INTERPRETE J. P. c

bona et usitata, non poterat accidere nisi per miraculum *c*, ut ambo frustrata sint ictu. Postquam itaque illuxisset dies, ivit celebraturus Sacrum ad ejus altare in gratiarum actionem.

vacca cæca curata : 125 Matthæus Roca agricola ex loco Monfalco declaravit, quod, dum haberet vaccam cæcam, videretque eam sibi non servire, sancto Raymundo illam commendarit, obtuleritque ipsi mensuram tritici *, et iverit flexis genibus ab angulo ædis Sancti usque ad ecclesiam, ibique impense oraverit : domum reversus comperit vaccam suam melius videre, et hodie domi suæ eam habet valentem ac sanam. Declaravit etiam, quod, ubi infortunium idem evenisset in domo Petri de Armengol vicini sui, eique dixisset, quam brevi tempore, S. Raymundo patrocinante, recuperasset visum; eamdem ille adhibuerit diligentiam, et tam felici cum successu, ut vacca ejus visum consecuta sit.

* una quartera de trigo

ANNOTATA.

a Santa Fee *invenio non procul a Cæsaraugusta* B *in mappa regni Aragoniæ.*

b *Certi generis instrumentum est in Hispania, constans tribus asseribus crassis simul junctis, in quibus sunt plura foramina, in eisque ponuntur lapilli duri : junguntur ad hoc instrumentum muli ad trahendum, et ad conterendum frumentum, aut aliud granum. Ex Dictionario Hispano-Gallico Francisci Sobrino ad nomen* trillo.

c *Etiamsi hoc accidere potuerit sine miraculo, mira tamen istius sacerdotis Sanctum invocantis fuit conservatio, ac gratiarum actionem pro singulari beneficio merita.*

CAPUT VIII.

Declarationes Barcinonenses ac Vicenses de aliis sancti Thaumaturgi invocatione sospitatis.

Innumera a C

Barcinone dominus D. Ludovicus Sans *a* ibidem episcopus examinavit per se testes. Declaravit reverendus Paulus Pla, juris doctor, archidiaconus et canonicus istius sanctæ ecclesiæ, ætatis annorum septuaginta, se triginta annorum et amplius spatio fuisse vicarium generalem et commissarium Cruciatæ *b* in isto episcopatu, sibique constare per ista officia, innumerabilia esse miracula, quæ in ista civitate ac diœcesi operatus fuerat Deus per sacrum pignus S. Raymundi, quod erat in regio conventu de Mercede istius civitatis; præsertim in mulieribus parturientibus; seque etiam scire, quod multa mirabilia acciderint cæcis, qui visum acceperunt, oculis suis unctis oleo lampadis sacelli ejus; ac meminisse se, quod, dum studeret Ilerdæ, doctor, qui vocabatur magister Biosca, ac visum amiserat, miraculis auditis multis, quæ Dominus noster facit per patrocinium dicti gloriosi Sancti, ad pietatem motus venerit Barcinone ad visitandam ecclesiam S. Raymundi Nonnati, eoque perveniens, ubi studebat dictus testis, indicarit ei causam itineris sui ad memoratam ecclesiam, ac cessasse dolorem oculorum, et sanatum esse, postquam unxisset oculos oleo lampadis, quæ est accensa ante gloriosum Sanctum : atque ex isto tempore admodum D pie afficitur declarans erga sanctum Raymundum Nonnatum.

S. Raymundi mirabilia 127 D. Franciscus de Juorra, Baro de Zervallos et Belleræ, dominus loci Sancti Vincentii, Zireræ, aliorumque locorum, declaravit, scire se, quod vera sint omnia, quæ dicuntur de vita sancti Raymundi, propterea quod in suis locis sit educatus, quæ existunt circa Portellum, ac illa audiverit a majoribus suis, qui hæc legerant in libro valde antiquo, qui jam non comparet; videritque pariter illa depicta in ecclesiæ Sancti pictura, quæ facta fuit ab immemorabili hominum memoria; quodque, secundum tabulas antiquas et scripturas, quas vidit, a Sancti obitu inchoata sint miracula ejus, atque idcirco populorum devotio nomen sancti Nicolai ecclesiæ inditum commutaverit in nomen sancti Raymundi; tamque multa sint prodigia, quæ ab isto numerantur tempore, ut referri neutiquam possint, quæ audivit : et solummodo referet, quod accidit domi suæ: ubi dum erant infirmi, afferebatur illico Sancti lipsanum, et multa mirabilia docuit experientia.

E *erga homines et jumenta declarantur.* 128 Vici declararunt testes coram domino D. Antonio Gallart episcopo suo. Primus declaravit Joannes Rexada, theologiæ doctor et canonicus sanctæ ecclesiæ Vicensis, quod, dum esset rector cujusdam loci circa Sagarram, iverit ad sacram ejus ædem die festo ipsius, tantamque populi multitudinem conspicatus hæserit attonitus, quia hujusmodi numerum simul non vidit in sua vita : opinio enim erat, plures accurrisse homines quam octodecim mille : nec minori numero fuisse animalia. Hoc autem miratus fuit potissimum, quod videret multa animalia debilia, perdita, et quæ movere se non posse videbantur, currere tam expedite, ut prodigium videretur : et in hoc statu omnes apportabant triticum, alius plus, alius minus : reversusque ad suam rectoriam, interrogavit parochianos suos, a quo tempore habuissent pium illum affectum. Responderunt, quod illum haberent hereditarium a suis majoribus, nullamque supercesse hominum memoriam, quando fuerit inchoatus; seque infinita audivisse Sancti miracula, sed relaturum se dumtaxat unum, cujus fuit testis.

F *Mulus morti proximus convalescit :* 129 Quidam e parœcia ejus erat admodum afflictus, quia mulus suus moriebatur, nihilque dum haberet remedii, jussit eum deportari ad campum, ne moreretur domi suæ, qui utpote ab aliquot jam diebus humi erat collapsus, et non comedebat. Ita afflictus accessit ad declarantem, qui dum consolaretur eum, vir quidam ipsi dixit, ut muli collo apponeret vitam sancti Raymundi, invocaretque Sanctum, ac videret quomodo sanaretur mulus suus : quandoquidem viderat majora mirabilia. Sanctum invocavit, ac promisit, quod, si redderet ei sanitatem, vecturus per illum esset mensuram tritici * ad ædem ipsius, ivitque cum hoc declarante ad campum, ubi mulum extensum repererunt : apposuit collo ejus vittam, omnesque sanctum Raymundum Nonnatum invocarunt : fuitque visu mirabile, quod statim surgeret animal recte valens : et hic testis confirmavit omnia, quæ de Sancti miraculis audierat.

* una quartera de trigo

Religiosus B. M. V. de Mercede ex altissimo loco lapsus Vide Append. pag. 847 not. 16. 130 Pater Fr. Michaël Sagarra, ex Ordine beatissimæ Virginis de Mercede declaravit, quod die vigesima Octobris anni MDXCVIII, quando erat sacrista sui conventus, se contulerit ad palatum domini episcopi ad repetendam scalam, quam

A quam commodato dederat ad ornandum illud in adventu domini D. Francisci Robuster et Sala bonæ memoriæ, Vicensis quondam episcopi. Scalam sursum elevarant in contignationem admodum altam, quæ est supra aulam, nomine Sabernat, quæque multo est altior, quam tectum muri civitatis istius, coutinens altitudiuem ulnarum viginti cum quarta parte caunæ Montispessulanæ, quæ est palmorum octo longitudiue : eamque ne deorsum dirigeret per gradus palatii, statuit testis illam demittere per fenestrum istius contignationis supra porticum muri.

Ne vero scala decideret impetuoso lapsu, ac tecto noceret, voluit testis eam dirigere ad porticum ex fenestra : sed superante illum gravitate, per fenestram extraxit eum, gloriosi sancti Raymundi auxilium invocantem ; videbaturque sibi sæpius circumagi in aëre, ac semper dicere : Sancte Raymuude adjuva me : supinusque cecidit in lapides, tegulas ac lateres, sed illæsus : et se quidem ait distincte audivisse voces populi, qui eum videbat, Deoque commendabat, et in frusta concisum judicabat : verumtameu surrexit valens et sanus, dicens omnibus, qui cum admi-
B ratioue accedebant, fuisse miraculum S. Raymundi. Nihilominus conventuales ejus fecerunt, ut in lecto maneret, ac per triduum non surgeret : sed dum se videret doloris malique immunem, surrexit, et exivit per civitatem, omnibus Deo gratias habentibus, quia se tam prodigiosum ostendit in glorioso patre saucto Raymundo Nonnato.

et non læsus : 131 Rem confirmavit doctor Christophorus Vilanera, medicus Viceusis, dicens se fuisse in loco, in quo cecidit Pater Sagarra, et qui a fenestra contignationis usque ad locum, in quem delapsus est, coram se mensuratus, habet ultitudinem ulnarum viginti, ac unam quartam partem mensuræ Montispessulanæ, quæ duplicatam continet mensuram ulnæ Castellanæ, quia complectitur altitudinem palmorum octo : et declarat, uon potuisse fieri sine miraculo, ut viveret : disrumpi enim debebat, vel fraugi ipsius ossa ; et quia illæsus fuit, prout omnes viderunt perspicue, et ego fui testis, credo fuisse miraculum gloriosi patris sancti Raymuudi Nonnati, quem Religiosus invocavit in suo periculo. Idem
C declaravit doctor Franciscus Martinez, medicus Videusis, qui fuit præsens. Confirmarunt Balthazar Pla, et Jacobus Morlaus, qui rem viderunt. Pater magister frater Antillou refert iu Epitome vitæ Sancti, narrasse tibi, quando erat Commeudator Vici, nobilem dominam D. Hieronymam de Vilademam, quod e meniano domus suæ *c* vidisset eum cadentem, ac miserit famulos suos, in frusta disruptum fuisse judicans ; qui invenerunt eum incolumem, etiamsi attouitum : et elapso triduo contulit se ad ædes hujus dominæ valens sanusque.

hernia a nativitate, 132 Franciscus Casaus clericus, ætatis annorum septemdecim, declaravit, herniam sibi fuisse a nativitate, malumque crevisse in pejus, seque aliquoties ad extrema deductum : curasse suos pareutes, ut per medicos ac chirurgos remedium afferrent ; ætate septenuem sine remedio reliquisse, dicentes rupturam esse immedicabilem. Parentes obtulerunt eum glorioso sancto Raymundo, et duxerunt ad sacellum ejus : curaruut dici Sacrum, cui interfuit pie admodum, gloriosi Saucti opem invocans et ad finem Sacri ceciderunt ligamina, quibus ligatam ferebat fracturam, et, sicut uon gestabat braccas, humi deciderunt ; videntibus hoc aliis, quoniam non sentiebat ipse. Contemplabantur illum statim parentes ejus, ac qui præsentes erant, tamque iucolumem et sanum invenerunt, aesi uumquam laborasset malo hujusmodi : refertque P. Antillon, se cum illo habuisse postea communicationem, dum ageret annum ætatis quinquagesimum sextum, retulisse sibi memoratum miraculum, ac dixisse, nullum sibi fuisse dolorem usque ad diem istum. Rem Confirmavit in sua declaratione Aldonça Casaus mater ejus, sicut relatum est, aliæque personæ.

INTERPRETE J. P.

** f. Alonsa i. e. Alfonsa*

ac mulieris febris pestifera, 133 Elisabeth Sabella declaravit, dum ab aunis octo laboraret graviter febri pestilente *d*, recrevisse sibi dolorem lateris eum lethargo : unde ad statum desperationis deducta est, et extrema unctione munita, duobus Patribus de Mercede illam præparantibus ad bene moriendum. Sed ipsa, tametsi conformaret se voluntati divinæ, magnam habebat fiduciam fore ut a glorioso patre sancto Raymundo sanaretur : nam perquam pie erga eum afficiebatur, seque obnixe illi commendaverat, sacrumque ejus lipsanum habebat ad suum cervical. Ipsa nocte, qua eam E unxerunt, videbatur sibi cubiculum suum ingredi gloriosus sauctus Raymundus eo vestitu et signis, quibus eum pingunt, sibi dedisse benedictionem, et in somnum statim incidisse, atque sic mansisse usque ad tempus matutinum : quo venit Anna Fontanelles, ueptis ejus, et dixit, redire se ex loco de Mercede, ubi curaverat dici Sacrum in houorem gloriosi Sancti, jubilosque illi acciui pro salute ejus, ac vovisse, delaturam se cadaveris involucrum ad Sancti sacellum, ac picturam miraculi, si amita sua convalesceret. Infirma illi respondit : Jam itaque potes afferre ; nam sanctus Raymundus mihi apparuit, ac me sanavit. Vulgatum fuit miraculum ; cui majorem plausum addidit, quod licentiatus Matabaques, pastor in loco isto Vici, tempore illo matutino, sciens infirmæ nepteu fecisse votum sancto Raymundo, linteum funebre deferendi ad ejus sacellum, si amita recuperaret sauitatem, dixerit : Beatus Sanctus recte potest sibi quærere alia cadaverum involucra, de hoc enim nihil esse quod speretur : quia ego de uocte reliqui eam mortuam. Sciens autem quod recte valeret, rem miratus domum ejus se contulit, prodigiosum esse sanctum Raymundum confitens.

F

cujus etiam filius convaluit, 134 Eadem declaravit, filium suum Balthazarem Sabeil ab octo circiter mensibus in gravi infirmitate pervenisse ad instantem morteu : et illa cum fiducia, quam habet in prodigioso patre sancto Raymundo, obstrinxit se voto, quod, si filio suo redderet valetudinem, diebus quinque et viginti itura esset nudis pedibus ad sacellum ejus : et simul atque votum ediderat, melius habere cœpit, et brevi convaluit, illaque votum complevit.

sanantur, et hydrops 135 Anna Fontanelles, infirmæ neptis confirmavit primum miraculum, referens quod erat actum cum pastore Matabaques, ridendoque se illi dixisse ea, quæ superius sunt scripta : dumque videret suam amitam recte valere, accepisse se sub brachio liuteum *e*, atque ad honorem benedicti sancti Raymundi ivisse quæsitum pastorem, ac dixisse : Domiue, vide hic amictum cadaveris amitæ meæ, quod porto ad ejus sacellum, quia Sanctus illam sanavit. Ille rem miratus, infirmæ domum adiit, miraculum credere non desiuens. Et declaravit gloriosum sanctum Raymundum declaranti contulisse favoreu miraculi alterius : etenim quaudo erat hydropica, et monstrose

INTERPRETE J. P.

monstrose inflata per annum integrum, dixit ei maritus suus, ut fiduciam poneret in benedicto sancto Raymundo; se curasse sex dici Missas ad ipsius altare pro valetudine ejus, magnamque se concepisse fiduciam fore, ut per ejus patrocinium sanaretur. Illa magna cum pietate hoc fecit, et mox deinde cœpit detumescere, et sine alio remedio convaluit.

uti et puellæ tremor membrorum.

136 Maria Font, uxor Josephi Font fabri lignarii, declaravit, duobus circiter abhinc mensibus filiam suam, nomine Marianam, ætatis annorum duorum ac dimidii, invasisse tremorem artuum, ex quo mansit veluti mortua sine loquela, ac motu labiorum *f*. Afflicti parentes commendaruut eam S. Raymundo, ac desiderabant, ut viva superesset usque ad tempus matutinum, quo afferri potest Sancti lipsanum, magna erecti fiducia, filiam suam illo sanatum iri. Simul atque diluxit, maritus ejus ad conventum de Mercede se contulit, sacrumque lipsanum dum abesset domo, rogavit patrem Commendatorem, ut statim Sacrum faceret in honorem Sancti pro salute ejus, pignusque sacrum mitteret ad se. Domum reversus invenit filiam suam in eodem statu. Parvo post tempore venit pater frater Brotous Mercenarius, sancti Raymundi reliquias afferens, vixque infirmam attigit, cum ad se rediit, non aliter quam si apposuissent oleum lampadi, quæ extinguitur. Puella oculos aperuit, reliquias manibus suis accepit, veneratа illas fuit, et in ipso instanti convaluit, ac postero die dum surrexisset, duxerunt illam ad sacellum Sancti, Deo gratias acturam. Dicta confirmavit Maria Cona vicina ejus, quæ præsens fuit. Eadem declaravit Josephus Font, puellæ pater.

Puer paralyticus, et continuo motu agitatus.

137 In eadem civitate Viconsi declaravit coram domino episcopo Sigismundus Toll incola Vicensis, testis præsentatus per P. magistrum Fr. Joanuem Horno et Antillon, conventus Virginis de Mercede Commendatorem, et dixit: Reverendissime Domine, quod ego scio circa interrogationem a reverendissima vestra dominatione propositam, illud est; quod filius meus, cui nomen Justo Toll, et qui tunc temporis ætatem attigerat sex vel septem annorum, plus minus, fuerit socius alteri filio meo ad audiendam doctrinam Christianam, quam docebat sacerdos, qui vocabatur magister Perez, in foro: item quod postquam ambo exiisseut valentes ac sani, quando audiebant doctrinam Christianam, corripuerit Justum paralysis, e qua ita continuo motu agitabantur ipsius manus, ut impediti non posset. Quæ res impulit eum, qui tradebat doctrinam Christianam, ut caput ejus canna percuteret, judicans illum ludere. Verumtamen pergere eum conspicatus et plorare, jussit eum deduci ad meas ædes. Sic perrexit manuum symptomate laborare cum magno dolore nostro, non valens easdem adhibere ad sumendum cibum ac potum propter motum continuum. Symptoma fuit tam repentinum, ut domi etiam judicaremus illum ludere: atque idcirco ipsius mater et ego aliquoties vellicavimus ipsi aures: sed continuari motum videntes, et flentes quod eum castigavissemus insontem; curam suscepimus dispiciendi, quidnam hoc esset futurum, et sequenti die vidimus eumdem eventum in pedibus ac cruribus, ita ut jam pedibus insistere nequiret: atque adeo advocavimus medicum, ut cum curaret.

138 Præscripsit illi sectiones venæ, purgationes, multaque alia medicamina, hunc sortita effectum, ut non moveret manus ac pedes, jam factus instar trunci. Elapso anno, et quod excurrit, dixit mihi medicus: Pro Toll noli plus pecuniæ consumere, filius tuus membris est captus, et quotquot in mundo sunt remedia, nihil ei proderunt. Quandoquidem faber es lignarius, potes ipsi conficere sedile rotatum, atque hoc modo poterit filius vester ire per civitatem: incessurum vero peditem noli sperare. Feci illud magno cum dolore, propterea quod conspicerem latam esse sententiam in charum filium meum, ut, quoad viveret, membris captus esset. Mater ejus multa promisit sancto Raymundo, si valetudinem ipsi restitueret, nec non novendialem pietatem peregit. Die autem quinta decima Aprilis anni MDXCIX, quando eram occupatus laborando in mea officina, in conventu de Mercede dederunt signum ad Missam horæ undecimæ, quæ dicitur in glorioso Sancti sacello. Mandavi Gervasio Toll ac Hieronymæ Toll liberis meis, ut membris captum ducerent ad illud Sacrum, ac dixi ei, ut rogaret benedictum Sanctum, concederet sibi salutem repentina cum fiducia se sanatum iri. At brevi post tempore vidi reduces, relatum sibi dicentes, quod Sacrum esset finitum.

adhibitis frustra medicorum remediis,

139 Ego, qua eram fide, mandavi illis, ut redirent, et orarent Sanctum gloriosum ante altare suum: quod fecerunt: quid vero ibidem peractum fuerit, referent illi: ego enim dumtaxat scio dicendum reverendissimæ vestræ dominationi, quod viderim venire filium meum Justum pede incedentem, dum exirem mea officina ad voces, quas edebat populus rem conspicatus, clamando sancti Raymundi miraculum. Miratus ego et contentus ad filium cucurri, dicens: Quid hocce rei, fili. Respondit: Miraculum, quod me sanando patravit sanctus Raymundus. Tota accurrit vicinia, multis præ gaudio plorantibus. Vota persolvimus, in ejusque sacello posuimus depictum miraculum. Et ab isto tempore usque ad hodiernum diem filius meus graditur pede valens et sanus, manibusque ac pedibus utens, sicut sani reliqui: atque hoc viderunt quasi omnes, qui hodie Vici degunt.

ad Sancti invocationem

fit sospes

140 Idem Justus Toll juratus declarat illud miraculum una cum fratre ac sorore, qui sibi adfuerunt; addens, quod, dum deferretur ad ecclesiam, primo direxerint preces Virgini de Mercede, quæ est in altari majore, et mox illum detulerint ad sacellum sancti Raymundi, ac soror sua jubilos sancto Raymundo accinuerit, quia nemo erat præter illos in ecclesia, infirmum mox superimposuerit vesti suæ talari *g*, ac dixerit ipsi, ut preces recitaret; qui dum videretur viribus valere, tentavit surgere scamno innixus; sanumque se sentiens, ad altare majus semel cucurrit, ac per ecclesiam sæpius, sicque adivit domum suam, dicens omnibus, sanatum se esse a sancto Raymundo: et quod ab isto tempore nihil habuerit mali.

et incolumis

141 Dictum miraculum confirmat Hieronyma Toll soror ejus, et Eleonora Real ipsius vicina, addens aliud mirabile, quod Deus in illo fecit, patrocinante glorioso patre sancto Raymundo: fuit vero illud: paralysi oppressus pervenit ad tam malum statum, ut doctor Vilanera de illo desperarit, dicens parentibus, ut parcerent gallinæ, quam volebant occidere ad sufficiendas ei vires, quia nocte illa moriturus esset. Soror autem ipsius hoc audiens vovit Sancto, curaturam se Sacrum fieri, si viveret, in ejus honorem, ac Eleonora Real promisit tribus vicibus se adituram sacellum ipsius, ac vicibus singulis recitaturam

A recitaturam tres partes Rosarii, simulque mater ejus multa vovit Sancto : et mox ad se rediit, ac mortem evasit, ad quam tunc erat condemnatus, quamquam inversis manserit pedibus, tortisque manibus ac collo, linguaque adeo impedita, ut nesciretur, quid diceret, donec sanctus Raymundus operatus fuit in illo miraculum, quod relatum est.

ANNOTATA.

a *Litteras post depositiones testium conscriptas ab isto episcopo dedimus superius parte prima num.* 48.

b Cruciata *est expeditio belli sacri contra infideles vel hæreticos, ita nuncupata, quia illi, qui eidem erant adscripti, signabantur cruce in vestibus. Varia cruce signatis dabantur privilegia, de quibus, uti et de hujusmodi privilegiorum renuntiatione tractat Cangius in Glossario ad vocem* Cruzata. *Hic vero indicatur non expeditio bellica, sed tribunal* Cruciatæ, *quod formatum est* in curia per reginam dominam Joan-
B nam, ac patrem ejus regem Catholicum, anno MDXXV ad administrandos reditus ac judicium ferendum de rebus ad bullam sanctæ Cruciatæ spectantibus : quod *tribunal* constat ex præside, quem vocant commissarium generalem, tribus conciliariis, fiscali uno, secretario uno, computatoribus duobus, ac uno thesaurario, *sicut memorat Dictionarium Hispanicum academicum, pluribus infra indicandum. Sed annus sine dubio mendosus est : nam quomodo isto anno formari potuit illud tribunal sub rege Catholico, Ferdinando V, patre Joannæ Caroli V matris, cum jam obiisset ab anno* 1516 *prædictus rex? An autem in episcopatu Barcinonensi, de quo agit Colombus, in omnibus conforme tunc fuerit tribunal supra designato, non habeo compertum.*

c *In Hisp.* desde un balcon, *id est,* e podio extra ædificii parietem prominente. *Dixi Latine* ex meniano. *Vocem explico, ne lector hæreat. Joannes Gerardus Vossius in Etymologico linguæ Latinæ de hac voce scribit, et inter alia :* Meniana erant pergulæ projectæ, ita dictæ a Menio.. Nominis causam docet Asconius in Divi-
C nat. « Menius, cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Menia vocitata est ». *Vox itaque* meniana *vel* menianum *videtur satis apte transferri posse ad illam partem ædificii, quam Hispani et Galli dicunt* balcon, *significandam.*

d *Hisp.* tabardillo, *est genus pestis vel febris malignæ, maculis purpureis vel subnigris vel alterius coloris per corpus diffusis se manifestans.*

e *In Hisp. est* sanaba, *Latine* linteum, *quo insternitur lectus; hic autem, quo cooperiuntur mortui. Hinc confirmatur per vocem* mortaja, *quæ toties recurrit supra, et quam ex textu Hispanico,* Senor ve aqui la mortaja de mi tia, *verti :* Domine, vide hic amictum cadaveris *etc., intelligi quod dixi in Annotatis pag.* 754.

In Hisp. ni minear los labios. *Verbum* minear *non inveni : at sensus videtur id indicare quod Latine posui.*

g *In Hisp.* sobre sus faldas. *Est autem* falda *(communiter dicitur* faldas *in plurali numero) pars vestis talaris a cingulo deorsum usque ad pedes.* INTERPRETE J. P.

CAPUT IX.

Religiosi duo miris modis in itinere sospites; sanata febris; tempestas maris sedata; mira in Sancti imagine; infirmitates sublatæ.

Dum iter instituunt duo Religiosi Mercenarii ad corpus Sancti,

Anno MDCV magister frater Joannes Antillon Commendator Illiberi decrevit ire invisum Sancti nostri corpus. Duxit secum Fratrem Hieronymum Muñoz : per aliquot dies in itinere illapsa illis est pluvia, præsertim priusquam pervenirent Barcinonem; qua transire debebant propter aliqua necessaria negotia. Hinc discesserunt Igualadam, ut alio die perveni- E rent tempestive ad conventum S. Raymundi. Sed in egressu venit eis obviam nobilis, dicens, se ire ad parvum quemdam locum suum, circa sancti Raymundi ædes situm; seque, si cuperent, facturum, ut ista nocte in conventu essent, per semitas utique iturum breviores. Secuti sunt eum, pluvia semper cadente, usque ad Poplam, quem noluerunt Religiosi transire propter abundantiam aquæ : verum mora ac instantia amici impulerunt eos, ut pergerent. Occurrerunt fluvio, qui per copiosas aquas intumuerat; dixitque illis, se scire vadum : sequerentur sine metu. Sed Commendator, qui ex sermone cœperat timere, circumspexit ab omni parte, num videret, qui viam doceret : at nemo comparuit : et nobilis dixit : Non timeant Patres; quoniam ego præcedo; transiitque per fluvium, Religiosis uno post alium sequentibus. Commendator reliquias S. Raymundi extraxit e sinu, illique se commendavit : idem fecit socius, quia statim occurrerat magna scaturigo ac furia aquæ. Vix processerant quatuor aut sex passibus, cum ab alia parte magnas audierunt voces, quæ dicebant : Sistant, sistant. Substiterunt Religiosi, videruntque hominem in colle, qui diceret : F Non transeant, quia suffocari debent. Nobilis autem, qui sine ullo impedimento multum jam præcesserat, instabat ut sequerentur, quandoquidem non erat periculum, sicut eum viderant transiisse.

et per periculosissimam viam ducuntur,

143 Illi noluerunt, atque adeo ad ripam reversi sunt, audieruntque virum sibi ab alto dicentem, si illac transiissent, vehementi aquarum cursu abripiendos fuisse ac submergendos : e regione loci, in quo erat, inventuros securum vadum. Nesciebant Religiosi, quanam vi interiore moverentur, ut eum, qui comitabatur, externamque speciem ac fidem viri nobilis præ se ferebat, relinquerent, ac ignotum sequerentur agricolam : paruerunt tamen Religiosi, ac transierunt non secus ac si non esset aquarum cursus in fluvio, viri vocibus illos semper conducentibus; qui in transitu non comparuit amplius, etiamsi illum vocarent, ut gratias ei agerent : quas persolverunt Deo, tamquam omnis boni nostri auctori, et sancto Raymundo tamquam patrono. Eorum ductor prosequebatur suum iter : illi vero ibant satis cum metu, et tunc magis, quando aspiciebant se ab eo duci per profundissimum

INTERPRETE J. P.

simum præcipitium, in quo necesse ipsius fuit e mulis descendere, easque habenis ducere, cum timerent ad passus singulos ne in frusta confringerentur, mirati, dum viderent, quam expedite ductor suus e jumento non descendens pervenisset inferius. Exspectarunt usque ad noctem, ut se subducerent periculo isti, semper sacrum lipsanum manu tenentes, ore autem et corde invocantes suum Sospitatorem. Quadam noctis hora admodum obscura et pluvia, dixit eis nobilis, se ire ad locum suum, repertumque iri a Religiosis conventum prosequentibus iter suum.

miris adjuti modis perveniunt ad terminum.

144 Tunc vehementissima se impatientiæ tentatione impugnari senserunt, quam vicerunt divino auxilio adjuti, dumque alius post alium subsequeretur, permiserunt se mularum instinctui ducendos, cum nescirent, ubinam loci essent, etiamsi ambo recte callerent territorium illud. Ibant, quo bruta ducebant, nunc sancti Raymundi jubilos cantantes, nunc recitantes rosaria. Hoc modo profecti sunt per unam horam et amplius omni solatio destituti, quia ignorabant terram, per quam ibant, ac timebant ne
B in præcipitium aliquod inciderent. Tunc vero audierunt vocem lingua Catalana dicentem : Quis vadit? Responderunt : Fratres duo, euntes ad sanctum Raymundum viæ ignari. Quibus ille : Utique patres non enut bene conducti. Illi autem, Tu igitur, aiunt, nos duc, et tibi liberaliter solvemus. Ad se recepit : et statim, etiamsi essent tenebræ, ante se viderunt virum, qui viam præmonstravit, et minore tempore quam quarta horæ parte perduxit eos ad portam conventus, et clamavit. Descenderunt e mulis, nec amplius illum viderunt; nec invenerunt, etiamsi eum inclamarent Religiosi, qui egressi erant : crevitque magis admiratio, dum re, quæ sibi evenerat, narrata, compererunt, nullum hujusmodi nobilem esse in omnibus illis locis : unde convenit inter omnes, nec eum, qui talibus illos exposuerat periculis, nec etiam illos, qui eisdem ipsos liberaverant, istius territorii fuisse incolas. Nec ulterius continuato sermone, intrarunt cum communitate ad agendas Deo ac Sancto gratias.

Religiosus præter exspectationem a febri sanatus ;

145 Antequam Religiosus ille finem imponeret triennio officii Commendatoris, febres tertianæ illum corripuerunt, his symptomatibus eas comitantibus, ut valde oppressus fuerit. Vovit, si Deus salutem redderet, visitaturum se die ei
C sacro sanctas reliquias ejus. Adveniebant ultimi dies Augusti, quando sentiebat se non posse implere suum votum, cum febres eum non relinquerent. Adfuit tunc temporis Fr. Raymundus Salviat, conventualis sancti Raymundi, qui petierat ab illo eleemosynam, animosque ei suggessit, ut sedili, cujus parti posteriori inniti posset ipsius dorsum, insidens, paulatim veheretur, futurum dicens, ut recuperaret salutem. Sumptis animis viæ se dedit, comitante tertiana febri. In pervigilio festi eo advenit, nec febris cum deseruit : Sanctum rogavit, obtineret a Deo vires, ut sequenti die Sacris operari posset ad ejus altare : noctem transegit in magna febri, ac postquam mane surrexisset, statuit Sacrum facere, confidens Sancti ope vires sibi suggestum iri : exivit, febri comite, ad altare, et vix vidit sanctas ipsius reliquias (illo namque die aperiuntur clathri hierothecæ (quando repente sanatum se sensit, ac proinde magno temporis spatio ac pietate potuit ad aram facere, rediitque ad sacrarium valens et sanus.

146 Religiosus iste admodum pie fuit propensus erga gloriosum Cardinalem, nec non in conventibus, quibus præfuit, elaborati curavit sacellum pro sancta imagine ejus, et sic beneficum se ipsi ostendit Sanctus favoribus, quos in illum contulit, et periculis, e quibus eum eripuit. Præter jam dicta, in Vita S. Raymundi a se scripta addit, anno MDCXI, quo erat Commendator Stellæ *a*, se exivisse die prima Junii ad civitatem Pampelonam *b*, ut spectaret festum et Octavam, quam sancta ista ecclesia dedicat sanctissimo Sacramento : transire debebat Tarraconem *c*, ut finem imponeret cuidam negotio sui conventus. Egressus autem fuit cum Hieronymo Vitale, fabro argentario, qui in ista quidem erat civitate natus, sed Stellæ habitabat. Decreverunt pervenire, etiamsi sero esset, Tutelam ista nocte, quæ facta est adeo obscura, ut necesse fuerit incedere inter colloquia, ne alter alterum amitteret.

D *idem, ac socius ejus in exundatione fluvii Iberi*

a b c

incolumes.

147 Pater Commendator pio more suo extraxit reliquias S. Raymundi, dicens socio : Commendemus nos Sancto, qui nos ducet incolumes. Per istos dies intumuerat admodum fluvius E
Iberus *d*, ita ut fluxus ejus post transitum pontis perveniret ad antiquum istum murum, qui exstat ad olivetum qua parte crux est, adeo tunc cooperta aquis, ut illac non posset transiri sine submersione. Aliam viam ignorabant, nec sciebant aquas fluvii adeo increvisse, nec intendebant animum ad aquam, quia ex quo intraverant viam horti, in illum erat illapsa, judicantes id contigisse e pluvia, vel residuam esse aquam ex irrigatione vinearum, quod sæpe accidit sine pluvia. Profecti itaque ad pontem per mediam aquam, credebant se perrecturos eodem modo, quo jam transierant, quando audierunt vocem, quæ dicebat: Non hac, non hac, sed per olivetum. Substiterunt, mulasque in aquam non modice ingressas compererunt, magnumque fluvii strepitum audientes retrocesserunt, donec regrederentur ex antiquo muro; et mulæ iter prosequentes, etiamsi tantæ essent tenebræ, ac difficile esset illac iter facere diurno tempore sine magna cautela propter multas olivas, pervenerunt ad pontem ne uno quidem ramo eos offendente. Cujusnam vero fuerit ea vox, et unde emissa, incompertum habuerunt adhibita etiam F
diligentia. Deo itaque et glorioso Cardinali egerunt gratias, quia liberaverant eos tam perspecto ac evidenti periculo *e*.

d

e

Sancti lipsanum mari injectum sedat tempestatem :

148 Pater præsentatus Fr. Ludovicus Galindus a S. Raymundo in libro, qui inscribitur Triumphus puritatis Mariæ, Limæ impresso anno MDCLXIII, et dedicato comitissæ S. Stephani *, proreginæ Peruviæ, duos ipsi singulares favores in memoriam revocat, quos acceperat a sancto Cardinale, dicens : Protector est maxime singularis vestræ Excellentiæ, qualem se monstravit per mirabile lipsanum baculi sui, cujus frustulum quoddam in mare Septemtrionale injectum sedavit statim tempestatem furiosam, qua vita ejus tantopere periclitata fuit. Nec minus Cardinalis sanctus exhibuit se propitium in laborioso ac crudeli partu filii sui primogeniti, quem vestra Excellentia habuit, domini D. Joachimi de Benavides, utriusque succurrendo vitæ in talibus rerum adjunctis, ut publicum fuerit miraculum S. Raymundi, quod obstringit vestram Excellentiam ad fovendam tanta cura pietatem erga Sanctum Nonnatum.

* in Hisp. de Santistevan f de Sanestevan

149 Venerabilis episcopus Rossensis in sua Agricultura

A Agricultura animæ tract. I, cap. 7 § 6 affirmat, magna se expertum mirabilia in imagine Sancti. De una dicit, vix in altari positam fuisse, cum sanavit multis annis captam usu membrorum. De alia imagine, quæ est Burgis, dicitur, quod mulier quædam filium morti proximum sancto Raymundo commendarit, videritque illum intrare in cubiculum, manuque tactum infantem reliquerit sanum. Addit, pio admodum alicui clienti S. Raymundi magnum accidisse honoris periculum, dum culpa vacaret, per oppressionem judicis, quæ diu duravit. Commendavit se Sancto, ac patrocinio ejus attribuit, quod toto isto tempore non perdiderit patientiam et conformitatem. Accidit autem, ut imago Sancti, quam aliquot ante mensibus habebat, per binoctia sudaverit tam vehementer, ut resperserit velum, quo tegebatur, et tincti aliquot sudore panniculi levarint dolores capitis. Causa mox fuit cognita ex afflictione clientis ejus.

idem in variis

150 In urbe Matritensi *f* sicut tanta est erga Sanctum religio, sic multa sunt mirabilia, quæ per patrocinium suum operatus est noster Sanctus. B Unum dumtaxat referam, quod anno MDCXXXIV evenit : præterquam vero quod exstet in tabula sacelli ejus, supersunt etiam homines, qui eventus meminerunt. Maria Anna a Cruce infirmata fuit sine humano remedio, et a medicis deposita, quia nihil habebant, quo illam curarent, viribus ac facultatibus destitutam. Actum de ea curanda tamquam si a dæmone esset obsessa : verum cum talis non esset, multum fuit passa per exorcismos eorum, qui credebant ac credi volebant, non posse non esse obsessam. Denique defessi reliquerunt eam. Et quemadmodum derelictio terrena est ultima dispositio ad consequendos cælestes favores, per sancti Raymundi intercessionem eosdem obtinuit. Venit ad ejus sacellum tali fide, ut, positis humi genibus, dixerit Deo et Sancto ejus; non ex ista se terra surrecturam, nisi pietas ejus succurreret. Res rara! statim se interius quietam sensit, nec redierunt amplius furiosa symptomata, quæ eam discruciabant. Linteum reliquit in sacello ejus pro signo miraculi, multique testes, qui illam noverant annis aliquot, non observarunt antiqua rediisse mala.

liis malis f

C 151 In civitate Darocensi *g* anno MDCXV filius Antonii Quiles in gravi infirmitate ad vitæ extrema pervenit. Habebat herniam ab utraque parte : unde, præter ardentes febres, excruciabant eum crudeles dolores : quo fiebat, ut inter continuum clamorem degeret, nec haberet etiam occasionem se disponendi, prout desiderabat. Videns ergo conclamatum esse de sua vita, et animam salvare desiderans, usus est patrocinio gloriosi sancti Raymundi, rogans ut doloribus illis mitigatis posset tamquam Christianus se disponere ad instituendam bonam confessionem. Audiit eum Sanctus, Deum rogavit, dolorque locum ei dedit ut aliquantisper dormiret : et in somno videbatur sibi Sanctum spectare, et ab utraque infirmitate per eum sanari. Dum evigilaret nullum dolorem sensit, nullumque signum herniæ : advocavit domesticos, qui occasione ejus somni resarciebant jacturam quietis post multas malas noctes ipsius causa transactas. Videns itaque non venire, resumpsit somnum usque ad tempus matutinum : quo ingressi invenerunt illum sine febri, profitentem quod duplicatum accepisset favorem a sancto Raymundo Nonnato.

patrocinii g

152 In eadem civitate Darocensi die festo Sancti in quadam contentione pectus Dominici Gonzalvi transfixum fuit gladio : munierunt eum statim Sacramentis : invocavit magna fide gloriosum Sanctum : apparuit ei illa nocte : vulnus manu sua tetigit, ac sine ullo dolore se sensit. Venit chirurgus post horas viginti quatuor, ut eum curaret : quem dum admirabundus inveniret sanum, retulit ei rem gestam ac surrexit, venitque ad sancti Cardinalis sacellum acturus Deo gratias.

INTERPRETE J. P. sui

153 In civitate Pampelonensi dum doctor Texeros, archidiaconus cameræ ecclesiæ cathedralis, desperate laboraret febri admodum pestilente, dixerunt ei, ut se commendaret Sancto, cujus tunc erat pervigilium festi : paruit magno cum pietatis affectu, mandans ut sibi recitarent antiphonam ejus et orationem : in somnum incidit, in eoque vidit Sanctum cum galero et repagulo in ore, sicut repræsentabatur in altari conventus nostri : qui cum securum reddidit salutis suæ : commendavit ut gratus esset Deo de vita, quam ab eo accipiebat per suam intercessionem. Evigilavit, viditque Sanctum egredi e cubiculo : vocavit domesticos : eventum retulit : recte se valere dixit, sicut recte valuit, E surgens sine mora ad persolvendas Sancto grates in ejus sacello. Res admodum percrebuit, quia archidiaconus erat vir valde doctus, et magna integritate præditus.

favores

154 In civitate Tutelensi Religiosus noster chori ministerio fungens *h*, annorum ætatis octodecim, in gravi infirmitate eo pervenit, ut acceptis jam Sacramentis iudicia mortui præberet. Cantarunt Responsorium, ac obtexerunt faciem ejus. Advenit medicus, contemplatusque eum dixit : Non exspiravit, etiamsi proximus sit morti. Tunc Prælatus mandavit preces institui ad S. Raymundum, ac Sacrum cantari solenne : interea temporis collo ejus apposuit reliquias sancti Raymundi : compellavit, et tametsi magna cum debilitate ei responderet, dixit, se commendaret sancto Raymundo; ibidem adesse lipsanum ejus sacrum : fecit hoc interius, et statim melius habuit, tamque cito convaluit, ut, dum ad vesperam reverteretur medicus, sine febri illum inveniret. Erat autem e præcipuis civitatis. Peractis itaque informationibus, declaratum fuit tamquam miraculum, et, celebrata ad persolvendam F Sancto gratiarum actionem festivitate, prædicatum. Hæc sufficiunt ad imponendum finem isti capitulo : ut omnia quippe recenserentur, quæ de Sancto Cardinale constant ex authenticis probationibus, opus esset multa charta, præterquam quod sint similia reliquis, quæ jam retulimus.

ostendit, h

ANNOTATA.

a *Urbs parva Navarræ, vulgo* Estella, *ubi academia. Situs dignoscitur ex sequentibus. Pluribus describitur a Roderico Mendez Silva supra citato, quem vide a fol.* 197 *verso. Jacet ad fluvium Egam.*

b *Urbs hæc regni Navarræ caput est et abunde cognita.*

c *Urbs est episcopalis in Aragonia, Hispanice* Taraçona, *Latine* Turiaso.

d *Hispanice* el Ebro, *qui ex Asturum montibus in Castella ortus, cum partem ejusdem, tum Navarrum rigat et Aragoniam intersecat.*

e *Sicut mira sunt, quæ hic narrantur, sic ipse narrandi modus non satis est clarus in designatione locorum, in quibus duo isti magno mortis*

INTERPRETE J. P.

mortis periculo liberati dicuntur. Distinctionem locorum eorumdem ideam relinquo incolis et accolis.

f *Celeberrima est urbs Hispaniæ in Castella nova, regumque Hispaniæ sedes.*

g *Oppidum est in regno Aragoniæ, quod leucis quinque Bilbili distat, duodecim vero Cæsar-augusta, ex Baudrando.*

h *In Hisp. vocatur* corista *(al.* chorista,*) estque* is, qui cantat, sequitur et adjuvat ordinarie chorum tempore officiorum divinorum et Horarum canonicarum. Regulariter ita vocantur in Religionibus et Ordinibus sacris Religiosi, qui nondum sunt sacerdotes, destinati ad cantandos psalmos reliquasque preces, ac ad præstanda Missis officia, *ex Dictionario academico Hispanico inferius laudando.*

CAPUT X.

Patrata a Sancto mirabilia apud Ulyssiponenses.

B

Mercator liberatur

Honorabatur in templo Deiparæ Virginis vulgo de la Gloria civitatis Ulyssiponensis, ubi erat Religionis hospitium, imago gloriosi Cardinalis S. Raymundi Nonnati, sicut supra dictum fuit, multasque gratias receperunt fideles pro isto cultu. Superius commemoravimus, quæ spectant ad mulieres prægnantes; ea jam referemus, quæ conducunt ad narrandas alias necessitates. In parœcia sancti Nicolaï anno MDCXXX Gaspar Perez mercator laboravit febribus adeo acutis, ut inter remedia consumerent ejus vires : radicata fuit infirmitas plus quam mensibus sex : reliquerunt itaque eum medici : dici audierat aliquot de S. Raymundo mirabilia : rogavit itaque Patres hospitii, ut ad se deferrent reliquias ejus, quas pie venerabatur, cœpitque salutem recuperare, quam cito admodum adeptus est : peregit pias grati animi demonstrationes, interterque illas curavit in linteo pingi imaginem Sancti.

C

iterato febribus,

156 Convaluit, sed præteriti oblitus periculi, et non attendens ad consilium Christi, Joannis cap. 5 ℣. 14, « Ecce sanus factus es, jam noli » peccare, ne deterius tibi aliquid contingat » genio suo frena laxavit, juventute ac divitiis modo vivendi obsecundantibus : unde antiqua infirmitas novis roborata viribus ad eum rediit, eo deductum, ut desereretur. In hoc periculo relictus dormiebat : mater autem ejus superimposuit lecto linteum, in quo erat picta Sancti imago. Expergefactus dicebat matri, quisnam illuc intrasset. Respondit, solam se fuisse. Cui ille : Somniavi itaque : videbar enim mihi videre Religiosum de Mercede, qui manibus depellebat a me malum; et hoc, ut mihi apparet, sentiebam, et jam comperio me valere. Reposuit mater : Miraculum erit sancti Cardinalis, cujus imaginem superimposui tuo lecto. Gratias habuit, placide noctem transegit, et mane invenerunt eum sine febri.

puella tremore membrorum,

157 In eadem civitate, in parœcia S. Magdalenæ, Agnes Mendez, de qua superius meminimus, grati animi causa, quod Sancti intercessione evasisset periculosum partum, imaginem ejus in lamina pingi curavit, ac ebeno et argento exornari, asservans eam ad suum cervical : fecit celebrari multa Sacra, et distribui eleemosynas Religiosis ejus. Retribuit ei Dominus noster : etenim mense Octobri filiam ejus quinquennem invasit symptoma epilepsiæ *(in textu Hispanico* gota coral *a* vel alferecia *b vocatur)* vicibus adeo sæpe repetitis, ut inter medicos conveniret, certo morituram. Implorarunt parentes patrocinium sancti Raymundi, flexisque genibus petierunt salutem filiæ suæ, emissis aliquot votis : et statim quievit, meliusque habere cœpit; ita ut paucis post diebus ire potuerit ad altare ipsius ad persolvendas grates.

D

a b

miles febri pestilente,

158 Ulyssiponem appulit anno MDCXXVIII pars classis navalis regiæ, cui præerat D. Antonius de Oquendo, quia multi milites erant correpti morbo letali. Inter infectos fuit D. Martinus Carolus, dux terra marique, Tafallæ *c* in Navarra natus. Invaluit infirmitas, quam medici declararunt esse febrem pestilentem *, et dolorem lateris. Multis tunc morientibus ex ejus sociis in eadem platea *, pervenit ad extrema, munitus est Sacramentis, petiitque lipsanum S. Raymundi : proposuit melius vivere, ac repente recuperavit sanitatem : Sanctoque tam obstrictus mansit, ut votum fecerit deserendi mundum, et suscipiendi habitum Virginis de Mercede. Advenit mandatum ut navem conscenderet, quando tempus erat tam rigidum, ut naves reliquæ se reciperent ad hiberna in eodem portu. Verum sancti Raymundi patrocinio fretus, pingi jussit imaginem ejus, puppique imponi : mari se commisit, omnibus periculosam esse obedientiam judicantibus : at suis ille animos addidit, dicens se a S. Raymundo non fuisse liberatum morte, ut vitam sibi in aquis eriperet. Perspecta fuit Sancti protectio, quando Gades appulit incolumis *, scribens inde Ulyssiponem, ubique inveniri securitatem cum sancto Raymundo.

c

* tabardillo

* *in Hisp.* rua

E

* *in Hisp.* sin açar

ulix gravi infirmitate.

159 In parœcia Deiparæ Virginis de Mercede Antonia a Jesu, præfecta collegii Dominæ nostræ de Conceptione, quæ propter experimenta virtutum erat in veneratione, totius lateris usu erat destituta ex aëre pestilente : accessit magna febris, multæque in eam infirmitates vim exercebant; dumque remediorum violentorum non esset capax, ad mortem se præparavit, gnara utique, nihil in medicina superesse remedii. Suscepit Sacramenta. ac confessarius ejus, qui erat pater Canterus, quique Ulyssipone vixit et obiit cum opinione sanctitatis, collo ejus apposuit reliquias sancti Cardinalis : illa se obnixe commendavit ipsius intercessioni, quam obtinuit, febri desinente, nec non reliquorum malorum pressura cessante : hinc surgere potuit, et in sedili promovere gressum propter latus pessime affectum. Applicuit sacrum pignus parti, quæ erat quasi mortua, et cito admodum sanata est, incedens nullo juvante, et divulgans Dei mirabilia in Sancto suo.

F

In parœcia Conceptionis ad limina mortis deductam se vidit uxor doctoris Ludovici Quaresma, medici famosi Ulyssiponensis : remedio reliquiarum sancti Raymundi usus est maritus ejus, videns pro statu suæ uxoris nullum esse in medicina, et felicem successum expertus est, cum desierit infirmitas. Gratum animum ostendit, per civitatem Ulyssiponensem publicando miraculum.

Vir illustris desperatam valetudinem recuperat :

160 Jam memoravimus superius miraculum, quod patravit Deus, patrocinante glorioso sancto Raymundo, illustrissimæ dominæ Helenæ de Castro : et sicut magna fuit in ista familia erga

Sanctum

A Sanctum ac ipsius Ordinem pietas, sic multi fuerunt favores, quos nobilissima ista familia debere se profitebatur patrocinio ipsuis. In eodem palatio ægrotavit dominus D. Joannes de Atayde, comes de Castañera, qui Matriti valde addictus fuerat Virgini de Remediis *, et in Lusitaniam defcrens hunc pium affectum cum Religiosis, una cum sanguine illum communicavit filiis suis, ac domum suam et ecclesiam dedit pro hospitio. Crevit cum ætate ac febrium ardore cura vitæ ejus: auxit eam erysipelas, et secta sæpius vena non remedium, sed majus vitæ damnum ei attulit: agnovit periculum, et sicut nobilis Lusitanus sanctis Ecclesiæ præsidiis præmunitus est: rogavit ad se deferri ex hospitio imaginem Sancti; et vix ingressa fuit, cum cessarunt dolores, resolutus humor est, et convaluit.

* Hisp. de los Remedios

item filia alterius illustrissimi equitis semel

161 Propitius fuit Sanctus devotioni, qua eum venerabatur D. Joannes Lobo, illustrissimus eques. Erat ei filia graviter infirma: malum tam celeriter processit, ut paucis in diebus facta sit mortis imago. Illa, quæ ob formæ venustatem et immaturam ætatem poterat esse imago immorta-B litatis, movebat omnes ad commiserationem. Quam tener parentum affectus, quæ amoris significatio? Familiæ illa valde sibi obstrinxerat Sanctum per eleemosynas, quas erogabant in Religiosos Ordinis ejus. Solatium itaque nobilis istius domus obtinuit ejus intercessio. Attuleruut reliquias: S. Raymundo se tradidit, et salutem tam cito consecuta est, ut nemo esset, qui dubitaret, quin fuerit prodigium sancti Cardinalis. Voluit autem Deus probare virtutem istorum nobilium, ut experimentis radicarentur in pio erga Sanctum affectu. Etenim dum paucis post mensibus invideret malitia, puellæ hujus formositatem ad meliorem rediisse statum, oculi aliqui venenati, infelices naturæ humanæ basilisci, omnem ipsius hilaritatem repente detriverunt. Ignota fuit infirmitas, et præparata medicinæ remedia reliquerunt cæcam, in eumque adduxerunt statum, ut extrema ei daretur unctio.

et iterum, descendente mirabiliter Sancti pictura:

162 Adduxeruut Religiosi picturam S. Raymundi magnitudine ulnæ unius ac dimidiæ et amplius, quæ exstabat in oratorio hospitii: appenderunt ex adverso lecti, dumque tempore pomeridiano advenissent cum nobiles viri, tum do-C minæ, ex rumore periculi, sedebat puer infra picturam; cujus clavo soluto et delapso monitus quasi fuit, ut discederet. Pictura vero, quamquam esset satis gravis ponderis *d*, descendit per parietem tam sensim sine sensu, ut humanis manibus sustentari videretur. Quæ aderant, prodigium miratæ, emiserunt voces: accurrerunt omnes dominæ, ac miraculum conspicatæ, genibus flexis petierunt a Sancto sanitatem infirmæ: quam earum preces obtinueruut: quoniam simul atque solum attigit, melius ea valere cœpit, ad priorem statum cito reversa. Prodigiosus iste successus, quia tam mirabilibus rerum adjunctis vestitus, per dies multos in admirationem rapuit Ulyssiponenses.

d

aliud mirabile in ejusdem pictura:

163 In parœcia S. Josephi quædam domina pingi jussit imaginem Cardinalis sancti, rebus mirabilibus, quas de illo audiebat, mota: cui se commeudabat in dies singulos; affirmavitque, comperisse se multis vicibus variam in eo vultus conformationem, nunc irati, nunc placidi, alias pallidi. Quæ res curam ei injecit, ac cogitare cœpit, an interior suæ conscientiæ status causa esset hujusmodi mutationum: et experientia didicit, hanc esse: agnovitque mutam reprehensionem, defectus suos vituperantem, et lætitiam, qua afficiebatur, quando eosdem emendarat, imagine ista animæ excitatoris officium faciente.

INTERPRETE J. P.

nausea cibi sublata.

164 In parœcia, de el Oreto dicta, in platea Florum Gonsalvus Bas Coutino, eques ordinis Christi, ætatis octoginta annorum, gravi infirmitate laboravit. Malum magis periculosum reddidit ætas. Maximum vero vitæ discrimen nascebatur ex nausea tali, ut exclamaret, dum videret sibi præparari cibum, violentia, qua gingivæ separabantur, quando aliquid alimenti ingerebatur, os ejus cruciante. Talem in malo sensit repugnantiam, ut rogaret suos obortis lacrymis, ne, quandoquidem moriebatur, hoc tormento mortem sibi inferrent. Dum vero confessariorum suorum obedientia urgeretur, respondit, non posse se amplius, quia naturæ fatiscenti deerant vires. Igitur adeo factus est debilis, ut, mitigata febri, non esset aptus ad remedia: et sic tractarunt de rebus ejus disponendis tamquam hominis, cujus mors non poterat tardare. Allatæ sunt reliquiæ S. Raymundi; injectaque in vasculum aqua: pie hanc bibit, sensitque ea refocillari se interius: aliam petiit sacri pignoris: E oblata est, si comederet; dixitque, ut cibum afferrent; comedit: ita ut Deo egerint gratias, de ipsius miraculosa sanatione minime dubitantes. Dormivit, sacro pignore ad collum appenso, et expergefactus est sine febri. Agnovit, dum viveret, favorem sancti Cardinalis, eoque usus est ad curandas suas facultates. Jam a diebus multis injuste impedierant, quo minus reciperet magnam summam ex tritico: rogavit Sanctum Cardinalem, et statim liberum ejusdem usum consecutus est.

ANNOTATA.

a *Quid sit* gota coral, *explicat Dictionarium linguæ Castellanæ, compositum ab academia regia Hispanica, Philippo V Hispaniarum regi dicatum, tom. 4, qui editus est anno* 1734, *pag.* 64, *ubi sunt ista, quæ ex Hispanico sic interpretor Latine:* GOTA CORAL. Infirmitas, quæ consistit in convulsione totius corporis, et in collectione vel attractione nervorum, cum læsione intellectus ac sensuum, quæ facit, ut infirmus cadat repente. Oritur ex abundantia humorum flegmaticorum corruptorum, qui implent subito ventricu- F los anteriores cerebri, et dum id se contrahit ad illos expellendos, attrahit ad se nervos et musculos, infirmo sine motu remanente et quasi mortuo. Vocatur etiam epilepsia, Lat. EPILEPSIA, MORBUS COMITIALIS. *Deinde adduntur ista aliunde:* Galenus docet, quod GOTA CORAL sit stupor * totius corporis, non perpetuus sicut alii, sed interpolatus, qui temporibus quibusdam corripit *infirmum.*

* Hisp. pasmo

b ALFERECIA, *sicut memorat dictum modo Dictionarium Hispanicum tomo* I, *qui anno* 1726 *excusus prænotatur*, prima species est infirmitatum convulsivarum, quæ consistit in læsione ac perturbatione actionum animalium in toto corpore, vel in aliqua partium ejus, cum variis symptomatibus: qualia sunt compressio ac stridor dentium, ejectio agitatarum spumarum per os, et ordinarie cum contractione pollicis. Lat. EPILEPTICUS MORBUS, EPILEPSIA.

c *Sita est prope Olitum oppidum ad fluvium* Cicados, *et sex vel septem circiter milliaribus Hispanicis Pampelona distat, secundum mappæ Aragoniæ, quam ante me habeo, designationem,* sex

INTERPRETE J. P. *sex vero leucis secundum Baudrandum. Agit de hoc loco Rodericus Mendez Silva fol.* 199. *Dictionarium Morerii auctum tomo* 8, *qui anno* 1740 *in lucem editus notatur, refert ibidem esse academiam ; locumque hunc titulo civitatis honoratum anno* 1630 *a Philippo IV rege, vocarique ab Hispanis Florem Navarræ, quia regni istius juventus eo se confert, ut studiis vacet.*

d *Hisp.* de pesados marcos, *quod verti* satis gravis ponderis. *Si auctor respexerit ad gravitatem limbi imaginem illam ambientis ; observet lector, quod* marco *significet oram vel marginem imaginis vel tabulæ, quæ picturam circumdant et exornant, solentque esse sculpta, lævia, auro obducta vel nigra : de qua re scribit Dictionarium academicum Hispanicum, quod modo allegabam. Sin vero etiam ad gravitatem picturæ ; observari potest, vocem* marco *etiam inter alia designare pondus mediæ libræ, usumque habere in auro et argento. At quid vetat, quo minus liceat suspicari, gravitatem hujus picturæ desumi posse tam ex limbo quam ex plano ejusdem, quæ simul juncta plurium selibrarum pondus habuerint, voce* mediæ libræ *seu* selibræ *huc fortasse per metaphoram a propria significatione translata.* B

CAPUT XI.

Sublata desperatio ; puer resuscitatus; tres alii pueri a flammis intacti ; publica pestis sedata; puer sub carro illæsus; furtum impeditum ac divinitus punitum.

Mulier liberatur desperatione : a

Referam *a* casum, qui accidit in Catalonia Victoriæ Bas, quæ post diuturnam infirmitatem, in cujus medelam consumpserat facultates et valetudinem, tristibus quibusdam imaginationibus erat agitata, aliquoties sibi persuadens damnatam se esse, alias, malorum suorum levamen fore desperationem ; non curatum se iri aliter quam morte : abhorrebat ab omnibus, qui ex amoris significatione et ex officio opem ferebant, mortem eis optans tamquam inimicis suis. C Advenit medecina, etiamsi tarde, ad illam ab errore revocandam, dum diceretur, nullum malo ipsius inveniri remedium : quæ res majorem ei desperationem attulit. Accessit Ordinis Religiosus, narratisque ei mirabilibus sancti Raymundi, imaginem ipsi dedit ejusdem Sancti, et injunxit ut in Sancti patrocinio fiduciam poneret, eique admodum impense se commendaret. Fecit id ex toto corde, bonusque eventus innotuit, quoniam, fugato *b* inimico, admodum cito recuperavit sanitatem. b

infans ad vitam revocatus :

166 Cap. 30 libri primi Centuriæ suæ scribit dominus episcopus Rossensis citatus : Maria de Motones vidua, habitans Burgis, me percunctata est quadam vice, an audivissem diebus istis mortuum aliquem a S. Raymundo resuscitatum fuisse, quem illa semisopita resuscitatum ab illo viderat. Etiamsi autem respondérem, me nihil horum scire ; vidisse se aiebat hæc in sua familia : nam Maria de Valencia filia ejus, cui Sanctus, ut dixi supra, succurrerat in sterilitate, amisit filium vita functum e variolis *c*, patri cognominem Hermanum de Udobro : cooperuerunt eum in cunis, et posuerunt post lectum, ut postridie mane pararent ad sepulturam. In ista domo pictura Sancti, de qua post faciemus mentionem, habita fuerat magna in veneratione : mater illius memor cœpit flere, sicut Martha Joannis XI, Sancto dicens, quæ Martha Christo : puerum mortuum tradidit in manus sui pii patris S. Raymundi : supplices inter preces lacrymasque transegit mediam noctem, quando vidit intrare per cubiculum sanctum Cardinalem eadem forma, qua in linteo habebat depictum, lectumque circumeuntem pervenire ad cunas, totumque pueri discooperti corpus attrectare manu ; nec vitæ dumtaxat cum restituit, sed etiam a variolis mundatum reliquit. Advocavit mater domesticos, omnesque Deo et sancto Cardinali gratias egerunt. D

167 Sequentem eventum episcopus citatus refert fol. 233, pondus ei addens, quod meretur prodigium adeo mirabile. Illud sibi memorasse affirmat, tamquam testem oculatum, admodum reverendum patrem magistrum fratrem Dominicum Perez, Aragoniæ provincialem, et vicarium quondam generalem Ordinis, nec non patrem magistrum Cavero, Commendatorem emeritum Cæsaraugustæ : qui, dum luce Sancto sacra irent ad venerandas ejus reliquias, inter multos, qui illuc accurrebant, fuit quædam rustica cum tribus pueris, quorum natu major erat annorum sex, habitu Ordinis vestitis, ducens eos offerendos Sancto cum eleemosyna tritici, quam promiserat pro sequente miraculo. Minata tribus pueris fuerat ista mulier, virgis a se castigandos propter aliquod delictum, quod commiserant : qua re perterriti absconderunt se in furnum, qui domi erat. In eo dormierunt, ejusdem latus occupantes. Mater cubitum concessisse credens, massam *d* composuit, furno ignem injecit, accensum clausit, et ad formandos panes se contulit : deinde stipite versorii *e* impegit ictum uni, et clamavit expergefactus verbere, matremque, quæ agnoscebat illum, ita reliquit affectam, ut cogitari potius possit, quam verbis exprimi, quo esset animo, dum illos inter fumum ac cineres versari conspiceret. *tres pueri in furno accenso* E d e

168 Mentis itaque inops, nihil habuit potius, quam ut clamando invocaret sospitatorem suum sanctum Raymundum : atque ad compellationem filiorum, reliquasque teneritudinis significationes, quoniam non sperabat illos videre, suus eam vocabat dolor. Responderunt ei, petentes ne virgis exciperentur : addixit ; et egressi sunt tamquam tres pueri Babylonii, a flammis illæsi in vestibus et capillis. Dixit mater : Quomodo, filii, inter tantum ignem non estis combusti? Responderunt duo, id nescire se, qui occupati fuerant dormiendo ; et alter dixit : Quia accessit S. Raymundus, et se ante nos posuit, suoque pallio nos texit, flammasque ac fumum manu removit, donec illa aperuisset furnum : et hic fuit conquestus, quod verberatus fuerit palo, quo expurgabat furnum. Publicatum fuit prodigium ; duxitque eos vestimento Ordinis indutos ad persolvendas Deo et Sancto gratias festo ejus die, qui anno MDCII paucos intra menses illuxit. Miraculum illud anno MDCII declararunt in capitulo generali Vallisoletano Provincialis Aragoniæ memoratus, et Pater Commendator Cæsaraugustanus, quia tam erat singulare *f*. F *a flammis illæsi :* f

169 Jam vidimus supra, quam prodigiosum se

A *pestis Gadibus sæviens,* se ostenderit Deus istis annis elapsis in contagio universali crudelis pestis, quam sustinuit magna civitas Tolosana in Gallia, per merita gloriosi Cardinalis sancti Raymundi Nonnati. Nec minus propitium videbimus eum aliquot post annis in divite civitate Gaditana, nationum emporio, ac illustrissimo Andalusiæ nostræ portu. Quamquam per mensem Augustum anni MDCXLVIII lues contagiosa sentiri cœpit, nihilominus adeo temperate se manifestavit, ut multam curam non requireret: donec sub finem ejusdem anni, vel sequentis principium, intravit pestis civitatem, sæviitque adeo, ut quinque vel sex mensium spatio ultra duodecim hominum millia, humana diligentia nihil remedii afferente, sint exstincta. Publicæ preces fuerunt indictæ, ac nostri Religiosi conventus istius, qui titulum habet Immaculatæ Conceptionis, petierunt a capitulo sanctæ ecclesiæ, ut instituerentur aliæ ad nostrum magnum Cardinalem sanctum Raymundum Nonnatum.

invocato 170 Magnæ occurrerunt difficultates inter canonicos, quoniam timebant, ne concursus magis accenderet contagium, unusque ex illis gravi ratiocinio suasit, ut confiderent de misericordia Dei Sanctique patrocinio, et, quandoquidem dæmon conabatur impedire, ne fieret pium illud obsequium, constare sibi indicabat, civitatem sanatum iri meritus ejus. Indictæ itaque fuere preces in diem Mercurii XXVI Maii anni istius MDCXLIX, et canonici cum ordinibus religiosis, ac civitate in forma *g*, ut vocant, ingressi sunt ecclesiam a meridie, factaque commemoratione de glorioso Sancto, exiit ad videndam *h* afflictam civitatem, populo firmam concipiente fiduciam suæ salutis, quod solis instar S. Raymundus exterminaturus esset nebulas contagiosas: et memorat relatio, quam vidi scriptam jussu R. P. F. a Præsentatione, chronographi generalis nostræ religiosissimæ familiæ patrum excalceatorum, populos, qui confluxerant, observasse, quod ante Sanctum aër fieret clarior ac purior, quadam quasi nubecula, quæ eumdem obscurabat, exterminata; quodque eo in forum deducto, fuerit omnino lætus ac clarus. Circuivit per plateas magno civitatis gaudio, ac ære Campano resonante, introïvit ecclesiam cathedralem, publicam fiduciam confirmans patente miraculo.

per publicas preces 171 Solennes inchoatæ sunt Vesperæ, et ad prima earumdem verba, vulneratum se sensit letali et venenata glandula ardentique febri canonicus Badillo. Observandum vero est, quod hujusmodi symptomatibus affecti morerentur sine remedio intra paucas horas. Hisce se angustiis correptum videns, choro exiit, columnæque innixus petiit a Sancto desideratam salutem; utque liceret sibi audire Vesperas ejus. Optata consecutus est ante egressum ex ecclesia: fuitque res mirabilis, et ab omnibus observata, quod die præcedente, quo decretæ fuerant publicæ preces, decem dumtaxat obierint infirmi, et sanctissimum Sacramentum ad quinque vel sex delatum fuerit, cum malum eo fuisset deductum, ut toto tempore antecedente morerentur quotidie ad centenos. Magis autem perspicue patuit, quanti apud Deum valeat Sancti intercessio; cum die sequente, quo cathedralis ecclesia et civitas interfuerunt Sacro sollenni, quod in ipsius honorem cantatum est, nullus obierit infirmus nec sanctissimum Sacramentum prodierit e suo sacrario ad illos visitandos, crescente mali sanatione, donec declararetur publica salus.

172 Quo tempore magis sæviebant contagia, multi e nostris Religiosis vitam suam Deo consecrarunt in obsequium charitatis, ac venerabilis P. Fr. Dominicus de los Santos, præses emeritus istius provinciæ, servivit in hospitali, maloque infectus venit ad suum conventum ut sanaretur, et simul atque convaluit, novo cum fervore ad idem hospitale se contulit, rediitque mortali pestis vulnere tactus ad conventum suum, in quo per dies octo fuit sensibus defectus, quo tempore Religiosi, ac pii filii ejus spirituales magna vi precum videntur conservasse vitam ejus. Denique communitate Sacrum cantante de S. Raymundo pro ipsius salute ac vita, ad se rediit cum vigore notabili, et intra dies paucos unam atque aliam obtinuit per miraculum. *INTERPRETE J. P. Sancto,*

173 Relatio memorat, tres alias personas, oblata eleemosyna ut cantaretur Sacrum de Sancto a communitate, convaluisse per miraculum; aliasque duas singillatim per ejus reliquias; multasque alias per invocationem. Omnia hæc videntur contigisse, quando lues contagiosa grassabatur vehementer, et quando erat ratio instituendi preces. Concludens librum hunc prouuntio, gloriosum patrem S. Raymundum esse universalem protectorem omnium, qui pie eum invocant; etiamsi secundum experientiam et communem famam Deus se ostendat magis mirabilem, ipso patrocinante, in rigidis pressuris mulierum prægnantium, quando versantur in periculosa conflictatione emittendi fœtum. Scribo ex desiderio ut incrementum capiat pietas erga Sospitatorem adeo universalem, tamque securum Mediatorem, ad gloriam Dei, laudem Sancti ejus, et utilitatem nostram, quæcumque hic scripsi subjiciens censuræ sanctæ Ecclesiæ, repetens protestationem quam præmisi initio libri: cui dum finem imponerem, advenit authentica notitia sequens. *sedatur: epilogus scriptoris, qui jam dictis* E

174 Quando anno præterito MDCLXXV nostri sancti Cardinalis festum celebrabatur in nostro conventu Romano, et in ecclesia sancti Eustachii, cujus tituli Cardinalis fuit, nostri excalceati patres hospitii S. Joannini Hispanorum, multas Sancti imagines distribuerunt, e quibus unam mulier dedit filio suo, ætatis quinque annorum puero, dicens ut oraret illum Sanctum, eique se commendaret, admodum miraculis claro. Paruit, et imaginem sanctam imposuit pectori suo, ejusque favorem obtinuit sequenti die. Dum enim una cum aliis pueris luderet in platea, transivit carrus arena onustus; pueris autem aliis fugientibus lapsus hic fuit, et currus illum ita apprehendit, ut rota supra ejus pectus transierit. Clamavit omnis populus: ad voces exiit mater, accurrensque cum lacrymis ut videret filium mortuum, invenit incolumem ac hilarem inter frequentem populum, qui confluxerat: et conspiciebantur clavorum signa in ejus veste. Sciscitanti, quisnam eum liberasset, respondit: Sanctus, quem mihi dedisti, et gestabam supra pectus: quia dum currus transiret supra me, petii ut me liberaret: inspectoque pectore invenerunt ibi imaginem S. Raymundi, ac puerum omnino illæsum: pro qua re gratias Deo et S. Raymundo egerunt. *superaddit puerum a carro non obtritum,* F

175 In capitulo provinciali Aragoniæ Ordinis nostri, die XXV mensis Aprilis elapsi hujus anni MDCLXXVI testificatus est pater præsentatus Fr. Mathias Coselete, commendator conventus S. Raymundi, quod exeunte mense Martio jam præterito, dum allatæ essent multæ arbores ad fabricam ecclesiæ Sancti, quæ construitur, inter illas *nec non furtum arboris*

INTERPRETE J. P.

illas adducta sit una admodum magna et recta: quam dum vidissent juvenes loci vicini, apparuit illis apta ut poneretur tamquam arbor Maialis *i* in suo loco ad diem Resurrectionis dominicæ, quo illam plantabant. Quinque igitur e fortioribus junctis viribus iverunt ad ædem S. Raymundi, et, onere se gravantes, arborem ei abstulerunt. Sed exeuntes e finibus, arborem senserunt tanti esse ponderis, ut nec movere se, nec tenere illam potuerint, atque adeo reliquerint: cum enim sæpius tentassent sublevare, apparuit quasi plumbea propter maximam gravitatem: unde deseruerunt eam.

miro modo recuperatæ, punitis furibus.

176 Mane minus promota fuit fabrica, furtumque fuit observatum, quia arbor erat omnium optima; venitque vir, qui dixit, eam esse in ista via, ac retulit rem mirabilem, quæ acciderat. Dictus pater Commendator misit duos homines, ut illam referrent; retuleruntque eam non aliter quam si fuisset straminea. Celebratum est cum lætitia prodigium: sed Deus, qui vitium ingratorum adversus Sanctos tam bene meritos non patitur, fures punivit: nam sclopus brevior, B quem exonerabat inter gaudia festiva, disruptus, partem manus præcipuo abstulit, aliaque infortunia diebus istis evenerunt sociis. Unde crevit Sancti veneratio. Faxit Deus, ut in servis suis aliquando per gaudia suorum favorum, alias vero per timorem castigationum capiat incrementum! Opus hoc concludimus eadem protestatione, qua illud inchoavimus *k*.

ANNOTATA.

a *Præmittit hisce Colombus nonnulla de diabolo, occasione melancholiæ in hominibus movente imaginationem, ac formando imagines, infundendoque species, nonnullas personas deducente ad statum desperationis. Addit, malo frustra præscribi a medicis remedia, quod utique divina ope curandum sit, uti probat exemplo hujus mulieris, quæ, patrocinante* S. Raymuudo Nonnato, *medelam accepit.*

b *In Hispan. est* auyẽtado, *sed lege* ahuyentado.

C c *Morbus hic satis est notus, contagiosus utique, corpus implens pustulis seu ulceribus, et cicatrices vel cavitates in eodem relinquens.*

d Massa *in textu Hispanico est, quam et Latine lego. Illa autem voce significatur hic farina macerata et aqua subacta.*

e *Hisp.* de la barrendera, *id est* versorii *seu instrumenti, quo expurgatur furnus a cineribus antequam panes coquendi in eumdem immittantur.* D

f *Miræ facti hujus circumstantiæ suspendere fortasse poterunt assensum prudentis lectoris. Nos illud relinquimus fidei referentium, uti et plures alios mirabiles favores, qui apud Colombum memorantur. Hoc semel indicasse sufficiat.*

g *Hisp.* en forma, *id est modo solenni, urbis magistratu, ac optimatibus simul cum circumfusa civium multitudine comitantibus, cum et publica fuerit supplicatio, et indicta pro gravissima causa.*

h *Hisp.* Salio a dar vista a la ciudad affligida. *Metaphorica est locutio, quam sic explico:* Sanctus exiit, *id est, statua ejus vel reliquiæ extra ecclesiam sunt delatæ, ut quasi præsens afflictam civitatem videns, ejusdemque misertus, grassantem luem pestiferam ex ea depelleret.*

i *Hisp.* Mayo. *Sic* vocatur arbor procera, vittis, fructibus, aliisque rebus exornata, quæ ponitur in loco publico alicujus civitatis *etc.*, quo per totum mensem Maium concurrunt juvenes ac puellæ, ut sint hilares ac se recreent choreis aliisque lætitiæ significationibus, *ex Dictionario academico Hispano.* Arbor Maialis *apud Belgas in usu etiam est; nec ignota est in Gallia (vide Dictionarium Gallico-Latinum Trevoltii editum tom. 2) et in Italia.* E

k *Superius cap. 8 inter numerum* 133 *et* 134 *adde ex Colombo factum hoc, ibidem omissum:* Eadem (*Elisabeth Sabella*) declaravit, quod sua nurus Benedicta * Sabella, jam defuncta, parvulo filio suo impegerit ictum, e quo lapsus est humi, quodque irata exceperit eum magis, ut surgeret. Sed parvulus omnia præ se ferebat mortui indicia. Quod cum videret mater, in altas erupit voces, dicens: Virgo Maria, filius meus mortuus est! Audivit eam declarans, quæ erat superius, et gradum saltu pertransiens descendit summa cum festinatione, parvulumque conspicata dixit: Sancte Raymunde Nonnate adjuva nos: et statim puer surrexit acsi nihil actum fuisset. *Ad hæc Remondus supra citatus narrat a fol.* 121 *incendium miro modo exstinctum. Textus ejus Hispanicus sic sonat Latine:* VI Augusti anni MDCVIII tantus ignis in ædibus aliquot civitatis Vicensis compertus est, ut exstingui non posse videretur: F dumque D. Raphaël Grall curasset reliquias S. Raymundi afferandas e sua domo, easque præsentes haberet, facile admodum ignis est exstinctus: quæ res ab omnibus tamquam gloriosi hujus Sancti miraculum est habita.

* *in Hisp.* Beneta



DE

DE S. DOMINICO VALLIO PUERO

AC MARTYRE A JUDÆIS OCCISO

CÆSARAUGUSTÆ IN ARAGONIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS J. P.

§ I. Sancti nomen; varia de ejusdem cultu documenta.

An. MCCL. S. Dominici vel Dominiculi martyrium.

B *Variis locis ac temporibus in ætatem innocentem a perfidis Judæis ex immortali adversus verum Messiam odio sævitum esse, memorant historiæ. Plures hujusmodi victimas, tragica et plus quam ferina barbarie ab illis trucidatas, nominavi tomo* III *Julii, die* XII *ejusdem mensis, pag.* 462, *occasione B. Andreæ pueri similem crudelitatem experti. Hisce annumerandus venit hac die* S. Dominicus, *seu* Dominiculus *nomine diminutivo, Hispanice* Dominguito, *quo etiam nuncupatur. Nomen* Vallius *(Hispanice* de Val*) traxit a parentibus. Palæstra vero martyrii est* Cæsaraugusta, *vulgo* Zaragoça, *(cujus ecclesia celeberrima deinde facta metropolis e cathedrali) in regno Aragoniæ, et ejusdem caput. De parentibus ejus ac ætate scribunt Acta : de officio autem, quo in ecclesia cathedrali Cæsaraugustana functus fuerit, alii. Coli cœpit et miraculis condecorari primo post mortem tempore, sicut ex eisdem Actis habemus. At plura supersunt memoranda de plublica ipsius veneratione, ejusdemque incremento ex Dissertatione de martyrio* sancti Dominici *nostri, anno* 1698 *Cæsaraugustæ edita Hispanice a R. A. D. Jacobo Josepho Dormer, archidiacono majore sancti Salvatoris in eadem ecclesia metropolitana.*

antiphona et oratio de illo propria, confraternitas

2 *Pagina* 8 *hæc ab eo datur* ANTIPHONA : Fœlix Redemptoris martyr, Dominice, cujus celebris habetur poli decor, consors Innocentium, et martyrum, gemma rutilans, valor Hispanorum, Salvatorem nostrum Dominum Christum, cujus habes jam insignia, clemens ora pro nobis, ut in cælis tecum sine meta jocundemur. ℣. Ora pro nobis, beate Dominice. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi, ORATIO. Deus, qui beato Dominico, martyri innocenti, vitæ perpetuæ præmium contulisti, concede, quæsumus, ut ejus meritis et precibus fulti, æterna beatitudine perfrui mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit *etc. De confraternitate in honorem* S. Dominici Vallii *instituta tractat Dormerus pag.* 17 *et sequentibus, multa documenta Hispanica congerens, quæ Latine interpretabor.*

antiqua,

3 *De ejusdem confraternitatis initio scribens affirmat constare, illam fuisse institutam, quando Sancti martyrium vix acciderat, ex traditione, quia in archivo ejus asservari asserit Acta, quæ tunc conscripta sunt, et ex ordinationibus ad finem eorumdem positis prout observasse dicit Andresium in Historia Martyris nostri, et Blascum in Vita et miraculis sancti magistri Epilæ* * *quos citat : et ex Blasco refert ista :* In donationibus, legatis, tributationibus, *ut vocat*, ac multis aliis scripturis, quas confraternitas istius Sancti servat (quarum ego vidi novemdecim) in omnibus benedictus iste martyr nominatur absolute SANCTUS DOMINICUS DE VAL, bis vel ter in qualibet, atque ex illis sunt, quæ habent annos ducentos vel trecentos, et centum ac quinquaginta. E *Dicitur, ut subjungit Dormerus, in Prologo primarum istius confraternitatis ordinationum, quæ, inquit, ponuntur ad finem Actorum :* In nomine sanctissimæ Trinitatis etc., et ad servitium gloriosæ sanctæ Mariæ Matris Dei, et specialiter ad honorem sancti Dominici de Val, ecclesiæ sancti Salvatoris, in cujus nomine exstat tam laudabilis confraternitas, et stabilita est ac ordinata. *In ordinatione, titulo* De die, quo debent comedere, *sunt hæc :* Et post comestionem omnes ordinate veniamus ad ecclesiam beati Domini sancti Salvatoris ad agendas Deo et sancto Dominico de Val gratias pro acceptis beneficiis. *In ordinatione, titulo* De die sancti Dominici ad Missam, " Stabilimus et mandamus, ut quilibet " confrater, qui fuerit sanus in civitate, et non in" terfuerit Missæ alio die, quo comeditur, et capi" tulo * solvat pro mulcta duodecim denarios; et, si " veniat, postquam dictum erit Euangelium, solvat " tres denarios ".

* al. B. Petri de Arbues M.

* Hisp. capitol hic et infra

ac deinde renovata ; ex ordinationibus F

4 *Constat etiam, teste Dormero, confraternitatem hanc renovatam ac restauratam fuisse anno* 1403 *per scripturam diei* XXVII *Decembris ante Dominicum Martinum Aguilon, notarium ex numero Cæsaraugustæ, e qua produco hæc :* Sciant omnes, quod vocatum capitulum confratrum confraternitatis sancti Dominici de Val ecclesiæ sancti Salvatoris civitatis Cæsaraugustanæ etc.... Ac ut fundus pecuniarius dictæ confraternitatis augeatur, et.... pertinet ad servitium domini sancti Dominici, et fraternitas dictæ confraternitatis sit conservata ac prospera etc. *Hæc dedi e fragmento mutilo apud Dormerum, ut non sit mirum hiare sensum. Post hæc citat alia instrumenta, unum quidem anni* 1403; *alterum diei* XII *Martii* 1426; *tertium* XVI *Martii anni prædicti* 1426; *quartum diei* XII *Decembris* 1468. *Quid sit* notarius ex numero, *vide in hoc tomo inter Annotata ad Miracula S. Raymundi Nonnati pag.* 756. *Apud Dormerum pag.* 31 *scribitur esse traditio, quod Jacobus Aragonum rex confraternitati isti adscriptus fuerit, dederitque pannum texturæ pretiosæ * antiquæ ad sepeliendos confratres vita functos, illumque asservari a confraternitate. De Jacobo I* expugnatore *Blancas infra citandus scribit pag.* 651, *mortemque ejus innectit anno* 1276. *Dictus Dormerus pag.* 20 *indicat de isto panno agi in secundis ordina-*

* Hisp. de brocado

AUCTORE J. P.

tionibus anni 1403; *apud quem scriptorem pag.* 30 *etiam lego, constare confraternitatem e secularibus, agricolis, ac etiam ecclesiasticis, præbendariis dictæ ecclesiæ.*

ejusdem

5 *Nec minus ostendunt amplificatum Sancti cultum aliæ ordinationes apud Dormerum pag.* 21 *et* 22, *quæ rem declarant in hanc sententiam :* Die IV mensis Decembris anni millesimi quingentesimi tertii, postquam venisset, et expeditum esset capitulum confraternitatis gloriosi sancti Dominici de Val martyris in confraternitate S. Magdalenæ civitatis Cæsaraugustanæ, a toto dicto capitulo concorditer fuit deliberatum, ut ad Dei Domini nostri, ac benedictæ ejus Matris, dictique sancti Dominici servitium, et suffragium animarum confratrum defunctorum, et vitæ augmentum vivorum, celebrentur in altari dicti gloriosi Sancti Missæ duodecim quotannis in perpetuum per confratres clericos, qui sunt, eruntque imposterum, die primo Lunæ cujusque mensis etc.

variis

6 *Sequens etiam documentum promovet venerationem erga Sanctum in confratribus. Audiatur :* Die Lunæ prima Septembris anno DXXII * ordinatum fuit in capitulo generali, ut quilibet confrater, qui non iverit ad Vesperas, et ad Vesperam * sancti Dominici de Val, solvat pro mulcta sex denarios, si justam non dederit excusationem. *Et subdit Dormerus hanc notitiam de promovendo publico et externo Sancti cultu :* Die Martis prima Septembris anni millesimi quingentesimi decimi octavi fuit concordatum in capitulo generali, ut quilibet frater dictæ confraternitatis, qui laboraverit die sancti Dominici de Val, subeat mulctam decem denariorum sine ullo remedio, sitque ista mulcta pro communitate dictæ confraternitatis. *Laudatus auctor pag.* 22 *et sequentibus plura alia profert testimonia, quibus publica* S. Dominici *veneratio confirmatur et illustratur, et quæ asservari dicit in ecclesia Metropolitana Cæsaraugustana.*

* *l.* MDXXII

B

* *in Hisp. est* a la viespra

aliisque documentis stabilitur

7 In libro, *ait*, antiquo, cui titulus „ De „ subprioratu sedis metropolitanæ Cæsaraugustanæ „ *quem scribit esse dispositum ad ejusdem directionem, servarique in archivo ipsius, hoc titulo :* Admonitio tam in ratione numeri capparum, reliquiarum, et aliis cæremoniis, quibus ista sancta ecclesia utitur in solemnitate festorum sequentium; *in hoc ait libro fol.* 347 *esse ista :* XXXI Augusti sanctus Dominiculus *; affertur ad ejus sacellum pars capitis ipsius, quæ ornata est argento, et sex pelves *. *Dum vero ibidem tractatur de sacellis sanctæ ecclesiæ, titulo* De ea quæ est sancti Vincentii, *dici hæc affirmat idem Dormerus :* In sancti Vincentii sunt duæ lampades. Unam, quæ est prima circa portam sacristiæ novæ sacelli ejusdem, alit Prior ecclesiæ cathedralis noctu dumtaxat. Altera ab alia parte est confraternitatis Sancti, et illam alunt confratres, ac ardet quando eis placet, eamque præparant. *Observat Dormerus, lampadem hanc a confratribus* S. Dominici de Val *positam fuisse in sacello S. Vincentii, quia in eo honorabantur ejus reliquiæ, donec sunt translatæ ad sacristiam majorem anno* 1496; *idque constare e scriptura, quæ facta est ante Alfonsum Martinez Alfozea, notarium ex numero Cæsaraugustæ, die* XXVI *Septembris, et quæ allegatur in hunc sensum :* Eodem die, instante reverendo magistro Antonio Barberan, canonico et Priore ecclesiæ cathedralis Cæsaraugustanæ, fuit facta charta publica, quomodo inventum fuerit vas lapideum in pariete dictæ ecclesiæ, qui destruebatur, dum dicta ecclesiæ aliquid juberet ædificari * in sacello, * quod erat sancti Vincentii.

C

* *in Hisp.* Dominguito

* *Hisp.* seis fuentes

D

* *Hispan.* obrando

continuatio

8 Quod vas erat parvum, in eoque inveniebantur, dum aperiretur, quædam ossa personæ mortuæ, parum involuta in gossipio * pannisque sericis antiquis ac laceratis : quæ ossa latebant eos, et erant beati Dominiculi de Val, quondam infantis dictæ cathedralis, qui martyrio affectus fuit præterito tempore a Judæis dictæ civitatis in opprobrium passionis nostri Redemptoris et Salvatoris Jesu Christi etc. Testes mossen Martinus Capiella presbyter et sacrista dictæ ecclesiæ cathedralis, et magister Michaël Gombau, magister operum, habitans Cæsaraugustæ. *Plura alia, quæ de sancto Puero diligenter collegit memoratus Dormerus, delibo, omissis bene multis, quæ apud ipsum legi possunt. Dicam igitur ex illo nonnulla de festo ejus.*

* *vel* in telis subtilibus. *Hisp.* en cendales

publici

9 *Doctor Paschalis Mandura, canonicus ecclesiæ Metropolitanæ, et rector perpetuus hospitalis regii ac generalis Cæsaraugustani, in libro, cui titulum indidit*, Ordo festivitatum *etc., et qui servatur in archivo sanctæ ecclesiæ, titulo* De sancto Dominiculo XXXI Augusti, *ad posteros transmisit sequentia :* Istud festum peragunt infantes, quia fuit infans Sanctus iste, ac martyr obiit... Exitur in Vesperis ejus ad commemorationem in sacellum, quod vocatur sancti Spiritus, alio nomine sacellum sancti Dominiculi, et dicunt ibi de communi plurimorum Martyrum.. Ista die introïtur ad Primam hora septima et media, atque ad Vesperas hora tertia, et non habetur anniversarium, quia dilatum est *. *His adde sequentia apud Dormerum pag.* 26 *ex libro, qui inscribitur :* Gesta capituli admodum illustrium virorum, Prioris sive præsidis, et canonicorum sanctæ metropolitanæ ecclesiæ Cæsaraugustanæ, ab anno MDXCIV usque ad annum MDCXI, *ubi sub die* prima Septembris *asserit scribi ista :* Festum sancti Dominiculi celebretur sicut huc usque, et sumptus, qui se obtulerint, solvat ecclesia expensis communitatis : ac infantes exornent sacellum, et assistat scholaris vel epistolaris ad sacrum lipsanum venerationi offerendum, colligendamque oblationem, eamque dividat dominus præses inter infantes, ac primo solvatur scholari, qui ejusdem curam habuerit, quod domino præsidi visum fuerit. Similiter determinatum est, ut isto die non dicatur anniversarium, ac differatur.

E

*se puso ultra.

F

cultus

10 *In libro* de la Consueta, *ut vocant, sanctæ ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ, teste Dormero, non pauca sunt ad præsentem materiam spectantia : nam inter alia, postquam egisset de musica, qua canitur* Magnificat *die* XXX *Augusti, ac de commemoratione in sacello istius sancti Martyris cantando hymnum* de pluribus Martyribus, *adduntur ista, quæ reddo in hunc sensum :* Presbyter, et gestantes cappam, accipiunt cappas rubras, ut exeant ad dictam commemorationem : in choro duo præcipui * ex infantibus porrigunt e pelvibus argenteis ramos floridos domino canonico hebdomadario, et duobus rationariis cappa indutis et per quemlibet chorum dominis capitularibus, ac rationariis, nec non beneficium habentibus, eosque porrigunt tempore *(quo canitur)* Magnificat, et in commemoratione duo ex præcipuis * agricolis confraternitatis Sancti, quæ antiquissima est in sancta ecclesia, e pelvibus porrigunt mala Persica dominis capitularibus, ac rationariis, nec non

* *in Hisp.* mayordomos

* *in Hisp.* mayordomos

A non beneficiatis. Caput, et sacrum pignus sancti martyris Dominici de Val ad venerationem porrigit scholaris, superpellicco et stola indutus, illudque defert, infantibus comitantibus, ac duobus facem ferentibus, ad palatium archiepiscopale, ut illud veneretur D. archiepiscopus: eisque dat in eleemosynam quinquaginta Regales*; Capitulum etiam dat in eleemosynam infantibus Regales centum ex administratione communitatis, et D. canonicus doctor Claudius Matthæus Sorbes eisdem reliquit alios Regales centum, et argenteam lampadem, quæ ardet in sacello Sancti ante reliquias ejus: *et additur in dicto libro:* Salve in sacello Sancti cum musica.

* Hisp. reales

11 *In eodem etiam libro ad* xxxi *Augusti dicitur dies iste quasi esse de præcepto colendus * in illa sancta ecclesia, nec esse anniversarium, nec responsoria, nec capitulum anno illo, quo incidit in diem Veneris: confratres candelis albis instructos interesse Sacro ad Euangelium, et ad elevationem Corporis Christi usque ad communionem: cantari ab infantibus duo cantica, alterum post Epistolam, alterum post elevationem in laudem Sancti:* B *item communicare Corpori Domini infantes omnes, diacono et subdiacono albam mappam tenentibus tempore communionis, Sancti lipsanum esse in altari tempore Missæ. Idem liber etiam perhibet, Missas dici in sacello ejusdem Sancti, magnumque esse concursum ad venerandas ipsius reliquias, post Vesperas ab hora quinta usque ad sextam iterum cantari ab infantibus ante Sancti sacellum, confluente innumera populi multitudine. Memorat insuper ignes infantium festivos in campanili turris.*

hujus Martyris.
* es como colendo

12 *Hisce superaddo observationes quasdam circa voces in allegatis documentis occurrentes, parenthesi inclusurus Hispanicas.* Capitulum *(capitol) num.* 3 *et* 5 *hic accipitur pro congregatione confraternitatis. Apud Cangium inter alia sumitur pro capitulo canonicorum vel monachorum, qui consuli potest ad vocem* capitolium. *Num.* 7 cappæ *(capas.) Suspicor hic designari* pluvialia, *ut vocant. Titulus honoris est* mossen *num.* 8: *de quo in Annotatis post Sancti Passionem. Ibidem per* infantis *nomen (infante) et alibi sæpissime, pro quo inferius etiam* infantuli *(infantillos) legitur,* C *intelligo puerum, qui cantum ab ineunte ætate docetur, et ad chorum adhibetur, ut una cum ecclesiasticis canat divina officia, aliturque sumptibus ecclesiæ, cui inservit, vel piæ ad hoc fundationis. Et vero Martyr noster apud Dormerum pag.* 136 *vocatur* infans chori *(seyse, o infante del choro:) et pag.* 63 *ei dat nomen* filii et alumni *ecclesiæ, videlicet Cæsaraugustanæ.* Scholaris *(un escolar) num.* 9 *ponitur. Quales autem sint, qui hoc nomine vocantur apud Hispanos, etsi non satis novi certo; suspicor tamen hac voce intelligi* canonicos scholasticos. *Citato num.* 9 epistolaris *(epistolero) est subdiaconus.* Gestantes cappam *(caperos) num.* 10. *Vide modo dicta de voce* cappa. *Eodem num.* 10 mala persica *(melocotones o duraznillas) credo in Hispanico significare mala Persica diversi generis sub conjunctione* o, *Latine* aut *seu* vel. *Ibidem* canonicus hebdomadarius *(canonico semanero) est, qui vices sacras per hebdomadam exsequitur. Ibidem occurrunt* rationarii *(racioneros) qui apud Hispanos sunt rationum ecclesiasticarum præfecti. Synodus Valentina anni* 1565 *apud Cardinalem de Aguirre tom.* 4 *Concil. Hisp. pag.* 80. *col.* 1 *sic loquitur:* Quin etiam curatis omnibus, et rationum ecclesiasticarum præfectis, quos rationales vocamus, jubet *etc. Apud nos tomo* vii *Maii in Gloria posthuma S. Ferdinandi regis Castellæ et Legionis pag.* 370 *sunt illa:* Deiparæ parva imago ferebatur.. inter manus rationarii.

Quædam ad superiora documenta observationes.

AUCTORE J. P.

§ II. Reliquiæ; visitatio sacelli; Acta; scriptores, qui de Sancto agunt.

Dormerus pag. 37 *et sequentibus ex dicto libro* Consueta, *ut vocant, de sancti reliquiis scribit, hæc memorans:* In domo, in qua Sanctus martyrium est passus, visa est in puteo lux, quæ duxit ad extrahendum ejus caput ac manus, quæ in illud projecerant, atque una cum corpore imposita sunt urnæ, in qua honorantur, cum hac epigraphe: Hic infans jacet pro Christi nomine martyr, beatus Dominicus de Val. *Eamdem hanc inscriptionem litteris antiquis exaratam profert ex Andresii libello cap.* 9, *fol.* 96 *Tamayus,* ubi, *inquit,* agit de antiqua veneratione, E qua sedes Cæsaraugustana sanctum Martyrem a tempore ejus passionis coluit, et marmoream adfert columnam, ad ejus sepulchrum positam ante ccc annos. *Epigraphen hanc e Tamayi ectypo sic imitatus est noster chalcographus in minori forma:*

Sancti reliquiæ, earumque epigraphe.



Ad Sancti reliquias quod attinet, meminisse juvat, easdem exstitisse in sacello Spiritus sancti; deinde in sacello S. Vincentii, e quo translatæ fuerunt ad sacrarium majus anno 1496, *ex dictis num.* 7, *et adde,* xxi *Julii* 1600 *illas restituisse capitulum eidem sacello Spiritus sancti in arca marmorea, prout videre licet apud Dormerum, cum hac inscriptione:* Ossa D. Dominici infantis F. Sancii Vall., et Isabellæ uxo. suæ, hujus cla. urbis civium: qui Cæsaraugustæ, Judæorum sinagoga jubente uti summo supplicio afficeretur, clavis parieti affixus fuit, ac demum latere hasta transfixo, illustrem martyrii coronam reportavit pridie K. Sept. A. mccl. sancta hæc metropolis xii K. Augusti A. mdc iiio jussit collocare. *Apud laudatum auctorem pag.* 39 *sunt illa de Sancti capite, quod exornatum esse argento a trecentis circiter annis, et hæc circumcirca continere insculpta affirmat verba:* Martyr beatissime Dominice, novella plantula Cæsaraugustana, ora pro nobis concivibus, ut liberemur ab incursione utriusque inimici. Hic martyr Sanctir. * sanctissimus, cujus septense * serta, a Judæis Cæsaraugustæ confossus est anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo. *Plura hic erant alia menda, quæ correxi.* F

* f. Sancior. i. e. Sanctorum
* f. septem

14 *Excellentissimus dominus D. Antonius Ybanes de la Riva Herrera, archiepiscopus Cæsaraugustanus etc. in visitatione ecclesiæ metropolitanæ, et templi Salvatoris, anno* 1695 *instituta, sicut memorat Dormerus, multa declaravit ac varia de sancto hoc Martyre ejusque sacello etc.,*

Archiepiscopus Cæsaraugustanus

AUCTORE J. P.

etc., quæ habentur in dictæ visitationis registro. E longiore instrumento Hispanico, quod profert dictus scriptor pag. 41 et seqq., Latine extraho ista : Die XII Julii visitavit sua Excellentia D. archiepiscopus sacellum sancti Dominici de Val, in cujus loco, antequam illi accessisset amplificatio et magnitudo, quas nunc habet, erant duo sacella, unum Corporis Christi, et aliud Spiritus sancti : hodie unum dumtaxat exstat altare cum invocatione SANCTI DOMINICI DE VAL : in quo sua Excellentia invenit aram, mantilia et frontale admodum bene præparata ac decentia, sicut convenit propter multas Missas, quæ per devotionem erga hunc Sanctum celebrantur in ejus sacello et altari.

Sancti sacellum visitat, ** Hisp. un nicho*

15 Super altare in medio parietis exstat locus concavus * cum clathro ferreo, ac limbo operis sculptorii deaurato : intra quem apparet tumulus ex alabastro, ubi est ac honoratur corpus sancti Dominiculi, vulgariter ita nuncupati, excepto capite, quod exstat inter reliquias sacristiæ majoris, argento deaurato inclusum : deferturque tempore anni ad infirmos, qui consequuntur multa et valde singularia beneficia per ejus B intercessionem : et in Vesperis, ac in die, quo celebratur festum istius Sancti, exponitur publice in ecclesia ante sacellum ejus super parva mensa decenter adornata, duobus luminaribus ad latera positis, illudque præbet populo venerandum sacerdos. In medio tumuli ad anteriorem partem habetur angelus, istam manibus tenens inscriptionem, cujus characteres sunt antiqui, et tales, quales formabantur a trecentis annis : qui omnes legi possunt extrinsecus, et sic dicunt : HIC INFANS JACET *etc., ut in exordio hujus paragraphi.*

variaque ** Hisp. de damasco carmesi* ** Hisp. infantillo* ** Hisp. o seyse*

16 Supra locum concavum et tumulum est magna umbella ex panno bombycino Damasceni operis, carmosini coloris *, in ejusque medio effigies S. Dominiculi sculpta cum habitu infantuli *, vel pueri choralis *, positi in cruce sui martyrii, aperto lancea latere dextero, et in capite habentis diadema, vel laureolam argenteam : et e brachiis crucis pendent aliquot anathemata ac memoriæ, a fidelibus oblatæ pro beneficiis, quæ per merita et intercessionem Sancti obtinuerunt a Domino nostro. Ante Sanctum in medio C sacelli est lampas argentea, quæ interdiu noctuque ardet, oleum subministrante sacristia majore. Ad latus Evangelii est sacristia, in qua sua Excellentia visitavit ornamenta, quæ sunt ad usum altaris, eaque invenit admodum pretiosa ac decentia ; quæ etiam suppeditat sacristia major.

de publica Martyris veneratione

17 Celebratur festivitas sancti Dominici de Val in ista civitate, patria sua, die XXXI mensis Augusti cum lætitia universali : cumque fuerit Sanctus infantulus vel puer choralis in isto sancto templo Salvatoris, quando anno ætatis septimo adeptus est in cruce coronam martyrii ; ad celebrandum ejus festum curam habent infantuli sanctæ istius ecclesiæ quotannis sacellum ejus exornandi pretiosis tapetibus, et altare multis luminaribus et jocalibus *, ac prelo committendi pia admodum ac ingeniosa cantica, quæ canuntur in isto sacello, et distribuuntur ad horam Vesperarum toti choro, ac deinde populo. Doctor D. Claudius Sorbes, hujus sanctæ ecclesiæ canonicus, pro festo isto reliquit censum annum centum Regalium, quos tradi quotannis voluit infantulis * ad sublevandas expensas, quas faciunt, eumque solvit mensa communitatis. D

** jocalias, i. e. monilibus, gemmis, aliisve id genus pretiosis*

** a los infantillos*

18 Intersunt etiam commemorationi Vesperarum, ac antiphonæ SALVE, nec non Missæ confratres S. Dominici de Val, luminaribus instructi. Confraternitas ista est antiquissima, adeo ut non habeatur memoria principii ejus ; habetque ordinationes valde antiquas. Sancti die post Primam cantatur Sacrum admodum solenne in ejus sacello ac altari, quod facit præbendarius *, præsente toto choro, cum multa musica ac aliquot canticis ; et ad communionem omnes pergunt infantuli, eamque recipiunt e manu celebrantis. Isto die post meridiem concurrit multus populus ad siestam *, *ut vocant Hispani,* quæ cantatur a musicis.

ad posterorum memoriam ** prebendado,* ** a la siesta,*

notata reliquit.

19 Eminentissimus dominus D. Franciscus Barberinus, diaconus Cardinalis tituli sanctæ Agathæ, Pontificis Urbani VIII sobrinus, et legatus a Latere in regnis Hispaniæ, Cæsaraugusta transiens anno MDCXXVI, ad supplicationem infantulorum hujus sanctæ ecclesiæ metropolitanæ, certior factus de martyrio sancti Dominici de Val, deque ejus veneratione ac cultu, concessit E indulgentias plenarias fidelibus omnibus, qui confessi et communione refecti visitaverint sacellum sancti Dominici de Val, ubi est gloriosum ejus corpus, a primis Vesperis usque ad solis occasum diei sequentis, ibidemque oraverint Deum Dominum nostrum pro exaltatione sanctæ matris Ecclesiæ, et exstirpatione hæresum, pro sua Sanctitate, ac pro pace ac concordia inter principes Christianos. *Hactenus instrumentum prædictæ visitationis; quod deinde agit de scripta Sancti Passione ac Martyrio, nec non de miraculosa reliquiarum inventione, item de translatione ex ecclesia S. Ægidii ad metropolitanam ex Actis Martyrii. Quod vero variis annis ad varia hujus ecclesiæ loca sit facta translatio, superius dictum est.*

Sancti cultus in America :

20 *Quid, quod* S. Dominici *cultus in Americam etiam transierit, prout perhibet sequens narratio, quam Hispanice scriptam accepi Cæsaraugustæ die* XXX *Aprilis anno* 1722 *a R. A D. Jacobo Navarro, sanctæ ecclesiæ ejusdem canonico et archivi præfecto. Eam reddo Latine in hunc sensum :* Dominus Hieronymus Lopez de Arbisu discessit in novam Hispaniam promotus per regem ad dignitatem rectoris scholarum * sanctæ ecclesiæ metropolitanæ Mexicanæ : et simul atque pervenit ad istam F residentiam, scripsit D Josepho Velasquez et Linas, canonico sanctæ ecclesiæ Cæsaraugustanæ, petens, ad se ut mitteret Vitam sancti Dominiculi Vallii, qui martyrium subiit a Judæis ejusdem civitatis : quia invenerat in choro metropolitanæ Mexicanæ sedem, in cujus parte, cui dorsum innititur, S. Dominiculus Vallius crucifixus exstabat opere sculptorio mediæ eminentiæ * : quam sedem infantuli sanctæ istius ecclesiæ adornabant lauro et floribus, ac ponebant luminaria pridie ac ipso die S. Dominiculi Vallii, qui est XXXI Augusti : et in seminario aut collegio, ubi habitant dicti infantuli, erat oratorium, cujus altare erat dedicatum dicto S. Dominiculo Vallio.

** f. scholastici* ** in Hisp. de medio relieve*

imago ipsius Cæsaraugustana :

21 *Occasione imaginis sancti Pueri nostri, cujus antea facta est mentio, indico apud nos esse hoc ectypon, quod est* dedicatum illustrissimo Capitulo *ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ* per infantes dictæ sanctæ ecclesiæ, *ut memorat ejusdem epigraphe Hispanica. Imaginem porro istam æri incidi curavimus, et quamquam jussu nostro ad minorem formam contraxerit eam sculptor,*

A *sculptor, exemplar tamen Hispanicum hoc modo imitari conatus est.*



Apud Dormerum pag. 3 *mentio fit de* antiqua scriptura, quæ conservatur, antiquissimi characteris, cum pictura Sancti crucifixi in pariete ; *an vero pia hæc imago ad illud exemplar fuerit edita, non habeo unde satis tuto definiam.*

antiqua 22 *De Actis* S. Dominici Vallii *sequentes suggerit notitias Dormerus pag.* I *et deinceps :* In pergameno valde antiquo, quod conservatur in archivo sanctæ ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ, characteris jam deformati pulvere ac tempore, posita est relatio martyrii sancti Dominici de Val, et in memoriam transcriptum est istud exemplar de mandato sanctæ ecclesiæ, in unum e codicibus ejus membranaceis, qui vocantur chartuarii, in quibus deposita sunt magis præ-
C cipua ipsius monumenta, per M. Didacum Espes, rationarium ac secretarium ejusdem ecclesiæ, quod monetur in dicto chartuario ad finem Actorum, his verbis : " Hæc ex vetusta membranula, in tabulario hujus metropolitanæ recondita, litteris pulvere ac vetustate fere corrosis, et ex altera societatis beati Dominici de Val, hujus sanctæ ecclesiæ decreto sunt scripta " *ex Joanne Francisco Andresio, quem citat Dormerus, addens* non esse transcriptas confraternitas Sancti ordinationes, atque Acta ejus etiam inveniri in aliis duobus pergamenis, quæ custodit confraternitas, visa et recognita a chronographis Hieronymo de Blanca, D. Francisco Ximenes de Urrea, et D. Joanne Francisco Andres de Ustarroz, qui uni ex istis scripturis dant ultra trecentos et quinquaginta annos antiquitatis, sicut advertit Andresius, *cujus allegat locum.*

ejusdem Acta 23 *Tametsi autem ex Actis erui perspicue non possit, quisnam fuerit eorum scriptor, indicat tamen pag.* 3 *laudatus Dormerus, tenere Andresium, quod illorum auctor sit D. episcopus Arnaldus de Peralta, qui ibidem laudatur, et cujus tempore martyrium* S. Dominici *accidit. Hieronymus de Blancas in Aragonensium rerum Commentariis, qui habentur inter rerum Hispanicarum scriptores tomo* 3 *e bibliotheca Pistorii edito, post sancti Pueri martyrium pag.* 658, Arnaldum, *inquit*, Peraltam episcopum eo tempore Cæsaraugustæ sedisse constat, magnæ religionis virum, ac in literarum scientia valde versatum : qui nobilissimo genere ortus erat. *Vocabatur* episcopus : *nam ecclesia Cæsaraugustana evecta fuit ad dignitatem metropolitanam anno* 1318, *ut scribit Dormerus pag.* 16, *eamque referri ac celebrari a variis scriptoribus addit, quorum elenchum longum texit in additione marginali. Idem auctor pag.* 3 *indicat quidem sententiam Andresii de Arnaldo Actorum auctore fundari ab eodem Andresio ; sed cum Historiam* S. Dominici *nostri ab eo scriptam in museo nostro non reperiam, ac proinde non sit mihi promptum fundamenta ejus examinare, dabo Sancti Acta sine nomine auctoris, prout factum video ab aliis eorumdem editoribus, quos habemus.* auctore J. P.

24 *Hieronymus Blancas Martyrium narrat a pag.* 657 *ex* templi maximi *(Cæsaraugustani)* tabulario. *Exstat etiam apud Tamayum die* XXXI *Augusti* ex codice Ms. vetustissimo membranaceo. *His adde Dormerum pag.* 4 *et sequentibus. Idem Actorum apud illos titulus :* Incipit Passio beati Dominici martyris Innocentis Cæsaraugust., *ut Dormerus; alii vero duo* Cæsaraugustani. *Idem Martyrii initium :* Ad honorem Domini nostri Jesu Christi Salvatoris ac Redemptoris nostri, qui salus et vita est omnium *etc. Idem etiam finis :* Passus autem est beatus Dominicus in mense Augusti, anno Incarnationis Dominicæ MCCL, regnante Domino nostro *etc. Idem itaque omnium fons. Quæ leguntur apud Dormerum, mendis scatent : sed ego, dum essent Cæsaraugustæ, et accepissem exemplar a Dormero vulgatum, medelam textui corrupto attuli, et contuli cum chartuario Ms. pergameno ecclesiæ metropolitanæ Cæsaraugustanæ S. Salvatoris die* XXVII *Aprilis anno* 1722 *in archivo dictæ ecclesiæ. Sub hoc itaque nomine exemplar illud vulgabo, cum exemplar Dormeri, prout a me emendatum est, sit conforme dicto Ms. Cæsaraugustano.* varii ediderunt auctores ex eodem fonte : E

25 *Dormerus post Acta pag.* 10 *et sequentibus catalogum prolixum texit scriptorum, qui de hoc Sancto tractarunt, Aragonensium videlicet, Castellanorum ac Navarrorum, hisce externos adjungens Bzovium, qui in Annalibus ecclesiasticis tomo* 13, *ad annum* 1250, *num.* 17 *Passionem transcribit ex Blanca ; et Fridericum Mathenesium, canonicum Coloniæ Agrippinæ, quem in Epitome Annalium Bzovii citat lib.* 8, *anno* 1250, *num* 5 *: quibus ego annumero illustrissimum Spondanum Gallum in Continuatione Annalium Baronii ad annum* 1250, *num.* 25, *ubi refert compendium Martyrii. Quæ argumento sunt celeberrimum sancti Martyris nomen egregie claruisse. Prædictus Dormerus majorem libri sui partem implet, cultum immemorabilem ejusdem Martyris probando cum suo tum aliorum virorum doctorum judicio. Sed illa huc non transcribo : publicus enim ac antiquus ejus cultus ita superius est probatus, ut dubitare nequeam, quin in hoc sancto Martyre sit casus exceptus a decreto Urbani PP. VIII. Superest, ut producam Acta observationibus meis elucidata.* recensentur alii, qui de hoc Sancto scripserunt. F

PASSIO

PASSIO

auctore anonymo

Ex codice antiquo Ms. membraneo Cæsaraugustanæ ecclesiæ S. Salvatoris.

Sancti parentes, mira in nativitate ejus, Judæi parvulos Christianos inquirunt ;

Ad honorem Domini nostri Jesu Christi Salvatoris ac Redemptoris nostri, qui salus, et vita est omnium, cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium, et infernorum ; necnon etiam ad honorem martyris innocentis sui, nomine Dominici, qui apud civitatem Cæsaraugustam natus est cum signis mirandis, videlicet cum corona in capite, et cruce in armo dextro ; cujus fuerunt genitores Sancius de Val, tabellio, et Helisabet uxor ejus. Et cum Dominicus haberet ætatem annorum septem, et litteras edisceret, et tractatus enormis et nefarius inter hostilem et impiam gentem Judæorum ejusdem Urbis, iniquitatibus usitatam, esset habitus, ut quicumque occulte furaretur, aut raperet parvulum Christianum, et eis traderet, ut morti daretur, esset ab omnibus peitis *a*, ac tributationibus *b*, et impositionibus *c* quibuscumque per eos * persolvendis exemptus *d*.

** Tamayus et Dorm. pro eis*

a quibus S. Dominicus crucifigitur. Corpus ejus cœlitus revelatur,

2 Exinde Mosse *e* Albayuceto Hebræus, mali conscius, Judæ iniqui proditoris sævissimus imitator, suggestione diabolica rapuit occulte et repente Dominicum, et eum ligatum fune Aljamæ *f* tradidit Judæorum ; qui crudelissime renovantes Christi sanguinem, clavis pariete parvulum confixerunt, et ejus latus graviter lancea perforarunt. Et inde satagentes, ne hoc nefas tam detestabile panderetur, eligentes tempus opportunum, ad litus fluminis Iberi *g* corpus Martyris occultarunt. Christus autem scrutator cordium et cognitor secretorum, pro quo sanctus Dominicus passus erat, corpus ejus jam voluit revelari. Itaque factum est, dum custodientes naviculas, quæ erant ad portam * præfatæ civitatis *h*, solicite vigilarent, viderunt aliquibus noctibus lumina cœlica valde coruscantia *i* supra locum littoris *, ubi sanctum corpus, ut prædicitur, fuerat occultatum, admirantes quid hoc esset.

** Tam et Dorm. portum*

** Dorm. male oris*

et solenni ritu

3 Cum hoc esset relatum civitati, aliqui ex civibus accedentes ad litus prædictum, corpus martyris absque capite et manibus, ligatum funibus invenerunt. Clero autem et populo hoc scientibus, fuit inde illud ad supradictam civitatem ductum, atque positum in basilica sancti Ægidii, ex qua, aliquibus diebus elapsis, cum corpus Martyris extraheretur, se quidem miraculose flexis genibus, absque ullo dubio, ante ostium ipsius ecclesiæ assistenti populo ostenditur *k*.

ad ecclesiam cathedralem

4 Et audito præconii sonitu generaliter per civitatem facto, necnon episcopo *l*, et clero ad prædictam ecclesiam cum ingenti solemnitate, et populi celebri devotione venientibus, miris coruscantibus miraculis, omnium sancta congregatio fuit facta, et per manus sacerdotum cantantium, et Deo psallentium *m*, omnibus aliis Dominum in Sancto suo devotissime laudantibus, solemni processione unanimiter ordinata, et ad tam insigne spectaculum * civibus, militibus, nobilibus, ei cujuslibet conditionis *n* hominibus ac mulieribus, (istis omnibus concitus *o*) currentibus, ac cereos albos suis manibus bajulantibus, ubi dulcissima omnium instrumentorum musicalium melodia, ac tubarum sonora armonia non defuit, ad ecclesiam sancti Ægidii primo accersitis, et ibidem debite receptis, per omnes alias ecclesias sanctum corpus alacriter delatum *p*, tandem per portam Cinegiam * abeuntibus, exinde ad sanctam sedem *q* urbis prænominatæ solemniter translatum.

** Tom. et Dorm. male et ad sancta insigne spectaculum*

** Blanc. Cignesiam*

transfertur : conversio Judæi : facta ad Sancti tumulum beneficia : tempus mortis.

5 Mosse Albayu *r* tandem corde contritus, relicta via iniquitatis, impietatis et doli Judæorum, Sacramentum baptismatis acceptavit. Contemplemur eia, fratres charissimi, patientiam, passionem, et innocentiam beati Dominici ; ejus sacrum tumulum assidue visitantes : hic est comes Innocentium, et Martyrum, habens insignia Christi. Et etiam positi in ægritudine, et aliis necessitatibus, eum adjutorem sentiunt, cum fiducialiter invocatur. Cujus meritis et precibus efficiamur participes regni Dei. Amen. Passus autem est beatus Dominicus in mense Augusti *s*, anno Incarnationis Dominicæ MCC quinquagesimo, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Apud Blaneam* peytis, *id est*, præstationibus, tributis, *uti habet Cangius, qui hunc Passionis* S. Dominici *locum recitat ad vocem* peyta.

b *Blancas* tribulationibus, *uti et Cangius citatus : Tamayus legit eum textu nostro, in quo nihil hic mutandum censeo.* Tributatio *autem est* exactio *apud Cangium.*

c *Ita etiam scribunt Blaneas et Tamayus, et rectius, quam* executionibus *apud Dormerum.*

d Exemptus *omittitur in editione Tamayi et Dormeri, quo fit, ut sensus sit imperfectus.*

e Mossen, in Aquitania, Occitania, Vasconia, Benearuo, et alibi ; voce composita ex MOS et SEN, quasi dicens MEUS SENIOR, idem esse, quod Francis MESSIRE, observat Petrus de Marca lib. 3, cap. 9 Marcæ Hispan. col. 261, *ex Glossario Cangii aucto. Sed Marca citatus habet* EN, sive composito nomine MOSSEN, quasi diceres per contractionem SEN, id est SENIOR, sive MEUS SENIOR *etc.* ; *vocem vero* mos *ibidem non invenio. At, quid si forte* Mosse *in Passione scribatur corrupte pro* Moyse ?

f *Id est* synagogæ. *Consuli potest Cangius ad vocem* aliama. *Nisi malis per nomen* aljamæ *significari* locum vel vicum, in quo degebant Mauri ac etiam Judæi in Hispaniæ civitatibus a Christianis separati, *ex Dictionario academico Hispanico.*

g *Fluvius est Hispaniæ notissimus, Hispanis* el Ebro, *ad quem jacet Cæsaraugusta.*

h *Tamayus et Dormerus mendose* præfatæ dictæ civitatis.

i *Simili modo manifestatum fuisse legitur corpus S. Wernheri pueri et martyris, a Judæis occisi de quo actum est apud nos die 19 Aprilis, ubi id Historia passionis ejus pag. 701 sic narratur :* Sed Dei Filius hoc diu noluit latere, ostendens illico sua miracula. Nam cunctis circum vigilibus castrorum, claritas luminum illuxit tempore noctium ; quod illi non absque admirationis

A miratiouis stupore declaraverunt. Inde corpus mox repertum, et adhuc suo rubricatum sanguine, et panis cæli dans odorem, portatur inde *etc.*

k Ostenditur *etiam habent Blaneas et Dormerus; sed Tamayus* ostendit, *et sic vitiosa constructio restitui potest.*

l *Nominatur in Commentario prævio* § 2 *num.* 23.

m *Sic etiam Blaneas; Tamayus autem* : Deo suo psallentium; *Dormerus minus recte* : Deo suo servientium.

n *Vitiose Dorm.* aut quibuslibet conditionibus mulieribus.

o *Parenthesi inclusa non habet Tamayus; Blaneas eorum loco ponit puncta. Fortasse debet scribi* concitis, *ut sic fiat sensus etiamsi non elegans et concinnus, sicut plura hic sunt alia, in quibus desideres meliorem latinitatem.* A. Anonymo.

p *Male Tam. ac Dorm.* recipi ab omnibus.

q Ad sanctam sedem, *id est, ad ecclesiam S. Salvatoris ex Commentario prævio; quæ tunc cathedralis dumtaxat erat, sicut ibidem dictum est.*

r *Sic etiam id nomen scribit Dorm., Blanc.* Albayhu; *Tam.* Albayzetus. *Superius scribitur* Albayuceto.

s *Nulla hic Augusti dies determinatur : quo autem fundamento dicat inscriptio anni* 1600 *superius data*, martyrii coronam reportavit pridie K. Sept., *non intelligo.*

DE B. BONAIUNCTA CONFESSORE

B UNO E SEPTEM FUNDATORIBUS ORDINIS SERVORUM B. M. V. E

IN MONTE SENARIO PROPE FLORENTIAM,

COMMENTARIUS HISTORICUS

J. P.

§ I. Varia, quæ ad hunc Beatum pertinent, alibi tractata; eleemosynas dum rogat, venenum sibi porrectum detegit, et sine damno sumit; Ordinis præfectura.

Anno MCCLVII. *Varia de illo petenda ex 27 Augusti: eleemosynas*

Mons Senarius *die* XXVII *hujus mensis pag.* 133 *pluribus in hoc tomo descriptus est, quando illustravi res gestas B. Manetti Antellensis, perepram ibi vocati* Joannis, *qui unus fuit e septem Florentinis fundatoribus Ordinis Servorum B. Mariæ, ejusdemque Ordinis Generalis, sicut* B. Bonaiuncta, *quem hoc die exhibeo.* C *Varia dicto die* XXVII *præmisi, quæ huc spectant, videlicet mutationem nominis, vitæ institutum in seculo, ætatem, nobilitatem. De sacerdotio autem, ac Ordine Servorum beatæ Mariæ virginis vide ibid. pag.* 134; *asperrimam vitæ austeritatem habes pag.* 138. *Hæc autem* B. Bonaiunctæ *sunt propria, quæ delibo e dicti Ordinis Annalibus, auctore F. Archangelo Gianio. Centuria prima, lib.* I, *cap.* XI, *fol.* 8 *charitatem ejus erga socios, animique modestiam ita laudat inter alia, quæ refert ad annos Christi* 1235, 1236, *et* 1237 : Illius (*Bonfilii, qui etiam est unus ex septem beatis Ordinis fundatoribus*) jussu et authoritate duo Florentiam illico mittuntur, qui quotidie per urbem receptas ostiatim a piis hominibus eleemosynas illuc (*id est, ad Montem Senarium*) transmittere debeant.

ostiatim dum rogat,

2 Hujusmodi quæritandi officium prudenti viro morumque gravitate insigni Bonaiunctæ primum cum socio Alexio * committitur : (fuit enim Alexius omnium eorum humillimus, et ad incommoda quæque perferenda non minus natura, quam voluntate dispositus.) Is autem munus illud, quoad vixit, libentissime pro sociis exercuit. Dum autem viri duo illi nobiles et probatissimi per urbem primo cum sarcinulis super humeros tam humiliter visi sunt eleemosynas petere; vidisses totam pariter commoveri civitatem, accurrere populum (erant tunc Epiphaniæ feriæ;) audisses rursus infantes et pueros acclamantes : Ecce servi, ecce servi B. Mariæ; vidisses eosdem manibus plaudere, matribus inter ulnas blandiri, et rogare : Facite eleemosynas servis Mariæ. F

* *i. e.* Alexio Falconerio, *uni ex septem BB. fundatoribus*

3 *In notationibus autem ad prædictum caput* XI *sunt ista* : Bonaiunctam et Alexium primos, qui per urbem eleemosynas quærerent, inde deducit auctor, quod prior illorum ab Antonio pessimo sive fœneratore sub specie eleemosynæ fuerit veneno interimendus, ut suo loco patebit; et alter Alexius huic officio semper ultro inservierit in habitu laicorum, indignum sibi ducens ad sacra promoveri. Quod si auctor in historia B. Philippi aliter scripserit lib. 3, cap. 1, fol. 191, id scriptorum prædecessorum, quibus vitio dandum, authoritate deceptus fecit. *Historiam autem, quæ hic indicabatur de superato a* B. Bonaiuncta *veneno per signum crucis, pluribus describit Gianius supra allegatus, lib.* 2, *cap.* 5, *fol.* 16 *hæc memorans ad annum Christi* 1244 : Inter alia facinora, quæ ex hominum iniquitate Deum vehementer ad ultionem lacessere ea tempestate videbantur, unum illud fuerat ardens avaritiæ stimulus, quo plerique exagitati magnis quotidie usuris proximum premere, ut divites de mammona iniquitatis fierent, potissimum adnitebantur.

incidens.

4 Quamobrem

AUCTORE J. P.

in hominem pessime avarum,

4 Quamoorem maximam immisit Deus rerum omuium egestatem, qua æque divites, ac pauperes per totam fere Italiam fame premerentur, ex qua postmodum, gravi ubique pestilentia grassante, vix cœmeteria sufficerent ad defunctorum corpora tumulanda. In eo igitur rerum omnium defectu Antonius quidam, Florentinus civis, ex usuris et iniquitate perdives, ut pauperes Servorum Fratres per urbem quotidie eleemosynas quæritautes eluderet, et ab ostio domus abjiceret, hanc prætexere insidiam vir avaritiæ deditissimus quærentibus misericordiam excogitavit. Dum enim FF. Alexius, et Bonaiuncta, quibus jamdudum fuerat munus colligendi eleemosynas injunctum, illis calamitosis diebus per urbem quærerent, forte accidit, ut alter illorum Bonaiuncta Antonium huuc, ex diuturna olim familiaritate virum nequam agnosceret: quem eleemosynæ petendæ arrepta occasione conveniens (ut erat Vir manibus innocens et mundo corde) illum de tot tantisque usuris religioso zelo perculsus acriter increpare cœpit; multisque rationibus præceptum Dei de non furando objiciens, Christique mandatum, ut mutuum dautibus nihil inde sperandum foret, ob oculos proponeus, vehementer deterrere hominem cœperat. B

eumque increpans de injustis lucris,

5 Commovebat enim, et commonebat simul virum alterius rei cupidissimum, quod audiret gladium jam iræ præpotentis Dei imminere: sibi tempus jam redimendi eleemosynis peccata opportunum calamitosa ea tempestate adesse: posse iterum ablata non modo restituere, sed etiam Zachæi exemplo quadruplum reddere; telonium et fœnora cum Matthæo delinquere: recens denique exemplum septem Florentinorum, qui mercaturam cum cælibe vita commutarant, illum ad usuras dimittendas suadere satis posse: alioquin nisi male parta restituat, ab iniquitatibus resipiscat; actum esse animæ suæ, nec aliud sibi præter incendium gehennæ cum malo divite superesse. Hanc vero urgentem fratris Bonaiunctæ quondam familiaris sui tamquam liberam correctionem sibi gratam, fructuosamque fuisse vir pessimus dissimulans, sequo utro velle, quæ ex fraude comparasset, cumulate restituere subdole pollicitus, gratiasque ei agens, illum dolosis his verbis dimisit dicens: Cito, pater, videbis tuæ in me collatæ hujuscemodi charitatis et objurgationis fructum: interim tuis orationibus propositum meum juva. C

venenum jussu ejus sibi porrectum detegit ac superat.

6 Tunc Bonaiuncta veluti contra diabolum victor exultans, et Deo gratias agens, dum pro eo fœneratore Deum precatur; ecce Antonii famula quædam ad januam hospitii, panes deferens heri sui nomine cum amphora vini. At statim irruit in Bonaiunctam ab oratione surgentem Spiritus Dei, revelans obsonium illud veneno infectum. Munera igitur de manu mulierculæ accipiens dixit: Hæc libenter ex Domini tui liberalitate ea lege accipio, ut prior tu mulier de his mihi propinans, illa degustare non detrectes. Quod cum vetula fraudes iguorans sui Domini ultro aggrederetur: Siste (inquit) filia, cave ne ori appropies, et scias munera hæc veneno confecta, quibus me necare intenderet Dominus tuus; sed domum reversa, has easdem pœnarum vices herum tuum pro me misere subiisse videbis. Quibus dictis exemplo sancti Benedicti panem, et vinum signo crucis expurgatum, ea muliercula spectante, absque ulla offensa gustavit, et hausit. Famula vero domum reversa herum suum Antonium super pavimentum stratum, mortuumque perterrita reperit. Hujus portenti fama per urbem diffusa integerrimæ vitæ et sanctitatis Bonaiunctæ opinionem, venerationemque apud Florentinos cives vehementer adauxit: quando et fratres talia de eo indies videntes jam excogitarant graviora ei suæ religionis munera committere, et interim maximam in illum reverentiam habere, adeo ut paucis post annis (quod suo loco dicendum superest) supremum ei magistratum administrandæ Servitanæ reip. deferrent. *Narratio superior an amplificata non videtur?* D

Hæc historia

7 *In annotationibus ad hanc historiam afferuntur ista:* Magnam hoc tempore fuisse penuriam, quam postea subsequeretur gravis pestilentia, testantur monumenta ex archivio conventus Flor., præter illorum temporum fidissimos interpretes. *Deinde quæ inter* B. Bonaiunctam *et Usurarium gesta referebat Gianius, confirmantur in eisdem annotatis* ex Pocc. *(id est,* Pocciantio) in Vitis septem Beatorum, et ante ipsum ex Dial. Pauli ad Petr. Med., *e quibus ea dicitur collegisse. Ex Pauli Florentini Dialogo de origine Ordinis Servitarum nonnulla narravi in B. Manetto Antellensi pag.* 137, *ubi et Opusculum illud clarius designavi; hic vero miraculum illud memorabo et confirmabo, tum quia Paulus Opusculum suum ad medium circiter seculi decimi quinti direxit ad Petrum Mediceum, tum quia non longa nimium est narratio, et a superiore discrepat. Apud Martenium itaque tomo* 6 *Amplissimæ collectionis columna* 576 *et* 577 *refertur his verbis:* Aliud Ordinis nostri fundamentum et decus immortale ostendam, cui Johannes * nomen adest. Hic Spiritus sancti gratia vir summa laude dignus habetur, ut nequidem hucusque apud quemquam ignotus existat. Primo virtutum peritia, sacro Christi lumine illustratus, pro nostro plurimum Ordine laboravit, et rerum fidelium flagravit studio, sui patrimonium nihil pensi habens, pauper Virginis viduitatem inchoavit. E

* *ita etiam vocatus est Beatus*

aliunde

8 Quare sanctæ vitæ celebrandæ ardentissimus, et caritatis dulcedine ebrius factus, valida corporis tormenta haud horrebat. Taceant itaque qui servis Dei detrahunt; neque semper religionem sanctam vilipendant. Erat civis quidam Florentinus, ob volantem divitiarum famam nobilis, qui Antonius nomine vocabatur. Is quadam die ad Johannem deambulationis gratia venit, de egregia viri virtute certior fieri cupiens. Cujus sententiam Johannes a longe intelligens, Heu, inquit, miserum corpus, divitiarumque catenis involutum, pauperum labores arripis: alteri necem; alteri vero pro voluntate salutem tribuens. Non sic. Cælorum regnum vim patitur, et violenti diripiunt illud. Quod civis auribus intonans, in maximum timorem territus incidit, ne egregia Viri fama vulgus in spem erigeret, quo jucundissima mortalibus vita haud umquam frueretur. F

confirmatur:

9 Quo et factum est, ut illum veneno necare statuerit: et vinum infusum ei per ancillam quamdam tradidit sub eleemosynæ specie. At Johannes, sancto Spiritu erudiente, Quod mihi paras poculum, bibe, inquit. Quæ præ verecundia et timore, facti nescia, libare volens a Viro retenta est. Et quidnam, Pater, hoc poculi est, inquit? Cui Johannes respondit: Illi, qui te mihi haustum lethalem impendere jussit, edixeris, me poculum hausisse omne. Tecum ei pro me moriendum est. Et signo crucis adhibito, vinum audacter sumpsit. Mira res, eadem hora Antonius absens repenti lapsu moritur. Johannes sospes

A sospes servatur. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit Euangelium prædicat. Quamobrem quantis extiterit meritis, quantæque virtutis, amplius elaborandum sermo non exigit.

creatur Ordinis Generalis:

10 *Gianius ad annum Christi* 1255 *centuriæ* I *lib.* 2, *cap.* 20, *fol.* 24 *scribit de comitiis generalibus Florentiæ habitis, in quibus B. Bonfilius Generalis alterum sibi substitui rogavit et obtinuit. Primo itaque isti Ordinis præfecto secundus* B. Bonaiuncta *successit: quem* Virum optimum, *sicut Gianius narrat*, omnium calculis elegerunt patres congregati, summumque præsulem Ordinis consalutarunt. Noverant enim ipsum cum humanarum rerum prudentia, tum divinarum sapientia valde exornatum: probitate vero ac sanctissimis moribus longe insignitum. *Summam vero Ordinis præfecturam ei commissam fuisse anno prædicto confirmant Annotationes ad caput idem vigesimum fol.* 24 *verso:* Bonaiunctam, *inquiunt*, hoc anno, nec prius aut posterius fuisse Generalem electum indicant monumenta certissima quarumdam emptionum terrarum, ut videtur innuere Poccianti in Chron., B et author vidit in archivio conventus Florentiæ: in illis enim contractibus primo de an. MCCLV dicitur Prior Annuntiatæ, deinde in alio dicitur Generalis Ord. Serv., ut etiam videre licet in catalogo Generalium ejusdem authoris.

corrigitur quidam hac in re error.

11 *Errorem vero alicubi commissum in quadam circumstantia electionis perperam narrata, memorant et corrigunt Annotationes ibidem. Rem ex eisdem audiamus:* Bonaiunctam non fuisse factum Generalem auctoritate literarum Alexandri IV, ut quidam allucinantur, indicat differentia temporis ab an. MCCLVI ad an MCCLIX, quando facultas conceditur creandi Generalem per easdem litteras Alexandri IV. Credi tamen potest, id factum per vivæ vocis oraculum, vel permittente Guilielmo protectore. Unde videtur corrigendus author in Historia B. Philippi lib. I, cap. IX, qui Poccianti Chron. secutus in eumdem inciderit errorem, dicens hunc Generalem creatum post indultum Alexandri IV, multaque in his comitiis edidisse decreta, et Ordinem in provincias primo divisisse: quod hoc anno asserere non est satis veritati consonum, ut posterius suis locis videbitur: administrabatur enim adhuc C Ordo non per leges et constitutiones, sed per scita patrum, quia Generalis nondum acceperat omnimodam facultatem a Pont., sicut habuit postea MCCLIX, ut infra patebit.

§ II. Morbus; spiritus propheticus; virtutes; mirabilis ante obitum corporis et spiritus fortitudo; Beati numisma; annuntiatio annua in Martyrologio Romano.

Lentus Beati morbus, mortisque prævisio:

P*retiosam in conspectu Domini mortem Beati nostri, et memoranda quædam ejusdem mortis adjuncta narrat Gianius supra citatus lib.* 2, cap. 21. Verba ejus subdo: *Ex quo B. pater* Bonaiuncta Generalis, revoluto jam anno, Cardinalem Octobonum in protectorem Servorum obtinuerat, dum pauca illa Ordinis loca, quæ tunc erant, inviseret, maximamque suæ administrationis spem concepisset Ordo, ad Sanarium tandem pervenit, patres, et locum illum sibi quam gratissimum visitaturus. Constituerat enim inde discedens recta ad curiam reverti, ut, Octobono protectore intercedente, privilegia, quæ pro sui Ordinis roboratione pollicitus fuerat Alexander IV, continuo impetraret: verum dum aliquantisper quiescendo in Sauario vires resumere sperat, ecce paulatim se præsentit lento quodam morbo gravari, ex quo tandem sui ex hac mortali vita diem prævidens sibi imminere, horam quoque suæ mortis instare prædixit.

AUCTORE J. P.

spiritus propheticus:

13 *Spiritum propheticum beati Viri, virtutesque ejus referunt ibidem Annales his verbis:* Fuit B. Bonaiuncta præter alias virtutes etiam prophetico spiritu a Deo exornatus, quod privilegium sibi ex sola cordis munditia (facile enim arcana Dei penetrant, qui mundo sunt corde) obvenisse credendum est. Tanta etiam charitate in proximum præfuisse dicitur, ut sibi severus, et parcus, aliis autem indulgens et humanissimus haberetur, avaris et usurariis, pauperum raptoribus, et id genus aliis rapacibus hominibus infensissimus hostis et insectator: iis vero, qui E liberalitatem in pauperes erogassent, semper æquus, semper amicus, et pro quibus præcipuas quotidie fundebat preces.

gratus animus erga bene meritos de Ordine:

14 *Post hæc sequitur ibidem pia Beati consuetudo, ipsius exemplo in Servitarum deinde Ordinem inducta, orandi pro bene meritis de eodem Ordine:* Consueverat enim ad mensam, aut cum accederet, aut cum ab ea recederet, non sine lacrymis et gratiarum actione pro iis Deum secreto orare, quorum ope mensa illa parata fuisset. Quamobrem ex ejusdem postea disciplina subsecuta fuit illa tam pia consuetudo, ut habita post mensam gratiarum actione, fratres simul sub silentio, donec Superior signum faciat, ad Deum suspiria, precationesque ex intimis præcordiis jaculent pro benefactoribus, quorum peccata quodammodo comederunt in illa mensa. Hinc etiam perantiquus usus ille habetur, ut non modo in tabulis conscribantur, in album referantur hujus Ordinis benefactores, et cuilibet sacerdoti quotidie Sacrum facienti aliquis ex benefactoribus defunctis proprio nomine commendetur; verum etiam in comitiis tam provincialibus, quam Generalibus præcipua singulorum fiat commemoratio, indictis a Superiore pro singulis eorum F suffragiis et Sacrificiis: quæ omnia ex hujus B. Bonaiunctæ institutione in leges et constitutiones perpetuo servandas emanarunt.

celebrato Missæ Sacrificio

15 *Hisce subjungitur mirabilis pariter ac piissima Beati mors, quam ipse, cum nequaquam tam vicina esse videretur, etiam prædixit. Audiamus Annales:* Hora igitur sui ad cælum transitus (cum quotidie solitus esset incruentum illud Sacrificium multis lachrymis offerre) tamquam instante discessu, quo ad regias paradisi nuptias invitatus foret, se ipsum hilari spiritu ad diem Sacrificium præparare voluit, paramenta induit, ad aram accessit, Sacrificium fratribus astantibus, inter quos etiam aderat F. Philippus Benitius, obtulit, gustavit, aliis degustandum protulit: ad finem tandem Missæ cum omnium benedictione pervenit; acsi non senex, non infirmus, non moribundus, sed veluti vigoroso quodam incensus ardore adinstar Eliæ properaret in fortitudine cibi illius usque ad montem æternæ gloriæ.

coram fratribus,

16 Quibus peractis, coram fratribus ad idem altare adstans, et eisdem sacerdotalibus vestimentis

AUCTORE J. P.

tis indutus, veluti alter patriarcha Jacob coram filiis primum instare sibi discessum e vita prædixit: Ordini superesse proximam tribulationem: deinde non parvum incrementum: neque illis defuturam mutuam charitatem, dummodo sanctum illum habitum, quem eo in loco recepissent, summa semper cum veneratione gestantes recogitarent Jesu Christi Domini nostri pro nobis patientis mysteria, mœstissimæque Matris ejus dolores crebro meditarentur. *In Annotationibus ad prædictum caput* 21 *indicantur ista:* Quæ de beato Bonaiuncta refert auctor, ex Chron. et Vitis septem Beatorum Pocciantii, et ex Dialogo Pauli facile colliguntur, et ex historia B. Philippi lib. 1, cap. 9. *Hæc ibi ad illa verba:* Fuit B. Bonaiuncta *superius continuata num.* 13.

meditationi patientis Christi intentus obdormit in Domino:

17 *Pergamus cum Gianio ad postrema, quæ de beato eodem Confessore narrat:* Erat autem, dum hæc agerentur, feria sexta pridie Kal. Septembris, cujus dici veneranda et præcipua Fratribus Servorum commemoratio adeo B. Bonaiunctæ et adstantium animos flexit, ut ipse singula passionis mysteria ferventi meditatione enarrans, cum pervenisset ad illum crucifixionis locum: Et crucifixerunt eum, quasi fontem lachrymarum ab oculis emisit, humani generis hinc peccamina, inde pientissimi Filii Dei immensam misericordiam expendens. Quamobrem expansis brachiis, manibusque extensis, acsi cruci tunc configendus esset cum Christo, cunctis, qui aderant, lugentibus, cum pervenisset ad illud: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, vere in manus Domini emisit spiritum, sequentibus nonnullis suæ sanctitatis signis. Verum inter omnia unum illud præcipuum jam secutum fuerat, quod de talibus in se credentibus prædixerat Dominus noster: Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: cum constet hunc Virum signo crucis propinatum haustumque venenum minime læsisse, quemadmodum supra dictum fuit.

18 Quare nulli mirandum erit, si quis beatum hunc Virum gravi aspectu, oblonga barba, inter manus imaginem Christi crucifixi gestantem, contemplantemque, in antiquo ex ære numismate videat, quod Joannes vir pius ex præclara illa familia de Manettis ab atavis acceptum, patribus Montis Senarii hoc nostro ævo ad perpetuam tam præclari Viri memoriam libentissime obtulit. *Annotationes* Æreum, *inquiunt*, numisma imaginis B. Bonaiunctæ vidit author, ut habetur in eadem historia B. Philippi, *de qua supra dictum*, quod hodie inter sacra monumenta Senarii asservatur, Joanne Manetto, authoris valde necessario, largitore: qui ut hujus Beati memoriam in familia renovaret hoc tempore, uni ex filiis Bonaiunctæ nomen imposuit. *Hæc ibi. Adde ista:* Joannes Manettus *vocatur. Beatus noster ac* Joannes *in Commentario B. Manetti Antellensis, quem antea citavimus. Apud Gianium vero in indice ad Annales littera* b *vocatur* B. Bonaiuncta de Manettis. *Quæ autem superius ex ipso narravimus per decursum hujus* § 2, *aptantur anno* 1257 *ab eodem auctore, cujus exemplo et nos obitum Beati affiximus eidem anno.*

imago ejus et numisma:

elogium in Martyrologio Romano.

19 *Anno* 1728 *auctoritate Apostolica jussi sunt inscribi septem Ordinis servitarum fundatores Martyrologio Romano. Vide mox allegatum Commentarium prædicti Manetti Antellensis pag.* 138, *et pag.* 139. *Apponi autem mandatur isti Martyrologio Beatus noster hac die* XXXI *Augusti, his verbis:* Juxta Florentiam in Monte Senario beati Bonaiunctæ confessoris, unius inter septem beatos Servorum Sanctissimæ Virginis institutores: qui egregiis meritis inclytus, cum Sacrificio absoluto, in sacris vestibus super passione Dominica verba confratribus faceret, cum ad illud Euangelicum pervenisset. " Et crucifixerunt eum " apertis brachiis, et manibus, ac si esset cruci affigendus, enarratis postmodum illis: " In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum " in manus Domini subito tradidit spiritum.



DE

DE B. ELISABETHA SEU ISABELLA VIRGINE REGIA

FUNDATRICE MONASTERII LONGI-CAMPI

PROPE FANUM S. CLODOALDI IN AGRO PARISIENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Acta antiqua Beatæ et Vitæ recentiores: natales ejusdem, pia educatio, fuga nuptiarum, fundatio abbatiæ Longi-Campi.

B F

ANNO MCCLXX. *Vita Beatæ antiqua, quam edemus Latine,*

Monasterium Longi-campi a B. Elisabetha *fundatum, in quo præcipua veneratione nunc colitur, situm est in territorio Parisiensi prope Novigentum, seu Fanum S. Clodoaldi, ut nunc passim vocatur, vulgo* Saint Cloud. *Beata ibidem in veneratione magna fuit a tempore obitus ob famam sanctitatis multis miraculis confirmatam. Attamen cultu vere ecclesiastico tantum dignata est seculo* XVI, *ut commodius explicabimus infra. Vitam Beatæ conscripsit sermone Gallico Agnes de Harcourt, quæ pedissequa honoraria fuerat* Elisabethæ, *dum vivebat in aula, et ingressa inter primas abbatiam Longi-Campi, eidem monasterio tertia præfuit abbatissa. Hinc optime novisse potuit mores gestaque Beatæ tum in aula tum in monasterii secessu. Et vero undique ex Vita apparet, eam summa fide et sinceritate in scribendo usam, nihil narravisse, nisi quæ viderat, audieratve, aut ex testibus oculatis au-* B *ritisque didicerat. Lucubratiunculam Agnetis Gallicam edidit diligentissimus Cangius inter antiqua monumenta ad S. Ludovicum spectantia a pag.* 169. *Illam ego ex editione Cangii Latine conabor exprimere stylo simplici, et post hunc Commentarium lectorum oculis objicere. Autographum etiamnum servatur in abbatia Longi-Campi, ubi illud anno* 1741 *vidit R. P. Stephanus Souciet Societatis nostræ, qui testatur characterem certo esse seculi S. Ludovici, Vitamque scriptam in membrana, non in libeum compacta, sed complicata in volumen.*

scriptores recentiores, qui Vitam ejusdem texuerunt.

2 *Vitam* B. Elisabethæ *deinde scripsit Sebastianus Roulliard, edebitque Parisiis anno* 1619. *Hic auctor profitetur se sequi Vitam ab Agnele abbatissa compositam, quam Ms. habuit. Attamen in factis referendis, quas antiqua Vita continet, non satis ubique cum illa consentit, ut lector eruditus percipiet, si utramque Vitam contulerit. Addit Roulliardus pag.* 25 *se ex aliis Chartis Chronicisque collegisse illa, quæ de Beata refert præter narrata ab Agnete. Hac de causa nos etiam ex illo, aliisque supplebimus, quæ desiderantur in Vita edenda. Porro cum laudatus Roulliardus Vitam* B. Elisabethæ *nimis prolixam reddidisset perpetuis digressionibus, nihil ad Beatam spectantibus, R. P. Nicolaus Caussin Societatis nostræ eamdem conscripsit brevius, omissis nimirum Roulliardi digressionibus; nam illi alias fere inhæret, cumque in referendis factis et miraculis presse admodum sequitur. Tandem Adrianus Baillet in Vitis Sanctorum ad* XXXI *Augusti Vitam ejusdem Beatæ compendio scripsit, aliquaque memoravit de cultu ejus posterius aucto, quæ nobis usui esse poterunt. Reliquos, qui vel Vitam collectionibus suis inseruerunt, vel de Beata meminerunt, hic prætermitto; cum singuli memorandi sint suis locis, ubi videbitur operæ pretium. Progredior itaque ad texendum ordinem qualemcumque chronologicum, factaque supplenda, quæ in Vita sunt prætermissa.*

Annus natalis, educatio: virginitatis amore fugit nuptias:

3 *De parentibus* B. Elisabethæ *Ludovico VIII Francorum rege et Blancha Castellana varia dixi ad* XXV *Augusti in Commentario ad Acta S. Ludovici* § 4, *ubi quoque de fratribus ac sorore Beatæ breviter actum. Nata fuit* Elisabetha *mense* F *Martio anni* 1225. *Id habemus ex Chronico S. Dionysii apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii recusi pag.* 496, *ubi ad annum* 1224 *sic legitur:* Hoc anno nata est Isabel filia Ludovici regis in Martio. *Nam cum annus* 1224 *Gallis eo tempore curreret usque ad Pascha, nataque sit mense Martio, seu ante Pascha, nata fuit anno* 1225 *pro hodierno anni inchoandi more. Nec ea de re dubitant eruditi. Ludovicus VIII eodem anno, mense Junio, condidit testamentum suum, editum ab Andrea du Chesne tom.* 5 *Scriptorum historiæ Francorum, in quo pag.* 325 Elisabethæ *sic meminit:* Item donamus et legamus Elizabeth charissimæ filiæ nostræ viginti millia librarum. *De pia ejus educatione per matrem Blancham leguntur sequentia in Vita secunda S. Ludovici, tom.* 5 *Augusti pag.* 575: Memorata domina *(Blancha)* diligenter custodiri jussit atque educari . dominam Elisabetham filiam suam, sancti regis sororem, quæ sanctæ fuit vitæ Domina. *Infans desponsata fuit Hugoni filio Hugonis Marchiæ comitis. At cum illæ nuptiæ non coaluissent ob secuta inter S. Ludovicum et Marchiæ*

AUCTORE J. S.

chiæ comitem bella, sollicitata rursum fuit ad nuptias cum Conrado, filio Frederici II imperatoris ineundas, ipso summo Pontifice Innocentio IV matrimonium istud suadente, sed frustra, quia virginitatem quibusvis nuptiis præhabebat Elisabetha, *ut relatum est in Vita cap.* I, *et ibidem in annotatis confirmatum lit.* c *et* d.

petit fratres Minores conscientiæ moderatores :

4 *Etiamsi Innocentius primum suaserat nuptias* Elisabethæ *cum Conrado, vehementer tamen approbaverat consilium ejusdem servandæ virginitatis, ubi id ex ipsius litteris intellexerat. Recurrit Beata deinde ad eumdem Pontificem, ut sibi habere liceret aliquot fratres Minores, conscientiæ suæ directores. Innocentius igitur in gratiam* Elisabethæ *hasce ad ministrum fratrum Minorum in Francia dedit litteras, editas apud Waddingum in Annalibus ad annum* 1254 *num.* 34 : *quibus mandat, ut illi*, quæ, tamquam præcipua honestatis et sanctimoniæ imitatrix, quandoque in claustris monialium dicitur conversari, *concedat* aliquos ex fratribus *sui* Ordinis.. ad decorem honestatis suæ, et confitendum eis peccata infirmitatis propriæ. *Datæ leguntur* B *hæ litteræ* Assisii VII Kal. Junii, an. XI, *id est, æræ Christianæ* 1254.

fundat abbatiam Longi-Campi,

5 *Condidit deinde abbatiam Longi-Campi, ut narratur in Vita num.* 12. *Guilielmus de Nangis scriptor contemporaneus in Chronico suo apud Acherium tom.* 3 *editionis secundæ pag.* 39 *fundationem illam refert ad annum* 1259, *de eaque sic scribit :* In episcopatu Parisiensi fundatum est cœnobium sororum Minorum juxta sanctum Clodoaldum supra Secanam *, a religiosa et illustri Izabella virgine, sorore sancti regis Franciæ Ludovici, ipso rege eidem monasterio possessiones et redditus in sustentationem Sororum congruos assignante. *Joinvillius in Vita S. Ludovici, tom.* V *Augusti pag.* 753 *affirmat, abbatiam a* B. Elisabetha *fundatam, rogante S. Ludovico. Roulliardus in Vita pag.* 192 *ait, crucem ibidem plantatam ab episcopo Parisiensi ante opus inchoatum : deinde primum lapidem positum a rege S. Ludovico, alterum a regina Margarita, tertium a Ludovico eorum filio, et quartum a* B. Elisabetha. *Addit tres eo tempore visas columbas miri candoris, quales ibi esse non* C *solerent ; indeque reginam gratulatam* B. Elisabethæ, *quod SS. Trinitas videretur operi præsidere. Hæc ille ex litteris testimonio reginæ ea de re factis. Eademque referuntur in Epitaphio, quod totum Latine dabimus* § 3. *Laudatus Roulliardus pag.* 194 *testatur, ædificia abbatiæ absoluta mense Junio anni* 1260.

* la Seine

quæ egregie deinde floruit.

6 *Franciscus Gonzaga de Origine Seraphicæ religionis part.* 3, *pag.* 576 *de hoc monasterio scribit sequentia :* Infra hujusce venerabilis Custodiæ Parisiensis fines duo extant archicœnobia sororum sanctæ Claræ Urbanistarum celebria, unum, quod HUMILITATIS NOSTRÆ DOMINÆ A LONGO CAMPO nuncupatur, diœcesis Parisiensis, et prope Lutetiam Parisiorum ad quatuor milliaria ædificatum, anno Redemptionis æternæ MCCLX, authore sancto Ludovico invictissimo Francorum rege, instigante tamen serenissima simul ac pientissima beata Isabella, dicti sancti regis Ludovici unica sorore : cujus sepultura, infinitis miraculis conspicua, habetur in medio ecclesiæ (sub patronatu Humilitatis nostræ Dominæ dedicatæ) versus lævam. In hoc celebri archicœnobio floruerunt quondam sanctimoniales, summam generis nobilitatem sanctitate vitæ superantes, sorores Blancha filia regis Navarræ, Magdalena generosissimi principis Francisci ducis Britanniæ soror, Joanna et Margareta filiæ potentissimi Godefridi Brabantiæ. Vivunt illic hodie, Deo in timore servientes, eidemque cum tremore exultantes, sorores numero quadraginta, Christo Servatori summa eum humilitate commori gaudentes : quibus adsunt in cælestibus et divinis distribuendis tres Patres, quorum duo sunt prædicatores. D

cui Regulam scribendam curat, et confirmandam :

7 *Dum ædificia monasterii paulatim assurgebant, curabat simul* Elisabetha, *ut Regula componeretur, sicuti traditur in Vita num.* 13, *summumque Pontificem de proposito suo certiorem fecit per quosdam Religiosos Ordinis Minorum. Pontifex vero rem approbavit per litteras anno* 2 *Pontificatus sui datas, teste Roulliardo in Vita pag.* 164, *ubi ait litteras illas servari in tabulario abbatiæ. Addit idem scriptor Regulam anno sequenti* IV *Kalendas Martias ab eodem Pontifice confirmatam, rogante S. Ludovico. At dum ille annum Pontificatus* 2 *componit cum anno Christi* 1257, *et sequentem cum* 1258, *anno uno aberrat a vera chronologia: nam Alexander IV Pontifex* E *creatus est* XXI *Decembris anni* 1254, *adeoque annus ejus Pontificatus* 2 *concidit cum* 1256, *sequens cum* 1257, *quo Regula debuit esse confirmata, si bulla Alexandri signetur anno Pontificatus* 3. *Hæc Regulæ confirmatio traditur etiam in bulla Urbani IV inferius citanda, ex qua discimus nomen* Humilitatis beatæ Mariæ *ab Alexandro IV abbatiæ surgenti datum.*

ingrediuntur moniales in monasterium novum :

8 *Regula confirmata, absolutoque monasterio, novellæ congregationis habitum susceperunt Sorores viginti, quas S. Ludovicus cum* B. Elisabetha *in novam domum introduxit, piisque instruxit monitis, ut magno excelsoque animo ad vitam perfectam aspirarent. Factum id anno* 1260 *in pervigilio S. Joannis Baptistæ, affirmat Roulliardus pag.* 194. *Inter hasce primum ingressas quatuor erant moniales ex monasterio Remensi Ordinis S. Damiani, seu S. Claræ, quæ fuerunt electæ, ut ceteras disciplina regulari imbuerent. Laudatus Roulliardus pag.* 196, *et Marlotus in Metropolis Remensis Historia tom.* 2 *pag.* 504 *affirmant, Urbanum IV anno Pontificatus sui primo, ad preces S. Ludovici, præcepisse quatuor dictis monialibus Remensis monasterii, videlicet* Isabellæ de Venetiis, Odonæ de Remis, Stephanæ de Remis, Ægidiæ quoque de Remis, *ut ad abbatiam Longi-Campi se conferrent, ceterasque instituerent. At, cum hæ litteræ sint datæ* XII *Kalendas Decembris, anno* I *Pontificatus Urbani, seu Christi* 1261, *non* 1259, *ut perperam ait Roulliardus, hoc Pontificis mandatum non recte cohærere videtur cum primo ingressu ad annum* 1260 *relato. Dici tamen potest, memoratas moniales episcopali verosimiliter auctoritate primum venisse ad instituendam congregationem novellam, ac deinde per Urbanum in abbatia Longi-Campi manere jussas, et sic recte omnia cohærebunt. Quidquid sit prima ex istis interim statuta est abbatissa Isabella Veneta, seu de Venetiis.* F

Regula primum probata, quia nimis apparebat rigida, corrigitur,

9 *Sub hac igitur abbatissa cœpit familia illa Religiosa observare Regulam ab Alexandro IV confirmatam. At usu et experientia compertum est, Regulam illam magis esse rigidam, quam conveniret laudatæ congregationi ; aut certe in aliquibus corrigi posse et mitigari. Hinc beata* Elisabetha *rursum ad S. Ludovicum fratrem suum recurrit, ut, ejus intercedentibus precibus, a summo Pontifice corrigeretur, correcta-*

que

A *que confirmaretur. Annuit Urbanus IV, Regulamque correctam approbavit per bullam, VI Kalendas Augusti datam, anno Pontificatus sui 2, id est, Christianæ æræ 1263. Edidit hanc bullam Waddingus in Regesto pontificio post tom. 2 Annalium Minorum a pag. 89, cujus initium ad dictorum confirmationem subjungo :* Religionis augmentum eo libentius procuramus, quo per hoc amplius dilatatur divini nominis cultus, et salus proficit animarum. Sanc fel. rec. Alexander Papa prædecessor noster, charissimi in Christo filii nostri illustris regis Franciæ supplicationibus condescendens, omnibus Christi ancillis e sæculo fugientibus, et in vestro HUMILITATIS BEATÆ MARIÆ vocabulo insignito, in quo tunc de novo constructo nemo adhuc, ut dicitur, morabatur, professionem facientibus, Regulam infra scriptam in eodem monasterio perpetuis temporibus observandam, cum SORORUM INCLUSARUM vocabulo nuncupandam, concessit.

correctaque confirmatur ab Urbano IV;

10 Porro ex parte dicti regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictam Regulam in aliquibus capitulis corrigi facientes, nominationis ejus MINORUM vocabulum adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem regis precibus inclinati, Regulam ipsam per dilectum filium nostrum Simonem tituli sanctæ Cæciliæ Cardinalem corrigi facientes, et ut sic re, ita et nomine, præsertim cum idem monasterium, sicut præmititur, tittulum HUMILITATIS BEATÆ MARIÆ sibi adscripserit, ejusdem humilitatis possit profectibus insigniri, nuncupationi ejusdem Regulæ dictum MINORUM adjicientes vocabulum, duximus statuendum, ut Regula ipsa SORORUM MINORUM INCLUSARUM de cætero nominetur, et servetur perpetuo in prætacto monasterio, et in aliis monasteriis de cætero fundandis, seu plantandis, in quibus sorores eamdem Regulam profiteri contigerit, sic correcta. Quam quidem Regulam, et ipsarum sororum Minorum inclusarum vitam inferius fecimus annotari, quæ talis est. *Post hæc Regula ipsa subjungitur, quæ ibidem videri potest.*

hinc Beata nostra dici potest fundatrix Urbanistarum.

11 *Hippolytus Helyot in Historia Ordinum Religiosorum tom. 7, pag. 195 B.* Elisabetham *vocat fundatricem monialium Minorum, quæ* Urbanistæ *vocantur ab Urbano Pontifice, qui earum* C *Regulam mitigavit et approbavit. Ratio est, quod Regula S. Francisci primum mitigata sit ad preces* B. Elisabethæ, *atque in monasterio ab ipsa condito primum observata. Putat quidem Helyotus Regulam omnibus Urbanistis ab Urbano præscriptam esse anno tantum 1264, id est, uno anno serius, quam moniales Longi-Campi suam acceperant ; nec nomen* Urbanistarum *derivatum fuisse, nisi a secunda illa Regula, quæ exstat in Bullario Cherubini tom.* I *a pag. 100 : at fallitur ille scriptor in epocha bullæ secundæ, quæ æque ac prima data est anno 1263,* XV *Kalendas Novembris, id est, non integris tribus mensibus post primam. Deinde, ut recte ratiocinatur Helyotus, etiamsi nomen ex secunda bulla profluxerit, titulus fundatricis nihilominus debetur* B. Elisabethæ, *cum Regula in secunda Urbani bulla præscripta nihil, aut certe parum, differat a Regula, quam, curante* B. Elisabetha, *monialibus Longi-Campi præscripsit Urbanus.*

§ II. Utrum Beata vitam Religiosam sit professa ? Clementis IV ad eam litteræ : mors et sepultura.

Aliqui putant B. Elisabetham fuisse Religiosam, negant alii,

Roulliardus in Vita cap. 10, pag. 242 affirmat, Beatam in hospitio separato conditi monasterii reliquam vitam pie et sancte traduxisse : Nam, *inquit,* non bene fuerunt instructi, qui scripserunt, quod Religiosam vitam ibidem sit amplexa. *Nunc ducem secuti sunt alii non pauci, inter quos Helyotus in Historia Ordinum tom. 7, pag. 200. Attamen dictus Roulliardus pag. 257 scribit, vota jam ante conditum monasterium per Beatam emissa in manibus Alexandri IV, qui illa, procurantibus fratribus Minoribus, acceperit, approbaveritque per bullam anno 1257 datam. Hæc, prout a Roulliardo sunt scripta, non satis videntur cohærere. At suspicor vota quædam simplicia* E *tunc temporis facta, non professionis Religiosæ, licet verba istius scriptoris aliud sonent. Nam emittere potuit votum perpetuæ virginitatis, condendi monasterii, in eoque deinde commorandi, aut alia hujusmodi. Verum quidquid sit de his votis, multi eum Roulliardo negant* Elisabetham *Religiosæ familiæ fuisse adscriptam, idque factum existimant, quod non iis esset corporis viribus, ut Regulam servare potuisset. Contra scriptores varii, præsertim ex Ordine Minorum, Religiosam fuisse contendunt, nec video eorum sententiam usque adeo destitutam rationibus, ut eas negligere oporteat.*

prior opinio habet auctoritatem Guilielmi de Nangis,

13 *Guilielmus de Nangis scriptor synchronus in Chronico ad annum 1259 hæc scripsit :* Quæ Yzabella habitum sororum, ibidem suscipiens, religiose vivendo vitam suam fine laudabili terminavit. *Hoc præcipuum istius opinionis fundamentum, neque illud omnino invalidum. Addi posset, quod Sancta fuerit sepulta in habitu monialium, ut infra videbimus. Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1254 num. 33, ut* B. Elisabetham *Ordini suo asserat, varios adducit scriptores recentiores, quorum non magna* F *hac in re potest esse auctoritas. Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano ad* XXXI *Augusti adjungit rescriptum summi Pontificis Leonis X, in quo Ordinem dicitur professa. At norunt eruditi æque ac canonistæ, ex rescriptis Pontificum, qui longo post tempore vixerunt, efficax non desumi argumentum, dum in illis aliqua referuntur, quæ ex supplicantium verbis sunt desumpta. Præcipuum ergo pro hac opinione argumentum est auctoritas Guilielmi de Nangis, qui eodem tempore vivebat in abbatia S. Dionysii Longo Campo vicina, illudque vel solum sufficeret, nisi graviores in contrariam partem militarent rationes.*

altera nititur antiquorum aliorum silentio.

14 *Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 445 in contrarium disputat hoc modo :* Agnes *(de Harcourt)* quæ cum illa usque ad ejus obitum vixit, quæque postea *(imo ab initio fundati monasterii)* se familiæ Longi-Campi addixit, et illius monasterii tertia abbatissa fuit, in Vita Isabellæ, quam scripsit, ne verbulum quidem de ea re profert ; neque quidquam in ea Vita reperias, quod eo pertineat ; immo

AUCTORE J. S.

immo plura contrarium persuadent. Quomodo enim admittere in ædes potuisset turbam pauperum, si se claustro continuisset? Quomodo professæ paupertatem plura ad mensam ministrari fercula, a quibus dicitur semper abstinuisse, et vilissima quæque comedisse? Sed, ne longius hæc prosequar, non alienus sum a mente Breulii, qui dicit exstructas ab ea ædes juxta monasterium, ubi morata sit, et morituram habitu monialium indutam fuisse. *Ita ille. Verum ad ea, quæ dicit de admissis pauperibus, ferculisque pluribus Beatæ appositis, responderi potest, illa in Vita narrari ante structum monasterium, adeoque contigisse, dum degebat in aula. Quod attinet ad silentium Agnetis de vita religiosa, fortasse non inepte respondebitur, ne referri quidem in Vita habitasse ipsam in abbatia aut in domo illi vicina, licet istud abunde colligatur ex variis cap. 3 narratis. Verumtamen, cum addi possint et alia argumenta negativa ex silentio Cantipratani, auctoris anonymi ex Ordine Minorum, cujus verba ex Vita 2 S. Ludovici dedi num. 3, Clementis IV in titulo epistolæ mox citandæ, qui omnes occasionem habebant memorandi professionem ejus* B *religiosam; cumque ne ipsæ quidem moniales Longi-Campenses Beatam Ordini uno attribuisse umquam videantur, auctoritas Guilielmi de Nangis parum ad id prodesse poterit. Certe si moniales Longi-Campenses credidissent* B. Elisabetham *Ordini suo fuisse adscriptam, illud haud dubie insertum fuisset Epitaphio infra recitando, quod scriptum dicitur seculo* xv. *Verumtamen ibidem, relata monasterii fundatione atque introductione monialium, hæc tantum subduntur:* Sancta domina Elisabetha voluit tota vita sua manere, vivere ac mori in hac abbatia; *et ne verbum quidem adjungitur, ex quo colligi possit Religiosam fuisse; sed varia potius narrantur de ejus vestibus, de cura pauperum, aliisque virtutibus, quæ insinuant Religionis legibus obstrictam non fuisse, saltem ante supremum morbum.*

Putat se habere caput S. Pauli apostoli, quod eam dedocet Clemens IV:

15 B. Elisabetham *studiose quæsivisse sacras Sanctorum reliquias, abunde colligitur ex litteris Clementis IV, quas recitat Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1268 *num.* 50, *et Edmundus Martene tom.* 2 *Anecdotorum col.* 588: Scias, filias, Apostolorum capita Romæ indubitanter haberi, quæ felicis recordationis C Gregorius Papa nonus prædecessor noster, de sanctis sanctorum suis manibus extrahens, Romano populo patenter exhibuit, et in locum suum restituit cum debita reverentia, præsentibus et scientibus universis. Quod si forsitan caput B. Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, nec ponas scandalum matri tuæ Romanæ ecclesiæ, quæ deceptionem hujusmodi non posset æquanimiter tolerare. Si vero Græci aliquo tempore se illud habere dixerunt, ne mireris: nam odio Latinos habentes facile sibi formaverunt mendacium, qui de fide mentiri Catholica, quod est majus, minime dubitarent. Bene igitur facies, si, quod habes, dilecto filio nostro Simoni S. Cæciliæ presbytero Cardinali, apostolicæ Sedis legato, nomine nostro reddideris, nobis per eumdem mittendum: ne, si ad alias manus devenerit, possit inde cum erroris periculo scandalum suscitari. Dat. Viterbii xiv Kal. Maii anno iv., *æræ Christianæ* 1268. *Titulus apud Raynaldum hic præfigitur:* Isabellæ Francorum regis germanæ. *Apud Martenium:* Dilectæ filiæ in Christo nobili mulieri Isabellæ, carissimi in Christo filii nostri illustris D regis Franciæ Germanæ. *Prior, ut conjicio, præfixus fuit exemplari, quod servabatur Romæ, alter epistolæ, prout missa fuit ad Beatam. At neuter mentionem facit professionis Religiosæ, ut ante observavi. Porro quod attinet ad caput S. Pauli, suspicatur Baronius ad annum* 381 *num.* 79 *caput fuisse S. Pauli Constantinopolitani episcopi, cujus reliquias Constantinopoli ab aliquibus habitas fuisse pro reliquiis S. Pauli apostoli probat ex Sozomeno.*

diuturnus Beatæ morbus ante obitum:

16 *Duobus ante mortem annis gravissima infirmitas Beatam corripuit, in qua mire eluxit invicta ejus patientia, teste Vita num.* 17. *Dum hoc languebat morbo, sive divina revelatione didicerit vitam sibi non superesse diuturnam, ut vult Roulliardus in Vita pag.* 374, *sive id conjecerit ex gravitate et qualitate morbi, rogavit summum Pontificem Clementem IV, ut ejus auctoritate liceret consanguineis suis assistere sepulturæ suæ in monasterio. Annuit Clemens Beatæ precibus, licentiamque petitam concessit rescripto,* iv *Idus Septembris anni* 1268 *dato, ut testatur Roulliardus pag.* 375, *et Chaizius in Historia S. Ludovici tom.* 2 *pag.* 614, *citans manuscriptum. Verum-* E *tamen non obiit quinque circiter mensibus post impetratam hanc facultatem, ut scribit Roulliardus, qui in temporum ordine non raro labitur: sed supervixit usque ad annum* 1270, *ut mox probabimus. Porro Roulliardus multa deinde commemorat de postremis ejus monitis: at malui illa prætermittere, sicut omisi multa alia ab eodem scriptore relata. Quippe ubi aliqua ab illo referuntur, quorum fontes non assignat, certus esse nequeo, an illa non potius meditata sint ab ipso, aut ex conjecturis incertis deducta, quam ex antiquis accepta.*

tempus mortis, atque ætas.

17 *Obiit Beata* circa mediam noctem xxiii Februarii *in pervigilio S. Mathiæ* anno *autem veteris styli* mcclxix *(id est* 1270 *styli hodierni)* uti in Martyrologio Longi-Campi notatum est, *inquit Roulliardus pag.* 401. *Hic scriptor, cum morem antiquorum Gallorum, qui annum inchoabant a Paschate, non distingueret ab usitato hodie anni initio, existimavit mortuam re vera esse anno* 1269, *etiam prout nunc anni numerantur, quem errorem secuti sunt aliqui, inter quos Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis* F *tom.* 2 *pag.* 445, *ubi insuper perperam dicit, obiisse* v Kalend. Mart. *Chaizius jam laudatus pag.* 614, *aliique eruditi cum Roulliardo mortem ejus collocant* xxiii *Februarii anni* 1270: *nec de anno vel minimum superesse debet dubium. Verum quod spectat ad diem, Castellanus in annotatis ad Martyrologium Romanum auctum pag.* 712 *ex Necrologio Longi-Campi probat obisse* xxii *Februarii in Cathedra S. Petri, licet sequenti die anniversarium ejus Officium celebrari soleret. Huic autem magis fidendum putem, quam Roulliardo sæpe aberranti, quem alii sunt secuti. Dies hæc emortualis infra etiam confirmabitur. Porro, cum nata fuerit mense Martio anni* 1225, *ut diximus num.* 3, *annum ætatis quadragesimum quintum brevi erat completura. Aberravit igitur rursum Roulliardus, dum illi* 50 *fere ætatis annos attribuit. Mirabilia, quæ tempore beatæ ejus mortis contigerunt, referuntur in Vita cap.* 3.

Sepultura, et elevatio:


18 *Audita morte B. Sororis suæ, S. Ludovicus mox venit ad abbatiam Longi-Campensem, ut ejus sepulturæ adesset et exsequiis. Corpus sanctum jam ad ecclesiam portatum erat, indutum habitu monialium ait Roulliardus, dum eo advenit*

A *advenit rex sanctus. Cum autem mira esset populi multitudo, neque omnibus impetrata esset facultas ingrediendi claustrum, ipse Ludovicus excubavit, ne quis irreperet, cui ingrediendi licentia non esset data, testibus Roulliardo et Chaizio pag.* 614 *ex Ms. Addunt iidem regem, peractis exsequiis, brevi oratione consolatum esse moniales de obitu beatæ illarum Matris, quemadmodum etiam narratur in Epitaphio Beatæ jam laudato. Sepulta est intra claustrum, seu in choro monialium, nonoque post die rursum elevata atque honorifico magis sepulcro imposito. Elevationem hanc memorat Vita num.* 24 *et* 25, *ubi videri possunt, quæ tunc contigerunt; uti et in Epitaphio* § 3.

sepulcrum

19 *Post aliquot menses, si Roulliardo credimus, erectum est Beatæ sepulcrum eo loco, quo chorus separatur ab ecclesia populo destinata, ita ut caput cum parte corporis superiore sint intra chorum, reliqua vero pars corporis in alia ecclesiæ parte. Hic locus electus est, teste etiam epitaphio, ut sepulchrum a confluentibus eo peregrinis adiri posset, ac videri extra chorum. Addit sepulcrum ad tres circiter pedes elevatum, illique impositam Beatæ effigiem, habitu Religiosarum S. Francisci indutam, superadjecto pallio regali liliis distincto. Porro sepulcrum beatæ Principis eodem etiamnum loco conspici, docuit me litteris suis laudatus ante Soucietus noster, qui omnia diligenter lustravit, et ad commodiorem rei intelligentiam breviter de ecclesia ipsa observavit, eam sepimento ad quindecim circiter aut viginti pedes elevato distingui in duas partes, quarum altera relinquitur populo, altera solis servit monialibus, quarum est chorus. Quin et figuram totius ecclesiæ ex visu delineavit in hunc modum, quem subjicio.*

AUCTORE J. S.



prout etiamnum cernitur,

20 *Vides altare esse in parte populo destinata, eamque partem ecclesiæ dividi a choro monialium sepimento jam dicto :* In hoc sepimento, *inquit Soucictus,* ex parte Euangelii est sepulcrum Beatæ. Assurgit ad tres circiter pedes cum dimidio, aut ad pedes quatuor. Superimposita est statua Principis marmorea, quæ composita dicitur jussu S. Ludovici. Vestimento induta est monastico coloris castanei, cinguloque e funibus circumdata. Cubat supina de more, capite obverso parti monialium, pedibus versus altare extensis. Hinc in choro Religiosarum consistere oportet, ut quis caput aspicere possit et vultum, qui Beatæ admodum similis est, inquiebant mihi Religiosæ, ac formosam repræsentat principem. Grandis est staturæ. Et ad pedes statuæ, ubi passim gemini cernuntur leones ad pedes virorum, aut canis duove canes ad pedes feminarum, hic oculis objiciuntur modicæ duæ figuræ Religiosarum, flentium librumque manibus teneutium. *Hactenus diligentissimus Soucietus, cujus verba Gallica Latine reddidi.*

et epitaphio :

21 *Roulliardus vero testatur in circuitu legi hosce versiculos :*

Præradians stellis, vita fuit hæc Isabellis;
Hujus quæ mater cellæ sit facta libenter.
Tam grandis genere, permansit humillima vere :
Raro loquens, teneræ carni dominata severe.
Hujus vos memores omnes estote sorores;
Quas veluti flores plantavit tanta Minores.

Præter hanc inscriptionem Latinam, hæc insuper habetur Gallica, *inquit Roulliardus pag.* 408. *Illam ex ipso Latinam reddo :* Hæc est S. Isabella Franciea, filia Ludovici regis Francorum, et soror S. Ludovici, quæ virginitatem suam prætulit lilio cuilibet aut sceptro regio, cum noluerit maculare corpus, ut animam servaret nitidiorem. Nata quoque dives vivere et mori voluit cum pauperibus; mundi honorum oblita, ut humilis esset et parva coram Deo. Hinc pro mundana magnitudine coronam sibi in cælo acquisivit immortalem. Hic infra jacet corpus dominæ Isabellæ Franciæ. *Superius in muro scriptum est Latine,* In pace factus est locus ejus. *Inferius ad latus sunt imagines S. Ludovici et* B. Elisabethæ, *cum epigraphe Gallica, quam Latine subjungo :* Est dominus Ludovicus rex Franciæ et Domina sancta Isabella soror ejus, qui fundaverunt hoc monasterium anno gratiæ MCCLX ad honorem Dei et piissimæ ejus Matris.

F

sepulcri apertio et miraculum.

22 *Laudatus Roulliardus deinde refert, anno* 1461 *apertum fuisse Beatæ sepulcrum, petente atque assistente comitissa Stampensi, matre Francisci Britanniæ ducis, dum illa filiam suam Magdalenam Britannicam in monasterium Longi-Campi inducebat. Aperto magna cum solemnitate sepulcro, odor suavis atque aromaticus perceptus est ab assistentibus, ossaque mirum in modum apparuerunt splendentia, si credimus Roulliardo, qui hæc paullo latius describit. Addit quoque miraculum hujusmodi. Jachelina de Longueil, pia Religiosa Longi-Campi, quæ viginti annis usu mediæ corporis partis capta fuerat, brachiumque habebat inutile et putrefactum, e lecto, quo decumbebat, ad Beatæ sepulcrum delata, rogavit, ut brachium suum imponeretur loculo. Ubi brachium ibidem aliquo tempore pependerat, illud retraxit, prorsus sanata non brachio tantum, sed corpore toto. Extremis autem ipsius digitus aliquid olei miraculosi adhæsit, quod subinde stillare ex sepulcro affirmat Roulliardus pag.* 409.

§ III.

AUCTORE J. S.

§ III. Prolixum Beatæ Epitaphium, ex Gallico Latine redditum.

Epitaphium Beatæ, in quo narrantur

In abbatia Longi-Campi servatur scriptum antiquum, quod inscribitur Epitaphium S. Elisabethæ, *exaratumque dicitur seculo* XV, *partim ex Vita Beatæ inferius edenda, partim ex litteris quibusdam in abbatia servatis. Totum illud propria manu excripsit humanissimus Soucietus, mihique transmisit, addita hac observatione*: Epitaphium tribus columnis scriptum est in membrana, lignoque inclusum. Exponitur die festo Beatæ et per totam Octavam prope sepulcrum ipsius. Exaratum est litteris Gothicis; et quia populus litteras istas hoc tempore legere nesciret, exscriptum est eleganti charactere hodierno in membrana simili, extensumque apographum B super autographum. *Multa quidem referuntur in hoc Epitaphio, quæ fusius narrantur in Vita; cum tamen et alia quædam addantur ibidem prætermissa, totum statui ex sermone Gallico Latinum facere, atque huic loco inserere, quia compositum est eo tempore, ad quod rerum gestarum ordo nos deduxit. Accipe igitur fidelem et simplicem Epitaphii versionem, cui claritatis gratia aliis litteris inseram paucula verba.*

ejus natales, corporis animæque dotes,

24 Sub hoc tumulo jacet corpus celsissimæ et excellentis Dominæ bonæ memoriæ, dominæ Elisabethæ Franciæ, sororis boni regis Franciæ S. Ludovici, et regis Siciliæ *(Caroli,)* et filia regis Franciæ Ludovici (VIII) ejusque conjugis reginæ Blauchæ, filiæ regis Hispaniæ. Illustris hæc domina, dicta domina Elisabetha Francica ab infantia cœpit contemnere ac fugere gloriam amplorum mundi statuum, vanaque præsentis seculi gaudia, ut placeret Domino nostro Jesu Christo. Quippe, uti unica fuit filia, ac tenerrime dilecta a rege reginaque Franciæ memoratis, uti mirifica corporis pulchritudine, sapientia et gra- C tia coram mundo præcellebat, sic multo pulchrior, melior, jucundior et gratiosior fuit coram Deo vitæ sanctitate, probis moribus, præclarisque ac virtuti congruentibus dotibus, quibus eminebat, quasque ad finem usque vitæ conservavit. Speculum fuit innocentiæ, pœnitentiæ exemplar, rosa patientiæ, lilium castitatis et virginitatis, fons misericordiæ et pietatis, schola bonorum omnium morum, uti clarum est ex decursu vitæ ipsius.

virtutes ac pia exercitia,

26 Etenim tempore pueritiæ ac juventutis suæ non curabat se induere vestibus pretiosis, neque corpus suum eleganti cultu exornare: non curabat ludos, nec mundi oblectamenta: sed amabat solitudinem, et parum loquebatur. Studiis vacabat diligentissime, maxima contentione litteras discere nitebatur, sacrasque Scripturas noscere ac memoria retinere. Postquam iis bene fuit imbuta et erudita, frequenter admodum longis piisque precibus ac orationibus insistebat coram Domino nostro Jesu Christo. Deinde tempus suum insumebat conficiendis in gratiam ecclesiarum ornamentis ex serico, quod doceri se jusserat, ut omne tempus suum omnesque labores Domino nostro impenderet. In commiserationem erat admodum propensa, et larga in sublevanda pauperum inopia: corpori suo sobria et abstinens in cibo et potu. Ter qualibet hebdomada jejunabat, D suoque tempore tam parum cibi sumebat, ut corpus humanum illo sustentari non potuisset, nisi Dei gratia fuisset cooperata.

nuptiarum fuga,

26 Quando regina mater ipsius, illustresque ejus consanguinei eam nuptum dare volebant (uti eam jam promiserant et concesserant) filio imperatoris Romani *(Frederici II Conrado,)* qui post patrem suum heres debebat esse imperii, quique vehementer desiderabat, laborabat, totisque viribus enitebatur memoratam Dominam ducere uxorem, illa numquam consentire voluit. Quapropter Innocentius IV, consideratis magnis commodis atque utilitatibus, quæ inde possent oriri, litteras ei scripsit, ut ipsam ad dictum matrimonium induceret, litteræque ejus custodiuntur in hac præsenti abbatia Longi-Campi. Verum numquam consentire voluit in nuptias corporales, nec memorato imperatoris filio, nec ulli alteri homini mortali, propter ingentem amorem, cupiditatem, voluntatemque se totam Deo dandi ac consecrandi, uti re ipsa fecit; magis enim magisque crescebat atque augebatur sanctis virtutibus in via vitæ perfectæ.

sancta pecuniæ distributio, fundatio abbatiæ Longi Campi,

E 27 Divitias temporales, quas possidebat, quasque pro parte et dote sua debebat accipere, atque alias pecunias magnas, thesaurosque, quos rex pater ejus post mortem ei reliquit, distribuit atque elargita est in opera misericordiæ, stipe pauperibus eroganda, subsidiisque inopiæ conferendis. Totum ad gloriam Dei ejusque amore impendit; nimirum sublevando egestatem miserorum et indigentium, procurando vitæ institutum pauperibus orphanis, magnæque hominum multitudini: aliquos enim Religioni adscripsit; decem equites misit trans mare, ut pro fide Jesu Christi contra infideles pugnarent; et nominatim pecunia sua fundavit construendamque curavit præsentem hanc ecclesiam et abbatiam Longicampensem numero sexaginta monialium inclusarum Ordinis S. Francisci et S. Claræ. Rex S. Ludovicus, qui ejus cœptis opitulabatur, primum ecclesiæ posuit lapidem, regina Margarita ipsius conjux apposuit secundum, dominus Ludovicus filius eorum natu maximus tertium misit, dictaque domina Elisabetha quartum collocavit. Eadem hora, F qua hæc fiebant, tres columbæ candidæ sederunt in illo loco, omnibus, qui aderant, eas videntibus. Continuo regina Margarita dixit dominæ Elisabethæ: Chara soror *, tres hæ columbæ ostendunt et significant, sanctissimam Trinitatem aspirare cœptis operis nostri.

** Gallice* belle soeur *quod verti potest,* glos

cui nomen dat, ac Regulam procurat: introductio monialium in abbatiam,

28 Memorata domina Elisabetha perfecto ædificio suo ex proprii consilii motu nomen imposuit, illudque nominavit ecclesiam et abbatiam Humilitatis B. Mariæ Longi-Campi, dicebatque se vehementer mirari, a nemine ecclesiam aut abbatiam suam hoc nomine fuisse insignitam. Verumtamen, inquiebat, nomen est maxime sublime et optimum, quod possit assumi, illudque, quo Dominus noster Jesus Christus elegit gloriosissimam humillimamque Virginem Mariam, ut esset mater sua. Hæc erat ratio, aiebat, cur elegisset dictum nomen, ut illud domui et abbatiæ suæ imponeret. Post illa sancta hæc Domina magna admodum solicitudine cordisque ac mentis angore allaboravit, ut componendam ordinandamque curaret monialium Regulam. Ubi vero illa fuit composita, approbata, et confirmata a summo Pontifice, ædificiaque abbatiæ absoluta, rex S. Ludovicus ac dicta Domina soror ipsius

auctore J. S.

A ipsius die natali S. Joannis Baptistæ in hanc abbatiam introduxerunt, ibique collocarunt ac incluserunt moniales, quas prælatus dicti Ordinis eo destinaverat ad institutum monasticum ibi inchoandum. Memoratus S. Ludovicus illis bene precatus est, et in capitulo sanctis verbis idoneaque instructione eas exhortatus est, sedens loco non eminentiori præ illis Postquam hæc tam pie sancteque ordinata erant ac perfecta, dicta domina Elisabetha voluit tota vita sua manere, vivere ac mori in hac abbatia, perseveranter progrediens de bono in melius, atque in perfectiorem vitæ omniumque virtutum sanctitatem.

vita ejus austeritas, humilitas, misericordia in pauperes,

29 Tam admirabili fuit in potu ciboque sumendo abstinentia, ut ne paucu quidem ad satietatem manducare vellet, nec cibos gustare delicatos aut saporatos, nulla præter salem cibis suis apponens condimenta. Quando jejunaverat usque ad vesperam, nihil sumebat cibi, nisi parum pultis e pisis . . . . . . *. Frequenter jubebat se verberari cædique usque ad sanguinem virgis de fragon *; multisque aliis austeritatibus corpus suum affligebat. Omni tempore diligentissime sibi B cavebat abstinebatque a loquendo tam cum nobilibus pedissequis suis quam cum aliis personis, nec loqui volebat, nisi tarde admodum, perparum, ac justa et rationabili de causa. Tam perfectæ erat humilitatis, ut pati uollet a famulantibus sibi aliquod præstari servitium, nisi quod ipsa obire nequibat. Quotidie, priusquam cibum sumebat, prandere in cubiculo suo jubebat magnam pauperum multitudinem, quibus ipsa ministrabat: illas etiam, quæ ipsi serviebant, frequenter ante se jubebat prandere. Quando pretiosum Domini nostri Jesu Christi Corpus erat acceptura, humillime culpam suam dicebat genibus nixa coram ancillis suis. In vestitu erat modestissima; vestibus enim utebatur ex panno vilis crassæque lanæ, easque gerebat, donec detritæ essent et laceræ. Abundabat charitate, amore et commiseratione permagna erga pauperes, illosque, quos noverat afflictos esse et ægrotos. Hos diligentissime invisebat, suavibus sanctisque verbis consolabatur atque eleemosynis: iisdem serviebat propriis manibus, magnoque cum labore et defatigatione id agebat. Tantam aliarum C eleemosynarum operumque misericordiæ præstabat copiam, ut satis enumerari nequeant aut enarrari.

** vide annotata ad cap. I lit h*
** vox est obscura.*

orationis assiduitas et fervor,

30 Tanta orandi gratia erat donata et fervore, ut majori noctis parte et die fere tota piis insisteret orationibus ac precibus ad Deum fundendis magna cum lacrymarum abundantia. Quotidie confitebatur de peccatis, et sæpe Corpus Domini nostri Jesu Christi suscipiebat maximo pietatis sensu. Contigit aliquando, dum tota fere nocte in oratione perstiterat, ut contemplatione adeo attracta fuerit raptaque in Deum, ut de vita hac mortali nihil sentiret, intelligeret nihil: quidquid enim ei fieret, quæcumque dicerentur illi verba, nec se movebat, nec loquebatur, nisi hæc solum verba: « Illi soli honor « et gloria ». Facie quoque erat et carne tam spiritali, tamque mirifice suavi, pulchra et clara, ut res esset visu maxime miranda. In hoc statu fuit a primo tempore matutino usque ad seram vesperam, atque ista viderunt multæ personæ fide dignæ.

mirabilia in obitu, cura S. Ludovici in sepultura,

31 Quando venerabilis hæc Domina vitam hanc mortalem reliquit, ipsa mediæ noctis hora, qua spiritum suum Deo reddidit, supra cubiculum, in quo erat, a pluribus personis fide dignis, quæ locis erant diversis, auditus est in aere cantus, melosque tam admirabile et suave, unoque spiritu tam diu continuatum, ut vox humana cum illo comparari nequeat. Eadem hora ab aliis personis audita est vox, quæ dicebat. *(Latine)* « In pace factus est locus ejus ». Dum rex S. Ludovicus vidit corpus ipsius vestitum habitu Religionis, magna pietate provolvebatur in genua. Quando vero afferebatur corpus, ut sepeliretur intra claustrum monialium, ipse adesse voluit, ut excubaret ad portam, ne quis intraret, cui ingressus erat vetitus. Idem suaviter ac benigne consolabatur Religiosas in mœrore, quo affligebantur ob mortem sanctæ Dominæ suæ. Præterea, quoties intrabat claustrum, invisebat moniales ægras, inspiciebatque quid monialium conventui apponeretur in prandium. Quando mare trajicere parabat contra Saracenos pro fide Jesu Christi, venit ad moniales in earum capitulum, flexisque genibus preces postulavit et orationes.

elevatio corporis novem diebus sepulti,

32 Postquam corpus dictæ sanctæ Dominæ mandatum fuerat terræ spatio novem dierum, levatum de terra fuit, ut magis reverenter, quam E fuerat, sepulcroque magis honorifico collocaretur. Tunc inventum fuit corpus ac visa memoratæ Dominæ membra æque tractabilia ac flexibilia quam fuerant ipsa obitus sui hora. Vultu erat pulchro et claro, oculis suavibus et formosis sine ulla læsione, nec videbantur morte fuisse exstincti; nec corpus exhalabat quidpiam odoris mali. Hæc præsentes viderunt illustres Franciæ dominæ tunc viventes, tantaque multitudo aliarum personarum tam secularium quam Religiosarum, ut enumerari non possint. Quilibet præsentes magna religione laborabant corpus attingere annulis, cingulis, aliisque similibus, ut ea servarent tamquam sacras reliquias.

miracula tria.

33 Eo tempore una ex sororibus hujus abbatiæ, quæ spatio viginti annorum unum manus digitum habuerat morsu porcæ deformatum, sumpsit aliquid ex terra, quæ erat in circuitu corporis hujus venerabilis Dominæ, illudque alligavit digito, ibique reliquit plurium dierum spatio: postea dissolvit digitum, atque eum invenit tam nitidum et sanum, ut non videretur ullum umquam fuisse vulnus.

34 Alia persona, quæ multo tempore ante F obitum hujus Dominæ mente erat capta, multumque delira erat ac furiosa, adducta fuit detentaque spatio unius noctis supra sepulcrum venerabilis hujusce Dominæ; atque eadem nocte monasterii Religiosæ vigilaverunt et magna pietate oraverunt pro dicta persona ægrota. Qua autem proportione nox transibat et dies appropinquabat, sensus ei redibat ac furor temperabatur: die vero illucescente, tam perfecte sibi restituta est, ut dictam infirmitatem numquam deinceps sit experta.

Mulier, quæ omnem oculorum usum amiserat, se devovit sanctæ huic Dominæ, atque ad sepulcrum ipsius adducendam curavit, ubi obtulit binos oculos cereos. Peracta oblatione, mox integre sanata est et illuminata.

translatio corporis.

35 Multa alia miracula eaque magna et notabilia patravit venerabilis hæc Domina in gratiam magnæ multitudinis personarum ægrotarum, quæ tam ex longinquis quam viciniis regionibus venerunt ejus opem imploraturæ, quæque integram adeptæ sunt valetudinem, sanatæ ex morbis natura sua immedicabilibus. Hæc miracula continentur scripta in Historia sanctæ vitæ memoratæ

AUCTORE J. S.

moratæ Dominæ. Ex hac vitæ Historia et litteris quibusdam bonæ notæ, quæ custodiuntur in hac abbatia, desumptum est breviterque collectum hocce scriptum. Porro, quia peregrini, qui confluebant ad opem sanctæ hujus Dominæ implorandam, eique dona sua offerenda, sepulcrum ipsius aspicere non poterant, quia corpus ejus sepultum jacebat in medio hujus ecclesiæ intra claustrum monialium, corpus ex dicto loco levatum fuit, translatum, positumque eo loco et modo, quo videri potest, partim intra chorum monialium, partim extra. Quamvis autem venerabilis hæc Domina non sit canonizata, pie tamen credi potest sanctarum virginum numero adscripta esse in cælesti gloria, ubi vivit et regnat sine fine per omnia seculorum secula; quo ut et nos perveniamus, per gloriosas ipsius preces sanctaque merita concedat Dominus noster Jesus Christus. Amen. *Hactenus Epitaphium, cui aliqua deinde adjecta sunt, ad cultum Beatæ spectantia, quæ suo loco recitabimus.*

B

§ IV. Miracula recentiora.

Invocata Beata, brachium emortuum restituitur :

R*oulliardus, postquam narravit miracula in Actis ab Agnete scripta, aliudque ex eo mox datum, alia quædam recentiora subjungit a pag.* 449, *quæ ex ipso Latina reddo :* Alia Religiosa ejusdem monasterii, dicta soror Margarita de Soreille, brachium habebat usu destitutum, emortuum, et sensus expers, quod ei de fascia erat suspensum. Nervi manus adeo erant contracti, manusque illa tam firmiter clausa, ut ungues perfoderent carnes palmæ, globusque arte factus foret inserendus, ne ungues reliquum perforarent. Soror illa vitæ erat admodum probæ fiduciamque de Deo conceperat, simulque de meritis Sanctæ. Porro qua die anniversarium de illa peragebatur officium, soror accedere voluit ecclesiam, ac se posuit satis prope sepulcrum precibus intenta. Interea obdormivit, atque in brevi somno vidit mulierem insigni vultus gratia præstantem, quæ suaviter ejus brachium cepit, e fascia extraxit, atque in longum extendit, manumque ejus aperuit, ita ut globus, qui in illa erat, excideret, C volvereturque in medium chori. Hoc facto sorores, quæ occupabantur divino officio, admodum erant attonitæ, et dum rei fama modeste inter illas vagatur, hæc soror expergefacta est, sensitque brachium suum omnino relevatum et sanum. Surgit illa, quoque miraculum redderet manifestius, accedit pulsatura æs campanum, quod satis erat ponderosum. Hoc igitur miraculo significavit, Sanctam beatitatis gloria donatam esse, illamque adeo suffragiis defunctorum non indigere, ut invocanda potius esset, ut gratiam favoremque suum impertiretur.

monasterium Longi-Campi protegit contra ignem,

37 Sæpe aliunde ostendit per signa varia, singulari modo sibi a Deo concessum, ut domum hanc suam ab omni adversitate servaret immunem, eamque sub protectione sua constitutam. Contigit aliquando ut horreum et stabula abbatiæ, quæ illo tempore erant extra monasterii septa, satis prope et ad ingressum Silvæ de Boulonge *(vici vicini)* ignis corripuerit tam ardens et vehemens, ut et silva et omnis vicinia videretur incendenda; ita ut incolæ Boulogne et Suresne *(vici item vicini)* domibus suis, stramine tectis, imponerent pannos madefactos, ut illas tuerentur contra ignem, qui vento et tempestate D ipsas circumvolitabat. Conspicere sibi videbantur totum monasterium ecclesiamque ab igne correptam. Quapropter miseratione moti, et veneratione, qua moniales prosequebantur propter sanctam earum vitam, et quia multum ab illis consequebantur subsidii in necessitatibus suis, accurrerunt ad monasterium, ut viderent, quid afferre possent remedii. In itinere multi ex ipsis perceperunt formosam in aere dominam, quæ se inter ignem ponebat et monasterium, ac super istud extendebat pallium suum, quo flamma exstinguebatur; ita ut dum venirent ad monasterium, nihil in illo invenerint damni. Boni hi homines visionem suam sororibus narraverunt, quæ illam scripto consignarunt.

et furem in illo impedit ;

38 Aliud protectionis indicium etiam manifestum. Inter plures operarios, ad negotia quædam abbatiæ destinatos, unus erat animi infidelis, et fur re ipsa. Adverterat prope dormitorium varias esse arcas, quibus imponebantur sarcinæ quædam necessariæ. Decrevit noctu istuc ire, atque arcas uncino aperire : ac re vera venit ad dormitorium per scalas claustro propinquas. Verum, cum rem vellet aggredi, nobilem invenit E Dominam, ingenti pallio liliis aureis distincto vestitam, quæ impediebat, ne quid attentaret. Cogitabat spiritum esse, terroreque correptus, descendit in ecclesiam, ut scrutaretur, an quid ibi reperiret furto abducendum. Eamdem ibi similiter offendit Dominam, quæ ipsi ingentem incutiebat terrorem et formidinem; ac, quocumque se verteret, ei se exhibebat obviam, donec abscedere cogeretur, nullo illato damno. Comprehensus deinde a judicibus, et ob aliud quoddam crimen ad mortem damnatus, hoc ipsum narravit tamquam præcipuum, quo divinam in se provocasset vindictam. Quis igitur timere possit in illo loco, quem sancta hæc Virgo ostendit asylum esse tam securum?

novitia, ob grave corporis malum dimittenda,

39 Si antiquitas fidem conciliare potest miraculis supra relatis, quia scripta fuerunt eo tempore, quo plus erat simplicitatis et minus fictionis; nova hæc eo magis erunt credibilia, quod non ita pridem vixerint illi atque illæ, quorum obversata sunt oculis. Anno gratiæ MDXVI, die IX Martii, soror Joanna Carphaude juvenis novitia, nata annos quindecim aut sedecim, quæ in anno tirocinii adhuc versabatur, et jam tunc præbebat indicia magnæ morum puritatis, vitæ F sanctitatis, aliarumque perfectionum statui suo congruarum, cum ascendisset super struem ligni fasciculorum male compositam, graviter lapsa est super baculum cujusdam fascis, quo læsa est in partibus secretioribus; atque ex hoc vulnere, gravissimum passa est dolorem. Verumtamen ad dies facile quindecim toleravit dolorem, martyriumque istud, priusquam aliquid auderet indicare, propter locum, in quo erat malum. Tandem doloris acerbitas eam coegit indicare, quod diutius nequibat celare. Sorores omnes magna ejus miseratione movebantur, et per quatuor menses continuos curarunt, ut malo adhiberentur remedia omnia necessaria, quorum ope vulnus obductum est atque utcumque expurgatum. Attamen manserunt ejus nervi contracti, crus alterum sine sensu, rigidumque, atque altero brevius; adeo ut, cum quid de terra levare vellet, inclinandum ei esset, totumque corpus incurvandum. Hinc, ubi annus probationis erat peractus, sorores, quod viderent illam oneri fore monasterio, inutilemque ad officium suum, statuerunt, licet admodum invitæ, rogare parentes

A tes ejus, ut ipsam reciperent. Juvenis hæc novitia, postquam ea de re aliquid inaudierat, magis ex eo dolebat, quam ipso malo suo; idque morte ipsa magis timebat, nolens ullo modo resilire a votis Deo factis.

invocata Beata, subito convalescit ; 40 Omnem igitur spem suam collocavit in Deo, et in meritis Sanctæ, quam toto corde orabat, ut se filiam acceptare vellet, atque in domo sua retinere, tamquam humilem famulam. In hisce obdormivit : et tunc ei apparuit domina sancta Elisabetha, obtecta pallio pretioso coloris incogniti et insoliti, undique distincto liliis aureis. Ad dexteram ipsius erat sanctus Ludovicus frater ejus, ad alteram partem regina Blancha, veste regia insignis : atque omnes tres videbantur ei spem facere propinquæ sanitatis. Transacta visione, mane, dum nuntius debebat discedere, ut parentibus tristia significaret, nimirum ut venirent illam accepturi domumque reducturi, ferventi prece institit apud sanctam Matrem, rogans illam, ne cogeretur domo exire. Oratione finita, dum capere volebat fulcrum B subalare, ut rediret iu cubiculum suum, vocem audivit sonantem, quæ ei dixit, Iro ; acsi illi significare vellet, solam incedere posse ac pedibus suis, sine baculi istius adjumento. Mox descendit ex dormitorio, cucurritque ad ecclesiam ad gratias Deo agendas. Non erat nisi sexta hora matutina, qua sorores se præparabant ad preces Primas cantaudas. Hæ cernentes eam alacrem et expeditam, et nescientes utrum phantasma esset an res vera, primum vehementer fuerunt attonitæ. Verum cum certo appareret, Sanctam Dei auxilio miraculose ea in re operatam, æra campana præ gaudio agitata fuere, TE DEUM cantatum, totaque dies transacta jubilis, laudumque canticis. Fama rei Parisios et alio perlata, unusquisque accurrit ad monasterium Longi-Campense, ut oculis miraculum cerneret : ejusque certitudine adeo inclaruit gloria matris S. Elisabethæ, ut quilibet conaretur adferre cereos, in circuitu ejus sepulcri accendendos : quod etiamnum observatur annis singulis; dum ipsius recurrit festivitas.

alia gravissimo periculo 41 Accipe miraculum, quod superabit prodigium navis ad ripam tractæ solo filo virginis Vestalis. Anno MDXXX, cum numerus Religiosarum, C ad sexaginta limitatus, ut diximus, accepta facultate, excrevisset ad octoginta, decretumque esset novum exstruere dormitorium, accidit ut die quadam festa, qua operarii non laborabant, tres juvenes Religiosæ, seu juvenili curiositate, seu recreationis causa, voluerint ire ædificium inspecturæ, seque recrearent ascendendo ad summum lacunaris culmen, inter tigna et trabes. Tunc lacunar, quod fragile erat et infirmum, decidit; totumque unius corpus transiit inter duas trabes, non hærens ibidem nisi extremitate digitorum,qui illam ægre sustentabant. Tunc exclamavit : Sancta Mater nostra serva me ; et quasi animo deficere ex parte cœpit. Ad hunc strepitum cubiculo egressa est Religiosa quædam, nomine Georgia Cœur, quæ postea fuit abbatissa, cum Religiosa cognata sua. Hæ, ubi levarunt oculos, miseramque perceperunt sic pendulam, quam putabant mox lapsuram, capite inclinato præ terrore, et ne id viderent, velociter ad cubiculum suum se receperunt, animam illius Deo commendantes, quia non exspectabant nisi horam, qua decideret, ac corpus sibi contereret. Quippe altitudo, ut minimum, sex erat decempedarum, prout deinde fuit dimensa. Duæ aliæ sorores, quæ manserant supra lacunar, nesciebant, quid dicerent cogitarentve : flebant dumtaxat, atque opem implorabant venerandæ Matris suæ, quæ et cito manifestum fecit, quanta essent merita sua, quantaque potentia. AUCTORE J. S.

liberatur : 42 Nam una ex juvenculis istis, dicta soror Valentino Prevost, inspirante haud dubie sancta Matre, ausa est pedem imponere uni prædictarum trabium. Inclinavit se paulatim, ut una manu apprehenderet extremitatem veli, quod capiti misellæ erat impositum. Ubi velum attigerat, attraxit illud, sursumque traxit tam facile, acsi nullum fuisset corporis pondus. Sic illam periculo exemit et se ipsam, omnesque tres pariter, ubi evaserant tam feliciter, deorsum descenderunt. Porro secundum communem naturæ cursum quo fieri poterat modo, ut extremitate veli, seu lintei exigui, quod connexum non erat nisi aciculis, elevaretur puella jam grandiuscula, quæ corpore erat ætati suæ consentaneo? Deinde, unde vis illa ac potestas alteri isti puellæ, quæ ipsa periculo erat exposita, cuique satis erat negotii, ut se servaret, etiamsi se cum altera non perderet? Accedit, quod sexus ille E natura sua timidior sit et imbecillior ; quodque ingens esset periculum ob loci altitudinem. Fuit ergo aliquid præter naturæ ordinem ; idque confirmatur ex eo, quod, ubi tres illæ novitiæ descenderant, illa, quæ erat liberata, aliis dixerit : Quid vobis erat timendum ? Tam bene per humeros sustentata eram, ut decidere non possem. Illa autem, quæ ipsam sustentavit, erat sancta Mater, quam invocaverat. Famam rei per cœnobium vagatam secuta est læta gratiarum actio. Etenim corpus in aere tenere pendulum, faceretque ut illud attrahatur sursum velo, exiguis aciculis solum annexo, numquid res est insolita et naturam supergressa.

alia ex febri restituitur 43 Circa idem tempus juvenis Religiosa, nomine soror Joanna Massieux, diuturna febri vexata, deficiente medicorum arte, confugit ad sanctam Matrem, quam constanter orabat, ut favorem sibi impertiretur. Dum hæc fiebant, videbatur sancta Virgo ei apparere, obtecta pallio liliis aureis exornato : atque in illa visione spem ei ingerebat sanitatis. Mane oblata ei fuit medicina satis amara, quam tamen recusavit, dicens sibi illa non amplius opus esse, et se sanatam. F Experientia id docuit magna cum admiratione uniuscujusque. Utrum hæc visio oblata sit dormienti an vigilanti, non definio. Ad istud patet, illam reipsa et vere integræ restitutam fuisse sanitati.

aliud beneficium Beatæ : 44 *Hisce laudatus scriptor aliud subnectit beneficium, quod asserit semper pro miraculo habitum fuisse. Rem accipe compendio. Henricus III Galliarum rex Tolosa evocaverat Patres Fulienses, ut illos introduceret in monasterium Longi-Campi, amandatis alio monialibus. Ut autem id promptius et rectius exsecutioni mandaret, litteras summi Pontificis obtinuerat. Adit igitur rex ipse laudatam abbatiam, atque auctoritate Pontificia et regia jubet moniales Longo-Campo discedere ad locum alium ipsis assignandum, dictitans se non abiturum, donec mandatum suum cœptum esset impleri. Cum mire lamentarentur moniales, quidam regi persuaserunt,ut sineret defervescere primum doloris æstum, Religiosas suaviter inducendas, ut ipsius mandato morem gererent. Abit itaque rex, egressu monialium dilato. Illæ mox ad ecclesiam se recipiunt,*

AUCTORE J. S.

recipiunt, precibusque ferventibus instant apud beatam Elisabetham, *ne se expelli sinat. Tandem, continuatis diu noctuque precibus, nuntium accipiunt, regis voluntatem mutatam, sibique licitum esse manere in monasterio, ac Fulienses alio loco habitaturos.*

monialis diuturno vomitu liberata.

45 *Aliud miraculum, paucis annis antequam scriberet factum, refert Caussinus in Vita a pag.* 215. *Religiosa erat ex monasterio Haute Briere, nomine* Magdalena le Roy, *in Ordine* a S. Bonaventura, *quæ Beatæ invocatione misero ac diuturno vomitu liberata est. Litteras abbatissæ dicti loci, et ipsius, quæ sanata est, Religiosæ recitat Caussinus, ex quibus rem breviter refero. Laudata Magdalena per annos novem aut decem gravi ac crebro laboraverat vomitu, ita tamen ut, adhibitis medicinis, malum subinde intermitteret, et perpetuum non esset. Libera fuerat ad menses decem continuos, cum malum tam vehementer ipsam corripuit, ut per menses tres et dimidium nihil prorsus cibi stomachus ejus admitteret, quod non rejiceret, omnesque medicinæ nihil omnino adferrent solatii. Cum igitur* B *desperaret de sanitate humanis remediis obtinenda, ad Beatæ opem confugit precesque novemdiales in ejus honorem incipit. Primi novem dies sine ullo solatio transierunt, uti et sequentes novem. Incensa deinde desiderio peragendi exercitia spiritualia, Beatam enixe rogat, ut vires ea obeundi a Deo impetret. Post dies paucos,* III *Martii anni* 1638, *subitis stomachi doloribus præter morem cruciari incipit, et eodem die integre est sanata, omnique vomitu liberata, ita ut post octiduum spiritualia exercitia inchoaret. Epistola ejus, qua hæc refert prolixius, notata est* XVII *Maii ejusdem anni* 1638.

§ IV. Elisabetha Beatis adscripta : cultus extensio, corporis translatio, Officium.

Occasione miraculi ante relati cœptum est agi de beatificatione,

Quamquam Elisabetha *et vitæ sanctitate et miraculorum gloria erat conspicua, tamen de ea Beatorum aut Sanctorum catalogo inserenda nihil actum reperio ante seculum* XVI. *Roulliardus* C *pag.* 480 *affirmat, miraculum anno* 1516 *factum, ut narravimus num.* 39, *primam fuisse occasionem rei tentandæ, quia inter alios, ob famam miraculi Longum-Campum petentes, adfuit nobilis quidam Lucensis habitans Parisiis* (Lanfrancum Spinoli *nominat) qui de Vita et miraculis instructus, beatificationem suscepit promovendam in curia Romana. Profectus itaque Romam, rem ibidem tam diligenter promovit, ut obtinuerit a Leone X bullam mox memorandam, quæ data est* III *Idus Januarii anni* 1521. *Bullam ait missam Italo cuidam Parisiis degenti, cui nomen* Fristobaldi, *in cujus manibus diu mansit ob difficultates quasdam; donec per confessarium Religiosarum, Robertum Messier, Ordinis Minorum, sit accepta, delataque ad abbatiam* XXIII *Augusti ejusdem anni, ubi summa alacritate et lætitia fuit excepta. Hæc fere Roulliardus; at unde acceperit, non exponit.*

et examen a Leone X committitur

47 *At quidquid de his sit, certum est bullam Leonis X datam fuisse ad Cardinalem Boysisium, Pontificium in Gallia legatum, eique mandatum, ut de omnibus diligenter inquireret, repertaque* D *veritate eorum, quæ pro monialibus apud Pontificem erant allegata, facultatem concederet componendi Officium, ecclesiasticum de* B. Elisabetha: *Officium deinde examinaret atque approbaret, ac demum recitari permitteret die magis commoda. Hæc omnia continet bulla Leonis, prout Gallice reddita est a Roulliardo pag.* 485. *Partem ejusdem bullæ edidit Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano ad* XXXI *Augusti, cui hæc præfigitur inscriptio :* Leo episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Adriano, S. Sabinæ presbytero Cardinali, in regno Franciæ nostro et apostolicæ Sedis legato de Latere, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cardinali Boysisio, legato in Francia,

48 *Accipe et partem bullæ, qua confirmantur prædicta :* Piis omnium, præsertim devoti feminei sexus, personarum, sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, votis, illis præsertim, per quæ, Propheta docente, in suis Sanctis Deus laudari valeat, ad divini cultus, cum personarum earumdem spirituali consolatione, augmentum suscipiat, libenter annuimus : et ad id nostræ sollicitudinis partes impartimur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum, abbatissæ modernæ, at conventus monasterii monialium de Longo-Campo E Ordinis S. Claræ, Parisiensis diœcesis, petitio continebat, quod cum in ecclesia dicti monasterii, beatæ Elisabeth, gloriosissimi S. Ludovici quondam regis Franciæ sororis (quæ etiam, dum in humanis ageret, tamquam æternæ beatitudinis amatrix, et propulsato fragilis viri thoro, ac abjectis mundanis illecebris, ipsi Altissimo vota sua, in pacis amœnitudine exsolvere cupiens, monasterium ingressa, et Ordinem hujusmodi expresse professa, sub Religionis jugo inibi famulatum præstare, et vitam sanctimonialium ducere, quoad universæ carnis viam, prout Altissimo placuit, ingrederetur, indefesse non desivit) corpus reconditum honorifice existat : et ejusdem B. Elisabeth, post cujus ab hac luce transitum, voce e cælo, ut pie creditur, emissa, et cæt. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXX tertio Idus Januarii, Pontificatus nostri anno octavo. *Pro anno Domini* 1520, *substituendus* 1521, *ut alii omnes scriptores habent, et certum est ex anno Pontificatus octavo, qui currebat usque ad mensem Martium anni* 1521. F

qui post maturum examen festivitatem celebrari jubet 31 Augusti.

49 *Hoc Pontificis rescriptum Cardinali legato oblatum est die* XXVII *Septembris, ut ipse testatur apud Arturum. Officium interim concinnatum est a F. Roberto Messier monialium confessario, unaque cum bulla legato oblatum, inquit Roulliardus pag.* 486. *Legatus autem ad abbatiam misit Antonium Chabannier, canonicum Albiensem et Claromontanum, vicarium suum, qui omnia accurate discussit atque examinavit, adhibitis ad consilium doctoribus ac Religiosis variis; tandemque omnia sigillata ad legatum retulit. Demum legatus, visis omnibus, maturoque consilio discussis, decretum approbationis concessit, Beatæque festivitatem celebrari jussit* XXXI *Augusti. Hæc Roulliardus, addens decretum fuisse datum* XI *Decembris ejusdem anni* 1521, *perlatumque ad abbatiam* XXI *ejusdem mensis, ubi illud summo cum gaudio acceptum est a Catharina Picard tunc abbatissa, atque a monialibus omnibus. Ab eo itaque tempore festum Beatæ quotannis celebrari cœptum. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XI *Decembris rem breviter narrat his verbis :* Venera-

tio

A tio dilectæ Deo virginis Isabellæ, sancti Ludovici regis sororis, virginalisque monasterii Longi-Campi ad Sequanam, prope augustam Lutetiam fundatricis, approbata auctoritate Apostolica hac die, anno MDXXI, vigore rescripti Pontificalis Leonis X Papæ, per Adrianum de Boissiaco Cardinalem sanctæ Sabinæ, legatum apostolicæ Sedis in Francia. *Idem memorant scriptores alii. Post epitaphium ante recitatum de hisce Gallice notata sunt sequentia :* Post hoc tempus *(scripti Epitaphii)* S. Elisabetha Beatis adscripta est per Leonem X Papam anno MDXX, mense Januario, festumque translatum a XXII Februarii die ejus emortuali ad XXXI Augusti. *Verum hæc corrigenda sunt ex dictis.*

corpus, accepta licentia summi Pontificis,

50 *Anno* 1637 *corpus solemniter est elevatum ab archiepiscopo Parisiensi, et translatum ad locum honestiorem, obtenta jam anno præcedenti facultate ab Urbano VIII summo Pontifice. Audi ea de re Arturum, qui eodem vivebat tempore, loco jam assignato :* Iterum, *inquit,* anno MDCXXXVI ad sedem Apostolicam pia supplicatio delata est ab abbatissa, et conventu monialium B ejusdem monasterii : qua humiliter ac instanter postulatur facultas eisdem, ut sepulchrum ipsum beatæ Elisabeth, loco amovere, et de incommodo et indecenti situ, in aptiorem et honestiorem transponere : cineres vero et ossa ejusdem B. Virginis, illic, ubi melius visum fuerit, congrua cum reverentia reponere, (liceret) etc. Harum piis benigne annuens votis summus Pontifex Urbanus VIII, rem totam committit ordinario loci, per breve Apostolicum, sub datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem x Cal. septembris, Pontificatus sui anno XIV. Eo itaque recepto diplomate, supplicatio ab iisdem facta est illustrissimo Parisiensi archiepiscopo, qui partibus auditis, suos deputat commissarios, DD. De Contes, cancellarium ecclesiæ et universitatis Parisiensis, et Du Saussay, utriusque juris doctorem, ecclesiæ parœchialis SS. Lupi et Ægidii in eadem urbe pastorem, necnon protonotarium Apostolicum, una cum promotore et secretario archiepiscopatus, sub datum Parisiis, die XXX Januarii anno MDCXXXVII.

elevatum ab archiepiscopo Parisiensi :

51 Hac igitur metropolitani authoritate suffulti, ad præfatum monasterium de Longo-Campo se conferunt, omnia per ordinem accurate scrutantur, munusque sibi commissum debite exe- C quuntur, feria III, Aprilis VII, anno MDCXXXVII, uti constat ex eorum processu verbali super his confecto. Tum, re delata ad archiepiscopum, decernit ipse illic profectionem, eosdemque commissarios fore præsentes jubet, ad aperturam sepulchri, et translationem reliquiarum, omniaque parari mandat per suas litteras XXII Maii ejusdem anni. Quæ omnia completa sunt die Jovis, IV Junii, mensis sequentis, præsente ipso reverendissimo archipræsule, una cum DD. Saussayo præfato, Nicolao Rousseau protonotario Apostolico, et promotore generali, etc. : adstantibus abbatissa, cum totius conventus monialibus : et RR. PP. confessariis, aliisque religiosis viris, prout plenius continetur in instrumento publico, ea de re conscripto, signato, atque sigillato. Hæc autem gratanter inspexi ac legi, apud præfatum D. Saussayum, testem oculatum, et totius rei gestæ, necnon bullarum ac litterarum istius negotii depositarium, virum utique litteris, et pietate, ac solertia excultum.

52 *Caussinus in Vita pag.* 227 *asserit, indultum Apostolicum pro translatione obtentum a laudato Saussayo, ab eodemque positam sequentem inscriptionem :* Hac in lipsanotheca recondita sunt ossa cum cineribus corporis beatæ Elizabeth, alias Isabellæ virginis, sororis sancti regis Ludovici, hujus monasterii fundatricis, quæ jussu et mandato sanctissimi domini nostri, D. Urbani Papæ VIII levavit de tumulo ipsius venerandæ Virginis (jam pridem signis emeritæ beatitudinis coruscantis :) hancque in thensam transtulit illustrissimus et reverendissimus in Christo pater, et DD. Joannes Franciscus de Gondy, primus Parisiensis archiepiscopus. Anno Virginei partus MDCXXXVII pridie Non. Junii, regnante Ludovico Justo Franc. et Navarr. rege Christianissimo. *In annotatis post Epitaphium jam laudatis, sed parum accuratis, ut videtur, pro tempore, annus ponitur* 1639 ; *diciturque corpus impositum thecæ ex argento inaurato.*

AUCTORE J. S. inscriptio tunc posita :

cultus extensio :

53 *Anno* 1688, XXIV *Januarii, petente pro monialibus eminentissimo Cardinale de Lauræa, sacra Rituum congregatio concessit, ut festum* B. Elisabethæ *celebraretur cum octava. Et anno* 1696, *ad preces eminentissimi Cardinalis Jansonii, Beatæ cultus ad totum Ordinem Minorum* E *fuit extensus. Utrumque refert Baillетus in Vitis Sanctorum ad* XXXI *Augusti in* Elisabetha. *Posterius notavit quoque Eminentissimus Lambertinus, nunc felicissime regens universalem Ecclesiam sub nomine* Benedicti XIV, *qui tom.* 4, *part.* 2 *de Servorum Dei beatificatione, pag.* 3, *habet sequentia :* Anno MDCXCVI sacra congregatio, annuente summo Pontifice, indulsit Ordini Minorum sancti Francisci facultatem celebrandi Missas, et recitandi Officia de communi in honorem beatæ Elisabeth, sancti Ludovici Galliarum regis sororis. *Hisce consentiunt notæ Epitaphio subjectæ, quæ sic habent.* Festivitas hujus Sanctæ cum octava celebratur *(in abbatia Longi-Campi ;)* et ritu semi-duplici celebratur in toto Ordine S. Francisci, ex permissione Innocentii Papæ XI anni MDCLXXXXVIII *(pro prima parte)* et Innocentii Papæ XII anno MDCXCVI *(pro parte altera.)*

nomen in Fastis sacris

54 *Hæc omnia cum Beatæ cultum legitimum ostendant, necesse non est accumulare recentiorum martyrologorum elogia. Castellanus* B. Elisabetham *annuntiavit in Martyrologio Romano* F *Gallice reddito et aucto ad* XXII *Februarii, quo obiisse probat in annotatis. Alii decem mentionem fecerunt ad* XXIII *Februarii, uti in Prætermissis ad illum diem notarunt Majores nostri. Verum alii plures* XXXI *Augusti Beatæ assignarunt, inter quos Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, cujus verba subjungo :* In agro Parisiensi, Longi-Campi parthenone, deposito beatæ Isabellæ virginis, germanæ sancti Ludovici regis, ipsiusque virginalis sodalitii fundatricis : cujus præcelsa in sæcularis gloriæ extremo contemptu, Deique ferventissimo cultu, ac sui perfecta abnegatione virtus : necnon in religionis quibusque exercitationibus eximia pietas, divinæ testificationis indiciis comprobata : etiam apostolica Sede decernente, per Leonis Papæ decimi oraculum, honorem Beatis proprium vendicavit sacræ memoriæ perennem : statuta eidem die, qua divina litatione et solemni Officio beatitudinis ejus gloria celebratur.

Hodiernum Beatæ Officium,

55 *Tandem, ne quid lector desiderare possit ex iis, quæ de* B. Elisabetha *ad manus nostras pervenerunt, ex Officio, quod hodie recitatur in abbatia Longi-Campensi, subjungam ea, quæ spectant ad gesta Beatæ elucidanda, videlicet Orationem*

AUCTORE J. S.

Orationem, et lectiones secundi nocturni. Descripsit illas officiosissimus Soucietus, pro suis in Museum nostrum meritis numquam satis laudandus. Oratio hæc est : Deus, qui B. Isabellæ virginis tuæ regia pietate hanc tibi domum sub humillimæ Matris tuæ patrociniis consecrasti, fac ut ejus precibus et imitatione tibi puro et humili corde placeamus. Qui vivis *etc. Lectiones vero secundi nocturni breve vitæ compendium exhibent, in quo corrigendus videtur annus emortualis, et anni ætatis contrahendi, secundum ea, quæ de iis disputavimus num.* 17.

ex quo recitantur

56 Lectio iv. Isabella regali orta genere, patrem habuit Ludovicum Franciæ regem, matrem vero Blancham reginam, ab ipsis unice dilecta, quia e filiabus stirpis regiæ sola superstes, corporis elegantia et venustate nulli cedebat, sed animæ dotes et ornamenta ipsis longe anteponens, soli Deo placere studebat. Hic a teneris annis aulæ regiæ blandimenta penitus fastidivit, solitudini mirum in modum addicta, lectioni sacrorum librorum et orationi jugiter intenta. Jejunium et abstinentiam excolere num-
B quam desiit, etiam invita et reclamante matre sua. Erga pauperes adeo benefica fuit, ut cibum non prius caperet, quin egenorum inopiam efficacissimis eleemosynis sublevasset : erga se vero adeo parca, ut vix sumeret, unde vitam suam sustentaret. Nec corpori tantum pauperum, sed et animæ consulebat, ipsos, postquam prandium sumpserat, sedulo invisens, docens adhortans, ut ipsorum salutem, quantum posset, promoveret.

lectiones tres

57 Lectio v. Tot dotibus conspicua et insignis filia princeps a multis cito fuit in matrimonium expetita, atque in primis a Conrado Friderici secundi Romanorum imperatoris filio. Hoc matrimonium Innocentius quartus, et Ludovicus Galliarum rex frater ejus vehementer peroptabant, tamquam orbi Christiano utilissimum. Sed sanctam Virginem a proposito suo neque rex neque Pontifex umquam dimovere potuerunt. Quam Innocentius animi constantiam et sancti propositi firmitatem demiratus, pium Isabellæ consilium postea laudavit et probavit. Selegit itaque locum, qui Longus-Campus dicitur, ut ibi absol-
C veret, quod tam sancte apud se statuerat. Eo igitur in loco extrui curavit cœnobium monialium Urbanistarum S. Claræ in honorem Humilitatis sanctissimæ Virginis Mariæ, in quo per novem et amplius annos admirabili fulsit sanctitate, omnes ad amorem secessus et pœnitentiæ singulari suo exemplo invitans.

secundi nocturni.

58 Lectio vi. Paulo ante obitum suum audita fertur in monasterio vox tamquam angelorum canentium : " Factus est in pace locus " ejus ". Quod plures e Sororibus, quæ aderant, postea testimonio suo confirmaverunt. Hoc autem angelico concentu finito, beatam Deo reddidit animam, anno scilicet millesimo ducentesimo sexagesimo nono, ætatis suæ fere quinquagesimo. Corpus terræ mandatum, miraculis illico et signis [claruit] quæ longius esset recensere. Quorum quidem miraculorum notitiam cum perspectam atque exploratam habuisset Leo decimus, sanctissimam Isabellam beatarum virginum numero voluit adscribi, et officium ejus solenni ritu celebrari ultima die mensis Augusti in regali cœnobio, ubi corpus ejus condigno cultu asservatur. *Vox in hac posteriori lectione omissa est in describendo, opinor. Hinc vocem* claruit *uncis inclusam addidi.*

D

VITA

Gallice scripta per Agnetem de Harcourt abbatissam Longi-Campi.

Et Latine reddita interprete J. S.

CAPUT I.

Beatæ parentes, et pueritia; nuptiæ recusatæ : morbus; orandi assiduitas, pœnitentiæ rigor, aliæque virtutes.

E

Causa scribendi : stirps Beatæ regia : a

Vitam sanctæ nostræ ac venerabilis dominæ et matris, dominæ Elisabethæ Franciæ, ad postulationem domini regis *a* Siciliæ fratris ejus germani, scribere decrevimus, secundum gratiam, quam Deus nobis largietur, ad honorem Domini nostri Jesu Christi, hujusque venerabilis Sanctæ, atque ad exemplum insigne sanctæ Ecclesiæ. Primum exponemus quænam hæc fuerit, quibusque parentibus nata : deinde loquemur de ipsius infantia, de moribus ejus, qualem duxerit vitam. Sancta mater ac domina nostra, domina Elisabetha orta fuit stirpe regia, et filia nobilissimi Franciæ regis Ludovici *b*, Philippi regis filii, et nobilissimæ Franciæ reginæ, dominæ reginæ Blanchæ, quæ filia erat regis Hispaniæ. *b*
Pater materque aliam tunc non habebant filiam, ipsamque miro prosequebantur amore charamque habebant : ipsa quoque reputabatur domina orbis nobilissima.

breve ejus virtutum elogium :

2 In ætate tenera admodum erat speciosa, miræque pulchritudinis ; et licet prosapia esset tam nobilis, nobilior etiam erat moribus atque illustrior. Noverat probe hanc solam esse veram nobilitatem, quæ per virtutes animi, sanctamque vitam, ornamentum est animæ, ut deinde F
patebit. Filia fuit, et sponsa, amicaque singularis Domini nostri Jesu Christi, et omnia desideria, omnem mentem, omnesque labores suos dirigebat ad destruenda peccata, virtutesque sibi et aliis inserendas. Speculum erat innocentiæ, pœnitentiæ exemplar, rosa patientiæ, lilium castitatis, fons misericordiæ. Schola erat morum quorumlibet proborum; discipula enim fuit singularis in schola Domini nostri Jesu Christi, qui discipulis suis dixit : Venite, " discite a me, quia " mitis sum et humilis corde ". Hanc lectionem optime retinuit venerabilis, sancta, et nobilis domina ac mater nostra, domina Elisabetha Francica : nam in omnibus ejus operibus non apparebat nisi cordis humilitas et mansuetudo, quemadmodum Salomon docet : " Quanto magnus es, " humilia te in omnibus ".

mundanorum contemptus :

3 Venerabilis hæc atque excellens Domina in juventute sua libentissime manebat in cubiculo, studebatque intelligere sacram Scripturam ; nec cupiebat animi relaxandi causa eo ire, quo ibant fratrum suorum conjuges, aliæque dominæ. Postquam litteris abunde imbuta erat, ex serico quædam

A dam componere discebat, stolasque componebat, aliaque sanctæ Ecclesiæ ornamenta. Quando ei afferebantur imagines Domini nostri aut beatæ Virginis, mira eas lætitia accipiebat, satisque monstrabat se illas malle sibique gratiores esse quibuslibet aliorum ornamentorum donis, quæ quis ei potuisset exhibere. Tempore juventutis suæ, quando vivebat domina regina Blancha ipsius mater, quæ mirifica teneritudine illam amabat, jubebatque vestiri ornatu admodum decoro, splendido et opulento, ipsa proprio ore mihi testata est, corde se esse æque tenero ac pio in Dominum nostrum, quando caput corpusque suum splendida illa circumdabant ornamenta, quam fuisset, si vestes gestasset magis religiosas; credo et alios esse, qui illud omnino testabuntur, si fuerit necesse. Hinc satis ostenditur, mentem ipsius semper valde attentam fuisse ad amandum Dominum nostrum; neque addictam fuisse ornamentis aut gloriæ miseri hujus mundi.

fuga nuptiarum : capilli ejus pro reliquiis servati : c

4 Sollicitata fuit conjunctis amicorum precibus, ut matrimonium iniret cum imperatoris Romani filio *c*, qui heres esse debebat imperii : verum in nuptias corporeas consentire numquam voluit; elegerat enim Sponsum perpetuum Dominum nostrum Jesum Christum in virginitate perfecta. Dominus Papa Innocentius IV *d* ei scripsit, ipsamque multis rationibus inducere conatus est, ut contraheret nuptias propter emolumenta, quæ oriuntur ex conjugio hujusmodi dominæ. Litteras illius adhuc servamus in abbatia nostra. At postquam advertit, non posse ipsam a bono proposito amoveri, alias ad eam dedit litteras, quibus conabatur, quantum poterat, bonum ipsius propositum, statumque virginitatis laudare. Has ipsas quoque litteras habemus in abbatia nostra. Capite erat admodum formoso, et splendente nulla quoque de causa. Dum vero comæ ejus pectebantur, pedissequæ ipsius capillos decidentes colligebant, illosque magna custodiebant sollicitudine; adeo ut quodam die illas interrogaret, cur istud facerent, illæque responderent : « Domina, illos servamus, ut cum Sanctis « fueris adscripta, ipsos habeamus pro reliquiis ». Ridebat illa, totumque pro nihilo habebat, atque istuc ipsum insipientiæ attribuebat. Ego soror Agnes de Harecourt ista accepi ex ore ejus pedissequarum, quæ ipsi ministrabant, et habeo etiamnum de capillis, qui in juventute ei deciderunt.

morbus ipsius gravis in juventute, auctusque inde mundi contemptus : e f

5 Dum erat juvenis, morbo correpta est admodum vehementi et acuto; initio autem morbi oportuit dominam reginam Blancham iter agere unius diei aut bidui, propter regni negotia : reliquit ergo illam in oppido S. Germani in Laya *e*, et cum ea dominam Margaritam *f* reginam : morbus interim tam vehementer crevit, ut nihil fere spei de vita ejus relinqueretur, magnaque festinatione accerseretur domina ipsius mater, et dominus rex frater ejus. Postquam illa eo pervenit, vehementer ægrotantem deprehendit ac in mortis periculo versantem; unde, ut mater, maguo affecta fuit animi dolore. Misit undecumque sollicite ad preces postulandas, et nominatim in Angliam *g* ad personam quamdam valde religiosam et contemplatione insignem, cui angustias animi sui certissime exprimebat, ut persona illa majori attentione instaret precibus apud Dominum nostrum pro Domina filia sua. Hæc persona scriptis litteris ei nuntiavit, Filiam ipsius ex isto morbo restituendam : at certum illi foret, numquam mundo rebusve mundanis animum ejus adhæsurum. Istud claré patuit : nam deinceps numquam corpus suum pretiosis ornamentis suis decoravit : at in dies singulos magis magisque tota orationi insistebat, operibusque vitæ perfectæ ac religiosæ; et vestium, ornamentorum, aliorumque omnium, quæ ad corporis cultum pertinebant, divitias quaslibet corporeas contemnebat, ut animæ suæ adderet virtutis humilitatisque decorem.

A. AGNETE DE HARCOURT.

odium detractionis et mendacii : crebra oratio :

6 Venerabilis hæc excellensque Domina ab infantia sua flagrabat tanto puritatis et innocentiæ amore, ut vix exprimi queat, quemadmodum aperte cognosci potuit ex omnibus ejus operibus. Pati nequibat ut mali quidpiam de aliquo coram se diceretur, aut quid mendacii, cujus tanto afficiebatur horrore, ut vultus ejus totus commoveretur. Si quandoque contingebat, ut accederent ad eam personæ aliquæ eleemosynam petituræ, aut negotiorum causa; priusquam venirent ad ipsam, mittebat ad illas, quæ dicerent, sibi caverent, ne quid proferrent nisi verum, facturam ipsam libentius, quæ flagitarent, si vera dici perspiceret. Ego soror Agnes de Harecourt hujusce rei sum testis, quæ aliquoties ista nuntiavi. Tempore pueritiæ adeo erat assueta orationi, ut, vultu sub stragulo lecti posito, in oratione esset cubitis et genibus nixa, adeo ut evenerit tempore quodam matutino, dum migrandum erat, ut ille cui lecti vestesque colligenda erant et cousarcinanda, amplexus sit stragulum et vestem, quod vestem illam putaret sic involutam esse in lecto; at erat venerabilis Domina nostra ac sancta mater, ibidem cubitis genibusque nixa in oratione, quæ tam alte clamabat, cum vestem apprehendebat, ut dominæ eo accurrerent, et ille totus esset attonitus et exterritus. Ego soror Agnes de Harecourt istud audivi ex ore domini regis sancti Ludovici, qui id nobis narravit; et Mathildis de Godarville, quæ ejus servitio fuit deputata, illud ipsum audivit ex ore dominæ Helwigis de Buisemont, quæ convixerat Dominæ ab ipsius infantia.

ciborum parcitas et verborum, austera jejunia :

7 Hæc ipsa domina Helwigis affirmabat, vidisse se ab annis novemdecim Venerabilem hanc Dominam numquam panem manducasse ad satietatem; recordabaturque ista domina Helwigis, quod domina regina Blaucha mater ipsius ei dixerit aliquando, se ei daturam quadraginta asses pauperibus distribuendos, si vel unum frustum manducaret : insuper si vel verbulo alloqueretur dominum regem fratrem suum, quadraginta asses egenis largiendos ei promittebat, et frequenter ne quidem rei promissæ gratia facere illa volebat abstinentiæ et silentii amore. In juventute sua jejunabat tribus diebus per hebdomadam : et, ubi hora manducandi aderat, tam parum comedebat, ut nullum corpus humanum illo sustentari posset, nisi adfuisset divina gratia. Frequenter, postquam toto die jejunaverat, cibus ejus erat parum pultis e pisis.... *h*. Apponebantur quidem ei fercula sufficientia, et cibi delicati, uti congruebat tali Dominæ; at omnia mittebat ad pauperes, et ad valetudinaria Religiosorum, comedebatque ex vilissimo et modicissime, ita ut pro uno frusto, quod manducabat, decem amore Dei ad pauperes destinaret. Toto fere tempore, quo mensæ accumbebat, orationi erat intenta et in silentio. Accumbebat autem brevi admodum tempore; ita ut sæpe surgeret ante mulieres, quæ ei ministrabant. Gratias agebat piissime et attentione admirabili.

8 Divinum Officium magna pietate et attentione

A. Agnete de Harcourt. diuturna orandi legendique consuetudo :

tione curabat peragendum. Surgebat ad Matutinas recitandas longo spatio ante lucem, nec lectum repetebat; sed in oratione perpetuo erat usque ad plenum meridiem. Sæpe etiam, quo diutius orationi inhærere posset, illas, quæ ipsi serviebant, ante se jubebat manducare. Non loquebatur, dum recitabat Horas, nec ante Primam, nec post dictum a se Completorium, nisi ægrotaret. Mire orationi insistebat tempore Quadragesimæ, et magis quam alio tempore, et copiosa aliquando rigabatur lacrymarum abundantia, adeo ut, dum sacello suo egrediebatur, oculos haberet tam inflatos tamque rubros, ut satis appareret mirabilem fudisse lacrymarum copiam. Consueverat orationem continuare in sacello suo usque ad horam pleni meridiei : tunc sacello exibat, et intrabat cubiculum suum, ubi usque ad Nonam occupata erat studio sanctarum Scripturarum, videlicet Bibliorum, sanctorum Euangeliorum, aliarumque Vitarum Sanctorum : optime enim noverat linguam Latinam, tamque intelligebat exacte, ut, quando sacellani ejus litteras, quas jubebat scribi Latine, exaraverant eique portaverant,
B illas corrigeret, cum verbum quoddam occurrebat ineptum : quod ego soror Agnes sæpius vidi, aliæque viderunt personæ.

cura audiendi verbum Dei, et sæpe confitendi : corporis castigatio.

9 Libentissime audiebat Verbum Domini, et illud sæpe coram se prædicari jubebat. Conscientia erat tenerrima et optima. Lubens admodum confitebatur et frequenter singulis fere diebus, multaque cum pietate. Conscientiæ moderatores habere solebat viros magnæ probitatis, provectæ ætatis, et theologiæ magistros, illosque magna observantia colebat. Quando confitebatur, in sacello suo id faciebat, et confessarium ante se sedere volebat magna cum reverentia, ut cerneret an bene attentus esset ad audiendam confessionem suam, et ne aliis rebus intentus esset aut dormitaret. Hæc proprio ore mihi asseruit : nec conscientia fuisset quieta, nisi certa fuisset, peccata sua a confessario bene fuisse percepta. Maxima humilitate erat coram confessario, quando de peccatis confitebatur, atque etiam alio quocumque tempore : multumque ei erat obediens, ac si fuisset Religiosa. Quando confitebatur, in more illi erat, ut semper adesset domina aliqua
C et domicella, longiuscule sic positæ, ut et confessarium cernere possent et ipsam confitentem. Frequenter castigabat corpus suum rudibus verberibus : hæc secreto admodum illi infligebat domina Helwigis, de qua superius egimus, quæ diu cum ipsa fuerat, et cui multum fidebat. Hæc domina Helwigis, quando ipsam videbat vestibus exutam, dicebat coram multis dominabus : « Flagella tua non erant aliis similia, continuabantur » usque ad sanguinem ». Insuper non virgis solum communibus sæviebat in corpus suum, sed
i de Fracon *i*, unde vestis ipsius frequenter sanguine tingebatur.

ANNOTATA.

a *Carolus is est filius Ludovici VIII Francorum regis natu minimus, qui primum comes Andium, deinde per uxorem comes Provinciæ, demum ad regnum utriusque Siciliæ evectus est a Clemente IV summo Pontifice, illiusque possessionem adeptus anno* 1265, *opem ei præstante fratre suo S. Ludovico, in cujus Actis multa de Carolo dicta sunt ad* 25 *Augusti.*

b *Ludovici videlicet VIII, cujus pater erat Philippus II, cognomento* Augustus. *Porro de parentibus Beatæ, ejusque fratribus consuli potest Commentarius ad Acta S. Ludovici* § 4. D

c *Conradum indicat Frederici II filium. Audi Cantipratanum lib. 2 de Apibus, cap. 29 :* Vidimus, *inquit*, et illam, quam minus juste extremam ponimus, filiam Ludovici regis Francorum, sororem scilicet devotissimi regis Ludovici, qui fœlicissime regnat ad præsens. Hæc desponsata Conrado filio Frederici Romanorum imperatoris, in virginitate permanere innuba præelegit. Quæ soli Deo vacans, adeo contemplationi deditur et virtuti, ut nulla ei cura in ullis transitoriis videatur.

d *Electus est Innocentius anno* 1243, *mense Junio, dissidiaque gravissima inter ipsum et Fredericum imperatorem cœpta sunt ab anno* 1244, *et continuata usque ad obitum Frederici. Hinc necesse est, illa contigisse vel sub finem anni* 1243, *vel anno sequenti. Porro* Elisabetha *infans quoque desponsata fuit filio Hugonis Marchiæ comitis ; sed illa sponsalia fuerunt sine effectu propter secutas inter regem et comitem dissensiones, ut diximus in Actis S. Ludovici tom.* 5 *Augusti pag.* 298.

e Fanum S. Germani in Laya, *vulgo* S. Germain en Laye, *oppidum est in Insula Franciæ prope Sequanam inter Lutetiam et Pisciacum.* E

f *Margarita regina, uxor S. Ludovici, filia erat natu maxima Raymundi Berengarii Provinciæ comitis : de illa frequenter meminimus in Actis S. Ludovici.*

g *Sic edidit Cangius, at mendose, opinor. Nam Roulliardus in Ms. suo legit* à Nanterre, *quod facile in* Angleterre *mutari potuit ; nec verisimile est reginam preces in Anglia postulasse. Porro* Nannetodurum, *Gallis* Nanterre, *vicus est agri Parisiensis inter Fanum S. Germani in Laya et Lutetiam : ubi habitasse piam illam personam scribunt in Vita Roulliardus pag.* 96, *et Caussinus pag.* 27, *quod verum omnino existimo, etiamsi textum Cangii non mutaverim.*

h *Gallice* Un peu de poirée et de pois baieus. *Mendosus haud dubie locus, ut colligo ex Epitaphio, in quo sic legebatur :* Un peu de purée aux pois *etc. Quod hic Latine reddidi,* parum pultis e pisis, *neque in eo est difficultas, cum cibus sit communis. Verum addita vox* baieus *admodum obscura est, quam idcirco Latine non expressi.* F

i *Hic Gallice* de fracon, *sed in Epitaphio scribitur* de fragon. *Utrum sit melius, ignoro : nam vocis significatio mihi prorsus est incognita, quam hac de causa ab eruditis Gallis quæsivi, et ne sic quidem inveni.*

CAPUT II.

Misericordia in pauperes : fundatio abbatiæ Longi-Campi : virtutes variæ, morbus biennis, et pius obitus.

Pauperibus, ægrotis, afflictisque solatia præstita,

Venerabilis hæc Domina humiliter et misericorditer per se ipsa visitabat infirmos, illos consolatur verbis sanctis, de salute animarum suarum monebat, propriis manibus ministrabat ipsis, liberaliter de re sua mittebat, diutissime assidebat, ac pulsum arteriæ explorabat. Vehementi admodum afflictorum commiseratione tangebatur, ac summo studio desiderabat animarum salutem.

A salutem. Totius mundi causa sciens non dixisset verbum falsum. Nullum juramentum ex ore ejus umquam auditum. Dum verbum dixerat, numquam revocabat *a* : nullius rei gratia fecisset illi contrarium. Magnopere studebat implere verba Euangelii; præsertim per opera misericordiæ, quæ Dominus noster dixit se laudaturum in judicio universali. Postquam Officio interfuerat, priusquam pranderet, jubebat multo tempore ad se accedere magnam pauperum multitudinem, ita ut totum cubiculum ejus ab iis esset obsessum, illisque propriis manibus ministrabat panem, vinum, pulmentum, et obsonium, multumque iis peragendis insumebat laboris. Multitudo privatarum eleemosynarum, quæ et Religiosis et secularibus præstabat, tanta est, ut explicari nequeat. Domicella quædam prosapiæ bene nobilis, quæ vocabatur domicella de Meru, erat in valetudinario quodam prope ipsam, ac mirum in modum erat viribus exhausta : Domina movebatur summa illius commiseratione, diligentissimaque erat ad curandum illi necessaria; mittebat ipsi cibos de mensa sua, eligebatque manibus suis, quos meliores ei putabat et delicatiores, tanta diligentia, B ut majori non potuisset, si fuisset filia : atque talia frequenter exercuit.

ac eleemosynæ largæ.

11 Nevit propriis manibus capitis tegmen, quod sanctus rex Ludovicus frater ejus ab ipsa petiit, ipsamque gratiose admodum rogavit, ut istud sibi donaret, quo caput noctu tegeret. Noluit id ei donare, quemadmodum ego soror Agnes de Harecourt, quæ præsens eram, meis auribus ex ore ejus accepi. Respondit regi, eique dixit : « Propono istud Domino nostro dare; nam primum est, quod umquam nevi ». Ille vero eam rogavit, et dixit : « Soror, oro te, ut aliud neas, quod accipiam ». Respondit illa : « Pervelim, si plura neam ». Et tegmen istud capitis misit secreto ad mulierem quamdam pauperem, quæ in magno jacebat languore, cuique magna cura quotidie de mensa sua impertiebatur larga beneficia, singularesque magni pretii cibos. Domina Joanna et domina Petronilla de Montfort istud de capitis tegmine intellexerunt, adiveruntque secreto pauperem illam mulierem, ac emerunt illud, tantum dantes ipsi, quantum volebat accipere. Habetur nunc apud moniales C S. Antonii, quæ illud custodiunt pro reliquiis. Dominus rex Ludovicus pater ejus, dum obiit, magnam illi reliquit pecuniæ quantitatem : at illa totam amore Dei distribuit, et nominatim misit decem equites *b* trans mare. Tot personas Religioni asseruit, ut earum nesciamus numerum. Multum boni et stipis largita est mulieribus viduis, et pupillis, et mira ferebatur misericordia in homines tristitia et dolore affectos.

Maturo consilio fundat abbatiam Long-Campi

12 Mos illi erat die Jovis sancto, ut exciperet tredecim pauperes, illis pedes lavaret, propriis manibus bis gemina fercula illis apponeret, calceos donaret, et singulis triginta offerret Parisinos in memoriam pretii, quo Dominus noster fuit venditus. Magno desiderabat studio facere aliquid, quod placeret Domino, vehementique desiderio cupiebat domum hospitalem exstruere : at nesciebat, utrum potius facere oporteret, domumne nostri Ordinis erigere, an valetudinarium. Misit ad cancellarium Parisiensem, ipsumque secreto interrogari jussit, utrum existimaret magis Deo placere, an ut fundaret publicam pauperum domum, an domum Sororum Minorum? Cancellarius Haimericus *c*, qui vir erat valde probus et theologiæ magister, quique tunc ejus erat confessarius, respondit nullam esse comparationem domus hospitalis cum fundatione domus Religiosæ, et illius præsertim Ordinis: divinam enim Domini nostri laudationem ibidem peragi et celebrari, virginitatem ibi servari et multiplicari; adhæc opera misericordiæ illic fieri; nam sorores invicem servire. Dixit præterea nuntio : Dic illi, ne me amplius ea de re consulat, sed domum Religionis condat. Post hæc continuo fundavit abbatiam nostram, quæ illi facile constitit triginta millibus librarum Parisinarum.

A. Agnete de Harcourt.

cui Regulam attemperandam curat.

13 Diligentissimam adhibuit curam, ut Regula esset bona et tuta, illamque curavit examinandam per fratres Minores, qui viri erant probi et probati ac theologiæ magistri, quales erant frater Bonaventura *d*, frater Guilielmus de Milletonne *e*, frater Odo de Roni *f*, frater Godefridus de Vierson, et frater Guilielmus de Harcombour, jussitque Regulæ inseri, quod habebatur in privilegiis, quodque dubium erat in regula et periculosum, jussit deleri; tantoque studio id hoc incumbebat, ut inde magna noctium E ac dierum parte vigilaret : tantum impendebat studii et laboris, ut vix queat referri. Plures personæ in ejus erant cubiculo, quarum aliæ legebant privilegia, notabant aliæ ; erantque illic semper fratres Minores theologiæ magistri ad res coram ipsa examinandas, et tantopere erat sollicita, ne quid transiret, quod animabus esset periculosum, ut mirum esset : atque huic rei tantam curam tantumque adhibebat studium, ut vix posset quiescere : mirifico etiam flagrabat desiderio, ut res ista confirmaretur a Papa.

quamque ab humilitate nominari cupit :

14 Præ ceteris volebat, ut sorores abbatiæ nominarentur sorores MINORES, neque ullo modo Regula illi sufficere poterat, nisi istud nomen illi fuisset insertum. Benedictum cor ejus debebat quoque abbatiæ imponere nomen illud benedictum, ad quod Dominus noster Jesus Christus elegit Dominam nostram, ut sibi esset Mater; id est, nomen HUMILITATIS BEATÆ MARIÆ, quod abbatiæ suæ imposuit, quoque eam nominari voluit. Ego soror Agnes de Harecourt ipsam, interrogavi : « Domina, dic mihi, si placet, « amore Dei, cur nomen istud dedisti abbatiæ F « nostræ »? Respondit mihi : « Quia numquam « audivi illud ab aliqua persona sumptum, quod « miror; quod mihi videantur prætermisisse no« men sublimissimum et optimum, quod assume« re poterant : atque illud ipsum est nomen, ad « quod Dominus noster elegit beatam Virginem « sibi Matrem *g* : hac de causa illud elegi ab« batiæ meæ imponendum ». Laboravit morbo gravi, priusquam Regula esset confirmata, quod præ vehementi affectu quasi animo langueret, donec res illa esset perfecta.

fratrem suum omnium negotiorum habet procuratorem :

15 Præ insigni humilitate nihil ipsa Pontificem rogare volebat, nec illi scribere de rebus ad Regulam aut abbatiam spectantibus : neque ipsa peragebat gravia negotia, quæ occurrebant facienda : at hæc omnia curabat postulanda per dominum regem fratrem suum, quem constituebat omnium negotiorum suorum procuratorem. Ille vero benignissime hæc faciebat, mittebatque et litteras et nuntios proprios. Consueverat etiam, quando sanctus frater ipsius rex Ludovicus veniebat ad locum, ubi degebat, ipsum adire salutatura. Tunc præ insigni reverentia, qua ipsum colebat, coram eo flectebat genua : ille vero

A. AGNETE DE HARCOURT.

vero manu ipsam relevabat, objurgabatque, quod id ei multum displiceret, ut apparebat : at ipsa id prætermittere nolebat.

amor silentii ; timor Dei :

16 Mirum iu modum et pauca loquebatur, et silentium amabat : et quando loquebatur, id valde privatim faciebat, maguaque consideratione. Frater Odo de Roni confessarius ejus ipsi aliquando dixit : « Domina, oportet omnino ut egre- « diaris, et animum relaxes. Non displiceret Do- « mino nostro, si aliquid recreationis sumeres ». Quærebat ex ipsa, cur esset tam taciturna. Respondit illa, quia subinde nimium erat locuta, verbaque protulerat otiosa, congruum esse, ut illud pœnitentia expiaret. Frequenter tractabat cum moderatore conscientiæ suæ de bonis vitæ æternæ, et de sacris Scripturis. Summa erat in Deum revereutia, illumque magnopere timebat, quemadmodum semel mihi secreto retulit : nimirum cum egressa aliquaudo esset sacello suo ab oratione, lectoque suo niteretur, cœpit perpendere judicia Domiui nostri, tantumque, ut mihi affirmavit, tremuit, ut vestis et stramen vehementer sub ipsa concuterentur.

B

humilitas in petenda de offensis venia : patientia in morbo diuturno, et beata mors.

17 Vidi aliquando, quod ob aliqua ei displicentia acriter reprehenderet personas quasdam coram me sorore Agnete de Harecourt : illas autem corripiebat, quod non fecissent opera quædam bona, quæ illis demaudaverat : et quia sibi videbatur duriter nimis fuisse locuta, mirabili humilitate coram me ipsis confitebatur culpam suam, multumque se accusabat, et repetebat verba, quæ dixerat, ea invicem accumulando. Multum mihi proderat hæc audire, reique memoria deinde sæpe mihi fuit utilis. Existimo nullum esse iu terra peccatorem, qui multa commisisset peccata mortifera, si tantum se humiliaret coram Deo, ipsumque pœniteret tantum, quantum pœnitebat ipsam, quando aliquid dixerat, in quo verebatur ne quid esse delicti, licet nihil revera peccati esset, tantoque couatu veniam a Deo postularet, qui largam uon consequeretur misericordiam. Tantum timebat Dominum nostrum offendere, tantumque ab omnibus occasionibus sibi cavebat, et aliis. In fine vitæ duobus ante mortem annis affecta est gravissimis morbis, quos suavissime a dilecto Sponso suo acceptabat, insigniqne tolerabat patientia : vitamque finivit *h* piissime in perfecta virginitate, maxima humilitate et charitate.

C

h

ANNOTATA.

a *De fidelitate in servandis promissis hæc accipe.*

b *Factum id verosimiliter, quando primum contra Saracenos transfretavit S. Ludovicus.*

c *Mentionem hujus cancellarii facit Bulæus in Historia universitatis Parisiensis ad annum* 1251, *seu tom* 3, *pag* 24 *his verbis.:* Tunc erat .. cancellarius. . M. Haimericus de Vari, qui D. Thomam Aquinatem et Bonaventuram doctorali pileo iusignivit. *De tempore fundationis, scriptaque regula egimus in Commentario* § 1, *num.* 4.

d *S. Bonaventura tunc doctor erat Parisiensis, postea totius Ordinis sui regimini admotus, et ad purpuram Cardinalitiam evectus est. De eo tractavimus ad* 14 *Julii.*

e *Cantipratanus de Apibus lib.* 2, *cap.* 1, *num.* 16 *de isto Guilielmo sic habet :* Vidi et alium eminentis vitæ virum de Ordine fratrum Minorum, fratrem Guillielmum de Militona, qui magister theologiæ Parisiis sanctissimam ac devotissimam vitam duxit. Hic cum die quadam Parisiis prædicaret, per horam obmutuit, et verbum vitæ resumens, omnibus cum vultu serenissimo valedixit, et sic in pace quievit. *Summam theologicam Alexandri Alensis, quam auctor reliquerat imperfectam, ab eo absolutam, ait Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1257. *Hinc viri virtus et doctrina abunde probatur.* D

f *Hic Beatæ fuit confessarius, ut postea dicitur. Roulliardus in Vita pag.* 161 *et* 162, *ex eoque Caussinus pag.* 143 *sex enumerant hujus Regulæ examinatores, addito ad quinque hic recensitos Odone Rigaud, qui deinde, inquiunt, fuit archiepiscopus Rotomagensis : cognomina etiam plerorumque mutant. Primus Rouillardo est* Eudo *seu* Odo Rigaud, *deinde archiepiscopus Rotomagensis, secundus* B. Bonaventura, *tertius* Guilielmus de Millenconne, *quartus* Odo de Roni, *quintus* Godefridus de Marson, *sextus* Guilielmus d'Archembout. *Malim ego inhærere Vitæ a Cangio editæ, a quo multis locis non parum discessit Roullardus, etiamsi profiteatur se sequi Vitam illam, quam Ms. habuit. Primo manifeste hallucinatus est Rouillardus, multosque in errorem pertraxit, dum Odonem Rigaudi collocavit inter examinatores illos, asseruitque eum deinde factum archiepiscopum : archiepiscopus enim fuit consecratus plusquam toto decennio antequam Regula illa jussu* B. Elisabethæ *examinaretur, ut videre est apud Sammarthanos in Gallia Christiana tom.* 1, *pag.* 587 ; *nomen quoque Guilielmi de Milletonne mutavit, ut evincitur ex Cantipratano et Waddingo citatis. Hinc conjectura fieri potest de aliis, qui minus sunt noti. Miror itaque Helyotum in Historia Ordinum Religiosorum tom.* 7, *pag.* 148 *hos errores secutum esse.* E

g *Eadem de humilitale Mariæ mens fuit S. Bernardi. ex quo forsan hæc hausit. Audi S. Bernardum Hom.* 2 *super* Missus est : « Super « quem, iuquit, requiescet Spiritus meus, nisi- « super humilem et quietum » ? SUPER HUMILEM dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset, nec impræguasset. Quomodo enim de ipso sine ipso F couciperet ? Patet itaque, qui ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem Ancillæ suæ Deus potius quam virgiuitatem Et si placuit ex virgiuitate, tamen ex humilitate concepit.

h *Mortem contigisse anno* 1270, *probavi in Comm. num.* 17.

CAPUT III.

Miracula varia, partim in vita, partim tempore mortis patrata : elevatio corporis.

Varii precibus

Quando reverendissima sanctaque Domina ac mater nostra vivebat, quidam ex servis domini regis Ludovici puerum habebat, qui in gravem incidit morbum. Hic homo multis lacrymis, flexisque genibus, et manibus junctis

pic

A pie sanctam Dominam rogavit, ut Deum oraret pro puero suo, qui morbo tam crudeli affligebatur. Illa signo annuit, se precibus apud Dominum nostrum intercessuram. Rediit pater ad hospitium suum, reperitque infantem suum sanatum, morboque illo liberum. Tunc regressus est ad Dominam, genuaque coram illa flexit, et dixit : " Benigna Domina, recordarisne quid te " pro Dei amore rogaverim? Dic mihi, an pro " illo Deum oraveris ". Illa ei respondit, " Omnino ". Tunc ille ei dixit : " Benigna Domina, " gratias ago Deo, et tibi, quod infans meus sit " sanatus, et credo firmiter, id precibus tuis esse " obtentum ". Illa ei reposuit : Non, noli credere id per me obtentum : non ea sum, " cujus causa talia faciat Deus ". At ille semper dictitabat se credere, meritis ipsius et precibus istud impetratum. Postquam advertit, illum induci non posse, ut non crederet, per se factum esse; prohibuit ei, ne quid ea de re diceret, quamdiu ipsa viveret, idque ipsum jussit promittere. Narravit nobis istud domina magna regina Margarita; dixitque hominem, qui pater erat infantis, rem sibi vere retulisse.

et meritis Beatæ

B 19 Præterea, quando vivebat Domina, soror Aleidis de Mucedent vehementer laborabat febri tertiana, quæ pie afficiebatur erga Dominam, sibique persuadebat se sanandam, si Domina oraret pro ipsa. Hæc soror Aleidis rogavit sororem Agnetem d'Anery, quæ tunc erat abbatissa, ut illa ipsam accederet. Non sustinuit illa accedere præ reverentia. Soror Aleidis id rogavit sororem Agnetem de Harecourt, quæ ipsam accessit, exposuitque ei, quantam infirma haberet de ea fiduciam. Sancta Domina aspexit sororem Agnetem de Harecourt, et amice admodum subrisit : et confestim infirma ex febri sua prorsus fuit restituta. Ego soror Agnes de Harecourt, quæ rem proposui, hujusce sum testis; et soror Agnes d'Adery hæc etiam omnia vidit.

adhuc viventis

a

20 Soror Sara de Houpelines morbo affecta erat valde periculoso, qui vocatur hordeum *a*. Corpus ipsius totum erat oppletum tuberibus maculisque, indeque credebatur moritura. Domina sancta mater nostra venit ad nos, illamque miseranter aspexit, C ægramque benedictis manibus suis tetigit; et mox soror integræ restituta fuit valetudini. Hujus rei testes sunt multæ sorores, quæ illam conspexerunt ægram et sanatam.

ex morbis variis restituti.

21 Frater Dionysius d'Estampes, Ordinis fratrum Minorum, qui in hac abbatia degebat ad Sacramenta sororibus administranda, longo tempore laboraverat febri quartana. Præsens fuit cum aliis fratribus Minoribus, quando extrema Unctione roborabatur Domina sancta mater nostra, atque illa ipsa erat dies, qua febris patiebatur accessum. Restitutus fuit ex febri sua per merita sanctæ Dominæ; nec umquam posthæc febri laboravit quartana, et diu deinde vixit. Illud ipse multis sororibus narravit, et verum esse affirmavit : conventus quoque ægrum vidit et sanatum.

Moriente Beata, voces

22 Soror Ermemburgis de Cerceles pro vero affirmavit, se illa nocte, qua venerabilis Domina obiit, ante Matutinas vocem audivisse, quæ ipsi dixit : In pace factus est locus ejus. Mox soror ista Ermemburgis adiit abbatissam, illique dixit, se ita audivisse. Repertum est, sanctam Dominam obiisse aut in mortis fuisse confinio eadem hora, remque fuisse veram de ejus obitu. Similiter ista hora soror Joanna de Louvetaines percepit hujusmodi vocem.

A. Agnete de Harcourt, cantusque auditi:

23 Soror Clementia d'Argas pro vero asseruit, se illa nocte, qua sancta venerabilis Domina et mater nostra obiit, paullo ante Matutinas aperuisse fenestram, quæ prope lectum ejus erat, ut exploraret, an audiret aliquem in area, quia noverat Dominam morti esse proximam, et aspexisse aëra, qui amœnus admodum erat et valde serenus. Audivit tunc vocem suavissimam valdeque canoram supra domum, in qua cubabat, audivitque tam diu, ut ipsi vere videretur, numquam se audivisse halitum tam longum in martali hac vita. Emisit hæc soror Clementia caput suum per ferreos fenestræ clathros, ut melius perciperet quid esset, et deinde ad Matutinas insonuit, nobisque allatas est nuntius, Dominam sanctam matrem nostram esse defunctam. Præterea soror Avelina de Henuaut ista hora audivit modulatas voces multum suaves multumque canoras, seque erexit ad sedendum in lecto; at ignorat, quid fuerit. Credimus firmiter harmoniam fuisse sanctorum angelorum, qui benedictam ejus animam comitabantur ad gloriam cælestem : quam Deum fideliter honoraverat, eique serviverat in E vita sua.

corpus ejus post novem sepulturæ dies integrum et decorum

24 Postquam sancta Domina nostra novem diebus fuerat sepulta, die nono elevata est de sepulcro, ut alteri imponeretur sandapilæ magis congruæ quam illa erat, in qua jacebat. Nihil emittebat mali odoris; at quasi dormire videbatur. Membra ejus erant tam decora, tam plana, tamque mollia et tractabilia, quam teneri infautis; et facies ipsius mire splendescebat, ita ut omnia illa visu essent mirabilia. Præterea, dum tantum movebatur, oculi ejus aperiebantur, qui tam erant formosi sine pallore et immutatione, ut non viderentur morte fuisse exstincti. Exuimus illam veste, qua novem diebus induta fuerat sub terra : hæc erat tam pulchra et nitida, ut videretur numquam corpori fuisse circumdata. Quandoquidem hanc vestem habere cupiebamus pro reliquiis, nova eam veste induimus, illamque tractabamus prorsus sicut cupiebamus.

elevatur cum summa adstantium ad arcam tangendam pietate.

25 Hæc viderunt conventus Religiosæ, domina Margarita *b* Flandriæ comitissa, domina Maria *c* hujus filia, quæ monalis est, domina d'Audenarde *d*, domina Huloys * vidua, multæque aliæ personæ cives Parisienses; et dominus Guilielmus de Guise canonicus Vernoniensis, qui ejus fuit cappellanus, et duo lapidirii, qui illic erant ad sandapilam collocandam; omnesque illæ personæ erant intra sepimentum. Foris ad fenestram erant tot homines, qui ipsam conspexerunt, ut numerum tam Religiosorum quam secularium dicere nequeamus. Inter illos erant frater Odo de Roni theologiæ magister, qui fuit ipsi a sacris confessionibus, frater Petrus de Ville, frater Thomas du Plexi, frater Ægidius de Salli, pluresque alii fratres Minores. Erat ibi quoque domina filia comitis Flandriæ, quæ fuit ducissa Barbatiæ *e*, pluresque aliæ dominæ, equites, cives, et plebeii. Aperuimus ecclesiæ *f* fenestram, arcamque levavimus, ostendimusque eis sanctam Dominam, veluti infantem in cunis. Ille ex magna pietate, quantum singuli poterant, conabantur tradere capitis tegmina, annulos, fibulas *g*, pileos, cingulos, marupiasque sua *h*, ut tangerent sanctum corpus, quodque illud tetigerat, pro reliquiis habebatur.

b
c
d
* al. Helois
F
e
f
g
h

ANNOTATA.

A. AGNETE DE HARCOURT.

ANNOTATA.

a *Gallice* l'orgueilleux, *quod Græci* κριθή *voce Latinis quoque usitata dicunt; Latini alias* hordeum, *vel* hordeolum *vocant, ab hordei similitudine æque ac Græci : nam* est tuberculum parvum, oblongum, palpebræ cilio, qua pili sunt, adnascens, *inquit Gorræus in Definitionibus medicis ad vocem* κριθή, *ubi plura videri possunt. Attamen malum sororis Saræ non plane idem fuisse videtur, cum totum ejus corpus maculis esset infectum.*

b *De Margarita Flandriæ comitissa ejusque principatu consuli potest Meyerus in Annalibus Flandriæ. Filia erat Balduini comitis et imperatoris deinde Constantinopolitani, comitatumque adepta post mortem Joannæ sororis, quem reliquit filio Guidoni anno* 1279, *quo obiit, ut habet memoratus Meyerus fol.* 81, *et Joannes Iperius in Chronico S. Bertini apud Edmundum Martene tom.* 3 *Anecdotorum col.* 759, *ubi ejus decora breviter perstringit.*

c *Laudatus Iperius col.* 723 *sic habet de Mar-* B *garita ejusque filia :* Duos filios habuit... filiamque Mariam in Flinis *(prope Duacum in Flandria)* postea monialem humilem et devotam. *Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Christianæ pag.* 387 *Mariam hanc statuebant primam abbatissam Flinensis cœnobii; sed errorem correxit Dionysius Sammarthanus tom* 3, *col.* 454 *: qui de hoc Ordinis Cisterciensis cœnobio per Margaritam prædictam fundato latius consuli poterit.*

d *Hanc Roulliardus pag.* 405 *vocat filiam Margaritæ. Fuit revera et altera Margaritæ filia, Joanna nomine, quam Labbeus in Tabulis genealogicis pag.* 425 *docet nuptam fuisse Theobaldo II Barri comiti. At non satis mihi constat, utrum illa designetur, an alia quædam ab Aldenarda Flandriæ oppido nomen sortita.*

e *Filia erat Guidonis Flandriæ comitis, nupsitque Joanni I Brabantiæ duci, postquam Margarita Francica prima ejus uxor obierat, ut docet laudatus Labbeus p.* 526.

f *Gallice* du moustier, *quod ambiguum est, cum frequentissime pro monasterio sumatur; aliquando pro sacello mortuorum sepulturæ destinato,* C *non raro etiam pro ecclesia, ut videre est in auctiore Cangii Glossario. Verumtamen dubitandum non videtur, quin illa fenestra fuerit in sepimento, quo chorus monialium ab alia ecclesiæ parte secluditur.*

g *Gallice* leurs fermans, *quod* fibulas *reddidi : sive ex* fermail, *fibula, vox sic fuerit corrupta, sive etiam fuerit usitata.*

h *Gallice*, leurs aumosnieres, *Latino-barbare* eleemosynarias suas : *has autem voces quandoque sumi pro marsupio, quod ex illo promantur eleemosynæ, ostenditur in laudato Cangii Glossario ad vocem* eleemosynaria.

D

CAPUT IV.

Miracula multa post mortem facta.

Frater Dionysius, de quo supra mentionem fecimus, ore suo affirmavit, octo diebus post mortem sanctæ hujus Dominæ ac matris nostræ, se texisse altaria templi nostri in Quadragesima, cum tabula ingentis magnitudinis, quæ erat ad altare domini sancti Petri, in ipsum decidit. Debilis erat ita, ut propriis viribus se erigere non posset, fuitque sub illo pondere per longum temporis intervallum. In isto periculo istaque angustia invocavit subsidium sanctæ Dominæ nostræ, et statim ex onere illo ingenti se elevavit facile sine ullo vulnere, officiumque suum obivit strenue, ut ante faciebat. Istud ipse narravit sororibus multis, quæ rei sunt testes. *Beneficia præstita periclitanti,*

E

27 Frater Ægidius de Salli, qui longo tempore fuit cum fratre Odone de Roni, habebat capitis tegmen, quod sancta hæc Domina in capite habuit in morbo postremo, et in quo mortis sudore sudavit. Affectus febri tertiana, istud capitis tegmen ex pietate in Sanctam capiti suo imposuit et continuo sudare cœpit, ac convaluit. Soror Agnes d'Aucry, soror Maria de Cambray, et soror Maria de Tremblay rem istam perceperunt ex ore fratris hujusce Ægidii, illamque testantur. *febri correpto,*

28 Soror Ada de Rains pro vero affirmavit, unum e manus digitis sic demorsum sibi fuisse a sue, ut ungue careret ille digitus per annos viginti et ultra. Quando Domina reverenda ac sancta mater nostra fuit sepulta, hæc soror Ada sumpsit de terra corpori circumjacente, terramque illam ligavit supra istum digitum, reliquitque diebus novem; nono autem die dissolvit. Ita penitus sanatus erat digitus, ut nullo umquam affectus fuisse videretur malo; unguemque, quo ante carebat, habuit tota vita sua pulchrum, integrum, sanumque. Vidit conventus digitum affectum, et sanum. *digito læso,*

F

29 Soror Ermesendis de Paris vice quadam mansit sola in ecclesia *a*, sine venia, quando conventus cœnabat, dum Domina venerabilis mater nostra recenter erat defuncta. Invasit illam dolor vehementissimus capitis, quam sentiebat cum nimio ardore conjunctum; atque in illo dolore affecta est timore magno, quod mansisset sine licentia. Meditabatur adire triclinium cum sororibus, cum cordi ejus infunditur magnum desiderium, acsi creatura aliqua locuta fuisset cum corde ipsius, eique dixisset : « NON « FERAS *b*, sed accedito sanctam Dominam tuam, « ejusque auxilium implorato ». Ipsa eo se contulit, projecit se sub sedile *c*, quod erat supra corpus, tetigitque capite et gena sua terram corpori impositam. Deinde oravit ipsam magna diligentia, vehementi conatu, et multis lacrymis, tandemque illic in somnum incidit. Ubi surrexit, omnino sanatam se invenit. Ego soror Agnes de Harecourt, quæ tunc abbatissæ fungebar officio, hujus sum rei testis nam hæc soror Ermesendis continuo ad me venit quasi toto exterrita, dixitque parum abfuisse, quin sensu excidisset præ dolore capitis, quem passa erat, et præ *dolore capiti et timore afflictæ,*

A præ timore, quo fuerat territa, nisi Deus, et Domina ipsam sanassent. Soror Mathildis d'Escosse, soror Maria de Cambray, pluresque aliæ istud testimonio suo confirmant.

phreneticæ, 30 Alia ex sororibus nostris sensu privata est tam vehementer, adeoque fuit phreuetica, ut, dum evadere poterat ab illis, quæ eam observabant, ascenderet scamna et arcas, frangeretque parietes, ut caperet araneas, easque, cum poterat apprehendere, manducabat: sub mensas quoque se mittebat, quærebatque araneas et insecta exclusa *d*, atque, ubicumque reperire poterat, illa manducabat, multaque alia comedebat fœda, quæ nomiuare non lubet, propter ingentem vesaniam, in qua versabatur. Hoc malo vexatam invisit magna humilitate summoque commiserationis affectu Domina venerabilis mater nostra, quæ tunc vivebat; duravitque iste hujus sororis morbus tribus mensibus et dimidio post mortem sanctæ Dominæ nostræ. Nocte quadam fuit adducta ad tumulum Sanctæ, ubi vigilavit tota nocte, et cum ea sorores, quæ precibus insistentes, orabant Dominam pro ea, ut B ipsam dignaretur hoc morbo liberare. Simul atque uos discedebat, meus illi rediit; et, die illucescente, mente fuit tam saua, quam umquam fuerat; neque ullo deinceps tempore malum istud rediit. Vidit hauc rem conventus, illiusque est testis.

rursus febricitanti, 31 Soror Juliana pro vero asseruit, se vehementi febris ardore fuisse affectam; atque iu æstu illo flagrasse ingenti desiderio bibendi pie ex scypho, e quo iu vita sua bibebat saucta Domina nostra. Mox, ut biberat ex eo, recreatam se sensit ex ardore febris, et satis cito integre convaluit; et plus quam decem annis febrim non est experta.

quæ et librum amissum, Beata invocata invenit. 32 Hæc ipsa soror Juliana librum habebat, quem magni faciebat ex pietate, quia pertinuerat ad sanctam Dominam nostram. Perditus fuit iste liber præ negligentia, quod ipsam male admodum habebat. Accessit tumulum ipsius, multumque ipsam flens oravit, ut illum restitueret sibi: carior enim erat, quod ipsius fuisset. Benigna sanctaque Mater nostra ei dormienti apparuit, dixitque librum esse perditum; illum peC teret a domino rege, sancto Ludovico, fratre suo. Quando soror expergefacta est, preces fudit Sancto, promisitque illis ambobus, se eum facultate abbatissæ oblaturum Sancto librum cereum. Deinde simulatque cœperunt librum quærere, iuventus est: cum ante per plures dies inveniri non potuisset, etiamsi multum fuisset quæsitus.

Alia beneficia præstita 33 Soror Ermingardis de Chartres laborabat febri tertiaua admodum vehementi. Hinc voluit ex devotione cereum longitudinis suæ offerre Dominæ, ipsamque precibus interpellavit. Restituta fuit integerrime ex febri sua, adeo ut postea numquam illa laboraverit. Accessit sepulcrum, obtulitque cereum suum quam primum potuit.

Domina magua regina Margarita, mater regis Franciæ, adduci jussit dominum Philippum regis filium, qui febri vexabatur, sperans ipsum sanandum. Voluit ipsum quiescere prope tumulum sanctæ Dominæ nostræ, venerabilis amitæ *e* suæ. Sanatus fuit, quemadmodum ipse deinde retulit coram pluribus sororibus, se ab ipsa sanatum, dixitque se istius bene esse memorem.

Soror Margarita de Guyse festucam habebat iu uno oculo, eratque iu tantis angustiis, ut oculum aperire non valeret. Oravit Dominam, ut sibi succurreret, ac imposuit oculo suo aliquid de vestimentis venerabilis Sanctæ; et continuo fuit sanata. *A. Agnete de Harcourt.*

partim orantibus apud sepulchrum, 34 Soror Maria de Cambray sic auditu privata erat, ut quasi nihil perciperet auribus, et nesciret respondere ad ea, quæ ipsi dicebantur; adeo ut hac de causa non raro ubertim fleret, multumque contristaretur. Pietas eam impulit, ut precibus instaret apud sanctam Dominam nostram, oravitque ad sepulcrum ejus diebus novem. Convalescebat diebus singulis, et nono die perfecte fuit restituta.

Soror Elisabetha de Crecy vere dixit, se gravissimo malo laborasse mortisque periculo fuisse expositam per tuber, quod erat circum latera tam vehementer premeus, ut se erigere non posset. Quodcumque adhibebatur remedium, ipsam nequibat recreare. Sorores ipsi apportaverunt pulvinar, quod fuerat supra sepulcrum Dominæ per dies novem. Simulac illud pectori suo imposuit, melius habere cœpit, restitutaque fuit ex morbo. Soror Agnes de Harecourt, soror Agnes d'Aucry, soror Margarita de Guyse, pluresque aliæ sorores hujusce rei optime meminerunt. E

Alia vice hæc ipsa soror Elisabetha nimio vexabatur juguli dolore, et soror Ada de Rains tunc viveus, cujus digitum sanaverat Domina, ei dixit: « Vade ad sepulcrum Dominæ, et cape « aliquid de terra, quæ est supra tumulum, ju- « guloque tuo impone, et omnino sanaberis. » Affirmavit pro vero soror ista Elisabetha se prorsus fuisse sanatam eadem hora, quæ de terra ista jugulo imposuit.

partim pie utentibus rebus a Beata relictis, 35 Soror Ermemburgis de Cerceles vere asseruit, se gravissime ægrotasse, doloremque sibi fuisse sub mammilla hujusmodi, ut halitum ducere non posset. Fiduciam concepit de sancta benedictaque Domina ac matre nostra, ipsamque oravit, et aliquid, quod sanctæ Dominæ fuerat, applicuit loco affecto. Statim recreata fuit, et sanata. Multæ sorores istud viderunt, et testantur.

Soror Aleidis de Mucedent os habebat contortum, ut et oculum, vultum, et nasum, veluti fit ex paralysi: loquela ejus adeo erat impedita, ut vix posset intelligi. In hujusmodi statu fuit ad tres hebdomadas, aut mensem unum. F Nihil medicaminis, quod ei applicabatur, quidquam poterat prodesse. Tunc pietas ei suggessit, ut vellet sumere illa, quæ habebat ex rebus, quæ spectaverant ad sanctam Dominam et matrem nostram, atque ea gestaret collo appensa, ipsamque invocaret et sepulchrum ejus inviseret. Ivit eo diebus octo ad orandum, atque octavo die obtulit candelam *f* crassitudine capitis sui et longitudine faciei suæ. Confestim post hæc prorsus fuit sanata; nec umquam deinceps ægrotavit, ut manifeste patet. Soror Agnes d'Anery, quæ eam custodiebat, hujusce rei dat testimonium, multæque aliæ sorores, quæ viderunt integræ valetudini restitutam.

partim ejus opem 36 Soror Maria de Tremblay pro vero affirmavit, se animi relaxandi gratia accessisse ad vivarium, quod est in domo nostra, ac consedisse super lapides quadratos, qui sunt supra vivarium. Mansit ibi longiuscule, ut captaret aera, quia multum fatigata erat officiis, quæ obire debuerat. Cum ibi esset, lapis, cui insidebat, disrumpitur sub ipsa, lapsusque in vivarium, glaciem rupit, pariterque cum eo soror iu vivarium incidit, illique immersa est supra cingulum. Ad fundum descendebat, cum ei subiit memoria sanctæ

A. AGNETE DE HARCOURT.

etæ Dominæ nostræ, quam invocavit magno animi affectu, dicens : " Benigna Domina, sic " me serva, ut vere sum filia tua. " Mox Dominus noster eam liberavit modo mirabili, utpote quæ in præsenti versabatur mortis periculo; aquaque confestim exivit facile. Recte affirmavit, numquam se affcetam fuisse tantis angustiis, tantoque mortis terrore; animoque tunc coucepisse propositum melius vivendi. Multæ sorores viderunt turbationem, in qua erat, postquam gravi illo periculo erat defuncta. Istud ipsa narravit pluribus sororibus, inventusque est lapis disruptus, sicut dixerat.

in periculo implorantibus.

37 Eadem hæc soror Maria de Tremblay servabat sororem Desideratam infirmam, quæ ejus curæ erat demandata. Infirma ei dixit, ut iret sibi aquam haustura ex fonte vivarii. Respondit illi soror Maria se nimio timore nimioque horrore affici, quia nox erat, et tempus primi somni; attamen parata omnino ad implendam voluntatem ægrotæ, candelam sumpsit et poculum, eoque se contulit. Quando illuc ibat, occurrit
B ei inimicus specie canis viridis, qui oculos habebat rubros et scintillantes, adeoque magnos et largos, ut vaccæ oculi viderentur. Tantus eam invasit terror, ut totum corpus sibi commotum, capillique sursum trahi viderentur. Occurrebat semper ejus faciei, impediebatque, ne posset progredi, ita ut numqnam ire valeret usque ad aquam, sed redire eam oporteret. In regressu cruce se signavit, brachioque suo illum repulit, et dixit : " Pater, in manus tuas com- " mendo spiritum meum " : tunc discessit ab ea, ita ut ignoraret, quo abierit. Circuivit, ut ad lavatrinæ fontem accederet; et dum ibi erat apud fontem, ille se posuit super ipsum et fornicem *g*, ipsique in humeros insiluit, eamque voluit strangulare. Cum reverteretur inde abitura, signavit se cruce, et dixit : " O benigna Domina, tuere " me ab hoc diabolo, sicut sum filia tua, et " promitto Deo, beatæ Virgini, et tibi, me con- " fessuram de peccatis totius vitæ meæ, vitamque " emendaturam ". Cumque vellet intrare domum, ubi erat ægrota, cecidit quasi omnino deficiens animo, neque habuit vires portam claudendi : pocu-
C lum quoque, quod manu tenebat, cecidit et confractum est. Ægrota, quæ se movere nequibat, satis percepit clamores, quos emittebat soror Maria, eique dicebat : " Signa te, signa te ". Soror Desiderata hujus rei testis esset si viveret. Soror Joanna de Louvetaines, quæ ægræ satis diu ministravit, et soror Juliana testantur, sororem Desideratam sibi id sæpius retulisse in vita sua.

ANNOTATA.

a *Gallice, au* moustier, *quod ambiguum esse jamjam monui.*

b *Hæ duæ voces Latinæ erant, reliquæ Gallicæ.*

c *Gallice in Vita* fourme, *alias* forme, *et Latino-barbare* forma, *quod et sedile canentium in choro, et speciem quamdam sedis portatilis significat.*

d *Gallice,* barbelotes esclotes. *Quænam sit species insecti, non satis novi.*

e Amita, *Gallice* tante, *hic sumitur uno gradu remotius pro* magna amita, *ut vulgo dicitur. Margarita enim conjux erat S. Ludovici, mater Philippi III tunc regnantis, cujus filium Philippum IV sanatum narrat.*

f *Sic Gallice habetur, licet mira videatur candelæ forma.* D

g *In editione Cangii* fouruel, *quod non invenio : at pulem designari concameratum fontis operculum : hinc fornicem Latine dixi. Hujusmodi conjecturas æquo animo lector accipiat : nam sæpe in tenebris palpandum est, quod recentiores Vitæ scriptores a vocibus hujusmodi exponendis caute abstinuerint.*

CAPUT V.

Miracula alia post mortem patrata.

Ægra ex gravi morbo, apparitionibus præviis.

Soror Joanna de Louvetaines pro vero affirmavit, se in gravi morbo, quo tribus mensibus laboravit, vota fecisse Dominæ sanctæ matri nostræ, eamque rogasse ex animo, ut Dominum oraret pro sanatione sua, sic eam affata : " Benigna Domina mea, suavis mater mea, te " obsecro, des mihi sanitatem : firmiter enim E " credo merita tua majora esse quam necessita- " tem meam. " Sic precabatur multis lacrymis perfusa, et crebro. Contigit, ut nocte quadam gravissime laboraret, adeo ut sibi videretur id amplius tolerare non posse. Vocavit sororem Mathildem d'Escossc, quæ ipsi serviebat, eique dixit : " Cruce me signa, et commenda me " Dominæ benedictæ matri nostræ " : et mox in somnum incidit. Inter dormiendum cernere videbatur Dominam, flexisque niti genibus coram ipsa, eique preces fundere junctis manibus, ut ante, Dominaque videbatur ipsi respondere : " Ito ad fratrem meum. " Deinde existimabat se videre multos homines tamquam peregrinos, accedentes ad sepulcrum domini regis, sibique persuadebat se eo ire non posse. Hæc de causa sic regem invocabat : " Domine rex, misericordiam tuam im- " ploro, sana me. " Imaginabatur etiam se portari ad tumulum domini regis, ibique adesse Dominam : et rex videbatur tenere manum elevatum supra tumulum, eique Domina dicere : " Domine rex, signa " aut sana hanc sororem. " Ille, ut apparebat, signabat eam, dixitque : " Sana eris intra octo dies. " Mox ut evigilavit, istud narravit sorori Mathil- F di, quæ ipsam custodiebat, eique dixit : " Sanata sum. " Et verum est, confestim sanatam fuisse. Conventus ægrotam vidit, redditamque ei sanitatem.

bis restituta :

39 Hæc eadem soror Joanna de Louvetaines morbo laboravit gravissimo, qui duravit per tres omnino annos, parumque spei habebat recuperandi umquam valetudinem propter vim mali. Vota fecit Dominæ sanctæ matri nostræ, promisitque se jejunaturam tribus hebdomadis solo pane et aqua contentam. Postquam eo modo jejunaverat, sic allocuta est sanctam Dominam nostram : " O benigna Domina mea, jam tribus se- " ptimanis jejunavi pane et aqua vitam tolerans, " quod magno mihi stetit incommodo, neque " adhuc recreata sum. " Somno correpta est, sibique imaginabatur, se super tumulum Dominæ portatam, Dominamque supra tumulum sedere; unde ægrota paululum fuit exterrita, cogitabatque, et sibi dicebat : " Hæc est, cujus " imploras subsidium. " Imaginabatur quoque soror, Dominam sibi obviam venire, seque Dominæ dicere : « Domina, te oro, ut mihi sub- " sidio

A « sidio sis apud Dominum nostrum »: Dominamque manum suam tenuisse, sibique dixisse: « Ito ad fratrem meum ». Tuuc in imaginatioue sua videbat agmen supplicantium regum, qui splendide erant ornati, coronatique omnes, in cujus agminis fine erat dominus sanctus Ludovicus. Domina apprehendit sororem, posuitque ante illum, eique dixit, ut illam signaret. Dominus rex signavit sororem, eique dixit: « Tota « eris sana ». Et certe soror prorsus sanata fuit, ut postea patuit, cum omnes conspexerunt sanam esse: nec ullum deinceps morbi apparuit in ea vestigium.

alia Beatæ invocatione cani truculento erepta:

40 Accidit sorori Saræ de Houpelines, ut canis admodum truculentus domus nostræ, qui multa intulerat mala sororibus, evaderet, eique iu faciem insiliret. Ipsa manum interposuit, canisque mauum ipsius apprehendit, novemque vulneribus manum læsit et brachium. Deinde femur invasit prope genu, multasque et ingentes infixit plagas. Aderant multæ sorores, quæ ei conabantur subvenire; at nequibant canem ab ea removere. Tunc soror Sara imploravit Dominum nostrum, et beatam Virgiuem, et sanctam matrem B nostram, dominam Elisabetham, cui sic dixit: «Benigna Mater mea, siuesne me a canibus de«vorari»? Et mox canis sponte sua abiit, eamque reliquit: et ipsa mansit gravissime læsa. Postea femur sororis intumuit, malumque crevit tam vehementer, ut crederetur inde moritura. Tunc cum licentia mansit sola apud sepulcrum Dominæ, quamdiu conventus mauducabat, oravitque Deum, et beatam Virginem, ac Dominam sanctam matrem nostram, ut ipsa sibi opem præstaret: et statim, priusquam comederat conventus, se recreatam sensit ex ingenti illo inflationis malo; integræque valetudini est restituta. Vidit illud soror Elisabetha de Tremblay, quæ ei ministrabat, pluresque aliæ sorores; et nos videmus prorsus esse sanatam.

lumen circa sepulcrum visum: beneficia alia

41 Plures sorores sæpius videruut ingentem claritatem circum tumulum sanctæ Dominæ ac matris nostræ circa tempus Matutinarum, aliaque pia, quæ longum esset referre.

Breviarium sororis Aguetis de Paris aquæ incidit apertum, tamque fuit madefactum interius et exteC rius, ut numquam videretur aptum fore, cujus legerentur characteres. Impositum fuit pie tumulo sanctæ uostræ Dominæ, relictumque ibidem tribus circiter horis. Redditum fuit pristino nitori, pulchrumque est et legibile, ut erat, priusquam aqua mergeretur.

Eadem hæc soror Agnes adeo male erat affecta in meatu juguli sui, ut vehementer esset territa. Mox, ut malo adhibuerat aliquid ex iis, quæ sanctum Dominæ corpus attigerant, ejecit per os quasi paludem *a* integreque fuit sauata. Possemus referre paucis verbis bona spiritalia consolationesque, quas præstitit personis, quæ ejus pie imploraverunt opem. Pro quacumque tribulatioue et tristitia invocatur, juvat consolaturque sincero corde orantem.

a

variis personis,

42 Mulier Parisiensis, cui nomen Agues la Coffriere, infantem habebat gravissime ægrotantem, cujus mors expectabatur sine spe restitutionis. Amabat eum vehementer; aliis enim carebat infantibus: ipsaque cum aliis persouis apud infantem vigilaverat, quia finis vitæ adesse videbatur. Jussa fuit quietem capere. Iu somuum incidit. Inter dormiendum audire videbatur vocem sibi dicentem: « Agnes, vove infantem « tuum dominæ Elisabethæ prope sanctum Clo« doaldum, illique offer scyphum, quem tibi dedit « pater tuus, et sanabitur infans». Postridie peregrinata est ad domum nostram obtulitque scyphum; et sanatus est infans. A. AGNETE DE HARCOURT

Mulier ex Serenes *b*, Agnes nomine, vi morbi visum amisit. Adducendam se curavit ad abbatiam nostram, votaque fecit sanctæ Dominæ nostræ, cui duos ex cera oculos promisit. Simul atque votum emiserat orationemque absolverat in monasterio, vidit, visumque eodem die integrum recuperavit. *b*

etiam peregrinis,

43 Puella, quæ aberat duabus leucis ab ecclesia nostra, in periculo versabatur perdendæ virginitatis: et de nocte, priusquam tradita erat, sancta Domina nostra apparuit dormienti, eique dixit: « Surge, vade ad abbatiam meam, quæ « est prope sanctum Clodoaldum, et liberabe« ris ». Surrexit puella citissime; cumque nesciret qua parte esset abbatia, recta cucurrit via, venitque adeo madida sudore, cursuque fatigata, ut vix respirare valeret: atque ex ingenti se servandi desiderio superiorem vestem reliquit in silva *c*, ut citius posset accurrere, iuventaque fuit illa vestis, ut Domino placuit. Puella hæc imposterum in virginitate perseveravit, vitamque duxit bonam et honestam, uti testantur personæ, quibus convixit. *c* E

in diversis necessitatibus

44 Duo homines Toruaco *d* veuerunt ad abbatiam nostram, attuleruntque pro oblatione duas candelas longitudiuis suæ, et petierunt, ut sibi ostenderetur tumulus sanctæ Domiuæ nostræ. Dictitabant illi se fuisse in carcere, et in periculo vitam laqueo amittendi, cum vox quædam illis dixit: «Vota facite dominæ Elisabethæ pro« pe sanctum Clodoaldum, et liberabimini ». Porro, quia venerant, magnoque studio petebaut, ut tumulum benedictæ Dominæ videre liceret, responsum eis fuit, moris non esse frequenter aperire fenestram. Ipsorum candelæ fuerunt accensæ circum tumuluin, illique abierunt liberi *e*. *d* *e*

intercessione Beatæ

45 Custos *f* domus nostræ purgabat ecclesiam, eratque prope cameram in corbe funibus per machinam attracto: ruptus est fuuis, illeque cecidit super scamna ecclesiæ, gravissimeque fuit faucius. Ex lapsu vulnus habebat iu capite; ac mirum fuit, totum ei cerebrum non fuisse dispersum; timebaturque inde moriturus, et oportuit fratre venire magna festinatione, ut confitentem audirent. Sorores magna ejus commiseratione erant affectæ, votaque pro ipso fecerunt Dominæ sanctæ matri nostræ; atque ille intra breve tempus perfecte fuit sanatus, nec quidpiam læsionis ei mansit ex vulnere. *f* F

collata

46 Quando domina regina habitabat in domo nostra, servus illius, qui ei erat ab eroganda stipe, ægrotavit, atque in phrenesim incidit vehementem. Viri benigui ejus miserti sunt, votaque pro eo fecerunt Dominæ sanctæ matri nostræ, eique obtulerunt candelam æqualis cum ægroto longitudinis. Mox æger ad mentem reductus est, restitutusque ex phrenesi, confessionemque instituit et se præparavit. Vidit hoc frater domus nostræ, multique alii.

Philippus procurator abbatiæ nostræ laborabat tertiana tam vehementi, ut timor esset, ne mente privaretur. Sudare nequibat quocumque adhibito remedio: simulatque impositus est pulvinari, quod Domina sancta mater nostra capiti suo habuerat suppositum, sudare continuo cœpit, atque integram valetudinem recuperavit.

Filius Richardus, ubi imposita ei fuerat terra, sumpta

A. AGNETE DE HARCOURT. sumpta in circuitu sepulcri sanctæ Dominæ, liberatus fuit febri tertiana, qua laboraverat longo intervallo *g*.

ANNOTATA.

a *Legitur in Vita Gallica* comme palu. *Porro* palu *olim Gallis idem fuit, quod Latinis* palus *vel* stagnum, *ita ut verba Gallica verti debeant* quasi paludem *vel* stagnum. *Indicant autem hæc verba, rupto apostemate, quo haud dubie laborabat, evomuisse magnam copiam puris, quod erat instar aquæ turbidæ vel paludosæ.*

b *Vicus* Surene *notatur in tabula agri Parisiensis una fere leuca a S. Clodoaldo.*

c *Gallice* au boias, *forsan legendum* au bois. *Conjectura utendum hic fuit, cum vox* boias *etiam exponi nequeat, nisi per conjecturam.*

d Tornacum, *Gallis* Tournai, *urbs est Flandriæ episcopalis et non ignobilis.*

e *Intellige liberos jam fuisse post votum factum invisendi sepulcrum: nam alioquin eo ire non potuissent.*

B f *In editione Gallica,* la guete.

g *Roulliardus in Vita a se scripta ex miraculis modo relatis quædam prætermisit; quædam narravit alio modo, quam hic erant narrata, ac tandem a pag.* 446 *adjunxit pauca, tamquam deprompta ex Vita Ms. Agnetis. Hæc Latine reddita lector accipe :*

Domina Maria Dionysiopolitana quatuordecim fere annis catarrho laboraverat in capite, adeo ut se erigere non posset, et majori temporis parte lecto decumberet. Visus insuper ei erat obscuratus, ut vix cernere valeret, aut personas cognoscere. Jussit se duci ad Longum-Campum, quando sancta Mater ab uno sepulcro translata fuit ad aliud : tunc, postquam magno affectu se ei commendaverat, catarrhus ipsius exsiccatus est, oculi ejus illuminati sunt, et quilibet assistentium cum ipsa laudabat Deum de eventu tam felici. D

Mulier juvenis, nomine Petronilla, filia domini Anselmi de Pontoise, graviter ægrotabat febri, laborabatque præterea graviditate, licet hæc ad terminum non esset perducta, quod vis mali tempus prævenisset. Rogabat Sanctam, ut sibi succurrere vellet et fructui suo. Deinde aliquid petiit ex aqua, qua sanctum corpus erat lotum ; non enim diu erat sepulta. Bibit ex illa, moxque sanata est et infante suo liberata, qui vixit et salutaribus baptismi undis fuit ablutus. Uxor fratris hujus Petronillæ, quæ diu fuerat sterilis, infantem concepit suffragantibus Sanctæ precibus.

Alia mulier Parisiensis, quæ in puerperio diu laboraverat, cum curasset corpori suo imponi de terra, circum Sanctæ sepulcrum collecta; tanta peperit cum lætitia, quantus fuerat quamque difficilis et tædiosus labor partus. E

Domina Aloysia du Port de Nully vehementer affligebatur febri pleuritica, ita ut quasi suffocaretur sine potentia respirandi, aut halitum ducendi. Simulatque pro illa vota facta sunt sanctæ Matri, hujusque pulvinar ei tangendum est datum, prorsus malo suo liberata est.

Tres aliæ personæ sanitati subito sunt restitutæ sola invocatione nominis Sanctæ : quinque servatæ sunt a cæcitate, quæ videbatur imminere; et sex febribus omnino liberatæ.

DE BEATO BENEDICTO ARETINO

EX ORDINE FF. MINORUM

ARETII IN TUSCIA

J. P.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus, et collectio rerum a Beato gestarum. F

AN. CIRC. MCCLXXX. *Beati cultus*

Aretium, *vulgo* Arezzo, *civitas episcopalis in Tuscia multis memoratur a Leandro Alberto inter ea, quæ scribit de eadem Italiæ regione pag.* 94 *et seqq. in editione Latina Coloniæ Agrippinæ anno* 1566 *impressa, ubi agit de ejusdem antiquitate, fertilitate, calamitatibus, clarisque viris. Jacet in monte, et paucis milliaribus distat a Clano palude, quæ paulo infra in fluvium Arnum se exonerat. Vasa Aretina magno apud veteres in pretio fuisse, notum est e scriptoribus. Civitas hæc mundo ac cœlo dedit* Benedictum. *Arturus illum sic annuntiat hac die:* Aretii in Tuscia, beati Benedicti Aretini, confessoris : qui provinciæ Antiochenæ in Syria primus provincialis ab eodem patre sancto Francisco institutus, vitæ sanctitate extitit insignis. *Plura de illo memorat in notis. Hueberus in Menologio Franciscano non videtur ausus ei dare titulum* beati *hæc scribens:* Aretii in Thuscia, in æde S. Francisci, in sacello Sivigardorum *, circa annum MCCLXXX religiose tumulatus servatur benedictus a Domino P. Benedictus ab Aretio : *quem deinde laudans,* Tandem, *inquit,* diebus, meritis et gratiis plenus, ad cælestem mercedem sanctissime penetravit.

* *l.* Sinigardorum

a nobis 2 *Ast Huebero liberalior in eum fuerat diu ante Petrus Rodulphus Tossianensis Historiarum Seraphicæ Religionis lib.* 1, *fol.* 84 *verso, ubi ex parvo vitæ compendio delibo ista :* Beatus Benedictus Aretinus ex Sinigardo de Sinigardis, et Elisabetha Petramaliscia, honestis parentibus natus.., per omnes sanctitatis gradus incessit.. Obiit.. autem Aretii, tumulatus in æde D. Francisci, in capella extructa a familia Sinigardorum in honorem hujus Sancti. Caput custoditur in sacrario in quadam capsula... *Indicat Benignus Fremaut in Legenda generali Franciscana, sermone Flandrico edita, ad hunc diem, conservari ibidem dictum caput* in pulcra hierotheca, et unam e maxillis ejus honorari in ecclesia PP. Conventualium

A Conventualium Bononiensium: *ubi vides indicari cultum ex reliquiis, de quo etiam apud Tossinianum, ut aiebam, et Masinum mox citandum.*

probatur. 3 *Deinde refert dictus Tossinianus sequentia de illo legi carmina:*

Aretii Benedictus ego Sinigardia proles,
Vates, et sacra Relligione Minor.
Assyrii patres mihi jam paruere ministro,
Hinc digitum, Daniel quem dedit, ipse tuli.
Nunc vivo in cælis, patria et mea membra reservat,
Inque meis aris thurea dona fero.

Carmina illa melius mihi placerent, si poeta loqui fecisset alium de Beato, et non hunc de se. In Bononia perlustrata apud Masinum die IV *Aprilis ista indicantur:* Beatus Benedictus Aretinus, Ordinis Minorum. Ad sanctum Franciscum servatur mandibula ejusdem. *Imago Beati, satis antiqua, ut videtur, apud Tossinianum fol.* 81 *repræsentatur, circulo, radiorum loco, caput ambiente, ut postea videbitur. Titulo beati illum nuncupat Gonzaga in Origine Seraphicæ Religionis etc. parte* I *in viris illustribus pag.* B 92, *uti etiam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1211, *num.* 16, *e quo auctore hujus præclarissimi Viri gesta colligam. Utar autem postrema editione.*

Elogium ejus ex Waddingo: 4 *De accessu ejus ad Ordinem FF. Minorum, aliisque ejus in eodem ornamentis sic loquitur loco modo citato Waddingus a pag.* 111: Ceterum beati Benedicti inter Aretinos celebrior est memoria, quem ex Sinigardo de Sinigardis, et Elisabetha de Petra-Malischia honestis parentibus in Aretio natum sua vestivit tunica Franciscus. Qui ejusdem sancti Patris imitator assiduus ad magnam perfectionem per omnes sanctitatis gradus incessit. Prudens et gravis in moribus, factus est Marchiæ minister, deinde provinciæ Romaniæ, seu Antiochenæ, ex qua miraculose acceptum in civitate Babyloniæ Daniëlis prophetæ digitum in suam patriam reportavit, cujus virtute Deus multa operatus est miracula. Joannem Brennam Hierosolymorum regem, et Constantinopolis imperatorem ad Ordinem recepit, ut suo loco largius dicetur. Ejus precibus ab imminenti et C certo naufragio liberatos socium, et duos D. Basilii monachos, in quodam prope Antiochiam alveo navigantes, refert Bernardus a Bessa, seque miraculum hoc ab ipso ejus socio, aliisque viris fide dignis accepisse subjungit. Spiritu etiam prophetico claruit, et multa prædixit occulta, præcipue fratri Thomæ Papiensi, Tusciæ postea ministro, cujus in re ardua peragenda dubias cogitationes penetravit et dissolvit.

mittitur a S. Francisco in Orientem, 5 *Postquam S. Franciscus convocasset undique Fratres ad comitia generalia, eosque ad universas Europæ provincias, institutis ubique rectoribus, destinare decrevisset, abunde ostendit, quanti faceret* Benedictum, *uti colligitur ex memorato Annalium scriptore ad annum* 1216, *num.* 3, *pag.* 248: In Piceno, *inquit*, seu Marchia Anconitana (*ministrum instituit*) fratrem Benedictum de Aretio, sibi familiarem et gratum, quem post sanctissime gubernatam illam provinciam misit ad Græcos et Antiochenos. *Ad annum vero* 1219, *num.* 32, *pag.* 303 *hæc scribit:* Diviso mox inter consodales Orbe, veluti si universum Dei excelsi subjugare vellet imperio, cujus ampliores, potioresque plagas a debita defecisse obedienda conspexit, ad eas vincendas partes peritiores misit duces, quas magis sibi constitit fuisse rebelles. Longa itaque pro more præ-

AUCTORE J. P. missa oratione, sibi duodenisque sociis designavit Syriæ et Ægypti regiones. Ad deficientes Græciæ nationes destinavit beatum Benedictum de Aretio cum aliis Fratribus.

ubi Ordinem promovet: an ope Petri imperatoris Constantinopol. 6 *Ad annum eumdem num.* 33 *Vir beatus laudatur a magno fructu, quem in Græcia retulit apostolico suo labore. Verba accipe:* In Græciam autem statim navigavit Benedictus, deposito ministeriatu provinciæ Marchiæ, quem eousque laudabiliter gessit. Perquam benigne et humaniter receptus est a Petro Altisiodoro Orientis imperatore, quo favente et auxiliante plura accepit et ædificavit suis sodalibus habitacula, et Religionem ita dilatavit, ut brevi ampla coaluerit provincia fratrum, dicta Romaniæ. Miros fecit ibidem Ordo progressus, et Vir sanctus cum sociis rei spiritualis proventus, doctrinam eorum et vitam Domino confirmante sequentibus signis. *De Petro comite Autissiodorensi, ac deinde imperatore Constantinopolitano, plura refert Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis tom.* 13 *ad annum* 1217, *quo coronatus est Romæ in basilica S. Laurentii extra muros ab Honorio PP. III, ubi num.* 4 *et seqq. inter alia, quæ de Petro memorat, eidem anno intexit ista:* Nil Petro legati (*Apostolici*) auctoritas, nil susceptæ tanto apparatu imperatoriæ insulæ profuerunt, quam ut instar victimæ, quæ coronatur corollis, dum ad cædem ducitur, cum pompa periret. Græcorum enim terras ingressus Theodori Angeli Comneni proditione una cum legato in carcerem fuit conjectus. *Idem Annalium auctor num.* XI *agit de exercitu ejus cæso. Ad annum autem* 1218 *num.* 20 *dicit, non esse sibi compertum, an in vinculis obierit, an libertati et imperio redditus fuerit. Quomodo igitur* B. Benedictus, *anno* 1219 *in Orientem profectus,* perquam benigne et humaniter receptus est a Petro.. imperatore; *quomodo tot ab illo cumulatus favoribus, uti volebat Waddingus?* E

§ II. Pia consuetudo a Beato instituta; veritatem indulgentiæ Portiunculæ confirmat; tempus mortis; apocrypha quædam de Beato narrantur. F

Antiphonam instituit contra immundos spiritus: Ad *annum* 1232, *num* 42 *laudatus Annalista agens de Conventu Aretino circa hunc annum translato a primo fundationis loco extra urbem, eadem occasione laudat* B. Benedictum *illuc reducem ex Oriente, ab eoque piam aliquam consuetudinem institutam scribit:* Cum locus, *inquit*, hic vexaretur a spiritibus immundis, prædictus Benedictus instituit, ut cantaretur illa antiphona: « Angelus locutus est Mariæ « dicens etc. » quam institutionem confirmavit postea divus Bonaventura Generalis.

confirmat 8 *De testimonio, quod Beatus dedit pro confirmatione indulgentiæ Portiunculæ, tractat Waddingus ad annum* 1277, *num.* 17, *ista præmittens:* Hoc ipso tempore amplius evulgari cœpit magna illa indulgentia Portiunculæ, seu ædis sanctæ Mariæ Angelorum, quam proinde gravibus testimoniis comprobari oportuit, quibusdam de ea dubitantibus, aliis contradicentibus. Vivebat

AUCTORE J. P.

bat tunc beatus Benedictus Aretinus, beati Francisci discipulus et socius, cujus fidem et sententiam in hac re expostulantibus, hoc ipso anno authenticum istud dedit testimonium, *hisce ibidem verbis expressum :* In nomine Domini. Amen. Ego frater Benedictus de Aretio, qui olim fui cum beato Francisco, cum adhuc viveret, et, divina gratia operante, ipse pater sanctissimus ad Ordinem me recepit; quique sociorum suorum fui socius, et frequenter in vita sancti Patris nostri, et post ipsius transitum de hoc mundo ad Patrem, cum eisdem de secretis Ordinis frequenter collationem habui : confiteor me audivisse frequenter a quodam supradictorum sociorum beati Francisci, qui vocabatur frater Masseus Morignani, qui fuit homo veritatis et probatissimæ vitæ, quod ipse fuit cum beato Francisco apud Perusium ante præsentiam domini Papæ Honorii, cum petivit indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti et confessi convenirent ad locum sanctæ Mariæ de Angelis a vesperis primæ diei Kalendarum Augusti usque ad vesperas diei sequentis.

B *Portiunculæ indulgentiam authentico testimonio :*

9 Quæ indulgentia cum fuisset tam humiliter quam instanter a beato Francisco postulata, fuit tandem a summo Pontifice liberalissime concessa, quamvis diceret ipse summus Pontifex, non esse consuetudinis talem indulgentiam facere. Hæc eadem ego frater Raynerius de Marianis de Aretio, socius venerabilis dicti fratris Benedicti, confiteor me audivisse frequenter a dicto fratre Masseo, cui specialissimus amicus fui. Lectæ et publicatæ fuerunt supradictæ collationes apud cellam dicti fratris Benedicti coram fratre Compagno de Burgo, fratre Raynaldo de Castillione, fratre Caro de Aretio, et aliis pluribus ad hæc vocatis, et rogatis anno Domini MCCLXXVII, Ecclesia Romana vacante, Indictione V, die Dominico, ultimo die mensis Octobris. Ego Joannes Notarius prædictis omnibus interfui, et de mandato venerabilis patris fratris Benedicti, et fratris Raynerii scripsi et publicavi. *De celeberrima hac indulgentia agendum erit die IV Octobris, quo colitur S. Franciscus. Videri interim possunt, quæ pro illa scripsit V. A. P. Mathias Grouwels ex Ordine FF. Minorum in Historia critica ejusdem, anno* 1726 *Antverpiæ* C *edita.*

moritur anno circiter 1280,

10 *Reliquum est, ut de beati Confessoris obitu nonnulla observemus. Waddingus ad annum* 1280, *num.* 2, Hoc anno, *ait*, vel circiter, 2 Kal. Septembris, feria VI * obiit.. Benedictus Aretinus, vir sanctus. *Ibidem agit de ejus tumulo Aretii* in æde sacra sancti Francisci, in sacello a familia, *de qua superius*, in ejus honorem exædificata; *item de capite, ac carmine, quæ dabam in antecessum occasione cultus. Judico autem in utraque Waddingi editione scribendum* exædificato, *ita ut non ad ædem sacram S. Francisci, sed ad sacellum Beati referatur, prout videtur sensus exigere. Rodulphus etiam supra num.* 2 *scribit in* capella extructa. *Benignus Fremaut antea allegatus ita pariter Waddingum intellexit : nam in Vita, quam ex eo collegit, hæc memorat :* Reliquiæ ejus quiescunt in sacello, quod in honorem ejus ædificatum fuit a nobili familia Sinigardorum, e qua oriundus fuit.

* *feria VI non congruit cum XXXI Augusti ante annum* 1285.

aliis perperam cum anticipantibus.

11 *Sed ad annum mortis redeamus. Rodulphus, sequente eum Bzovio, longissime aberravit, signans e vita excessisse Beatum anno* MCCXXIV. *Hallucinationem hanc corrigit Waddingus ad annum* 1259 *num.* 9, *e quo excerpo ista :* Floruit.. hoc tempore.. Benedictus Aretinus, D quem nescio unde accepit Rodulphus, et ex eo Bzovius (anno MCCXXIV num. 9) obiisse anno MCCXXIV, cum expresse constet ex relatione apocrisiariorum Gregorii IX, quam nos exscripsimus, anno MCCXXXIII Constantinopoli vixisse, et ipse asserat Rodulphus, eum in Ordinem admisisse Joannem Brennam imperatorem : quem tamen non nisi circa annum MCCXL imperii exuvias deposuisse narravimus (anno MCCXL, num. V.) Ad hoc tempus pervenisse, imo et in plures adhuc annos vixisse, exactius habent vetusta Chronica Mss. *Deinde in memoriam revocat testimonium authenticum, quod Beatus dedit anno* 1277, *et modo productum est.*

Effigies ejus

12 *De præclaris Viri dotibus, quibus mens ejus prædita fuit, et quæ tamquam in imagine relucent per decursum hujus Commentarii, satis dictum est. Liceat his adjungere effigiem corporis ejus ex Rodulpho fol.* 84, *cui præfigitur hæc inscriptio :* Vera B. Benedicti Aretini effigies, *quam in minore forma sic imitatus est chalcographus noster.* E



F

Infra imaginem ponitur hoc carmen distichum :

Ut digitum Danielis ei, Benedicte, dedisti,
Reddita lux patriæ, reddita pax populo.

Videtur alludere poeta ad ea, quæ ibidem fol. 84 *dicuntur de isto digito Aretium delato :* Cujus virtute multa Deus operatus est in ea urbe. *Waddingus ad annum* 1259, *num.* 9 ista inculta, sed prisca, *ut vocat, de hac re* carmina *legi affirmat :*

Hic Syriæ in patriam digitum Danielis ademit,
In patria tandem periit petiturus Olympum.

modus fabulosus est, quo dicitur digitum S. Danielis accepisse :

13 *Fabulosa sunt, quæ Pisanus narrat de modo, quo hoc sacrum pignus in Oriente conseceutus est. Recito textum fol.* 77 *verso :* Fuit hic devotus sancto Danieli prophetæ, et cum affectasset ejus sepulchrum visitare, nec posset tam ex itineris prolixitate, quam custodia draconum existentium ad ejus sepulcrum in Babilonia; die quadam sibi immenso dracone apparente, et cum infra caudam recipiente, in Babiloniam portavit ad sancti Danielis sepulchrum : cujus tumulum aperiens, ejus digitum accepit ex devotione, et secum detulit, ac ab eodem dracone modo præfato

A fato in pristino loco illæsus est positus, et draco statim disparuit. Unde creditur, quod angelus Domini fuerit. *E quo apocrypho auctore commentum hoc transcripserit Pisanus, ignoro. At præterquam quod mirabilis ista transvectio per draconem, aliorumque draconum ad S. Danielis sepulcrum custodia ad aniles fabulas releganda sit; nihil satis fundati me comperisse de loco sepulcri ejus, etiamsi voluerint varii illum determinare, indicavi tom.* v *Julii, die* xxi *ejusdem mensis, a pag.* 123. *Gonzaga supra citatus de hoc digito ex Oriente translato non loquitur omnino affirmate:* Fertur, *inquit,* detulisse Arctium Danielis prophetæ digitum ex Babilone. *Waddingus supra num.* 4 *indicabat* digitum *hunc ab illo* miraculose acceptum in civitate Babyloniæ. *Sed potuit Beatus alio modo et ex alio Orientis loco sacrum hoc lipsanon detulisse Aretium.*

non dedit Ordinis habitum

14 *Examen alterius facti huc distuli, an videlicet Joannes Brennus Orientis imperator sacrum Seraphicæ Religionis habitum a* B. Benedicto Aretino *acceperit. Pisanus citatus:* Hic.. Joaunem (ut dicitur) *illum* ad Ordiucm nostrum B recepit. *Affirmatius loquitur Benignus Fremaut supra citatus. Verba ejus e Belgico reddita sic sonant:* Inter multa præclara opera, quæ B. Benedictus in Græcia patravit, maxime laudabile est, quod habitum Ordinis dederit Joanni Brenno vel de Brienne, comiti Viennensi * in Gallia, postmodum regi Hierosolymitano, et imperatori Constantinopolitano. *Historiam vero tam miræ mutationis subnectit post Waddingum ad annum* 1240, *num.* 5, *pag.* 34, *ubi, allegatis aliis scriptoribus, illam refert ex* Jornande in Chronico Vaticano Ms., *cujus verba recitare supersedeo. Raynaldus supra memoratus rem etiam narrat ad annum* 1237, *num.* 74 *et* 75, *citans Waddingum et Jordanum, et ante hujus textum, quem profert, breve hoc compendium ponit de Joanne:* Illum porro cælestibus visis admonitum, deposito regio fastu, abjectaque seculi pompa, paucis ante diebus quam morbo lethali tentaretur, Minorum Ordini, summo animi ardore ac pietatis sensu delibutum, sese aggregasse.

* *immo Briennensi*

AUCTORE J. P.

Joanni Brenno imperatori Orientis.

15 *Et mox recitatis Jordani verbis, hanc historiam sic refutat num.* 76: Hæc Jordanus, cujus narrationem fictionis suspicione non carere aliquis existimare poterit: ut enim pium mortis genus de piissimo principe inficiandum non sit, ita non parum ab historiæ veritate aberrant, quæ auctor his præmittit. Scribit enim, abscedente Joanne, Balduinum Constantinopoli relictum urbem amisisse; cumque eo tristi casu torqueretur Joannes, cæleste illud visum ipsi objectum fuisse: quem errorem, ut mittam auctores cæteros, abunde confutat Georgius Logotheta, dum ait, Joannem non diu post initum a Vatacio et Asane contra Latinos fœdus arctissima confirmatum affinitate, de quo suo loco diximus, vixisse, atque hæreditarium imperium Balduino reliquisse, cujus postea gesta expugnationemque Constantinopolis longe post hæc tempora refert. *Deinde num.* 77 *laudatus Raynaldus vita excessisse Joannem* E *anno* 1237 *affirmat ex Richardo synchrono, ac Parisio, addens non deesse, qui mortem ejus differant post annum* 1240. *Quamvis autem non sit mei instituti disputare de discrepantia hujus temporis, nec de relata jam historia, prout narratur apud Waddingum, Raynaldum ac Spondanum ad an.* 1237 *ex Waddingo, ubi nulla fit mentio de* B. Benedicto Aretino; *quia tamen Pisanus ac Fremautus illum producunt in hanc scenam, visum mihi fuit superiora colligere. Et vero de Ordinis veste Joanni a Beato data* 1237 *quomodo potuit Waddingus meminisse ad annum* 1237, *qui ad annum* 1232, *ut vidimus, dixerat reducem fuisse eum ex Oriente ad conventum Aretinum? Quod autem deinde in Orientem denuo sit profectus, non memini me legere.*

DE BEATO ALBERTINO

C

PRIORE EREMI SANCTÆ CRUCIS FONTIS AVELLANI

F

IN UMBRIA

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

De cultu celebri et fama miraculorum : ac pauca de gestis Beati.

Circa annum MCCLXXXV, ut fertur. Congregatio Fontis Avellani olim ab Ordine Camaldulensi distincta, nunc eidem unita:

De *congregatione Fontis Avellani in Umbria, quæ nunc Ordini Camaldulensi inserta est, egerunt Majores nostri ad diem* xxiii *Februarii in B. Petro Damiano, qui illius congregationis fuit superior, seu tom.* iii *Februarii pag.* 406 *et* 407. *Eamdem congregationem ejusque rigidam vivendi rationem descripserunt Mabillonius tom.* 4 *Annalium Benedictinorum a pag.* 436, *Hippolytus Helyot in Historia Ordinum monasticorum tom.* 5 *a pag.* 280, *aliique plures. Porro unum hic observo, quod laudati auctores probarunt latius, videlicet Ordinem Fontis Avellani distinctum fuisse ab Ordine Camaldulensi usque ad seculum* xvi, *eique demum unitum seculo* xvi *ad finem vergente circa annum* 1570. *Hæc notare placuit, ut intelligatur, quo sensu* B. Albertinus, *qui eremi seu congregationis Fontis Avellani generalis Prior fuisse dicitur seculo* xiii, *ad Ordinem Camaldulensem pertineat, cui a quibusdam sic attribuitur, acsi Camaldulense institutum fuisset secutus.*

2 *Annuntiant* B. Albertinum *aliqui martyrologi*

AUCTORE J. S.

nomen beati in Fastis recentioribus :

logi neoteriei ad XXXI *Augusti. Benedictus Dorgain in Kalendario Benedietino sic habet :* S. Abertini eremitæ miraculis clari. *Arnoldus Wion in Ligno vitæ :* Camalduli, Sancti Albertini eremitæ Ordinis Camaldulensis, miraculis clari *Addit ille hanc observationem :* Ex Calendario excuso RR. PP. Camaldulensium S. Marci Mantuæ, hujus natalem accepi. *Annuntiationem Wionis repetiit Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino. Bucelinus vero in Menologio Benedietino hæc scribit :* Camalduli, sancti Albertini monachi et confessoris. Claruit Albertinus anno Christi MCCLXXX, et pro insignibus vitæ meritis, miraculorum gloria a Numine illustrari meruit. *Philippus Ferrarius in Catalogo generali eumdem brevius memorat his verbis :* Camalduli B. Albertini eremitæ. *Errorem horum martyrologorum, qui Camaldulo perperam adscribunt Beatum nostrum, facile corriget studiosus lector, partim ex dictis suprą, partim ex dicendis inferius. Nos interim legitimam* B. Albertini *venerationem magis ostendemus.*

B

cultus antiquus et celebris,

3 *Jacobillus in Vitis Sanetorum Umbriæ de* B. Albertino *agit tom.* 2, *pag.* 197 *et* 198, *ac tom.* 3, *pag.* 351. *Utroque loco multa refert, quæ antiquum Beati cultum clare ostendunt ; nimirum in antiqua ecclesia monasterii sanctæ Crucis Fontis Avellani erectum ei altare, cui corpus fuit illatum, ac venerationi expositum ; deinde festivitatem ejus celebratam* XXXI *Augusti magno populi concursu ; templum quoque ab illius nomine* S. Albertini *fuisse dietum. Addit effigiem ejusdem Beati positam esse supra portam majorem ecclesiæ monasterii, alteram in triclinio, atque alias alibi. Silvanus Razzi in Vitis Sanctorum et Beatorum Camaldulensium fol.* 124 *et* 125 *prævedentia suo testimonio confirmat. Idem narrat altare sic locatum in sacello, ut feminis etiam, quibus ecclesiam ingredi non licet, ad illud pateat propior accessus, quia locus clathris maximis est separatus. Maurolicus in Historia sacra de omnibus Religionibus lib.* 2, *pag* 160 *cultum* B. Albertini *luculenter confirmat. Quippe testatus in monasterio Fontis Avellani corpus* B. Albertini *servari, sic Italice prosequitur :* Ad quod sanctum sepulcrum coucurrit tota Marchia

C

Anconitana, aliique populi innumeri ex vicinis locis, propter insignia miracula, quæ Dominus Deus perpetuo ibi operatur per ejus merita.

concurrente ad ejus festivitatem innumero populo,

4 *Bollandus anno* 1663 *recurrit ad abbatem S. Laurentii Massacii in Marchia Anconitana, qui tunc erat Andreas Vallemanius, ut ab eo impetraret notitias quasdam de Sanctis Ordinis Camaldulensis, interque eos de* B. Albertino. *Laudatus autem Vallemanius eodem anno humanissime submisit de Sanctis Ordinis sui collectionem compendiosam Ms., quæ antiqua non videtur. In hac de* B. Albertino *leguntur sequentia :* B. Albertinus prodiit ex sacratissima Avellana domo, ejusdemque loci Prior extitit. Mira refulsit sanctimoniæ fama, adeo ut ejus nomen semper sit in benedictione, clarissimum apud vicinos regionum populos ; qui propterea ejus natale et festivum et celebre semper ad hanc diem habere consueverunt pridie Kal. Septemb. Extat illi notissima erecta ara in saero templo, ubi ejus venerabile corpus in arca deaurata asservatur. *Laudatus abbas in epistola ad Bollandum eodem anno* 1663, *die* XXIV *Augusti data, de cultu perseverante* B. Albertini *memoravit sequentia :* De beato Albertino omnia, quæ .. Razzius et Minius habent, adhuc perseverant. Adhuc ejus publicus cultus durat, concurrentibus numerosis populis (ut ipse vidi quolibet anno per septem annos, quibus Avellanæ commoratus, et per quatuor annos lecturam ibi exercui philosophiæ et theologiæ moralis, superioris jussu notans in libello gratias et miracula, per Beati intercessionem facta) ad ejus festum ultima Augusti. Æsii extat in ecclesia Societatis Mortis statua ad honorem præfati Beati erecta. Item Fabriani duo sunt templa, in quibus in altarium iconibus beati Albertini imago adoratur. Nec desunt, qui ejus habitum gestant ex voto ei facto, vel propter acceptam vel accipiendam gratiam, ut ipse feci, gratiamque sanitatis recepi. D

ut ex teste oculato probatur :

5 *Hisce alia eodem anno adjunxit, sic scribens :* De beato Albertino ad ea, quæ alias misi, addo, quod præsenti anno MDCLXIII ad ejus me contuli festum sub die ultima Augusti. Vidi ad illud devotionis causa confluentes populos pedestres, nonnullos etiam equestres ; etiam mulieres suos secum ducentes infantes, in cistis compositos, ad vota implenda ob receptam sanitatem, vel ad recipiendam. Hoc anno fuere solum circiter 7000 hominum, forte ob ingentes E
pluvias, paulo ante profestum exortas : aliis vero annis convenire solent ad prædictum festum 10000 circiter. Mirum est, nec sine quodam devotionis affectu conspexi, per abrupta montium die XXX et XXXI tot fideles asperum iter peragere, totaque nocte in templo super nudam humum quiescere. E somno postea expergefacti ad voces monachorum, ad mediam noctem matutinas canentium laudes, surgunt, et plurimi summo mane, audita Missa et sacra Communione percepta, iter aggrediuntur ad propria regressuri. Vidi etiam tabellas et exuvias appensas in eodem templo pro gratiis receptis. In supra dictis diebus relinquunt nobis onus pro ipsis celebrandi Missas, aliquando quadringentas circiter, aliquando etiam quingentas, in honorem præfati B. Albertini. Hæc omnia ipse non semel vidi, et in fidem propria manu me subscribam. Ego D. Andreas Vallemanius Camal. abbas S. Laurentii de Massacio. *Hæc Beati cultum abunde ostendunt. Ceterum invocari præcipue* B. Albertinum *ab iis, qui hernia laborant, testantur laudati antea Jacobillus et Razzius.* F

pauca de gestis et tempore, quo vixit.

6 *De gestis* B. Albertini *paucissima ad posteros pervenerunt. Quædam collegit Jacobillus tom.* 2 *et pluscula tom* 3, *ubi etiam tacite corrigit aliqua, quæ ante asserueral. Patria Eugubinum facit, at quo fundamento, mihi non constat. Discipulum B. Petri Damiani dixerat Franciscus Bricchi in Annalibus Calliensibus pag.* 40, *quem secutus Jacobillus tom.* 2 *fecerat etiam B. Petri Damiani in regimine successorem, et consequenter mortem ejus fixerat circa annum* 1120. *Verum tom.* 3, *pag.* 351 *omnia aliter ordinavit : nam initium vitæ ejus monasticæ collocat circa annum* 1250. *Superiorem totius Congregationis Avellanæ creatum asserit anno* 1275. *Inde anno* 1276, *die* x *Julii, inquit, adfuit sententiæ, quæ lata est per B. Philippum Nucerinum episcopum de limitibus controversis inter monasterium prædictum et monasterium Saxoferratense, seu* B. Mariæ di Sitria, *ratamque habuit episcopi sententiam. Obiisse demum asserit* XIII *Aprilis anni* 1285. *Ab hac epocha non multum abeunt citatus supra Bucelinus, ac Ferrarius et Wion in observationibus suis : nam omnes dicunt Beatum floruisse circa annum* 1280. *Plura de* B. Albertino *ad manus nostras non pervenerunt.*

SUPPLEMENTUM

A D

SUPPLEMENTUM

AD MENSEM AUGUSTUM

AD DIEM VIII AUGUSTI

not. 1.

DE BEATO, ut fertur, HILDEGARO J. P.

EPISCOPO COLONIENSI

Desiderantur certiora de publico ejus cultu documenta.

In basilica S. Gereonis B. Hildegari episcopi Coloniensis et martyris. *Annuntiatio est Gelenii lib. 4 Coloniæ Agrippinensis in Fastis ad* VIII *Augusti, apposito signo, quod colatur. De hoc* B *præsule agitur tomo 3 novæ editionis Galliæ Christianæ columna 631, diciturque* notari in Fastis ecclesiasticis IV Calendas Julii, quo die interemptus est in castro prope Wisurgim, cum a Pipino pro sancienda pace missus esset (quamquam eum IN BELLO interfectum fuisse notat magnum Chronicum Belgicum.) Notatur et VI Idus Augusti, quo sepultus est ad S. Gereonem. Memoratur autem cum titulo Beati ac martyris pro more illorum temporum, qui hoc titulo donabant eos omnes,qui a barbaris occisi fuerant. *Plura ibidem legi de illo possunt. Quoniam vero nec ad diem* XXVIII *Julii, nec ad* VIII *Augusti apud nos de hoc episcopo quidquam invenio, ipsum hic ponendum duxi, eruditos Colonienses rogans, ut Gelenii annuntiationem* E *confirment uberioribus documentis, et nos instruant, an et quali cultu publico honoretur. Vide etiam quæ idem Gelenius de* Hildegaro *scribit in sua Hierotheca a pag. 38, ubi Hildeberti episcopi Coloniensis epitaphium applicat* Hildegaro, *huncque cum illo confusum fuisse observatur in Gallia Christiana loco citato.*

not. 2.

DE S. FAMIANO CONF. ORDINIS CISTERCIENSIS J. P.

Festum ejus ritu duplici colitur.

P*ag. 389 et seqq. ad ea, quæ de publico ejus cultu ibidem dicta sunt, adde festum ipsius evectum esse ad ritum* duplicem, *prout constant ex decreto S.R. congregationis, quod ha-* C *betur in Magni Bullarii Romani continuatione, anno 739 Luxemburgi edita, parte 6, pag. 488 : ubi sunt ista :* Sacra Rituum congregatio, referente eminentiss. et reverendissimo domino Cardinale Gabriellio, ad humillimas preces P. D. Francisci a S. Benedicto, visitatoris provincialis provinciæ Romanæ congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, . . monachis utriusque sexus congregationis *jam dictæ*, . . . benigne concessit, ut libere et licite possint celebrare sub ritu duplici nonnulla festa Sanctorum Ordinis Cisterciensis : *inter quæ ponitur* die VIII Augusti S. Famiani F confessoris. *Datum notatur decretum illud* die III Decembris MDCCI.

not. 3.

AD DIEM IX AUGUSTI

DE SS. FIRMO ET RUSTICO MM. J. P.

Officium eorum evectum ad ritum duplicem majorem.

P*ag. 414, num. 2, ubi de illorum cultu apud Bergomenses, addi potest hoc decretum de eodem cultu ad majorem solennitatem elevato.* Bergomen. Ad magis promovendum cultum sanctorum Firmi et Rustici, martyrum concivium civitatis Bergomen. ; quorum corpora ibi summa populi devotione venerantur, episcopus, capitulum, et universus illius clerus pro elevatione ipsorum Officii a ritu duplici minori ad duplicem secundæ classis, sacr. Rituum congregationi non minus enixe, quam humiliter supplicarunt ; et sacra eadem congregatio ad relationem eminentiss. et reveren^mi D. Cardinalis Porzia petitum Officium cum lectionibus propriis jam approbatis in præfata civitate pro die IX Augusti sub ritu duplici majori in posterum recitari posse benigne indulsit, atque concessit. Die XV Maii MDCCXXXIV. L. † S. Subscript. A. J. Cardinalis Zondadari propræf. N. M. Tedeschi archiepisc. Apam. S. R. C. Secret.

DE.

A D

not. 4.

DE S. FEDLIMIDO CONF. PONT.

J. P.

IN HIBERNIA

Sec. VI. Missa ejus propria datur :

Innotuit nobis ex Missis propriis Sanctorum patronorum ac titularium Franciæ et Hiberniæ, jussu Clementis PP. XII editis Lutetiæ Parisiorum anno 1734, publicus hoc die cultus* sancti Fedlimidi, episcopi et confessoris, ecclesiæ et diœcesis Kilmorensis patroni, *sicut notatur ante propriam ejus Missam, e qua delibo sequentia :* Oratio. Auxilium tuum nobis, Domine, placatus impende, et intercessione beati Fedlimidi, confessoris tui atque pontificis, contra omnes diaboli nequitias dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum nostrum *etc.* Lectio Epistolæ *ex* I *ad Corinthios cap.* 12, ℣. 1 *ad* 12 : De
B spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres. Evangelium *de communi :* Homo quidam peregre proficiscens *etc.* Secreta *fere ut in communi conf. Pont :* Sancti Fedlimidi, confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos, ut per hæc piæ placationis officia, quem beata retributio semper comitabitur, ille nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum nostrum *etc.* Postcommunio. Deus fidelium remunerator animarum, *ut in communi :*

de episcopatu Kilmorensi notitiæ, ubi colitur : tempus mortis.

2 *Jacobus Waræus in Commentario de præsulibus Hiberniæ pag.* 78 *memorat ista in rem nostram :* Hujus diœcesis *(Kilmorensis)* episcopi, stylo a Brefinia, regione ita dicta, mutuato, Brefinienses aliquando dicti sunt, quandoque Triburnenses, quia consedisse dicuntur in viculo quodam obscuro, Triburna dicto. Cæterum anno tandem MCDLIV Andreas Mas-Brady, episcopus Tirburnensis ecclesiam parochialem S. Feidlimidi alias Felimii, Kilmoræ, quam in loco commodiore sitam invenerat, Nicolai V Papæ assensu in cathedralem erexit, et in ea XIII canonicos collocavit. Hanc erectionem confirmavit Callistus III anno insequenti. Circa idem, ni fallor, tempus decanatus Kilmorensis constitutus est. Ad S. Feidlimidum quod attinet, vixit is seculo VI, et frater fuit S. Diarmitii abbatis Iniscloghraueusis. Obiit IX die Augusti. Hic est, ut conjicio, quem Regestum Cloghorensis ecclesiæ episcopum vocat ecclesiæ Luaiuensis, quam ad lacum dictum Lough-Ern sitam, nos vulgo Clunes dicimus, et ibidem cum S. Tigernacho primo loci episcopo sepultum tradit. E
Sed de hac re quærant alii. Jam inde a novæ hujus fundationis initiis ipse Andreas ejusque successores non episcopi Brefinienses nec Triburnenses, ut antea, sed Kilmorenses plerumque appellati sunt. Et videtur sane ipsum episcopatum Brefiniensem vel Triburnensem non antiquæ fuisse memoriæ : nam de eo nulla fit mentio in divisione episcoporum Hiberniæ facta in synodo, sub Joanne Paparone cardinale habita mense Martio MCLII, prout e codice censuum cameralium Centii camerarii, qui fuit postea Honorius III, patet. *Hæc Waræus. De* S. Diermitio *abbate etc. consuli potest Colganus in Actis SS. Hiberniæ a pag.* 51. S. Tigernacus *episcopus habetur apud nos ad diem* V *Aprilis, ubi obiisse indicatur anno circiter* 550 ; *sed ibidem nihil inveni de Sancto nostro hodierno, quem innexui seculo* VI *cum Waræo.*

not. 5

AD DIEM XI AUGUSTI

C F

DE S. RUFINO EPISCOPO MART.

QUI COLITUR

ASSISII IN UMBRIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Rufinus Assisiensis episcopus cum aliis synonymis confusus :

Quam intricata sint et confusa, quæ tradunt scriptores Itali, Ughellus, Jacobillus, et Ferrarius de sanctis Rufinis, *qui Assisinatibus in Umbria venerationi sunt, jam pridem ostendit Sollerius noster ad diem* XXX *Julii, ubi egit de* S. Rufino *martyre Assisiensi, quem oratione panegyrica commendavit B. Petrus Damianus ; et rursum ad* XI *Augusti, ubi disputavit de* S. Rufino *Marsorum episcopo. Utroque loco ostendit Sollerius dari alium* Rufinum, *a prædictis plane distinctum, cujus corpus anno* 1212 *inventum ab episcopo Assisiensi. Porro hunc* Rufinum, *quem episcopum credunt et martyrem, alium esse a* Rufino *panegyri S. Petri Damiani laudato, clarum videtur et manifestum. Alium item illum esse a* Rufino *Marsorum episcopo, probabilius puto cum Sollerio, licet fatear id tam manifeste demonstratum non esse, nec clarius a me ostendi posse, monumentorum idoneorum defectu.*

2 *Itaque hic non disputo rursum de* Rufinorum *distinctione. Verum, cum nihil hactenus a nobis editum sit, quod pertineat ad* S. Rufinum, *cujus* *scripta de ejus corporis inventione et miraculis*

A *cujus corpus anno* 1212 *inventum, edere statui ea, quæ de gemina corporis inventione, miraculisque ejus olim conscripta sunt, nobisque transmissa, ut hinc lucis saltem aliquid affulgeat. Tria habemus apographa, Assisio accepta, quorum primum continet inventionem corporis primam, alterum secundam ejusdem corporis inventionem, tertium miracula varia per intercessionem* S. Rufini *facta. Omnia hæc eodem tempore et ab eodem auctore scripta existimo, cujus tamen in omnibus non est æqualis auctoritas. Quippe in conscribenda prima corporis inventione, pleraque hausisse eum existimo ex popularibus traditionibus, quæ solent veris miscere falsa, et non raro prorsus sunt mendaces. Præterea tam mira ibi narrat auctor, ut fidem mereri nequeant, nisi irrefragabili niterentur auctoritate, qualem ille scriptor in rebus tam vetustis habere non potest. Hoc igitur scriptum edam quidem, quia recentiores ex eo hauserunt, sed ut apocryphum et fide indignum.*

hic edenda, 3 *Scriptum alterum, seu relatio corporis inventi anno* 1212, *et tertium, quo narrantur miracula, ita sunt composita, acsi ab ipso* B *Guidone Assisiensi episcopo, qui corpus invenit, fuissent exarata : nam nomen Guidonis episcopi et canonicorum Assisiensium initio præferunt, et in fine rursus episcopi nomine scriptor loquitur. Verumtamen ex multis manifestum est, scriptum istud geminum, seu unum potius, uti in annotatis indicabo, non esse purum episcopi diploma : in medio enim scriptor de episcopo loquitur, ut de alia persona, ejusque virtutes frequenter laudat, ac demum sub finem miraculorum clare indicatur, illorum scriptorem alium esse ab episcopo. Suspicor ergo initium et finem diplomatis cujusdam episcopalis de inventione corporis scripto suo assuere voluisse, ut istud plus haberet auctoritatis, nisi quis credere malit, episcopum ipsum voluisse promulgare corporis inventionem et miracula, quæ per alium quemdam curaverat describenda. Ut ut est, non video, cur fidem habere non debeamus illis, quæ referuntur in ipsa corporis inventione facta, uti et miraculis circa idem tempus patratis. At fidem indubitatam non videtur mereri idem scriptor, cum attingit ea, quæ dudum erant præterita, et forsan sola populi* C *traditione nixa, uti de priori scripto jam diximus.*

INVENTIO

CORPORIS IN AQUA,

auctore anonymo

Quæ apocrypha videtur et fabulosa,

Ex. Ms. Assisiensi a.

Fuit autem, cum jam religio Christianitatis Assisii pullulavisset, quod die quadam juxta ripam Clasci *b* fluminis plusquam per miliare inferius à loco, ubi jam dictus venerabilis Agonista Dei suum agonem compleverat *c*, bubulco transeunti vitæ sunt sub aqua quasi lampades in fundo fluminis ardentes, quarum radii a se invicem reverberati, per totam aquæ superficiem, et loca circum adjacentia pro magna parte nitorem quam plurimum diffundebant. Tunc bubulcus vehementer admirans, nulli signum illud, donec ei per tres vices apparuisset, voluit revelare. Cum autem facta fuit ei trina, et eadem apparitio, tunc ipse accedens ad Assisinatum episcopum, religiosissimæ conversationis virum, rem ei per ordinem enarravit.

A. Anonymo. Cum in Asio flumine lumen esset conspectum sub aquis, episcopus de ea re monitus,

2 Tunc episcopus, utpote vir excellentis contemplationis, per intimationem sancti Spiritus præsentiens ad revelationem sancti Rufini gloriosi athletæ Dei, qui suum triumphum in aquis consummaverat, signum illud evenisse; haud mora, convocatis Assisinatibus Christianis, vadit illuc, et ubi claritas bubulco visa fuerat, quæri facit. Cum autem quærere cœpissent, statim reverendus Miles Christi pariter cum mola ad collum ligata in superficiem aquæ, tanquam eis obviam venisset, cunctis evidentissime visus fuit. Quo viso, omnes manibus et vultibus præ gaudio sursum erectis, Deo de tam pretioso thesauro suis temporibus revelato multiplices gratiarum referunt E actiones.

accedit flumen, et videt corpus Sancti super aquas.

3 Cum vero ad ripam productus esset, tunc eo viso per totum corpus integro, nec etiam minimæ læsionis signum aliquatenus habente, vultu quoque, tamquam dormiens [esset,] existente, rursus omnes præ gaudio Dei omnipotentiam glorificare cœperunt : quæ sicut Danielem in lacu a leonibus intactum, tres pueros ab ardore fornacis non combustos, Jonam in ventre ceti non suffocatum magnifice servaverat : ita suum præsentem Martyrem per tantum tempus sub aquis illæsum mirifice servavisset.

quod adductum ad ripam integrum reperitur :

4 Nec mora bobus ad carrucum * applicatis, sanctoque Martyre supposito, mola tamen ab ipso dissoluta et dimissa, statim versus civitatem Assisii cum canticis et laudibus ipsum ducunt. Cum vero per portam, per quam ad ecclesiam sancti Petri civitatem intravissent, viamque ad ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris tendere vellent; tunc boves, nec carrucum, acsi radicibus ferreis in abyssum defixi essent, movere aliquatenus potuerunt. Tunc omnes tam clerici quam laïci, vehementi admiratione ducti, Deum orare F cœperunt, ut de suo Martyre suam voluntatem eis dignaretur ostendere.

corpus carrucæ impositum ad urbem vehitur ; cumque carruca facta esset immobilis,

* *forte* carrucam

5 Nec mora, dum orarent, visus est inter eos in specie peregrini quidam procera statura, canitie nivea, barba prolixa, qui dixit eis : Audite, universi fideles, juvencos indomitos ad carrucum applicate, vosque illos pro voluntate sua ire permittentes, itaque eorum viam nullatenus impedientes, tantum ipsos sequimini, et ubicumque pedem fixerint, vos illic sanctum Dei Martyrem sepeliatis, et ibidem in ejus nomine basilicam construatis. Nec mora, cum hoc dixisset, ab illis evanuit, nec postea visus est inter eos.

jubentur illi jungere juvencos indomitos, eosque tantum sequi.

6 Tunc cives, credito de consilio Dei hoc esse dictum, statim juvencis indomitis ad carrucum applicatis, se hinc inde retrahunt, viam eis ad suum arbitrium, sicuti præmoniti fuerant, facientes. Juvenci vero, populo reducto, stratam * inferiorem dimittentes, protinus superiorem stratam, quæ ab illa parte introëuntibus est sinistra, nullo prorsus indice sunt ingressi, nec cessaverunt per eamdem stratam ascendentes, populo cum Dei laudibus sequente, donec platea fori venalium

Juvenci corpus vehunt ad locum spinis obsitum, qui Bona Mater dicitur :

* *i. e* plateam vel viam

A ANONYMO. venalium transacta, sursum ad dumetum juxta locum, qui Bona Mater dicitur, ascenderunt : ibi tandem pedes figentes, vultus tunc erectos ad populum circumtulerunt, signum facientes se ulterius progredi non licere.

at cives corpus in summitate arcis sepeliunt, ibique ecclesiam struere moliuntur, sed frustra : d

7 Cives tamen, viso quod loci facies, utpote spinis ac tribulis incommoda, propter insolentiam suam tam venerabili sepulturæ non conveniret, dimisso statim illo loco contra hoc, quod præmoniti fuerant, ad summitatem arcis, quæ lateri civitatis ad Aquilonem et Texio *d* fluvio intereminet, carruceum ducere præsumpserunt. Ibi vero sancto Martyre commendato sepulturæ, consequenter ecclesiam sub invocatione nominis illius ibidem ædificare cœperunt. Sed quidquid per totam hebdomadam ædificabant in vanum laborantes, sola nocte in manu potenti et brachio excelso totum omnino dirutum, ita quod multis ex lapidibus per abruptum rupis hinc inde cadentibus subruebant.

hinc corpus ad priorem locum reducunt, atque illic ecclesiam ædificant.

8 Tunc cives recordati se peccavisse, ex eo scilicet quod ipsi minus licenter ausi, locum præmonstratum quadam præsumptuosa temeritate dimisissent; statim de consilio episcopi æd eumdem B locum præmonstratum sanctum Dei Martyrem reducentes, ibi tandem sepulturæ tradiderunt, nullum tamen certum signum tam sacræ sepulturæ relinquentes, eo scilicet timore, [ne] ab eodem loco sive bellis sive quocumque alio modo in posterum auferretur. Nec mora fuit, cum ibidem basilicam ab ipso denominatam fundaverunt, in qua clericis ad officium Dei, et episcopali sede ad honorem tanti Martyris et Præsulis *e* constitutis, multa fiunt ad laudem et gloriam ejusdem Martyris usque in hodiernum diem *f*, operante Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat idem Deus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

ANNOTATA.

a *Ad marginem de Ms. hæc notantur :* Ex collectione D. J. B. Mari, qui habet exemplum transmissum a R. D. Vicario episcopi Assisinatis per D. Franciscum Bellhominem. *Titulus vero hic scripto præfigitur :* Quando corpus sancti Rufini extractum fuit de aqua.

b *De hoc flumine Baudrandus in Geographia* C *sic habet :* Asius, fluvius parvus Italiæ Ptolomæo, qui recentioribus CLASIA seu CLASIUS, vulgo il Chiascio dictus, teste Leandro, oritur ex Appennino monte prope Eugubium in ducatu Urbinate : hinc auctus aliquot rivis per Umbriam labitur tribus milliaribus ab Assisio, et postea in Tiberim cum Tinia se exonerat.

c *Credunt Assisinates* S. Rufinum *aquis submersum fuisse, ut hinc patet. Audi, quo modo eorum opinionem exponat Ughellus tom.* 1 *Italiæ sacræ col.* 886 *in* S. Rufino *Marsorum episcopo, cui ipse attribuit ea, quæ illi de suo* Rufino *tradiderunt :* Assisinates *(inquit, volunt* Rufinum) mola deprimente in aquis fuisse submersum. . Addunt vero... aliquamdiu latuisse sub aquis, sed prodente splendore, qui inde ulterius emicabat, in suique admirationem traxerat hominem, prope castellum Costanum Assisinatis jurisdictionis rusticantem, ex cujus relatu cum canonicis cleroque suppliciter ad locum fluvii episcopum adiisse, inque oculis omnium molam, quasi subeream factam, cum corpore Martyris supernatasse undis, receptumque imposuisse plaustro, in S. Mariam Majorem deportandum; sed pertinacius stetisse, boves, nec progredi voluisse : D sed ex divino, ut crediderc, admonitu substitutis juvencis, ad locum cognomine Bonam Matrem deportasse, ibique templum excitasse, ibidemque honorifice conditum Sanctum perspicuis claruisse miraculis. *Habes hic, lector, compendio exposita, quæ in toto hoc scripto narrantur magis inconcinne. Audi nunc etiam conclusionem Ughelli :* Ex quibus, *inquit,* monumentis plane constare videtur, Rufinum *(Marsorum episcopum)* apud Assisinates requiescere, eoque genere mortis palmam tulisse martyrii, quando post multos annos cum mola ejus illigata collo corpus tradunt fuisse repertum. *Imo vero, si hæc monumenta tam certa essent, ut ex iis aliquid certi posset concludi, sequeretur potius,* Rufinum *Marsorum episcopum apud Assisinates non requiescere, quia de genere mortis* Rufini *sui Assisinates tradunt tam diversa ab illis, quæ de morte* Rufini *Marsorum episcopi tradiderunt omnes alii. Verum ne* Rufino *quidem episcopo Assisiensi hæc convenire existimo, sed* Rufino *martyri, quem laudavit S. Petrus Damianus ad* 30 *Julii : nam in hymno post orationem ejus edito, ejusque nomine insignito, sic canit de ejus* Rufini *morte :* E

Saxum collo suspenditur,
Sic fluctibus immergitur :
Quem aqua Christo genuit,
Per hanc ad ipsum pervenit.

Hunc autem Rufinum *alium esse a* Rufino, *cujus corpus anno* 1212 *inventum, manifeste probavit Sollerius. Quin suspicarer scriptum hoc compositum fuisse de* Rufino *Damianensi, nisi in subsequenti corporis inventione innuerentur eadem, ita ut matim suspicari gesta utriusque ab auctore confusa, quemadmodum multa confudit Jacobillus, qui modo de uno* Rufino, *modo de altero eadem narrat.*

d *Flumen istud apud topographos non reperio. Suspicor rivum esse, qui ad partem Aquilonarem Assisii fluit, et Asio flumini illabitur.*

e *Hic indicat auctor se loqui de sancto Episcopo, quod abunde confirmatur ex sequenti corporis inventione, in qua num.* 2 *insinuantur eadem, quæ hic referuntur. Verum, ut jam monui, timeo ne mors martyris alterius, quem celebravit sanctus Damianus, ad hunc sit translata : indeque occasio nata sit multa comminiscendi de corporis* F *inventione in aqua, ejusque mirabili translatione, quæ neutri convenire existimo, et prorsus esse fictitia, licet illa avide arripuerit Jacobillus, et Ughellus eadem non repudiaverit.*

f *Ex hoc quidem loco videtur consequi, hæc scripta esse ante alteram corporis inventionem, cum illam non memoret. At suspicor scriptorem de industria sic loqui, ut alteram inventionem seorsum memoret. Quippe similis utriusque scripti stylus, similis titulus et similia sensa de extractione corporis ex aqua eumdem plane scriptorem insinuant. Forsan hæc scripsit post inventionem corporis, sed ante translationem.*

INVENTIO

A

INVENTIO

CORPORIS ALTERA

Auctore anonymo.

a *Ex Ms. Ferdinandi Ughelli* a.

Docet auctor non raro contingere, ut corpora Sanctorum lateant, b

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis. Nos Guido Secundus *b* episcopus, et universi canonici S. Rufini Assisinæ civitatis, posteritati nostræ salutem, et eorum, quæ iu revelatione ejusdem S. Rufini martyris et præsulis, nobis videntibus, gesta sunt, addiscere veritatem. Sicut evenit de thesauris ab antiquo sub terra reconditis, quod primitiva dierum antiquitate de locis, in quibus absconditi sunt, a modernis ignoB ratur; ita fit de quibusdam Sanctis, qui pretiosissimi sunt thesauri, sive peccatis humanæ fragilitatis exigentibus, sive quacumque alia de causa, Deo tamen sic volente; quod licet eorum opera gloriosa scripta habeantur, et in ecclesiis memoria celebretur, de reliquiis tamen eorum, ubi ab antiquis reconditæ sunt non satis plenaria posteritati relinquitur certitudo.

et innuit, quo contigerit modo, ut corpus S. Rufini uni tantum esset cognitum : c

2 Evenit itaque de pretioso corpore beati Rufini gloriosi martyris et præsulis, patroni nostri, quod cum ab arce, in qua post extractionem ab aqua *c* positum fuerat, translatum fuisset, de loco tameu sepulturæ ipsius, cum a veteribus nullum inde nobis signum relictum fuisset, non satis certum nostris temporibus habebatur. Quidam tamen opinando dicebant, ipsum esse in isto loco, alii in illo, alii in alio : et ita sub dubitatione de loco tam sacræ sepulturæ diversam inter se sententiam proferebant. Deo tamen permittente de tam sacra sepultura uni soli viro tantummodo certum erat : sed ille nullatenus, nisi cum extrema dies suæ dissolutionis immineret, nec tunc nisi uni soli tantum, quem tameu approbatæ vitæ cognosceret, præ timore C Dei et reverentia tam S. Martyris, audebat revelare. Et sic illa notitia tam egregiæ sepulturæ de viro in virum successive in extremis dissolutionibus tradita, tandem ad quemdam canonicum ecclesiæ ejusdem Martyris, Theobaldum nomine, pervenit. Sed idem Theobaldus tam pretiosum thesaurum eo modo, quo prædecessores sui fecerant, apud se reservans absconditum, nullatenus aliis propalare volebat, nisi cum esset de medio migraturus.

Sanctus in somno apparens Guidoni presbytero, ubi sit corpus suum indicat ;

3 Erat autem in eadem civitate Assisii quidam sacerdos, custos hospitalis, quod appendet ecclesiæ ejusdem gloriosi Martyris, nomine Guido : cui, cum iu lecto suo de nocte jaceret, apparuit in somnis idem beatus Martyr, habens in manu sua pallium multimode coloratum, et excitans eum, in hæc verba dixit : Guido, surge, quære corpus meum, et iuvolve in isto pallio, quia tibi erit proficuum. Cui idem sacerdos respondit : Domine, quis tu es? Sanctus Rufinus dixit : Martyr Christi sum ego. Vade ad locum, qui d confessionis *d* dicitur, quia ibi jaceo sub aqua, et quam cito illuc veneris; ossa mea erigent se contra te super aquam. Et statim visum est eidem sacerdoti, quod idem S. Rufinus accepit eum per manum, et duxit ad locum prænominatum, et quod idem sacerdos ossa tam beati Martyris super aquam inventa in pallio involveret, sicut ei ante jusserat S. Rufinus. Post hæc S. Rufinus a sacerdote recessit, et eidem iterum usque in tertia vice per eamdem apparuit visionem. *A. Anonymo.*

Guido autem cum altero, qui locum noverat, rem aperit episcopo :

4 Tunc sacerdos de trina visione gavisus quam plurimum, nulli tamen per aliquantum tempus eam confessus, tandem Deo jam volente gloriam sui Martyris per revelationem ejusdem augeri et hominibus declarari, vocans Theobaldum, qui solus de tam sancta sepultura certus erat, ducit eum ad prædictum locum confessionis, et præcise dixit, illic esse beati Rufini martyris sepulturam. Tunc Theobaldus vehementi admiratione affectus, et diu quasi extra se positus, dixit : Quis te docuit? Respondit sacerdos, se a beato Rufino sic edoctum fuisse, et statim ei trinam visionem declaravit. Tum demum Theobaldus veritatem confessus, asseruit sic esse. Nec mora accedentes, ad venerabilem Guidonem episcopum, et ad canonicos ejusdem loci, bonæ providentiæ, et honestæ conversationis viros, palam eis rem gestam per ordinem narraverunt. E

episcopus cum clericis aliisque corpus quærit, perceptoque odore suavi,

5 Tunc ex verbis amborum in idem concordantibus fide facta episcopo et canonicis, ipse episcopus et canonici cum consulibus et quibusdam aliis civibus Assisinæ civitatis ad prænominatum locum confessionis cum cereis et cruce, prout competens erat, honorifice et devote pervenerunt. Sed præ nimietate aquarum, quæ in loco illo enataverant, tauta ibi erat turbulentia, quod vix tam egregia sepultura in tam lutulento et quasi insolenti loco aliquatenus esse crederetur. Tunc cum episcopus ex rogatu omnium, sicut emendatæ vitæ et circumspectæ actionis vir cognitus, primum ictum, ubi monstratum fuit, intulisset, tam boni ac tam suavis odoris fragrantia per universos, qui astabant, est diffusa, quod visa est omnibus vel balsamum, vel omnes species aromaticas, si illic essent, excedere posse. Tunc episcopus et clerici cum consulibus et aliis civibus ejusdem jam dictæ civitatis Assisii, qui aderant, ex nimio devotionis affectu totis visceribus charitatis erga Deum præ gaudio expansis, cum lacrymis compunctionis ipsi Deo referunt gratiarum actiones. F

omnia Sancti ossa reperiunt;

6 Cum vero ad pretiosum corpus perventum est, capsam ligneam invenerunt. Qua extracta et aperta, prædictus Guido episcopus iterum ex rogatu canonicorum et aliorum, utpote cunctis superior et approbatæ disciplinæ ac morum elegantia illustris, cum nullus mauum ausus esset apponere, oratione facta ad Deum cum lacrymis ac timore, devotissime accipiens ossa S. Martyris, inventa penitus iutegra, licet octingentis annis transactis recondita, omnia illa tam majora, quam minora, unum post aliud palam universis astantibus demonstravit : et illis inventis omnibus, ita quod etiam de minutis ossibus nullum defuit, et iterum in priori loco depositis, donec adjacentes episcopi cum abbatibus et aliis bonis viris ad tollendum tam venerabiles reliquias interessent, episcopus et Canonici cum aliis præ gaudio Deum benedicentes, ad propria sunt reversi.

eaque deinde transferunt ad ecclesiam novam :

7 Nec mora, diebus quam paucis post hoc elapsis, vicinis episcopis et abbatibus et multis aliis bonis viris cum universo populo convocatis, venerabiles viri, sæpedictus episcopus Guido et canonici loci, accipientes venerabiles reliquias,

A. ANONYMO. quias, et in alia capsa nova coram omnibus integre ponentes, nec ex eis quidquam dimittentes, protinus allas assumptas cum episcopis et clericis, TE DEUM LAUDAMUS cantantibus, et universo populo, præ gaudio Deum benedicente, sursum ad ecclesiam novam cum ingenti celebritate portaverunt, et in altari, quod est in capite ecclesiæ versus orientem, honorifice, prout decebat tam gloriosum Martyrem, posuerunt. Ubi ad laudem, et gloriam ipsius Martyris Dominus noster Jesus Christus meritis ejusdem multa nobis miracula demonstravit. Precemur igitur cum humili devotione tantum Patronum, quod sicut nunc de præsentia sui corporis nos lætificat, ita post decessum animas secum in cælis impetret gratulari : quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat idem Deus per infinita secula seculorum. Amen *e*.

e tempus translati corporis. 8 Facta sunt hæc Assisii anno ab Incarnatione Domini MCCXII, Indictione XV, Innocentio tertio Romano Pontifice *f* Ecclesiam regente, invento sancto Rufino martyre eodem anno, tertio Nonas Augusti, me Guidone Secundo episcopo cum canonicis ejusdem loci, cum episcopis Spoletano *g* Fulginate, Nucerino, Egubino, Tudertino, cum universo populo ejusdem civitatis Assisii, et multis aliis viris præsentibus, et in se rei testimonium perhibentibus, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat idem Deus per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Titulus hujus scripti talis est :* Quando corpus beati Rufini inventum fuit in ecclesia antiqua.

b *De Guidone episcopo Ughellus tom.* I, *col.* 479 *hæc commemorat :* Vido de familia Secunda Romanus, ab Innocentio III electus MCCIV. Hic ille Vido episcopus est, qui anno MCCVI seraphicum Assisinatem Franciscum e paterna domo nudum egressum, atque ad sua genua provolutum excepit; vilique sacco et detrito a se indutum, ut novum vitæ genus constantissime auspicaretur, maxime juvit. Hic fuit unus e septem illis episcopis, qui cæleste illud ecclesiæ Angelorum, deprecante Francisco, indultum evulgavit anno MCCXXIII : meruitque S. Rufinum primum Assisii episcopum ac martyrem invictum, qui ad eam diem mortales latuerat, reperire, repertumque in cathedrali honorificentiori loco collocare, die III mensis Augusti MCCXII. Decessit in exordio Gregorii IX pontificatus.

c *Extractio corporis ab aqua , et translatio ad arcem, indeque ad locum alium, fuse referuntur in præcedenti scripto, at parum verisimiliter. Facile quidem credo,* Rufinum *aliquem martyrem Assisiensem aquis suffocatum fuisse, ejusque corpus deinde ab aquis extractum. At S. Damianus id refert ad Martyrem ab Episcopo alium, cujus corpus circa medium seculi* XI *erat notissimum, adeoque anno* 1212 *non poterat* 800 *annis latuisse, ut infra de hoc dicitur num.* 6.

d *Crypta subterranea, quæ solet esse sub altari principe,* confessio *passim vocatur ; in eaque Sanctorum corpora recondi olim solebant.*

e *Hoc loco in apographo notantur ista :* Post narrationem aliquorum miraculorum ipsius S. Rufini, adsunt infra scripta verba. *Porro verba ista, quæ sequuntur, etiam reperiuntur in apographo alio post miracula, ita ut nullum videatur dubium, quin eadem sint miracula, quæ hic inserta fuisse notantur, adeoque una fuerit lucubratiuncula, qua inventio corporis et miracula referebantur.*

f *Omnes notæ chronologicæ recte congruunt designato anno* 1212.

g *Episcopi hic enumerati omnes satis vicini sunt Assisio. Spoletum enim, Fulginium, Nuceria et Tudertum, seu Tuder, civitates sunt Umbriæ seu ducatus Spoletini : Eugubium vero est ducatus Urbinatis, qui Spoletino conterminus. De plerisque rursum fiet mentio in miraculis.*

MIRACULA

eodem anonymo auctore

ex codice Ms. Assisiensi a.

CAPUT I.

Miracula quædam ante inventionem corporis facta.

Præfatio de causa scribendi hæc miracula. Cum ad memoriæ commendationem quædam humanorum opera sint notata, multo magis sua per se prærogativa specialissime notanda sunt Dei facta, maximeque miracula, eum de meritis Sanctorum, tam ad eorumdem gloriam revelandam, quam ad reducendum nos extravagantes ad veritatis semitam, ostenduntur. Inde est, quod nos Guido *b* Secundus episcopus et canonici Assisinates de miraculis B. Rufini martyris quædam excerpentes, cum omnia illa, quia tot et tanta sunt, comprehendere non possumus, ea, prout vidimus et scimus, ita quod falsitatem a stilo nostro prorsus eliminantes, nostris posteris ad eorumdem correctionem dignum ducimus enarrare.

Vir misere contractus et impotens, c 2 Fuit igitur Assisii quidam vir, natione Theutonicus *c*, nomine Brocardus, qui præ nimia siccitate nervorum manibus ac pedibus cæterisque membris quam plurimum in se retractis ac distortis, et eorumdem membrorum, et maxime a renibus infra, totali corpulenta substantia præ nimio naturæ defectu consumpta, sola pelle cum ossibus remanente, tanta sui impotentia laborabat, quod nec vestes suas exuere nec induere, nec ad purgationem ventris necessariam se competenter arctare, nec, ut breviter dicam, in aliquo sibi necessario ministrare, nisi juvaretur ab aliis, potens erat : etiam cum induceretur, vix cum duabus predellis *d* ligneis præ nimia virium destitutione cum maximo sui gravamine se trahebat. Unde cum bieunium, vel eo amplius, in hospitali prædicti S. Rufini martyris hac impotentia sui laboravisset, ministris hospitali jam fastidiosus penitus habebatur.

invocato S. Rufino eoque apparente sanatur, 3 Verumtamen cum ad B. Rufinum sæpissime lugubriter clamavisset, quadam nocte circa crepusculum orientis diei tribus vicibus interpolatim apparuit ei in somnis cum episcopalibus indumentis S. Rufinus, excitans eum apprehensum manu lingua Theutonica per hæc verba : Fili Brocarde

A Brocarde, surge, vade ad ecclesiam meam; sanitatem etenim recepisti. Post hæc S. Martyr recessit. Ille vero excitatus a somno, sentito jam vigore membrorum suorum, grates agit Deo et B. Rufino, per quem Deus in ipsum misericordiam fecerat apparentem. Nec mora, surgens de lecto, stansque supra pedes, manibus cum gratiarum actione sursum erectis, vocat præ gaudio ministros hospitalis: qui, sicut consueverat, credentes opus esse aliquid ei ministrare, surgunt, et allato lumine vident eum stantem super pedes, manibus sursum levatis, sed præ novitate Sancti aliquantulum tremulantem. Quibus admirantibus de facto quærentibus, ipse trinam narrat visionem per ordinem.

et pinguis fit ex macilento :

4 Die vero facto, accedens ad canonicos bonæ providentiæ viros solo nisu baculi, statim campanis solemniter pulsatis, ductus est ad ecclesiam sancti Martyris, ubi flexis genibus cum devotione preces fundit multiplices coram Deo. Populus autem, auditis campanis, ex ammiratione currentes ad ecclesiam, invenit eum membris sanis, sed nondum in naturali grossitie * restitutis: sed oratione completa, tanta corpulentia B et tam venusta sunt completa, quantam et quam venustam vix natura per delicata cibaria dare potest. Quo viso, populus præ gaudio Deum in sancto Martyre benedicit. Ille vero post hoc in hospitali prædicto per dies aliquot commoratus, tandem hominicio *e* facto sancto Martyri, et in recognitionem hominicii vovens se oblationem ad ecclesiam ejusdem singulis annis, dum viveret, oblaturum; tunc de licentia canonicorum ad Theutonicam suam natalem patriam remeavit.

* i. e. crassitudine

puer, super quem currus transierat, valetudini redditus :

5 Item fuit de comitatu *f* ejusdem civitatis Assisii quidam presbyter *g*, nomine Guido, qui cum in ætate fere quinque annorum ante domum sui patris ex transverso in strata * jaceret, forte quidam serviens sui patris ducens plaustrum bano *h* ponderatum per illam stratam, sicut tunc post plaustrum ibat, fecit nescienter rotam plaustri super ventrem pueri pertransire. Tunc puero manente quasi mortuo, utpote qui per medium quasi fere ruptus videbatur, pater ejus dolens quam plurimum, et de vita illius penitus desperans, tamen cum de consilio cujusdam cereum C super altare S. Rufini martyris obtulisset; et pondus ipsius in tritico Deo et sancto jam dicto Martyri pro illo dedisset (et ille sic fecit) puer infra dies quam paucos sic effectus est sanus, quod etiam signum, quo læsio extitisset in eo, nullatenus apparebat.

* i. e. platea

alii periculo submersionis erepti, amissa recipiunt :

6 Item fuerunt de eadem civitate Assisii duo fratres scholares, dicti Andreas et Raynaldus, qui postea S. Rufini factus est canonicus, quibus contigit cum irent Bononiam *i* causa studendi, quod Ravennæ *k* pro Dadilino *l* fluvio transeundo cum multis aliis sociis de nocte quam plurimum nimbosa et teterrima naviculam intravissent: vix ipsa navicula ad medium fluminis ingressa fuerat, cum multitudine virorum et procelloso turbine ventorum penitus est submersa. Tunc omnes ex timore S. Rufinum martyrem invocantes, statim erepti de periculo, navi tamen periclitata, solo ductu Dei, cum nihil præter albedinem aquæ præ nimia obscuritate viderent, suis pedibus salvi ad ripam in continenti, licet aquæ non minima esset profunditas, amissis suis tamen in fluvio sarciunlis, perrexerunt. Tunc prædicti fratres ex amissa pecunia, quam pro suis expensis ad scholas portabant, quam plurimum dolentes, tamen cum opem Rufini martyris super hoc invocassent, apparuit ex nocte in somnis uni eorum, scilicet Andreæ, B. Rufinus, confortans et monens, ut in mane iret ad fluvium, et docuit locum, quo præcise deberet ire suam pecuniam inventurus. Nec mora, cum mane esset, iidem fratres cum omnibus aliis suas res quærentes venerunt ad fluvium: invenerunt et ipsi suam pecuniam, et alii res suas in integrum restitutas, quod inde penitus amiserant.

A. Anonymo.

crumena perdita, invocato Sancto, inventa :

7 Item fuit aliud consimile miraculum de quodam Assisinate scholari, Joanne nomine, qui cum in scholis Bononiæ cum Petro Catanii S. Rufini canonico moraretur, contigit quod die quadam cum eodem Petro et multis aliis scholaribus spatiatum egressus, bursam * cum denariis, quos ad expendendum in scholis portaverat, sicut eos tunc forte secum deferebat, Bononiæ ad portam perdidit Ravennatem *: quos denarios cum tam ipse quam alii, qui cum eo erant, bis vel ter in eodem loco diu quæsissent, nec invenire possent, tandem illo loco dimisso ab iis, ipse [abiit] cum aliis de damno suo ipsum confortantibus, ita quod S. Rufinum assidue invocabat, donec adversam aquam, ubi juxta ripam fluminis de via ad viam passipedis *m* per lapides fit transitus, pervenerunt. E Cum jam ipse dictus Joannes per passipedum illuc incederet, et incessanter tamen de damno suo S. Rufini martyris opem invocaret, tunc elapso pede accidit ipsum usque ad umbilicum in aquam de passipedio cecidisse. Tunc ipse sentito sub pede suo quasi molli corio, ammirans quid esset, misit manum illico, ita quod fere totum se immergens Dei nutu inclinavit; et tunc bursam suam, quam perdiderat, inde extrahens, cunctis, qui in loco erant, factum, quod ad invocationem S. Rufini martyris sibi contigerat, demonstravit.

* i. e. crumenam

* i. e. quæ ducit Ravennam

facta hæc ante corporis sacri inventionem.

8 Facta fuerunt hæc jam dicta miracula, antequam inventum esset corpus B. Rufini martyris et præsulis. Anno vero inventionis ejusdem ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo duodecimo, ipso martyre invento mense Augusti ejusdem anni, facta sunt ad laudem et ad revelationem ejusdem Martyris hæc miracula, quæ sequuntur.

ANNOTATA.

F

a *Titulus hujus scripti hic est:* Miracula S. Rufini ex codicibus Assisii. *Et ad marginem notatur,* Ex tomo v. *Ad singula etiam miracula apponitur titulus, uti ad primum hic:* Miraculum de quodam retracto. *At titulos illos, ut nullius momenti, visum est prætermittere.*

b *Jam monuimus in Commentario num.* 3, *episcopum scripti non esse auctorem.*

c *Id est, Teuto vel Germanus.*

d Predella *vox est Italica, quæ significat varia ad sustentandum aliquid. Hic videtur designare fulcra subalaria.*

e Hominicium, *idem quod* hominium *vel* hommagium, *designat servitutem quamdam, quam cliens seu vassallus debet domino suo.*

f Comitatus *hic significat territorium urbis, uti et alias non raro vox illa sumitur.*

g *Forte legendum* puer, *sicut adscriptum erat, nisi insinuare velit scriptor puerum illum deinde fuisse presbyterum.*

h *Forsan* vino, *prout supra vocem eadem manu scriptum erat.*

i *Urbs est Italiæ notissima in ditione summi Pontificis.*

k *Ravenna*

A. Anonymo.

k *Ravenna est item in ditione Ecclesiæ ad mare Adriaticum.*

l *Fluvium istius nominis Ravennæ non invenio. Forte vox male transcripta.*

m Passipedum, *vel, ut deinde scribitur*, passipedium *non reperio. Verumtamen non dubito, quin significetur via angusta, et soli pedestri itineri accommodata. Fortasse sic vocatur, quod ad singulos passus lapides essent positi, uti multis locis fit ob humiditatem viarum.*

CAPUT II.

Miracula facta ipso anno inventionis.

Puella energumena, ad corpus Sancti ducta,

Erat in eadem civitate Assisii quædam adolescentula, nomine Berta, per longum tempus a dæmonio vexata; horis tamen interpolatis, sed raro, usum habens humanæ qualemcumque rationis: tunc et faciem hominum et eorum B confabulationes utcumque recipiebat, et Creatorem et beatum Rufinum aliquantulum invocabat. Sæpe vero, imo sæpissime, contingebat ipsam a dæmonio tam arreptitio sic torqueri, quod ab impetu, nunc eum pugnis, nunc lapidibus, in semet faciendo vix ab hominibus poterat detineri. Quam cum cives Assisinates ad ecclesiam B. Rufini, licet ex impetu dæmonii reluctantem, sæpe duxissent, et pro eadem motu pietatis Deum et B. Martyrem invocassent, tandem sancta die Jovis, quæ est ad cœnam Domini, Deo volente, ducentes eam ad ecclesiam ejusdem Martyris, tunc eam ab introïtu ecclesiæ plus solito reluctantem juxta tamen ad locum veteris confessionis, in quo corpus sancti Martyris fuit inventum, detraxerunt. Quem locum eum ingrederentur, tunc ipsam dæmonium aliquando dimisit velut expavescens, aliquando clamans horrifice velut iracundum, usque ante altare, in quo sanctus Martyr postea *a* inventus fuit, dicere non cessavit: Rufine, Rufine, nunc tandem tibi datum est me de ista ejicere mansione.

a

C 10 Et tunc adolescentula terribili pallore vehementer affecta, et præ nimia rabiositate nunc terram pedibus calcitrans, nunc inter manus vix eam tenentes pugnis se feriens, nunc in rotatu capitis cum terrifico mugitu spumas ab ore ejiciens, nunc oculos igneos ac minaces, cen statim in plebem factura impetum, ostendens, et pietatem * omnibus pro ipsa orantibus faciebat, et timorem pariter inferebat. Tandem, Deo jam ancillulam suam misericorditer respiciente, auditus est strepitus quasi lapidum de muro cadentium, et tunc ab illa dæmonium exiens tam impetuose irruit in portas ecclesiæ, quod visum est omnibus, quasi fractas ad terram penitus evertisse. Factus est præterea tam horribilis in illa hora flatus, velut de procelloso ventorum turbine fieri solet, quod inde lampades, quæ in ecclesia ante ardebant, penitus sunt extinctæ. Sed elapso parvo temporis intervallo, cunctis, qui aderant, ad Deum ex timore clamantibus, sola Dei virtute iterum sunt accensæ. Tunc adolescentula jacens quasi mortua videbatur, sed post paulum ad aspersionem aquæ benedictæ a sacerdote refecta, cum cognovit se per B. Rufinum esse liberatam, statim surgens, et cum universis astantibus Deum in S. Rufino benedi- D cens, ante altare ipsius cum lachrymis se prostravit. Quæ cum ab oratione surrexisset, statim ex devotione capillos suos abscindens, et super altare B. Martyris offerens, promisit se, dum viveret, in servitio Dei et beati Rufini martyris permansuram.

dæmone liberatur

* *i. e* commiserationem

uti et matrona *b*

11 Item fuit de Auit, Nursiæ *b* provinciæ villa, quædam matrona, nomine Savia, per sex annos eo modo, quo de Berta jam dictum est, a dæmonio vexata. Quam cum maritus ejus et plures ex amicis suis ad sanctos quamplures, tam ultramontanos, quam citramontanos, mundum fere circumeundo, sicut ipsi postea narraverunt, duxissent, nec auxilium aliquatenus invenissent; tandem de B. Rufino divinitus eis intimato, huc ipsam ad ecclesiam ejusdem Martyris adduxerunt. Cum vero ad introïtum ecclesiæ pervenissent, eamque ab eodem loco simili impetuositate dæmonii, quam de Berta prædicta audistis, reluctantem, magna tamen difficultate ad prædictum locum veteris confessionis impulissent; tunc in ipsa dæmonium præ nimia rabiositate aliquando fremens et rugiens, aliquando terribiliter elatrans, tandem cum horrifica damnositate velut E indignans, intonuit in hanc vocem: Rufine, Rufine, tibi soli, ut me dejiceres, datum erat. Nec mora, tam de spumarum ejectione, quam de terribili rotatu capitis et aliis impetuositatibus, quæ de Berta nomine sæpe dicta sunt, eodem modo in omnibus factum est de ipsa Savia matrona; præter in hoc, quod cum dæmonium de eadem exiret, non ea rabiositate, qua dæmonium Bertæ, visum est in portas ecclesiæ se dedisse. Verumtamen ipsa quoque jacens quasi mortua, et expumans sanguinem, cum per aquam benedictam, a sacerdote vultui ejus injectam, revocata fuisset, dicto ei, quod per B. Rufinum liberata esset, statim cum devotione et lacrymis Deo et S. Rufino martyri, genibus prostratis, gratiarum egit multiplices actiones. Post hæc facta in eadem ecclesia diebus aliquot in Dei laudibus commorata, tandem de licentia canonicorum, capillis suis abscissis, et in recognitionem miraculi super altare dimissis, Auit Nursiæ provinciæ villam, de sua liberatione Deum laudans, ad propria remeavit.

F

quidam tympanite liberatus, *c* *d*

12 Fuit postea de Bressa, Nucerinæ *c* diœcesis, villa, quidam Albertus nomine, qui ex ea hydropisi, quæ a physicis tympanites *d* dicitur, a lumbis usque ad guttur ventre tam intense inflato, acsi statim rumpere deberet, cute vero per totum corpus crocei coloris existente, et in modum tympani, unde tympanites morbus ille dicitur, ad ictum digiti sonantis tanto sui gravamine affligebatur, arteriis vocis quasi suffocatis, nec loqui nisi interrupte, nec ad terram se aliquatenus inclinare, nec, cum sedisset, resurgere, nisi cum difficultate maxima, poterat erat. Cum vero per multum temporis morbo tam gravi laboravisset, nec ab illo, utpote jam chronico *e* et incurabili, sive per medicos, sive per Sanctos, quos quamplures adierat, auxilium invenisset, tandem audiens de B. Rufino martyre famam, iter ad illius ecclesiam est aggressus. Cum autem ante altare Martyris orationem cum lacrymis peregisset, statim omnis inflatura et infirmitas per os ejus in fumum spississimum, acsi de cacabo ad ignem bullienti exiret, palam cunctis in tantum evanuit, quod in continenti circa ventrem suum, ubi maxime intensa fuerat inflatura, in modum aliorum hominum se cingebat. Qui cum de

e

A de hoc facto miraculoso Deo et B. Rufino lætus gratias impendisset, post a canonicis quærens fidem revertendi statim Bressam Nucerinæ diœcesis villam per intus adjacentes populos, Dei narrans miracula, remeavit.

puella, quæ fœda carnis excrescentia quasi biceps erat,

13 Item fuit de Treverio *f*, Spoletanæ vallis oppido, quædam puella, ceu bima *g*, habens ab utero matris duo capita, unum pro naturali competentia formatum; aliud vero non humanam formam habebat, sed erat quædam moles rubeæ carnis in modum pastæ *h* fermentatæ mollissima, quæ a posteriori parte capitis formati per foramen in modum ossis rotundum et amplum, quasi de cerebro visa progredi, omne, quod est a superiori parte capitis fere usque ad medietatem dorsi, circumquaque se protendens et amplians, occupabat. Unde præ nimia grossitie quasi prodigium cunctis illud inspicientibus videbatur. Tantæ præterea teneritudinis erat, quod quam cito tangebatur, licet tactu quantumlibet remisso, statim puella in clamorem tam implacabilem irruebat, acsi in aliquo membrorum suorum gladio pungeretur. Cum autem mater ejus vitium illud pluribus medicis ostendisset, nec de illo vi-B tio, utpote medicinalis scientiæ possibilitatem penitus excedente, sive per ipsos medicos, sive visitando limina sanctorum Ægidii, Jacobi *i*, et aliorum quam plurimorum, auxilium aliquatenus invenisset; tandem audito de miraculis, quæ per B. Rufinum Deus operabatur, afferens ipsam puerulam ad ecclesiam ejusdem Martyris, obtulit eam super altare, lugubriter sic precando: Sancte Rufine gloriose martyr, adjuva me ancillam tuam, et apud Deum impetra, ut isti creaturæ, quam tibi vovi, pro quoque puniatur delicto, misericorditer condescendat. Post hæc, oblationibus pro ea factis, tulit eam ad suum hospitium: in quo administratis, quæ sciebat ei necessaria, emittens eam sospitam in cunabulis, iterum ad ecclesiam rediit, ut oraret.

invocata pro ea Sancti ope, sanata.

14 Cum vero dormitionem ejus expletam credidit, rursus ad hospitium egressa, ut suæ puerulæ, sicut ejus materna sollicitudine consueverat, post dormitionem, tam de lactis alimonia, quam de aliis necessariis satisfaceret, vix eam de cunis discooperuerat, cum vidit eam arridentem, et Dei virtute a Deo curatum, quod de carne C visitiosa, sive de foramine, per quod exire videbatur, nulla prorsus superextante cicatrice, tamquam ibi numquam fuisset, vitium videbatur. Quo viso, præ gaudio cum gratiarum actione afferens puerulam ad ecclesiam, dominis canonicis et aliis astantibus novum Dei miraculum demonstravit. Qui omnes, cum factum illud ad libitum suum satis aspexissent, et Deum in sancto Martyre suo benedixissent; mater post hæc diebus aliquot in ecclesia ejusdem Martyris in Dei laudibus commorata, tandem de licentia canonicorum Treverium, Spoletanæ vallis oppidum, portans suam uterinam filiam sanam et incolumem, et per populos interjacentes ostendens Dei miraculum, ex meritis B. Rufini martyris factum, ad amicos suos cum gaudio remeavit.

ANNOTATA.

a *Clarum est hæc contigisse ante corporis inventionem, sed anno ejusdem corporis inventi, ut dixit auctor num.* 8.

b *Nursia oppidum est ditionis ecclesiasticæ in Umbria, quod* Norcia *Italis dicitur.*

c Nuceria, *vulgo* Nocera, *item in Umbria est, ut ante dictum.* A. Anonymo.

d *Gorræus in Definitionibus medicis ad vocem* ὕδρωψ, *hanc speciem hydropis, quæ Græce* Τυμπανίας *sive* Τυμπανίτης *appellatur, exponit his verbis:* Τυμπανίας abdomen multo flatu distendit, non tamen sine ullo prorsus humore, cujus etiam aliquid omnino remistum est. Initio inflationis cujusdam species tantum apparet, postea vero flatus inspissatur et veluti nubilus evadit, unaque cum flatu humor etiam quodammodo nubilosus. Totus venter circumquaque tensus est, et percussus tympani modo sonat.

e *Id est, antiquo seu inveterato.*

f Trevi *oppidum Umbriæ, quod hic* Treverium *dicitur, situm est inter Spoletum et Fulginium.*

g *Vox hæc ambigue scripta erat, et fere acsi haberetur* bimacus. *At legendum opinor* bima, *in textu posui.*

h Pasta *est farina in massam aqua subacta.*

i *Licet sepulcra S. Jacobi apostoli Compostellæ et S. Ægidii abbatis in Occitania admodum sint celebria, vix tamen crediderim illa designari ob lo-* E *corum distantiam. Forsan eorumdem Sanctorum ecclesias magis vicinas inviserit mater puellæ.*

CAPUT III.

Prosecutio miraculorum.

Quidam comitiali morbo liberatus;

Item fuit de Camerina *a* diœcesi quidam juvenis, Offredutius nomine, per septem annos vexatus ea specie caduci morbi, quæ a physicis epilepsia *b* dicitur, ab, epi, quod est supra, et lepsis, quod est læsio, eo quod ventriculis cerebri supra læsis et oppilatis *c*, secundum physicos proveniat morbus ille. Qui morbus cum ex gravi conditione suæ materiæ subitus, nec præsentitus paticos * suos, manus et os distorquendo, spumas ejiciendo, dentes in stridore stringendo, oculos terribiles quasi de capite prorsus evolando, miserabiliter ad terram devolvere soleat; tamen ipsum Offredutium jam dictum, præter istas passiones, tam miserabiliter flagellabat, quod de consuetudine, non antea de aliquo nobis audita, F sæpe per biduum sive per triduum eum tamquam mortuum, ut ab ejus conviciniis accepimus, detinebat. Cum autem ad ejus amicos et convicinos fama miraculorum, quæ per B. Rufinum Deus operabatur, pervenisset, eum ad ecclesiam ejusdem Martyris adduxerunt. Qui cum ante altare pervenisset, statim eodem morbo subito percussus, ad terram decidit provolutus: sed cum nullatenus spumas emitteret, nec aliquam prædictarum passionum haberet, sed tantum simpliciter jaceret; non epileptico percussus morbo, sed quasi dormiens videbatur. Facto postea non plusquam horæ spatio, quasi de dormitione surgens, alta voce dixit, se per B. Rufini merita penitus liberatum: de quo facto cum gratias Deo et B. Rufino martyri peregisset, ipse quoque de licentia canonicorum domum suam Camerinæ diœcesis sanus et incolumis est reversus.

* i.e. patientes

cæcus in ecclesia Sancti,

16 Item fuit de Elasina, præsentis Assisii diœcesis villa, quidam vir, nomine Perutus, qui cum cæcitatem oculorum per multum temporis passus fuisset, nec per medicos auxilium invenire potuisset, tandem in vigilia solemnitatis B. Rufini

A. Anonymo. Rufini martyris cum præambulo * suo, qui eum ducebat, iter ad ecclesiam ejusdem Martyris est aggressus. Cum autem ad plateam, quæ est ante introïtum ecclesiæ, pervenisset, nec oblationem candelæ secum aliquatenus haberet, tunc cum ipso præambulo suo, eo quod præ negligentia sua candelam non attulisset, cœpit rixari, et in eumdem asperitate verborum invehi non cessabat. Erat tunc in eodem loco quidam juvenis, nomine Leonardus, tenens candelam in manu sua ardentem: cum illum audiret super oblatione candelæ non allata cum præambulo altercantem, statim eamdem candelam, quam tenebat, sub pede suo mortificans *, et post scindens per medium, partem superiorem, de qua lumen extinxerat, dedit cæco; partem vero inferiorem retinuit, in qua numquam fuerat lux accensa.

* i. e. ductore

* i. e. extinguens

visu donatur, ubi candela divinitus erat accensa:

17 Factum est interim, dum idem cæcus suam medietatem candelæ accendisset, et eam ante altare Martyris teneret orans, alia medietas, quam sibi Leonardus retinuerat, cunctis videntibus, qui cum ipso in platea tunc erant, igne sola Dei virtute dato divinitus est accensa. Qui statim cum B aliis rei visæ testimonium perhibentibus, ad ecclesiam veniens, populo, qui solemnitati interat in ecclesia evigilans, Dei miraculum propalavit. De quo facto cum populus ex magno devotionis affectu Deo et B. Rufino laudes impenderet, statim Petrus prædictus cæcus, qui ante altare Martyris astabat orans, visu jam sibi restituto, alta voce clamavit præ gaudio, Dominum restituisse misericorditer sibi lumen. Tunc populus ex duobus miraculis parvo tempore consignatis lætus quam plurimum effectus, ex totis visceribus cantatis * Deum glorificavit, qui per B. Rufinum gloriosum martyrem tot et tanta dignatus est operari.

* addendum forsan hymnis

qui pulverem sepulcri auferre cupiebant, prohibentur divinitus:

18 Item fuit cum reliquiæ S. Rufini martyris de novo translatæ fuissent, populo tunc ad ecclesiam ipsius de diversis partibus veniente, quamplures ad sepulchrum, de quo sanctus Martyr translatus fuerat, accedentes, de pulvere, qui post reliquias extractas remanserat, assumebant, ut illum in honore ejusdem sancti Martyris ad propria deportarent. Sed cum ab Assisio per miliare, vel non multo amplius, revertentes distarent; C tunc quidam morbo angariati, ita quod ulterius progredi non valentes; quidam vero, notitia viarum amissa, per vias erroneas gyro vagantes, tamdiu sic impediti detinebantur, quoad pœnitentia ducti ad ecclesiam S. Rufini martyris redirent; et ipsum pulverem in loco, de quo assumpserant, postulantes ex eo veniam, resignarent. Quod cum vidissent canonici, sicut bonæ providentiæ viri, habita tunc intus * se super hoc competenti deliberatione, ipsum etiam pulverem, prout expediebat, ne quis ultra manum illic apponeret, incluserunt.

* i. e. inter

mira mulieris e fistulis sanatio:

19 Item fuit de eadem civitate Assisii quædam mulier, ex nomine Rilza, filia Beccarii, quæ capite pro majori parte usque ad oculum, ita quod oculo jam periclitante, pectore quoque d cum genu fistulatis *d*, tot ac tantis doloribus affligebatur, maxime cum a medicis non posset aliquatenus ei subsidium conferri, sed nocumentum potius inferretur. Verumtamen cum ad S. Rufinum tam ipsa quam parentes ejus sæpius cum lachrymis clamavissent, tandem quadam die, cum flexis genibus ante altare sancti Martyris cum lachrymis oraret, ruptum est de cranio capitis quoddam os, in modum tophi lapidis multiforatum, quod descendens interius per supercilium, ita quod ipsa tunc oculum claudere cogeretur, D intus manus ipsius, prout eas complosas in oratione tenebat, per narem ejus dexteram est delapsum; statimque quatuor alia ossa ab eo loco capitis per vulnus exterius ceciderunt. Alia vero vice, paucis diebus evolutis, dum ipsa oraret, cecidit quoddam os de medio pectore. Tertia quoque vice, non multo tempore post, dum ipsa similiter oraret, tanta putredo de genu ipsius emanavit, quod locus, in quo ipsa orabat, in magna sui quantitate, præ nimia sui effusione illius putredinis, extitit sordidatus: nec mora fuit, cum idem eo dein genu quoddam os, habens circa digiti longitudinem, exilivit. Tunc ipsa ad laudem Dei et S. Rufini martyris omnia ossa illa collecta populo demonstrans, Deique factum per ordinem enarrans, post dies paucos sic est effecta sana, quod etiam signum, quo morbus exstitisset, in ea nullatenus apparebat.

puella, invocato Sancto, ab oleo bulliente illæsa.

20 Item fuit quædam puella de eadem civitate Assisii, nomine Berta, non ea, de qua superius diximus, dæmoniaca, sed quædam alia, filia German de Ecclesia, quam cum pater et frater ejus de quodam juvene convicaneo *e* suo e turpiter inculparent, et multis inde contumeliis E eam injuste afficerent, et in mortem illius juvenis etiam intenderent; tunc eadem puella, ut eis satisfaceret, ad ignem caldarium * plenum oleo poni fecit: quod cum bulliret, statim ipsa coram fratre et parentibus suis atque convicinis, supplex genibus et cubitis nudis ad terram devoluta, vultu versus ecclesiam S. Rufini martyris converso, orationem fecit ad Deum et S. Ruphinum martyrem, quod, sicut de objecto crimine inculpabilis erat, sic adjuvante B. Rufino martyre ab illius fervore olei salvaretur. Quo facto, statim puella, de misericordia Dei et B. Rufino martyre confisa, dextrum brachium suum usque ad cubitum immersit eidem caldario; et ibi tamdiu tenuit intus in oleo bulliente, donec patre et fratre jubentibus ad se retraxit: quod cum penitus illæsum et nusquam cauterizatum * apparuisset; tunc pater et frater pœnitentia ducti, grates Deo et B. Rufino martyri peregerunt. Puella vero cum vicinis suis, qui factum illud viderant, ad ecclesiam S. Martyris cum gratiarum actione veniens, veritatem cum testante vicina dominis canonicis et universis aliis pro- F palavit.

* i. e. ahenum

* adustum

ANNOTATA.

a Camerinum *civitas est episcopalis sub ditione summi Pontificis in Marchia Anconitana, et circa confinia ducatus Spoletini seu Umbriæ hodiernæ.*

b Cadueus, *seu potius* comitialis morbus, *idem est ac* epilepsia. *Pro frigida nominis* ἐπιληψία *expositione, quæ subditur, meliorem accipe ex Etymologico Gerardi Joannis Vossii ad eamdem vocem:* Epilepsia, ἐπιληψία ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, id est, apprehendendo: quod (ut scribit Cœlius Aurelianus) sensum atque mentem pariter apprehendat. Siquidem morbo hoc correpti, soluti paroxysmo non recordantur amplius eorum, quæ acciderunt.

c *Epilepsiæ causam fuse exponit Gorræus jam supra laudatus. Ex quo intelliget lector studiosus, epilepsiam quidem oriri ex humore superfluo, qui noxius est cerebro; sed addit:* Quem tamen (*humorem*) non adeo multum esse oportet, ut penitus obstruat (*ventriculos cerebri*,) vimque

A que ipsius cerebri exuperet, alioqui non epilepsiam, sed apoplexiam potius pareret; sed quantitate mediocrem, ut ad ejus depulsionem, quam natura totius corporis concussu molitur, cerebro vires adhuc suppetant.

d *Id est, fistula affectis. Porro fistulam, quæ Græce σύριγξ dicitur, sic exponit Gorræus:* Est sinus augustus, oblongus, callosus, interdum etiam obliquus, os habens, cui cicatrix obduci nequit, per quod humor certis temporibus tenuis excernitur .... Duæ ejus produntur differentiæ; cæca, quæ osculum in profundo, sinum ad surperficiem habet; occulta, quæ et os et sinum obtinet in profundo.

e *Id est, in eodem urbis vico habitante.*

CAPUT IV.

Reliqua Sancti miracula.

B

Mulier circulo ferreo, quo corpus cinxerat, liberata: Item fuit quædam mulier Theutonica, nomine Juncta, quæ cum post mortem viri sui castitatem Deo promisisset, ut carnis suæ petulantiam compesceret, se per ventrem circulo ferreo cingi fecit. Quem cum triennium ad Sanctos quam plures portavisset *a*, tandem Romam ingressa, cum in lecto suo de nocte oculis dormire incipientibus jaceret, audivit vocem, ut ecclesiam sancti Martyris quæreret: illic enim Deus disposuerat eam ab illo circulo liberare. Qua voce audita, prædicta mulier audiens per famam de civitate Assisii, venit illuc. Cum vero proxima die Sabbati ante nativitatem Domini, canonicis Officium vespertinum celebrantibus, ecclesiam sancti Martyris ingrederetur, statim ferreus circulus fractus in duas partes ad terram decidit, cunctis illuc currentibus et videntibus, qui in ecclesia tunc orabant.

duæ matronæ e febribus restitutæ; 22 Item fuerunt de eadem civitate Assisii duæ matronæ, quarum una fuit Casdia, et altera Doda; quæ cum diu febribus fatigatæ fuissent, nec auxilium invenissent, tandem die quadam, cum quidam canonicus S. Rufini martyris, nomine Rebedeus, hora, qua febris eas invadere solebat, passionem *b* ejusdem sancti Martyris ante C altare ipsius super capita ipsarum legeret; factum est tunc, quod illam horam sine etiam horripilatione *c* penitus evaserunt. Cum autem postea in Dei laudibus ante altare sancti Martyris usque ad noctis crepusculum incolumes permansissent; tunc ipsæ de sua liberatione securæ domos suas abierunt: nec postea visum est sive auditum, quod ab illa die febrium illarum accessio eis aliquatenus ingruisset.

puella strumis liberata, 23 Item fuit de Fulgineo *d* quædam adolescentula nobilis prosapiæ, nomine Benevegnata, filia cujusdam domini, nomine Albaguerre, quæ scrofulis porcinatis *e* in tantum obsessa erat, quod per totum guttur usque ad aures ubique cutis intensa tamquam plena calculis habebatur. Cum autem de consilio matris puellæ, et aliorum amicorum ipsius, quidam medicus partem illarum scrofularum die quodam per incisionem extraxisset, non multum temporis transactum fuit, cum ibidem plures scrofulæ, et pejores prioribus, sunt renatæ. Unde puella quam plurimum ingravata medicis prorsus abrenuncians, soli Deo et B. Rufino, cujus nuper tunc translati miraculorum fama crebrescebat, se commendavit: et tunc cum matre et amicis suis Assisium veniens, oravit ad B. Rufinum martyrem, ut ipsam misericorditer adjuvaret. Cum autem post orationem Fulgineum rediisset, non mora fuit plusquam per tres dies, sicut a matre ipsius puellæ, et priore S. Mariæ Fulginei foris portæ, avunculo ejusdem, et a multis aliis accepimus, quod scrofulæ maturatæ per se foramen fecerunt, et sicut de apostemate maturo fieri solet, tantum sordis incessanter emiserunt, donec puella de morbo illo mundata est penitus et sanata. *A. Anonymo.*

presbyter vero lepra: 24 Item fuit de illo Guidone presbytero, cui, sicut superius *f* diximus, S. Rufinus, antequam inventus esset, in somnis apparuit: qui, falso *g* flegmate corpore suo per totum ulcerato et ampullato, tam male se habebat, quod et ipse et plures alii Elephantiasim *h* esse credebant. Unde ipse penes se disposuerat fraternitati leprosorum se donare. Cum autem inventus fuisset de novo S. Rufinus, et idem Guido ex præcepto canonicorum caput ipsius Martyris tetigisset, ipse infra octo dies ab illa die carnem tam mundam et tam planam habuit, quod etiam in pueritia sua mundiorem sive planiorem se non meminerat habuisse. E

juvenis cum equo suo submersionis periculo ereptus: 25 Item fuit de eadem civitate Assisii quidam juvenis, nomine Jacobinus, qui cum in crastino S. Matthiæ apostoli de Rossano *i* versus Assisium equitaret, et venisset ad flumen Classii *k*, tunc se diverteus a loco, per quem gentes solitæ sunt fluvium transire, per alium locum eunden fluvium est ingressus. Cum autem, fluvio jam prope transacto, ad ripam venisset egressurus, inventa tunc ripa alta et lutosa, equus ex labili pendulitate loci illius retro elapsus, cecidit a tergo super juvenem provolutus. Cum autem surgere conaretur pedibus quam plurimum calcitrans, nec aliquatenus posset, imo pro declivitate loci potius in aqua laberetur, factum est tunc, quod ipse equus ex nimia agitatione sui, et juvenis sub illo jacens, ad locum, qui pelagus dicitur, elapsi sunt. Tunc juvenis fere jam periclitatus, vocans in mente sua S. Rufinum, statim viso sibi, quod S. Rufinus ipsum et equum sublevasset, videntibus mulieribus, quæ juxta locum illum pannos abluebant, et pro ipso S. Rufinum invocabant, venit ad ripam cum equo suo, ad invocationem B. Rufini liberatus. F

miracula plura alia, quæ singillatim non exposita. 26 Fuerunt et alia multa miracula de contractis, submersis, freneticis, lunaticis, et aliorum multifario genere morborum gravatis, tam in hominibus quam in bestiis, de meritis ejusdem Martyris facta: quæ si omnia specificare vellemus per singula dividendo, stilus noster præ nimia sui diffusione ad legendum quam plurimum incommodus haberetur. Quibus ipse etiam in Francigena *l* cruce signatus ad montem Sinay *m* visitandum, qui hæc composuit, cum multa ex illis viderit, eorum vero, quæ non vidit, tamen ab universis tam clericis quam laicis, et pro magna parte ab ipsis etiam personis, quibus contigerint, veritatem addidicerit, testimonium perhibet rata fide.

Adhortatio ad cultum Sancti. 27 Quare vos Assisinates tam clerici quam laici, cum ipse tam venerabilis Patronus tot et tantos honores vobis impendat, vos, ne erga ipsum ingratitudine redarguendi inveniamini, vices laudum et gratiarum ei rependite, reverentiam exhibete, orationibus ante ipsum sæpius vacate, ut ipse in hac valle doloris et miseriæ circa terrenas pestes, et maxime contra vertiginosum hostem humani generis vobis et cunctis in

A. Anonymo. in ipsum confidentibus adsit et opituletur, et omnium vestrum excessuum ante Deum veniam impe-
n tret et salutem. Amen *n*.

ANNOTATA.

a *Etiamsi non dicat scriptor corporis periculum ex ferreo illo circulo ortum, id tamen satis intelligitur. Nam dubium non videtur, quin circulus ille adeo inhæserit carni, ut deponi amplius non posset. Sic S. Franciscus Xaverius funiculis corpus tam arcte strinxerat, ut, cum eos deponere cogeretur nimio dolore superatus, nulla chirurgorum industria evelli e carne possent sine vitæ periculo. Sed ipse etiam per simile miraculum liberatus est; quemadmodum in Vita ejus refertur.*

b *Quænam hic Passio significetur, me latet. Forsan tantum indicantur lectiones Officii.*

c Horripilatio *hic significat tremulum motum, qui in febris reversione accidere solet.*

d Fulginium, *vulgo* Foligno, *urbs est episcopalis Umbriæ inter Assisium et Spoletum.*

B e *Strumas designant hæ voces. Porcinatas barbare auctor nominat a porcis,* in quorum gutture frequentes ejusmodi tumores reperiuntur, *ut testatur Gorræus ad vocem Græcam* Χοιράς, *ubi de strumis agit latius.*

f *Videlicet in scripto præcedenti num.* 3. *Hine patet, unum esse utriusque scripti auctorem, et utrumque fuisse conjunctum.* D

g *Pituitam, quæ Græce* φλέγμα *dicitur, Gorræus dividit in dulcem, acidam, et falsam. Prima naturalis est, aliæ duæ non naturales, adeoque variorum morborum causæ.*

h Elephantiasis *Græce, Latine* lepra *dicitur, idemque plane malum utraque voce significatur, ut exponit Gorræus ad vocem* ἐλεφαντίασις, *ubi de gravissimo isto malo, quod totum corpus tumoribus replet, fuse disputat.*

i *In mappis notatum invenio vicum* Rosciano *circa limites territorii Perusini aliquot milliaribus ab Assisio. Hunc vicum hic designari suspicor.*

k *De hoc flumine egimus ad Inventionem primam lit.* b.

l *Id est, ut Francigenæ, seu more Francorum, qui eo tempore maxime promovebant expeditiones in Terram sanctam.*

m *Mons Sinai celeberrimus est apud ipsos etiam Turcas ob Legem veterem ibi datam Moysi. Situs est in Arabia Petræa non longe a mari rubro.* E

n *Hic addebatur clausula, quæ posita est in fine præcedentis scripti, de tempore, quo hæc facta sunt.*

AD DIEM XIV AUGUSTI

not. G

DE S. FAGNANO EPISC. ET CONF.

J. P.

IN HIBERNIA

Sec. vi. *Sancti cultus in diœcesi Fenaborensi,*

In *Missis propriis, supra designatis pag.* 814, *publicam hujus Sancti venerationem invenio tamquam* ecclesiæ et diœcesis Fenaborensis patroni, *sicut notatur ante Missam ipsius propriam, e qua excerpo ista* : Oratio : Miseri-
C cordiam tuam nobis, quæsumus, Domine, sancti Fagnani confessoris tui atque pontificis intercessio beata conciliet: ut qui incessabili culpa offendimus, ejusdem assiduis precibus ab omni reatu liberemur. Per Dominum *etc.* Epistola. Fratres: factus sum minister *etc. ad Coloss. cap.* 1 ℣. 25. Evangelium *de communi* Homo quidam peregre *etc.* Secreta. Intercessio, Domine, sancti Fagnani confessoris tui atque pontificis munera nostra commendet, nosque majestati tuæ reddat acceptos. Per Dominum etc. Postcommunio. Sumpsimus, Domine, pignus salutis æternæ celebrantes beati Fagnani votiva solemnia : præsta, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione donis cælestibus digni reddamur. Per Dominum *etc. In libello Ms., quem asservamus, Sanctorum Hibernorum catalogum continente*, qui, *sicut eidem libello prænotatur*, videntur e Martyrologio Hibernico desumpti, *signatur* xiv *Augusti* : In Hibernia Fachna episcopus et confessor.

de qua dantur notitiæ :

2 *De Fenaborensi diœcesi, in qua Sanctum nostrum tamquam patronum coli diximus, hæc observat Waræus in Commentario de præsulibus Hiberniæ pag.* 239, *dictæ modo diœceseos episcopis sequentia præmittens pag.* 239 : Quando sedes episcopalis Fenaboræ, sive (ut vulgo appellatur) Kilfenoræ, primum fuerit constituta, aut quis primus fuerit ejusdem episcopus, nihil (quod sciam) certi extat. Suspicetur fortasse aliquis, S. Fachnanum, cujus memoriæ ecclesia cathedralis dicata est, eam primo excitasse. Qua de re, quærant alii. Episcopatus iste, ut totius Hiberniæ minimus, ita inter pauperrimos numeratus est. De episcopis porro quæ dicenda restant, tam pauca sunt, ut confiteamur oportet, catalogum eorum, quem nunc exhibemus, valde mancum esse, et imperfectum. Hæc sedes in codice censuum cameralium Centii camerarii, qui fuit postea Honorius III Pontifex, appellatur Cellumabrach. *Sita est autem* Fenabora *seu* Kilfenora *in Connaciæ, Hiberniæ provinciæ, Comitatu Clarensi ad mare Athlanticum. His de loco cultus* S. Fagnani *prænotatis, varia alia de illo observanda nos vocant.* F

3 *Waræus, quem antea citavi, pag.* 220 *de episcopis Rossensibus agens,* S. Fagnanum *eisdem accenset primo loco, variasque insuper de illo suggerit notitias :* « Sanctus Fagnanus, vir sa- « piens et probus » (ut eum vocat scriptor Vitæ S. Mochoëmogi) claruit seculo sexto ineunte. De eo, ejusque cœnobio et nobili schola Rossensi prope mare Virgivium, ita jam dictus scriptor Vitæ S. Mochoëmogi : « Habitavit (S. « Fagnanus) in suo monasterio, quod ipse fun- « davit. Ibi crevit civitas, in qua semper man- « sit magnum studium scholarium, quæ dicitur « Rossailithri

tempus vitæ, habitatio

A « Ross-ailithri ». S. Brendanum ibi artes liberales prælegisse asserit, qua authoritate nescio, in Chronico suo Hiberniæ Mereditbus Hanmerus. Quando autem ecclesia cathedralis ibi erecta fuerit, aut quis primus extiterit ejusdem episcopus, haud certo constat. Non possum tamen non existimare, Fagnanum ipsum primum fuisse episcopum Rossensem, et ecclesiæ illius cathedralis fundatorem.

et episcopatus: a excitate

4 In martyrologio certe antiquo ad XIV diem Augusti, quo die memoria ejus celebratur, episcopum eum diserte appellatum comperi. Notandum hic obiter, ROS viridantem planitiem, vel, ut alii volunt, ericetum significare, et AILITHRI peregrinationem: quia locus ille olim peregrinationibus frequentabatur. De anno, quo obierit S. Fagnanus, nihil traditum reperi. *Acta* S. Mochoemoci *seu* Pulcherii, *abbatis Liatmorensis in Hibernia illustravit P. Daniel Papebrochius ad diem* XIII *Martii a pag.* 280, *ubi tempus mortis, quod in tomo edito notatur circa* medium sæc. VII, *sic manu sua correxit in ejusdem tomi, quem ante me habeo, exemplari,* forte DCIII *aut* B DCV, *et hoc modo sanctus iste, uti et hodiernus, concurrunt cum seculo* VI, *ac proinde cum tempore conveniet miraculum, quod ibidem pag.* 281 *miro modo narratur contigisse* S. Fagnano, *his expressum verbis :* Tunc temporis S. Fagnanus sapiens et probus aliquo eventu factus est cæcus, et nihil videbat. Ipse Sanctus in australi Hiberniæ plaga juxta mare in suo monasterio, quod ipse fundavit, (ubi crevit civitas, in qua semper manet magnum studium scholarium, quæ dicitur Ross-alithre) habitabat. Ibi jam S. Fagnanus fudit ad Dominum orationem, ut ostenderet sibi medicinam, qua lumen oculorum reciperet suorum.

miro modo

5 Deinde angelus Domini venit ad eum, dicens: Non poteris sanitatem oculorum invenire tuorum, nisi oculos et faciem tuam laveris lacte uberum uxoris Beoani artificis, quæ etiam numquam peperit; sed dono Dei modo sanctum *(Mochoemocum)* habet in utero conceptum. Et hæc angelus dicens abscessit. Sanctus autem Dei non cognoscebat Beoanum artificem, et nesciebat in qua regione Hiberniæ ipse habitabat, ut indicabat ei angelus. Et ait ad suos Sanctus: Scio quid faciam; ibo ad Dei prophetissam B. Itam, C et ipsa mihi indicabit quæstionem meam. Et direxit ad S. Itam iter suum via quinque dierum. Et cum intraret plebem Corcobaïskint, audierunt discipuli ejus homines in quodam molendino Beoanum nominantes artificem; et ipsi eos interrogaverunt, si cognoscerent illum Beoanum artificem, vel si scirent, ubi ipse habitaret. Tunc unus illorum ait eis: Videtis illam mulierem ad villam euntem? Respondentibus illis, Videmus; ait eis: Ipsa Beoani uxor artificis. Currit tunc illorum unus post illam, dicens ei: Expecta felix fæmina paulisper donec Sanctus senior noster veniat, qui te vult salutare. Illa stetit in loco dicens: Vere magna est mihi felicitas, quod me Dei Famulus vult salutare. Sanctus jam veniens Fachnanus interrogavit illam, si ipsa Beoani artificis uxor esset. Illa respondit suo more sobrie et pudice: Ego sum, domine.

AUCTORE J. P.

sanatus dicitur :

6 Sanctus ait: Habesne in utero conceptum? Ait ei Dominus Deus sua bonitate mihi sterili concessit habere. Tunc Sanctus indicans seipsum suo nomine, ei narravit, quæ sibi acciderant. Beata fæmina ait ei: Domine, ubera non dant adhuc lac. Sanctus ad eam inquit: In nomine sanctissimæ Trinitatis et per tui sanctitatem partus, mulge ea, et pro re certa lac dabunt. Illa agens juxta Viri Dei verbum, sua ubera ubertim lac fuderunt. Lavans igitur Sanctus lacte uberum B. Nessæ, uxoris Beoani artificis, oculos suos, ibi illico lumen recepit, et videns lucide cælum et terram, gratias egit Deo suo, et benedixit illam fæminam et suum conceptum: et commendans per eamdem fæminam Nessam orationem suam, et benedictionem S. Itæ, reversus est gaudens in Christo cum suis ad monasterium suum. E

variæ ad superiora observationes.

7 *Superiora suggerunt mihi materiem observandi sequentia. Primo, modus ille, quo a Nessa (Mochoemoci mater, ac S. Itæ soror fuisse hæc memoratur in Vita mox citata)* S. Fagnani *cæcitas curata sit, mirus adeo est, ut prudentis lectoris assensum non immerito possit suspendere, etiamsi narretur apud nos in Mochoemoci Vita ex* auctore anonymo coætaneo. *Secundo, de* S. Ita *tractat Colganus, Vitamque ejus dat in Actis Sanctorum Hiberniæ pag.* 66 *et sequentibus, quæ et apud nos habetur tomo* I *Januarii, die* XV, *a pag.* 1063. *Tertio, superius num.* 3 *occurrebat* S. Brendanus. *De duobus synonymis seculi* VI *scripsimus ad diem* XVI *Maii pag.* 599. *Quarto, Si vera est interpretatio eorum, qui per vocem* alithri *intelligunt* ericetum, *ut scribebat Waræus num.* 4, *loci istius etymon desumi poterit a crescentibus in eodem ericis: de quibus Plinius lib.* 24, *cap.* 9 *scribit ista :* Ericen Græci vocant fruticem non multum a myrice differentem colore rorismarini et pene folio. Hoc adversari serpentibus tradunt. *Quinto, supra dictis addi etiam potest impetrata alteri longior* F *a Deo vita. Rem narro e S. Mochoemoci Vita, loco antea indicato, ubi pag.* 286 *ista leguntur :* Quodam tempore Colmanus, filius Feraidhe, dux Ossraighe, putans inimicum suum, nomine Finanum, ante se fugere ad monasterium S. Pulcherii, et ibi latere, venit: scrutatus est omne ædificium monasterii ad perdendum illum. Cui ait S. Pulcherius: Contra te a Deo meo tres petitiones petivi, sed duæ negatæ sunt; tertia autem mihi concessa est. Prima petitio mea contra te erat, ut cito morereris: sed S. Fachannano Deus donavit, ut adhuc vivas quatuordecim annos.



A D

AD DIEM XVI AUGUSTI

J. P. not. 7.

DE S. ADUINO, fortasse EP., CONF.

Publica veneratio.

Pag. 262 *inter Prætermissos ex Saussayi Supplemento ad* IV *Februarii ita Sanctum hunc annuntiavimus:* In agro Aginnensi monasterio Exiensi ad Oldum fluvium commemoratio sancti Aduini episcopi et confessoris, cujus gloriosus transitus colendus incidit in diem XVI Augusti: *quo dum desideraremus documenta de illo alia, ut ea nobis liceret consulere, cujus utpote nec apud Castellanum memoria, nec alibi tunc temporis de istius præsulis gestis quidquam repertum fuit; Operi eum nostro una cum aliis istius diei Sanctis non intexuimus. Nunc vero, repertis ali-*
B *bi documentis, debitum* S. Aduino *honorem damus. In Gallia Christiana posterioris editionis tomo* 2, *notitia prædictæ abbatiæ, quæ est Ordinis Benedictini, præmissa, lego ista in rem nostram columna* 936: In crypta subtus majus altare exstat marmoreus sarcophagus, ad cujus latera labari figura visitur impressa; S. Aduini cœnotaphium esse putant. In lapide vero altaris, supra ipsam cryptam positi, hæc leguntur: HIC REQUIESCIT BEATISSIMUS ADUINUS EPISCOPUS URBIS ROMÆ . . . (hic nonnulla deesse videntur.) Hujus porro Sancti nihil, quod sciam, in legendariis et hagiologiis occurrit. Festum ibi habet IV Februarii. Verum nihil speciale in ejus Officio refertur. Illum peregrinantem, et in præfato cœnobio hospitantem obiisse tradunt. *Hæc ibi. Verum quid sibi velit* episcopus urbis Romæ, *non satis intelligo, nec explicare possum, quoniam* nonnulla deesse videntur. *Nisi forsan fuerit episcopus Regionarius vel Apostolicus, Romæ consecratus. Consule quæ dicta sunt in Commentario prævio S. Rumoldi episcopi et martyris tomo* I *Julii a pag.* 185. Episcopi *etiam* nomen nonnumquam presbyteris inditum, *ut perhibet Glossarium Cangii auctum,* qui munia quædam obibant episcopalia, prædicationis scilicet, baptismi collationem, presbyterorum variis in locis institutionem, et alia id genus. Hinc Sancti complures, inquit Mabillonius in Actis Sanctorum Benedict. seculo 3, part. 2, pag. 409, præcipue in Belgio, episcopi dicuntur, qui tamen nusquam consecrati sunt episcopi; quod fusius probat in Præfat. ad partem I ejusdem seculi num. 37. S. Anscharius in Vita S. Willehadi episc. Bremensis cap. 8: « Hac itaque de causa septem « annis prius in eadem presbyter est demoratus « parochia; vocatus tamen episcopus, et secun« dum quod poterat cuncta potestate præsidentis « ordinans. » *His addi possunt, quæ habentur tomo* V *hujus mensis pag.* 251 *de S. Gregorio, Ultrajectinæ ecclesiæ rectore: qui jurisdictione quidem et munere episcopus vere fuit, ac talis vocari potuit, non tamen consecratione, a qua abstinere voluit.* E

AD DIEM XVIII AUGUSTI

not. 8. J. P.

DE S. AGONE EPISC. PICTAVIENSI

C F

Cultus publicus Sancti.

In *Prætermissis pag.* 518 *clariorem de hoc Sancto desideravimus notitiam his verbis:* Quis AGON Pictavii hoc die a Castellano ut Sanctus coli dicatur, alterius sedis episcopus, vellem paulo clarius explicasset, cum in omnibus sacris Tabulis plane ignotus sit. *Desiderata quidem tunc temporis, at non reperta explicatio ad meam postea notitiam pervenit. Tomo* 2 *Galliæ Christianæ recusæ pag.* 1137 *nominantur ecclesiæ Pictaviensis episcopi, qui in veteribus catalogis legi asseruntur: inter quos tertio loco* Agon *occurrit; cujus, sicut sequitur,* nomine insignitur in ipsa urbe Pictavensi quædam ecclesia, coliturque in basilica S. Hilarii die XVIII Augusti. *Et paucis interjectis de aliis episcopis, subduntur ista:* Ex iis nullus potiori jure videtur admittendus, quam S. Agon; non solum quod ejus memoria colatur Augustoriti-Pictonum *; sed maxime quia ecclesiam ibidem habet sibi dicatam: at in Martyrologio universali, auctore Claudio Chastelain Parisiensis ecclesiæ canonico emerito, ad diem XVIII Augusti lego S. Agonem episcopum quidem fuisse, sed alterius sedis quam Pictavensis, et quidem ignotæ. *Tomo autem citato ponitur hæc notula:* Fit ejus memoria in diœcesi die XVIII Augusti. *In Proprio Sanctorum Pictaviensis diœcesis anni* 1631, *quod in Ms. habemus, dicta die ponitur* Agonis ep. Pict. commemoratio, quo die sit de S. Hyacintho. *Ex his concludo, constare de cultu hujus Sancti, etiamsi res ab eo gestæ, annusque vitæ ac mortis me lateant.*

* i. e. Pictavis Gall. Poitiers

ac variæ de illo observationes.

2 *Hasce jam dictis observationes attexo. Andreas Chesnius in Antiquitatibus locorum Franciæ pag.* 559 *inter ea quæ scribit de episcopis Pictaviensibus primis,* S. Agonem *ponit tertio loco; quinto autem Simon de Peyronet in suo Catalogo Sanctorum pag.* 252: *etiamsi vero auctores isti non consentiant in episcoporum ordine, Sanctum tamen hodiernum eorumdem catalogo accensent, quibuscum et ego eum nominavi talem. Dissentit Castellanus: veruntamen cum non assignet rationem, cur eum excludat e numero episcoporum Pictaviensium; non est mihi tantæ auctoritatis, ut contra tot alios adhæream ejus sententiæ, volens loqui cum illis potius, quam cum solo Castellano. Locus publicæ venerationis apud*

A *apud Pictavienses, de quo supra, determinatur a laudato Peyroneto :* Visitur, *inquit*, etiam nunc in urbe Pictaviensi ædicula juxta S. Trocciæ cœmeterium ipsius nomini dedicata, ut testatur illustrissimus dominus Rupipozæus episcopus Pictaviensis in notis ad litanias Pictavicas : *de quo plura videri possunt in Gallia Christiana, quam antea citabam, a columna* 1206, *ubi signatur obisse anno* 1651. *Inter alia vero plura, quæ memoratur conscripsisse, ibidem memorat Dionysius Sammarthanus* libellum de litaniis Pictonicis, seu Sanctorum,qui vel ortu vel incolatu Pictonum oram nobilitarunt.

AUCTORE J. P.

AD DIEM XX AUGUSTI

DE B. BURCHARDO PRESBYTERO

not. 9.

BEINWILÆ IN HELVETIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

B **Documenta de Beato huc missa ; publicus ex eisdem ipsius cultus.** E

Sec. xiii vel xiv, ut videtur. Variæ de hoc Beato notitiæ

Beinwila *parœcia apud Helvetos est, de qua infra pluribus. Hanc* B. Burchardus, *sedulus ac pervigil ejusdem pastor, laboribus ac virtutibus egregie excoluit, bonoque Christi odore, sanctitatis fama, ac favoribus cœlestibus illustravit. Ad diem* xx *Augusti a nobis fuit positus inter Prætermissos, quia tunc non eramus sufficienter de ipso instructi. Postmodum vero ea missa huc sunt documenta, ut videatur tuto reliquis hujus diei Cœlitibus accenseri a nobis posse. Operam officiosissimam in hac re nobis navavit R. P. Mauricius Chardon e Societate Jesu , celsissimo ac reverendissimo Principi episcopo quondam Constantiensi et Augustano a sacris confessionibus, et alibi in hoc tomo a nobis laudatus : qui non acquievit, donec obtineret notitias in rem nostram conducentes. In litteris* xix *Februarii anno* 1738 *ad me datis* Memini, *inquit*, scriptum C esse a Rª. Vª. vel ejusdem collegis ad P. Rectorem Constantiensem P. Franciscum Ellspacker ob D. Burchardum in pago Beinwil. Promisit parochus loci, qui tunc Constantiæ aderat, se plura ad illustranda hujus Divi Acta missurum. Vehementer dubito, an quid miserit, cum infirma sit valetudine. . Rª. Vª. me monere dignetur , si quid opis afferre potuero. *Litteras alias* xi *Septembris anni* 1739 *signatas, a laudato R. P. Chardono accepi, quibus significat, se* ex Principali monasterio Murensi accepisse notas quasdam de vita et meritis B. Burchardi. *His addita erat humanissima epistola D. Leodegarii Mayer, abbatiæ Murensis ascetæ, et istarum notitiarum diligentissimi collectoris. Prædictas notitias R. P. Chardonus huc misit mense et anno jam designatis.*

unde et a quibus

2 *Profero memoratarum litterarum fragmentum, quod* ex Muris *datum* xxi Junii mdccxxxix *subscribitur :* Mitto tandem notas quasdam de vita et meritis B. Burchardi, quas evolutis archivii ac bibliothecæ nostræ scriniis inveni. Adjeci in margine , seu altera columna , quædam indocte et tumultuario calamo elucidationis gratia, quæ partim certa novi scientia, partim ex instrumentis authenticis monasterii nostri collegi. Plura sperabam accipere a R. D. parocho Muller, vel ab ejus fratre nunc vicario suo in Beinwil. Utrumque ante duos tresve menses peramice, et ab ore, et per litteras sæpius monebam, rogabam, urgebam , ut , si quid , quod ad rem hanc faceret , scirent haberentque, id quantocyus mecum communicarent. Promiserat uterque repetitis vicibus postulatis meis morem gerere : at neuter servavit mihi fidem usque in præsens. Nescio , an mentis, an corporis ægritudo utrumque an alterutrum a promissis servandis detinuerit. Stimulabo tamen amplius, et ubi alia adeptus fuero , citius transmittam. Æqui interim bonique libeat facere tenue hoc studium meum, et veniam dare tarditati meæ. *Hæc ille.*

huc missæ.

2 *Prædictæ autem notæ sunt duplices : aliæ enim sunt antiquiores, recentiores aliæ. Ex antiquioribus narrabitur Elogium hujus beati Parochi, quod elucidabunt notationes Mayeri. Prioribus hic prænotatur in Ms. titulus :* Reverendi F P. Augustini Stöcklin, monachi O. S. Benedicti in monasterio S. Martini Murensi , vulgo Mure dicto ; qui postea monasterii Disertinensis in Rhetia celeberrimus princeps et abbas fuit, notæ in vitam B. Burchardi parochi Beinwilensis in liberis officiis. *Bucelinus infra citandus , in Monasteriologia agens pag.* 171 *de Disertinensi abbatia, laudat eam tamquam* illustrissimum superioris Rhætiæ monasterium, haud longe a Rheni fontibus dissitum *etc. In* Nomenclatura *vero postea indicanda scribit pag.* 25, *nuncupari illud vulgo* Diseutis, *atque* Benedictini Ordinis vetustissimum *esse. . ,* cujus abbas princeps Imperii est, habetque jus cudendæ monetæ, præter alia multa privilegia, quibus ab Impp. donatus est. *Revertamur ad priora. In alia vero columna nostri Ms. habetur Stöcklini elogium , e quo delibo ista :* Erat vir valde industrius in disquirendis et discutiendis rebus, juribus et actis monasterii nostri Murensis. Unde extat ejusdem Miscella historica *hujus* monasterii , collecta *ab ipso* ex *ejusdem* monasterii chartario, aliisque fide dignis documentis ; sive Subitaria schedia deinceps consulenda, concordanda et ordinanda ad historiam ejusdem

AUCTORE J. P.

ejusdem cœnobii compilaudam, anno Salvatoris Jesu Christi MDCXXX, inter quæ ultimo fere loco habentur hæ de B. Burchardo notæ. *Sic autem sonat earumdem exordium :* Beatus Vir, honorabilis presbyter Burchardus *etc., quæ dabimus post hunc Commentarium sub nomine Elogii ejus.*

Publicus

4 *Publicus Beati nostri cultus ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII probatur hujusmodi argumentis, ut mihi videantur omnino sufficere ad formandum casum in eodem Beato exceptum a dicto decreto. Stöcklinus num.* 2 : Extat modo elevata Beati tumba subtus chorum in crypta, relicto per medium pervio transitu ad B. Viri sarcophagum seu lapidem sepulchralem usque, pro populi devotione, pedes malesanos eorsum crebro demittentis, et totum corpus valetudinis causa per mediam tumbam traducentis. *Mayerus in suis notis hæc superaddit :* Ista tumba, vel potius mausoleum, simplici murario opere constructum, hanc præfert formam, *quam æri hic incidi curavi ex ectypo Mayeri notis ad-* B *juncto.*



C

beati

5 *Prædicto autem ectypo subscribuntur ista litteris Germanicis, quæ Latine hunc sensum faciunt :* Burchardus sacerdos quiescit cum miraculis Beinwilæ. *De ave vero, quæ stat ad latus altaris, vide elogium num.* 5. *De foramine, quod notatur numero* 1, *et qui dicto exemplari ad alterius foraminis distinctionem calamo postmodum appositus est; de hoc, inquam, foramine Mayerus animadvertit sequentia :* In hoc foramen, uno vel sesqui pede profundum, et pertingens usque ad lapidem sepulchralem, pedes ægros demittunt. *De alio autem foramine, cui numerus* 2 *calamo etiam adjectus est,* Hac, *inquit*, totum corpus valetudinis causa traducunt. Tanta etiam in merita B. Viri fidelibus est fiducia, ut frustra ex ipsa memorata tumba decidant et diripiant, veluti pluribus necessitatibus profutura; ut adeo necesse sit, ipsam aliquoties refici et redintegrari. *Dictus Stöcklinus num.* 3, Strues, *inquit*, grallorum nuper prope a tumulo relicta, et anathemata.. suspensa.. plurimas hujusce beati Plebani interventu imploratas fuisse sanitates testantur. *Mayerus observat, miro modo continuari piam hanc fidelium, Beati opem in suis miseriis implorantium, consuetudinem, ista dicens :* Ipsa paralyticorum seu aridorum sustenta- D cula quotannis in Sabbato sancto in ignem benedictum conjiciuntur et comburuntur : et, mira valde res! postero anno eadem fere quantitas, seu numerus grallorum in crypta ejusdem beati Viri invenitur.

6 *Redeamus ad Stöcklinum num.* 4 : Ab ejus, *ait*, obitu fideles multa illuc donaria, sacras peregrinationes, vota, aliaque pietatis officia exsolverunt. *Mayerus ista confirmat :* Ante annos, *ait*, ducentos et triginta, donaria et eleemosynas ad beati Viri sepulchrum allata et oblata fuisse, certissime constat ex instrumento authentico archivii nostri, scrinio M. I. litt. M. I. Cum enim anno MDVI parochiani Beinwilenses litem moverent contra abbatem Capellensem, cui tunc jus competebat in ecclesiam Beinwilæ, super oblatis et eleemosynis ad idem mox dictum beati Confessoris sepulchrum depositis, sententia DD. legatorum Helvetiorum in comitiis Badensibus decretum est, parochianis nullum penitus esse jus ad prædictas eleemosynas.

Viri

7 Ejus sententiæ hic fere est tenor : " Auditis " juribus et visis litteris authenticis monasterii " Capellæ, decrevimus et declaravimus, ut præ- E " dicti Beinwilenses a sua prætentione abstinere " debeant, utque sæpius dicto D. abbati et con- " ventui monasterii Capellæ oblata et eleemosy- " nas, quæ in ecclesia Beinwilensi ad et super " sepulchrum prænominati sancti Burchardi de- " ponuntur et offeruntur, una cum reliquis " omnibus, quæ supra memorata sententia et con- " ventiones eidem monasterio vindicant, integre " provenire permittant sine remora et contradi- " ctione " etc. Ex quo consequitur, peregrinationes, vota, atque adeo plura pietatis officia illic fuisse exsoluta.

cultus

8 *In beati pastoris Elogio num.* 6, *prolata inscriptione honorifica ex tabellis Beinwilensibus de signis multis seu miraculis, quæ fecit et facit* usque in hodiernum diem, *subdit Stöcklinus :* Anniversariam *ejus* memoriam parœciani ut solemnem immemoriali tempore, velut B. Burchardo dicatam, religiosius feriantur et observant. *Mayerus egregie hæc amplificat ac nervose declarat, dum superaddit ista :* Non parœciani solum, sed et viciuæ parochiæ solemnem diem hunc faciebant, instituta ad sepulchrum B. Viri proces- F sione annua solemni. Anno quoque MDLXXXVI erecta est confraternitas sub nomine et præsidio B. Burchardi, nulla tamen, quantum constat, vel curiæ Romanæ vel episcopi Constantiensis sive Ordinarii authoritate confirmata. Propter frequentiam vero et affluxum devotæ plebis petitæ et obtentæ sunt Roma indulgentiæ plenariæ ad jam dictam diem commemorationis sancti Pauli, anno MDCXVI a Paulo V; anno MDCXXII abs Gregorio XV, anno MDCXXIX ab Urbano VIII; anno MDCLVII ab Alexandro VII.

ab immemorabili

9 Cum vero circa annum MDCLXVI supradicta solemnis D. Burchardi memoria ad feriam secundam post Ascensionem Domini translata fuisset, eædem indulgentiæ eidem feriæ secundæ fuerunt annexæ abs Alexandro VII anno MDCLXVI * a Clemente X, Pontif. Romanis. Anno demum MDCCXXXV, insistente R. D. Carolo Wolfgango Müller, vicario nostro et plebano in Beinwil, confirmata seu potius erecta est ibidem confraternitas non quidem sub solius B. Burchardi nomine, sed sub patrocinio BB. apostolorum Petri et Pauli, ac sancti (hoc epitheton ei tribuunt litteræ confirmationis tam Romanæ quam Constantiensis)

tempore

* f. deinde a Clemente X.

A Constantienses) Burchardi, constituta pro festo titulari seu principali feria secunda post Ascensionem Domini; pro quatuor vero diebus in bulla indulgentiarum generatim expressis, festo sancti Antonii abbatis, S. Sebastiani, die commemorationis S. Pauli apostoli, et festo S. Mauritii.

probatur. 10 *Stöcklinus num. 7 in Elogio beati Presbyteri nostri testatur, ex singulari erga eum reverentia ac pia fiducia nomen ejus a parentibus imponi masculis infantibus, dum sacro baptismatis fonte abluuntur: eademque occasione scribit de fonte* B. Burchardi *ægrotis salutifero: in quem ita commentatur Mayerus:* Fons B. Burchardi. . creditur scaturire de-sub sepulchro beati Viri, qui etsi tenuissimas manet aquas; nullo tamen etiam ardentissimo æstatum tempore exsiccatus est. De eo Schüchzerus Tigurinus, Zwinglianæ hæreseos assecla, alias medicinæ doctor egregius, anno MDCCXVI in sua Physica naturali parte secunda (ubi de salubribus Helvetiæ aquis) hæc fere meminit, *quæ sermone Germanico scripta hunc faciunt sensum Latine:* S. Burchardi fons Beinwilæ usui est in febribus, ac aliis B morbis.

Pia pro Beati cultu oblata donaria. 11 *Nec prætermittere possum, quin hisce attexam pia quædam donaria, quibus singularem suum affectum testatum esse voluere erga publicam Beati venerationem clientes ejus. Catalogus oblatorum donorum a Mayero scriptus, et a Chardono ad me missus continet hæc:* Ab anno MDLXXXVI, quo inter fideles instituta est pia quædam sodalitas in honorem SS. Trinitatis etc. ac B. Burchardi, oblationes voluntariæ usque ad annum MDCXXI transcenderunt numerum CCCXX florenorum, præter honoraria ad operis divini et ecclesiæ ornamentum intra idem prædictum annorum spatium facta a sodalibus. Eorum numerus et species tales sunt: casulæ ex damasceno et serico octo, alia magis communis, vexilla serica duo, albæ tres, mappæ altaris octo, antipendia quinque, corporalia tria, velum ex serico unum, liber Missalis, Antiphonarium, etc., vela duo pretiosa pro ornatu S. Sacramenti; omnia honori D. Burchardi consecrata a sodalibus; inter quos duo abbates Mureuses Jacobus Meyer et Joan. Jodocus, una cum Jodoco Holdemeyer sculteto Lucernensi numerantur. *Ex su-* C *perioribus itaque testimoniis de publica hujus beati Confessoris veneratione, continuationeque ac propagatione ejusdem cultus productis, ne subdubitare quidem possum, quin Beati honores mereatur, et Operi nostro tamquam talis intexi possit ac debeat. Vellem, ut Vita ejus, quæ alicubi fortasse in tenebris latet, pervenisset ad nostras manus. Cœlestes quosdam favores patrocinio ejus impetratos referam postea. Elogium e notis sæpe memorati Stöcklini, adjectis aliquot Annotatis de Beati patria, ætate, loco pastorali etc. nunc accipe.*



D

ELOGIUM

Auctore Augustino Stöcklino.

Ex Documentis abbatiæ Murensis in Helvetia.

Beati Beatus vir, honorabilis presbyter, Burchardus, Beinwilensis *a* parochiæ vigilantissimus *a* animarum curio, quibusdam miraculorum signis ab nostra ac proavorum nostrorum memoria claruit. Visitur hodie ejus sepulchrum Beinwilæ, templi parochialis ædificio comprehensum, cum olim sub dio ad Orientem in eo cœmeterio ante primarium altare prostaret; sensim vero temporum successu ob frequentiam devotionis contectum fuisse perhibetur.

E *sepulcrum b* 2 Extat modo elevata beati tumba *b* subtus chorum iu crypta, relicto per medium pervio transitu ad beati Viri sarcophagum seu lapidem sepulchralem usque, pro populi devotioue pedes malesanos eorsum crebro demittentis, et totum corpus valetudinis causa per mediam tumbam traducentis. Dum ante decennium sacra ædes ex fundamentis reficeretur *c*, faber murarius *c* et quidam e cœnobitis nostris illic parochiæ per modum provisionis præfectus, pia curiositate moti B. Burchardi ossa pervestigarunt, eaque omnia ordine sita sub lapide repereruut, insigni cereo colore, admodum magna, atque, ut cœnobitæ visum est, suave fragrautia. Ad quorum aspectum se pia religione quadam cohorruisse affirmat.

signis 3 Strues grallarum nuper prope a tumulo relicta, et anathemata ex cera, ligno et ferro suspeusa, ut taceam nostræ ætatis exempla, plurimas hujusce beati Plebani interventu imploratas fuisse sanitates testantur *d*. *d*

ac populi concursu celebri: e 4 Ab ejus obitu Fideles multa illuc donaria *e*, sacras peregrinationes, vota, aliaque pietatis officia exsolverunt. Veneraudas porro ejus imagiues devota illi Beinwilensis communitas ante sesqui sæculum prope, absque cordis scrupulo, sculpi, pingi, F inuri, ac fundi curarunt; nullo umquam ecclesiasticorum contra nitente, quautum cognovimus, quamquam ei radios sanctitatis et titulum Sancti palam adscribi viderent.

patria: res mira de Beato narratur: f 5 Patria fuisse Mureusem vulgo affirmant *f*; atque dum viveret, deplumatum et domesticorum odio interfectum sibi familiarem gruem, ope Numinis miraculose resuscitasse, omnes constanter docent. Hinc factum usuque retentum, ut ejus imaginem cum grue depingamus; ala interim altera in signum commissæ cædis sublata, et in volucris resuscitatione minime reperta aut recepta.

dies cultus: g 6 Festiva Beati illius mors incidit in diem commemorationis S. Pauli apostoli mense Junio *g*; quam tabellæ mortuales Beinwilæ, ante centum idque amplius annos exaratæ, hisce verbis grandioribus et rubris litteris annotarunt: „ Dominus Burchardus plebanus in Beinwil obiit, „ per quem Dominus multa signa fecit et facit „ usque in hodiernum diem „. Anniversariam hanc memoriam parœciaui ut solemuem immemoriali tempore velut B. Burchardo dicatam religiosius

A. Augustino Stocklino. ligiosius ferientur observant. Quo die et frequentior plebs ad ejus tumbam per multas horas supplex procumbit.

infantibus nomen ejus datur: fons salutifer:

7 Frequentius itidem pro reverentia tanti Viti infantibus suis masculis nomen Burchardi in sacro fonte magna cum consolatione et spe singulari imponunt. Fontem quoque, B. Burchardi nomine appellatum, infirmis salubrem, febrientes aliique hactenus reverenter potitarunt *h*.

de tempore vitæ ac mortis tametsi non constat:

8 Nondum hactenus constat, quo tempore homo Dei Burchardus vixerit, aut ex hac vita transierit. Certum vero est, anno Domini MDVI feria quinta post Joannis Baptistæ natalem Badæ *i* in solemni Helvetiorum conventu celebrem ejus factam recordationem, quando, lite *k* contestata contra parochianos in Beinwil, oblata donaria ad et super B. Burchardi sepulchrum juxta tenorem vetustiorum litterarum et sententiam, abbati monasterii de Capella (ni fallor Ulrico Trinckler) adjudicantur, ut membranæ archivii nostri docent scrinio BEINWIL.

videtur tamen vixisse seculo 14,

B 9 Quæ vivus mortuusque mira patrarit, aut consignatum non est, aut in monasterio de Capella *l* sub acatholicorum manu delitescit in pulvere et tenebris. Hæc omnium ora loquuntur, per omnes anni partes ab accolis cineres *m* B. Burchardi olim hodieque religiose visitatos *n*, præsertim postridie Apostolorum Petri et Pauli Junio *o* mense; affirmantque universi, illum fulsisse et fulgere miraculis *p*. De annis, quibus vixerit, et quot, et quomodo in hominum cognitionem et cultum venerit, ipsa vetustas, aut neo-euangelii malitia nobis invidit. Post millesimum tamen et trecentesimum vixisse verisimile est *q*. Potuit etiam prius floruisse; cum nec mortis tempus, nec reperti corporis annus cognitus sit.

ac Beatis annumerandus.

10 Cæterum quem admiranda tot per superiores ætates facta celebrarunt, celebrautque indies, minime videtur necesse in quæstionem vocari, ut de ejus sanctitate et beatitudine dubitetur. Multos vetustos ipsa, et numquam interrupta venerationis consuetudo consecravit *r*.

ANNOTATA.

C a Distat Beinwila, parochia satis ampla, a monasterio Murensi una circiter hora, in medio montis Lindenberg loco peramœno sita, *teste Mayero supra citato. De cœnobio autem isto ita scribit Bucelinus in Monasteriologia imperii Germanici ad nomen* Murense *pag.* 239, *situm loci indicans:* Benedictini Ordinis spectatissimum viris cum religione tum eruditione clarissimis in provincia Argoia, comitatu Rorensi apud Helvetios cœnobium, fundatum anno Christi MXXVII a Wernhero Argentinensi episcopo, ejusque fratre Radebotone, hujus conjuge Itha de Lotharingia, et filio horum Kanzelino, Habspurgi comitibus. *His subjunguntur laudati monasterii abbates. Alibi insuper sub titulo* Abbatiarum et diversorum monasteriorum Germaniæ nomenclatura *pag.* 63 *de eodem cœnobio agit. Consuli potest Mabillonius in indice ad tomum* 4 *Annalium Ordinis S. Benedicti. De fundatione vero ejus hoc recitat instrumentum ad annum prædictum num.* 9: " Ego Wernherus Strasburgensis episcopus, " et castri, quod dicitur Habesburch, fundator, monasterium in patrimonio meo, in loco, " qui Mure dicitur, in pago Argoïa in comitati Rore, in honore sanctæ et individuæ Trinitatis et sanctæ Dei Genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum, construxi, quod titulo beati " Martini episcopi in perpetuum dicavi. Cui D " prædia, quæ hæreditario jure mihi contigerant, per manum germani fratris mei Lanceilni, qui, utpote militiæ cingulo præditus, " defensor patrimonii mei extiterat, cum legitima possessione villarum, familiarum, agrorum, " silvarum, pratorum, montium, omniumque appendicum contradidi ". Tum statuit, ut fratres inibi, " sub monachica norma secundum " regulam beati Benedicti viventes " abbatem sibi libera electione, sive de sua, sive de alia congregatione libere præstituant: ipse autem abbas, communicato fratrum consilio, advocatum de ejusdem Werneri posteritate " quæ præfato " castro Hasburch dominetur " eligant, et deficiente mascula prole, mulier ejusdem generis et castri advocatiam e manu abbatis accipiat: non ut beneficium, " sed ut quamdam monasterii commendationem et tuitionem ". Actum " anno ab Incarnatione Domini millesimo vigesimo septimo, Indictione x, regnante Conrado imperatore augusto ". Wernero adjungitur Itta comitissa, Radebotonis conjux, quæ monasterii itidem primaria conditrix dicitur in necrologio ad diem XXIII Julii: quæ in libro fundationis E perperam Werneri episcopi soror dicitur. Benefactricem dicere malim, quam conditricem: cum Wernerus ipse testetur, se monasterium condidisse in suo patrimonio, quod hæreditario jure sibi provenerat.

b *De hac tumba actum est supra in Comm. prævio num.* 4.

c Anno MDCXVII, tertio nimirum postquam jus patronatus ad monasterium Murense cum dominio translatum est, anno, auctore reverendissimo abbate Joanne Jodoco, e fundamentis extructa est ecclesia Beinwilensis magnis sumptibus tum ipsius communitatis Beinwilensis, tum maxime monasterii nostri prædicti; quod ultra quater mille florenos ad ejusmodi structuram expendit, *prout observat Mayerus.*

d *Adi Comm. prævium num.* 5.

e *Plura vide ibidem num.* 6.

f *Mayerus addit ista:* Communis etiam et constans est traditio, eum esse oriundum ex ditione Murensi, villa dimidiam horam supra monasterium F distante, Langenmatt dicta.

g *Nos eum damus die* 20 *Augusti, quo notatur in libro nostro Ms. de Sanctis, et circa quem diem signatur apud Murerum in Helvetia sancta pag.* 160. *Ad diem vero commemorationis S. Pauli Apostoli nihil apud nos de ipso reperio. Ad hæc, quo fundamento nitatur dies emortualis dictæ commemorationi affixus, non satis habeo perspectum, quia res gestæ Beati hujus adeo sunt ignotæ.*

h *Plura Commentarius num.* 8 *et* 10.

i *Locus ille alio nomine etiam nuncupatur, quem describens Baudrandus,* Aquæ, *ait,* Helvetiorum. . , BADEN, oppidum *ejusdem gentis* ad Limagum fluvium, qui paulo infra cadit in Arolam, ubi solent generalia comitia regionis haberi: appellatur et Thermæ superiores, OBER BADEN, ad alterius urbis Badæ *(in Suevia)* discrimen, castrum habens antiquum in colle, et in ea sunt luculenta balnea: vix uno milliari Helvetico distat a Rheno fluvio in Meridiem, et 5 a Basilea in Ortum, Tigurum versus vix duo, subestque octo veteribus pagis Helvetiis.

k *De hac lite, ejusque decisione adi Comm. a num.* 6.

l *De hoc monasterio plura nos docet Mayerus in*

A *in hunc modum :* Monasterium Capella in diœcesi Constantiensi, et territorio Tigurino haud procul Tugio, filia Altæ Rippæ, fundata est anno MCLXXXV a Walberto barone de Eschenbach. Celebre est hoc monasterium propter insignem victoriam ab Helvetis Catholicis in hac vicinia contra Zwinglianos obtentam, in qua et Zwinglius ipse morte sua sacrilegam perfidiam luit. Ejus redditus et proventus cum abbate et monachis apostatis Tigurinis Zwiglianis fuerunt incorporati. Quibuscum etiam Beinwila, tametsi in fide semper constans, eorumdem Tigurinorum dominio cessit. Anno vero MDLXXXVI per commutationem transiit ad nobiles Holdermeyeranos, quæ erat inter præcipuas Lucernæ familias. Tandem anno MDCXIV titulo emptionis monasterio Murensi cum omnibus juribus et pertinentiis accessit.

m *Insigniores multo, quam cineres, superfuisse corporis reliquias, indicaverat Stöcklinus supra num.* 2.

n *Uberius memorat Commentarius prævius num.* 8 *quæ huc spectant; ubi de annua Beati veneratione ad vicinas parœcias extensa cum sup-*
B *plicatione etiam annua solenni, de erecta confraternitate, et indulgentiis Romæ petitis ac obtentis propter magnum concursum populi, pie erga* B. Burchardum *affecti.*

o *Solennis memoria Beati in aliud tempus postmodum translata, ut ibidem num.* 9 *est dictum.*

p *Consule dicenda post Elogium.*

q Hæc Augustini Stöcklini conjectura videtur esse desumpta ex authentico quodam instrumento emptionis de anno MCCCXLVIII, in quo præter Burchardum decanum et plebanum in Sins (parochia sesqui circiter hora a loco Beinwil distante) notatur tamquam testis contractus stipulati alius Burchardus capellanus, vel coadjutor seu beneficiatus... in Sins, quasi hic, vel alteruter, postliminio ad curam Beinwilensem esset assumptus, *ex Mayero.*

r *Quorum videlicet publicus cultus annis centum ante Decretum Urbani PP. VIII, anno* 1625 *editum, sufficienter probatur exstitisse. Innumera hujus rei in Opere nostro sunt exempla, ne dicam quotidiana.*

C

MIRACULA

Beati patrocinio patrata.

Curantur æger, M*irabilia hæc misit ad nos anno* 1740 *R. P. Mauritius Chardon superius laudatus, quorum documentis operam quoque suam impenderat D. Leodegarius Mayer, qui quam apposite ac sedulo de* B. Burchardo *nos instruxerit, liquet e nostro Commentario prævio. Documenta jam dicta prænotantur hoc titulo :* Signa quædam seu miracula ad sepulchrum, et meritis beati Burchardi Beinwilensis facta. *Hisce adjungam Annotata. Sic igitur sonant :* Anno Domini MDCXXXI
a Jacobus Rapp ex Nidergösgen *a* ditionis Solodo-
b rensis *b* dimidio anno æger in lecto, ita emarcuit, ut non nisi cutis ossibus hæreret; institutisque per ablegatos ad sacra loca tredecim peregrinationibus, voti compos factus non est, nisi ad sepulchrum beati viri Burchardi in Beinweil. Statim enim ac votum fecit illuc invisendi, re- convaluit, et post hebdomades tres votum ipse incolumis exsolvit. ex mss.

Idem affirmavit, vicinum suum, antehac usu membrorum captum et grallis innixum, Beinwilam advectum esse, et meritis D. Burchardi sine grallarum adminiculo domum remeasse, esseque superstitem et sospitem in illum diem. *usu membrorum captus,*

2 Anno Domini MDCXXXI mulier quædam, Elisabeth Hasner ex Entlibuech *c* Lucernensis ditionis *d*, de parochio Schüpfen, morbo caduco et convulsionibus die noctuque plus decies vexata fuit : cumque recuperandæ sanitatis remedia non suppeterent, vocato in vota D. Burchardo, et facta promissione ejus visendi et veneraudi reliquias, sanata fuit. *mulier caduco morbo laborans, paralyticus,* c d

Anno Domini MDCXLIV, XVI Maii Joannes Udalricus Erhard de Buttisholz *e* ditionis Lucernensis, quinque hebdomades integras Boloniæ *f* Italiæ paralyticus decubuit; et desperantibus de ejus salute medicis, ad nosocomium futura mortis victima delatus est. Is vero facto voto peregrinandi ad S. lipsana B. Burchardi, pristinæ sanitati redditus est. Idem postea Beinwilæ voto satisfecit, et ita sibi contigisse plebano confessus est. e f E

3 Anno MDCXLV XX Aprilis honestus juvenis Matthias Kaufmann de Knutwil *g* ditionis Lucernensis coram parocho suo et ammano *h* Joanne Wyss confessus et testatus est (allato in scriptis prænominatorum super ea re testimonio) se manibus pedibusque, ac toto corpore languidum decubuisse, amisso omni vigore et usu artuum et compagum : vocatoque in auxilium B. Burchardo, et facto ad ejus sepulchrum peregrinandi voto, de die in diem melius sensisse. Votum ipse reddidit, et sanus atque incolumis semper permansit. Testatur et litteras recepit, ut supra, Fridolinus Rey, qui tunc fuit plebanus in Beinwil. Ex Knuttwyl Joannes Jodocus ejusdem loci parochus. Supra scripta miracula de verbo fere ad verbum ex Germanico in Latinum fideliter translata, ex veteri libro ecclesiæ Beinwilensis excerpta esse, testor ego P. Leodegarius Mayer, professus O. S. Bened. in monasterio S. Martini, vulgo Mure dicto, notarius Apostolicus. *item languidus;* g h

4 *Post hæc sequitur aliud instrumentum, quod prænotatur* extractum ex epistola domini Bass canonici ad SS. Ursum et Victorem Solodori, de die XIX Novembris MDCCXXXIX, *his verbis :* ... Ad petita testor, me per multos menses fuisse ægrotum, et quidem ægritudine non una tantum, ita ut mortuo magis, quam vivo similis, lecto quasi immobilis affixus fuerim. In tantis miseriis constitutus tandem emisi votum mittendi aliquem meo nomine ad templum B. Burchardi, ut per intercessionem et aquam sanitatem pristinam recuperarem. Et, ecce, ad adventum missi cum aqua e fonte B. Burchardi, morbi inter se certantes magno cum impetu plus quam antea me invaserant, quasi ultimum assultum tentaturi; sed in vanum : vix enim una vel altera guttula de aqua D. Burchardi in brachium meum immissa fuit (quod præ dolore fractum autumabam) in momento omnem ab eo dolorem et malum abstulit et repulit. Quare bibens de illa aqua sensi omnem dolorem cordis a me recessisse, ita ut de die in diem magis ad sanitatem redierim. *quibus adde* F

5 Eamdem virtutem aquæ hujus benedictæ sensit etiam ille, quem ad B. Burchardum miseram : laborabat enim jam a tempore tussi horrenda, ita ut videretur toties quoties tussiret, suffocandus *alios.*

Ex MSS. suffocandus, Hic plenus fiducia, peracta devotione sua, accessit ad prædictum fontem, ubi, sumpta aqua modica, in momento ab omni tussi liberatus est, ita ut postmodum illam nec semel amplius senserit. Datum Solodori XIX Novembris MDCCXXXIX. Vi. Bass canonicus et ecclesiastes. Fideliter extractum per me. P. Leodegarius Mayer N. Apl. die VIII Januarii MDCCXL.

ANNOTATA.

a *Locum hunc non reperi hactenus, consultis variis mappis geographicis, in Solodorensi ditione seu pago : de quo in nota proxime sequenti.*

b *Ditio hæc vocatur apud Baudrandum* Salodorius pagus, *ab incolis et Gallis nominatus le* Canton de Soleurre; *a Germanis autem* **die Oort von Solothurn**; *et ibidem observatur, parvum admodum esse ac unum e* 13 *pagis apud Helvetos; omnes ejusdem incolas esse Catholicos, situmque inter pagum Bernensem ad Meridiem, et pagum Basileensem ad Septemtrionem, ubi Solodorum, urbs istius tractus primaria.*

B c *In mappa geographica, quam ante me habeo, scribitur* Entlibacb, *jacetque ad Lacum Lucernensem, et non longe ab urbe Lucernensi distat.*

d *Urbs est Helvetiæ culta et satis nota, ditionis cognominis caput, in Argoiæ tractu ad Lacum Lucernensem.*

e *Al.* Butizols *ad confinia tractus Solodotensis.* D

f Bononia, *primaria Romandiolæ provinciæ urbs est, fama celebris et abunde cognita.*

g *Locum hunc non invenio notatum in mappa, qua utor.*

h *Cangius in suo Glossario non pauca observat de ista voce, e quibus delibo ista in gratiam præcipue nationum istarum, quæ eamdem non intelligunt :* Amman apud Germanos et Belgas etiamnum dicitur prætor, præfectus, prætor causarum civilium. In Charta Balduini comitis Flandr. anno MCXIX in Tabul. S. Bertini subscribunt „ Rodulphus amman de S. Folquinikerca, Alfgerus amman de S. Georgio, Bernuldus amman de Broburg etc. „. *Postea vero in fine subjicit vocis etymon in hunc modum :* Vocis origo Germauicum AMPT, munus, et MANN, vir. *Miræus in Codice donationum piarum præsertim Belgicarum cap.* 82 *profert diploma, cui inter alios subscribit* Ascelinus, amman de Bruxella, *et observat dictus Miræus in notatione :* AMMAN apud Bruxellenses idem est etiamnum, quod prætor. *Ad pleniorem istius officii notionem designantur apud Cangium* Cousuetudines Bruxellenses tit. 1, art. 1 et seqq., ubi quidquid AMANUM hujus urbis spectat, fusius exponitur. Plura etiam de AMMANO in Consuetud. Mechliniens. tit. 1. art. 41, et tit. 4, art. 2. Neque hæc vox incognita in media ispa Francia, *prout apud eumdem scriptorem licet videre.* E

AD DIEM XXI ET XXII AUGUSTI

J. P. not. 10.

DE SANCTA HUMBELINA SORORE S. BERNARDI ABBATIS

Colitur XII Februarii.

Pag. 398 *inter Prætermissos ad diem* XXI *Augusti laudavimus* Humbelinam; *visumque tunc nobis fuit,* Sanctæ *titulum illi non dare, nec in Opere nostro accense tamquam talem aliis istius diei Cœlitibus. Idcirco tunc petiimus ea nobis subministrari documenta, quæ publicum ipsius cultum certius comprobarent. Certa postmodum ad nos ejusdem cultus notitia pervenit. Nam in Magni bullarii Romani continuationis parte* 6, *anno* 1739 *edita Luxemburgi, hæc leguntur pag.* 489 : Sac. Rit. Congregatio . . approbavit Officium proprium . . S. Humbelinæ viduæ, benigneque indulsit omnibus et singulis monachis utriusque sexus totius Ordinis Cisterciensis, ut licite possint celebrare festum, et recitare sub ritu duplici die XII Februarii prædictum Officium proprium . . , illudque imprimi posse coucessit *etc.* Die I Sept. MDCCIII. *Sanctæ igitur huic debitus dabitur locus in Operis nostri Supplemento ad dictum diem* XII *Februarii, quo colitur. Superius monitum volumus extensum quoque ad diem* XXII *Augusti, ubi pag.* 489 *inter Prætermissos dumtaxat etiam habetur.* F



AD

AD DIEM XXIV

DE S. PATRICIO EPISCOPO CONF.

GLASTONIÆ IN BRITANNIA

mot. 11

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

J S.

§ I. Patricius senior non alius esse videtur a Patricio II, seu juniore, magni Patricii ex fratre nepote, de cujus cultu hac occasione tractatur.

Circa an. cdlxx. Patricii in Hibernia varii: inter hos quidam distinguunt Seniorem et juniorem,

B Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ tom. i, pag. 366 occasione S. Patricii Ostiarii varios recenset Patricios, qui a scriptoribus Hibernis commemorantur, iterque eos duos numerat, qui xxiv Augusti coluntur, si tamen duo sint, et non potius unus idemque in duos distractus. Verba ejus quædam accipe :* Primus fuit magnus Patricius Hiberniæ primas et apostolus *(de quo apud nos fuse disputatum ad xvii Martii.)* Secundus S. Patricius cognomento Senior, episcopus primo Ros-Delanus in regione Magh-Lacha, et postea, vivente adhuc S. Patricio apostolo, episcopus Ardmachanus, qui colitur Glastoniæ in Britannia, et Ardmachiæ in Hibernia, ubi ejus reliquias adservatas, et summo olim in honore habitas lego. Tertius S. Patricius junior, S. Patricii apostoli discipulus, et ex fratre nepos. Et horum quidem singuli floruerunt seculo quinto : nam primum obiisse anno cdxciii, secundum vero anno cdlvii, tradunt Quatuor Magistri in Annalibus ad eosdem annos. Tertius autem, et qui S. Patricii patrui sui jam defuncti C Acta conscripsit, vixit post annum cdxciv, et comparatione hujus dicti junioris videtur præcedens Patricius Senioris cognomentum sortitus; vel forte idcirco, quod ante hunc et sanctum Patricium magnum Hiberniæ apostolum e vita decessit. *Sic ille hoc loco.*

qui duo non videntur, sed unus idemque,

2 *Verum multa sunt, quæ mihi omnino persuadent*, S. Patricium, *qui magni Patricii ex fratre Sennano nepos dicitur, non alium esse ab eo, qui secundus memoratur a Colgano, recteque juniorem vocari respectu magni Patricii, seniorem vero a quibusdam dictum esse vel ex errore vel alia de causa. Quippe idem utrique assignatur episcopatus Rosdelanus, uterque mortuus dicitur Glastoniæ, utriusque reliquiæ Glastoniæ servari dicuntur, utriusque demum festivitas diei* xxiv *Augusti affigitur. Hæc prima ratio, quam ex ipso Colgano elucidabo. In Actis S. Patricii magni pag.* 229 *de Sancti nepote* Patricio *juniore hæc notat Colganus :* S. Patricius junior S. Patricii ex fratre.. nepos colitur xxiv Augusti, vel Ardmachæ juxta Martyrologium Tamlactense, vel in ecclesia de Ros-dela in regiuncula Ossoriæ Muic-laca nuncupata, juxta S. Ængussium, Marianum Gormanum, Cathaldum Maguir, Martyrologium Tamlactense, Martyrologium Dungallense, et Calendarium Casselense. Adduntque E episcopum Ros-delanum fuisse, et insuper quiescere Glastoniæ in occidentali Britanniæ majoris ora maritima. Quod etiam tradunt Jocelinus in Vita magni Patricii cap. 186,... licet Glastonienses contendant magnum Patricium apud se quiescere et coli, sed perperam. *Jocelini citati verba accipe :* S. Patricius filiolus ejus, qui post decessum patrui sui *(magni Patricii)* Britanniam remeans in fata decessit, et in Glastoniensi ecclesia sepultus est honorifice. *Hæc ille occasione Vitæ S. Patricii ab hoc juniore scriptæ.*

cum eadem utrique attribuantur,

3 *Nunc ostendere oportet eadem affirmari de* Patricio *Seniore. Laudatus Colganus pag.* 262 *sic loquitur :* Sanctum Patricium etiam cognomento Seniorem Glastoniæ sepultum fuisse, alii plures antiquiores et graviores tradunt authores; ut vetustus author Vitæ S. Dunstani citatus ab Ussero supra pag. 895, *cujus hæc adducit verba :* Hibernieusium peregrini prædictum Glastoniæ locum, sicut et cæteræ fidelium turbæ, magno colebant affectu, et maxime ob beati Patricii Senioris honorem, qui fauste ibidem in F Domino quievisse narratur. *Scholiastes S. Fieci postea uberius citandus cap.* 29 *hæc asserit :* Dicunt etiam alii, quod in ecclesia de Ros-dela in regione de Magh-lacha sint sacræ exuviæ Patricii Senioris : sed verius est, quod Glastinberiæ Hibernorum *(id est, Glastoniæ)* jaceant, quæ est civitas in australi regione Saxonum. *Calendarium Casselense* ante annos fere sexcentos scriptum, *teste Colgano*, ad xxiv Augusti *hæc adducit ibidem :* Patricius Senior de Ros-dela in Maglacha quiescit : sed, secundum aliquos, et verius, Glastiberiæ Scotorum quiescit Patricius Senior. Hæc est civitas in occidentali parte Angliæ, et Hiberni inhabitant eam. Reliquiæ tamen ejus requiescunt Ardmachiæ in lipsanis *(id est, lipsanothecis)* Patricii Senioris appellatis. *Ad eumdem diem B. Marianus Gormanus ejusve scholiastes ibidem :* Patricius Senior de Ros dela in regione de Mag-lacha, et de Glas Hibernorum *(id est, Glastonia,)* quæ est civitas in occidentali parte Angliæ, in qua Hiberni post suam peregrinationem habitare solebant. Ejus insuper sacræ reliquiæ jacent Ardmachæ in lipsanis, quæ Patricii Senioris appellantur. *Hisce observationem hanc addit Colganus :* Non existimo tamen integras

AUCTORE J. S.

gras reliquias hujus S. Patricii asservari Ardmachæ, sed solum partem, cum secundum ipsos authores, et alios multos jam citatos obierit Glastoniæ. *Habes hic, lector studiose, juniorem æque ac Seniorem* Patricium *Ros-delanum fuisse episcopum, Glastoniæ mortuum et sepultum, utriusque reliquias ibi servari ac festivitatem agi* XXIV *Augusti : quin potius, ibi reliquias coli et festivitatem celebrari unius, qui diverso modo designatur.*

et eorum distinctio nullo nititur fundamento, sed solum vitiata chronologia,

4 *Accipe et alteram rationem, quæ id suadeat. Septem magni Patricii Vitas edidit Colganus, ex iisque studiose collegit ingentem discipulorum S. Patricii catalogum, aliunde etiam auctum. Attamen in omnibus istis Vitis non invenit* Patricium *Seniorem a* Patricio *juniore distinctum, sed solum* Patricium *magni Patricii nepotem, ejusque Vitæ scriptorem. Id sane mirum videtur, si Senior* Patricius *vicarius fuerit S. Patricii magni in archiepiscopatu Ardmachano, ut vult Colganus. Porro illius vicarium facit, quia in Catalogo archiepiscoporum Ardmachanæ ecclesiæ, quem ex Psalterio Casselensi edidit pag.* 292, Pa-
B tricius Senior *tertio loco ponitur inter archiepiscopos, quorum primi quinque hoc ordine enumerantur :* Patricius, Secundinus, Patricius Senior, Benignus, Hierlatius. *Hos autem quatuor post Patricium recensitos ejus tantum vicarios esse contendit, non successores. Verum hæc opinio non aliud habet fundamentum, quam aberrantem chronologiam vitæ Patricianæ, quam producunt perperam usque ad annum ætatis centesimum et vigesimum, Christi* CDXCIII. *Nam verius alii cum Papebrochio magni Patricii mortem collocant circa annum* CDLX, *alii etiam citius. Id evincitur ex illis, quæ mox pag.* 293 *affert Colganus ipse in S. Benigno, de quo, postquam mortuum dixerat anno* 467, *hæc subjungit :* Verum propria ejus Acta danda ad IX Novembr., et Vita S. Moctei cap. 8 tradunt ipsum Patricio jam mortuo successisse. *Vidit Colganus hæc non cohærere cum chronologia sua Patriciana, ideoque subdit hæc verba :* Unde S. Benignus successor S. Patricii debuit vixisse post annum CDXCIII, quo obiit S. Patricius; et ille, qui obiit anno CDLXVII debuit fuisse alius. *Vides ex vitiosa chronologia alium quæri Benignum, qui non reperietur facile, ut minus miremur, ex*
C *similibus chronologiæ erroribus multiplicatos fuisse Patricios.*

quam rectius ordinavit Papebrochius. Patricius junior episcopus fuit Ardmachanus,

5 *Papebrochius, qui ad illustranda magni Patricii gesta diligentem adhibuit operam,* Patricium *illum, qui tertio loco habetur inter Ardmachanos antistites, non alium esse existimat a juniore* Patricio, *atque hunc sancti Patrui sui statuit successorem, hujus vero S. Benignum. Secundinum autem inter antistites illius ecclesiæ collocatum ab aliquibus dicit, quia illam subinde rexit, absente magno Patricio ; ab aliis vero omissum : et defunctum paucis mensibus ante magnum Patricium anno* 459, XXVII *Novembris. Hæc omnia cum mihi maxime videantur probabilia, accipe ea, quæ Papebrochius in Chronotaxi historiæ Patricianæ tom.* 2 *Martii pag.* 523 *ad propositum nostrum deduxit : Anno* CDLX Patricius, ætatis annis octogiuta duobus expletis, in decursu anni octogesimi tertii . . . moritur et Duni tumulatur, cui S. Sen-Patricius subrogatus fit episcopus Ardmachanus, primus numeratus ab iis, qui sanctum Apostolum, pro universali omnium ecclesiarum cura, supra numerum habuere. *Idem pag.* 583 *de hisce sic loquitur post probatum, ex Vita S. Patricii, obitum*

Secundini ipsius vicarii : Nec diu post supervixit Patricius ; sed quarto post Secundinum mense obiit etiam ipse, et successorem habuit S. Sen-Patricium, qui ab aliis simpliciter dictus Patricius, Jocelino autem Patricius junior, ab Rosdelaua ecclesia, quam episcopus et abbas regebat, assumptus est, intuitu haud dubie sancti patrui, cujus et referebat nomen et sanctitatem imitabatur. Huic decem anni tribuuntur ; et reliquias ejus, ut ait Fieci scholiastes, aliqui in Ros-dela regione Maglacha esse aiunt : sed verius est, quod Glastenberiæ Hibernorum jaceant, quæ est civitas in australi regione Saxonum. *Citat deinde verba ante adducta Jocelini, qui etiam ait Glastoniæ obiisse : quod contigisse videtur, quia eo profectus erat, ob quædam sua, vel ecclesiæ suæ negotia.* D

6 *Ex decennio episcopatus Papebrochius in chronotaxi de morte ejus sic habet : Anno* CDLXX peregre apud Glasconienses moritur S. Sen-Patricius ; cui S. Mocteus Lutmagensis substituendum curat S. Benignum. *Audiamus hæc ex Vita S. Moctei cum aliis quibusdam, quæ ad* Patricium *nostrum juniorem spectare credimus cum Papebrochio. Vita illa edita tom.* III *Augusti pag.* 744 *habet sequentia :* Summus pontifex Patricius cœpit aliquando prope monasterium ejus habitare : colloquentibus vero die quadam ambobus, missus est ad eos angelus epistolam adferens : qua Patricius perlecta, Mocteo ait : Hic ego non habitabo : per te enim hujus terræ incolas Deus visitavit, in tui fonte luminis videbunt lumen, et vitam consequentur æternam. Apte namque ex eorum persona tibi loquitur David : Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Mocteus ait : Si hoc Deo placet, ut ab invicem separati serviamus ei, ego discedam. Patricius respondit : Verbum Domini non potest mutari. Tunc Mocteus ait : Si ante te de hac luce emigravero, familiam meam tibi committo. At Patricius ait : Et ego tibi meam commendo, si te ad Dominum præcessero, et factum est ita : rexitque post ipsum sedem Mocteus aliquot diebus, et Beniguum illius discipulum pro se inthronizavit. *Ex his omnibus satis probatum confido,* S. Sen-Patricio *rectius tribui ipsum episcopatum Ardmachanum, quam solum ejus vicariatum, illumque, qui in Catalogo illorum episcoporum vocatur* Patricius Senior, *eumdem esse cum juniore nostro. Alias de juniore* Patricio *magnique Patricii nepote nihil prorsus compertum esset, nisi id unum, quod sancti patrui sui scripserit Vitam, cum alia omnia Seniori adscribat Colganus. At nullo modo verisimile est magni Patricii Nepotem et doctum et sanctum adeo fuisse neglectum.*

mortuusque est circa annum 470: huic substitutus S. Benignus : E

F

cur Patricius junior dictus sit Senior Patricius.

7 *Restare igitur id unum videtur, ut inquiramus, unde factum sit, ut* Patricio *nostro, qui junior erat respectu Patricii magni, Senioris nomen tribuerint scriptores medii et recentiores ; ab antiquioribus enim id nomen ei adscriptum esse non lego. Ut respondeam ad hunc scrupulum, audire lubet Papebrochium in laudatis Actis pag.* 519, *ubi ex Colgano agit de consanguineis magni Patricii :* Satis, *inquit,* habemus insinuare paucis, alterum Patricio fuisse fratrem, Sennanum nomine, gradu diaconum, ante susceptos ordines sacros patrem junioris Patricii, qui secundus a sancto patruo primatum Ardmachanum tenuit, et, ut infra dicetur, S. SEN-PATRICK dictus est, non quasi SENIOR PATRICIUS (etsi eo trahat vocis SEN significatio,) sed SENANI-PATRICIUS.

A PATRICIUS. *Hinc mihi facile persuadeo, ex errore factum esse, ut* Senior *nominaretur, qui erat junior : cum enim* Sen-Patrick *Hibernice vocaretur ad distinctionem, et sic etiam nomen ejus scriberetur Hibernice; qui serius scripserunt, et rationem ignoraverunt vocis* Sen *ad nomen Sancti adjunctæ, respexisse videntur ad propriam vocis* Sen *significationem, indeque nominare* seniorem Patricium. *Hæc sane conjectura non apparet longe quæsita, sed quasi e re nata, et maxime verisimilis. Potest tamen et alia ratio fuisse, unde nomen* Senior *Sancto nostro sit attributum; aliæque dari possunt conjecturæ, sed illas omitto, quia data jam ratio videtur sufficere.*

§ II. De gestis Patricii junioris cur pauca cognita : quomodo intelligi de ipso possit quod cum magno Patricio simul ad Christum venerit.

B *Ex gestis Patricii junioris quædam verisimiliter attributa sunt magno Patricio :*

Laudatus Papebrochius pag. 582 *recte scribit sequentia :* Celebritas Patriciani nominis tanta fuit; ut magni Patricii successorem synonymum, a patre suo Sennano dictum Sen-Patricium, prorsus obscurarit. Unde et hic et in aliis pluribus Sanctorum Hibernensium Actis, multo post tempore Latine scriptis, magna illa irrepsit confusio, qua omnia hujus gesta ad istum ejus patruum sunt traducta. *Dicit hæc Papebrochius occasione Actorum S. Alvei et S. Declani, in quibus multa leguntur S. Patricio I attributa, quæ, si vera sunt, adscribenda videntur* S. Patricio *juniori. Acta S. Declani, Desiorum in Hibernia episcopi edita sunt apud nos tom.* v *Julii, sed fabulis inquinata esse observavit Papebrochius, et deinde illorum editor Boschius. Hac de causa non omnia huc transferam, quæ in illis commemorantur de* Patricio, *sub nomine magni Patricii, quæque ex parte saltem nostro Sancto potius attribuenda videntur : at unum dumtaxat ex iis observabo, quod ceteris verisimilius juniori* Patricio *convenit, et jam discussum est a Papebrochio.*

C *juniori prius restitisse dein se subjecisse videntur SS. Alveus et Declanus :*

9 *Conversi in Hibernia a Patricio apostolo (ut censet Papebrochius) SS. Alveus et Declanus, Roman profecti erant; ibique ordinati episcopi a S. Hilaro Papa, in Hiberniam sunt reversi ad suos populares excolendos, idque verisimiliter prius factum,* quam primatus Ardmachanæ cathedræ, ad quam recenter Sen-Patricius conscenderat, tota Hibernia reciperetur... Hi igitur in Hiberniam cum suis reversi, æquum non putabant ei se subjici, a quo ordinationem non accepissent : maxime postquam S. Patricius (cui forte libenter cessuri erant propter apostolatus prærogativam) vivere desiit. Quare primatum Ardmachani episcopi... recusabant agnoscere. Itaque citra ullam ab eo dependentiam, Mumonienses ecclesias Albeus, Declanus Desias ordinabat; donec Sen-Patricius, non tam auctoritate et imperio, quam humanitatis officiis et miraculorum pondere atque demissionis exemplo, illos permovit, ut futuri aliquando schismatis semina auferentes, boni publici et pacis communis causa Ardmachanam sedem, ex ordinatione Patriciana Pontificiis probata litteris, primam dici et esse paterentur, ea lege, ut singulis sua, inter Desios Declano, inter Mumonios episcopos Albeo, maneret, præcellentia, velut metropolitis, uni dumtaxat primati subjectis, et suos per se suffraganeos regentibus. *Hæc probabiliter Papebrochius, quibus ex Vitis SS. Declani et Alvei nihil adjungendum putamus.*

AUCTORE J. S.

quæ S. Fiecus in hymno de duobus dixit Patriciis,

10 *Unum igitur superest de Sancto nostro discutiendum, quod mire torsit Colganum. S. Fiecus Sleptensis in Hibernia episcopus ac discipulus magni Patricii in laudem magistri sui Hibernico idiomate hymnum composuisse creditur. Hunc Colganus Latine reddendum curavit, atque utraque lingua vulgavit cum notis antiqui scholiastæ et suis. Dubitat quidem Papebrochius pag.* 520, *an hymnus ille sit ipsius S. Fieci, et rationes aliquot dubitandi adducit. Verumtamen pag.* 523 *existimat hymnum compositum post mortem* Patricii *junioris : nam relata hujus morte ad annum* 470, *hæc subjungit :* Interim S. Fiecus Sleptensis episcopus suum de S. Patricio hymnum componit : in quem antiqui scholiastæ notæ pertinent ad seculum non VI, *ut putat Colganus*, sed VIII,... cum in iis, *inquit pag.* 520, non pauca occurrant, quæ seculo septimo posteriorem auctorem sapiunt. *Porro in laudato hymno apud Colganum pag.* 3 *leguntur hi versiculi :* E

Quando decessit Patricius,
Venit ad Patricium alterum,
Et simul ascenderunt
Ad Jesum filium Mariæ.

In hæc verba Scholiastes sic commentatur pag. 6: Promisit Patricius Calphurnii filius Patricio cognomento Seni, sive Seniori, quod ad cælum essent simul venturi. Et hinc quidam referunt, quod spiritus S. Patricii *(magni)* a septimo decimo Calendas Aprilis usque ad finem primi mensis autumnalis *(id est, Augusti, diem verosimiliter* XXIV, *quo alter obiit)* expectaverit mortem Patricii Senioris.

intelligi recte possunt de magno Patricio et Junior nostro.

11 *Colganus pag.* 7 *merito explodit fabellam illam, natam haud dubie ex verbis hymni male intellectis :* Quare enim, *inquit*, spiritus tam gloriosi præsulis, cujus adventui ipsi cæli tot prodigiis affulserunt et aggratulati sunt, tanto temporis intervallo a diu desiderata victoriæ palma et bravio retardaretur? *Recte etiam notat non approbari ab ipso, qui eam refert, Scholiaste. Verum inutili labore se torquet, dum alium quærit Patricium, qui obierit eodem tempore* F *cum magno Patricio, acsi Fieci verba animam magniPatricii cælo ad aliquod tempus necessario excluderent, nisi alius quispiam Patricius obiisset eodem tempore. At mihi nihil aliud indicari videtur recitatis S. Fieci verbis, quam S. Patricium magnum apparuisse* S. Patricio *nepoti suo morienti, ejusque animam duxisse ad conspectum divinum. Nam primo verba illa Latina,* quando decessit, *idem significasse Hibernice, ac* postquam discesserat, *facile colligitur ex fabella relata, quæ oriri non potuisset, si mortuus statim venisset ad alterum. Sensus itaque verborum est : Patricius magnus satis diu post mortem suam venit ad* Patricium *alterum, nepotem utique suum, et simul ascenderunt ad Jesum, non quia anima S. Patricii in cælo necdum fuerat, sed quia animam nepotis sui eo comitabatur. Ceterum ex verbis Fieci et scholiastæ rursus colligitur, Seniorem et Juniorem* Patricium *unum eumdemque esse : quod enim Fiecus refert de* Patricio *post magnum Patricium mortuo, qui alius esse non potest a juniore, id explicat de* Patricio *Seniore Scholiastes.* AD

AD DIEM XXV AUGUSTI

not. 12

DE S. ALVERA VIRGINE ET MART.

J. P.

LIMOLII APUD PETROCORIOS IN GALLIA.

SÆC. FORTASSE III EXEUNTE. *Cultus apud Petrocorios,*

Saussayus *in suo Martyrologio Gallicano parte 2 inter Sanctos eidem adjectos ponit hanc annuntiationem pag.* 1249 : Eodem die *(xxv Augusti)* transitus sanctæ Alveræ virginis. *Plus dixit Castellanus ad diem* IX *Martii, quando publicum ejus cultum addidit :* In provincia Petrocoriensi S. Alvera * virgo, cujus caput * honoratur iu ecclesia nominis ejus prope Limolium. *Locum hunc ita describit Baudrandus :* Limolium, *vulgo* Limeil, oppidulum Galliæ in Petrocoriensi provincia, ad Veseram fluvium, qui ibi in Duranium se exonerat. *Situm est inter urbes Sarlatum et Bergeracum. huic tamen quam illi magis vicinum, ab eoque non longe distat locus,quem* S. Alveræ *nomine notatum in mappa geographica prædictæ provinciæ reperio.*

* *al* Alvenera

* *Gall.* le Chef

martyrium

2 *Joannes du Puy Ordinis FF. Minorum, in libro Gallico de Ecclesia provinciæ Petrocoriensis pag.* 62 *in Petro episcopo, Virginem hanc simul et martyrem fuisse scribit, uti patet ex ejus textu, quem e Gallico reddo in hunc sensum :* Reperi, *inquit*, iuscriptionem..., quæ notat consecrationem ecclesiæ S. Alveræ vel Alveneræ, quæ fuit filia nobilis prosapiæ sancti Alverii in provincia Petrocoriensi, nomenque dedit familiæ: cui per suum cilicium, disciplinam, et cruentam suam mortem plus honoris contulit, pro Dei gloria martyrium passa, quam per generis antiquitatem. De tempore martyrii ejus nihil scimus, Actis lapsu temporis deperditis : hodie dumtaxat videmus in hoc loco sacrum ipsius caput, iu quo est apertura digitorum quatuor, ictu acinacis inflicta, qui benedictam ipsius animam e vita sustulit. Inscriptio consecrationis istius ecclesiæ parieti incisa sic loquitur : AB INCARNATIONE DOMINI MCLXXII... PETRUS DEI GRATIA PETRACHORENSIS EPISCOPUS IN HONOREM B. MARIÆ, ET S. JACOBI APOSTOLI, ET S. MARII, ET S. BLASII, ET S. CATHARINÆ VIRGINIS VI No. JUL. HOC ALTARE CONSECRAVIT. *Vides hic non exprimi tempus consecratæ ecclesiæ* S. Alveræ, *sed altaris in eadem ecclesia.*

Aginni in Aquitania,

3 *Dionysius Sammarthanus tomo 2 Galliæ Christianæ inter episcopos ecclesiæ Aginnensis in S. Phœbadio columna* 896, Ipsius, *ait*, corpus jacuit multo tempore apud Petrocorios cum reliquiis S. Alvertæ virginis Aginnensis ac martyris, quæ germana fuit S. Fidis. *Hic indicari credo* S. Alveram *nostram ; tam exigua quippe nominis discrepantia pro nulla haberi potest. Nihil obest etiam, quod Aginnensis appelletur ac talis fuerit. Etenim potuit Aginni martyrio coronari, ac deinde sacrum ipsius caput, ac aliæ fortassis ejusdem reliquiæ ad Petrocorios deferri, sicut accidisse S. Phœbadio dicebat jam memoratus Dionysius Sammarthanus : apud quem ad institutum præsens afferuntur ista e Bernardi Andegavensis libro Ms., quem circa annum* 1012 *Fulberto Carnutensium pontifici nuncupatum ab eo affirmat :* Urbs Aginuum super omues urbes Aquitauiæ multis olim Sanctorum patrociniis illustris emicuit, quibus peue omnibus temporum processu, ignoto quo nescio suo peccato, viduata remansit, partim vi, partim furto sublatis. Invenies, Aquitaniæ viator, quod ipse experimento comperi, diversis in locis, qui tibi dicant: Hoc est corpus illius martyris ab Aginno translatum; hic illius virginis vel confessoris, vel tanta portio illius Sancti, quorum unus Phœbadius habetur Petrogoras allatus. *Indicat itaque Bernardus Andegavensis Sanctorum Aginnensium memoriam ita intercidisse temporis lapsu, ut de reliquiis eorum vix aliquid dici possit. Phœbadii solius translationem ad Petrocorios memorat: sed hoc non debet obstare, quo minus* S. Alveræ *caput ad eosdem allatum fuerit Aginno vel ex alio Aquitaniæ loco, cum facile contingere potuerit, ut de hac re nihil audierit ex Aquitaniæ incolis, vel aliunde resciverit seculo undecimo, quo scripsisse dicebatur.*

tempus martyrii, nobilitas.

4 *De S. Fide agemus cum Martyrologio Romano ad* VI *Octobris. Parisiense Martyrologium novum, anno* 1727 *editum, anno circiter* 290 *innectit martyrium ejus; Castellanus autem circa annum* 287. *Si constaret mihi aliunde,* S. Alveram *fuisse ipsius germanam, uti asserebat Dionysius Sammarthanus, possem aliquid statuere magis secure de tempore vitæ ac mortis ejus: cum vero de hac re hactenus nihil comperti habeam, apposui supra sub dubio mortem ipsius seculo tertio exeunte. Tametsi autem Saussayus et Castellanus solo virginis titulo illam annuntiant; martyrem tamen cum aliis appellavi. Utinam liceat sperare plura de cultu ac gestis ejus ad dictum diem* VI *Octobris occasione S. Fidis. Hæc laudatur apud Surium ad diem* XX *ejusdem mensis a nobilitate ; cujus et illa, si hujus fuerit soror, deberet esse particeps : si vero soror istius non fuerit, potuit quidem nobilibus nata esse natalibus ex alio genere : sed inde deducere originem familiæ Alverianæ in provincia Petrocoriensi, ut faciebat superius Joannes du Puy, est plus dicere in gratiam istius familiæ, quam probari possit, ut solenne est genealogiographis.*



AD

AD DIEM XXIX

S. HYPATIUS Episcopus et S. ANDREAS Presbyter, Martyres not. 15.
pag. 514 ad pag. 525 removeantur.

DE BB. JOANNE SACERDOTE, ET PETRO LAICO MM.

ORDINIS FF. MINORUM

VALENTIÆ IN HISPANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

B § I. Cultus; gesta ante martyrium; ejusdem annus et locus; impetrata regis conversio; translatio corporum; ædes sacra; miracula. E

Anno MCCXXXI. Concessus Beatorum cultus

Valentia, *urbs et regnum Hispaniæ, inter Cataloniam ac mare Mediterraneum, nec non Castellam novam, Aragoniam et Mureiam sunt sita. Horum duorum Christi Pugilum palæstra fuit urbs jam dicta, regni caput, quam fuso sanguine pro orthodoxa fide condecorarunt. Cum vero ad diem* XXIX *Augusti citatis Arturo, Marieta ac Ferrario, de publico eorum cultu non satis mihi constaret, alium tunc in Opere nostro locum illis concedendum non censui. Nunc autem publicam eorumdem venerationem edoctus ex decreto Sedis Apostolicæ, reliquis prædictæ diei Cœlicolis hic eos annumero. Decretum vero illud producitur ab eminentissimo Cardinale de Lambertinis, qui nunc Petri cathedræ feliciter præsidet, lib. 2, cap. 24, § 30, pag. 253 de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione, hoc prænotatum titulo:* Decretum. Valentina, seu Terulen. beatificationis seu declarationis martyrii servorum Dei Fratris Joannis sacerdotis, et Petri laïci, Ordinis Minorum sancti Francisci.

a Sede Apostolica :

2 *Titulo huic sic subditur ipsum decretum :* Proposito in sacrorum Rituum congregatione ordinaria pro eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Nigrono causæ beatificationis seu declarationis martyrii servorum Dei Joannis sacerdotis, et Petri laici prædictorum relatore, ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Gabriellio dubio : " an constet de cultu " immemorabili, et an sententia super eo lata a " vicario generali Terulen., judice delegato, sit " confirmanda, vel infirmanda in casu etc. " sacra eadem Rituum congregatio, reverendissimo archiepiscopo Myrensi fidei promotore tam in voce, quam in scriptis audito, censuit, constare de cultu immemorabili, et dictam sententiam esse confirmandam in casu etc., si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die XXIII Februarii MDCCIV. Et facta per me secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua (Clemens videlicet XI) distulit resolutionem; et deinde, prout retulit R. P. D. Paracianus, Sanctitatis suæ auditor, benigne annuit die XI mensis Septembris ejusdem anni MDCCIV.

ex Italia in Hispaniam missi

3 *Verum altius repetenda sunt, quæ de Martyrum istorum gestis, veneratione publica et antiqua, nec non de miraculis narrantur alibi, subsidium mihi præbitura ad illustrandum eorumdem martyrium. Duo Beati illi vel origine vel habitatione saltem Itali fuere. Nam Waddingus ad annum* 1216, *num.* I, Publicata, *inquit,* in concilio Lateranensi approbatione Regulæ et Ordinis sui, Franciscus, dissoluto Patrum confessu, Assisium abiit, scriptis ex urbe litteris convocatoriis ad fratres suos hinc inde dispersos, ut ad comitia generalia convenirent apud ædem sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis primævam, in quibus de ejusdem propagine, et Fratrum missione ad communem hominum salutem communibus ageretur suffragiis. Adfuerunt, quibus licuit, ad statutum a viro sancto Pentecostes diem, qui eo anno incidit in III Kalendas Junii, quo felix dedere suo consessui principium. F

a S. Francisco, Christi fidem prædicant :

4 *Et nonnullis interjectis subdit ista ibidem num.* 2 : Ex hoc conventu, et hoc ipso anno missos Fratres ad diversas nationes ait Marianus, et Franciscum divisisse suis terram in funiculo distributionis... Quinam vero tantæ messis operarii ab hoc conventu missi sint, a nullo alio clarius et uberius, quam ab eodem Mariano, *cujus citaverat caput* 12 § I, accipere potui, quos ita ille recenset et distinguit *etc. His vero nominatim enumeratis adjunguntur ibidem* Fr. Joannes ignoti cognominis sacerdos, et Fr. Petrus laïcus, qui ad annum MCCXXX martyrium subierunt in regno Valentiæ. *Quamnam vero itineris rationem habuerint, priusquam pervenirent ad dictam martyrii sui palæstram, refert Waddingus ad annum* 1220, *num.* 71, *cujus verba subdo :* Hoc etiam anno duo ex Patribus missionis Hispanicæ Joannes sacerdos et Petrus laïcus, relicta Cæsaraugusta, Valentiam perrecturi, ut Mauris Christi fidem prædicarent, Turolium * Aragoniæ civitatem, olim Turrupiam sive Tintanam,

* Teruel

AUCTORE J. P.

tanam, ab Alphonso rege, Raymundi principis filio, conditam applicuerunt. Cumque ejus populum sibi supra modum affectum cernerent, extructis duabus ex vili materia cellulis juxta ædiculam B. Bartholomæo sacram, pedem ibidem ad tempus fixere; sed post decennium Valentiæ prædicantes capite truncati sunt.

annus

5 *De anno martyrii aliqua se offert controversia, quam proponit Waddingus ad annum* 1231 *num.* 47 *:* Succubuisse, *inquit*, anno proxime elapso *Pugiles hosce* affirmat Rodulphus *Tossinianus*, ceteris scriptoribus constanti assensu hoc anno, et in die decollationis sancti Joannis Baptistæ, ut præ ceteris observarunt Chronica antiqua, et Marianus, passos dicentibus. *Sed Waddingus perperam scribit*, annum proxime elapsum, *id est*, 1230 *signari a Rodulpho : cum fol.* 118 *apud Waddingum citato diserte dicat :* Jussu regis capite puniuntur an. MCCXXXI. *Deinde, quis ex his dictis Waddingi non conficiat, relicto anno, ut putabat, Tossiniani, eum adhærere constanti aliorum scriptorum consensui, annum emortualem* BB. Joannis *ac* Petri *anno* 1231, B *vel ipsomet teste, affigentium? Et tamen superius num.* 4, ad annum, *inquiebat*, MCCXXX martyrium subierunt. *S. Antonius in narratione martyrii, quod infra ex eo dabitur, non satis distincte annum mortis expressit, sicut lectori patebit ibidem num.* I, *quem ego cum aliis signavi superius* 1231. *Pergamus nunc ad quædam referenda de rebus ante sacrum eorumdem certamen gestis, ac de loco, quo illud fuso sanguine consummarunt.*

et locus martyrii :

6 *S. Antoninus relata Martyrum prædicatione Valentiæ, carcere, ac promissionibus regis, frustra illos invitantis ut Christi fidem abnegarent,* in publica platea, *inquit*, eos decollari jussit. *Verum de his aliter scribit Waddingus ad prædictum annum eodem num.* 47 *:* Saracenorum regni Valentini salutem sitientes e Turolio Aragoniæ urbe Valentiam abierunt, ubi delitescentes in ecclesia sancti Sepulcri, quæ hodie sancti Bartholomæi nuncupatur, inierunt amicitiam cum duobus heroïbus Hispanis Castellanis D. Blasco, et D. Artald de Alagon, qui Viros Religiosos et C eorum sanctimoniam valde diligebant. Ili vero prædicantes fidem Christi in Mahumetanorum templo ad regem Zeytabuceit nuncupatum protrahuntur, quo eorum adventus causam sciscitante, responderunt non aliam nisi ut ille, et gens Mahumetana a diutino suo resipisceret errore. Excandescens furore, jussit ut protinus, fide Christianorum abnegata, suam amplecterentur, quod dum minis obtinere non posset, in ipso suo, quo tunc perambulabat, viridario, loco extra urbis muros tunc posito, nunc autem novæ civitatis muris circumdato, jussit eos occidi, atque ita factum in quodam horti latibulo, licet cum Francisco Ximenio Minorita, non illo Toletano archiepiscopo, sed episcopo Elnensi, in libro, quem de recta gubernandi ratione dedit ad magistratus Valentinos, sint qui dicant in forum de la Hiquera *, sive a ficu nuncupatum, deductos atque ibi decapitatos.

* *immo* de la Higuera

orant et exorant a Deo regis Mahometani conversionem :

7 Dum vero eos ad martyrium eripi juberet rex, summas egerunt gratias, eam pro beneficio reddentes retributionem, ut aliquando Christianam agnosceret, et amplecteretur veritatem. Nam defixis aliquantulum in terra genibus, obuixe oraverunt pro ejus salute, divinumque interius acceperunt responsum, se exauditos. Neque inane fuit promissum : nam, ut ad annum MCCXXXVIII enarrabimus, et ille lucem accepit Euangelii, et D fratribus suum dedit palatium in monasterium, exædificandum. Illorum corpora postea redempta a Christianis... asportata Turolium.

translationes :

8 *Antiquum vero* BB. Joannis *et* Petri *cultum esse, ex eoque recte formari casum ab immemorabili tempore exceptum a decreto Urbani PP. VIII, sicut ex auctoritate Sedis Apostolicæ superius num.* 2 *dictum est, conficitur ex iis, quæ narrat Waddingus ad annum* 1220, *num.* 71, *ubi de martyrii laureola Valentiæ ab illis obtenta, ac de ipsorum habitatione Turolii scribens, testatur, quod* eorum reliquiæ, demptis capitibus, ad eum locum, quem hic inhabitarunt, relatæ sint : quo tempore a Turoliensibus curatum, ut humile tugurium in commodum exurgeret monasterium triginta dumtaxat passibus ab ipsa civitate, cujus ecclesiam illustrissimus dominus Garzias Cæsaraugustanus consecravit. Multis ibi splenduerunt Viri sancti prodigiis, quorum reliquias post unam aut alteram translationem, ait Antonius Beuter *(quem vide in Historia Valentina* I *parte, lib.* 2, *cap.* 22*)* collocatas nunc honorifice in altari majori ecclesiæ matricis. *Ex his satis superque constat, eorum martyrii palæstram fuisse apud Valentinos.* E

dubitatum fuit,

9 *Waddingus ad annum* 1239 *num.* 16 *occasione conventus Valentini dubium proponit, an hic sint passi* BB. Joannes *et* Petrus, *quos ibidem Turolienses vocat. En tibi verba ejus :* Dubitasse, *ait*, quosdam, an hic martyrium subierint sancti patres Petrus et Joannes martyres Turolenses, an vero in foro olim de Ficu, nunc a sancta Thecla cognominato... Sed frequentia insignia Turolii in primo claustro, ea ex parte, quæ ad capitularem aulam tenditur. in memoriam hujus martyrii posita fuisse refertur in historia quadam Ms. illius provinciæ, et propter passionem suorum consodalium potius eo in loco, quam alibi suum struxisset domicilium Minores suspicari licet; atque præ foribus monasterii, incisis sequentibus impolitis carminibus, hic ipse perpessi martyrii locus designatur :

„ Quæ fueras olim Maurorum principis aula,
„ Dum hæc urbs illius sub ditione fuit.
„ Jam remanes fœlix; fratrum madefacta duo-
„ rum
„ Pro Christo fuso sanguine, sacra domus.
„ Postea Franciscus, rueret ne culmine tem- F
„ plum
„ Codinati, inquit, labitur ecce domus.
„ Surrexit tremefactus eques, pia numine tem-
„ pla
Francisco reparat sumptibus ille suis.
„ Nunc tandem cælo, divisque faventibus,
„ hujus
„ Conditur excelsæ porticus ampla domus „.

an ibidem passi Martyres :

10 Quod de Codinate, *sicut pergit Waddingus num.* 17, sive Codinatio in carminibus insinuatur, illud est, quod, minante monasterii ecclesia ruinam, beatus pater Franciscus apparuerit nobili cuidam Valentino Berengario Codinatio, Petri IV Aragoniæ regis magistro rationum in mendici forma, inter connumerandam regiam pecuniam, semel atque iterum eleemosynam pro Christi amore petens. Cui ille pauperem eum existimans *nihil dedit.* Cumque tertio eadem referens pauperum Patriarcha ad eum reversus esset, objurgationem pro eleemosyna retulit, parumque abfuit, quin vi loco ejiceretur. Sed ut primum brachia in modum crucis extendit, sacraque stigmata splendore perfusa illi conspicienda obtulit,

A obtulit, præfatus Berengarius ad ejus pedes provolutus . . veniam exoravit. Cui seraphicus Pater, Vade, inquit, repara domum meam, quæ labitur : statimque ab ejus oculis evanuit. *Paruit Sancto Berengarius, templumque* ex propriis facultatibus reficiendum reparandumque curavit, atque moriens anno Domini MCCLXXV in ejus meditullio sepeliri voluit. *Sed de his videri poterit ad diem S. Francisci* IV *Octobris, quæ hic retulimus occasione conventus Turoliensis. Mirum vero mihi videtur dubitari potuisse, an ibi martyrium subiissent duo nostri Pugiles, cum et ex S. Antonino et aliunde satis constet illud contigisse Valentiæ sub ejusdem rege Azoto, qui Martyres ibidem capite plecti jussit ; sed postea facti pœnitens ad Christi fidem conversus est, ut jam narrabimus post miracula.*

miracula. 11 *F. Petrus Rodulphus Tossinianensis in Historia Seraphicæ Religionis lib.* I, *fol.* 118, Nec illud, *inquit*, inter minima censeri debet, quod semel in civitate Tervel tanta locustarum copia visa est; ut quasi nubes caliginosa totum circumstantis aëris oppleret; ad cujus intuitum perter-
B riti cives, BB. Martyrum opem imploraverunt, eorumque meritis et intercessione statim illæ evanuerunt. *Indicat hoc loco Rodulphus unum determinate e pluribus miraculum. Vellem, ut vel ex ipso, vel ex aliis discere mihi licuisset reliqua. Nec vero infimo reponendum est loco, quod e S. Antonino liceat colligere, vel statim post martyrium, vel non diu post illud prodigiis inclaruisse. Sic enim scribit de rege Azoto, sub quo martyrium passi sunt :* Eos decollari mandavit : qui sepulturæ traditi cœperunt miraculis coruscare.

§ II. Rex, qui jusserat occidi Beatos, ad Christum conversus, ac de FF. Minoribus bene meritus cum filio suo ; varii, qui de hisce Martyribus meminerunt, scriptores ; nostræ in nonnullos observationes.

C

Capta a Jacobo Aragoniæ rege *Delapsis Maurorum rebus per Jacobi Aragoniæ regis et Christianorum arma, tractat S. Antoninus, additque hac occasione eumdem Azolum amplexum esse orthodoxam fidem, invectamque ab illo fuisse in Valentiæ regnum, palatio suo regio Valentino in conventum FF. Minorum commutato. Rectius Mariana in Historiis de Rebus Hispaniæ lib.* 12, *cap.* 19 *ad annum* 1238 *prolixe agens de Valentia capta, et de gestis, quæ eo spectant. Brevior, et ad rem nostram magis accommodatus et sufficiens est Waddingus, e quo referam ea, quæ ex Mariana citato aliisque scribit. Ad annum itaque jam dictum* 1238, *num.* 5 *hæc memoriæ prodidit :* Non impar zelus alterius regis in Hispania Jacobi Aragonii, qui obsidione, et frequenti eruptione, Zaënum regem Maurum Valentiæ, in eas redegit angustias, ut se dederit ex pacto, et iis legibus, ut urbem Valentiam, arces, et oppida citra Sucronem, omnia Aragonio Mauri traderent, cives Culleram atque Dianium, Aragonia fide, tuti abire permitterentur : illis fas esset, nemine excutiente sarcinas, aurum, gemmas, vestem pretiosam, ac omnino quidquid efferre possent, asportare : inter reges induciæ in octo annos essent, eæque optima fide servarentur. AUCTORE J. P.

13 Admissis stabilitisque his conditionibus, re- *Valentina urbe,* bus perficiendis dedendaque urbe quinque dies designati. Antequam id tempus elaberetur, Mauri, agmine facto, urbe egressi numero quinquaginta millia promiscui sexus et ætatis, regio exercitu in armis circumfuso præsidii causa, ex abeuntibus nullus impune violatus, cum dedititios tueri ad suam dignitatem fidemque rex pertinere judicaret. Pridie ejus diei, qui mense Septembris Michaëlis Archangeli memoria sacer est, hoc ipso anno civitas obtenta (ut aperte satis ex probatis tabulis, et marmoreis epitaphiis demonstrat Franciscus Diagus lib. 7 Annalium Valen. cap. 26) lustrata urbs Christiano ritu, expiata templa, Ferrerius des ancto Martino episcopus datus, non ex Ordine Prædicatorum, ut scribit Joannes Mariana, et ex eo Bzovius; sed ex præposito ecclesiæ Tarraconensis, sicut idem probat Diagus (citatus, et cap. 34) ejusdem instituti doctus historicus, quibus ministeriis duo astiterunt regi E Patres Minoritæ.

14 Rex autem Maurus Zeitus Abuzeitus, quem *rex Maurus, qui Martyres occidijusserat, fit Christianus,* solio pepulit, et injuria regno spoliavit Zaënus Diani dynasta, jam ab anno MCCXXXV vel sequenti Christianus factus (uti facturum ei sub morte vaticinati sunt duo illi Franciscani Martyres, quos supra occidisse diximus, quorum unum Joannem Perusinum, alterum ex nobili oppido Saxi-ferrati, Bartoli celebris jurisconsulti nativitate famoso, ortum, vetusta quædam fragmenta Chronicorum Mss. nobis indicarunt :) et in baptismo Vincentii Belvisii nomine indito, arcano tamen, ne res prodita invidiam apud suam gentem odio religionis conflaret : nam regni recuperandi spem nondum abjecerat, amplis redditibus, nobilique palatio donatus a Jacobo Aragonio in ipsa civitate Valentina, Minores summe dilexit, quibus ædes suas cœnobio ædificando, tertio post mense, præscripsit, uti anno sequenti dicetur.

15 *Ad annum itaque* 1239 *designatum num.* 16 *ac de FF. Minoribus bene merctur,* *sic loquitur laudatus Annalium scriptor :* In ipso hujus anni limine III Nonas Januarii, tertio F ab urbe capta mense, dedit Valentiæ rex Jacobus extra portam Boatellanam, meridiem inter et occasum, prope viam, quæ ducebat Ruzafam, situm et fundum ædificando Minoribus domicilio, præsentibus infante Ferdinando, domino Petro Ferdinandez de Azagra, domino Artalo de Luna, D. Ximeno de Urrea, et D. Assalido de Gudal, quorum nomina exprimuntur in donationis diplomate. In hujus Valentini conventus situ præextitisse hortos regios et voluptatis domum regis Mauri Azeiti Abuzeiti, eaque hunc obtulisse, habito consensu regis Jacobi, Fratribus Minoribus in remissionem peccaminum, et satisfactionem occisorum eorumdem consodalium, omnia vetusta nostra Ms. monumenta, et ceteri scriptores commemorant cum Gonzaga; sed horum non fuit mentio in donationis instrumento, idque ex una fortassis e duabus causis; vel quia rex Jacobus tamquam urbis dominus, ad quem spectabat fundi dominium, in eo ædificandi dumtaxat dedit licentiam; Azeitus autem quod suum erat ex donatione Jacobi palatium, et hortos fratribus dedit, concedente unoquoque quod ad se pertinebat : vel quia anno præterito sub bello-rum

AUCTORE J. P.

rum strage quidquid erat spectabile aut diplomate dignum, destructum erat; quippe inter portam Xareanam et Boatellanam supra dictam Jacobi locabantur castra, quia commodior ille locus, quod murus ea parte prominens in anguli formam Christianis oppugnandi commoditatem præbebat. Ut ut sit, loci possessionem acceperunt duo Minoritæ, qui regi Jacobo bello et pace aderant, qui brevi utriusque regis beneficentia cœnobium ædificarunt, quod nunc amplificata civitate valloque dilatato, muris urbis circumscribitur, adauctumque est cura et sollicitudine senatus Valentini.

cujus exemplum postea sequitur filius ejus.

16 *Ferdinandus Perez, memorati Azeiti regis filius, relictis sibi a parente piæ munificentiæ erga prædictum conventum vestigiis inhærens, eumdem ædificatum, ut diximus, novi ædificii accessione amplicavit, teste Waddingo ad annum* 1239, *num.* 18: Dormitorium, *inquit*, amplum extructum est ex testamento domini Ferdinandi Perez, prædicti regis Azeiti filio *, condito anno MCCLXII, assignatis testamentariis Fratre Albalate episcopo Valentino, Gondisalvo Perez archidiacono, Ximerio de Toria, et D. Petro Sanchez de Calataiud; quod ad annum MDCXVI vetustum nimis demolitum est, erecto alio longe ampliori, ex venditis auctoritate Pauli V bonis quibusdam ipsius conventus, dum esset patrum Conventualium; a quibus transiit ad Observantes anno MD; sed post sexennium iterum rediit ad patres Conventuales. Deinde anno MDLXVII ex Pii V mandato redditus est Observantibus. Ad primi claustri lævam, ecclesiam petentibus præmemorati regis Azeiti, qui pie aliquot annis post baptismum vixit, et Christiane mortuus est, occurrit mausoleum affabre elaboratum, et sacellum parvum eo ipso in loco, in quo præfatos Minoritas ab eodem rege trucidatos fert traditio vulgaris. *Hæc Waddingus. Sed nonnullæ postea exsurgent difficultates de rebus, quæ superius ex illo sunt relatæ a num.* 12; *quas deinde expendere conabimur occasione Joannis Roblesii, qui de Beatis tractavit. Consule itaque dicenda num.* 21 *et* 22.

* *l.* filii

B

Enumerantur scriptores,

17 *Scriptores plurimos, qui de hisce Martyribus meminerunt, referre, supervacaneum non fuerit. Eorum agmen ducat S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, qui secundo post beatam* C *eorum mortem seculo claruit, et apud nos illustratus est ad diem* 2 *Maii a pag.* 311. *Scripsit eorum martyrium parte* 3 *Chronicorum, titulo* 24, *capitulo* 7, § 14. *Rodulphus Tossinianensis lib.* I *Historiarum Seraphicæ Religionis fol.* 118 *quam instituit de hisce Athletis narrationem, sic inchoat:* B. Joannes dictus de Valentia *etc. Item lib.* 2, *fol.* 177 *de martyrio eorum meminit*, an. MCCXXXI *coronatorum. Nec indictos illos reliquit Franciscus Gonzaga Ordinis FF. Minorum minister Generalis, in Opere suo de Origine Seraphicæ Religionis parte* 3 *in prooemio provinciæ Aragoniæ, ubi pag.* 700 *postquam meminisset de illorum martyrio ac sepultura in conventu Turoliensi prædictæ provinciæ, illos* tamquam ejus patronos non abs re, sed legitimis causis innixus, præponere, *ait*, volui, *exhibens amborum imaginem in eadem lamina æri incisa. Eam et nos, tametsi nihil contineat, cur hoc loco apponi debeat, ad ornatum tamen præsentis argumenti apponere voluimus, sicut illam ex isto prototypo, omissis lateralibus ornamentis, hic expressit chalcographus noster. Supra imaginem, quam Gonzaga repræsentat, ponitur* provincia Aragoniæ; *infra vero* F. Joannes (*lege* Joannes) F. Petrus, *adjecta* M *littera,* D *quæ martyrium indicat.*



qui

18 *Laudatus Gonzaga parte eadem* 3; *a pag.* 1081 *in provincia Valentiæ agit de conventu Valentino, nec non de Beatorum nostrorum martyrio, ejusque loco, quem rex Mahumetanus* Zeite Buzeite, *uti eum vocat, ad fidem conversus FF. Minoribus ad conventum ædificandum contulit. Ibidem etiam meminit de mausoleo ipsius,* qui et post regenerationem Vincentius Belvisius appellari voluit, sancteque vixit atque sanctissime mortuus est. *Sed, quæ de vita ac morte ejus asserit Gonzaga, an satis conveniunt cum dicendis inferius ex Zurita? Plura etiam Gonzaga addit de dicto conventu, e quibus confirmantur ea, quæ superius de hoc loco præmissa sunt:* in cujus, *inquit*, sacrario quoddam os alterius eorum Patrum, qui sub Azoto, vulgo Zeite Buzeite, Valentiæ rege pro Christi fide passi sunt.., quam diligentissime asservatur custoditurque. *Nec illorum est immemor Bartholomæus Pisanus lib.* I *Conformitatum fructu* 8, *parte* 2, *ubi de FF. Minoribus sanctitate illustribus in Aragonia tractans, fol.* 93 *verso pauca memorat de martyrio eorum Valentiæ obito.* F

de Beatis

19 *Longior est illustrissimus episcopus Marcus Ulyssiponensis parte* I *Chronicorum Ordinis FF. Minorum, lib.* 4, *cap.* 36 *et sequentibus martyrium, et miraculum apud Turolienses memorans, de quo supra actum est. Brevissimus est Frater Petrus de Salazar in Chronico et Historia fundationis ac progressus provinciæ Castellanæ, Ordinis S. Francisci, lib.* 2, *cap.* 12, *in quo scribens de innumeris martyribus ejusdem Ordinis, fratrem* Joannem *ac fratrem* Petrum *Valentiæ interemptos refert. Recentiores ex eodem Ordine scriptores Fremautum et Hueberum prætereo: quorum hic in suo Menologio Franciscano ad diem* XXIX *Augusti ex aliis eos laudat; ille vero in sua generali Legenda Franciscana ad eumdem diem*

A *diem ex Waddingo et Jacobillo narrationem suam contexuit.*

meminerunt. 20 *Supersunt autem alii, qui extra illum Ordinem de hisce Martyribus tractarunt. Marieta in Historia ecclesiastica Sanctorum Hispaniæ lib. 3, cap. 24 et sequentibus res ad eosdem spectantes commemorat. Beuter in Chronico Hispaniæ ac præsertim regni Valentini parte* 1, *lib.* 1, *cap. 36 gesta illorum narrat, S. Antoninum archiepiscopum Florentinum citans. Idem Chronologus parte* 2, *in qua potissimum tractat de Aragonia, Catalonia et Volentia, lib. 2, cap. 22 inter alia, quæ ibidem de illis habet, translationes eorum indicat; de quibus supra actum in hoc Commentario. Deinde cap. 24 perhibet, quo pacto ecclesiam Segorbiensem perduxerit ad meliorem statum rex* Azeytabuceyt, *ut se nominat*, vel, ut melius dicatur, *ait*, Vincentius, *assignatis eidem ecclesiæ ab ipso territoriis: cujus ibidem profertur diploma.*

De horum uno 21 *Joannes de Robles in Historia crucis Caravacanæ lib.* 1, *cap. 5, res eorum gestas memorat ex Beutero et S. Antonino, in errores lapsus ex Fratre Joanne Ægidio de Zamora. Profert itaque*
B *que ex illo hanc temporis notationem:* Anno MCCXXI passi sunt prima die Novembris Joannes et Petrus Franciscani Valentiæ. *De fictitio hoc scriptore Fr. Ægidio consuli potest Papebrochius in vulgatis suis Responsionibus parte 2, § 30. Idem Fr. Ægidius personatus in fabulosas ac neutiquam cohærentes cum cruce Caravacana circumstantias etiam induxit Roblesium cap. 7, in quo agit de ejusdem crucis apparitione, et conversione regis Valentiæ Zeyt Abuzeyt, sicut in citatis modo Responsionibus licet videre, ubi etiam merito Papebrochius conqueritur, quod* ex *tam* lutulento fonte deprompta sint ea, quibus sanctæ crucis Caravacanæ historiam hoc, *quo scribebat*, seculo obscurari cœptam *affirmat, aliam deinde ejusdem historiam ex instrumento publico subtexens. Inter alia vero, quæ in eadem narrantur, sunt sequentia de sacerdote Missam celebraturo, ac de rege Abuzeyto:* Animo consternatus, conversusque ad regem, dixit: Deficit una ex rebus maxime necessariis ad Missam dicendam. Quærenti vero, Quæ? Respondit, Crux, domine. Tum rex aspiciens versus altare,
C visa ibi sancta ac vera cruce, dixit: Estne ista, quæ stat supra altare? Accepitque illam clericus cum magna devotione, et cœpit Missam dicere. Quando elevabat Hostiam, animadvertit rex inter manus clerici puerum candidum et formosum: ille autem Missam absolvit. Eadem hora cognovit rex Zeyt Abuzeyt, quod lex Christianorum erat res sancta., factusque est Christianus ipse, et subditi ejus quotquot voluerunt.

pluribus agitur. 22 *Similis in sacra Hostia apparitio contigisse sub S. Ludovico Francorum rege, qui Abuzeyto fuit synchronus, narratur apud nos tomo* v *mensis Augusti pag. 456; sed an sub hoc, an sub alio facta sit, non est ibidem decisum. Quod spectat ad apparitionem superiorem Abuzeyti, vellemus, ut veritas ejus ex aliis fide dignis historicis magis elucesceret, quam nos interim lectorum judicio permittimus. Alias super eodem rege difficultates notabimus post Martyrium. Restant e multis scriptoribus, quorum dedimus catalogum, Diagus, supra memoratus, et recursurus in Annotatis, et dictus Jacobillus in Vitis Sanctorum ac Beatorum Umbriæ tomo 2 a pag. 193, ubi, allegatis multis auctoribus, hodiernorum Beatorum historiam contexuit. His subjungo eorum Acta.* Auctores J. P.

MARTYRIUM

Ex S. Antonino archiepiscopo Florentino.

Duos quoque Fratres beatissimus pater Franciscus ad regnum Aragoniæ destinavit *a*, fratrem scilicet Joannem sacerdotem, et fratrem Petrum conversum *b*. Ii cum Turolium *c* devenissent, conventum ibi capientes, prædicationibus et orationibus suæ odorem sanctitatis diffuderunt. Tempore illo, scilicet anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, vel circa, Valentia civitas erat Saracenis populata, et infidelium Maurorum ditioni subjecta, in qua regnabat quidam, Azotus *d* nomine, Christianorum maximus persecutor. Prædicti igitur Fratres zelo fidei succensi, et martyrii desiderio inflammati, ad prædicandum verbum E Dei Valentiam *e* sunt ingressi; et ibi de falsitate legis Machumeti Saracenis ferventer prædicavere. Quod audiens rex Azotus comprehendi eos jussit, et carceri mancipari; et cum promissionibus plurimis invitasset eos ad legem suam observandam, et Christi fidem abnegandam, illi autem hoc detestarentur, in publica platea *f* eos decollari mandavit: qui sepulturæ traditi cœperunt miraculis coruscare *g*.

Beati annuntiantes fidem Valentiæ, capite plectuntur a b c d e f g

2 Rex autem Aragoniæ Christianissimus, Jacobus *h* nomine, cum dicto rege Valentiæ eo tempore bellum gerebat; et ex quo rex Valentiæ Azotus illos martyrio consummavit, in dies cœpit inferior existere, et ab eo superari in bellis. Cum ergo videret se Azotus quotidie a Christianis expugnari, a gratia divina, et Dei virtute sola arbitratus hoc fieri, cum rege Aragonum tractare cœpit de sua conversione ad fidem, offerens, se ei civitatem traditurum, et regnum, dummodo sibi vitam et victum concedere dignaretur decentem. Quibus omnibus rex Aragonum annuens, et gaudens de sui conversione*, confœderatus est cum eo.

rex, qui eos interimi jusserat, ad Christianam religionem conversus h

* ista conversio hic narratur confuse.

F 3 Anno igitur Domini millesimo ducentesimo trigesimo octavo *i* in vigilia sancti Michaelis ingreditur rex Aragoniæ civitatem Valentiæ, ejus dominium capiens, et omnes Saraceni, qui baptizari noluerunt, fugerunt, vel occisi sunt. Rex prior Azotus, juxta promissum, baptisma suscepit, qui libere regi tradidit totum regnum suum, scilicet Valentiæ. Converso autem ad fidem Azoto, rex Aragoniæ concessit ei palatium regium intra civitatem, et quemdam comitatum, et successoribus suis: et cultu Machometico de illa civitate Valentiæ evacuato, introductus est ritus et fides Christianorum.

baptizatur: cultus Mahometicus Valentiæ abolitus: i

4 Vocavit autem Azotus Fratres Minores dicens eis: « Ego sum, qui occidi Fratres socios « vestros de Turolio ex infidelitate mea, de quo « doleo ex toto corde meo; et pro aliquali satisfactione vellem, quod palatium meum re« gale pro vestro monasterio construendo habe« retis: et illud debetis libenter accipere, quia « ibi multus sanguis martyrum effusus est per « me, et alios priores dominos infideles, ut sit « quasi totum sanguine martyrum consecratum; « et

de FF. Minoribus bene meritus idem rex.

Ex S. Antonino archiep. Florent. k

" et beatus Vincentius *k* martyr, quem tota Christianitas tanta veneratione festivat, pro fide " martyrio ibi coronatus est. Quamobrem sitis " solliciti, dictum palatium a rege Aragonum postulare ; et credo, quod vestrum desiderium, et " meum adimplebit. " Quod cum fecissent, et rex Aragonum Jacobus Azotum, cui illud concesserat, hoc exoptare cognovisset, gaudiose concessit : sicque ibi est conventus Ordinis Minorum *l*. l

ANNOTATA.

a *Qua occasione, unde, et quando illuc missi fuerint, narratur in Commentario prævio num.* 3 *et* 4.

b Ignoti *illos* cognominius *vocat Waddingus ibidem num.* 4 ; Joannem Perusinum ; alterum *vero* ex nobili Saxi-Ferrati *num.* 14. *Hoc situm est in Marchia Anconitana ac in ditione ecclesiastica Pontificis juxta Sentinum amnem :* Perusia *autem Umbriæ et agri Perusini caput, et urbs episcopalis, ad eamdem ditionem spectat, et satis* B *cognita est.*

c *Al.* Terulum, *vulgo* Tervel, *urbs in Aragonia episcopalis sub archiepiscopo Cæsaraugustano, leucis decem, secundum dimensionem Baudrandi, distans a Valentina urbe. Nomen ei inditum a fluvio* Turia, *cui adjacet, ut alibi lego.*

d *Sic vocatur hic, et a nobis in Commentario prævio : ubi tamen aliter etiam appellatur.*

e *De Valentiæ situ egi in principio Comment.*

f *Vide eumdem Comment. num.* 6.

g *Unum ex miraculis habes ibidem num.* II.

h *Fuit tunc temporis rex Aragoniæ Jacobus I Petri II filius, cognomento* expugnator, (*vulgo* el conquistador *apud Zuritam*) *sicut Hieronymus Blancas eum vocat in Rerum Aragonensium commentariis pag.* 651, *ubi de illo plura. De rebus ab eo gestis fuse tractat dictus Zurita in Annalibus Aragoniæ tomo* I, *lib.* 2 *et* 3 : *de quo insuper consuli potest Mariana de Rebus Hispaniæ lib.* 12, *cap.* 19. *Ad majorem vero confirmationem eorum, quæ in Comment. de conversione regis Valentiæ Abuzeyti, ac de nomine* Vincentii, *quod in baptismo datum ipsi fuit, præ-* C *missa sunt, juvat nonnulla referre e mox memoratis Aragoniæ Annalibus lib.* 3, *cap.* 25 *ad annum* 1236 : Jam conversus erat isto tempore Zeytus Abuzeytus ad nostram fidem, ac sanctum baptismum susceperat, et postquam erat factus Christianus, vocatus fuit Vincentius, atque ob causam belli Maurorum multo tempore latuit, ut per suam operam melius redigi possent ad obedientiam ac voluntatem regis *(Jacobi.)* Verum quia Christianorum moribus se non conformabat, videbaturque in vitæ suæ consuetudine sequi sectam suam, modo admodum profano et libidinoso victitans ; deinde, meliora ei enixe persuadente D. Sanctio de Ahones episcopo *(Cæsaraugustano)* puellam Cæsaraugustanam, cui nomen D. Dominica Lopes, matrimonio sibi copulavit *etc. -Similia in rem nostram scribit Mariana lib.* 12, *cap.* 9 *ad annum* 1236. *Eodem anno notatur privilegium Segorbiensi ecclesiæ a dicto* Vincentio *datum. Vide Comment. præv. num.* 20. *Erat itaque tunc temporis Christianus. Franciscus Diago Annalium regni Valentiæ tomo* I, *lib.* 7, *cap.* 56 *admittit quidem sacro eum baptismo initiatum fuisse anno circiter* 1236 ; *deinde tamen profert litteras Apostolicas Urbani* E *PP. IV*, charissimo in Christo filio Vincentio, illustri regi quondam Valentiæ *inscriptas, et in fine earum hæc sunt :* Dat. apud Urbem veterem quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio, *qui concurrebat cum anno Christi* 1263. *In istis autem litteris Urbanus scribit ista :* Litteras, quas nuper tua devotio nobis misit, libenter inspeximus.., et de tua, et filii, ac duorum nepotum tuorum conversione felici, quam ibidem scriptam invenimus, nos et Fratres nostri plenam lætitiam habuimus *etc. Papebrochius tamen ad* 30 *Maii pag.* 395 *Zeytum scribit vocatum in baptismo* Ferdinandum, *ac filium ejus primogenitum habuisse nomen* Vincentii ; *ad hunc, non ad illum spectare litteras Urbani IV. Verum ex iis, quæ ibidem refert, nondum video necessario ab aliorum sententia recedendum esse. Adjuncta conversionis dicti regis confuse narrat S. Antoninus : rectius Comment. prævius* § 2.

i *Consule Commentarium prævium ibid.*

k *Hunc Martyrem dedimus ad diem* 22 *Januarii a pag.* 393.

l *Plura de hoc conventu Commentarius* § 2. F

AD DIEM XXX AUGUSTI

Nov. 14

DE S. FERMERIO CONFESSORE

J. P.

In provincia Engolismensi ac insula Bovinensi in Gallia.

Publicus hujus Sancti cultus :

I*nter Prætermissos ad dictum diem pag.* 543 *memoratus est hic sanctus Confessor, et provinciæ Engolismensi adscriptus e Castellano Sed quia plusculæ de illo notitiæ postea inventæ sunt, memoriam ejus hic renovamus. Simon de Peyronet in Catalogo Sanctorum ac Sanctarum hæc de illo collegit :* Fraione, Fermerius, cujus natalis claret XXX Augusti, ejusque tutelæ prioratus dicatus est Ord. S. Bened., quin et parochialis ecclesia in Engolismensi tractu, diœcesis Pictaviensis, ubi colitur die, qua supra, ut ex monumentis ecclesiæ Pictaviensis refert Saussayus ad calcem Martyrologii Gallicani tom. 2, pag. 1251 : qua die quoque ejus consignatur natalis in Martyrologio S. Sabini de Levitania apud eumdem Saussayum, *sicut addit Peyronetus, locum ejus non indicans, cum tamen pag.* 1251 *modo citata non magis inveniam illa ultima, quam id, quod subdit idem Peyronetus :* Is Claudio Roberto Framerius Latine effertur, vernacule S. Fragne. *Joannes Besly in Episcopis Pictavensibus pag.* 228 *scribens de ecclesiis istius diœceseos, quæ sunt in tractu Bovinensi, meminit ædis sacræ* S. Firmii vel Fermerii, *vulgo* S. Fraigne : *unde colligo, hanc ecclesiam Deo dicatam fuisse sub ipsius nomine. Est autem* Bovinum, l'Isle Boüin,

A Boüin, insula Galliæ in ora Oceani, Pictaviensis provinciæ ex parte, et Britanniæ, et prope Herum insulam. Parvi est circuitus, cum uno aut altero castro, *ex Baudrando. Sequitur autem e tractibus Engolismensi ac Bovinensi omnino inter se diversis, ut in utroque loco* S. Fermerius *publica veneratione honoratus et ecclesia donatus fuerit. Non satis assequor, quidnam sibi velit hæc annuntiatio apud Saussayum die* xxx *Augusti pag.* 1249 : Eodem die passio sancti Fermerii martyris. *Etenim si hic synonymus martyr ab hodierno sit diversus Confessore, hujusque nomen cum titulo martyris isti synonymo non sit applicatum, non scio quo martyr iste referri debeat, qui videlicet sine loco palæstræ signatur.* AUCTORE J. P.

AD DIEM XXXI AUGUSTI

DE S. AMATO EPISCOPO NUSCANO

Nov. 18.

PRÆMONITIO

Ad alteram S. Amati Vitam.

J. S.

B *Vita altera S. Amati serius ad nos allata,*

Postquam jam ab aliquot hebdomadis impressa erant Acta S. Amati, tandem ad me delata est Vita scripta per Franciscum de Ponte, seu potius Officium, cujus lectiones amplum continent Sancti elogium. Ut Opusculum illud impetrarem, litteras dederam ad clarissimum D. Dominicum de Georgio doctorem Neapolitanum frequenter in Opere nostro laudatum, qui et spem fecerat illud obtinendi, et curam adhibuit maximam, donec tandem post quinque aut sex mensium laborem obtinuerit apographum, illudque per cursores ordinarios transmiserit, ut citius ad nos perveniret. Ante apographum hæc Italice notata reperio :* Exemplum Vitæ S. Amati, ex Ms. antiquo membraneo characteris Longobardici, quod conservatur in civitate Nuscana, exscriptum jussu illustrissimi et reverendissimi domini, D. Caëtani d'Arco Neapolitani, hodierni dictæ civitatis episcopi, currente mense Aprili, anno MDCCXLIII.

C *de qua jam actum est in Commentario et breviter quædam dicuntur,*

2 *Porro laudatum apographum continet Officium et Missam de* S. Amato *pro festivitate præcipua, illiusque Octava, in qua solæ mutantur lectiones. Eadem quoque dicuntur in festo translationis, exceptis lectionibus et orationibus, quæ dicuntur de translatione. Quæ in Commentario de hac Vita dixi ex iis, quæ apud Nojam et Sandullum legeram, minime mutanda video, nec plus auctoritatis Francisci de Ponte Opusculo tribuendum censeo, quam illi jam nunc attribui. Elogium enim magis composuit scriptor ille, quam historicam de gestis Sancti relationem. Oratorium ubique stylum affectat in lectionibus, et revera rhetorum more multa videtur exaggerare dicendo. Officii partes aliæ, nimirum hymni, antiphonæ, responsoria, aliaque similia, eædem sunt cum illis Officii partibus, quas edidit Renda, exceptis illis, quibus vita Sancti monastica asseritur in Officio Montis Virginis per Rendam edito, aliisque pauculis nullius momenti. Hinc certum est, alterutrum Officium ex altero fuisse compositum, ita ut illa, quibus monachus fuisse dicitur, expuncta sint ex Officio Nuscano, vel adjecta in Officio Montis-Virginis.*

præsertim de hymnis aliisque,

3 *Primum mihi videri probabilius, jam monui in Commentario num.* 4, *ob rationes ibi allatas, quibus aliam hic adjungo. In hymno Vesperarum sic legitur in Officio Montis Virginis :*

E *quæ adoptata videntur ex Officio Montis Virginis,*

Amatus fide claruit.
Carens parentum nebula ;
Deo servire studuit
Sub Regula monastica.

Solus ultimus versiculus aliter habetur in Officio Nuscano, ubi sic legitur :

Deo servire studuit
Sub caritatis regula.

Verisimile ex regula monastica charitatis regulam in versiculum levi mutatione inductam, cum prior loquendi modus communis sit, non ita secundus. Huic etiam conjecturæ favent sequentes mox in eodem hymno versiculi :

Carnem afflixit jugiter
Cum labore multiplici, *etc.*

Hæc enim carnis afflictio monacho convenit, ideoque post relatam vitam monasticam statim videtur subjuncta. Præterea de vita Sancti austera in lectionibus non agit Franciscus de Ponte, multaque alia ibi prætermittuntur, quæ laudantur in hymnis et antiphonis. Vehementer igitur suspicor, hymnos aliasque partes Officii antiqui Montis Virginis a Nuscanis adoptatas fuisse, omissis tantum iis, quibus monachatus S. Amati *clare asserebatur. Hisce præmonitis, lectiones Francisci de Ponte subnecto.* F



VITA

A

VITA ALTERA

Seu lectiones Officii Nuscani

Auctore Francisco de Ponte

ex Ms. Nuscano.

CAPUT I.

Pueritia, adolescentia, studiaque et gesta Sancti usque ad episcopatum.

B

Mirabilis in Sanctis Deus, ut patet in S. Amato, cujus pia pueritia, a

LECTIO I. Mirabilis *a* Deus in Sanctis suis, mirabilis atque laudabilis, qui in mandatorum suorum semita ita Sanctorum suorum deducit vestigia, ne pulvere mundiali sordescant, et inter seculi tempestates fluctivagas, prout lucernæ ardentes, et candelabra in conspectu æternæ Majestatis die noctuque lucentia, coruscatione virtutum multimoda et diversis miraudorum radiis præsentem illuminent Ecclesiam, et cælibatu continuo, operisque mellita dulcedine, doctrinaque salubri ad vitæ pascua gregem conducant Dominicum. Ad hoc itaque natus, ad hoc a Deo destinatus almus Dei confessor et protopontifex Nuscensium natus, ab ipsis primæ diebus ætatis, simplicitatis et sanctimoniæ castitatisque iter ingressus est.

adolescentiæ præclara studia,

2 LECT. II. Litteralibus siquidem et ecclesiasticis inhærens disciplinis, in lectione et oratione crebrescendo, diatim Deo et hominibus magis acceptus magisque fiebat amabilis. Et quæ aut magistrali eruditione, aut perspicacitate ingenii coguoverat, cellulæ memoriali pectorisque armario C lo commendabat. Factumque est, dum in Lege Dei die ac nocte meditaretur, inter cetera Scripturæ divinæ mandata menti ipsius illud Davidicum stilo divino inscriptum esse revolvebat : Dispersit, dedit pauperibus. Illud attendens præcipue, illud assiduo interni luminis contemplans intuitu, jam tunc a puerilibus informabatur elementis ad futuræ provectum bonitatis.

misericordia in pauperes, fama sanctitatis,

3 LECT. III. Pullulabat in eo radix caritatis melliflua, qua in pauperum compassione totus misericordiæ affluebat visceribus. Pueritia vero sancte et Deo digne decursa, adolescentiæ suæ viam firmius perseverantiusque ad summum convertit Auctorem. Assiduis namque insistens vigiliis, totus in Dei cultu, totus in Dei fervebat obsequio. Sicut rosa in vepribus, sic Vir Dei in populo, vita probabili, vita fulgebat theorica. Collimitaneas quoque civitates et oppida tantæ sanctitatis odor ascendit nectareus : nimirum in conspectu principum mirificavit Dominus Sanctum suum; adeo ut in magna veneratione nomen ejus, ubicumque auditum fuisset, omnibus haberetur.

incrementum virtutum, archipresbyteratus officium,

4 LECT. IV. Sicque Deo annuente contingebat, ut secundum corporis incrementum incremento prudentiæ virtutumque omnium de die in diem proficeret. Evangelicæque lectionis auditor non vacuus, manu missa ad aratrum, retro semper præcavebat aspiscere; sed in anteriora oculos mentis et corporis in Dei agricultura dirigebat : nec usquam aborbitans, recto ad Deum festinabat itinere. Postquam autem ad sacerdotii gradum promotus est, immensa ejus excrevit religio; et ipse tamquam lignum, quod secus decursus aquarum plantatum est, florem innocentiæ, quem in tenera ætate protulerat, in fructum bonæ operationis sub tempore maturitatis produxit. Populi enim immenso desiderio archipresbyter effectus, artem artium suscepit, id est, curam et regimen animarum. D

charitas erga omnes, cura animarum,

5 LECT. V. Unde accidit, ut Nuscensis civitas tanto feliciter gubernata Opifice, præceptis obtemperando Dominicis tramitem æquitatis incederet. Nobiles in nobilibus, divites in opibus, nullamque molientes injuriam, potius eos * fraterno venerabatur affectu, et de suis facultatibus eorum sublevabat inopiam. Si quis diabolica suggestione abiisset in invium, ipsum benignus Dei Famulus dulci et velut angelico mulcebat alloquio; sicque ovem, quæ perierat, erraticam ad gregis Dominici pius Pastor reducebat collegium. Et cum ad bona singula tota mentis intentione anhelaret, ad hoc nitebatur præcipue, quomodo animas Deo lucrifaceret, quomodo oves commissas Pastori æterno reddere posset ad numerum. E

** lege vel adde* pauperes

studium omnibus consulendi.

6 LECT. VI. Quis ipsius patientiam, mansuetudinem, clementiam, longanimitatem, temperantiam verbis explanare sufficiat? Aderat laborantibus, oppressis in judicio succurrebat, viduis consulebat et orphanis, peregrinantibus hospitalitatis beneficium impendebat. Et, ut multa concludam brevibus, omnem possessionem suam quamdam pauperum effecerat rempublicam. Quis umquam ab ipso vacuus recessit? Alii eleemosynæ donum, alii donum consilii, alii donum conferebat officii. Nihil habebat proprium, nihil habebat, et omnia possidebat. Et, cum omnia erogasset pauperibus, divina largitio ei affluenter necessaria propinabat.

omnium erga ipsum dilectio describuntur;

7 LECT. VII. Mira illi circa angustiatos, aut qualibet depressos molestia compatiendi sedulitas, mira pietas. Proinde communis omnium et tanto F ardentius inhærebat dilectio, quanto attentius ipsum in suum cernebant vigilare subsidium. Eratque tunc temporis in ore populi sermo iste creberrimus : Benedictus Deus Israël, quia visitavit nos, illuminavit vultum suum super nos, et misertus est nostri, misit suis humilibus Angelum pacis, sani ministrum consilii, fidelibus suis misericorditer salutare contulit præsidium, patrem patriæ, rectoremque et liberatorem civitatis nostræ præcipuum superna Majestas nobis conferre dignata est. Huc usque fuimus quasi oves errantes; modo autem, Domino propitiante, conversi sumus ad Pastorem animarum nostrarum.

et desiderium promovendi eum ad episcopatum,

8 LECT. VIII. Iste est, qui in specula Ecclesiæ consistens, a longe dæmonicas prævidet et docet nos vitare insidias. Iste est, qui lupum fallacem et improbum ab ovibus arcet Dominicis. Iste est, qui supra gregem Christi indefessus nocturnas custodit vigilias. Quis umquam in territorio Nuscensi tam dignus pontificali infula inventus est? Attamen, quo alii cum magna aviditate abusive se intrudunt et ingerunt, iste multis annis exoratus recusavit introire. Alii vana ducti gloria in consiliis et in populi conventibus locum eminentiorem appetunt, iste constanter humilitatis

A humilitatis causa episcopium refugit suscipere.

quibus ipse tandem assentitur.

9 Lect. ix. Sic inter se collocuti ad invicem, iterum ad S. Amati præsentiam voce omnes consona et unanimi proclamant : Pater sancte, magnifica locum nativitatis et habitationis tuæ. Quousque Nuscum urbem tuæ protectioni deputatam esse humilem, esse patieris ingloriam ? Si tantummodo consensum voluntatemque adhibeas, archiepiscopi favor et domini terræ assensus non deerit : eritque civitas hæc per te in posterum famosa et celebris, et pontificali prædives dignitate. Ad petitionem populi tam devotam Sanctus in hunc modum respondit : Si Dei, inquit, voluntas est, non recuso laborem : fiat voluntas Dei et vestra *b*. Hoc dicto, omnes ocyus in Dei laudes vocem cum manibus extulerunt ad æthera, dicentes : Benedictus Creator et gubernator omnium, qui non derelinquit sperantes in se.

ANNOTATA.

a *Capiti primo includam lectiones novem, quæ proponuntur in ipsa Sancti festivitate recitandæ,* B *ac distinguuntur in Ms., prout hic habentur distinctæ. Porro lectorem hic præmonitum volo, orthographiam hujusce Ms., saltem prout apographum mihi transmissum est, tam misere luxatam esse, ut multa difficulter intelligerentur, si omnia imprimerentur eo modo, quo leguntur in Ms. Hac de causa utendum censui majori libertate in edenda hac Vita, quam utimur in Actis magis authenticis, nimirum scribendo voces more usitato, corrigendoque menda aperta ; quia verisimile non est, ab ipso auctore menda illa orthographica et grammatica profecta esse, et per hasce correctiones in rei substantia nihil mutabitur.*

b *De hisce egimus in Commentario pag. 712, num 59, ubi ostendi hunc eligendi modum non esse verisimilem, præsertim si primus fuerit episcopus Nuscanus, ut ex hoc scriptore colligunt aliqui.*

CAPUT II.

C *Sanctus ad episcopatum electus, eum recte administrat : virtutibus et miraculis clarus multa fundat loca sacra ac pie moritur.*

Sanctus episcopus consecratus condit ecclesiam cathedralem. a

Mittuntur *a* absque dilatione ex optimis terræ hominibus legati, qui domino terræ, et archiepiscopo rem nuntiarent ex ordine. Qui supra modum gavisi gratias Deo egerunt, et populi petitionem sua auctoritate confirmantes in superna gratia venerabiles viri, quam numquam amplius habuerat, Nuscensi civitati cathedram pontificalem concesserunt. Consecratus itaque in episcopum, cum honore maximo nobiliumque et innobilium frequentissimo comitatu, Salerno Nuscum deductus est. Dumque cathedræ inthronizaretur pastorali, factus est undecumque concursus populorum divinam laudantium elementiam. Die igitur inthronizationis ejus acta solemniter, singuli cum gaudio redierunt ad propria. Sanctus vero in habitando suo tranquille commorans, lapicidas idoneosque artifices ad fabricandam conduxit ecclesiam, quam consummatam perfectamque feliciter in honore beati protomartyris Stephani consecravit ; in eademque sedem episcopii sui stabilivit basilica. *A. Francisco de Ponte.*

actionemque jungens orationi,

11 Ex tunc sanctius vigilantiusque in obsequio sedulus Dominico, aut psalmodiæ aut divinæ semper insistebat lectioni : et cum corpore habitaret in terris, spiritu tamen conversabatur in cælis. Quique adhuc in mundo positus ad mundanas non titubavit illecebras et insanias falsas, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum, videri hominibus et esse Deo promeruit. Vivebat cuimvero in administratione ecclesiæ forinseca Marthæ æqualis, sed in contemplatione intrinseca Mariæ consimilis. Intus cum Deo, foris agebat cum populo. Intus vero Deo devotionis holocausta et orationum grata incendebat aromata ; foris populo sanæ exhortationis disciplinæque salutaris pocula ministrabat. Utque sanctus Moyses in monte orans a Deo impetrabat, quod Amalech a populo Israëlitico vinceretur ; ita beatus Amatus, ut populus Nuscensis a visibilibus invisibilibusque securus E esset inimicis, continua oratione a Domino obtinebat.

ecclesiam vigilanter administrat.

12 O per omnia Patronum laudabilem, pastorem præcipuum, beatum antistitem ! qui totus in Dei dilectione versabatur et proximi, mori paratus pro Deo, animamque ponere, si necesse esset, pro populo. Semper insomnis, semper nulla præoccupatus inertia, necessarias adversus hostem humani generis faciebat Vigil præcipuus excubias. Numquam in ejus tempore ille insidiator antiquus se gloriatus est aliquid, quod ad S. Amati custodiam pertineret, de grege sustulisse Dominico. Eo vero dolentior, eo in malum promptiosior * tendebat insidias, laqueos abscondebat, foveas fodiebat præcipites ; inflammabat odia, litigia incitabat, furtum, adulterium, iram, cupiditatem, invidiam, ceteraque suæ iniquitatis semina cordibus hominum toto suo nisu imprimebat perfidiæ : contraque gloriosus Athleta Dei clypeum jejunii, loricam patientiæ, galeam humilitatis, lanceam fortitudinis, gladiumque opponebat justitiæ. Talibus divinæ armis militiæ insignis Christi Præco et assecla horis omnibus diabolicam impugnabat tyrannidem, et omnia sua machinamenta superbiæ F destruebat.

* *forte promptior*

Sanctus, qui multa a Deo impetravit, in terris plura cultoribus suis impetrabit in cælis :

13 Si ergo carnis compagine, et mole adhuc depressus corporea, sanctitatis suæ meritis, quod petiisset, apud Deum impetrabat ; nulli fidelium dubitabile est, quin modo post carnis depositum, gloriosamque ipsius sanctificationem honoratores et amatores suos Deo et angelis conciliet. Si quis vero temerus et contumax Sancto suisque servitoribus opprobrium injuriamque fecerit, certissime divinam expectet animadversionem. Nec credendum est, quod Sancti sui offensam de cælis ille patiatur impunitam, honoremque inremuneratum, cui beatus Confessor servire non destitit in terris. Pauca enim et quasi nulla sunt, quæ adhuc de sancti beatitudine Confessoris retulimus. Nam, etsi os Maronis, aut lingua adesset Homerica, ad satis declarandum ipsius succumberet præconium. Nos tamen non de nostra præsumentes fiducia, sed de Christi sperantes auxilio, operi tanto manum imponere non timemus. Ipse enim nobis potest dicenda suggerere, qui bruti linguam animalis in verba potuit humana resolvere. Ipse in sui Confessoris magnalia nostrum

A. FRANCISCO DE PONTE.

strum valet limpidare ingenium, qui linguas infantium fecit disertas. Ipse venam sapientiæ cordi sicco valet infundere, qui siccam rupem fundere jussit aquas.

orationis ejus assiduitas, et precum efficacia:

14 Sedulus ergo Vir Dei, nec a suo desistens proposito, crebro a conspectu hominum secedebat, et in ecclesiarum angulis, aliisque Deum exorabat latibulis, gloriari in Domino, secundum illud Apostolicum : Qui gloriatur, in Domino glorietur, de bono testimonio conscientiæ, quia in oculis hominum placere et aura favorali percelli nolebat. Angelicum ei profecto semper assistebat auxilium, quod eum in afflictionibus vigiliisque et orationibus confortabat assiduis, invictumque et infatigabilem in Dei reddebat obsequio. Numquam pia ejus mens in divinæ laudationis assiduitate fastidita est. Numquam animus ejus lassitudine vel aliquo torpore compressus saltem quietis causam, vacationem momentaneam in precum assiduitate et divinæ laudis quæsivit instantia. Quanto autem erat in summi veneratione Opificis frequentior, quanto instantior, tanto in ipsum fiebat et reddebatur recentior, tan-
B toque constantior. Neque enim superari quoquomodo poterat, cum quo et in quo Virtus æterna manebat. Non valebat impugnari, quem acies comitabatur angelica. Os itaque Justi hujus meditabantur sapientiam, et lingua ejus loquetur * judicium, lex Dei ejus in corde ipsius. Laudabat assidue nomen Dei cum cantico, et magnificabat eum in laude. Deus autem, qui probator cordium et renum scrutator est verus, de excelso suo sancto ad vota ipsius respiciens, quia nil nisi justo petebat desiderio, omnia ei celeri assequi tribuebat effectu.

* *forte* loquebatur

ægri plurimi sanati,

15 Confluebant ad eum de remotis locis et proximis diversa sustinentes infirmitatis genera, surdi videlicet, muti, paralytici, claudi, cardiaci, febricitantes; et quibuscumque depressi doloribus sancti Viri opitulatione, interventu, et manus impositione curati abibant : revertentesque ad mansiones incolumes, glorificabant Deum, sanctique confessoris sui Amati merita, atque hujuscemodi magnificabant præconia : O inæstimabilis supernæ bonitatis immensitas! O ineffabilis gratia Salvatoris! O incomparabilis
C Sancti sui benignitas, qui divinæ pietatis unctionem *, et ab æterno Medico nobis salutiferam medelam impetravit, et contulit languentibus, qualem aliquis secularium medicorum conferre non valuit, sospitatem! Claudi eramus, sed per ejus merita gloriosa bases nostras Dominus solidavit, ad molem corporis nostri deportandam. Surdi eramus, sed per ejus orationes aurium nostrarum patefactus est auditus. In longa cæcitatis nocte eramus positi, sed ipsius adjutorio usum claritatis perfruimur *, oculorumque recepimus officium. Multi longo gravique premebamur silentio, sed ipsius interventu linguæ nostræ dissolutum est vinculum. Membrorum habitudinem, usum, et proprietatem naturalem omnium annosa et inveterata perdideramus paralysi, sed ipsius obsecratione singula membra nostra valetudinem debitam, motionesque, et jus ipsum receperunt.

* *vox ambigue scripta*

vox dubia

qua inclarescit Sancti fama:

16 Quid aliud de isto dicendum est, nisi quod iste est fons pietatis irriguus, unde oleum misericordiæ incessanter distillat, quo debilis quisque inunctus optatæ redditur sanitati? Iste est, qui contempsit vitam mundi, et mente jam ad regna pervenit cælestia. Iste est, quem, cum Dominus venerit, ita vigilantem inveniens, super omnia bona sua constituet eum. Tali magnificentia Christum, suumque efferebant Antistitem ubi- D que, salutis a Deo per beati merita Amati obtentæ non tacentes miracula. Omnes quoque, ad quorum rei novitas veniebat auditum, non minus et ipsi Dei et Sancti sui magnalia personabant : eratque nomen Sancti ubique magnificum et celebre et omnibus invocabile.

ecclesia S. Leonis structa, ad quam frequenter secedit:

17 Sanctus itaque aliam ad declivum montis, ubi civitas posita est, in nomine sancti Leonis construxit basilicam : ad quam persæpe, tamquam ad eremiticum oratorium confugiens, tumultum secularem, hominumque impressionem devitabat. Quocirca ille humani generis inimicus sanctissimis ipsius actibus invidens, imaginationes terrificas, horrendas ludificationes, et multimoda ei ubique protendebat phantasmata. E contra B. Amatus nominis Christi memoriam, et sanctæ crucis opponebat signaculum : sicque devictus latro pessimus et confusus in suum abibat supplicium.

instauratum Fontilianum,

18 Eratque ad radicem montis Lacinii in loco, qui Fondilianum nuncupatur, in honorem E beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ monasterium quoddam jam diu desertum, quod ipse vastationi et ruinæ expositum condolens, a domino terræ illud sibi donari postulavit. Quod impetratum obtentumque feliciter magna et diligentissima solicitudine reparavit, ecclesiasticis vero ornamentis, et universis utensilibus officio Dei aptis honorifice præmunivit; pari modo prædiis et stabilibus, nec non et animalium gregibus præditavit et ampliavit. Monachorum conventum, qui in Dei servitio et sanctæ Dei Genitricis honore jugiter insisteret, ibi constituit. Talibus itaque insistens operibus, mittebat in præsenti laboris et fatigationis semina, unde postmodum fructuosos agri cælestis susciperet manipulos, et jocunditatis emolumentum mereretur perpetuæ. Gloriabatur ex ipsius opere civitas Agni cælestis; dolebatque chaos tartareum. Gloriabantur angeli; infernales confundebantur ministri. Gloria et honor Deo; contemptus, probrum et dedecus inferebatur diabolo. Tota mentis intentione, totis viribus almus Pontifex insudabat, qualiter diabolicæ malignitatis frustraretur versutia; cresceretque in immensum sancta et exaltaretur Ecclesia. F

aqua in vinum mutata: fundatio ecclesiarum S. Mariæ Novæ et S. Laurentii: mors Sancti.

19 Dumque ecclesiam, quæ sancta Maria Nova dicitur, faceret fabricari, et propter vini inopiam aqua operariis apponeretur in prandio, sicut in Jesu Christi signorum patratum est initio, aqua in vinum signo mirabili conversa est. Qua in re artifices permaxima admiratione perculsi, seque mutuo inspectantes, qui aquam sciebant fuisse appositam, in Dei laudibus non tacebant. O res inæstimabilis! O signum prædicabile, et cunctis gentibus declarandum! Aqua in vini naturam et saporem conversa est. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Aqua data est, et vinum haustum est. Aqua scyphis infusa est, et diversam invenimus liquoris substantiam. Fundavit et aliam ecclesiam in nomine B. Laurentii. Rursus et aliam ædificavit basilicam, quæ sancta Maria Longa *b* nominatur, juxta fluvium Caloris. Dormitionis igitur tempus S. Amati confessoris atque pontificis computatur anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, mense Septembrio, ultimo die ejusdem mensis *c*.

ANNOTATA.

ANNOTATA.

a *Ante hæc pro titulo habetur :* Infra Octavam S. Amati. *Dein,* lectio prima. *Verumtamen omnia, quæ huic includuntur capitulo, ponuntur consequenter sine distinctione lectionum.*

b *Hæc eadem est ecclesia cum S. Maria Nova, uti observavimus in Commentario* § 10, *ubi de his fundationibus et morte Sancti actum, excepta fundatione monasterii Fontiliani, de qua* § 8.

c *Hisce in Ms. subjunguntur miracula omnia, quæ in Commentario* § XI *recitavimus ex editione Francisci Noja. Nihil ex factis omissum, sed prætermissæ aliquæ præfatiunculæ, quæ præpositæ erant tum initio miraculorum, tum etiam miraculis quibusdam. Verum brevissimæ illæ præfatiunculæ nullius sunt momenti, ita ut superfluum esset eas huc adducere.* A FRANCISCO DE PONTE.

NOT. 16.

Pag. 766. n° 130 nomen Michael et mensis Octobris non concordant cum num. 29 pag. 778.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Pag. 108, num. 11, lin. 24, post *mediate* dele alia ad finem numeri.
Pag. 166, num. 25, expunge : *Hos autem posteriores etc.* usque ad *in apographo* exclusive.
Pag. 825, num. 7, lin. 16, alithri-l-*Ros*.

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM VI AUGUSTI.

Aistulphus

B

Belfortius

C

Candace

Cyriacus

Erasmus

F

G

I

Joannes

Leo

Messianus

N

O

Petrus

Q

Quintus

Valens

W

† Willibrordus

INDEX

TOPOGRAPHICUS

B

C

† Cæsarii

D

E

Kilaloa

Rossensis

S

T

Turgoviensis



INDEX
ONOMASTICUS

A

B

C

D

E

F

G

H

Incanceratus,

INDEX ONOMASTICUS



INDEX MORALIS

INDEX MORALIS

A

D

E

Equum

Furtum

L

M

Marmor

N

Nummi

T

V

Virtutes

Bruxellis, Typis F. VROMANT, via de la Chapelle, 3.

FALVEY MEMORIAL LIBRARY
VILLANOVA UNIVERSITY

DATE DUE

AUG 7 '87

AUG 8 '94

MAY 1 0 1996


VILLANOVA UNIVERSITY
BX4655.A2 *v.040
3 9346 00067370 9

For Reference

NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM

CAT. NO. 1935 LIBRARY BUREAU